37
1 F
8

Digitized by Google

R. P. VINCENTII
HOUDRY
E SOCIETATE JESU
BIBLIOTHECA
CONCIONATORUM
MORALIS EVANGELICA,

Ethices Chriſtianæ præcipua continens argumenta ; ordine Alphabetico digeſta , & Supplementis ſuo loco poſitis adaucta:

è Gallico ſermone in Latinum translata.

EDITIO NOVISSIMA, cui nunc primum adjectus eſt TOMUS POSTREMUS continens duas Tabulas, ſeu duplices Sermonum, Argumentorumque Adumbrationes; quæ uſum Operis univerſi faciliorem efficient.

TOMUS QUARTUS.
R—Z

VENETIIS, MDCCLXI.

EX TYPOGRAPHIA SEBASTIANI COLETI

Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

UM1E006120
4: UM1E006125

I N D E X

ARGUMENTORUM CONTENTORUM

IN HOC QUARTO TOMO.

R

RECIDIVA. *Relapſus in crimen; pericula, quibus objicit peccatorem; inde emergendi difficultas &c.* 1

REGULARITAS. *Vita ordinata. Ordo, ac ſyſtema vitæ a ſingulis pro ſtatu ſuo ſervandum. Diligentia in eodem tuendo &c.* 23

RELIGIO. *Status religioſus. Vocatio ad hunc ſtatum. Religionis vota. Ingreſſus in religionem, profeſſio, & quidquid ad hoc argumentum pertinet.* 37

RESPECTUS HUMANUS. *Deſiderium placendi hominibus. Timor illis diſplicendi. Turpe complacendi ſtudium.* 62

S

SALUS ANIMÆ. *Salutis momentum, cura, negligentia &c.* 86

SANCTITAS. *Perfectio, virtus &c. Obligatio creſcendi in Sanctitate, & ad perfectionem adnitendi.* 116

SCANDALUM, *quod accipitur, & infertur. Sceleris enormitas, & effectus pernicioſi &c.* 134

SERVITUS DEI. *Quam ſuave ſit ſervire Deo; & quam præſtet huic ſervire, quam Mundo. Fidelitas in ſervitute Dei.* 158

SOCIETAS ET CONVERSATIO. *Bonæ, malæque Societates; inutilis, & periculoſus congreſſus. Bona, & mala colloquia, & ſermones. Cum impiis conſuetudo.* 193

SOLATIA. *Ludi liciti, illicitique. Solatia honeſta, & inordinata &c.* 215

SOLITUDO. *Receſſus a negotiis, & impedimentis ſæcularibus, ut ſalutis negotio vacetur. Solitudo interior, atque exterior.* 237

SPECTACULA. *Comœdiæ, Choreæ, Saltationes.* 257

STUDIUM. *Scientia, & eruditio. Utilitas, rectuſque earum uſus efficiendus, ac finis in illis ſibi proponendus.* 276

T

TEMPLA. *Materiales eccleſiæ. Modeſtia, ac reverentia ibi ſervanda. Templorum dedicatio &c.* 292

TEMPUS. *Bonus, ac malus temporis uſus. Temporis pretium, & jactura &c.* 310

TENTATIONES. *Ratio eas ſuperandi. Vigilantia ad eas præveniendas; & quidquid ad hoc pertinet argumentum.* 333

TIMOR DEI, *juſtitiæ judiciorum ejus &c.* 361

TRIBULATIO, *Crux. Adverſitas. Patientia chriſtiana.* 380

VER-

V

VERBUM DEI. *Conciones. Concionatores &c.* 430
VESTES. *Luxus, & immodeſtia veſtium, indumentorum, ornatuum &c.* 463
VIGILANTIA *Chriſtiana. In officiis ſuis obeundis cura &c.* 492
VOCATIO AD VITÆ STATUM. *Hujus electio facienda. Deus hac in re conſulendus: ejus auxilium, & lumina imploranda.* 507

Z

ZELUS SALUTIS PROXIMI. *Zelus falſus, & verus. Apoſtoli, Apoſtolicique viri. Cura, & deſiderium ſalutis animarum.* 531

Digitized by Google

BIBLIOTHECA CONCIONATORIA.

RECIDIVA.

Relapſus in crimen, Pericula, quibus objicis Peccatorem: inde emergendi difficultas, &c.

MONITUM.

Argumentum Recidivæ in ea crimina, ex quibus aliquando per pœnitentiam reſurreximus jam de ſuggeſtibus vulgo tractari cœpit, & pauci ſunt Concionatores, qui hac de re, quæ ſummi profecto momenti eſt, aliquam non habeant concionem. Non video tamen, Sanctos Patres crebro de hoc fuiſſe locutos, qui inter ea mala, quæ ſcelus hoc gignit, unice fere immorati ſunt circa pravum habitum, qui ex repetitis ſceleribus contrahitur, & difficultatem hunc abjiciendi, quoniam hæc reciproce ſunt ſibimet cauſa, & effectus. Quæ ſi quis una eademque concione complecti velit, conſulere poterit ea, quæ de ſingulis hiſce argumentis a nobis allata fuere.

Argumentum hoc, ſi rite pertractetur, in peccatoris animo validam efficere poteſt impreſſionem, eumque cogere, ut reſipiſcat; cavendum tamen ne quid plus æquo amplificetur, & ne abſoluta vocetur impoſſibilitas ex hoc ſtatu emergendi; quæ moralis tantum eſt, maxima videlicet difficultas. Similiter ne quis audeat aſſerere, peccata jam per pœnitentiam dimiſſa iterum reviviſcere, quod omnino falſum eſt, atque divinæ miſericordiæ contumelioſum, cujus dona pœnitentiam non admittunt, & contra unanimem Theologorum ſententiam: ſed quibuſcumque repoſitis exaggerationibus frequens recidiva alios habet longe plures funeſtos exitus, alioſque periculoſos effectus, propter quos eſt metuenda. Hic autem colligere conabimur quidquid eloquentiores Concionatores, Doctoreſque inſigniores dixerunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti ſtructura.

I. PRo Concionis argumento oſtendi poteſt: Salutem illius, qui in eadem gravia, & mortalia ſcelera ſæpe labitur, moraliter eſſe impoſſibilem; 1. ex parte peccatoris relabentis: 2. ex parte Dei, cujus patientia delaſſatur, & qui peccatorem tandem derelinquit.

1. Salus quodammodo fit impoſſibilis ex parte peccatoris, qui 1. nulla re amplius afficitur, & quem nihil poſt plures lapſus ultra convertere poteſt. Et ſane poſt primum ſcelus aſcetici libri lectio, patheticus ſermo vividam efficiebant in animo illius impreſſionem, atque in corde illius ſinceram excitabant pœnitentiam: ad vivum conſcientiæ ſtimulis urebatur, cumque nondum obrutus eſſet peccati pondere, omnes exerebat niſus, ut aliquando conſurgeret. Dici poteſt tunc in violento ſtatu fuiſſe, ubi requie frui, & diu in pace permanere non poterat. Ubi primum ſeſe offerebat occaſio ad Confeſſarii pedes provolutus geſtiebat illud onus abjicere, quod ægre ferebat. Sed poſtquam iteratis lapſibus cum peccato init familiaritatem, ejuſque habitum induit, monſtrum hoc illum non terret amplius; cumque illius metum abjecerit, non perhorreſcit ut olim ejus conſuetudinem, in ea perſeverat, neque ſollicitus amplius eſt, ut ex eo emergat ſtatu, qui eidem placere jam incipit. 2. Hinc fit, quod gratiæ validiores, potentioreſque non habent amplius apud illum vim, effectumque, & evadunt inutiles. Deus fruſtra illum ſollicitat, ut ad ſe revertatur, vel minis, æternorumque ſuppliciorum metu, vel ſpe veniæ, ſi velit adhuc ad ipſius confugere miſericordiam, quæ adhuc præſto eſt, ut illum recipiat. Nequicquam illi revocar in mentem eam ſuavitatem, qua olim in Dei ſervitute perfundebatur, eique, ut olim Samaritanæ dicit Joan. 4. *Si ſcires donum Dei*. Si eam guſtaſſes dulcedinem, qua bona afficitur conſcientia. Hanc ille guſtavit, atque oſtendit quodammodo illius pertæſum fuiſſe, ubi ad ſcelus rediit. Hinc judicii, inferni, miſeræ æternitatis metus, omneſque terribiles veritates, quæ alios deterrere peccatores conſueverunt, relabi ſolitum ne movent quidem; centies per ejus mentem prætervolarunt, at nunquam prohibuerunt quominus relaberetur. Quid igitur impoſterum illum cohibere poterit, vel eum ad frugem revocare? Si ipſæ etiam temporales pœnæ, adverſa fortuna, funeſtiſſimi eventus, maxime terribilia Divinæ juſtitiæ exempla eum cogere nequeunt, ut victas det manus, & ſe ſe colligat: inde ſequitur citra extraordinarium manus Divinæ miraculum illum numquam iri converſum. 3. Propter habitum peccati, quem iteratis lapſibus peccator contrahit; hic enim habitus catena eſt, qua peccato alligatur, & quam citra graviſſimas difficultates infringere nequit; ita ut neceſſitas fiat. Cumque in dies ſemper convaleſcat, & in ſingula repetita flagitia difficilius perrumpi valeat, habitum hunc abjicere moralis eſt impoſſibilitatis. Fruſtra cum Samſone peccator dicit: *Excutiam me*, infringam vincula mea, ſicut ante feci. Sentit, receſſiſſe Deum, nullas amplius habet vires, ac tandem miſere perit. 4. Quia dæmon majorem ſemper in peccatorem conſequitur poteſtatem, prout hic ſæpius recidit; hunc quodammodo obſidet, tamquam captivum tenet, eique velati dominus imperat. Hoc Dei filius nobis fortis armati parabola docet, qui ſua expulſus domo illuc cum aliis ſeptem dæmonibus ſe ipſo nequioribus redit, eoque reverſus certum ibi ſtatuit contubernium: *Et ingreſſi habitant ibi*. Luc. 11. Adeunt poſſeſſionem intellectus corrupti: *habitant ibi*; voluntatis in ſcelere habituatæ: *habitant ibi*; cordis quod nullam amplius vim exerit, ut adverſetur; imaginationis, ut illi non niſi nefaria tantum objiciant objecta; ſenſuum, ut per hos tendant inſidias: *Et ingreſſi habitant ibi*. Ita dæmon in poſſeſſione ſua ſe ipſum confirmat; cumque peccator numquam convertatur, ſalus ejuſdem fit impoſſibilis.

2. Neque minus impoſſibilis eſt ex parte Dei, qui recedit, & tanto magis a peccatore procul abit, quo magis peccator repetitis ſceleribus ſuis a Deo diſcedit, & qui tandem illum tradit deſideriis cordis ſui: 1. quia cœli gratiæ ſemper & vi, & numero imminuuntur, & in ſingulos lapſus infirmantur: 2. quia poſtquam toties peccator contempſit Deum, illi dæmonis ſervitutem præferens, Deus quoque illum viciſſim contemnit, ac tradit dæmoni, quem ille ſupremo prætulit domino: 3. cum peccator per repetita ſcelera ingratus extiterit, proditor, perfiduſque, non fovet amplius erga illum Deus hos benevolentiæ, & miſerationis ſenſus, quos adhuc pro aliis peccatoribus fovet: e contra illum horret, execratur, & odit, quemadmodum nos ingratos, atque proditores odiſſe ſolemus. Ex his omnibus inferendum eſt, ſi relapſi peccatoris ſalus non eſt abſolute impoſſibilis, talem moraliter eſſe, niſi ille omnia audeat extrema, ut ex corde revertatur ad Deum.

II. Recidivæ peccatum eſt 1. gravius, & enormius, quam cum primo patratum eſt. 2. toto cœlo difficilius eſt inde conſurgere: hæ duæ ſunt veritates, quæ concionis partitionem poſſunt ſuppeditare.

Pro priori. Oſtendendum eſt, tres eſſe characteres, qui peccatum, in quod aliquis poſt pœnitentiam relapſus eſt, ſine ulla comparatione gravius, & enormius efficiunt, quam cum primum peccatum eſt. 1. character meræ nequitiæ; neque enim amplius per ignorantiam, fragilitatem, imprudentiam, ut prima vice, peccatur: 2. character contemptus, & ingratitudinis erga Deum, quæ circumſtantia plurimum ſcelus aggravat: 3. character præſumptionis; temere enim de divina miſericordia præſumitur futurum, ut nobis parcat, quemadmodum olim pepercit.

Pro altera. Peccatum videlicet recidivæ toto cœlo difficilius eſt, cui veniam Deus tribuat: 1. ex parte Dei, qui ob gratiarum ſuarum contemptum, atque ob ingratitudinem, perfidiamque noſtram magis irritatur: 2. ex parte peccatoris, qui in dies magis induratur, ſenſum amittit, & pœnitentiæ peragendæ magis impar evadit.

III. En tibi duas alias veritates, quarum prior nos terrere debet, & efficere, ut noſmet colligamus: altera vero nos conſolari, ac ſpem in Dei miſericordia tribuere.

Prima; credendi locum eſſe peccatorum, in quæ iterum lapſus es, pœnitentiam neque veram eſſe, neque ſinceram, ſi enim vera fuiſſet, te ipſum emendaſſes, neque adeo frequenter lapſus fuiſſes.

Altera: certiſſimam eſſe pœnitentiæ ſincere peractæ notam ſcelerum correctionem, cum præſtita fides eſt, adimpletumque conſilium initum non recidendi ultra in ea crimina, quorum ſemel pœnituit.

IV. In hæc evangelii verba: *Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*. Per iterata crimina peccator fit nequior quam ante: 1. quia cum peccatis magis onuſtus ſit, inde graviora recipit vulnera, ac remedia infrequentiora ſunt, & majori cum difficultate proficiunt: 2. minus ſentit malum ſuum, ac minus ſollicitus eſt, ut illinc emergat: 3. magis a Deo derelictus eſt, ac minora ab eodem recipit auxilia.

V. Repetitum ſæpe lapſum in ſcelus manifeſtum eſſe, ac moraliter certum indicium reprobationis relapſi. 1. Quia crimen hoc oſtendit animam gratiæ mortuam, ac inſenſibilem iis rebus omnibus, quæ illi vitam reddere poſſent; videlicet divinis illuſtrationibus, verbo Dei, æternis veritatibus. 2. Oſtendit animam a Deo derelictam, in peccatis obduratam ſine divinæ juſtitiæ metu, ſine ullo conſcientiæ tumultu, profunda tranquillitate fruentem, quæ mortalis lethargia poteſt nuncupari. 3. Oſtendit animam dæmoni mancipatam, qui illius adiit poſſeſſionem, eamque ſedulo tenet, ac prohibet, ne ſibi elabatur. Itaque hæc inchoata eſt reprobatio, quippe tria illa complectitur, quæ conſummatam reprobationem efficiunt; videlicet ſtatum mortis gratiæ, ſtatum derelictionis Dei, ſtatum ſervitutis ſub poteſtate, & imperio dæmonis.

VI. 1. Relapſus in peccatum indicium eſt moraliter certum falſæ pœnitentiæ: 2. obſtaculum fere inſuperabile pœnitentiæ veræ, & ſinceræ: 3. via quæ certe ad finalem ducit impœnitentiam, quæ extremam admovet manum reprobationi peccatoris.

VII. In relapſi peccatoris converſione tres occurrunt obices validi. 1. Deus, qui fatigatur relapſo peccatori gratias conferens, qui illis abutitur, eaſque contemnit. 2. Dæmon, qui vehementius adverſatur converſioni peccatoris cupiens recentem ſibi poſſeſſionem certam facere. 3. Peccatoris voluntas, quæ per amorem peccati ſuæ adverſatur felicitati.

VIII. Relapſus in crimen hoc habent commune cum recidivis morborum, quod ſemper ſunt periculoſi: hoc tamen habent peculiare: 1. quod relapſum peccatorem in morali reſurgendi impotentia conjiciunt, omnia rejicientem remedia, eaque irrita efficientem: 2. ipſam etiam reſurgendi auferunt voluntatem: 3. efficiunt, ut peccator omnem abjiciat curam valetudinis ſuæ. *Ex ſpecimine ſermonum pro Quadrageſima.*

IX. 1. Peccator ſæpe in peccatum relabens optimum etiam vitæ ſuæ ſtatum ſuſpicione vacuum exiſtimare non debet, videlicet præteritæ ſtatum pœnitentiæ, quæ parum ſincera fuit, inutilis, & ſæpe ſacrilega ob efficacis doloris, atque conſtantis propoſiti de iterum non peccando defectum. 2. Modica ſpes eſt futurum, ut impoſterum magis ſinceram agat pœnitentiam; omnia enim, quæ ſibi ad id a Deo præbentur, ſubſidia efficit inutilia, atque horum contemptus, nec non ingrati animi vitium, & perfidia Deum cogunt, ne alia ipſi concedat. *Hoc deſumptum eſt ex P. Dolingendse, quem plurimi Concionatores imitati ſunt, variis modis hoc argumentum efferentes.*

X. 1. Rurſus labendum non eſt in ſcelus, de quo egimus pœnitentiam; quippe recidiva indicium eſt moraliter certum falſæ pœnitentiæ. 2. Si poſt confeſſionem iterum in peccatum relabimur, non ideo tamen a pœnitentiæ ſacramento abſtinendum eſt, quia ipſa recidiva ratio eſt propter quam ad illud accedere debemus. *P. Cheminais.*

XI. 1. Inde recidivæ enormitas agnoſcitur, quod nulla vel infirmitatis, vel fragilitatis, vel ignorantiæ, vel violentæ tentationis excuſatio peccati gravitatem poteſt imminuere; cum e contra circumſtantiæ contemptus Dei, ingratitudinis, perfidiæque illud augeant, atque inexcuſabile efficiant. 2. Pericula, quibus nos objiciunt recidivæ, maxime timenda ſunt, ac fere inevitabilia: videlicet obdurationis, inſenſibilitatis, ac tandem finalis impœnitentiæ. *P. Maſſillon.*

XII. Recidivæ ut plurimum ad quietum, tranquillumque in peccato ſtatum adducunt, qui quidem funeſtiſſimus ſtatus eſt, in quem peccator hac in vita decidere poſſit; quippe certum eſt reprobationis indicium. 1. Quippe adminicula vulgaria ſalutis, quibus utitur Deus ad aliorum peccatorum converſionem operandam, peccatori ſæpe relabenti ſunt inutilia. 2. Quibus licet etiam uti poſſit, fatigatur Dei bonitas ea huic permittere, locum faciens juſtitiæ. 3. Quia quamvis etiam Dei bonitas minime fatigaretur, ſolus hic recidivæ character ſerius, ocyus, peccatorem ad finalem impœnitentiam adduceret. *Idem ſermone eodem.*

XIII. 1. Cum fidelis ſæpe in idem relabitur ſcelus, locum præbet exiſtimandi, ipſum nequaquam veram, ſinceramque egiſſe pœnitentiam. 2. & ſe ſe in eum ſtatum adducere, ubi impoſſibile moraliter ſit impoſterum magis ſinceram peragere pœnitentiam. *P. Bourdalove.*

XIV. 1. Poſt frequentes lapſus omnia nos impellunt; ut in peccati ſtatu perſeveremus, ac immoremur; ac tandem ibidem moriamur, quæ calamitatum omnium eſt maxima. Habitus, qui in peccato contrahitur, affectus, quo peccatum diligitur, & qui quotidie magis convaleſcit, ac tandem maxima inde emergendi difficultas, quæ fit moralis impoſſibilitas. 2. Nihil ſatis habet virium, ut nos a peccato divellat, non Cœli gratiæ, & lumina, non Dei Verbum, non virtus Sacramentorum.

Status peccatoris in peccatum recidentis, poſt-

quam

XV. quam illine evaſit, toto cælo deterius eſt eo ſtatu, in quo erat, antequam illinc per pœnitentiam evaderet. 1. Ille nocentior fit coram Deo per ingratitudinem, perfidiam, ac prælationem, qua dæmonem Deo ipſi cenſet anteferendum. 2. Peccato magis ſubjectus eſt, magiſque ſatanæ imperio mancipatus. 3. In ſe ipſo incorrigibilis eſt.

XVI. In Evangelium feriæ tertiæ poſt Paſcha, vel Dominicæ in Albis ſermo eſt de pace, quam nobia Salvator promeruit, & mundo poſt reſurrectionem ſuam annonciavit, ſed quam per iteratum in crimina lapſum infringimus: quod locum præbet duas veritates ſtatuendi, quæ ſermonis partitionem efficient.

1. Suſpicione nequaquam vacare pacem, & reconciliationem cum Deo initam per præteritam pœnitentiam.

2. Veriſimile non eſſe, peccatorem, qui ſæpe hanc pacem perfregit repetitis lapſibus, ſemel impoſterum ad Deum reverti, ideoque illum Dei inimicum moriturum. *Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta.*

XVII. Nullum majus eſt reprobationis indicium, quam recidiva in peccatum. 1. Si reprobationis indicium eſt poſt gravia peccata pœnitentiam non agere, recidiva oſtendit, & probat non eſſe pœnitentiam peragere, falſo pœnitere. 2. Quia ſignum eſt a Deo derelinqui, ubi ſine ſtimulo, ac ulla religione peccatur, quod in recidiva contingit. 3. Quia hæc proxima eſt ad finalem impœnitentiam diſpoſitio.

XVIII. Simplices hæ duæ propoſitiones diviſionem præbere poſſunt juſtæ in hoc argumento Concionis.

Prima: Recidiva efficit enormius peccatum illud, in quod recidimus.

Altera: Relabentis peccatoris converſionem efficit difficiliorem, & moraliter impoſſibilem.

XIX. Principia iteratorum lapſuum ad tria vulgo rediguntur. Alii ex infirmitate, alii ex negligentia, alii ex nequitia relabuntur. Primi illi deflendi ſunt, & peculiari indigent inſtructione. Quod ad reliquos pertinet, duas propoſitiones conſtituo, totidem Concionis partes futuras.

1. Qui relabitur per negligentiam, huic de præteritis omnibus pœnitentiis metuendum eſt.

2. Qui relabitur per nequitiam, huic de futuris timendum. Recidivæ ex negligentia efficere debent, ut de præcedentibus pœnitentiis ſuſpicio nobis ſuboriatur: quæ vero ex nequitia ortæ ſunt, futuram difficilem, & moraliter impoſſibilem faciunt.

XX. 1. Nihil facilius eſt, quam in peccatum relabi: hæc propoſitio prima eſt: 2. Nihil difficilius, quam relapſum reurgere: hæc ſecunda. Facilitas recidivarum, remediorum difficultas. *Joly.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres.

SAnctus Auguſtinus *lib. Meditationum* eam deflet calamitatem, quam iteratis lapſibua ſibi conflaverat.

Idem *lib. 8. Confeſſ. c. 5.* narrat, quo pacto per repetita ſcelera adeo validum peccati habitum contraxerat, ut illum non poſſet infringere.

S. Gregorius *3. part. Curæ Paſtoral. admonit. 31.* docet illos in vanum ſua peccata deflere, qui poſt lacrymas in ea relabuntur.

Idem *in Pſal. 37. Pœnit.* in hæc verba: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum* &c. oſtendit extremam eſſe inſaniam ad illud vitæ genus reverti, a quo per pœnitentiam receſſeras.

S. Hieronymus *in cap. 1. Iſaiæ* hæc explicans verba: *Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis?* ait, hæc dici animæ ad vomitum poſt pœnitentiam reverтenti.

Idem *l. 3. in c. 5. Amos* in eamdem ſententiam hæc applicat verba: *Virgo Iſraël cecidit, & non adjiciet, ut reſurgat.*

Idem *l. 2. in cap. 7. Michææ* docet recidivam nos adducere in ſtatum deteriorem illo, in quo ante pœnitentiam eramus.

Tertullianus *lib. de Pœnit.* fuſius loquitur de recidiva, ejuſque plurimos locos deinceps afferemus.

S. Chryſoſtomus *Homil. 44. in Matth.* hæc explicans verba: *Tunc aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe* &c. oſtendit, recidivæ peccata graviora eſſe, ſeverioribuſque pœnis puniri, quam alia licet ejuſdem naturæ.

Idem *Epiſtola ad Theodorum Monachum* ſe ſummo dolore confici ait, eo quod ille, poſtquam ſe Deo dicaverat, iterum ſæcularibus ſeſe implicuerat negotiis, anmque hortatur, ut quam primum ad ſuſceptum vitæ genus redeat.

Idem *Serm. de lapſu primi hominis in Geneſ.* oſtendit, peccatum, in quod poſt impetratam veniam lapſus fuit, graviorem fuiſſe.

S. Bernardus *Serm. 3. in Cant.* docet, criminoſius eſſe in peccatum recidere poſt peractam pœnitentiam, quam primum peccare.

Idem *Serm. 3. in feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli* oſtendit eorum ingratitudinem, qui iterant ſcelera, & quænam ſibi conflent mala.

P. Chahu in libro, cui titulus: *Secretum Prædeſtinationis*, ampliſſimum habet tractatum de recidiva peccato, ubi ea omnia collegit, quæ dici poſſunt. Aſcetici, aliique.

P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus tomo 1. pro die 17. Martii.

Idem tomo 2. pro die undecima Julii.

Idem tomo 4. pro die decima ſexta Octobris.

Pædagogus Chriſtianus cap. 17.

Pean in Spiritualibus alloquiis; alloquio 9.

P. Theophilus Reuaud *in Hagiol. exot. ubi de Maria Ægyptiaca.*

P. Antonius de S. Martino a Porta in prima parte libri, cui titulus: *Les Conduites de la Grace*, octava fundamentali veritate, ſcite hoc argumentum tribus tractat capitibus.

Stapleton *in Promptuario Morali Dominica tertia Quadrageſ.* Concionatores.

Matthias Faber. *Domic. 3. Quadrag. conc. 10. & Fer. 2. Paſch. Conc. 1. integra.*

P. Grigel in Quadrageſima.

P. Delingendes Dominica tertia Quadrageſimæ duas habet hujus argumenti conciones.

Biroat, ſermone pro feria ſecunda poſt tertiam Quadrageſimæ Dominicam.

Maimbourg ſermone pro tertia Quadrageſimæ Dominica.

P. Bourdalove in Quadrageſima.

P. de la Colombiere Sermone 63.

P. Cheminais Tomo 1. Sermonum.

Auctor ſermonum chriſtianorum, ſermone pro tertia Quadrageſimæ Dominica.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, ſermone pro feria tertia poſt Paſcha.

Auctor ſermonum moralium.

P. Girouſt ſermone pro Dominica in Albis.

In ſpecimine ſermonum pro Adventu tres hujus argumenti conciones invenies.

In ſpecimine ſermonum pro Quadrageſima, ſermone pro feria ſexta hebdomadæ primæ, & pro dominica tertia, argumento tertio.]

Joly Propoſitione pro tertia Quadrageſimæ Dominica.

P. Maſſillon Tomo 3. ſermone pro feria tertia poſt Paſcha.

P. Ludovicus Granatenſis in locis communibus, Titulo *Recidiva*. Qui collectionea ediderunt.

Buſæus, & Labatha titulo *Recidiva*.

PARAGRAPHUS III.

Sanctorum Patrum hoc in argumento loci, & ſententiæ.

Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in juſtitiam tuam. Pſalm. 68.

Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Proverb. 5.

Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Proverb. 18.

Sicut canis, qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam. Proverb. 26.

Homo, qui jejunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? Eccli. 34.

Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! Jerem. 2.

Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua; curationum utilitas non eſt tibi. Jerem. 30.

Væ vobis viri impii, qui dereliquiſtis legem Dei Altiſſimi. Eccli. 41.

Si averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur, & in peccato ſuo, quod peccavit, morietur. Ezech. 18.

Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum. Amos 1.

Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit, tunc dixit: revertar in domum meam, unde exivi. Matth. 12. & Luc. 11.

Tunc vadit: & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi. Idem, ibidem.

Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Idem, ibid.

Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joan. 5.

Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei. Ad Roman. 2.

Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? Ad Roman. 6.

Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. 2. ad Cor. 7.

Si quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo. Ad Galat. 2.

Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte....... & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam. Ad Hebr. 6.

Voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio judicii. Ad Hebr. 10.

Contigit eis illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. 2. Petri cap. 2.

Si refugientes coinquinationes mundi, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Ibid.

Melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Ibid.

Si converſus juſtus a juſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo: in peccato ſuo morietur. Ezech. 3.

Veteris, Novique Teſtamenti Exempla.

Adam poſtquam ſemel peccavit deinceps in nullum mortale ſcelus cecidit.

Patres nonnulli animadverterunt, Adam primum inter homines peccatorem, qui ſolo ſcelere omnes poſteros ſuos nocentes effecit, ſecundo non cecidiſſe; & lapſum ejus, qui homines omnes in peccati abyſſum pertraxit, ne unam quidem mortalem noxam ſubſecutam fuiſſe nongentorum, & triginta annorum ſpatio, quibus ille poſt primum facinus vixit; ſaltem nullius meminit Scriptura. Sed non eſt, cur miremur: etenim poſt adeo diuturnam malorum, quibus illum ſuum ſubjecerat crimen, experientiam, atque poſt adeo gravem, auſteramque pœnitentiam, nulla difficultas oboriri poteſt, quominus credamus, ipſum omnes adhibuiſſe curas, atque diligentiſſime præcaviſſe, ne iterum in eamdem relaberetur calamitatem. Et procul dubio de hoc hominum parente intelligenda hæc ſunt Sapientiæ c. 10. verba: *Sapientia eduxit illum a delicto ſuo.* Sed illi, qui experti ſunt, in quas miſerias ipſos peccata redegerant, & quibus ideo patuerint calamitatibus, & nihilominus ſcientes, atque volentes in eadem ſcelera relabuntur, quam reditus ſpem habent reliquam, ubi adeo perperam abuſi fuerint prima videlicet pœnitentia?

Secundæ recidivæ ſeverius in Pharaone puniuntur quam primæ.

Pharaonis exemplum nos docet, Deum ſeverius animadvertere in peccatores propter recidivæ peccata, quam propter ea, quæ primo patrantur. Princeps ille, quem nobis proponit Scriptura veluti obdurati peccatoris exemplum, pluries eorum, quæ promiſerat, datam fidam prefregit, ſe videl. populo Iſrael permiſſurum, ut in deſertum vero Deo ſacris operaturus concederet; quapropter in ſe hujus Dei iteratis lapſibus provocavit iracundiam, & una cum exercitu ſuo Erythræi maris fluctibus ſubmerſus fuit. Sed uti S. Chryſoſt. hom. 44. in Matth. animadvertit, ſi calamitoſus hic Princeps Dei mandatis poſt prima juſtitiæ ejuſdem flagella paruiſſet, uæ ille quidem effugiſſet altera, & mox alia, quæ ſubſecuta ſunt, & quæ Ægyptum univerſam late vaſtarunt. Illud vero ad noſtrum pertinet argumentum, quod quotieſcumque fidem fregit, toties plagæ, quibus Deus illum perculſit, duriores, gravioreſque effectæ ſunt; & poſteriores repulſæ ſeverioribus mulctatæ fuere ſuppliciis, quam primæ. Hinc Patres nonnulli argumentati ſunt, reiterata, quamvis ejuſdem naturæ, peccata ſemper aliis eſſe graviora, graviuſque ſupplicium mereri.

Dæmon cum peccatoribus id agit, quod cum Iſraelitis Pharao.

In ea ratione, qua cum populo Dei Pharao ſe geſſit, deprehendere licet artificium, quo utitur cum hominibus Satanas, ut hos in eadem rurſus impellat crimina, e quibus per pœnitentiam evaſerant. Et profecto cum Pharaoni perſuaſum eſſet, populum Iſrael id unum quærere, quomodo ipſius dominationem excuteret, hoc eſt uſus conſilio; ita videl. Iſraelitis facultatem permittere abeundi in deſertum, ubi Deo ſacra facerent, ut aliquid in Ægypto relinquerent, quo redire cogerentur, poſtquam Religionis ſuæ ſacra obiiſſent. Ite, ſi lubet, inquit, Deo veſtro ſacrificaturi, ſed pecora veſtra relinquite; neque enim hæc a vobis abduci patiar. Principia verſutia hoc pacto illos ad reditum, atque ſervitutis jugum repetendum, ex quo illos eruere decreverat Deus, cogere cupientis Moyſem, & Aaronem non feſellit. Haud ita, duo illi Domini Legati reſponderunt; hæc non eſt Dei voluntas; in ſolitudinem ſacrificaturi ibimus, & nobiſcum pecora noſtra abducemus, & ne unius quidem pecudis ungula remanebit. *Non remanebit de eis ungula.* Exod. 10. Illa noſtris neceſſaria ſunt ſacrificiis. Nonne hoc ipſum illud eſt, quod dæmon Pharaone callidior, atque crudelior pleriſque hujus temporis pœnitentibus ſuadet, ut ſub ditionis ſuæ jugum redire compellat? Ite, patior vos Deo veſtro ſacra facere; ite; ad Miniſtrorum ejus pedes procumbite; ite, & quoniam de præcepto eſt; & inviolabilis hujus temporis conſuetudo jubet, ad ſacram Corporis, Sanguiniſque Dominici menſam accedete: ad aliquod temporis intervallum a mundi turba ſecedite: receſſum quærite, ut magno huic operi voſmet diſponatis. Sed in mundo tanquam datæ fidei obſides affectus veſtros, habitus, & quidquid vobis chariſſimum eſt, relinquite. Dæmon hac arte vos ad reditum cogere vult, atque adigere, ut ad eam, quam abdicaſtis, vitæ rationem revertamini. Verum ſi certa ſedet animo ſententia gravis hujus jugi excutiendi, ac voſmet a peccati ſervitute liberandi, hac in ſolitudine omnia Deo ſacrificate, commercium, convivia, ſolatia, ne ulla vobis

adſit

Digitized by Google

adſit impoſterum occaſio ſub tyrannicam dæmonis ſervitutem revertendi: ſi enim iterato voſmet illi ſubditis, inde numquam fortaſſe vera converſione revertemini.

Samſonis exemplum.

Ubi per frequentes, iteratoſque lapſus tandem fortis peccati habitus contractus fuit, non ita facile illinc emergere datur; & hæc difficultas quædam vocari poteſt ſpecies impoſſibilitatis, quæ eo uſque procedit, ut peccatores tandem, ſe illinc umquam evaſuros eſſe, deſpereut; & relapſo peccatori id accidit, quod olim Samſoni turpis cupiditatis mancipio, quam ſuperare neglexerat. Narrat Scriptura, illum, cum ter, vel quater a Dalila nexus, colligatuſque fuiſſet, ſemper vincula ſua perfregiſſe; ſed tandem cæſariu, cui myſtice totum ejus inerat robur, cæſa, iterumque alligatum, ubi e ſomno excitatus fuit, ita viribus omnibus caruiſſe, ut vincula perrumpere minime poſſet, neſciens, ſacer addit Textus, quod ab ipſo receſſerat Deus. Sperabat ſemper futurum, ut, ubi opus eſſet, numquam viribus deſtitueretur, atque in periculo utiliter iis uteretur: *Excutiam me*, ajebat Judic. 16. *ſicut prius*. Memet eripiam, & de inimicorum meorum manu victor egrediar. Illum ſui fefellit ſententia, atque, cum crapulam edormiret, locum præbuit, ut ſibi cum crinibus vires adimerentur. Ita conſuevit cogitare peccator, quem recidivæ magis, magiſque peccatum mancipaTunt: *Excutiam me ſicut prius*, ait ille: idem ſemper mihi robur erit ac olim: poſt patratum facinus conſurgam: in ſacramenti gratia vires nactus ſum, & adhuc nanciſcar. Infelix! neſcis, quotidie magis a te Deum ſenſim recedere: *Neſciens, quod receſſiſſet ab eo Dominus*. Fies ludibrium affectuum tuorum, qui tumultum ciere non deſinent: cæcitas tua te objiciet contemptui, atque cachinnis inimicorum tuorum; denique peribis ſub ruina ædificii illius, quod tui lapſus iterati infirmaverint, atque concuſſerint.

Exemplum Paralyt.

Paralyticus evangelicus octavum jam ſupra trigeſimum annum ſecus probaticæ Piſcinæ oram jacebat, ubi oculis ſuis plures ægros viderat convaluiſſe, quæ res non modicum erat doloris ipſius incrementum. Se ipſum movere nequibat, & neminem inveniebat, qui beneficam tenderet manum, ut in mirabile projiceretur balneum, in quo valetudinem ſuam recepiſſet. Tandem aliquando hominem hunc, quem tanto temporis intervallo invanire nequiverat, in Salvatoris perſona nactus eſt, qui illum prævenit percontatus, utrum ex infirmitate adeo diuturna, & moleſta vellet curari. Vix ille ſua teſtatus eſt vota, cum perfectam obtinuit ſalutem unico divini illius medici verbo, *Surge, tolle grabatum, & ambula*. Joan. 5. Illud vero ad noſtrum pertinet argumentum, quod cum poſt adeo miraculoſam curationem Salvator illum inveniſſet in Templo, hæc illi verba dixit, quæ ſaluberrimo nobis eſſe debent documento: *Ecce ſanus factus es, jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Jam ſanus factus es, cave, ne iterum pecces, ne gravius aliquod malum tibi ſit ſubeundum. Neque hoc ſimplex conſilium fuit, ſed imperata vitæ regula, poſtquam illum curaverat; nolebat enim ipſum credere, eo quod convaluerat, licere ſibi ſine aliqua regula, & pro libidine vitam inſtituere, eaque operari omnia, quæ illius morbum pepererant. Illum autem deterret intentans ei minas recidivæ malo ipſo deterioris, ut ſi beneficii accepti gratitudo illum minime continuiſſet, ſaltem gravioris mali metus eum contineret.

Parabola de dæmone ejecto ex loco, ubi moratus fuerat, & illuc redeunte.

Parabola dæmonis in locum redeuntis, unde fuerat ejectus, atque mox illoc ingredientis non ſine ſeptem aliorum ſe ipſo nequiorum caterva, litterali in ſenſu de Judæis explicatur, & in ſenſu morali de omnibus peccatoribus, qui iterato in eadem recidunt ſcelera, propter eam, quam cum Judæis habent, ſimilitudinem. Populus iſte nunc eſt in ſtatu multo magis infelici, quam antequam a Deo eligeretur, atque in ſanctorum Patriarcharum perſona cognitione illius illuſtraretur; peccatum enim, quod deinceps patravit evangelii lumen rejiciens, atque agnoſcere nolens Salvatorem idem ipſi annunciantem: hoc recens peccatum, inquam, aliis additum infidelitatibus, quas jam contra Deum commiſerat, & Prophetæ, qui nomine illius miſſi fuerant, illum non ſatis bene, neque ſecundum ſpiritum, neque ſecundum carnem diſpoſuerant ad fidem recipiendam: & experientia hodierna quoque die nos docet, hunc ex omnibus populis maxime cæcum eſſe, obduratum, atque difficilem, qui convertatur, quod parabolam filii Dei veram eſſe demonſtrat: *Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*. Hoc ipſum in morali hujus parabolæ ſenſu omnibus accidit peccatoribus, qui ſemel a Deo illuminati, afflatique in prima recidunt ſcelera; hi multo magis obdurati ſunt, magis a Dei regno diſtant, ac ut verbo me expediam, in deteriori ſtatu ſunt, quam antequam primum converterentur: *Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*. Matth. 12.

Nemo eorum quos Salvator in Evang. convertit ad ſua rediit flagitia.

Legimus quidem in evangelio plurimorum, qui gravibus obnoxii fuerant criminibus, converſionem, videlicet filii prodigi, mulieris adulteræ, Samaritanæ, Magdalenæ, S. Petri, Sanctique Thomæ; ſed horum alicui Deum ſecundo, & multo minus tertio dixiſſe, peccata eorum ipſis dimitti, non legimus: e contra vero eorum aliquos admonebat, ne ulterius peccarent: *Noli amplius peccare*. Joan. 5.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Iteratis lapſibus theſaurizatur iræ divinæ theſaurus.

SEcundum duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ. ad Roman. 2. Theſaurus, S. Auguſtinus ait, duo deſignat, magnam argenti, aurique vim, quæ congeritur; levis enim ſumma theſaurus non dicitur: & ſecretum loci, ubi occulitur. Talis eſt impœnitentis theſaurus: ſexcenta ſibimet ſuccedunt peccata iteratis, jugibuſque lapſibus, quæ omnia in profundam ingrediuntur abyſſum. Hic autem theſaurus abditus, tectuſque tenetur; quo magis procedit ætas, eo magis theſaurus augetur, debita debitis accumulantur, quin aliquod perſolvatur; & velut ille, qui ſemper mutuatur, & numquam ſolvit, tandem obruitur, ac in nullam reditus ſpem ruit.

Plerorumque peccatorum vitæ jugis eſt orbis pœnitentiæ, & lapſuum.

Impii in circuitu ambulant. Pſalm. 11. Plerorumque peccatorum vita nil aliud eſt, quam orbis cupiditatum, in quo continentur, & unde numquam per veram converſionem egrediuntur; vel ſi quod intercedit intervallum, aut intermiſſio, hoc eſt, ut iterum initium ducatur, & quæ facta ſunt, reficiantur. Labuntur, conſurgunt; relabuntur, ac ſe reſurrecturos ſperant; peccaſſe pœnitet, at non multo poſt ſuæ rurſus pœnitet pœnitentiæ. Sed dicamus potius, hunc eſſe peccatorum orbem; ſcelus unum alterum trahit, uti vibia varam; & primum ſcelus poſteriori viam aperit faciliorem. Nihil niſi corruptio eſt, nequitia, libido: quælibet dies recentia parit monſtra; & ſi aliquamdiu, ſolemnioribus accedentibus feſtis diebus, ceſſarur, torrentis inſtar, aliquantiſper remorantur, ut deinceps majori cum impetu in omnia ſcelera proruant.

Iterato ſcelera iterum ædificant, quod erat deſtructum.

Si quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo. Ad Galat. 2. Hoc vos potiori jure dicere poteſtis, o relapſi peccatores, poſtquam gratia in vobis peccatum deſtruxit, & vos iterum illud reparatis. Per pœnitentiam ſcelera veſtra deſtruxiſtis, & per recidivam pœnitentiam ipſam deſtruitis. Per pœnitentiam maximum a Deo beneficium recepiſtis, & per recidivam obliviſcimini, ac de memoria, & corde veſtro eximium hoc beneficium obliteratis. Apage, ingrati aſtis, & prævaricatores.

Dæmon in hoc ſuum gaudium, & requiem conſtituit ſi pacifi cu animæ.

Cum immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Matth. 12. Numquam ceſſat dæmon nos in ſcelus impellere, quantumvis ſummo rubore ſuffuſus videat ſe per Pœnitentiæ peccatum ex no-

Digitized by Google

noſtra poſſeſſor remanet. ſtris ejici animabus, numquam deſpondet animos, & tantum ſuo clade irritatus, quantum relatis triumphis eſſe umquam poteſt elatus, ſperat ſemper, novarum virium acceſſione ingredi in animam, unde egredi fuerat coactus. Videte, quid narret evangelium. Ex quo immundus hic Spiritus egreſſus eſt de corpore, quod obſidebat, inquietus eſt, & requiem quærit, nec invenit. Sed quænam requies? nullam enim invidia, ac rabies ipſius illi relinquit. Hæc videlicet. Quærit pacatus iterum fieri poſſeſſor ejus animæ, unde expulſus fuit: *Quærens requiem, & non inveniens, ait, revertar &c.* Revertar, hæc crudelis eſt voluptas, quam ſibi proponit; eouſque inquietus, ut nullam requiem inveniat.

Peccatores relapſi diſpoſitionem habent regno Dei prorſus oppoſitam. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Luc. 9. Animadvertite, non dicere Salvatorem, eum, qui mittens manum ad aratrum reſpexerit, in Dei regnum ingreſſurum non eſſe; ſed ait, ipſum regno huic aptum non eſſe: *Non eſt aptus.* Cum dicimus aliquem aptum non eſſe togæ, ſago, eccleſiæ, litteris, innuimus illum indolem ſortitum eſſe prorſus oppoſitam huic ſtatui, & quodcumque ille contendat, ut ſe aptum præbeat, hoc illi numquam e voto ceſſurum. Hoc ipſum quodammodo dici poteſt de peccatore, qui ſuos iterat lapſus, aptus non eſt regno Dei: hoc eſt, continet in ſe diſpoſitionem prorſus oppoſitam ſaluti ſuæ, neque ad illam pervenire poteſt, niſi jugem ſibi vim inferat: *Non eſt aptus regno Dei.*

Cur ſemper metuendum ſit etiam poſt impetratam criminis veniam. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*, ait Spiritus ſanctus per os Eccleſiaſtici. Peccatores ſemper trepidare debent pro peccato eodem, pro quo veniam obtinuerunt. At enim, hoc non intelligo, dicet aliquis; ſi enim peccatum dimiſſum eſt, cur adhuc metuendum? Antehac myſterium hoc non intelligebam, nunc vero illud aſſecutus ſum. Sæpe putamus peccatum nobis dimiſſum fuiſſe, quod tamen dimiſſum non eſt: non enim deeſt falſa pœnitentia, quæ nos damnare potius, quam ſolvare poteſt: & ſi quæ talis eſt, probabilius eſt, hanc eſſe peccatorum relabentium pœnitentiam.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum hoc in argumento loci, & ſententiæ.

Irriſor eſt, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnituit. Auguſtin. lib. 2. de pœnitent. & Jejunio.

Nemo poſt centum peccata, nec poſt mille crimina de divina miſericordia deſperet. Idem, Serm. 58. de Tempore.

Pœnitentia illa digna & bona eſt, quæ peccata perpetrata deplorat, ſic ut deplorata iterum non committat. Idem. Serm. 31. ad Fratres in Eremo.

Quem cæcum Chriſtus bis illuminavit? quem leproſum bis mundavit? quem mortuum bis ſuſcitavit? Ideo non ſcribitur aliquis niſi ſemel ſanatus, ut timeat quiſque jungi peccato. Idem lib. de vera & falſa Pœnit.

Pœnitentibus dico, quid prodeſt quod humiliamini, ſi non mutamini? Idem.

Qui admiſſa plangunt, nec tamen deſerunt, inaniter mundant, & nequiter inquinant; idcirco lacrymis ſe lavant, ut mundi ad ſordes redeant. Gregor. 3. par. Curæ Paſt. admonit. 32.

Peccatum, quod pœnitentia non deletur, mox ſuo pondere aliud trahit. Idem.

Pœnitentiam agere eſt perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Idem, Homilia 54.

Perfecte convertitur, qui cum ſemel quod prave egerat plangit, quod denuo plangat ultra non repetit. Idem, lib. 3. in 1. Regum, cap. 3.

Tales (nempe qui relabuntur) *nunquam diluunt gemendo peccata, quia numquam deſinunt peccare poſt gemitum.* Sanctus Fulgentius, de peccat. remiſſ. cap. 12.

Minor eſt culpa deliquiſſe ante, cum necdum noſſes diſciplinam Dei; nulla eſt venia ultra delinquere, poſtquam Deum noſſe cœpiſti. Cyprian. lib. de diſcipl. & hab. Virg.

Non leviter in Dominum peccat, qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentia renunciaſſet, & hoc nomine illum Domino ſubjeciſſet, rurſus eundem regreſſu ſuo erigit, & exultationem ejus ſeipſum facit, ut denuo malus, recuperata præda ſua adverſus Dominum gaudeat. Tertullian. libro de Pœnitent. cap. 5.

Nonne, quod dicere quoque periculoſum eſt; diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & dijudicato pronunciaſſe, eum meliorem cujus ſe rurſus eſſe maluerit. Idem.

Qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfaciet, eritque tanto magis peroſus Deo, quanto æmulo ejus acceptus. Idem.

Ubi emendatio nulla, pœnitentia ſine fructu. Idem.

Abſit ne aliquis ita interpretetur; quaſi ei etiam nunc pateat aditus ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum, & redundantia clementiæ cœleſtis libidinem faciat humanæ temeritatis. Idem.

Iſta eſt vera pœnitentia, quando ſic convertitur quis, ut non revertatur; quando ſic pœnitet, ut non repetat. Auguſtin. Serm. 7. de Tempore.

Qui ſic alia (peccata) *deplorat, ut alia tamen committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut diſſimulat.* Gregorius Homil. 34. in Evangel.

Iſaias ait: Lavamini & mundi eſtote. Lavatur, & mundus eſt, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit... Lavatur, & non eſt mundus, qui plangit quæ geſſit, nec deſerit, & poſt lacrymas, ea quæ defleverat repetit. Iſidorus de ſummo bono, cap. 6.

Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei. Auguſtin. Sermone 7. de Temp.

Indulgentiæ ingratus eſt, qui poſt veniam peccat, & qui poſt curam ſeipſum vulnerat; nec mundari meretur, qui ſeipſum poſt gratiam ſordidat. Chryſoſtom. Homilia 2. de lapſu primi hominis.

Si a Domino illuminati, & a primo delictorum miſeria erepti, rurſus ad eamdem malignitatem revertimur, gravior punitio nos profecto expectabit. Idem, Homil. 44. in Matth.

Peccaſti, pœnitere; millies peccaſti, millies pœnitere. Idem.

Nihil prodeſt remiſſio peccatorum, qui ſcelerate vivere pergit. Baſilius, Can. 8. de Pœnit.

Qui ſemel veniam conſecutus, is ſi denuo poſt illud tempus peccat, ſeverius in ſe animadvertendi Deo cauſam dat. Idem, in Reg. cap. 11.

Non eſt pœnitentia ſæpe petere veniam ab iis quæ ſæpe peccamus. Clemens Alexandrin. Strom. libr. 2.

Nullus quod peccatum eſſe confeſſus eſt, deinceps debet admittere, quia confeſſio peccati profeſſio eſt deſinendi. Hilarius, in Pſalm. 137.

Recidere quam incidere deterius eſt. Bernardin. Serm. 54.

Vulnus iteratum ſanatur tardius; ſic lugens & peccans veniam non meretur: nihil proſunt lamenta, ſi repetantur peccata, nec valet de malis veniam poſcere, & mala denuo iterare. Petrus Bleſenſ. de Conſ. Sacram.

Pœnitentia hypocritarum; quorum pœnitentia numquam fidelis. Tertul. lib. de Pœnit.

Novum monſtri genus eſt, jugiter faciunt quod feciſſe ſe plangunt. Salvian. 5. de Gubern.

Google

PARAGRAPHUS V.

Qeid hoc in argumento ex Theologiæ fontibes poſſit hauriri.

Quid ſit recidiva.

SAtis liquet recidivæ peccatum non aliud eſſe, quam reditum peccatoris in eadem ſcelera, ex quibus pænitentiam emerſerat; quæ vera, & ſincera, ſuiſſe ſupponenda eſt, quamvis hæc prompta, & frequens in mortale peccatum recidiva ut plurimum argumento ſit, pænitentiam nequaquam veram ſuiſſe. Quamobrem neceſſe non eſt ampliorem afferre explicationem hujus peccati, cujus nomen inſtar eſt diligentiſſimæ explicationis. Animadvertendum eſt dumtaxat, parum intereſſe, utrum iterati lapſus in ejuſdem, vel diverſæ ſpeciei peccara fiant; exempli gratia, utrum qui furtum patravit, poſt pænitentiam aliud, vel ejuſdem naturæ crimen, vel longe diverſum committat, cujuſmodi eſſet blaſphemia, vel adulterium: hæc enim peccata ſemper novo titulo merentur ſubtractionem gratiarum, quæ neceſſariæ ſunt ad conſurgendum, & alioquin illa patranti ſtudium erga ſcelus immittunt multo quam ante vehementius. Fatendum eſt tamen, frequentem in ejuſdem ſpeciei criminum lapſum efficere habitum, qui ſemper eo gravior fit, quo plures ejuſdem ſpeciei producit actiones; atque magnum eſſe indicium, pænitentiam nequaquam fuiſſe ſinceram.

Diverſi generis homines in ſua relabuntur crimina, de quibus diverſum judicium ferendum eſt.

Manifeſtum eſt tamen, quo plura peccatorum genera a peccatore patrantur, eo plures ab eodem habitus contrahi, a quibus ad diverſæ ſpeciei ſcelera trahitur, quarum una tantum eum perdere poteſt. Si igitur peccator in omnia relabitur, uti videre eſt in pluribus, quorum vita in perjuriis, detractionibus, impudicitiis, jugi impietate tranſigitur; nonne inde inferendum eſt, eorum pænitentiam magis eſſe difficilem, & damnationem magis inevitabilem, quia vicies, triciesve magis, quam alii, debent adniti, qui in unum dumtaxat flagitium relabi conſueverunt? Etenim ſi horum fere certiſſimus cenſetur interitus, quia ſibimet eam non inferunt vim, quæ neceſſaria eſt, ut ab uno tantum crimine abſtineant, quid de aliis dicendum, quibus cum viginti, aut triginta æque robuſtis, & periculoſis hoſtibus bellum gerendum eſt?

Notandum quoque eſt, inter relapſos duo illorum poſſe genera diſtingui. Alii, qui poſt lapſus iteratos ita ſe ſe collegerunt, ut non relabantur amplius: alii vero ad aliquod tempus ſe ſe corrigunt, & mox recidunt, cum Dei gratia adjuvante, quæ illis nunquam deeſt, poſſent a repetitis lapſibus abſtinere. Ex priorum numero fuere David, Magdalena, S. Petrus, S. Auguſtinus, & univerſe omnes illi, qui poſtquam pluries peccarunt, ac peccatorum pænitentiam egerunt, vitæ rationem immutant, neque primis flagitiis ſuis ſe ultra ferri patiuntur. Ex numero poſteriorum alii ſunt peccatores, quorum vita in iteratis lapſibus tranſigitur, quantumvis crebro ſcelera ſua confiteantur, & ſacra ſe exomologeſi expiare contendant; de quibus unice hic ſermo eſt. Non igitur loquimur de illis, qui per fragilitatem in eadem recidunt crimina, & qui in occaſionibus, quas minime quæſiverunt, vel per infirmitatem, vel per ignaviam delinquunt; tandem enim non ſumus impeccabiles, ac in Cœlo tantum abſolutam aſſequemur impotentiam lædendi Deum. Immo neque de illis verba facimus, qui diu poſt pænitentiam relabuntur, & qui ubi ſe relapſos norunt, gravi dolore conficiuntur, & ſtatim ad medicinam confugiunt: hos bonæ fidei pœnitentes fuiſſe, credere charitas chriſtiana me jubet. De illis igitur tantum peccatoribus quæſtio eſt, qui ſolemnioribus adventantibus anni feſtivitatibus ad aliquot tantum dies ſuas intermittunt libidines, atque flagitia, ut cum aliqua pænitentiæ ſpecie ad Sacramenta accedant, ſed poſtmodum priſtinis ſe ſe criminibus abdunt, & mancipant: vel de illis, qui aliquem peccatorum ſuorum dolorem teſtantur; & a ſe acta, tranſactaque omnia putant, ubi veniam orarunt: ſed ea omnia negligunt conſilia, quæ ſapiens illis tradit Confeſſarius, ut impoſterum temperent a lapſu, iiſdem ſe ſe objiciunt occaſionibus, eaſdem frequentant ſocietates, eadem alunt commercia neſaria negligentia, quia vim ſibi facere, & mortificationem aliquam ſubire oderunt, & execrantur.

Primus recidivæ effectus eſt Dei gratias exhaurire.

Quamvis Deus numquam veniam, uti opus eſt, petenti, eam deneget; non ideo tamen in infinitum pro converſione peccatoris gratias concedit: ſed favoribus ſuis quoſdam veluti cancellos circumſcribit. Audi, quid Amos Propheta c. 1. dicat: Hæc dicit Dominus: *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum*. Quæ verba ita a S. Hieronymo explicantur: Hactenus Damaſcenorum ſcelera ſemel, bis, ac ter pertuli; ſed quoniam quartum addidere ſcelus, illos non convertam amplius, ſed extremo in eos ſupplicio animadvertam. Ex hoc, aliiſque pluribus Scripturarum locis Theologi argumentati ſunt, Deum certos conſtituiſſe fines, ac numerum gratiarum, quas ſingulis concedere vult, qua menſura repleta, non expectanda eſt alia converſio, eo quod ille fortes, electaſque renuit gratias; quamvis eas non renuit, quæ ſufficientes ſunt, quarum vi, licet peccator converti poſſit, nunquam tamen convertetur. Si quid autem poteſt hanc replere menſuram, atque hunc gratiarum fontem erga peccatorem exhaurire, ne id quidem frequens in peccatum relapſus præſtat; quoniam hæ gratiæ & vi, & numero diminuuntur, prout peccata multiplicantur.

Recidiva indicium eſt propoſitum de non amplius peccando fuiſſe non verum, & inefficax.

Vera pænitentia, ex omnium Doctorum ſenſu, propoſitum de non amplius peccando complectitur; propoſitum efficax, quod peccati cauſas evertit; ſupernaturale, quod humanis quibuſcumque conſiliis fortius eſſe debet. A patribus *Votum* & *Sacramentum pænitentiæ* vocatur. Propoſitum prælationis, quod vos in eum ſtatum adducit, ubi vitæ potius, fortunæ, bonorumque jacturam, quam gratiæ ſubire debeatis; univerſale, quod ad omnia tempora, peccataque omnia latius extenditur. In recidiva autem minime deſunt circumſtantiæ, quæ veriſimiliter, & quaſi infallibiliter judicari poſſunt ab hujuſmodi propoſito omnino abhorrentes; veluti, cum celer eſt recidiva, & die eadem, vel paulo poſt relabimur; cum nullum eam præcedit remedium, nullaque, ut evitetur, diligentia: cum frequens eſt, & nulla videtur actuum diminutio, & æque crebro, ac ante peccatur: cum in recidiva peccator eſt audax, majori cum facilitate in ſcelera ruit, ac in illis vitam ducit tranquillam. Quæ enim veritatis ſpecies adeſt, peccatorem certum, firmumque habuiſſe propoſitum ulterius non delinquendi, & illum bona fide fuiſſe ad pœnitentiam converſum?

Relapſus valida ſunt argumenta quibus præteritorum ſcelerum dolor nequaquam verus fuiſſe probatur.

Pro vera pænitentia Theologi omnes fatentur, opus eſſe dolore, qui alium quemlibet dolorem excedat, ita ut nihil in mundo ſit, quod nobis parem afferre poſſit triſtitiam illi, qua ob violatam Dei legem tabeſcimus. Scio equidem, neceſſe non eſſe, quod hic dolor ſit talis in ſenſu; talis tamen eſſe debet in appretiatione, & nemo dubitat, utrum eouſque progredi debeat, quo dixi. Verum probabile ne eſt illum, qui talem ſcelerum ſuorum dolorem concepit, poſſe rurſus, & quin obluctetur, primæ tentationi cedere? Profecto judicandi locus eſt, dolorem hunc, qui in pœnitentia eſſentialis eſt, ſincerum nequaquam fuiſſe. Et conſtat ratio: frequentes enim recidivæ hodierna die efficiunt, ſemperque effecerunt, ut relapſorum pænitentia ſuſpicione non vacet; & locum dubitandi faciunt de doloris, & voluntatis peccantium ſinceritate.

Recidiva indicio eſt Sacramentum Pænitentiæ effectu ſuo caruiſſe.

Cum hodierna die lapſus adeo paſſim iterantur, non ſine multa veritatis ſpecie dici poteſt, hoc accidere, quia pauci ſe ſe, uti opus eſt, pænitentiæ ſacramento diſponunt. Etenim cauſam talis, qualis eſt ſacramentum, poſſet ne ſuos non pro-

Digitized by Google

producere effectus, propter quos illam inſtituit Deus, niſi qui recipit illam, eſſentiale aliquod impedimentum ſtatueret? Quid porro docet Theologia? Quodlibet Sacramentum in anima bene diſpoſita ſanctificantem gratiam producere, & aliquot peculiaria ſubſidia propter actus, qui ſui finis ſunt proprii. Confirmationis ſacramentum, exempli gratia, extraordinarias ſuppeditat vires, ut libere, & citra metum profiteamur fidem, cum in illius amittendæ diſcrimen adducimur: hic enim illius ſacramenti effectus eſt. Eucbariſtia, quæ tamquam cibus recipitur, præter gratiæ incrementum, vim etiam, & actualia communicat ſubſidia ad violentos tentationum ſuperandos incurſus. Extrema unctio vires tribuit, ut furentibus dæmonis inſultibus, quibus dæmon urget morituros, reſiſtamus. Ita Pænitentiæ Sacramentum, ſi cum requiſitis diſpoſitionibus recipiatur, in anima principium eſt gratiæ ſanctificantis, & quorumdam particularium auxiliorum, quæ Deus toties illi confert, quoties indiget ad finem ſuum obtinendum; qui finis alius non eſt, quam nobis novas addendi vires, ne in eadem peccata relabamur. Peccator autem, qui totum vitæ ſuæ ſpatium, integroſque annos in jugi confeſſionum, lapſuumque viciſſitudine traducit, prorſus oppoſitos experitur effectus: nihil hoc infirmius eſt, in ſingula momenta in præceps ruit, ſe vinci ſinit, quin tentationibus reſiſtat. Quid hoc aliud cogitari poteſt, niſi quod proprium & particularem Pænitentiæ affectum, vim nempe, & auxilium, ut perſeveret, nequaquam recepit? Et hoc Sacramentum illi vel nullum fuiſſe, vel ſacrilegum, eo quod ſine diſpoſitionibus, quæ neceſſariæ ſunt, illud receperit.

Effectus generalis recidivæ.

Generalis recidivæ effectus eſt nobis deinceps omnem reditus ſpem auferre, atque arcte adeo peccato agglutinare, ut illud rurſus deſerere, & converti perrarum æque ſit, ac perdifficile. Etenim ut nova converſio fiat, duo requiruntur; ex parte Dei nova gratia, ex parte hominis nova correſpondentia. At nihil Dei gratias remoratur magis, quam recidiva, quæ illas inutiles efficit; nihilque facit, ut minus iiſdem afficiamur gratiis, quam recidiva: ita hæc duos habet effectus, qui duo magni ſunt noſtræ ſalutis obices: prior, quod magis magiſque Dei cor erga hominem indurat; poſterior, quod magis magiſque hominis cor indurat erga Deum.

Monuimus jam hoc in argumento nihil plus æquo amplificandum eſſe, ne peccatores in deſperationem impellamus. Itaque affirmandum non eſt, iteratos lapſus ſemper certum eſſe malæ, & ſacrilegæ confeſſionis effectum; quoniam licet recipi potuerit gratia juſtificationis, remanet ſemper ſecreta quædam in peccatum propenſio; quapropter abſolute loquendo poteſt aliquis per contritionem, & Sacramentum juſtificantem recepiſſe gratiam, & nihilominus per fragilitatem relabi.

Quorumdam hæreticorum errores ob nimiam hac in re ſeveritatem.

Ex verbis perperam intellectis S. Pauli dicentis: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte .... & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam:* ex his inquam verbis perperam intellectis Novatiani hæreſim ſuam commenti ſunt, nolentes ad pænitentiam admitti eos, qui in idololatriam lapſi erant. Et credidit Tertullianus, inde ſaltem inferendum eſſe, non licere ſecundo criminis hujus abſolutionem illis concedere, ſi relapſi fuiſſent. Utrumque hunc errorem jure damnavit Eccleſia: nullum peccatum eſt, quantumvis enorme, & quantumvis ſæpiſſime iteratum, cujus peccator agere nequeat pænitentiam; quoniam jubet Deus hanc ipſum agere, & nullum, a quo abſolvendus non ſit, ſi eamdem egerit. Verba igitur S. Pauli de Baptiſmo intelligenda ſunt, qui iterari non poteſt; vel ſecundum communem uſum, per vocem illam *impoſſibile* intelligendum eſt id, quod vel difficillimum eſt, vel quod fere numquam contingit; veluti cum apud S. Matthæum JESUS CHRISTUS impoſſibile eſſe ait, divitem ſalvari.

Recidivæ peccatum tantum eſt, ac tam enorme, ut quidam Theologi affirmare non dubitaverint, peccata omnia, quæ per noviſſimam abſolutionem dimiſſa fuerant, per recidivæ nequitiam quoad culpam, & quoad pœnam reverti. Alii etiam dixere, hoc recidivæ crimen propter ingratitudinem, quam peccator committit, efficere, ut reviviſcant omnes pœnæ, quas remiſerat Deus; & hanc unam noxam mereri tantum ſuppliciorum, quantum omnia alia, quæ per confeſſionem fuerant deleta. Sed hæ opiniones fallaces ſunt exploſæ a S. Thom. 3. p. qu. 46. art. 1. & ſeq. aliiſque omnibus Doctoribus, qui docent, dona Dei eſſe ſine pænitentia, ideoque peccata ſemel dimiſſa numquam ſecundum propriam, & formalem eſſentiam reverti. Hoc dici ſolum poteſt cum Angelico Doctore, magnitudinem hujus criminis deſumi ex magnitudine nequitiæ peccatorum, quæ fuerant dimiſſa, & ex ingratitudine, quæ in illo continetur. Enim vero dici poteſt, peccata dimiſſa quodammodo per novi peccati ingratitudinem reverti; idque non in ſe ipſis, ſed cum quadam ſpecie æquipollentiæ: *In quantum qualitas præcedentium peccatorum invenitur in ingratitudine ſubſequente*, quemadmodum ſanctus hic Doctor loquitur.

Quorumdam Theologorum errores de reditu peccatorum per pænitentiam dimiſſorum.

Ipſe Dei filius aſſerit, per recidivam peccatorem in deteriorem, quam ante, ſtatum proruere; quod ſignificat illud verbum dæmonis, fortiſque armati cum ſeptem aliis ſpiritibus nequioribus ſe in locum, unde ejectus fuerat, redeuntis. Secundum hanc ſententiam olim fideles in quædam relapſi peccata in publico pænitentium numero non admittebantur; non quod credendum ſit, poſt recidivam de ſalute ipſorum deſperatum fuiſſe, ſed quod ſupponebatur, peccatorem, qui poſt converſionem ad vomitum fuerat reverſus, non niſi impoſtorem fuiſſe; & divinis abuti gratiis eum, qui in vere pænitentium albo id genus mortales deſcriberet. Hæc erat conſuetudo cum relapſis, quippe ſupponebat futurum, ut prior recidiva aliis quam primum exciperetur; ideoque illi fidelium communione privabantur canonico edicto.

Sine exaggeratione dicere poſſumus per recidivam, peccatorem ruere in ſtatum priori deteriorem.

In eadem peccata repetiti lapſus ex tribus potiſſimum cauſis oriri poſſunt; 1. Ex habitu pravo, qui eſt veluti intrinſeca peccati cauſa illud nequius efficiens; qui enim per habitum peccat, hic non niſi per nequitiam peccat; quoniam, uti ſanctus Thom. ait, vitioſus habitus ea eſt qualitas improba, qua non niſi quantum volumus utimur. Hinc ſequitur, quod habituatus peccator non eſt in ſtatu abſolutionis recipiendæ, niſi certus ſit ſui conſilii, veliſque ſuum habitum abjicere. 2. Recidiva oritur ex occaſione proxima, quæ eſt tamquam extrinſeca cauſa; hæc enim repræſentat objectum, ex quo tentatio proficiſcitur; qua in re non recedendum eſt ab iis, quæ docuimus, cum de proxima occaſione, voluntaria, vel involuntaria loqueremur. 3. Recidivæ ſæpe etiam per peccatoris infirmitatem, atque imbecillitatem accidunt; quamobrem dicitur vulgo, quædam eſſe fragilitatis peccata, quæ vel ex ignorantia, vel incuria, vel defectu conſiderationis, aut officiorum ſuorum, aut gravitatis peccati, procedunt, vel originem ducunt ex paſſionis vehementia, vel exteriorum objectorum ſenſus noſtros ſollicitantium illecebra. Hæc ſunt infirmitatis peccata eam tantum habentia nequitiam, quæ reſidet in voluntate, oppoſitam infirmitati. Confeſſariorum igitur intereſt ad examen revocare, utrum hæ omnes recidivæ, quacumque ex origine fluant, & quæcumque circumſtantiæ illas comitentur, efficere debeant, ut illis, qui eiſdem ſunt obnoxii, abſolutio negetur, vel differatur.

Vulgares recidivarum cauſæ.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Difficile eſt habere fidem cordi inconſtanti, & quo jam fuimus decepti: immo in his iteratis lapſibus non deſunt circumſtantiæ quædam, quæ finalem

Digitized by Google

Recidivæ procedunt ex propenſione in malum, & ex habitu peccati.

finalem portendunt impœnitentiam. Nullus dubitandi locus eſt, utrum gravius ſit crimen in idem peccatum relabi, quam alterum æque enorme committere. Jam peccati, quod reliquimus, horrorem, pœnamque ſenſimus, illud metu, atque tumultu animum noſtram replevit, jam lacrymas elicuit; oportet igitur, magnum eidem eſſe in cor noſtrum imperium, vel ſummam eſſe relabentium infirmitatem. Aliæ crimina non niſi generali, confuſoque oculorum conjectu ſumus intuiti; ſed in hoc uno ſuam conſiderationem anima ſtatuit; ideoque illius turpitudo palam comperta eſſe debet, & explorata: admodum ergo induratus ſit, oportet, qui in illud rurſus dilabitur. Parte ex altera, ubi cor humanum cognoſcitur, liquet, inveteratos habitus fere numquam perfecte deleri; anima in hoc ſcelus ferebatur; ſtudium hoc ſuum frequenti lapſu roboravit, confirmavitque, quomodonam retineri poteſt? Saltem magis naturale eſt, corruptionem hac gliſcere, quam alibi contumeliarum Deo inferendarum materiam inquirere. Si peccati hujus horrorem vidiſti, illius etiam dulcedinem guſtaſti, quæ vulgo magis movet. Quamobrem pœnitentes jure infirmam hanc cordis partem, ubi jam ruina facta eſt, communire pro viribus ſtudent; quemadmodum ſumma cura, ille arcis locus cementis obſtruitur, qua ſemel hoſtis ingreſſus eſt. *Ex Anonymo Auctore.*

Recidiva oſtendit pœnitentiam veram, & ſinceram non fuiſſe.

Cum relaberis poſt aliquot dies, vel hebdomadas, ex quo animum appuliſti, ut temet ipſum ſerio converteres, hæc dicenda non eſt pœnitentia, ſed ad ſummum inutilis vitiorum, virtutumque viciſſitudo; & dubitandi locus eſt, initium converſionis conſilium ſincerum non fuiſſe, quoniam adeo celeriter immutatum eſt. Quantumvis inconſtans ſit hominis voluntas, non ita celeriter mutatur in illis, quæ animo certo vult; primæ cogitationes primum obliterandæ ſunt, ac ſenſim imminuenda deſideria, antequam aliæ, quæ ſunt oppoſita, concipiantur. Quid exiſtimandum eſſet de homine, qui poſtquam arma ſumpſiſſet in prælium profecturus, vix urbe egreſſus eadem abjiceret, ac domum ſuam reverteretur? Quid de illo diceres, qui tertia poſt reparatam gratiam die aliquam ſibi contumeliam inferret? Putares ne, in facto illius ullam ſinceritatem, vel æquitatem inveniri? *Idem.*

Vulgares cauſæ propter quas relabimur.

Nonnumquam in peccatum relabimur, quia nulla uſi ſumus diligentia, ut illud evitaremus. Homo, qui naufragium paſſus, iterum ſcapham conſcendis, ubi ventum eamdem perflare videt, hic maris iram non timet; & qui ex morbo convaleſcens abſtinere detrectat ab iis, quæ tantum ſibi mali pepererunt, fateri debet voluptatis, quam valetudinis amorem in ſe magis valere. Videre ſemper objectum, quod cupiditatem accendit, ac velle videre illud, quin aliquid inde mali conſequatur: dicere, amorem in amicitiam converti, næ id quidem eſt ſemet ipſum decipere. Scelus inopinatos habet reditus; amici nomen ſenſim oblivioni traditur, eique amaſii qualitas ſubjicitur. Objectum, quod amas, cum pudorem tuum ſuperare non potuerit artibus, officiiſque ſuis, vult ſaltem ſub alio nomine te propius retinere, ſperans futurum, ut cor, quod non æque ſemper invigilat ſibi, ex ſemet ipſo ruat, eaque adſint momenta, quibus offerat ultro, quod ante renuebat. Hoc pacto vitium diſſimulatur, non corrigitur. *Idem.*

Recidiva ſine dolore indicio eſt, te in finem uſque in ſcelere perſeveraturum.

Cum ſine dolore, aut modica adhibita reſiſtentia relabimur, finali impœnitentiæ proximi ſumus. Qui in peccatum per infirmitatem recidunt, illuc non niſi ægre relabuntur, tentatio illos trahat opus eſt: ſibimet ipſis prælium inferunt; peccatum dimidiatum tantummodo patrant; nonniſi trepidantes illi conſentiunt; ob infidelitatem ſuam rubore ſuffunduntur; voluptas ipſa dolore immiſcetur; hanc etiam exprobrant ſibi, conatus exerunt, ut inde emergant, atque revertantur ad Deum, cum interim alii ſeſe numquam hæreant, & quantumvis crimen ſuum tamquam malorum omnium maximum fuerint execrati, illud tamen ſine fine, ac repugnantia patrare non ceſſant. Hujus characteris recidiva manifeſtum indicium eſt; relapſum in finem uſque in ſcelere perſeveraturum. *Idem.*

Id, quod S. Petrus, dixiſti, idem, quod ille, pollicitus es Dei viventis Miniſtris, ipſique Deo: *Etiamſi oportuerit me mori.* Matth. 26. Utique Domine, licet jam hoc mihi acerbum ſit; licet vita ipſa effundenda eſſet mihi, me tamen ſemper conſtantem, ſemperque legi tuæ adhærentem reperies. Præteriti me pudet; illud lacrymis proſecutus ſum, & proſequor. Sed parce mihi, o Deus, & futurum tantummodo reſpice: *non te negabo.* Sinceræ promiſſiones, promiſſiones, quas acerrimi pœnitentiæ ſenſus comitantur, promiſſiones millies iteratæ, promiſſiones, quæ confeſſarium replent conſolatione. Has ille audiit, Deoque gratias egit; ſed poſt hæc ſi cum hac promiſſionum ſinceritate, doloriſque magnitudine, in occaſionem te pertrahi ſinis, vel temet ipſum implicas, te caſurum non eſſe, affirmare non poſſum. Cades: *at ille negavit.* Iterum, iterumque rurſus relaberis, & lapſus ſemper erit gravior: *at ille iterum negavit. P. Girouſt, ſermone de Recidiva, qui in Quadrageſima illis poſtremus eſt.*

Peccator, qui relabitur, difficilius convertitur.

Æger, rurſus morbo implicitus, difficilius convaleſcit, & ratio eſt, quia recidiva omne illius temperamentum evertit, omnes corporis diſpoſitiones immutat, ac illud ita prægravat, ut tandem cedere teneatur. Hoc ipſum in animæ morbis experimur. Videmus homines ita ſuis cupiditatibus addictos, ita libidinibus ſuis mancipatos, ut nihil eos excitare, & commovere poſſit. Quænam ibi remedia proficient? Num acres exprobrationes, quibus illos corripies? At nihil dices, quod non audierunt, cum ad Deum reverſi ſunt: attamen licet hæc audiverint omnia, eorumque præſens ob oculos eorum recordatio verſaretur, relapſi ſunt. Num idea judiciorum Dei, quæ illis ad vivum deſcribes? At non aliter hæc illi exhibebis, ac ipſi ea animo conceperunt, cum eorum intuitu deterriti ad pœnitentiam confugerant: attamen primi illi terrores prohibere non potuerunt quominus relaberentur. Numquid magnum ſalutis ſuæ negotium, quod illis ob oculos ſtatuere conaberis, divinæ promiſſiones, quas exhibebis, amor Dei, quem illis inſpirare ſtudebis? At quid in his erit, quod ipſi in ſuperiori converſione non viderint? Attamen, licet hæc omnia cognoſcerent, relapſi ſunt. Hæc igitur in illis nullam amplius vim habent. His jam aſſueverunt; hæ voces ſunt, quæ eorum aures quidem pulſant, ſed cor ipſum non penetrant: non ſecus ac aliquando corpus ita pharmacis aſſueſcit, ut hæc in eodem ulterius agere nequeant. *Idem.*

Præſtiſſe peccatori in ſtatu priori permanſiſſe quam in illud poſt pœnitentiam reverti.

Contra peccatorem relapſum terribilem ſane profert propoſitionem S. Petrus *Apoſtolus*, melius homini futurum fuiſſe numquam cognoviſſe veritatem, quam ſemel cognitam abrenunciare; numquam aperuiſſe oculos, quam ſemel apertos claudere; numquam in ſalutis viam ingreſſum fuiſſe, quam ſemel ingreſſum ab eadem recedere. Mirum ſane verbum! Quem in ſtatum redactus es audiſti? Cur non ſemper viam eamdem ſecutus es, ſemper peccator, ſemper Dei inimicus? Hæc pro te vota nuncupare cogimur; perſeverantia in peccato, pertinax perſeverantia magis quodammodo optanda, quam inutilis, & inconſtans nefariæ vitæ interruptio: & ratio conſtat. Vel enim pœnitentia veſtra falſa eſt, atque tunc habituali ſcelerum habitui additur ſacrilegium: vel ſincera eſt, atque tunc teſtimonium eſt contra vos in lapſu veſtro, ac teſtimonium invictum. Os veſtrum vos damnat, atque vitæ principium in reprobationis titulum convertitis. *Idem.*

Relapſus peccator intelligit dolorem peccati non fuiſſe ſincerum.

Peccator ignorare nequit, utrum dolor criminum ſuorum fuerit ſincerus, utrum peccati deteſtatio vera, & perfecta fuerit, utrum propoſitum conſtans, ac firmum, ideoque ex neceſſaria illatione, utrum pœnitentia valida fuerit, an chimerica, & fallax: fides enim nobis proponit tamquam certiſſimum articulum, dolorem nunc eſſentialem eſſe hujus Sacramenti partem, ſine qua nullum eſt. Quicumque

autem

autem inceſſanter ad idem revertitur ſcelus, nonne magis, quam probabiliter videt, omnem hanc proteſtationum ſeriem, qua ſibimet ipſi animi ſui ſtatum diſſimulavit, nihil eſſe, niſi ſimulationes quaſdam, meraſque velleitates? Numquid hominis voluntas duas habet agendi rationes, ejus conſilia numquid ſunt diverſæ naturæ? Video cum de mundi hujus bonis agitur, nullam rem efficere poſſe, ut ad id, quod ſemel reliqueramus, illico revertamur. Ullane ratio nos cogit, ut nos a quibuſdam rebus arceamus, illas horreamus, & execremur? Neſcimus, quid ſit, illas poſt id tempus amare, eaſque conſectari; conſilium jam captum eſt, ac ſtat jam animo ſententia, illas eſſe deſerendas. Hoc ſatis eſt; fruſtra nos urget amicus, & petit, ut aliquantulum ſibimet indulgeatur, fruſtra voluptas ſenſus noſtros palpat, fruſtra eadem ratio ex nobis ſæpe contrarium videtur exigere. Amicus, voluptas, ratio, animum, qui ita aliquid decrevit, quatere nequeunt. Peccator igitur eamdem præſeferret conſtantiam; igitur ſe ſe victum non dederet illecebris peccati, quas fallaces, fluxaſque cognovit; igitur id, quod nuper damnavit, tanto ardore nequaquam conſectaretur, & hæc actuum adeo oppoſitorum commixtio, lumina hæc adeo contraria ignota eſſent, ſi ſincerum, verumque captum fuiſſet conſilium relinquendi peccatum, ſi deteſtatio integra fuiſſet, & qualem Sacramentum hoc exigebat. *Ex manuſcripto ſermone P. Stephani Chamillard de Recidiva.*

Dei contemptus in recidiva major eſt, magiſque formalis, quam in primo peccato.

Qui mortale peccatum dicit, fateor equidem, dicit Creatoris contemptum, ut peccator ſe ad creaturas convertat, ſed contemptus iſte numquam magis contumelioſus eſt, quam in lapſibus repetitis. Cum primum aliquis in aliquam peccati labitur ſpeciem, ſæpe accidit, eum labi, ut bonum aliquod conſequatur, quod ſi cognoſceret, illud fugeret, atque contemneret. Cupiditas excæcat, ſenſus fallunt, falſa præjudicia ſeducunt, & qui nondum hoc bonum guſtavit, in illius poſſeſſione veram ſibi beatitudinem pollicetur. At illud ne aſſecutus eſt? illius ſtatim inane videt, & illud perhorreſcit; de objecto in objectum diſcurrit, ac nullum inveniens, ubi omnia perluſtravit, quod ſibi ſatisfacere valeat, ad hoc ſupremum revertitur bonum, ita ut variis perquiſitionibus ſuis diſtuliſſe potius, quam tuliſſe judicium ſuum videatur. Hoc autem dici nequit de illo, qui poſt decimam, vigeſimamque exomologeſim ad primum ſcelus revertitur, hic vere, & ſcienter creaturam creatori præponit. Hinc quidem ſeſe ceſſit largitatibus, promiſſionibus, magnæque Dei charitati; idque quotieſcumque aliquo devotionis ſenſu percitus acceſſit ad Sacramenta, & ad ſacri Miniſtri pedes provolutus ſincere errorem, ac ſcelus ſuum confeſſus eſt. Inde vero donec ejus cupiditas, & ſcelus valuit, expertus eſt quouſque progredi poſſet bonum illud, quod ardenter adeo cupiebat; ſe ipſum non ſemel recepit, ut certe cognoſceret, utrum nauſea, qua fuerat affectus, juſtam aliquam haberet cauſam, nec ne. Attamen licet hanc ille inſtituat comparationem, licet ſua doctus ſit experientia, cauſam adjudicat fallaci huic, & commentitiæ felicitati, ex quo in ſuum relabitur ſcelus. *Comparationem videtur egiſſe*, Tertullianus ait, *& dijudicato pronunciaſſe, qui utrumque cognoverit, eum eſſe meliorem, cujus ſe rurſum eſſe maluerit. Idem.*

Recidiva inſignem erga Deum complectitur ingratitudinem.

Peccator, qui poſtquam cum Deo rediit in gratiam, ad priſtina redit flagitia, non ſolum ingratus eſt, ſed ingratitudinis ejus circumſtantiæ turpiſſimæ ſunt. Inſignis obliviſcitur beneficii; fidem, & ea, quæ in ſanctis locis promiſerat, revocat; benefactorem ſuum in ipſo beneficio contemnit, & ſacratiſſimum gratiarum fontem profanat: omnes hæ circumſtantiæ notandæ ſunt. Quo majus fuerat tibi collatum beneficium, eo turpior, & nequior eſt ingratitudo, per quam illius obliviſceris. Quodnam autem majus beneficium, quam juſtitiæ, & innocentiæ, quam tibi reddit Deus, cum ad ſcelerum tuorum adſpectum commotus ad Sacerdoris pedes acceſſiſti, ut illa imbre lacrymarum elueres, fateris, execrareris? Revoca in mentem; quas tibi tunc large, effuſeque gratias contulerit: antequam ſcelerum tuorum veniam obtineres, filius eras iræ; omne jus amiſiſti ad ſpem harum promiſſionum. Heu! Calamitas tua eſſe ne poteſt magis terribilis? Sed huic deplorabili criminis ſtatui felicem oppone ſtatum, in quo ſacramentorum gratia te conſtituerat: factus es Filius Dei, hæres regni illius, dignum objectum, in quo ille ſibi complaceat, & anima tua juſtitiæ, & puritatis honore decorata facta eſt templum Spiritus ſancti. Poſt hæc autem oblitus benefactoris tui, omniumque beneficiorum ejus, eum iterum lædis, & provocas. Numquid majus fingi poteſt ingratitudinis monſtrum? *P. Maſſillon tom. 3. ſermone de Recidiva.*

Per recidivæ peccatum retractantur promiſſiones Deo factæ.

Vis intelligere nequitiam, & enormitatem recidivæ? Hæc eſt reverti ad vomitum, quemadmodum Scriptura narrat; ſpecioſas retractare promiſſiones, quas feceras Deo; ad arma rurſus concurrere, & poſt pacem ſolemniter ſancitam, juratamque bellum indicere; & pœnitentiæ ſuæ, ut quidam Eccleſiæ Pater ait, pœnitere. Ita cum ad ſcelus tuum reverteris, Domino dicis, reſume tibi gratias tuas, ego vero meas cupiditates reſumam: obliviſcere pœnitentiæ, ac promiſſionum mearum, quarum ego jam oblitus ſum: reſume beneficia tua, & ego veterem quoque vivendi rationem reſumam. Verbo, in ſcelus relabi, eſt mentiri, quidquid in ſacro pœnitentiæ tribunali pollicitus fueras, eſt erubeſcere, quod criminum tuorum rubore fueras ſuffuſus, eſt palam profiteri, quidquid feceras pœnitentis ſitum, notaſque ſuſcipiens, per jocum, & deriſionem a te factum fuiſſe. *Idem.*

In peccatum relapſus ingratitudini addit perfidiam.

Relabentis peccatoris ingratitudini adde perfidiam; hic enim peccator fœdus ad aras contractum conculcat; ſolemnem promiſſionem in templo factam, & per ea, quæ in religione auguſtiſſima ſunt, confirmatam antiquat; juramenta, quæ inter manus miniſtrorum JESU CHRISTI fecerat, prodit, & ejurat. His autem juramentis prætexere nequit ignorantiam; ſciebat ille, ad quid ſeſe jurejurando adigeret: nihil fecit, quod illum non docuerit religio: illis neque violentia ulla prætexi poteſt; ultro ipſe ad aras acceſſit; ultro ipſe, motuque proprio hæc promiſerat, ſibique gratiam fieri putabat, ſi harum miſericordiarum particeps fieret: poſt omnes haſce proteſtationes, juramenta, promiſſiones, revocat ea, quæ dixit, & prorſus oppoſitum facit eorum, quæ pollicitus fuit. Heu! Quænam igitur eſt cæcitas tua! Religioſus es uſque ad ſcrupulum in promiſſione, in jurejurando, in verbo, quo te aliquid mundo facturum recipis; cum vero agitur de fide præſtanda Deo, te tuæ perfidiæ non pudet! *Idem.*

Per te mihi liceat ante oculos tuos beatos illos revocare dies, quibus ad ſacrorum tribunalium pedes provolutus temet de ſceleribus tuis accuſaſti. Quomodo ibi profeſſus te ſuper omnia Deum amaturum eſſe, uni illi famulaturum, nil aliud, niſi ut illi placeas, quæſiturum, atque voci illius obtemperaturum? Quot pro futuro tempore juramenta! Quiſnam pro præſenti fervor! Quis pro præterito dolor! Quæ pœnitentia, quod adeo ſero incœpiſti, & illum, uti oportebat, non amaſti! Poſtquam autem a Sacerdotis pedibus receſſiſti, nonne exuberanti lætitiæ interioris impetu dixiſti, hoc gratiæ, ac pœnitentiæ momento nullum aliud tibi in vita tua beatius contigiſſe; te numquam in voluptatibus pari dulcedine fuiſſe perfuſum; te nunquam felicem futurum fuiſſe ſine Dei gratia, quam nuper es conſecutus? Nihilominus ingrate, poſt tot proteſtationes, humiles confeſſiones, authenticas promiſſiones, retrahis cor iſtud, quod dederas Deo! En prodis juramenta, quæ lacrymæ tuæ, utilitas tua, gloria etiam tua ſacra, & irrevocabilia efficere debuiſſent. Heu! ſcias, ſi ita perfidus es, ut ita irrideas, lapides ipſos horum templorum, qui fideles fuere tuarum lacrymarum, doloris, ejulatuumque teſtes, in te aliquando ſurrecturos; ſacra

hæc

hæc tribunalia, ubi promiſſiones, & juramenta tua protuliſti, aliquando coram univerſo terrarum orbe proditura, ut tibi tuam exprobrent infidelitatem, atque perfidiam: *lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* Habac. 2. Fruſtra conaberis eorum accuſationi reſpondere: producent enim contra te lacrymas, & juramenta tua, quorum teſtes fuere, atque ex ore tuo te damnabunt. *Idem.*

Contemptus Dei in recidiva.

Ingratitudini, & nequitiæ relapſi adde formalem contemptum Dei, & gratiarum ejus, benefactoris, & beneficii. Si in peccatum tuum recidis, non ex inſcitia, ſed ex turpi, injuſtaque prælatione, qua virtuti ſcelus anteſers, hoc accidit. Ad ſatanam, & opera illius non redis, niſi poſtquam guſtaviſti, atque ad examen revocaſti quidquid ſuavitatis, atque ſolatii in Jeſu Chriſti amore, & ſervitute invenitur. Ad peccatum non rediiſti, niſi poſtquam ſimul odioſa comparatione gratiæ ſuavitatem cum peccati jucunditate contuliſti. Nonniſi poſtquam JESUM CHRISTUM cum Belial comparaſti, in poſterioris hujus partes concedis; poſtquam utrumque guſtaſti, audes eligere Belial, & cum Dei tui contemptu illum præferre. Quænam ſanctæ gloriæ tuæ, o Deus, contumelia, quæ impietas, injuſtitiam ſanctitati, mendacium veritati, peccatum gratiæ anteferre! *Idem.*

Qui vere pœnitens eſt, tam cito ad peccatum non redit.

Sed quænam in re enormitas recidivæ conſiſtit? In hoc videlicet, quod peccatoris in ſcelus reverſio poſt tot ſolemnes promiſſiones fere certa nota eſt, quod in ſacramento non vitam, ſed funeſtam mortem invenit; & quod, qui inde pœnitens egrederetur, inde egreſſus nocentior: etenim ne vos hic error decipiat; in hoc ſuam collocare pœnitentiam, ut per aliquot dies a noxiis voluptatibus abſit aliquis, ut ab illicitis rebus abſtineat, ut ad tempus aliquod ſcelerum ſuorum curſum intermittat, ut ad Confeſſarii pedes procumbat, mox ad priſtina ſcelera reverſurus, hoc non eſt eſſe pœnitentem. Scio equidem hoc non ex impietatis, & corruptionis principio agi: verum etiam ſcio, nihilominus eſſe nocentem, qui aliquando ad gratiarum fontes accedit, ut inde ſtatim recedat. Scio, ubi per ſacramenti virtutem peccata excuſſa fuerant, neminem certum eſſe poſſe, in eadem ſe deinceps numquam relapſurum. Cor recens converſum, uno oculi ictu conſtans; & inconcuſſum factum ſe fuiſſe, ſperare non poteſt; non ſemper a ſtatu peccati ad perfectæ juſtitiæ ſtatum repente fit tranſitus: poteſt aliquis ita infelix eſſe, ut poſt acceptam gratiam relabatur: attamen hoc ſaltem nonniſi poſt diuturnam præliorum ſeriem, poſt dies plures, poſt annos perſeverantiæ, & poſtquam ſexcentæ ſecretæ infidelitates animum novis lapſibus diſpoſuerint, & poſtquam omni niſu certatum eſt, ut a corde hujuſmodi infidelitates expellerentur, atque vincerentur. Videte porro, utrum poſt acceptam per ſacramenta gratiam, hæc prælia ſuſtineatis; utrum hos exeratis conatus illam ſervaturi; utrum nonniſi multo poſtquam eam receperitis, poſt plures pugnas contra peccatum, quod veſtram imbecillitatem pertentat, illam amittatis; utrum denique ſacramentum, ad quod nuperrime acceſſiſtis, diutius ſit veſtræ innocentiæ profuturum. *Idem.*

Artes, quibus cum aliis peccatoribus utitur Deus, in relapſis inutiles ſunt.

Ajo, vulgata adminicula, quibus utitur Deus aliorum peccatorum converſionem operaturus, relapſo nullius eſſe utilitatis. Ea quippe nova ſunt lumina, quæ confert animæ, quam ſalvare cupit. Effundit ille ſui luminis radium ſuper ejus officia, ut illa cognoſcat, ſuper nihil, & fragilitatem illum; necnon terrenarum rerum inconſtantiam, ut animum ab illis divellat, ſuper cœleſtium rerum ſoliditatem, realitatem, durationem, pretium, ut eo ſua vota convertat. Tunc autem peccatoris anima illuſtrata, ſe videns rebus hujus mundi deceptam, atque ſeductam, horrore, numeroque criminum ſuorum perculſa; præteritos deteſtatur errores, ſua relinquit flagitia, & cum voluptate ſequitur viam, quæ ſibi indigitatur. Vobis autem relapſis, qui poſtquam aliquamdiu in via ſanctitatis ambulaſtis, ad vomitum eſtis reverſi, hæc, quæ vobis Deus immittit, lumina nihilum proſunt: viam hanc, quam illa vobis oſtendunt, jam noveratis, antequam relaberemini: divinum hoc lumen, quod aliis officia ſua detegere videtur, vos jam illuminaverat: ante recidivam videratis, quanti referat in virtute firmos eſſe, atque conſtantes: in veritate edocti, & innutriti eratis; ſciebatis mundi vanitatem, inanium voluptatum inconſtantiam, alterius vitæ felicitatem: & veritates omnes, quas Dominus aliis peccatoribus tradit, vobis non ſunt amplius nova lumina. Vos perſtrinxerunt, viceruntque, antequam etiam in nova ſcelera laberemini, & nihilominus non prohibuerunt, ne iterum caderetis. *Idem.*

Prava inconſtantis animæ diſpoſitio.

Minimus etiam gratiæ conatus, una vox minax, unica æternitatis vel beatitudinis, vel calamitatis conſideratio, triumphum nonnumquam refert de corde peccatoris, qui ſuis affectibus indulgere, ſuiſque cupiditatibus velificari conſuevit: in vobis autem, qui gemere quidem, & mox ridere, plorare, & mox gaudere, ſurgere, & mox relabi conſueviſtis, quid efficere poteſt aliqua gratiæ impreſſio, atque ſenſus ſalutis? Vos ex illis eſtis animabus, quas omnia perterrefaciunt, & nihil ad frugem convertit, quas omnia emolliunt, & nihil confirmat, quæ rebus omnibus commoventur, & nulla umquam convertuntur. Heu! Si lapideum cor haberetis, ſperare poſſetis futurum, ut aliquis gratiæ motus vehementior illud mollire, confringere, & in cor novum convertere poſſet; ſed cor veſtrum cereum eſt; quantumvis vehementer illud gratia pulſet, numquam conteritur. Facile quidem omnes induit formas, ſed numquam in invariabili ſtatu conſiſtit, ad minimas Domini minas concutitur, ſed minimam etiam gaudii occaſionem, quam illi mundus offert, alacriter arripit. Heu peccator relapſe, ſi noſſes hujus ſtatus tui periculum, indeſinenter contremiſceres! Haud equidem auctor tibi ſum, ut temet in deſperationem conjicias; verum dico, fieri vix poſſe, ut temet hoc in ſtatu convertas, nullum eſſe præſidium, in quo ſpem collocare poſſis, & converſionem tuam proculdubio opus eſſe gratiæ maxime extraordinarium. *Idem.*

Frequentes recidivæ oriuntur ex corde ignavo, & inconſtanti.

Undenam hæ proficiſcuntur recidivæ, niſi ex inſtabilitate, inconſtantia, & ignavia cordis, quod de uno in alterum migrat ſtatum, quod de ſcelere in virtutem, de virtute in ſcelus diſcurrit, quod amplectitur, quod illi primum magis videtur amabile, & quod mox illum afficit tædio? Eſtis nubeculæ ſimiles, quam venti pro libidine circumagunt; mare inconſtans, ac procelloſum, quod, poſtquam de ſinu ſuo cadavera ejecit, in agros fertur exundans, quo eadem rurſus ad ſe trahit. Verum quidnam mihi conſilii eſt oſtendenti, adeo exiguam relapſis ſpem ſupereſſe? Quid? Numquid vos perterrefacere, atque efficere, ut tot tantiſque difficultatibus deterriti nihil aggrediamini ex tanto periculo evaſuri? Avertat Deus, quod de infinita Dei miſericordia deſperem; ſed vobis oſtendere cupio ſolum, cum veſtra converſio alia qualibet ſit difficilior, vobis enixius, diligentius, & conſtantius eſſe adlaborandum, quam alteri cuipiam peccatori; vobiſque metum immittere, ut ex ſtatu ſaluti veſtræ adeo pernicioſo emergere tandem aliquando conemini. *Idem.*

Fatigatur denique Deus toties peccatorem ſequens ac relabentem.

Utique, fideles, fatigatur Deus ſequi greſſus peccatoris indeſinenter relabentis: ſtimuli, qui nos in ſcelere tranquillitate frui non patiuntur, tandem aliquando quieſcunt: gratiæ, quæ ſeſe vobis offerebant, & quæ vos indeſinenter ſollicitabant, non amplius concedentur. Nihil magis Dei iram, & indignationem provocat, quam cum peccator init conſilium reparandi, quod Deus ipſe deſtruxit. Scriptum eſt, illum, qui ſuperbæ Jerichuntis mœnia e ruderibus iterum attollere conatus eſt, anathemate fuiſſe perculſum. Ita ſane; cum miniſtrorum Domini vox, cujus figura erat buccinæ clangor, ſemel animæ noſtræ affectiones proſtravit per confeſſionem, vel prædicationem, indignatur Dominus, quod illas excitare rurſus audeat peccator, & hoc auſum tamquam nefarium facinus reſpicit. *Idem.*

Conſtans probat experientia, quo ſæpius aliquis rela-

Quo ſæpius quis in ſcelus labitur, eo difficilius reſurgit.

relabitur, eo difficilius conſurgere. Ubi primum fueris lapſus, facilis eſt pœnitentia: ſed poſtquam ſæpius cecidiſti, ſtudium, quo in malum raperis, convaleſcit: gratiæ dona non ſunt amplius adeo copioſa, ſenſim vires amittis, iiſque amiſſis tam frequenter laberis, ut conſurgere ulterius non poſſis, & anima ſub iteratæ recidivæ pondere, quibus valetudo, roburque tuum attritum, confectumque eſt, obruatur. Hic veſter eſt ſtatus, o peccatores, qui in ſcelera toties reciditis, primi lapſus veſtri nondum omnino bonas deleverunt impreſſiones, quas in vobis gratia excitaverat: imago, & nomen Chriſtiani nondum fuerant penitus obliterata: & ſi ſemel lapſi eſtis, miniſtri Domini vos extulerunt; rite peracta confeſſio vos in priſtinum ſtatum revocavit, amiſſamque gratiam reparaſtis. Verum ſi ſecundo cecideritis, periculum eſt, ne ultra conſurgatis. *Idem*.

Videmus, ex omni peccatorum numero neminem eſſe impudentiorem, atque iniquiorem eo, qui cum ad tempus aliquod cum peccato divortium feciſſet, in priſtinam ſemitam deinceps reverſus eſt. Deus reditum eorum indignatus illos videtur cæcitate percutere. Hujus farinæ mortales non ſunt amplius peccatores, monſtra ſunt; non ſunt amplius Chriſtiani, ſunt impii ſine fide, ſine religione, ſine lege, ſine moderatione, ſine fræno, quod illos coerceat. Haud ita: magnas ſanctitas numquam in mediocra degenerat crimina; quo magis aliquis in via juſtitiæ proceſſerat, eo magis nequam fit, ubi relabitur. Manna, qui ſuaviſſimus erat populo Dei cibus, ubi in poſterum diem aſſervabatur, teterrimum emittebat odorem: & quo magis conſeneſcebat, eo magis tabe, & putredine diffluebat. Talis eſt animæ ſtatus in ſcelere quieſcentis, ac in illud ſæpe relabentis; nulla pejor corruptio eſt ea, quam ſcelera gignunt: *Propter immunditiam ejus corrumpitur putredine peſſima*. Mich. 2. *Idem*.

Illis, qui gratiam ſe reperiunt, adhortatio, ne iterum in peccatum relapſi, illam amittant.

Verene ad gratiam reſurrexiſtis? ineffabili hoc theſauro potiti eſtis? Cum Deo veſtro in gratiam rediiſtis? Mementote, vos in fictili teſta pretioſum hoc geſtare donum: ideoque ſummam adhibendam eſſe diligentiam, ne cadatis: in omni greſſu, verbo, facto cauti eſtote, ne vobis recidivæ occaſio fiant..... Cum redeundum eſt in viam ſalutis, a qua per recidivam receſſiſti, gradus eſt adeo lubricus, ut præcautio, ne recidas, numquam ſit nimia. Cogitate, has fere quotidianas revolutiones, hos frequentes vitiorum, virtutumque reditus, turpes has pœnitentiæ, & peccati viciſſitudines, hoc confeſſionum, & recidivarum, proteſtationum, & infidelitatum circulos nequaquam decere eum virum, qui omnino, & conſtanter debet adhærere Deo. Nullam umquam pacem, & requiem veram, ſeu in vitio, ſeu in virtute habebitis, donec ita de altero in alteram inconſtanter migrabitis. Æternum vos & gratiæ illecebræ, quæ ex iniquitatum veſtrarum ſinu vos revellunt, & cupiditas illa, quæ vos pronos in ſcelera detrahit, torquebunt..... Deus, qui alternas has vices pati nequit, tradet vos tyrannicæ poteſtati domini illius, quem ipſis toties prætulitis. *Idem*.

Recidivæ in peccatum magnam habent ſimilitudinem cum recidivis in corporis morbos.

Recidivæ in peccata magnam mihi habere videntur ſimilitudinem cum recidivis, quæ in corporum morbis accidunt, ſeu earum ſpectetur cauſa, ſeu conſiderentur effectus. Certum eſt recidivas in morbos ſæpiſſime ex iiſdem proficiſci humoribus, qui primo corpus vitiaverant, & qui prorſus expurgati nequaquam fuere. Hoc ipſum dico de peccatis, in quæ relabitur aliquis, ubi eadem confeſſus eſt: cum peccata hæc gravia ſint, metuendum ſaltem eſt, ne ſint antiquorum effecta, quorum jam abſolutionem obtinuerat; & affirmare poſſum, quo magis hanc ſententiam ad examen revoco, eo mihi magis veram videri. Secundo, nemo ignorat morborum reditum admodum eſſe periculoſum, atque, ut plurimum, eſſe lethalem; natura quippe primis morbi ejuſdem conatibus infirmata, minus habet virium ad alteram hanc oppugnationem ſuſtinendam, adjuvandamque medicorum artem, qui ſine illa nihil facere poſſunt. Hoc ipſum de iteratis lapſibus dicendum eſt, ex quibus difficile convaleſcere poſſumus, & miraculi loco habendum eſt, niſi ad mortem adduxerint. *P. de la Colombiere ſermone hujus argumenti*.

Peccati dolor ſincerus non fuiſſe videtur, cum iterum labimur.

Si reciditis non multo poſtquam tanto ob lapſum dolore confecti fuiſtis, neceſſe eſt, vel vos omnem rationis uſum amiſiſſe, vel peccatum omnem turpitudinis ſpeciem exuiſſe, vel vos numquam reipſa illud odiſſe. At enim ploravi, ſuſpiria, & ejulatus emiſi, ad aliquod tempus inconſolabilis fui. Eſto: fieri quidem potuit, quod ploraveritis, ſed, quod ploratus iſti ſinceri fuerint, fieri non poteſt. Ploraſtis cogitantes, ea a vobis relinquenda eſſe, quæ amabatis, quamquam numquam eorum relinquendorum voluntatem habuiſtis: lacrymæ iſtæ effectus fuere amoris veſtri, non odii, quo peccatum execraremini: illas natura, non gratia a vobis elicuit; quæ licet ſupernaturales fuiſſent, cum nulla ſit ſubſecuta correctio, credendi locus eſt, eas inutiles extitiſſe..... Ad ſacerdotis pedes ploraſtis, voſmet commotos, atque peccatorum veſtrorum pœnitentia uſque ad ſuſpiria, gemituſque affectos ſenſiſtis; hoc ſignificat, gratiam fortem fuiſſe, atque Dei ſpiritum mirum in modum vobis vim feciſſe, verum affirmo, vos gratiæ huic non ceſſiſſe, quinimmo reſtitiſſe, & Dei ſpiritum in vobiſmet ſuffocaſſe: hoc autem ex actionibus veſtris judico, quæ argumenta ſunt nequaquam fallacia. Statim voſmet primis occaſionibus implicuiſtis, ſtatim viam eamdem iteraſtis, ne unum quidem protuliſtis pedem, ut malum evitaretis: aliquid ne ulterius requiritur, ut hoc mihi perſuadeam? *Idem*.

Cum ſincera eſt pœnitentia, nec ſtatim, nec repente relabimur.

Docet experientia, veram pœnitentiam æterno excipi divortio ab omni iniquitate. Sin autem accidit aliquando, ut in eumdem decidas ſtatum, ex quo te ipſa evaſeras, nequaquam illuc repente ruis; tempore opus eſt, ut amaræ contritionis deleatur memoria. Numquam iterum a gravioribus criminibus initium ducitur, ſenſim noſmet in pietatis exercitiis remittimus, noſmet infideles ſexcentis in rebus, quæ minoris ſunt momenti, præbemus, quibus paulatim aſſueſcit anima, & majoribus infidelitatibus præparatur. Antequam ad mortalem redeamus noxam, plurimas inſpirationes, plurimaſque conſcientiæ exprobrationes ſuffocemus oportet. Sed quod intra dierum octo ſpatium, poſtridie ejus diei peccatum mortuum reviviſcat, hoſtis victus, attritus, ſuperatus, ex corde ejectus; deletus, ad nihilum fere redactus momento robuſtus, atque terribilis, arciſque dominus evadat, quaſi Deus numquam eadem potitus eſſet, neque contra Satanæ conatus ſeſe ibi communiviſſet, eamque optimis præſidiis firmaſſet, fateor equidem, me nequaquam intelligere, qua ratione id fieri poſſit: *qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo*. ad Rom. 6. Opus eſt ergo, dolorem hunc ſimulatum fuiſſe, propoſitum hoc imperfectum, falſam reconciliationem, nullam pœnitentiam; quæ ſi vera fuit, & nihilominus adeo ignavus fuiſti, ut relabereris, næ metuendi quidem locus eſt, ne umquam ſurrexeris. *Idem*.

Quomodo a lapſibus abſtinendum.

Quid ergo faciendum eſt, ne relabamur? Eo modo peccator ſaltem ſub initium ſeſe gerere debet, quo æger, qui poſt graviſſimos morbos incipit convaleſcere: numquam majori utitur cura, modeſtia, ſobrietate, numquam diligentius ab aeris intemperie, ac pravis dapibus abſtinet. Memento, dæmonem numquam plures nobis inſidias ſtruere, quam cum recens ex illius vinculis evaſimus; & niſi maxima adhibeatur cura, illum quam citius in eadem nos eſſe pertracturum. Lapſus tuus te docuit, quid poſſis; vides quam imbecillus homo ſis, ubi adſit occaſio, & quid in cor, mentemque tuam mundus, atque ſocietates valeant. Mali cauſæ tibi exploratæ ſunt, tuum eſt eaſdem evitare. *Idem*.

In recidivis non ex ignorantia, ſed ex mera nequitia peccatur.

Nulla hic eſt ignorantia, quæ ullam excuſationis ſpeciem prætexere valeat; quoniam temet omnino Deo tradens per veram pœnitentiam infinitam cognoviſti meriti, juriſque magnitudinem, cui innitebatur obligatio tua ita operandi; ſola igitur nequitia te movet, & tot licet luminibus illuſtratus ſis, illa parit

parit

Digitized by Google

ſit contumelioſum hunc reditum in priſtina flagitia vitæ, quæ aperte adeo contra ipſum erat inſtituta: *jam quidem nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur*, Tertullianus lib. de Pœnit. inquit. Illud vere nequius eſt, quod huic improbitati neceſſario comes accedit contemptus illius, quam timere ceſſas, revocans id, quod ſalutaris timor te facere coegerat; neque enim per pœnitentiam tua peccata reliqueras, niſi quod divinam majeſtatem læſam timere cœperas. *Maimbourg, ſermone pro tertia Quadrageſimæ Dominica.*

Deſperandum non eſt de divina miſericordia, quamvis in deteriorem ſtatum fueris relapſus.

Vos, qui poſtquam voſmet per veram pœnitentiam Deo dediſtis, nefarie datam perfregiſtis fidem, atque abjeciſtis initum eidem ſerviendi conſilium, ut mundo, ac dæmoni iterum ſerviretis, ad novos habitus, priſtinaſque conſuetudines reverſi, vos inquam in terribili ſtatu verſamini, cujus formidabilem vobis hypotipoſim propoſui. Ecce relapſi eſtis in abyſſum, unde vos eduxerat Deus, in hac voſmet multo magis immerſiſtis, ut in oculis Dei magis inviſi, & execrabiles, quam olim, videremini, utque in vos converteretis omnes maledictionis effectus, quibus obruti eſtis. Quid autem! Si tantum accidit mali, num ideo deſperandum eſt? Nequaquam. Deus aliquando operatur ea, quæ gratiæ miracula ſunt. Quamquam plerique hi pietatis apoſtatæ nunquam convertantur; aliqui tamen revertuntur, ne cui ſit locus deſperandi; & ut illi, qui in hoc ſtatu moriuntur, noviſſimo judicii die hujus redarguantur exemplo, ac ſe quoque converti potuiſſe cognoſcant. At enim, egone ex eorum felicium numero ſum, qui revertentur? Haud equidem ſcio: ſi periculoſum ſtatum hunc perhorreſcitis modo, ac ſi in anima veſtra ſuboritur inde emergendi cupiditas, manifeſtum indicium eſt, velle Deum in vobis hoc miſericordiæ ſuæ miraculum operari. Ne ſinatis hanc vobis occaſionem elabi. *Idem.*

Qui ſibi non cavet ne recidat, hunc vere non pœnitet ſuorum peccatorum.

Æger, qui convaleſcens nullam ſui ipſius habet rationem, & iis abſtinere detrectat, quæ ſibi novit obfutura, juſtam tribuit occaſionem exiſtimandi, voluptatis amorem in ipſo valere magis, quam bonæ valetudinis. Nonne illatio æque ferme neceſſaria eſt, hunc hominem, qui videt, qui verſatur, & colit promiſcue eos omnes, qui ipſum corrumpunt, qui eadem licentia frequentat loca, ubi aer ipſi contagioſus eſt, qui ſemper iiſdem cœtibus, iiſdem ſpectaculis, iiſdemque ſolatiis, ubi toties defecit, intereſſe cupit, hunc hominem, inquam, nequaquam ſerio peccatum ſuum abdicaſſe? En autem, quod inceſſanter accidit in recidiva; nulla adhibetur cura, nulla præcautio: immo ullam gerere tæderet, quia propria amatur infirmitas, & nemo extra relabendi periculum ſeſe vult conſtituere, quod manifeſtum eſt fallacis pœnitentiæ argumentum. *P. Cheminais tom. 1. ſermone de Recidiva.*

Sacramentorum abuſus perterrere debet in eadem peccata ſæpius relabentem.

Si duos, vel tres annos tranſegiſſes, quin unquam ad Sacramenta accederes, & ego tibi ob oculos peccatorum myriades objicerem; toties enim per hoc tempus eſſes relapſus: hic numerus tibi profecto ſtuporem injiceret, te ipſum horreres, & ſancto terrore percitus cum Davide pſalm. 39. diceres: *Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei*; tua vero potiſſimum impœnitentia efficeret, ut futurum tempus conſiderans contremiſceres. Heu! diceres, ſingulis diebus ſcelera ſceleribus addidi, & nullum eorum per pœnitentiam delevi, quid de me fieret, ſi hoc in ſtatu deprehenderer? Fortaſſe hujuſmodi cogitatio ex oculis lacrymas contritionis eliceret; & metus judiciorum Dei efficeret, ut de integra, perfectaque converſione cogitares. Quæſo autem, quid te modo confirmat, quid vetat, ne ſtatum tuum videns contremiſcas? Numquid morum tuorum mutatio? Haud ita profecto; noſti enim te ſemper eumdem eſſe. Quid ergo? Quod peccatorum tuorum numerus permixtus eſt pari confeſſionum numero: portentoſa hæc pœnitentiarum, recidivarumque commixtio, quæ tuum augere debet terrorem, ſola ratio eſt, quæ animum tuum efficit tranquillum, hoc eſt, abuſus Sacramentorum, qui aliis ſceleribus ſacrilegii circumſtantiam addit, tibi gignit tranquillitatem. Quin tibimet ipſi dicas, ſi decem annos ſine ſacramentis viviſſem, me impium putarem Dei ira, & Eccleſiæ fulminibus dignum, ſed vixi, quaſi ad illa numquam acceſſiſſem; non ideo minus memet meis abdidi iniquitatibus, & iterati lapſus mei me non conturbant. *Idem.*

Poſt omnes recidivas adhuc in Dei miſericordia ſperari poteſt.

Adorabilis Salvator, ſi de te, non ſecus, ac de hominibus judicium ferremus, ſalus relapſorum omni prorſus ſpe careret. Verum quidem eſt illis ſperandum eſſe magis, quam metuendum; ſed miſericordiæ tuæ nondum exhauſtæ ſunt; idem ſanguis, qui eos toties abluit, de venis tuis adhuc poteſt fluere, & ſi dicis in evangelio miſeri hujus hominis, in quem dæmones redeunt, ſtatum deteriorem eſſe illo, in quo antea fuerat: nos videlicet doces, curationem peccatoris, qui poſtquam de peccato ſuo liberatus eſt, relabitur, eſſe longe difficiliorem, ſed quantumvis difficilis ea ſit, non eſſe tamen impoſſibilem. Omnia potes Domine! & quo majora ſunt peccata noſtra, miſericordia tua, quæ nobis illa dimittet, eo majorem habebit latitudinem, & gloriam. Sine ergo, ut bonitatem tuam imploraturi noſmet ad pedes throni gratiæ tuæ procumbamus, teque urgeamus, ut hac etiam vice illa nobis dimittas pollicitis numquam impoſterum fore, ut peccati illecebris, ac dæmonis ſollicitationibus ſuperemur. *Joly tomo 2. propoſitionum pro Dominic. 3. Quadrag.*

Qui ſæpius recidunt in ſua peccata, oſtendunt ſe non ſe conſurgere nolle.

Undenam ſemper in eadem peccata relaberis, niſi quod iis non uteris ſubſidiis, quæ te poſſent præſervare? At undenam ſit, quod his non uteris, niſi quod peccatis efficaciter abrenunciare omnino non vis? Velle enim efficaciter, eſt ſubſidiis omnibus uti. Tibi ſatis eſt vaga, & generali relinquendi ſcelus voluntas, ſed quæ nihil conatur, niſi ut temet ipſum fallat, atque decipiat. Hoc velle nulle eſt, vel ſaltem non eſt velle eo modo, qui ad pœnitentiam ſit ſatis. Credisne ægro affirmanti ſe ſanari velle, ubi quamlibet reſpuit medicinam? Nonne hoc ipſum agis? Numquid credendi locus eſt, te efficaciter curationem tuam velle, cum ea negligis adminicula, quæ eamdem tibi poſſunt procurare?..... Sed obices fortiores ſunt adminiculis, inquis, & hic fons eſt lapſuum repetitorum. Atquinam hi obices ſunt? Cupiditas, commercium, occaſio? Ullumne, vel mediocrem exercuiſti conatum, ut cupiditatem hanc ſuperares? Ullamne tibimet ipſi vim intuliſti, ut reſiſteres propenſioni illi, quæ te erga illud objectum rapit, quod te huic implicat occaſioni? Nonne te ſinis trahi, quin contra vel minimum obnitaris? Obices iſti magni ſunt, verum ſi ſuperandi eſſent, ut bonorum tuorum, valetudinis, vitæque tuæ jacturam evitares, te nequaquam terrerent; at terrent, cum de ſcelere evitando ſermo eſt. Undenam hoc oritur diſcrimen, niſi ex diſcrimine voluntatis, cum qua hæc vis? Alterum quidem efficaciter vis, alterum vero non item; cumque voluntas tua evitandi peccatum affecta minime ſit, ſincerane eſt pœnitentia tua? *P. Nepveu tomo 1. chriſtianarum conſiderationum pro die Martis decima ſeptima.*

Quo ſæpius in peccatum relabere, eo difficilius inde te recipis.

Si toties in ſcelus recidis, non times fore, ut tandem illinc temet colligere nequeas? Quo altior lapſus eſt, eo violentior, & periculoſior eſt, & nonniſi majori cum difficultate illinc conſurgis. Qui Dei gratia fruitur, hic ſane ad altiſſimum evectus eſt cacumen, quoniam adhæret Deo; & in imum decidit, ubi recidit in crimen, quod toto cœlo nos a divina ſeparat majeſtate. Ut autem ex adeo profunda relevemus abyſſo, ingentibus opus eſt conatibus; utque hos exeramus, forti opus eſt gratia. Qui adeo frequenter relabitur, & qui frequenter adeo divinis abutitur gratiis, hiccine meretur, ut ſibi Deus peculiarem aliquam, validioremque conferat gratiam? In hac autem confidere, nonne eſt ea in re, quæ incertiſſima eſt, ſpem ſuam collocare? Non ſolum non ſperandi, verum etiam metuendi locum habet, ne hanc deneget Deus, quippe recidiva ſua illum prorſum indignum efficit propter circumſtantias, quæ illam concomitantur. *Idem tom. 3. pro undecima die Julii.*

Qui

Perfidia eſt promiſſiones Deo factas violare.

Qui in peccatum relabitur, ingratitudini, atque contemptui addit perfidiam. Poſt tot proteſtationes, adeo frequenter iteratas coram Dei viventis miniſtris, necnon ut ita dicam, Corpore, & Sanguine Jeſu Chriſti ſignatas, Chriſtianus ita perfidus eſt, ut omnium obliviſcatur promiſſionum, ut illas infringat, idque ubi ſeſe vel minima obtulerit occaſio, ubi leviſſima illum urgeat tentatio, ut miſeræ placeat creaturæ, ut turpem cupiditatem adimpleat! Ad hoc ut ex adeo frequentibus lapſibus tandem conſurgeret, potentibus victricibuſque gratiis indigeret; homo vero, qui ita contempſit Deum, poteſt ne ſine horribili præſumptione hujuſmodi gratias exigere? *Idem*.

Quomodo noſmet gerere debeamus ne poſt pœnitentiam labemur.

Homo peccator, qui a pœnitentiæ ſacramento recedit, ſimilis eſt ſervis, atque nocentibus nuperrime ex carcere egreſſis: ægre lumen ſuſtinent, brachia, manuſque eorum liveſcunt ob catenas, quibus adſtricti luere, nonniſi ſumma cum difficultate moventur, vix ſe liberos eſſe putant, quamvis compedes, manicæque confractæ fuerint, atque gratiam impetraverint. Paulatim ſeſe confirment, oportet, lucem ſenſim videre aſſueſcant, atque cicatricibus ſuis medeantur. Hoc ipſum converſis peccatoribus accidit; peccatum ſuum reliquerunt; verum cum adhuc infirmi ſint, & imbecilles, novas ſumere debent vires chriſtianarum virtutum exercitatione, ne, ubi prima ſeſe obtulerit occaſio, relabantur, ac iterum obrrudantur in vincula, quæ adeo feliciter perfregere. *Auctor Anonymus*.

De ingratitudine peccatoris in ea relabentis crimina, quæ fuerat enunciatus.

Ad peccatum, cujus pęnituit, & venia impetrata fuit, reverti, næ iſtud eſt perfidiæ habitualem jungere ingratitudinem. Heu! Centies tibi pepercit Deus, centies Deus curam geſſit obligandi vulneris tui, ac centies appoſitam medicinam abjeciſti: centies te ex flammis eripuit, quæ circumundique te obſidebant, ac centies ruſus temet in eas conjeciſti. Poſt hæc quodnam remedium? *Inſanabilis fractura tua*. Peccatum hoc nonnullis doctoribus adeo horribile viſum eſt, ut affirmare non dubitaverint, Deum omnes deinde gratias auferre, quas pœnitenti peccatori conceſſerat. Nimis ſevera hæc ſententia eſt, nullique innititur fundamento: e contra vero S. Paulus inquit, Dei dona, & beneficia eſſe ſine pœnitentia, hoc eſt a Deo nunquam retractari. Verum quin ſeveritas iſta perperam aſſerta nos maneat, dico tamen, extrema hac ingratitudinis ſpecie gratiarum exhauriri fontes, eaſque a Deo ſubtrahi, prout ſcelera ſceleribus addimus. *Ex manuſcripto ſermone*.

Verus fidelis ſemel quidem, vel bis falli poteſt; ſed patrati criminis horror, & præcautio, quam deinde contra proprias adhibet infirmitates, numquam fere permittunt, ut in eadem recidat facta. Gratia nobis in Scriptura exhibetur ſub imagine belli, atque inter plures rationes, quæ proferri poſſunt, hæc omnium mihi videtur æquiſſima; quia videlicet belli in id potiſſimum cura, & labor impenditur, ut illi communiantur loci, quos experientia docti infirmiores eſſa didicimus, contra inimicorum impetum roborantur, tantumque diligentiæ adhibetur, ut tandem nulla vi poſſint expugnari. Mortalis, quicumque tandem ille ſit, errare poteſt: verum ſi jugem habeat intentionem ſeſe corrigendi, vix fieri poſſe crediderim, ut ſæpius in eadem gravia peccata relabatur. *Auctor Anonymus*.

Nihil facilius nos in deſperationem impellere poteſt, quam lapſus frequentes.

Ex iis omnibus, quæ ad damnationem nos adducere poſſunt, nihil aptius nos in deſperationem conjicere poteſt, quam frequens recidiva, quę omnia ſalutis noſtræ adminicula, quibus uti licebat, attrivit, atque irrita effecit, quæ noxia fecit ſalutaria remedia nobis a religione propoſita, confeſſiones, communiones, ſacramenta, preces, receſſus, prædicationes, & quæ harum rerum omnium fructum prohibuit. Quomodonam poſt tot recentes lapſus ſperet aliquis ſe vires ſuas reparaturum, atque relaturum victoriam, poſtquam tamdiu inutiliter certaverit? Quis ſperare poteſt ſe in mortem ſanatum iri, cum dum viveret omnia epotavit pharmaca, quin inde convaleſcere poſſet? Et ſi ad extremum uſque vitæ anhelitum peccati habitus geritur, quæ umquam ſalutis ſpes eſſe poteſt? Quomodo damnatio, atque æternitas pœnæ metuendæ non ſunt, cum quotidie homines in ſuo peccato mori videantur? *Sermo manuſcriptus*.

Falſa præjudicia eorum, qui ſemper in eadem peccata relabuntur.

In mente illorum, qui ſæpe recidunt, atque in ea ſcelera, quæ relicta fuerant, relabuntur, non deſunt falſa præjudicia, propter quæ illi ſalutem ſuam modo tamquam rem nimis facilem, modo vero tamquam arduam nimis reſpiciunt. Evangelium, inquiunt, non eſt adeo terribile, ſicuti nobis exhibetur; tantum metuendum non eſt, quantum nobis obtruditur. Dei miſericordia ſemper eſt præſto, ut nos recipiat, inexhauſta eſt, & adeo benefica, ut nos expectando minime fatigetur. Ecce quomodo falluntur nonnumquam mortales circa ſalutis facilitatem: ſed falluntur etiam nonnumquam circa ejuſdem difficultatem. Salus negotium eſt nimis difficile, inquiunt, ad illam pervenire non licat, tot curis, atque præcautionibus opus eſt, ſemper ſibimet quilibet invigilare debet, ſemperque cum viſibilibus, atque inviſibilibus hoſtibus decertare: tot denique, & tam oneroſæ conditiones requiruntur, ut animus ad illam operandam nequeat applicari. Hæc duo ſunt præjudicia omnino abjicienda.

Imaginatia converſio plenarum, que peccatorum relapſorum.

Ezechielis prophetæ cap. 17. viſio figura eſt ejus, quod accidit pleriſque peccatoribus poſt ſuam pœnitentiam. Videbat Propheta ante oculos ſuos immenſum terræ ſpatium, & ubique confuſam oſſium, cadaverumque multitudinem; hic eſt Chriſtianorum ſtatus ante pœnitentiam; peccatum dominatur ubique, peccatum ubique effuſum eſt. Reſpice Propheta, Deus inquit, quid putas de oſſibus iſtis? Vivent ne oſſa iſta? Loquere ad illa, & licet mortua, licet ſenſu carentia audient vocem tuam: *Vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis: oſſa arida, audite verbum Domini*: Propheta loquente omnia moventur: *& ecce commotio*. Oſſa invicem ad ſe accedunt, & quamprimum in corpore coaleſcunt: *& acceſſerunt oſſa ad oſſa*. Ad noſtram vocem, ad Eccleſiæ præceptum, quod vobis annunciavimus, ſtatim actio, motus, major in precibus aſſiduitas, frequentior Dei verbo aſſiſtentia: *& ecce commotio*. Acceſſus ad Sacramenta, Confeſſio, Communio: *& acceſſerunt oſſa ad oſſa*. Venit ſpiritus, hic vitæ ſpiritus, frigida, atque carnea corpora excitavit: *& ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt*. Divinæ potentiæ miraculum! Sed quid ajo? Magnus hic exercitus, juxta Prophetæ verba, exercitus iſte vivens, & reſuſcitatus, phantaſma eſt, ſomnium eſt; momento apparet, & momento evaneſcit, Propheta nihil videt amplius. Hæc applicatio ſimplex eſt, atque argumento accommodata. *P. Girouſt ſerm. pro feria tertia Paſchæ*.

Quantumvis inconſtantes ſimus, non adeo facile in aliquis negotiis mutamur.

Quamvis incoſtans ſit voluntas, tamen repente non mutatur in iis, quæ fortiter voluit; tempus, ut ita dicam, eam præparare debet, debet primi conſilii ideas abolere. Hoc quotidie in mundi negotiis deprehenditur. Sed, o cæce mortalis, peccatum in te ſtatim impreſſionem facere video; pœnitens, & peccator, eadem ferme hora ab uno ad alterum extremum tranſvolare te aſpicio, quin ullum detur medium; amare, quod oderas, deperire, quod evitare decreveras. Ne putes veram fuiſſe pęnitentiam tuam: hæc mutationis celeritas nos de præterito facile erudit. Numquid aliud feres judicium de inimico in gratiam reverſo, qui eadem die tibi contomeliam inferret? Si venia impetrata recenti exciperetur injuria, ſi tibi vim inferre non expectaret, donec a te dilaberetur, credere ne poſſes, illum ſincere, & ex animo tecum in gratiam rediiſſe? *P. Cheminais*.

In pleriſque peccatoribus non tantum recidiva eſt, quantum eorumdem criminum continuatia.

Non agitur hoc in loco de quibuſdam mortalibus, qui poſtquam centies peccata ſua confeſſi ſunt, ſemper ad eadem ſcelera revertuntur, eadem ſemper recientes non mediocris momenti omnibus in confeſſionibus: affirmo nullam in ipſis dari recidivam, hujuſmodi enim peccatores numquam conſurrexerunt. Hujuſmodi vita non intermiſſa eſt peccatorum continuatio, quia eorum pęnitentia fallax eſt, & nefaria, quippe per ſacrilegium additur novum ſcelus

ſcele-

ſceleribus, quæ in confeſſione narrantur, quin deleantur; quia firma non adeſt eadem deſerendi voluntas, quoniam nulla umquam mutatio videtur. Sed illi ſe vitæ rationem immutare velle profitentur, ſe ipſos accuſant, humiliant, ad miſericordiam confugiunt, neque lacrymis, & ejulatibus parcunt. Attamen ſi nulla videtur correctio, nullus ſinceræ voluntatis effectus, hæc hypocritæ pœnitentia eſt, ut loquitur Tertullianus; hi relapſi non ſunt, neque enim fuere pœnitentes. *Maimbourg ſermone de recidiva.*

Dæmon invenit viam, qua inanimam revertetur, ex qua fuerat ejectus.

Satanas ſemper viam quærit, qua revertatur domum, unde fuerat ejectus; neque irreconciliabilis hic inimicus requiem invenit, niſi cum nobis inſigne aliquod infert malum. Cum noſtræ invideat felicitati, exitium noſtrum illi cedit in lucrum, virtus autem in ſupplicium. Hoc ſua potiſſimum intereſſe putat eo reverti, unde expulſus fuit; etenim recenti ſibi gloriæ vertit recentem agere de illo triumphum, a quo victus, fugatuſque fuerat. Ne noſmet igitur decipiamus, dæmonis artes numquam nobis magis metuendæ ſunt, quam cum illas vicimus; ille quoqua viciſſim nos vincet, ſi ob victoriam magis ſuperbi, vel cauti minus fuerimus. *Abbas de Montmorel homil. in tertiam Quadrageſimæ Dominicam.*

Plures ſiunt confeſſiones; converſiones paucæ.

Familiare eſt videre Chriſtianos, qui peccata ſua confitentur, eorumque ſe dolore, ac pœnitentia confici, quibuſdam anni temporibus teſtentur; ſed qui verè convertantur, ſunt pauci, & hodie dicere poſſemus, quod olim S. Ambroſius libr. 2. de Pœnitent. cap. 9. Plures hodie præſto ſunt, ut ſcelera ſua confiteantur, eaque, ubi confeſſi fuerint, rurſus committant; ſed hoc quin ipſorum conſcientiam exoneret, onerat Sacerdotis conſcientiam; etenim ut quidam Pater ait, qui iterum committit peccata, quorum ſe pœnituit, irriſor, non pœnitens eſt, & non tam Dei miſericordiam humiliter petere, quam ſuperbe eidem inſultare videtur. *Idem homil. in Dominicam in Albis.*

Per recidivam promiſſia Deo facta perfringitur.

Pœnitentia proprie loquendo non aliud eſt, quam Deum inter, hominemque contractus, quorum mutuæ ſunt promiſſiones: homo quidem pollicetur, ſe Deo non ultra injuriam illaturum; Deus vero homini, ſe numquam illum relicturum. Sed relapſus peccator fidem non præſtat ſuam, quamquam Deus ſuam ſervare fidem velit: & licet jurejurando affirmaverit, a ſe numquam Deum læſum iri, eum lædit tamen, & afficit contumelia. Pax iſta, & reconciliatio ipſo Jeſu Chriſti ſanguine ſignata fuerat, qui per communionem illum veluti æternæ amicitiæ pignus tribuere fuerat dignatus. Peccator hoc ſignum infringit, hujus adorabilis ſanguinis notas oblitterat, ac ſe divini liberatoris ſui inimicum profitetur. Quodnam perfidiæ monſtrum! Quid autem! ubi cum hominibus agendum de rebus temporalibus, hodie bonam jactamus fidem, & ſinceritatem, & hæc virtus eſt, quam omnes ſibi merito adſcribunt, non erit autem niſi coram Deo, cum quo perfidos eſſe, nihilque probitatis habere gloriæ ſibi quilibet vertet! Si quis in mundo alicui ex ima plebe id faceret, quod peccatur erga Deum, vita haberetur indignus, & nemo illum dignaretur adſpicere. Heu! turpis eſt ignavia creaturæ datam non præſtare fidem, & ſexcenti gloriæ ſibi vertent, datam Deo fidem infringere? *Specimen ſermonum pro tertia Quadrageſimæ Dominica.*

Optima, ne recidas, diligentia eſt tibimet ipſi invigilare.

Hoſtes facile hoſtibus ſemper inſidiantur, qui ſibi negligentius cavent; ſed arces diligentibus excubiis, vigiliiſque ſervatas difficile capiunt. De animabus idem, ac de munitis arcibus dicendum eſt; ne inimicorum pateant incurſionibus, ſemper vigilandum eſt, omniſque cura, & præcautio adhibenda: quod probat, vigilantiam potiſſimam eſſe rationem, qua noſmet tueri poſſimus, ne ſeducamur, atque animam noſtram in amore Dei, & fide debita eidem ſervare. Eo vere impenſius nobiſmet ipſis invigilare debemus, quo pluribus circumſepti ſumus inimicis, qui undique inſidias ſtruunt, & nihil intentatum relinquunt, quod nos perdere poſſit. Vigilans eorum nequitia nos admonet, ut nobiſmet ipſis invigilemus, ne decipiamur: *Ab ipſis inimicis admonemur, quomodo pro nobis vigilare debeamus*, Auguſt. ſerm. 77. de diverſis. *Ex libro, cui titulus, Bellum vitiis.*

Quomodo ultra in peccatum non relabi poſſimus.

Ex S. Cypriano diſcite, Deum in gratiarum ſuarum diſtributione nequaquam noſtram libidinem ſequi. Ipſe ordinem conſtituit, quem diligentiſſime ſervat. Quem autem hunc eſſe putas ordinem, quem ſervat in diſtributione gratiarum, quas confert peccatori ſincerum habenti deſiderium ad ipſum redeundi, ut illius certam faciat converſionem? Prima, quam illi Deus confert, gratia eſt mortalem illi horrorem immittere occaſionum peccati, perfectamque averſionem ab omnibus periculis, quæ illum recidivæ objicere poſſunt. Si primæ huic gratiæ fidelis extiterit, ſi, uti opus eſt, eadem uſus fuerit, Deus in inopinatis occaſionibus, in acerrimis tentationibus illi non deerit, ſed novas ſubinde conferet gratias, ut eumdem victurum efficiat. Hic ille ordo eſt, quem Deus ſua ſapientia conſtituit, & qui ſervandus eſt, ut a repetitis lapſibus abſtineamus. Quid interim? Plerique eorum, qui a ſceleribus ſuis ſe receperunt, ordinem hunc evertunt, ut oppoſitum ſervent; vellent ſibi licere in iiſdem occaſionibus, quæ adeo funeſtæ extiterunt, verſari; ſed ibi quoque Deum eſſe vellent, a quo præſenti periculo liberarentur. Quid? ſemper hac in domo ſubſiſtere vis, neque ab hac ſocietate recedere, ubi toties graviſſimis confoſſus fuiſti vulneribus, & putas futurum, ut te Deus in hoc ſtatu præſervet, ne eum lædas, atque omnibus inimicorum telis te invulnerabilem præbeat? Error eſt, illuſio, ſtultitia. *De la Font Dans la ſuite des entretiens eccleſ. pro tertia Quadrageſimæ Dominica.*

Recidiva in peccatum viſibilem oſtendit Divinæ juſtitiæ, atque iræ contemptum.

Veriſimile non videtur, pœnitentem ſcelus ſuum iterantem pœnituiſſe ex puri, integrique erga Deum amoris cauſa; alioquin non ita facile relaberetur. Nobilis, & ardens charitas in anima flammæ ſuæ aperta relinquit veſtigia, quæ plerumque non ita facile delentur; divinæ ultionis terrores non minimam habent in dolore illius partem. Conſilium igitur cœpit petendi veniam, ac deſiderium obtinendi illam, timuit quippe ne ab inexorabili judice, quam effugere non poterat, puniretur. Hoc in animæ ſuæ ſtatu aliquam ſaltem aperuit partam motionum, propter quas trepidabat; ac ſe beatum putans, eo quod minime proruit in eam peccatorum abyſſum, quo illum ſua urgebant peccata, perhorruit periculum ſeſe illis impoſterum objiciendi. Perterritus plagis, quibus illum nequaquam percutere placuit Deo, iniit conſilium per pœnitentiam Dei brachium cohibendi. Vitæ incertitudo, irreparabilia mala, quæ mortem in peccato ſubſequuntur, confuſio, ignominia, pœnæ: contremiſcens hæc omnia ſimul terribilia objecta conſpexit, ſuamque ſecuritatem in pœnitentia quæſivit. Supremi judicis miſericordia illum reſpexit, illum periculo liberavit, illum in viam ſalutis reduxit. Mox vero omnem juſtitiæ, & miſericordiæ ideam abjicit, ut ſe iterum ſuis abdat flagitiis. Verum credine poteſt, illum ſuo perterritum fuiſſe periculo, ſuumque judicem expalluiſſe, ſi ad frugem non redeat? Sin autem ad frugem non redeat, licet ita perterritus, quid de periculo, & judice illius eſt cogitandum? Nonne affirmare poſſumus, non timeri Deum ab illo, qui eumdem lædere non ceſſat: *ubi metus nullus, emendatio proinde nulla*; Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 2. ait. *Liber qui inſcribitur*: Remarques ſur divers ſujets de morale, &c.

Rationes eædem, quæ peccatorem impulerunt, ut ſuorum pœniteret peccatorum, prohibere etiam debent ne rurſus peccet.

Rationes eædem, quæ peccatorem ad præteritorum criminum pœnitentiam agendam impellunt, illum prohibere quoque debent, ne recentia committat peccata, eumque tantum ob innocentiam tuendam cautum efficere, quantum dolet amiſſa. Inter duas haſce ſententias juſta adeſt proportio, nexuſque neceſſarius: horror injuriæ, quæ Deo poteſt inferri, æquare debet dolorem injuriæ, quæ eidem illata eſt; vel horror hic, & dolor uterque mendaces ſunt. Fidei veritates non mutantur; & ſi pœnitentia noſtra ſecundum has veritates eſt dirigenda, pœnitentia noſtra confirmare debet & propoſitum, quod nos a Dei offenſione removet, & dolorem, qui efficit, ut eam deteſtemur. Cur in hanc mentem veniſti, ut a Deo inobedientiæ tuæ

veniam

Digitized by Google

veniam expeteres? Cur illam damnas? Cum hæc adeo ſincerum, & acrem dolorem parit? Quia læſiſti Deum infinite amabilem, cui debes, quidquid es; quia illius metuis juſtitiam; quia unicum mortale peccatum te in æternum perdere poteſt; quia omnia adminicula, quorum ope reſurgere potes ex eo malo, in quod peccans te præcipitem dediſti, incerta ſunt; quia gravia pericula, quæ ſubjiſti, tibi adhuc impendent, atque ſemper impoſterum illinc elabi tibi erit difficilius. Hæ ſunt veritates, quæ te moverunt; hæ vim ſuam amittere nequeunt; immutabiles ſunt, atque certiſſimæ: inde igitur ſequitur, quod eaſdem revocare in mentem ſatis eſt, ut tantum fidelis ſis in officiis tuis obeundis, quantum infidelem fuiſſe te pœnitet. *Idem.*

Indicium eſt ſeſe corrigere noluiſſe, qui ſæpe in eadem peccata relabitur.

Habitus non ſine magnis difficultatibus corrigitur: objectum quod placet, facile eam, cui placet, excitat cupiditatem: noo opinata occaſio conſilium, propoſitumque concutit; vis diu ſibi illata virtutem ipſam labefactat; peccari etiam tunc poteſt, cum peccaſſe nos bona fide pœnituit; nihil exaggeramus. Verum enim vero ſine ulla ſimulatione dic mihi, utrum veriſimile ſit innocuam ducendi vitam iniiſſe conſilium, qui facile eſſe innocentem deſinit, qui intra modicum temporis intervallum obliviſcitur doloris, peccati, propoſiti, ut iterum peccet? Quomodonam ideæ alte adeo in anima impreſſæ tam cito deleri poſſunt? Quomodo metus mali, quod adeo perhorreſcimus, adeo facile evaneſcit? Quomodo imago tot argumentorum terroris; & vigilantiæ, quomodo imago tot circumſtantiarum, quæ rationem, fidem, coſcientiam efferaverant, repente ferme diſſipantur, quin eorum ratio vix, & ne vix quidem habeatur. Quænam probabilitatis adeſt ſpecies, voluntatem, quæ adeo moleſtis conatibus ſuam recepit libertatem, adeo tranquille ad ſua vincula redire? Spiritum, cui tot argumentis perſuaſum fuit de periculoſo errore ſuo, adhuc errare, quaſi nihil cogitaſſet, nihil prævidiſſet, nihil damnaſſet? Pœnitens ſeſe humiliat, contremiſcit, plorat ante thronum juſtitiæ Dei, ſexcentis proteſtationibus ſe non amplius peccaturum pollicetur, atque præ dolore ante divinæ miſericordiæ tribunal contabeſcit, nihil intentatum relinquit, ut abſolvatur. At ubi peccati deteſtandi tempus elapſum eſt, omnes iſti diverſi motus extinguuntur, ac per recens peccatum jam alii ſimiles præparantur. *Idem.*

Ut peccator ſentiat, & mendacem fuiſſe pœnitentiam, quam ſe egiſſe putat, & fallacem eſſe veniam, quam ſe conſecutum arbitratur, ſatis eſſet interrogare, quid naturaliter hæc verba ſignificent, Pœnitentia, & Venia. Quis enim intelligere poteſt, aliquem illius pœnitere facti, quod facere perſeverat? atque illius facti veniam obtineri, cui iterando pœnitens præſto eſt? Peccatorem, qui ſemper peccator eſt, numquid pœnitet? Judex, qui ſemper injuria afficitur, numquid veniam concedit? Id unum peto; attentius harum locutionum ſenſus expendatur. Cogitare ne aliquis poteſt, quin ſibi fucum facere velit, ſe pertæſum eſſe eorum vinculorum, quæ numquam infringit? Oblivioni traditam fuiſſe injuriam, de qua conquerendi adhuc ſupereſt locus? Prima idea, quam pœnitentia in mente ciet, eſt ceſſatio ab iis rebus, quæ eamdem pepererunt: prima impreſſio, quam in nobis excitat venia, procedit ex ceſſatione injuriæ, quæ illata fuit. *Idem.*

Contumelia Deo illata per recidivam in peccatum.

Per recidivam in ſcelus Spiritui ſancto affertur injuria, quæ illum affligere poſſet, niſi immutabilis eſſet naturæ. Hoc exprimit S. Paulus dicens ad Hebr. 10. *Spiritui gratiæ contumeliam fieri.* Per gratiam remiſſionis peccatorum *participes facti ſunt Spiritus ſancti*; per peccatum vero contumelioſe repellimus hunc gratiæ, & bonitatis ſpiritum, qui ſcelera noſtra deleverat. Peccatores, qui Baptiſmum ſuum violarunt, ulterius, ex S. Pauli ſententia, progrediuntur: iterum crucifigunt, atque Dei filium conculcant, polluunt ſanguinem teſtamenti ipſius, per quem ſanctificati fuerunt, & Judæorum inſtar paſſiones ejus vertunt in ludibrium. Sed Judæi illum non cognoſcebant, & ſi cognoviſſent, numquam gloriæ dominum crucifixiſſent. Nos vero, qui illum cognoſcimus, qui in nomine ipſius ſacro abluti ſumus baptiſmate, ſed qui poſt amiſſam gratiam, per pœnitentiam iterum adepti ſumus, qui toties ſacratum illius Corpus accepimus, omnia ſacramenta violavimus, Baptiſmum, Pœnitentiam, Euchariſtiam, atque Dei filium ſcientes, volenteſque indignius accepimus, quam qui illum ignorabant, quodnam ſuppliciorum augmentum per ingratitudinem in caput noſtrum convertimus? *Boſſuet Meldenſis Epiſcopus in libello de Jubilæo.*

Temeritas eſt ſperare fore, ut Deus nobis conferat gratiam ſecundo reſurgendi, ſi in ſcelus idem relabimur.

Quænam fuiſſet Jonæ temeritas, ſi iterum eamdem conſcendiſſet navim? Nonne ſeſe periculo objeciſſet futurum, ut iterum in mare projiceretur? Numquid Deus novum pro illo patraſſet miraculum? Numquid officioſus piſcis ſecretis providentiæ mandatis illi rurſus præbuiſſet perfugium? Si Iſraelitæ ſolitudinis ſuæ pertæſi, vel fatigati præliis, quæ quotidie ipſis erant obeunda contra hoſtes ſibi tranſitum prohibentes, in Ægyptum redire voluiſſent, numquid Mare rubrum, ut antea, ſuos cohibuiſſet fluctus, ut facile libertatem conſequi poſſent? Et ſi Lazarus eam tueri vitam neglexiſſet, quæ ſibi adeo inſigni miraculo reddita fuerat, quo in pretio illum habere viſus fuiſſet, cujus miſericordia, ac potentia de mortis ſinu fuerat avulſus? Iſtinc conjicite fratres, quodnam de vobis ferri judicium queat, qui nullo in diſcrimine habere videmini beneficium in pœnitentiæ ſacramento vobis conceſſum, videlicet peccatorum veſtrorum veniam, integramque reconciliationem cum Deo veſtro, quem toties, ac tam crudeliter læſiſtis: quodnam, inquam, de vobis ferri judicium poſſit, qui de felici eo decidiſtis ſtatu, in quo vos gratia collocaverat, & quem ſummo cum labore recuperaſtis. Numquid Dei amicitiam adeo contemnitis, ut illius jacturam ſecundo facere pro nihilo habeatis? *Ex morali dictionario.*

Inconſtantia peccatoris facile relapſi oſtendit illum pœnitentiæ gratiam non recepiſſe.

Equidem ſcio, immutabilitatem nequaquam inhærere gratiæ ſacramentorum, neque ſtatui fidelium ſuper terram: hæc pars eſt gloriæ, & beatorum in cœlo: ſed certiſſimum eſt, pœnitentiæ gratiam gratiam eſſe ſtabilitatis, atque conſtantiæ. Quemadmodum nos, ubi lapſi ſumus, attollit, ita roborat, ne labamur: *triſtitia, quæ eſt ſecundum Deum*, magnus inquit Apoſtolus 2. ad Corinth. 7. *pœnitentiam ſtabilem operatur.* Ecce expreſſa ſtabilitas, *pœnitentiam ſtabilem.* Nec celeriter, nec facile caditur. Et hæc cauſa eſt, propter quam totis artubus contremiſco, ubi adeo frequentes relapſus video poſt confeſſiones; ubi ſeſe prima offert occaſio, ſæpe etiam ſine ſollicitatione, & ſine cauſa peccatur. Hinc vehementer timeo, ut omnes hujuſmodi confeſſiones inutiles, & ſacrilegæ ſint: neque enim video hunc proprium ſacramenti effectum; neque ſtabilitas iſta deprehenditur. Gratiæ ſtabilitas recepta non fuit; igitur neque ſanctitatis gratia, neque gratia juſtificans. Quomodo vero vultis, me in vobis hanc conſiſtentiæ gratiam agnoſcere, cum ſitis ſemper inconſtantes? Numquid firmitas hæc in iteratis lapſibus, & pœnitentiæ veſtræ ſoliditas in veſtris infidelitatibus nitet? *Ex collectione ſermonum delectorum P. Champigni ſermone hujus argumenti.*

Peccatum per recidivam fere immedicabile fit.

Regius Propheta varios impietatis gradus recenſens, omnium noviſſimum vocat cathedram corruptionis, & peſtilentiæ, in qua ſedit peccator, quod aliter explicat, cum ait animæ cicatrices per incuriam ſuam computruiſſe; quaſi vellet innuere, primos peccatoris lapſus eſſe tamquam vulnera adhuc recentia, quibus mederi facile eſt, ſi ſtatim medica manus adhibeatur, ſed quæ, ſi negligantur, vel recentibus addendo criminibus exacerbentur, magis irritantur, & periculoſius inflammantur couſque, ut poſtquam aliquod temporis ſpatium in ſcelere fuerit perſeveratum, in corrupta immutentur ulcera, quorum deſperatur curatio: *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ.* Pſalm. 37. *Abbas du Jarry tom. 5. ſermonum, ſermone Quinquageſimæ.*

Illi, Tertullianus ait, qui ex naufragio evaſerunt,

fere

ſere nolunt amplius navem conſcendere, neque vitam ſuam maris infidelitati objicere: vel leviſſimo terrentur periculo, & gratiam, quam receperunt, perpetua colunt memoria ejus calamitatis, ex qua liberati ſunt: *Dei beneficium, ſalutem ſcilicet ſuam, memoria periculi honorant*. Vos autem, quos Deus ex longe funeſto eruit naufragio, rurſus voſmet iiſdem objicitis periculis; hoc indicio eſt, flucci a vobis fieri gratiam, quam eſtis conſecuti. Laudandus eſt timor, & rationabilis diffidentia eorum, qui ex naufragio incolumes evaſerunt, nolentes ultra graves eſſe divinæ miſericordiæ, ut Pater hic loquitur, neque auſi iterum periculum facere ejus rei, quam formidare incœperunt. Vos autem miſeri, neque peccata veſtra perhorreſcitis, neque adeo aperta metuitis pericula, quaſi numquam vobis eſſet moriendum, vel quaſi poſt iteratos lapſus divina miſericordia, cui adeo frequenter oneri fuiſtis, vobis inceſſanter brachium tendere deberet. *Joly propoſitione pro tertia Quadrageſimæ Dominica*.

Sæpe fruſtra cum Deo reſarcire volumus pacem adeo ſæpe violatam. Hiſce relapſis peccatoribus, qui quotannis cum Deo in gratiam redire conantur, ubi Paſchales imminent feriæ, & pacem petere volunt toties per ſummum nefas violatam, nonne illud ipſum reſpondere poſſumus, quod olim quidam Romæ Senator populis, qui legatos miſerant, pacem, quam bis fregerant, exoraturi? Liceat per vos mihi hoc ex profana hiſtoria delibare factum, cujus prorſus ſancta erit applicatio. Quid? pacem petitis, Romani dixerunt, & vos illam adeo ſolemniter juratam perfregiſtis? Alioſne Deos habetis, per quos jurare poſſitis, alias habetis victimas, quarum cruor pro veſtra fide ſpondere poſſit? Hoc ipſum dico tibi, Auditor chariſſime, qui perfregiſti pacem, & fœdus amoris, quod cum Deo ad aras percuſſeras? Aliamne victimam habes, cujus ſanguine reconciliationem efficere valeas: aliud habes numen, per quod jurare poſſis? Haud ita ſane; nullum habes. Quem autem ſiſtere potes vadem eorum, quæ in tempus futurum polliceris? *Sermo manuſcriptus*.

Recidiva indicio eſt, numquam pœnituiſſe peccatorum. Quid! Scelera tua in diem uſque pœnitentiæ tuæ produxiſti! Momentum, quod ſcelus tuum præceſſit, adeo prope ſubſecutum eſt pœnitentiam tuam, ut inter utrumque vix diei unius intervallum inveniatur. Poſt hæc mirum ne decet eſſe, ſi ubi ſolemnia deſiere, te tui trahant affectus, ſtudia omnia refloreſcant, familiaritates, quæ ſuſpicione non vacabant, iterum incipiant, ſpectacula ut olim inſtaurentur? Videtur quidem nihil impetus diminutum fuiſſe cupiditatibus tuis; hæ nequaquam infirmatæ, atque omnia ſtudia tua eadem ſemper futura videntur. Hæc non eſt inanis prædictio; millies experti eſtis; lapſus tui momentum pone ſubſecutum eſt illud juſtificationis tuæ: hæc feriis cupiditatum vix interciſa, hæc horrida virtutum, vitiorumque, ſancti, profanique permixtio totidem ſunt teſtimonia, tibi numquam verum peccatorum tuorum dolorem fuiſſe.

Senſim revolvimur in vitia, quæ reliqueramus. Putant ſatis eſſe, lethali peccato mortem intuliſſe aliqua pœnitentiæ ſpecie; non metuunt ultra ſeſe deinceps periculo objicere; periculoſæ dulcedinis illecebra capti iterum eaſdem nectunt familiaritates, iterum ſeſe mundi commercio impediunt, male ſopitas excitant cupiditates, ac repente odiſſe ceſſant luxum, vanitatem, & mundanas voluptates, contra quas horrorem aliquem concepiſſe videntur. Hoc pacto ſenſim mundum verſus redeunt, & quam primum amare incipiunt ea, quæ reliquerant. Hoc pacto homo, qui converſus videbatur, ſenſim laxatur, primos recipit habitus, & cæce amoris proprii impulſus ſequitur. *Ex ſermonibus editis ſub nomine P. Bourdalove*.

Mundana mulier abdicat quidem nitidiores mundi pompas, corruptiores conſuetudines, ludi amorem, exempli gratia; verum adhuc luxum non odit omnino, mundo diſplicere timet, neque vult adhuc illi bellum indicere. Turpis circumſpectio nimium timidæ devotionis; turpes reliquiæ peccati vos eſtis proximæ recidivæ cauſa. Placet primum vanitatis inſignia geſtare, mundi exiſtimationem ſibi conciliare vult, paulatim in cœtus, & ſocietates ſe trahi patitur, & poſt hæc ſtupet videns ſe per ſexcentas vias, quæ ſentiuntur quidem, revocatam. Væ nobis! Cur ingenia tantum peccata perhorreſcimus? Cur nullo in diſcrimine habemus crimina, quæ nobis levia videntur? *Idem*.

Paſchalibus feriis elapſis ad priſtinos mores ſit reditus. Nonne graviſſimum malum eſt, quod eo tempore, quo Deus majores elargiri gratias conſuevit, majori cum furore ad primos habitus revertamur? Putant elapſo Carniſprivii tempore, neminem ultra teneri ad pœnitentiam; ſed aliquid de hoc ſeveritatis ſpiritu remittere poſſe; credit quilibet ſe jejuniis aliquot male ſervatis redemiſſe jus ad priſtina revertendi vitia, & eodem tempore, quo Jeſus Chriſtus exit de ſepulcro, impietas majori cum furore egreditur de corde noſtro: virium omnem fregiſſe videtur obicem; quilibet ad priorem vivendi rationem revertitur; avarus ſe trahi ſinit immodicis ſuæ cupiditatis deſideriis; mundi amator iterum ſeſe impedit negotiis ſuis, & eadem cura ſocietates ſuas perquirit. *Idem*.

Relapſus poſt pœnitentiam oſtendit, ſe non odiſſe peccatum, uti debebat. Ut ſincera ſiat pœnitentia, non ſufficit timere, odiſſe, & deteſtari peccatum; hoc timere, odiſſe, ac deteſtari opus eſt ſuper omnia: alioquin fruſtra, ac inutiliter illud odiſti, ac deteſtatus es. His poſitis, tu qui adeo facile, & cito recidis, audeſne dicere, te ſummo odio peccatum perſecutum fuiſſe? In poſtrema confeſſione tua decreviſti ſervare gratiam, & evitare peccatum majori cura, quam tuam ſervare valetudinem, & morbum omnem evitare! Hoc ſi dicis, relapſus tuus palam probat, te falli; quoniam humanæ rationes majorem in te vim obtinerent, quam metus Dei, ad te a peccato amovendum. Ecce, exempli gratia, hominem vitiis abditum, centum humanas rationes afferam, quæ illum abſtinere prohibebunt: tu flagitioſe adoleſcens, qui tot erogas ſumptus, & qui omnibus libidinum generibus temet ingurgitas, ſi ſcires, hoc a parente tuo exploratum, cognitumque iri: tu mulier, quæ inſani commercio irretita es, ſi certo ſcires, ubi prima ſe obtulerit occaſio, virum tuum certiorem factum iri; heu! humana hæc ratio nonne prohibere poſſet, ne relaberetis? Attamen ratio, quam pœnitentia tibi inſpirare debuit, ut peccatum evitares; deteſtatio, & horror, quem inde concepiſſe debes, in te nondum eumdem effectum facere potuit. Quid mihi credendum eſt? Humanam rationem divina eſſe potentiorem: haud ita profecto hac injuria Deum afficiam: ſed neceſſaria illatione, dico, pœnitentiam tuam nequaquam veram fuiſſe: quoniam rationum omnium potentiſſima, omniumque dolorum acerrimus ſatis virium non habuit, ut prohiberet, ne relaberetis. *Idem*.

Quid ſentiendum de lacrymis eorum, qui ſtatim ad vomitum redeunt. Dicunt tandem, hos peccatores, qui poſt pœnitentiam ſuam relabuntur, effudiſſe lacrymas, atque ſincero pœnitentiæ dolore affectos fuiſſe. Heu! En quomodo decipiuntur. Pœnitentiæ gratias pro totidem actibus pœnitentiæ numerant; hoc eſt, id, quod pro ipſis fecit Deus, eodem in loco habent, ac ſi illud ipſi feciſſent pro Deo; quæ quidem perницioſiſſima cæcitas eſt, cum quod in nobis operatur Deus, accipimus pro eo, quod pro illo operamur. *Et ibi nos ſeducimus*, S. Bernardus ait, *quando quod Dei eſt, putamus de nobis eſſe*. Hic tamen eorum eſt error, qui iterato in ſua recidunt crimina, & hunc S. Gregorius confirmat. Si video, inquit ille, Chriſtianum non committentem ſcelus, ad quod gravi tentationum impetu fertur, jure credo, veram illius fuiſſe pœnitentiam; ſed ubi video peccatorem ſemper in idem ſcelus relabentem, idque nulla illectum occaſione, nulla tentatione actum, nonne jure arguam, huic nullum eſſe veræ pœnitentiæ ſignum, lacrymas ejus ſimulatas, doloremque illius parum ſincerum fuiſſe? *Idem*.

Quam pretioſa ſit pœnit... Nun deſunt beneficia Dei, quæ ſatis digne æſtimari nequeunt, quacumque ex parte conſiderentur:

Digitized by Google

tentiæ gratia, quam per recidivam contemnimus.

tur? inter hæc autem non poſtremum eſt gratia pœnitentiæ. Hic theſaurus eſt, cujus pretium ſatis commendari nequit; perſugium eſt reis, qui damnati erant, ut eſſent æternæ victimæ juſtitiæ; tabula eſt poſt naufragium, cujus ope peccator vitæ hujus tempeſtatibus, atque procellis agitatus adhuc ad ſalutis portum pervenire poteſt: hoc illud eſt, quo in Jeſu Chriſti ſanguine nihil divinius, nihil pretioſius eſt. Hæc autem gratia quot laboribus, cruciatibuſque ſtetit Salvatori! Pœnitentia gratiæ reparatrix eſt. Poſtquam in peccatum lapſi ſumus, prodigi filii ſumus, qui a paterna domo procul receſſimus; ſponſæ infideles, quæ ſolemniter juratam fidem perfregimus: oves errantes ſumus, quorum cum Paſtor curam non gerat, prope eſt, ut rapacium luporum præda fiamus. Pœnitentia vero quid agit? Prodigos hoſce revocat filios, infideles uxores legitimo reſtituit ſponſo, errantes oves iterum cogit in paſcua, eaſque, ut ita dicam, ex ferarum dentibus eripit. Hæc nos Deo reconciliat, hæc nobis omnia jura reſtituit. Hoc ineſtimabile bonum eſt, quod reliqua omnia conſequuntur: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sapien. 7. Attamen poſtquam hanc recepimus gratiam, poſtquam tot lacrymas fudimus, tot mœroribus, ruboribuſque fuimus confecti, ut cum Deo in gratiam reverteremur, nullo in diſcrimine habemus gratiæ ejuſdem facere jacturam. *Ex ſpecimine ſermonum pro Adventu.*

Peccatores, qui relabuntur, abutuntur Eccleſiæ facilitate, qua illos recipit ad pœnitentiam.

Mirum! Quamvis Eccleſia priſcis temporibus unam dumtaxat ſolemnem concederet abſolutionem peccatori toto vitæ hujus tempore, extra mortis articulum, ubi in canonicum aliquod crimen lapſus fuiſſet; aſſequi tamen vobis mente non licet, quantopere Patres illi metuerent, ne peccatores hac facilitate abuterentur: & non ſine quadam renitentia docebant Catechumenos, poſt Baptiſmum aliam in Eccleſia januam ſupereſſe. Hodierna vero die quot fletibus proſequi debemus peccatores, qui paſſim ea abutuntur facilitate, qua non ſemel, neque bis, ſed toties quoties redeunt, ab Eccleſia recipiuntur? ... Nonne verum eſt, eccleſiam plenam eſſe hujuſmodi miſeris, quorum vita jugis eſt confeſſionum, & ſcelerum orbis? Si ex hoc numero es, Auditor mi, cogita, quanam ſeveritate cum patribus tuis uteretur eccleſia, & ad examen revoca rationes eas, quibus acta hoc jure utebatur; ſi enim extrinſecus agendi rationem mutavit, non mutavit ſenſum; hoc eſt, præteritæ confeſſiones tuæ apud illam ſuſpicione non vacant, ac in futurum ſalus tua admodum incerta eſt. *Fromentiere, ſermone pro feria quinta majoris hebdomadæ pro quadam abſolutione.*

Cum peccati inſtrumenta retinentur, facile labimur.

Si dæmon videns peccati inſtrumenta ſemper retineri, & hæc iniquitatis arma, in quibus confidit, ſibi erepta nequaquam fuiſſe, animos non deſpondet, atque in domum ſuam redire contendit, haud equidem miror. Enim vero poſt confeſſionem nonne eadem eſt in oculis licentia, idem luxus in veſtibus, eadem largitas in conviviis, iidem habitus, eadem commercia, eædem inhoneſtæ lectiones, ſermones iidem? *de la Volpilliere, ſermone de Magdalena.*

Si peccator dicere ſaltem poſſet, ſe a fide nonniſi poſt diuturna prælia, & certamina defeciſſe; ſeque coactum fuiſſe vi, quam ſibi Dei inimici intulerunt, hoc illius noxam minueret. Fateor equidem in primitiva Eccleſia triſte fuiſſe ſpectaculum videre calamitoſos apoſtatas, qui cruciatuum crudelitate victi ore tenus Jeſum Chriſtum negaverant: illos inquam videre, ſaccis indutos, conſperſos cinere præ templorum foribus proſtratos a fidelibus veniam petentes, & querula voce clamantes: conculcate inſatuatum hoc ſal, quod ſuam virtutem amiſit, probris, & contumeliis onerate ignavos hos homines, qui in prælio ceſſarunt, ut his queſtubus flecterentur ſacerdotes, eoſque ad pœnitentiam reciperent. Hic quidem erutum ſibi pro fide oſtentabat oculum, ille amputatam manum; teſtabatur alius ſe plures annos in carceris ſqualore contabuiſſe: pro lacrymis, S. Cyprianus ait, ſanguinem ex vulneribus ſuis exprimebant: *Deprecabantur illi non lacrymarum commiſeratione, ſed vulnerum, nec ſola lamentabili voce, ſed laceratione corporis: manabat pro fletibus ſanguis, & pro lacrymis cruor ſemiuſtulatis viſceribus defluebat.* Pro uno, quod patraverant, peccato ſexcentas fortitudinis, & conſtantiæ proferre poterant actiones. Verum Chriſtiani, qui poſt pœnitentiam fidem ſuam violabunt, itane ſe ipſos poterunt excuſare? Num cauſabuntur tyrannos, atque carnifices, qui eoſdem ad peccandum impulerint? Nil tale profecto. Deum pro re adeo levi reliquerunt, ut, pro nihilo, & ex mera nequitia illum reliquiſſe jure poſſit affirmari: *Odio habuerunt me gratis.* Pſalm. 34. *P. Texier.*

Eo quod a vetitis non ſecedimus objectis, neque nefarios habitus relinquimus, quid accidit? Accidit, quod ad vomitum revertimur, quod fumantes adhuc occaſiones ignem corripiunt, quod peccatum ſenſim eam ingreditur arcem, ubi adhuc ſecretam ſovebat familiaritatem; quod ex illius cladibus proficit; quod reviviſcit, & ut ita dicam ſuas colligit reliquias, ſimilis ſerpentibus attritis, qui ſemianimes in aliqua ſui parte, ſenſim vitam ſuam reparant. *Auctor ſermonum moralium.*

Relabimur quia non relinquimus occaſionem & objecta, propter quæ lapſi ſumus.

Quærite ex pleriſque fidelibus, qui vitioſum aliquem habitum contraxerunt, ubi ad pœnitentiæ ſacramentum accedunt, utrum dolorem habeant ob ea peccata, quæ confeſſuri ſunt? Haud hæſitanter reſpondebunt, ſe ex toto corde dolere. At enim in eadem numquam vos relapſuros eſſe decreviſtis? Hoc equidem vellem, inquiunt; quantum in me erit, adnitar. Quid hæc innuunt verba? Niſi, quod vellem hoc facere poſſe, at metuo, ne hoc aſſequi valeam. Hoccine firmum, & efficax propoſitum eſt, quale habendum eſt? Nullo modo: velleitas eſt, & deſiderium ad pœnitentiæ effectum inutile. Et exiſtimabimus, Deo ſatis eſſe pœnitentiam peccatoris, qui poſtquam millies, iterumque millies eum affecit contumelia, ſe hoc injuria feciſſe fatetur, ac dolet ſe peccaſſe, Deumque ſuum a ſe læſum fuiſſe; nec non pro viſibus omnia ſe facturum pollicetur, ne eum amplius lædat, ſed vix id ſe aſſequi poſſe putat; quod ſtudia, habitaſque ſui nimis fortes ſunt, quod ſodales nimiam in ipſius animum habent auctoritatem, & amor, quo perſonam hanc diligit, nimis violentus eſt: quæ omnia verbo ſignificant, ipſum nequaquam vitæ rationem immutare velle. Hæ autem dubitationes, metuſque omnes nequaquam conſentiunt cum ſtabili propoſito non amplius peccandi, quod ad pœnitentiam neceſſarium eſt. Verus pœnitens audacter dicat opus eſt, hoc poſſum, & volo. Poſſum quidem ope gratiæ Dei a peccato recedere; poſſum hanc ſocietatem relinquere, & hoc commercium perfringere: hoc igitur omnino facere volo, licet vitæ ipſius jactura eſſet ſubeunda; alioquin nutans propoſitum non ſufficit, atque initium abſtinendi conſilium hunc non habens firmitatis characterem. *P. Gegou in libro, cui titulus: Uſus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Credi ne poteſt, propoſitum evitandi peccatum ſincerum, verumque fuiſſe, ubi nullus ejuſdem effectus videtur? Eſto; ſi poſt illud peccator aliquem conatum exereret, ut ſuas catenas, ſuaque vincula perfringeret, ſi modum quæreret pravos habitus exuendi, ſi aliquam ad id curam impenderet, & nihilominus aliquando in ſcelus relaberetur, dicerem, ejus recidivam effectum eſſe infirmitatis ipſius, ejuſque pœnitentiam bonam fuiſſe; ſed nil horum videns, immo videns eamdem, ac antea peccandi facilitatem, quis credere poteſt hujuſmodi pœnitentias veras eſſe, & hoc pœnitentes vere eſſe contritos? Opus eſſet ad id, ut vel pœnitentia, vel propoſitum relinquendi peccatum naturam mutaſſent. *Idem.*

Fieri non poteſt, Apoſtolus inquit, ut qui ſemel illuminati ſunt, & cœleſte donum guſtaverunt, & participes facti Spiritus ſancti cognoverunt, quanta ſit Divini verbi præſtantia, ſe ipſos corrigant, & agant

Poſt relapſum longe difficilior eſt converſio.

agat pœnitentiam. Hæc impoſſibilitas ſane abſoluta non eſt, ſed extrema eſt difficultas, & raro accidit, ut id genus homines ab erroribus ſuis reſipiſcant. Contumelia, quam inferunt Jeſu Chriſto, cujus ſervitutem abdicant, poſtquam ab eodem tot cumulati fuere beneficiis, labes, quam Chriſtianæ virtuti adſpergunt, cujus praxim in invidiam vocant, aula, quam impii tribuunt, qui nolunt aliquem in mundo verſari, ibique diu eſſe devotum, ſcandalum, quod omnibus præbent fidelibus: hæc omnia aliquid conferunt, ut vix, & ne vix quidem ad Deum redire poſſe videantur. Felices, ſi hæc omnia conſiderantes intelligere poſſent, Patrem Miſericordiarum illis adhuc brachium tendere, ſibique integrum adhuc eſſe in gratiam reverti. His applicari poteſt id, quod juſſit Deus, S. Joannem ad Epheſi Epiſcopum ſcribere: Priſtinam charitatem tuam amiſiſti: memento igitur quoniam ex gradu cecideris; age potius pœnitentiam, atque te ipſum redde priorum operum tuorum exercitationi: alioquin veniam ad te, atque candelabrum tuum de loco amovebo. *Tomo 2. conſiderationum P. Croiſet.*

Niſi in pœnitentia perſeveres, eadem gravius quam ante, ac tandem cumulum addes reprobationi.

Enim vero peccator, qui non adnititur fructus facere dignos pœnitentiæ, poteſt quidem in confeſſione criminum ſuorum veniam recepiſſe; ſed ſi pœnitentiæ virtus, iterataeque virtutum exercitationes in ipſo gratiam Sacramenti non ſervaverint, quam primum in peccati ſui vincula relabetur. *Cum immundus ſpiritus exierit de homine ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi... Vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Perfunctoria peccata ſunt tamquam characteres in arena delineati, qui facile oblirerantur: ſed recidivæ peccatum, *peccatum* eſt *Juda*, de quo loquitur Jeremias cap. 17. *ſcriptum ſtylo ferreo in ungue adamantino*. Quotieſcumque peccamus totidem veluti ictus ſunt, quibus iterum premimus hos characteres iniquitatis, qui jam efformati erant, quibus altius imprimuntur, ac tandem indelebiles fiunt. Denique adeo crebro peccatur, ut nullus deinde reditus pateat; & poſtremus lapſus in decretis Dei conſtitutus, quo cumulus additur noſtræ reprobationi, nobis incurabile hoc parit vulnus, de quo loquitur Propheta, quod nullam patitur medicinam: *Peſſima plaga tua, inſanabilis fractura tua. Specimen ſermonum pro quarta adventus Dominica.*

Præcautiones ſumendæ ne in peccatum relabamur.

Ex periculoſo convaleſcis morbo, qui te plurimum afflixit, & in quo extremum vitæ ſpatium tibi imminere putabas; ſed Deo gratiæ habeantur; inde evaſiſti, ac primam ſanitatem iterum paulatim acquiris. Nunc autem, quæſo, quid non agis ne in morbum hunc relabaris? Quam in omni vitæ ratione ſervas æqualitatem? qua ſubmiſſione medici tui conſiliis non pares: quæ diligentia, ne dicam, quæ ſuperſtitio, ut omnia illius verba ad literæ apicem exequaris! Religioni tibi verteres minimum aliquod comedere, quod lex explicite non prohibuiſſet; omnia tibi, quæ in vita ſuaviſſima, & jucundiſſima ſunt, negares, deambulationes, ludos, ſolatia, convivia; hæc omnia contemnis, quia de tua agitur valetudine, ſi ad priſtinam vitæ rationem redieris. Hæc omnia nonne vera ſunt, & quotidiana experientia probata? Propterea indignum eſſe dico, quod fidelis tantam corporis ſui curam gerat, & tantumdem ſaltem pro animæ ſalute conari detrectet. *P. Bourdelove, ſermone hujus argumenti.*

Remedia contra recidivas.

Vulgo tantum infirmitatis habent homines, quantum quiſque peccatorum commiſit. Hæc vulnera numquam ita perfecte curantur, ut iterum tabum effundere nequeant. Ad hunc igitur prohibendum effectum cicatrices conſolidandæ ſunt, animam roborando operibus juſtitiæ, quæ ſint his vitiis oppoſita. Hæc una eſt ratio iteratos evitandi lapſus, ejuſque omiſſio illos reddit frequentiores. Ita hæc opera non ſolum neceſſaria ſunt tamquam pro præteritis peccatis reparatio, verum etiam tamquam pro præſentibus infirmitatibus remedia, & amuleta. *Eſſais de morale tomo 5.*

Pœnitens reſpicit mundum, & periculoſas, quæ ibi inveniuntur, occaſiones, & quæ lapſuum ſuorum cauſa exiterunt, eodem metu, eodemque horrore, quo ſcopuli, in quibus aliquis naufragium paſſus eſt, reſpiciuntur. Hæc res illum eoſdem evitare cogit. Propria doctus experientia de cordis ſui imbecillitate, & corruptione, ac ſciens quanti facere debeat virtutem ſuam, credit non alibi, quam in fuga, & receſſu inveniri poſſe ſecuritatem. Novus pœnitens cor ſuum ſpectare debet veluti facem, extinctam quidem, ſed adhuc fumantem, & quæ ad minimum flammæ acceſſum, hoc eſt ad aſpectum objectorum, quæ illam inflammarunt, ilico accenditur. Virtutem ſuam reſpicere debet tamquam tenerum florem, qui nuperrime floruit, & qui minimo venti impulſu, vel ſolis ardore exſiccatur. *P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus tomo 3.*

Si peccatum odiſſemus, numquam iterum peccaremus.

Si peccatum adeo horridum tibi videtur malum, ut ſtatim per confeſſionem eidem mederi contendas, cur poſt reparatam valetudinem per efficax pœnitentiæ remedium nullam navas operam, ne ejuſdem facias jacturam? Cur adeo amare id luges, quod adeo facile facis? vel cur, ubi ſeſe tibi prima obtulerit occaſio, illud committis, ut, ubi primum ad confeſſarii pedes acceſſeris, te ejuſdem pœniteat? Dæmonem ejeciſti de corde tuo: Jeſus Chriſtus iterum adeptus eſt poſſeſſionem animæ tuæ; hæc Spiritus ſancti donis, & gratiæ divitiis locupletata eſt; modo objectum amoris eſt in oculis Dei; ob converſionem tuam cœleſtis aula lætatur, ac te reſpicit tamquam civem cœli, ad cujus poſſeſſionem adſpirandi jus tibi contulit pœnitentia. Heu infelix! momentanea voluptas, levis quæſtus tibi ablatura ſunt inæſtimabiles hoſce theſauros; & inopina mors forsitan tibi in æternum ereptura eſt gratiam pœnitentiæ, quam per ſummum nefas indigniſſime profanaſti: *Specimen ſermonum pro Adventu.*

Quot peccatores in hac illuſione verſantur, quot ſunt, quos dæmon ſibi in ludibrium vertit, qui poſt ſexcentas confeſſiones, vel potius poſt confeſſionem eamdem millies iteratam in extremo vitæ ſuæ limine adſtant æque maledici, æque iracundi, æque impudici, ac ſi numquam ad ſacramenta acceſſiſſent! Numquam verum peccati horrorem conceperunt; numquam ſincerum ſeſe convertendi conſilium animo ceperunt. Secretum omnium confeſſionum cauſa non alia fuit, quam perquiſitio falſæ pacis, quam conſcientiæ ſuæ comparare voluerunt: cum ferre non poſſent ſceleris ſtimulos, laboremque virtutis, operam navarunt, ut vitæ genus ab utriſque immune ſibi concinnarent. Poſtquam in ſcelus lapſi ſunt, peccata ſua confeſſi ſunt, ut conſcientiæ ſtimulos ſedarent: ubi vero abjecerunt per confeſſionem patratorum criminum ſarcinam, ad priſtinam vivendi rationem reverſi ſunt, quæ ſenſim affecit, ut iterum laberentur. *Idem.*

SUPPLEMENTUM.

Recidiva in Peccatum.

Recidiva arcet Deum a nobis.

ITa eſt, *Auditores* lectiſſimi, primum malum, quod nobis afferat recidiva, eſt a nobis amovere Deum, exhaurire quodammodo illius miſericordiam, quæ licet infinita in ſe, erga nos tamen finita eſt in diſtributione peculiarium gratiarum, & non communium auxiliorum, a quibus noſtra pendet converſio. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum.* Tria priora Damaſci crimina paſſus ſum, dicebat Deus per Prophetam; illa oblivioni tradidi; cum vero quartum adjecerint, juſtitiæ, (Amos c. 1.)

atque iracundiæ meæ locum dabo, quomodo autem! recedens ab impiis, qui per infidelitates ſuas me irritaverunt. Ex quo igitur, fideles, Deus recedit a nobis, mirum eſſe non debet, ſi pœnitentia ſit difficilior, & ſi hæc difficultas creſcit, prout ille magis recedit. Quare? quia Deus unus præſentia ſua replens cor noſtrum, ac in illud Spiritus ſui Unctionem infundens efficere poteſt, ut pœnitentia nobis facilis fiat, atque amabilis. Cujus rei pulcherrimam intueri poſſumus imaginem in celeberrimo Veteris Teſtamenti viro Samſone. Illud excæcaverat libido, ſed cæcitas, in quam inciderat, nequaquam eo uſque proceſſerat, ut illi vires auferret, quibus eximiè Deus illum ornaverat. Alienigena mulier, cui adhæſerat, per inſignem perfidiam pluries eum funibus conſtrinxerat, illum Philiſtinis traditura; ſed numquam eidem vinculorum infringendorum modus defuerat; ac inde gloriabatur futurum, ut, quidquid illa experiretur, ipſe inde ſeſe expediret, dicens: *Egrediar ſicut ante*. Denique verſuta mulier adeo callide omnes artes adhibuit, præſecuitque fatalem comam, in qua latebat ſecretum roboris myſterium; ac ſtatim id Philiſtinis nuntiavit. Irrunt omnes in illum; ille vero ut olim conſurgere admititur, ſed ignorat a ſe Deum receſſiſſe. *Neſciens, quod receſſiſſet ab eo Dominus*. Ecce tibi imaginem animæ tuæ in calamitoſo ſtatu, in quo illam concipio, videlicet relapſus in crimen. Experrectus nonnumquam ex profundo ſomno, quo obrutus eras, cogitans paulisper miſeriam tuam dicebas: *Egrediar ſicut ante*. Confringam vincula mea, & me expediam ex hac cupiditate, quæ captivum me tenet, ſed non animadvertis Deum recedere a te; & prout te derelinquit, te ipſum auxilio privari; hinc pœnitentiam tibi fieri gravem ſarcinam, & jugum non ferendum, & ubi primum ſolatia nanciſcebaris, ibi horrorem invenire, quoniam frequentes lapſus te a Deo ſeparaverunt, ac inter Deum, ac te cahos ſere inſuperabile poſuerunt. *Neſciens quod receſſiſſet ab eo Dominus*, *P. Bourdalove in Dominicis*.

Judic c. 16.

Qui in ſuum relabitur peccatum ſi eidem adſtiulo ſe non uiſſe ſincere inde emergere.

Et ſane credibile ne eſt, auditores, habuiſſe aliquem determinatam, abſolutamque abrenuntiando peccato ſuo voluntatem; ac ſtatim peccato ſeſe illi iterum offerente, ignave, ac ſine ulla obnitentia rurſus ſe ſuperari paſſum fuiſſe? Heu! S. Bernardus ajebat, nil voluntate noſtra fortius eſt, ex quo ſibi conſtat, omnia illi cedunt, omnia illi parent; nulla difficultas eſt, quam non evertat, nulla oppoſitio, quam non proſternat, & quod alioquin fieri minime poſſe videretur, illi facile evadit, cum illud bona fide faciendum aggreditur. Hoc verum eſt, potiſſimum vero cum agitur de peccato, quia ſumma licet in nobis adſit corruptio, tandem peccamus, quia volumus, & ſi nollemus, non peccaremus, quod certum eſt, atque indubitatum. Ita voluntas noſtra ſervat adhuc in re hac quamdam dominationis ſpeciem in ſemet, & fit quodammodo omnipotentiæ particeps: nam cum de peccato agitur, facit id ſolum quod vult, & nolit, ſatis eſt, ut poſſit illud non facere. Non deeſt igitur cogitandi locus, illam noluiſſe peccato reſiſtere, & abrenuntiare, cum video illam peccato non reſiſtentem, neque abrenuntiantem. Hæc eſt S. Bernardi argumentatio, procul a Pelagianiſmo remota, quia ſemper JESU CHRISTI gratiam ſupponit, & facillime conciliari poteſt cum eo, quod dicebat de ſe ipſo S. Paulus, cum querebatur a ſe illud fieri malum, quod minime vellet. *Sed quod nolo malum hoc ago*; S. enim Paulus intelligebat de internis motibus cordis, cum S. Bernardus loquatur de libero conſenſu præſtito peccatis. *P. Bourdalove in Dominicis*.

Ejuſdem ſententia continuatio.

Quod pœnitentiæ propoſitum voco, non eſt aliquod ex ſimplicibus deſideriis, de quibus loquitur ſcriptura, quæ anima quidem concipit, ſed in lucem proferre non poteſt. Hæc voluntas eſt ſupernaturalis, ſed ordinis, qui eas omnes ſuperat, quibus homo par eſt, ita ut nulla ſit cum qua valeat comparari: Voluntas, quæ pro objecto Deum habere debet, quæ efficere debet, ut peccatum oderimus, & cujus minima cauſa juxta Theologicos canones, timor eſt æternæ juſtitiæ, a Dei inimicis adeo metuendæ. Hæ ſunt qualitates, quæ ſi deſint, docet fides, pœnitentiam non imperfectam eſſe tantum, ſed omnino nullam. At cenſeri ne poteſt hoc propoſitum noſtrum eas omnes habuiſſe qualitates, cum non ſine detrimento pacti illius, quod cum Deo percuſſimus promittentes nos numquam a ſtatu gratiæ diſceſſuros, repente illum delevimus, & creaturæ proſpectus efficit, ut firmiſſima conſilia, ac inevitabilia officia oblivioni tradamus! *Idem*.

Peccator rel. pl. ingratus ea.

Recidiva nequitiæ crimini ingratitudinem adjicit; ingratitudinem, quæ, Tertullianus ait, non ſolum ſita in eo eſt, quod prætermiſſarum Domini miſericordiarum obliviſcimur, ſed quod iiſdem contra ipſum abutimur, ut magis audacter, & impune peccemus. Profecto ſi certi eſſemus, peccati hujus remiſſionem nuperrime nobis conceſſam noviſſimam eſſe gratiarum, quas ſperare poſſumus, & poſtmodum miſericordiæ januam nobis eſſe in æternum claudendam; ſi hoc ſciremus, licet tantam in nobis vim obtineat cupiditas, hoc ſatis ſuperque eſſet ad nos a lapſu deterrendos. Igitur ipſam pœnitenti medicinam ipſi fecimus noſtræ licentiæ illecebram, atque, ut loquitur Tertullianus, *redundantia clementiæ cœleſtis libidinem facit humanæ temeritatis*; Videlicet, ſumus nequam, quia Deus bonus eſt, & unica via, quam nobis reliquit, ut ad ipſum reverteremur, ac in cœleſtem ſemitam iterum ingrederemur, nobis eſt tamquam patens aditus ad flagitia, atque peccata. *Quaſi pateret via ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum*. Deus autem, cum talis ſit, qualis eſt propter gratiæ ſuæ honorem, ſuæque providentiæ probationem, poteſt ne peculiarem non habere oppoſitionem, ut cum nobis hoc in ſtatu redeat in gratiam? *P. Bourdalove in Dominicis*.

Tertul.

Idem.

Quo frequentiores fuerint lapſus eo minus ſperandum eſt fore, ut aliquando vere emergas.

At enim toties ſurrexiſti; immo hinc tibi metuendum eſt, ne tibi ad pœnitentiam aditus pateat. Si ſemel cecidiſſes, vel relapſus eſſes, ſperare fortaſſe poſſes aliquem faciliorem acceſſum ad ſolium clementiæ Dei. Sed poſt tot ſcelera iteratoſque lapſus, quanto propius adeſt noviſſimum illud crimen, quod aliis cumulum poſiturum eſt! Qui ſcis, utrum noviſſimum hoc ſcelus jam acciderit; utrum menſura jam completa fuerit? Quæ ſi ad cumulum uſque redundat, quænam tibi ſalutis ſupereſt via? Dicis, ut olim Samſon prementibus illum Philiſtim: *Egrediar ſicut ante feci, & me excutiam*. Me ipſum ex vinculis eximam; cur non ita? toties inde egreſſus ſum, toties vincula mea fregi; toties peccata mea confeſſus ſum; hæc iterum fatebor, & niſi hoc ſtatim, hoc aliquando faciam; & ſaltem in morte. Samſon loquebatur, ſicut tu loqueris; & cum Deo rationes ſuas rite ponebat Samſon? Credebat ille ſibi eamdem vim, & robur ineſſe ac olim, quando Deus erat cum illo; neſciebatque Deum a ſe receſſiſſe, ipſumque naturali infirmitati traditum fuiſſe. *Neſciens quod ab eo receſſiſſet Dominus*. Tu autem, qui non ſecus ac ille, id neſcis, tu quoque ut ille decipieris, & te ſera mors obruet. *P. de la Rue in quadrageſima*.

Judic.

Peccator recidivus Deum contemnit.

Quid fecerat peccator ubi primum ſe ſe converterat, & pœnitentiam fuerat amplexus? In corde ſuo dæmonis imperium deleverat, ut ibi regnaret Deus; quid autem facit in ſuum reincidens ſcelus? Extrudit ex corde ſuo Deum, ibi dæmonis imperium reſtituturus. Videtur homo in alterna hac pœnitentiæ, & lapſus viciſſitudine utriuſque inſtituere velle comparationem, cumque utriuſque periculum fecerit, argumentatur contra Deum, hujus adhærens inimico, quem ipſi Deo cenſet præferendum, ita ut ſicuti per pœnitentiam Deo ſatisfacere quærebat, modo per oppoſitam pœnitentiæ pœnitentiam, placat Dæmonem, eique ſatis facit. Hæc Tertulliani doctrina eſt. At upere tali nonne majeſtas, & Dei dominatio contemnitur, & laceſſitur? *P. Bourdalove in Dominicis*.

Ingratitudo, & ſtultitia peccatoris relapſi.

Quod vitæ genus viveret homo, quem Deus per clementię miraculum de inferno revocaſset ad vitam? De-

Deſertum maxime invium ſatis tutum nequaquam videretur illi ab illecebris mundi; antrum, ſeu tumulus fieret ejus domicilium in reliquum vitæ ſpatium, nulla ipſi eſſent ultra ſolatia, nullæ voluptates, vita illius jugis eſſet oratio, & mortificatio. Tandem nonne mortalium omnium inſipientiſſimus habendus eſſet, ſi ad priora flagitia reverteretur? Gratia, quam tibi contulit Deus te ab erroribus tuis revocans, nonne illi præſtat, quam huic reprobo contulit? Peccatum in utroque infernum pariter merebatur: Deus igitur ab inferno te præſervavit, revocans a peccato. At ſi illuc iterum incideres, nonne hæc turpiſſima eſſet ingratitudo, ſimulque extrema ſtultitia? Appende hæc terribilia JESU CHRISTI verba: *Quæretis me, & non invenietis, & in peccato veſtro moriemini. P. Segneri in Medit.*

Recidiva eſt ſtatus, ut vix talius poſſit comparari.

Malorum omnium cumulus eſt mors in peccato, & peccatum in morte. Anima autem, quæ poſt converſionem ſuam redit in peccatum mortale, vulgo ad extremam hanc pervenit infelicitatem, quia cum animæ converſio ſit impoſſibilis, mors in peccato ſit inevitabilis. At illi difficile ad Deum revertuntur, qui poſt converſionem ſuam reinciderunt in ſcelus juxta Apoſtoli teſtimonium: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt &c.... & prolapſi ſunt, renovari ad pœnitentiam.* Hæc impoſſibilitas, de qua hic loquitur Apoſtolus, non eſt procul dubio niſi moralis, quæ oritur ex multitudine ſcelerum peccatoris, & ex contemptu gratiæ, cujus ſubſidia fierent imbecilliora, propter modicam curam adhibitam a peccatore, ut illis cooperetur. Fatendum eſt tamen, ſi peccatoris lapſus frequentes fuerint, impoſſibilitatem hanc eo magis augeri, & ipſum ad miſeram adeo cæcitatem redigi, ut fere de animæ ipſius ſalute ſit deſperandum. *Auctor recens.*

Hebr. 6.

Quam dubia ſit pœnitentia re incidentium in morte facta.

Pœnitentia, quam in morte peragunt, qui ſæpe in eadem ſcelera relabuntur, timendum eſt, ut nulla ſit; tunc enim proprie peccator non dolet cauſa ſceleris ſui, ſed mali, quod illud ſubſequitur. Non tangitur ille vero læſi numinis dolore, ſed debitam tot ſceleribus pœnam veretur. Cum autem ſupplicio dumtaxat deterremur, & peccatum non execramur, cum malum præterierit, præterit etiam dolor. Corpus habes ſcelere attritum; graves luis pœnas ſuis criminibus debitas; malum, quo torqueris, elicit a te lacrymas, ſed quid ploras? Numquid ſcelus tuum? Non ita, ſed pœnam ſceleris, quam ſuſtines. Hæc igitur vera pœnitentia non eſt, veri conſcientiæ aculei, vera peccatorum contritio. Qui in ſcelus relabi conſueverunt, eamdem ſemper molam verſant. Afficiuntur, ut iudicam, mœrorem ſuum ſupplicio, vel præſentis vitæ detrimento, non autem ſceleri; quia nullam ſentiunt in peccatis ſuis pœnam, non reminiſcuntur ſceleris, & mallent eſſe reos, quam calamitoſos. Cum autem hujuſmodi peccatores numquam veris ſtimulis excitentur, numquam convertuntur, & ita mors in peccato illis eſt fere inevitabilis. *P. Antonius de S. Martino a Porta.*

Recidivam vulgo ſubſequitur æterna calamitas.

Finge tibi Dei filium videntem incredibilem fidelium numerum in peccata ſua relabentium, ex te quærere, quod aliquando ex Apoſtolis videns Capharnaitas a ſe recedere ob ea præcepta, quæ tradebat: *Numquid & vos vultis abire?* Vos etiam, Apoſtoli, me dereliquetis, ut illi? Heu! Domine, reddes ut S. Petrus. *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Heu! quam in calamitatem noſmet projiciemus, quandoquidem tu habes vitæ verba, & vitæ æternæ. Rurſus in peccata relapſis idem accidit atque Capharnaitis: deſerunt hoc vitæ æternæ verbum; & hæc deſertio adeo frequens cauſa eſt finalis impœnitentiæ, quæ illam ſubſequitur. *Voluntarie peccantibus non relinquitur hoſtia pro peccatis.* Hoc eſt verbum veritatis æternæ; te, Deus, contempturum eos, a quibus fueris contemptus: *Qui contemnunt te, erunt ignobiles.* Hoc eſt æternæ veritatis verbum tibi acceptum nequaquam fore dolorem ex ipſa tantum ſupplicii conſideratione obortum. Verum igitur eſt, ſæpe in peccata ſua relabentes imperfectas dumtaxat pœnitentias concipere. Hoc quoque verbum erit veritatis æternæ, ſi illi mora ingruat, quia aliam fecerint pœnitentiam, ſalutem eorum æternam magno in diſcrimine verſari. *Idem.*

Joan. 6.

Hebr. 10.

1. Reg. 2.

Nobis timendum eſt, ne recidivæ ſint effectus confeſſionum male factarum.

Si peccatum ingratitudo eſt, perfidia, contemptus Dei, fatendum eſt recidivam eſſe exceſſum ingratitudinis, perfidiæ, & contemptus; quandoquidem poſt tot gratias, quibus peccator fuit cumulatus, poſt veniam, quam toties ſuorum criminum impetravit, poſt tot fidelitatis juramenta adeo ſolemnia, Filii Dei ſanguine ſignata, rurſus abutitur favoribus Patris ſui, fidem illi datam violat, & mundi ſervitutem præfert cultui illius, palam hoc facto confitens, uni præſtare magis, quam alteri deſervire: *Diabolum Domino præponit, qui utrumque cognoverit, & judicato videtur pronuntiaſſe eum eſſe meliorem, cujus rurſus eſſe maluerit.* Illud vero nobis terrorem adhuc majorem incutere debet, recidivam nempe validum eſſe præjudicium de præcedentium confeſſionum validitate ob defectum deliberatæ voluntatis non ultra peccandi. Cum enim ſincere aliquid volumus, quod pendet a nobis, id aſſequemur. Sed ſi æque frequenter facile, celeriter, ultroque, ut olim relabimur; & ſi quin noſmet corrigendi anſam amplectamur, ſemper in iiſdem occaſionibus verſamur, convenimus perſonas illas, quæ noſtrorum ſcelerum cauſæ extiterunt, & quas deteſtati fuiſſe videmur, argumento eſt propoſitum defuiſſe, ideoque confeſſiones noſtras fuiſſe ſacrilegas. Cæterum ſi in confeſſionibus eas omnes adhibuiſſemus diſpoſitiones, quæ ſunt neceſſariæ, percepiſſemus effectum Sacramenti, qui non ſolum in gratia ſanctificante conſiſtit, verum etiam in pluribus gratiis actualibus, quæ nobis novas adjiciunt vires, ut reſiſtamus peccato. Itaque cum hæ crebræ recidivæ locum præbeant credendi nos nequaquam conſecutos fuiſſe has firmitatis, ac ſoliditatis gratias, timendum eſt, ne huic effectui aliquem ipſi obicem ſtatuerimus; & obex vulgatior eſt propoſiti defectus. Poſt hæc mirum non eſt, ſi Dei Filius dicit, hujuſmodi peccatores in longe deteriori ſtatu, quam ante verſari. *Fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Chriſtianæ conſiderationes.*

Tertull.

Luc. 11.

Recidiva in peccatum tantum eſt malum, ut Apoſtolus impoſſibile putet, inde reſurgere.

Satin' intelleximus, quid mali ſit recidiva! Credidimus ne umquam hanc ad finalem impœnitentiam adducere? Ecce tamen quo tendat non ſolum per ſacrilegum Sacramentorum abuſum, quorum plerumque effectus eſt, verum etiam quia licet vere fuiſſemus converſi, per lapſum noſtrum irrita facimus ea omnia ſalutis ſubſidia, quæ nobis a Deo tribuuntur. Hinc dixit Apoſtolus converſionem id genus mortalium eſſe fere impoſſibilem: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.* Siquid enim poſſet nos ad officium revocare, ſane hæc eſſet cogitatio vel mortis, vel Judicii, vel Inferni, vel Æternitatis. At poſtquam ex animo converſi, in eadem ſcelera ſumus relapſi, extinguenda fuerunt omnia lumina, quæ nos de peccatis erudiebant, omneſque gratiæ, quas recepimus, & omnia bona deſideria, quæ ipſi concepimus, ſuffocanda; quandoquidem conſcientia noſtra nobis ob oculos has omnes veritates objecit. Itaque cum peccaverimus, licet tot, tantæque cauſæ, nos deterrere debuerint; quid tandem cohibere nos poterit? quod probat veritatem terribilium verborum Apoſtoli: *Voluntarie peccantibus jam non relinquitur hoſtia* &c. Neque mirum eſſe debet: ſi enim qui Moyſis legem tranſgrediebantur, morte mulctabantur, quam diſtrictius in eos eſt animadvertendum, qui Filium Dei conculcaverint? *Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit?* Hic genuinus eſt recidivi peccatoris character, qui iterum crucifigit JESUM CHRISTUM, eumque vertit in opprobrium: *Rurſum crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei, & oſtentui habentes. Ibidem.*

ad Hebr. 6.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quanto dolore conficì debemus quod totius Dei gratiis ſumus abuſi.

Stupor ille, in quo ſumus, numquid effectus eſt illius cæcitatis, quam parit iteratus in crimina lapſus, & quæ efficit, ut peccatorum converſio moraliter impoſſibilis fiat? Quid de me fieret, Deus, niſi bonitas tua nullis finibus contineretur? Suis finibus circumſcripta patientia potuiſſetne me ſuſtinere? Quoties tibi occaſionem præbui, ut traderes me in reprobum ſenſum? Hoc tamen facere noluiſti, ſed expectaſti me, & me coegiſti, ut ad te reverterer; & licet toties tibi infidelis extiterim, adhuc mihi exhibes gratiam tuam, ut educas me de ſcelerum meorum abyſſo. Agnoſco infidelitatis meæ cauſam, quia nimis confidens in viribus meis, memet ipſum objeci occaſionibus lædendi te. Itaque ſtatim, ex hoc ipſo temporis momento abrenuntio lectioni librorum, neceſſitudinibus, ſocietatibus, colloquiis, quæ effecerunt, ut in eadem laberer peccata, a quibus me longiſſime receſſurum decreveram, in praxim redigere volo conſilia omnia, quæ mihi ſuppeditata ſunt ad evellendos inveteratos habitus, quorum vim in dies ſingulos ſentio convaleſcere. *Chriſtianæ Conſiderationes.*

Quam nobis metuenda ſit lapſus in eadem ſcelera, & quare.

Poſtquam dæmon ex corde noſtro ejectus fuit, illud adhuc tamen conſiderat tamquam locum, in quem jus aliquod habet, propter diuturnam, quam ibi fecit, manſionem. Hinc ille delectum, ut ita dicam, habet; novaſque colligit vires iterum in illius poſſeſſionem reverſurus. Aſſumit itaque ſecum ſeptem ſpiritus nequiores ſe, dicit Salvator, ac rurſus arcem hanc obſidione ſepit, cui jam dominabatur; & niſi ſumma uſi fuerimus diligentia, illuc ingreditur, fit fortior, pluresque ibi excitat clades, quam cum primum ingreſſus eſt, ſuumque imperium ita confirmat, ut vix inde valeat propelli. Hinc Dei Filius ait, Satanæ reditum in calamitoſam hanc animam longe deteriorem futurum, quam cum illam primum occupavit: *Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Hinc intelligere poſſumus, quanti noſtra interſit Dei gratiam ſemel acquiſitam tueri. Hoc procul dubio docere nos voluit Apoſtolus, cum ait: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, & prolapſi ſunt, renovari ad pænitentiam.* *Ad Hebr. 6.* Non quod ſalus illius, qui in priora ſcelera reverſus eſt, omnino, & abſolute ſit impoſſibilis, ſed quod moraliter fieri nequit, ut hic ex funeſto hoc ſtatu emergat, cum noluit proficere ex gratia, quam antea Deus illi conceſſerat. Quod ſane efficere debet, ne acceptas gratias negligamus veriti, ne Deus illas alia vice largiatur, eaſque ad alios transferat, qui eas in uſum meliorem convertant. *Auctor recens.*

Quænam ſunt cauſæ, quæ nos a recidiva debent deterrere.

Non animi grati ratio, ſed utilitas noſtra nobis ſuadere debet, ut recidivam cane pejus, & angue evitemus; ſemper enim ſecundum ſcelus gravius eſt priore, & tertium altero: ideoque graviori pœna puniendum eſt. Quo major vobis venia conceſſa eſt, eo minus meremini, ut vobis parcatur. Nihil magis Dei juſtitiam irritat, nil magis fontem miſerationum exhaurit, quam hæc beneficiorum ejus oblivio, quam alternæ hæ reſurrectiones, & mortes, pœnitentiæ, atque peccata. Ad id igitur ſerio animum advertite; nulla fortaſſe in morali Chriſtiana veritas eſt majoris momenti; hac imple, Deus, mentem, & cor meum, & ne permittas, ut cum tandem gratiam ſuam reparavero, illam umquam amittam. *Moralis Novi Teſtamenti Patris la Neuville. Tomo 1.*

Frequentes recidivæ efficiunt, ut peccator gratiæ motibus non afficiatur.

Cur tot gratiæ motibus non afficeris, & conſcientiæ tuæ ſtimulis non perturbaris? Cur nullis modo ſcrupulis, aculeiſque agitaris? Cur in gravioribus ſceleribus nihil eſt, quod te deterreat? Cur in ipſa abyſſi ora dormitas? Unde nam funeſta hæc proficiſcitur conſtantia? Heu! ne acceptum hoc referas niſi lapſibus tuis repetitis adeo frequentibus, gravibuſque. Centies Deo æternam jurasti fidelitatem; ſed ubi minima adfuit occaſio, ad primum ſtatim hoſtium congreſſum arma abjeciſti, & pro nihilo habuiſti omnes proteſtationes tuas; recens, & in arena in eorum partes tranſiliſti; ecce quid Deum tuum irritat. Prima, dicebat Pater quidam, ſcelera tua ex infirmitate, atque ignorantia tua proficiſcebantur. Secunda non niſi ex imprudentia tua oboriri potuere; tertia vero unice effecta ſunt tuæ nequitiæ, & improbitatis, quæ ut plurimum ad cæcitatem adducet. Triſtis ſtatus, unde numquam emerges, quia emergere numquam voles, vel quia illum non cognoſces, vel quia in amore illius mordicus perſiſtes, etiam ſi illum cognoveris. Deus unus vi omnipotentis brachii ſui poſſet te illinc educere, at ſperandumne ſibi eſt, hoc illum facturum? Nequaquam, & ſecundum communis Providentiæ conſuetudinem numquam particeps fies gratiarum electarum, & meræ prædilectionis. Hæ nulli debentur; ſed recidivæ peccatorem illis vel minime parem, vel nimis indignum efficiunt. *Idem Tomo 4.*

Quanta ſit Dei patientia.

Dei patientia infinita eſt; alioquin jampridem ad finem perveniſſet, ac mundum iniquitatibus ejuſdem tradidiſſet. Nec minor requiritur bonitas, quam ſua, ne lapſibus, & recidivis peccatorum fatigetur: qui non ſolum non proficiunt ex ea ſuavitate, qua eorum tolerat flagitia, verum etiam in ipſa impunitate rationes inveniunt, propter quas in eadem recurrant. Deus, qui *non delectatur in perditionibus noſtris*, *Tob. 3.* producit mortalium dies, ut alii quidem per ſinceram converſionem ex ſuis emergant iniquitatibus, alii vero a mediocri virtute ad ſublimiorem aſcendant; ne primos quidem in ſuis iniquitatibus obeuntes, alios vero decedentes non ita virtutibus ornatos, ut Deus quærit, illos quidem damnet, quippe nihil, niſi malum habentes, hos vero non ſecus, quippe non habentes totum bonum illud, quod habere deberent juxta illa Spiritus Sancti verba. *Non invenio opera tua plena coram Domino.* *Apoc. 3.* *Ex Regula S. Benedicti. Tomo 1.*

REGULARITAS.

Vita ordinata. Ordo, ac Syſtema vitæ, a ſingulis pro ſtatu ſuo ſervandum. Diligentia in eodem tuendo, &c.

MONITUM.

PER hoc Regularitatis, ordinatæque vitæ vocabulum non intelligimus hoc in loco verba facere de vita ad virtutem compoſita, & exemplari probitate, quæ morum improbitati, & nequitiæ adverſatur: ſed hoc nomine vitæ regulam, ordinemque indigitamus, quem Chriſtifidelis ſibi præſcribere, ac diligentiſſime obſervare pro viribus debet, ut ſingula temporibus ſuis exequatur, nihilque eorum omittat, quæ ad ſtatus, & conditionis ſuæ ſpectant officia; quod ubi deſit, fortuito, ex libidine, non ex regula, ſine methodo, exlex, & abnormis vita traducitur.

Argumentum hoc licet non adeo ſit obvium, non ideo tamen minus eſt utile; etenim ad hoc ut chriſtiano viro dignam vivat vitam, vivendum eſt ex regula, atque ex regula vivas, Actiones dirigendæ ſunt, alioquin nequaquam vivis, non ſolum ut fidelem, ſed neque ut rationabilem hominem decet, qui, ut ſe ipſum in negotiis, officiiſque ſuis regat, ordinem in illis debet conſtituere, & nihil niſi ex ratione operari.

Fatendum eſt tamen, ut argumentum hoc rite pertractetur, plurima opus eſſe præcautione, ne alia commiſceantur argumenta, quorum alia quidem ſupponimus, qualia ſunt intentio, cauſæ ſupernaturales, gratiæ ſtatus, in quo eſſe debemus, aliæque circumſtantiæ ad id neceſſariæ, ut actio bona ſit, æternaque remuneratione digna: alia vero, quæ aliquam habent cum hoc argumento rationem, non niſi obiter attingenda ſunt, niſi tamquam probationes afferantur, vel concionis partem non conſtituant, qualia ſunt bonus temporis uſus, otii fuga, obedientia, charitas proximi, aliaque id genus, quæ integros ſermones exquirunt, & de quibus ſingillatim ſuis locis egimus.

Cavendum eſt quoque, ne argumentum hoc concionatorio more tractanter deſcendamus ad minutam actionum diei totius enumerationem, & ne latius verba fiant de earum recte perficiendarum ratione, ne ſermo repere, atque in catechiſmum degenerare videatur: ſed hiſce rebus omnibus ſuppoſitis unice immorabimur in ordine, quem nobiſmet ipſis præſcribere debemus, & diligentia, qua ille ſervandus eſt, necnon vigilantia, atque attentione adhibenda.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus argumenti ſtructura.

IN hoc Sapientiæ verba: *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei*, Sap. 10. animus fert oſtendere. 1. Conſtantem regularitatem, aſſiduamque diligentiam in officiis ſervandis religionis, ſtatus, muneris, & conditionis, ad quam nos Providentia evocavit, certiſſimum eſſe indicium, nos a Dei ſpiritu in via ſalutis deduci. 2. Hanc in omnibus officiis diligentiam tutiſſimam, facillimamque eſſe viam ad eum finem aſſequendum, cui nos Deus deſtinavit, qui ſalus eſt, & æterna felicitas.

Primum dico, characterem magis apertum, quo Dei ſpiritus a quovis alio ſpiritu diſtinguitur, eſſe regularitatem, videlicet fidelem, conſtantemque diligentiam in omnibus officiis vitæ illius, quam ſumus amplexi. 1. Ratio deſumitur ex S. Auguſtino teſtante, Deum in omnibus operibus ſuis ordinem amare, & hanc veluti legem irrogaſſe ſibi, illum, quem ſibi ſive in natura, ſive in gratia præſcripſiſſet, fideliter, ſeduloque ſervandi; ita ut, addit ille, ordo nos adducat ad Deum, & ſine ordine nemo ad ipſum pervenire poſſit, qui finis eſt, quem ſemper ſpectare debemus. Hinc ſequitur, ſi Dei ſpiritus nos ad eum, quem ſumus amplexi, ſtatum evocavit, eumdem quoque ſpiritum nobis ducem eſſe in hac via, noſque ad ſtatus hujus munera obeunda impellere. Cum enim res per eadem ſerventur principia, per quæ eſſe inceperunt, quomodonam melius judicare poſſumus, nos Dei ſpiritu agi in ea vitæ ratione, quam nobis ſequendam propoſuit, quam ex perfecta, conſtantique omnium officiorum noſtrorum obſervantia. 2. Ad hæc in hac infirmitate, atque inconſtantia, qua bonum ſequimur, & in hac ingenii noſtri proclivitate, qua in malum tendimus, ratio ſola non ſatis recta eſt, ut omnes actus noſtros dirigat, ac ſit chriſtianæ, & regularis vitæ principium. Dicendum igitur eſt, hunc eſſe Dei ſpiritum, videlicet deſiderium eidem placendi, voluntatem ejus faciendi, & gratiam vocationi in hoc ſtatu inhærentem. Alioquin enim bonum ex mera libidine, & fortuito fieret, & hoc ipſum bonum non eſſet diuturnum. Rerum noſtrarum ſollicitudo efficiet, ut oblivioni tradamus exercitia pietatis; in ea vitæ ratione, ubi quodlibet inordinatum eſt, atque importune factum, nulla videbitur regula, nulla uniformitas. 3. Docet experientia ea omnia, quæ violenta ſunt, nequaquam eſſe poſſe diuturna, ſed ſenſim, & ſine ſenſu remitti, laxarique, niſi externa ope aliqua recreetur. Violentum ſane eſt pro Deo ſeſe conſtanti regulæ ſubjicere, quæ noſtram torquet libertatem, quæ ſuopte ingenio quidquid, a quo cogitur, odit, & execratur. Ubi fidelis exemplari probitate ne latum quidem, ut ajunt, unguem recedit ab ordine, quem ipſi ſibi ſemel præſcripſit, & quem ſaluti ſuæ neceſſarium judicavit, neque humana quælibet ratio illam dimovere poteſt, nonne inferendum eſt, eumdem ſpiritum, quo actus hanc ſibi legem irrogavit, hanc etiam inſpirare conſtantiam, & fidelitatem in eadem ſervanda? E contra vero ubi nulli ſeſe ſubjicere valeat regulæ, ut fideliter ſtatus, ac religionis ſuæ muneribus perfungatur, indicio eſt, Dei ſpiritum receſſiſſe; ac deinde quamprimum ſervitutis Dei jugum excuſſum iri; illum ſeſe ab iis omnibus, quæ in chriſtiana religione ſunt moleſta, diſpenſaturum, ſibique tradendum cæce in omnia ſeſe traditurum flagitia.

Secundo dico, ſibimet regulam, vitæque rationem præſcribere, qua ſedulo omnibus ſtatus noſtri, ac religionis muneribus perfungi poſſimus, viam eſſe tutiorem, ac faciliorem, ut ad eum perveniamus finem, ad quem nobis contendendum eſt, æternam videlicet felicitatem: *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei*, Sap. 10. 1. Hæc rectior, tutiorque via eſt, neque alia requiritur ratio, quam ſcire;

Digitized by Google

hanc illam eſſe, quam Deus ipſe nobis deſcripſit: quemadmodum enim ſupernaturalis ejus providentia late ad omnes homines ſingillatim extenditur, ita illos ad eum evocat ſtatum, ubi videt, eos tutius ſalutem ſuam eſſe operaturos, ubi pauciores ſcopulos, ac minora pericula offendent; & quoniam hæc ipſius voluntas eſt, quod in hoc ſtatu vivamus, credere etiam debemus, nos hoc pacto ſemper voluntatem illius perfecturos, quæ eſt, nos omnibus eidem inhærentibus officiis rite perfungi. 2. Hæc facilior via eſt, & per quam minori cum difficultate progredi, & ambulare poſſimus: hic enim ſtatus eſt, & conditio, quam ipſi elegimus, tamquam ingenio, & ſtudiis noſtris magis conformem. Tandem enim ſi in omnibus artibus, ac ſcientiis, via perfectionis quamprimum acquirendæ hæc eſt, ordinem ſequi, tutaſque habere regulas, quæ illuc adducant, quia hac arte plurimo labori parcimus, & compendioſa via ad optatum finem pervenimus: hoc ipſum de Sanctitate dicendum eſt, quæ ſimul, & ſcientia Cœli eſt, & via, quæ illuc adducit. Ut autem via hæc facilior, breviorque reddatur, ſatis eſt omnes vitæ actiones, eas etiam, quæ communes ſunt, in ordinem redigere; tunc nulla nos res morabitur, habitus omnes difficultates explicabit, ac facile nobis præbebit, quidquid antea arduum, difficillimumque videbatur. 3. Regularis hæc diligentia adhuc utilior eſt; per hanc enim efficere poſſumus, ut actiones omnes nobis accenſeantur ad cœlum, ac infinitam meritorum copiam acquirendam &c. *Deſumptum ex ſermone hujus argumenti ex Auctore ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta, tom. 3. argumentorum particularium.*

II. Oſtendi poteſt, ut chriſtiana vita ducatur, neceſſario ordinatam vitam eſſe ducendam. 1. Ad evitanda inordinatæ vitæ mala, quæ ſunt otium, temporis jactura, negligentia eorum, quæ ad pietatem pertinent, omiſſiones in iis, quæ in noſtro munere, ac ſtatu potiſſima habentur; quod certe accidit, cum temere, ex libidine, ac ingenio mere operamur. 2. Quænam regenda ſint, & quomodo, videlicet tempus pietatis exercitationibus, ac vitæ civilis officiis, rei domeſticæ, ac naturæ neceſſitatibus, cujuſmodi ſunt requies, refectio, ſolatia, impendendum. 3. Utilitates, quæ ex hoc ſapienti regimine percipiuntur. Certi ſumus nos rebus in omnibus Dei voluntatem exequi ejus ſtatus, in quo nos ille conſtituit, munera obeuntes, innocens, & chriſtiana vita ducitur; bonum illud fit, quod a nobis exigit Deus, cum ſumma officii fide omnia ſtatus noſtri, religionis, & conditionis munera
III. obimus.

1. Oſtendere, conſtantem in omnibus ſtatus, & religionis ſuæ muneribus regularitatem veram eſſe, ſolidamque Chriſtiani vitæ civilis officiis irretiti devotionem, ac notam, ea qua qui vere virtute præditus eſt, poſſit dignoſci. 2. Omnes actiones ſuas moderari, omniaque ex ordine, & quodcumque ſuo loco, & tempore operari ratio eſt, qua fieri poteſt,
IV. ne aliquid in virtute difficile videatur.

1. Ordinem rite diſpoſitum in familia conſtituere, ac primam omnium ſervare, necnon efficere, ut ſervetur ab aliis, certiſſima via eſt ibi pietatem ſtatuendi, ſervandique, necnon cœleſtes benedictiones promerendi. 2. Via eſt omnia ſemovendi mala, quæ neceſſario contingunt, ubi quilibet quodcumque vult hoc facit. 3. Via eſt ibi fovendi pacem, conſenſum, charitatem, unoquolibet id agente quod debet, quod jubetur, ac ſeſe alienis officiis non
V. immiſcente.

1. Vitam ducere uniformem, atque ordinatam in actionibus communibus, & quæ paſſim fiunt, Deo accepti ſſimum eſt; ac ſæpe illa minori cum periculo tranſigitur, quam ſi in ſublimiori ſtatu duceretur, ubi magis inſignes actiones perficerentur. 2. Deus contentus eſſe debet noſtri, ubi regularem vitam ducimus eo in ſtatu, ad quem nos evocavit, & ubi omnibus illius muneribus ad ungoem perfungimur. Res
VI. in eo vertitur, ut ibi conſtanter perſeveremus.

Cum tota chriſtianæ vitæ ſanctitas, atque perfectio in hoc poſita ſit, ut malum quidem vitemus, bonum vero operemur, facile oſtendi poteſt, quod omnes actiones ſuas ordinatim peragere. 1. eſt evitare malum, quia ordinata vitæ noſtræ ratio oppoſita eſt libertati, vel, melius dicam, licentiæ, quæ inceſſanter nos in ſcelus, & flagitia propellit; ſecundo oppoſita eſt negligentiæ, quæ efficit, ut oſcitanter munera noſtra obeamus; ac tandem inertiæ, per quam quidquid in Chriſtiani hominis officiis præcipuum eſt, negligimus. 2. Eſt facere bonum; ſit quippe voluntas Dei hoc expetentis; & hoc pacto omnes actiones noſtræ totidem fiunt actus virtutum, & pro cœleſti gloria meritorum theſaurus acquiritur.

1. Bonus ordo, & regularitas, quæ in vitæ ratione ſervatur, fons eſt pacis, & tranquillitatis, qua imperturbabilis conſcientia perfruitur. Nihil VII.
enim, ſibi quod exprobret, habet, qui munere ſuo perfunctus eſt: nihilque quod ab divina juſtitia ſibi reformidet in diſtricta ea ratione, quæ eidem erit reddenda & ſi numquam hominum cenſuram licet effugere, jure hinc ad bonorum judicium provocare poſſumus, qui æquos ſe nobis judices præbere poſſunt. 2. Hoc in humana ſocietate pacem alit, & tuetur. Cum quicumque diligenter ſuis perfungitur officiis in ſtatu, ac profeſſione ſua, nemini de proximo ſuo conquerendi occaſio eſt: nullum eſt jurgium, nullum diſſidium, diſcordia nulla, ibique omnes perfecta pace fruuntur.

1. Sedula cura, & regularitas in ſtatus, ac profeſſionis noſtræ muneribus rite obeundis non prohibent, ne Deo ſerviamus. 2. Viciſſim, qui fidelius religionis ſuæ muneribus perfunguntur, præ VIII.
cæteris melius illa etiam obeunt, quæ ſuæ inhærent profeſſioni; etenim officium quodlibet puriſſimis, integerrimiſque cauſis acti ingrediuntur; nihil injuſtum exigunt: ſe nimiis præpediri negotiis non patiuntur: cœleſte auxilium illis impenſius favet, ita ut dici queat conſenſum officiorum religionis cum ſtatus, & profeſſionis ſuæ muneribus præ cæteris perfectum Chriſtianum, hominemque perfecte honeſtum efficere. Hinc inferri poteſt non ſolum in omnibus conditionibus, quæ legum auctoritate probantur, poſſe nos ſalvari, & ſanctificari; verum etiam ipſam quoque conditionem eſſe poſſe propriæ ſalutis, & ſanctitatis adminiculum propter duplicis hujus officiorum generis conſenſionem.

1. Nihil vulgatius eſt, nihilque facilius committitur, quam omiſſionis peccatum in officiis ſuis obeundis, ſeu illis, quæ ad religionem pertinent, ſeu illis, ad quæ ex profeſſionis, ſtatuſque noſtri ratione tenemur. Peccatum hoc facile committitur, neque enim in aliqua actione conſiſtit, ſed in omiſſione actionis illius, quæ dato tempore, loco, occaſione nobis facienda eſt. Ad hæc facillimum eſt propter multitudinem officiorum ſtatui noſtro inhærentium, quæ Deum, nos ipſos, proximumque reſpiciunt. Quam varia hæc ſunt officia! & niſi rebus in omnibus vigilans, attentuſque ſis, quam difficile eſt, ne aliquid tibi elabatur! 2. Oſtendendum eſt etiam, omiſſionem, gravemque negligentiam in officiis ſuis obeundis eſſe damnationis plurimorum cauſam: hoc enim illud eſt peccatum, quod negligentius ad examen vocatur, quod excuſatur facilius, quod reparare vix aduitimur, de quo infrequentius ad ſacrum pœnitentiæ tribunal nos accuſamus, & de quo nihilominus Deus diſtrictiſſimam rationem eſt a nobis expetiturus. IX.

1. Bonus mundi hujus ordo in hoc totus eſt, quod ſinguli ad ungoem ſuis perfungantur officiis, X.
non ſecus, ac e contra mala omnia, quæ in ſtatibus, & conditionibus omnibus videntur, vel ex eorum contemptu, vel ex negligentia, qua obeuntur, liquet proficiſci. 2. Qui vel ipſi hæc non obeunt, vel minime curant, ut ab illis, qui ſibi parent, obeantur, quodcumque alioquin perficiant, tamquam viri boni, verique Chriſtiani haberi non poſſunt.

Cum vera prudentia in hoc poſita ſit, ut media omnia ordinentur ad finem, chriſtiana prudentia in hoc ſita eſt, ut omnes regantur actiones, & officia, quæ media ſunt nobis propoſita, ut ad ſummam felicitatem, finem videlicet noſtrum, perveniamus. XI.

1. Quia

Digitized by Google

1. Quia Deus illuc non omnes eadem deducit via; illa autem, per quam nos Deus deducere vult in ſtatu, quem ſumus amplexi, eſt munera, quæ ejuſdem ſunt propria, diligenter obire. Porro in hac munerum, & occupationum viciſſitudine, & impedimento, niſi ordinentur, & ſingulis proprium tempus tribuatur, neque conſtitutus ordo, & regula adamuſſim ſervetur, quomodonam officio noſtro perſungi licebit? 2. Quia quodcumque faciemus, quod ſtatui noſtro conforme non ſit, neque juxta regulam ſemel a nobis cum omnibus præcautionibus, exceptionibuſque neceſſariis conſtitutam, ad finem hunc nobis erit inutile, nihilque proderit nobis. 3. Quia ſine hac regula, quam quamdam veluti legem nobis irrogare debemus, inconſtantia, & naturalis levitas noſtra efficiet, ut quotidie vivendi rationem immutemus, & quamprimum obliviſcamur & finis, quo contendimus, & mediorum, per quæ ad illum perveniamus.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſita Concionum ſyſtemata exornanda.

Sancti Patres.

S. Auguſtinus librum edidit de ordine; & reor hunc unum fuiſſe, qui argumentum hoc pertractaverit, vel ſaltem, qui fuſius de eodem verba fecerit.

Idem *Epiſt. 40. ad Licentium* oſtendit ordinem in moribus eſſe potius, quam verbis.

S. Bernardus *in ſerm. parv. num. 16.* oſtendit, per ordinem rebus in omnibus pacem, & concordiam firmari.

S. Bonaventura *lib. de ſex. alis Seraph. c. 6.* peculiariter loquitur de ordine, quem quilibet ſibi præſcribere debet, ac diligenter in actionibus ſuis obſervare; addit tamen interrumpi poſſe, ut rebus aliis majoris momenti, ac neceſſitatis vacetur.

Hi ferme illi ſunt, quos invenire potui, qui de ordine, diligentia, & regularitate in actionibus ſervanda locuti fuerint. Non deſunt tamen loci alii, ubi iidem, aliique nonnulli patres verba fecerint de fidelitate in minimis rebus adhibenda; quorum nomina allata ſunt a nobis in hoc titulo, qui a præſenti non admodum abludit, ideoque repeti poſſunt.

S. Auguſtinus *Epiſt. 108. ad Seleucianı.*

S. Chryſoſtomus *Homil. 87. in Matth.*

S. Baſilius *ſerm. de renunciat. ſæculi, & de ſpiritu perfectionis.*

Caſſianus *Coll. 6. Abbat. Theod.*

S. Leo *in extrema Epiſt. 80. ad Nicetam, & Epiſtol. 54. ad Marcian. Auguſt.*

S. Bernardus *de ordine vitæ, & morum Inſtit.*

Alii auctores. qui de ſumma in minimis rebus diligentia ſcripſere, peti poſſunt ex titulo de fidelitate in rebus parvis.

Aſcetici qui de regularitate, ac diligentia locuti ſunt.

P. Suffren tom. 1. Anni chriſtiani cap. 5 pro regula, ac ratione omnia bene faciendi, hanc tradit, omnia videlicet tempore ſuo peragere.

P. Cauſſinus lib. 3. Aulæ ſanctæ ſect. 33. agit de praxi actionum quotidianarum, ut chriſtiana vita ducatur.

Id in fuſius de hoc egit argumento in libello, cui titulus: *Dies chriſtiana.*

Cambolas, in libro, cui titulus: *Exemplar vitæ chriſtianæ*, docet in omnibus domeſticis actionibus ordinem eſſe conſtituendum.

P. Corderius tomo ſecundo Familiæ ſanctæ cap. 1. oſtendit ordinis præſtantiam, eumque in familiis omnibus eſſe conſtituendum.

P. Poire in libro, cui titulus: *Scientia ſanctorum cap. 8.* ubi de ordinato ſpiritu loquitur.

P. Haineuve tom. 3. de Ordine ſerm. 10. ſect. 1. loquitur de ordine diurnarum horarum pro actionibus ex regula efficiendis.

Eſſais de morale tom. 1. tract. de ſubmiſſione voluntati Dei cap. 7. ubi oſtenditur, exteriores actiones eſſe dirigendas, atque illinc ſpiritus æqualitatem proficiſci.

P. Nepveu tom. 3. Chriſtianarum conſiderationum pro omnibus anni diebus, die nona menſis Auguſti loquitur de modo chriſtianum diem diſtribuendi.

Concionatores.

P. Sandret in libro, qui inſcribitur: *Regimen familiarum*, docet intereſſe domum ſancte dirigere, & in primo, noviſſimoque libri capite generales aliquot regulas tribuit ad eam bene regendam.

P. Delingendes in ſermonibus Gallicis ſermone pro feria tertia poſt paſſionis Dominicam ſermonem habet de diurnarum horarum ordine, ubi nihil prætermittit, quod huic inſervire poſſit argumento.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta tom. 3. argumentorum particularium integrum ſermonem habet de vita ordinata.

Qui collectanea hujus argumenti ediderit, reperi neminem.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Corroboratus eſt Joatham, eo quod direxiſſet vias ſuas coram Domino. 2. Paralip. cap. 27.

Tempus faciendi Domine: diſſipaverunt legem tuam. Pſalm. 118.

Antequam vadam ad terram miſeriæ, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Jobi 10.

Cuſtodi legem atque conſilium: & erit vita animæ tuæ. Proverb. 3.

In omnibus operibus tuis præcellens eſto. Exech. 33.

Non defrauderis a die bono, & particula boni doni non te prætereat. Eccli. 14.

Sine judicio nihil facias grave. Eccli. 33.

Sapiens cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur. Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur..... Et Dominus diriget conſilium ejus, & diſciplinam. Eccli. 39.

Omni negotio tempus eſt, & opportunitas. Eccle. 8.

Vir prudens dirigit greſſus ſuos. Proverb. 15.

Dirige viam tuam, & ſpera in illum. Eccli. 2.

In omnibus deprecare Altiſſimum, ut dirigat in veritate viam tuam. Eccli. 37.

Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile. Ibidem.

Suſcitavi eum ad juſtitiam, & omnes vias ejus dirigam. Iſaiæ 45.

Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui inſidioſe agit, ſcandalizabitur in ea. Eccli. 32.

Ordinavit in me charitatem. Cant. 2.

Omnia tempus habent. Eccle. 3.

Si non in timore Dei tenueris te inſtanter, cito ſubvertetur domus tua. Eccli. 27.

Non oderis laborioſa opera. Eccli. 7.

Quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt. Ad Rom. 13.

Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant. 1. ad Corinth. 14.

Quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia. Ad Galat. 6.

Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt: propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei. Ad Epheſ. 5.

Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior. 1. ad Tim. 5.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Ad Roman. 8.

Ut abundetis magis, & negotium veſtrum agatis. 1. ad Theſſal. 4.

Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Sapient. 10.

Quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Joan. 8.

Vete-

Veteris, Novique Teſtamenti exempla.

Cur Deus hominem creans ordinem ſervaverit, neque omnia ſimul creare voluerit.

QUidam Sancti Patres proponunt quæſtionem, quæ apta mihi videtur ad oſtendendum, velle Deum, omnes actiones noſtras cum ordine fieri, nobiſque a nobis pro toto vitæ ſpatio quamdam vitæ normam præſcribi. Quærunt, cur Deus univerſum hunc orbem, omneſque partes ejus creans, cum totum immenſum hoc opus repente producere poſſet, ac omnem perfectionem momento eidem tribuere, plures inſumpſerit dies, antequam illum in eum, quem videmus, ſtatum adduceret. Hoc intervallum, & hæc temporis mora nequaquam profecta eſt, vel ex opificis impotentia, vel ex operis reſiſtentia; quoniam omnia dicto paruerunt, nihilque illius reſtitit voluntati. Neque dici poteſt, illum re adhuc integra non ſatis bene omnia prævidiſſe, vel non ſatis operis ipſius ideam animo digeſſiſſe, ita ut operi extremam ſubinde manum admovere debuerit, uti Pictoribus, atque Architectis mos eſt: ſed non poterat Deus poſtrema die doctior eſſe, quam prima, neque detegere operis ſui defectus, quos nondum re incæpta præviderat. Inter alias rationes, quæ a Sanctis Patribus afferuntur, facti, quod videri poſſet abnorme, hæc ad rem noſtram pertinet: videlicet, quod cum illius potentiam imitari nequeamus ſimilia producentes opera, ſaltem imitemur illum opera noſtra cum ordine efficientes, ita ut quælibet dies, & hora ordinatam habeat occupationem ſuam, poſtquam prudenter conſtituta fuerit vitæ ratio a nobis ſervanda, ut ad eum, quo contendimus, finem perveniamus.

Deus in lege veteri omnia ex ordine fieri voluit.

In legis antiquæ libris, Levitico, atque Deuteronomio legimus, voluiſſe Deum, a populo omnia ex ordine fieri; leges, diviſiones, munera, officia, præſertim vero quidquid ad cultum, locum, tempus, apparatum, omneſque cæremonias attinebat. Quamobrem omni tempore præcepit Deus, ut in omnibus mortalium actionibus, non ſecus, ac in ſuis ordo ſervaretur; quo deficiente, nihil eſt, niſi confuſio, ac tumultus in familiis, in vitæ noſtræ ratione, in moribus, totoque vitæ decurſu.

Ordo, ac regimen a Salomone domi ſuæ conſtitutus a Regina Saba ſumme admiratum.

Donec Salomon divino ſpiritu regi ſe paſſus eſt, jure Sapientis nomen ſibi promeruit; etenim tempus ſuum ita bene diſtribuebat, ut omnia ex ordine, & cum admirabili prudentia perficeret; ita illuminatus erat, ut lucem rebus afferret omnibus, ſecretiſſimas quaſlibet ambages extricabat, ac detegebat, abditiſſima revelabat myſteria, & impeditiſſima expediebat negotia: verum adeo mirabilis ordo in multitudine præfectorum, miniſtrorumque ejus ita elucebat, ut perſonæ ipſius regimen late ſeſe ad illos omnes extenderet, qui eidem inſerviebant, eo uſque ut Regina Saba ſapientiæ ejuſdem rumore illecta Jeroſolymam verſus iter ſusceperit propriis oculis viſura ea, quæ de tanti Regis ſapientia remotiſſimis etiam in terrarum plagis nunciabatur. Commode hæc ſuæ ſatisfecit curioſitati; de omnibus Sapientis hujus Principis operibus, prudentibuſque inſtitutis erudiri voluit; ſed tunc maxime admirata, & quodammodo extra ſe rapta fuit, ubi vidit præclarum ordinem, atque regulas omni ſapientia refertiſſimas, quas ille domi ſuæ conſtituerat, & exclamavit, omnia ſibi magis pulchra, & admirabilia videri, quam quæ ſibi fama nuntiaverat, & ea, quæ videbat, longe præſtare iis omnibus, quæ audiverat.

Exemplum mulieris fortis, cujus hypotypoſis in Proverbiis habemus.

Mulier fortis, de qua Spiritus ſanctus loquitur in Proverbiis, perfectum eſt exemplum ejus diligentiæ, ac regularitatis, qua ejuſdem ſexus, ac dignitatis perſonæ muneribus ſuis debeant perfungi. Quin rem negligaret domeſticam, quod pleriſque in more eſt, oculos ſemper intentos habuit, ut domus ſuæ neceſſitatibus perſpectis proſpiceret. Summa cura famulorum, ancillarumque ſuarum, & victui conſulit, & indumentis: diligentius perquirit, quidquid domi ſuæ agatur, ut ex ordine omnia fiant, atque ut omnis prohibeatur tumultus. Oeconomiæ ſtudet, etiam ut habeat unde pauperum, miſerorumque conſulat neceſſitati. Præſertim vero numquam otioſa eſt, & ubi majoris momenti deſunt negotia, vacat operibus manuum ſuarum, columque attrectat, & turbinem. Hæc pars eſt characteris, quem Sapiens proponit, prudentis, fortiſque mulieris, quam magis ob vigilantiam, diligentiam, & curam, qua ſuum obit munus, laudibus celebrat, quam ob virtutem, dignitatem, atque divitias.

Exemplum filii Dei in Patris ſui mandatis exequendis.

Dubitari non poteſt, quominus quidquid faciendum erat Dei filio, ubi humanam induiſſet carnem, conſtitutum fuerit ab æterno Patre, eaque ſingillatim ad minimam uſque actionem fuerint præſignata: verum etiam nequu dubitandum eſt, quominus ille ad unguem, ſummaque officii ſui fide adimpleverit ſingula, quin tempus eorum præverteret, vel in aliqua circumſtantia deficeret. Hac de cauſa matri ſuæ, Deiparæ Virgini petenti, ut ſua uti vellet poteſtate in nuptiis Cana in convivarum gratiam, reſpondit, tempus ſe ipſum per miraculoſa facta oſtendendi nondum adveniſſe: *Nondum venit hora mea*. Joan. 2.

Exemplum B. Virg.

Omnes glorioſæ Virginis actiones Deo ſummopere jucundæ extiterunt, & conſtat, ipſam inde incomprehenſibilem meritorum ſibi adeptam fuiſſe theſaurum. Verum cum, quod extrinſecus viſum eſt, non admodum inſigne, atque præclarum extiterit, & illa latentem vitam, unique Deo cognitam vixerit, inferendum eſt ipſius fidelitatem; qua cœli gratiis reſpondit, diligentiam, qua ſuis muneribus perfuncta eſt, omneſque glorificandi Deum occaſiones conquiſivit; verbo, regularitatem vitæ privatæ in Dei ſervitio tranſactæ fuiſſe principium, atque cauſam infiniti hujus meritorum acervi.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Regularitas in muneribus ſuis obeundis, rectiſſima, ac tutiſſima ad ſalutem via eſt.

JUſtum deduxit Dominus per vias rectas. Sap. 10. Audacter dici poteſt, rectam hanc, tutamque viam, qua deduxit Deus juſtos ad ſtatus ipſorum perfectionem, & mox ad regni cœleſtis poſſeſſionem, eſſe regularitatem, & diligentiam in obeundis officiis ſtatus ſui in eo vitæ genere, & quo Providentia illos naſci voluit, vel eo in gradu, in quo illos conſtituit. Præclare factorum, & gloriæ Domini procurandæ occaſiones raro incidunt, neque Deus omnibus hominibus ea munera tribuit, ubi inſigni aliquo facinore virtus eorum præ ceteris valeat eniteſcere, ſed in noſtra ſitum eſt poteſtate, non ſine gratiæ, quæ nemini deeſt, ſubſidio diligentes eſſe, ſeduloſque in adimplendis ejus ſtatus officiis, in quo nos ille conſtituit; & hoc illud eſt, quod a fideliſſimis famulis ſuis poteſt exigere. Hæc præterea tutior via eſt. Inania gloria, quæ plerumque nobis bonorum operum præripit merita, ibi non eſt metuenda, quemadmodum in magnis muneribus, ubi non alia ſæpe merces acquiritur, quam plauſus adulantium, quibus ſepti ſumus; neque periculum eſt, ut vertigine laboremus, ut illi, qui in eminenti aliquo gradu, & dignitatis apice fulgent. Hæc tandem facilior eſt ſalutis via, & ea, quam Deus omnibus ſtravit hominibus; etenim ab illis, ut ſalvi fiant, nil aliud expetit Deus, niſi quod ipſi ſibimet faciendum impoſuerunt, ſtatum ſuum amplexi, & a quo ſemet diſpenſare nequeunt, quin ſubeant odium, atque contemptum eorumdem hominum, non ſecus ac Dei, cujus mandata, & leges infringunt.

Omni negotio tempus eſt, & opportunitas: Eccl. 8. Hoc non tam proverbium eſt, quam Sancti ſpiritus oraculum, omnia ſuum tempus habere. Ita cum te tis obrutum ſenties negotiis, quæ catervatim ſeſe tibi offerent, neque ſpiritum ducere ſinent, ne feſtines temere illis expedire, atque quam primum ex illis emergere. Unicuique debitum tempus impende; ſed de eorum neceſſitate, atque ordine judicet ratio, non cupiditas, non aliena commendatio, vel ſpes alicujus utilitatis. Verum ut agas, quemadmodum Chriſtianum virum decet, ne temere illis abdas, ut oblivioni tradas maximum, quod habes negotium,

&

& quod ideo cæteris quibuſcumque præferendum eſt, ſcilicet ſalutis ſuæ. Quamobrem quodcomque accidat, ſtatum ſemper reſervandum eſt tempus, quo vaces orationi, pii alicujus libri lectioni, ac devotis exercitiis, in quibus Chriſtianus religioni ſibi vertere debet, ſi vel ſemel deficiat.

Conſtanter præſcriptum ſervato ordinem indicium eſt, non Dei ſpiritu regi.

Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. Ad Rom. 8. Quamquam hæc verba generatim de illis dicantur, qui ſumma officii fide motus Spiritus ſancti ſequuntur, non vereor tamen, quin peculiariter illis applicari poſſint, qui ſui ſtatus officia conſtanter, atque ex regula adimplent, & quin hi dici valeant veri filii Dei, ſemper imperiis ejuſdem ſubjecti, ac rebus in omnibus divinam voluntatem illius exequentes. Conſtat enim cæleſtis Patris voluntatem eſſe, quod ſeipſos ſanctificent eo in ſtatu, ad quem vocavit illos, & viam, qua ſe ipſos ſanctificare poſſunt, non aliam eſſe, quam ſumma ſedulitate, & cura omnia obire munera, quæ eidem inhærent. Itaque conſtans hæc, & regularis diligentia certiſſimum indicium eſt, Dei ſpiritum primum eſſe actionum noſtrarum principium. Ratio autem ex S. Auguſtino deſumitur aſſerente, Deum in omnibus operibus ſuis ordinem amare, atque hanc veluti ſibimet irrogaſſe legem illius ordinis, quem ſibi in natura, & gratia præſcripſit, conſtanter ſervandi; ita ut, addit ille, hic ordo nos deducat ad Deum; & citra illum ad Deum pervenire nequeamus, qui quidem finis eſt, qui jugiter ob oculos noſtros debet obverſari: *Ordo eſt, quem ſi tenuerimus, perducit ad Deum, & quem niſi tenuerimus, non pervenimus ad Deum.* Unde ſequitur, quemadmodum Dei ſpiritus nos ad hunc vitæ ſtatum evocavit, ita & hunc nos ad vitam adducere, ubi ad unguem omnia ejuſdem munera obimus.

Quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Joan. 8. Cum religioſe, atque conſtanter ſtatus noſtri adimplemus officia, omneſque actiones noſtras ex ordine, regulaque, vel a temporalibus ſuperioribus, vel ab illis, qui noſtram dirigunt conſcientiam, præſcripta facimus, certi ſumus nos rebus in omnibus exequi voluntatem Dei, atque hoc pacto participes fieri bonorum, quibus Religioſi fruuntur, qui certi ſunt, ſe Dei voluntatem ſemper exequi, cum obedientiam ſuperioribus ſuis præſtant, vel cum fideliter ſuas obſervant regulas; hic enim ordo, quem in tota vitæ noſtræ ratione retinemus, ſpecies eſt regulæ, quam ipſi ſuſcepimus, ut perfectius viveremus, & quæ ideo deſurſum eſt: *Quæcumque ordinata ſunt, a Deo ſunt*, ad Roman. 13. Hinc autem hoc bonum percipimus, quod, quin caſu, aut libidine, vel propria lumina, quæ efficerent, ut in ſingulos greſſus cæſpitaremus, & fortaſſe in præceps rueremus, ſecuri operemur, Deus ipſe fit dux noſter, quin ulla noſtrarum actionum ab ordine conſiliorum ejus abhorreat, ideoque ex neceſſaria illatione, quin illi perjuconda non ſit. Etenim, Domine, ſi diligenter tua ſequor imperia, ſi ad unguem ea omnia exequor, quæ cupis; verbo, ſi omnia, quæ jubes, adimpleo, quid ultra facere poſſum, ut tibi placeam?

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

Omnia quanto magis ordinata ſunt, tanto magis utique bona ſunt. Auguſt.

Pax omnium rerum tranquillitas ordinis. Idem, lib. 19. de Civit. cap. 13.

Ordo eſt, parium diſpariumque rerum ſua cuique diſtribuens diſpoſitio. Idem. Ibidem.

Non ordo rectus, aut ordo appellandus eſt omnino, ubi deterioribus meliora ſubjiciuntur. Idem, lib. 1. de liber. Arbitr, cap. 8.

Unuſquiſque paterfamilias, in domo ſua Eccleſiaſticum, & quodammodo Epiſcopale impleat officium. Idem, Tract. in Joannem.

Summo Deo cuncta adminiſtrante quæ fecit, nihil inordinatum in univerſo, nihilque injuſtum eſt, ſive ſcientibus, ſive neſcientibus nobis. Idem, lib. 83. Quæſt. Quæſt. 27.

Nihil eſt ordinatum, quod non ſit pulchrum, & ſicut ait Apoſtolus, omnis ordo a Deo eſt. Idem de vera Relig. cap. 41.

Omnia, quæ naturaliter ſunt in ordine ſuo, bona ſunt, & nemo in eis peccat, niſi qui ordinem ſuum, in Dei obedientia non cuſtodiens, eorum quoque ordinem male utendo perturbat. Idem, lib. contra Fauſt. cap. 8.

Ordo eſt, quem ſi tenuerimus in vita, perducit ad Deum, & quem niſi tenuerimus, non pervenimus ad Deum. Idem, lib. de Ordine.

In omni acta vitæ id cavere debemus, ne rationem nimius animi motus excludat, ſed teneamus conſilii locum. Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 22.

Cum ſolveris Authori debitum, licet ut opera tua in beneficentiam, & alimenta hominum conferas. Idem, ibidem, cap. 50.

Dum Deus ſucceſſive hunc mundum produxit, & perfecit, imitatores ſui nos eſſe voluit, ut primo faciamus aliqua, poſtea venuſtemus, ne dum utrumque adorimur, neutrum poſſimus explere. Idem, in Hexam. cap. 7.

Male ſe rectum putat, qui regulam ſummæ rectitudinis ignorat. Gregor. lib. 5. Moral. in Jobi 27.

Ordinata eſſe nequeunt, quæ ſuperni moderaminis diſpoſitionem perdunt. Idem, lib. 9. Moral. in Jobi 2.

Impar quiſque invenitur ad ſingula, dum confuſa mente dividitur in multa. Idem, 1. Paſtor. cap. 4.

Non ſolum media nocte Dominus, ſed omnibus prope docet vigilandum eſſe momentis. Ambroſ. lib. 7. in Lucam.

Quod in diebus malis eſt, quodammodo immutamus illud, & dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præſentis ſæculi, ſed futuri. Hieronym. in hæc Apoſtoli verba, *redimentes tempus.*

Omnia profecto natura confunderet, niſi mundum diſciplinæ ratio gubernaret. S. Valerius Homil. de bono diſcipl.

Diſtinguat (quiſque) ſpatia diei actibus ſuis, horarum aptiſſime momenta conſtituat; ordo vitæ confuſus agitur, ſi talis diſcretio ſub veritate neſcitur. Caſſiodorus, lib. 1. variar. Epiſtol. Epiſt. 46. nomine Regis Theodorici, ad Regem Burgundionum.

Nullus ordo quippiam recipit inordinatum, quod vero inordinatum eſt, ordo non eſt. Bernard., in Apolog. ad Guillelm. Abbat.

Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Idem, in 16. parvis Serm.

Si in humanis, & corporalibus rebus, ordo expedit ut ſervetur, ne confuſione deficiant, quanto magis in ſpiritualibus habendus eſt? Laurentius Juſtinian. de diſcipl. & perfect.

Ordo in operibus noſtris cogitate quam neceſſarius videatur, quandoquidem in ſermonibus noſtris etiam obſervandus proponitur. Richard. a ſancto Victor. in Pſalm.

Satis longa vita, & in maximarum rerum conſummationem large data eſt, ſi tota bene collocetur. Seneca, lib. de brevit. vitæ, cap. 1.

Palatium ſic Theodoſius ordinavit, ut haud alienum eſſet a Monaſterio. Socrates, Hiſt. lib. 6. cap. 22.

Singulos dies, ſingulas vitas puta. Seneca.

Cum ordinate & laboramus & comedimus, naturam vireſque noſtras & ſervamus & augemus; contra inordinate cum agimus, depravamus naturam, atque de ſuo ſtatu dimovemus. Ariſtotel. ſect. 19. Problem. 38.

Unam nobis regulam eligamus, per quam Deo grati, acceptique eſſe poſſimus. S. Ephrem. de vi Reg.

P A-

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum poſſit depromi.

Quid ſit regularitas, & vita ordinata.

Regularitas, ſive ordinata vita, eo in ſenſu, in quo iſtic a nobis accipitur, definiri poteſt diligentia, attentaque vigilantia, qua uniformem, & conſtantem, qui nobis præſcriptus fuit, vel quem ipſi nobis præſcripſimus pro omnibus omnium dierum actionibus, ordinem ſervamus, ut accuratius obeamus munera ſtatus illius, quem ſumus amplexi, & conditionis, & gradus, in quo nos providentia conſtituit. Hæc autem regularitas non tam peculiaris eſt virtus, quam praxis virtutum, quæ neceſſariæ ſunt, ut conſtanter urbanæ, & chriſtianæ vitæ muneribus perſungamur; temporis ordinem dumtaxat addit, cui noſmet ſubjicimus, & quem tamquam inviolabilem legem nobiſmet irrogamus, quæ quoad fieri poteſt, nobis ſit in toto vitæ noſtræ decurſu, regula, & norma.

Regula, quam ſervamus noſtra obeuntes officia, effectus eſt prudentiæ chriſtianæ.

Lex, & regula iſta, quam ipſi nobis præſcribimus in officiis obeundis, actionibuſque perficiendis ſervandam, effectus eſt prudentiæ prorſus chriſtianæ: cum enim prudentiæ ſit media ad finem ordinare, eumque finis, quem ob oculos habere debet fidelis, ſit ſalutem ſuam operari eo in ſtatu, ad quem illum evocavit Deus, votorum ſummam conſequi neqnit, niſi ſanctam, atque chriſtianam vitam traduxerit. Ut autem hoc pacto vivat, bonas actiones perficiat opus eſt; & actiones iſtæ neque moraliter bonæ, neque chriſtianæ eſſe poſſunt, niſi ex ordine fiant; & ordo hic eſſe debet conformis legi ſeu naturali, ſeu divinæ, ſeu humanæ, quam legitima poteſtas irrogavit. Hinc fit, quod quemadmodum actio commendabilis eſſe non poteſt ſine bono fine, ita neque eſſe poſſit, niſi fiat ex ordine, & regula, quæ nobis præſcripta eſt. Chriſtianæ igitur intereſt prudentiæ ita vitæ regulam præſcribere.

Cum vita, quam vulgo hominum plerique ducunt, non ſemper ſit uniformis, neque ſemper in uno ſtatu, certoque munere traducatur, ſed juxta ætatem, eventus, & varia conſilia mutetur, non poteſt illis eadem vitæ ratio præſcribi, quæ permaneat, & quam illi ſemper obſervent: cum enim per varios ſtatus varia ſint etiam officia, conſtans hæc uniformitas, quæ exigitur, obſervari non poteſt. Attamen ſupponendum quoque eſt tamquam principium, ſtatum in ſingulos dies non mutari; ideoque donec præſens ſtatus, ubi ſumus, vigebit, ut in eo chriſtiane vivamus, officia, & actiones noſtras huic ſtatui conformare debemus, diſponentes tempus, locum, & ordinem, quem ſingula poſcunt, ut ea omnia præſtemus, quæ Deo, quæ proximo, quæ nobiſmet ipſis debemus. Ideoque unum diſponentes diem, reliquos etiam diſponimus, & quamvis hujus diei actiones non unius ſint naturæ, eum ordinaræ ſive per tempus ipſis conſtitutum, non aliud ſunt, quam variæ partes ejuſdem muneris, quod per illud tempus adimpletur.

Actiones qualibet vitæ die regendæ.

Tria ſunt actionum genera vitam noſtram componentium. Primæ ſunt, quæ ad Dei cultum pertinent, hujuſmodi ſunt, oratio, uſus ſacramentorum, pietatis exercitia. In his hæc ſervanda eſt regula, ut nunquam ab illis ceſſemus, niſi aliter neceſſitas jubeat, vel charitas, cujus exercitium ſemper prima nobis regola eſſe debet. Secundæ ad noſtra referuntur negotia, & officia ſtatui, & conditioni noſtræ adhærentia: ubi ratio, & lex naturalis præſcribit, ut ſemper ea, quæ obligationis ſunt, illis anteferamus, quæ ſunt ſupererogationis, quantumvis ea perfectiora nobis videantur; & prohibet, ne noſmet illis impediamus, quæ enim ſalutis noſtræ negotio ſimul eſſe non poſſunt, vel quæ nos ab eodem divellunt. Tertium genus actionum, quæ a nobis regendæ ſunt, illæ ſunt, quæ ad animi noſtri remiſſionem pertinent; etenim per intervalla ſubinde aliquo ſolatio indigemus; quod moderate capiendum eſt pharmaci inſtar, quod non niſi neceſſitate jubente epotamus.

Diſtribuendum præſertim eſt tempus in qualibet actione inſumendum.

Ad actionum noſtrarum tempus diſtribuendum notandum ſedulo eſt, quantum temporis ſpatium in illis inſumendum eſt, & quo tempore faciendæ ſunt: cumque coram Deum perſpexerimus, quid nobis ſtatus, conditio, vires, valetudo, officiaque noſtra, ad quæ ex neceſſitate tenemur, nobis permittunt, præſertim vero cum illos conſuluerimus, a quibus regimur, & qui apud nos Dei locum obtinent, nobiſmet ipſis imponere debemus diurnarum horarum ordinem, ita ut ſingulis actionibus ſuum conſtet tempus, atque diuturnitas. Hoc pacto ſingula ex ordine fient, & evitabitur tædium, atque confuſio, quæ ut plurimum otium gignunt.

Pro viribus præſcriptus ordo ſervandus eſt.

Cum aliquem nobis conſulto præſcripſimus ordinem, illi adeo conſtanter adhærere debemus, ut neque per ignaviam, neque per infidelitatem, neque per animi levitatem, aut faſtidium, quo nonnumquam illud ipſum ſemper facientes afficimur, ab eo recedamus, aut avelli patiamur. Verum non ideo tamen ſervili modo huic noſmet ſubjicere debemus, neque religioni vertere, ſi ordinem hunc immutemus, ubi ratio, vel neceſſitas, vel charitas jubeant.

Cum poſtquam in ordinem ea omnia digeſſimus, ad quæ nobis eſt incumbendum, nec non tempus ipſum ad eadem exequenda neceſſarium, accidere poteſt etiam, ea a nobis perperam fieri, vel quia modum illa rite faciendi ignoramus, vel quia non ita ſedulam curam impendimus, vel quia non uti opus eſt inſtituto ordini inhæremus. Ratio igitur, qua hæc efficienda ſunt, uti hominem chriſtianum decet, ad duo redigitur, ad methodum videlicet ibi ſervandam, & ad internum animi ſenſum, quo facta animanda ſunt. Quod ad methodum ſpectat, operæ pretium eſt, quantum fieri poteſt, hanc nobis pro pietatis actionibus præſertim, ſacramentorum uſu, oratione &c. conſtituere. Neque enim omnibus convenit methodus, quæ conformis eſſe debet ætati, temperamento, conditioni, muneri, diſpoſitionibus, & peculiari ſingulorum ſtudio; quod cum immutari poſſit, nullum periculum eſt ex ſapientis directoris conſilio methodum immutare. Interior autem ſpiritus, qui omnes actiones noſtras comitari debet, in pura, ſanctaque intentione conſiſtit. De hac ſuo loco dictum eſt, neque neceſſe eſt iſtic aliquid eorum, quæ dicta fuerunt, repetere, præterquam quod inde fieri poteſt integri ſermonis argumentum.

Quam nobis afferat utilitatem omnium actionum noſtrarum regimen, & ordo.

Satis exprimi nequeunt bona, & utilitates ad ſalutem, atque chriſtianam vitam ducendam, quæ ex hac ſancta conſuetudine omnes actiones ſuas ita dirigendi proficiſcuntur. Hæc autem præcipua ſunt, quæ latius amplificari poterunt, atque proferri in hujus argumenti concione; ea autem ſatis erit mihi indigitaſſe. Potior evitatur pars defectuum, qui in munera, actioneſque noſtras obrepere conſueverunt; puta, negligentia, per quam ſæpe omittimus illa, quæ facere jubemur, uti etiam feſtinatio, per quam eadem imperfecte operamur. Etenim ſine hoc ordine bene inſtituto, tempus nos fallit, & dimidiatas tantummodo actiones, eaſque ut plurimum peſſime facimus. Evitatur nauſea, atque faſtidium, quod ex nimia uniformitate ſuboriri poſſet; etenim per hunc ordinem de una in aliam migramus actionem, ab oratione ad laborem, a corporis, mentiſve labore ad aliam occupationem, qua minus fatigamur; & hoc pacto labitur tempus, Evitatur otium malorum omnium origo: etenim hic ordo nullum temporis ſpatium vacuum relinquit, ac tota dies occupata eſt. Non ex ingenio, neque ex libidine agitur, quod accidit illis, quibus nullum ordinatum negotium eſt, qui plerumque temporis totius jacturam patiuntur. Medemur inconſtantiæ, ac levitati ingenii noſtri, quod difficile ſibi vim infert, niſi teneatur, & cogatur quodammodo ex quodam ſibi præſcripto jure operari. Propriæ abrenunciamus voluntati, ac ſemper divinam exequimur, omnis enim ordo, teſte Apoſtolo, ab eodem proficiſcitur; & hoc pacto in partem accedimus bonorum, quibus religioſi fruuntur eorum ritu ordinatam vitam ducentes. Hic tandem ordo cauſa eſt, & origo pacis, & tranquilli-

quillitatis cum interioris animæ, tum exterioris familiæ tutius, quæ optime inſtituta eſt: quilibet enim ſuo perſungitur munere, omnia ordinem ſervant, nihil nos turbat, nihil ſullicitat, nihil negotium faceſſit. Hæc ſunt præcipua bona, quæ ex ſapienti umnium actionum noſtrarum regimine emanaut.

Ordo in negotiis, & actionibus tranſigendis conſtituendus quoad tempus.

Ordo poſcit, ne omnia ſimul, eodemque tempore fiant, ſed ſucceſſive: ita ut, cum aliquid inceptum eſt eo modu, quo decet, & qui præſcriptus ſuit, illud perſequi, immo & perficere neceſſe ſit, non autem cum aliis confundere, vel imperfectum relinquere, dummodo aliquo majoris momenti negotio interrumpendum nun ſit. Sin autem opus, cui vacamus, diuturni temporis eſt, atque nonniſi per intervalla faciendum, ubi elapſa ſuerit hora labori huic deſtinata, relinquendum eſt, niſi omnino ſit neceſſarium opus producere; & meminiſſe oportet, quod Salvator ait, cuilibet diei eſſe debere ſtatas horas, ordinataſque occupationes, quiu inquieta prævertantur feſtinatione, qua umnia ſus deque miſceantur, ac perturbentur. Hae iu re ſupponendum eſt ſemper, ubi dicimus, ordinem & regulam ia omnibus actionibus eſſe ſtatuendam, intelligi de iis, quæ vulgo fiunt, quio nobis non ſerendum jugum injiciamus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſcetieie, naperiſqae Concionatoribas loci bajas Argamenti.

Omnia ordinata eſſe debent in familia, quemadmodum omnia ordinata ſunt in domo Dei.

SAtis eſſet dicere ordinem eſſe veluti œconomum in domo Dei, ut inde liqueat, ipſum omnibus in familiis eſſe oceeſſarium; nulla enim inter homines eſt ſamilia, quæ eſſe non debeat compendium veluti quoddam, & imago magnæ hujus dumus, ubi omnia ordinata ſunt, & ubi mirabilis ordo, quem ibi intuemur, liquido perſuadet omnia ſumma intelligendi vi gubernari. Quemadmodum autem in mageo hoc orbe nihil inordinatum eſt, ſed omnia admirabili conſenſu ita diſpoſita ſuut, ut ſuum quæque locum, ordinem, & graduni teneant, quin aliquid ordinatius fingi poſſit; & nou cœli ſulum, ſydera, elementa, quæ ſumma ſunt rerum omnium capita, cum habeant locum, qui naturam ſuam maxime decet, ſed arborum etiam folia a ſupremo mundi opifice ea arte, quam ſatis admirari nun poſſumus, ſint diſtributa: atque ut omuia verbo complectar, perfectum urdinem ſervent: homines hoc ipſum facere decet in ſamiliis ſuis, ubi omuia ordinata eſſe debent, tempus, negotia, perſunæ, & præſertim actiunes, quarum ſingulæ temporibus ſuis ſuat faciendæ, ut Sapiens *Eccle.* 8. ait: *Omni negotio tempus eſt & opportanitas. Auctor ſermonum ta omaia Ethicæ chriſtianæ argumeata.*

Homo ſibimet vitæ regulam præſcribens ingenii ſui inconſtantiæ medetur.

Prima, ac potiſſima utilitas, quæ ex urdinata vita percipitur, eſt mederi levitati, atque mobilitati ingenii noſtri, quud quidem non minimum eſt obſtaculum, quod in Dei ſervitio, & virtutis exercitatione inveniatur. Eſto quidem a puero initium ducas, niſi temet ſubjicis alicui formæ vivendi, & regulæ, quam conſtanter ſequaris, nihil tutum, nihilque uniforme erit in vitæ tuæ ratione; hodie quidem præclarum aliquod facinus aggredi velles, cras redibit illiua deſerendi voluntas, ut alteri vaces, quadam die plurimum boni conaberis, alia die parum, alia item nihil. Pro temporum, ætatumque varietate vivendi normam, & praxim immurabit, atque habitus ex mera libidine bonum hoc pro alio quovis murandi, illud ad tempus intermittendi, ac poſtmodum recipiendi; habitus hic, inquam, efficiet, ut quam primum omnino illud relinquas. Hac de cauſa inter optima conſilia, quæ ſuggeri poſſunt hominibus Dei ſpiritu afflatis, & qui recte vivendi rationem inire contendunt, illud fortaſſe principem obtinet locum; quod ſe ſe in pietate confirment ſibimet vivendi regulam proponentes, cui ut plurimum hæreant, & io qua ſingulis actionibus locum, tempuſque conſtituant, illiſque dicendum eſt, fore, ut ſi hoc pacto ſingula in ordinem diſpoſuerint, nun deſit umquam tempus, quo ſtatus ſui, ac religionis officiis rite perſungantur, neque preces ſuo tempore effuſæ rei ſamiliaris curam, ac negotiorum ſuorum diligentiam prohibeant, pro certo denique illis habendum, hanc ſolidiſſimam eſſe devotionem, ac optimam vivendi, ut veros fideles decet, rationem. *Idem.*

Non omne tempus omnibus actionibus aptum eſt, ſed quæque ſingulis idoneum tempus aliquando eſt.

Liquido conſtat non omnia quolibet tempore licere fieri; bonum ipſum, quod aliquis facere conatur, inanem eſſe prætextum, ut quivis hoc pacto ſtudiis ſuis, ſuæque voluntati faciat ſatis, quamobrem illud jam ultra bonum non eſt. Idcirco Sapiens ait, omnia ſuum habere tempus: *Tempas naſcendi, & tempas moriendi, tempus plantandi, & tempas evellendi, qaod plantatum eſt, tempas occidendi, & tempas ſanaadi, tempus deſtruendi, & tempus ædificandi* &c. Eccle. 3. Hinc oritur, hunc inſignis prudentiæ effectum eſſe tempus ſuum apte ordinare, ac illud iis rebus impendere, quæ ſunt in ordine ufficiurum noſtrorum: e contra vero nihil majorem indigitat imprudentiam, ac inordinatam agendi rationem, quam omnia facere intempeſtive, ut illi, qui tempus orationi deſtinatum præripiunt, ut labori, & negotiis vacent, laboris vero, ac negotiorum tempus in ſomnum, atque ſolatia tranſmittunt. Nec deſunt, qui diem in noctem, ac viciſſim commutant, & alii, in quorum vita omnia inordinata videntur, qui a communi recedunt via, ut aliam ſibi vivendi normam conſtituant prorſus oppoſitam illi, quam Deus ipſorum conditioni irrogavit. De hae autem ordinis perturbatione, quid dicendum, aut quid cogitandum eſt? Hominis ſapientia, facet Textus ait, in hoc poſita eſt quod vias Domini ſuper ipſum agnoſcat: *Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam.* Prov. 14. ſed ubi invertitur ordo, ac tempus, quod ratio, vel Dei lex nobis præſcribit, jam nihil aliud eſt, quam mera libido, atque confuſio. *Idem.*

Actiones ſuas ordinare certa eſt bene operandi via.

Quemadmodum Chriſtiani perfectio in hoc poſita eſt, non ſolum ut bonum operemur, ſed ut bene bonum ipſum efficiamus, quam maxime intereſt, actiones noſtras, ſaltem vero præcipuas cum ordine efficere: alioquin cum nihil conſilii captum fuit, nulla inſtituta regula, ſorti acceptum referendum eſt, ſi quid e voto ceſſerit. Feſtinatio, ac præceps agendi ratio omnia confundit, atque corrumpit; caſus inopinatus cauſa eſt, propter quam certum inire conſilium minime liceat, cumque nullam bene agendi conſuetudinem habeamus, hinc fit, quod nihil boni perficere valeamus. Hoc magis innuere voluit Legislator, cum monuit, na quis ſatis eſſe putaret bonum facere, ſed etiam animum appelleret, ut illud faceret bene, atque cum omni ea perfectione, quæ in nobis eſſe poteſt maxima: *Juſte quod juſtum eſt perſequaris.* Deut. 16. Noſtia autem alicujus rei bonum, & perfectionem juxta tritum illud Ethicorum axioma, conſiſtere in congerie circumſtantiarum, quibus urnatum eſſe debet; ac ſatis eſſe, ut vel una deſit ad hoc, ut non bona, vel etiam mala fiat. Satis eſſe aliquid intempeſtive fieri, ut perperam factum putetur, ſatis eſſe vel intentionis defectum, ut corrumpatur, vel attentionis, ut dedeceat; cum e contra ubi maturato conſultum fuit, ubi regula conſtituta, inſtitutuſque ordo, fit habitus omnia bene faciendi, & eo modo, quo fieri oportet. Neque dixeris fieri non poſſe, ut omnes vitæ actiones hac arte inſtituantur; quoniam vix prævideri poſſunt, neque proſpicere licet eventibus, qui earum curſum interrumpunt, atque optime inſtitutum ordinem evertunt: etenim ſaltem facile eſt diem unum ordinare, cumque dies quælibet ſit imago quædam, atque totius vitæ compendium, dies altera erit alterius norma uſque ad ſtatus, & conditionis mutationem, ubi ſimilis inſtituetur ordo, ut vitæ totius regula fiat. Hunc autem modum eſſe dico actiones omnes bene faciendi, ita enim ex ordine fiont; vitam noſtram regularem efficiendi, atque dies omnes plenos dies reddendi, ut loquitur Scriptura, & nullam ex actionibus noſtris amittendi. *Idem.*

Patet,

Plurima requirunt vis & virtus, ut in eo ſtatu, quem ſummo amplexi ordinata, & uniformis vita ducatur.

Patet, regularem in Dei cultu vitam ſecundam ſtatum, quem quiſque amplexus eſt, non minorem vim, atque conſtantiam requirere, quam quæ in magnis rebus gerendis, jugibuſque laboribus opus eſt, pro Domini gloria ſuſcepria. Quotidie enim videmus homines, qui annos integrus in aſſiduis laboribus traducentes ordinatæ ſe ſe vitæ ſubjicere nequeaat propter eam cauſam, quam S. Hieronymus affert, quod videlicet ſolertia in exercitatione virtutum, quæ cujuslibet ſtatus ſunt propriæ, aihil habet, quod earum leniat laborem, qui uni tantum Deo perſpectus eſt: cum interim in actionibus inſignibus aoa deeſt umquam aliquis gloriolæ niror, qui ad nos referatur. Laborum noſtrorum felix eventus lenimentum eſt difficulratum, quæ illos concumitantur, ac gloria noſtra cum Dei gluria permixta efficit, ut impenſius eos confectemur. Quamobrem cum communis, ſed regularis vita nihil habeat, quod in ſe aliorum ocalos convertat, & cieat admirarionem, atque in ſemet omnem aitorem ſuum contineat, nonniſi conſtantis fidelitatis, nec non parum communis diligentiæ in muneribus ſuis adimplendis eſſe poteſt effectus. Hæc autem diligentia nequaquam oritur ex perfunctorio fervore, qui aliquandu noa ingenii minus, quam virtutis effectus eſt; ſed ex principio conſtanti, quod eadem ſemper vi operatur, eamdemque ſemper efficit impreſſionem: ita ut ſi moram ſcientia hanc veluti primam perfectæ virtutis conditionem requirit, ut conſtaater agatur, quin ceſſetur uſpiam, & ab ea recedatur, ullum ne certius haberi poteſt indicium, aliquem ſolida virtute eſſe præditum, atque ſtataa ſui perfectiunem adeptum eſſe, quam cum illam ſedulo omuia illius munera obrantem intuemur? *Idem*.

Hæc diligentia, & regularitate meritorum theſaurum acquirimus

Hæc regularis vita, quantamvis communis, Deo ſummopere accepta eſt, neque per haac minus meritorum acquiritur, quam per labores vitæ inſignioris propter rationem. quam ſuperius attulimus. Inde vero ſequitur, hanc non ſulum rectam, tutamque eſſe viam, per quam Deus quamplurimos deducit fideles; ſed quin ullam adhibeamus exaggeratiunem dicere poſſumus, ex hac diligentia judicium ſerendum eſſe de virtute illorum, qui peculiarem in mundu pietatem profiteutur: & alia quælibet indicia, quæ haberi poſſunt, æquivoca eſſe, atque illuſiuni patere. Cum enim ſedula nmnium ufficiorum ſuorum obſervantia moleſta ſit, atque naturæ ſtudiis oppoſita, nun aliud habere poteſt principium, quam fortem, iateriorem que virtutis habitum, qui conſequenter divinæ majeſtati acceptus eſt, atque ſons inexhauſtus meritorum, ac theſaurus, ex quo in ſingula momenta petere poteſt, unde pro cœleſti patria theſaurizent: etenim quin recentibus laboribus quis exerceatur, & quin aliquid aliud faciat præter ea, quæ ejuſdem profeſſionis homines faciunt, infinita merita poteſt acquirere. *Idem*.

Sine hac vitæ regula difficile eſt ut chriſtianum hominem decet vitam traducere.

Supponendum eſt ad hoc, ut chriſtiana vita ducatur, actiunes umnes ufferendas eſſe Deo, & ſecandum Apoſtuli conſilium, in iis omnibus, quæ fiunt, Dei gloriam eſſe quærendam. Hac autem mente, quæ aoſtra ſolicitudine adeo digna eſt, quidnam ſapientius, atque prudentius fieri poteſt, ne quid omittatur, aut negligatur, quam ſiagula ex ordine, & loco ſuo facere? Alioquia enim in hac varietate, ac viciſſitudine negotiorum, quæ diem partiuntur, quomodunam neceſſaria illis impeadi poteſt attentio, quomodo indeſinenter intentio dirigi poteſt, ſi fortuito dumtaxat, atque ex animi libidine agatur, & pro Deo fiat id, qaod qaumodo faciendum ſit ignoramus? Deaique qaodnam meritum ubtinere poſſumus actiuuibus illis, quæ tumultuarie, inordinare, & inconſulto fiunt, quin aliud cogiremus, niſi ut ex eo emergamus occurſu, qui nobis negotium faceſſit? E contra vero cum omnia ordinara ſuat, & ſuis quæque temporibus fiunt, ut chriſtiaaum hominem decet, operamur, & hoc pacto plures fideles ſancti, perfectique fiuat, quamvis nihil præ cæteris faciant: Sæpe communem vitam ducoat in oculis hominum; qui ſatis apti nun ſunt meriti actionum noſtrarum judices; ſed in oculis Dei hæc via eſt admirabilis, quemadmodum ia Sapientia ſcriptum eſt, ubi de juſtis eſt ſermo: reddidit juſtis mercedem laborum ſuurum, *& deduxit illos in via mirabili*. Sapien. 10. Etenim quid agunt, amabo vus, tot viri boni ex umni ſtatu, & conditione? Sæpe non diſtinguuntur ab aliis, qui eamdem vitæ ratiunem profitentur, niſi ex attentione, & cura, qua ſuis perfunguntur officiis. Id ſolum faciunt, quod alii, ſed tanta ſedulitate, ac diligentia, ut maximorum, pulcherrimorumque factorum locum obtineat. *Idem*.

Maxima, quæ ex hac praxi utilitas percipitur, hæc eſt, quod minori cum difficultate ſanctitas acquiri poteſt; tandem enim ſi in omnibus artibus, ac ſcientiis perfectioais acquirendæ ratio eſt methodum, ordinemque ſervare, certaſque habere regulas, quæ nos illuc adducant, quia labori parcitur, atque compendioſa fit via, ubi ſatis eſt eam ſequi, quæ jam ſtrata, ac monſtrata eſt: hoc ipſum accidit ſanctitati, quæ ſimul Cœli ſcientia eſt, & via, quæ nos illuc adducit. Ut autem hæc via, quæ adeo difficilis, diuturnique laboris exhibetur nobis, facilior efficiatur, ac brevior, ſatis eſt cummunes vitæ actiones ordinare, & per hanc viam incedere; tunc enim aihil nos remorabitur, umnes nobis ſternet difficultates, ac facile nobis præbebit, quod antea difficillimum, arduumque videbatur; dies diem reget, quid nobis ſingulis horis, temporibuſque faciendum erit, ſciemus; atque hoc pacto per ſtratam incedentes viam, eamque diebus ſingulis relegentes nihil amplius inveniemus, quod nobis incommodam videatur.

Hæc tuta via eſt, nulli obnoxia illuſioni.

Hæc ordinatæ vitæ via tuta eſt, nullaque ibi metuenda eſt illuſio, quæ illis timenda eſt, qui ex communi egreſſi via ſexcentis impediuntur negutiis, atque conſiliis, quæ efficiunt, ut certum relinquant bunum, alterum, quod aliquando cummentitium eſt, conſectaturi; quin in partem accedere vuluat umnium bonorum uperum, quæ in urbe fiunt, cum interim familiæ, filiorum, dumeſticorumque ſuurum curam relinquant, qui ſub charitatis prætextu ſexcentis ſe immiſcent negutiis, quæ ad ipſos non pertinent, vel qui injuſſi, ac imprudenti zelo acti iis ſeſe addicunt ufficiis, quæ vires ipſorum excedunt. Avertat Deus, quod improbare velim opera bona, quæ tot viri boni exercent; hoc unum dicu, illa apta eſſe oportere ſtatui, viribus, & conditiuni ſinguloram, qua in re conſiſtit bene inſtitutæ vitæ ordo, ut videatar, quid faciendum ſit, & quid fieri poſſit, quid a nobis exigat charitas, quid ſtatus noſter permittat, quid ſit neceſſitatis, qui ſupererogationis, ad quod nus zelus noſter impellit. Cum pro qualibet re initum ſuit conſilium, & charitas ordinata eſt, uti Spiritus ſanctus exigit, necnon occupationes, & opera noſtra bona conformia ſuat noſtræ profeſſiuni, ætati, conditiuni, dici poteſt, nos eſſe in ea perfectione, quam a nobis expetit Deus; eam enim regula, quam ſequimur, recta ſit, quidquid eidem conforme eſt, rectum quoque eſſe debet. *Idem*.

Nihil rationi magis conſentaneum eſt, quam ordinatam vitam ducere, & quid a nobis hac in re expetat Deus.

Si dicerem, vobis ad hoc, ut ſerviretis Deo, mundum omnino eſſe seliquendum, deſerenda bona, & abdicandos honores, ac magiſtratus non ſecus, ac vitiis, ac libidinibus extremum vale dicendam eſt; reſponderetis vos nequaquam ad hunc perfectioais apicem a Deo vucari; ſed quoaiam vos ipſi ſatemini, omniao neceſſum eſſe inordinatam hanc vivendi rationem, quam ad hanc forraſſe diem duxiſtis, relinquere; certiſſimam hoc faciendi rationem vubis præbeo, ut videlicet nunc tempus veſtrum, veſtraſque occupationes prurſus alio modo ordinetis; ordo quippe adducit ad Deum, & hic modus eſt eidem ſerviendi, ut ipſe deſiderat. *Idem*.

Ex pietatis exercitiis initium ducere debemus vi-

tæ

Digitized by Google

tæ noſtræ ordinem inſtituentes ; & hoc nomine intelligo actiones, quæ immediate tendont ad Deum, cui ſingulis diebus cultum, honoremque adhibere debemus. Hæc autem pietatis exercitia ſunt oratio, bonorum librorum lectio ; ſacris intereſſe myſteriis, ad ſacramenta accedere, Dei verbum audire, & illa charitatis chriſtianæ opera facere, quæ cum uniuſcujuſque ſtatu conveniunt. Hæc potiſſima eſſe debet vitæ noſtræ pars ; vel ut melius dicam, optandum eſſet, ut unice his rebus ſanctis adhæreremus ; ſed quia miſeræ hujus vitæ neceſſitas non ſinit, ſaltem in illis temporis pars aliqua impendenda eſt : ideoque pia conſuetudo eſt eamdem cum ipſa religione, verique Dei cultu jactans antiquitatem, illi principium ſaltem, ac finem diei dedicandi, & pauci ſunt, ſi flagitioſiſſimos homines excipias, qui hoc ipſum de more non præſtent. Dico principium diei ; jus enim, & fas eſt Deo conſecrare primitias : hac arte cœleſte auxilium obtinendum eſt ; & hinc fidelis ſatis intelligit, quid ſibi reliqua diei parte agendum ſit. Ut autem huic muneri veſtro ſatisfaciatis, illi, qui rerum omnium principium, & finis eſt, primas actiones offerte, primam mentis cogitationem, primam cordis veſtri affectionem, primum oris veſtri verbum ferventi oratione ; atque fatemini, quandoquidem illi vitam debetis, hanc a vobis in illius ſervitute eſſe impendendam. Numquam, Auditores chriſtiani, ſanctum matutinæ orationis morem omittite, atque tunc decernite, quid vobis tota ea die faciendum ſit, non obliti, chriſtianam vitam ordinatam eſſe debere, & nihil fortuito eſſe aggrediendum .... Secundo diei finis imponendus eſt ad examen revocando quidquid per diem acciderit, & gratias agendo ob ea beneficia, quæ in nos divina effudit liberalitas, necnon ob pericula, a quibus nos præſervavit, atque peculiare præſidium, quod nobis contulit, ne laberemur in ea ſcelera, quæ æternæ damnationis noſtræ cauſa fortaſſe fuiſſent. Hic hodierna die in pleriſque Chriſtianis familiis mos obtinet, veſpere in communi preces Deo fundere ; atque optandum eſſet, ut adeo ſancta conſuetudo ubique gentium vigeret : ſaltem nemo ſingillatim cubitum ire debet, quin hoc adeo chriſtiano munere fuerit perfunctus, quod cœli gratias, & benedictiones promeretur illis, qui hac incedunt via, & qui Deo gratias & habent, & agunt. Verum hoc nondum ſatis eſt ; præter diei initium, ac finem ordinandæ ſunt actiones pietatis per intervalla exercendæ, devotiones, confeſſiones, eleemoſynæ, aliaque charitatis opera, pœnitentiæ, & quidquid neceſſum eſt, ut vero, & regulari Chriſtiano dignam vitam agamus. *Auctor Anonymus.*

Prætextus nequam eſt dicere, moleſtum eſſe ita ordinatam vitam tra ducere.

At enim moleſtum eſt, vitam ita conſtantem, regularem, atque chriſtianam ducere ; ſed quantumcumque moleſta eſſe poſſit hæc ordinata vita, numquid fideli deliberandum eſt, utrum ſibi ducenda ſit vita chriſtiana ? Hanc vero ducere ne poteſt, quin in officiis ſuis ſit ordinatus ; Profecto ſi labor, atque difficultas nos a virtutis exercitatione deterrent, non Dei tantummodo cultus, ſed omnes vitæ conditiones, ipſa immo etiam humana ſocietas abdicanda eſt : quæ enim hujus mundi officia ſecum quemdam moleſtiæ, ac ſubjectionis characterem non gerunt ? Quid in vitæ hujus commercio eſſet ille, qui nulla in re vim ſibi facere vellet ! Nemo in mundo vir honeſtus habetur, qui in omnibus ferme rebus ſibi vim minime facit. Sibimet vim inferre didicerit, opus eſt, qui inter eos, qui oneſti viri dicuntur, locum habere velit ; hoc faciendum eſt ; hoc ab omnibus ſit. Et nemo ab hac lege ſecum diſpenſare quærit niſi in illis, quæ pertinent ad Deum ; omnia nimis iſtic ardua ſunt, nimis moleſta, difficilia. Regularem eſſe, hoc eſt in omnibus actionibus regulam ſequi, quanti laboris eſt ? Fruſtra dicis, Deum eſſe, cui ſervitur, & eſſentiale officium noſtrum, æternamque noſtram felicitatem a cultu illius ſeparari non poſſe ; omnes conqueruntur, languent, faſtidiunt. Numquid ſibimet jugiter invigilandum eſt ; ſemper attentos, ac ſollicitos eſse opus eſt, ne quid præter ordinem fiat ? Si hæc fuerit conſuetudo in civili vita probata, nullis parcimus ſumptibus : at ex quo hoc eſt hominis chriſtiani officium, hoc ipſum officium jam impoſſibile eſſe videtur. Heu ! quam ipſi noſtræ Religionis ideam concepimus ? quænam in muneribus noſtris obeundis negligentia, quænam noſtræ ſalutis incuria ? *P. Croiſet, tomo primo conſiderationum ſpiritualium.*

Labor vitæ in Dei cultu ordinatæ tantus non eſt, quantus nobilibus, gravibuſque mundi conſuetudinibus ſe ſe accommodare.

Si ad cœli poſſeſſionem acquirendam inceſſanter noctu, atque interdiu ingratis vacandum eſſet officiis, ex quibus nullam voluptatem, nullumque fructum perciperemus, quod tot homines faciunt : ſi omnibus decori legibus parendum eſſet, atque in eo omnis collocanda eſſet induſtria, ut omnium noſmet ingeniis accommodaremus, quod aulici præſtant : ſi tempus, valetudo, ipſa denique vita inſumenda eſſet in magna negotiorum, impedimentorumque caterva, occupata ſemper, & indeſinenter oppreſſa, numquid magnus eſſet ſervorum Dei numerus ? Si ad vitam, ut perfectum decet chriſtianum, ducendam, omnia mundanorum odia ſubeunda eſſent, ſervandæque ad unguem omnes conſuetudinis, urbanitatis, uſuſque leges ; ſi, ut Deo placeremus, tantum & animum, & corpus torquere deberemus, quantum mundana mulier, ut mundo placeat ; numquid ſuave Domini jugum, ac pondus leve diceretur ? Numquid utriuſque hujus jugi diſcrimen non percipitur ? Percipitur quidem ; fatentur omnes etiam, mundum dominum eſſe nequam ; ſævus, crudelis, ac tyrannus vocatur : neque fingere poſſet aliquis ſibi Deum æque bonum, & beneficum, qualis noſter Deus eſt. Cur ergo hæc auditur querela de illis difficultatibus, & vi, quam ſibi quilibet inferre debere putat, ut fidaliter ſua obeat munera, dominoque ſuo adeo benefico inſerviat ? *Idem.*

Sedulo in officiis obeundis cura omnium præſcribit.

Vera pietas numquam fuit iners, ſemperque orationem, actionemque ſimul novit conciliare. Qui veram obtinet virtutem, in hoc præcipuam pietatem conſtituit, ſi ad unguem ſuo munere perfungatur, quantumvis arduum ſit, ac difficile. Scit, perfectionem, quam a nobis expetit Deus, eſſe ſtatus noſtri perfectionem, quandoquidem nos ad illam vocavit. Quodnam eſſet Providentiæ conſilium, ſi nos in aliqua conditione ſtatueret, ut in ea nihil ad illam pertinens perficeremus, vel ut omnia ibi negligenter, oſcitanter, inordinate, incurioſe faceremus ? ... Amor proprius pati nequit quidquid crucem, & vim ſapit ; & illud ipſum, quod primum ultro perquirebamus, onus ſit non ferendum, ex quo migrat in officium. Eadem ex cauſa accidit nonnumquam, ut aliquis minimis in rebus ad ſcrupulum uſque ſit diligens, negligens vero in majoribus uſque ad quandam ſpeciem oblivionis. Verum ignorari ne poteſt, ſi illuſio quædam eſt arbitrari poſſe, noſmet a minimis ſtatus noſtri obligationibus diſpenſare, dummodo iis perfungamur, quæ majoris momenti ſunt ; non minus gravem errorem eſſe, noſmet in magnis diſpenſare, atque eorum, quæ exigua ſunt, ſedulos eſſe obſervatores. *Idem.*

Non alia quærenda perfectio eſt quam quæ in officiorum noſtrorum cura conſiſtit.

Quinam error eſt ſuam quærere perfectionem extra ſtatum ſuum ! Diverſæ ſunt conditiones, ſed obligatio omnium munerum earumdem adimplendorum eſt eadem ; certum nihilominus eſt, non omnem devotionem omnium conditionum eſſe propriam ; & quod aliorum ſanctitatem gigneret, aliorum ſaluti obicem futurum. Hæ, ut evangelicis utar locutionibus, totidem velut arbores ſunt, quæ fructus ferre debent, ſed fructus juxta ſpeciem ſuam ; & hac in re ignavia noſtra excuſari non poteſt. Si nobis acquirenda eſſet perfectio ſtatus a noſtro diverſi, hæc profecto magnis comparanda eſſet laboribus, & virtus difficilis eſſet ; ſed quænam excuſatio, cum liqueat veram virtutem in officiorum noſtrorum cura conſiſtere ? Quidquid facimus, ex noſtra voluntate pendere volumus ; ex quo vero de-

Digitized by Google

ro debitum eſt ſtatus illius, in quo ſumus, amor noſter torquetur, & angitur; nihil ei placet, nihil arridet. Deus autem vult a nobis fieri quod ille præcepit, videlicet ut ſtatus noſtri perfungeremur officiis ea, qua fieri poteſt, diligentia; & graviſſima illuſio eſt ejus præcepta negligere, ut ſequaris conſilia, cum ſtatus noſtri propria non ſunt. *Idem*.

Non eſt ſpiritus infirmitas accuratum eſſe in diligentia, ſtatuſque ſui muneribus obeundis.

Metuendum non eſt, ne infirmum habere ſpiritum videaris, cum magna ſollicitudine rerum tuarum ſatagis, atque inuſitatum zelum erga temporalia negotia præ te fers. Quænam in re familiari œconomia eo uſque, ut minima quælibet ſingillatim cures? Et hoc ſapientem eſſe vocatur. Quænam in mundi hujus negotiis, omnibuſque vitæ civilis officiis diligentia! Minimas etiam urbanitatis leges ſequi, hoc ſcire vivendi rationem dicitur. Denique jugiter attentum eſſe ut omnia in quæſtu ponantur, & nulla proficiendi relinquatur occaſio; hoc hodierna die vocatur ingenio pollere, cordatum eſſe, atque ad omnia peragenda promptum. Quoties autem dictum fuit omnia ſæpe amitti, eo quod aliquæ neglectæ fuerunt circumſtantiæ! At quiſnam ſerio ſtatus ſui muneribus vacat? Quis ſedulo proficere ſtudet, atque vel minimam capere occaſionem placendi Deo, & in virtute creſcendi? Quis minuta etiam religionis munera adimplere ſatagit? Hoc ſtatim ſcrupulus, mentis exilitas, nugæ, & ineptiæ appellantur. Si centum levia ornamenta, quibus mundana mulier ſe ipſam comit, vel centum adſectati, moleſtique agendi modi, qui in mundo ſervandi ſunt, mentis infirmitas, & nugæ vocarentur, eſto; ſatis enim intelligimus, eum, qui bonæ mentis eſt, his ineptiis vacare non poſſe; quod autem exacta probitas, & conſtans diligentia in muneribus omnibus obeundis, extrema conſcientiæ religio, ardens, & ſollicita cura minima etiam evitandi peccata, exiguæ mentis indicium ſit; næ ille quidem, qui adeo iniquam fovet cogitationem, nimis anguſtum habere ſpiritum, cor vero corruptius adhuc, dicendus eſt. *Idem*.

Cum vita chriſtiana vita regularis ſit, jugi opus eſt attentione, ut officii noſtri ſeriem peragamus.

Nequaquam æquior concipi poſſe mihi videtur vitæ chriſtianæ idea, quam ſi conſideretur tamquam vita jugiter intenta iis, quæ Deus a nobis quolibet in ſtatu & qualibet ſive exteriori, ſive interiori actione flagitat; & hanc diſpoſitionem innuere Propheta videtur, cum ait: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*. Pſal. 15. Hic enim oculorum conjectus in Deum, ſervi eſt in dominum, & filii in parentem ſuum, qui ſincerum complectitur deſiderium omnia illius cognoſcendi mandata, & cordis præparationem ad eadem explenda. Attamen interiores inter, exterioreſque actiones hoc diſcriminis intereſt, ut multo melius agnoſcatur, utrum exteriores actiones conformes ſint, an abnormes ſtatus noſtri muneribus, quam interiores, quas ſæpe tegunt nebulæ, quæ illis offundit concupiſcentia; ita ut pro certo aſſerere nequeamus, utrum cor noſtrum vere in eo ſtatu ſit, in quo illud eſſe Deus vellet. Verum quandoquidem hanc diſſipare caliginem minime poſſumus, exterior tamen pars eſt regenda; quia vitæ exterioris regimen via eſt, qua ad interiorem partem regendam fit gradus. Quamobrem ſi nondum eos ſenſus habemus, qui habendi ſunt, omittendum tamen non eſt, quod facere oportet; exempli gratia cum animum erga aliquem exacerbatum habemus, ſenſus hujus nullam habere debemus rationem, ſed erga illum nobis agendum eſt, perinde ac ſi cor amore, & benevolentia repletum eſſet; atque hoc pacto ſperandum eſt futurum, ut nobis Deus gratiam elargiatur interiores motus noſtros regendi, quemadmodum propter amorem ipſius externos fuerimus moderati. *Specimina Ethica tomo 1. tract. 2. cap. 6. & 7.*

In omnibus actionibus noſtris regulam ſecuti juxta Dei voluntatem agimus.

Attentio hæc, & vigilantia in muneribus noſtris obeundis nos continet in vita ordinata, æquali, & uniformi, efficitque, ut iiſdem temporibus iiſdem fideliter exercitiis vacemus. Si enim hæc nobis ſemper mens fuerit Deus voluntatem perficiendi, quemadmodum ſemper nobis eſſe debet in omnibus actionibus noſtris, jure judicabimus non divinæ huic voluntati magis conformes futuros, ubi ſecuti fuerimus ordinem prudenter inſtitutum juxta lumina, & conſilium eorum, quibus nos regendos commiſit, quam ſi ex mera libidine, & voluntate operaremur. Quo minorem in actionibus partem ſibi noſtra vendicat voluntas, eo magis credendi locus nobis eſt, nos eas facientes ſequi Deum; & illæ ipſæ, quæ æquales, vel neutræ ſunt, fiunt inæquales, cum aliis hæc ratio uniformitatis accedit. Verum quamcumque nobis regulam præſcripſerimus in iis, quæ per ſe neutræ ſunt, celeriter eſt immutanda iis in occaſionibus, ubi Deus aliud ſe a nobis petere oſtendit. *Ibidem*.

Quæ neutra ſunt, bona fiunt, ubi cum ordine fiant.

Hoc mihi concedi opus eſt, ea, quæ neutra appellamus, quibus vulgo impliciti ſumus, vel ex vitæ naturalis neceſſitate, vel ex vitæ civilis decoro, per ſe omni culpa vacare. Etenim quid mali eſt, e ſtrato ſurgere, caput comere, cœnare, quieſcere, cum amicis ſermones miſcere, negotiorum ſuorum curam gerere, familiæ ſuæ invigilare, jucundum aliquod ſolatium carpere, ut vel corpus gravi labore defeſſum, vel ſpiritus violenta quapiam contentione fatigatus reficiatur? Si quid deprehendis, quod malum judicas, eo quod lege aliqua prohibeatur, hoc ego quidem illis non accenſeo, quæ neutra vocantur; cur enim dubitandum eſt, quominus bona fiant, ubi ex ordine fiunt? Quid enim actionem aliquam rectam facit, niſi conformitas, quam habet cum lege atque ratione? Igitur ſi illæ cenſentur veluti profectæ ex ea lege, quam adorare debemus, hoc eſt ex Dei voluntate, quæ nos illis ſubjicit; & alioquin ratio nobis dicit, juſtum, & æquum eſſe, quod illis perfungamur, nonne ex hoc ſtatu, in quo neutræ erant, in ordinem earum migrant, quæ laudabiles ſunt? Et nonne adhuc mereri poſſunt, ſi ſupernaturali fiant intentione? Etenim quandoquidem fiunt, quia ratio, & officium ſuadent, & quia jubet Deus, cur ex numero virtutum expungendæ ſunt? *P. Haineove parte altera libri de ordine vitæ, & morum ſermone 6.*

Quam magnum meritorum theſaurum pro cœleſti gloria acquirere poſſumus omnia in ordine peragentes.

Si temporis curam habere, ac ordinem, & regulam pro omnibus vitæ noſtræ actionibus præſcriptam obſervare ſciremus, quam magnum brevi theſaurum congerere poſſemus? Quot colligeremus merita! quot coronas, & gloriæ gradus acquireremus! verbo, quot pro cœleſti patria theſauros! Nulla eſſet actionum noſtrarum, quæ virtus non eſſet, nullum eſſet verbum, nulla cogitatio, quæ ampliſſimam remunerationem non mereretur, nullum momentum, quod acquirere non poſſet æternitatem, nullumque cordis noſtri ſuſpirium, quod a Deo tamquam charitatis actus non reciperetur. Eheu! quam pretioſa eſſet vita adeo bene tranſacta! Momenta ſingula tamquam anni, dies vero tamquam ſæcula haberentur. Hæc via eſt, qua brevi temporis ſpatio ad honorabilis ſenectutis meritum perveniri poteſt; etenim, ut Sapiens ait, non annorum, ſed bonarum actionum numerus venerabilis ætatis hujus honorem nobis impertit, & homo, qui temporis ſui curam gerere novit, invenit, ſe plus feciſſe paucis illis, quibus vixit, diebus, quam alius quilibet, qui in flagitioſa vita conſenuiſſet. Heu! Fideles quantum amiſſi temporis! quot dies de vita noſtra delendi! quot anni pro nihilo computandi! Quidam, qui ſexageſimum, vel octuageſimum agit annum, non aliud eſt, quam puer, ſi ex meritis ætas illius numeretur: hic puer eſt centum annorum, qui non alia ſenectutis habet indicia, quam rugas, atque infirmitates: cumque huic ratio erit reddenda vitæ ſuæ coram juſto judice, qui noſtras dumtaxat actiones reſpicit, oſtendet, ipſum diu in terris permanſiſſe, ſed vixiſſe parum. Si prophanus hiſtoricus Saulis hiſtoriam ſcripſiſſet, teſtatus fuiſſet regem hunc in Judæam annos quadraginta regnaſſe, toties enim Sol annuum orbem circumegiſſet; ſed Biblia, quæ hac in re Aſtronomorum numerandi rationem non ſequitur, & quæ

annos

annos potius ex meritis metitur, quam menſibus, ait illum biennio tantum regnaſſe, quia duos tantum ſancte, & ſecundum Domini legem vixit annos. *Idem.*

Si exteriores actiones noſtræ bene ordinatæ fuerint, certiſſimo indicio eſt interiores quoque bene ordinatas eſſe.

Affirmare non vereor, modum, ex quo de hominis alicujus interiori parte judicium ferre poſſumus, eſſe exteriorem ejuſdem partem conſulere; hoc eſt, quomodo regat tempus ſuum, actiones, negotia, & quidquid extrinſecus patet; hoc enim præclarum eſt præjudicium, quod fidelis in exterioribus actionibus ſuis adeo regularis, diligentior ſit in iis, quæ magis eſſentialia, majoriſque momenti ſunt, videlicet conſcientiam dirigat, vota, affectus, omneſque animæ ſuæ motus moderetur. Hoc autem præjudicium ita bene conſtitutum eſt, ut quemadmodum de cauſa melius judicium nequit proferri, quam ex effectibus ejus, ita certius haberi non poſſit indicium, quod homo vere virtute præditus ſit, quam ſi illum videamus omnes actiones ſuas ex ordine peragere, & quæcumque ab illo fiunt, ſecundum Dei legem, rectamque rationem eſſe ordinata. Hinc fit, quod Scriptura ſancta, quemadmodum nonnulli animadverterant, vicies & quater etiam atque etiam hortetur, ut vigilemus, ut videlicet intelligamus permittendum non eſſe, ut vel una diei elabatur hora, quin cogitemus, quid, & quomodo tunc temporis nobis faciendum ſit. Non ideo tamen dixerim nefas eſſe, neceſſarium quieti concedere tempus; ſed quod, ut S. Paulus ait, neque dormiendum, neque vigilandum, neque aliud quidpiam faciendum eſt, quod ordinatum non ſit, quod perfectioni noſtræ non proſit, quod ad ſupremi Domini, cui famulamur, gloriam non referatur; hæc enim vera nota eſt, nos eidem fideliter inſervire. *Idem.*

Inanis, & futilis eorum excuſatio, qui ſibi nihil faciendum eſſe dicunt.

Num aliquis hoc in cætu inveniretur, qui ſe ad omnes actiones ſuas regendas ſe nequaquam teneri crederet, dicens ſibi nihil eſſe faciendum, cumque caſus agendi ſibi præbeat occaſionem, ſe regere non poſſe, quod prævidere non poteſt, & ad quod neque jus aliquod habet, neque aliquam ſe ſe diſponendi facultatem? Quid, auditor, homini ad laborem nato, ut inquit Scriptura, nihil eſt quod agat? Chriſtianus, qui rationem redditurus eſt Deo de omnibus vitæ ſuæ motibus, & cui æterna eſt acquirenda felicitas, non habet, cui vacet? Si huic homini habenda fides eſt; indignus eſt qui vivat; quilibet enim in civili vita ſuam habet occupationem, alii quidem ex neceſſitate, alii propter rationem ſtatus, & conditionis, in qua illos Providentia conſtituit, alii denique ex propria voluntate. Sed quinam hoc dicere poteſt? Numquid pater familias? Haud ita profecto! Ordo enim, qui domi ſuæ eſſe debet, nonne eſt honeſtæ, atque chriſtianæ occupationis argumentum? Nonne præterea extrinſecus multa habet negotia? nonne ſubinde recentia eidem occurrunt? Nonne ſexcentis rebus conſulere debet, quæ ad familiam, atque perſonam ejus pertinent? Una ejus negligentia prohibere poteſt, ne hiſce rebus omnibus ordinem adferat. Numquid adoleſcens eſt, cui nullum adhuc eſt negotium, vel qui, cum ſatis ſuperque habet, unde vivat, tempori tantummodo traducendo vacat? Totus ordo, quem in diurnis actionibus conſtituit, eſt videre, quibus ſolatiis ſingulas horas impendere debeat, ludis, conviviis, deambulationibus, ſodalitatibus, choræis, theatris; quæ cum omnia ſimul eſſe non poſſint, partitur illa, iiſque ex ordine indulget. Heu! quotnam hodierna die id genus mortales? Verus quidam ajebat, hujus vitæ mortales in hominum numero habendos non eſſe; ſed chriſtiana religio nos docet ipſos in turpi, atque criminoſa vitæ ratione verſari. Numquid tandem eſt mundana mulier, quæ ad nugas tantum, veſtes, ornatus, muliebremque mundum incumbit? Hoc ſane eſt nihil habere, quod agat; verum ideone coram Deo munere ſuo ſatis perfuncta videbitur? Numquid demum vir erit ille, qui vim omnem, laboremque perhorreſcit? Hujus negotium eſt nullum habere negotium, otiari, inertem, inutilemque vitam traducere; nullum habet negotia, quibus curam ſuam valeat impendere; verum metuere debet, ne aliquando in tenebras exteriores cum inutili evangelico ſervo projiciendus ſit: *Servum inutilem ejicite in tenebras exteriores.* Matth. 25. Talentum cœlitus datum fodit; eodem uti neſcivit, eo quod tempus, actioneſque ſuas diſtribuere ignoravit juxta ordinem, quem ſtatus, conditio, & ratio illi præſcribebant. Dicis nihil tibi eſſe, quod agas; & nihilominus chriſtianorum more vivere teneris. Heu! numquid pauperes deſunt, quibus feras opem, ægri, quos convenias, mœſti, quibus ſolatium præbeas, bona denique opera, quæ exerceas? Hæ ſunt actiones chriſtianæ, ad quas perficiendas Deus tibi tempus contulit, & facultatem, eo quo te vocavit ad eum ſtatum, qui non alias expetit occupationes. Et ſi verus eſſes Chriſtianus, hæ ſunt actiones a te dirigendæ, ne alteri cuipiam negotio te vacare prohibeant. *Auctor Anonymus.*

Tempus pro qualibet actione non ita ſtatuendum eſt, ut abſolute intra hoc tempus eam perficere velimus.

Numquam nobiſmet certum præſcribere debemus tempus ad aliquid faciendum, ita ut hoc quocumque pretio ſtata die, vel hora ſit perficiendum, alioquin videns ſubimus periculum noſmet turbandi, quia fortaſſe majus requiretur temporis ſpatium, ut bene fiat. Præterea quis tibi dixit, nihil eventurum quod minime prævides, & quod tibi moram injiciet? Hæc tibi mens ſit, ut omne neceſſarium tempus impendas, ut fiat quomodo faciendum eſt, quin tibi aliquos cancellos, terminoſque præſcribas. Ad hæc ubi illud facies, cave, ne feſtinanter fiat; ab omni impetu, ac furore abſtineto, ne omnia corrumpas. Utere, ſi ſi tibi lubet, diligentia, præcipiti vero feſtinatione numquam. Qui nimio feruntur impetu, negotia ſua non curant, ſed evertunt. *Auctor Anonymus.*

Felicitas, & pax in bene conſtituta familia.

Quænam vigeret tranquillitas in familia, ſi omnia optime inſtituta, ordinataque eſſent: ſi illic laboris, & quietis horæ poſſent conſtitui, ſi dici poſſet, tantum impenditur temporis mane, & veſpere, ut Deo preces effundantur. Hac hora a ſtrato ſurgimus, hac cubitum recedimus. Hæc operi huic hora deſtinata eſt, præter quam eidem manum admovere nefas eſt. Quomodo omnia ad unguem fierent! quam jucunda eſſent officia, labores autem quam mites! Nihil importune fieret; cumque nullæ eſſent inutiles horæ, nullæ quoque nimiis laboribus eſſent prægravatæ. Ordo hic quoddam efficeret temperamentum, quod ipſa varietate fieret acceptiſſimum; nihil nauſeam, vel tædium gignere poſſet in actionum adeo bene ordinatarum viciſſitudine: laboris mutatio quies eſſet. Dies non adeo ſpecioſus eſſet, niſi nox illud exciperet: & non ferenda eſſet nox, ſi ſemper eſſet duratura. Pro bono familiæ hujus regimine non ſatis eſt, horas habere ſingulis actionibus deſtinatas: opus adhuc eſt, actiones haſce talibus horis honeſte exerceri poſſe: non enim omnia temporum diſcrimina æque rebus omnibus peragendis idonea ſunt, neque actiones omnes qualibet ex vigintiquatuor horis fieri poſſunt: quapropter ordine opus eſt; & hic ordo ſapienter eſſe debet inſtitutus. *Familia ſancta P. Corderii tomo 2. cap. 2. §. 3.*

Oſtende mihi familiam, cujus omnes perſonæ ſimul tamquam muſicæ chorus conſentiant, in qua ſinguli ſuam tenent partem, omneſque ita ſibi conveniant, ut omnia ordinem ſervent, nihilque ſit inordinatum, aſſerere non dubitabo, Deum huic domui præeſſe, & unionem, atque pacem hanc effectum eſſe præſentiæ ipſius. Verum ſi in hujus ordinis, & conſenſionis locum ſimultas ſuccedat, ſi quilibet ſe ſe ſupra gradum ſuum cupit attollere, ſi hic illius ſe ſe immiſcet officio, ſi mulier viro prævalet, ſi famuli dominantur, ſi quilibet pro libidine vitam inſtituit, ſi tandem diſſenſio animos dividit, & non lex, non ordo, non regula in illis invenitur, num cœli benedictio in domum hanc ſe ſe effundet, & pax in familia adeo male inſtituta regnabit? *Idem.*

Actio prævisa, & præmeditata, tempore ſuo facta.

Addendum quoque eſt, prævisam, præmeditatamque actionem, quæ conſulto ſuſcepta eſt, alia prorſus ratione fieri, ideoque longe alium eventum obtinere. Cogitatum fuit, quid conſilii capiendum, quæ adhi-

Longe aliter cedit, quam cum ſecum [illegible]

adhibenda inſtrumenta, quæ arte utendum. In operis vero perfectione tota impenditur ratio, nihil enim eam turbat, nihil illi uffundit caliginem: nulla eſt circumſtantia, in quam aciem oculorum non converterit; cumque omnia diligenter proviſa fuerint, non deeſt tempus decorum ſervandi, quod neceſſarium eſt, & ſuſceptum opus ad unguem expolitur, extrema illis manus admovetur, omnia ſine rumore tranſiguntur; quia nullam ibi partem obtinet cupiditas; cum e contra ubi agendum eſt, antequam proſpexerimus, ſors mera eſt, ſi quid nobis e voto contingit. Quomodo autem contingat, quandoquidem inopinata res nobis animi preſentiam adimit, ac nos ipſos perturbat? Quid facere poteſt homo, cui caput infirmum eſt, cum tria, vel quatuor ſe ſe ſimul offerunt negotia, eaque magni momenti, eo quod ſingula temporibus ſuis procurata non fuerint? Undenam principium ducendum eſt? Ratio ejus confunditur; ita & indignatio efficit, ut omnia præpoſtere agantur, & perturbentur. Ubi primum operi manus admota eſt, videns ſe perperam inchoaſſe, iterum orditur, mæret, dolet, derelinquit omnia, ac in alios rejicit culpam, cujus ipſe unus eſt nocens. *Idem.*

Occaſiones in quibus aliquando licet recedere ab ordine per ſeipſo.

Quaſcumque tibi regulas propoſueris, ut omnia ſuis temporibus fiant, & quocumque tempus rebus ſingulis deſtinaveris, diligentia, atque ſedulitas tua in illis ſervandis non adeo religioſa eſſe debet, ut nequeas, immo ut minime debeas duobus, vel tribus in caſibus ab eadem recedere. Primum; cum inopinata neceſſitas jubet, aliquid a te relinqui alteri rei vacaturo: neceſſitas non habet legem, ut eſt in adagio, vel potius, Dei lex eſt, quod hæc neceſſitas, cui obtemperandum eſt, & quæ vult, mandata quibuslibet ordinibus eſſe præferenda, omneſque arbitrarias leges ſuccedere, & id, quod prius urget, prius faciendum, & ea, quæ præcepti ſunt, quæ conſilii ſunt eſſe anteferenda. Secundo; non minor charitatis, quam conſilii ratio habenda eſt. Omnes excuſationes, quæ ex hac parte procedunt, omnes legitimæ ſunt, ſemperque & a Deo, & ab hominibus receptæ. Itaque ne mordicus inhærere velis ſedulæ, religioſæque omnium horarum tuarum obſervantiæ, cum alio te charitas evocat, vel te cogit a tua regula diſcedere; tua inquam regula, quam tibimet præſcripſiſti: charitas enim prima eſt chriſtianæ religionis regula, ad quam etiam tamquam ad legis finem cæteræ referuntur. Tertio: cum abſolutum illius imperium, qui in nos obtinet auctoritatem, id præcipit: tunc enim poſtulat obedientia, ut propria, & exilis regulæ deſeratur ad eam virtutem exercendam, quam Deus ipſe prætulit ſacrificio, & iis rebus omnibus, quæ vel maxime ad ipſius gloriam poſſent conferre. Cum virtutis hujus meritum per ſe ſatis pateat, audacter cætera relinquenda ſunt, ut nosmet alacres, promptoſque præbeamus iis, quæ jubemur. Hos excipe caſus, quos nemo in dubium revocare, aut vituperare poteſt, laudabile eſt adhærere regulæ, quam tibimet præſcripſiſti, & ordini, quem inſtituiſti. *Idem.*

Mulier fortis, de qua in Proverbiis eſt ſermo, vitæ regularis exemplar eſt.

Nihil ad docendum aptius eſt, quam mulieris fortis imago nobis a Salomone propoſita tamquam exemplum animæ, quæ vera virtute prædita eſt, atque in omnibus officiis ſuis ſolertiſſima. Cura tuendi conſenſum, & pacem in familiæ non extrema eſt inter occupationes illius. Vigilantia in omnem domum ſuam, & ſedula ſollicitudo, ut ibi bonum ordinem conſervet, ſtudium illius eſt. Ejus erga omnes homines ſuavitas, atque in omnibus verbis ſapientia eam admirabilem præbent. Promptitudo, qua domeſticis ſuis ſtipendia perſolvit, eorumque neceſſitatibus proſpicit, non minima eſt inter præclaras dotes ipſius. Charitas ejus præſertim vero erga egenos, pauperum omnium amorem ipſi conciliat, ac tempus omne, quod in muneribus ſtatus adimplendis minime impendit, hoc in laboribus, manuumque ſuarum operibus tranſmittit. En ad quid rediguntur perfectæ hujus, ac vere regularis mulieris deſcriptio, cujus Spiritus ſanctus adeo eximium nobis proponit elogium, & quæ rarior eſt, & pretioſior unionibus, & margaritis, quæ de extremis terrarum plagis advehuntur. Hæc nequaquam ob fulgida niteſcit facta, neque per inſuetas incedens vias inter cæteras micat; ſed fulget propter ſedulam diligentiam, qua communia obit officia. Hæc fortaſſe virtus non eſt, quam omnes ſuſpiciant, & quæ omnibus placeat; ſed virtus eſt vera, ſolida, Deoque vere accepta. *P. Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus.*

[illegible] eita regularis & tolerando eſt adeo auſtera, ut [illegible] tetur.

Verum quidem eſt regularem vitam, ac nulla in re, quæ ad ipſius pertinet officia, deficientem, plurimis rebus attentionem expoſcere; ſed qui mundum ſequuntur in hac multiplicitate mobilium ingeniorum, quorum ipſis ratio diligenter habenda eſt, nullas ne habent regulas, nulla officia, quæ ſervent? Nullamne adhibere debent ſibimet ipſis attentionem, ne illis diſpliceant, qui aculeatis, facetiſque ſalibus adſpergere gaudent? Plures ſtudii horæ, quas diebus ſingulis mundana mulier impendit, ut ſe ſe comat, multo magis fatigant, quam precum, morumque regularitas ſemper facilis; & quin verba faciam de ſecretis ſollicitudinibus, quas pati tenetur, & quas diſſimulatio efficit acerbiores, nonne tota die illi crux eſt corporis, animique, quæ non ferendum efficeret cultum Dei, ſi ut illi placeret, tantumdem ex illa requireretur. *Idem.*

Qui regulam ſervant multa patiuntur ab illis qui nullam ſequuntur.

Perſecutio ſemper bonorum fuit pars; certum eſt autem graviſſimam nequaquam ſemper illam eſſe, quam ab impiis perpeti debent. Acerbiſſima illa eſt, quæ ab illis proficiſcitur, qui pietatem profitentur, & qui in virtute probanda eſſe deberent ardentiores. Quod pia perſona, cui perſuaſum eſt de inevitabili neceſſitate, qua in ſtatu ſuo debet eſſe regularis, ſe ſe determinet ad minima etiam illius munera fideliter obeunda non veluti quaſdam urbanitatis conſuetudines, ſed tamquam officia ad ſalutem aſſequendam neceſſaria, multa indiget conſtantia, & majori adhuc patientia, ne cedat multitudini eorum, quibus hæc vivendi diſplicet ratio. Qui in eadem profeſſione minus regulares ſunt, & quorum numerus ſemper eſt major, ſedulam hanc diligentiam reſpiciunt, tamquam tacitæ cenſuræ ſpeciem, & fervor hic illis ſecreta videtur ſuæ ignaviæ exprobratio. Regularis hic homo fruſtra in ſilentio, & ſeceſſu latet; fruſtra ſuis tantum vacat officiis; nemini ſuavitate, ac humilitate cedit: invidia non niſi virtute domatur. In illo ſe nihil aliud deprehendere putant, quam ſuperbiæ ſpiritum; ac nimia ejus regularitas efficit, ut veluti novus morum moderator quidam habeatur, tranquillam animi remiſſionem, cujus poſſeſſione fruebantur, perturbans. *Idem.*

Locus profecto relinquendus non eſt cenſuræ, & irriſioni, odioſis ſingularitatibus, quæ ſemper ſunt effectus ſecretæ ſuperbiæ, vel nimis religioſa, & quæ ſcrupulum ſapit, ſedulitate, quæ homines avertit; verum cum quibuſdam mortalibus minime placemus, quia munus noſtrum diligenter obimus, atque ſumma officii fide omnia ad unguem adimplemus, tunc conſolari debemus; hujuſmodi quippe infortunium nobis honori cedit. Numquam obliviſci debemus Oraculum illud: Quicumque ſequi vult Jeſum Chriſtum, hic ab omnibus mortalibus ſibi quodcumque mali genus debet expectare. *Idem.*

In regularitatem defectus eſt nimium ſe ſe negotiis immiſcere.

Satis communis eorum, qui in officiis ſuis diligentes, & regulares haberi volunt, defectus eſt, omnibus ſeſe rebus immiſcere velle, nec pati, quidquam elabi vigilantiæ, & curæ ſuæ. Hunc eſſe reor ſenſum horum Eccleſiaſt. c. 12. verborum: *Fili ne in multis ſint actus tui.* Etenim quemadmodum illi, quibus unum tantum eſt, quod agant, ac unum, quo perfungantur, officium, facile votorum ſummam conſequuntur, quantumvis mediocrem afferant ſollicitudinem; e contra vero qui ſe ſe rebus omnibus immiſcere, omnia videre, omniaque per ſe ipſos tranſigere conantur, magnis ſe ſe motibus agunt, & nil ferme operantur; ingentes inveniunt obices, ubi aliquid ſingillatim ſuſcipiendum eſt: multitudo negotiorum aliorum, quibus onerati ſunt, cogitationes eorum

con-

confundit, prohiberque attentionem ei rei, quam actu faciunt, impendendam. Moyſes procul dubio religioſus erat legum divinarum obſervator, ſed ſtatim ac redargutus fuit a Jethro ſocero ſuo, eo quod nimium ſe ſe rebus immiſceret, volens omnia per ſe populi ſui negotia cognoſcere, atque tranſigere, atque ab eodem admonitus fuit, ut aliis, quos pares cenſuiſſet, adeo gravis ſarcinæ partem committeret, illis minoris momenti cauſas cognoſcendas relinquens, ſibique earum, quæ majoris eſſent, cognitionem, ac deciſionem reſervans. *P. Suffren tomo 5. anni chriſtiani, cap. 5. art. 4.*

Spiritualis vitæ magiſtri ſapienter monent, omnes diurnas actiones ordinandas eſſe pro vario ſtatu, & conditione, in qua ſingulos Providentia conſtituit, quod ſapientis, prudentiſque directoris conſilio faciendum eſt, & ubi ordo hic ſemel bene fuerit inſtitutus, ſedulo ſervandum eſſe, quatenus prudentia, charitas, atque valetudo permittunt. Non minima religioſi ſtatus conſolatio, atque utilitas, mea quidem ſententia, hæc eſt, quod occupationes omnes ita diſpoſitæ, ordinatæque ſunt, ut nihil vacuum, otioſum nil adſit, ſed omnia repleta, ac ſuis quæque deſtinata temporibus. Verum quis prohibet, ne qui in mundo verſatur, incomparabilis hujus boni ſit particeps, vitamque ducat regularem, & hoc in ſenſu penitus religioſam? *Idem cap 6. art. 2.*

Ut bene occupemur ſecundum Deum, atque rationem, nobismet ordinem, & regulam in actionibus præſcribere debemus.

Non ſatis eſt otium fugere, & occupari, bene ſe ſe occupare opus eſt; atque noſmet bene occupemus, labor ipſe dirigendus eſt, ſine quo multi multum, ſed male occupantur; non ſolum quia malas, & inutiles faciunt actiones, ſed quia illas ſine ordine, ſine regula, ſine methodo faciunt. Semper agunt, ſemper moventur; ſed naturæ ſuæ impetus, vel libido, non autem gratia, & ratio eos movent. Etenim quin loquar de laboribus, qui propter ambitionem avaritiam, vel aliam quamlibet animi ægritudinem ſuſcipiuntur contra Dei legem, male iis perfunguntur, ad quos Deus, & officium illos impellit; neque enim illos aggrediuntur, prout ratio illis præſcribit, & natura, magnitudo, & neceſſitas cujuslibet actionis requirit; quis enim neſcit, nihil bonum eſſe, niſi hic ordo ſervetur? Ordinem ſingulis rebus perfectionem tribuere; ſine hac regula, nimis, vel parum, exceſſum, vel defectum ſemper eſſe metuenda; & fortuitu accidere, ſi quid cedit e ſententia? *Sermo Manuſcriptus.*

Regula, & modo vitæ quem nobis præſcribimus donatum ſe gratia obſervantiam efficit facilitatem,

Cum religioſorum obedientia ſit potius facilitas, quam invenerunt Sancti ad legem Dei obſervandam, quam nova ſeveritas ab illis addita evangelio; ita vitæ regula, quam, qui in mundo vivit, ſibi in ſuo ſtatu præſcribit, non eſt nova lex, quam ſibimet irrogat, ſed præſidium eſt, quod faciliorem efficit legum, & mandatorum Dei, quæ neceſſario ſervanda ſunt, obſervantiam. Etenim quocumque in ſtatu ſit, nomquam licet illi agere ex cupiditate, neque ſuam ſequi voluntatem, atque libidinem. Dei voluntas ſemper eſſe debet regula noſtra non ſolum in iis, quæ majoris momenti ſunt, & quæ raro accidunt, ſed in illis etiam rebus, quæ vulgo vitæ noſtræ curſum componunt. Cum autem hæc Dei voluntas difficile detegatur, cumque voluntas propria ſæpe divinæ voluntatis ſibi arroget locum; æquum nonne eſt, ſeſe alicui regulæ ſubjicere ex ſapientis alicujus directoris monito, & conſilio, ut noſmet determinemus, nobiſque magis manifeſtam efficiamus Dei voluntatem: certum quippe eſt Deum, qui omnia cum ordine fecit, velle, ut quem a nobis in iis, quæcumque facimus, ordinem obſervari. Neque credendum eſt, eo quod votum nuncupavimus alia religioſæ vitæ officia exercendi, poſſe noſmet ab illis diſpenſare, quæ nobis ſunt adjumento, ut noſmet in pietate, & cultu Dei confirmemus. *Eſſais de Morale tome 1.*

Dei voluntatem ordinate validum contra otium amuletum.

Dicere poſſumus peculiarem hanc regulam, quam ſibi quiſque facile præſcribere, & obſervare poteſt, præſentiſſimum eſſe contra otium tot malorum originem amuletum: quomodo enim vitium hoc adeo commune locum habere poteſt in eo, cujus omnes horæ ordinatæ ſunt, & qui novit, quanam in re illas debeat impendere? Cæterum quemadmodum per hunc ordinem hanc nobis irrogare debemus legem nihil negligendi, ſed pro viribus ſedulo perficiendi ea, quæ debemus, ut ſatis muneri noſtro faciamus, omne tempus cuilibet actioni debitum impendetur; atque hoc pacto neque ulla temporis jactura, neque negligentia ulla metuenda eſt. Si quid autem forte acciderit, quod non comprehendatur ordine, quem ipſi nobis præſcripſimus, ad illa intervalla, & ſucceſſivas horas reſervatur, quandoquidem non ita ſtrictim temporis menſura capi poteſt, ut nihil abundet. *Sermo Manuſcriptus.*

Cum regularis vita ſit pleruumque uniformis, præſertim vero in familiis, ubi eadem quotidie fiunt, & in munere aliquo, vel alicujus magiſtratus officiis; attamen duo hæc longe inter ſe diſtant, agere ex conſuetudine, & alicujus rei faciendæ ex ordine conſuetudinem ſibi efformare. Agere ex conſuetudine eſt, parum laborare de munere ſuo perfungendo, dummodo imperata fiant, quin ulla afferatur diligentia, quæ ad ea facienda requiritur. Regulam vero, & conſuetudinem efformare ſingula ex ordine, & ſuis quæque temporibus efficiendi, hæc ratio eſt eadem bene efficiendi; quemadmodum ex omnibus artibus patet, in quibus opifices quotidie peritiores fiunt exercitatione; cum experientia, & habitus ſint in cauſa, ut omnia facilius, perfectiuſque exequantur. *Idem.*

Hæc ordinata vita communis eſt via, per quam Deus pleroſque ſanctos adducit.

Ordinata hæc, & regularis vita, quam infiniti propemodum Sancti ſecuti ſunt, recta via eſt, per quam illos deduxit Deus. Etenim quamvis nemo diffiteri poſſit, a Deo plures per inuſitatas vias deduci, fatendum eſt tamen hanc omnium eſſe communiſſimam, atque facilliorem. Et profecto Sancti omnes neque Eremitæ fuerunt, neque Apoſtoli, neque Martyres. Maximus eorum numerus, quibus hodie cœlum repletum eſt, eorum eſt, qui in terris communem vitam vixerunt. Hi olim fuere, quod vos nunc eſtis: & ſi eorum vitæ rationem, actioneſque perpenditis, invenietis eorum pleroſque, quos eccleſia in Sanctorum albo deſcriptos colit, non ſemper egregie facta, longis laboribus, ac inuſitatis operibus enituiſſe; ſed communi vita, magiſtratus alicujus officiis, familiæ cura, iiſdemque muneribus, quæ vos hodie exercetis. Illud vero in illis peculiare deprehendetis, in quo etiam facile eos imitari eſt, & voſmet ad illorum exemplum componere, hoc eſt, quod admirabili vigilantia munera obibant ſua; quod vitam bene inſtitutam, ſuiſque officiis adimplendis attentam agebant, quin umquam a propoſita ſibi vivendi norma deflecterent. Inter hos etiam Principes, regeſque videbitis, quibus ſtatutum erat pro negotiis tempus, alterum vero pro actionibus, & exercitiis pietatis; qui iti fiſci rationes inſtituerant, ut illius pars altera in miſerorum ope, ultera vero in reipublicæ neceſſitate impenderetur: ibi invenietis etiam Magiſtratus, viroſque vario dignitatum genere coruſcantes, qui hac etiam in re ob oculos Dei nituerunt. Omnia in eorum domo bene erant inſtituta, perſonæ, ſervi, preces, labor, officia. Omnia ibi prudenter erant diſpoſita, & fideliter adimpleta. Et hæc illa via eſt facilis, & admirabilis, per quam Deus illos deduxit: *deduxit illos in via mirabili*, ut Sapiens c. 10. ait, loquens de eo modo, quo Deus populum Iſrael in terram promiſſam adduxit. *Auctor Sermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta, ſermone hujus argumenti, tom. 3. ſermonum particularium.*

Conſolatio in morte ob vitam regulariter anteactam.

Magna profecto in mortis articulo erit conſolatio poſſe nobiſmet hoc perhibere teſtimonium, nos non ex libidine, malove conſilio hoc illudve facinus aggreſſos fuiſſe, atque huic, vel illi exercitio vacaſſe; ſed cum omnes iſtæ actiones ſint intra officiorum noſtrorum ordinem, nos Dei voluntatem perfeciſſe, & ſi quis obrepit error in ea ratione, qua illis perfuncti ſumus, eas ſaltem re ipſa juſtas, & ſanctas fuiſſe. Certi etiam eſſe poterimus, dies noſtros in Dei ſervitio fuiſſe traductos, quandoquidem

dem ſecuti ordinem ſumus nobis ab illis indigitatum, quos nobis præfecit, ut ab iis regeremur; & ſi quid erravimus, ſemper tamen multum eſſe, nequaquam cecidiſſe in ea flagitia, in quæ abnormis & exlex vita nos impuliſſet. Quod ſi una dies ſancte ordinata non ſolum ſine ſcelere, verum etiam cum tot meritis tranſigitur, conjicite, quod gloriæ pondus, quanta mercedis amplitudo vos maneat poſt finem vitæ chriſtianæ, & in jugi bonarum actionum exercitatione traductæ, quales illæ ſunt, quæ adeo viſibilem divinæ voluntatis gerunt characterem. *Idem.*

In ſtatus ſui officiis regularem eſſe certa eſt ad ſalutem via.

Eſto quidem in hac vitæ privatæ, atque uniformis ratione non adeo inſignes actiones fiant, ac aliæ, quæ alterius ſunt profeſſionis per ſe perfectioris, quales ſunt eccleſiaſticorum, & cænobitarum. Eſto non tot affluentes erogentur eleemoſynæ, nec frequentes effundantur preces, neque in hoc vitæ genere tot exerceantur auſteritates, quot a religioſis viris exerceri conſueverunt. Non quæritur hoc in loco, uter ſtatus perfectior ſit, atque ad ſalutem utilior; ſed certa quæritur ratio noſmet ſalvos faciendi in eo ſtatu, in quo nos Providentia conſtituit; & ajo, hanc eſſe regularem, ſedulum, ac fidelem ſe præbere in obſervantia eorum officiorum, quæ huic inhærent ſtatui; & eos, qui perfectiorem, ſanctioremque ſtatum amplexi ſunt, ut ſe ſanctos, ac perfectos in eodem efficiant, in ipſo regulares eſſe, & conſtantem ordinem, quem ſibi in eo præſcripſerunt, ſequi debere. *Idem.*

Ex quo in vitæ ratione nullus ordo ſervatur, jam effuſa licentia vocari poteſt; neque enim aliud facere volumus, quam quod nobis placet, quod fere in vitium degenerat; huc enim ſenſim deſcenſus fit. Etenim cum nulli noſmet ſubjicere poſſumus regulæ, ut fidelius ſtatus, ac religionis noſtræ muneribus perſungamur, quamprimum prorſus excutimus jugum Dei, noſmet diſpenſantes ab iis, quæ inter chriſtianæ religionis officia magis auſtera ſunt; cumque idem licentiæ ſpiritus ubique graſſetur, neque a perſonis, neque a temporibus pendere volumus, & quamprimum non aliam actionum noſtrarum normam legemque habemus, quam ingenium, libidinemque noſtram, quæ ubi illa ſequamur, quantum mali ferat, ipſi noſtis. *Idem.*

Suavitas, & tranquillitas, quæ in regulari, & chriſtiana vita guſtatur.

Qui mundi rumoribus aſſueverunt, vitam bene inſtitutam, ordinatamque tædioſiſſimam, ac moleſtiſſimam putant, verum jurene, an injuria! Viri boni in regulari & chriſtiana vita purum percipiunt gaudium, ac jugem tranquillitatem: numquid deflendi ſunt, eo quod mundum nequitiam, & effrænem ſeculi licentiam perhorreſcunt? Numquid miſeri habendi ſunt, quia tumultum vitant illi, quos in receſſu Deus ſuaviſſimis conſolat conſolationibus, & quorum pœnas ſuaves efficit ea, quam ſuper infundit, unctione? Næ illi quidem admodum felices dicendi ſunt, in hac etiam vita, quoniam, ubi ſine ulla agimus præoccupatione, facere non poſſumus, quin illis invideamus; & poſtquam omnibus voluptatibus perfruiti ſumus, cogimur ad chriſtiani hominis officium redire, atque ad illud tamquam unicum bonum, quod cor humanum replere valeat, reverti; nimis beati, ſi poſtquam per omnes jucundiſſimos ſtatus tranſvecti cum Sapiente fateamur, omnia ſuper terram vanitatem eſſe, & ſpiritus afflictionem, ſi Dei charitas abſit. *P. Croiſet, in chriſtianis conſiderationibus.*

Vera devotio eſt in officiis eſſe diligentem.

Diligentiam, quam in voluntatum ſuarum executione, ſuorumque præceptorum obſervantia, expetit Deus, conſiderans David exclamat: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Pſal. 118. Sanctus Propheta hac in re ſibi ſatisfacere non poterat; & quantumcumque ſtudium ipſe adhiberet, longe minus videbat eſſe eo, quod ſibi adſerendum ſentiebat. Cum igitur vera, & ſolida pietas in hac fidelitate conſiſtat, qua divina lex adimpletur; inde emenda eſt regula, ſecundum quam totus interior ſtatus, tota devotionis ratio, totaque vitæ forma ad examen vocanda eſt. Omnes enim ſtatus, devotiones omnes, omniſque praxis, quæ nos ab officiis noſtris avertunt, pravæ ſunt. Hoc ipſum explicite apud S. Joannem Apoſtolum Ep. 1. c. 2. Deus ipſe teſtatur: *Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.* Quamobrem hic idem ſanctus non ait illum, qui frugi eſt, & magnos habet pietatis ſenſus, *juſtum eſſe*, ſed illum, qui omnem adimplet juſtitiam: *Qui facit juſtitiam, juſtus eſt. Eſſais de morale tomo 10.*

A propriis ſuis actionibus, ſpiritus regularitatis profectus noſtræ originem.

Maturato induere debemus ſpiritum ordinis, regulæque, ut quæcumque temporibus ſuis fiant; perturbatio ſpiritus ſtatim actionum perturbationem producit. Officium noſtrum negligimus, ex quo illius obeundi regulam contemnimus. Cæterum cum actiones extra ſuum locum, tempuſque fiunt, id ſæpe argumento eſt, nos bonum inter, ac malum hærere, atque modo hoc, modo illo ad agendum impelli. Vera ſemet aſſueſaciendi huic ſpiritui ordinis, & regulæ, quæ ad rectam vivendi rationem inſtituendam eſt adeo neceſſaria, ratio eſt ſemet ſubjicere non ſolum ſuo rebus in omnibus officio, verum etiam ejuſdem obeundi modo; hoc eſt ſibimet quaſdam præſcribere occupationes, ſed illas ſibi præſcribere, & ſervare ſtatis horis, quæ ita actiones noſtras ſingillatim partiantur, ut ubi ſummatim conſiderentur, vitam regularem componere deprehendatur. Cum aliqua ex his occupationibus in alias transfertur horas ab illis, quæ fuerant conſtitutæ, tota aliarum ſeries perturbatur, & hæc perturbatio cauſa eſt, quod tædio afficimur, quia actiones ipſas extra earum locum exturbans illarum pretium imminuit, ideoque aufert guſtum, quo eaſdem peragentes afficiebamur. Fateor equidem fieri non poſſe, quominus a regula propoſita recedamus, atque inopinatas, nec non neceſſarias res contingere poſſe, quibus cum ipſius ordinis detrimento cedere oportet; ſed cum ex neceſſitate regulam relinquimus, ad eamdem, ubi liceat, non ægre, neque gravate redimus. Hoc autem dici nequit de illis, qui per animi inconſtantiam illam relinquunt, non enim ſolum periculoſum eſt, ne ad eam revertantur, verum etiam periculum eſt, ne alio umquam tempore faciant id, quod omiſerunt eo, quod ad illud faciendum deſtinatum erat. Non longe abeſt, quominus ille ab officio deficiat, qui illud vel ex libidine anteverterit, vel ex inertia, & relaxatione poſtponit. *Jean. Picus in libro, cui titulus: Puerorum educatio.*

Niſi pueri huic regulæ conſueſcerent, numquam vel in pietate, vel in ſcientiis proficerent. Si enim certum eſt, illos hac ætate ſuo perfungi munere ex habitu magis, quam ratione, certius adhuc eſt, habitum nonniſi per regulam contrahi. Hæc rebus in omnibus adeo neceſſaria eſt, ut ſine illa nihil fere perficiatur, vel ſaltem nihil fiat boni. Hinc illi, qui ſuopte ingenio ſunt impatientes, & quos tædet facile ejus rei, cui manum admoverunt, & agunt, quin ullam ſibi præſcribant regulam, diſcere debent, quod cum fieri nequaquam poſſit, ut repente ad exitum ejus rei perveniant, quam aggreſſi ſunt, patientia quidem opus eſt, ut laborem ſuſtineant, regula vero, ut rite illum abſolvant. Non deſunt, qui quod plura ſimul facere volunt, vel omnia intempeſtive conantur, numquam perficiunt, vel operantur aliquid laude dignum. Si vis ergo, pueros cum fructu ad laborem incumbere, atque in pietate, ac ſcientiis proficere, poſtquam ſtatutum eſt, quod ab illis exigis fieri, tempus, quo illos facere cupis, eligendum eſt; omnes illorum occupationes ad leviſſimam quamlibet diſtribuendæ ſunt, ac huic ipſæ ad minimum uſque momentum dividendæ. Præſcribendum illis eſt tempus, quod Deo debent impendere, illud, quod in ſtudiis debent tranſmittere, tempus ſolatii, atque prandii; horæque ſingulæ hac ratione divinæ ita fideliter in conſtitutis exercitationibus impendendæ ſunt, ut enorme facinus commiſiſſe ſe putet, & in veram cecidiſſe relaxationem, qui ſine ulla neceſſitate ab uſu ſibi præſcripto divertit. *Idem.*

Vera virtutis character eſt

Quam maxime intereſt, nos incumbere ad conſtantis regularitatis praxim, nec non ad officiorum

noſtro-

Conſtans regularitas in monaſteriis ſuis obſervandis. noſtrorum obſervantiam ea cura, quæ magis late pateat, magiſque illuminata ſit, quam vulgo eſſe ſoleat; quippe nobis perſuaſum eſſe debet, in hoc noſtram conſiſtere perfectionem, & hanc eſſe ſanctitatem, quam Deus præſtolarur a nobis in eo vitæ ſtatu, ad quem nos Providentia evocavit. In virtutis exercitatione facile fallimur, ac ſæpe externa ſpecies pro *re* ipſa ſumitur. Non latet, actiones jucunda hac ſpecie ornatas placere, ac movere; & ignorare volumus, has coram Deo neque meritum habere, nec pretium; quandoquidem ſunt fallaces, ſterileſque fructus ſecretæ ſuperbiæ, quæ uni ſibi ſatisfacere quærit. Ne obliviſcamur ergo regularem vitam, quam virtus regit, miraculorum eſſe congeriem. Sapiens inquirit hanc veram virtutem inter eos etiam, qui profitentur illam, ac vix eam reperit: *Quis eſt hic? & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita ſua.* Eccli. 30. Sed affirmare poſſum regularem vitam, quantumvis communem, eſſe veræ virtutis characterem. *Auctor recens, & Anonymus.*

Qui Deo ſervire incipiunt habere debent ordinata pietatis exercitia. Docet experientia, homines mundo addictos, & qui incipere volunt ſeſe dedere Deo, indigere quibuſdam pietatis exercitiis, quæ ſibimet ſuccedant, & quæ ſtatis horis fiant; quæ tunc illis magnæ ſunt utilitatis, quantumvis tanta cum perfectione non adimpleantur. Hoc figit naturalem mobilitatem ingenii, quod jam pridem evagari conſuevit: eoſque aſſuefacit iis in rebus ſe ipſos torquere, quæ non admodum jucundæ accidunt ipſis: nihilque ſaluti eſt adeo neceſſarium, quam imperium hoc, quod ſenſim quilibet in ſe ipſum acquirit, ut faciat, quod faciendum eſt, non quod facere vellet. Hoc implet vacua temporis intervalla, per quæ extra ſemet homo evagatur, non ſine manifeſto periculo ad priſtinas conſuetudines revertendi. Regularis hæc praxis, ubi pietatis, & religionis ſpiritu fiat, egregia eſt pro præterita ignavia ſatisfactio, & uberrima meritorum, & gratiæ pro futuro tempore origo. *P. Surin, tomo 3. Dialogorum Aſceticorum.*

RELIGIO.

Status religioſus, vocatio ad hunc ſtatum, religionis vota, ingreſſi in religionem, profeſſio, & quidquid ad hoc pertinet argumentum.

MONITUM.

NUllum eſt hoc vulgatius argumentum; nulla enim fere eſt religioſa ſodalitas, in qua cum religionis habitus induitur, vel profeſſionis vota emittuntur, non habeatur aliquis ſermo, quo illi, qui, vel quæ hunc ſtatum amplectitur, oſtendatur vocationis ejus felicitas, officia eidem inhærentia, eorum obeundorum neceſſitas, facilitas ſalutem ſuam operandi, & tandem utilitas quanta ſit per religionis vota ſe ſe divino cultui devovere. Sed inde etiam inferri poteſt, quanta ſit hujus argumenti copia, quod plurimas ſuppeditat concionum ſtructuras, locos, auctoritates, & egregie dicta ex Sanctis Patribus, ex libris hoc in argumento editis, & ex concionatoribus, qui hac de re egerunt, deprompta. Quamobrem cum omnia afferri non poſſint, ea tantum colligere ſatis eſſe duxi, quæ magis ſolida, atque utilia occurrerunt.

Attamen de votis, quæ omnibus religioſis ordinibus communia ſunt, generatim dumtaxat verba faciemus; de paupertate enim, caſtitate, & obedientia ſigillatim ſub peculiaribus titulis actum eſt; & infiniti laboris eſſet, de ſingulis hic verba facere, quod præſtant libri de induſtria in hoc argumentum concinnati. Quod autem ſpectat ad regulas, & religioſas obſervantias alibi jam locuti ſumus ſub titulo regularitatis; ideoque argumentum hoc tam amplum intra juſtos fines coarctabimus.

Demum quamvis Sermones omnes, qui hoc in argumento fiunt, ad eos peculiariter dirigantur, qui ſtatum hunc vel ingreſſi ſunt, vel ingrediuntur; illi etiam, qui in mundo vivunt, inde aliquem fructum percipere poſſunt, ſi illos hortetur, ut fideles, & vigilantes ſint in muneribus ſuis obeundis, & conſiderent, cum in majori ſalutis ſuæ periculo verſentur, pluribuſque pateant intereundi occaſionibus, imitandos illis eſſe religioſos in ſolitudine, in terrenarum rerum contemptu, occaſionum fuga &c.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti ſtructuræ.

I. IN hæc S. Matth. 19. verba: *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Cætera religioſæ vocationis omitto bona, ut unum illud perſequar, quo reliqua continentur, quod videlicet religioſum ſtatum amplexi cum Deo conſuetudinem inimus, ſolemnem cum eo contractum paciſcimur, quo ille cultui ſuo ſeſe devoventi certam regni ſui, æternæque beatitudinis poſſeſſionem pollicetur. Polliceri autem certam poſſeſſionem dico, dummodo ille ſtatus hujus fideliter munera adimpleat. Ad tantum hoc bonum ſolide probandum, nequaquam opus eſt multis, ſatiſque puto eſſe vobis oſtendere, illud duobus inniti principiis, quæ æque certa ſunt, & manifeſta. Primum eſt, Deum in liberanda fide fideliſſimum eſſe, dummodo eæ, quæ requiruntur, conditiones adimpleantur. Alterum eſt, in religioſo ſtatu facillimum eſſe has adimplere conditiones; unde neceſſaria illatione conſequitur, quod voto ſeſe religioſæ vitæ ducendæ adſtringere, hoc eſt moraliter certum eſſe ſalutis ſuæ. Hoc hujus concionis argumentum eſt, hæc partitio.

Pars prima. Primum igitur dico, eum, qui generale cum ſæculo divortium facit, ut ſe ſe Deo penitus devoveat, in religionis ſtatu moralem habere ſalutis, æternæque ſuæ felicitatis beatitudinem, dummodo ipſe fideliter omnia ſuæ vocationis munera adimpleat; cujus certitudinis fundamentum eſt ſermo Dei, qui in præſtanda eorum, quæ pollicitus eſt, fide diligentiſſimus eſt: *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem &c. centuplum accipiet, & vitam*

æternum poſſidebit. Matth. 19. 1. Hæc verba ſunt adeo aperta, ut illis alius appingi ſenſus non poſſit. Quid autem eſt promittere, niſi ſeſe obligare faciendæ, vel dandæ alicui rei, quam minime debea? Et ſi quicumque ſpopondit, fidem liberare tenetur, ne inconſtans, vel mendax habeatur; quid tandem erit de verbo Dei, qui illud neque revocare, neque violare poteſt? 2. Qui non ſolum id oretenus recepit, ſed per chirographum ſuo ſignatum ſanguine; hæc enim verba in evangelio, novoque teſtamento deſcripta ſunt. 3. Qui non ſecreto ſolum promiſit, ſed voluit, omnes apoſtolos, diſcipuloſque omnes teſtes eſſe hujus promiſſionis: *dicebat ad omnes*, quemadmodum ſacer textus ait. 4. Voluit, a tribus Evangeliſtis, qui ſunt velut totidem ſibi a ſecretis, in novæ legis volumine promiſſionem hanc palam recenſeri, eamque velut ex præcipuis ejuſdem articulis haberi. Non igitur magis certa habere poſſumus adeo præclaræ promiſſionis teſtimonia, neque magis nobis eſſe probata poteſt promittentis fidelitas. Hoc igitur poſito adeo veram eſſe hanc promiſſionem, ambigere ne licet, quominus ad unguem ſit adimplenda? Alioquin Dei filius in ſuſpicionem vocandus eſſet malæ fidei, & ſanctitas eadem iniquitatis nomine damnanda. 5. Neque apoſtolis tantum, ac diſcipulis, qui aderant, hoc magnifice recepit Salvator, ſed fidelibus omnibus, cujuſcumque ætatis eſſent, & conditionis: *Omnis qui reliquerit* &c. Sed facile oſtendere poſſumus ab illis tantum, qui religioſum ſtatum amplectuntur, eas adimpleri conditiones, quibus propoſita promiſſia facta eſt, & ab illis tantum per triam votorum obſervantiam illas ad litteræ apicem, & perfectiſſime adimpleri. 6. Neque propter fidelitatem dumtaxat, & bonitatem ſuam tenetur Deus fidem præſtare, verum etiam ex S. Hieronymi, plurimorumque Doctorum ſententia, per quamdam juſtitiæ ſpeciem tenentur: hæc enim eſt ſpecies contractus ipſam inter, & creaturam initi, & contractus oneroſi pro eo, qui ſeſe Deo mancipat, qui omnia relinquit, qui propter illius amorem rebus omnibus abrenunciet, qua propoſita conditione Deus regnum ſuum illi ſe daturum pollicetur. Æquum igitur eſt, utrinque ſervari fidem; quod innuere voluiſſe videtur Apoſtolus Petrus, cum Salvatori, qui hoc promiſeſat, reddidit: *Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?* Matth. 19. Adimplevimus Domine ea, quæ dixiſti, ac poſtulaſti, quam ergo nobis ideo mercedem retribues? Hoc unum metuendum eſt, ne qui ſe ſe devovet, ut Dei filium ſub adeo gravibus & oneroſis conditionibus ſequatur, eas minime ſervet, ideoque Deus promiſſi ſidem præſtare non teneatur. Ut autem vos excitem, ut quantum in vobis eſt, fideliter illas ſervetis, oſtendam, haud operoſum eſſe has ſervare conditiones, quæ jus vobis tribuunt mercedem hanc repoſcendi; & quantum difficile eſt in mundo chriſtianam vitam ducere, & ſalutem ſuam operari, tantum facile eſſe illam in religione operari, ibique felicitatem acquirere; quæ pars eſt altera.

Argumenta adeo aperta, & manifeſta ſunt, ut ſimplex ſatis ſit expoſitio, ut hæc veritas innoteſcat: 1. quia nullus illic invenitur obex virtuti, & ſanctitati, nulla negotiorum impedimenta, quæ mentem avertant, nullæ occaſiones, vel prava exempla, quæ in crimen impellant. Mundum relinquentes relinquimus ſimul quidquid effice mandionis illius contagionem, & omnibus, quibus ille refertus eſt, periculis liberamur. Hinc fit, ut qui in mundo vivunt, & Deo fideles eſſe cupiunt, ſæpe religioſis invideant hominibus, eo quod iſti illis expediti ſint curis, quibus illi carere non poſſunt. 2. Quia valida habent bonum operandi ſubſidia; bona exempla, fere jugis oratio, bonorum librorum lectio, ſuperiorum vigilantia, exhortationes, Sacramentorum frequentia &c. 3. Quia huic ſtatui peculiares inhærent gratiæ, atque ſubſidia. Finis denique faciendus eſt eum, qui hunc amplectitur ſtatum, hortando, ut his uti velit adminiculis, eique felicem electionem gratulari.

II. Idem aſſumi poteſt argumentum, & aliter efferri, oſtendendo, quod religioſum ſtatum amplecti, ejuſque officia diligenter obire nota eſt prædeſtinationis, quæ in hac vita haberi poſſit certiſſima; ubi pro concionis partitione ea deſumi poſſunt Apoſtoli ad Rom. 8. verba: *Quos Deus prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*: vocatio ad ſtatum ſanctitatis, perfecta juſtificatio, quæ fit per remiſſionem peccatorum, certitudo gloriæ immortalis, quæ nobis eſt deſtinata. Hæc in religioſo ſtatu certius, quam alibi inveniuntur.

1. *Quos Deus prædeſtinavit, hos & vocavit*. Quia cum aliquem ad hunc vitæ ſtatum evocat, ideo vocat, ut vitam ducat conformem vitæ Salvatoris, qui eſt prædeſtinatorum exemplar: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui*. Certiſſima igitur æternæ beatitudinis acquirendæ via eſt, palam profiteri ejuſdem perfectiorem præ reliquis fidelibus imitationem. Quid autem eſt paupertatem, caſtitatem, & obedientiam vovere, quam in ſe perfectam Salvatoris imaginem exprimere? 2. *Quos vocavit, hos & juſtificavit*. Hæc maxima eſt moralis certitudo, quam de juſtificatione noſtra, videlicet peccatorum venia habere poſſumus; etenim per hoc perfectam præ nobis ferimus converſionem relinquentes mundum, ut noſmet divino cultui devoveamus, & ex Patrum, Theologorumque ſententia hic alter eſt baptiſmus, quo omnia peccata noſtra, ut loquuntur, quoad pœnam, & quoad culpam delentur, idque per meritum adeo heroicæ actionis; quam ob cauſam non ſecus ac propter alias martyrio comparatur. 3. *Et quos juſtificavit, illos & glorificavit*. Deus eminentem pollicetur in regno ſuo ſedem illis, qui omnia propter ejus amorem reliquerint: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael*, Matth. 19. quod Patres, atque Theologi commune apoſtolis, & religioſis eſſe teſtantur; quia eamdem præſeferunt animi conſtantiam, eamdemque peragunt actionem, quæ mercedem eamdem meretur.

In alium hunc locum, ad Galat. 6. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*, oſtendi poteſt III.
mentis, & cordis affectio, quam habere debet religioſus erga mundum, quem reliquit. Ea vero duabus in rebus conſiſtit.

Prior eſt, in ſenſibus, quos habere debet de mundo, illum tamquam crucifixum cogitans: *Mihi mundus crucifixus eſt*. Videlicet: 1. debet illum, ejuſque bona, honores, & voluptates contemnere, omniaque illius placita perhorreſcere: 2. nullam umquam cum illo conſuetudinem habere, & inimicum putare, niſi forteſſe, ut convertatur: 3. illum tamquam a Deo maledictum reſpicere. *Maledictus, qui pendet in ligno*, ad Galat. 3. quia per ſcelera, quæ illic patrantur, in ſe Dei maledicta detorquet.

Altera; *Et ego mundo*. Religioſus viciſſim nullo in diſcrimine habere debet, quid de ſe mundus ſentiat. 1. quod ipſum tamquam mortuum hominem putet, eumque oblivioni tradat, quod nulla ipſius ratio habeatur: 2. quod putetur tamquam inſipiens, & contemptus, odii, & contumeliarum objectum ſit: 3. quia immo religioſus cruces, & humiliationes, quibus illum mundus perſequitur, tamquam partem ſuam eſſe ducat.

In hæc S. Matthæi 16. verba: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat cru*- IV.
cem ſuam, & ſequatur me. Paucis his verbis eorum continentur officia, qui in religionis ſtatu ſeſe Deo mancipant. 1. *Abneget ſemetipſum*. Qui hunc ſtatum ingreditur, omnino abnegat ſemet ipſum, ſuæ abrenunciat voluntati, libertati, deſideriis, ſtudiis maxime naturalibus, ipſis etiam mentis luminibus, ut alienam tantummodo voluntatem ſequatur; atque ſe ipſum hoc abnegans pacto integrum, & abſolutiſſimum ſui ipſius offert ſacrificium. 2. *Tollat crucem ſuam*. Gerit crucem ſuam jugi mentis, corporiſque, omniumque ſenſuum mortificatione, vitaque dura, & auſtera. 3. *Et ſequatur me*. Re ipſa ſequitur Chriſtum

vitam

Digitized by Google

vitam ducens vitæ illius perfecte conformem, illius ſequitur inſtituta, ex numero eſt ſectatorum, & diſcipulorum ejus, & quantum fieri poteſt, perfectum hoc virtutum omnium imitatur exemplar.

V. Religionis ſtatus pluribus in rebus ſæcularium conditioni præſtat; ſed habet ſua propria, & particularia officia. Ex duabus hiſce rebus duplex fieri poteſt pars orationis. 1. Bona hæc ad tria potiſſimum redigi poſſunt, quibus alia continentur; videlicet ad immunitatem curarum, ſollicitudinum, & impedimentorum mundi, quæ perturbant requiem bonorum, cor eorum partiuntur, prohibentque, ne Deo penitus vacent; ad receſſum ab omnibus ſalutis periculis, in quibus homines plerique verſantur; ad ſubſidia, quæ in hac vita ſuppetunt, ducendi vitam magis innocuam, & exercendi virtutes, quæ æternam beatitudinem noſtram certam efficiant. 2. Obligationes, & officia huic ſtatui inhærentia, videlicet quam diligentiſſime adimplere tria vota, quæ cuilibet religioſo ordini communia ſunt; per votum paupertatis omnibus terræ bonis abrenunciare, & abdicare jus, & ſpem alia impoſterum poſſidendi, atque generatim ſeſe rebus omnibus exuere: per caſtitatis votum nuncium mittere omnibus ſenſuum voluptatibus jugi mortificatione; ac tandem per obedientiæ votum libertatem, & voluntatem abnegare, ut rebus in omnibus alienam ſequaris.

VI. In hæc S. Pauli ad Coloſſ. 3. verba: *Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo*, oſtendere poſſumus, religioſum eſſe in mortis ſtatu erga mundum, ſed in Deo, & propter Deum vitam vivere millies beatiorem. 1. Mortuus eſt mundo: quemadmodum enim mortuus neceſſario a rebus omnibus, a vitæ hujus bonis, a conſanguineis, & affinibus ſeparatus eſt, religioſus per mortem voluntariam ſe ipſum ab his omnibus ſeparat: hæc eſt rerum omnium abnegatio. Præterea civili jure mortuus eſt, non recenſetur amplius inter homines, omnibus exutus dignitatibus, ſi quas antea obtinuerat: nullum amplius gradum ſervat, cuilibet publico muneri impar: nullum amplius commercium habere, nullam hæreditatem adire poteſt; verbo, in mundo eſt, quaſi non eſſet amplius. Tertio ſuffert quamdam mortis naturalis ſpeciem per jugem mortificationem, quæ jejuniis, vigiliis, aliiſque corporis auſteritatibus extremum prævertit diem. 2. Sed viciſſim religioſus ſuæ vocationi fidelis, qui ſollicite ſuum munus adimplet, vitam vivit ſpiritualem prorſus ſanctam, atque divinam, per hæc Apoſtoli verba expreſſam: *Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo*; vitam nempe in Deo abſconditam, & quæ tota Deo eſt devota, qualis fuit vita Jeſu Chriſti. Primum enim non vivit niſi propter Deum, pro cultu illius, ut eum laudet, atque glorificet. Secundo vivit vitam gratiæ, & charitatis, quæ vita eſt divina, cujus principium Deus eſt, & cujus motus tendunt in Deum; vitam denique, quæ facit filium Dei modo prorſus peculiari. Tertio vitam ducit tranquillam, immunem ab omni pravæ conſcientiæ tumultu, & in ſpe vitæ æque immortalis, beatæ æternitatis.

VII. Comparatio jugi filii Dei cum jugo mundi.

Jugum, quod mundus ſervis ſuis injicit, grave, & onerofum eſt: quod oſtendendum eſt inductione difficilium legum illius, quibus mundi ſectatores ſe ſe ſubjiciunt; cum interea Jeſu Chriſti jugum ſuave ſit, & leve: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. 2. Mundi jugum turpe eſt; turpe enim eſt ſuis obſequi cupiditatibus, cum e contra glorioſum ſit ſe ſe jugo Salvatoris ſubjicere, propter quod ſupremi etiam Monarchæ gloriantur. 3. Salvatoris jugum efficit, ut gaudeamus libertate filiorum Dei, cum e contra mundi jugum crucem inferat nobis, omnemque auferat libertatem. Illud nos liberat ex tyrannide peccati, cui mundus eos ſubjicit, qui ſibi inſerviunt; nobiſque certam facit libertatem beatorum in cœlo, quam nobis pro illa, quam in terris ei devovemus, remuneratur.

VIII. Triplici bono, quod Religionis in ſe continet beneficium, homo triplex ſolemne votum emittens, reſpondet triplici heroica actione, qua fidem ſuam gratiæ pollicetur. 1. Si liberat Deus animam ex mundi laqueis, & inſidiis, hæc illi viciſſim ſacrificat quidquid illecebrarum mundus habet, ut cor humanum alliciat. 2. Si Deus illam traducit in ſtatum, qui tutus eſt portus, atque virtutis perfugium, hæc viciſſim omnem hujus ſtatus rigorem, & auſteritatem amplectitur. 3. Si Deus facilem illi præbet religionis aditum prævenientis illecebra gratiæ, ipſa viciſſim illius exitum obſtruit voto, quo illud perficit ſacrificium, quod offert Deo. *Ex P. Cheminais tomo 1. puncto ſecundo ſermonis ob religioſam profeſſionem habiti.*

Sanctorum patrum, doctorumque ſententia eſt, religioſum vota emittentem verum perficere ſacrificium. In Scripturis autem tria ſacrificiorum genera invenio, quæ juſſit Deus in lege veteri offerri ſibi, ut vera exhiberet ſacrificia, quæ Chriſtiani Deo poſſunt offerre. IX.

Prima ſpecies eſt holocauſtum, in quo ad ſupremum Dei in omnia creata confitendum imperium victima omnino abſumebatur, idque præſtantiſſimum inter omnia ſacrificia, antonomaſtice cultus, pietatis, & latriæ ſacrificium appellabatur. Hoc illud ſacrificium eſt, quod religioſus facit; ſe ſe totum immolat Deo, exteriora quidem bona per paupertatem, corpus vero per caſtitatem, voluntatem denique per obedientiam.

Altera ſacrificii ſpecies erat *Sacrificium pro peccato*; quo nomine in Scripturis vocatur Sacrificium ſatisfactionis, & pœnitentiæ. Cum enim magna ſit hominis fragilitas, fieri non poteſt, quo minus aliquando leges Domini infringens illius ſubeat indignationem. Sed per oblationem, quam religioſus facit Deo per vota ſua, ſatisfacit pro peccatis omnibus, uti docent Doctores, & ſe in perfectæ pœnitentiæ ſtatu conſtituit.

Tertia ſpecies eſt ſacrificium, quod pacificum, vel euchariſticum dicebatur, quo aliquis ſuam agnoſcens egeſtatem, & liberalitatem Dei, ab eo aliquod petebat beneficium, vel ob ea, quibus auctus fuerat, ei gratias agebat. At plura ne a Deo impetrari poſſunt beneficia, plures illi ob accepta gratiæ poſſunt haberi, plures illi deferri laudes, quam noſmet cultui illius devovendo, ut perfectius omnibus muneribus noſtris perfungamur? *Ex Abbate Verjus, ſermone habito dum monialis quædam religionem ingrederetur.*

Cum aliquis religionis habitum induit; aſſumptis pro themate verbis, quæ Scriptura de muliere forte dicit: *Fortitudo, & decor indumentum ejus*, duo poſſunt oſtendi: 1. Habitum religionis fortitudinem eſſe gerentis illud; hic enim quodammodo ipſum induit Jeſum Chriſtum, ut Apoſtolus loquitur. Hic illius, ut ita dicam, gerit inſignia, ideoque ſub ejus præſidium confugit, eumque cogit, ut ſe contra ſalutis ſuæ inimicos tueatur: 2. *Decor* eſt, & maximam illius gloriam conſtituit propter honorem, quo fruitur ad Deum pertinendi, ac ferendi inſignia Regis illius, qui in cœlo, terraque dominatur. *Ex Auctore ſermonum in omnia ethicæ chriſtianæ argumenta tomo 4. quintæ partis peculiares ſermones continentis: in ſermone hujus argumenti.* X.

De religioſa vocatione. 1. In priori puncto amplificari poteſt gratia a Deo illis collata, quos ad ſtatum adeo ſanctum, & ſaluti utilem evocat. 2. In altero; quid viciſſim exigat ab illis, ut beneficii hujus magnitudini reſpondeant. *Ex eodem.* XI.

Pro religioſa profeſſione aſſumptis pro themate illis Deuteronomii verbis: *Dominum elegiſti hodie, ut ſit tibi Deus, ut ambules in viis ejus, & obedias ejus imperio*. 1. *Dominum elegiſti, ut ſit tibi Deus*. Oſtendi poteſt, quemadmodum per religioſam profeſſionem noſmet Deo integre, & ſine ulla exceptione devovemus, ita inveniri, & perfectius poſſideri poſt integram terrenorum bonorum abnegationem; cum in mundo ſemper diviſi, atque impediti ſimus. 2. Illic incedi per eas vias, quas ipſe nobis Salvator indigitavit, per crucem, ſenſuumque mortificationem; cum inte- XII.

interim in mundo per latam viam homines ingrediantur. *Ut ambules in viis ejus*. 3. Ibi tandem fieri voluntatem Dei, & diligenter illius mandata ſervari, per obedientiam, quæ efficit, ut ipſam voluntatem noſtram abnegemus: *Ut obedias ejus imperio*. *Ex eodem*.

XIII. De votorum inſtauratione, ubi duo poſſunt oſtendi.

Primum. Votorum inſtaurationem religioſis eſſe neceſſariam, ut ſe præmuniant contra relaxationem, quæ ſenſim, & ſine ſenſu in religioſas domos obrepit.

Alterum: neceſſariam eſſe, ut ex languoris ſtatu, in quem cecidimus, emergamus, *Idem*.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque, ex quibus hauriri poteſt copia ad propoſitas ſermonum ſtructuras exornandas.

S. Auguſtinus *de moribus eccleſiæ* cum laude verba facit de ſtatu religioſorum, veterumque cænobitarum.

Idem *ſerm. de inſtruct. monach.* tradit vitæ ſolitariæ principium, & quinam primi fuerint illius inſtitutores.

Idem *Epiſt. 38. ad Lætam* loquitur de conſanguineis, affinibuſque in religioſo ſtatu abnegandis.

Idem in hæc verba Apocalypſeos: *Utinam calidus eſſes, vel frigidus*, declamat contra inertes religioſos, ſeu negligentes officia, & ſpiritui vocationis ſuæ non reſpondentes.

Idem in Pſal. 44. oſtendit, parentes prohibere non debere, quominus filii religioſum ſtatum amplectantur.

Idem vel auctor ſermonum *ad fratres in eremo* docet religioſis plura ſuſtinenda eſſe martyria.

Idem *in Pſal. 99.* docet, Dei ſervitutem veram eſſe libertatem.

S. Hieronymus in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum refert, quod Philo Judæus ait de cœtu, vel eccleſia, quam S. Marcus inſtituerat Alexandriæ, & quomodo primi illi chriſtiani vivebant.

Idem *Epiſt. ad Heliodorum* oſtendit, quam conſtantiam, & fortitudinem præ ſe ferre debet, qui religioſum ſtatum vult amplecti parentum lacrymas, illecebraſque contemnens.

Idem *Epiſt. ad Pammachium* docet, eum, qui propter Deum ſeſe honoribus, & dignitatibus abdicat, longe glorioſiorem, & honoratiorem eſſe, quam ſi eas retineret.

S. Auguſtinus *in Pſal. 99.* deſcribit exercitia, vitamque eorum, qui ævo ſuo in communi vivebant.

Idem *in Pſal. 132.*, & in hæc verba: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum*, docet his verbis religioſas communitates factas fuiſſe.

S. Ambroſius *Epiſt. 82. ad Vercellenſem eccleſiam* Vitæ religioſæ bona deſcribit.

S. Gregorius *l. 8. moral. c. 25.* deſcribit ſæcularium tumultum, & ſollicitudinem, nec non pacem, ac tranquillitatem eorum, qui religioſum ſtatum amplexi ſunt.

Idem l. 5. in Libros Regum oſtendit, vitam religioſam viam eſſe breviorem, tutioremque ad æternam felicitatem.

Idem *in lib. 2. Reg.* oſtendit, quam gloriam religioſi ex mundana gloria contempta recipient.

Idem in Præf. Dial. teſtatur dolorem, quo affectus eſt, eoquod monaſticum relinquere ſtatum debuerit, ut paſtoralem curam ſuſciperet, & fuſius perſequitur eam felicitatem, qua priori in ſtatu perfruebatur.

Idem lib. 4. in Reges docet diligenter tentandam eſſe probationem eorum, qui religioſum ſtatum amplecti volunt, & in libro primo palam verba facit de votis religionis, & lib. 5. de ſingulis peculiariter diſſerit.

Idem tandem elogium elucubratus eſt religioſi ſtatus in Oratione duodecima.

S. Baſilius *in Inſtit. mon.* loquitur de hujus ſtatus præſtantia, & dignitate.

Idem *in Regul. fuſ. diſp. quæſt. 4.* oſtendit iis, qui illos amplexi ſunt, præſtantiſſimas quaslibet virtutes eſſe exercendas.

Idem *cap. 22. Conſt. monaſt.* oſtendit, ei, qui poſt maturam deliberationem ſtatum hunc ingreſſus eſt, illic eſſe perſeverandum.

S. Gregorius Nazianzenus *Orat. in laudem Baſilii, & in Carm. ad Hellen. & in Orat. 1. ad Julianum* loquitur de admirabili vita religioſorum ævi ſui.

S. Joannes Damaſcenus *in hiſtoria Joſaphati* pulcherrimum habet vitæ religioſæ encomium.

S. Chryſoſtomus *lib. de ſacerdotio* oſtendit eum, qui ad religioſum ſtatum evocatus eſt, flecti non debere parentum precibus, & blanditiis.

Idem tres edidit libros contra vitæ monaſticæ vituperatores.

Idem in cap. 2. S. Matthæi populo proponit exemplum ſolitariorum Ægypti, & præſertim S. Antonii.

Idem in cap. 21. S. Matthæi vitam ſæcularium comparat cum vita cœnobitarum, & eremitarum, quam late deſcribit.

Idem in cap. 23. ejuſdem evangelii loquitur de ſanctitate ſolitariorum, & docet, exemplum eorum nobis injicere debere horrorem faſtus mundi.

Idem tandem in tertio libro Apologiæ, quam pro religioſo edidit ſtatu, deſcribit felicitatem, quæ ibi invenitur, & vitam, quæ ducitur.

S. Leo *Serm. de Jejunio 7. menſis* oſtendit utilius eſſe ſervire Deo in communitate eorum, qui religioſam vitam profitentur, quam in mundo vivere.

Caſſianus l. 5. c. 4. oſtendit, quibus gaudeant bonis, qui in communitate vivunt, præ reliquis.

Idem *collat. ultima, capite ultimo* loquitur de centuplo religioſis promiſſo.

S. Bernardus librum edidit *de bono religionis*.

Idem ſermone in hæc verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, oſtendit eos, qui omnia reliquerunt, ut Jeſum Chriſtum ſequerentur, quemadmodum religioſi faciunt, populos eſſe judicaturos.

Idem *ſerm. 1. de dedicat. eccleſ.* oſtendit, religioſum indigere unctione gratiæ, ut ſtatus ſui muneribus perfungatur.

Idem *ſermone 1. in cantic.* ſacrificium, quod religioſi faciunt ſe ſe Deo conſecrantes, eum Abrahæ comparat ſacrificio.

Idem *homil. ſuper ſimile eſt regnum cœlorum homini quærenti bonas margaritas*, hæc verba religioſis applicat.

Idem *ſerm. de quinque negotiationibus* ſancta religioſorum deſcribit officia.

Idem *ſerm. 3. de Aſcenſione*, oſtendit religioſos, qui mundi conſolationes inquirunt, Dei conſolationibus carere.

Idem *ſerm. 2. de 7. miſericordiis, & in ſerm. contra peſſimam vitium ingratitudinis*, docet religioſos Deo plus debere, quam cæteros.

Idem ſermone eodem illorum illuſionem oſtendit, qui putant ſatis eſſe religionis habitum deferre, & in Monaſterio vivere, ut ſalutis ſuæ certi ſint.

Origenes, *homil. 14. in Numer.* oſtendit eum, qui Deo in religioſo ſtatu ſe ipſum devovit, omnia illi dediſſe, nihilque ipſi ſupereſſe Domino offerendum.

S. Laurentius Juſtinianus lib. edidit *de monaſt. perfect.*

S. Thomas in Opuſculis, *opuſc. 19. contra impugnatores vitæ monaſticæ* religioſi ſtatus habet apologiam.

S. Bonaventura *in opuſculis tom. 4.* loquitur de progreſſu a religioſis in virtute faciendo.

S. Ephrem plures habet ad religioſos adhortationes. Albertus Magnus librum edidit, qui *Defenſorium mendicantium* vocatur.

S. Bonaventura librum ſcripſit, qui inſcribitur, *Apologia pauperum*, ubi ſub pauperum nomine cauſam agit religioſorum mendicantium.

Liber de imitatione Chriſti l. 3. c. 11.

Thomas a Kempis *in ſerm. 2. ad fratres* ubi religioſæ vitæ bona deſcribit. Aſcetici aliique.

Trithemius de religioſæ vitæ laudibus.

Gerſon de perfectione ſtatus religioſi parte 2.

Hieronymus Platus de bono ſtatus religioſi, ubi ſolide pertractatum occurret, quidquid pro ſtatu religioſo dici poteſt.

Dandinus in libro, cui titulus: *Ethica Sacra*, tractatum edidit duodecim capita hujus argumenti continentem; & item tractatum de votis in octo capita diviſum.

Ja-

Digitized by Google

Jacobus Alvares de Paz. tom. 5. tract. 1. de incitamentis religioſorum ad vitam inſtituendam.

Suarez de religione.

Bellarminus *lib. Controverſ.*

Raynerius, titulo Religioſus, in Pantheologia.

Leonardus Leſſius de juſtitia, & jure l. 2. c. 41.

Lancicius opuſcul. 5.

Alphonſus Rodriguez eximium edidit tractatum de votis religionis, in parte 3. praxis perfectionis.

Lucas Pinelli alium edidit ejuſdem argumenti.

P. Saintjure integrum edidit volumen, cui titulus: *Homo religioſus.*

Abbas Trappenſis in libro, qui inſcribitur, Sanctitas officiorum vitæ monaſticæ, tomi duo, ubi fuſius loquitur de inſtitutione, diſtinctione officiorum, & munerum religioſorum.

Dialogi S. Catherinæ Senenſis.

P. Nepveu in receſſu pro religioſis.

P. Croiſet 3. tomo, cui titulus: Spirituales Conſiderationes, ubi loquitur de ferventium religioſorum ſtatu.

Gobinet in libro, qui inſcribitur: Adoleſcentiæ inſtitutio, parte 5. cap. 10. agit de ſtatu religioſo.

P. Ludovicus a Ponte in meditationibus in fidei myſteria parte 6. medit. 46. & 48.

Liber cui titulus: *Conduite Chretienne dans les actions principales de la vie:* ſermo eſt de præcipuis vitæ religioſæ officiis.

P. Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus.

P. d'Avril in libro, qui inſcribitur: *les Saints, & heureux Retours ſur ſoi meme*, tomo ſecundo, ubi de illis ſermo eſt, quæ facienda cum religionis habitus induitur.

P. Novet in receſſibus; quoſdam habet pro religioſis.

Concionatores recentiores.

Infiniti ſunt aſcetici libri, ubi ſermo eſt de ſtatu, & officiis religioſi, ſed immenſi operis eſſet omnes recenſere.

Cum plurimi ſint concionatores, qui hoc argumentum tractarunt, & nemo fere ſit, qui aliquem non habeat ſermonem pro ingreſſu in religionem, aut pro aliqua profeſſione, eos tantum e recentibus afferam, qui mihi facile occurrerunt.

Flechier ſermone cum monialis quædam religionis habitu indueretur, inter Panegyricos.

Abbas Trappenſis tomo 4. collationum, unam habet pro votorum inſtauratione.

P. Maſſillon tomo 1. ſermonum ſub ejus nomine editorum, ſermone pro ſolemni quadam profeſſione.

P. de la Rue tomo 2. ſermonum ſub ejus nomine impreſſorum, ſermone habito cum monialis religionem ingrederetur.

P. Cheminais tomo 1. duos habet de religioſa profeſſione ſermones, ac tomo 3. de tribus votis religionis.

Abbas Verjus in panegyricis tres habet eorumdem argumentorum ſermones.

In ſermonibus, qui inſcribuntur: *Sermones Chriſtiani* tomo 3. unum habes de religioſa profeſſione.

In eodem tomo alter eſt ejuſdem argumenti.

In ſermonibus, quibus titulus: *Actiones Chriſtianæ*, tomo 3. unus eſt ſermo in monialis cujuſdam ingreſſum in religionem; & in tomo 3. alter eſt de religioſæ vitæ bonis, & de votorum inſtauratione.

Auctor ſermonum in omnia ethicæ chriſtianæ argumenta tomo 4. particularium argumentorum plores habet hujus argumenti ſermones; unum de religioſæ vocationis felicitate; unum de ingreſſu in religionem, duos de profeſſione, duos item de votorum inſtauratione; unum de paupertate; de obedientia unum; unum item de regulis, religioſiſque obſervantiis.

P. de la Colombiere tomo 2. duos habet ſermones, alterum de ingreſſu in religionem, alterum de Profeſſione.

P. Bourdalove duos habet in Sermonibus.

Buſæus; de ſtatibus; *de Statu Monachorum.*

Idem *de Voventium ſtatu.*

Lohner, titulo *Religioſus.*

Spanner Polyant. Sacra tit. Religioſi.

Buſæus in Panario, titulo. *Votorum violatio.*

Labatha, titulo *Religioſus.*

Qui collectanea ediderunt,

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monſtravero tibi. Geneſ. 12.

Si quis virorum votum Domino voverit, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne quod promiſit implebit. Numer. 30.

Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum; ſi nolueris polliceri, abſque peccato eris. Deuteron. 23.

Eligite hodie, cui potiſſimum ſervire debeatis: Joſue 24.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus. Pſalm. 115.

Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Ibidem.

Domum Dei decet ſanctitudo. Pſalm. 92.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Pſalm. 83.

Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia Ibid.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum. Pſalm. 44.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Pſalm. 83.

Vovete, & reddite Domino Deo veſtro. Pſalm. 75.

Vota mea Domino reddam in conſpectu timentium eum. Pſalm. 21.

Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea. Pſalm. 65.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Pſalm. 131.

Cito deſeruerunt viam, per quam ingreſſi fuerunt patres eorum: & audientes mandata Domini, omnia fecere contraria. Judic. 2.

In manu forti eduxit vos Dominus de loco iſto. Exodi 13.

Beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. 3. Reg. cap. 10.

Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Eccli. 2.

Erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & torques illius in ſtolam gloriæ. Eccli. 6.

Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio; ſed quodcumque voveris, redde; multo melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere. Eccle. 5.

Ecce quam bonum, & quam jucundum fratres habitare in unum. Pſalm. 132.

Populum iſtum formavi mihi, laudem meam narrabit. Iſaiæ 43.

Vota vovebunt Domino, & ſolvent. Iſaiæ 19.

Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam. Jerem. 2.

Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Matth. 7.

Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam! Ibidem.

Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo: & veni, ſequere me. Matth. 19.

Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Ibid.

Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Matth. 11.

Si

Digitized by Google

Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc. 14.

Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ibidem.

Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos, & poſui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Joann. 15.

Obſecro vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate. Ad Epheſ. 4.

Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus. 1. ad Corinth. 1.

Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. Ad Coloſſ. 1.

Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes. 2. ad Corinth. 4.

Jam non eſtis hoſpites, & advenæ: ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei. Ad Epheſ. 2.

Videte vocationem veſtram. 1. ad Cor. 1.

De tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum. 1. Petri, cap. 2.

Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Ad Coloſſ. 3.

Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Act. 4.

Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Thren. 3.

Vocavi te nomine tuo, meus es tu. Iſaiæ 43.

Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. 2. ad Timoth. cap. 2.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſumpta.

Elias, Eliſæus, & Rechabitæ figuræ religioſorum novæ legis.

NOn deſunt; qui putent Eliam, Eliſæum, Rechabitas primos fuiſſe religioſos, qui in lege veteri perfectiorem quam vulgo homines vitam fuerint profeſſi; ſed magis veriſimile eſt hos tantum religioſæ vitæ quaſdam veluti figuras extitiſſe, & Deum, qui ſemper voluit præmittere ſpecimina quædam eorum, quæ in novo teſtamento magis inſignia erant eventura, in exiguo incomparabilium eorum virorum numero deſignare hanc multitudinem Eremitarum, Cœnobitarumque, qui eccleſiæ gloria, ſanctificatio, & culmen erant futuri. Neque alia eſt Sanctorum Chryſoſtomi, Hieronymique ſententia, cum de vitæ monaſticæ origine loquentes ejus primordia in ipſis Prophetarum temporibus ſcrutati ſunt.

Abraham, qui juſſu Dei terram patriam reliquit, eſt religioſorum prototypus.

Novum probationis genus fuit, S. inquit Auguſtin. etenim ante ea tempora inauditum, cum præcepit Deus Abrahæ, ut patrio relicto ſolo in ignotam concederet terram, quæ non niſi tamquam exilium poterat exiſtimari. Et ſane probatio fuit æque dura, ac inaudita, idem ait, quia qui pacate ſuis bonis perfruitur, jubetur longi itineris laborem ſuſcipere, quin ſciat, quid ſit eventurum. Homo, qui omni bonorum genere affluebat, cogitur momento pauper fieri, futuras dumtaxat pollicendo divitias, quarum remota erat ſpes. Præcipitur ſolum, ut egrediatur, relinquat omnia, & cæterum in Deo confidat, eique omnem rerum futurarum curam relinquat. Attamen ſanctus ille vir non hæret, & adeo gravi, duroque imperio reſpondet, ſtatim eidem obſecutus, ac ſe ſe Divinæ providentiæ penitus tradens. Hoc proculdubio graviſſimum eſt exemplum celeritatis, obedientiæ, & fidelitatis, qua obtemperandum eſt Deo ad religioſum ſtatum vocanti. Omnia in arena relinquenda ſunt bona, conſanguinei, amici, & quidquid in mundo nobis ſuaviſſimum, ut noſmet illius providentiæ & conſilio tradamus.

Exemplum ipſius Abrahæ & Jacob exemplaria illius contemptus, quo religioſi terrena omnia negligere debent.

Animæ religioſæ oculos conjicere debent in magna illa legis antiquæ exemplaria Abraham, & Jacob; nec non conſiderare rerum omnium egeſtatem, ad quam admirabiles illi viri ſeſe redegerunt, ut divinæ ſe ſe traderent Providentiæ, quin ſcirent, quid ſibi eſſet eventurum. Poterit ne in domo Dei zelus, & obedientia deeſſe, ubi ſpectentur ſancti iſti viri rerum omnium egeni in Deo uno confidere? Poterit ne aliquis eos in his virtutibus non imitari, ex animo, ut illi, non relinquere domum patris ſui, & amori genitricis ſuæ non adverſari, ut Deum vocantem ſequatur, & ne ignotis, difficilibuſque viis, per quas illos deducere Domino placet, deterreatur?

Iſaac a patre vinctus & ſe vinciri ſinens figura eſt religioſi, qui ſui ipſius ſacrificium faciens, ſe votis alligat.

Quærunt eccleſiæ Patres, cur Abraham vinculis in Ara adſtrinxerit filium Iſaac, antequam illum immolaret; ad quid enim vincienda victima, quæ non reſiſtit, & quæ ſe ipſam cultro, & pietati patris offert? Hoc factum, dicunt, ut virtutem illius neceſſitate obedientiæ confirmaret. Pater alligat filium; filius ſe vinculis obſtringi a patre ſinit, ne ſua libertate abutatur. Si liber eſſet, fortaſſe gladii adſpectus, mortis præſentia, vis doloris efficerent, ut licet invitus aliquantulum obluctaretur; quod prohiberet, ne illius ſacrificium Deo eſſet acceptum. Ob eamdem cauſam religioſus, qui Deo offerre vult ſuimetipſius ſacrificium, ſe ſe votis alligat, quæ totidem ſunt vincula, quæ illi auferunt libertatem repugnandi, ac impediendi, ne ſacrificium ſuum perficiatur.

Exemplum Moyſis.

Ad hoc fugæ ſæculi, & ingreſſus in religionem argumentum applicat S. Auguſtinus reſponſionem, quam tradidit Moyſes Pharaoni nolenti filios Iſrael dimittere in deſertum, ibi ſacra operaturos, eoſque cogere volenti, ut in Ægypto illud offerrent ſacrificium, quod Deo ſuo erant litaturi. Hoc fieri nequit, ſanctus populi Dei Legiſlator reſpondit; nobis enim immolandæ ſunt domino Deo noſtro abominationes Ægyptiorum, hoc eſt eadem animalia, quæ tamquam numina adorant; quæ ſi illis inſpectantibus a nobis immolarentur, ab illis lapidibus obrueremur. Illi, quos Deus ad evangelicam perfectionem in religione vocat, eodem ferme in ſtatu verſantur. Deo ſacrificent opus eſt mundi abominationes, videlicet ea, quæ mundus adorat, honores, opes, voluptates, amorem ſui; & quemadmodum a mundo cachinnis exciperentur, ſi in mundo permanentes hoc ſacrificium peragerent, inde egrediantur, & in Religionis ſolitudinem concedant opus eſt.

Dei Filius auctor, & inſtitutor eſt ſtatus Religioſi. Thom. Valdenſ. l. de Sacr. c. 30. Clitov. de Voto relig. l. 1. c. 9. & alii multi.

Ambigi nequit, quominus ipſe Jeſus Chriſtus ſit religioſi ſtatus inſtitutor, & per illius auctoritatem, & approbationem in nova lege percrebuit, quemadmodum plures ſancti Patres, eruditique Doctores oſtenderunt. Sed non alio opus eſt argumentis poſt evangelii teſtimonium. Cum enim religionis eſſentia in tribus votis conſiſtat, liquet, cum Salvator illa ſuaſerit, probaveritque, ab eo religioſum ſtatum probatum fuiſſe. Et profecto poterat ne magis expreſſe paupertatem commendare, quam dicendo: *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14. Quoad caſtitatem vero ſcimus illum dixiſſe: *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.* Matth. 19. Neque minus commendavit obedientiam, cum ait: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum;* Matth. 16. per quam abnegationem obedientiæ votum, & virtus intelligenda ſunt. Hæc enim exerceri nequit abdicatio, donec non alia fuerit vitæ regula, niſi propria voluntas, & integrum erit facere, quod magis placuerit. Cum autem Dei filius ita locutus fuerit de tribus votis ſingillatim, prout ſeſe illi offerebat occaſio, videtur tria ſimul etiam commendaſſe, cum, quemadmodum tres narrant Evangeliſtæ, (Luc. 9. Matt. 19. Marc. 10.) adoleſcenti ab ipſo quærenti, quomodo vitam æternam conſequi poſſet, eam tradidit reſponſionem, quæ, ut S. Auguſtinus animadvertit, vera eſt vitæ religioſæ idea: *Vade, quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.*

Apoſtoli vere fuerunt religioſi eo in ſenſu in quo iſtic accipimus.

Cum mundi Salvator Apoſtolos ad ſui ſequelam vocaverit, ſimulque illis voluntatem, & vim contulerit mandatis ſuis obtemperandi, reliquerunt omnia, atque aures obſtruentes iis, quæ natura dicere poterat ad hanc adeo celerem, integramque ſeparationem prohibendam, reliquerunt bona ſua, artes, conſanguineos, affines, & JESUM CHRI-

STUM

STUM vocantem ſecuti ſunt: *Relictis retibus, & patre ſecuti ſunt eum*. Matth. 6. Igitur Apoſtoli fuere primi, qui ſtatum hunc adeo purum, perfectumque amplexi ſunt, & deinceps hunc eumdem ſpiritum infinitis prope mortalibus communicatunt, qui fidei JESU CHRISTI ſe ſe ſubjecerunt. Sed cum temporis decurſu fidelium multitudo creviſſet, exempla, non ſecus ac documenta ab Apoſtolis tradita ex eorum corde, non ſecus ac memoria oblitterata ſunt. Attamen Deus, qui perfectam hanc puritatem in eccleſia ſua voluit tueri, ibi ſemper eſſe voluit mortales Apoſtolico repletos ſpiritu, qui bona ſua reliquerunt, & in ſolitudines ſe ſe receperunt, vel in urbibus vitam ſolitariam, & ſanctam ſeorſim ab hominum commercio duxerunt. Hic ſpiritus abnegationis rerum omnium ſe ſe in Anachoretas, & Cænobitas effudit, deſerta loca, & Aſceteria illis repleta ſunt. Suſcitavit Deus Antonios, Hilariones, & Pachomios, qui ſe ſe illis comites adjecerunt, ut eamdem exercerent perfectionem, & in eadem rerum omnium voluntaria egeſtate vitam traducerent. Inde profecti ſunt ordines, monaſticæque domus, & varia religioſorum genera, qui ſemper fuere, hodieque ſunt eccleſiæ ornamentum, ſecuti conſilia, & inſtituta evangelica, quolibet ſecundum inſtituti ſui ſpiritum contendente imitari vitam Salvatoris mundi, & Apoſtolorum.

Ananiæ, & Saphiræ exemplum oſtendit, olim chriſtianos alì quod ediſiſſe paupertatis votum.

Nihil apertius probat, Apoſtolorum tempore plures fidelium voto ſe ſe obſtrinxiſſe ad bona relinquenda, ut perfectum vivendi genus amplecterentur, quam exemplum Ananiæ, & Saphiræ, de quo in actis Apoſtolorum eſt ſermo. Severa enim pœna, qua Deus animadvertit in duos hos mortales in promiſſionibus ſuis infideles, palam oſtendit, illos magnum patraſſe crimen, quod non aliud eſſe poterat, niſi quod votum a ſe factum violaverant. Hoc facile intelligi poteſt ex S. Petri exprobratione; qua ille hujus ſupplicii miniſter ſtatim corripuit Ananiam: *Anania cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto &c.* Act. 5. Anania cur locum præbuiſti dæmonis tentationi, ut Spiritui ſancto mentireris, & Deo eriperes partem ejus boni, quod illi promiſeras? Re adhuc integra poterat Ananias non promittere Deo omnia bona, neque ſe ſe voto adſtringere, nec ſe univerſa collaturum polliceri: ſed poſtquam omnia illi hac promiſſione devovit, & poſtmodum retinuit ſibi partem pretii, quod ex eorum venditione conflaverat, commiſit ſacrilegium, quod in caput & ſuum, & uxoris, quæ conſcia criminis erat, Dei indignationem, atque ſupplicium pertraxit.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Quam bonum ſit Deum habere dominum, ac ſe ſe illius cultui in religionis ſtatu devovere.

E*Ligite hodie, cui potiſſimum ſervire debeatis.* Joſue 24. Hæc verba, quæ olim protulit ſummus exercituum Domini imperator Joſue populo Iſrael, ita facta fuiſſe videntur ad eam, quæ nos hunc in locum coegit, cæremoniam, ut nihil tempori, quo ſumus, aptius, vel ad præclaram actionem, quam hodie factura es, & cujus ipſi teſtes ſumus futuri, te confirmandam accommodatius afferre poſſe cenſuerim. Tempus, quo Dei populus celebrabat Paſcha, memoriam videlicet beneficii, quo de Ægyptiaca captivitate eruti fuerant, nobis ob oculos ſtatuit feliciſſimum tranſitum, quem aggrederis mundum relinquens, ut religionem ingrediaris, quam Sancti omnes terræ promiſſæ comparant, ubi Deus futurus eſt hæreditas, & poſſeſſio tua; & terminus, quem relinquis, vulgo vocatur Ægyptus, ubi omnes alii alio modo captivi ſunt; quoniam alios divitiæ ſervos faciunt, alii gloriæ, & honori, quæ ſpecioſa ſervitus eſt, famulantur, & alii ipſi ſibi ſua vincula nectunt per affectum, quo voluptatibus ſuis obſequuntur. Sed eorum, qui Deo ſerviunt in religione, felicitas eſt, mundi ſervitutem deſerere, ut aliam longe ſuaviorem, & glorioſiorem eligant, quæ imperiis omnibus præferenda eſt, quia ſupremo Cœlorum, terrarumque Domino ſerviunt. Attamen cum non omnes ea intelligant bona, quæ in magni hujus Domini famulatu inveniuntur, & alii quidem hoc jugum ferre reformident, alii vero in mundi captivitate ſibi complaceant, cujus gaudiis, & voluptatibus faſcinantur; ne ſine cauſæ cognitione eum aggrediaris ſtatum, quem es ſuſceptura, fert animus, eas recenſere & pœnas, & utilitates, quæ in utriuſque domini ſervitute reperiuntur, ut deinde dicere poſſim, quod olim Iſraelitis Joſue: *Optio vobis datur, eligite hodie, cui potiſſimum ſervire debeatis.* Joſue 24. Tuum eſt eligere, & id conſilii capere, quod optimum exiſtimaveris, quam ob rem primum quidem inter ſe conferam labores, qui in utriuſque domini famulatu perferendi ſunt, & mox gaudia, & voluptates, quas nobis uterque ſuppeditat.

Quantum debeat Deo, qui in ipſo ætatis flore ad Religionem vocatus ſit.

Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam. Jerem. 2. Nonne videtur Deus hæc Jeremiæ Prophetæ verba tibi dirigere: Deum te ſponſam elegiſſe ſibi in ipſo ætatis tuæ flore? Aſpectus adoleſcentiæ tuæ, in qua aliquam deprehendi in bonum proclivitatem, & cujus metuenda mihi erat par facilitas in mundanæ vitæ placitis ſequendis, fecit, ut eas præverterem inſidias, quas tibi mundus ſtruebat: *Recordatus ſum tui.* Non oblitus ſum tui hoc tempore, quod innocentiæ, virtutique fatale erat. Non ideo tamen aliarum oblitus ſum; miſericordiæ meæ ſinus omnibus patet; ſed tui præſertim recordatus ſum; periculum, quod ſubibas, meam excitavit miſerationem. Linquere potuiſſem, te in corruptas ſæculi vias decurrere cum protectionis meæ gratiis, quemadmodum cum iis, qui mundum ſequuntur, facere conſueſco; ſed prævidi, te illis abuſuram, quemadmodum alii abutuntur. Satis mihi eſſe poterat, tibi in adeo periculoſo certamine ferre opem; ſed credidi utilius eſſe, te illi nequaquam objicere. Juxta univerſalis providentiæ conſilia ſatis erat communes tibi ad bene vivendum in mundo præbere gratias; ſed id non ſatis tutum erat, ut ea, quæ mihi de te propoſui, e ſententia evenirent. Poteram immittere tibi cogitationes te te reciprendi, poſtquam diutius in viis ſæculi evagata fuiſſes, teque per pœnitentiam ſervare; ſed credidi me quidem dignius eſſe, tibi vero utilius, te a lapſibus præſervare, atque per puram, integramque vitam te in ſalutis portum inferre: *In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miſerans.* Jerem. 31. Amor, quo te proſequor, nullam patitur interruptionem, & quemadmodum numquam incœpit, ita numquam finem habiturus eſt: *Ideo attraxi te.* Ecce cur conſilium ceperim te ad me trahendi eo tempore, quo prævidi futurum eſſe fortaſſe, ut me cogeres, ne diligerem te: *Ideo attraxi te miſerans.* Si minus recalaſſem cordis tui poſſeſſionem, illud tradidiſſem omnibus cupiditatibus, quas ſæculum tibi inſpirare potuiſſet: non attraxiſſem te, non acriter adeo te ſollicitaſſem, neque inter ipſas voluptates tuas in cor tuum amaritudinem effudiſſem, neque peperiſſem in te mundi contemptum, ſolitudinis vero cupiditatem. Timui, ne mihi elabereris, ideo attraxi te. *P. Cheminair tom. 1. ſermone pro Religioſa profeſſione.*

Qui Religionem ingreditur omnium cognatorum, & affinium debet oblivisci.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui. Pſal. 44. Non ſatis eſt animæ religioſæ ſeſe in domo Domini clauſiſſe, ſibique legem irrogaſſe non revertendi corpore in mundi vias: aliam ſibi debet irrogare, numquam videlicet illuc animo redeundi, illam etiam obliviſcendi, & ſuffocandi omnes naturales, humanaſque affectiones, quæ ſæpe efficiunt, ut religioſus, quemadmodum S. Bernardus ait, gerat cor fœdatum, & corruptum ſub ſpecie, & cortice vitæ auſteræ, ac ſpiritum penitus ſæcularem ſub religioſo indumento. Quantumvis æquæ, & culpa vacuæ hæ videantur neceſſitudines, quæ cum mundanis foventur, quantumvis eas reliquerimus, ut nolmet Deo devoveamus: certum eſt has ſenſim, & ſine ſenſu nos ab illius avellere cultu, in nobis charitatis ardorem extinguere, & cauſam eſſe, quod pleraque ſacrificia noſtra

ſimi-

Digitized by Google

ſimilia ſint illis miſerorum Iſraelitarum, qui vix Domino ſacra obtulerant in actionem gratiarum, eo quod ipſos de ſervitute eripuerat, cum reverſi ſunt corde in Ægyptum, & idolo thus adoleverunt. In hujuſmodi familiaritatibus omnis amittitur ſolitudinis ſpiritus, memoria oppletur idea creatarum rerum, quæ relictæ fuerunt; habitus antiqui iterum excitantur, & cor omnibus æſtuat cupiditatibus, quibus agitantur, qui in mundo ſunt, quin ſit in mundo.

Averte oculos meos ne videant vanitatem. Pſal. 118. Ita David orabat Deum. Heu! quamdiu Principis hujus oculi intenti fuere, ut hæc ſuneſta objecta intuerentur? Quoties cor ejus expertum eſt vividas voluptatum, & vanitatum mundi impreſſiones? Tu vero, ſoror mea, ex quo ſpiritus tuus apertus fuit luminibus rationis, ſenſiſti manum Domini te attrahentis ad ſe, ut te in penitioribus tabernaculi ſui adytis abſconderet. Avertit oculos tuos ab objectis fallacibus, quæ fortaſſe cor tuum ſeduxiſſent: neque aliis occupata rebus fuiſti, quam pulchritudine domus Dei, & requie Sanctuarii ipſius. Incipiebat ſe mundus oſtentare tibi per ea, quæ in ipſo ſunt illecebrarum pleniſſima, & niſi maturato Deus avertiſſet inde oculos tuos, amaſſes vanitatem, non ſecus ac aliæ plurimæ ætatis, ſexus, & generis tui.

Deus eum, quem ad Religionem evocat, aliis plurimis prætulit.

Elegit te Dominus, ut ſis ei populus peculiaris. Deut. 26. Ita eſt, Deus te prætulit tot aliis, quos eligere poterat, ſicuti elegit te, & quos inter mundanæ vitæ impedimenta perire ſinit. Hæc eſt prælatio bonitatis, quam hic unus miſericordiæ Deus facere poteſt. Cum homines nos præferunt aliis, id agunt, quod nos ſuis conſiliis utiliores, vel amore ſuo digniores exiſtimant; ſed Dominus prælationem noſtram in ſua tantum miſericordia conſtituit. In oculis ejus æque ſumus beneficiis ipſius indigni, cumque ex nobis nihil ſimus, non aliud habemus meritum, quam quod ejus nobis confert electio. Quis ergo te a tot aliis ſecrevit, qui cum eaſdem, ac tu, haberent ad religionis ſtatum diſpoſitiones, in procelloſo mundi pelago permanſerunt? *Gratia* tua, Domine, tibi dicendum eſt, me a pueritia prævenit, meque prætulit tot aliis, qui æque digni erant, atque ego. Me autem inter tot alios elegiſti, quia voluiſti. Hæc ſunt immenſi tui amoris ſecreta, quæ ſcrutari creaturæ non licet; ſed quæ me humiliare debent, atque impellere, ut tibi æternum gratias agam. *P. Maſſillon.*

Ille, quia Deo ad Religionem vocatus, vocationi ſuæ eſſe debet fidelis.

Vocabis me, & ego reſpondebo tibi. Job. 14. Hoc dicendum eſt ab eo, qui ad religioſum ſtatum vocatus, ut ſe vocationis gratiæ fidelem exhibeat. Vocaſti me, Domine, & conjeciſti in me oculum amoris tui, qui a corrupta ſæculi maſſa me ſeparat; ego vero in animi grati monumentum tibi ſacrificare volo, quidquid pro me mundus habet illecebrarum. Vis me ab illius nequitia, & corruptione præſervare; ego vero illius pompas, & vanitates tibi immolare volo. Tu me ab eo liberas, ſcis enim hunc eſſe mihi inimicum; ego vero ab eo ſecedere volo, quia novi, hunc eſſe inimicum tuum. Huic mundo, quantumvis vanus ſit, non deeſſet fortaſſe, unde me alliceret: neque enim ita durus ſum, ut illecebris illius non afficiar. Omnes ſenſus mei pro illo mihi loquuntur. Sed tuus eſt inimicus, Domine; perfidus odit te, & tu illum odiſti; horret inſtituta tua; tu mihi teſtaris neminem & illius, & tuum eſſe poſſe amicum. Hoc ſatis, ut omnem cum illo conſuetudinem intermittam. *P. Chemінais.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Hanc vitam, hunc Ordinem, hoc Inſtitutum (Religioſorum) ſi laudare velim, neque digne valeo. Auguſt. de moribus Eccleſ. cap. 31.

Proponuntur conſilia in lege Evangelica, non ut novum nobis onus imponatur, ſed ut juvemur ad onus mandatorum melius ferendum. Idem, Serm. 9. de verbis Domini.

Non putemus tantum effuſionem ſanguinis eſſe martyrium; ſemper eſt enim martyrium Chriſtianis ac Religioſis. Idem, vel Author Serm. ad Fratr. in Eremo.

Felix neceſſitas, quæ ad meliora compellit! Epiſt. 45.

Horum opes ſunt in paupertate, poſſeſſio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cœlibatu. Gregor. orat. 12.

Qui deliciis minime ſtudere pro deliciis habent, qui regni cœleſtis gratia humiles ſiunt, qui in mundo nihil habent, & ſupra mundum exiſtunt, qui pro portione Dominum habent, qui propter regnum cœleſte inopia laborant, & per inopiam regnant. Idem, ibidem.

Quod faciunt Angeli in Cœlis, hoc Monachi faciunt in terris. Hieronym. in Pſalm. 115.

Certe flos quidam, & pretioſiſſimus lapis inter eccleſiaſtica ornamenta, Monachorum & Virginum chorus. Idem, Epiſt. ad Marcellam.

Prima virtus Monachi eſt contemnere hominum judicia, & recordari Apoſtoli dicentis, ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Idem, Epiſt. 26. ad Pammachium.

Jam incipio Chriſti eſſe diſcipulus, nihil eorum, quæ ſunt in mundo, deſiderans. Ignatius Martyr, in epiſt. ad Roman.

Chriſti jugum ſuave eſt, ſi ornamenta putes cervicis tuæ eſſe, non onera. Ambroſ.

Sicut e ſummo montis vertice proſpectantibus omnia puſilla videntur, ſic Religioſi animo in Cœlis habitantes, omnia terrena quaſi parva & vilia deſpiciunt. Chryſoſt. Homil. 15. ad popul. Antioch.

Reliquis procellis & fluctibus jactatis, Religioſi ſoli in tranquillo portu & ſecuritate ſumma, in Monaſteriis reſidentes, velut ex cœlo ipſo, cæterorum naufragia proſpectant. Idem, lib. 3. adverſ. vituperat. vit. Monaſt.

Attendamus nobis ipſis, ne forte dum anguſtam & arduam viam nos pergere aſſerimus, latam & ſpatioſam viam teneamus. Joan. Climachos, Gradu 2. & 23.

Religioſi ſunt illi, qui ſe ſuaque divino ſervitio mancipant, quaſi holocauſtum Deo offerentes. S. Thomas, 2. 2. Quæſt. 186.

Religio ſancta, in qua homo vivit purius, cadit rarius, ſurgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quieſcit ſecurius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copioſius. Bernard.

Quid ſibi vult, quod eadem promiſſio facta eſt pauperibus & martyribus, niſi quia vere martyrii genus eſt paupertas voluntaria? Idem, Serm. 1. de Sanctis.

Genus martyrii eſt ſpiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur, horrore quidem minus, ſed diuturnitate moleſtius. Idem, Serm. 30. in Cantic.

Infirmis & puſillis corde neceſſe eſt, ut quem ſemel ponere pro Chriſto non ſufficiunt, ſaltem minori quodam ſed diuturniori martyrio ſanguinem fundant. Idem, Serm. de S. Benedicto.

In humanis rebus, & in hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in ſe imaginem cœleſtis patriæ, quam Monaſtica converſatio, & congregatio divino cultui addicta. Laurent. Juſtinian. de Monaſt. perfect. cap. 6.

Quos, quo nomine appellem neſcio, homines cœleſtes, an Angelos terreſtres, degentes in terris, ſed converſationem habentes in cœlis. S. Bernard. vel alius Author, ad Fratr. de monte Dei.

Ad ſerviendum veniſti, non ad regendum, ad patiendum & laborandum ſcias te vocatum, non ad otiandum & fabulandum. Imitat. Chriſti, lib. 1. cap. 17.

Vita boni Religioſi omnibus virtutibus pollere debet, ut ſit talis interius, qualis videtur hominibus exterius. Ibidem, cap. 19.

Cogi-

Digitized by Google

Cogita frequenter ad quid, & cur ſæculum reliquiſti? Nonne ut Deo ſervires, & ſpiritualis homo fieres? Ibidem, cap. 25.

O grata & jucunda Dei ſervitus, qua homo veraciter efficitur liber & ſanctus! Ibidem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento poſſit depromi.

Religionis, ordiniſque vel generis definitio.

RElігio eo in ſenſu, quo iſtic accipimus, non aliud eſt, quam certus vitæ ſtatus, in quo ad chriſtianæ religionis perfectionem tenditur per vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, quæ ideo religionis vota dicuntur.

Ad hujus definitionis elucidationem 1. Non dicitur, quod qui hunc ſtatum ingreſſus eſt, ad perfectionem pervenerit; Religioſus non tenetur eſſe perfectus, neque ſe perfectum eſſe profitetur, ſed ad perfectionem toto niſu contendere, & adſpirare debet, ut ſuo ſatisfaciat officio, ac muneri. 2. Dicitur ſtatus, quia in illo firmitas, duratio, & perſeverantia ſunt neceſſariæ; namque aliud eſt eſſe perfectum, aliud vivere in ſtatu perfectionis. Exempli gratia homo alteri paret homini, quamdiu ſibi parere placuerit, neque ideo ſtatum, vel conditionem mutat, ſed oppoſitum accidit, ſi in omni vitæ ſuæ ſpatio ſeſe illius addicat ſervituti. Ita actiones religioſæ per ſe religioſum non conſtituunt, niſi duæ iſtæ conditiones inveniantur, quarum altera eſt, quod hic illas ex voto faciat, quin ipſi integrum ſit eas relinquere, vel etiam earum voluntatem habere; altera vero eſt, quod hæc obligatio non ſit ad tempus, ſed pro toto vitæ decurſu, tunc enim propter firmitatem, atque immutabilitatem, hoc vitæ genus fit ſtatus. 3. Accedat neceſſe eſt Summi Pontificis approbatio, ſine qua ordo religioſus non eſſet, neque in eccleſia reciperetur veluti religio, ubi ſolemnia vota emitterentur.

Quænam ſit perfectio, ad quam religioſus tendere debeat.

Perfectio, ad quam religioſus per ſtatum ſuum tendere tenetur, eſt charitatis perfectio, S. Thomas 2. 2. quæſt. 86. artic. 7. ait: *Religionis ſtatus eſt quodam exercitium tendendi in perfectionem charitatis, ipſa perfectio charitatis eſt finis ſtatus religionis*. Religioſus ſtatus iis vacat exercitiis, quæ ad charitatis perfectionem veluti ad ſtatus hujus finem adducit; huc tendere debet religioſus; hic finis eſt, ad quem curas omnes debet impendere. Quantumvis autem chriſtianus quilibet ex ſpiritu chriſtianiſmi, & chriſtiani qualitate ad charitatem tamquam ad legis finem, uti eam S. Paulus appellat, tendere debeat; tamen religioſus id facit, & facere debet modo prorſus alio; & hac de cauſa, ſicuti S. Thomas animadvertit, dicitur religioſus, quia cum aliquid pluribus convenit, hoc tribuitur, & præcipue ſpectat ad eum, a quo perfectiori modo poſſidetur.

In quo ſita ſit obligatio, qua religioſi ad perfectionem contendere debent, & ſæculares.

Per occaſionem eorum, quæ a S. Thoma, aliiſque Doctoribus traduntur, religioſis videlicet ex vi ſtatus ſui ad perfectionem eſſe contendendum, quæritur, utrum qui in mundo permanent, hoc ipſum præſtare teneantur; Dei quippe Filius hæc dicit mortalibus omnibus, cujuslibet ſtatus, & conditionis illi ſint: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Matth. 5. Reſponderi poteſt, utroſque teneri pro viribus ad propriam ſtatus ſui perfectionem acquirendam conniti; ſed in Chriſtianiſmo duplex perfectionis genus, quarum quævis plures habet gradus; altera, quæ reſpicit bonum eorum, qui in mundo vivunt, eaque eſt ad unguem ſervare præcepta; & altera, quæ in religioſis exigitur, quæ eſt ſervare præcepta ſimul, atque conſilia. Itaque primi illi primo modo perfecti eſſe debent, atque conari, ut in dies in perfectione proficiant: ſecundi vero conari debent, ut in conſiliorum obſervantia, præter præcepta, creſcant, hæc enim ea perfectio eſt, cui ſeſe obligarunt. Cum autem illa perfectio ſit maxime ſublimis, cum dicimus religioſos ad perfectionem conniti debere, ad hunc ſublimiorem intelligimus gradum ſecundum S. Thomæ regulam, qua præſtantiſſimæ ſpeciei nomen, quod omnibus eſt commune, defertur.

Cum religioſus ex vi ſtatus ſui teneatur ad perfectionem charitatis, & intimæ cum Deo unionis contendere, quæritur, quibus mediis ad hunc finem debeat pervenire, & Doctores cum S. Thoma quæſt. citata artic. 2. reſpondent per vota, & regulas ſuas, quibus tamquam mediis neceſſario uti debet, ut finem ſuum conſequatur. Hæc inevitabilis eum urget neceſſitas velle perfectum eſſe, & hac via ad hunc terminum contendere: qua in re ſi deficiat, ſibi perſuadere debet, ſe peccare; quod ſi quærat, quodnam peccatum hoc ſit, & in quo conſiſtat: Theologi mortale eſſe dicunt, ſi religioſo conſilium non ſit ad hujus ſtatus perfectionem non perveniendi, neque id præſtandi, quod opus eſt, ut illuc perveniat. Nam licet non teneatur re ipſa perfectus eſſe, tenetur ſaltem non habere contrariam voluntatem, neque ſe perfectionis inimicum profiteri. Peccatum veniale tantum eſt, ſi religioſus vere vult ad perfectionem contendere ea adimplendo omnia, quæ ſecum habent adnexam ſub lethali peccato obligationem: quamvis per ignaviam, & ſpiritus negligentiam nolit hunc ſubire laborem, qui in acquirenda perfectione requiritur; dummodo formalis abſit contemptus.

Diſcrimen inter laicum, & religioſum generaliter ſequendo.

Ut liqueat, quodnam interſit diſcrimen inter religionis, & ſæculi ſtatum, dicendum eſt, quemadmodum ſæcularium finis eſt contendere, ut ſalutem ſuam operentur, ſervientes Deo, præcepta ejus ſervantes, & evitantes peccata, ita religioſorum finem eſſe ad perfectionem ſuam conniti ſequendo JESUM CHRISTUM, illius conſiliis obſequendo, mundum relinquendo non ſolum cordis affectu; ad id enim omnes etiam Chriſtiani tenentur; verum etiam reali ſeparatione a mundo, & iis rebus omnibus, quæ mundum conſtituunt, opibus, voluptatibus, honoribus, propria voluntate, & iis, quæ in nobis fovere poſſunt amorem proprium, & ſenſibilium rerum amorem, ut amplectantur paupertatem, paſſiones, & humiliationes, utque libertatem ſuam abrogent, & in jugi vivant ſubmiſſione.

Quid eſt votum, ejus definitio, & præſtantia votorum religionis.

Votum, Doctores inquiunt, eſt promiſſio ſcienter, deliberate, ac libere facta Deo de re bona, & meliori, quam oppoſita ſit. Juxta definitionem hanc, nec ea, quæ mala ſunt, nec neutra eſſe poſſunt voti materia, immo neque ea omnia, quæ bona ſunt, veluti matrimonium, quia adhuc melior eſt cœlibatus. Religionis autem vota non ſolum habent qualitates, quæ requiruntur; verum etiam inter omnia vota, quæ emitti poſſunt, tria, quæ religioſum ſtatum conſtituunt, procul dubio ſunt ampliora, præſtantiora, perfectiora: quia quemadmodum tres magni ſunt obices, qui prohibent, ne ad chriſtianiſmi perfectionem perveniamus, videlicet concupiſcentia oculorum pro divitiis, concupiſcentia carnis pro ſenſuum voluptatibus, & vitæ ſuperbia pro inquiſitione honorum, & gloriæ; tria religioni vota, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, auferunt tres hos obices, qui chriſtianæ perfectioni adverſantur, & efficiunt, ut homo ſeſe perfecte Deo tradat.

Quod fit ex voto, magis meritorium eſt, quam quod ſine eodem peragitur.

In votis autem illud utiliſſimum eſt, quod quæ ex voto fiunt, coram Deo ſunt magis meritoria, & laudabilia, quam quę fiunt ultro, quia hoc pacto ea facere teneamur. S. Thomas 2. 2. quęſt. 88. art. 6. tres adfert, eaſque validas rationes. Prima eſt, cum religio omnem moralium virtutum ſit pręſtantiſſima, cumque votum ſit actus religionis, hoc eſt res prorſus ſancta, & jam conſecrata Deo, maximi eſt meriti. Altera eſt, in actionibus, quę ex voto fiunt, multo plus conferri Deo, quam in illis, quę aliter fiunt; quia non id tantum offertur illi, quod fit, ſed quod majus eſt, offertur illi impoſſibilitas, in quam nutmet adduximus aliter agendi, eique propria liber-

libertas offertur, quæ maxima eſt oblatio, maximumque ſacrificium, quod fieri poſſit; atque ut utar comparatione Sanctorum Anſelmi lib. de ſimilitud. ac Thomæ, Deo arbor ipſa cum fructibus datur. Ratio tertia eſt, omnium actionum externarum bonitatem a voluntate præſertim oriri; ita ut quo perfectior eſt voluntas, eo perfectiora ſint opera, quæ ab illa procedunt. Certum eſt autem, voluntatem, quo firmior, & conſtantior eſt, eo eſſe perfectiorem, quia magis abeſt ab eo defectu, quem Sapiens Prov. 13. in tepidis corripit, *vult, & non vult piger*, & magis apta ad operandum cum inconcuſſa ea firmitate, quæ a Philoſophis exiſtimatur tamquam una ex conditionibus virtutis, & quæ per vota certiſſime acquiritur.

In religioſa vita nihil perfectum eſt, quod in votis non contineatur.

Si paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ vota ſumantur in ea omni extenſione, quam Sancti illis tribuerunt, certum eſt, nihil in religioſa vita eſſe ita magnum, & perfectum, quod in illis non contineatur. Verum ſi litterali, craſſiorique modo ſpectentur, atque pro paupertate ſimplex exteriorum bonorum abnegatio, pro caſtitate ſola ſenſuum puritas, & pro obedientia vulgaris, communiſque intelligatur ſubmiſſio, quæ vulgo ad id redigitur, ne in illum inſurgas, qui præeſt, & ab eo in neceſſitatibus aliquam expectes facultatem: quamquam hæc neceſſaria ſint ad acquirendam religioſæ profeſſionis ſanctitatem, tamen religio ad altiora contendit, & longe ſublimiorem diſpoſitionem requirit. Hic ſtatus eſt angelicus, qui intra adeo arctos fines contineri non poteſt, & illic ſubſiſtere velle idem eſt, ac velle ad ſimplicia fundamenta redigere ædificium abſolutiſſimæ pulchritudinis, & magnificentiæ.

Adminicula quibus religioſi ad eminentem ſanctitatem ſeſe attollant.

Idem S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 6. docet Religioſum per tria vota, quæ emittit, fugere, quantum poteſt, peccatum, & occaſiones, quæ in illud inducere poſſent; etenim, uti S. hic Doctor animadvertit, ille procul abeſt ab alienis bonis, vel furandis, vel concupiſcendis, qui ne ſua quidem vult retinere; neque illicitis obſecuturus eſt voluptatibus, qui a licitis abſtinere decrevit, neque ſuam divinæ audet voluntati præferre, qui propter amorem Dei voluntatem ſuam hominis ſubjicere voluntati conſtituit. Per hæc eadem vota ſe in beatam adducit neceſſitatem inſerviendi Deo, & mox æternam ſibi comparandi felicitatem; ſibimet injicit inevitabilem neceſſitatem chriſtianarum virtutum exercendarum, ſeu theologalium, ſeu moralium, pœnitentiæ, charitatis erga proximum, humilitatis, mortificationis ſenſuum, & affectuum, & vigilantiæ in iis rebus omnibus, quæ chriſtianum ad eminentem ſanctitatis apicem poſſunt attollere.

Per religioſam profeſſionem obtinetur remiſſio peccatorum omnium, quæ in ſæculo ſunt patrata.

Inter reliqua religioſi ſtatus bona, Doctores omnes poſt D. Thomam docent, ingreſſum in religionem alterum eſſe Baptiſmum, qui peccata in ſæculo commiſſa remittit non ſolum per viam indulgentię, verum etiam per viam ſatisfactionis, quippe illud moleſtiſſimum opus eſt, quod ſuſcipi valeat, necnon per viam meriti, cum illud comprehendat actum, cujus pretium eſt inæſtimabile. Hanc rationem tradunt Theologi, quia hęc indulgentia, vel remiſſio non oritur ex conceſſione a ſummo Pontifice facta, quę plures exigit conditiones, quę non ſemper inveniuntur in illis, quibus indulgentiæ conceduntur, ſed ex ipſa natura actionis, quę fit, quę talis eſt, ut quovis tempore, quolibet in loco, & in omni perſonarum genere eumdem obtineat effectum. Hoc probatur etiam auctoritate S. Hieronymi Epiſt. 25. & Epiſt. 8. ad Demetr. qui hac ratione convictus ait, hac in re vitę religioſę profeſſionem non multum a Baptiſmo diſtare. Et S. Bernardus, cui non minus perſuaſum eſt de hac veritate, duas alias adfert rationes, quarum altera eſt magna pœnitentia, cui temet ſubjicis; & quam ſecum adfert hęc actio; altera vero præſtantia vitę ſpiritualis, quam amplecteris.

Qualis ſit oblatio religionis.

Inde etiam innoteſcit pręſtantia oblationis, quam tuimet ipſius facis per hęc tria religionis vota, quod omnes tenent Canoniſtę, eum, qui aliud quodlibet antea votum nuncupaſſet Deo, exempli gratia, Romam, vel Jeroſolymam adeundi, pauperibus diſtribuendi, quidquid boni acquirere poſſet, toto vitę ſpatio in Xenodochiis inſerviendi, quotidie in ſolo pane, & aqua jejunandi, cilicium aſſidue ferendi, & demum aliud quodcumque votum, omnino hoc debito fuiſſe defunctum, ubi religionem ingrederetur: cum omnes obligationes, quas pręcedenti voto contraxerat, ex tunc confundantur, & commutentur in illud religioſæ vitę, tamquam in aliquid perfectius.

emittit ab aliis votis omnibus diſpenſatur.

Vita religioſa eſt ſpecies martyrii.

In religioſo ſtato nihil nobilius, ac pręſtantius eſt, quam hęc ſui ipſius traditio in manibus Dei per tria vota, quę ibi fiunt; quod adeo eximium, & heroicum eſt, ut Sancti hunc ſtatum cum martyrio conferre non dubitent. Et ſane hoc juge martyrium eſt quod re ipſa, S. Bernardus ait, habet aliquid minus horribile, quam illud, quo corpus tormentis laniatur, ſed quod ſimul eſt diuturnitate crudelius: illud enim, quod tyranni fidelibus inferebant, ictu gladii terminabatur, illud vero religioſorum nequaquam uno perficitur ictu; longum martyrium eſt, quod quotidie inſtauratur in nobis modo per ſuperbiæ noſtræ dejectionem, modo per proprię voluntatis, propriorumque luminum annihilationem, ita ut cum Pſalmiſta dicere poſſimus: *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Pſal. 43. Attamen noſtra in hoc ſtatu ſubmiſſio talis eſſe debet, ut quemadmodum Martyres nequaquam eligebant genus ſupplicii, & mortis, ſed preſto erant ferendo, quicumque ſibi cruciatus inferrentur; ita religioſus ſemper paratus eſſe debet ad omnes ſubeundas mortificationes, quæcumque ipſi ingerantur.

Obligatio per votum contracta non minuit libertatem.

Quamplurimi prædicant, omnia inveniri bona in religioſo ſtatu, & in ſacrificio, quod noſtrummet ipſorum facimus per vota; ſed vota, inquiunt illi, homini auferunt libertatem, quod bonum eſt pretioſiſſimum. Sed D. Thomas, & cum eo omnes Theologi reſpondent, tantum abeſſe, quod libertas per vota auferatur, ut fiat perfectior, quia votorum effectus eſt confirmare voluntatem in bono, & prohibere, ne in malum pertrahi patiatur. Hoc autem nullatenus deſtruit libertatem, non ſecus ac perfecta libertas, qua Deus, & Beati fruuntur, nequaquam in illis deleta eſt per impoſſibilitatem peccandi.

Male occurrunt religionis conſilio.

Ignoret ſane opus eſt, quid inter homines fiat, qui eorum probat ſententiam, qui credunt, eos, qui ſeſe Deo mancipare volunt, in mundum eſſe remittendos, ut vocatio eorum probetur. Si animæ perfectæ ibi non ſine graviſſimis periculis permanent, quomodonam illæ, quæ infirmæ ſunt, & via ipſa virtutis habent rudimenta, evitare poterunt laqueos, qui ubique ſibi tenduntur. Quis dubitare poteſt, quominus hæc certiſſima via ſit ad optimas quaſque intentiones, & ſanctiſſima conſilia diſſipanda?

Quantum debeant Deo illi, quos ad religionem advocavit.

Nullum eſt momentum in vita eorum, quos Deus eduxit ex mundo, quod inſumendum non ſit in gratiis eidem agendis; & licet plura viverent ſæcula, nequaquam ſatis temporis illis ſuppeteret, ut cor ſuum effunderent coram illo, eique exprimerent grati animi ſenſum ob illius beneficia, non quidem jugi meditatione, ſed in omnibus circumſtantiis, & locis vitæ ſuæ cum eo loquentes, nihilque facientes, quod non ſit conſiliis ejus conforme, & quod illi placere non poſſit.

Error eſt ſatis communis in religioſis domibus, exiſtimare, ſe profeſſionis ſuæ muneribus eſſe defunctos, cum aliqua ſervatur in præcipuis officiis diligentia, cum interim infringantur regulæ, quæ minoris momenti ducuntur, & ſine ulla religione negligantur ea, quæ minus neceſſaria creduntur.

Religioſus, poſtquam mundum

Mundum non ſine magno labore relinquimus, quin tamen in hoc maximum eſſe meritum gloriari valeamus: primum caput eſt ſe ipſum relinquere, in ſin-

Reliquis ſe ipſum debet abnegare. in ſincera abnegatione vivere, ſeſe JESU CHRISTI ſpiritu replere abjiciendo ſpiritum mundi, & numquam ad ea reverti, quæ ſemel relicta ſuere. Cavendum eſt, ne recentes nectantur affectiones, quibus repleatur locus earum, quæ deſtructæ fuerunt, & quæ eaſdem gignunt curas, motus eoſdem, eaſdemque ſollicitudines. Malum hoc adeo commune illis eſt, qui ſeſe divino cultui addixerunt, & adeo perniciosum eorum saluti, atque tranquillitati, ut numquam poſſint ſibimet ſatis invigilare, ne in tantum periculum decidant. Dæmones hunc tendunt laqueum in iis etiam cœnobiis, ubi diligentior viget obſervantia, & ubi omnia optime inſtituta ſunt.

Si magnæ ſunt religioſorum obligationes, magna ſunt quoque ſubſidia; & quicumque conferre voluerit officia, quæ quatenus Chriſtiani per Baptiſmum contraximus, & modica auxilia, quæ in mundi vita inveniuntur, ut illa obeamus, cum officiis, quæ nobis præbent obſervantiæ, ubi ſanctæ, ac bene inſtitutæ ſint, haud ambiget, quominus in priori ſtatu adſint difficultates ferme inſuperabiles; & in altero inveniantur facilitates, & ſubſidia numero fere carentia, ut vocationis ſanctitati reſpondeatur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Diverſam ideam quam de religioſo ſtatu homines concipiunt. PAuci æquam ſibi religioſi ſtatus adſtruunt ideam. Alii quidem ſimiles illis Iſraelitis, qui terram promiſſam, nonniſi eminus proſpexerant, religioſum ſtatum gravem eſſe putant ſervitutem, exiſtimant clauſtrum eſſe carcerem, velum jugum eſſe non ferendum, & religioſam vitam eſſe mortis ſpeciem eo ſeviorem, quo diuturniorem. Si de religioſa profeſſione juxta eorum ideam judicium ferendum eſt, eſt irrevocabilis acceptatio carceris aſſidui, & vita crucibus, & mortificationibus contexta; funus eſt hominis viventis, qui ultro ſe ipſum ſepelit in arcta cella, tamquam in ſepulchro, & qui omnibus urbanæ vitæ voluptatibus mortuus dies in triſtitia, gemitibuſque traducit, & in mundo non recenſetur amplius. Alii in aliud extremum ruentes credunt, religionem ſtatum eſſe adeo perfectum, ut in eo, nonniſi Chriſtianos Heroas eſſe deceat, eos omnes, qui illud ingrediuntur, ſtatim eſſe debere ab omnibus leviſſimis etiam imperfectionibus immunes, & ipſa die prima ad numeris omnibus abſolutam ſanctitatem pervenire. Hoc verum eſſet, ſi qui parentes, & bona relinquit, ſeipſum relinqueret. Vepres in uberrimis etiam agris inveniuntur, cultura prohibet quidem, ne adoleſcant, prohibere autem non poteſt, ne germinent. Alii ingrato ſimiles populo, qui de Ægypto egreſſus adhuc tenebatur deſiderio abjectarum dapum, quibus illic veſcebatur, ſtatum, quem ſunt amplexi, faſtidiunt, regulas tamquam duras leges, & clauſtra tamquam horrens deſertum reſpiciunt. In ſingulos greſſus ſpinas inveniunt; & nihil moleſtius eſſe putantes vita ſemper conſtanti, & frugi, religionem ſibi exhibent pravis cordis ſui affectionibus conformem. Status religioſus ſimilis eſt terræ promiſſionis: monſtra, quæ ibi germinare dicantur, in mente illorum tantummodo ſunt, qui hujus vitæ ſuavitatem non norunt. Huc profecto nonniſi magnis ſumptibus pervenitur, maria tradocenda ſunt, deſerta peragranda, hoſtes expugnandi, ſed ex tot victoriis quam uberes, ſuaveſque fructus percipiuntur? At neque hæc victoria tanti ſtat, quanti exiſtimatur. Deus, cui fidelis populus ſervit, artem habet ſternendi maximas quaslibet difficultates, & dulcedinem adſpergendi rebus illis, quæ amaritudine plenæ videntur. *P. Croiſet, tom. 3. in quo conſiderationes aſceticæ continentur.*

Veri religioſi idea. Nonne dici poteſt, religioſum ſtatum ſocietatem eſſe ſecundum JESU CHRISTI ſpiritum, & exemplum, ſuaviſſimis mutuæ charitatis vinculis adſtrictam, jugibus humilis, & perſeverantis pietatis exercitationibus roboratam, & maximarum virtutum praxi conſecratam? Venerabilem eſſe ordinem perſonarum, quas Deus ſibi quodammodo ſecrevit, & quæ cum quodammodo ſe reliquis creaturis inviſibiles præbuerint, ſeſe in ſolitudinem recipientes, in loco tuto adverſus tempeſtates, quæ in ſingulas horas mundanis impendent, placidiſſima malacia fruuntur, qua magno ſalutis ſuæ negotio vacantes pro cœleſti patria laborant, virtutes tantum acquirunt, ſpiritualia ſolum bona conſectantur, & commode puris vitæ ſanctæ deliciis perfruuntur; unum ſibi Deum proponentes pro objecto, & fine votorum, & cogitationum ſuarum, omnia in lucro ponunt, re nulla turbantur, & cum confidentia, & hilaritate moriuntur. *Idem.*

Religioſus per ſtatum ſuum immunis eſt ab omni curarum moleſtia, qua mundani torquentur. Bona, quibus religioſi fruuntur. Omnes vitæ caſus contemnens, ab hominum ingenio, & libidine minime pendens, per generoſam abnegationem liber a gravibus divitiarum ſollicitudinibus, quas JESUS CHRISTUS comparat ſpinis, per ſuam perfectam obedientiam propriæ etiam vitæ importunis expeditus curis unice ſalutis ſuæ vacans negotio, divino cultui prorſus addictus, ac Deo tantum placere quærens, poteſtne ſtatus ſui dulcedinem non experiri? Quænam ſuavior tranquillitas? Fingite vobis, ſi licet, vitam hac beatiorem, atque ſanctiorem. Nonne jure Propheta inquit, meliorem eſſe diem unam in Domini domo traductam, quam mille in jucundiſſimis vitæ hujus voluptatibus impenſas? *Idem.*

Quid in mundo invenitur, quod ad conſtantem, indefeſſam, univerſalem accedat charitatem, quæ inter religioſos viget? Charitas, quæ in religioſis domibus regnat. Hæc minutiſſimas prævenit neceſſitates, graviſſimis ſolatium adfert infirmitatibus, apertiſſima excuſat errata, cum interim in mundo amicitia, quæ optime confirmata videbatur, vili cupiditate diſſocietur, cum impenſiſſimus amor, & officia maxime naturalia aliquot menſium morbo deficiant, ac tandem moroſis longe ſenectutis faſtidiis fatigentur. Religioſa in domo curæ, ſollicitudines, amor per ſupernaturalis charitatis exercitia creſcunt; hæc non ſunt amplius benevolentiæ monumenta, ſed officia. In mundo mutua ſunt officia, quia mutuæ ſunt neceſſitates; non modicum bonum eſt perfecto religioſo exterois non indigere ſubſidiis, non teneri rationem habere ſummorum, & infimorum; carere poſſe horum quidem opera, illorum autem favore: verbo, videre, ut ita dicam, terram omnem ſub pedibus ſuis, quæ ipſi neque prodeſſe valeat, neque obeſſe. Qui in mundo vivunt, putant hujus etiam vitæ felicitatem eſſe religioſorum, & ſe eorum dumtaxat auribus cordium ſecreta committere, atque inter curas ſuas aliquod ſolatium inquirere. *Idem.*

Religioſæ vitæ felicitas myſterium eſt pluribus occultum; ſi oculis habenda fides eſt, omnis illius ſpecies externa nos terret. De bono vitæ religioſæ [illegible]. Incipiendum eſt guſtando, quam ſuave ſit uni Deo in religione inſervire. Hæc ſtatus religioſi felicitas eo ſolidior eſt, quod non ſolis innititur bonis, quæ in hac ipſa vita guſtantur. Præcipuus hujus felicitatis fons eſt JESU CHRISTI promiſſio, qui æternam pollicitus eſt felicitatem. Et ſane quiſnam potiori jure putet, nomen ſuum in libro electorum ſcriptum eſſe? quis potiori jure ſperet, ſe a Domino æternam conſecuturum felicitatem, quam religioſus, qui propter Dei ſui amorem ſeſe obligat iis omnibus, quæ in evangelio ſunt perfectiſſima, & præceptis exactam omnium conſiliorum adjicit obſervantiam? Nonne ipſe Dei filius vitam æternam pollicitus eſt illis, qui mundi hujus bona propter amorem ejus relinquerent, præter centuplum in hac ipſa vita acquirendum? *Idem.*

Quid majus? quid generoſius hoc conſilio, quo virguncula omnia infringit vincula, quibus huic adſtringitur mundo, religionem ingrediens? In ipſo ætatis flore, cum omnia in mundo rideat, cum nitent omnia, omnia ſeducunt, omnia alliciunt; ea ætate, quæ voluptatum tedio affecta eſſe nequit,

qua

qua omnes ſpes blandiuntur; cum eam ſollicitet vanitas, ac tot externæ, nitidæque ſpecies ad fallendum aptiſſimæ; cum pravi exempli torrens eam trahat, in lubrico ſtare, generoſa ex turba evadere, & quamvis tenaciſſimis amantiſſimæ conſanguinitatis vinculis detineatur, omnes has fugere illecebras, nexus omnes infringere, propriam ſacrificare vitam, ipſas etiam ſpes abdicare, pauperem, humilem, mortificatam, reliquos vitæ ſuæ dies intra auguſtum cellulæ ſpatium ſe includere, idque ut Deum impoſterum unice diligat: finge tibi, ſi potes chriſtianam virtutem magis heroicam, magiſque perfectam. Cum S. Bernardo hæc vocari poſſunt gratiæ JESU CHRISTI miracula, quæ nobis minus admiranda videntur, quod communia. *Idem*.

Quomodo brevi ad conſummatam perfectionem non perveniatur eo in ſtatu, in quo innocentia eſt tamquam omnium virtutum baſis, ubi vigilantia leviſſimos etiam pervertit errores ubi ſpiritus mortificationis minimos etiam affectuum impetus coercet, ubi pietas frequenti ſacramentorum alitur uſu, ubi fervet per bona exempla in ſingulos ferme dies creſcit? O ſtatum longe alium a ſtatu mundi, ubi ſolidæ virtutes adeo infrequentes ſunt, frequentes adeo lapſus, levis pœnitentia, pericula vulgatiſſima, & numerus electorum exiguus! *Idem*.

Religioſus a mundi periculis immunis eſt.

Religioſus minus patet hoſtilibus telis, & in ejus ſtatu omnia aliquid conferunt ad illius tuendam, regendamque innocentiam. Solitudo tutum eſt contra ſæculi corruptionem perfugium. Inter clauſtra aer purus reſpiratur, donec, qui in mundo verſantur, virtutem adeo fragilem ſervare tenentur inter pericula, & occaſionum illecebras, virus ebibere coacti oculis quidem in vana mundi pompa, auribus vero in vulgatioribus converſationibus, atque ſibimet invigilare debentes, ad prohibendum ne illud in ipſa uſque penetret præcordia; verbo, coacti cum Babylonicis pueris in fornacis flamma verſari, & ut illi eadem nequaquam comburi. Numquid ploranda eſt religioſorum conditio, eo quod tot ex periculis eruti ſunt? *Idem*.

Ad religioſum ſtatum vocatio ſignum eſt prædeſtinationis.

Nemo aequius judicare poteſt, Deum ſpeciali modo velle ſalutem illius, quam ad religionem vocat, quam ſi conſideret terminum, a quo illam educit, illum, quo eamdem adducit, ipſamque vocationis illecebram. Primum autem, terminus unde illam educit, mundus eſt, ſcopulus ſaluti adeo terribilis non propter aſſidua tantum pericula, quibus fidelis anima patet, verum etiam propter inanem confidentiam, quam mundus inter ipſa ingerit pericula. Secundo, terminus, quo adducit illam, eſt religio, ſtatus utilis ſaluti, & propter ſolitudinem, quæ eſt perfugium, & ſtatio virtuti tutiſſima, & propter jugem vigilantiam, quam ipſa inſpirat ſolitudo. Tertio, vocationis illecebra gratia eſt ſingularis, quæ complectitur beneficium Dei aliquem eligentis ex tot mortalium numero, quos in ſæculi corruptione relinquit. Hæc tria ſunt apertiſſima argumenta fortis, & efficacis voluntatis, qua Deus quærit ſalutem illius, qui ad Religionem vocatur. *P. Cheminais ſermone pro religioſa profeſſione*.

In religione omnia ad virtutem adducunt, & a vitio deterrent.

Ibi, quidquid ſanctus zelus, ſanctuſque fervor religioſis divino animatis ſpiritu magis aptum ad propulſandos noſtræ ſalutis hoſtes ſuaſit, in uſum redigitur. Ibi bonum exemplum auctoritate eorum probatum, qui in Dei cultu conſenuerunt, omnem vim habet ſuam; e contra malum exemplum, ſi prodire audet, ut plurimum omni caret effectu, tum quia punitur, tum quia numquam probatur. Ibi omnia, quæ inita fuerunt conſilia ad ſervandum rectum ordinem, inſtituta, monita, exhortationes, pietatis exercitia ſunt totidem veluti valla, quæ eorum opponuntur cupiditatibus, qui ſuimet ipſius poſſent oblviſci. Decor ejus indumenti, quod geritur, ſanctitas loci, qui habitatur, dignitas ſtatus, quem amplexus es, efficiunt, ut omnem ſentias horrorem, & indignitatem peccati venialis, quod qui in mundo vivunt, adeo parum reformidant. *Idem*.

Senſus animæ religioſæ de beneficio vocationis.

Accepi, Domine, peculiarem hanc vocationis gratiam, beneficium hoc adeo pretioſum, ſed quod parvi penditur, quia a mortalibus parum cognoſcitur. Si ulla dignitas eſt, de qua gloriari liceat, hæc illa eſt, qua me a populo ſeceroere voluiſti. Generis, nobilitatis, fortunæ bonorum, naturalium qualitatum decor, iſte non eſt, quo amicos tuos diſtinguis. Sæpius hic nocet magis, quam proſit ad æternitatem. Sed vocatio tua quot ſecum adfert felicia ad ſalutem conſequendam præjudicia! Quanta illius bona ſint equidem ſentio, Domine, & quo magis impenetrabilem prædeſtinationis tuæ ſcrutor abyſſum, eo magis mihimet perſuadeo, te peculiaria iniiſſe ob ſalutem animæ meæ conſilia. Sine, Domine, me hinc tantum fructum percipere. Num credam me a te tanto affectum fuiſſe beneficio, ut mox in reproborum maſſa confunderer; me a te eo uſque deductum fuiſſe, ut ut me poſtea negligeres; me a te in deſertum fuiſſe adductum, ut ibi interirem? Heu! ſpero fore, ut bonitas tua illud opus perficiat, quod adeo feliciter cœptum eſt. *Idem*.

Anima a Deo ad religionis ſtatum vocata, eſt veluti divino ſpiritu rapta. Ipſa etiam ſtupore perculſa ob facti ſui magnitudinem, & facilitatem, quam in eo perficiendo nanciſcitur, dubitat, utrum ipſa ambulet, an gratiæ alis agatur: tanta perfunditur voluptate ſequens illecebram, qua deducitur. Momento ſapientior facta circa mundi vanitatem, quam omnes antiquitatis ſapientes, beneficio luminis, quo illuſtratur, ejus nihilum agnoſcit; & cum mundani nonniſi poſt diuturnam experientiam agnoſcant phantaſma, quod conſectati ſunt, ictu oculi omnium terrenarum rerum inane cognoſcit. Sola æternitas ob oculos ejus explicat infinitorum ſpatiorum durationem, & omnes illius intuitus figit. Intelligit illa non per ſe hæc omnia cognoſcere, ſed ope gratiæ vocationis ſuæ, qua illuſtratur, dum alii in tenebris verſantur: & quemadmodum ignis columna, quæ dux erat Iſraelitarum, altera ex parte facem præferebat Dei filiis, ex altera vero Ægyptiis caliginem offundebat: ita divina hæc illecebra, quæ animabus ad religionem evocatis tantum affundit luminis, iis, qui in mundo ſunt, cahos eſt impenetrabile. *Idem*.

Magnum ſacrificium, quod religioſus facit Deo mundum relinquens.

Si religioſus ſacrificare debet hunc mundum, qualis eſt, vanum, fallacem, doloſum, imparem felicitati afferendæ, talem denique, qualem funeſta experientia illum oſtendit iis, qui in illius amore conſenuerunt, hoc ſacrificium tunc fortaſſe nonnihil ſui pretii amitteret. Sed virguncula non ſolum relinquit mundum, ſed ideam, quam concipit mundi. Modica, quam illius habet, experientia illi exhibet mundi imaginem longe pulchriorem, gratioremque. Imaginatio auget objecta, illis vividiores allinit colores, ac lineamenta illecebris refertiſſima; atque mendaci hac pictura ſupplet iis rebus omnibus, quæ in prototypo deſiderantur. Facile nobis fingimus, quod ignoramus, re ipſa ſpecioſius, atque jucundius. Ea ſumus ætate, qua hæc mundi figura, quæ præterit, nil nos videre ſinit præter externam ſpeciem, cujus fulgor nos decipit. Ita, quanquam mundus, ſi intus, & in cute inſpiciatur, forſaſſe tanta non ſit victima, cujus ſacrificium tantis ſtare ſumptibus debeat; Deus tamen, qui videt ideam, quam virguncula ejuſdem concepit, non dedignatur ſibi de nihilo magnum fieri ſacrificium. *Idem*.

In religione fit Deo propriæ libertatis ſacrificium.

Hoc in ſtatu, quem amplecteris, ſpiritus ſuam amittit libertatem: bonum, quod omnia ſæcula, omneſque mundi nationes tanquam cæteris quibuſcumque bonis præſtans exiſtimarunt. Adeo univerſale ſacrificium, ut omnia vitæ momenta amplectatur, ubi quælibet actio non fit amplius, niſi per externi motus impreſſionem. Sacrificium amori proprio adeo contrarium, ut rebus in omnibus illi crucem figat ſexcentis legibus, conſuetudinibus, obſervantiis, regulari vigilantia, cui ex omnibus virtutibus amor proprius minime ſe accommodat, ibi nequaquam inveniens, ut alibi, neſcio quem nitorem,

Digitized by Google

rem, qui ejus palpat vanitatem; ibi vero omnem aliarum virtutum, quæ maxime heroicæ ſunt, inveniens amaritudinem. Sacrificium, quod in ipſum etiam noſtræ manſionis locum extenditur, hanc vel intra clauſtri cancellos in æternum coarctans, vel indeſinenter pro aliena voluntate commutans. Sacrificium, quod omnino auſert omnem commercii vitæ hujus ſuavitatem, nos a proximis, & amicis removens, atque uni alligans communitati, ubi ingenia, inſtitutio, ætas, & variæ morum qualitates ſæpe occaſionem præbent exercendi patientiam. Verbo, ſacrificium, quod hominem ſpoliat ſui ipſius ditione, ut non conſulendum ulterius ſit proprium cor, ut quod velit, innoteſcat, ſed aliena ſit explotanda voluntas. *Idem*.

Religioſo jugis exercenda eſt mortificatio.

Propter Deum unice religioſus æternum affectibus ſuis inferre debet bellum, &, licet aliud ætatis æſtus ſuadeat, ſeſe contra inimici tela tueri. Quot ſecretæ victoriæ! quot heroicæ actiones, quarum Deus unus eſt teſtis! Quot auſteritatibus carnem ſuam infirmare contendit: quot vigilias, jejunia, preces, lectiones, meditationes adhibet, ut vincat! Quot commoda ſunt apud eos, qui in ſæculo maxime frugi habentur, quæ in religione ne de nomine quidem agnoſcuntur! Hoc procul dubio ſatis eſt ad deterrendas infirmas animas, quæ quotidie ſuæ deſunt vocationi. At æquum eſt, Domine, inquit fidelis anima, tanto ſumptu te amari. Tu mihi præbes bona, & ſecuritatem religionis, ego vero omnes illius difficultates, pœnaſque volo ſacrificare; tu mihi illius ſubſidia, & gratias procuras; ego vero illius cruces eligo, atque auſteritates. Hoc auſteræ vitæ genus, fateor, aliquid habet, quod ipſam naturam avertit, & ſenſus commovet; atque ſi illud ſolum intuerer, me poſſet deterrere; ſed ſpectandum eſt tamquam neceſſarium ad præſtandam fidem, quam Deo pollicitus ſum. *Idem*.

Religioſum ſtatum amplecti, ut Deo ſerviatur, heroicum eſt.

Relinquere, quidquid in mundo pretioſiſſimum habetur; generoſo contemptu conculcare, quidquid homines tot curis, laboribuſque conquirunt; ſibi in æternum interdicere omnes voluptates, quæ conſtituere videntur eas guſtantium felicitatem; ſe ſibimet auferre immolandum tamquam hoſtiam viventem pœnitentiæ, & mortificationi; hoc opus eſt adeo magnum, atque difficile, ut ſi Deus per gratiam ſuam hanc non immitteret mentem, neque præmiorum ſuorum promiſſione opus confirmaret, hoc humani ſpiritus infirmitati prorſus eſſet impoſſibile. Creaturæ enim nos adeo validis illecebris palpant, earum fulgor adeo jucunde oculos noſtros perſtringit, earumque ſuavitates ita cordibus noſtris placent, ut ſolus immortalium cœli deliciarum adſpectus earum nobis affectum, & exiſtimationem valeat adimere. *Panegyricæ Orationes Domini Verjus, Paneg. vitæ religioſæ*.

Merces, quam promittit Deus relinquentibus omnia.

Profecto niſi Deus ſuæ bonitati, ac prorſus divinæ liberalitati unquam deeſt; ſi præſtat fidem, qua recepit ſe in hac etiam vita centuplo remuneraturum eos, qui aliquid propter ipſius conſilia, cultumque reliquerint, heroicis his animabus retribuere debet aliquid adeo magnum, locuplex, magnificumque, ut creata omnia, quæ illi reliquerant, nihil cum eo collata videantur; ut palam videant, quam juſta fuerit eorum electio, & quam felix ſit ipſorum conditio ... Statui potiſſimum veſtro, ſanctæ animæ, quæ omnia reliquiſtis, & quæ a pericuLoſa ſæculi corruptione vosmet ſeparaſtis, ut Jeſum Chriſtum ſequeremini; vobis, inquam, magnificæ illæ promiſſiones factæ fuerunt, vobiſque dici poteſt: *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis*, Matth. 5. *Idem*.

In receſſu potiſſimum religioſæ domus ob oculos piarum animarum Deus effulgere ſinit eas claritates, quas ambitioſis, ſuperbiſque ſpiritibus abſcondit. Donec inordinato creaturarum amore tenemur, horribilis noctis caligine involvimur; furens affectuum commotio denſas excitat nubes, quæ menti lucem auferunt, & cœli radios prohibent: alienas hic ignis tantum fumi effundit, ut ſolem videre non poſſint. Sed qui omnibus humanis affectionibus vacui ſunt, hi puros imitantur ſpiritus, qui palam regis gloriæ majeſtatem intuentur: qui nullum amplius habent cum rebus terrenis commercium, hi jure benignos recipiunt influxus Solis æternæ veritatis. *Idem*.

Melior ululus, quem noſtræ libertatis facere poſſumus, eſt illam Deo conſecrare.

Si magnum eſt hominis bonum præditum eſſe libertate, quæ illum ſuper omnia creata attollit, & quæ in ipſo eſt, uti Sancti Patres inquiunt, viva imago, & expreſſa divinitatis ſimilitudo, dicere poſſumus, perfectionem beatitudinis ejus eſſe hanc libertatem quodammodo amittere, eam illi immolando, a quo recepimus. Deus nos liberos, ac noſtrummet ipſorum dominos reliquit, ut eam eo bonorum operum noſtrorum gloriam dividentes, ipſi etiam æque, ac ille eſſemus æternæ felicitatis noſtræ opifices, ac noſtræ ſalutis principia: ſed vult, nos hanc libertatem impendere, ut noſmet beatiori ſubjiciamus ſervituti; vult, noſmet ipſos nobis catenas nectere, & ultro jugum illius ferre. *Idem*.

Per religionis vota Deo plus tribuimus, quam ceteri anobis.

Prorſus cœleſti prudentia, & peculiari divini ſpiritus motu hodierna die, chariſſima ſoror, tanta animi præſentia temet inaudita ratione ſubjicis Deo per ſolemnia, & irrevocabilia vota, atque temet illi arctioribus, fortioribuſque vinculis præ cæteris fidelibus alligas. Noluerat ille omnem in te ſuam exercere auctoritatem, tibi integrum reliquerat plurima facere, quæ tu tibimet interdicis; permiſerat tibi uſum bonorum, quæ natura, & fortuna tibi fuerant elargitæ, tu vero illa in æternum contemnis, ut illi ſervias. Hoc, ex S. Auguſtini ſententia, eſt, generoſitate, & magnificentia cum eo decertare. A te id exigit ſolum, quod ad ſalutem tibi neceſſarium eſt, tu vero illi offers, quidquid aliquid ſaluti poteſt conferre: ille tibi vitia, & peccata interdicit, tu vero propter illius cultum, & gloriam innocuorum etiam terræ bonorum uſum interdicis; reddis illi bona, quæ ab eodem acceperas, & quibus times, ne abutaris; non illius dumtaxat præceptis obtemperas, verum ipſa etiam conſilia tamquam irrogatas leges tibi putas; & ſatis eſt; te illius voluntates cognoſcere, ut inevitabilem tibi eas ſequendi neceſſitatem inſtare arbitreris. *Idem*.

Præmia, quæ Deus in hac ipſa vita confert illis, qui ſeſe illi devovent.

Hodie facto hoc adeo ſancto, & ſolemni, meliorem naturalis libertatis partem abdicas; videris ipſa cordi tuo arctiores circumſcribere terminos, quam quos illi natura præſcripſit: omnia vota, omneſque affectiones tuas in uno tantum colliges objecto, qui Deus eſt. Non licet amplius oculos tibi terram verſus convertere, nec ſinere, ut aliquis tibi ſenſus elabatur, quo palam fiat, te aliquid eorum, quæ in ea continentur, amare. Sed ille, cui tantam hanc facis oblationem, novit quo pacto jacturam tuam remuneretur: illi ſervire regnare eſt; & pro hac modica libertate, quam illi ſacrificas per vota tua, tibi redditurus eſt libertatem longe nobiliorem, præſtantioremque in hac ipſa vita, præter gloriæ libertatem, quam tibi reſervat in cœlo. *Idem*.

Deus eſt fidelis, & veritas mentiri non poteſt. Mundi Salvator pollicetur, ſi nos propter amorem ſuum reliquerimus modicam illam dulcedinem, & voluptatem, quæ eſt admixta tantæ amaritudini in libera bonorum mortalis hujus vitæ perfruitione, ſe nobis regnum æternum præparaturum in cœlo ad ea penſanda, quæ propter ipſum reliquerimus. Felix permutatio, S. Hieronymus exclamat, cœleſtia, pura, perfecta, & incorruptibilia pro fluxis, terreſtribus, & periuris bona percipere! Sed quam ſuavis eſt conſolatio, habere Deum optimum, & omnipotentem tanti boni ſponſorem, & vadem! ... Inter gaudia, & ſuavitates prorſus cœleſtes, quibus perfrueris, fateberis, Anima religioſa, Domini tui beneficiis longe ſuperari promiſſiones; te ultra centuplum oblationum tuarum recipere, & diem unam

in Dei domo traductam longe meliorem eſſe, quam integrorum ſæculorum ſpatium in tabernaculis peccatorum. Tunc cum regio Propheta ſanctæ lætitiæ impetu acta exclamabis: quas gratiarum actiones, o Deus, quæ laudum ſacrificia tibi debeo, quia confregiſti vincula mea, & quia cum aberrimo quæſtu adeo ſuavem, atque felicem cordis, mentiſque libertatem mihi contuliſti? Simul vero nonne in ſingulos dies ta magis teneri cenſebis, tuum inſtaurata zelum, & fidelitatem erga Dominum adeo beneficum, omnem mentis tuæ vim, & libertatem, omneſque tui cordis ardores impendere, ut illius diligas bonitatem, & celebres beneficia? *Idem.*

Quid reliquum eſt, niſi quod tibi pollicear, adeo præclarum ſacrificium Deo acceptum eſſe, ipſamque tibi rationem redditurum magni depoſiti, quod inter manus ejus conſtituis, eumque tibi fideliter ſervaturum, juxta Apoſtoli verba, uſque ad magnam diem generalis retributionis. Remunerabitur ille conſtantiam, & fidelitatem magnificarum promiſſionum tuarum, quas hodie offers illi omnium earum rerum, quæ tibi pollicetur, liberans fidem; & pro cultu, quem illi præſtas in terra, te in æternum in cœlis remunerabitur. *Idem.*

Vota voluntatis noſtræ inconſtantiam certam faciunt, & illam in bono confirmant.

Præter officia, quibus omnes homines bonum exercere tenentur, conſtituta ſunt vota, quibus homines, qui ſeſe Deo devovent in ſolitariæ vitæ profeſſione, ita alligantur, ut in felici neceſſitate verſentur illa adimplendi, quin eadem valeant retractare: vota, quæ animæ inconſtantiam confirmant, in ambiguitatibus certam faciunt, in languoribus roborant, eique in tentationibus ſubſidio ſunt, atque perfugio: vota denique, quæ ſanctas intentiones in tuto ponunt, & per quas cœli beatitudinem jam prævertens cum gratiæ ſubſidio anima poteſt voluntati ſuæ quamdam confirmationis in bono ſpeciem tribuere. *Fromentiere ſermone pro religioſa profeſſione.*

Quamvis puella Deo devoveret ſeſe ea in ætate, qua nondum omnem haberet, quæ par eſt, prudentiam, illius tamen actio adeo rationi conſentanea eſt, & hæc diſpoſitio, quam de ſe ipſa facit, illi adeo utilis eſt, ut ſit univerſe probanda. Aliquidne melius facere poſſet, ſi tota cœli, terræque ſapientia adeſſet illi, eamque illuſtraret? Quid, ut appoſite Tridentina Synodus inquit, homines in adoleſcentia omnibus patrandis ſceleribus pares ſunt, & pares non ſint meritis omnibus acquirendis? Eam habebunt ætatem, quæ ſatis ſit, ut ſeſe in interitum tradant, non habebunt autem, ut ſuæ ſtudeant incolumitati? *Idem.*

Religioſa vita verum eſt martyrium.

Hoc perſuatum eſſe debet, religioſum deſtinatum eſſe crucibus, atque cruciatibus, ſtatumque illius a ſanctis omnibus habitum fuiſſe tamquam verum martyrium propter magnitudinem mortificationis, & abnegationis, quam continet. Et profecto quam aliam ejuſdem nobis adſtruere poſſumus ideam, ſi ille in lucem ſuam afferatur; atque conſideretur, tanquam imago, & imitatio fidelis vitæ Jeſu Chriſti è Crux ejus, proprie loquendo, ſemper fuit pars religioſorum, & quanquam hanc ille impoſuerit univerſis, qui ex ejus nomine appellari gloriantur; particulari privilegio facta eſt ſors Chriſtianorum, qui ſeſe vitæ religioſæ mancipaverunt; cum plerique eorum qui in mundo vivunt, illam abjecerint. *Abbas Trappenſis in explicatione regulæ S. Benedicti tomo 1.*

Subinde nobiſmet ipſis dicere debemus: Heu! quandoquidem hunc aſſecutus honorem ſui, ut religioſus vocer, & ſim, omnibus religioſi hominis muneribus debeo perfungi, omneſque requiſitas conditiones habere. Quam enim turpe eſſet mihi adeo glorioſo nomine appellari, neque eidem ſatisfacere in obeundo munia, quæ huic ſtatui ſunt inhærentia? Quis pudor in adeo ſublimi ſtatu eſſe poſitum, ejuſque perfectionem non habere? Quid mihi prodeſſet patrem, matremque reliquiſſe, omneſque mundi ſpes abjeciſſe, niſi vitam præter communem uſum vulgi duxiſſem? Nonne præſtitiſſet non reliquiſſe mundum, quam in religionem veniſſe, ut profeſſionem meam dedecore afficerem, vel ut communi vita meam proderem vocationem! Animum advertamus aliquando ad utiliſſimum hoc S. Pauli 1. ad Corinth. 1. monitum: *Videte fratres vocationem veſtram:* & dicamus, ſi verum eſt, hunc ſtatum mihi neceſſitatem inferre affectionem omnem à terrenis rebus avellendi, quantam ſcelus erit, me cor meum illis partiri? Et ſi forte aliquam in fervore veſtro deprehenditis relaxationem, ſtatim ita voſmet ipſos exprobrate: Heus tu! omniane te relinquere oportebat, ut huc venires? Omnes tibi deſerendi erant conſanguinei tui, omniaque abdicanda bona, ut hoc tantum faceres? Eo alque progrediendum tibi erat, ut ex religionis gratia, atque ſtatus hujus bonis adeo modicum fructum perciperes! Perfectionis ſtatus tibi amplectendus erat, ut perfectionem omnino negligeres? *P. Bourdaloue in ſermone manuſcripto hujus argumenti.*

Facilius eſt in religione, quam in mundo bonos pietatis ſenſus facere.

Qui diu vixit in mundo ſine alia qualibet cauſa, niſi quod in mundo vixit, ejus inanibus nugis repleint, neque habet amplius fervorem, primamque illam applicationem, qua eſſentialibus ſuis vacabat officiis. Rerum humanarum ideæ neceſſario divinas confundunt, & quemadmodum loquitur S. Bernardus de ſe ipſo, ſemper minores redimus, hoc eſt, iis vacui virtutibus, quibus antea præditi eramus: *Minor redii.* Quamobrem regius Propheta in impetu amoris ſui dicebat; quis mihi præbebit alas columbæ, ut eo me conferam, ubi puriorem adſpirare aerem valeam, & requieſcam? Sed in religione cum omnia nobis virtutem ſuadeant, fervor diutius ſervatur, &c. *Idem in alio ſermone.*

Religioſus per profeſſionem ſuam omnibus mundi rebus renuntiavit.

Religioſus per profeſſionem ſuam ſibi in æternum mundi aditum intercluſit; omnibus ſeſe curis, & negotiis, non ſecus ac opibus, & voluptatibus abdicavit, & ſervitus Jeſu Chriſti, cui ſe addixit, non ſinit eum hominibus inſervire, niſi quatenus ſuæ profeſſionis ratio ſinit. Mortuus eſt rebus omnibus ſenſibilibus; monaſterium ipſius ſepulchrum eſt, ibique expectare debet, donec à Salvatore mundi vocetur, ut olim vocavit Lazarum, quem ex ſepulchro voluit educere. Meminiſſe debet, ſe vas eſſe divino cultui, & ſacro altarium miniſterio dicatum; impoſterum non ſine prophanatione in aliis uſibus adhibendum..... Si religioſus, qui nullis conſcientiæ ſtimulis agitatus, in mundi luce verſatus Magiſtratum aliquem in theatro videret, militem forenſia tractare, & artificem eruditis Academiæ ſcientiarum officiis operam dare, ne ille quidem vehementer obſtupeſceret? attamen, quamquam, quotieſcumque extra clauſtra acceſerit ſui inter hominum conſortia, & impedimenta verſatur, ſitus illius majorem illi ſtuporem debeat injicere, nihil in ſeipſo animadvertit, quod ſibi negotium faceſſat, & hic habitus, hæc figura adeo inſolita, quæ illum prorſus abnormen facit ab illis, cum quibus verſatur, nequaquam oſtendit illi nihil cum hac deformi vitæ ſuæ ratione eſſe comparandum... Quid magis abnorme, quam videre religioſum, qui tamquam lampas ardens ex imo ſolitudinis ſuæ mundum illuminare debet, in hunc eumdem mundum prodire tamquam lampadem extinctam, quæ fumum, non lucem, emittit: *Non quidem lucens, ſed fumigans,* inquit S. Bernardus; videre hominem hunc a Deo tamquam mediatorem conſtitutum, ut ſeſe iræ ejuſdem opponat, ubi contra peccatores irritatus eſt, eadem peccata committere, pro quibus quotidie intercedere, preceſque tenetur effundere: videre demum eum, qui per cogitationes, verba, & actiones eſſe debet in cœlo, & cui inde non licet deſcendere, ſeſe demittere, ac immiſcere negotiis eorum, qui terrena tantummodo ſapiunt, & quærunt. *Abbas Trappenſis, tomo 2. de vitæ monaſticæ officiis.*

Periculum quod ſubit religioſus.

Circa hanc veritatem unus eſſet omnium ſenſus, ſi ſerio cogitare vellemus, quid ſit religioſi homi-

Seſe mundi negotiis immiſcens.

nis vita, & quid ſit homo; qui ſeſe negotiis ſæcularibus miſcet. Qui intellexit religioſum a Deo deſtinatum eſſe pietati interiori, illum vitam ducere debere in morum integritate, in requie, in jugi meditatione, ſeorſim ab hominibus, coram Deo, a cujus conſpectu, quatenus humana fragilitas ſinit, numquam recedat, non credet numquam illum ſeſe tantæ mentis evagationi objicere poſſe... Hoc illud malum eſt, ad quod redigitur religioſus, cum ex ſe, ac injuſſus hujuſmodi ſeſe impedimentis immiſcet. Negotia, quorum curam gerit, illum totum exigunt, & flagitant; ipſe illis totum ſuum tempus impendit, ſuam navat operam, atque induſtriam. Hic torrens eſt, quod illum cum majori trahit pernicitate, quo magis vacat eidem in ſemet ipſo perutilem facere conſiderationem. Ille vivit inter homines, qui rebus in omnibus ſequuntur motum, quem odium, vel avaritia illis inſpirant, atque illius vitia, mores, & placita haurit. Diſſipatus eſt in vitæ ſuæ ratione, proprio mordicus inhæret ſenſui, ardens eſt in negotiis ſuis; verbo, religioſus eſt ſine religione, qui in omnibus actionibus, verbiſque ſuis animæ tumultum, ac perturbationem præfefert. *Idem*.

Status religioſus ſtatus eſt pœnitentiæ.

Religioſus deſerit mundum, ac ſeipſum in aſcerio quodam veluti in carcere claudit, ut pro peccatis ſuis divinæ ſatisfaciat juſtitiæ. Tradit corpus ſuum morti voluntariæ, ut animæ vitam redimat. Omnia religionis exercitia, vigiliæ, jejunia, labores, ſolitudo, omneſque corporis mortificationes ſunt veluti ſupplicii ſui inſtrumenta, quibus ejus infirmatur valetudo. Abrenunciat vitæ paucorum momentorum, ut a Dei bonitate æternam vitam obtineat. *Idem*.

Hac in re Sanctorum ſenſum ſequamur oportet, & cum illis dicamus, religioſo nihil eſſe commune cum mundo, illum ab hoc ex profeſſione ſua tantum ſeparatum eſſe, quantum per mortem naturalem, & illis, qui eum allicere vellent, ut iterum temporalibus ſeſe negotiis impediret, reſpondeamus: *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Fallitur, qui viventes quærit in ſepulchris, & vitæ actiones exigit ab iis, qui earum non habent principium, ut cum Apoſtolo exclamare liceat: mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo; ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto. *En libre cui titulus:* Conduite *Chretienne*.

Qui mundum reliquit, nugas conſectari non debet.

Sæpe ex vobiſmet ipſis cum S. Bernardo quærite, cur in religionem veniſtis? *Bernarde ad quid veniſti?* Quæ igitur mihi mens fuit, cum vitam religioſam amplexus ſum? Numquid magna reliqui bona, ut nugas conſectarer? Num omnibus mundi honoribus, & dignitatibus abrenunciavi, ut exigua miniſteria ambirem, ut in religione de honore contenderem? Numquid ſacrificavi, quodcumque magis jucundum, & ſuave mihi mundus pollicebatur, ut inanes oblectatiunculas, & voluptates mea conditione indignas perquirerem? Denique vincula adeo fortia perfregi, obices, qui invicti videntur, ſuperavi, ut leviſſimis tentationibus cederem, inanibuſque nugis adhærerem? Nequaquam; non hunc mihi finem propoſueram, ſi rite conſulo ſenſus, quos fovebam, cum mundum reliqui. Sed coram te fateri debeo Deus meus tanto cum rubore, quanta cum veritate, ſi meam vitæ rationem inſpicio, non alium habuiſſe videor finem, vel ideo mihi adeo nobilem, eximiumque propoſuiſſe, ut crimina mea magis fierent inexcuſabilia, & errores mei magis abnormes, ac turpes. *Pater Nepveu in receſſu*.

Honor, & gloria eſt in religioſo ſtatu ſervire Deo.

Si ſervire Deo regnare eſt, quemadmodum toties audivimus, proculdubio nobis perſuaſum eſſe debet, o Chriſtiani, religioſum in ſtatu hoc gloriam ſuam invenire. Quis enim major excogitari poteſt honor, quam habere finem adeo nobilem, qualis eſt Domino ſervire in domo illius, cum eo familiariter verſari, illum habere ſponſum, non aliud habere patrimonium, & hæreditatem præter ipſum? Hæc ſunt animæ religioſæ bona; hæc autem omnia nonne in ſummum gloriæ decus ei cedunt?.... Ad hæc vobis, qui religioſi eſtis, neceſſitas inſtat ad ſtatus hujus finem tendendi, ideoque hac in re vobis deliberandum non eſt. Vos id eſtis polliciti; votum hoc emiſiſtis; ad aras id promiſiſtis Deo æque potenti, ac zeloti; leviſſima quævis infidelitas illum ad iracundiam provocabit; eam impunem abire non ſinet; & ſecundum hanc promiſſionem ſeveriſſimo judicio judicabimini. Si modo vobis eſſet moriendum, & coram judice veſtro prodeundum, aliquidne eſſet, quod vobiſmet ipſis exprobraretis, cum hinc quidem ob oculos veſtros vota, regulaſque, inde vero jugem in illis ſervandis infidelitatem oſtenderet? *Idem*.

Submiſſio, & obedientia eſt proprius character animæ religioſæ.

Submiſſionis, & obedientiæ ſpiritus verus eſt animæ religioſæ character. Ex quo illa Deo conſecrata eſt, ingenium, libido, electio, ſtudium, proprius ſenſus, ratio nullam amplius in vitæ ipſius ratione partem habere debet. Pars illius eſt obedientia: hoc Deus ipſe docet per hos Prophetæ Iſaiæ cap. 62. *Vocabitur voluntas mea in ea*, ut intelligamus, quemadmodum nomina rerum eſſentiam continent, ita obedientiam omnia eſſentialia vitæ religioſæ officia continere; & quemadmodum in civilibus affinitatibus uxor ſuum, familiæque ſuæ nomen amittit de viri nomine appellanda: ita in ſpirituali animæ cum Jeſu Chriſto affinitate, anima propriam exuit voluntatem, Dei voluntatem inductura. Si ipſam affligit, percutientem deoſculabitur dexteram; ſi conſolatur, Dei quidem benedictiones, ſed multo magis Deum benedictionum amabit. Si intrinſecus loquitur, vocem illius audiet obtemperatura; ſi hominum miniſterio ſuas illi explicat voluntates, hos tamquam Dei ipſius interpretes, & organa exiſtimabit. Nihil eo inconſulto aggredietur; non aget, niſi ut illi ſerviat; non patietur, niſi ut illi placeat, neque ullum propriæ voluntatis habebit uſum, quam nullum habere velle. *Flechier, ſermone habito dum monialis quædam religionem ingrederetur*.

Idea, quam mundani habent de virtutibus & exercitiis religionis.

Qui in mundo ſunt, vitæ religioſæ exercitia reſpiciunt vel tamquam ſublimes virtutes, quas imitari immenſi operis eſt, vel tamquam clauſtrorum conſuetudines, quas ipſos ſequi non decet. Dummodo a quibuſdam turpibus, apertiſque criminibus abhorreant, & in operibus ſuis quamdam religionis retineant ſpeciem, ſe ipſos ab omni divinæ legis ſeveritate diſpenſant; aſſidua pericula, funeſtique nexus, quibus vincti ſunt, eos ignaviores efficiunt, atque negligentiores. Illi ſibi quidem perfectionis adſtruunt ideam, non autem ut illam ſequantur, ſed ut inſpiciant, utrum aliquis deficiat; ſibimet ipſis delicati, erga bonos autem ſeveri. Omnes religioſorum auſteritates conſiderant, tamquam neceſſarios vocationis eorum effectus. Adſpirant illi quidem, ut perfectionem conſequantur, inquiunt, & ad id toto niſu contendunt; arctam ingreſſi ſunt viam, eamque ſequuntur; cruces ſuas ſubierunt, eaſque geſtant; hic eorum ſtatus eſt, hæc profeſſio; perinde ac non eſſet omnium hominum profeſſio Deum amare, eique inſervire; perinde ac pœnitentia virtus eſſet, quæ aliquos dumtaxat deceret, non autem inevitabilis Chriſtianis omnibus obligatio; perinde ac ipſi quædam obtinuiſſent privilegia, & jura immunitatis, & pœnitentiam agere minus tenerentur, quia plures habent peccandi occaſiones, majoremque ad peccandum facilitatem. *Idem*.

Quid ſentiant vulgo homines de ea, qui per religionis vota ſeſe Deo conſecrat.

Cum ad aræ pedes virgo chriſtiana videtur, quæ propter genus, & ingenium eniteſcere potuiſſet in mundo, ſæculi vanitatibus, & luxui abrenunciare, necnon generoſe ſeſe omnibus vitæ pœnitentis, & religioſæ exercitiis auſteris, difficilibuſque ſubjicere, homines vulgo illius miſereſcit; conſideratur tamquam victima, quæ ultro ſe altaribus offert, & innocue ſe ipſam mactat. Vota, quæ ab illa emittuntur, audiuntur tamquam ſententiæ, quas ab eadem in ſe proferuntur. Hæc nomina obedientiæ, paupertatis, mortificationis, quibus mundi aures aſſuetæ non ſunt, nomina ſunt, quæ homines terrent; clauſura illis

captivitatis ſpecies videtur, quæ licet initio voluntaria ſit, poſtmodum ſit gravis, & oneroſa. Quilibet judex, arbiterque eſſe vult vocationis ejus, ſemperque reformidat, ne hic vel inconſultæ adoleſcentiæ, vel præcipitia devotionis effectus ſit. Spectatores fallaci miſeratione ducuntur, qua vix creduut ab aliis libenter fieri, ad quod faciendum animus ſibi deeſſet. Putant malum eſſe id relinquere, propter cujus perfruitionem ſe beatos putant, atque de aliis ex propria infirmitate judicium ferentes ſemper timent, ne corripiantur ob eas affectiones, quarum vinculis infringendis ſe minime pares eſſe cognoſcunt. *Idem*.

Felicitas, & conſolatio religioſæ, quæ uni Deo placere debet.

Donec filiæ ſæculi occupatæ deſiderio alios videndi, & videndi ab aliis, ſuperbæ ob quædam ſpeciei lineamenta, quæ natura in ipſarum facie efformavit, tamquam in triumphum circumferent inanem, & periculoſam vanitatem; donec non ſuæ tantum faciendæ, verum etiam alienæ voluntatis captivandæ ſtudioſæ poſt ſe trahent ſuarum vanitatum mancipia, ipſæ quoque mancipia proprii amoris ſui, & ambitionis: tu intra breve clauſtri ſpatium concluſa, & in arcta quieſcens cella, ſed mente ſupra creata quæcumque ſublata, ſub veli integumento clauſa, ſed luminibus veritatis illuſtrata, bonorum hujus mundi egena, ſed locuples theſaurorum gratiæ, hominibus ignota, ſed accepta Jeſu Chriſto, in hoc omnem tuam gloriam conſtituas, quod nullam habeas, omneſque curas tuas, ut reſpondeas iis, quæ Deus petit ex te, & gratiis quibus te cumulavit; quia fides tua facit, ut libertati tuæ abrenunciares, eaque te impulit, ut temet Deo penitus devoveres. *Idem*.

Sanctitas vitæ, quæ in religioſis domibus ducitur.

Quid ſunt religiones, & monaſteria? ſunt ſocietates juxta Jeſu Chriſti ſpiritum, & exemplum formatæ, omnibus mutuæ charitatis vinculis adſtrictæ, intentæ jugibus humilis, atque perſeverantis pietatis exercitationibus, ſecundum ſpiritum, non autem ſecundum carnem viventes, calamitoſis hiſce temporibus primorum ſæculorum fervorem, atque innocentiam inſtaurantes. Sacer eſt ordo perſonarum, quas pro ſe quodammodo ſeparavit Deus, & quæ cum ſe ipſas tamquam inviſibiles reliquis mortalibus præſtiterint in ſolitudinibus ſeſe recipientes, virtutes tantum acquirunt, conſcientiæ ſuæ pacem tantummodo poſſident, ſpiritualia duntaxat bona præſtolantur, atque in ſemet charitatem excolentes cum fructu exercentur, cum diligentia vitam traducunt, & cum confidentia moriuntur. Nihil ultra requiritur, ut religioſæ vocationis ſublimis idea tribuatur. *Idem*.

Religioſæ vocationis felicitas.

Quomodonam ignorari poteſt magnitudo officiorum religioſæ vocationis, ſi perpendatur attentio, qua placuit Deus has cultui ſuo addictas perſonas? Ipſe eas infinito aliarum numero prætulit, quas in ſæculi corruptione reliquit; ſecrevit eas ab hac maſſa iniquitatis; abluit earum veſtimenta vivis pœnitentiæ ſalutaris undis, ut earum candorem augeret, vel ut abſtergeret labes, quas illæ contraxerant: illis regulas tradidit, quæ totidem ſunt lampades accenſæ omnes earum vias illuminantes; illas intra clauſtri ſepta concluſit veluti inter inacceſſa propugnacula; conſtituit eos, qui indeſinenter ſaluti ipſarum invigilant; inceſſanter loquitur ad cor earum ſecretis afflatibus; per quos ſuas illis aperit voluntates; ipſe illas excitat, ut eas adimplere velint, eas lectionibus ſanctis erudit, eas hortatur monitis eorum, a quibus reguntur, animat eorum exemplo, cum quibus vitam traducunt, eaſque divinorum myſteriorum participatione confirmat. *Abbas Trappenſis tom. 2. de vitæ monaſticæ officiis.*

Status religioſus eſt mors myſtica, quæ rationem habet cum morte naturali.

De morte myſtica, quæ per votorum conſecrationem accidit, idem eſt dicendum ac de morte naturali, quæ propter defectum principiorum vitæ contingit. Ab hominibus ſeparamur numquam ad illos redituri: in utraque omnibus mundi bonis noſmet abdicamus, & ultro omnes terræ opes relinquimus, omnes cogitationes in cœleſtes divitias convertimus .... Verba, quæ Dei ſpiritus ponit in ore eorum, qui per vota moriuntur, & eorum, qui per luminis privationem decedunt, eadem ſunt quoad ſenſum, licet eorum diſcrepet ſonus, ita ut ambigi nequeat, quominus utrobique iidem ſint ſenſus, & affectiones eædem. Homo in mundo moriens morte naturæ, ſeſe in manibus ejus tradens confidentiæ motu inquit Salvatori: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, Luc. 23. atque in hac integra ſeparatione, quam ingreditur, teſtatur, Deum ſibi eſſe omnia, ac ſe in eo omnem ſpem ſuam collocare. Homo vero per religioſam profeſſionem mundo moriens ad eumdem ſeſe convertit Salvatorem, ac ſe inter ejus brachia projicit, ſolemni proteſtatione profeſſus, omnia a ſe relinqui, & ab uno illo ſibi felicitatem, ſalutem, vitamque eſſe expectandam. *Idem*.

Qui religioni deſunt vocationi in ſalutis periculo verſantur.

Qui divinis non obtemperant voluntatibus, ſeſe graviſſimis objiciunt periculis. Non negavit illis Deus gratias, quæ ipſis erant neceſſariæ; ſed collatis ſibi gratiis non reſponderunt, & quin ſequerentur vias, quæ ſibi monſtratæ fuerunt, prorſus alias ſecuti ſunt. Tradit eos Deus cogitationibus illorum; ipſi vero voluntatem ſuam ducem ſequuntur: *Dimiſit eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.* Pſalm. 80. Itaque juſtiſſimo Dei judicio quocumque gerunt ſuæ reſiſtentiæ pœnam, ambulant per ſemitas, viaſque remotas, quæ, tantum abeſt, quod ad vitam deducant, ut illos in mortis tenebras impellant, & præcipites agant. *Idem*.

Paucis ſatis animi, ac fortitudinis eſſet ad eas, quæ occurrunt, oppoſitiones ſuperandas, cum agitur de amplectendo immutabili vitæ genere, quod æque moleſtum, atque laboribus refertum ſit, uti eſt vita religioſa, ubi uti opus eſt, atque decet ſecundum veritatem docatur. Etenim quemadmodum plerumque tentationes augentur, & difficultates percrebeſcunt, majureſque fiunt, cum prope eſt, ut ſeſe religioſus adſtringat, atque, ut ita dicam, mortis ſuæ proferat ſententiam vota ſua proferens, tunc vocatio eum ſuſtinet, roborat, atque confirmat. *Idem*.

Qui Religionem ingreditur ſecum ſua adfert vitia, quæ corrigere debet.

Cum aliquis mundo vale dicit, ideæ, defectus, imperfectiones ſuæ in ipſum uſque receſſum ſequuntur, & niſi oculos clauſerit varietati objectorum, quæ illius ſenſus perſtringunt, illæ iterum convaleſcent, robur, ac vires acquirent: illius imaginatio phantaſmatis replebitur, mens inanes fovebit cogitationes, cor, motus, & irregularia deſideria concipiet, ita ut in portu æque diſſipatus, inquietus, agitatus ſit, perinde ac procella adhuc agitaretur. *Idem*.

Quibus periculis obnoxii ſunt illi, qui contra ſuæ profeſſionis officia mundi impedimentis ſe immiſcent: quandoquidem hujuſmodi commercia religioſi hominis pietatem evertunt? Illis induendi ſunt mores eorum, quibuſcum vivunt, cordis ſui puritas commaculanda eſt mundanis converſationibus, extinguendus eſt Jeſu Chriſti ſpiritus, qui unicum eſſe debet ipſorum vitæ principium, ut alio repleantur ſpiritu, qui illi eſt omnino contrarius; atque operibus omnibus perſona, ac ſtatus ſui dignitas eſt in contemptum adducenda. *Idem*.

Singulare beneficium Dei eſt, quod nos ad religionem vocaverit.

Nemo, qui reliquerit mundum, glorietur, S. Athanaſius ajebat, gratias potius Deo agat. Hic idem jure vobis dicere poſſem: ne gloriemur de illis, quæ fecimus propter Deum religionem ingreſſi, ſed potius laudibus, & benedictionibus cumulemus Deum, qui nos vocavit. Noſmet Domino devoventes bona quidem reliquimus, ſed ea bona, quorum poſſeſſio oneroſa eſt ſarcina ſecundum Dei ipſius verba, quorum amor crimen eſt ſecundum evangelium; quorum jactura doloris, & amaritudinis cauſa eſt. Bona reliquimus, quæ poſſidere nequeunt, quin eorum pondere obruamur; bona, quæ amari non poſſunt, quin eorum cupiditate fœdemur: bona, quorum jactu-

cturam vel pati, vel cogitare non poſſumus, quin futura eorum amiſſione turbemur: *Bona, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant.* Itaque gratia, & beneficium eſt, quod Deus nobis mentem, & voluntatem injecerit illa ultro relinquendi; & cum has omnes recogito veritates, quas fide edocemur, quid mihi inferendum eſt? Niſi lætandum eſſe ob ſingularem hanc gratiam, quam mihi elargitus eſt Deus me ad religioſum evocans ſtatum, qui me tot præliis eripuit, atque ex tot ſcopulis eduxit; & infinitæ gratiæ agendæ ſingulari huic Dei miſericordiæ, quæ effecit, ut conſilium caperem non perfectius tantum, & tutius, verum etiam facilius, atque magno meæ ſalutis operi utilius. Etenim facilius eſt terrenis exui bonis, quam illa ſine affectu poſſidere; facilius eſt mundi voluptatibus prorſus carere, quam uti, & abſtinere, & quam inter honores, dignitateſque verſari, nec intumeſcere; facilius eſt ſeſe alienæ voluntati ſubmittere, quam voluntatem intra eos cancellos, intra quos retinenda eſt, retinere; uti hoc mundo, quaſi non uteremur, quod quilibet Chriſtianus facere debet; ſed quotuſquiſque hoc eo modo præſtat, quo debet? Hæc poſſideſe bona, quaſi non poſſideremus illa, altera eſt conditio illi inhærens, qui ſalvus eſſe voluerit; ſed ubinam in mundo mortales, qui hoc ſentiant, invenientur? *P. Bourdalove, ſermone de religioſa profeſſione.*

Gratiarum actio pro beneficio adeo ſingulari.

Quid retribeam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. O Domine, dicere illi debes. *dirupiſti vincula mea*, ideoque tibi *ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.* Pſ. 115. Ideo ad aras tuas proſtrata incipio mei ipſius ſacrificium offerre tibi. Cur autem non ſtatim, quin ulterius differam? Numquid in mea poteſtate non eſt funeſtam hanc exuere libertatem, quæ poteſt adhuc me verſus aliud quodpiam præter te objectum impellere? At me adhuc differre vis, neque me tibi inſolubilibus vinculis adſtringi ſinis, niſi mei periculum feceris; hoc ſaltem ſolatii mihi tribue, ut ſenſu, & animo id facere valeam, quod nonniſi poſt aliquod tempus facere mihi licet; mihique integrum ſit dicere corde, & affectu: *Vota mea Domino reddam.* Tunc enim illi ſacrificium pro ſacrificio, pro amore amorem retribuam. Tunc licebit mihi nulli rei parcere propter illum, quemadmodum ille propter me nulli pepercit, & fieri victima ipſius, quemadmodum ipſe fuit mea. Sed ſpiritus fervoris, & charitatis, quo repleta es, longe nobiliores ſenſus, & verba ſuggeret tibi. *Idem.*

Eramus in mundo, velut arbor non ſterilis tantum, verum etiam peccato originali corrupta, atque fœdata; Deus autem ſingulari miſericordia nos tot aliis prætulit, atque tranſtulit, ut ita dicam, in uberem agrum Eccleſiæ, nos Chriſtianos efficiens: & præterea, providentia majoris adhuc charitatis referta, in religionis agrum quandoquidem nos hoc honore dignatus eſt, ut hunc ſtatum amplecteremur. Satiſne intelleximus umquam, quantum ſit bonum, translatos veluti fuiſſe in terram adeo ſanctam, tot laboribus excultam, necnon ſudoribus, ipſoque Dei ſanguine irrigatam? Hæc ea eſt terra, quæ tot illuſtres chriſtianæ religioni tulit heroas, & quæ fert adhuc quotidie homines ſanctitatis laude præſtantes cujuslibet ætatis, & ſexus. Magnæ iſtæ animæ eadem cultura, qua ipſi exculti ſumus, videlicet cum iiſdem ſubſidiis tulerunt, & ferunt adhuc adeo uberes fructus. Tu, cui beata ſors contigit, ut religioſus eſſes, inſpice perfecta hæc exemplaria: his non aliæ fuerunt regulæ, quam quas habes, has fidelius tantummodo obſervarunt, eaſque obſervando ad tantum ſanctitatis cacumen evaſere. *Idem.*

Quid eſt religio, quo Deus per miſericordiam ſuam nos adduxit? Locus eſt, ubi aſſidue humilitatis, & abnegationis ſuimet ipſius exempla videntur; ubi nonniſi homines ſacco, & cilicio induti inveniuntur; ubi omnia miniſteria cum labore, & humilitate conjuncta ſunt, ubi ipſa ambitio contemptus amore ſuffocatur. Locus eſt, ubi nonniſi pauperes ſpiritu occurrunt, juſtitiam eſurientes, atque ſitientes, animæ per meditationem, & orationem ſupra carnem, ſanguinemque elevatæ, pœnitentes ſine tepore, hoſtiæ viventes, quæ per gratiam quidem ſemper vivunt, per auſteritatem vero ſemper moriuntur. Locus eſt, ubi quiſque indeſinenter vacat imitationi vitæ filii Dei; vita cujus jugis crux eſt, & profunda humiliatio. Omnibus ergo illius doloribus aſſecti eſſe debemus: ſuperbiæ prælationes, ambitioni imperium, voluptati oblectationes omnes auferendæ ſunt: auferendus quoque meo cordi mundus, & mundo cor meum, ut pro Jeſu Chriſto dumtaxat impoſterum vivam. *Ex ſermonibus chriſtianis; tomo 3. ſermone de S. Bernardo.*

S. Paulus ait, Noe damnaſſe ævi ſui mundum per Arcam, quam ædificabat: *Per quam damnavit mundum*; & ratio, quam tribuit S. Auguſtinus, eſt, quod ictus ſinguli, quibus ratis illa compingebatur, totidem erant monita, quibus peccatores prope eſſe, ut in ipſorum crimina Deus animadverteret, admonebantur. Hoc ipſum (chariſſima Soror) dici poteſt de omnibus ſacrificii tui circumſtantiis, deque actionibus omnibus, quæ in toto vitæ tuæ curſu deinceps loquentur. Hæc ſunt totidem veluti ora diſerta mundi mores, & placita, necnon mundi ſectatores damnantia; humile indumentum tuum ornatum illius luxum, & vanitatem damnat; tuæ in Dei cultu vigiliæ eorum in ludis, profaniſque ſpectaculis vigilias damnant: receſſus tuus juges eorum diſſipationes damnat: auſteritas tua eorum mollitiem, obedientia tua eorum licentiam, voluntaria paupertas tua eorum erga perituras opes damnat affectum. Ne una quidem ex actionibus tuis eſt, quæ illas non confundat, & de quibus dici nequeant hæc Apoſtoli ad Hebr. 11. verba: *Per quem damnavit mundum.* Verum eſt, primos fideles tales fuiſſe, quales hodie religioſos homines eſſe cupimus; homines fuiſſe admirabiles, ut Tertulliani verbo utar, homines generoſos, quod terrena contemnebant, atque in vita ſua præſeſcere adnitebantur, quidquid in Evangelio ſanctius eſt, ut mundum, ejuſque placita confunderent. Sed ex quo primus ille fervor intepuit per Eccleſiæ tranquillitatem, quæ illorum cor emollit; perfectio illa, quæ tanta luce in primorum fidelium vim coruſcavit, facta eſt pars eorum, qui inter clauſtra, ſolitudineſque confugiunt; & quæ ante objectum erat nobilis ambitionis omnium fidelium, ad id redacta eſt, ut eſſentiale fieret religioſi ſtatus officium. *Idem ſermone habito, cum monialis religionem ingrederetur.*

Religioſus virtute ſuæ profeſſionis honorem ſuſtinere debet.

Religioſus numquam conditionis ſuæ ſuſtinebit honorem, ut decet, niſi fuerit æque magnus per virtutem ſuam, ac per eminentiam ſuæ profeſſionis, qua adducitur in gradum ſæcularibus omnibus ſuperiorem, & niſi ex omnibus actionibus ſuis mundo ſpectaculum fecerit confuſionis. Virtutes, quæ reliquis hominibus ornamento ſunt, religioſis arctæ ſunt neceſſitatis. Cum hi ſint nobilior pars dominici gregis, & formoſiores agri eccleſiaſtici flores, honor, & ornamentum gratiæ, ut S. Cypriani vocibus utar, vi ſtatus ſui tenentur contra ſæculi mores, atque licentiam Dei gloriam, & religionis cauſam tueri. Præbere debent adeo heroica virtutis exempla, ut ex Sancti Bernardi ſententia, illis non ſolum vitio vertendum eſſet, ſi nullam virtutem haberent, verum etiam niſi majorem præ reliquis vulgo zelum, virtutemque præſeferrent. *Idem.*

Religioſus non debet corde, & affectu in mundum reverti.

Quemadmodum primus homo ex terreſtri egreſſus Paradiſo illuc redire non potuit, quia Cherubim, quem Deus præ foribus conſtituerat, aditum illi intercludebat; ita ratione prorſus alia, ſed prorſus ſimili effectu, cum anima chriſtiana religionem ingreſſa, quæ eſt terreſtris hominis Paradiſus, a mundo receſſit, vetat Deus, illam eo vel

cogitatione, vel affectu reverti. Poteſt quidem corpus illius eſſe in terra, ſed anima ejus nonniſi Deo vacare poteſt, & ſi quod habet adhuc cum mundo commercium propter munus ſuum, illum virtute ſua illuſtrare, bonis exemplis ædificare, & vitæ ſanctitate confundere debet. Cæterum opus eſt mentem illius ſemper Deo intentam eſſe, atque unum illum cogitare. *Idem.*

Religioſi felicitas quia ab omnibus ſæculi periculis, & impedimentis immunis eſt.

Anima religioſa, quæ ſeipſa ſupra mundum extulit, illius motus, & affectiones amplius non reformidat. Receſſus illius portus tutiſſimus eſt, ex quo inſurgentes proſpicit procellas, ac tempeſtates, quin in illis ſe naufragium facere metuat, S. Ambroſius ait: *Neſcit naufragia, qui ſemper in portu tranquillitatis eſt.* Hæc eſt religioſi ſtatus felicitas; electio tua ſapiens eſt, ac prudens; hæc te non periculis tantum mundi liberat, ſed etiam impedimentis .... Si enim nefas eſt laicis aceræ admovere manum, ac religionis negotiis ſeſe miſcere; magis adhuc religioſam animam dedecet ſeſe negotiis ſæcularibus implicare. Mundi arma non decent eos, qui Jeſu Chriſti cultui ſeſe devoverunt; qui ſi deſerant illa, metuendum eſt, ne iiſdem male utantur, non ſecus ac David armis Saul uti non poterat, quæ abjecit ſumpturus ea, quæ ſtatum ſuum decebant. *Idem.*

Religioſus re ſacrificium ſuis corporibus ſui ſacrificium.

S. Paulus Chriſtianos hortatur, ut ex corporibus ſuis non mortuam exhibeant hoſtiam, ſed victimam viventem: *Obſecro ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem*, ad Rom. 12. Hoc ipſum dicere poſſumus de religioſis, vel potius hoc illud eſt, ad quod ſtatus eorum tenetur. Opus eſt, primum Deo devotam hoſtiam fieri, ac ſuimet ſacrificium offerre; ſed hæc hoſtia vivens ſit, oportet, hoc eſt, non debet re ipſa ad mortem, ſed tantum ad ſtatum mortis redigi per ſenſuum, affectuumque ſuorum ſacrificium: *Mirum ſacrificium*, S. Chryſologus inquit, *ubi corpus ſine corpore, ſine ſanguine ſanguis offertur.* Si mors iſta vobis crudelis videtur, vis, quam tribuit, omnes illius auſteritates mulcere poteſt. Si horres pœnitentiam, quæ hanc tibimet ipſi, & cupiditatibus tuis mortem adfert; ſi mors hæc terribilis tibi videtur, facile eſt eam amabilem reddere ſpe vitæ æternum beatæ, quæ aliquando illius præmium futura eſt, & vitæ pacatæ, tranquillæ, ſpiritualis, & prorſus divinæ, quam ſibi in hoc mundo procurabis. Ita religionis ſtatus eſt vitæ ſimul & mortis ſtatus; conditio eſt, quam qui amplectuntur, per obedientiam ſuam propriæ voluntati moriantur. *Idem.*

Status religioſus tutus eſt portus contra pericula, quibus mundus repletus eſt.

Quam primum beatum hunc portum ingrederis, ex quo videbis procellas, quibus mundus æſtuat, quin naufragium extimeſcas, beatum hunc portum, ubi contemnens quidquid hominum ingenia tanto ardore conquirit, videbis ob oculos tuos præterire mundi figuram velut umbram, & pompas ejus tamquam fluctus agitati maris, qui ſimul ſeſe attollunt, atque demittunt. Non eris ultra obnoxius periculis omnibus, quibus mundus refertus eſt. Solitudo, & receſſus iſtius religioſæ domus tibi interdicet præſentiam omnium objectorum, quæ per oculos, mentem, & cor tuum conantur decipere. Hoc perfugium eſt, ubi ab omni labe puram tueberis innocentiam, quam in reliquum vitæ tuæ ſpatium Domino vis devovere... In mundo nimium ſepti ſumus iis rebus, quæ ſenſus, & affectiones noſtras palpant, ita ut illis perſtringi nequeamus. Qui ſunt in medio mari, undique circumquaque tantummodo vident; & qui in ſæculo vivunt, circumundique ſepti ſunt periculis, ut Apoſtolus inquit: *Circumſtant nos peccatum* ad Hebræor. 12. Illi fere ſemper in peccati occaſione verſantur, ſemper tempeſtatibus agitati, ac ſemper in naufragii periculo poſiti. *Idem.*

De jugo filii Dei longe aliter ſentiendum eſt, ac de illo, quod nobis injicit mundus. Hoc quidem grave eſt, illud autem leve; hoc nos opprimit, illud nos erigit; hoc pondus eſt, quo detinemur humi, illud alas habet, & Cœlum verſus nos evehit. Hac de cauſa Patres vulgo hoc in argumento avium uſurpant ſimilitudinem, quæ alas ferunt, & feruntur ab alis: quo magis plumis abundant alæ, melius volant, & quo plus ponderis habent, eo plus habent levitatis. Hoc ipſum dicendum eſt de votis, vinculiſque religionis, quæ vincula ſunt, quæ non ſolum non retinent, ſed ferunt eos, a quibus feruntur. Quod ſi vultis adhuc me vobis hanc explicare veritatem ea ſimilitudine, quæ facilius innoteſcat, fingite vobis navim velis, funibuſque repletam; nonne diceres harum rerum omnium pondus eam remorari, vel ſaltem curſus illius celeritatem retardare debere? Attamen hæc eſt cauſa celeritatis; carbaſa ea ſunt, quæ illam quocumque volare faciunt, & ſine quibus a portu numquam diſcederet. Quod ſi ſimilitudines has religioſo ſtatui applicuerimus, videbimus nihil eſſe, quantumvis oneroſum videatur, cui religio quamdam non impertiat facilitatem, & quo tamquam adminiculo uti non liceat, ut facilius Jeſu Chriſti jugum feramus. *Idem.*

Mortis ſpecies eſt religioſam vitam amplecti.

In eo facto, quod aggrederis, videre videor quidquid in morte amarum eſt, immo aliquid adhuc terribilius. Cur enim mortem adeo nobis terribilem videri putas? Hac una de cauſa, quia vitam nobis aufert, & cum vita omnia vitæ ipſius bona, omneſque voluptates. *Quiſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus gravati, eo quod nolumus expoliari*, Apoſtolus 2. ad Cor. 4. inquit. Quamquam ſub corporis pondere obruti ſimus, ubi moriendum eſt, adhuc tamen ingemiſcimus, quia bonis ejici minime vellemus. Ita videmus, quo plura poſſidentur ab hominibus bona, hos eo magis mortem perhorreſcere. At ullane magis univerſalis fingi poteſt expoliatio, quam religioſi viri eo momento, quo vota religionis emittit? Nihil amplius poſſidet, nihil amplius in poſterum poſſidere poteſt; abrenunciavit rebus omnibus, quas ſibi mundus contulerat, & quod multo magis eſt, rebus omnibus, quas mundus ipſi pollicebatur, abrenunciavit, Omnia honorum genera reliquit. Hominum plerique mortem adeo extremæ paupertati præferendam cenſerent. Attamen nondum ille mortuus eſt, qui quæcumque in mundo poſſidebat, amiſerit: ſed religioſus amittit etiam ſpem nihil umquam poſſidendi, quæ ſpes nonniſi cum morte amittitur. *P. de la Colombiere tom. 2. ſerm. 40. pro monialis profeſſione.*

Mirum eſſe non debet ſi diu pugnandum ſit, antequam ſtatum hunc amplectamur.

Mirumne eſſe debet, ſi qui rem adeo difficilem aggredi meditatur, nonnumquam diutius hæreat, ac pugnet, antequam conſilii ſui certus fiat? Neque enim diſſimulandum eſt, hanc mortem vulgo crudelis agon præcedit. Non ſemel ipſe teſtis fui, nec memini umquam me vidiſſe, quod majori me afficeret miſeratione. Natura in hujuſmodi caſibus miros edit conatus, ut eam ſuffocet gratiam, a qua ſuffocanda eſt. Mundus, & voluptas ſeſe exhibent cum illis illecebris, quæ non ſatis roboratam adoleſcentem conſtantiam valent concutere. Altera ex parte religio menti illius horribiles humiliationis, abſtinentiæ, & ſolitudinis imagines exhibet. Omnis homo fremit ad aſpectum quinquaginta, vel ſexaginta annorum auſteritatis, & ad ſolam vitæ ab omni voluptatum genere abhorrentis cogitationem. Vale, æternum vale dicendum eſt patri, matrique, fratribus ſuaviſſimis, neceſſariis, amicis, familiariſſimis; ne una quidem in venis eſt ſanguinis gutta, quæ non perhorreſcat, & ob duram adeo ſeparationem non rigeat. Attamen non ſine conſtantia tantum opus aggredimur. Sed qui tumultus, quæ interiores anguſtiæ, quot dimidiata ſuſpiria, quot ſecretæ lacrymæ, quot mortales ſudores! Sed macte eſtote, animæ prædeſtinatæ; conſtantiæ momentum per mortem heroicam vos ad beatam traducet immortalitatem. *Idem.*

Illi, qui mundo abrenunciare meditantur, vulgo

Quod mundum religioſi, quamvis non ideo perfecti ſunt, multum adhuc itineris ſupereſt faciendum.

go putant ſe; poſtquam omnia reliquerint, jam ſummum perfectionis apicem attigiſſe: quod ipſum cenſent plerique eorum, qui in ſæculo vivunt: neque enim intelligere poſſunt, quomodo ille, qui propter Jeſu Chriſti amorem pauper factus eſt, qui ſe ſubdidit, ſervumque fecit, & cui adhuc multum itineris perficiendum ſit, ut ad ſanctitatem perveniat, adhuc in primo gradu ſubſiſtat. Attamen hoc nil verius. Cum S. Paulinus omnia bona ſua reliquiſſet, Severo Sulpicio amiciſſimo per epiſtolam factum gratulanti his verbis reſpondit. Terrena reliquiſſe omnia, hoc non eſt ſtadium percurriſſe: ſed ſolum ingreſſum eſſe. Athleta, qui indumenta abjecit, non ideo victoriam reportavit: ſed ſe in eum tantummodo ſtatum adduxit, ubi melius confligere poſſet. Qui fluvium tranaturus eſt, veſtimenta deponit, at non ideo in alteram fluminis ripam evaſit: manus, lacerti, crura projicienda ſunt, & toto contendendum anhelitu, ut fluctus frangat, & aquarum fluenta ſecet. *Idem*.

Poſtquam ex mundo egreſſa eſt, atque Dei cultui ſe addixit profeſſionem emittens, poteſt adhuc puella mundi linguam, mores, ac ſtudia tueri, quæ non ita facile, ut veſtimenta mutantur. Poſt hæc omnia accidere poſſet adhuc, quod mundus in illius memoria, æſtimatione, & fortaſſe in corde etiam viveret. Fieri poſſet, quod magnis relictis opibus adhuc tamen nugarum amore teneretur: ac tanta cura commoda conſectaretur ſua, quanta in ſæculo omnia voluptatum genera conquiruntur, & tandem non minus avida eſſet exiguorum honorum, qui in religione appeti poſſunt, quam ambitioſiſſimus quiſque inanem mundi gloriam concupiſcat. *Idem*.

In religioſo ſtatu conandum eſt, ut in dies magis ad perfectionem procedatur.

Vota religionis emittere multum eſt, ſed ea ad unguem ſervare hoc caput, hæc ſumma eſt: *Danda eſt opera, ut poſt hæc initia ad incrementa quoque veniatur, & conſummetur in vobis, quod jam rudimentis felicibus eſſe cœpiſtis*. Verba ſunt S. Cypriani. Per religioſam profeſſionem mundo moreris; ſed opera deinceps navanda eſt, ut mundus moriatur in te: ibique deinde pro mundo vivat Jeſus Chriſtus. Ceſſare non debes, quominus tuum tibi teporem exprobres, donec in mundo erit avarus, qui magis amabit pecuniam ſuam, quam tu tuam diligas paupertatem: donec aderunt in mundo mulieres, quæ faciei ſpecie hominibus magis placere admirantur, quam tu placere Deo corporis, & cordis tui puritate: donec ii, qui præ cæteris ſunt imperioſi, magis oblectabuntur imperando, quam tu obtemperando. *Idem*.

Interim vero, Chriſtiani Auditores, dum tot ſanctæ virgines tanto fervore operam navant, ut ſe ab omni terrena emundent affectione, dum noctes, dieſque cogitant, quomodo ſuo placeant Creatori, quid ipſi pro ſalute noſtra faciemus? Numquid ſemper in formidabili hac negligentia, in hac horribili erga Deum ingratitudine, in hac mortis, æternæque felicitatis noſtræ oblivione vivemus? Heu! fierine poteſt, ut & ipſi, ut illæ, animam habeamus ſalvam faciendam, infernum metuendum, bonorum æternitatem vel amittendam, vel promerendam? Quis hoc crederet, hinc quidem earum videns metum, & vigilantiam, inde vero noſtram quietem, & ſecuritatem? Adoleſcentula hæc ſeſe in clauſtro concludit, beatam ſe putat, ſi aliquot annorum morte poteſt tandem bonam ſibi vitam procurare, & nihilominus altera hæc in dies magis ſeſe mundi impedimentis immiſcet, & numquam fortaſſe adhuc ſerio cogitavit ſibi eſſe moriendum. Adoleſcens ille omnibus abrenunciat rebus, quaſi unicum ſibi dumtaxat vitæ momentum ſupereſſet: alius vero ædificare tantum, opeſque congerere cogitat, quaſi in æternum eſſet vitam producturus. Hi vitam in mortificationibus, illi in deliciis agunt, hi in ſemet ſua puniunt peccata, illi vero ſcelera ſceleribus ſuperaddere non ceſſant, ac de pœnitentia verba ſibi fieri non patiuntur. Quid hoc, o fideles? Numquid duplex in cœlum patet via, altera quidem arcta, altera vero lata? Numquid Paradiſus pro nihilo aliquibus, aliis vero nonniſi ſanguinis pretio traditur? At enim non omnes religioſi ſumus, & religioſæ: verum eſt: ſed hoc ipſum mihi ciet admirationem: quæ enim neceſſitas illum coegit, ut mundo abrenunciaret: quæ ratio illum impellere potuit, ut crucifixam vitam amplecteretur, quæ cæteros non debeat impellere? *Idem*.

Religioſum fervore debet cum fervorem quo cœpit.

Non loquar de præſtantia, & felicitate ſtatus illius, quam es amplexura; id melius noſti, quam ipſe valeam enarrare; loquar ſolum de ea, quæ tibi inſtat, neceſſitate tuendi, augendique fervorem hunc, qui facit, ut hodie animi magnitudine, ac ſpiritus libertate, quæ digna eſt ſervitute Dei, mundo vale dicas æternum. Turpe enim tibi, Soror chariſſima, eſſet, primum hoc momentum, quod non aliud eſt, quam ingreſſus tuus in vias perfectionis, tibi altiſſimum eſſe gradum, ac terminum; ac te memoria repetentem annorum decurſu fervorem, quo hodierna die animaris, illum deinceps non agnoſcere; & demum adeo ſancta principia indigno tepore corrumpi. Hoc ſæpe malum eſt religioſorum, ſed, ubi ſperandi locus eſt, non erit tuum. Videbunt te, Dei favente gratia ſancto huic aſceterio, cui nomen dediſti, dare etiam fructus præſtantiſſimorum exemplorum, quæ inde excepiſti. *P. de la Rue ſermone ſub illius nomine edito*.

Loth ex Sodomorum flammis erepti exemplum tranſlatum ad eum, qui vocatus ad religionem.

Loth ex illis, quibus Providentia favit, non extremus, Sodomis ſeſe cum filiis ſuis concluſerat, cum cœli ſententia contra urbem illam infamem lata fuit. Deus juſtum cum ſontibus perdere nolens, illi miſit Angelos ſuos, eique periculum, in quo erat, nunciavit. Neque ob illius tarditatem ſuccenſuit, ſed brachio ereptum extra urbis mœnia deduxit. Hactenus Deus omnia operatur; non autem ſemper hoc ipſum præſtat. Audi, inquit illi Angelus Domini; *Salva animam tuam, in monte ſalvum te fac, ne & tu ſimul pereas*. Geneſ. 19. His dictis evanuit Angelus, eumque proprio reliquit conſilio, ejuſque ſalutem in ipſius manu conſtituit. Cur autem Deus ſolus non perficit, quod ſolus incœpiſſe videtur. In primis initiis plus ponit Deus de ſuo, quam ſit de noſtro; opus eſt, ut deinceps plus ſit non dico quidem de noſtro, quam de ſuo, ſed ſaltem conſtantia, animæ magnitudo, fidelitas prorſus alia, quam initio. Poſtquam Deus attraxit nos peculiari gratia, adhuc in periculo ſumus, niſi cum fervore reſpondeamus extenſioni gratiæ, & magnitudini conſiliorum ejus de nobis. *Idem*.

Religioſus quem eduxit Deus de mundi periculis, miſereri debet eorum, qui iiſdem expoſiti ſunt.

Loth cum ex periculo evaſiſſet, oculos circumferens, & finitimorum interitum videns, quos habere debebat ſenſus de providentia, & amore Dei erga ſe? Quid ſibi capiendum erat conſilii; quo ardore illius cultui ſeſe dedere, ejuſque voluntati debebat ſubmittere? Nos autem in religione de ſancti montis cacumine, quo Deus nos in tutum adduxit, contemplari poſſumus mundi conflagrantis incendium, & calamitatem, qua obrutus eſt, quin ſancta ſuffundamur verecundia, & ardenti grati animi zelo flagremus, eas animo reputantes miſericordias, quibus nobiſcum eſt uſus? Heu! quot mundani gemunt in miſeriis ſuis, nobiſque invident quietem noſtram, & nobis ſua tendunt brachia! O Domine, quid illi fecerunt tibi? cur in corde tuo eam inveniam benevolentiam, quam ipſi minime inveniunt? Quid ipſe in corde meo inveniſti, quod in corde aliorum non inveniretur? Quomodo ego audivi vocem, quam ipſi non audiebant, vel quæ ad eos non loquebatur? Hoc momento docilis non ero, & omni ſenſu carebo? Numquid vitæ meæ decurſu aurem obſtruam? *Idem*.

Umquamne cogitaſtis magnitudinem divini erga vos beneficii, quod vos ad eum evocaverit ſtatum, ubi tot ad ſalutem ſubſidia invenitis? Vos inter tot mortales elegit Deus, vos autem non eligetis illum, neque pro prælatione prælatio-

nem retribuetis? Heu! quantum ſperatis fore, ut aliquando electionem hanc benedicatis, & ametis clementiſſimum Deum, cum ea omnibus vitæ hujus tædiis, tenebriſque evaſeritis? Tunc quid non cuperetis feciſſe, ac pertuliſſe propter Deum adeo liberalem, ac dignum, cui ſerviatur? Hodie has animo concipite ideas, quibus in omnem vacetis æternitatem, Vobis ergo, dum vivitis, proſint, ut ſervorem inſpiceont. Intelligitis hunc vobis eſſe neceſſarium propter ea, quæ pro vobis Deus fecit; intelligite etiam, hunc a vobis eſſe ſervandum, fovendumque ob inſignis adeo beneficii gratitudinem. *Idem*,

Quid ſit ſe Deo per religionis vota conſecrare.

Intelligite aliquando, quid ſit ſeſe Dei cultui per vota religionis addicere. Hoc eſt propter ipſum veſtra etiam maxime naturalia jura abdicare; jura in opes veſtras, jura in licitas voluptates, jura in veſtram libertatem, in voluntatem veſtram, in veſtram quoque perſonam. In mundo non numerabimini amplius inter viventes, nullum amplius in familia veſtra locum habebitis, nullam in civili vita actionem, nullam acquirendi, dandi, poſſidendi, & ſemel dicendi facultatem, hoc poſſum, & nolo. Hac de cauſa SS. Patres religionem vocarunt ſervitutem, & captivitatem; ibi modo peculiari evadimus Domini ſervi, & mancipia; ibi regulis vincimur, & votis adſtringimur. Ideo religio veluti mors conſideratur: opes, commoda, ſervos, agros, ædes nunc poſtremum inſpicere, morienti ſimiles, qui illis extremum vale dicit, & qui nullum amplius in illa jus poteſt prætexere. Hac de cauſa religio dicitur ſacrificium, holocauſtum, ubi tota coram Deo victima crematur, & abſumitur... Ut itaque omnia naturalia jura abdicemus, quæ conſtantia requiritur? *Idem*.

In religione omnia relinquenda ſunt deſideria, & ſpes omnis abjicienda.

Novo conatu ſuffocanda ſunt cum æquiſſimis etiam affectionibus deſideria, & ſpes ipſæ dulciſſimæ, conatu adeo generoſo, ac tanti pretii, ut vel onus ille totum Apoſtolorum meritum conſtituerit. Quid illi Deo ſeſe mancipantes relinquebant? Lintres, & retia; & nihilominus gloriabantur ſe omnia reliquiſſe; *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Matt. 19. Neque erubeſcunt petentes præmium, quaſi omnia terrarum bona reliquerint: *Quid ergo erit nobis?* Illud vero admirabile eſt, quod filios Dei judicium ſuum accommodans conceptui, quem ipſi de meritis ſuis animo imbiberant, nihil illis minus ſe pollicetur retributurum, quam centuplum in hac vita, & poteſtatem univerſum orbem die noviſſimo judicandi. Quorſum autem hæc immodica retributio, quæ tantopere iis excellit bonis, quæ reliquerant Apoſtoli? Quia cum modicis bonis ſuis omnia etiam deſideria, omnemque ſpem, quorum nullus eſt finis, reliquerant: *Non ſolum quid habebant, ſed quidquid habere cupiebant*. S. Auguſtinus inquit. *Idem*,

Magnos illos fortitudinis, virtutiſque conatus, qui nos in religionis ſtatum inducunt, comparemus, quidquid deinceps fervori noſtro obicem poteſt conſtituere. Ideo erit aliquod commodorum privatio, domeſticarum obſervantiarum auſteritas, diuturnitas, & frequens ſpiritualium exercitiorum recurſus, humanarum conſolationum carentia, importunitas mortificationis, durum obedientiæ jugum, ingeniorum oppoſitio, verbum inofficioſum, faſtidium, moleſtia, contemptus. Hi communes ſunt ſcopuli, in quos tot ſancta conſilia, tot virtutes alliduntur. Hoccine poſſibile eſt, animæ ſanctæ? In domo Dei adeo diverſi ſumus ab illis, qui eramus cum mundum reliquimus? Num omnibus naturalibus juribus nos abdicavimus, ut in religione tot nugis, atque ſeculis impediremur? Numquid æquiſſimas affectiones ſuffocavimus, ut in religione tot inutiles neceſſitudines necteremus? Numquid ſolidiſſimam ſpem abjecimus, ut in religione ridiculas conciperemus ideas prælationis, gloriæ, & exiſtimationis? Hoccine illud eſt ædificium, quod ſupra vanitatum ſæculi ruinam extollere aggredimur? Totus hic profeſſionum, votorum, ſermonum apparatus, alium ne habere debebat finem, quam in lucem proferre eam animi infirmitatem, quæ inter mundi flagitia latuiſſet, & fortaſſe virtutis loco habita fuiſſet? Num ad aras evocandi erant conſanguinei, & amici in holocauſtum Domino ignavam, & immortificatam animam oblaturi? .... Non objiciam vobis tot ferventes perſonas, quæ vos præceſſerunt, & quæ adhuc vobiſcum ſunt, quarum exempla vos rubore ſuffundunt: non objiciam volmet vobis; vidiſtis oculo tranquillo familiam veſtram mœrore confectam ob diſceſſum veſtrum: vidiſtis mortales omnes genibus veſtris provolutos, lacrymaſque effundentes, qui a propoſito vos flectere non potuerunt; haud ægre bona veſtra in manus alias tranſire liquiſtis; cor autem hoc tunc adeo conſtans nunc infirmatur, turbatur, & ob rem leviſſimi momenti flectitur, ſed in levibus hiſce patientiæ, mortificationis, & humilitatis occaſionibus omnes pares ſunt, & ad quas omnes tenentur, oblivisci earum rerum, quas facere debetis, & recedere ab eo, quod propoſuiſtis, mihi turpis videtur ignavia, quæ nullam invenire valeat excuſationem! *Idem*.

Religioſam vitam amplecti nota eſt fere certa prædeſtinationis.

Dic (Chriſtiana ſodalitas) anima talis, qualis generoſæ hujus puellæ videtur eſſe, per cujus occaſionem iſthuc convenimus, quæ omnia relinquit uni Deo adhæſura, anima, quam Deus ex mundi tumultu, ac turba educit; anima, quam Deus ex ipſis ſæculi illecebris, faſciniſque eripit in veræ promiſſæ telluris poſſeſſionem adducendam: prædeſtinata, quam Deus a creatis rebus avellit, ut in religionem evocet, quæ ut ita dicam tutiſſima eſt ſalutis ejuſdem ſtatio; & præſertim virgo, quæ ante aras electura eſt Dominum in Deum ſuum, nonne hoc apertiſſimum eſt electæ animæ ſignum, & cui illa gloriæ hæreditatem procurav t? *Idem*.

Religionis ſtatum amplectentes oſtendimus Deum a nobis ſuper omnia diligi.

Noſmet Deo per religionis vota devoventes certi ſumus, quantum in hac vita eſſe poſſumus, a nobis diligi Deum hoc prælationis amore, quo illi totum cor noſtrum, animamque noſtram ſine ulla diviſione tribuimus. Atque ut hanc intelligamus veritatem: ob electionem hanc Deus a nobis ſuper omnia diligendus eſt; nullis amplius affici poſſumus bonis, nullis honoribus, cum Dominum pro Deo noſtro elegimus. At in mundo hæc vigetne conſuetudo? Facile eſt affirmare, Deum a nobis ſuper omnia diligi, eumque rebus omnibus præferri; ſed quantum commune, & facile eſt hoc affirmare, tantum rarum, & difficile eſt in praxin redigere. In religione hic ſermo tutiſſimus eſt: cum dicimus, a nobis diligi Deum, probatio in promptu eſt; etenim propter hanc dilectionem omnia pro ipſo reliquimus, nulla re excepta, omnia illi ſacrificata ſunt. Ad amorem hunc conſummandum, non amplius nobiſmet ipſis fidimus; cum regio Pſalte dicimus: proba me Domine, ut liqueat utrum tibi fidelis ſim. *Nemo ſcit*, Spiritus ſanctus Eccle. 9. inquit, *utrum amore, an odio dignus ſit*. Verum eſt, nemo ſcit, non diffiteor. Sed ſi quis id ſcire poteſt, hanc religioſam animam eſſe teneo; nam longe a mundanis animabus diverſa id unum quærit, quomodo amet Deum ſuum, & illi ſerviat. Scit ipſa propter ſuorum votorum oblationem ſe provocare poſſe creaturas, quemadmodum S. Paulus ad Rom. 8. eas per hæc verba provocabat: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti?* Num tribulatio, an anguſtia? num bona, quæ reliqui; num honores, quos in mundo ſperare poteram? num auſteritates, & rigores ſtatus illius, quem amplector? Haud ita; poſt ſacrificium, quod offero, nulla me tentare poterit creatura. Poſtquam illum elegi, talem cum Deo meo neceſſitudinem contraxi, ut deinceps nihil infringere poſſit ea vincula quibus eidem adhæreo. Quid majorem nobis afferre poteſt conſolationem? Electio noſtra, & noſtra profeſſio nonne quoddam pignus eſt a morali certitudine vix abhorrens,

ejus

ejus amoris, quo Deum ſuper omnia proſequitur? *Idem*.

Solæ ſunt animæ Religioſæ, quæ Deo inſervire poſſunt, ut ſibi ſervari vult.

Cum Deus in eſſentia ſua ſit Sanctus Sanctorum, a Sanctis dumtaxat ſibi ſerviri cupit: & religioſæ dumtaxat animæ a negotiis, & impedimentis ſæcularibus ſepoſitæ ſancte illi poſſunt famulari. Mundus ſcopulis, & periculis, quæ vix evitari poſſunt, plenus eſt; ſcopulis, periculiſque, quæ nullibi melius, quam inter clauſtra evitantur, contra quæ religioſa profeſſio præſentiſſimum eſt amuletum. Certum eſt enim, ut S. Bernardus inquit, illic animam chriſtianam fortiorem eſſe, & humiliorem; ibi enim Deo, officiiſque ſuis penitus vacans, neque mundi corrupti diſſipationi, neque impiæ, procacilque mundi tyrannidi, neque oſtentationi, & ſecretæ patet vanitati, quæ una eſt ex maximis inimici ſeductoris tentationibus. *Idem*.

Religioſi modo ſunt quod erant Eccleſiæ naſcentis Chriſtiani.

Primis Eccleſiæ ſæculis neceſſe non erat, ullos eſſe religioſos; etenim chriſtianis illis bene viventibus, & omnia obeuntibus munera, quæ ſibi erant impoſita, nihil poterat exprobrari. Nemo erat, qui aliquid tamquam proprium poſſideret, & id erant, quod hodie ſunt religioſi. Hoc teſtatur S. Hieronymus de Alexandriæ chriſtianis verba faciens, quos S. Marcus ad fidem, & Jeſu Chriſti diſciplinam formaverat. Nulli videbantur locupletes terrena depereuntes bona, ut hodie videntur: pœnitentiæ praxis illic, quam voluptatum, erat vulgatior; nulla ſuperbia, impudicitia nulla, nulla ultio; omnibus illis unum erat cor, una mens; omnes æque eodem ducti ſtudio pietati, & chriſtianæ perfectioni vacabant: verbo, generali quadam profeſſione ea præſtabant omnia, quæ hodierna die cœnobitæ facere conſueverunt. *Tales ii erant in Chriſto credentes, quibus & nomen monachi, & profeſſio competebat*. Ita nonniſi religioſi videbantur. Sed mundus, ſubdit Sanctus Hieronymus, non poterat diu tantam ſuſtinere perfectionem; funeſtaque inverſione primi ſenſus perfecti chriſtianiſmi in mundanis animabus ſuffocati fuerunt. Quid igitur Deus? Primam illam perfectionem in religione reproduxit; non ſolum, S. Baſilius ait, ut ibi mortales eſſent, a quibus peculiari profeſſione perfectus ſibi cultus adhiberetur, ſed ut illi, qui ab antiquis priſcorum fidelium virtutibus degenerarunt, earum præſentem ſemper ob oculos haberent in perſona religioſorum imaginem; & ut qui vellent aliquando ſanctam perfectionem inquirere, ſemper haberent, unde illius mutuari poſſent exempla. *Idem*.

Deus ſæpe ab infantia animam ad religioſam vitam diſponit.

In mentem revoca, Soror chariſſima, omnes eas gratias, quas tibi Dominus largitus eſt; felicem hanc in bonum proclivitatem, pios ſalutis ſenſus, quos tenella ætate fovebas, qua aliæ mundum tantummodo ſapiunt; felicia virtutis exempla, quæ intra ipſius familiæ tuæ ſeptu ſuppeditavit, animum ad pietatem propenſum, omneſque circumſtantias, quæ ſaluti perquam utiles ſunt. Animo repara omnes divinæ erga te miſerationis effectus, neque de mente tua divinæ gratiæ recordatio oblitteretur. His diebus, quos mundus beatos appellat, quibus omnia horrentes religionis ideas inſpirant, & quibus mundus ſpecioſior apparens facile ſibi conciliat æſtimationem, & amorem illorum, a quibus nondum ſatis cognoſcitur, quid accidebat, quod te ad religionis amorem non impelleret? Quinam tuus erat fervor, cum ſecularium laxos mores intuereris? quos odii in mundum, & amoris erga Deum in corde tuo ſenſus non concipiebas? .... Et cum hæc omnia tecum reputares, cor tuum nonne ardens erat, non ſecus ac diſcipulorum in Emmaus proficiſcentium, quibus ſe comitem addidit Jeſus Chriſtus! Nonne omnia, quæ Dei ſunt, tibi placebant, & diſplicebant omnia, quæ mundi ſunt? Ita Deus prorſus ſingulari providentia te ad magnum illud diſpoſuit tui ipſius ſacrificium, quod hodie operaris. *P. Maſſillon tomo* 1. *ſermonum ſub ejus nomine editorum, ſermone pro monialis cujuſdam profeſſione*.

Grati animi ſenſus quos fovere debet anima generoſa eo quod vocata fuit ad ſtatum adeo perfectum, & utilem ſaluti ſuæ.

Verum eſt, Deum ſuas habere rationes, propter quas aliter egit tecum, ac cum aliis, quæ æque, ac tu ad ipſum pertinere videntur, & quas in mundo reliquit iis omnibus periculis expoſitas, quæ ibi ſunt communia: Quid ergo feciſti, ut adeo ſingularia beneficia mereteris? Heu! fortaſſe aliqua ex his gratiis, quas tibi contulit affluenter, & quas tu fortaſſe neglexiſti, in mundanis illis animabus centuplum produxiſſet. Quid de te factum eſſet, ſi ſatis illi fuiſſet, quod tot aliis fecit, hos omnes pios ſenſus commendare, quin eos tibi inſpiraret? Quot animæ vocationi ſuæ infideles eidem fuiſſent fideles, ſi eadem, ac tu, ſubſidia habuiſſent? Quid de te factum eſſet, ſi ſatis illi fuiſſet eas tantum ingerere vagas, & communes de ſæculi infidelitatibus conſiderationes, quæ neminem convertunt, & quæ non aliud obtinent, niſi quod perſuadent, homines non adhuc obduratos eſſe, ita ut in criminibus ſuis quamdam inveniant ſecuritatem? Heu! hujuſmodi gratiæ adeo electæ, ac ſingulares a te peculiarem expetunt grati animi ſenſum, ac fidem. *Idem*.

Hæc electio eſt, quam de te ab æterno fecit Deus. Prævidebat, te in mundo nequaquam beatiorem futuram, quam tot alias: & quemadmodum paterna charitate dilexit te, ad ſe te pertraxit miſericordiæ prævenientis illecebris. Sinere poterat, te non ſecus, ac tot alias in mundo deerrare; fallaces guſtare voluptates, ac deinde per earumdem faſtidium ad ſe revocare: ſed maluit te ab infantia ſuis prævertere benedictionibus, ut cordis tui primitias haberet. Verum eſt, hæc corda, quæ, poſtquam ſacrificaverunt Baal, Deum verum adorant, præ reliquis melius poſterioris hujus ſtatus felicitatem cognoſcere, & poſſe nonnumquam in Dei cultu conſtantiores eſſe iis, qui mundum minime norunt: verum adhuc in illis quædam ſupereſt macula, quæ cœleſti ſponſo non placet. *Idem*.

Deplorabilis ſtatus religioſæ animæ in officiis obeundis ignavæ, ac ſpiritui vocationis ſuæ non reſpondentis.

Quodnam ſtatum eſt animæ levis, & inconſtantis, quæ poſt emiſſa pie vota languet! Sanctæ diſciplinæ, quam amplexa eſt, regulæ illi ſiunt ſarcina non ferenda: oratio huic non aliud eſt, quam mortale tædium, & gravis neceſſitas; ſanctarum lectionum, quas audit, lumen in profanas immutatur imagines, quæ catervatim ſeſe illius menti obtrudunt: aliarum exemplum illi fit ſpectaculum, quo fatigatur, quia tacite ejus exprobrat infidelitatem, inconſtantiam, & ingratitudinem; leviſſimæ mortificationes illi diſplicent; quod ferventibus animabus ſolatium eſt, eſt illi martyrium, & quemadmodum ejus erga Deum ingratitudo efficit, ut corrigatur ab illis, quæ præpoſitæ ſunt, ut ejus vitæ rationi invigilent, hinc ſexcentas concipit curas, quæ illi ſunt devorandæ. Vobiſne in mundo eſſe poſſe videtur ſtatus aliquis hoc magis triſtis, ac deplorabilis? *Idem*.

Senſus animæ mundum relinquentis.

O Deus! tu me transfers in arcem propitiam, ubi in tuto ſim contra ſæculi tumultus, ac tempeſtates, ut æternis favoribus tuis me dignam efficias. Munde profane, munde proditor numquam te oblectatu ſum, ideoque majori cum alacritate te deſero; tibi pretioſa, ac teneru relinquo pignora, quæ nonniſi cum dolore relinquo; meos videlicet propinquos, & amicos; ac nonne in hoc ſacrificio ſanguis, & lacrymæ requiruntur? Si hoc nullo mihi ſtaret ſumptu, nequaquam dignum cenſerem eo, cui illud offero. Quid ergo tibi retribuam, Domine, pro tot inſignibus beneficiis, quibus me cumulaſti? Epotabo calicem hunc, quantumvis amarus ſit, particeps ero paſſionum tuarum, quotidie recentes tibi reddam gratiarum actiones, ac inceſſanter benedicam tibi &c. *Idem*.

Religioſis non eſt qui a ſtatu ſuo vitam ducit abnormem.

Mundus in ipſis cœnobiis, religioſiſque domibus inveniri poteſt; ubi reviviſcere poſſunt eadem vitia, eædemque affectiones, quæ regnant in

in mundo, ideoque in ſimilia lapſus fieri poteſt mala, niſi precibus, aſſiduaque vigilantia avertantur. Nihil vobis proderit, non ſecus ac Judæo populo dicere: *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt.* Jerem. 7. Felices ſumus, quia intra nos eſt Domini Templum, & quia hac re nos ab aliis populis diſtinxit. Fateor equidem, ſummum eſſe bonum in ſtatu adeo ſancto verſari; ſed bonum hoc, quantumcumque illud ſit, nos infeliciores efficeret, niſi illius munera adimpleremus, neque iis perfungeremur officiis, quæ ille nobis imponit. Sciatis igitur, opus eſt, in conditione noſtra, licet ſancta in Dei mente, inſtitutione ejuſdem, & origine, ea inveniri mala, quæ nonnumquam deteriora illis ſunt, quibus ii patent, qui vivunt in mundo. Non enim deſunt, qui penitus obliti, quid ſint, neque notam, neque characterem ſuæ profeſſionis ſervant, & quemadmodum illius nomen, omniaque etiam officia oblivioni tradiderunt, ita tota eorum vita non aliud eſt, quam non intermiſſa ſeries profanationum. Non decidunt illi quidem re ipſa in hæc magna ſcelera, attamen vita eorum jugis eſt motus, ſollicitudo, agitatio. Sui pleni ſunt, utque inveniant aliquid, quod ſibi faciat ſatis, ideas tantum inanes concipiunt, mutant loca, manſiones, munera, dignitates, officia, & inde neceſſario pleni ſunt moroſitatis, tædii, triſtitiæ, nec voti compotes umquam inveniuntur. Non deſunt tandem, quibus aliqua regularitas adeſt, qui pluribus abſtinent, quæ ipſis voluptatem afferre poſſent: & accurate iis omnibus interſunt exercitiis, quibus optime inſtituta vacat religio. Verum enim vero, cum actiones iſtæ ex habitu potius, & conſuetudine fiant, quam ex vero pietatis ſpiritu, qui earum eſſe deberet principium, id, quod agunt, ſine ſenſu, ſine ardore, ſine zelo oſcitanter perficiunt: & converſatione hac, quæ infinitam fere mortalium multitudinem ſanctificavit, languore quodammodo infirmata, atque mutata, negligentia, faſtidiumque facit, ut Deus hos homines ſpectet tamquam eos, qui ſua detrectant imperia, & qui eidem famulari, & placere negligunt. Nobis inquam diligentiſſime cavendum eſt, ne in hoc numero ſimus, ideoque ne ceſſemus umquam, quominus nobiſmet animos faciamus. Petamus a Deo, ut nobis tribuat cor, mentem, fidelitatem ſemper recentem; & cogitemus, niſi ſoleiti nos fuerimus cura, & vigilantia, vix fieri poſſe, ut non decidamus in inſidias, quæ nobis circumſtant, & ut omnibus vocationis noſtræ officiis, ut exigit Deus, perfungamur. *Abbas Troppenſis tomo primo collationum, collatione pro prima Adventus Dominica.*

Quid ſit Religioſus & quæ illius obligatio.

Religioſus homo eſt, qui cum ſolemni voto abrenunciaverit mundo, & iis rebus omnibus, quæ ſenſibiles ſunt, & perituræ, non vivit amplius niſi propter Deum, & nonniſi terrenis rebus occupatur; videlicet, verus religioſus publica proteſtatione, cui Eccleſiæ acceſſit auctoritas, abrenunciavit negotiis, occupationibus, bonis, honoribus, & voluptatibus mundi, atque hæc omnia ſibi in æternum interdixit hoc pollicitus Deo, qui ſolum fieri debet objectum omnium cogitationum, affectionum, votorumque ejus, ita ut nequeat amplius uti rebus etiam neceſſariis, & quibus illum humana conditio carere vetat, niſi propter Deum, & hac mente eidem placendi. Verum eſt, Chriſtianum, qui per baptiſmum cum Jeſu Chriſto conſepultus eſt, & qui per hoc Sacramentum vitam novam recepit, cujus Jeſu Chriſti ipſius ſpiritus anima eſt, & principium, mortuum eſſe debere mundo, bonis, honoribus, negotiis, & voluptatibus ejus; ſed ut huic muneri ſatisfacias, ſatis eſt, ſi cordis affectione illis abrenunciet; & quamvis liceat illi poſſeſſionem, uſumque ſervare, ſenſu tamen interiori ab his rebus omnibus expeditus eſſe debet. Sed hoc religioſo nimis parum eſt. Hic non debet conſiſtere, re ipſa avulſus eſſe debet a rebus omnibus ſenſibilibus; opus eſt, quemadmodum æternitas ſola illius portio eſt, ita unicum eſſe objectum omnium actionum ſpiritus, omniumque motuum cordis illius. Conſilia, quæ Jeſus Chriſtus generatim hominibus tradidit, per vocationem ejus facta ſunt illi præcepta inevitabilia; nec facit ſatis, niſi omnia prorſus relinquat, niſi abnegatio illius realis, & effectiva ſit, & niſi cordis ſenſus, in ipſa etiam manuum opera migrent. *Idem tomo 1. de ſanctitate, & officiis vitæ monaſticæ.*

Religionis vota ſunt holocauſtum, & immolatio noſtrummet ipſorum Deo.

Votorum conſecratio proprie loquendo eſt immolatio holocauſti, quod nullam exceptionem, aut imminutionem admittit. Patres hac in re idem ſenſerunt, quamvis aliis, aliiſque verbis ſententiam ſuam protulerunt; & cum religioſam profeſſionem vocaverunt jugem judiciorum Dei meditationem, angelicam converſationem, crucifixionem, verum martyrium, apoſtolicæ perfectionis profeſſionem, non aliud innuere voluerunt, niſi quod religioſus nulli humanæ affectiuni parere debet a mortalibus rebus omnibus ſeparatus, converſationem ejus totam in cœlo eſſe debere, & cum hæc profeſſio ſupra naturam ſit, ut loquitur S. Baſilius, ad Angelorum puritatem homines attollere. *Idem.*

Patet religioſos in eccleſia Dei replere Martyrum locum, & Apoſtolorum perfectionem imitari; ipſos ſuccedere perfectæ abnegationi, in qua illi vixerunt, ipſiſque vi ſtatus ſui in tota vita ſua eſſe exprimendam eminentem veterum Eremitarum ſanctitatem. Etenim adeo eſſentialibus diſpoſitionibus carere non poſſunt, quominus a Dei ordine abhorreant, illius evertant conſilia, adverſentur voluntati illius, qui eos deſtinaverat ſanctitati, ſeſe ea eorum ſubtrahant numero, a quibus in ſpiritu, & veritate vult adorari: & conſequenter quominus ſuæ deſint profeſſioni ea in re, quæ potiſſima eſt, & omnes ſpes ſuas irritas efficiendo, miſere privent ſe in æternum ſuæ converſionis effectu. *Idem cap. 3.*

De religioſi ſtatus præſtantia, & quid faciendum, ut illius munera obeantur.

Non imitandi ſunt Judæi, quos Moyſes de Ægypto liberavit. Illi inde corpore egreſſi ſunt, ſed illuc reverſi ſunt corde. Reliquerunt verum Deum, qui eos tot prodigiis eduxit de captivitate, & adorarunt eadem Ægypti idola, quæ antea contempſerant. Corde in Ægyptum redierunt, inquit Scriptura: Aaroni dixerunt, fac nobis Deos, qui nos præcedant. Quicumque, poſtquam mundo abrenunciarunt, ad priſtina deſideria, & primas affectiones revertuntur, actionibus, & cogitationibus ſuis, ut populus ille clamant: Heu! quam felices eramus in Ægypto: & vereor admodum, ut hodie æque magna inveniatur mortalium multitudo, ac illa erat Judæorum, qui Moyſis tempore divinam legem violarunt; etenim ex ſexcentis hominum millibus, qui ex Ægypto egreſſi ſunt, duo tantum ingreſſi ſunt in terram promiſſam. Quamobrem ſi vere cupimus ad perfectionem pervenire, poſtquam corpore conſanguineos, & agros reliquimus, poſtquam divitias, & mundi voluptates contempſimus, corde etiam, & voluntate abrenunciare debemus omnibus viſibilibus rebus, quin umquam vel minimum eorum, quæ reliquimus, deſiderio teneamur. *Idem cap. 5. ubi hæc omnia refert ex Caſſiano collat. 3. cap. 6.*

Religioſus retro non debet corda, & affectu ad ea, quæ in mundo reliquit.

Mirum eſſe non debet, quod vita ſancta, quam in religione profitemur, ſuas habeat difficultates, quoniam fulgidiores habet coronas, locum ſublimiorem, & extraordinariam mercedem in Cœlis præparatam. A Sanctis Patribus dicitur magnum, ac difficile holocauſtum, ubi victima ſibimet moritur, ut uni Deo vivat: ubi, ut ita dicam, immolantur vividiores, vulgatioreſque naturæ ſenſus,

ubi

ubi ardentis charitatis igne abſumitur quidquid in mundo pretioſiſſimum eſt. Vocatur etiam ab iiſdem alter baptiſmus laborioſus, ſtatus pœnitentiæ, & lacrymarum, quæ animas a ſordibus earum emundant, ac in nos Dei detrahunt miſericordias? & Scriptura ſancta, quæ fons eſt omnium ſententiarum, quas Patres protulerunt, & quæ noſtrarum quoque norma eſſe debet, generalem hanc rerum omnium abnegationem nobis exhibet veluti crucem, & voluntariam mortem, quæ nos efficit conformes paſſionibus Jeſu Chriſti, ut gloriæ ipſius faciat participes. *Abbas Verjus in religioſæ profeſſionis panegyrico.*

Religioſus ſtatus eſt ſtatus crucis, & paſſionis.

Ne te deſiderium conficiat inanium bonorum, quorum hodie adeo ſanctum, & generoſum contemptum juraſti; obliviſcere abjectas eſcas Ægypti, unde egreſſa es, & indeſinenter liberatori tuo laudum, & benedictionum cantica recine, eo quod ex captivitate adeo dura te eduxerit. Et ſi ad terram promiſſam perventura ambulas in deſerto, ubi nullum ex terra florem, fructumque germinare intueberis, meminiſſe debes etiam, te non amplius ſubjectam eſſe operibus a Pharaone indictis, & non ferendæ illius tyrannidi, Deum, qui te liberavit, in deſerto hoc cœleſtem tibi mannam demiſſurum, & ex rupium duritie educturum aquas chryſtallo ipſa lucidiores, & in æternam uſque vitam ſalientes, eumque tecum jugiter futurum, ut te ſuo confirmet auxilio, & in tui gratiam, ut olim pro electo populo ſuo omnipotentiam ſuam miraculis, & libertatem ſuam beneficiis exhauſturum. *Idem.*

Magnum animo concepiſti ſacrificium, quod Deo es oblatura. Ultro ſacrificas carnem, cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis, quemadmodum S. Paulus Apoſtolus cupit; vel, ut alio in loco dicit, temet ipſam in mundo crucifigis, & mundus deinceps pro te crucifixus erit. Generoſitate vere chriſtiana Deo conſecrare vis quidquid a manu illius recepiſti; fortunæ bona per paupertatem, bona corporis per caſtitatem, animi bona per obedientiæ humilitatem, ut propius crucifixi Salvatoris tui leges, & exempla ſequaris. Temet tibi revellis, ut integram, & ſine exceptione te immoles Deo; omnibus creatis rebus mori vis, ut nonniſi Creatori vivas. Hoc ſacrificium eſt, quod SS. Patres teſtantur hominum laudes, Angelorum admirationem, & eximia Dei beneficia mereri: *Ipſe homo*, S. Auguſtinus ait, *Dei nomini conſecratus, & Deo devotus in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, ſacrificium eſt.* Olim Judæus populus Ægypti ſpolia collegit profecturus in deſertum, ubi Deo ſacris operaretur: ſed ſeculo magis hodie extremas luxus, & vanæ ſæculi pompæ reliquias deſeris, ut tuo te præparare incipias ſacrificio. *Idem, cum monialis quædam religionem ingrederetur.*

Religioſum ſtatum amplecti eſt magnum Deo offerre ſacrificium.

Religioſus ſtatus ſimilis eſt terræ promiſſæ; commentitia monſtra, quæ ibi oriri feruntur, in eorum dumtaxat imaginatione ſunt, qui ſtatus illius ſuavitatem non norunt. Illuc quidem non ſine labore pervenitur, maria traducenda ſunt, hoſtes profligandi, deſerta peragranda; ſed quam uberes, ac ſuaves ſunt harum victoriarum fructus! Deus, cui fidelis hic populus ſervit, artem habet maximas etiam ſternendi in eorum gratiam difficultates, & dulcedinem adſpergendi iis rebus, quæ amaritudine plenæ videntur. At ubi ad beatam hanc terram perveniſti, quænam bonorum, ac ſpiritualium ſubſidiorum affluentia! quæ requies! quæ tranquillitas! quæ etiam hujus vitæ felicitas! *P. Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus.*

Religioſi ſtatus bona, & utilitas.

Nonne dici poteſt religioſus ſtatus eſſe ſocietas ſecundum Jeſu Chriſti ſpiritum, & exemplum formata, ſuaviſſimis mutuæ, perfectæque charitatis vinculis adſtricta, jugibus humilis, & perſeverantis pietatis exercitationibus innutrita, & maximarum virtutum praxi conſecrata? Ordo eſt venerabilis mortalium, quos ſibi ſecrevit Deus, magnus quidam antiſtes ait, & qui cum ſe creaturis omnibus inviſibiles quodammodo reddidiſſent, in ſolitudinem recedentes, ubi tuti ſunt contra procellas, quæ in ſingulas horas mundanis impendent, imperturbabili fruuntur malacia; qui magno ſalutis ſuæ negotio occupati, pro cœlo acquirendo contendunt, virtutes tantum adipiſcuntur, ſpiritualia tantum bona conſectantur, puris ſanctæ vitæ deliciis perfruuntur: qui Deum unum ſibi proponentes pro objecto, & ſine votorum, & cogitationum ſuarum, omnia in lucro ponunt, nulla re perturbantur, ſine moleſtia vivunt, & cum confidentia, & gaudio moriuntur. Quam longe ab his mundanorum ſtatus abhorret! Mirum non eſt, ſi hæc deſcriptio cupiditatibus eorum parum conformis videatur. *Idem.*

Magna fortitudo ſtatum religioſum amplectentis.

Quid majus? quid generoſius, quam illud conſilium, quo puella omnia vincula infringit, quibus adſtringitur mundo, religionem ingreſſa? In ipſo juventutis flore, cum omnia in mundo rident, cum omnia nitent, placent, alliciunt; ea ætate, ubi moleſtiæ faſtidium attuliſſe non potuerunt, ubi omnes ſpes fallunt illectam vanitate, omnique externa ſpecie, quæ ad ſeducendum aptiſſima eſt, pravi exempli torrente raptam in lubrico ſtare, generoſe ea turba efferre pedem, & quamquam arctiſſimis conſanguinitatis vinculis detentam, omnes has fallere illecebras, vincula infringere, propriam ſacrificare libertatem, ſpes etiam ipſas deſerere, pauperem, humilem, mortificatam in reliquum vitæ ſpatium ſeſe in arctæ cellæ anguſtiis claudere, idque unice, ut deinceps unum Deum diligat; fingite vobis, ſi fieri poteſt, chriſtianam virtutem magis heroicam, atque perfectam. *Idem.*

Status religioſus breviſſima ad ſanctitatem via.

Religioſæ ſocietates, S. Gregorius Nazianzenus ait, ſunt novus mortalium Angelorum chorus, qui in terris cœleſtes imitati mentes jure poſſunt dicere, ſe eorum exemplo dies coram Deo traducere omnia juſtitiæ, & ſanctitatis munera obeuntes. Quomodo autem brevi non perveniatur ad conſummatam perfectionem eo in ſtatu, ubi innocentia eſt veluti omnium virtutum baſis, ubi vigilantia minimos etiam defectus prævenit, ubi ſpiritus mortificationis minimos etiam cupiditatum impetus cohibet, ubi pietas frequenti Sacramentorum uſu nutritur, ubi fervor in ſingulos dies bonis exemplis augetur? Status longe diverſus a ſtatu mundi, ubi ſolidæ virtutes adeo ſunt raræ, lapſus adeo frequentes, pœnitentia adeo levis, pericula adeo communia, & electorum numerus adeo exiguus. *Idem.*

De inſtauratione votorum religionis.

Mihi videtur habita ratione fragilitatis, & inſtabilitatis humani cordis, quæ nos indeſinenter ad relaxationem, atque licentiam trahit, nil melius a nobis fieri poſſe, nec magis ſanctificationi noſtræ prodeſſe, quam nos animare, excitare, ſubinde in Dei præſentia ſtatuere, iteratis oblationibus eidem offerre noſtrummet ipſorum ſacrificium, quod ſemel jam obtulimus illi; eumque obteſtari, ut illud recipere, vivificare, & prorſus novam rectitudinem, puritatem, & perfectionem velit tribuere. Si quis putaret, per hoc novam fieri obligationum acceſſionem, novaque adſtringi vincula, facile reſpondere poſſumus, quantumvis liceret nobis non inſtaurare ea, quæ promiſimus, ea tamen ſubſiſtere, eas minus quidem animatas fore, non ideo tamen minus reales; in nova hac promiſſione nihil dici, quod prius dictum non fuerit; zelum dumtaxat inflammari per verba illis ſimilia, quæ jam protulimus; zelum, qui procul dubio intepuit, & qui in dies ſemper magis tepeſceret. Ita cum vota, ac promiſſiones noſtras inſtauramus coram majeſtate Dei, nos recentibus quidem non oneramur muneribus, neque novas obligationes contrahimus, ſed noſmet dumtaxat excitamus ad eas explendas, quas antea contraximus. *Idem tomo 4. collationum, collatione de votorum inſtauratione.*

Religioſi habitudine egent inſtauratione

Nihil magis neceſſarium eſt ad nos in promiſſionum noſtrarum veritate retinendos, & ad naturæ propenſioni reſiſtendum, quam noſmet inceſſanter

de

de officiis noſtris admonere; ea ob oculos noſtros ſtatuere coram Deo, eique novum quodammodo fidelitatis præſtare juramentum, ut novam illius protectionem promereamur, non ſolum ne quidquam faciamus contra ea, quæ illi promiſimus, ſed ut illa tanta cum perfectione adimpleamus, ut recentes nobis largiatur gratias, & ad ſublimiorem virtutis apicem nos attollat: quod majori efficacia, & uberiori benedictione a nobis fieri nequit, niſi per votorum inſtaurationem. *Idem*.

Vota inſtauranda ſunt, ut emergamus ex tepore, in quem tenſim lapſi ſumus.

Nihil magis deplorandum eſt ex S. Bernardi ſententia, quam tepor eorum, qui poſtquam ſibi primum crudele bellum intulerunt, fœdus cum carne ſua ineunt; qui poſtquam initio aliqua cum pertinacia ſibimet negarunt id etiam, quod erat ſibimet neceſſarium, inania, & ſuperflua conquirunt, ſine ullo religionis ſenſu a Dei familiaritate ad familiaritatem mundi tranſvolant, ſæcularibus, quantum fieri poteſt, negotiis vacant, in perfecto ſtatu vitam parum frugi ducunt, obliviſcuntur, quod profeſſi ſunt, & profiteri videntur, quod oblivioni tradere debuiſſent. Numquid fidem præſtitimus eorum, quæ polliciti ſumus? Vota ſolemnia, in labiis noſtris perſonuiſtis, at num cor noſtrum penetraſtis? Vetus homo in nobis mortuus eſt, an vivit adhuc? *Adhuc tota anima mea in me eſt*. 2. Reg. 1. Cupio mori, & adhuc tota in me eſt anima mea. Ita loquebatur actus deſperatione Saul: ita nos in hac votorum inſtauratione loqui debemus: *Tota anima mea in me eſt*. Eaſdem adhuc habemus affectiones, eadem deſideria, eandem vivendi rationem, quam in ſæculo. Hoc deplorabile eſt, ſed vulgatum; remedium igitur inquirendum eſt, quod proculdubio in votorum inſtauratione invenitur. Noſmet ipſos fallere optamus; externa ſpecies perplacet nobis; ſuperficies nos ſatis delectat; dæmon ipſe aliquid confert, ut nos proprii amoris noſtri ludibrium faciat; prohibet, ne penitiores ſecretorum cogitationum noſtrarum receſſus ſcrutemur, ubi in nobis ſeparandum eſt, quidquid humani invenitur; pauperes eſſe credimus, quin vel minimo commodo abrenuntiemus; caſtos & continentes, quin occaſiones fugiamus; obedientes, quin noſtræ voluntati vim inferamus. Nobis igitur ea, quæ emiſimus, vota inſtauranda ſunt, ut ea, uti par eſt, obſervemus, & falſas ideas noſtras corrigamus. *Ex ſermonibus, quibus titulus: Actiones chriſtianæ, t. 3. ſerm. hujus argumenti*.

Fructus qui votorum inſtaurationem ſequitur.

Perfectæ votorum inſtaurationis fructus eſt, extrinſecus ſenſibilia præbere ſigna virtutis, quæ in nobis eſt; videri quales ſumus, & eſſe quales videmur, fervorem habere uniformem, conſtantem, univerſalem; numquam ſuis officiis deeſſe, neque ut alicui ignave placeas, neque ob humanam rationem, neque ob inopinatum eventum, neque ob ſpecioſum prætextum; contemnere quicquid in terra eſt; ingredi in omnes perfectionis vias, quas nobis oſtendit gratia, & in illis conſtanter perſeverare. Niſi hoc cæperimus conſilii, ut in reliquum vitæ noſtræ ſpatium fideliter vota noſtra obſervemus, fruſtra huc convenimus; nequicquam inſtituti fuerunt hi dies pietatis, atque fervoris &c. *Idem*.

Gaudium & confidentia, quam habent veri religioſi in mortis articulo.

Omnia aliquid conferunt ſtatus religioſi felicitati. Mors ipſa, cujus cogitatio mundi ſectatoribus tantum formidinis incutit, nonne gaudio, & hilaritate cumulat animam vere religioſam? Ita ſane. Donec ſæculares inter crudeles terrores animam efflant, donec coram filiis, qui relinquendi ſunt, uxoris vel viri, qui deſerendus eſt, ingentium bonorum, quibus ſunt exuendi, moriuntur ardentibus quidem, ſed inutilibus curis confecti, ac de ſalutis ſuæ exitu incerti: anima vero religioſa triſtibus hiſce objectis liberata, ac plena ſuaviſſima confidentia in miſericordia judicis, quem Patrem habuit, & Dei, qui eidem eſt omnia, extrema emittit ſuſpiria inter Salvatoris brachia, pro cujus amore adeo magna obtulit ſacrificia, & tranquille ex humanis decedit jucundiſſima hac conſolatione fulta, quod Deo dederit quicquid poſſidebat in mundo; atque tunc temporis dederit, cum adhuc illis frui poterat. Quam dulce eſt mori, poſtquam ut noſmet morti præpararemus, tamdiu bene vivere conati ſumus! Quam ſuave eſt morte Sanctorum oppetere! Quam jucundum eſt in mortis hora non vixiſſe, niſi ut bene moreremur! Ulluſne invenitur religioſus, quem extremo illo momento mundum reliquiſſe pœniteat; at quot ex mundi ſectatoribus inveniuntur, qui tunc religioſos ſe vellent fuiſſe! *Idem*.

Quam deflendus ſit imperfectorum religioſorum ſtatus.

Felices ſunt religioſi, eo quod ad ſtatum adeo ſanctum fuerint evocati, ſed infelices ſunt, niſi indeſinenter, omnibuſque viribus ad ſtatus ſui perfectionem acquirendam contendant. Ubi animadvertimus humilitatem magis exemplarem, jugemque mortificationem eſſe veluti ſtatus religioſi baſim; cum nobiſmet repræſentamus tot generoſa ſacrificia, quæ non aliud fuere, quam primitiæ cordis Domino devoti; cum cogitamus religioſam vitam non aliud eſſe, quam ſeriem actuum maximarum virtutum, bonorumque operum, intelligere ne poſſumus, quomodo fieri queat, ut in ſtatu adeo ſancto imperfecti inveniantur? Attamen imperfecti iſti ea facere tenentur, quæ faciunt ſancti; Religioſa in domo pauci ab exterioribus ſtatus ſui diſpenſantur officiis; & qui imperfecte iiſdem perfunguntur, nonniſi ægre, gravateque id præſtant, ac dicere poſſumus, non modico illis ſumptu ſtare imperfectionem ſuam. *Idem*.

Religioſus tam felix eſt, quam in ſuis officiis fidelis.

Religioſi hominis quies, & felicitas pendet a perfecta ipſius obedientia, virtus illius ab accurata regularum obſervantia ſeparari non poteſt. Omnis ſpiritus ſingularitatis illis laqueus eſt; ſemper erramus, ubi ab illis recedimus, a quibus regimur, & nemo a Moyſe defecit, in quem Deus non ſeveriſſime animadverterit. Quot mortales, pro quibus Dominus tot patravit miracula, in deſerto perierunt, hoc eſt in via, quæ illos ad terram promiſſam ducebat? Plures etiam e conſpectu felicis hujus terræ perierunt, cœleſti pane nutriti, in ſubſidiorum omnium copia inter victorias, quas de hoſtibus referebant, poſtquam Erythræum mare ſicco pede traduxerant, poſtquam teſtes tot prodigiorum extiterant. Non minus deflendus eſt religioſus, qui tot beneficiis fuit cumulatus, ſi infidelis, & ingratus fuerit; quo enim magis liberalis eſt Dominus, eo magis ſeverus eſt in ingratos. *Idem*.

A horta... ad religioſos, ut regulis ſerventur.

Officiis noſtris attenti noſtram vitæ rationem cum regulis conformemus. Nobis perſuaſum ſit ea, quæ præcipiuntur, æqua ne ſint, an ſecus, niſi peccatum adſit, ab ipſo Deo præcipi. Quod nobis diſplicet, ſæpe illud eſt, quod Deus in talibus circumſtantiis ſanctificationi noſtræ utiliſſimum cenſuit. Sacrificium Iſaac rationi contrarium videbatur; attamen huic ſacrificio Deus adnectere voluerat promiſſiones ſuas, quibus futurum ſpopondit Abrahæ, ut illi, totique ipſius benediceret poſteritati. Poteſt quidem Superior perperam regere, at fieri nequit, quo minus per illum nos bene regat Deus. Ex hoc principio pendet progreſſus omnis, quem facere poſſumus in eo ſtatu, ubi tota vita non aliud eſt, quam obedientia. Hæc autem obedientia merito caret, cum non redditur Deo in eorum perſona, quos ille nobis propoſuit; & certum eſt, Deum non conſiderari, ubi judicare volumus, ad examen revocare, & præſertim improbare id, quod nobis præcipitur. Cum nos poſſidet Spiritus Sanctus, divinam nobis inſpirat prudentiam, quæ nobis Deum in omnibus rebus omnibuſque perſonis oſtendit. *Idem*.

Magis deliberandum eſt, ut in mundo permaneas, quam ut religionem ingrediaris.

Facile concedimus, eos, quos Deus ſingulariter vocat, ut ſibi ſerviant, eſſe beatos. Hæc ſæcularium confeſſio teſtimonium eſt, omni carens ſuſpicione, de religioſæ vitæ felicitate. Neminem Chriſtianum inveneris, qui hoc optimum eſſe conſilium non fateatur. Attamen ſi adoleſcens aliquis mundum relinquere meditatur, ut hoc bonum amplectatur conſilium, quot illi & conſanguinei, & amici difficultates objiciunt! Quot obices ſuperandi ſunt, quot oppoſitiones vincendæ! Integri exquiruntur anni, ut huic rei impendatur cogitatio; & ægre tandem,

gra-

gravateque prubetur conſenſus. Quot artes ad vocationis periculum faciendum? quot rationes ad diſſuadendum! quot ſolliciiæ preces, quot lacrymæ? Quænam ob illius oculos objicitur deſcriptio malorum, quæ perſerenda erunt eo in ſtatu, quem ingredi cœpit? Difficultates illius exaggerantur; omnia ibi dura ſunt, omnia non ferenda. Seſe a conſanguineis ſeparat, ut ſe Deo devoveat: quot ploratus, quot metus! diceres, adoleſcentis hujus ſortem calamitoſam eſſe, eumque manifeſto & vitæ, & ſalutis periculo objicere. Ita, Domine, excipiuntur illi, qui ſeſe tuæ addicunt ſervituti. Verum enim vero mundi ſtatum eligis! Nihil præcavetur, ſemper ſatis conſultum eſt: nihil requiritur temporis ad periculum faciendum vocationis ad ſtatum adeo periculoſum; non ſolum non exaggerantur pœnæ, quæ in mundo perferendæ ſunt, ſed omni ſtudio teguntur, & diſſimulantur vera mala, quæ nequeunt abſcondi... Undenam hæc adeo diverſa agendi ratio? Putatne aliquis, facilius in mundo, quam in religione ſaluti proſpici poſſe? Haud ita ſane; immo nemo eſt, qui non ſentiat oppoſitum. Vera ratio eſt, quod ſalus paſſim illud eſt, quod nobis extremum proponimus, cum aliquod conſilium ſumus inituri, & miramur, rem eſſe adeo difficilem ſalutem conſequi, & adeo paucos eſſe, qui in mundo ſalutem ſuam operentur? Num in conſilium vocatus fuit Deus? Deus ullamne inceptis, conſiliiſque noſtris partem habuit? *P. Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus.*

Status religioſi felicitas.

Cum omnes divinæ leges charitati innitantur, liquet, cum vita terreſtrium horum Angelorum non aliud ſit, quam jugis amoris divini exercitatio, Deum nullos habere, qui fidelius voluntates ſuas exequantur. Solitudo, in qua vivunt, efficit, ut in beata conſtituti ſint impotentia aliquam violandi ex ſanctis legibus hujus amoris. Cæterum humilitas, paupertas, mortificatio, quam patiuntur, efficiunt, ut nullam habentes amplius voluptatem, qua fruantur, nullum negotium, quo impediantur, nullam prælationem, de qua cum aliquo certent, cor eorum patere non poteſt ulli invidiæ ſenſui, neque vel levi odii motu tentari, neque vel modico injuſtitiæ deſiderio ſollicitari. Hoc peculiariter dici poteſt de religioſis, qui ab omni mundi commercio abhorrent, & vivunt in ſolitudine. Satis eſt oculos conjicere in vitam eorum, ut liqueat, illam nonniſi admirabili potentia ſuſtineri, nonniſi ſumma ſapientia gubernari. Morari, ut ita dicam, Babylone, & Sodomæ, quin vel leviſſima impuritatis labe polluantur, quin in minimum probrum labantur: in terris adhuc verſari, omnibus circumdari objectis, quæ hominum concupiſcentiam tentant, & irritant, quin illis aſficiantur: in carne clauſos eſſe, & vita ſpiritus vivere: inter concupiſcentiæ ardores eſſe, & non abſumi, animam habere corruptibili, & mortali corpori alligatam, quin aggravetur, & quin prohibeatur, ubi velit verſus originis ſuæ, æternæque manſionis locum avolare, vivere tandem in jejuniis, vigiliis, ſolitudine, ſilentio, ac laborioſæ, aſſiduæque pœnitentiæ exercitationibus, atque, ut Apoſtoli verbis utar, repletos eſſe conſolatione, & gaudio inter ipſos labores, atque tribulatione, nonne hæc eximia miracola cenſenda ſunt? *Colloquia Abbatis Joannis, & Eugenii Presbyteri.*

Religioſi mortificati.

Videntur religioſi, qui eis omnibus, quæ ad ipſos pertinent, maxime afficiuntur; valetudini ſuæ ad ſcrupulum uſque inſervientes, ob minimas corporis affectiunculas conquerentes, chimærici morbi pericula metuentes, quaſi jam jam morituri eſſent. Violenter ex ſomno excitandi ſunt, ut Dei operibus vacent, ſuæ tantum voluntati perficiendæ apti, commodorum ſuorum ſtudioſi, cupidi laudum, quas illis levis, & inexperta juventus defert, utentes auctoritate, quam illis ſua confert ætas, ut omnia ſibi ſolatia procurent, quibus ſe putant indigere. *P. Suria 3. tomo dialogorum aſceticorum.*

Si nobilis quipiam adoleſcens, quem mundo multa bona commendant, a Deo valide ad religionis ſtatum vocetur, quid prætermittitur, quid non dicitur, ut de ſententia dimoveatur? Volunt jugum Domini, quod ipſe etiam leve eſſe teſtatur, enorme pondus habere, ſolitudo, quæ adeo puras, & tranquillas nobis delicias procurat, ſemper teterrimis imbuta coloribus exhibetur; carcer eſt, ſervitus, captivitas. Aſceterium mundani eſſe putant viventis adhuc hominis ſepulturam. Sanctæ occupationes, officia divina, innocentia alibi ubicumque parum cognita, religionis officia, omnia mundanis videntur leges duræ, moleſta exercitia, & officia, quæ exerceri non poſſunt. E contra eorum laudatur conſilium, qui mundum ſequuntur. Horum conditio beatior videtur; ubi opibus diffluere cernuntur. Verum enim vero illi ne beatiores ſunt, ac potiorem præ aliis partem elegerunt? Mundus plenis manibus beneficia in eos omnes effundit, qui ipſum ſequuntur? Status, qui in eodem eligitur, plurimam ne affert jucunditatem? Ibine magna tranquillitate frui poſſumus? Saltem bene firmatæ ſpes ibi occurrunt? Ridens hæc mundi ſpecies neminem fefellit? Viæ adeo planæ, ac florentes, moleſtoſne exitus habent? Facile eſt rei veritatem compertam, exploratamque habere, & plurimi nobis hoc nunciare tuto poſſunt. Heu! quotuſquiſque in mundo de ſtatu ſuo non queritur? quotuſquiſque eſt, quem ſuæ non pœniteat electionis? Nemo eſt, qui non fateatur, nullam in vita conditionem eſſe, ubi minus ſolidæ guſtentur voluptates, ubi plura perferenda ſint mala, ubi majus adſit æternæ ſalutis periculum. *P. Croiſet tomo 2. ſpiritualium conſiderationum.*

Difficultates, quæ objiciuntur adoleſcenti, quem ad religionem Deus vocat, ut deterreatur.

Abſit a nobis eos omnes damnari, qui in mundi partes concedunt, multoque minus exigimus, aliquem mundo extremum vale dicere, ut religioſam vitam amplectatur, in chriſtianiſmo varii ſunt ſtatus, & vocationes diverſæ; eorum dumtaxat pravam rationem carpimus, qui tanta facilitate ſeſe mundo implicant, & qui numquam ſatis ponderatas fuiſſe putant vitæ religioſæ difficultates, neque ſatis ad examen vocatum fuiſſe id, quod fit, cum religionis ſtatus eligitur. Dicendum ſane eſt, hos modicam habere ſalutis ſuæ rationem, & Deum ipſum ab illis flocci fieri in electione, qua plerique mortalium, qui mundum ſequuntur, ſtatum hunc ingrediuntur. Num mirum eſſe debet, ſi adeo amaris curis torquentur, ſi tot moleſtias exhaurire debent, ſi toties, & tam funeſte labuntur. Hinc nonne inferendum eſt, ſæcularium conditionem nequaquam eſſe cæterarum beatiſſimam, quin immo ſtatum eorum moleſtiſſimum eſſe, plenum amaritudine ſexcentis vitæ caſibus, & frequentioribus ſalutis periculis obnoxium, a quibus religionis ſtatus immunis eſt; atque ſi Dominus eſt conſulendus, vocatio diutius probanda, omniaque ſtatus adeo ſancti officia ad examen vocanda, ubi de religioſa vita amplectenda ſermo eſt; quid faciendum non eſt, cum de ingrediendo moleſto mundi ſtadio agitur, quod numquam ſine curis, doloribuſque abſolvitur, & quod frequentiſſime in æternam deſinit infelicitatem? *Idem.*

Plus vocationis requiritur, ut in mundo permaneas, quam ut religioſum ſtatum amplectaris.

Ambitio quolibet in ſtatu odioſa eſt; ſed longe indignior eo ſtatu, qui profitetur humilitatem, qualis eſt ſtatus religioſi. Quam turpe eſt videre homines, qui religionis cauſa abrenuntiarunt jus, quod genus ſuum ipſis ad primos reipublicæ honores conferebat, ſæculari more prima in religioſo ſtatu munera appetere? Poſtquam propter Deum reliquerunt, quidquid in mundo pretioſiſſimum erat, avidiſſima ſollicitudine inane conſectantur fortunæ phantaſma, quod in inepto jure potiori in loco ſedendi, in inanibus licentiæ titulis, in auctoritatis intervallis conſiſtit, quæ ſæpe ad nihilum proſunt, niſi ut inferiores intelligant, quantula ſint merita illius, qui ad honores evehitur, & quantum ille imperando ſit impar. Tantine ſumptus

Ambitio religioſa indigna.

erant

ciant erogandi, ex adeo longinquis regionibus accedendum erat, ut inanis gloriæ umbra paſceretur? hoc ſane eſt nimis charo pretio ſontem curarum, ſollicitudinum, mœrorumque redimere. Nobiliſſimus, qui in religioſo ſtatu conquirendus ſit gradus, eſt extremus, & noviſſimus: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter*. Math. 20. In mundo gloria in hoc poſita eſt, ut aliquis dominetur: *Non ita erit inter vos*, Salvator mundi hic ait: verus honor eſt, aliis ſervire: *Qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter miniſter*. Quæ major indignitas, quæ turpior aſſentatio, quæ contemptibilior diſſimulatio, quam quæ eo tendit, ut aliquot ſibi demereatur ſuffragia? Poſt hæc quid eſt tantopere conquiſita dignitas? Nobis quidem triſtium curarum cauſa eſt, aliis pluribus invidiæ argumentum, in ſe ſtulta vanitas eſt, quæ noſtram dumtaxat requiem perturbat, noſtraſque irritat cupiditates. Hæccine fortuna eſt digna anima magna, quæ rebus omnibus abrenunciavit, ut ſe ſe Deo penitus devoveret? *Idem*.

Ambitio religioſo indigna. Religioſa ſolitudo noſmet a nobis divellit; noſtram nobis aufert voluntatem; corpora noſtra quodammodo in ſpiritus convertit, nos docet Deum cognoſcere, & cum eo converſari. In ſolitudine cor ſe ſe a ſæculi phantaſmatis emundans, liberum nobis relinquit ſpiritum, ut felix hoc habeamus commercium. Profecto anima noſtra nitidum eſt ſpeculum, quod exhibet divinitatem; ſed mundo plurima ſunt, quæ illi offundunt caliginem, ſordes voluptatum, honorum fumus, bonorum terræ pulvis, quibus adhæreſcimus; ſed ſolitudo aditum obſtruit rebus omnibus, ne in animas noſtras ingrediantur. In ſolitudine meditamur, in meditatione vero accenditur ignis charitatis, qui animam ab omnibus inquinamentis emundat. Religioſam ſolitudinem cœlo comparat S. Bernardus; ſolitarius enim, qui virtute præditus eſt, in ſeceſſu ſuo id agit, quod Sancti in Paradiſo, ibi invenit Deum, divinas perfectiones illius contemplatur, eum laudat, adorat. In piis hujuſmodi exercitationibus verus religioſus ſuam vitam traducit: *Ex ſpecimine Panegyricarum Orationum Tomo 2.*

RESPECTUS HUMANUS.

Deſiderium placendi hominibus, timor illis diſplicendi, turpe complacendi ſtudium.

MONITUM.

QUAMVIS hoc argumentum in paucis ſit utiliſſimum, & ſacræ eloquentiæ latiſſimum aperiat campum, pauciſſimi tamen veteres inveniuntur Oratores, qui illud pertractarint, & ipſi etiam Sancti Patres de eodem pauca, & ea tanquam per tranſennam dixerunt; at e contra paucis ante hanc diem annis admodum vulgatum effectum eſt, ita ut numquam defutura ſit copia illi, qui de reſpectu ad homines non habendo concionem habere voluerit.

Ut hujus argumenti ſermo habeatur, latius verba facere poſſumus de contemptu, quem Chriſtianus facere debet de flagitioſorum, protervorumque hominum judicio, pietatem, & devotionem in ludibrium vertentium. Oſtendi poteſt, quam turpe, & indignum ſit eo uſque mortalibus complacere, ut, ne impios lædas, religionis ipſius omittas officia: ubi ob oculos exhiberi poteſt turpis ſervitus eorum, qui ſe ignavo hoc complacendi ſtudio duci ſinunt; Dies ſervitutem omnibus mundi dignitatibus eſſe præferendam; cum, quem pudet Jeſum Chriſtum *coram hominibus confiteri, mereri, ut pudeat Deum, aliquando in fidelium ſuorum numero recenſere, utque illum æterno opprobrio ſuffundat. Infiniti prope ſunt modi, quibus argumentum hoc poteſt pertractari, & varietas characterum, qui hic locum habere poſſunt, concionem utilem æque, & ſuavem efficiet. Illud unum cavendum eſt, ne extra concionatoris cancellos egrediaris, academicam potius orationem, quam concionem inſtituens deſcriptionibus nimium frequentibus, effuſiſque de ea cura, quæ adhibetur, ut temporis moribus, & conſuetudini noſmet conformemus.*

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti ſtructuræ.

I. POſtquam explicatum fuerit, reſpectum, qui ad homines habetur, ineptum eſſe timorem, quo ab officio deterremur, pudoremque malum, per quem nos virtute præditos videri pudet, noxiamque propriæ exiſtimationis apud iniquos homines curam, horum trium habita ratione oſtendere poſſumus, humanum reſpectum ſimul eſſe apertiſſimum religionis hoſtem, cujus ne adimpleantur munera, prohibet; periculoſiſſimum hoſtem virtutis; ac tandem veri honoris, ſolidæque gloriæ inimicum, quæ ſita eſt in cognitione, quæ habetur, & æſtimatione, quæ a ſapientibus fit, de alicujus meritis; quæ tria triplicem ſermonis partem poſſunt conſtituere.

Pars prima. Crudeliſſimus eſt, & apertiſſimus religionis hoſtis 1. Perſecutio, quam hæc inde patitur, cum illa conferri poteſt, qua ſæviſſimi, & ad illius interitum incitatiſſimi eidem intulerunt tyranni; hoc pacto hac de re Tertullianus, aliique nonnulli Patres locuti ſunt; novus hic perſecutor melius, quam alii votorum ſummam conſequitur; primi enim Chriſtiani fidem aperte profitebantur, quin cruciatus, & ſupplicia timerent, ſed hodierni Chriſtiani non audent religionis ſuæ munera obire hominum cenſuras, irriſiones, & dicteria timentes. Heu! quid igitur facerent, ſi ipſis ſæviſſima impenderent ſupplicia? 2. Efficit quodammodo, ut religioni, quam in baptiſmo ſumus amplexi,

abre-

abrenunciemus; vetat enim, ne illius munera obeamus! etenim SS. Auguſtinus, & Chryſoſtomus non alio nomine appellant ignavos fideles, qui metuentes, ne de ſe alii obloquantur, & ne ipſi contemnantur, non audent ſuis officiis perfungi, deſertores fidei, & religionis, quam adeo ſolemniter amplexi ſunt. 3. Hic idem hominum timor, & turpis indulgentia quodammodo efficit idololatras, Chriſtianoſque in totidem gentiles immutat. Et profecto hoc illud eſt, quod ex interpretum ſententia a S. Paulo 2. *ad Cor.* 4. ſæculi Deus appellatur: *Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium*. Idolum eſt, quod nihilum eſt, chimera in noſtra tantum imaginatione ſubſiſtens; ſed nimis verum eſt, quod adoratores evadimus hujus idoli, & chimeræ, quæ hominum eſt opinio, & judicium.

Pars altera. Si humanus reſpectus apertus eſt religionis inimicus, eſt etiam illatione, quæ neceſſaria videtur, inimicus virtutis, bonorum morum, & actionum ſanctiſſimarum. Longum eſſet ſingula perſequi. Immoremur in actione illa, a qua initium ſumendum eſt, ut chriſtianam vitam ducamus, poſtquam nefariam duximus vitam; & quæ ſecum trahit omnium virtutum, omniumque bonorum operum praxim, videlicet in vera, ſinceraque converſione, quæ efficit, ut mundanam deſeramus vitam, aliam magis frugi, ſanctioremque educturi. Quid autem efficit humanus reſpectus, & timor eorum, quæ mundus dicere, vel cogitare poterit de hac mutatione, cum videbunt me luxui, vanitati, & amatoriis nugis nuntium mittentem, cum nonniſi in piis conventibus, & in bonorum hominum ſocietate me intuebuntur? Quot optima conſilia ſuffocavit, quot ſancta cœpta retardavit, quot gratias, & cœli lumina irrita fecit ineptus hic pavor? Timetur, ne mundus in pravum ſenſum omnes actiones noſtras detorqueat, timetur, ne malignus interpres hæc in malam partem accipiat: ſed timor hic licet futilis tamen graviſſimos ſaluti noſtræ obices ſtatuit. Hinc inferendum eſt, neminem virtute præditum eſſe, & eſſe non poſſe, niſi hanc contemnat cenſuram, & quidquid de illo poteſt cogitari, &c.

Pars tertia. Supereſt, ut videamus reſpectum humanum, qui nos adigit, ut chimericæ honoris rationem habeamus, vere inimicum eſſe ſolidæ gloriæ, & veri honoris. 1. Quia gloria ſoli debetur virtuti, cujus merces eſt, & poſita eſt in perſpicua cognitione meritorum alicujus, & in laude, ac plauſu, qui illi tribuitur, eam autem collocare in approbatione hominum vitioſorum, & nequam, & his in hac vita ſimilem fieri velle, nonne hoc eſt gloriæ naturam, & uſum pervertere? 2. Honor, & gloria per ſcelus acquiri non poteſt, quod per ſe contemptibile eſt, dignum opprobrio, & contemptu Dei ſimul, & hominum. Qui igitur impiorum quærit approbationem a bonis operibus abſtinens, vel malum, ut illis placeat, committens, hic oppoſitam ingreditur viam, per quam gloriam numquam aſſequetur. 3. Dei æſtimatio, & approbatio ſola eſt vera gloria, pudor autem, quo ſuffundimur eidem ſervientes, illius promeretur contemptum, & nobis ingerit confuſionem, cum interim gloria eos cumulat, qui eidem adhærere profitentur &c.

II. Humani reſpectus injuſtitia, & pœna, quam inde ſumere conſuevit Deus, duo erunt concionis puncta.

Manifeſta eſt humani reſpectus injuſtitia 1. erga Deum, quia hominum judicium, & æſtimatio Dei ipſius æſtimationi, & judicio præfertur: 2. erga homines, pluris faciendo inſipientium, impiorumque approbationem, quam ſapientum, atque bonorum: 3. qui hoc aguntur reſpectu, eumque pro actionum ſuarum norma ſequuntur, injuſti ſunt erga ſe, magno ſe privantes bono, quale virtus eſt, propter commentitii mali timorem, quod eſt contemptus hominum nequam omni merito, omnique virtute carentium.

Communis eorum pœna, qui propter reſpectum ad homines agunt. 1. Timent hominum irriſiones, ſi viri boni, & frugi habentur; & permittit Deus, illos in maxima labi flagitia, quæ efficiunt, ut digito monſtreatur, & quæ illos toti mundo contemptibiles reddunt. 2. Produnt conſcientiam ſuam, ut hominibus placeant, & conſcientiæ ſuæ aculeis cruciantur. 3. Præferunt mundum Deo, & pudet illos ſupremo huic Domino ſervire; & Deum noviſſimo judicii die pudebit illos in ſervorum numero habere.

III. Primum. Nihil metuendum in iis omnibus, quæ propter humanum reſpectum a mortalibus timemus, ideoque nihil eſt, quod virtutem palam exercere prohibeat; 1. ex parte bonorum, qui nos nonniſi in pretio poſſunt habere: 2. ex parte peccatorum, qui laudabunt, & admirabuntur, quod imitari detrectant: 3. ex parte protervorum hominum, quorum cenſura, & irriſiones nobis ſunt gloriæ argumentum: ideoque ineptus hic metus eſt, timor ridiculus, & cordis ignavia, quæ ſola nos in contemptum adducit, eo quod ob inane phantaſma expaveſcimus.

Secundo. Qui humanis rationibus aguntur, juſtum habent omnia a Deo timendi argumentum. 1. Hic contemptibiles efficit eos, a quibus contemnitur, quemadmodum glorioſus eos, qui eidem gloriam deferre conantur: *Væ qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris?* Iſai. 33. 2. Inimicos, ſibique adverſarios putat, qui cum ipſo non ſunt: *Qui non eſt mecum, contra me eſt*, Matth. 12. 3. Renuet pro ſervis agnoſcere eos, quos puduerit illum pro domino confiteri.

IV. 1. Metus hominibus diſplicendi ſua obeundo munera, bonaque opera exercenda nobis funeſtus eſt, quippe perennis eſt fons peccatorum; 2. occaſio eſt ſcandali proximo, quem hæc exempla intuitum pudet videri bonum, & pium exiſtimari: 3. objectum eſt contemptus Deo, & cauſa pudoris Jeſu Chriſto, quod ſervos habet, qui non audent palam pro ipſo ſtare, ejuſque cauſam tueri.

V. Primum. Oſtendere dementis eſſe, vitam ſuam juxta hominum judicium regere: 1. quia, quamvis nimis magnus ſit pravorum Chriſtianorum numerus, pauci ſunt, qui nos norint: 2. inter eos, qui nos cognoſcunt, pauci de nobis cogitant, vel quærunt, quomodo vivamus: 3. longe pauciores, qui hoc ſua putent intereſſe, & quibus hoc negotium faceſſat. Cur ergo nosmet torqueamus propter eos, qui ne cogitant quidem de nobis? & qui licet nos cognoſcerent, vel oculos ſuos in nos intentos haberent, nonniſi admirari, & laudibus extollere poſſent noſtram vivendi rationem, ſi frugi, & irreprehenſibilis fuerit?

Secundo. Ignavia eſt Chriſtiano viro indigna, 1. cui Deus contulit libertatem filiorum Dei, & qui in baptiſmo profeſſus eſt, ſe vitam traducturum ſecundum evangelii inſtituta, non autem ſecundum hominum opinionem, quæ turpis eſt ſervitus, 2. qui fortis eſſe debet, quod deinde confirmationis ſacramentum recepit, quod vim confert palam confitendi Jeſum Chriſtum, & non erubeſcendi ob illius diſciplinam: 3. qui cum teneat religionis ſuæ veritates, hoc unum cogitare debet, quomodo placeat Deo, quin de hominum judicio laboret.

VI. 1. Falſum eſt, virtutem ſibi hominum contemptum conciliare: e contra hæc illis ſemper honorem, & exiſtimationem peperit, ideoque vanitas potius, quam confuſio nobis illam exercentibus eſt metuenda. 2. Licet virtus nos in contemptum adduceret, hoc ſane apud aliquos procaces, proterviſque homines eſſet, qui nos movere non debent, quia ipſi ſunt omni contemptu digniſſimi. 3. Sin autem eorum nos moveret contemptus, ſervitus, quam ad illum evitandum ſubire deberemus, eſt non ferenda: *Ex tractatu P. Langlois hujus argumenti*.

VII. Primum. Metus, quem in chriſtianis gignit humanus reſpectus, juſtus non eſt: 1. quod enim timetur, contemnendum eſt: 2. quod pudorem nobis ciet, eſſe debet gloriæ noſtræ argumentum: 3. quod metuimus, numquam accidet,

ſed

ſed potius oppoſitum.

Secundo. Licet aliquid re ipſa timendum eſſet, chriſtianus tenetur animum ſuum contra hanc formidinem confirmare: 1. quia ob hanc chriſtiani qualitatem tenetur honorem ſugere, & hominum æſtimationem, approbationemque non conſectari: 2. quia opprobrium, & contemptum amare tenetur: 3. quia licet tormenta, & mors ipſa illi eſſent perferenda, ea perferre deberet potius, quam religionem ſuam abnegare, vel aliquid eadem indignum, vel illi contrarium facere? quanto magis opinio pudoris, vel aliquot irriſionis verba ferenda ſint?

VIII. 1. Eum, qui humanis rationibus agitur, & qui pro vitæ, atque actionum ſuarum norma ſequitur hominum judicium, indignus eſt nomine chriſtiani, quod dedecore afficit. 2. Non poſſe honeſtum haberi a cordatis, ſapientibuſque, quoniam reſpicitur tamquam ignavus aſſentator, paratus honori, & conſcientiæ ſuæ poſthabendæ, ne diſpliceat illis, qui non merentur, quod aliquis illis ſuas cogitationes impendat.

IX. 1. Nihil vanius, nihil turpius, nihil indignius, quam velle nimis placere mundo. 2. Nihil conſcientiæ periculoſius: quoniam homines ſe ſe periculo objiciunt omnes divinas leges violandi, ne lædant eos, quibus non diſplicere, intereſt ſua. *P. Girouſt in Quadrag.*

X. Hominum judicia timentur. Quid dicent, ſi pro virtute me ſtare profeſſus fuero? Sed miſero huic quid dicent, alia tria poſſunt opponi. 1. Quid dicent boni, quibus meino ſcandalum afferet vitæ tuæ ratio; quid de te judicabunt? 2. Quid dicet conſcientia? nonne iis perturbabitur ſceleribus, quæ propter humanum reſpectum patrabis? 3. Quid dicet Deus, & quomodo excipiet illum, quem ſibi ſervire puduerit?

XI. Humanus reſpectus in duobus conſiſtit, 1. quod te pudeat bene operari, ne ab hominibus irridearis, & digito noteris; quæ ridicula eſt ſtultitia, & inſania; 2. quod malum agas contra ingenium, & animi tui propenſionem, & hoc Dei, hominumque ipſorum contemptum meretur: *En Sermone P. de la* Rue *hujus argumenti.*

XII. Tria conſiderari poſſunt in humano reſpectu, quæ triplicem ſermonis partem conſtituent. 1. Crimen humani reſpectus, & peccati hujus natura, & gravitas. 2. Stultitia humani reſpectus, & quam inſanum ſit pro vitæ norma hominum judicia ſequi. 3. Humani reſpectus injuſtitia. *En P. Maſſillon Sermone hujus Argumenti.*

XIII. Oſtendam illi, qui propter inanem ad homines reſpectum, & ineptum hunc timorem detrectat perhibere Deo teſtimonium, quod expectat a nobis, hoc eſt, illi, quem pudet palam Chriſtiani hominis officiis defungi, 1. expectandum eſſe futurum, ut Dei Filius coram Patre aliquando ipſum agnoſcere neget: *Qui me erubuerit* &c. 2. hunc non mereri hominum teſtimonium, ſed punitum iri per eorumdem hominum contemptum, quibus placere conatur cum ſuæ ſalutis periculo, 3. hunc numquam habiturum propriæ conſcientiæ teſtimonium; fieri enim non poteſt, quominus propter hunc humanum timorem infinita ſcelera patret. Ex Auctore ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ *argumenta in Adventu.*

XIV. Vis, & fortitudo Chriſtiani in duobus præcipue conſiſtit. 1. Quod contemnat ea, quæ ipſius æſtimationem non meretur, cujuſmodi eſt impiorum, & flagitioſorum hominum judicium. 2. Quod mundi ſenſibus adverſetur, & vitæ rationem aggrediatur vitæ mundi prorſus oppoſitam.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

SAnct. Auguſtinus *Serm. 20. de Verbis Apoſt.* *Idem Lib. 6. de Civit. c. 10.* Sancti Patres.

Idem in Pſalm. 30. acriter in illos invehitur, qui pietatem vertunt in ludibrium.

Idem in Pſalm. 90. loquitur de illis, quos bene facere pudet.

Idem in Confeſſionibus deſcribit ſtatum, in quo fuerat, cum ipſum puderet, quod ab aliis nequitia vinceretur.

S. Ambroſius *Epiſt. 30. ad Sabin.* Aſcetici, aliique.

S. Cyprianus *l. de duplici Martyrio.*

P. Craſſet Tomo 1. de victrici Fide.

P. Haineuve in 3. parte Ordinis ſerm. 34. prolixum habet hujus argumenti tractatum.

P. Cauſſinus l. 3. Aulæ ſanctæ ſect. 19. ubi de mala loquitur verecundia.

P. Antonius a S. Martino a Portu argumentum hoc in libello quodam pertractavit, cui titulus: Scientia bene vivendi in ſocietatibus.

Idem de eadem re loquitur in primo tractatu libri, qui inſcribitur: *Les conduites de la grace*, in quarta bonæ converſionis nota, quæ eſt hominum judicia contemnere.

P. Surin in aſceticis dialogis Tomo 1. cap. 8.

P. Langlois eximium edidit hujus argumenti tractatum, ubi illud exhaurit.

Abbas de Villiers, in libro, qui inſcribitur: Errores hominum in viis ſalutis.

Dominus Eſprit, in humanarum virtutum fallacia tomo 1. cap. 6. ubi loquitur de placendi ſtudio.

P. Nepveu in Chriſtianis conſiderationibus t. 1. & 2.

Libellus cogitationum Chriſtianarum pro 16. die menſis.

Doctiſſimus Picus Mirandulanus in ſecunda ad Nepotem epiſtola.

Raynerius de Piſis *Titul. de Timore mundano.*

P. Bourdalove in Sermonibus, qui ſub ejus nomine circumferuntur, ſerm. pro feria tertia Hebdomadæ 5. Concionatores.

P. Colombiere tomo 4. Sermone 77.

Idem in Chriſtianis conſiderationibus.

P. Girouſt tom. 3. Quadrageſimæ ſermone de mundano complacendi ſtudio.

Idem in Adventu tomo 2.

P. Ruæus tomo 2. ſermone pro feria 6. poſt Paſſionis Dominicam.

P. Duneau ſerm. pro 14. poſt Pentecoſten Domin. ubi oſtendit, glorioſum eſſe titulum Dei ſervum eſſe.

Idem ſermone pro Domin. tert. poſt Pentecoſten, ubi oſtendit hominum contemptum eſſe contemnendum.

In ſermonibus caſtigatis P. le Jeune Presbyteri Oratorii, unus eſt de irriſione piorum hominum, & de illis, qui non audent Deum profiteri, ne irrideantur.

Inter ſermones morales unum habes contra humanos reſpectus.

Specimen ſermon. pro feria tertia Hebdom. ſanctæ.

P. Maſſillon in ſermonibus, qui ipſi attribuuntur, ſermone pro Feria quarta poſt primam Quadrageſimæ Dominicam.

Auctor Sermonum in Omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta ſermone 11. Adventus.

Peraldus, *Titulus timor.* Qui collectanea ediderunt.

Buſæus In Panario. *Titulo timor humanus.*

Labatha. *Titulo timor humanus.*

PA-

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturæ huic argumento.

M*Endaces filii hominum in ſtateris*. Pſalm. 61.
Propter te ſuſtinui opprobrium; operuit confuſio faciem meam. Pſalm. 68.

Quoniam Deus diſſipavit oſſa eorum, qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos. Pſalm. 52.

Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique; & ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu vero unanimis, &c. Pſalm. 54.

Qui timet hominem, cito corruet. Prov. 29.

Ambulans recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo, qui infami graditur via. Proverb. 14.

Noli eſſe judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates. Eccli. 7.

Qui contemnunt me, erunt ignobiles 1. Reg. 2.

Ante Dominum ludam, & vilior fiam plusquam factus ſum: & ero humilis in oculis meis. 2. Reg. 6.

Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me? Iſaiæ 46.

Quis tu ut timeres ab homine mortali, & a filio hominis, qui quaſi fœnum ita areſcet? & oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, & fundavit terram. Iſ. 51.

Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis. Idem, ibidem.

Servus meus es tu, ne timeas, quia ego tecum ſum. Idem, cap. 41.

Poſui faciem meam ut petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar. Iſaiæ, cap. 50.

Nolite timere eos qui occidant corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. Matth. 10.

Qui me confeſſus fuerit, & verba mea in generatione iſta adultera & peccatrice, & Filius Hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſanctis. Marci 8.

Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius Hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua. Luc. 9.

Non poſſumus quæ vidimus non loqui. Act. 4.

Non erubeſco Evangelium. Ad Roman. 1.

Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Ad Roman. 10.

Cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt .... Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. Ibidem.

Mihi pro minimo eſt ut a vobis judicer, aut ab humano die. 1. ad Corinth. 4.

Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos. 1. ad Corint. 9.

Per omnia omnibus placeo. 1. ad Cor. 10.

An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Ad Galat. 1.

Ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, Ad Coloſſ. 3.

Nos ſtulti propter Chriſtum. 1. ad Cor. 4.

Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Ad Hebr. 12.

Quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. 1. Petri 3.

Ipſi de mundo ſunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit; nos ex Deo ſumus. 1. Joann. 4.

Timidis autem, & incredulis, &c. pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure. Apocal. 21.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſumpta.

Turpis Aaronis erga Iſraelitas indulgentia.

AAron Iſraelitis permiſit, ut aureum vitulum adorarent, & proculdubio turpi hac indulgentia conſecutus eſt, quod ſperare potuerat; videlicet fore ut haberetur facilis paſtor, & commodus. Aaroni proculdubio ſtuporem injecit hæc petitio, ſed veritus, ne a brutali populo interficeretur, niſi poſtulatis ſubſcripſiſſet, eorum cogitationes ſe eludere poſſe ſperavit flagitans, ut in hoc opus conjugum, filiarumque ſuarum aureas inaures conferrent. Sed ipſorum in idololatriam pronus animus vicit avaritiam, & amorem, quo ſexus ille ſua deperit ornamenta; & Aaron, ut eorum impietati indulgeret, collatum fudit aurum, & inde vituli caput conflavit, ſeu quod præſentis mortis timor in eo tantam haberet vim, ſeu quod abſente fratre ſecretum concepiſſet deſiderium primum obtinendi locum in populo. Quomodocumque ſit, & quænam cogitatio illum in indignam hanc mentem potuerit impellere, ſcelus patravit, quod illi acerbiſſimis ſtetit exprobrationibus, ſtimuliſque conſcientiæ. Etenim quinam eſſe poterant ſenſus illius inter Iſraelitarum plauſus, & acclamationes, quibus idolo thura adolebant? Oblitus ne fuerat, quid diſcriminis intereſſet inter aureum vitulum, & Deum patrum ſuorum, qui ob oculos ejus, & ejuſdem miniſterio tot, tantaque operatus fuerat prodigia? Inſipientis populi plauſus ſuffocabant ne juſtiſſimas conſcientiæ ipſius redargutiones? Cor, quod aliquid injuſte conſequitur, turpique indulgentia ſe ipſum ferre non poteſt.

Vanus timor exploratorum, qui ad terram promiſſam cognoſcendam miſſi fuere.

Noſtiſne, quid erat terra promiſſa in mente pavidorum exploratorum, qui eamdem luſtrare, & cognoſcere juſſi ſunt? Monſtrum erat eſuriens, devorans eos omnes, qui illic ſedem ſuam ſtatuere audebant; & habitatores ejus totidem erant terribiles gigantes, coram quibus filii Iſrael culices viſi fuiſſent. At re ipſa terra hæc lacte manabat, & melle, incolæ æque infirmi erant, ac cæteri; eorumque clades modico ſtetit ſanguine Iſraelitis. Multum igitur diſcriminis intereſt inter vani timoris objectum, eum in ſeipſo ſpectatur, & hoc ipſum objectum, ubi conſideratur in idea, quam puſillus homo concipit, qui omnia augere, ac deformare conſuevit. Itaque ut funditus liqueat, quodnam ſit malum, quod mundi ſectatores timent, eoſque prohibet, ne frugi, & chriſtianam vitam ducant, nequaquam judicium ferendum eſt juxta ea, quæ ipſi teſtantur; ſed diligenti examine cognoſcendum eſt.

Exemplum Danielis, qui Regis minas non expavit.

Darius poſt victos Perſas edictum tulit, ne quis e ſubditorum ſuorum numero intra menſem quidquam vel a Deo, vel ab hominibus, uno Rege excepto, petere auderet. Daniel, qui ter in ſingulos dies de more vero Deo preces fundebat, tantum abfuit, quod timidis uteretur præcautionibus, quas caro, & ſanguis ſuadent, & nulla in re deeſſet fidelitati, quam ſe Deo debere credebat, omnes cubiculi ſui feneſtras aperiebat, ut videri poſſet juxta conſuetudinem ſuam adorare Deum ter in die, humi proſtratus, & Jeroſolymam verſus converſus; quam eminus proſpiciens, quibuſcumque regni ipſius impedimentis detineretur, tribus diverſis horis Deo ſuo preces offerre conſueverat. Secretam hanc, interioremque legem, quam Deus in corde ipſius imprimebat, nil veritus ſecutus eſt. Magna illius in mundo auctoritas eum non tentavit; fortuna, dignitas, favor, omnia conſcientiæ ceſſerunt; imo neque vitæ ſuæ conſulere voluit, neque lacus leonum illum deterruit.

Moyſes humano timore deterritus non obedit Deo.

Moyſes Dei ſollicitatus imperio, ut in Ægyptum reverteretur populum Iſrael liberaturus, detinebatur metu, qui humano reſpectui ſimilis erat. Pharaonis reformidabat potentiam, crudelis hujus principis iracundiam verebatur, & metus, ne aliquid de exiſtimatione ſua imminueretur, linguæ tardioris impedimentum ignaviæ ipſius prætextum ſuppeditabat. Incedebat ille quidem animo obtemperandi, ſed ob oculos illius ſemper humanæ rationes verſabantur, cum ſeſe illi obtulit Angelus, eique necem inferre minitatus eſt. Cur ait illi, animi pendes, utrum in Ægyptum contendas? Quia Ægyptiorum furorem expaveſco, reſpondit Moyſes, & timeo ne in barbari tyranni manus incidam. Quid? dicit illi Dominus per Angelum; me vero non times? Quaſi dicere voluiſſet; times, ne terreno Regi diſpliceas; mihi vero Cœlorum Regi ne diſpliceas, non times? Evitare vis, ne te ipſum principi committas, qui propter me tantummodo regnat? Scin' quinam princeps ſim ego?

Salomon, ut pellicibus ſuis placeat, idola adolet thura.

Quid inauſum reliquit Salomon, ut idololatris mulieribus, quarum captus erat amore, placeret? Quo uſque ille ſuum placendi ipſis ſtudium tulit; vel potius, quo illum tulit hoc illis placendi deſiderium? Ipſe quoque factus eſt idololatra: reliquit Deum patrum ſuorum, ut fallacia numina adoraret, & Rex iſte adeo ſapiens totius ſapientiæ ſuæ oblitus eſt, ut inſano, quo poſſidebatur, amori faceret ſatis.

Abſalonis aſſentationes.

Quid prætermiſit Abſalon, ut populum in ſuas partes pelliceret, eumque contra David ſuſcitaret? Licet ſuperbus indocilisque hic eſſet adoleſcens, tamen præ regiis foribus ſtabat, & egredientes, ingredienteſque ſingillatim ex nomine vocans deoſculabatur; de ipſorum negotiis eos percontabatur, atque ſeditioſa miſcens verba contra præſens regimen captioſis aſſentatiunculis, fictiſque promiſſionibus in cordibus eorum rebellionis ignem accendebat, eiſque ſenſus ſuos inſpirabat. Quid dico? Quodnam conſilium iniit? quodnam abominabile facinus auſus eſt? Atque, ut univerſum ſibi deliniret populum Iſrael, veritusne eſt ipſum Regis, Patriſque ſui thalamum?

Adoleſcentis Tobiæ generoſitas.

Cum Judæi catervatim ad aureos Jeroboami vitulos confluerent, Tobias adoleſcens, quin metueret, ne ſingularis videretur, imo ſe in adeo præclara cauſa ſingularem eſſe gloriatus, ſolus pergebat ad Jeroſolymæ templum, atque hoc facto ſe dignum præbebat elogio, quo Scriptura illius firmitatem, & conſtantiam commendat: ita quamvis quidquid mortalium circum nos eſt in Dei oblivione, divinæque legis contemptu viveret, nos tamquam Chriſtiani gloriabimur eſſe ſinceros divinæ legis hujus obſervatores; atque ita inter alios nitebimus, & ſi neceſſe erit, noſmet a mundi cultoribus, qui illius ſunt prævaricatores, ſeparabimus.

Propter metum Phariſæorum nemo audebat Jeroſolymæ Jeſu Chriſti fidem amplecti, neque de eodem palam verba facere.

Hominum timor non extremus erat obex, quem nobiles viri ſecreto religioni JESU CHRISTI & doctrinæ ipſius veritatibus opponebant. Nemo tunc temporis palam cauſam illius ſuſcipiebat, ne totius populi in ſe odium conflaret: *Nemo palam loquebatur de illo propter metum Judæorum.* Joan. 1. Maligni ſermones totius urbis Jeruſalem, quos in ſe convertebat, qui illius comitatui ſe addiceret; Sacerdotum, & Phariſæorum indignatio inevitabilis illi, qui ejus diſciplinam arriperet; contemptus, & ſchiſmata Sadducæorum, qui anilem fabellam Meſſiæ venturi fidem putabant: hæc omnia in cordibus eorum concutiebant conſilia jam inita converſionis, atque pietatis, efficiebantque, ut indignis cogitationibus veritas jam explorata poſthaberetur. JESUS CHRISTUS ſummis viris fiebat lapſus, & ſcandali occaſio. Inde Nicodemus, vir ille Jeroſolymæ adeo inſignis, nocturnum eligebat tempus, quo ad Dei filium ſe conferret, ne primordia fidei ſuæ populo innoteſcerent. Inde Joſeph ab Arimathæa civis ille adeo nobilis, atque probatus tunc tandem ſe Chriſtianum profeſſus eſt, poſtquam Jeſus obiit. E contra leproſus, paralyticus, cæcus natus, homines ex populi fæce palam ejus fidem amplexi ſunt; neque enim multa in mundo poſſidebant, ita ut illius æſtimationem haberent in pretio, neque erant legum ejus mancipia, ut judicia illius vererentur.

Aſſentitur Herodes mortem magni S. Joannis Baptiſtæ propter turpem ſuam gratiam.

Nihil in ſpeciem quidem Herodi jucundius fuit convivio, quod habuit auſpicato nativitatis ſuæ die redeunte. Regni Optimates huic interſunt; Herodias, quam ille deperit, primum cœnæ obtinet locum; atque ut magna fieret voluptatis acceſſio, filia Herodiadis primo pulchritudinis flore commendata novam convivis omnibus adfert oblectationem. Sed Herodes inter voluptates ſuas, mœroris, & anguis invenit cauſam, cum obligaſſet fidem ſuam, quam, non dicam cum voluptate, ſed non niſi ſumma cum animi ægritudine liberare poterat, petenti Herodiadi Joannis Baptiſtæ caput jubens afferri. Captivus, qui in carcere ſquallet, & de cujus vita ſine magno metu arbiter eſſe poteſt, indulgentiam illius inquietam efficit, & moleſtam, cum agitur de obſequendo mulieri, quam perdite amabat. Hinc judicium eſto, quanta ſit pœna, quæ alia humanorum reſpectuum mancipia torquet, quorum affectiones licet violentæ nihilominus ſunt multo imbecilliores.

Pilatus ob humanas rationes morti J.C. præbet aſſenſum.

Reſpectus ad homines proprie cauſa fuit, quæ Dei filium ſuſpendit. Pilatus obfirmato animo fuerat adverſatus precibus enixis, clamoribuſque Judæorum illius mortem ſeditioſe expetentium, hujus quidem innocentiæ, injuſtitiæ autem illorum certus omnino; ſed ubi illi Cæſarem minitati fuerunt, quantumvis firmus, & conſtans timuit, ne Cæſari diſpliceret, non potuit obſiſtere. Hæc illa eſt ignava politicæ ratio, quam ad homines reſpectus inſpirat. Cum non agitur de gloria Dei ſuſtinenda, oſtenditur zelus; cum de mundi cauſa tuenda ſermo eſt, nihil detrectamus, ſed hujuſmodi prudentia erga Deum nimis indigna eſt. Ita Pilatus Judæis reſiſtit, inquirit temperamentum, populum ſibi vult delinire, ſed inani urgetur Cæſaris metu. Judicat Salvatorem mundi cauſam ſequens cum divinæ cauſæ præjudicio. Sed videte, quid illi negotium faceſſat. Reſpectus humanus exigit, ut Pilatus damnet Jeſum, & conſcientia ipſius urget, ut vitam huic ſervet. Reſpectus humanus Pilato exhibet, ipſum, ſi Jeſum reliquerit, populo gratificaturum; Sacerdotum cupiditati velificatur, Cæſaris rationem cenſet habendam; quid autem ſibi metuendum erat a Jeſu, qui a toto populo derelictus erat? Attamen ſibi conſentire non poteſt; in ſpeciem quidem aſſenſum præſtat morti Jeſu, intus vero, & ex animo non præſtat: manus enim lavat teſtaturus, ſibi vim inferri, ac in alios rejicit onus mortis hominis innocentis.

Omnes in J.C. mortem conſenſere, quia Romanos metuebant.

Principes Sacerdotum, præcipuique Judaicæ gentis judices animati fuere ad filii Dei mortem perſequendam propter hunc eumdem humanum timorem; timebant quippe, ne ideo a Romanis penitus exſcinderentur. Hoc enim prætexuerunt, ut colorem aliquem allinerent odio, & invidiæ, quam in illum conceperant: *Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem*, dixerunt *Joan.* 4. in conſilio, quod hac de cauſa habuere. Neque invenire poterant viam magis efficacem ad progreſſum gloriæ ejuſdem inhibendum, quam pedibus ire in ſententiam Caiphæ cenſentis unius hominis vitam populi totius incolumitati litandam eſſe: *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Sed quinam fuit effectus hujus conſilii, quod hominum timor ſuggeſſit? Statuta fuit divini hominis clades, S. Auguſtinus ait, ne Romani venirent, eorumque urbem, ac gentem everterent; at eo quod mortem Chriſto intulerunt, Romanos ſuſcitavit Deus, qui ultionis ſuæ fierent inſtrumentum, nationem illam exterminantes.

Herodes Agrippa S. Jacobum Apoſtolum affecit morte, & videns per injuſtam hanc mortem ſe Judæorum gratiam iniiſſe, ut eorum animos ſibi magis magiſque deliniret, conſilium cœpit eadem pœna S. Petrum Apoſtolorum principem afficiendi, quemadmodum capite 4. in Actis narratur. Et capite 24. legimus, Felicem præſidem, ut Judæis gratificaretur, eorumque ſibi gratiam conciliaret, per ſummam injuſtitiam in vinculis S. Paulum reliquiſſe: *Volens gratiam præſtare Judæis reliquit Paulum vinctum.*

Quid humanus timor S. Petrum facere coegit.

Opinio, quam de ſua conſtantia, amoriſque ſui firmitate S. Petrus conceperat, effecerat, ut audacter Salvatori ſuo pollicaretur ſe moriturum, antequam illum negaret. Sed ubi accidit occaſio magnificas haſce promiſſiones exequendi, duarum ancillarum vox, & aliquot familiarium Pontificis teſtimonium ita eum perturbarunt, ut oblitus fuerit & officii, & magiſtri, & generoſi conſilii, quod ceperat. Mirum ſane humani timoris effectum in Apoſtolo adeo fervente, & magiſtrum ſuum tantopere diligente. Sed poſtquam hanc maculam lacrymis eluit, cœlitus ope demiſſa tantum præſetulit fortitudinis, quantum ignaviæ tulerat; quoniam quin ſuppliciis, ipſaque morte deterreretur, audacter magiſtri ſui divinitatem, ac doctrinam prædicavit, & iis, qui omnia extrema ipſi minitabantur, ſi pergeret, reſpondit;

Non

Digitized by Google

Non poſſumus ea, quæ audivimus, non loqui... Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Act. 4. & 24.

Pœnitens Magdalena de humano reſpectu à git triumphum.

Gratia Magdalenam impulit, ut JESUM CHRISTUM apud Phariſæum inter plurimos convivas diſcumbentem conveniret. Quid humanus reſpectus intentatum reliquit, ut eam deſereret? Quam dedecet hoc puellam? Quid homines dicent? Hic magnus eſt gratiæ, & converſionis inimicus, de quo ipſa agit triumphum. Intrepida eſt, nulla detinetur verecundia, aut confuſione, quia plurimum habet verecundiæ, & confuſionis. Verecundia, & confuſio, quam intus in anima ſentit pro peccatis, efficit, ne exterius ullam ſentiat confuſionem: *Quia graviter erubeſcebat intus, nihil eſſe credidit, quod verecundaretur foris:* S. Gregorius inquit. Peccatum nos audaces efficit in malo, & verecundos in bono, gratia e contra in bono audaces, in malo facit verecundos. Hujus pœnitentis exemplo omnia hominum judicia, omnes ſermones ſunt contemnendi.

Applicationes aliquot Scripturæ locorum huic argumento.

Deo, & hominibus ſimul placere non poſſumus.

AN *quæro hominibus placere* &c. Apoſtolus per hæc verba *ad Galat.* 1. ſe crimine purgat, quaſi mundi plauſus conquiſiviſſet, hanc adferens cauſam, quia videlicet placere mundo, & JESU CHRISTO ſervire, ſimul eſſe non poſſunt: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Quilibet ſcrutetur cor ſuum: quilibet ſe ipſum, uti S. Paulus, interroget: *An quæro hominibus placere?* Numquid in his, quæ facio, hominibus placere contendo? Cum efficiendum eſt aliquod pietatis opus, cum frequentanda Sacramenta, pauperes inviſendi, injuriæ dimittendæ, periculoſa quædam ſolatia relinquenda, id ne ſpecto, quinam futurus ſit hominum ſermo, quod judicium? Numquid ita imbecillis ſum, ut de proximo obloquar, ut obloquentibus gratum faciam? Num hæc mihi mollis, & criminoſa eſt obſequentia, ut amicis aſſenter in ipſis etiam cupiditatibus, atque ſceleribus? Si mundo placere ſtuduero, JESU CHRISTO placere non potero, qui ſtatim me damnare incipit, & reprobare: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.*

Dei timor hominum timorem debet expellere.

Omnia, quæ loquitur populus iſte, conjuratio eſt, & timorem ejus ne timeatis, neque paveatis &c. *Iſaiæ* 8. Quodnam afferri poteſt remedium, o fideles, ignavo huic timori, quo ne hominibus diſpliceamus, expaveſcimus? Hoc ſane eſt, timorem timore, ac deſiderio deſiderium extrudere. Cum timetis, ne hominibus diſpliceatis id facientes, quod veſtrum eſt, timorem hunc timore diſplicendi Domino expellite. Ex duobus dominis, quiſnam vobis magis eſt metuendus? Nonne ille, qui graviora vobis infligere poteſt ſupplicia? .... Quæ cæcitas timere magis irriſiones peccatorum, quam divinas ultiones, & carneæ linguæ ictus, quam igniti illius gladii, quo utetur Deus ignavos hos adſectatores percuſſurus, atque diſcruciaturus? Ita loquitur S. Bernardus: *Tu ergo plus times opprobria, quam tormenta; & qui trepidus ad linguam carnis, contemnis gladium, qui devorat carnes!*

Humanus reſpectus eſt contemptus Dei.

Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me? Iſaiæ 46. Hoc humano timore Deum vel mundo præfertis, vel comparatis, vel ſaltem ita æſtimatis, quaſi ſolus non ſufficeret vobis, quaſi mundi favore præter favorem illius indigeretis. At effunderetne Deus ſuos theſauros in animam, quæ erga illum parca, & avara eſt, & quæ illi tribuit, quod mundus retinuit? Fietis objectum contemptus Dei, quia illi traditis, quod mundus detrectat accipere. Mundo tribuitis ea omnia, quæ vult, omnem videlicet externam ſpeciem, quia quæ interiora ſunt, nullo habet in diſcrimine: *Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis me?*

Humanus reſpectus propriè eſt Deus hujus ſæculi.

Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, 2. ad Corinth. 4. Cum S. Auguſtinus loquitur de Philoſophis, Ethnicisque ſapientibus, ait, eorum conditionem unam omnium eſſe infeliciſſimam; quia Deum verum cognoſcentibus, integrum non eſt eum illi, quem debent, honorem adhibere, & ob politicas cauſas in templis ea venerantur numina, quæ falſa eſſe cognoſcunt: *Pudet me tui*, ajebat ille cum aliquo ex eorum numero loquens, *naturalem Deum colere cupis, mille falſos cogeris.* Scis unum dumtaxat eſſe Deum, & mille fabuloſas chimæricoſque veneraris. Ita agunt ignavi fideles, qui in ipſis religionis officiis ſe ipſos mundi legum turpia mancipia conſtituunt. Ineunt illi quidem conſilium ſerviendi Deo, ſed ubi hoc deſiderium conceperunt, alius eos deterruit Deus; Deus videlicet hujus ſæculi, reſpectus ad homines: *Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium.* Humanus hic reſpectus quædam eſſe videtur ſpecies idololatriæ, quæ mundo, & huic honoris idolo præſtatur. Quemadmodum enim cum Deus locutus eſt, non alia quæritur ratio ad fidem noſtram conſtituendam: vult ſibi cæcam præſtari obedientiam: *Verbum ipſius ſumma mihi ratio eſt*, ait quidam Pater; nulla ulterius requiritur ratio, ex quo Deus locutus eſt; ita ex quo mundus vult, aut aliquid petit, hæc lex eſt, & imperium, cæce illi obtemperandum eſt.

Poſui veſtimentum meum cilicium, & factus ſum illis in parabolam. Pſal. 68. Ex quo indui me cilicio, univerſa Jeruſalem me vertit in ludibrium. Hoc ſæpe illi dicere poſſunt, qui pietatem colunt: ſervavi jejunia, chriſtianam mortificationem exercui, & factus ſum in parabolam populo. Omnes maligne de me obloquti ſunt, & illuſerunt mihi: quilibet meam vivendi rationem improbe interpretatus eſt, & publice eam in jocum traduxerunt. Nullus erat cœtus, ubi homines ſumptibus meis non oblectarentur. Sed tunc magis eorum infirmitatibus, quam irriſionibus commoti, inſaniam eorum potius miſerantes, quam metuentes cenſuram, Deum obteſtari debemus, ut illos in viam ſalutis reducat: *Ego vero orationem meam ad te, Domine*, pergit S. Propheta.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

E*Rubeſcunt negare Chriſtum, & non erubeſcunt negare verba Chriſti.* Aug. Serm. 48.

Times prorſus ne offendas majorem, & non times ne offendas Deum. Idem.

Frontoſus eſto, quando audis opprobrium de Chriſto; quid times fronti tuæ, quam ſigno crucis armaſti? Idem, in Pſalm. 68. Serm. 1.

Oportet, ut habeat Chriſtianus irreverentiam, quando venerit inter homines, quibus diſplicet Chriſtus, quando illi inſectatur, quando dicitur cultor crucifixi, adorator male mortui, venerator occiſi: hæc ſi erubueris, mortuus es. Idem, ibidem.

Non ſine cauſa ſignum ſuum in fronte nobis figi voluit, tanquam in ſede pudoris, ne Chriſti opprobrio Chriſtianus erubeſcat. Idem, in Pſalm. 30.

Parum eſt habere in corde Chriſtum, & nolle confiteri cum timetur opprobrium. Idem, in Pſalm. 118.

Ad hoc Dominus crucem ſuam in eorum, qui in illum crederent, frontibus fixit, ubi eſt quodammodo ſedes verecundiæ, ut de nomine ejus fides non erubeſcat, & magis Dei gloriam, quam hominum diligat. Idem, Tract. 53. in Joann.

O nimis iniqua amicitia! ſeductio mentis inveſtigabilis! cum dicitur, eamus, faciamus, pudet non eſſe impudentem. Idem, 3. l. confeſſ. cap. 8.

Quid facies, quando dicet tibi (Chriſtus:) erubuiſti de humilitate mea, non eris in claritate mea. Idem.

Diſcedat mala verecundia, accedat ſalubris impudentia, ſi impudentia dicenda eſt. Idem.

Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri JESU CHRISTI. Ubi mundi Philoſophus erubuit, ibi Apoſtolus theſaurum reperit. Id Serm. 20. de verb. Apoſt.

Uſque adeo de cruce non erubeſco, ut non in occulto

loco habeam crucem, ſed in fronte portem. Idem, in Pſalm. 141.

Quid roga iſte faceret in dolore pœnarum, qui Chriſtum erubuit inter flagella verborum! Gregor. l. 29. Moral.

Sicut verecundia laudabilis in malo, ita reprehenſibilis in bono; erubeſcere malum ſapientia eſt, erubeſcere bonum fatuitatis eſt. Idem, in Eſechiel. Homil. 10.

Nihil magis timendum, quam quod timor humanus præponatur divino. Gregor. in Proverb.

Gratias aga Deo meo, quod dignus ſum quem mundus oderit. Hieronym. Epiſt. ad Aſellam.

Diſpliceamus his, quibus diſplicet Chriſtus. S. Paulin. Epiſt. 6.

Nihil tam ſpeciale ſervitutis eſt, quam ſemper timere. Ambroſ. lib. de Joſeph. cap. 4.

Omnibus ſervitior mancipiis. Chryſoſt.

Non ſolus eſt proditor veritatis, qui veritati renunciat, ſed etiam qui non profitetur veritatem. Idem.

Tutiſſima res eſt, nil timere præter Deum. S. Laurent. Juſtin. lib. de lign. vitæ, cap. 1.

Chriſtianum ſe putat, qui Chriſtianus eſſe aut confunditur aut veretur. Quomodo poteſt eſſe cum Chriſto, qui ad Chriſtum pertinere aut erubeſcit aut metuit? S. Cyprian. de lapſis.

Chriſtus in præceptis ſuis dicit: Qui confuſus me fuerit, confundetur eum Filius hominis; & Chriſtianum ſe putat, qui Chriſtianus eſſe confunditur. Quomodo poteſt eſſe cum Chriſto, qui ad Chriſtum pertinere aut erubeſcit aut metuit? Idem, Serm. 5. de lapſis.

Quid quæſo rationis habet verecundari ad diem hominis, & vultum Dei non vereri? Bernard. Epiſt. 108.

Dæmon maluit ſuffundere hominis ſanguinem, quam effundere. Tertull. in Apolog. cap. 14.

Salvus ſum, ſi non confundar de Deo meo. Idem, lib. de Carne Chriſti, cap. 7.

Malefici geſtiunt latere, devitant apparere, trepidant deprehenſi, ac torti quidem facile aut ſemper confitentur: Chriſtianus vero quid ſimile? neminem pœnitet, neminem pudet, niſi retro non fuiſſe. Idem, in Apolog.

Frontoſa ad ſalutem. (*Ita Magdalenam appellat* D. Auguſtinus.)

Quæ contentio, quæ gehenna, ubi tantopere laboratur ut non peccetur. S. Chryſologus.

Nihil operoſius, quam ſtudium hominibus placendi. Tertullianus.

Times ne derideare, ne contemnar: miſer homo, non vis a conſervo derideri, ſed odio haberi a Domino tuo: Chryſoſtom. ſuper Act. Apoſt. cap. 19. Homil. 41.

Chriſtum non puduit tua cauſa crucifigi; & te pudet ejus inenarrabilem profiteri diſpenſationem. Idem, in Epiſt. ad Galat. cap. 6.

Explicuiſti frontem ad delinquendum, & ad recte agendum contrahes? Tertull.

Stultus alieno judicio vivit, non ſuo, multitudine rapitur, & cedit impetui. Seneca.

Quis placere poteſt populo, cui placeat virtus? ſimilem te illis efficias oportet, non probabunt niſi agnoverint. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia pena hoc in argumento valeat depromi.

Quid ſit humanus reſpectus. HUmanus reſpectus, qui alio nomine mundana obſequentia appellatur, eſt ratio illa, quæ habetur, humanorum judiciorum, & quæ nos a Dei ſervitute divertit, & ad peccandum adigit, ut hominibus placeamus, vel ne illis diſpliceamus. Duo vulgo illius genera diſtinguuntur, alterum craſſius, quo noſmet humanorum Judiciorum mancipia facimus, atque mundi placitis ita obſequimur, ut religionis, & evangelii inſtituta nullo in diſcrimine habeamus; immo ut hæc ſervare nos pudeat; neque, ubi res tulerit, audeamus vitium inſectari, & in virtutis partes concedere. Alia humani reſpectus ſpecies haud illa quidem ita nocens eſt, ſed facit, ut bonorum operum fructum amittamus; eaque illorum propria eſt, qui virtutem, immo etiam pietatem profitentur. Hæc facit, ut non agant omnino propter Deum, ſed ob humanos etiam fines operentur; bonorum approbationem inquirant, vel ſartam tectam tueri velint exiſtimationem, quam ſibi pepererunt. Hoc in loco de priori tantum agimus ſpecie, quæ cum S. Paulo ſæculi Deus appellari poteſt. *Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium*.

Quid ſupponendum eſt ad hujus argumenti intelligentiam. Ut hoc argumentum evolvamus, mundus, quem Deus damnat, & reprobat, in duplex hominum genus diſtingui poteſt, quorum primi illi ſunt, qui mundana tantum ſequuntur placita evangelicis inſtitutis contraria, & qui in ludibrium ſibi vertunt illos, qui ipſorum non ſequuntur exempla, & multo magis eos, qui palam pietatem profitentur. Dici poteſt hoc hominum genus proprie hunc mundum componere, qui JESU CHRISTO bellum indicit, quemadmodum JESUS CHRISTUS venit illi bellum illaturus, eumque penitus profligaturus. Poſteriores vero illi ſunt, qui non audent obſiſtere hominibus, qui palam vitiis ſe addunt, & qui de officiis ſuis edocti ſatis fortitudinis non habent, ut iis perfungantur, eo quod timent, ne priorum in ſe dicteria, & irriſiones convertant. Utrique probro digni ſunt, & rei coram Deo; & quamvis hi, quam illi excuſatione digniores videantur, ſunt tamen ignavi Chriſtiani, qui ſuam produnt conſcientiam, ne hominibus diſpliceant. Homines ſunt, qui humano reſpectu duci patiuntur, contra quos numquam ſatis zelum oſtendere poſſumus, tamquam contra turpia mancipia mundi ſervitutem ſervituti JESUS CHRISTI præferentia.

Quoddam complacendi ſtudium laudabile eſt. Ne ſontes ſimul, inſonteſque nullo in diſcrimine habeamus, ante omnia neceſſe eſt diſtinguere ſapientem obſequentiam, quæ Chriſtianos ſimul nectit, a noxia, quæ omnino ex ſocietate eorum eſt proſcribenda. Qua in re animadvertite quæſo moralem Philoſophiam, ac Theologiam chriſtianam ſemper virtutibus inſervuiſſe quamdam obſequentiam, vel indulgentiam, quæ efficit, ut noſmet accommodemus moribus, & ingeniis eorum, quibuſcum vivimus, quæ nos tot modis mutat, quot ſunt occaſiones, & perſonæ diverſæ, & cujus proximus finis eſt vitæ commercium efficere ſuave, honeſtum, & jucundum iis in rebus, quæ rationi, & evangelio non adverſantur. Hæc indulgentiæ ſpecies nobis per Dei legem præcipitur; & hæc virtus eſt, quam ipſe JESUS CHRISTUS, & Apoſtoli exercuerunt. Sancti Patres illam exiſtimarunt tamquam vel ſociam, vel fructum charitatis, eamque commendarunt tamquam medium neceſſarium ad animarum converſionem, ſanctificationemque procurandam.

Malum, quod generatim parit humanus reſpectus. Humanus reſpectus duo potentiſſima animæ movet machinamenta, metum videlicet, & cupiditatem. Per metum nos generatim ab omnibus amovet pietatis operibus, quæ mundo non ſapiunt; quotus enim quiſque auderet os aperire in cœtu aliquo ad Dei, eccleſiæque cauſam tuendam, quamquam illi perſuaſum eſſet, ſe id & poſſe, & debere? Vix audeat aliquis ad ſacramenta frequens accedere, modeſto corporis habitu aræ ſacrificio intereſſe, minori luxu indui, ut Chriſtianum decet, bona fide in gratiam redire; hæc autem omnia, quia cenſuram metuimus, neque ſatis virium nobis eſt, ut eam flocci faciamus. Humanus reſpectus non eſt minus pernicioſus, cum efficit, ut propter placendi deſiderium agamus. Quid enim tunc fit, vel potius quid tunc minime fit? Si principis alicujus gratia demerenda eſt, ut in illius clientelam ingrediamur, illi aſſentamur, eum etiam injuſtitias, concuſſiones, vim exercet, illius cauſam ſuſcipimus, eamque pro virili probare contendimus.

Dei filius in eccleſia ſua Sacramentum inſtituit, quo nobis. Qui Chriſtiani facti ſunt per baptiſmum, cum adhuc imbecilles ſint, tamquam infantes recens nati per confirmationis ſacramentum acquirunt vim reſiſtendi omnibus mundi, dæmoniſque aggreſſionibus,

nibus,

Conferunt, eum ad religionem publice proſitendam. nibus, & per hoc ſacramentum adeo plene confirmantur in fide, ut palam confiteri, & glorificare poſſint nomen Salvatoris; unde ſacramento nomen factum eſt Confirmationis. Hæc virtus, & efficacia in apoſtolis apparuit, poſtquam receperunt Spiritum ſanctum; nam qui ante Salvatoris paſſionem adeo erant infirmi, & imbecilles, ut aufugerent, Dominumque relinquerent; S. Petrus, qui electus fuerat, ut eſſet petra fundamentalis eccleſiæ, & qui non ita pridem tantum animi, & conſtantiæ tulerat præ ſe, ſimplicis ancillæ voce perterritus, ter negavit ſe illius eſſe diſcipulum, omnes diſcipuli propter metum Judæorum ſe ſe unam in domum receperunt. E contra Spiritus ſanctus eos die Pentecoſtes adeo forti, potentique gratia replevit, ut deinceps audacter, ac ſine metu prædicaverint evangelium, & tamquam maximum, qui ſibi contingere poſſet, honorem duxerunt, ſi digni haberentur, qui pro nomine Jeſu opprobriis, & cruciatibus afficerentur. Act. 5.

Quamvis ignavia ſit vitium adeo parum notum, & oppugnatum, tamen pro modulo ſuo unum omnium maxime patet; quoniam ne unus quidem eſt in inferno reprobus, qui ejuſdem reus minime ſit, eo quod noluerit reſiſtere torrenti exempli, & quod ignave mundi ſollicitationibus ceſſerit. Quemadmodum noverunt bonum, quod facere noluerunt, & malum cui noluerunt adverſari, turpis hæc infidelitas eos ſontes fecit: *Scienti enim bonum, & non facienti, peccatum eſt illi.* Jacob. c. 4.

Quam grave peccatum ſit humanus reſpectus. Inde hujus peccati enormitas patet, quod ignavi Chriſtiani, qui ſua obire non audent munera, ne hominibus diſpliceant, non ſunt minus probro digni, minuſque nocentes coram Deo, quam apertiſſimi quilibet impii. 1. Videntur enim Deum magis contemnere; quippe ſua norunt officia, ſed hominum intuitu detinentur; igitur humanum divino præferuntur judicium. 2. Quia magis directe contra conſcientiæ, & rationis lumina operantur; vident, quid eſſet faciendum; ſed ne diſpliceant hominibus inimicis Dei, hoc facere non audent, neque ſatis fortes ſunt, ut illis reſiſtere velint. 3. Qui aperte liberiores æque in omnem libidinem ruunt, vel Athei ſunt, vel cæci, quos tradit Deus in deſideria cordis eorum; & ignavi Chriſtiani homines ſunt, quos Deus urget, & ſollicitat; ſed fallax verecundia validiſſimas quoque gratias exuperat. Itaque rebelles ſunt ſubditi, ac transfugæ in caſtra inimicorum Dei, quibus ſuffragantur. Aperte quidem improbi homines in malo magis obſtinati, cæci, ac pertinaces ſunt; ſed alii majori cum cognitione, & conſideratione peccant, ideoque majori etiam cum improbitate. Ideoque nec minus puniuntur, eoſque S. Joannes in Apocalypſi c. 21. in eamdem rejicit claſſem, in quam ſceleſtiſſimum, & turpiſſimum quemlibet peccatorem: *Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & idololatris pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure.*

Humanus reſpectus, peccatum eſt mere nequitiæ. Cum aliquid vel boni omittitis, vel committitis mali ob humanam rationem, peccatum veſtrum pura puta eſt nequitia, & impietas. Cauſari non poteſtis levitatem, vanitatem, inopinate factum; veſtra enim conſcientia contra vos ferret teſtimonium, & veſter judex eſſet. Accuſaret vos proditionis nomine, quippe illius monita contempſiſtis, & Deo infideles fuiſtis, cauſam hujus relinquentes, ut contra eumdem pugnaretis. Denique nonne vos inſimulabit dicens, melius vobis futurum fuiſſe, numquam veritatem crediditſſe, quam ſemel creditam, cognitamque deſerere?

Quam contrarius ſit qualitati ſervorum Dei. Ut veri ſervi Dei dignitatem ſuſtineamus, eo mentis, & cordis ſtatu eſſe debemus, ut illius cauſam noſtro commodo præferamus, & inquiramus omnes occaſiones placendi illi celeri omnium voluntatum ejus executione. Ille vere Dei ſervus eſt, cui nihil antiquius eſt cultu illius, qui præſto eſt, ut centies potius vitam cum honore, & bonis amittat, quam aliquid faciat hac indignum profeſſione, & qui ſe talem eſſe glorietur, quin mundi irriſionibus moveatur. Utque omnia verbo complectar, verus Dei ſervus inſtrumentum eſt animatum, non aliam habens actionem, motumque præter eum, qui a Domino ipſius proficiſcitur. Utrum autem hæc omnia cum humano reſpectu, qui hominibus tantum placere quærit, & qui nihil tantum metuit, quam ne illis diſpliceat; conciliari valeant, penes te eſto judicium.

Ad humanum reſpectum procul exterminandum cogitare ſatis eſt, dignitatem filii Dei omnibus terrarum regnis, imperiiſque eſſe præferendam. Reges, aliique principes populis imperant, ſibique ſerviri jubent, ſed quemadmodum glorioſius eſt de Rege benemereri eidem inſerviendo, quam ruſticia imperitare; ita glorioſius eſt ſupremo mundi totius Domino famulari, quam in omnes terrarum populos dominari. Hoc Quintiano præfecto ſciſcitanti, utrum deceret generis nobilitati ſordes offundere Chriſtianiſmi ſervitute, S. Agatha reſpondit: *Multo præſtantior eſt chriſtiana ſervitus regum opibus, & præſtantia.* Quænam igitur eſt humani reſpectus indignitas, quod pudorem cieat chriſtianæ ſervitutis?

Injuſtum eſt hominum judiciis acquieſcere. Humanus reſpectus injuſtus eſt, & iniquus; cur enim Dei judicium, quo juſtificamur, non ſufficit, ut hominum judicia contemnamus? Cur in nobis eumdem gignit effectum, ac amicorum noſtrorum, & eorum, quos in pretio habemus, approbatio, quæ paſſim ſatis eſt, ut nos conſoletur ob ea, quæ de nobis alii vel cogitare, vel dicere poſſunt! Cur ratio, quæ nobis oſtendit, hos ſermones nocere nobis non poſſe, & per ſe nullum nobis detrimentum afferre, cur inquam adeo modicum facultatis habet in cor noſtrum, ut efficere nequeat, ut ſuperemus affectionem adeo vanam, & iniquam, vel potius metum adeo inanem?

Vera fieri nequit converſio, ni ſi humanus reſpectus vincatur. Turpis eſt politica, & Chriſtianum minime decens non audere Dei, virtutiſque cauſam ſuſcipere præ timore, ne hominum ludibrium fias, ſi in pietatis exercitatione intepeſcas. Videmus e contra, Sanctos, quos vere tetigit Deus, ſtatim palam hoc fuiſſe profeſſos; cujuſmodi fuere S. Maria Magdalena, S. Paulus, aliique innumeri, quos non puduit evangelica amplecti dogmata, ſed omnes æquo animo ſubierunt mortalium irriſiones, & judicia, quæ de ſe fieri poterant; quaſi hoc pacto ſibi voluiſſent intercludere viam recedendi, ne pudore ſuffunderentur, ſi ab adeo præclaris initiis aberraſſent.

Modi ſuperandi reſpectum humanum. Vitæ ſpiritualis Magiſtri inter plurimos modos vincendi humanos reſpectus, malamque verecundiam ſe ſe pro Deo ſtare profitendi, duos nobis ſuggerunt, quorum uſus eſſe debet familiaris illis, qui chriſtianam vitam ducere volunt. Prior eſt timorem alio timore ſuperare: timorem hominibus diſplicendi timore diſplicendi Deo: qui enim vere Deum timet, hominum, qui efficere nequeunt illi, pro quo Deus ſtat, timore perturbari non poteſt, ſed e contra omnia illi a Deo ſunt metuenda, ſi mundo placere ſtudens non timet, ne ſupremæ huic Majeſtati diſpliceat. Remedium alterum, profecto difficilius, ſed potentius, & efficacius eſt, certum capere conſilium Deo uni placendi, & quia Deus vult, ut nos in pluribus hominibus etiam placere, continget, quod per hoc unum Deo placendi votum palam videbimus, quibus in rebus placere debeamus hominibus; e contra vero, cum animum directe intendimus, ut hominibus placeamus, labimur in errores, & reſpectus ad homines omnino cordis noſtri potitur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex aſceticis, dicentibuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Quid ſit mundana obſequentia, & reſpectus humanus. Quæ mala noſtris quoque temporibus inter fideles non parit humana hæc obſequentia, ut que mundo placeatur, quot in occaſionibus Dei cauſa proditur, & propria requies, & ſalus ſacrificatur? Vellemus quidem virtutem ſequi; illam amamus, & exercere cuperemus, ſed ad id multa ſuſtinenda ſunt prælia. Vis requireretur hominum ſermonibus,

gibus, urgentibuſque eorum ſollicitationibus cedere neſcia. Deficit animus; nemo, ut vulgo dicitur, vult ſingularis videri; vivendum eſt, ut vivitur, aliorum animi alienandi non ſunt, neque adſectata diſtinctione offendendi. Eo in ſtatu eſſe debemus, in quo ab omnibus æquo excipiamur animo; amici, patronique conciliandi ſunt, & quantum fieri poteſt, omnium ſuffragia promerenda. Mundanam hanc obſequentiam, quæ humanus reſpectus vocatur, oppugnare in animo eſt. *P. Girouſt ſerm. hujus argum.*

Quanti faciendum ſit hominum judicium, & exiſtimatio. Nihil vanius eſt hominum judiciis, quorum humanus reſpectus ſervos nos facit; nihilque contemptibilius eſt hac mundi exiſtimatione, quam tanquam idolum veneramur. Et ſane quomodonam judicant homines? Judicia fallacia, & erroribus obnoxia; judicia nobis ſterilia, & ex quibus nullum vulgo ſolidum fructum percipimus. Etenim nonne in judiciis hominum, eorumque ſapientiſſimorum quotidie craſſiſſimas illuſiones deprehendimus? Cum illi, quantumvis perſpicaces ſint, hominum ſcrutari corda non poſſint, judicium ferant ſecundum eas ſpecies, quibus decipiuntur, & ſecundum conjecturas, ex quibus eliciunt illationes, æque ac principia ſua, laborantes. Vos ipſos teſtes appello, Auditores lectiſſimi, qui toties id experientia didiciſtis. Quoties conqueſti eſtis de ſermonibus, qui de vobis percrebuerant, & de ideis, quæ fuerant conceptæ? Quoties dixiſtis, vos ab illis non ſatis cognoſci, vobiſque eas cogitationes, & ſenſus attribui, qui ſenſibus veſtris omnino erant oppoſiti? Quoties intus ſenſiſtis, bonaque fide vobiſmet teſtimonium tuliſtis, elogia, quibus excipiebamini, vobis nequaquam deberi; vel quod in vitæ veſtræ ratione corripiebatur, vacare culpa, & longe aliud eſſe ab eo, quod ferebatur? Quod autem contigit vobis, indeſinenter in humana ſocietate, omnibuſque vitæ ſtatibus fere contingit. *Idem.*

Propria experientia ſcit, ut hominum judicia contemnamus. Poſt hæc negotium nobis opinio mundi faceſſat, eam nobis demereri, atque in gratiam noſtram diſponere adnitamur; atque id e voto cedat, indigniſſimæ, turpiſſimæque ſervituti noſmet ſubjiciemus. Noſmet mundi libidini, ingenioque ſubjiciamus; an potius excutiamus adeo oneroſum, indignumque jugum, & ut S. Paulinus ajebat, non vereamur adeo ſententias judicis, qui ipſum quoque JESUM CHRISTUM damnavit. Ita eſt, Chriſtiani, hic mundus, cujus gratiam aucupamini aſſentationibus aliquando adeo illipidibus, adeoque parum ſtatum veſtrum decentibus; hic mundus, qui totam occupat curam veſtram, qui omnes ſollicitudines veſtras exhaurit, cui omne thus veſtrum adoletis, omnemque adhibetis honorem, ita cæcus fuit, & injuſtus, ut ipſum hominem Deum condemnaret. *Idem.*

Quam indignum humanus reſpectus ſequi. Nonne mirum eſt, nos ſemper ſub mundi tyrannide ſubjectos permanere, ubi generoſo conatu ex adeo turpi captivitate evadere poſſumus, & chriſtiano contemptu noſmet ſupra omnia judicia ejus attollere? Si quis vel iræ impetu actus, vel de ſanitate mentis dejectus vel contra vos, vel pro vobis loquitur, illiuſne verba vos movent? Quid autem de vobis judicarent homines, ſi vos illi jugiter aſſidere intuerentur, voſmet componere, diligenter præcavere, ac nullam detrectare moleſtiam, ut huic mitiores, gratioreſque erga vos ſenſus immitteretis? Audeo dicere eum, cui vel minimus eſſet rationis uſus, nequaquam levius, & minori cum veritate, ac fundamento in omnibus fere occaſionibus eſſe judicaturum, quam mundum. *Idem.*

Id noſtis, immo crebris ſermonibus uſurpatis, & nihilominus neſcio, quo faſcino capti ſemper cæcum hunc mundum, inſanaſque ejus imaginationes adoratis. Tunc etiam cum illum corde contemnitis, tamen extrinſecus aliquod illi obſequium teſtamini, quod vobis acerbiſſimam figit crucem. Tunc etiam cum intus illum damnatis, foris tamen contra id, quod ſcitis, illius placitis, atque principiis omnibus ſubſcribitis. Si qui in mundo nitent, & præ cæteris libentius audiuntur, jam dii ſunt, quibus ſervilem cultum adhibetis, & honores, quorum eos etiam pudet, quibus a vobis temere deferuntur. At eſto, curæ veſtræ, auditores, magis felicem exitum ſortiantur; eſto, mundus ſuam vobis detrectare nequeat exiſtimationem: quid vobis prodeſt hæc exiſtimatio, quam tantopere conſectamini? *Idem.*

Omni hujus ſtatibus humanus reſpectus metuendus eſt. Quemcumque ad ſtatum nos evocaverit Providentia, mundo adhæreſcimus, cui, metuimus, ne diſpliceamus; conſanguineis, amicis, patronis, dominis. Hic ille eſt mortalium numerus, in quorum medio vivimus, in quibus confidimus, cum quibus neceſſitudinem, & familiaritatem habemus; qui, ut ita dicam, ſeorſim mundum efformant, cujus judicium, ſermonemque veremur, & cui ſtudia noſtra, actioneſque accommodare contendimus.... Hic ille ſcopulus eſt, quem evitare debemus, quamcumque conditionem amplectamur. Scopulum voco humanos reſpectus, mundana officia, improba, & ſatyrica judicia, irriſiones, & dicteria, quibus excipiuntur, qui virtutem amplectuntur. *Sermo MS.*

Humanus reſpectus Deo eſt contumelioſus. Humanus reſpectus Dei magnitudini adfert injuriam; Dei quippe poſtulat magnitudo, ne illum homini comparetis, quem ipſe eduxit ex luto, & exigit, ut alia quælibet magnitudo pro nihilo habeatur. Vos autem hinc quidem acti, ut voſmet Deo devoveatis, inde vero humano metu retenti, dicitis illi: Domine ex hoc tempore me tibi traderem, tibique præ alio quolibet ſervirem, ſi ea in conditione, in qua ſum, liceret mihi obſequi tibi, quin mundi cenſuras ſubirem: vellem quidem cum mundo omne vinculum auferre, ac uni tibi me conſecrare, niſi in partes tuas palam concedens ſexcentos mihi periculoſos hoſtes excitarem? Te quidem ea, qua fieri poteſt, maxima charitate complector: verum eſt, in anima mea ſe ſalutaria quædam inſeruiſſe ſtudia, quibus ad virtutem impellor, & id nunc curo, quomodo illis me liberem vitiis, quorum adhuc mancipium ſum: attamen non audeo palam virtutem ſequi veritus, ne mundi exiſtimationem amittam. Sentio me intus ſtimulis agi, ut pietatem amplectar; tamen adhuc mea vincula traho, licet invitus; mundus enim, qui te amare non vult, non vult quoque a me te amari. Heu! ſi in uno me ſitum eſſet alterutram partem eligere, totum me tibi, Domine, devoverem; ſolus eſſes dominus cordis mei, & jam id facerem, quod hactenus non feci: ſed vides, quibus me probris, & contumeliis objiceret ſeceſſus ille, quem meditarer. Scis, mundum ſævum eſſe in eos, qui relinquunt illum, ut adhæreant tibi; & quoniam confitendum eſt, ſentio mihi nondum eſſe vim contemnendi mundum hunc, mihique adhuc eſſe imbecillitatem, qua obliviſcor tui, illi ſerviens. *P. Maſſillon, ſermone hujus argumenti.*

Reſpondetur dicentibus ſatis eſſe clam ſervire Deo. Scio, quid redditur: ſatis eſt, inquiunt, clam ſervire Deo, interius tradere illi cor ſuum; quid tot extrinſecus præbeantur ſigna; numquid opus eſt hac pompa ad convertendam animam, quæ ſecreto converſionem ſuam operari poteſt, quin mundus id ſciat? Numquid populo præbendum eſt ſpectaculum, ubi vanitas fortaſſe majorem ſibi partem, quam vera pietas vindicaret; & non ſatis eſt Deo tradere cor purum, & fidem non ſimulatam, quæ ſufficit illi? Peccator nonne poteſt bonum operari, ſervire Deo, ſua peccata deflere, exercere virtutem, quin homines id cognoſcant, quod ipſe clanculum agit? Nonne poteſt juſtus ex fide vivere, quin hoc mundus agnoſcat? *Idem.*

Quædam indulgentiæ haberi poſſunt ſine peccato. Scio, quaſdam eſſe urbanitates, quæ conſuetudini negari non poſſunt; tempori, locisque inſerviendum eſſe; cum mundo modum quemdam ſervandum eſſe; charitatem diverſas induere formas ad hominum oculos fallendos; oportere infirmum eſſe cum infirmis, fortem cum fortibus, omnibus omnia, ut inquit Apoſtolus, & aliquando non carere merito occulere bonum, quod fit. Verum ajo, hoc eſſe ſeipſum Deum inter, & mundum partiri; hoc eſſe, velle adhuc rationem habere mundi, quem odiſſe debemus, ſuam abſcondere converſionem, Deoque clam dumtaxat inſervire, & hoc ex dimidio tantum chriſtianum eſſe, pudore ſuffundi quod totus Dei ſis,

poſ-

poſtquam te minime puduit, totum fuiſſe mundi, ejuſque turpia flagitia tibi gloriæ vertiſſe. *Idem*.

Indignum eſt non audere palam pro Deo ſtare, qui ut pro nobis ſtaret tot fuit affectus contumeliis.

Ex quo Deus homo factus, factus quoque fuit inſipientum ludibrium; ex quo ſe ipſum ſexcentis objecit contumeliis propter amorem tui, licetne tibi clanculam eidem inſervire, & pro illo aliquid ferre! .... O homo! Quomodo ergo te ingratum eſſe non pudet, & non præbere omnia grati animi monumenta Deo tuo ob omnia beneficia, quibus te cumulavit, præſertim vero illud converſionis tuæ! Nondum dico; timorem hunc, quo palam te pro Deo ſtare non audes fateri, eſſe generoſo homine indignum. Si enim credis juſtitiæ partem prævalere, cur id diſſimulaſti, ubi illam amplexus fuiſti? Anima nata cum aliquo nobilitatis ſenſu ita ne diſſimulare novit? Si natus es non ſine optimis erga Deum affectibus, ſi te illi famulaturum promiſiſti, cur te abdis? Quamvis viveres adhuc calamitoſis illis ſæculis, quibus Chriſtiani tamquam monſtra habebantur non ferenda, & quibus nova ſubinde parabantur ſupplicia, quam pulchrum eſſet palam profiteri, quod tenes! Quam glorioſum eſſet tibi, etiam pro Dei cauſa mortem oppetere! Quam honeſtum id palam teſtari, & confiteri! Hic autem ubi nihil tibi metuendum eſt, niſi ad ſummum aliquot dicteria, te pudet, ut ita dicam, illum habere amicum, caput, patronum, dominumque. Tu qui in mundi negotiis tantam jactas vim, animæque magnitudinem, in religione abjectiſſimo quolibet e populo es imbecillior. *Idem*.

Nullus habere poteſt reſpectus humanus, niſi mundus diligatur.

Hoc affirmo, donec externam ſpeciem mundo tradideris, eique extrinſecus ſervieris, fieri non poſſe, ut illi tuam non impendas benevolentiam. Quid enim eſt mundum diligere? Nunne eſt religioſe placita illius ſequi, legibus ejus obtemperare, uſus revereri, conſuetudines ſervare? At quæſo nonne id agis, cum externam ſpeciem mundo tribuis? Servas igitur ſemper nexum, & neceſſitudinem quamdam cum mundo; quamvis clanculum videaris cor tuum Deo tribuere, & unum illum diligere. Adhuc amas ſæculi voluptates, qui nonniſi cum mœrore, ac triſtitia eas animo reputare deberes, quibus indulſiſti; eo nocentior es, quod geris adhuc catenas inimici, quem adhuc te odiſſe dicis, & cujus excuſſiſti jugum, ne amplius illi ſervires. Sed falleris, cum dicis, te ſecreto hunc mundum odiſſe: illum adhuc amas; niſi illum amares, te videremus contemnere, quidquid de te dicere poteſt; & maxima voluptas tua eſſet Deo exteriora amoris indicia tribuere: ſentires cor tuum ſuccenſere contra ea omnia, quæ tibi exhibet mundus, uſus illius tamquam virtutis impedimentum, non autem veluti ſtatus tui officia, reſpiceres. *Idem*.

Non metuenda ſunt hominum judicia pro malo; cur pro bono ſunt metuenda.

Cur in juſtitiæ viis id metuas, quod in viis iniquitatis non times? Nihili facis hæc mundi judicia, cum cupiditatibus tuis vis ſatisfacere: publicas non expaviſti cenſuras, ne peccares, eas vero times, ne agas pœnitentiam; nullum tibi faceſſere negotium voluiſti mundi æſtimationem, & approbationem cum de tuis agebatur voluptatibus, ejuſdem vero rationem habere vis cum de tua agitur ſalute! Dicebas, mundo os obſtrui non poſſe, ut aliquam invenires inter conſcientiæ tuæ ſtimulos, & dicteria, quæ in te jaciebantur, tranquillitatem; cur autem hoc ipſum in tua converſione non dicis? Num judicia illius facta ſunt tibi magis terribilia, vel putas mundum hunc æquiorem eſſe judicem, cum de gratia agitur, quam cum de peccato? Heu! ne Deo ſervias, te mundus tantum morari poteſt? Scelus quocumque elato volitet capite, virtus una prodire non audeat? *Idem*.

Ad rem eamdem veniamus. Quid de vobis dici poterit in mundo, quod vobis mœrorem afferre, ac in ſalutis via remorari poſſit? Inquient, vos mobiles, & inconſtantes eſſe, in virtutis caſtra transfugiendo; & populo ea præbere ſpectacula, quæ illum oblectant? Felix inconſtantia, quæ vos in Domini cultu figit, efficitque, ut iis adhæreatis bonis, quæ numquam ſunt peritura? Inquient, vos eſſe dementes? Sancta, & felix dementia, millies ſapientior ipſa ſæculi ſapientia; efficit enim, ut perituris bonis, & momentaneis voluptatibus æternam anteferatis hæreditatem, quam nemo vobis eripere poterit? Quid? inquient, vos non diu permanſuros in eo ſtatu, quem amplectimini? Utiles exprobrationes, quæ veſtrum excitare debent fervorem, & vigilantiam. Inquient, vos mundum relinquere hac tantum de cauſa, quia vos mundus relinquit? Pretioſa judicia, quæ certos vos faciunt non alire, ut tot alios, reverſuros eſſe in mundum, qui vos ultro recipere non vult. Vos in mundo, & inter amicos pro ridiculis habendos? Moleſtæ quidem, ſed jucundæ exprobrationes, quæ certos vos faciunt Deo acceptos futuros. Poſt converſionem veſtram nulli amplius utiles eſſe? Utilis contemptus, qui vos adigit, ut voſmet penitus divino cultui addicatis, quoniam poſthac mundo inutiles eſtis.... Hi ergo ſunt mundi ſermones, hæc judicia, hæ cenſuræ pietati veſtræ adeo terribiles. Hæc terribilis illa perplexitas, quæ prohibet, ne vos totos Dei cultui tradatis. Eheu cæcam imbecillitatem, ac lacrymis noſtris nimis dignam! Quid? virtus vobis non majorem conciliaret exiſtimationem ea, quam in ſcelere habetis? *Idem*.

Indignum eſt, quod humanus reſpectus prævaleat conſilio ſerviendi Deo.

In eorum, qui præ cæteris ſanctitatis laude floruerunt, vita pauca video, inquiet aliquis, quæ me deterrere poſſint; jejunium, ſolitudinem, ſilentii, & orationis amorem, pauperibus opem ferre, cupiditates impugnare, mihi videor haud ægre hæc omnia facturus, propter ſolum deſiderium acquirendæ amicitiæ Dei, ac memet morti præparandi. Admirabiles iſti ſenſus: ſed ſi hoc verum eſt, quid tibi adhuc negotium faceſſit? Quodnam tantum obſtaculum eſt, quod adeo præclaram animi diſpoſitionem inutilem valeat efficere? Heu! unus tantum tibi supereſt gradus, & jam ſanctitatem adeptus es; quid te retinere poteſt, cum jamjam in cor Dei ingreſſurus videris, cujus omnes aditus tibi patere videntur? Mundum vereor, ais. Mundus ita malignus eſt, ut vix cogitari poſſit, ſermones, & irriſiones illius nequeunt evitari; omnia vult interpretari, rebuſque omnibus virus adſpergere. Quid de me dicet, ſi repente aleam deſero, ſi ſocietates relinquo, ſi ſerio id ago, quod mihi faciendum eſſet, & quod facere vellem, ut placerem Deo? Modo tamquam hypocrita, modo tamquam imbecillus homo traducar; levitatis, inconſtantiæ, inſaniæque inſimulabor; centum afferuntur inanes hujus mutationis excuſationes, & ubicumque cognoſcor, fabula fiam; iis vero, qui me non cognoſcunt, digito oſtendar; altera hæc vita cum illa comparabitur, quam hactenus duxi: denique omnes loquentur de me, quin fortaſſe vel unus inveniatur, qui mihi ſe æquum judicem præbeat. Hiccine totus eſt timor tuus? Si bene novi, totus ad hominum ſermones redigitur. At fieri ne poteſt, hoc in mente tua par habere pondus cum omnibus argumentis utilitatis, juſtitiæ, gratitudinis, amoris, quæ te impellunt, ut Deo famuleris? *P. de la Colombiere, ſermone hujus argum.*

Quinam de noſtra converſione obloquantur.

Quinam tuam converſionem in lævam partem interpretabuntur? Protervi quidam homines, qui ſe nihil credere profitentur, vel nihil facere eorum, quæ credunt, hoc eſt ſtulti homines, qui communis etiam ſenſus expertes ſunt. Fierine poſſet, ut hominis judicio carentis judicium præferres tuo; & eorum, qui ſaniorem mundi partem conſtituunt? Quænam ignavia, ac turpido, S. Chryſoſtomus ait, quod fidelis per characterem ſuper Angelos evectus ultro ſe ſubjiciat hominibus, illis placere quærat, atque hac indignitate ſe parem præbeat gladiatoribus, comœdis, atque hiſtrionibus? De hypocritis loquitur, ſed potiori jure iſthæc exprobrari poſſunt timidis Chriſtianis, quos alloquor. Si enim illi corripiendi, quia bene operantur, ut hominibus placeant, quid dicendum de iſtis, qui ut placeant hominibus, bonum facere negligunt, & aliquando etiam malum operantur? *Idem*.

Perſeverantia in

Si initio improbaris, quia credunt, vel credere ſimulant, te vitæ rationem non immutaſſe, ut bonus

Bono obſtruit os illis, qui propoſitum noſtrum attendentes improbant.

fieres, ſed bonum factum eſſe, ut immutares, perſeverantia tua os illi facile obſtruet. Per aliquot dies verba fiunt, ut aſſolet, cum aliquid accidit novi, quamprimum ſiletur, & ſinitur quemque pro libidine ſua ducere vitam; ſed ſi in bono perrexeris, jam te mirari incipiunt, & virtus in honore habetur. Intelliges, hoc fere ſemper accidere, præſertim vero cum qui bonam amplectitur viam, vir eſt alioquin eximius, animi, aliiſque ſeu naturæ, ſeu fortunæ bonis commendatus, cum non relinquit mundum, eo quod in eo ſe floſere deſperet, neque dici poteſt malis ſuis adigi ad pietatem, ne quid deterius contingat. *Idem.*

Si quocumque pretio evitare vis cenſuram, & irriſiones hominum, ſexcenta erunt eſſentialia officia neceſſario nobis prætermittenda. Detrectare in ſanctis locis miſcere verba, maledicis, & detractoribus ſilentium indicere, poſtquam oblocutus fueris, palinodiam canere, juramenta, & ſermones parum pudicos damnare, teſtari ſaltem ſilentio, vel oris habitu ſcandalum tibi injectum fuiſſe, inimicum conquirere, ut ad veram illum adigas reconciliationem, hæc omnia ſunt officia, quæ evitari non poſſunt. Si vis fideliter, atque conſtanter hæc obire omnia, jam habebeis devotus homo, vel imbecillus, quod nullo pacto pati potes. Ergo quotieſcumque ſimiles adeiunt tibi occaſiones, tentaberis, ut divina mandata contemnas, & niſi extraordinaria tibi opituletur gratia, cedes tentationi, ages ſecundum principium tuum, & Deum contemnere, quam ab hominibus males contemni. *Idem.*

Noſtrum contra humanum reſpectum confirmare debemus.

Si me damnat mundus, Chriſtiani videlicet, qui in mundi flagitiis vivunt, bonorum, omniumque eorum, qui rationis vim habent, conſenſu laudabor. Damnabit me mundus; ſed omnes Sancti, Angelique omnes, & Deus ipſe me ſua dignabitur approbatione, & amore. At quis mihi dixit, fore, ut mundus me damnet? Fortaſſe ne ſentiet quidem mutationem meam, & licet hodie aliquid damnandum eſſe crederet, adveniet dies, qua coram univerſo terrarum orbe æquitatem ſe mihi præbebit judicem, ſuamque improbabit inſaniam, eo quod me inſipientiæ inſimulaverit. Statim quidem me damnabit; ſed conſtantia mea efficiet, ut aliter loquantur, qui de me fuerint oblocuti, & fortaſſe etiam efficiet, ut & ipſi vitæ rationem immutent. Denique, ut omnia peſſime cadent, id mihi metuendum eſt, ne mundus novam vitæ meæ rationem irrideat. O Deus, ira tua, quam longe terribilior eſt omnibus irriſionibus ejus! Vitæ meæ reformatos mores irridebunt; ſed longe aliter dæmones inſanam verecundiam meam cachinnis exciperent. Impii me vertent in ludibrium, at Deus irriſiones eorum ulciſcetur, & ipſi viciſſim, ſed longe crudelius, ſubſannabuntur: *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Domine, confirma nos contra adeo imbelles inimicos; ne permittas inani metu irrita fieri omnia bona deſideria noſtra, omneſque tuas gratias. *Idem.*

Humanus reſpectus meliora ſuffocat conſilia.

Quot homines divinitus afflati magis frugem vitam ducere incœpiſſent, immo vitam ſanctam, reformatamque libenter amplexati fuiſſent, niſi timor ſermonum, & judiciorum mundi adeo ſancta conſilia ſuffocaſſet, niſi neſcio quis maleſanus pudor eos deterruiſſet? Facile ſibimet jucundiſſimas interdixiſſent voluptates; non horrebant amplius pœnitentiæ auſteritates; immo neſcio quid illecebrarum inveniebatur vivendo, ut Sancti vivunt, & propter Deum aliquid heroicum aggrediendo. Sed quænam erit hominum mens, niſi me cœtibus intereſſe viderint: ſi repente me ſimplici veſte, externoque habitu corporis ad modeſtiam compoſito viderint incedentem? Si me Xenodochia, pauperumque domos inviſere conſpexerint; ſi adeo frequens ad exomologeſin, ſacramque ſynaxin acceſſero, uti Deo jucundum fore intelligo, quid de me mundus non dicet? Munde impie, & infelix! Numquamne JESU CHRISTO bellum inferre ceſſabis? Fruſtra igitur ille de te ſemper victoriam retulit, teque rubore ſuffudit ſua doctrina, & exemplis? *Idem in chriſtianis conſiderationibus.*

Chriſtiani graviſſimi nunc eſſe, gloriæ ſuæ perſecutores.

Externæ perſecutiones, tyrannorumque ſævitia eccleſiam non labefactavit, ſed confirmavit. Chriſtiani chriſtianam fidem ſibi gloriæ vertebant, dum Ethnici illos probris afficiebant, exuebant bonis, eoſque exquiſitiſſimis cruciatibus torquebant; acerbiſſimæ eorum irriſiones, ſæviſſimæque minæ conſtantiam eorum nequaquam concutiebant. Sed cum Chriſtiani ipſi Chriſtianorum facti ſunt perſecutores, & JESU CHRISTI regnum divitum eſt, eorum ceditur artibus, cumque malum inde proficiſcatur, unde expectanda erat medicina, certa imminet ruina. Non miror, quod Judæis ſcandalo fuerit crux JESU CHRISTI, atque Ethnici ſtultitiæ inſimulaverint ſacroſancta religionis noſtræ myſteria, ac turpe cenſuerint illum pro Deo habere, qui inter cruciatus animam efflaſſet; at intelligere nequeo, quomodo mortales pudeat ſervire illi, quem palam Deum eſſe fatentur. Hodierna die cum Domini noſtri divinitas in terris omnibus conſtituta ſit, crux ſacta ſit publici cultus objectum, & Reges illam coronis ſuis inſeruiſſe glorientur, & nemini pudorem nomen Chriſtiani ſuffundat, ægre intelligi id poteſt, quod aliquis ob Chriſtianas virtutes, & officia erubeſcat; quamobrem dicere oportet, humanum reſpectum ſæviorem religioni perſecutionem inferre, quam tyrannos, qui præ cæteris ad interitum illius conſpirarunt, quoniam ille magis, quam iſti, Chriſtianos abſterret, ne ſuis perfungantur officiis. *Idem.*

Hypocritarum, & eorum, qui humanis aguntur reſpectibus comparatio.

Si hypocritæ probro digni ſunt, quia bene agunt dumtaxat, ut inanem aucupentur gloriolam, quid de illis dicendum, qui eamdem ob cauſam aliquando & bonum prætermittunt, & malum operantur? Illi malunt hominibus placere, quam Deo, iſti vero malunt diſplicere Deo, quam hominibus non placere. Qua in re primi hoc ſaltem boni habent, quod ut bonis placeant, operantur; hi vero a nefariis probari quærunt, quorum laudes vera ſunt probra; ideoque omnia ſubituri ſunt hypocritarum maledicta, ac præterea longe gravius ſupplicium. *Idem.*

In humano reſpectu non deeſt contradictio.

Magna opus eſt fide, ut crucifixus homo Deus eſſe credatur; ſed hoc poſito, quod credatur, quod adoretur, & adoretur ab omnibus, non video, cur turpe exiſtimandum ſit illi ſervire. Conciliate hæc duo ſimul, ſi fieri poteſt, gloriari, quod Chriſtiani eſtis, & erubeſcere, quod boni eſtis Chriſtiani; hoc idem eſt, ac ſi quisglorioſum duceret militem eſſe, turpe vero ſtrenuum, & generoſum eſſe militem. Quiſnam Princeps credidit umquam ſibi glorioſius eſſe Regem eſſe, quam magnum eſſe Regem? Vos autem gloriamini JESUM CHRISTUM Regem eſſe veſtrum, & illi ſervire vos pudet. Si qua gloria eſt illi ſervire, quis non videt gloriæ cumulum eſſe, eidem ſummo ſtudio, & fervore famulari? *Idem.*

Humanus reſpectus prohibet, ne bene agamus.

Quot peccatores fortaſſe fuiſſent converſi, niſi inſana, & ridicula verecundia irrita prorſus feciſſet bona deſideria, quæ Deus illis ſæpe immiſit? Quot tepidos imperfectoſque Chriſtianos in molli, languidaque vita tenet inanis mundi timor, & pavor ſermonum, & judiciorum mundi? Contra mundum hunc opus fuit, ut Spiritus ſanctus viſibili ſpecie in cœnaculum dilaberetur confirmaturus Apoſtolos contra inimicum adeo ſimul & infirmum, & periculoſum .... Mali bonorum non timent judicia; quare boni malorum iniquas cenſuras expaveſcunt? Vis Deum cum mundo conciliari, Deus vero te mundi judicem conſtituere volebat; ex ore tuo illius damnationem volebat elicere, illum pedibus tuis ſubmittere, ac te ſupra omnes illius poteſtates ſtatuere; tu vero ita ignavus es, ut te illi ſubmittas, & adeo inſipiens, ut velis Deum ipſum ſeſe illius tyrannidi ſubjicere. Quænam rerum inverſio! quæ indignitas! quod malum!... Deus ſæpe hos ipſos humanos reſpectus punit per eadem mala, quorum illi nobis terrorem incutiunt. Permittet Deus, ut mulier, quæ devota cupit haberi,

tam-

tamquam profligatæ, perdiſſequæ pudicitiæ habeatur; permittet, ut turpe aliquod malum, gravis quædam contumelia rubore ſuffundat hominem, quem pudet videri Chriſtianum. *Idem*.

Vanitas judicii homi num.

Si ſcire cupis, quid ſit humanus reſpectus, huic applicare potes verba, quæ de Idolis loquit S. Paulus: *Quia nihil eſt*. Honeſtum illud, quod quæris, judicium, opinio bona, quam cupis, mera vanitas eſt. Verum eſt, ſi hæc opinio ſeſe in univerſum terrarum orbem poſſet effundere, ſi in omnium mentibus haud hæſitanter locum haberet, ſi poſt mortem ſubſiſtere poſſet, quantumvis illa inanis, fragiliſque ſit, attamen partem curarum, noſtræque æſtimationis penſaret; ſed cum ſit fragilis, incerta, fallax, qualem eſſe novimus, *nihil eſt*. Si magnam de illa concipimus ideam, hoc ex mentis noſtræ infirmitate procedit. Aperiamus oculos, eos longius circumferamus, & videamus, quid illa ſit in mentibus aliorum. Cogniti eſtis, o principes mundi; ſed ubi? hic, & alibi longe plurimis eſtis ignoti. In pretio eſtis, ſed apud quos? apud amicos, apud exiguam mortalium manum; ſed quot illi ſunt, qui ſumptibus veſtris creſcere admituntur? Quot ſunt, qui id ignorant? quot tamquam contemptus objectum reſpiciunt id, quod vos præ cæteris maximi faciendum putatis; quot nullo habent in diſcrimine, quod ipſi tanto ſtudio conquiritis; quot improbant, quod vos pares exiſtimatis tot admiratorum oculis alliciendis? *Ex ſermonibus, qui Patri Rugo accepti referuntur ſermone hujus argumenti*.

Indignum eſt mundi favorem, & approba tionem conſectari.

Quid? aucupari mundi favorem, qui pro libidine mutabitur, quin cordis mei ſtatum conſulat, & contemnere æſtimationem Dei, quæ non mutabitur, niſi quando ipſe mutabor? Quid? velle placere mundo, qui me eo magis contemnet, quo minus religioſe meam illi prodam conſcientiam, & negligam placere Deo, qui mihi benefacit, qui prohibet ne peream, idque propter amorem mundi, qui me odiſſe decrevit? qui optimas actiones meas in pravum poteſt ſenſum detorquere, qui præſto eſt, ut ingrati animi vitium ad calumniam uſque, & contumeliam proferat. Hoc tamen mundi ingenium eſt, hic ſermo. Animo repete, quid dicat David loquens de idolorum ſtupiditate: *Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt. Manus habent, & non palpabunt*. Pſalm. 113. Hæc quidem idolorum ſtupiditas eſt, ſed hæc etiam mundi affectio eſt erga amicos, & cultores ſuos. Oculos habet, non autem ut videat, quid pro ſe fiat; aures habet, ſed non ut audiat elogia, quibus extollitur. Quænam pro illo feciſti, atque dixiſti, quæ neque videre, neque audire viſus eſt? Cum illius æſtimationem aucupatus es, quot curæ in irritum abierunt, quot evanuerunt verba, quot bona diſſipata ſunt, quot affectationes, ſollicitudines, conſilia inutilia fuerunt! Hæc omnia tibi nihil profuerunt; credebas illum oculos habere, quibus intueretur ſtudia, conatus, curaſque tuas, ille vero harum rerum nullam habuit rationem, arbitratus eſt, hæc omnia ex amore proprio profecta, te tibi obſequi, tuamque rem perquirere; ideoque illa nequaquam accenſet ſuis erga te obligationibus. *Idem*.

Pudet, cum noſtra erga Deum obeunda ſunt officia, criminum vero, & iniſ deliciarum non pudet.

Non ſentimus humani reſpectus catenas, cum a malo quis nos avertere cupit; at eas nos ſentimus, cum bono animum debemus appellere. Non pateris viros bonos, qui te conantur a tuis vitiis avellere, & aurem præbes ſectatoribus mundi te a virtute deterrere conantibus. Non erubeſcis, cum videri debes mundi affecla, & erubeſcis, cum te mundi inimicum debes profiteri. Erubeſcis, cum munera tua tibi ſunt obeunda, & non erubeſcis, cum obſequentem, libido, amor te ab illis avertunt. Exiſtimationis tuæ curam habes cum illis, qui tibi bonum ſuadent, eam vero negligis cum illis, qui te ad malum impellunt. Verum eſto; quantum tibi libitum fuerit, judiciorum mundi mancipium, dummodo verearis judicium conſcientiæ tuæ, ad quam te provoco. *Idem*.

Chriſtianus generoſus eſſe debet mundi contemptor.

Æque generoſi eſſe debemus mundi contemptores ac mundus audax eſt, ut nos ipſos contemnat. Ita eſt; prima Chriſtiani virtus eſt ſuperbia, quæ illi hunc ſuadet contemptum, non quidem Pharisæi, aut Philoſophi ambitione, ſed vi quadam heroica, ſanctaque obduratione. Intellige quod dico, & ſuavitatem ſtatus hujus, in quo viri boni conſcientiæ ſuæ teſtimonio roborati pro nihilo habent ignominiam, honorem, calumniam, laudem aliorum non quidem per ſimulationem, fictamque ſpeciem, ſed ex officio, & quia vim inferant ſibi, qui dicunt ſe nihil vereri, non ut oculos perſtringant, ſed ut cor in bono confirment. Veri Chriſtiani munera obeundo nihil vereor; hoc certum mihi ſtat; in hoc vivam, atque perſiſtam: ita generoſus loquitur Chriſtianus. *Idem*.

Reſpectus humanus chriſtianæ libertati eſt oppoſitus.

Intellige felicitatem Chriſtiani, qui ab omni ſervitute liber eſt, qui nobili ſuperbia mundum contemnit coram illis, qui ſuarum, & ſæpe alienarum etiam cupiditatum, ac opinionis mancipia ſemper in mœrore vivunt, nihil auſi facere, vel aggredi inconſultis oculis aliorum. Vah ignavam obſequentiam; tu potes in hominis mentem cadere? Judex non audet juſtum proferre judicium; timet enim, ne lata ſententia dolorem afferat alicui, quem meruit. Matrona hæc familiam ſuam bene inſtituere non audebit, ne devota habeatur: adoleſcens ille conſcientiæ ſuæ aculeis diſcerptus bonum videt, & vellet, ſed mundi metus prohibet, ne quod vellet, exerceat: timet amicos, inimicos, ipſos etiam ſervos, & domeſticos timet. Indignam humana libertate miſeriam, & longe chriſtiana libertate indigniorem! Chriſtiane, Tertullianus ait, hominem times tu, qui in nomine tuo geris, unde univerſæ terræ formidabilem te efficias; times peccatorem tu, qui in univerſi terrarum orbis judicio partem es habiturus? Oſtende morum tuorum ſanctitate, ſanctaque audacia eam auctoritatem, quam tibi præclarum hoc tribuit nomen. *Idem*.

Qui negant ſe bonam operam ne hominibus diſpliceant, hi coram tyrannis fidem ſuam non tuerentur.

Virtutem deſeris, ut peccatum ſequaris ob timorem judiciorum mundi. Hoccine conſilium caperes, ſi tyranni tormentis fidei tuæ periculum facerent, quemadmodum peccatores humano reſpectu morum ſuorum faciunt periculum! Heu! quot Chriſtianiſmi puritatem ſe habere gloriantur, quin præſto eſſe videantur ad effundendum ſanguinem, quo profeſſionem ſuam ſignent! Ignavi, cæcique Chriſtiani, S. Cyprianus exclamat, quid ipſi ad ſuppliciorum conſpectum faceretis, qui Deum ob minimam irriſionem relinquitis? Dicitis tamen, vos habere fidem nullis tyrannorum, carnificumque cruciatibus labefactandam. Quam parum credo fortitudini, quæ extra periculum eſt! Quomodonam JESU CHRISTO redderis honorem, quem debetis illi, vos, qui nulla habita ratione teſtimonii ſapientum, conſcientiæ veſtræ, Deique ipſius, illum quotidie inter amicos, conſanguineos, famulos negatis, & dedecore afficitis? Quod ſcelus! JESUM CHRISTUM per fidem confiteri, eumque per vitæ flagitia negare! Nullo pudore coram tyrannis ſuffunderemini, dicitis; & coram amicis, familiaque veſtra ſuffundimini? *Idem*.

Stultum eſt pudore ſuffundi quod Chriſtianus videare.

Ut te Chriſtianum eſſe, & videri pudeat, tibi perſuaſum eſſe debet, vel cauſam hanc a ratione abhorrere, vel turpe eſſe, eam cauſam, quæ ratione probatur, tueri. Nemo ita cæcus eſt, qui non videat, non dico quidem, nil æquius, & juſtius eſſe, quam chriſtianam vitam ducere, ſed ſtultum eſſe hoc non facere; ut igitur te Chriſtianum eſſe pudeat, pudere te decet, quod ſtultus non ſis .... Quantumvis corrupti ſint hujus temporis fideles, ſatis honeſti ſunt, ut ſinant, quemlibet pro libidine vitam traducere, & illum, quem Chriſtianum eſſe pudet, eo majori cum injuria pudet, quia in uno ipſo poſitum eſt Chriſtianum eſſe, quin aliquis adverſetur .... Ex omnibus affectionibus, quas Chriſtiani fovent, religionis,

gionis amor ille eſt, cujus eos pudet magis, quia omnium eſt infirmiſſimus. Si illi, cum quibus conſoeviſti, ſatis liberi ſunt, ut damnent amorem, quo tuæ adhæres religioni, quis prohibet, ne æque liber ſis, ac illi, ut hunc amorem tuearis? Si familiaritas illis præbet locum dicendi, te injuria Chriſti fidem profiteri, eadem amicitia nonne tibi locum præbere debet dicendi, ipſos injuria adeo parum Chriſtianos eſſe? *Abbas de Villiers, libro cui titulus: Errores hominum in viis ſalutis.*

Turpe non eſt Jeſu Chriſto ſervire.

Honori nobis vertimus principibus obſequi viris: noviſſimus inter famulos, ex quo principis gerit inſigne, ſuperbit; neque honori nobis vertimus, immo nos pudet JESU CHRISTO famulari. Numquid aliquid abjectum, ac turpe eſt in hominis Dei perſona? Aliquidne eſt, propter quod nobis erubeſcendum ſit, quod illi ſerviamus? Non pudet mundanos ſequi palam mundum, mundum hunc a Deo reprobatum, & Chriſtianos JESU CHRISTO adhærere pudeat. Non pudet aliorem, & impium eſſe; & pudeat pium eſſe, ac probum. Flagitioſiſſimus quiſque turpiſſima facta ſibi honori vertit; & Chriſtiani pudore ſuffundentur propter ſanctiſſimas, & glorioſiſſimas actiones. Heu, quoties audacter, elatoque capite infamia, vel ſaltem ſuſpecta loca adiſtis? ac turpe ducitis, ſi in receſſu, ſi ad aras, vel ad pœnitentiæ tribunal videamini. Hæc humilitas non eſt, ſed ignavia. *P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus tom. 1.*

Dei magis quam hominum judicia metuenda ſunt.

Si quid boni facio, loquitur aliquis, ſi modeſtum corporis habitum præ me fero, ſi paulo magis a mundo recedo, mundus me irridebit, improbabit, & fortaſſe damnabit. Utrum magis optandum eſt a Deo, an ab hominibus approbari? Utrum magis metuendum eſt a Deo, an ab hominibus reprobari? Niſi me approbant homines, eorum judicium a me eſt contemnendum, & nil ultra mihi poſſunt efficere: at ſi Deus non approbat me, ſi me damnat, jam reprobus ſum; hujus autem reprobationis quiſnam terminus eſt, niſi æternus interitus? Attamen timeo, ne ab hominibus improber, nec timeo, ne reprober a Deo; quæ cæcitas! quæ dementia! *Idem.*

Contradictio eſt chriſtianam ſe religionem profiteri & non ejus actiones operari.

Fateris Jeſum Chriſtum eſſe Dominum, & Deum tuum, idque tibi gloriæ ducis; at te pudet fateri ſervum ejus eſſe, atque diſcipulum? Numquid iniquius agi poteſt? Te Chriſtianum eſſe profiteris, & te pudet bonum videri Chriſtianum: ubi ratio tua eſt? Putas tibi glorioſum eſſe præclaro hoc nomine nuncupari, ac erubeſcis, ſi palam Chriſtiani munera implere videaris? Quæ ſtultitia! Credere in JESUM CHRISTUM, & ob illius Evangelium pudore ſuffundi: legem illius in pretio habere, & turpe ducere adimplere illam; doctrinam ejus profiteri, & ad exempla illius erubeſcere: Chriſtiani quidem fidem, Ethnici autem vitam habere, hoc ſane eſt veritatem in injuſtitia detinere. *Idem tom. 2.*

Humanus reſpectus excuſari non poteſt.

Fruſtra peccatores noxios metus ſuos excuſare conantur. Eorum obſequentia cæca indulgentia eſt, mollis ignavia, non probanda inertia, vera turpitudo, conſuetudo eo magis indecora, quo fortius invaluit: agitur enim de cohibendo torrente, qui pleroſque fidelium rapit in præceps.... Humanus reſpectus omnes fere hominum conditiones ſeduxit: qui principibus obſequitur, eorum cupiditatibus adblanditur, ne eorum in ſe odia convertant: divites ultro citroque ſe ipſos habere geſtiunt in pretio, & cupiditas exiſtimationis hujus invicem fovendæ efficit, ut dimidium divitum alteri dimidio illud offerat thus, quod uni debetur Deo. Qui pollet ingenio, mavult inanes excogitare cauſas, quibus humanum excuſet reſpectum, cum magno eorum numero, a quo probatur, quam fere ſolum vacare, ut ſolidæ rationes, quibus damnatur, prævaleant. Ingenium facile ſuum eſſe putat, ſeſe dedere iis omnibus, quæ cor ſuum aliis permittere ipſum cogit.... Humanus reſpectus in ipſa etiam, quæ ſanctiſſima habentur, cœnobia irrepit; ibi nemo quidem inſignia committere vellet flagitia, ſed neque ſanctitatem perſequi auderet, ne locum præberet eorum, quorum fervor minus ardens, & levior lingua irriſionibus. *P. Langlois in præfatione tractatus de humano reſpectu.*

Ad protervorum hominum irriſiones evitandas quid mali fiat.

Peccatur ad protervorum hominum irriſionem evitandam ſe ipſum inſaniſſimis captivat cupiditatibus. Ne hoc probrum ſuſtineat: *Devotus homo er, neſcis oblectari*, aleæ ſubjicit, quidquid ſibi ad victum eſt neceſſarium; crederet ſe a menſa conſurgere tamquam honeſtum virum non poſſe, niſi aſſurgat igne ex liquorum varietate in ſinu ſuccenſo, tenebriſque ex immodica crapula, nimiaque compotatione menti offuſis. Supplicium putaret privatim domi ſuæ bibere, & comedere, quod compotatores ſui illam abſumere jubent; ſed reipſa abſumit; neque enim ſatis roboris habet, ut tandem cum virtute dicat, ſatis eſt; cum vitio ſentit detrimentum, nec meminit, ne perfecta valetudine cum ratione fruatur. Ut ſortis, & ſtreanus habeatur ab amicis aliquot, cum quocumque jurgia miſcet, maxime innocuas feſtivitates ſuis perturbat clamoribus, atque cum quovis mortalium genere rixas ſerit, & contentiones. Apud flagitioſos mundum neſcit, qui ſermones ſuos non coinquinat iis locutionibus, quæ lupanaris, ſornice ſque impuriſſimos redolent, & qui non evomit blaſphemias, quarum improbitas honeſtis auribus horrorem adfert. Magis ridiculæ ineptiæ præclara ſunt facta, quæ jactantur; atque ita de mentis ſanitate dejectus ſis, oportet, ut obliviſcaris; impudice factum, de quo gloriaris, quin illud feceris, dictum acute, vel potius obſcæne, quod falſo a te prolatum gloriaris, ſæpe funeſtos exitus habere. *Idem.*

Palam pro Deo ſtare debemus.

Humanus reſpectus, ac ſubmiſſio, quam ab illis exigimus, qui pendent a nobis, docet quomodo palam Dei cauſam tueri debeamus. Homo famulos ſuos jugiter circum ſe ſtare jubet; nudato capite, corporis habitu ad reverentiam compoſito, inſigne ſuum deferentes, ad abjectiſſima quælibet munera obeunda paratos euſque, ut curam gerant brutorum, quæ aliquam domino adferant oblectationem; quod niſi fiat, ſervus habetur tamquam miſer indignus pane, quo veſcitur, & contumelioſis ejicitur verbis: attamen parum diſcriminis tandem intereſt inter duos homines, quorum alter famulus eſt, & alter dominus. Quomodo ergo a Domino habendus eſt ſervus domi ſuæ, quem illi ſervitutem præſtare pudet? *Idem.*

Si expoſceret Deus, ut pro ipſo pugnaremus dirutam muri partem pectore, ferroque protegentes, atque nolmet hoſtilibus telis objicientes, necnon periculoſa navigatione ab una ad alteram terrarum orbis extremam plagam proficiſcentes, bona illi noſtra ſacrificantes, & acerbiſſimos dolores ſuſtinentes, hoc ſubmiſſo animo faciendum eſſet, immo adnitendum etiam, ut æquo, hilarique fieret. Quid enim prætexere poſſumus id negantes, quod petit, neque coram hominibus audentes ſervos ejuſdem videri? Num virtutis pudere nos decet? Acute dictum a mundano prolatum ratio eſſe debet, ut veritatis inimici ſiamus? Numquid propter JESU CHRISTI crucem erubeſcendum eſt? Quaenam in re noſtrum chriſtianiſmum ſtatuimus, niſi eo uſque proceſſerit, ut ſaltem nos JESU CHRISTI ſervos eſſe profiteamur? Id nonnumquam non ſine labore fit, verum eſt; ſed ſi hunc laborem detrectas, ſervus Dei non es, & niſi generoſe peccatoris irriſiones ſuſtineas, Domini contemptus, & indignatio tibi eſt ſuſtinenda. *Idem.*

Indignum eſt propter Dei ſervitutem erubeſcere.

Humane reſpectus, quanta eſt tua in mundo potentia! Quot adhuc fideles perdis? Non pudet militem in aciem deſcendere, hoc illius eſt officium. Non detrectat nauta mediis in fluctibus ſemper agitari, hæc illius ars eſt. Aulicus ſibi turpe non ducit pendere a Principis voluntate, hoc illius munus eſt. Quin immo diverſæ hujuſmodi perſonæ merito ſibi vertant id facere: gloria militis in bellica virtute ſita eſt, nautæ exiſtimatio a rei nauticæ ſcientia pendet, & aulici honor in ipſius obedientia conſiſtit. Chriſtiani ſolum infamiæ notam ſibi inuri putant, ſi actionibus ſuis JESUM CHRI-

STUM

Digitized by Google

STUM confiteantur. Scio, ſodalitatem hanc mihi lapſus eſſe occaſionem; ſed quid de me dicent, ſi ea perfregero vincula, quæ me illi vinctum tenent? Scio, me in hoc gradu, quod ambitionis opus eſt, damnari, ſed quid de me dicent, ſi me eodem abdicavero? Scio, mores meos æquo liberiores eſſe, ſed quid de me dicent, ſi majorem præ me verecundiam, ac modeſtiam tulero? Scio meum vivendi genus parum eſſe Evangelio conforme, ſed quid dicent de me, ſi ea reliquero, quæ placere poſſunt. *Auctor actionum chriſtianarum, ſermone de S. Martha.*

Ni facili non ſemper boni contemnunt, nec ſemper mundus illos perſequitur.

Ne te ipſum fallas; non unius generis ſunt perſecutiones; mundi contemptus nec minus periculoſus, nec minus metuendus eſt, quam ejus illecebræ; cenſuræque illius non ſemper ille ſcopulus eſt, quem virtus debet metuere. Hic mundus quantumvis corruptus ſit, ſcit adhuc virtutem colere, & vereri; ſuarum pertæſus nugarum nonnumquam apud virtutis amatores quærit perfugium. Et ſane mendacium, & iniquitas non adeo prævaluerunt in filios hominum, ut non ſuperſit adhuc aliqua veritatis ſcintilla, quæ efficit, ut aliquot ſecta ferant judicia. Peccatores adhuc in ſeipſis quædam ſecreta lumina inveniunt, quæ efficiunt, ut illi quamvis in tenebris ſuis verſentur, habeant in pretio, quod per cordis ſui corruptionem amare non poſſunt. Virtus in juſtorum fronte quoſdam imprimit characteres, quos non venerari non poſſumus; quidam in illis elucet religionis ſpiritus, & auctoritas in exemplis eorum, quæ inter mundi tenebras adhuc virtutis majeſtatem tuetur: in juſto nitent adhuc, ut olim in facie Moyſis quædam fulgoris, & majeſtatis indicia, coram quibus idolorum cultores præ reverentia tenentur oculorum aciem dimittere. Quo magis peccator virtuti fidem abrogare conatur, eo magis cogitur vereri juſtum, qui judicia illius novit aſpernari; quo magis corruptionis vis mundi aſſeclas trahit, eo magis virtus, quæ inconcuſſam videt, eum docet, nihil æquare vim illam, quam virtus exercenti ſe tribuit .... Sed mundus non ſolum reveretur virtutem, eam etiam iis cumulat laudibus, quæ invidia ipſius dignæ ſunt, beatos appellat illam amantes: hos ſuſpicit, hos colit. Credis fortaſſe, illuſionem ſemper vigere, & peccatores ſemper contra juſtos ſevera ferre judicia? falletis, ac ipſe rei veritatem cognoſces, ſi cogitaveris illos inter ſuas voluptates, inſanoſque labores ſubinde non ſine mœrore, ac triſtitia deplorabilem ſtatum ſuum intueri.... Heu! cur, animæ juſtæ, timebitis, ne videamini JESU CHRISTO ſervire coram peccatoribus, qui vobis ſimiles eſſe deſiderant, ſtatim ac vos illis ſimiles eſſe ceſſatis? Fortaſſe vos illi contemnunt propter id, quod vos illis placere putatis. *P. Maſſillon ſermone de humano reſpectu.*

Rubor confitendi J. C. eſt graviſſima perſecutio quam paſſa fuerit Eccleſia.

Videns dæmon ſe nihil profeciſſe perſequentem eccleſiam in capite ipſius per Judæorum ſævitiam, & in membris ejus per tyrannorum rabiem, novas excogitavit artes, & quemadmodum pollet ingenio ad interitum ejus, credidit, ut voti ſummam conſequeretur, ſatius fore, ſi fidelium ſanguinem intus, quam extrinſecus per ſupplicium, & martyrium effunderet: *Maluit ſuffundere, homines ſanguinem, quam effundere.* Hic eccleſiæ ſtatus eſt poſt omnes perſecutiones, ſed poſtrema hæc perſecutio illi cæterarum longe fuit funeſtiſſima. Quamobrem noſtra nunc maxime intereſt hodierna die adniti, ut evertamus timorem hunc infirmum, ignavum, turpem, & chriſtiano nomine indignum, qui inter fideles regnat; qui ne verbum quidem proferunt, cum chriſtianiſmus vel in capitis ſui, vel in membrorum perſona appetitur: *Nemo palam loquitur propter metum*, cum Dei cauſa propugnanda eſt, cum vitium eſt corripiendum, & cum virtutis partes palam ſunt amplectendæ. *P. Bourdaloue in ſermonibus ſub ipſius nomine editis, ſermone pro feria 3. poſt Dominicam 5.*

Dei partes palam amplecti contra humanum reſpectum ſpecies eſt martyrii.

Illis, qui generoſi ſunt, ac ſtrenue Dei cauſam tuentur, magna ſperanda ſunt bona, ſed e contra tepidis, ignavis, timidiſque pro tuenda fidei, & religionis cauſa loqui metuentibus, plurima ſunt timenda ſupplicia. Videtur non eſſe amplius martyrum tempus, neque ferenda amplius eſſe tormenta, ut fidem probemus, & palam religionem noſtram profiteamur. Verum eſt, nullos amplius martyres eſſe, qui ſuum effundant ſanguinem; at ſi generoſus es, non deeſt aliud martyrii genus, cui temet objicere debeas, temet opponens fortiter illis, qui eccleſiam proſcindunt, qui dogmatum ejus puritatem violant, qui eam vel in capite, vel in membris ipſius perſequuntur. Hæc fortitudo, hæc promptitudo ad ſuſtinendos cruciatus pro Dei gloria, omnia id ſe complectitur præmia, aliis beatitudinibus adhærentia. Cum pro peccato ferendum eſt, turpis eſt tolerantia, ſed glorioſa, cum pro juſtitia ferendum eſt. *Idem.*

Inde S. Paulus 1. ad Corinth. 4. cauſam arripiebat hominum judicia contemnendi. *Mihi pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Mea nihil, vel certe parvi refert a vobis judicari; quodcumque de me ſentiatis, nec doleo, nec gaudeo; & ſeu ſenſus veſtri glorioſi mihi ſint, ſeu contumelioſi, illos æque contemno. Vel me laudibus proſequamini, vel probro afficiatis, certus ſum, non ideo majus, vel minus eſſe meritum meum: verba veſtra illud neque augere poſſunt, neque minuere; & quemadmodum elogia veſtra nullum in nobis meritum vel ſupponunt, vel gignunt, ita invectivæ, & exprobrationes veſtræ nullum meritis noſtris afferre poſſunt detrimentum, aut imminutionem. Deo noſtro communi judici unice placere quæro; illius æſtimatio vera eſt meriti noſtri regula, & fons veræ gloriæ noſtræ. *Mihi pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Ex orationibus Gallicæ Academiæ oblatis anno 1675.

Reſpectus humanus magnum pœnitentiæ & converſionis obſtaculum.

Mundus de rebus omnibus loquitur, & moralites fieri nequit, quod ob oculos ejus aliqua niteat converſio, quin de eadem loqui velit. Hi autem mundi ſermones metuendi ſunt, non quidem per ſe, aut in ſe; ſi enim rem ſerio conſideremus, quid intereſt noſtra, quid de nobis mundus dicat, aut cogitet? Sed ex illo nobis quoddam veluti phantaſma, & terriculamentum effingimus. Præclara quidem cepiſti conſilia; tibimet propoſuiſti, vel ab animæ tuæ rectore cepiſti ſanctiſſimas vitæ inſtituendæ regulas, Quibuſdam momentis, quibus te apprehendit, inflammavit, ſupra te ipſum extulit gratia, mundum contempſiſti, atque ſexcentis illum maledictis percuſſiſti; illum in certamen provocaſti, ut olim S. Paulus, & cum hoc Apoſtolo exclamaſti: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti*, ad Rom. 8. Sed opus non eſt, auditores, creata omnia contra vos fœdus inire. Unica vox ſæpe ſatis eſt ad omne pœnitentiæ veſtræ ſyſtema evertendum, omniaque conſilia veſtra perturbanda. Dico aliquid amplius: Quin mundus loquatur, ſatis eſt illum oculos ſuos figere in vos, ac vitæ veſtræ teſtem eſſe. Ulterius progredior, & quin mundus vos videat, ſatis eſt, illum videre vos poſſe. Occupatur quidquid ille cogitare poteſt: illi ea obtruditur cogitatio, quam fortaſſe numquam concepiſſet, ac inducitur dicens, quod fortaſſe numquam dixiſſet. Læſa imaginatio deſipit. Malus incidit pudor. Non latet, quid faciendum ſit, ſed illud facere nemo audet. Ploratur, propria exprobratur imbecillitas, omnem fortitudinem tuam revocare velles: ſed deficit animus, & inani vincitur conſideratione. Propoſitum deſeritur conſilium, & quidquid relictum fuerat, rurſus aſſumitur. *P. Giroust in ſermone de Recidivis.*

Adhortatio ad virtutis partes palam amplectendas.

Quid tibi metuendum eſt, ſi palam pietatem, Deique cultum amplecteris? tibi, cui nihil accidit adverſi, cui nulla eſt mœroris, doloriſve cauſa, qui nullam habere videris rationem ſimulandi, atque hypocritam imitandi, quem omnes ſciunt mentis eſſe æque perſpicacis, rectæ, & conſtantis? Mortales, qui præ cæteris ad obloquendum ſunt proni, & ad virtutem in pleriſque damnandam parati, hanc in te reverebuntur. Si tua illis ſtuporem injicit mutatio, ſi loquuntur de eadem, non iniqui erunt virtutis tuæ æſtimatores; fatebuntur, te non ex libidine, aut imbecillitate vitæ rationem mutaſſe, ſed data opera,

ra, & ratione duce. Non dubitabunt, quominus ſolidam devotionem arripias, ipſi intentiones tuas rectas eſſe dicent, ac te perſeveraturum eſſe recipient. Te admirabuntur, te beatum cenſebunt, tibi invidebunt, nec deerunt, qui dicere non verebuntur, ſe tantumdem facere velle. *P. le Valois Epiſtol. 4. qua mortales ad ſolitudinem hortatur.*

Primorum fidelium vi. & fortitudo, eorum vero, qui hiſce temporibus vivunt, ignavia.

Primis eccleſiæ ſæculis non cruces, non rotæ, non equulei, non enſis, non ignis Chriſtianorum fortitudinem flectere poterant. Quamvis horribilibus excruciarentur ſuppliciis, triumphum agebant non de illis tantum, qui ipſis illudebant, ſed de illis etiam, a quibus crudeliſſime torquebantur. Hodie vocula, irriſio, contemptus, nihilum, ut ita dicam, fideles prohibet, ne Chriſtianorum more agant, & vivant, eiſque fallacem immittit verecundiam, itaut illos officiorum ſuorum maxime eſſentialium pudeat, quaſi non idem fortitudinis, & confirmationis Sacramentum recepiſſent, quo primorum temporum fideles confirmabantur. *Auctor Anonymus.*

Chriſtianus de humano reſpectu triumphum referre debet.

Cum baptizamur, Tertullianus ait, nobis aqua datur, & ſanguinem pollicemur; qui enim baptiſmo abluebatur, martyrio perferendo ſeſe ſubjiciebat. Primis igitur eccleſiæ temporibus non deerat aliqua ratio, propter quam homines evangelii puderet, & religionem diſſimularent: attamen primi Chriſtiani elato capite ad tyrannorum tribunal prodibant, ſibique gloriæ vertebant ignominiis affici, & contumeliis. Cum Apoſtolo dicebant, non erubeſco Evangelium; & inde Tertullianus manifeſtum eruit innocentiæ ipſorum argumentum. Porro ſi Chriſtiani de humano reſpectu agebant triumphum, cum crux habebatur tamquam ſtultitiæ, & ſcandali objectum, cum Chriſtiani qualitas infamiæ character erat, cum illam profiteri læſæ Majeſtatis crimen ferebatur, cum illius ſectatores in extremis uſque tetrarum plagis ad necem conquirebantur, eiſque atrociſſimi cruciatus intentabantur; quam prætexere poterunt noviſſimis hiſce ſæculis excuſationem Chriſtiani, ſi pudet ipſos religionem ſuam profiteri nunc, cum doctrina hæc in univerſo orbe recepta eſt, cum JESUS CHRISTUS pro vivorum, & mortuorum judice habetur, cum ejus crux in plagis omnibus colitur, & pretioſiſſimum coronæ Regum efficit ornamentum? O deplorandam mutationem! Gratia fidei tyrannos in Chriſtianos convertit; modo vero licentia Chriſtianos in tyrannos mutat! Fides JESU CHRISTI diſcipulos fecit eos, qui perſequebantur illam, modo vero infidelitas proprios JESU CHRISTI diſcipulos in perſecutores convertit. *P. Craſſet tomo 3. fides victricis.*

Non magis ob dogmata, quam ob exempla J. C. idem erubeſcere debemus.

Quemadmodum JESU CHRISTI verbum fidei, ita exemplum ejus morum noſtrorum norma eſt, quamobrem quemadmodum hæreticus eſt in fidei materia, qui non credit ea, quæ ille dixit, ita hæreticus eſt in materia morum, qui non facit, quod ille fecit. Pudeatne hominem id facere, quod fecit Deus? Nobilis mulier non erubeſcit ad choreas, theatra, periculoſos cœtus ſe conferens, ſed pavet, ne videatur vel ad ſacerdotis pedes provoluta, vel ad menſam Domini accedens, vel cum pia aliqua muliere colloquens. O ſæculi dedecus! Salvianus exclamat. Heu! Chriſtiana religio modo eſt opprobrium JESU CHRISTI; nullos habet amplius teſtes, vel martyres, qui cauſam ſuam tueantur; pudet pro diſcipulis ejus haberi, atque, uti S. Petrus, jurabunt homines, quod illum non norunt. *Idem.*

Deſcriptio, & character, ſervorum mundi, & humani reſpectus.

Hi mundi cultores, & pravi obſequentes, qui Dei, virtutiſque cauſam deſerunt, ne irrideantur, timidi ſunt, & ſine corde. Hujuſmodi illi ſunt perſonati devoti, qui in tenebras noctis ſe abdunt, neque audent palam ſervire Deo, imbecillas ſpiritus ſunt, qui humanæ opinionis ſe mancipia conſtituunt, quorum ſervitus eo turpior eſt, quo voluntaria, quia eſt ſervitus animi. Unius mancipii unus eſt dominus, qui plerumque juſtus, & æquus eſt, ſed ignavi iſti mundani infinitis parent dominis, qui omnes injuſti ſunt, inconſtantes, & quorum unicum verbum illis terrorem incutit. Chriſtianus, qui ſervus eſt humani reſpectus, pro dominis habet flagitioſos omnes, protervoſque mortales, quibus ne diſpliceat veretur; tot habet tyrannos, quot homines, a quibus cernitur; eos enim metuit, & fugit, quaſi manum illi vellent injicere. *Idem.*

Quænam vita illius eſt, exempli gratia, qui in aula verſatur? Quænam aſſiduitas, ut Principem videat, & ab eo videatur? quæ difficultas oculos ejus in ſe convertere? Quæ cura, ut illi placeat! quantum temporis, laborum, operum, aſſentationum, ut gratiam illius mereatur? Quot meditata verba, ut ſibi aures adhibeantur? quot animi, corporiſque cruciatus ad illius favorem aucupandum! Quot curæ, ac ſollicitudines ad illum, ubi ſemel quæſitus fuerit, ſervandum! Quot artes, doliſque ad fallendos, ſemovendoſque competitores! Quis timor, ne quis in principis auriculam mali quidquam inſuſurret! ... *Propter te mortificamur tota die*, ut S. Paulus ad Rom. 8. ait. A mane uſque ad veſperam mortificatus ſum; nil facio eorum, quæ vellem; ſexcenta patior, quæ nollem; mœror me conficit, timor me angit, inquietudo me proſternit, confuſio me opprimit. In ſingula momenta mihi ſimulandum eſt, & perſona induenda; opus eſt, ne videar umquam, qui ſim; omnes affectiones meas reprimam, omneſque iræ cauſas diſſimulem, oportet. Numquid ulla ſervitus eſt, quæ ſit magis intolerabilis? *Idem.*

Humani reſpectus ignavia.

S. Thomas Opuſc. de perfect. vitæ ſpirit. cap. 16. ait, improbos omnes eſſe ignavos, & cordis nequitiam ex animi imbecillitate proficiſci: *Omnis improbitas ex imbecillitate animi venit*; cum e contra innocentia viri, & eminentem virtutem deſignet? Neſcio, utrum me mea fallat opinio; ſed perſuaſum mihi eſt, eos, qui virtutem propter mundi metum abdicant, fidem quoque propter metum tyrannorum abdicaturos, & eum, qui omnia dæmoni ſacrificat, ne rideatur, illi omnia ſacrificaturum, ne e viventium numero exturbetur. Primitivæ eccleſiæ martyres pro fidei confeſſione ſæviſſima tormenta paſſi ſunt; cum interrogarentur, utrum eſſent Chriſtiani, nulla diſſimulatione, nullis utebantur æquivocis, quamquam viderent, quanto ſtatutum ſibi eſſet pretio dicere veritatem. Ab iis non petebatur, niſi levis ſimulatio, & ficta exterior abjurationis ſpecies ſine fidei detrimento, quam illis intus in corde latere permittebatur. *Idem.*

Chriſtiani palam virtutem ſequi debent, quia impiorum malitia veretur.

Nonnunc Dei leges profiteri debemus atque coram tyrannis chartulis, ac fidei, evangelii professionem debemus confiteri, ac mortem pro religione ſuſcepta ſubire. S. Paulus ait, ſummum legiſlatorem Moyſem, cum adoleviſſet, palam profeſſum eſſe, ſe nequaquam eſſe filium filiæ Pharaonis, uti creditus fuerat, eumque maluiſſe cum populo Dei vexari, quam temporalibus frui voluptatibus, quas inveniſſet in peccato, ratum, JESU CHRISTI ignominiam locupletiorem eſſe theſaurum, quam omnes Ægypti divitias, quia futuram ſpectabat mercedem. O quam admirabilis eſt theſaurus ignominiarum Dei! Theſaurus ineſtimabilis, ſed abditus, & mundanorum oculis abſconditus! Beatus ille, qui in Calvario effodit, ibique opimum hunc theſaurum invenit! Heu! invenitur ubique, ſed contemnitur, & conculcatur. *Idem.*

Impiorum approbatio eſt contemptibilis.

Impii hominis approbatio damnatio tua eſt: prætereaquamquod approbatio hæc mendax, & ficta eſt; etenim quemadmodum virtus ipſorum etiam inimicorum amorem ſibi conciliat, vitium eorum etiam, qui ſibi favent, in ſe odia convertit; qui quamvis illud in ſe diligant, in aliis tamen oderunt, atque contemnunt. Pravi hujuſmodi obſequentes ſe ipſos fallunt: ſperant enim ſe malum operantes gloriam conſecuturos, & prorſus oppoſitum accidit: impii enim in corde ſuo contemnunt ſimiles ſibi, & eos præſertim, qui ſe ipſorum mancipia efficiunt, eos enim tamquam abjectas, & ſerviles animas reputant. *Idem.*

Inter

Chriſtiano, vel Dei, vel Mundi approbatio eligenda eſt.

Inter duo extrema Deo, vel hominibus obſequendi unum eligere debet chriſtianus? Illic Dei, hic hominum indignatio; illic Deo, hic hominibus placendi ſtudium. Utrum eligendum eſt? Chriſtianus officio ſuo fidelis, Deum colens, & pedibus reſpectum ad homines conculcans, palam profitetur mundi leges ſibi amplectendas non eſſe. Ma ille maximi, vel minimi pendat, obſequar Deo, tamquam illi, cui uni ut placeam, adnitendum mihi eſt; nolo alium dominum præter hunc. Hæc noſtra eſt in terris conditio, Chriſtiani; ſemper terribili humani reſpectus tentationi expoſiti, fluctuantes, atque contemptum inter, & æſtimationem ancipites, in ſingulis momentis in periculo ſumus, ut vel in pretio habeamur, vel contemnamur. En quid ſit humanus reſpectus, velle ab aliis æſtimari, timere, ne contemnamur. Hæc in humano reſpectu continentur. *Ex ſermone, qui P. de la Rue acceptus refertur.*

Plurimi propter humanum reſpectum ſpectantur.

Aliorum cenſura, & irriſio timetur. Quidam ſeſe adeo terribiles præbuerunt improbe in jocum traducentes, quidquid pietatis characterem habet, ut magis metuantur, quam ſeveriſſimi cenſores; & prima difficultas, quæ objiciatur, eſt, quærere, quid dicetur? Quid hic, vel ille dicet? quis me adverſus illius probra tuebitur? Metuitur, ne virtus noſtræ profit fortunæ; hac via ad dignitates non pervenitur: in corrupto ſæculo plurimi ſunt hujus farinæ mortales. *Auctor Anonymus.*

Qui humano aguntur reſpectu ſactum probare non poſſunt.

Qui propter humanum reſpectum mundi torrentem ſequuntur, & ſe ab ea fidelitate diſpenſant, quam debeat Deo, quomodo ignavos mores, ignavamque agendi rationem poſſunt excuſare? Nequicquam gloriantur ſe ea probe tenere, quæ decent; imprudentia ſolum, audeo dicere, eſſe poteſt fundus gloriæ, quam petunt. Inquient illi, hominum judicia judicio Dei eſſe præferenda, cum rerum meritum, & pretium conſtituendum eſt? Inquient, ſenſibus, & exemplis flagitioſorum ſuffocandam eſſe interiorem renitentiam, qua honeſti homines horrent flagitia? Inquient, ſuo muneri deeſſe, qui recedit a conſuetudine eorum, qui deſunt eidem? Haud ita ſane; neque enim ita loqui poſſe videntur. Fateantur ergo, impudentius eſſe, prætergredi leges verecundiæ, quæ nondum profligata eſt, & quam adhuc ita habere jactas, quam in turpe labi factum, quod te dedecore afficiat. Si nobis eſt erubeſcendum, humani reſpectus nos pudeat, qui efficit, ut ob ea, quæ bona ſunt, pudore ſuffundamur; videlicet ob unum illud, quod nobis ſolidum, verumque honorem poteſt conferre. *Idem.*

Humani reſpectus ſervitus.

Hæc turpis eſt ſervitus, namque humani reſpectus ſervitutem voco: quid enim magis ſervile eſt, quam redigi, vel potius ſe redigere ad neceſſitatem religionis ſuæ juxta aliorum libidinem regendæ? exercendæ illius non ſecundum propria lumina, & conſcientiæ motus, ſed ſecundum alienam voluntatem? Verbo, non eſſe, vel non videri Chriſtianum, niſi quatenus aliis placet, vel diſplicet? Noſtis, & fortaſſe non ſine pudore noſtis, quam vulgaris facta fuerit, & quotidie fiat hæc in mundo ſervitus, licet turpiſſima ſit. *P. Bourdalove in veris ſermonibus ſermone 3. ſecundi Adventus.*

Diſcrimen inter Chriſtianos, & Ethnicos circa humanum reſpectum.

Cum S. Auguſtinus de antiquis philoſophis, Ethniciſque ſapientibus loquitur, qui ſolo naturali lumine, licet Gentiles, verum noverant Deum, eorum illi conditio deploranda videtur. Quare? Quia cum illis eſſet perſuaſum, Deum unum eſſe, tamen ut tempori ſervirent, plura numina venerabantur. Advertite, Chriſtiani. Hi propter hominum timorem rationi ſuæ vim faciebant, & ſerviebant Diis, quos ignorabant; nos vero propter alium timorem hominum vim facimus fidei noſtræ, & Deo, quem credimus, non ſervimus. Illi inviti quidem, ſed ut mundo placerent, erant ſuperſtitioſi, & idolorum cultores; nos vero prorſus oppoſito effectu, ſed eodem principio, ſæpe licet inviti, flagitioſi ſumus, & impii. Illi ne ſibi populorum odia conflarent, *colebant, quod reprehendebant, agebant, quod arguebant, quod culpabant, adorabant*, quæ S. Auguſtini ſunt verba: nos vero ad hominum cenſuram evitandam, quod corrupti ſæculi uſibus, legibuſque ſubjicimur, dedecore afficimus, quod profitemur, polluimus quod reveremur, blaſphemamus operibus ſaltem, non, ut quidam ajebat Apoſtolus, quod ignoramus, ſed quod ſcimus, & confitemur. Et dum fortes illi gentilitatis ſpiritus aſſerta fortitudine ſua per quamdam hypocriſis ſpeciem ſeſe captivabant, nos alia noſmet captivamus. *Idem.*

Humanus reſpectus ſervitus oppoſita Chriſtianæ libertati.

Sinite nos in deſertum concedere, dicebant Ægyptiis Hebræi; donec enim in terra hac verſamus, non licet nobis libere Deo Iſrael ſacra facere. Ut autem illi ſacris operemur, libertate nobis eſt opus. Reliquis in rebus dicto præſto erimus, & obtemperabimus; & quantumvis auſteræ ſint leges veſtræ, haud ægre illis parebimus. Ita S. Hieronymus hunc Exodi locum interpretatus ait, ita loqui debet chriſtianus, quem providentia vult in mundo vitam traducere, ideoque ibi religionem tueri. Ante omnia dicere debet, me legibus mundi conformabo, mundi conſuetudinem obſervabo, mundi officia cuſtodiam; immo ſi opus fuerit, mihi vim inferam, ne aliquid faciam, quod mundo diſpliceat: at cum de eo ſermo erit, quod Deo meo debeo, ego ſupra mundum aſſurgam, neque mundus dominabitur mihi. In hoc munere obeundo, quod chriſtiani hominis potiſſimum eſt, neque mobilis ero, neque imprudens; ſed liber ero, & prudentia, qua utar, ut me ipſum regam, nihil habebit, quod a felici degeneret libertate, quam S. Paulus vult ſervare, tamquam proprium ſtatus gratiæ, ad quem illum extulit Deus, privilegium. *Idem.*

Humani reſpectus imbecillitas.

Humanus reſpectus proficiſci nequit niſi ex timore, ac puſillanimitate, quæ magnam mentis imbecillitatem indigitat. Mundi cenſuram metuimus, & hoc pacto fatemur mundo, nobis ſatis virium non eſſe, ut eum contemnamus in iiſdem rebus, ubi eum magis contemptibilem judicamus: confeſſio, quæ una nos rubore ſuffundere deberet. Metuimus, ne imbecilles habeamur; nec cogitamus, timorem hunc imbecillitatem eſſe, ac miſerrimam imbecillitatem. Pudet nos palam virtutem amplecti, nec videmus, hunc pudorem, ut ita loquar, longe turpiorem eſſe, quam ſi virtutem ipſam amplecteremur. Quid enim turpius, quam erubeſcere, ſi quales ſumus, & quales eſſe debemus, videamur? Unum verbum, unica nos turbat irriſio, neque cogitamus, qua de re, nec a quibus nos turbari ſinamus: qua de re, nihil enim futilius eſt irriſione, quæ veram petit virtutem: a quibus, turbamur enim a vanis hominibus, a quibus probari, vel improbari noſtra intereſſe non debet; ab hominibus, quorum levitas non ſecus ac impietas nobis eſt explorata; ab hominibus, quorum conſilia ſequi, multoque minus legem accipere in aliquo negotio; ab hominibus, pro quibus ne in minima quidem voluptate noſtra vim nobis inferre vellemus. Hi tamen ſunt illi, propter quos nobis vim facimus, illi, quorum rationem habemus, illi, quibus deploranda cæcitate noſmet ſubjicimus in iis, quæ ad maximum pertinent negotium, ſalutem videlicet noſtram, & religionem. Poſt hæc jactemus, ſi lubet, non equidem dicam animæ magnitudinem, ſed ſapientiam, ac ſpiritus ſoliditatem. *Idem.*

Humanus reſpectus odioſa eſt ignavia.

Humanus reſpectus ſecum gerit ignaviæ, immo etiam odioſæ ignaviæ characterem. Dei ſum propter omnes titulos, qui maxime legitimi habentur, & tamquam homo manu ejus formatus, donis illius auctus, ſanguine ejus redemptus, gloriæ ipſius hæres, & tamquam chriſtianus ipſi inviolabili nodo vinctus, ejuſque cultui ſolemni profeſſione addictus; ſed quin ſanctam aſſumam audaciam, & cauſam illius protegam, eum deſero, & prodo. Ignaviam venia indignam! nec ferendam in mercenariis animabus, quas conditio, & neceſſitas principum virorum faciunt mancipia. Quod vero nos majori ſuffundere debet verecundia, ſcelus eſt, quem oſtentant, & quem inſignire

ſtudent

Digitized by Google

ſtudent, cum de mortalibus agitur dominis, a quibus humanam mercedem, & fortunum perituram expectant. Ignaviam toties anathemate in evangelio percuſſam, & in Dei judicio palam exprobrandam; tunc enim Dei filium pudebit eorum, quos illius puduerit, negabit eos, a quibus fuerit negatus, eoſque ignorabit, a quibus ignoratus fuerit. *Qui erubuerit me, erubeſcam & ego illum.* Luc. 19. *Idem.*

Non deſunt qui in ipſo mortis articulo ſervi ſunt humani reſpectus.

In ipſo etiam mortis articulo nonne videmus homines hac humani reſpectus tentatione oppugnatos eidem cedere, eumque cauſari contra ea omnia, quæ tunc illis religio præſcribit? Homines jam jam ex viventium numero exturbandos, ac Dei judicium ſubituros, adhuc mundi ſervos; homines, ut loquitur Scriptura, inferni periculis obſeſſos; & adhuc mundi judiciis occupatos; negligentes, renuentes etiam extrema ſubſidia, quæ illis offert eccleſia, quia nolunt credi ſe extremo laborare morbo, quia putant ſe nondum eſſe in deſperatis; atque ita reſiſtentes noviſſimis Spiritus ſancti gratiis, quia a mundo diſcedentes ſe ipſos ſuperare nequeunt, ut mundum contemnant, & illius obliviſcantur, Nonne viſi ſunt (quis crederet?) qui cum ſine fide, & ſine lege vixiſſent, adeo inſipientes eſſe, ut diabolica in impietate ſua perſeverantia operi coronam imponerent? velle in impœnitentia animam efflare, ne imbecilles viderentur, atque ut ad extremum uſque commentitiam ſpiritus vim præferrent, quam ſtulte, & falſo etiam fortaſſe jactaverant, in horribilis æternitatis conſpectu agitati motibus conſcientiæ omni ſcelerum genere inquinatæ, non poſſe ex animo nefariam illam cogitationem expellere, quem de me conceptum mortales habebunt, ſi me timor mortis mutaverit! cogitare, quid de ſe cogitarent homines flagitioſi, olim familiares ſui, & ſuæ licentiæ conſortes: & ne æſtimationis jactura fiat, aures obſtruere ſaluberrimis miniſtrorum Jeſu Chriſti monitis obteſtantium etiam atque etiam, ne de divina miſericordia deſperent? Nonne multi, inquam, viſi ſunt hoc modo mori? Quorum ſi rara ſunt exempla, num ideo minus funeſta ſunt? *Idem.*

Pudet profiteri ſe eſſe Chriſtianos.

Felix illud tempus, quo pudebat non amplecti fidem! Capitolium deſertum, delubra ſine cœremoniis, & ornatibus, idola pulvere oppleta, & ſemiruta, Roma tota in id unum intenta, ut crux referat triumphum, ſpectaculum erat, quod animas minus religioſas ſub veri Dei vexilla trahebat. Pudor erat ſe Chriſtianum non profiteri, cum illi, qui crudelius perſecuti fuerant chriſtianos, gloriæ ſibi vertebant in JESU CHRISTI caſtra concedere. Poſſumus ne dicere, quin injuriam faciamus cultui, quem religioni noſtræ debemus, nobis optandos eſſe illos annos, quibus omnia, ipſe etiam reſpectus humanus aliquid conferebant, ut fides magis, magiſque floreret? Quænam mutatio hoc, quo vivimus, ſæculo! Propter humanum reſpectum metuimus, ne chriſtiani videamur. Vanitas hodierna die ab altaribus arcet filios eorum, quos ipſa illuc adduxerat. Cave, dicebatur olim infideli, ne te publicis objicias irriſionibus obſtinato animo in tuis erroribus permanens: ut tuæ conſulas exiſtimationi, ſaltem ſpeciem cultoris JESU CHRISTI indue. Quid hodie chriſtiano dicitur? Quid? audebis ne prodire externam referens ſpeciem hominis, qui ſequitur evangelium? Temporí inſerviendum eſt, neque præ te ferre debes modeſtiam, quæ fidem tuam decet. Comparatio, quæ efficere debet, ut præ horrore infrendamus. Ad mundi cenſuram evitandam Idololatriæ abrenunciatum eſt, in eccleſiæ caſtra tranſitum eſt, & chriſtianæ religionis cultus, moreſque ſuſcepti; ut mundo placeatur, omnis ferme chriſtianæ religionis ſpecies abjicitur. Numquid nobis credendæ non ſunt eædem veritates, quæ majores noſtros ſanctificarunt, & decorarunt? Numquid fidei principia, & præcepta mutata ſunt? Quo abiit ſanctitas, ſi eo redacti ſumus, ut optandum ſit, quod reſpectus humanus nobis opem afferat, ut illam acquiramus, & de illa gloriemur? Vera virtus mundanum reſpectum irridet, & utinam ſaltem mundanus reſpectus efficeret, ut veram virtutem æſtimaremus! Quod nobis pudoris, doloriſque argumentum? *Liber cui titulus: Animadverſiones in varia religionis, ethicæque argumenta.*

Qui humano agitur reſpectu, non eſt verus Chriſtianus.

Chriſtianus, qui humano ducitur reſpectu, ſeſe non audet aperire; cavet, ne character ſuus eniteſcat. O inſanam, ignavamque vanitatem, quæ gloriam magis juſtam, neceſſariam, & eſſentialem reformidat! Quam indignum homine chriſtiano eſt, ſe chriſtianum non eſſe gloriari! Non credis chriſtianiſmum tibi honorem afferre, tu ipſe dedecore afficis chriſtianiſmum. Cum tuis hiſce ſimulationibus, cautionibuſque quid es! Cujus es? Quæ tua meus; quæ ſpes? Ne te pudeat chriſtianum eſſe; non es enim: *Parum eſt, ut non inde erubeſcas, niſi etiam & glorieris*, S. Auguſtinus Pſal. 44. inquit. *Idem.*

In Chriſtianiſmo nihil eſt, cujus pudere nos debeat.

Aliquid ne in chriſtianiſmo eſt, cujus fidelem pudere debeat? Quomodo poſſet ille rubore ſuffundi ob ipſum chriſtianiſmum? Crux hæc, ſcandalum Judæorum, & ſtultitia gentium in fronte illius eſt impreſſa: ſi timet, ne videatur, qualis eſt, crux ſola pudori illius prætextum poteſt tribuere; attamen eam ſibi honore eſſe putat, eamque ſibi gloriæ vertit. Quid igitur invenit in religione, quod glorioſum non ſit, ſi infamis patibuli lineamenta eidem ſunt adeo glorioſa? Quid? Numquid exempla Dei? Hoc eſſet abnegare fidem. Numquid virtutes exercendæ? idololatræ ipſi eas reverentur, ex quo illas cognoſcunt. Mandata, quæ ſibi irrogata fuerunt? Num de Legiſlatoris ſui ſapientia, & ſanctitate diffideret, an de illius auctoritate dubitaret? Quandoquidem honori ſibi vertit ſigno crucis notatum eſſe, difficile eſt intelligere, cur quibuſdam in occaſionibus metuat, ne fidelis videatur; & nihilominus metuit, ne talis videatur inter fideles. Eſtne ille chriſtianus? an illi chriſtiani ſunt, quibus ne diſpliceat, timet? *Idem.*

Vanitas humanum parit reſpectum.

Vanitas efficit, ut per humanum reſpectum agamus. Hominibus placere volumus; noſmet ideis eorum conformantes ſperamus, nos laudem conſecuturos, ſi illos fuerimus imitati. Saltem nos tæderet eorum ſubire cenſuras, ac noſmet ab eorum irriſionibus tueri. Vanitas hæc, quæ nos facit vilia alieni judicii mancipia, in nobis ipſum honoris amorem ſuffocat, quem paſſim jactitare conſuevit. Libenter contemptum ulciſcimur contemptu; viles animæ huic ultionis generi maxime obnoxiæ ſunt; ne videamur illi inferiores, qui nos illudit, illum deprimere adnitimur; & hic magis craſſæ ſuperbiæ effectus eſt. Abſint hujuſmodi conſiderationes, ubi vel malum evitandum eſt, vel bonum exercendum. Sed cur fidelitas, quam debemus Deo, non ſuadebit nobis, ut contemnamus non equidem dico perſonas, quæ actiones noſtras cenſura notare volunt, ſed ipſarum cenſuram, atque contemptum? Vanitas noſtra, quæ adeo delicata eſt, ut injuſtæ ſatyræ morſus ferre non valeat, quomodo ita ſtupida eſt, cum eos facile contemnere poſſit? *Idem liber cui titulus: Animadverſiones in quadam religionis, Ethicæque argumenta.*

Tota chriſtianiſmi perfectio ad id redigi poteſt, ne pudeat ſervire Deo.

Nunc vim, omnemque ſenſum intelligo hujus verbi Tertulliani, per exceſſum confidentiæ dicentis, ſe ſalutis ſuæ certum fore, ſi certus eſſe poſſet futurum, ut numquam Dei ſui ipſum puderet: *Salvus ſum, ſi non confundor de Domino meo.* Statim videtur ille ad parvum aliquid ſalutem redigere; videtur enim nihil eſſe facilius, quam non pudere Dei ſui. Numquid ad id magna perfectio requiritur; huc ne omnis chriſtiani redit religio? Ita eſt, Tertullianus reſpondet: *Salvus ſum, ſi non confundor de Domino meo.* Hoc unum me protegit adverſus vehementiſſimas mundi tentationes; hoc enim unum me victorem conſtituit mundi, & eorum omnium, quæ in mundo mihi ſunt periculoſiſſima. Si enim me Dei mei non puderet, non puderet me tot officiorum, quæ mundo quidem abjecta videntur, ſed quæ ſecundum legem Dei ſaluti ſunt neceſſaria, non puderet injuriam eo uſque pati, ut

ti, ut pro malo bonum retribuerem: immo neque puderet officio prævertere inimicum, qui me affecit contumelia: *Salvus ſum, ſi non confundor de Domino Deo.* Niſi me Dei mei puderet, neque puderet me, eum colere, eique preces effundere; non puderet me pro ipſo pati, & contemni; non puderet me pænitentiæ, & eorum omnium, quæ hæc exigit a me, ut me ad illum convertam. *Idem.*

Humanus reſpectus hodie tyrannus eſt, quem religio magis debeat metuere.

Cruentis hiſce perſecutionibus, quas Ethnici olim contra fideles excitarunt, ſucceſſerunt aliæ magis metuendæ, quia ſunt humanæ, & magis aptæ ad interitum animabus inferendum, quia minus ab illis noſmet præſervare cogitamus. Audeo dicere, idque mihi perſuaſum eſt, verbum, quod profertis, obtutum, quem circumfertis, contemptum, quem teſtamini, exemplum, quod præbetis, majorem habere vim in alienis cordibus, & noſtris hiſce diebus plures chriſtianos corrumpere, quam quidquid tyranni ad chriſtianam religionem exterminandam excogitaverunt. Tyrannis reſiſtebatur; & martyrum ſanguis mirabili fæcunditate novos ſemper gignebat fideles. At reſiſtiturne humano reſpectui, cujus vos eſtis cauſa? & hæc perſecutio, cui virtutem objicitis, quin eam multiplicet, proferatque, nonne peccati imperium conſtituit, & licentiæ regnum tuetur? *Idem.*

Aliquando reſpectus humanus non eſt inutilis.

Cum humanus reſpectus efficit, ut noſtris perfungamur officiis, quamvis per ſe neque ſanctus ſit, neque laudabilis, non tamen ſemper inutilis eſt; eſt enim imbecillitatis noſtræ columen. Cum nos ad Deum colendum impellit, quamvis ſit humanus reſpectus, illum abſolute, nec quovis in ſenſu debemus abjicere, ſed rectificare, emundare, perficere. A creatura ad Creatorem debemus aſcendere, & ex comparatione eorum, quæ propter hominem eſſemus facturi, excitandi ſumus ad Deum, Deique regnum unice conquirendum. *Idem.*

Mala generatim quæ humanus parit reſpectus.

Numquam fortaſſe ſatis intellexiſtis mala, quæ humanus parit reſpectus; fortaſſe numquam illius extenſionem, & quid inde conſequatur, cognoviſtis. Humanus reſpectus in humano corde evertit eſſentiale totius religionis fundamentum, videlicet timorem prælationis, quam debemus Deo, quoniam timemus magis ne hominibus, quam ne Deo diſpliceamus. Hic idem reſpectus humanus efficit, ut homo decidat in apoſtaſiam, fortaſſe magis damnabilem ea, in quam primorum ſæculorum decidebant Apoſtatæ, contra quos eccleſia tanto zelo diſciplinæ ſuæ ſeveritatem exercebat; ad hæc tentatio eſt, quæ in homine retardat effectus gratiæ Dei; ac tandem humanus reſpectus eſt fatale obſtaculum converſioni hominis. *Idem.*

Multi ob crimina gloriantur, & erubeſcunt, quod non æque ſcelesti ſunt, ac alii.

S. Auguſtinus in confeſſionibus fatetur, ſe in adoleſcentia ex eorum fuiſſe numero, qui gloriantur de illis etiam criminibus, quæ non patrarunt, quaſi turpe eſſet non eſſe æque, vel magis, quam alios, impudentem: ita ille perſpicue factum deſcribit, ut propria ejuſdem verba mihi afferenda eſſe cenſuerim. Verſabar tunc, Sanctus ait, in profunda rerum omnium ignorantia, & in præceps tanta cæcitate ruebam, ut inter ſodales, coævoſque meos, qui palam de ſuis flagitiis, effuſiſque libidinibus gloriabantur, & eo gloriabantur magis, quo illæ nequiores erant, atque turpiores: pudebat me non eſſe æque impudentem, & in vitium toto pectore ferebar, non ſolum ut peccatum committens aliquam perciperem voluptatem, ſed etiam ut commiſſi laudem conſequerer. Quid in mundo vituperatione dignum eſt præter vitium? Attamen funeſta perturbatione fiebat, ut metuens ne vituperarer, in vitium ruerem; eumque nihil feceram par perditiſſimorum ſodalium flagitiis, illud feciſſe mentiebar, ne eo majori contemptu dignus viderer, quo magis innocens eſſem. *Pudebat non eſſe impudentem.* Hi, Domine, illi erant, cum quibus incedebam in lata via Babylonis mundi hujus. *Excerptum ex confeſſionibus S. Auguſtini.*

Quidam ſunt, quos ne toti Dei ſint, ediſti hominum

Non deſunt mortales, quibus nihil negotium faceſſit, niſi quod palam ipſis profitendum eſt, ſe Deo ſervire. Quid homines dicent, id ſi fecero? Sed quid dicet Deus, niſi id poſt tot afflatus feceritis? Quid dixit de aliis? Veſtri ne ratio quidem habebitur; & licet de vobis aliquid diceretur, numquid nihil ne de illis dicitur, qui permanent in vanitate? Sed quid ad me, quodcumque dicat mundus? Numquid mundus me judicaturus eſt? Mundus hic, bone Deus, me ex tuis manibus eripiet? Si abit, ſi tranſit, quam mihi habere poteſt gratiam ob rationem, quam ejuſdem habuero! O Deus! dicat quidquid libitum fuerit; ille indignus eſt, qui tibi ſerviat, qui timet, ne ſervus tuus habeatur: inimici tui ſeſe palam tales oſtendunt, amici vero ignavi erunt, ac timidi? Sciat ergo mundus, me nimis diu illi famulatum fuiſſe; opus eſt, ut incipiam de Deo cogitare, cui ut ſerviam, creatus ſum. *P. de la Colombiere in meditationibus de paſſione.*

ſermo prohibet.

Anima, quæ Deo ſervit, hominum ſermones contemnit.

Quam felix eſt anima, quæ Deum unice timet, & uni illi placere contendit! Putas ne animæ hoc in ſtatu poſitæ negotium faceſſere, quid mundus dicere poſſit, & aliquo eam in diſcrimine habere cenſuras illius, improboſque ſermones? Vanæ creaturæ, quid tum poſſunt judicia veſtra, & irriſiones contra animam, quam Deus protegit, atque tuetur! Hæc ſimilis eſt Noe, qui in Arca concluſus non afficitur maledictis, quibus terræ habitatores eum petere poſſunt, & qui negligit ſermones mundanorum, quibus ne animum advertat, Dei ſui amor non ſinit. Similis eſt Jacob, qui ad cœlum uſque in myſtica viſione ſublatus totus Deo ſuo vacat, & quid in terris accidat, ignorat. Similis eſt Moyſi, qui in montis vertice ſolus cum Domino loquitur, & contemnit injurias, atque calumnias, quæ contra ſe in agris proferuntur. *P. Maſſillon ſermone de humano reſpectu.*

Dei approbationem habentes hominum ſermones debemus contemnere.

Nos mortales contemnant, & in nos evomant quidquid ipſis placuerit, dummodo pro nobis Deus, Angelique loquantur, contenti eſſe debemus. Numquid noſmet captivemus oportet cogitationi, ac libidini creaturarum, quibus nihil ſolidum ineſt, & quæ in ſingulas horas mutantur? Ne adeo ignavi ſimus, ut tantum dedecus perferamus. Adeone difficile eſt, acquieſcere, cum pro te Dei ſtet judicium, & a Deo actiones tuæ probentur, licet a reliqua mundi parte corripiantur? Nonne melior eſt Deus, quam mille mundi? Illum igitur amemus, ejuſque amor in cordibus noſtris rebus omnibus præferatur. *Auctor Anonymus.*

Humanus reſpectus maximum pœnitentiæ impedimentum.

Confuſio, quæ pænitentiam comitatur, quamplurimos abſterret, prohibetque, ne illos pœniteat. Quid de me dicent, ſi adeo repente vitæ rationem immutavero; ſi poſtquam tantum luxum, atque morum feſtivitatem præ me tulero, in veſtimentis, totoque vitæ curſu caſtigatior viſus fuero? Si poſtquam in mundi hujus luce vixero, in ſylveſtrem me recepero ſolitudinem; ſi poſtquam ſodalitates tanto ſtudio conquiſivero, eas me fugere intellexerint, quid de me homines dicent? *Fromentiere ſermone de S. Magdalena.*

Adeo bene contempſiſſe noſtis, quid de vobis dicere poſſent homines quibuſdam in occaſionibus, ubi voluptatem veſtram conquiſituri ſalutem, honoremque veſtrum objeciſtis; neque hoc ipſum contemnetis, cum de animæ veſtræ ſalute, deque æternæ gloriæ acquiſitione agetur? Si hoc bonum feceritis, ſi mores veſtros reformaveritis, ſi virtutis partes palam ſecuti fueritis, loquetur mundus; eum loqui ſinite. Tandem enim quid eſt mundus? Cæcus eſt, inſipiens, apertus Jeſu Chriſti inimicus. Quid autem? Salvatoris diſcipulus aperto hujus inimico obſequatur? Vin ducem ſequi cæcum, & inſipientem, tu qui adeo ſapientem, ac perſpicacem te eſſe gloriaris? *P. Nepveu in Conſiderationibus ſuis.*

Vitium hoc inter homines eſt commune.

Si vitium hoc in ſanctiſſimis etiam animabus metuendum eſt, mirum eſſe non debet, ſi in hominibus adeo familiare ſit. Quot videmus, qui nequam non ſunt, & eſſe ſimulant, ne ſingulares eſſe videantur? Boni eſſent, ſi eſſe poſſent, quin ſodalium ſuorum odio, & irriſioni ſe objicerent; ſed prodant, opus

eſt,

eſt, ingenium ſuum, & vim inſerant ſtudio illi, quo in virtutem feruntur, ut ſimulent vitium, utque fallacem aucupentur gloriam audacter in nefas omne ruendi. Nonne hoc illud eſt, quod impellit homines, ut de illis etiam peccatis glorientur, quæ ipſi non commiſerunt? Nihil magis aptum ad lacrymas eliciendas videtur iis verbis, quibus S. Auguſtinus hoc malum deflet, in quod in ipſa lapſus fuerat adoleſcentia. Audiebam, inquit, alios, qui de ſceleribus ſuis gloriabantur, & qui eo magis gloriabantur, quo fuerant impudentiores: tunc cupiebam, non quidem peccata committere, ſed laudari, quod ea commiſiſſem. P. Bourdalove.

Quam vim in mentibus noſtris hominum habeant judicia.

Pauca ſunt, quæ majorem in mentibus noſtris impreſſionem efficiant judiciis, quæ ſeu in bonum, ſeu in malum de nobis homines ferunt; & mirum eſt, quam partem in actionibus noſtris obtineant aliorum hominum cogitationes. Eorum ſuſpiciones, diffidentiæ nos angunt, exacerbant, ſollicitant; eorum approbatio, neceſſitudo, amor alliciunt, roborant, attollunt, afficiunt lætitia &c. *In ſpeciminibus ethicis.*

Magdalenæ in humano reſpectu ſuperando fortitudo.

Magdalena mundo ſuam ſacrificaverat exiſtimationem, modo hanc eamdem JESU CHRISTO ſacrificat. In aula convivii, ac media cœna novum hunc inquirit Prophetam, quem pluribus in locis videre poterat. Perſonam hujus ætatis, ſexus, generis audacter in eum ingredi cætum, ubi invitata non fuerat, neque rogata, repente prodire in conſpectum tot convivarum, qui illam ſequioris notæ mulierem eſſe noverant, nonne hoc eſt exiſtimationem ſuam prodigere? Sed amor animæ, quam inflammat, rationes has habere non ſinit: cor ubi invenitur, ab hominibus probari non vult eo in loco, quo ſe ipſum accuſaturus accedit. Illi mundi conſpectus negotium non faceſſit: ſancte impudens convivalem ingreditur aulam; videt Jeroſolymæ mortales omnes de ſe loqui, ſuumque factum in remotiſſimis etiam urbis receſſibus improbari. Phariſæus conatur in ſuſpicionem vocare converſionem illius apud Dominum, ad cujus pedes provolvitur; ſed eodem tempore, quo alii de ipſa obloquuntur, ipſa criminum ſuorum pœnitentia tantummodo conficitur; unice JESU CHRISTI amore occupatur, neque de mundo cogitat, niſi ut illum negligat, & aſpernetur. Nequicquam factum hoc frequenti in mortalium cætu perſtringitur; nequicquam hoc converſionis initium redarguitur; nihil illam a propoſito dimovebit. Ex quo novit illa mundi placita contemnere, illius quoque judicia, cenſuraſque aſpernata eſt: ex quo illum odiſſe didicit, eum non timet amplius; cenſuram illius non expaveſcit: ibi toties in honore vitium haberi perſpexit, ut virtutem illic dedecore affectam videns non admiretur. P. *Maſſillon in Panegyric. S. Mariæ Magdalenæ.*

S. Auguſtinus, qui funditus videtur perſpexiſſe cor humanum, omneſque vitiorum characteres diſtinxiſſe, ait, hoc eſſe quamdam publicæ, vel ſaltem ſecretæ a filio Dei defectionis ſpeciem; tacitam erubeſcentiam, quod in partes illius conceſſum fuerit, oppoſitionem vitæ actionibus, & legibus ejus; notum pudorem, quod illum ſecutus fueris, & pertinax illius non amplius ſequendi conſilium; perinde ac perſona, ſermones, paſſiones ejus totidem nefaria exempla fuiſſent. *Ex ſermonibus moralibus.*

Illi, quos puduerit virtutem exercere, in generali judicio confundentur.

Utinam ignavæ animæ, quas Deo ſervire ſuppudet, intellexiſſent, Deum hunc adeo zelotem eſſe gloriæ virtutis, ut generale a ſe habendum judicium decreverit, ut impii contemptam hanc virtutem reparare tenerentur. Nunc in opprobrium eſtis, & in contemptu animæ juſtæ; ſed aliquando viciſſim impios contemnetis, & irridebitis. Reparatio, quam illi præſtabunt, vobis erit publica; fiet enim in generali mortalium omnium conventu; & erit ſincera, ad quam mundi judices reos adigere nequeunt. Scitote igitur, judicii die nos vidimus homines nequam, & apertos inimicos virtutis, qui oderunt, quidquid in religione ſacrum, ſanctumque eſt, virtutis honorem reſarcire, & illatam a ſe injuriam reparare. *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* Sap. 5. O nos cæcos, ac dementes! pietatem, ac devotionem in ludibrium vertebamus; & ecce Sancti gloriæ poſſeſſione fruuntur, nos vero æterna manet ignominia. Reprobi tunc probabunt, quod olim damnaverunt, idque ſincere, & ex animo: *Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes.* Hoc nonne ſatis eſt ad confirmandas, & roborandas animas, quas inanis hominum timor oppugnat? P. *Texier ſermone de extremo judicio.*

Ignavia in religione ſua profitenda.

Non ſolum eſt proditor veritatis, qui veritati renunciat, S. Chryſ. inquit, *ſed etiam qui non profitetur veritatem.* Non ſolum veritatem prodit, qui illi abrenunciat, eamque palam negat; verum etiam ille, qui quibuſdam temporibus, & occaſionibus eam non profitetur. Exempli gratia, impius in cætu licentiam ſibi vindicat de religione obloquendi, & alii inde occaſionem arripiunt ſe prævertendi; tunc teneor ne loqui, eumque redarguere? Ita ſane, quia præcipit Deus, & quia, ſi deſum occaſioni, committo ſcandalum, quod mihi conſcientia mea in æternum exprobrabit. P. *Bourdalove, ſermone de ſcandalo.*

Servitus eorum qui propter humanum reſpectum operantur.

Servo unus tantum vulgo dominus eſt, cui famuletur; ſed qui humanum ſumit reſpectum pro vitæ norma, tot ſervit dominis, quot habet ſpectatores: cum enim hominibus placere velit, eorum cenſuram, & probra reformidat. Servus eſt cupiditatum eorum, ſibi crucem figit, ut eorum temperamentum obſervet, ut eorum ingenium exploret, ne quid agat, quod eos lædat, eorumque ſibi odium conciliet: *Quæ contentio, quæ gehenna, ubi tantopere laboratur, ut peccetur?* Ait quidam pater eccleſiæ. Heu! quam multiplices catenas! quam repetita vincula! Bone Deus! num tantopere noſmet ipſos torquere debemus, ut hominibus placeamus, eiſque placentes cum adeo modico fructu peccemus? *Idem.*

Si in bono conſtan es fueſimus mundus non irridebit, ſed admirabitur.

Scio equidem, non deeſſe improbitatem in corde eorum, qui alios irrident, ac cenſoria nota perſtringunt, ſed hi magis magiſque irritantur, quod in corde eorum, de quibus loquuntur, nihil niſi inconſtantiam vident, ac in pietate levitatem. Hodie pauperes inviſent, cras ad theatra convenient; nihil in vita eorum conſtans eſt. Sed da mihi hominem vere chriſtianum, matronam virtutibus, meritiſque præſtantem, quam nulla res a bonorum operum exercitatione, ac Dei ſervitute valeat dimovere; da mihi mortales hujuſmodi; non ſolum laudabuntur propter bonum, quod fecerunt, verum etiam propter modum, quo fecerunt illud; & ſi verum eſt, bonam exiſtimationem conſtantia comparari, illa ſane levitate deſtruitur. *Idem.*

Reſpectus humanus nunc hoc nunc alio modo operari nos facit.

Sæpe humanus reſpectus ad illa nos adigit, quæ Dei lege prohibentur, & naturali æquitati adverſantur. Ita prorſus oppoſitis ſenſibus agitamur; hoc modo judicamus, alio operamur; intus damnamus ea, quæ facimus, & nihilominus eodem modo agere perſeveramus. Denique eapetimor, quamvis alia in re, id quod S. Paulus experiebatur, cum dicebat ad Rom. 7. *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum hoc facio.* Inde amari illi conſcientiæ aculei, cum videmus ſalutem ſacrificari criminoſæ obſequentiæ, quæ nos perdit; inde maxime neceſſaria negliguntur officia, ne in iis deficiamus, quæ a nobis injuſte mundus exigit; inde odium Dei nobis conflamus, ut facilem nobis tueamur acceſſum apud hominem, quem ſecreto perhorreſcimus aliquando, cum extrinſecus obſequimur illi; inde tandem molli indulgentia nosmet æternæ objicimus damnationi. P. *Giroaſt, tomo 2. Adventus, ſermone hujus argumenti.*

Miſeria, & ſervitus illius, qui humanum ſequitur reſpectum.

Intelligite tranquillitatem, & felicitatem Chriſtiani ab omni ſervitute expediti; qui nobili ſuperbia mundum contemnit coram illis, qui ſuarum, & ſæpe etiam alienarum cupiditatum ſervi, & mundi opinionis mancipia ſemper vivunt ſolliciti, & mærore confecti, nihil facere, nihil aggredi auſi, quin aliorum oculos conſulant. Heu! ignava, ac turpis obſequentia, itane in hominis mente cadere potes! Judex non audet, quod juſtum eſt, decernere,

re; veretur enim, ne judicium ſuum mœrorem, & incommodum afferat illi, quem amat: Nobilis illa mulier familiam ſuam bene inſtituere non audet, ne devota habeatur: adoleſcens ille conſcientiæ ſtimulis agitatus vult, & vellet bonum, ſed mundi timor illum deterret; metuit amicos, inimicos, famulos, & domeſticos ipſos reformidat. Turpitudo indigna libertate humana, & chriſtiana longe adhuc indignior! Morum ſanctitate, ſanctaque audacia præ vobis eam ferte auctoritatem, quam ſpecioſum hoc chriſtiani nomen vobis tribuit; & mementote, oculum Dei vobis magis eſſe metuendum, quam oculum hominum. *P. de la Rue tom. 2. de humano reſpectu.*

Indignitas eorum, qui hominum opinione ſe ... ſinunt [margin note, partly illegible]

Numquid tres, quatuorve homines protervi, qui tibi plaudunt, majorem habeant vim, quam conſcientiæ tuæ teſtimonium? Numquid ſervire debes rumori, quem peccatores circa te edunt? Numquid cavendum, ne mundo diſpliceas, cum interim ſe a te æſtimari nihili pendat mundus, immo de te obloquatur? Quin per evangelium attrahas ad Deum perverſos hos, & ſeductores, eorum exemplo in omne nefas pertrahi ſinis: ſi conſcientiæ tuæ teſtimonium, & judicium non metuis, Dei ergo judicium, atque teſtimonium time. Sed uter, quæſo, imperare debet, tu ne, an mundanus? Mundanus recipere ne debet legem a te, qui Chriſtianus es, an tu, qui es Chriſtianus, a mundo? Cujus eſt legem inferre? *Idem.*

Dei judicium judicio hominum præferendum. [margin note]

Hæſit ne S. Paulus hinc quidem Dei, inde vero hominum judicium proſpiciens? Utrum elegit? Munde, quid intereſt mea, a te, vel a legibus tuis judicari? *Mihi pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Dominus me judicare debet, hujus unius ratio mihi eſt habenda, reliqua non moror: *Qui judicat me, Dominus eſt.* Ita S. Paulus mundi judicium contemnebat; at vos nonne ita Dei judicium contemnitis? Quid intereſt mea, in oculis Dei dementem haberi, dummodo in oculis mundi ſapiens exiſtimer? Quid intereſt mea, divinam contra me habere ſapientiam, dum pro me ſtet mundana ſapientia? Quid intereſt mea, rationes, quas mundi habeo, mihi officere coram Deo, dummodo mihi mundi non conſlent inimicitiam? Quid mea intereſt, utrum ea, quæ ineo conſilia mundo placitura, diſpliceant Deo, dummodo in mundo melius res meæ ſe habeant? Addite, quid intereſt mea reprobari, dummodo hanc conſequar gloriam me ſimul cum mundo damnandi. *Idem.*

Non puduit Dei Filium opprobriorum, quæ pro nobis pertulit, cur nos pudebit ſervitutis? [margin note]

Nihil facere vultis pro J. C. & nihilominus quid fecit hic mundi Salvator vobis perferens opprobrium, quod cum miniſterio ſuo erat conjunctum? Videte illum in cruce: *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*, ad Hebr. 12. Videte, qua alacritate pro vobis moriatur, & perſeat; & quin rationem habeat infamiæ ſupplicii ſui, & confuſionis, qua inde ſuffundendus eſt, omnes amplectitur crucis pœnas, & ignominias. Eheu! ſi Deum hunc puduiſſet annihilationum, ad quas pro noſtra utilitate illum amor ſuus impellebat; ſi illum crucis, paupertatis, miſeriæ puduiſſet; ſi puduiſſet illum haberi tamquam blaſphemum a Judæis, fatuum, ſenſuque carentem ab Herode, ſontem a judicibus, quænam eſſet ſpes noſtra, & quæ via noſtræ ſalutis? *Idem.*

Audacter, & ſine metu flagitioſorum hominum ſermones ſunt corripiend[i] [margin note, partly illegible]

Nonnumquam iis intereſſe nobis accidit cœtibus, aut conviviis, ubi pietas, pudor, charitas læditur protervis, immodeſtis, maledicisque ſermonibus. Quid autem tunc chriſtiano faciendum eſt? Putatis ne vos tacendo ſatisfeciſſe fidelitati, quam debetis Deo? Veſtra vos fallit opinio, ſi hoc modo judicatis. Suam prodit conſcientiam, qui in hujuſmodi occaſionibus tacet. At enim timetis, ne vobis hominum concilietis inimicitias, vel eorum, qui adſunt, irriſionibus excipiamini. Eſto: ſed ſi vere Deum amaretis, hujuſmodi timores vobisne os obſtruerent? Si vobis inſpectantibus pater, aut rex veſter contumelia afficeretur, idne adeo tranquillo animo perferretis? Proh infelix humane reſpectus, quot Apoſtatas quotidie facis, qui turpiter cauſam Salvatoris produnt, ne aliquam patiantur irriſionem! Non puduit amabilem hunc Salvatorem opprobriis & ignominiis ſaturari, pro ſtulto haberi, ut vos ex æterno eriperet interitu; vos autem amici infideles, & infirmi malletis recentibus illum petere contumeliis, quam periculum adire amittendæ amicitiæ hominis flagitioſi, vel ſubeundi notam hominis incommodi, & hypocritæ? *Author Anonymus.*

Peccata varia, quæ per humanum reſpectum committuntur. [margin note]

Quot judices, turpiter juſtitiam prodentes, ne aliquam lædant poteſtatem pro mala cauſa acerrime laborantem, ſe nihilominus culpa vacare arbitrantur? Hac in re æque ſontes, ac olim Pilatus, cum metus diſplicendi hominibus fecit, ut horribilem patraret injuſtitiam, quam mortales omnes deteſtantur. Quot patres familias, aliique mortales, qui ex dignitatis officio, vel communi lege tenentur corrigere ſcelera, quæ ſuis oculis intuentur, eaque impune abire patiuntur? Suavitatem, prudentiam, ſapientem pacis curam appellant iniquam agendi rationem, quæ efficit, ut proximi ſui interitum minime ſentiant. Turpis hæc, & mollis indulgentia, hic timor proprie loquendo nonne vere eſt humanus reſpectus? Quot mortales, quibus gratia primos converſionis ſenſus inſpiravit, deterrentur inſano hoc mundi timore; neque illam perficiunt ab occaſionibus criminum recedentes, ne ab hominibus imbecilles, leveſque habeantur? Præferunt funeſtam voluptatem hominibus non diſplicendi ſolido honori, veroque bono placendi Deo. Malunt vitio potius, quam virtute ſcandalum afferre, hanc inviti amplectentes; & quamvis ſciant, Jeſum Chriſtum non puduiſſe, eo quod propter amorem noſtrum viſus eſt peccator, illos nihilominus pudet, & erubeſcunt videri, immo etiam fieri juſtos propter amorem illius. *P. Champigni ſermone de cæcitate ſpirituali.*

Aſcetici cujuſdam libri lectione commotus, inopinato caſu perterritus, ſaluberrimis animadverſionibus admonitus, converſionis meæ conſilium ſuſceperam, ejuſque ſyſtema mihi propoſueram: ſed quid prohibuit, ne illam opere complerem? Sodalis ille, amicus, inanis hic timor, humanus reſpectus: videlicet metus irritandi mulum procacis hominis ingenium, qui ferre non poterat, quod meum munus obirem: hoc me deterruit monſtrum, inſuperabile hoc obſtaculum mihi terrorem incuſſit. Adeo ignavus fui. *P. Croiſet tomo 2. Receſſuum pro una die cujuslibet menſis.*

Reſpectus humanus ſæpe prohibet latronum ſeſe convertendi conſilium. [margin note, partly illegible]

Timor diſplicendi alicui flagitioſo efficit ſæpe, ut magis generoſa converſionis noſtræ conſilia in irritum abeant: hic vulgo ſcopulus eſt virtutis orientis (neque enim aliud eſt humanus reſpectus). Timor hic adeo chriſtiano corde, & honeſto viro indignus præſtantiſſimos pietatis ſenſus ſuffocat; efficit, ut omnes amabiles virtutis qualitates evaneſcant; horribilem adſtruit vitæ chriſtianæ ideam. Sed quodnam eſt mordacium irriſionum, improbarum animadverſionum, aculeatorum ſatyricorumque dicteriorum argumentum, quæ mirum in modum mundanum cœtum oblectant ſumptibus bonorum, & quæ hodie haberi poſſent tamquam novum perſecutionis genus in chriſtianiſmo? Scurriliter, ſed fatue ludunt: irrident hominem, qui fidem habens terribilibus religionis noſtræ veritatibus movetur, & vitæ ſuæ rationem ſecundum fidem inſtituit: irrident eum, qui ea ſerio cogitans mala, quæ ſecum æterna calamitas pertrahit, quam diligentiſſime cavet, ne certam ſibi beatam ſortem efficiat, & nihil tam reformidat, quam animæ ſuæ ſalutem in diſcrimen adducere: irrident adoleſcentem, qui ea in re, ubi de rerum omnium vel jactura, vel quæſtu agitur, meliorem cauſam ſuſcipiat: hoc eſt, irrident eum, quod adeo immature bonum habeat ſenſum, & in adeo tenera ætate adeo ſit ſapiens. Irrident denique hominem parum frugi, quem immoderatos luxus, quem mollis, ac flagitioſa vita, quem alea immodica, ſexcentæque cupiditates aliæ totius urbis fabulam fecerant, reformare mores ſuos, vitam ſecundum evangelicas leges moderari, ſua obire munera, & jamjam chriſtianam ducere vitam. Mirum eſt, quod inter eos, qui eamdem profitentur religionem, adeo iniqui cenſores inveniantur. *Idem.*

Reſpectus humanus prohibet ne vitam mutemus, & convertamur.

Humanus reſpectus omnes fere impedit converſiones; velles adeo grave jugum excutere, ſed metuis, ne hominibus diſpliceas, quorum pleroſque vix noſti. Quid dicent, ſi mores meos reformo, ſi omnibus voluptuariis cœtibus non amplius interſum; ſi vitæ genus ingredior homine chriſtiano magis dignum, ſi accedo ad ſacramenta, ſi neque choreis, neque profanis ſpectaculis adſum? Hic ille infamis eſt ſcopulus, in quem omnia fere converſionis conſilia allidunt: hoc illud eſt ridiculum terriculamentum, quo tot bona conſilia diſſipantur; hoc populare phantaſma eſt, quod eo uſque terret, ut bonum ſenſum evertat. Quid dicent, & quid dicendum eſt? Qui cordati ſunt, te laudabunt, quod ſanum cepiſti conſilium. Parum intereſt, utrum flagitioſis hominibus placeas, quibus non placere magnus eſt honor. Quid dicent, ſi bonus fio? Et quid, niſi fio? Dicent de te, quod dictum fuit, & quod ab aliis centies dici audiviſti, quod omnes cogitant; & quod ipſe tu cogitas. Dicent majores eſſe tuos ſumptus, quam redditus; te tantum magnificentiæ, & luxus adfectare, ut generis tui humilitas oblivione obruatur; hos oris, corporiſque habitus ſuperbos, ac indignabundos dedecere illum, cui adeo exiguum eſt meritum. Dicent te patrimonium tuum alea obligurire, te nomini, & dignitati tuæ morum licentia labem offundere, atque tibimet ipſi inſignem injuriam inferre adeo nefaria vitæ ratione. Dicent tandem mundi ſpiritum extinxiſſe in te ſpiritum religionis, vitam adeo parum chriſtianam nonniſi funeſto eventu excipi poſſe. Dicent te honeſtorum hominum miſericordiam commovere, & te fortaſſe totius civitatis fabulam eſſe. *Idem in chriſtianis conſiderationibus.*

Qui virtutem amplectitur mundanorum cenſuram & irriſionem expectare debet.

Adoleſcens ineptiarum pertæſus nugarum, quarum inane ſentit, ſupernaturalibus illuſtratus luminibus, gratia illectus virtutis partes ingreditur? Quot cenſuræ, quot mortificationes ferendæ, quot amari calices hauriendi! Cupiditatum victoria ea non eſt, quæ ſemper majori ſtet ſumptu; virtus oriens numquam melius probatur, quam cum acerbiſſimæ irriſiones ſuſtinendæ ſunt, & quod gravius eſt, cum a bonis ipſis indiſcretæ exprobrationes ſunt perferendæ... Si ex omnibus partibus, in quas concedere poſſumus, cauſa virtutis eſſet deterrima, plures ne illic invenirentur obices, & contradictiones? Paucis exceptis, qui tuum laudant conſilium, & cum tuæ plaudunt electioni, quot injuſti cenſores, quot improbi critici in lævam partem optime facta detorquent, & volunt inter cæteros emicandi cupiditatem, levitatem, faſtidium ſemper cauſam eſſe reformationis? *Pater Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus.*

Senſim aſſueſcimus per humanum reſpectum opprimi.

Impenſius cogitantes, quid de nobis cogitet mundus, vel cogitabit, periculum eſt, ne habitum contrahamus ea ſolum reſpiciendi, quæ ab hominibus dicuntur, & judicantur, dum unum Deum reſpicere deberemus. In hunc defectum eo ferimur animi ſtudio, quod vix intelligi poteſt, eaque mentis imbecillitate, quæ ſemper efficit, ut ambulemus coram illis, qui nos circumſtant, & nobiſcum vivunt; ita ut id intuentes agamus per vividam impreſſionem, quam efficit in nobis quantitas, aut qualitas eorum, a quibus ſpectamur. Hæc autem cogitatio tantam habet vim, ut quin animum advertamus, judicium, & ſenſus eorum, qui circa nos ſunt, eorum inſtituta, ac mores torrentis inſtar nos trahant, atque tunc omnium actionum noſtrarum principium & cauſa eſt humanus reſpectus. *P. Surin tomo 1. ſpiritualium dialogorum cap. 8.*

Quomodo humanum deponere poſſimus reſpectum.

Duplici ratione humanum abjicere licet reſpectum. Prima ratio eſt quædam negligentia, quæ in aliquibus deprehenditur, qui nulla re moventur. Quidquid de illis dicatur, non ſtupent, aliorum ſenſibus non afficiuntur. Hoc accidit potius ex naturali quadam diſpoſitione, & indole particulari, quam ex virtute; ideoque hoc non admodum laudabile eſt. Sed altera humani reſpectus ſuperandi ratio eſt propria animorum generoſorum, qui amore Dei ita capti ſunt, ut Deus illis ſit omnia, reliqua omnia nihil; ideoque propter Deum, & deſiderium Deo uni placendi operantur. Dicat, cogitet quodcumque voluerit mundus, hoc illis non faceſſit negotium. Illi vero felices ſunt; expediti cura hominibus placendi, ac metu diſplicendi illis ea pace fruuntur, quæ perturbari non poteſt. *Idem.*

Humanus reſpectus magnus eſt obex converſioni peccatoris.

Non minimus noſtræ converſioni obex hic eſt, quod non audemus noſmet aperire, ac in pœnitentium numero recenſere. Vellemus quidem aliquid pro Deo facere; at veremur, ne nobis mundus ſuccenſeat, gratiam trepidantes inquirimus, noſtramque pœnitentiam tanta celamus cura, quanta ſcelus aliquod tegeremus. Dæmon noſtro invidens bono poſtquam omnem abſtulit verecundiam, ut peccatum committeremus, noſtrum auget pudorem, prohibiturus, ne pœnitentiam agamus. Si luxum hunc imminuerem, dicitur, ſi modeſtius incederem, ſi aliquid boni faciens deprehenderer, ſi mundi ſodalitates non frequentarem, quid diceretur de me, & mea vivendi ratio nonne mobilis, & inconſtans videretur? Plures ſunt, quos peccare non pudet, S. Auguſtinus inquit, & quos pudet agere pœnitentiam. Incomprehenſibilis amentia, ſanctus hic Pater exclamat: illos non pudet vulneris, & pudet remedii, quo vulnus ipſum curandum eſt. *Multi ſunt, quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet, o incredibilis inſania! de vulnere non erubeſcis, de ligatura vulneris erubeſcis.* Specimen ſermonum pro decima tertia poſt Pentecoſten Dominica.

SUPPLEMENTUM.

Humani reſpectus mobilitas.

CUM agitur, ut ad virtutem convertamini, tunc importunæ hæ vos morantur conſiderationes. Quid inquient? Quid de me cogitabunt? Quæ de me fabula fiet? Tunc quodnam eſt veſtri terroris objectum? quos homines intuemini? manum imprudentium, qui libidinem ſuam ſequuntur, qui neſciunt quid ſit probitas, & religio, qui mentiendo id aſſecuti ſunt, ut ea ipſa, quæ vera pronuntiant, habeantur pro falſis; homines, quibus vel genus ſuum, vel generis nobilitas inter honeſtos viros locum non tribuit; homines, qui parati ſunt veſtris ſumptibus oblectari, & in jocum æque vitia, ac virtutes, ipſamque religionem, & pietatem veſtram traducere. Adverſus hos imbecilles eſtis, ac timidi, eorumque cenſuram reformidatis. Vobis tamen, ut cenſuram illorum ſuſtineatis, ac conſolemini, deeſtne conſcientia, ratio, religio, Deus? ſapientum omnium judicium Dei judicio conforme! Nonne hinc abunde ſuppetit, ut damnum, quod ex inſipientium horum furore pertuliſtis, ſarciatis? E contra cum inſania veſtra niteſcere incipit, aliique de vobis queruntur, nonne ſtatim exclamaris. Quid mihi cum mundo? cur propius mea inſpicit facta? quodnam jus ſibi vindicat cenſoria nota meam vitæ rationem perſtringendi? Tunc quibus iraſceris? quinam ſunt iſti mortales, qui laceſſunt, & quorum judicium te provocat ad iracundiam? Hi ſunt non ſolum, quorum virtutem, rectum ſenſum, nominis celebritatem, auctoritatemque obſervare, ac vereri deberes, ſed illi etiam, quorum nequitiam, & impudentiam agnoſcis. Habes igitur adverſum te ſapientes ſimul, & inſipientes, virtutibus præditos, & vitiis notatos, bonum mundum, & malum, & Deum mundo longe majorem adverſum generalis hujus cenſuræ tempeſtatem, & nihilominus in hæc omnia audacter inſurgis: *Uſque adeo in ortio magnanimi eſtis*; S. Gregorius Nazianzenus ait. Apol. 137. Quid ergo? Mundum nihil facitis cum de explendis agitur cupiditatibus veſtris; cur igitur adeo illum reformidatis, cum agitur de muneribus veſtris obeundis? A bonorum ſententia pendere non vultis, ut vitam veſtram moderamini, & pendetis a libidine malorum hominum, qui omni carent honore, & probitate? Quorum irriſiones, & obtrectationes omni vi carent in vobis, ut mores immutetis, cum vitia veſtra reprehendunt; cum vero innocentiam, & ſanctimoniam perſtringunt, tunc

magi-

magiſtri erunt veſtri, & ab eorum ora, & judicio pendebitis? Quomodo excuſandi eſtis? *P. la Rue in Adventu*.

Ob humanos reſpectus non eſt agendum.

Quid mundus inquiet, ſi placitis illius adverſarius fuero, ſi vitam non inſtituero juxta eorum, qui eodem loco, eademque ætate ſunt, conſuetudinem? Numquid meum eſt alios ſingulari vitæ meæ ratione condemnare? Quomodo eorum irriſiones feram? quomodo in medium prodeam? Igitur latendum erit. Ecce mendacem pudorem, quo modo pavidi, officiiſque noſtris rebelles efficimur. Sed cum mundus, & vos ad Dei tribunal acceſſiti eritis, quomodo tunc prodibitis? ubi latebitis? quomodo judicis veſtri probra perferetis? Veſtrum non erat ſingulari vitæ veſtræ ratione damnare mundum, & peccatores: num quid erat veſtrum Salvatorem ejuſque legem licentia veſtra corripere? Quid inquiet mundus, dicitis: immo quid reipſa mundus inquiet? Quid afferet, ut ſe ipſum, ac vos quoque tueatur? Erit ne illi, unde voſmet protegat, & excuſet? an de vobis excuſandis ne cogitabit quidem? Tunc ſinguli pro ſe ſtabunt; ſingulis cauſa dicenda erit. Unuſquiſque de ſuo erit periculo ſollicitus, ſecurus de alieno. Tunc de me non cogitabit mundus; neque viciſſim ego de reliquo mundo cogitabo. Oculi mei, ac mens in ſolum Dei judicium intenti Dei majeſtatem intuebuntur. Cur ergo inutilis iſte mundus, ignarus, ſubdolus, ingratus, modo ſit meæ ſollicitudinis objectum, actionumque mearum canon? Ut tibi uni, Domine placeam, mihi adnitendum eſt, quia uni tibi debeo placere in æternum. *P. de la Rue in Adventu*.

Senſus habendi contra humanos reſpectus.

Sæva ſæculi tyrannis, quæ veros diſſimulare ſenſus cogit, & ſibi gloriæ vertere ipſam morum licentiam, ubi non eſt! Sed quo magis hac in re imbecillus fui, eo magis officium meum mihi obeundum eſſe cognoſco. Quo majori ſcandalo fui, eo magis ædificare volo. Si minus ad Deum reducere valeo, quos pertraxi in errores, in quibus verſabar; ſciant ſaltem, quis ſim, neque ex meis exemplis aliquam ſibi auctoritatem vindicent. Si hoc novum in mundo eſt, me in moribus meis gravem & moderatum intueri, præteriti temporis, non autem præſentis me pudet. Si rubore ſuffundor, non ideo ſuffundor, quod Chriſtianus videor, ſed quod antea viſus non ſum. *P. Cheminais ſermone in diem Pentecoſtes*.

Humanus reſpectus non minimus obex eſt a nobis ſuperandus.

Apoſtolicis temporibus non defuere quidam Philoſophi, qui cum Chriſtianorum Concionatorum fervorem ferre non valerent; rationibus, & ſuaſionibus ex humanæ ſapientiæ penu depromptis vitam eorum contemptibilem, fidemque fabuloſam efficere conabantur; cumque hoc malum ſeſe perennaverit, ac tamquam per manus traditum hæreditario jure ad noſtrum hoc uſque ſæculum perſeveraverit, videmus tamquam viſionarios, ac ſenſu ferme carentes traduci eos, quos cœleſtis ſapientia propter JESU CHRISTI amorem ſtultos effecit, & dæmon quidam, cui nomen eſt humanus reſpectus, humanis rationibus Dei ſervos exagitat. Si a ſodalitatibus recedere ſtudeo, ſaluti meæ in ſilentio conſulturus; quid inquient. Inquient, me eſſe male ingenio, moroſum, & hypocondriacum. Si frequentius ad ſacram ſynaxim acceſſero, quid inquient: Hypocrita, & pietatis ſimulator vocabor; ſi modeſtis veſtibus indutus inceſſero, at caute locutus fuero, jam dicar mundi totius cenſor, & moderator. *P. Antonius de S. Martino a Porta, libro cui titulus, Les conduites de la Grace*.

In ſalutis via nullus eſt ſcopulus magis periculoſus, humanus reſpectus.

Humanus reſpectus inimicus virtutis eſt maxime metuendus; plerumque enim prohibet, ne peccatores vitæ rationem immutent; & ne, qui converſi ſunt in virtute perſeverent, atque palam pro Deo ſe ſtare profiteantur. Quot enim boni, a Deo exciti ſanctius vitæ genus aggrederentur, niſi timor judiciorum, & ſermonum vulgi eos deterreret? Sed non moramur hic. Humanus reſpectus, qui vetat, ne bonum exerceamus, efficit quoque, ut nos pudeat a malo abſtinere. Si aliis ſimilis non fuero, quid dicetur? Si viſus fuero ab illis recedere, quibuſcum arcta mihi neceſſitudo eſt, ſi frequentius ad Sacramenta acceſſero, ſi diutius orationi vacavero, ſi religioſius in templo ſacris interfuero, quid dicetur de me? Hic ſcopulus eſt, in quem optima quæque conſilia alliduntur. *Chriſtianæ conſiderationes*.

Si adeo timemus humana judicia quanto magis divina ſunt timenda.

Quid iniquius, quam ob humanos reſpectus agere? rubeſcimus ob ea, de quibus gloriandum nobis eſſet; non Erubeſcimus vero ob ea crimina, quæ maxime turpia ſunt. Metuimus ne dicamur, arctam virtutis viam ſequi, maximo ſalutis noſtræ negotio vacare; nihil contra conſcientiam aggredi poſſe; non metuimus autem, haberi tamquam flagitioſi, & impii, ſine fide, ſine pietate, & ſine religione. Metuimus ſermones improborum quorumdam, vel eorum, quibus communis eſt virtus, qui ſæpe intra ſe nos probant, dum extrinſecus nobis irrident; & ita agunt, quia vitæ noſtræ ratio jugis exprobratio eſt, qua illos ſua redarguit conſcientia eo quod exemplum noſtrum non imitantur; & non metuimus ea, quæ tot ſapientes viri dicunt, qui palam flagitia noſtra condemnant. Timemus irriſiunculam a nobis ferendam pro virtute nos ſtare profitentibus, nec timemus æternum opprobrium, quod in omnem æternitatem perlaturi ſumus, ſi humanos reſpectus nobis dominari paſſi fuerimus. Cum autem hominum judicia tantopere reformidemus, quanto magis Dei judicia erunt formidanda? Quid enim ultionum ſuarum die dicturus eſt Deus: *Qui me erubuerit, & meos ſermones: hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua*. Quicumque noluerit me palam magiſtrum ac Dominum confiteri, ego eum palam in Diſcipulorum meorum numero non eſſe profitebor. *Ibidem*. *Luc.9.*

Inanis humani reſpectus excuſatio.

Quid mundus inquiet? Te Chriſtianum eſſe dicet, & ut Chriſtianum decet te gerere. Dicet te Deo obtemperare, & fidelitas tua ipſum ædificabit: vel ſi minus ita cogitaverit, vel locutus fuerit, illius judicia, ſermoneſque contemnes, & recordaberis, te Dei quidem imperiis, non autem mundi placitis eſſe componendum. At enim homo nauci exiſtimabor, meique nominis gloria interibit: potiſſima tui nominis gloria hæc eſt, ut propter Deum humanam quamcumque gloriam contemnas, veræque virtutis actus maxime heroicus eſt ſimul de ſemet ipſo, & de profano ſæculo triumphare. *P. Bourdalove in Dominicis*.

Stultitia eorum, quos humanus reſpectus hau ſerviunt.

Quid diceretur de milite, qui admonitus in ſpectaculo, in quo prælii imago exhibenda eſt, tormenta bellica nequaquam igneis glandibus onuſta eſſe, tamen caput corpuſque inclinaret, & ad primum pulveris pyrii fragorem fugam capeſceret? Non ne hoc ipſi quotidie facimus? Movemur hominum judicia, & ſermones nobis officere non poſſe, non ſecus ac nequeunt prodeſſe, nullum bonorum noſtrorum poſſe nobis auferre, neque ulli malo afferre ſolatium; & nihilominus hi ſermones, & hæc judicia cauſa ſunt, ut aliquod bonum opus deferamus, vel malum amplectamur conſilium &c. *Ex Tractatu de hominis infirmitate*.

Jeſus Chriſtus extremi judicii die ſe pro illis ſtare profitebitur, qui ſe pro illo ſtare profeſſi fuerint in terra.

Si decoris, officii, & æquitatis rationes minime ſufficiunt, ut noſmet pro JESU CHRISTO ſtare palam profiteamur, poſſumus ne non affici promiſſionibus, quas iis exhibet, qui illum ipſum palam coram hominibus fuerint profeſſi? Quænam hominis felicitas erit, cum ipſi prodeundum erit ante terribilem divinæ majeſtatis thronum, coram infinita Beatorum Spirituum copia, invenire Patronum validiſſimum, qui ejus cauſam peroret, qui propitium illi judicium procuret, qui gloriæ ſibi vertat laudes illius enuntiare, eumque in amicorum ſuorum albo recenſere? Non ne hoc illud eſt, quod ſe facturum eſſe ſpopondit JESUS CHRISTUS in eorum gratiam, qui in terris nomine illius inſigniri non erubuerint! Quæ è contra miſeris erit deſperatio, quos JESUS CHRISTUS terribili die illa

ſe neſcire profitebitur? A Salvatore ignorari quid aliud eſt, quam ſine ulla miſericordia derelinqui juſtitiæ divinæ ſeveritati? Illa ipſa ſententia, qua peccator æternis ignibus adjudicabitur, non erit fulmineis hiſce verbis gravior. Neſcio vos; quinam ſitis, ignoro. Ex hac animadverſione adeo ſalutari proficite. Umquam ne in delicatis hujuſmodi occaſionibus verſamini, ubi humanus reſpectus inſuperabilis vobis obex ad munia veſtra rite obeunda videtur? Cogitate ex ea electione, quam eſtis facturi, pendere, utrum in noviſſimo die benigno, an irato vultu ſitis excipiendi. *P. Segneri in Meditat.*

Contemptiogin quo juſti a mundi ſectatoribus habentur præteribitin nſrem paci'onę a præmium.

Iſai. 51.

Nihil homini chriſtiano magis officit, quam vereri contemptum, in quo apud mundi ſectatores aliquando virtus habetur. Ut nos contra timorem hunc adeo pernicioſum confirmet, Dominus nobis inquit per Iſajam: *nolite timere opprobrium hominum?* Ad quid enim tandem humanus iſte contemptus redigitur? Ad actus, & verba. Derelinquemini, rejiciemini, humiliabimini: eritis objectum obtrectationis, & irriſionis: hæc ea ſunt, quæ ne timeatis, imperat Propheta, & cur? Quia malum hoc perfunctorium eſt; cujus auctores quamprimum vobis obeſſe non poterunt, cum interim præmia patientiæ veſtræ promiſſa æque ac Deus, ipſorum auctor, ſunt duratura: *Comedet eos vermis .... ſalus autem mea in ſempiternum erit.* Propheta ſexcentas alias afferre poterat cauſas, ne hominum contemptum formidaremus; ſed in hac immoratur, quia ad omnem ex cordibus noſtris timorem exterminandum eſt præſentiſſima. Fieri enim nequaquam poteſt, ut aliquis bonus eſſe non audeat, cum ſciat, hinc quidem perſecutionem præterire, inde vero virtutis gloriam æternam futuram. Sub duplici hac facie humanum ſpectemus contemptum; & quin illum timeamus, optabimus potius, noſque beatos exiſtimabimus digni habiti, qui pro juſtitia perſecutionem patiamur. *P. Segneri in Meditat. Tom. 3.*

Ibid.

Quid eſſe ſe debeant juſti mundi in ejus contemnat.

Hi contemptus, hæ irriſiones, atque repulſæ, quæ mihi a mundo metuendæ ſunt, ſi palam in virtutis partes conceſſero, quamdiu vigebunt! Ad ſummum æque ac earum auctores; pretium vero chriſtianæ patientiæ deſtinatum æque vivet ac Deus. Quam cæcus eſt homo, qui inter hæc ipſa, quæ ſunt adeo inæqualia, anceps hæreat. Hi homines ſunt, quos mors craſtina die auferet, & qui computreſcent; homines ſuis excæcati cupiditatibus, injuſti, qui in judiciis ſuis fallaciſſimas regulas ſequuntur. Tanti facere nequeo mundanos homines, ut me illorum moveat contemptus. Quanto illis ſtabit pretio hic juſtorum contemptus! hic illis erit turpiſſimæ confuſionis, acerrimique doloris alimentum. Non eſt igitur, quod juſtus contra contemnentes ſe ſuccenſeat; eorum debet miſereri. Hic ergo non juſtus plorandus eſt, ſed mundi aſſecla. Cur enim plorandus eſt juſtus, propterea quod a mundi ſectatore contemnitur? Immo ille Deo ſuo fit jucundior, & acceptior. Si miſeratio efficeret, ut ab hominibus haberer in pretio, timerem, Domine, me omnem mercedem jam aſſecutum fuiſſe; cum autem illi me irrident, ac petunt convitiis, tunc certus ſum, audeo dicere, & meæ erga te fidelitatis, & tuæ remunerationis. *Idem ibidem.*

Licet nos mundus contemnat noſtram Salvatori ſervitutem profiteri debemus.

Sed rurſus quinam ſunt homines iſti, quorum contemptus nos terret, ac prohibet, ne JESU CHRISTO adhæreamus? Inſipientium turba eſt, id conſtituentium, quod mundus vocatur, & cujus approbatio ruborem nobis ciere deberet. Ductus exemplo tuo, Domine, jam te Calvarium verſum ſequi, videlicet humilitatis, ſimplicitatis, & chriſtianæ mortificationis viam amplecti, ſtat mihi. Me mundus irridebit; Deus autem erit gaudium mihi cogitanti, me nunc incipere tibi ſimilem fieri, ubi tuorum opprobriorum particeps fio. Eamus, anima mea, eamus extra caſtra Salvatoris opprobria ferentes. Eamus, & moriamur cum illo, egrediamur de Jeruſalem, quæ illum rejicit, atque perſequitur. Secedamus ab iis, qui illum ſpernunt, ejuſque inſtituta condemnant; cum illo Calvarium aſcendamus, ut inter Crucis brachia expiremus. *P. Segneri in Meditat. Tom. 3.*

Nobis erubeſcendum non eſt propter Evangelium.

Numquid melius, quam Deus judicabimus de eo, quod pro nobis vere eſſe debet gloriæ, vel confuſionis argumentum? Licet Domini Salvatoris humiliationes amorem ipſius in nos tantummodo teſtarentur, eſſemus ingrati, injuſti, & dementes, ſi pudore ſuffunderemur. Sed quoniam Deus nihil niſi per illas majus operatus eſt, & antonomaſtice virtus, & fortitudo illius nuncupantur, quænam erit vera gloria, & in quo illam conſtituemus? Dici merito poteſt, nullam rem tantum Chriſtiano nomini officere, quam ob id erubeſcere, quod meritis, & felicitati eſſet vertendum. Etenim propter Evangelium erubeſcere, eſt idem ac propter virtutem, probitatem, religionem rubore ſuffundi; quem enim pudet hujus regulæ morum? Niſi malos homines in omnem effuſos libidinem, qui per ſcelera, ac flagitia honoris ſui jacturam fecerunt, niſi malas mulieres, quæ propter morum intemperantiam in civitatis ludibrium traducuntur. Evangelium complectitur Salutis vias, Divinæ Sapientiæ inſtituta, & eſt totius chriſtianæ religionis compendium. Quod probrum! quod dedecus ideo erubeſcere! Per evangelium infinitam Dei erga nos bonitatem cognoſcimus, ſive in iis, quæ operatus eſt ad peccatoris infirmitatem curandam, ſive in iis, quæ facturus eſt ad obſtinatam illius in criminibus ſuis pertinaciam puniendam. Evangelium nos docet cognoſcere Deum, illum colere, atque diligere: Evangelium patriæ cœleſtis certiores nos facit, & erubeſcimus legentes illud, meditantes illud, ejuſque præceptis obſequentes, atque erubeſcimus hac una voculа deterriti, quid de nobis dicetur! O ſummam ignaviam; o dedecus non ferendum! *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Omnis ignominia in genere Salvatoris ſupplicium concomitata ſunt; hoccine verebimur, ne diſcipuli ipſius habeamur?

Ad Hebr. 13.

Cum adhuc JESUS CHRISTUS neſciebatur, probri loco erat nomen Chriſtiani, & diſcipuli ejus legiſlatoris, qui in Cruce efflaverat animam, cuivis, qui hoc nomine appellari auſus fuiſſet. Concluſio tamen, quam Apoſtolus hauſit ex his Salvatoris contumeliis, hæc eſt, nobis non eſſe metuendum, ut propter Domini noſtri amorem id genus injuriis afficiamur: *Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes.* Judæi quidem hæſitabant, utrum antiquis ritibus abrenuntiarent palam hominis crucifixi legem amplexuri; ſed cum Chriſtiani appellatio nobis amplius non ſit puduris argumentum, aperta Evangelii profeſſio ſecum fert in oculis mundi confuſionem: irridetur juſti ſimplicitas, Job inquit. Mundus abjectam, turpemque eſſe putat humilitatem, ſenſuum mortificationem, ceteraſque chriſtianas virtutes: ſed ſtrenuus Salvatoris diſcipulus Mundum ſinit dicere, & cogitare quæcumque vult, quin ipſum pudeat virtutis, quæ contumeliis proſcinditur. Patienter ſuſtinet, imo etiam ſibi gloriæ vertit, ſi iiſdem conviciis, quibus Magiſter ſuus, afficiatur. Ut inter injurias minime labefactemur, in mentem revocat opprobria, quæ ad ſatietatem uſque Salvator ſuſtinuit. Si vere Chriſtianus es, talis videare qualis es. Satin' eſt hoc filios tuos, hoc famulos tuos non ignorare? Opus eſt, ut omnes homines te talem eſſe cognoſcant. *Exeamus extra caſtra.* Mundus te irridebit? irrideat. Hoc tibi meritum erit eodem pacto ſecum agi, quo cum JESU CHRISTO fuit actum: *improperium ejus portemus,* *Pater Segneri in Meditationibus Tomo 3.*

Job 12.

Quomodo Chriſtianus nullo in diſcrimine habere debet mundi irriſionem.

Cor. 1.

Non debemus erubeſcere JESUM CHRISTUM quiſque ſecundum ſtatum ſuum annuntiando. Loquatur mundus de fallacibus placitis ſuis, nos non niſi JESUM CHRISTUM crucifixum loquamur. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum.* Sine metu Salvatoris cauſam tueamur; ac ad il-

lam

lam vindicandam præſto ſimus adverſus inferorum conatus in carceribus etiam, & inter ſæviſſima quævis ſupplicia: *In defenſionem Evangelii poſitus ſum.* Glorificemus Salvatorem iis rationibus omnibus, quas ad hunc finem adhibere poteſt diſcipulus magiſtro ſuo devotus, per reverentiam illius majeſtati debitam, per frequentem myſteriorum ejus participationem, per publicam noſtræ Religionis exercitationem, per aſſidua teſtimonia infiniti illius pretii, in quo a nobis habetur, per omnium bonorum, vitæque noſtræ, ſi ejus nominis gloria popoſcerit, ſacrificium: *In nullo confundar; ſed in omni fiducia ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corde meo, ſive per vitam, ſive per mortem.* Cæterum fieri non poſſumus perfecti Salvatoris diſcipuli, quin omnibus opprobriis ſuſtinendis parati ſimus. Sæculum enim ſemper contrarium Spiritui filii Dei quibuſcumque actibus noſtris atræ loliginis ſuccum illinet. Ex illius ſententia noſtra mundi abrenunciatio libido erit mera, virtus hipocryſis, zelus imprudentia, vitæ noſtræ ratio cupiditas per ſimulatam pietatem, meritorum defectu, inter cæteros emicandi. Sed hilariter, atque conſtanter has ſuſtinebimus contumelias, ſi oculos converterimus in Salvatorem noſtrum humiliatum, contemptum, affectumque contumelia propter amorem noſtri, noſtramque ſanctificationem: *Jeſus, ut ſanctificaret populum ſuum, extra portam paſſus eſt. Idem ibidem.*

Ad Philip. 1.

Ad Philip. 1.

Ad Hebr. 13.

Humanus reſpectus, qui ad hanc uſque diem in me ſuam exercuit tyrannidem, numquam efficiet, ut probem, quod mihi damnandum eſt, neque e contra, ut damnem, quod eſt probandum. *Mihi pro minimo eſt, ut judicer ab hominibus.* Quidquid de me homines dicant, non laboro. Cogitent quidquid voluerint, meam agendi, vivendique rationem in ludibrium traducant, nil moveo; dummodo tibi, Domine, placeam. Hæc enim ſumma eſt votorum meorum; quandoquidem mihi perſuaſum eſt, idem eſſe ac tuo cultui abrenuntiare, velle hominibus placere: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Chriſtianæ Conſiderationes.*

Proteſtatio, ſe nullo umquam in diſcrimine habiturum humanos reſpectus.

Ad Cor. 4.

Ad Galat. 1.

Beatus, inquit Dei Filius, *qui non ſcandalizatus fuerit in me:* videlicet, qui ſcandali occaſionem non arripuerit ex vita mea paupere, contemptibili, ac patienti. Erubeſcere Evangelium, nolle pium videri, mundi aſſeclarum gratiam aucupari, eorumque rationem habere, clam devotum eſſe, palam vero æquo licentiorem, horreſcere paupertatem, humilitatem, & Salvatoris paſſionem; humanorum reſpectuum cauſa bonum omittere, vel malum committere, hoc eſt *ſcandalizari* de JESU CHRISTO, abrenunciare Evangelio, datam in Baptiſmo fidem violare, Apoſtatam eſſe, infidelem, idololatram. *P. Croiſet in alloquiis pro diebus Adventus.*

Actiones ſuas ſecundum humanos reſpectus componere, eſt palam Evangelio abrenunciare.

Quæ virtus, quæ firmitas habenda eſt, ut humanis adverſemur reſpectibus, qui communis eſt ſcopulus probitatis? Honeſtus homo in vulgi opinionibus non ſubſiſtit. Si a populo probari non poteſt, ſeſe continet intra optimas intentiones ſuas, quin laboret de injuſtis eorum murmurationibus, qui magnum meritum nequeunt pati. Minus ſollicitus de iis, quæ dicentur de ſe, quam officiis ſuis rite obeundis, ac tenax veteris adagii illius, non ideo virum eſſe honeſtum, eo quod honeſtus videatur, talem ſe ſe conformare ſtudet, qualis vult exiſtimari, & ex virtutis principio, cum ſolus eſt, id clam agit, quod palam facere conſuevit propter ſcandali, dedecoriſque timorem. Oris, verborumque fucus inani ſpecie mundum fallere poteſt, & vulgi judicium decipere: ſed quid ſperandum eſt ex ea nominis fama, quæ his artibus fuerit comparata? Una via eſt, qua ad veram gloriam perveniatur. Hoc eſt, bonum eſſe. *Sermo Quartus Academiæ anni 1703.*

Vir probus & honeſtus talis intus eſt, qualis extra videtur.

Digitized by Google

SALUS ANIMÆ.

Salutis momentum; cura ſalutis; ſalutis negligentia &c.

MONITUM.

MULTA a nobis jam dicta ſunt aliquam cum hoc argumento rationem habentia, cum loqueremur de animæ dignitate, ac pretio, in quo habenda eſt; indirectè tamen, videlicet inferentes concluſiones ex principiis, quæ tunc a nobis fuerant ſtatuta. Iſtic autem de ſalute animæ noſtræ, de cura ejus habenda, deque momento hujus negotii, quod citra omnem dubitationem præcipuum, & maximum eſt, vel ut melius dicam, unicum, quod nobis in hac vita ſit, accuratius agendum eſt.

Argumentum hoc ab omnibus ferè hujus ætatis concionatoribus pertractatum fuit, habitumque veluti totius chriſtianæ diſciplinæ fundamentum, & finis omnium ſermonum, qui de ſuggeſtu habentur. Quamobrem nobis copia defutura non eſt, in cujus electione cavebimus, ne quid ex aliis decerpamus argumentis, cum quibus hoc nexum habere poteſt, cujusmodi eſſet beatitudo, qua in cœlo fruuntur, qui ſalvantur, æternaque eorum infelicitas, qui ſalutis ſuæ negotium negligunt; hæc quippe diverſa ſunt argumenta, ſuo quælibet loco pertractata. Illud vero, quod hujus argumenti proprium eſt, & in quo immorabimur, eſt ob oculos ponere periculum, quod ſubimus per negligentiam noſtram, modicamque noſtræ ſalutis curam; nihil ſatis præcaveri poſſe in re tanti momenti; neceſſitatem ſalutis operandæ, ac eligendi vias, quæ nos ad illam adducant; quin tamen latius verba faciamus de mediis ſalutis expediendæ ſigillatim, vel de obicibus ad id ſuperandis, neque de pereundi periculis, quibus jugiter ſumus obnoxii, quod infiniti laboris eſſet, & totidem diverſos ſermones exigeret.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti ſtructura.

SErmo in duplicem hanc veritatem dividi poteſt, quibus continetur quidquid hoc in argumento utilius, ac majoris momenti dici poteſt. Prior eſt, animæ ſalutem omnibus vitæ hujus bonis eſſe præferendam. Altera eſt; reliqua omnia ad ſalutem eſſe referenda, ita ut totidem veluti media ſint, per quæ ad hunc finem pervenire poſſimus.

Quoad primam veritatem, ſalutem videlicet reliquis quibuſcumque rebus eſſe præferendam, aliquot afferemus rationes ad perſuadendum aptiſſimas, quæ in lucem ſuam erunt proferendæ. 1. Quia animæ noſtræ ſalute nihil in oculis Dei majus, & ſpectabilius eſt, nihilque illius providentia dignius; quippe ideo cœlum, ac terra, & omnia generatim creata ſunt, quæ nonniſi propter hominem facta ſunt, qui in terris poſitus onice fuit, ut ibi ſalutem ſuam operaretur. Ita quo finis nobilior, atque præſtantior eſt, eo animæ ſalus ſuperat, quidquid factum non eſt, niſi ut ad ſalutem conſequendam aliquid poſſet conferre. 2. Quia nihil nobis antiquius eſſe debet, quippe quod nihil magis ad nos pertinet, quam noſtra ſalus. Hoc negotium procul dubio magni momenti eſt; agitur quippe de æterna felicitate, vel infelicitate, de lucrando, vel amittendo quidquid boni fingi poteſt, idque in omnem æternitatem, præterquamquod hoc negotium ad nos perſonaliter ſpectat, etenim in aliis quibuſcumque pro aliis laboramus, ut filiis proſpiciamus, ut familiam in commodiorem ſtatum vocemus, ut publicæ conſulamus utilitati, ut hæredes ditiores relinquamus, ſed pro ſalute noſtra laborantes nobiſmetipſis laboramus. 3. Quia proprie loquendo animæ noſtræ ſalus unum illud eſt, quod in vita neceſſarium eſt, quid enim proderit nobis, quidquid hoc in mundo acquirere poterimus, ſi animæ noſtræ in alteram æternam jacturam patiamur? *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Matth. 16.

Pro ſecunda veritate: omnia ad ſalutem eſſe referenda; hoc eſt, animæ noſtræ ſalutem eſſe ſpectandam in omnibus cœptis noſtris, ac omnia huic uni ſubmittenda: 1. conſilia, conatuſque omnes, in quorum ſingulis ex nobiſmet debemus exquirere: *Quid hoc ad æternitatem?* 2. electionem ſtatus, 3. uſum bonorum, & quidquid ad vitam pertinet, ne media convertamus in finem.

II. 1. Salutis negotium unum ex omnibus maximi momenti eſt, & nihilominus maxime præ cæteris negligitur, & in quo, ut docet experientia, minus curarum impendimus. 2. Incertiſſimum eſt, atque pluribus, maximiſque periculis obnoxium; undequaque enim inſtant pericula: ex parte mundi, qui ſcopulis plenus eſt: *Totus mundus in maligno poſitus eſt*: 1. Joan. 5. ex parte noſtrum, qui in malum proni ſumus, & cupiditatum noſtrarum, quæ violentæ, ac inordinatæ ſunt, & demum ex parte creaturarum, quæ nos ſollicitant, ac ſunt veluti totidem laquei, quos dæmon noſtræ tendit innocentiæ. Attamen hoc negotium, quod tot periculis patet, illud eſt, in quo minus nobiſmet præcavemus, noſtræque conſulimus ſecuritati. 3. Hoc negotium eſt magis ſollicitum, quod nos magis urgere deberet, ut ſemper parati eſſemus, quia diem, & horam ignoramus, qua ex hoc mundo egreſſuri ſumus coram Deo produturi ad rationem reddendam; & nihilominus hoc ipſum negotium illud eſt, quod ſemper in dies profertur, & cui poſt reliquas cogitationes, curaſque noſtras impendimus. *Aucl. ſermon. in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta in dominicali.*

III. Salutem noſtram ex S. Pauli conſilio cum timore, ac trepidatione operari debemus: *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini*, ad Philip. 2. Si enim timor eſt ſapientiæ principium, quemadmodum per os Sapientis Spiritus ſanctus teſtatur, hoc ſane de ſalute intelligendum eſt, ubi dicere poſſumus, veram artem eam conſequendi eſſe trepidare ſemper, ne in re ulla deficiamus, quæ facienda eſt, & quam ad id a nobis expectat Deus. 1. Quia timor, ne illi deſimus rei, qua nihil eſt nobis antiquius, efficit,

vut

Digitized by Google

ut nihil prætermittamus, quod aliquid conferre poteſt, ut ea e voto cedat; ille nos attentos facit in omnibus proficiendi occaſionibus, ſemperque ſollicitos tenet, ne quid faciamus, quod eventum valeat retardare; cum e contra nimia ſecuritas efficiat, ut negligatur, nullaque illius cura habeatur. 2. Quia timor efficit, ut omni præcautione utamur contra quælibet pereundi pericula, quibus mundus refertus eſt, & contra inſidias, quas ſalutis noſtræ inimici ſtruunt; & hæc vigilantia efficit, ut evitemus illas, & feliciter ad optatum finem perveniamus. 3. Quia timor efficit, ut tutiſſimum ſemper conſilium amplectamur, conſilia cum præceptis ſervemus, & plus potiuſquam minus operemur juxta ſanctorum exempla, qui ſe numquam ſatis aliquid facere poſſe arbitrati ſunt.

IV. Deus ſincere nos vult ſalvos facere; ſed homines nolunt, & quamvis omnes ſalutem ſuam ſe operari velle teſtentur, & nemo oppoſitum dicat; plerique tamen id nolunt, uti opus eſt velle, quia id nolunt, quomodo vult Deus. 1. Deus hoc ſincere vult, quapropter nobis præbet adminicula, tribuit ſubſidia, ſexcentaſque ingerit occaſiones æternam, quam nobis deſtinavit, promerendi felicitatem; verbo, & exemplo vias ſalutis nobis oſtendit, exterioribus, interioribuſque gratiis nos indeſinenter ſollicitat; verbo nihil prætermittit: *Quid ultra potui facere vineæ meæ, & non feci?* Sed homines id ſincere nolunt, nihil enim ad id faciunt, vel non faciunt quidquid poſſunt, & debent; quod locum aperit ſuſius eorum vitæ rationem, & facta deſcribendi. 2. Deus hoc vult ante cætera; hoc enim primum illius conſilium fuit facere creaturas, quæ illum poſſidere poſſent, & gratiæ illius ope hanc acquirere beatitudinem; ſed nos vulgo nonniſi poſt cætera volumus: primum conſilium, ac mens nobis eſt, in hac vel illa conditione noſmet bene ſtatuere, quod vero ad ſalutem ſpectat, hoc nobis ſecundum conſilium eſt, uique, ut poſſumus, noſmet accommodamus. 3. Deus hoc efficaciter vult; hac tamen conditione, ſi nos quoque fuerimus cooperari, ac fecerimus quidquid petit ex nobis. Sed hoc ipſi nolumus, niſi ſub iis conditionibus, quæ repugnant; ex. gr. non relinquendi hoc ſolatium, illum habitum, iſtud commercium: hoc ſimul eſt & velle, & nolle.

V. Oſtendere poſſumus, 1. quanti momenti ſit ſalutis noſtræ negotium: 2. quam neceſſarium ſit huic negotio vacare.

Primum. Negotii hujus momentum deſumitur ex magnitudine quæſtus, quem facimus, ſi illud ceſſerit e ſententia, licet cæterarum rerum jacturam faciamus, quia omnia bona, æternaque felicitas in ſalute continetur, cum e contra ſalutis ejuſdem detrimentum mala omnia ſequantur. Jactura hæc eſt infinita, generalis bonorum omnium, quæ fingi poſſunt, æterna, ac ſine reditus ſpe.

Secundo. Neceſſitas ſalutem noſtram operandi inde deſumitur, quia ad id unum in mundo ſumus, & hic noſter eſt finis; ita ut ſi naturali inſtinctu omnes beatitudinem quærimus, opus eſt, ut libera electione ad veram beatitudinem contendamus, ſalutem noſtram operari. 2. Numquam in hac vita erimus contenti, niſi adniſi fuerimus, ut beati ſimus in altera. Nihil medium eſt, neque aliud ſupereſt conſilium, vel ſalvari, vel æternis adjudicari ſuppliciis debemus.

VI. 1. Salutis negotium proprie noſtrum eſt negotium, quod non ſemper in aliis accidit negotiis. Agricola ſerit, & metit; ſed ut plurimum non ſibi, vel ſaltem illi potior pars minime cedit. Sed in negotio ſalutis, ſi oras, ſi jejunas, ſi te mortificas, ſi eleemoſynam erogas, quæſtus omnis erit tuus, & ut loquitur evangelium, idem eſt qui ſeminat, & qui metit. Ita nobis tunc laboramus, cum reliquis in rebus laboremus aliis. Præterea hoc noſtrum eſt negotium, quia ferme illud unum eſt, cui nos tantum operam navare poſſimus; ſaltem hoc unum eſt, quod ſine nobis tranſigi poſſit; quippe Deus ipſe, qui creavit nos ſine nobis, S. Auguſtinus ait, non ſalvabit nos ſine nobis. 2. Salutis negotium magnum negotium eſt, quia unum eſt, in quo ea, quæ illud conſequuntur, magna ſint, namque in infinitum uſque procedunt, deſinunt in æternitatem, agitur de æterna, infinitaque beatitudine vel acquirenda, vel amittenda, de æterna, & infinita calamitate, vel evitanda, vel ſubeunda. Hoc proculdubio magnum negotium vocandum eſt. 3. Salutis negotium eſt unicum negotium noſtrum. Alia habenda ſunt potius pro nugis, quæ non merentur, ut ne animum quidem illis advertamus, vel noſmet illis immiſceamus, ſi aliquo modo non referantur ad ſalutem, quam unice ſpectare debemus; quia ad id unum nati ſumus. *Ex variis conſiderationibus chriſtianis P. Nepveu.*

1. Illuſio eſt credere, nos ſine labore ſalvari poſſe. Verbum Dei explicitum eſt; figuræ, quibus uſus eſt, ut hanc conciperemus veritatem, totidem ſunt argumenta; hoſtes, qui nobis impugnandi ſunt, obices ſuperandi, difficultates, quæ nobis occurrunt hoc negotium procurantibus, & demum id, quod hanc ob rem a nobis exigit Deus, dubitandi locum non relinquit, quominus cura, & vigilantia opus ſit, & plurimum noſtræ corruptæ naturæ ſtatutum ſit noſtræ ſalutis opus. 2. Labor ad ſalutem operandam ſuſtinendus maximus non eſt, & ſæpe minus eo, quem ſuſtinemus, ut damnemur. Satis eſt animum advertamus iis, quæ patimur, ut mundi placita ſequamur, & iis, quibus ambitioſi, avari, voluptuoſi ſeſe ſubjiciunt, ut ſuis cupiditatibus faciant ſatis. Si tantumdem pro ſalute noſtra perferremus, inſignes ſancti evaderemus. 3. Labores, qui ad ſalutem acquirendam perferendi ſunt, plurimum mulcentur unctione gratiæ, auxilio, quod nobis tribuit Dominus, & ſpe remunerationis. VII.

Quomodonam fieri poteſt, hominem, qui ſemper beatum eſſe quærit, & qui ad hunc tantummodo finem agit, adeo parum adniti, ut æternam beatitudinem conſequatur? Quamvis hæc veri, ſummique boni negligentia ſit aliquid inexplicabile, duas tamen invenio potiſſimas cauſas, quas in duabus ſermonis hujus partibus ad examen revocabimus. VIII.

Prima eſt, quod ad id ne cogitamus quidem ob indolentiam, vel potius terribilem quemdam ſtupiditatem.

Altera eſt, quod ad id cogitare nolumus propter obſtinationem, & cordis duritiam, quæ efficit, ut hominum plerique minime afficiantur maximo omnium malorum. Nihil fidei habent in mente, nihil timoris in corde: nihil credunt, metuuntque nihil. *Ex ſpecimine ſermonum pro quadrageſima tom. 1.*

Maximum chriſtianæ prudentiæ conſilium eſt, ſerio ad ſalutis negotium incumbere; quam probaturus veritatem duas prudentiæ partes aſſumo. IX.

Prima eſt ſibi proponere magni momenti finem, ad quem ſit perveniendum. At nullus præſtantius, dignior, utilior eſt, quam ſaluti ſuæ conſulere, hoc eſt, eſſe infinite, ac æterne beatos; hic enim eſt finis, propter quem creati ſumus. Cura igitur ad finem hunc perveniendi reliquis omnibus curis eſt præferenda; in finis hujus perquiſitione aberrandum non eſt; neque aliquid audendum, quod nos inde valeat avertere. Hoc nobis agendum eſt, ſecundum hunc finem operemur, & vere prudentes ſimus.

Altera prudentiæ pars eſt quærere & eligere media, & adminicula, quæ nos ad hunc finem poſſunt adducere. Sed cum hæc ſint infinita, in iis, quæ maxime generalia ſunt, immorandum eſt; cujuſmodi ſunt, 1. ſalutem ſuam per ſe operari, quin hoc negotium aliis committatur; 2. in omnibus negotiis ſalutis noſtræ cogitationem admiſcere, ita ut omnibus in rebus hæc præſertim ſpectetur; 3. ſibi præcavere, tutiſſimas vias eligere, nihil ſorti committere. *Ex ſecundo ſermone Adventus, auctoris ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta.*

1. Salutis noſtræ negotium nos omnino occupare debet, quia negotium hoc omnes curas noſtras meretur; 2. quia hoc unum omnes curas noſtras omnino X.

poſcit:

poſcit: 3. quia negotium hoc, immo hoc unum a curis noſtris pendet. *P. de la Colombiere ſerm.46.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres. S. Auguſtinus *Serm. 46. de verbis Domini* fuſius loquitur de cura ſalutis habendæ, nec non de neceſſitate, qua in æternum beati, vel miſeri eſſe debemus.

S. Hieronymus *Epiſt. 1. ad Demetriadem* dolet, quod homines propter hujus vitæ bona ſint adeo diligentes, adeo vero negligentes in iis, quæ ad ſalutem ſuam pertinent.

Idem in Epiſtola, in qua amicum quemdam in ſcientia ſalutis erudit, miratur, quod nihil reliquum faciat ſuæ conſulendæ valetudini, cum interim de animæ ſalute ſit adeo parum ſollicitus.

S. Chryſoſtomus *Homil. 14. in Epiſt. ad Roman.* narrat, quid fecerit Deus pro hominum ſalute, quomodo primum Prophetas, mox proprium miſerit filium; & quantulum ipſi faciamus, ut curis, ac intentionibus ejus reſpondeamus.

Idem. *Homil. 22. ad popul. Antioch.* Agricolarum, militumque exemplo probat, quanam vigilantia ſaluti noſtræ vacandum ſit.

Idem *Homil. 58. ad eumdem popul.* fuſa deſcriptione oſtendit, quid pro ſalute ſua fecerint ſancti, & quid nobis pro noſtra faciendum ſit.

Idem *Serm. 27. in Matth.* in exhortatione oſtendit, ſalutem rebus omnibus eſſe præferendam.

Origenes *Homil. 2. in Pſalm. 37.* deplorat hominum cæcitatem, qui corporis ſui tantam, animæ vero adeo parvam gerunt curam.

S. Cyprianus in Epiſtola ad Donatum oſtendit, quam parum de ſalute ſua ſolliciti ſint mortales, & inutiles curas, quibus omnes fere homines occupantur.

Cæſarius Arelatenſis *Homil. 13.* queritur, quod homines agris potius, quam animabus excolendis vacant, ac ſuimet ipſorum obliviſcuntur, dum reliquorum rerum ſatagunt.

S. Bernardus *Serm. de miſeria hominum* oſtendit curarum inutilitatem in pleriſque hominibus ſalutis ſuæ curam negligentibus.

Idem *in libris de conſideratione* Papam Eugenium hortatur, ne in turba negotiorum, quæ totius eccleſiæ regimen ſecum adfert, ſui obliviſcatur.

S. Laurentius Juſtiniani *lib. de ſpirituali interitu animæ* oſtendit, quo res aliqua præſtantior eſt, eo majorem a nobis adhibendam eſſe curam, ut eam ſervemus; & hujuſmodi eſſe animæ noſtræ ſalutem.

Auctores aliqui. Granatenſis cap. 1. lib. 2. Ducis peccatorum oſtendit, ſalutis negotium omnium eſſe maximum.

P. Haineuve par. 3. Ordinis ſerm. 23. ſect. 4. docet, veram ſapientiam, de qua in toto illo ſermone verba facit, in hoc eſſe poſitam, ut ſalutis noſtræ negotio conſulamus.

P. Rapin tractatum edidit de ſalutis momento, ubi collegit, quidquid de hoc dici conſuevit.

P. Cheminais in ſenſibus piis, qui libellus eſt a ſermonibus diſtinctus, belle hoc argumentum pertractavit.

P. Valois in Epiſt. 1. qua ſæculares ad ſolitudinem invitat, hoc tractat argumentum.

In ſpecimine Ethicorum tomo 5. de cura ſalutis ſermo eſt.

Quicumque meditationes pro ſolitudine inſtituenda ediderunt, vulgo de hoc agunt argumento in meditationibus de fine, propter quem homo creatus fuit.

P. Croiſet in primo tomo ſpiritualis ſolitudinis pro una die in ſingulis menſibus.

Idem in tomo primo chriſtianarum conſiderationum agit de ſalute, ac falſis prætextibus, quos mortales afferunt circa hoc tanti momenti negotium.

Idem tomo 2. Conſiderationum agit de periculis ſalutis.

P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus pro ſingulis anni diebus, tomo 1. pro tertia Januarii die, & decima Februarii, tomo 2. pro die 8. Aprilis, pro ſecunda Maji, & ſeptima Junii, tomo 3. pro tertia die Julii.

Idem in Exercitiis, vel ſolitudine, meditatione prima, & ſecunda.

Liber cui titulus: Animadverſiones in varia Ethicæ, ac religionis argumenta; animadverſione prima.

P. de la Colombiere ſerm. 46.

De la Font, diſcurſu pro 7. poſt Pentecoſt. Domin. Concionatores recentiores

P. Girouſt in adventu agit de fallacibus deſideriis ſalutis.

Idem in quadrageſima de cura ſalutis.

De la Volpilliere ſermone de ſalutis momento.

P. Maſſillon tomo 2. ſermone pro feria 6. poſt ſecundam Quadrageſimæ Dominicam.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta ſerm. 2. de Adventu.

Idem in Dominicali 1. parte ſermonis de exiguo electorum numero pro 15. poſt Pentecoſten Dominica.

Idem in ſermone de animæ pretio pro Dominica 3. poſt Pentecoſten in 1. parte ſermonis.

In ſpecimine ſermonum pro Adventu. Sermone 7. pro feria 6. hebdomadæ Paſſionis.

Granatenſis in locis communibus, titulo *Anima.* Qui collectiones ediderunt.

Labata. Titulo *Salvatio Animæ.*

Summa prædicantium.

Theatrum vitæ humanæ. Titulo *Salus.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

DEum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo. Eccle. 12.

Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia; utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. Deuteron. 32.

Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum. Sapient. 4.

Salus autem juſtorum a Domino. Pſalm. 36.

Prope timentes eum ſalutare ipſius. Pſalm. 84.

Domine Deus ſalutis meæ. Pſalm. 37. & 87.

Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Pſalm. 52.

Dormierunt ſomnum ſuum viri divitiarum, & nihil invenerunt in manibus ſuis. Pſalm. 75.

Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde. Jerem. 12.

Salus erit timentibus nomen tuum. Michææ 6.

Miſerere animæ tuæ placens Deo. Eccli. 30.

Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Matth. 16.

Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Ibidem.

Quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Ibid.

Et tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus: ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus. Luc. 1.

Videbit omnis caro ſalutare Dei. Luc. 3.

Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Luc. 10.

Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet illam. Luc. 9.

Quid proficit homo, ſi lucretur univerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat? Ibid.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Joann. 10.

Nunc propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus. Ad Rom. 13.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. 2. ad Cor. 6.

Ro-

Rogamus vos, fratres, ut abundetis magis, & negotium veſtrum agatis. 1. ad Theſſal. 4.

Cum metu & tremore veſtrum ſalutem operamini. Ad Philipp. 2.

Omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur. 2. ad Timoth. 2.

Non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis. 1. ad Theſſal. 5.

Scio quia hoc mihi proveniet ad ſalutem. Ad Philipp. 1.

Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. ad Timoth. 2.

Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? Ad Hebr. 2.

Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. 2. Petri 1.

Exempla ex utroque teſtamento collecta.

Antiqui Patriarchæ, Prophetæ, & Sancti ſe gerunt iſtiusmodi.

NOtandum eſt in Scripturis, ſalutis curam non alio nomine indigitari, quam timoris Dei; qui enim timorem hunc habet alte in corde impreſſum, ſibi cavet a divinæ juſtitiæ ſuppliciis, nihilque aggreditur, quod divinam iram, & indignationem illi conſtare poſſit, ideoque proſpicit ſaluti ſuæ diligenter obſervans divinam legem; & ſi per fragilitatem, vel violentam aliquam tentationem aliqua in re illam tranſgreditur, ſtatim Deum placare conatur per pœnitentiam, ac in poſterum magis fidelem ſe præbet. Hoc nomine, & charactere diſtincti ſunt Sancti Patriarchæ & Prophetæ, & illi omnes, quos a ſæculi corruptione Deus præſervavit, Abraham, Iſaac, & Jacob, ſanctus vir Job, uterque Tobias, ac inter Reges David, & Ezechias, aliique nonnulli, quorum virtutes, ac in ſtatus ſui muneribus obeundis fides non aliis vocabulis exprimuntur, niſi vel quod homines fuere timentes Deum, ideoque eidem placere ſtuduerunt, vel quod coram ipſo ambularunt, quod idem eſt, ac ſi ſalutis ſuæ ſedulam geſſiſſe curam dicerentur. Nullum ſingillatim afferemus exemplum, quoniam omnes eadem uſi ſunt ſalutis ſuæ expediendæ ratione, & eandem ſecuti ſunt viam, qua ad ſanctitatem pervenirent, Meſſiæ, quem expectabant, & per cujus merita ſe ſalvos factum iri ſperabant, relinquentes munus, & officium alios ſalvos faciendi.

Quid ex Salomonis exemplo diſcere debeamus.

Salomon, qui fuit mortalium omnium ſapientiſſimus, donec Deo fidelis fuit, confitetur ſe omnium fuiſſe ſtultiſſimum; cum alteri cuipiam curæ appulit animum, quam illi placendi, & ambulandi in via, quam David pater ſuus moriens oſtenderat ipſi, & quam paulo poſt Deus ipſe illi revelaverat. *Stultiſſimus ſum virorum.* Prov. 30. Nemo umquam ſalutis momentum melius intellexit, quam ille, in hoc enim totam ſapientiam ſuam ipſe conſtituit; ſed nemo deterius ipſo eadem eſt uſus, ita ut juſtum reliquerit dubitandi argumentum, utrum præclara lumina, quibus illuſtratus fuit, culpa ipſius, & pravo eorum uſu ipſum in æternam calamitatem præcipitem dederint. Felix, ſi errorum ſuorum confeſſio fuit effectus pœnitentiæ ſuæ, & ſi rediit in viam ſalutis, a qua turpiter adeo receſſit. Saltem verba, quibus finem imponit admirabili libro, cui titulus Eccleſiaſtes, vel Concionator, ſunt eloquens concio, & documentum, cujus numquam oblivisci debemus: *Deum time, & mandata ejus obſerva; hoc eſt enim omnis homo.* Eccle. 12. quaſi diceret, hominem ob id unum in terris verſari, ut ſalutem ſuam operetur per timorem Dei, & mandatorum illius obſervantiam; & niſi huic rei ſedulo vacet, tamquam unico negotio ſuo, ipſum nequicquam in mundo verſari.

Dei filius hominum Salvator factus docuit eos, quomodo ſalutem ſuam debeant operari.

Non ſolum Dei filius factus eſt homo, ac venit in terram, ut homines ſalvos faceret, verum etiam, ut exemplo ſuo illis oſtenderet, quomodo ſalutem ſuam debeant operari. Et profecto hic Homo Deus, cujus vel minima actio ſufficere potuiſſet, ut ſalvaret myriadem mundorum hoc ipſo corruptiorum, omnia ad hunc retulit finem, verba, actiones, labores, paſſiones, mortem, ſanguinem, merita. Adhuc quotidie ad id omnes adhibet gratias, afflatus, beneficia, &, ut S. Bernardus loquitur, ſe ipſum: *Totus in uſus meos expenſus.* Hoc ille exemplum hominibus præbet, quomodo incumbendum ſit ipſis ad ſuæ ſalutis negotium, quæ eorum intereſt tanti. Sed heu! qua negligentia, quam oſcitanter illi operam navant? Nullus in precibus fervor, nulluſque ardor in iis, quæ faciunt, & pro ſua ſalute conantur. Pleriſque eorum id accidit, quod tribus diſcipulis, quos Salvator elegerat teſtes futuros dolorum ſuorum in monte olivarum, qui alto obruti ſomno dormiebant, dum Salvator maxime de hominum ſalute cum æterno patre agebat, ac impenſius orabat, & vis, quam in corda illius habebat vivax repræſentatio cruciatuum, quos hac de cauſa paſſurus erat, ex omnibus artubus ſacrati corporis uberrim ſanguinei ſudoris rivulos eliciebat. Hoc hominum plerique faciunt, dormitant eo in negotio, quod ad ipſos maxime pertinet, ac in miſera ſalutis ſuæ vivunt incuria, cum interim Salvator jugiter ſit de eorum ſalute ſollicitus; quamquam hic illos toties admonuerit, ut invigilent ſibi, ut attenti ſint, ut hoc procurent negotium, in quo de æterna agitur beatitudine, vel infelicitate.

S. Pauli exemplo huic ſalutis negotio vacandum eſt.

In novo teſtamento nullum nobis ſuppetit exemplum ejus curæ, ac ſollicitudinis, quæ de ſalute noſtra nobis habenda eſt, magis explicitum, quam D. Pauli 1. ad Cor. 9. quandoquidem ipſe teſtatur, ſe modo timuiſſe, ne reprobus fieret, poſtquam prædicaſſet, alioſque ſalutis viam docuiſſet: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar;* modo dolorem; quo angebatur, eo quod fuerat eccleſiæ perſecutor, acerrimum, aſſiduumque fuiſſe: *Triſtitia mihi magna, & continuus dolor cordi meo.* Act. 20. modo metuere, ne vitæ ſuæ ratio ſalutis cura ſibi eſſet antiquior: *Non facio animam meam pretioſiorem quam me:* quamquam hic Apoſtolus ad tantum evocatus fuiſſet miniſterium vocatione prorſus miraculoſa; quamquam certus eſſet, Deum ipſius jam fuiſſe miſertum: *Miſericordiam conſecutus ſum;* 1. ad Timoth. 1. quamquam raptus fuiſſet uſque ad tertium cœlum, ac tandem totum ſe ipſum aliorum ſaluti impenderet, cuperetque vitæ jacturam pati, ac ſe ipſum ſacrificare tamquam victimam, ut aliorum animas ſalvas faceret: *Ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* 2. ad Cor. 12. Ut intelligamus nullum eſſe ſtatum adeo ſublimem, nullum perfectionis, virtutiſque gradum, nullum officium, aut conditionem, ubi metuendum non ſit, & cum timore, ac tremore laborandum, ut ſalutem noſtram certam faciamus, quemadmodum hic ipſe nobis Apoſtolus præcipit.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Salus unica res eſt in hoc mundo neceſſaria.

M*Artha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima; porro unum eſt neceſſarium.* Luc. 10. Applicatio, qua vulgo hæc verba ad ſalutis negotium explicandum transferuntur, a S. Patribus probatur; & concionatores adeo crebro illis utuntur, ut hodierna die hic unus ferme ſit uſus eorum; ita enim palam exprimunt & neceſſitatem unico huic negotio vacandi, & cæterarum curarum inutilitatem. Haud ita, fideles; haud neceſſarium eſt, vos hunc agrum acquirere; hanc exercere dignitatem, vel has poſſidere divitias: quamquam enim hæc omnia bona poſſideretis, ſi animæ veſtræ detrimentum facitis, niſi ſalutem veſtram operamini, omnia pro vobis amiſſa ſunt; & licet hæc omnia amitteretis bona, dummodo animam veſtram ſalvam faciatis, omnia ſalva ſunt, omnia in tuto ſunt vobis; hoc unicum lucrum omnes reparat jacturas; illud enim unice neceſſarium eſt: *Porro unum eſt neceſſarium.* Fruſtra ergo turbamini, ac ſolliciti eſtis pro vitæ hujus negotiis: *Sollicita es, & turbaris erga plurima;* ea enim omnia, quæ ad ſalutem non pertinent, nullius momenti ſunt. Tandem enim hoc

unum

unum eſt illud, quod in hoc mundo nobis faciendum eſt; hic unicus finis eſt, quem in omnibus operationibus ſuis ab extra ſibi propoſuit Deus; unicus ſcopus eſt, quo Deus in omnibus vitæ ſuæ ærumnis ſpectavit; hoc majus, & unicum negotium eſt, quod habeamus, & poſt quod alia quæcumque negotia nullius eſſe poſſunt momenti.

Salus noſtra primum, & maximum negotium.

Qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit? Eccli. 14. In minimis rebus adeo ſolliciti, cur adeo pacati ſumus in re tanta, quanta eſt noſtræ ſalutis negotium, ubi de rebus omnibus, idque in æternum agitur? Statim ac vobis dicitur; Hoc intereſt veſtra, hoc ad vos pertinet, quibus motibus non agitamini? Nihil intentatum relinquitis, nullum vos deterret impedimentum. Num ullum vobis majoris momenti negotium eſt, & quod preſſius ad vos pertineat, quam ſalus veſtra? Quare amor proprius, qui vos adeo ſollicitos agit pro nugis, ſtatim ac ad vos ſpectant, vos ſecuros incredibili ſinit tranquillitate frui eo in negotio, quod pro vobis momenti eſt infiniti!

Quomodo ſalutem noſtram operari debeamus ex ratio.

Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini. Ad Philipp. 2. Vera, vel ut melius dicam, unica ratio, propter quam tot mortales ſalvari deſiderant, & nihilominus tam pauci ſalvantur, hæc eſt, quod pauci ſaluti ſuæ vacant, eamque curant, uti opus eſt. Hæc languida tantum ſunt deſideria, aerea conſilia, inefficaces voluntates, vel potius meræ velleitates. Manus operi admovenda eſt, ſemperque metuendum, ne hoc nobis negotium non accidat e ſententia; ita ut hic timor efficiat, ut omnes impendamus curas, omnique utamur vigilantia: *Operamini.* Negotia numquam perficiuntur, niſi ea tranſigis. Mercator non diteſcit, niſi negotiatur; faber opus ſuum non abſolvit, niſi operatur, nec umquam ſalus tua fiet, niſi eam operatus fueris: *Operamini cum metu, & tremore.* Operamini cum metu, qui a terrore, ac tremore non diſtet. Quis metus æquior, magiſque rationabilis eſt, quam ne ſimus in æternum miſeri, ne amittamus regnum æternum, & Dei ipſius poſſeſſionem in omnem æternitatem? Niſi hoc metu percitı fuerimus ad adſpectum periculorum, in quibus ſumus in æternum pereundi, vel ſenſu, vel religione caremus! *Operamini veſtram ſalutem.* Toto animi ſtudio, & cum timore ad ſalutem veſtram incumbite; nonniſi unam habetis animam; pro hac unice vobis laborandum eſt, ſi hanc amiſeritis, de omnibus jam actum eſt in nullam reditus ſpem: *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.*

Domine ſalva nos perimus. Matth. c. 8. Ad te, Deus, confugere debemus, tibique ea dicere verba, quæ olim dixerunt Apoſtoli tui videntes ſe jam jam fluctibus maris deglutiendos. Salva nos, Domine, in procelloſo hoc mundi pelago, ubi furentes venti jugiter perflant, ubi tot latent ſcopuli, quos evitare non poſſumus, niſi nobis te ducem præbueris. Tempeſtas imminet, jam ſuperant fluctus, ars inutilis fit, ac vis caret effectu: *Salva nos.* O Domine, apertus ille oculus, qui ſuper electos vigilat, numquid nobis clauſus eſt? *Perimus.* Nos trahit mundus, torrens nos rapit, mors nobis dominatur, omnia ad interitum noſtrum conſpirant; numquid nos deſeres? Memento mirabilium, quæ operatus es, ut me ſalvum faceres, ac perfice opus, quod tantis tibi ſumptibus ſtetit.

Quantum pro noſtra ſalute fecerit Deus & quantulum ipſi faciamus.

Pater meus uſque modo operatur, & ego operor. Joan. 5. Ait Jeſus Chriſtus de æternitate verba faciens. Ab æterno Pater meus operatus eſt, & ego ſecum operor; qua autem in re? Auditis? In animarum noſtrarum ſanctificatione, & negotio ſalutis, quam ipſi negligimus: *Pater meus operatur.* Pater meus ad id operatus eſt; ideo creavit cœlum, & terram, ideo nobis animum præbuit docilem, qui erudiri poſſet, nobiſque effinxit cor liberum, & quod gloriam nobis mereri poſſet; hic eſt enim finis creationis, cujus debitores eſtis Patri meo: *Pater meus operatur.* Opera autem mea a conſiliis illius non abhorruerunt: *Et ego operor.* Licet ſim verbum divinum, humanam indui carnem; filius Dei effeci, ut vocari poſſem filius hominis, idque ut ſalvum facerem, quod perierat: *Veni ſalvum facere, quod perierat.* Magno huic operi impendi curas, ſudores, & ſanguinem. Majora etiam præſtiti; benevolentiam quippe meam uſque ultra deceſſum meum protuli, & uſque ad momentum, quo loquor ad vos, per gratias meas. Quid! Deus, cui gloriæ cedet æque & ſalus mea, & interitus, meæ ſtuduit ſaluti, in hoc ſe ſe totum impendit, ego vero negligam illam?

Quid faciens vitam æternam poſſidebo? Luc. 18. Hoc omnes Chriſtiani dicere deberent Deo, ſi vero ſalutis deſiderio flagrarent; hoc enim deſiderium, cum eſt ſincerum, complectitur ſalutis cæteris quibuſcumque rebus prælationem. Doctor Legis, qui ex filio Dei quærebat, *Quid faciens*, teſtatur: nihil eſſe, cui faciendo paratus non ſit; ſe acquiſitionem ſalutis tamquam negotium unice neceſſarium putare, ac omnia huic uni poſthabere? Sed e contra deſiderium hoc in pleriſque hominibus adeo infirmum eſt, ut ne minimum quid conari velint, ut ea relinquant, quæ huic fini vel minimum obicem poſſunt ſtatuere. Non dicunt, *quid faciam?* Sed nihil facere volunt, immo nec ſcire volunt, quid ſibi faciendum ſit, nec eas vias inquirunt, per quas ad finem hunc pervenitur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Si cor habes, intellige, quia omni neceſſitate major eſt neceſſitas animæ ſalutis. Ambroſius, Serm. 4. de Camelo, &c.

Attende tibi, hoc eſt, animæ tuæ, in qua te potiorem eſſe noſti. Idem.

Quo præſtantior cauſa; eo debet eſſe attentior cura. Idem, l. 1. Offic. c. 44.

Quid te pro ſalute tua facere oportet, quando pro te Chriſtus in oratione pernoctat? Species tibi datur, forma præſcribitur, quam debeas æmulari. Idem, lib. 5. in Lucam.

Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ejus momenti eſt unius hominis ſalvatio, cujus momenti eſt omnium perditio. Idem, in Epiſt. ad Hebræos.

Summa amentia eſt, ut cum diabolus animarum noſtrarum perditioni tantopere invigilet; nos contra, pro noſtra ipſorum ſalute non eandem adhibeamus diligentiam. Chryſoſt. Homil. 2. in 2. Joannis Epiſt.

Anima cum quotidie vulneretur, & præcipitetur, & modis omnibus pereat, nec parva pro ea nos ſollicitat cura. Idem, l. 1. de Compunct. cordis.

Nihil ita gratum Deo, & ita curæ, ut animarum ſalus. Idem in quadam Homil. in Geneſim.

Nihil tam dignum Deo, quam ſalus hominum. Tertull. l. 2. contra Marc.

Summa eſt voluntatis Dei ſalus eorum, quos adoptavit. Idem, l. de orat.

Salus creaturæ lucrum eſt creatoris. Hieronym. in Jeremiam.

In vacuum accipit animam, qui ſola præſentia cogitat, & quæ ſequuntur in perpetuum non attendit. Greg. l. 7. Moral. cap. 19.

Homines proviſione perverſa impendunt parvo tempori curam maximam, maximo tempori curam brevem. S. Eucherius, Epiſt. ad Valerianum, de contemptu mundi.

Primas apud nos curas quæ prima habentur obtineant, primaſque ſollicitudinis partes ſalus, quæ prima eſt; ſibi vindicet. Idem ibidem.

Hæc nos cura occupet, non jam plane prima, ſed ſola. Idem, ibidem.

Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ detrimentum. Idem ibidem.

O inſania ægroti! anima tua languet in peccatis uſque ad mortem æternam, & non quæris medelam. S. Bonavent. Serm. 10. in Rogat.

Qui

Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te. Auguſt. de verb. Apoſt.

Optimus æſtimator rerum, qui nihil ſuorum ſibi præferendum exiſtimet: quam multi ſaluti propriæ modicam viliſſimamque pecuniam prætulerunt. Bernard. Serm. 30. in Cantic.

Non ergo ſapiens, qui ſibi non eſt. Idem lib. de conſiderat.

Cuſtodi ſalutem tuam, ſemel pro illa Chriſtus mortuus eſt, ſi illam amiſeris, non poteris habere Chriſtum alium qui pro te moriatur, vel ejuſdem Chriſti aliam mortem. Hugo a Sancto Vict. in hæc verba: anima mea in manibus meis ſemper.

Nihil utilius eſt quam ſibi utilem eſſe. Seneca l. 2. de Beneficiis.

Majorum nugæ negotia vocantur. Idem.

In rebus ad ſalutem pertinentibus, hoc ipſo quis peccat, quod certis incerta præponit. Aug. l. 1. de Baptiſmo cap. 3.

Damna animæ totum penitus ſecum auferunt, nec quicquam homo omnino habere poteſt, qui ſeipſum damna animæ pereuntis amittit. Salvian. lib. 2. ad Eccleſ. Cathol.

Nulla poteſt compendii cauſa conſiſtere, ubi conſtat animæ intervenire diſpendium. S. Eucherius.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu in hoc argumento depromi poſſit.

Cujus naturæ ſit ſalutis noſtræ negotium.

ANimæ ſalus cum neque peculiaris aliqua ſit virtus, neque boni alicujus ſingillatim adeptio, nequit aliter definiri, quam ſupremi boni poſſeſſio, propter quod creati ſumus, neque alia tradi poteſt notio neceſſitatis ejuſdem, niſi dicerimus agi de æterna felicitate, ſi res e ſententia ceſſerit, vel de æterna miſeria, ſi ſecus contigerit. Hoc eſt ſalutis negotium, & ex hac idea eruere debemus omnes morales concluſiones, omnes practicas virtutes, & conſilia omnia, quæ nobis capienda ſunt pro vitæ ratione inſtituenda, & ſecundum hanc omnes actiones, ac negotia quæcumque regere debemus, verbo, reliqua omnia ad hunc veluti finem ſunt referenda.

Neceſſitas ſalutis noſtræ procipiendi.

Salus, quæ conſiſtit in poſſeſſione boni ſupremi, quod nos æternum beatos facit, finis eſt, propter quem creavit nos Deus, & unum illud neceſſarium, de quo Dei filius loquitur in evangelio: *Porro unum eſt neceſſarium.* Hoc proprie illud eſt, ut Sapiens inquit, quod totum facit hominem, quod illi eſt eſſentiale: *Hoc eſt omnis homo.* Quaſi dicere vellet, obligationem ſerviendi Deo, mandata illius obſervandi, ac in illum, tamquam poſtremum finem tendendi, quæ viæ ſunt ſalutis expediendæ; hanc, inquam, obligationem non minus eſſe neceſſariam homini, ſi in morali ordine ſpectetur, quam eſſentiale ſit homini in naturali ordine corpus, & animam rationalem habere, & quemadmodum Deus facere non poteſt hominem, qui corpore, animaque non conſtet, ita efficere non poſſe hominem, qui in Deum tamquam poſtremum finem ſuum tendere non teneatur. Itaque dicere poſſumus eum, qui ſaluti ſuæ non conſulit jugiter tendens in Deum tamquam extremum finem ſuum, non eſſe proprie hominem, ſed hominis phantaſma, & monſtrum eſſe in morali non minus inauditum, quam eſſet in natura ignis, qui non calefaceret, & Sol, qui non luceret: cum hoc tantum diſcrimine, quod cum homo ſit agens liberum, voluit Deus hunc libere tendere in finem ſuum, & laborare, ut eum aſſequatur.

Salus noſtra fuit primum objectum conſiliorum Dei.

Noſtra ſalus primum fuit objectum cogitationum Dei, cum in æternis conſiliis ſuis decrevit facere creaturas intelligendi vi præditas, ſtatim eas huic ſaluti deſtinavit, eiſque omnia præparavit adminicula, quorum ope ad eam pervenirent. Itaque ab æterno & ſimul ac mundum creare decrevit, de hominum, qui illius præſtantiſſima pars erant futuri, ſalute cogitavit. Præterea ad hanc unice ſalutem reliqua opera ſua retulit ſeu in ordine naturæ, ſeu in divino ordine gratiæ. Ad finem hunc retulit creationem mundi; & partium omnium, ex quibus compoſitus eſt, immo etiam eventus omnes, qui in orbe politico eveniunt, & ad finem uſque ſæculorum eventuri ſunt, quorum non alius erit finis, quam provehere magnum opus ſalutis hominum generatim, particulariter vero electorum. *Omnia propter electos*, S. Paulus ait.

Hominum ſolus fuit finis propter quem Dei filius in terras deſcendit.

Hic præcipuus fuit ſcopus miſſionis filii Dei, qui ſecundum ſanioris Theologiæ ſenſum, & magis conformem traditionem carnem non induiſſet, niſi homines illi ſalvandi, ac redimendi fuiſſent. Hoc unum coegit illum de majeſtatis, & magnitudinis ſuæ ſolio deſcendere, gloriæ ſuæ radios abjicere, ac noſtras infirmitates, ac miſerias ſuſcipientem ſeſe dimittere ad eum ſtatum, qui ſummam illius dignitatem dedeceret. Ille mirabilis adeo dejectionis non alium ſibi propoſuit finem, quam ad cœlum revocare hominem, qui omni ſuo exciderat jure, quam in anima illius per peccatum deformata rurſus imprimere divinæ ſimilitudinis ſuæ lineamenta, quam inquirere, ac in via ſalutis reducere ovem, quæ deerraverat, & quæ ad ipſum non poterat amplius reverti, niſi hanc ille eam reducendi curam ſuſcepiſſet.

Salus eſt finis generalis negotiorum omnium, quæ habere poſſumus in mundo.

Omnia hujus mundi negotia ad unicum ſalutis negotium ſunt referenda, quippe ſecundum S. Thomæ ſententiam ſalutis negotium finis eſt generalis, ad quem omnes particulares, & ſubalterni fines in mundo collimare debent. Plures ſunt ſtatus, plura officia, magiſtratus alicujus exercitatio, familiæ cura, filiorum educatio, negotiatio, bellum, forum; ſed hæc omnia in fine ſuo unum ſunt, quia eorum multiplicitas ad unius neceſſarii unitatem referuntur: *Non multa ſed unum, quia multa ſunt ad unum.* Itaque ex hoc principio poteſt inferri, unum nobis dumtaxat in mundo eſſe negotium, nos videlicet ſalvos faciendi, cum alia quælibet negotia huic uni ſubordinata ſint, neque aliud ſint, quam diverſæ rationes, quibus ad finem pervenire poſſumus negotii illius, quod Patres, atque Theologi ideo unicum negotium appellant. *Porro unum eſt neceſſarium.*

Salutis noſtræ negotium, & a Deo, & a nobis pendet.

Si noſtra ſalus ab uno penderet Deo, optime illi conſultum eſſet, nobiſque ſecuros, ac tranquillos eſſe liceret, ſed pendet etiam a nobis, neque illi deterius poteſt eſſe conſultum. Voluntas infirma, mens cæca, corruptum cor, quod magnam habet propenſionem in malum, & multam erga bonum repugnantiam, non magno nobis ſunt auxilio, vel potius maxime ad ſalutem impedimento, & hæc tamen affectio noſtra eſt. Sed ex hac certiſſima veritate, ſalutem videlicet noſtram a Deo ſimul, & a nobis pendere, ſequitur, quemadmodum Deus omnia illius procurandæ nobis præbuit adjumenta, nihilque eorum omiſit, quæ ab ipſo pendebant, niſi ſalvamur, nobiſcum tantummodo ſuccenſere debere, & interitum nobis dumtaxat acceptum relatum iri. *Perditio tua ex te Iſrael.* Oſeæ 13. Deus vult nos vere ſalvos facere, nos vero ſalvos fieri volumus imperfecte. Deus hoc vult, hac tamen propoſita conditione, ut nos operemur, conditio pendet a nobis, ſi ipſi nolumus conditionem operi ſalutis noſtræ inhærentem, ergo vere ſalutem noſtram non volumus: *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*, S. Aug. inquit.

Diſcrimen inter juſtos, & peccatores.

Inter Juſtos, & peccatores, qui æque in ſæculo vivunt, hoc diſcriminis intereſt, quod juſti primam contendunt, ut ſalutem ſuam operentur, & mox curas, quas ipſorum ſtatus exigit ab illis, terrenis rebus impendunt, ſed peccatores ordinem hunc ſubvertunt, ſemperque intenti, ut temporalem ſibi procurent felicitatem, operi ſalutis ſuæ aliqua tantum impendunt momenta. Illi cœlum terræ præponunt, & referunt ad Deum, quidquid pro mundo videntur facere; hi cœlo terram præferunt referuntque paſſim ad mundum id, quod videntur facere propter Deum, hoc eſt, peccatores felicitatem ſuam in temporalibus bonis inquirunt, & ſi Deus in animas illorum ſalutarem gratiæ rorem infundit, illi orientes ſuffocant fructus ſpinis, & curis ſæcularibus quibus occupantur.

Prudentia quælibet, ut ſit virtus, poſſit, opus eſt,

Vera prudentia eſt ſaluti ſua vacare.

eſt, ad finem pervenire, quem ſi conſequi nequeat, jam prudentia non eſt: etenim ex Ethicorum ſententia prudentem eſſe, eſt media diſponere, quæ nos ad finem perducant. At ſola ſalutis prudentia finem obtinet, quem ſibi proponit. Quid ſibi vult homo, qui humanæ prudentiæ conſilio regitur? Nonne conſtat, finem illius eſſe ſe ſe beatum efficere? At non aliud volo argumentum, quam ipſam ſæcularium experientiam, illinc beati ſunt, an potius inceſſanter miſeri? Hic eſt commentitiæ ipſorum prudentiæ effectus. At non hoc dicendum eſt de ſalutis prudentia; hæc ſibi proponit felicitatem, ſed tuto eamdem conſequitur.

Ut ſalutem operemur, neceſſe non eſt terrena omnia relinquere.

Cum dicimus, ſalutis curam terrenis quibuſcumque curis eſſe præferendam, non dicimus, alias qualcumque occupationes eſſe omnino abdicandas, ſufficit enim has illi ſubordinare, nihilque aggredi, quod progreſſum illius remorari, & prohibere valeat, hoc pacto quemadmodum omnes illæ unum tantummodo finem haberent, uti jam dictum eſt, ſimul omnes unum dumtaxat conficerent negotium, non ſecus ac videmus in qualibet ſcientia, licet prope de infinitis agatur argumentis, unum tamen eſſe præcipuum, univerſale, ac ſuperius, quod cæteris dominatur, & efficit, ut cum omnia eidem innitantur principio, & ad eumdem finem referantur, omnia ſub eamdem facultatem redigantur, & unum, eumdemque titulum gerant.

De ſalutis acquirendæ difficultate judicium ferri poteſt ex ea difficultate, quam experimur in ſervandis præceptis, & inſtitutis evangelicis, necnon ex parvo numero eadem obſervantium. Non loquor iſtic de conſiliis, diceres quippe, hæc non eſſe abſolutæ ad ſalutem acquirendam neceſſitatis, tamen obiter obſervandum eſt, conſilium plurimis in caſibus in præceptum migrare erga plurimos, & ſolitudinem, ex. gr. patientiam inter injurias, fugam ſocietatum, commodorum, honoris, immo etiam amicorum, evadere poſſe præceptum juxta illam fundamentalem evangelii regulam: ſi manus tua fuerit tibi lapſus occaſio, abſcinde eam, & projice abs te.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Neceſſario vivimus inter infinitam beatitudinem, & miſeriam.

Nobis optandum eſt bonorum omnium maximum, bonum ſummum, nobis timendum eſt malorum omnium maximum, malum ſummum, nobiſque vel hoc bonum, vel malum hoc neceſſario eſt eligendum. Omnes motus noſtri ferri debent in alterutrum, poſterius evadere non poſſumus, quin priori nos dignos præbeamus, nec prius mereri, quin a poſteriori recedamus, atque in optione hac de æterna vel felicitate, vel infelicitate noſtra agitur. His poſitis res poſceret, ut indeſinenter vel violento inflammati eſſemus deſiderio, vel graviſſimi timoris terrore eſſemus perculſi. Optamus opes, honores, voluptates, requiem, hoc bonum, quod, ſi voluerimus, erit vitæ noſtræ terminus, erit congeries divitiarum, voluptatum, quietis, quæ omnia ſolida erunt, perpetua, immutabilia, ineffabilia, incomprehenſibilia. Paupertatem metuimus, ignominiam, dolorem, triſtitiam, malum hoc, cui vitæ noſtræ terminus finem imponet, niſi illum evitare contendimus, erit congeries paupertatis, ignominiæ, doloris, mœrorem teterrimorum, mortalium, ſine ullo ſolatio, ſine ſpe, & cum furenti deſperatione conjunctorum. Inter duos hoſce terminos adeo oppoſitos nihil nobis negotium faceſſit, vivimus quaſi noſtra non intereſſet, magis immoramur, ea vero, quæ in hac vitæ ratione magis abnormia ſunt, miſſa facio. Fluctuantes fere ſine ulla intermiſſione de cupiditate in cupiditatem, & de timore in timorem, bonum, & malum hoc, a quo factum noſtrum pendet, reſpicimus tamquam objectum, quod ad nos minime ſpectet, anima noſtra nihil ibi videt, quo exſtimuletur, & propter quod tranquillitatem ſuam debeat perturbare:

Ex libro, cui titulus: Animadverſionis in varia religionis, Ethicæque argumenta.

In hoc mundo vivimus quaſi ſalute noſtra nihil eſſet nobis metuendum.

Hoc modo affecti ſumus erga æternam noſtram infelicitatem! Vivimuſne tamquam ii, quibus in tanti momenti negotio ſit metuendum! Timor quid non operaretur in nobis? Quam vigilantiam, quas præcautiones, quam circumſpectionem a nobis non exigeret, periculum adeo terribile! Attamen hoc libentiſſime ſopore nos capi ſinimus. Nihil in mundo facilius eſt, quam noſtra damnatio, & noſtræ ſalutis jactura: unicum momentum, actio unica illius eſſe poteſt cauſa, attamen diceres, hoc omnium minime a nobis timere. Incredibilis hæc eſt incuria. Si verum eſt, nos ſalvos fieri velle, noſtrum eſt de hujus incuriæ veritate, vel falſitate ferre judicium. *Idem.*

Fide, ac ſpe deficimus cum ad ſalutis noſtræ negotium non incumbimus.

Æternitatem non credere impia infidelitas eſt, eam contemnere, ſtulti deſperatio. Chriſtianus eam credit, & nihilominus dies ſuos in licentia traducit, illum hanc mereri nolle affirmo. Male vivit, ac ſe illa dignum præbere vult, hoc fieri nequaquam poſſe contendo; crimen non eſt ad ſalutem via. Eligat ergo, vel deſerere fidem, quæ illi cælum proponit, vel deſerere ſpem illuc ingrediendi, ſi in peccatis perſeverat. Quomodo enim ſimul ſpes, ac fides conciliari poſſunt cum actionibus illius, qui æternam felicitatem vel non expectat, vel flocci facit! Perſuaſum nobis eſt, fidelem ſeſe ſubmittere eſſentiali huic religionis articulo, adeſſe æternum virtutis præmium, nobis etiam perſuaſum eſt, illum nullo in diſcrimine habere poſſe mercedem adeo uberem, ac duratione infinitam. Quoniam non dubitat, quoniam & ipſe novit, hanc ſibi numeris omnibus abſolutiſſimam felicitatem eſſe allaturam, ipſe vitæ ſuæ cum ſenſibus ſuis comparationem inſtituat. Æternitas iſta fluxis omnibus negotiis illius debet præponderare. Nonne hoc verum eſt? Si futiles voluntates, & nugacia bona in corde ipſius ſaluti, æternæque ejus prævalent felicitati, cui acceptam referre debet hanc perturbationem? Fides, & cogitatio ſua illum ad ſupremum bonum impellunt, ipſe vero eo non fertur, immo recedit, ac perit. Velit, nolit, fateatur oportet, ſe illud vel non credere, vel nauci facere; o terribilem mundanæ, flagitioſæque vitæ ſtultitiam! *Idem.*

Incredibilis plerumque mortalium in ſalutis negotio negligentia.

Quot mortales in habitu peccati vivunt cum noxiis affectionibus, quin cogitent agere pœnitentiam, & cum Deo in gratiam reverti? Numquid ignorant malum, quod ipſis impendet? Nequaquam fidem habent. Dubitant de vitæ, mortiſque incertitudine? Poſſent ne, etiamſi vellent? Poſſunt tunc morte opprimi, dum in ſuis commerciis iniquitatis alte demerſi ſunt, hoc negare non poſſunt. Si ex hac luce exturbantur ſine alio, quam criminum ſuorum apparatu, ut prodeant coram Deo, jam in æternum reprobati ſunt. Hoc ſatis liquet. Attamen non timent, neque laborant, ut meliorem exitum habeant. Hæc incredibilis eſt in ſalutis negotio negligentia, quod illis curæ nequaquam eſſe videtur. In horribili periculo, in quo verſantur, labor, vel diligentia mediocris ſatis non eſſet ad indigitandum ſuum inde emergendi deſiderium ... Sed eventus, ubi de noſtra agitur æterna felicitate, omnes occupare debet curas noſtras, diligentiam omnem, ac ſtudium. Quod nondum ſatis eſſet, ſi vere metueremus, ne id nobis cederet e ſententia. Labor noſter nos præſtare debet alacres, ac induſtrios, efficere debet, ut non vulgares conatus exeramus, nos ſemper ſollicitos, incertoſque agere debet, ut aggrediamur, quodlibet, ne pereamus, nobiſque ſexcentas rationes oſtendere, quibus ſaluti noſtræ tuto proſpiciamus. Si quid boni ſenſus, vel bonæ voluntatis in nobis eſt reliquum, fieri nequit, ut in vulgari providentia confidamus. Ut nobiſmet conſulamus ea in re, ubi, ſi miſeri ſumus, in nullam reditus ſpem prrimus, omnia inimicorum facta, & conſilia ſcrutamur, amicorum opera utimur, patronos acceſſimus, omnia ad examen vocantur, conſilium adhibetur, urgetur, ſollicitatur, nihil intentatum relinquitur, & omnia nullis ſtare ſumptibus exiſtimamur.

Mun-

Digitized by Google

Mundani vero vix conſiderant, quid ſibi metuendum eſt, omnia ſperans, quin ſibi caveant, ne pereant. Longius adhuc illorum incuria procedit; vivunt contenti, ſine conſideratione, ſine cura, ſine ſpe. Illinc cupiunt, illinc ſalvati volunt? *Idem*.

Stuti opus eſt ſalutem noſtram cu peremus; omnibus, quæ adverſantur, ob ſtaculis reſiſteremus.

Experimur, quanta ſit ſalutem operandi difficultas, & dolemus; quin immo hæc imprudentiæ, & ignaviæ noſtræ prætextum miniſtrat. Si nihilominus verum eſt, nobis cordi eſſe noſtræ ſalutis opus, undenam fit, quod excitati iis laboribus, qui illam comitantur, gloriæ nobis non vertimus, ut aliis in rebus, votorum ſummam conſequi? Undenam fit, quod facile deterrent nos obices, qui neceſſario ſe nobis offerunt, & quos ſuperare in nobis ſitum eſt? Ne putemus gloriam otio, & deliciis nos conſecuturos; nos terrere non debent obices a nobis in via ſuperandi. Mirum igitur eſt, ſalutis noſtræ negotium a nobis deſeri, quia difficile eſt, a nobis inquam, quibus vanitas animos facit iis in rebus, ubi conſtantiæ noſtræ periculum fit. Chriſtianiſmus, omniaque æternæ beatitudinis bona non ſatis magnam in nobis vim habent, ut excitemur; languemus ſtatim, ac inertes otiamur, quaſi noſtra non intereſſet ſalvari. Dic quodcumque cupis, ut te palpes, ut temet ipſum obtundas, numquam fiet, ut ſinceram ſalutis voluntatem cum hac molli incuria concilies. *Idem*.

Nulla eſt negligentia par illi, quam de ſalute noſtra ipſi habemus.

Cuinam tam modicum zeli, & charitatis ineſt, qui ſalutem noſtram magis negligeret, quam ipſi negligimus, ſi noſtra ſalus ab ipſo penderet, quemadmodum pendet a nobis! Quid ergo cogitamus; cuinam rei immoramur? Dicite, quæſo, quibuſnam in rebus impenditis rationem hanc adeo perſpicacem, hanc adeo ſublimem intelligendi vim, hæc præclara lumina, hanc ſapientiam, has vires, hæc talenta, vitam hanc, quam vobis nequaquam dedit Deus in nugis impendendam? Numquamne cogitaſti æternæ ſalutis tuæ negotium eſſe omnino in manibus tuis, vitam ideo tibi fuiſſe datam, ut indeſinenter ſalutem tuam procurares; verbo, hoc illud eſſe negotium, quod tua maximi refert, unicum negotium tuum. Utique, iterum dico; hoc unicum eſt negotium tuum; hoc enim unum totam meretur attentionem; unicum, hoc enim unum omnem tuam exquirit attentionem; unicum denique, quia hoc unum pendet ab attentione tua. *P. de la Colombiere tomo 3. ferm. 46.*

De hujus momenti negotio judicium ferendum eſt ex jactura quæ ibi fit.

Hoc amiſſo, omnia amiſſa ſunt; quippe Deus ipſe, qui omnia complectitur bona, & extra quem nullum eſſe poteſt bonum, Deus ipſe nobis in nullam reparationis ſpem, & in æternum amiſſus eſt. Hoc amiſſo, anima amariſſimo dolore, & inexplicabilibus obruetur mœroribus, quos illa quidem in æternum, ſed nequicquam per omnes funeſtiſſimæ deſperationis notas exprimet. Denique negotium hoc eſt æternitatis negotium. Numquid Deus falli, vel fallere potuit, cum dixit cætera nihil prodeſſe? Numquid perperam Deus omnes curas, ac providentiam ſuam impendit, ad id unum referens omnia? Numquid ipſe Deus adeo exigua res eſt, Deus, qui omnia continet, & qui re ipſa eſt omnia, ut illius jactura nobis ſit nullo in diſcrimine habenda? Cur tot lacrymæ? Cur tot, ac tam crudeles ejulatus in inferno, ſi bonum, quod illi amiſerunt, tantulo in pretio erat habendum? Addamus; ſed cur ad ſolam æternitatis cogitationem infrendimus, ſi parum eſt eſſe in æternum infelices? *Idem*.

Alia negotia ſalutis negotio vel adjumento ſunt, vel impedimento.

Vulgatiſſimus inter fideles error eſt, arbitrari, mentem pluribus dividi poſſe occupationibus, ſingulis tempus eſſe, & mundi negotia cum ſalutis noſtræ negotio ſimul poſſe procurari... Scio equidem fieri poſſe, ut domeſticæ rei cura habeatur, ut negotiationi vacetur, & ſpectabile munus aliquod exerceatur, ut ad familiæ præſidium, & decus labor impendatur, ſimulque cœli gloria acquiratur. Scio hæc omnia ſæpe media eſſe, quæ ipſa conſtituit Providentia, per quæ ad finem illum perveniremus; ſed dico hiſce occupationibus nimia feſtinatione ſeſe addere, & intentionibus mere humanis; mentem, & cor nimis occupatum habere litibus agendis, opibus congerendis, magiſtratibus obeundis, mercibus diſtrahendis, emendo, ſcribendo, operando, quin omnia ad Deum, & ſalutem referantur; verbo, putare horum aliquid ſuum eſſe negotium, hæc omnia pro veris, & magni momenti negotiis habere, dico, ita operari idem eſſe ac invictum ſaluti ſuæ obicem conſtituere. *Idem*.

At enim, numquid omnia relinquenda ſunt, numquid omnia abdicanda, ut ſalvi ſimus? Hoc non dico; cum Apoſtolo dico, omnibus, qui in mundo vivunt, vivendum eſſe; quaſi in mundo non eſſent; illis, qui per ſtatum ſuum aliis, quam ſalutis ſuæ negotiis impliciti ſunt, ita operam ſaluti ſuæ navandam eſſe, quaſi hoc unum haberent negotium... Ita ſane inter ipſas opes ſalvari poteſtis, dummodo cor veſtrum illis non adhæreſcat, dummodo earum poſſeſſionem non ametis, dummodo non ametis uſum, niſi quatenus poſſunt aliquid ſaluti veſtræ conferre; dummodo tandem ſervetis præclaram illam S. Pauli regulam, ne videlicet, earum tuendarum cupiditas magis vos ſollicitet quam ſi nihil omnino poſſideretis: *Quaſi nihil habentes*, & non turbemini magis deſiderio earum augendarum, quam ſi jam omnia poſſideretis. Sed quomodonam magis poſſideri poſſunt theſauri, & non amari? Quomodo te totum tot variis muneribus impendere potes, quomodo tanta ſollicitudine terrena curare, & cogitare, ut opus eſt, de tuæ ſalutis negotio? *Idem*.

Qu omnino opus iis velle ſalvari.

Obſervandum eſt ſedulo artem perículoſiſſimam, qua ſalutis noſtræ utitur inimicus, ut trahat in perditionem, eſſe nos detinere in his voluntatibus generalibus, in infirmis, imperfectiſque voluntatibus, quæ nobis abſcondunt periculum, in quo ſumus, & quæ nos fallunt. Nobiſmet perſuademus nos ſalvos fore, quia non adeo neſarii ſumus; ut alii, & quia aliquid bene operamur.. Vivimus in fallaci hac perſuaſione; in hac perſiſtimus, ac ſemper eamdem vitæ rationem ſectamur, quin vereamur terminum, in quem eſt deſitura. *Vis ſanus fieri*. Joan. 5. Non quæro utrum fieri velitis ſalvi, ſed utrum voſmet ſalvare velitis. Nemo eſt, qui ſalvus fieri nolit; quippe quis eſt homo adeo ſui ipſius inimicus, qui ſe æternum eſſe nolit beatum? Sed pauci ſunt, qui ſe ſalvare velint, videlicet qui aliquid ad id velint operari, ſibi invigilare, ſe abnegare, & mortificare, quia nemo laborem diligit. Verum Chriſtiani, ſi noſmet ſalvare nolumus, quid tandem volumus in hac vita? Quis eſt finis votorum noſtrorum, quis ſpei noſtræ terminus? Ad quid contendimus? Quid metuimus? Ad quid laboramus? Si omnia conſilia, omnes conatus, omnes perquiſitiones, labores, timores ad ſolum ſalutis noſtræ negotium non referuntur, quod unicum eſt negotium, quod habemus in terris? *P. Girouſt in adventu, ferm. de falſis deſideriis ſalutis*.

Exprobrabit Deus reprobum quod ſalvari noluerit.

Juſta, ſed terribilis exprobratio, qua Deus reprobum corripiet, cum dicet illi. Volui te ſalvare, & noluiſti, *Volui, & noluiſti*. Volui, cum ſanguinem effudi meum, eumque fluere paſſus ſum ad abluenda ſcelera tua, ac te ſanctificandum. Volui, cum te per gratiam vocabam, ac eos exerebam conatus vel per ipſum me, vel per miniſtros meos, ut te moverem, modo affligens te, modo tibi afferens conſolationem, modo minis tibi terrorem incutiens, modo promiſſionibus excitans, modo alienis exemplis, variiſque vitæ caſibus te erudiens, modo propriis mentis tuæ luminibus, tuique cordis ſenſibus te urgens. Volui; ſed noluiſti. Tu moras, contemptus, repulſas, falſa temperamenta nectebas, ut ſimul mundum, & Cœlum, cupiditates, ſalutemque tuam conciliares. Nunc ſcena mutata eſt; noluiſti me volente, te velle incipiente ego nolo. *Idem*.

Cujus ſalutis habenda, & quanti momenti ſit hoc negotium.

In quo totus homo conſiſtit, Salomon inquit? In hoc ut timeat Deum, pareat illi, atque hoc pacto certam faciat ſalutem ſuam: *Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc enim eſt omnis homo*. Eccle. 12. Ita quicumque ſis, ſubdit S. Ambroſius, quocumque in ſtatu ſis, *attende tibi: Tibi inquam*, ſequitur idem

Pater,

Pater *non pecuniæ tuæ*; tibi, inquam, non poſſeſſionibus tuis: *Tibi, inquam, non viribus corporis*; tibi inquam, o chriſtiane, magnum hoc verbum eſt, ne obliviſcaris illius; tibi, animæ tuæ, pretioſo huic talento, quod tibi credidit Deus, huic præſtantiſſimæ parti tui ipſius, ideoque digniſſimæ attentione tua: *Tibi inquam, hoc eſt, animæ tuæ, in qua te potiorem eſſe noſti*. Rationem reddes hujus theſauri Deo, qui illum in manibus tuis conſtituit, ut illum ſervares. Ne ulli curæ parcas: hoc perſonale negotium tuum eſt, cujus curam Deus ita impoſuit tibi, ut non alius præter te id valeat præſtare. *Idem ferm. de cura ſalutis*.

Cæcitas, & impudentia hominum adeo parum de ſalute ſua laborantium.

Cur non habes fidei, vel ſaltem rationis oculos adeo depuratos, ut in ſalutis tuæ negotio bene judices, de tuæ vitæ ratione pudore ſuffundaris coram Deo, exclamabis cum Salomone, ac potiori jure quam ille dicere poteris: *Stultiſſimus ſum virorum*. Prov. 30. Me ſublimi ingenio præditum putant; credunt me doctum eſſe, & in negotiorum cognitione peritum; ſed cum intus, & in corde quid ſim, conſidero, fateri cogor nullam eſſe meæ parem ſtultitiam. Aliena negotia bene curo, & meorum obliviſcor. Familiæ meæ conſulo; filios meos proveho, totus in hoc ſum; ſed quod interim de me fiet? Quodnam erit fatum meum non tam in hac, quam in altera vita? Nihil ſcio, & id fortaſſe illud eſt, cui hactenus numquam animum adverti ... Utique Chriſtiani, ſatis, ſuperque conſiliorum, deliberationum, curarum, motuum, ut niteatis in mundo, ut vobiſmet commodam, & opibus diffluentem conditionem comparetis, ut agros agris addatis, ut habeatis, unde ingentes ſumptus erogetis in ſupellectilem, & ornatus, in ſervos, ſolatia, ludos, aleamque. Hoc primum, vel ut melius dicam, unicum libramentum eſt, quod tot movet machinamenta, propter quod tot gerenda ſuſcipiuntur, tot perferuntur labores, tot pericula ſubeuntur, tot tranantur maria, & propter quod eundum, redeundum, meditandum, vigilandum eſt, &c. *Idem*.

Tempus ultimum ad ſalutis ad negotium ſpectat.

Negotium hoc procurabis, ſed quandonam? Cum mors animam tuam e corpore ſejungens, ac te ex hoc mondo divellens in alterum translatura tibi duos hoſce terminos ſolum relinquet, ſalutem & damnationem; cum propius illos intueberis, neque inde oculos poteris amovere. Ad id cogitabis, ſed quandonam? cum in Dei judicium raptus ab ipſo ſortis tuæ ſententiam præſtolaberis. Ad id advertes animum, ſed quandonam? tunc fortaſſe cum præceps datus in inferni flammas in calamitoſo eo loco patieris, ac intelliges nullam amplius tibi ſupereſſe ſalutem. Eheu! frater mi, illud ne tempus erit id cogitandi? Quænam autem erit deſperatio non antea cogitaſſe? Nulla amplius ſalus! Hoc tamen meum erat negotium; hoc meum magnum negotium, hoc unicum negotium meum. Negotium meum! Et illius oblitus ſum, quaſi eſſet alienum. Magnum negotium meum! Et illud neglexi, quaſi negotium omnium minimum. Unicum negotium meum! Et ex omnibus negotiis hoc unum illud eſt, quod deſerui. *Idem*.

Nunquam irritus labor eſt, qui ſua impenditur ſaluti.

Ne timeas te operam ludere, cum ſalutem tuam operaris; quidquid agis propter finem adeo æquum, fieri non poteſt, quin minus te illuc addocat; ne unus quidem greſſus, ne una quidem vocula peribit, omnium cogitationum, ac motuum cordis ratio tibi redditur. In hoc negotium iſtud a reliquis differt, ubi certi non ſumus, curas omnes, quas gerimus, motus, quibus agimur, & omnia tandem, quæ facimus, profutura, ut res cœptæ nobis e voto contingant; inopinatus enim ſufficit caſus, ut omnia conſilia noſtra ſubvertat. *Serm. MS.*

Quam cordi ſit filio Dei noſtra ſalus.

Ex quo Dei filius noſtræ reconciliationis opus aggreſſus eſt, infinita ejus charitas nihil prætermiſit, ut illud perficeret, quoniam omne bonum noſtrum a ſalute animæ pendet: nihil ipſe nobis præcepit, niſi quod illuc nos adducere poſſet; vult ſalutem noſtram normam eſſe officiorum noſtrorum, nihilque illi gratum eſt, quod inde nos valeat amovere. Sumus tamen ita miſeri, ut in tantæ rei oblivione vivamus, vel illam tamquam poſtremum vitæ noſtræ negotium ſpectemus, quamquam Dominus dicat: quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Vos igitur ſenſu caretis ſecundum æternæ ſapientiæ ſententiam, o Nobiles, Doctores, Magiſtratus, Principes, pauperes, divites, mercatores, opifices; ſenſu caretis, ſi vitæ hujus curis nimis impliciti æternam ſalutem negligitis. Quid vobis proderit terrenis opibus cumulari, ſi cœleſtibus eritis vacui? Utraque tandem amittetis; peritura bona vos deſerent, ac æternis in æternum carebitis. *Liber cui titulus: Paſſiones Domini Noſtri*.

Vaga ſalutis deſideria.

Cupiunt quidem homines ſalvari, ſed hæc vaga ſunt, frigida, inutilia deſideria, quæ concepta & eodem fere temporis momento ſuffocata, ut Sapiens inquit, enecant pigros; deſideria ſunt, quæ fallaci pietate nobiſmet honori vertimus, & cum quibus volumus ſervare noxia vincula, commercia vetita, habitus inveteratos, quos abiicere nolumus. Deſideria ſunt Judæorum deſideriis ſimilia, qui poſtquam tamdiu Meſſiam concupiſſent, ita duri fuerunt, ut eum nequaquam reciperent. *In ſermonibus Moralibus Tomo 8.*

Quodcunque bene geſſerimus, tempus amiſimus, niſi ſalvamur.

Eſto quidem magna conati fuerimus, magni momenti negotiis operam dederimus; inſignibus cum laude perfuncti fuerimus dignitatibus; præclara in lucem opera ediderimus, poſteris commendata tamquam vigiliarum noſtrarum fructum, ac pretioſam ingeniorum noſtrorum hæreditatem. Ethnici his plura fecerunt; attamen nihil fecerunt judicio illius, penes quem eſt humanarum actionum arbitrium. Quonam abierunt ambitioſa eorum cœpta? Quid ſupereſt ex tot eorum laboribus, quam inane nomen? Quod ſi adhuc in honore eſt in terris, ipſi tamen cremantur in inferis, & quod primos in mundo gradus occuparunt, ullumne gradum obtinent in iis terribilibus locis, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat? *De la Volpilliere ſermone de ſalutis momento*.

Plerique hominum mira contradictione ſalvari & volunt, & non volunt.

Quantumvis flagitioſum ſit tuum vivendi genus, tamen non negas fundamentalem hanc veritatem, ſaluti ſuæ eſſe conſulendum: vide ergo, quomodo practice eam oppugnes veritatem, quam theoretice certiſſimam eſſe tenes. Mortales omnes inquiunt, ſaluti ſuæ proſpiciendum eſſe; hoc principium eſt, quod verbo fatentur omnes, & quod omnes facto negant: conſidera vitam, quam ducunt; quam ibi deprehendis conformitatem cum effato hoc, quod crebro in ore ipſorum verſatur, ſaluti ſuæ conſulendum? Inexplebilia hæc locupletandi alienis ſumptibus deſideria, violenti conatus, quibus ſuper finitimorum vicina ſeſe attollere ſtudent; furentes iſti impetus, odia irreconciliabilia, liberæ converſationes, infames voluptates, quibus ſe mancipant, numquid cum eorum dictis conſentiunt? Ita ut in ipſis neſcio quæ ſiat contradictio. Veritate coacti, cui repugnare non poſſunt, dicunt, ſaluti ſuæ eſſe proſpiciendum; & ſimul neſcio, qua animæ ſuæ perplexitate addunt, ſe id nolle. Tantum abeſt, quod velint, ut potius oppoſitam habeant voluntatem, neque enim aliquis morbo liberari velle dicitur, qui renuit medicinam, & id operatur, quod malum ipſius poteſt irritare. *Idem ſermone de humana prudentia*.

Si perimus, reliqua ſunt inutilia.

Quid nobis proderit reliquis in rebus votorum ſummam fuiſſe conſecutos, ſi hujus rei eventus nobis adverſatur? Quid nobis proderit fuiſſe magnos, divites, doctos, ac in mundo celebres, ſi in omnem æternitatem erimus miſeri? Quem in terris quæſtum facere poſſumus, quem fructum percipere, ſi ſummum amiſerimus bonum? Et licet univerſum lucrati fuerimus terrarum orbem, quam funeſtum nobis hoc eſſet lucrum, ſi nonniſi per ſalutis jacturam fieret? .... Eheu! dicetis aliquando, quonam abierunt illa ambitionis, & ultionis conſilia, quo cœtus voluptarii, quo convivia, ludi, ſolatia, honores, ac cætera, quæ mihi ſalute ipſa fuere antiquiora? *Tranſierunt illa omnia ſicut umbra*. *Idem*.

Quid

Salutis noſtræ negotio præ cæteris anibis vacandum eſt.

Quid cogitatis, Chriſtiani, niſi æternitatem, ac ſalutis veſtræ negotium cogitatis? Aliis quibuſcumque inhæretis objectis, prout ſuadent res, ambitio, curioſitas, vel alia quævis cupiditas, quæ vos agit. Ne momentum quidem negotio æternitatis impenditis, & negotium hoc, quod omnium eſt graviſſimum, nullo in diſcrimine habetis. Sollicitì nimium eſtis de rebus inutilibus, ac pernicioſis; neque curatis hoc, quod maximi momenti eſt, & propter quod aſſidue ſollicitì eſſe deberetis. *De la Volpilliere, Sermone de Inferno.*

Salus eſt negotium quod ad nos perſonaliter ſpectat.

Salus proprie perſonale negotium noſtrum eſt; cætera quæcumque aliena ſunt. Hæc, ſi lubet, negotia ſunt ad rempublicam, regnum, forum, bellum, negotiationem, communitatem, familiam, filios pertinentia; ſed hoc veſtrum eſt. Ex hoc mundo egreſſi omnia præter ſalutem veſtram feciſſe, aliena procuraſſe negotia dicere poteritis, ſed in veſtro defeciſſe. Sin autem e contra ſalutem veſtram eſtis operati, ac cætera non ceſſerunt ex animo, negotium veſtrum feciſtis; hoc enim ad vos perſonaliter ſpectat. Præterea ſalus præcipuum eſt negotium veſtrum. Magnum autem negotium cætera ita abſorbet, ut vix ſpatium temporis concedat de iis cogitandis; immo cum alia male ceſſerint, conſolamur facile, ſi magnum cedat ex voto. Pro magno negotio nihil inauſum, intentatumque relinquitur; omnes adhibentur præcautiones, uni illi aſſidue vacamus, de illo cum fervore loquimur, momentorum omnium rationem habendam cenſemus; ſomnus, & requies amittitur; eorum, quæ ad vitam ſunt neceſſaria, obliviſcimur, movemur, agitamur, in aſſiduo motu ſumus. Hoc præcipuum eſt negotium; debet ergo præcipuas curas occupare. Mundus, voluptas, fortuna, ſpectacula, amici, hæc omnia non aliud habere debent tempus, quam horas ſucciſivas, & eas, quas præcipuum patitur negotium. Adde his, ſalutem ſolum eſſe negotium noſtrum, reliqua ſunt pueriles nugæ, quas mundus negotia vocat. Principum ſecreta, aulæ verſutiæ, urbium obſidiones, prælia, victoriæ, vectigalia, ſuperba ædificia, ingenii opera, hæc omnia non ſunt finis hominis: & fallitur, qui aliter judicat: *P. Chemінais in ſenſions Pietatis ſeorſim in libello editis.*

Niſi ſalutem noſtram operari ſtudeamus, neceſſario in æternum miſeri.

In hoc nihil medium ſequi poſſumus, nullum quippe eſt. Si homo cæleſti abrenunciat beatitudini, decidat oportet in ſtatum omnium miſerrimum, videlicet damnationem. Si Deus non eſt ſuprema felicitas veſtra, ſuprema erit veſtra infelicitas; terribilis eſt hæc disjunctio, & ſalutis neceſſitatem oſtendit. Aliis rebus, quæcumque illæ ſint, carere poſſumus, ſed hoc non poſſumus carere bono. Homo pauper, nudus, derelictus, in oblivione, & obſcuritate, ſi ſalvus eſt, in omnem æternitatem tutus eſt, & nullius indiget rei. Homo dives, felix, in honore habitus, ſi damnatur, in æternum eſt miſer. In vulgaribus negotiis aliqua ſemper ſpes adeſt, ſin minus in vita hac, ſaltem in altera. In ſalutis negotio non alia ſupereſt ſpes, & quicumque damnatur, damnatur in æternum. Totus licet in hominem conjuratione facta mundus irruat, huic cœlum eripere, æternamque inferre calamitatem non poteſt. Totus licet in alicujus gratiam mundus conſpiret, nequit illum, non dico beatum efficere, ſi damnatus eſt, ſed neque minus miſerum. Hic in eo defecit negotio, quod unum erat neceſſarium. *Idem.*

Pauci, ubi opus eſt ſalutis ſuæ negotio vacant.

Mirum profecto eſt videre mortales ſenſu præditos mundi negotiis detinere dies, hebdomadas, menſes, & annos: ad id ſecedere ab iis, quæ ſibi chariſſima ſunt, omni etiam voluptate carere, immo perferre moroſiſſimorum negotiorum faſtidium: e mundo egredi, quin cogitaverint umquam, cur in illum fuiſſent ingreſſi, unde venerint, & quo poſt hanc vitam ſibi eundum ſit, in morte ob aliquam converſionis ſpeciem quieſcere, atque hoc pacto maxime terribile vadum trajicere. Quo ſtupore capitur anima hujuſmodi e mundo egreſſa, ubi videt earum rerum omnium, quibus operam navavit, inutilitatem. Poſt ſe in mundo reliquit, quidquid ibi poſſidebat, bona, ædes, honores, opes, exiſtimationem, & in ea regione, quam ingreditur, nihil invenit, niſi terribilem paupertatem, cum nullum bonum opus, meritumque nullum præmiſerit. Agnoſcit ſed nimis ſero, quam indignum eſſet curis ſuis, quidquid occupaverat illam: ſola, attonita, ſtupens, quod omnia ſibi elabantur, quod figura hujus mundi, quæ illam faſcinabat, præterit, & quod vacuas habet manus, quo dolore non afficitur? Tunc omnes timores, omnes ſollicitudines, ſpes omnes, & conſilia animæ in hac vita mortali momento intereunt, nihilque ſupereſt illi, quam dolor, & pudor, & quod adeo miſere aberraverit. *Idem.*

Poſt has omnes cogitationes, ſine, quæſo, Auditor, me ex te quærere, quænam ſit cauſa terribilis incuriæ, qua ſalutis æternæ tuæ negotium negligis? Fatendum eſt quippe, ex negotiis omnibus, quæ tibi præ manibus ſunt, negotium æternitatis illud eſſe, quod unum omnium maxime negligis, & quod minime tibi curæ eſt. Deus tibi totum vitæ ſpatium conceſſerat, ut illi vacares, atque nihilo minus requiri cenſuerat, ut illud tibi e voto cederet; & fortaſſe mors ipſa tibi adeſt in januis. Quam ætatis tuæ partem tanti momenti negotio impendiſti? Quot annos illi dicaſti? Quot dies? Quot horas, ex toto vitæ tuæ ſpatio?..... Quam igitur rationem prætexere vales ejus vitæ, quæ ab omni rationis ſenſu tam procul diſtat; niſi quod nil credis eorum, quæ a nobis dicta ſunt? Si enim te ipſa credis agi de æternitate, de infinita felicitate, de malo, quod alia quælibet complectitur, & excedit; ſi credis ſimul & cœlo, & terræ animum impendi non poſſe; tempus breve eſſe; quodlibet momentum eſſe poſſe extremum vitæ tuæ; ſi putas tuum eſſe, ac unice tuum operari ſalutem tuam: ſi hæc omnia credis, dic mihi quæſo, quomodo fieri poteſt, tibi aliam eſſe quam ſalutis tuæ curam? *P. de la Colombiere Tome 3. Serm. 46.*

Adhortatio, ut ſerio de ſalute noſtra cogitemus.

Quid de te erit, ſi hæ ſubſiſtunt veritates, quemadmodum in finem ſæculorum ſubſiſtent? Ad mortem uſque perſeveras in hac cæcitate, & infelici hac negligentia: memento iſtic agi de ſalute animæ tuæ. Quodcumque aliud cures, aliena curas, non tua; detinent te filiorum, amicorum, fratrum, & fortaſſe ignoti alicujus hominis negotia, qui tuam accipiet hæreditatem, eamque diſſipabit; ſed hoc tuum eſt negotium, negotium animæ tuæ, animæ immortalis, quæ facta non eſt, ut perfunctoria perfrueretur felicitate, & minus adhuc, ut æternis in inferno cruciatibus torqueretur. *Idem.*

Mercator, qui ſe videt ad eam redactum neceſſitatem, ubi vel ſibi pereundum ſit, vel in mare projiciendum, quidquid pretioſiſſimum habet in mundo, non hæret conſilium capturus. Hic totus eſt longorum itinerum, graviumque laborum fructus, tota familiæ ſuæ ſpes, ac ſi id fecerit, ſe ad incitas redactum videt: verum eſt; ſed nil horum eum movet; credit ſe vitam amiſſurum, niſi omnium bonorum ſuorum jacturam pati voluerit; quod credens facere non poteſt, quominus haud ægre, vel ſaltem non hæſitanter omnia projiciat. Hoc nobis faciendum eſt, ſi verum noſmet ſalvandi deſiderium fovemus; eo in periculo, in quo jugiter fere verſamur, naufragium faciendi, ut loquitur S. Auguſtinus, inter hujus mundi bona, hæc ipſi amquirimus, ob eorum jacturam dolore afficimur, at deliberandum ne eſt, cum de animæ noſtræ agitur incolumitate? *Idem.*

Prudentia chriſtiana in hoc ſita eſt, ut ſalutis noſtræ curam habeamus.

Filii hujus ſæculi in terrenis prudentiores ſunt, quam lucis filii in iis, quæ ad ipſorum pertinent conſcientiam, ubi de ipſorum agitur æternitate, ac ſalute. Ita parabolam quandam Dei filius concludit; docere volens, veram conſcientiam in hoc poſitam eſſe, ut ſcias extricare impeditum alicujus momenti negotium; adhibere curam, & ordinem, quæ ſunt neceſſaria, ut illud e voto cedat; & ſicuti nullum eſt, quod magis urgeat, quod facilius interire valeat, & quod majoris momenti eſt, quam negotium ſalutis, ita imprudentiſſimum eſſe, qui negligit illud: *P. Haineuve in libro de Ordine Tractatu de Prudentia.*

Cum

Inanes, quæ afferuntur excuſationes, ne de ſalute cogitetur.

Cum mortalibus proponitur ſanctitatis, & evangelicæ perfectionis idea, hoc frigide audiunt, atque intra ſe dicunt, hæc cœnobitis eſſe canenda; hoc modo eccleſiaſticos tantum, & religioſos vitam ducere, atque ut id fiat, mundum eſſe relinquendum, & omnia officia deſerenda: *Vir inſipiens non cognoſcet.* Dic aulico cuidam, te mirari, quod ingenium in mundi negotiis adeo perſpicax, & acutum, homo, qui tanta adnititur cura ad principis gratiam promerendam, nihilominus ſtupidus ſit, ac ſenſu carens, ubi de negotio æternitatis agitur; frigide reſpondebit hoc verum eſſe; ſed profecto aulæ fulgor nos perſtringit, & faſcinat, & Deo ſimul, & principibus ſervire impoſſibile eſt. Ob oculos pone adoleſcenti huic magnam hanc, & turpem inertiam, vitam mollem, & effœminatam corporis tantum ſui curam gerentem: objice irreligionem hanc, & oblivionem Dei; reddet ille, adoleſcentiam eſſe traducendam. Quilibet ſtatum ſuum cauſatur. *P. Texier in Quadrageſima ſerm. de perfectione chriſtiana.*

In mundo æternitati, & ſaluti parum proſpicitur.

Tota plerorumque mortalium vita tranſigitur impenſius conſectando futilia bona; quin ne cogitetur quidem de ſalute, atque æternitate. Attamen hæc negligentia facta eſt error hac ætate vulgatiſſimus. Fruſtra religio nos avocat ad curas magis ſolidas, quam quibus in mundo vacare conſuevimus: fruſtra ſalutaribus monitis admonet nos pro fluxis, & perituris bonis contendere: fruſtra Biblia teſtantur, quod ingentia in terris cumulare bona, eſt congerere magnum arenæ cumulum, quæ primo ictu in capita noſtra ruet, & quæ perit, prout illi congerendæ operam damus; fruſtra Dominus aſſerit noſtræ elationi lapſum prope imminere. Temporalium negotiorum curæ, quamvis aliter ſuadeat religio, & id ejus veterit documenta, ſemper ſunt maxime ſeria humanæ vitæ negotia; cum de animæ noſtræ neceſſitatibus agitur, tunc inertes ſumus, & oſcitantes. Propter reliqua ſolliciti, & vigilantes ſumus, unicum ſalutis noſtræ negotium inanis videtur occupatio, cui operam dare detrectamus, pro fragilibus, fluxiſque bonis tamquam pro æternis laboramus, & pro æternis, ſolidiſque tamquam pro perfunctoriis, fragilibuſque movemur. Ita eſt; cum de terrenis agitur, fortes ſumus, ardentes, robuſti; ex quo vero de cæleſtibus agendum eſt, imbecilles ſumus, frigidi, delicati. A temporalis negotii cura nihil nos deterret, nihil avocat; pericula, labores, dubitationes, indigne facta, inimicorum inſidiæ non retinent, non morantur. At cum de ſalutis noſtræ negotio agitur, nihil nobis acerbius, nihil moroſius videtur, nihil nos majori afficit tædio; quamvis nil ſit, quod ardentius a nobis ſuſcipiendum ſit, nihil tamen negligitur magis, quam hoc ſalutis negotium, quamquam ſcopulorum, obſtaculorumque multitudo ibi lapſus adeo communes efficiat. *P. Maſſillon Tomo 2. Sermone de ſalutis negotio.*

Solum ſalutis negotium tamquam inglorium habetur in mundo.

Deplorabilis error eſt, quod homines omnibus terræ operibus propria, & glorioſa nomina appoſuerint, & illud, quod pro ſalute noſtra faciendum eſt, non aliud habere nomen, quam inutilis occupationis. Legum ſcientia, ars militaris habentur tamquam præclaræ, & cum gloria conjunctæ; omneſque eas & probant, & colunt; motus, qui ad eas diſcendas fiunt a ſæculi ſapientibus, habentur tamquam laudabiles conatus animæ præſtantis, tamquam ampliſſima, & glorioſa facta, tamquam artes ingenio plenæ; quidquid fit ad opes, honoreſque acquirendos, & ſæculi ſcientiam adipiſcendam habetur inter homines tamquam profunda ſapientia, ac mentis perſpicacitas: quidquid adhibetur, ut vel per ſexcentas injuſtitias ad inſignem aliquem gradum perveniatur, tamquam non vulgaris ſapientiæ effectus habetur; & quidquid fit, ut de pulvere ad inſignem fortunam aſcenſus fiat, negotiorum ſcientia, & opus ſummi ingenii vocatur. Sola ſalutis ſcientia rejicitur in numerum occupationum, quæ obſcuræ, otioſæ ſunt, & nihil niſi contemptibile, ac indignum hominum oculis habere videtur. *Idem.*

Salutis cura in aliud tempus ſemper rejicitur, quod opportunius videtur.

Scio, te fateri, mundi, & negotiorum curis te fere totum occupari, ac breviſſimum tibi ſupereſſe temporis ſpatium, quo ſaluti tuæ vaces, ſed ut tibi quamdam conſcientiæ tranquillitatem concilies, tibimet ipſi dicis, te ſaluti tuæ ſerio daturum operam, cum ad pacatiorem ſtatum perveneris; te uti oportet tanti momenti negotio vacaturum, cum honoris, muneris, negotiationis tuæ impedimentis liberatus fueris; cum ad provectiorem ætatem perveneris, atque omnia in ordinem redegeris, filiiſque tuis conſulueris, tunc magis ſerio, ac per otium ſaluti tuæ cooperaturum, atque tunc a rebus omnibus terrenis avulſurum omnem curam, ac ſollicitudinem tuam in æternitatis negotio conſtituturum. At ſi quid, te vehementer falli; etenim ſalutis tuæ negotium ſimul eſſe non putas cum occupationibus ſtatus tui; ſed nonne has eaſdem occupationes in totidem ſalutis tuæ adminicula convertere potes? At enim nimii obices adverſantur; ſed iſti obices ipſi, ſi rite eorum habueris rationem, fieri poſſunt tutæ ad ſanctificationem tuam viæ. *Idem.*

Saluti ſuæ coopera, non eſt aliis omnibus negotiis abrenuntiandum.

Cum dicimus ſalutem unicum eſſe negotium noſtrum, non ideo contendimus, unicuique relinquendam eſſe conditionem, munuſque ſuum, omniaque temporalia negotia deſerenda, nihilque cogitandum, niſi de ſalute; dicimus ſolum, reliqua omnia ad hoc unum eſſe referenda; cogitationes, deſideria, curas, conatus noſtros Domini timore, & gloriæ ipſius amore regendos eſſe; verbo, ſalutis negotium eſſe debere centrum, ac terminum, quo alia quæcumque negotia tendere debent. Velle enim, quod unice ſaluti vacare ſit, omnia quæ poſſidentur relinquere, ac cæteras quaſcumque curas abdicare, hoc eſt injuriam facere Providentiæ, quæ varios hominum ſtatus, variaſque conditiones conſtituit. *Idem.*

Homo hic, qui adeo ſagax videtur, & qui ſe ipſum in omni negotiorum genere adeo peritum putat, homo hic, qui eminus minimas quaſlibet proſpicit difficultates, qui eas tanta prudentia prævertit, qui nullam prætermittit præcautionem, qui nihil niſi certus conſilii aggreditur, quandonam ſatis ſalutis ſuæ negotio conſuluit? Si vivere eſt Ethnicorum more, omnia cura ea conſectari, quæ ad victum ſunt neceſſaria, quid dicendum eſt de hoc prope infinito negotiorum, conſiliorum, conatuum, inutiliumque votorum numero, quæ mentem noſtram replent, quæ cor noſtrum obſident, quæ nos occupant, & penitus obruunt? Hæccine prudentiæ nota eſt numquam cogitare, quod futurum eſt, & in omnem erit æternitatem? *Sermo MS.*

Inanes excuſationes quæ afferuntur, ne ſaluti ſuæ opera detur.

Inſignis olim Epiſcopus hoc utebatur argumento, ut malæ fidei redargueret publicum virum, qui occupationes, & munera ſua cauſabatur, ut hodie aſſolet, eo quod Deo non ſerviret, & de ſalute ſua non cogitaret. Tibi non vacat, dicis, ſervire Deo, at vacat poetas evolvere; neque enim in eorum operibus ullæ ſunt veneres, lepores, ac ſales, quos ipſe non colligas: *Floribus poetarum ſpiras.* Non vacat tibi tuæ ſaluti conſulere, & vacat oratores perlegere: *Flaminibus oratorum exundas*: omnia eloquentiæ lenocinia calles, omnem illius copiam poſſides. Tibi otium non ſuppetit, quo Deo reddas, quod debes, ſupperit vero, quo legas philoſophos: omnes illius ſectas, & opiniones noſti! *Vacat, ut ſis philoſophus, & non vacat, ut ſis Chriſtianus.* Cum ſtudendum eſt ſcientiæ hominum, otium habes, cum ſalutis ſcientiæ ſtudendum eſt, negotiis es obrutus. Hoc ipſum quæro ab illis, qui nobis ſua munera, ſuaſque aſſiduas occupationes objiciunt, ut ſe ſe excuſent, quod ſalutis ſuæ negotio non conſulant, & ſciſcitor, utrum hæc negotia illos prohibeant pluribus rebus, quæ nullius neceſſitatis ſunt ad vitam, operam dare, viſitationibus, inutilibus converſationibus, libris profanis, iis, quæ in dies recens accidunt, ludis, ſolatiis; verbo, utrum his rebus omnibus locum aliquem in magno curarum numero inveniant? Vacat, ut iis omnibus animum adjiciant, quæ ipſorum cupiditatem fovere poſſunt; non vacat, ut

iis

illis invigilent; quæ charitas exigit. Vacat, ut mundo famulentur; non vacat, ut ſerviant Deo. Vacat, ut oblectentur; non vacat, ut ſalutem ſuam operentur. Ubi ratio eſt, ubi bonus ſenſus, ſed ubi prudentia eſt? *De S. Martino Serm. pro 4. Quadrageſimæ Dominica.*

Pro corporis ſalute &c. quod animæ ſæpe pro ſalute animæ.

Quod pro valetudine homines faciunt, oſtendit, quam immerito adeo parum pro anima ſua operentur. Acerbiſſimas perferunt inciſiones, ut ea puſtula convaleſcant; auſteriſſimam patiuntur ſobrietatem, a negotiis omnibus ſecedunt, idque ut fragilem acquirant valetudinem, quæ non eſt diu permanſura. Quid ergo illis faciendum non eſſet, ad perfectam ſalutem, vitamque immortalem animæ procurandam? Aliquidne a ratione magis abſonum eſt ea negligentia, qua ſalutem ſuam curant, eoque odio, quo ſe proſequi teſtantur pœnitentiam, & quidquid turbare poteſt eorum voluptates, vel cupiditati, aut fortunæ ſuæ adverſari videtur? *Ex ſpecimine Ethicorum Tomo 5.*

Nemo non diſpenſare poteſt quominus ſaluti noſtræ negotium vacemus.

Negotium hoc nullam admittit excuſationem; quid enim dare poteſt homo, quod animæ ſuæ pretium valeat exæquare? Ita homines injuſti ſunt, ex quo excuſationes inquirunt eo in re, quæ nullas admittit. In ſingulis alte animo inſidere debet hoc principium, ne quid ſaluti ſuæ præferant: ſola voluntas aliquid illi præferendi noxia eſt. Nullæ ſunt temporalium rerum licet exiguarum cupiditates, quæ eſſe non poſſint obſtaculo ſaluti, cum illa præcipuum amoris noſtri objectum efficimus. Quot mortales de victu ſuo ita ſollicitì ſunt, ut omnes eorum cogitationes circa hoc unum objectum verſentur? Cum aliquis Dei amorem non habet in corde, neceſſe eſt, creaturam aliquam ipſius Deum fieri. *Ibidem.*

Plerique ſæcularium ita negotiis ſuis abditi ſunt, ut illis ſalutem ſuam operari non vacet. Seſe onerant negotiis, obligationibus, neceſſitatibus, quæ totum eorum animum occupant, ita ut ferme deſit illis tempus, quo de ſe ipſis cogitent, & quod negotio ſuæ ſalutis impendant. Communis vitæ hominum ratio ita diſpoſita eſt, ut prout ætate procedunt, eorum multiplicentur occupationes, eorumque neceſſitates augeantur. Adoleſcentibus ut plurimum aliquod temporis ſpatium ſupereſt, & neſciunt qua in re illud impendant, quia illud ſaluti ſuæ tradere nolunt, & mundus nondum illos multis oneravit negotiis. Hoc in omnibus ferme vitæ civilis miniſteriis accidit.... Quo magis ſeneſcimus, eo minus vacat nobis; magis & alienis, & noſtris obruimur negotiis, plures habemus curas, ac pro muneribus noſtris obeundis arctius adſtringimur; munera hæc magis neceſſaria fiunt pro familiæ ſubſiſtentia, & ut illius nitor, & decus ſervetur. *Ibidem.*

Difficultas operandi ſalutem ſuam in mundo.

Si qui in mundi perfruitione permanentes ſalvari volunt (quod facere nequeunt niſi chriſtianam vitam ducentes) non ſolum vita eorum non fiet magis commoda, quam vita religioſorum, qui auſteriſſimum vivendi genus profitentur; ſed fiet immo longe auſterior, difficilior, & magis incommoda. Ad eumdem tenentur finem, qui eſt creaturas non amare, ac reſiſtere torrenti concupiſcentiæ, qui eo pertrahit, & non poſſunt exercere modum maxime facilem, ac naturalem evitandi amorem hunc, qui eſt ſibimet omnino earumdem interdicere perfruitionem. Alii igitur adhibendi ſunt illis modi, quibus liberentur; & reliqui omnes ſunt difficiliores, & majores conatus, majoremque interiorem mortificationem requirunt; Quo magis expoſiti ſunt torrenti hujus mundi, eo magis obſiſtere debent, ne eodem rapiantur: ſi enim momento ceſſant obniti contra, ab eodem trahentur, & perfruentes rebus creatis illas amabunt, eas amantes illis adhærebunt, eiſque adhærentes illas Deo præferent. *Ibidem.*

Inſania eorum, qui alii cuipiam rei, potius ſalutem operam navant.

Mundus feſtinanter, ac præpropere facit, quidquid ad ſalutem pertinet; numquam fere ſuppetit illi tempus, quo id agat. Si aliqua ſæculi dignitas ambienda eſt, ſi res alicujus momenti peragenda, ſi opes conquirendæ, numquam deeſt tempus; tantumque impenditur temporis, quantum neceſſe eſt; nulla eſt feſtinatio, nulla impatientia. Sed cum ſaluti vacandum eſt, cum meditandæ veritates vitiis ſuis oppoſitæ, & quies capienda ad affectuum tumultus ſedandos neceſſaria, tempus amiſſum putatur, illius jactura mœrorem adfert, & quantum fieri poteſt, imminuitur. *Ibidem.*

Oſcitanter fit quidquid ad ſalutem pertinet.

Quid diceres de homine, cui cum totius Imperii cura demandata eſſet, id faceret, quod olim vecors ille Romanorum Imperator, qui publicæ rei cura poſthabita muſcas aucupabatur? Unus tantum memoratur, cui tanta fuerit inſania; verumtamen minor eſt. Natus es, ut eodem occupareris negotio, quod occupat ab æterno Deum, quod gloria quidem illius eſt, tua vero ſalus; & nihilominus ad ineptias te ipſum dimittis, totus vacans ſexcentis nugis, quæ, quantumvis vel illuſio, vel cæcitas tua tamquam magnas exhibeat tibi, tandem pueriles ſunt nugæ. Viderine poteſt hujuſmodi agendi ratio citra indignationem, atque miſerationem? ſed poteſtne aliquis ſe noxium fateri ſine confuſione? *P. Nepveu in Chriſtianis conſiderat. tom. 2.*

Maxima quæque negotia cum ſalutis negotio collata ſunt nugæ.

Maxima quæque principum conſilia, præclariſſimæ ducum res geſtæ cum ſalutis negotio comparatæ, ubi ſanum judicium ferendum eſt, veræ ſunt nugæ, quibus præoccupatio, & conſuetudo negotiorum, magnorumque negotiorum nomen tribuit. Nihil magnum, niſi quod æternum, & infinitum eſt, reliqua prætereunt, reliqua finibus ſuis circumſcripta ſunt, ideoque, ſi cum æternitate comparantur, ſunt minus, quam nihil..... Deum amittere, quodnam malum eſt! illum in æternum amittere quænam deſperationis cauſa! illum pro turpi voluptate, pro vili quæſtu amittere, quæ ſtultitia! Sed hanc jacturam non ſentire, quænam ſtupiditas eſt! *Idem.*

Mortuus eſt hic vir, ajunt, dum viveret, plurima adeptus eſt; magna bona, & eximium honorem in familia reliquit. O egregium virum! ſi diutius vixiſſet, proculdubio ad majora evaſiſſet; attamen negotia ſua optime procuravit. At melius loquere; negotia hæc ſunt aliena, ſunt filiorum negotia; ſed negotium ſuum, animæ ſuæ negotium; hæc quippe vere ſunt ejus negotia; heu! per tempus procurare non potuit; mors illum prævenit, neque tempus illi permiſit, ut illud procuraret. O ſtultum inſignem! De aliis cogitavit, ſui ipſius oblitus eſt; & nugis alienis unice intentus, omnino unicum, maximique momenti negotium neglexit. Huc ſpectant illa Evangelii Luc. 12. verba: *Stulte hac nocte animam tuam repetent a te, & quæ paraſti cujus erunt! Idem.*

Majori cum attentione temporalibus bonis, quam ſaluti vacamus.

Videmus quotidie, qua arte, qua ſollicitudine, quo ardore ſeſe gerant mortales, ut ad abjectos, ac temporales fines ſuos perveniant; numquam animum avertunt a fine, quo tendunt; nihil prætermittunt eorum, quæ prodeſſe poſſunt, ut illuc perveniant: incredibili vigilantia ſcrutantur, atque ſumma arte utuntur minimis etiam occaſionibus, quæ aliquid conferre valent, ut ipſi votorum ſuorum ſummam conſequantur: eorum affectio non quidem cæca, & inconſiderata, ſed perſpicax, & prudens oſtendit, aperitque illis vias, quæ maxime aptæ ſunt, ut eo perveniant, eoſque docet, qua peritia æque ac vi omnia illa expedire valeant, quorum ope tuto fines ſuos conſequantur. Sed heu! filii lucis, ut loquitur Scriptura, non eamdem habent curam, ut ſupernaturalem finem, pro quo Deus illos creavit, aſſequantur. Non dubitant, quominus cœli bona majori cura, & anxietate quærenda ſint, quam peritura hujus vitæ commoda; attamen pleriqne ad illa acquirenda nequaquam iiſdem utuntur curis, quibus ſæculares, ut principis alicujus gratiam aucupentur, vel ut fortunam paulo commodiorem, licet perfunctoriam in mundo acqui-

acquirant. *La Font ſermone pro octava poſt Pentecoſten Dominica.*

Deus ad ſalutem noſtram retulit, quidquid majus eſt in mundo.

Ah hunc finem non mundi hujus creationem ſolum, & partium ſingularum illum conſtituentium retulit: *Omnia propter electos*; ſed adhuc inceſſanter refert, quidquid in ordine gratiæ maximum eſt, præſtantiſſimum, atque admirabile. Si in lege veteri tot Sanctos Patriarchas ſuſcitavit, id præſtitit, ut homines in viam ſalutis reverterentur, hos de ſuis voluntatibus, ipſorumque officiis erudiens; ſi Apoſtolis mentem immiſit tot laboribus univerſum terrarum orbem peragrandi, ut quocumque evangelii lumen diffunderent; ſi voluit, tot Martyrum myriades invicta conſtantia ſanguinem ſuum effundere inter teterrimos, ſæviſſimoſque cruciatus; ſi tot Principibus ſuaſit, nitidiſſimas ſæculi calcare fortunas, & humilitatem, religioſamque paupertatem voluptatum, & divitiarum copiæ anteferre; ſi tantum excitavit Doctorum numerum, qui omnes ingenii, corporiſque ſui vires exhauſerunt, ut evangelicas veritates tuerentur; ſi ſubinde homines apoſtolicos miſit, qui zelo ſuo totam Eccleſiæ faciem inſtaurant, ibique primæ pulchritudinis nitorem reſtituunt, inducentes populos ad pœnitentiam, & praxin omnium chriſtianarum virtutum, nonniſi ad hominum ſalutem retulit hos Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Doctores, Prædicatores, omnes denique Sanctos. At mirum ne eſſe debet, ipſum ad animarum ſalutem omnes hos eximios retuliſſe viros; quandoquidem non extremum officium, quod ipſe Angelis commiſerit, ſit cura noſtri, ita ut a primo vitæ noſtræ momento ad extremum uſque exitum ejuſdem nobis adhæreant, ut ad ſalutem adducant? Nonne opus eſt, ſalutem hanc in oculis Dei chariſſimam eſſe, acceptiſſimamque, quandoquidem nobiles illos ſpiritus eſſe coegit duces noſtros, & cœli viam nobis oſtendere? *Idem.*

Quam chara Deo ſit noſtra ſalus.

Quis crediidiſſet, & quis arbitrari potuiſſet, eum, qui in magnitudinis, & gloriæ ſuæ ſtatu eſt finis noſter, & ad quem creata omnia referuntur, debere ſibi velut finem ſuum proponere ſalutem noſtram, ex qua ipſe nullam percipit utilitatem; & debere ſe ipſum ſalutis noſtræ mediatorem ſtatuere, exhauriens, quidquid eſt, & quidquid habet, magnitudinem, bona, vim, vitamque ipſam in hunc uſum? O ſalus adeo parvi æſtimata, adeoque neglecta ab hominibus, aliquid magni, & inæſtimabilis es! Si enim rerum pretium æſtimandum ex illis eſt, quæ pro ipſis impenduntur; ſi quæ adeſſe debet proportio inter merita, ac præmia, de ſalutis pretio ex pretio infinito, quod pro illa Dei filius erogavit, ipſi judicate. Ipſi judicate; hæc enim ſalus apud ipſum locum tenet mercedis pro omnibus cum vitæ ipſius humiliationibus, tum mortis cruciatibus. Tradidit Deus morti filium ſuum, quamvis in hoc omnem ſuam gloriam conſtituat, & in eodem ſibi bene ab æterno complacerit, hunc tamen tradidit, ut crimnoſos homines ſalvos faceret: *Proprio filio ſuo non pepercit*, ad Rom. 8. Neque filius hic ſanguinem ſuum ob hanc cauſam effundens illum prodigere arbitratus eſt. Nonne vobis videtur animæ ſalus tantum valere, quantum vita Hominis Dei; quandoquidem hujus ſacrificium fecit, ut illam peccatoribus mereretur, & hanc voluit eſſe remedium, ut illam ab æterno vindicaret interitu? *Idem.*

Maximum noſtrum negotium eſt ſalus noſtra.

Hoc proculdubio maximum vobis negotium eſt de ſalute veſtra cogitare, ac ſerio illi navare operam; nullum enim vobis eſſe poteſt verum bonum, felicitas nulla extra ſalutem. Agitur de poſſidendo, vel amittendo Deum, qui in ſe omnia bona complectitur: agitur de felicitatis, vel infelicitatis æternitate: agitur de æterno gaudio, vel de cruciatibus magnitudine quidem terribilibus, duratione autem æternis. Ullumne eſſe poteſt tanti momenti negotium? Ullumne cum hoc conferendum? Sapiens autem Eccle. 11. nonne jure dixit, licet homini plura ad vivendum ſæcula concederentur, & licet certus eſſet ſe toto hoc tempore perfruiturum ea proſperitate, quæ nullis adverſis, mœroribuſve perturbanda eſſet, ipſum tamen ſemper cogitare debere dies æternitatis, qui ubi venerint, oſtendent ipſi cæterarum occupationum nihilum, & vanitatem. *Idem.*

Poſt mortem cognoſcemus omnes alias curas inanes fuiſſe nobiſque ſalutem unicè fuiſſe, curandam.

Poſtquam mors nobis oculos aperuerit, videbimus inutiles fuiſſe curas, quibus acti fuimus, ut temporalium negotiorum noſtrorum exitum felicem perquireremus: hæc omnia aranearum laboribus ſimillima putabimus, quæ ſemet exhauriunt ſubtilia ducturæ fila, quæ muſcis tantum capiendis inſerviunt: *Sicut aranea meditabuntur*. Pſalm. 89. De his judicabimus quemadmodum Deus, & Sancti nunc judicant, ac videbimus inutilitatem, atque ſtultitiam omnium curarum, quæ nos prohibuerunt, quominus de ſalute noſtra eſſemus ſolliciti: *Cogitationes eorum cogitationes inutiles: non eſt judicium in greſſibus eorum*. Iſai. 59. Fruſtra Dei filius ait, nihil nobis profuturum mundi totius lucrum feciſſe, ſi animæ detrimentum paſſi fuerimus, niſi noſmet ſalvos fecerimus; alias quaſlibet jacturas bonorum, exiſtimationis, officiorum, honorum, earumque rerum, quas præ cæteris amamus, nihil eſſe, ubi cum ſalutis jactura comparentur; eas nihil nobis auferre niſi bona, quæ mors brevi raptura eſt, quoniam ex hoc mundo egredientes nihil nobiſcum poſſumus aſportare. Si hic uberem amiſiſtis agrum, alium acquirere poteſtis: ſi ingentem auri vim, hanc iterum lucrari vobis dabitur; ſi valetudini veſtræ inordinato vivendi genere offeciſtis, eam pharmacorum ope, & uſu reparare fortaſſe licebit; ſed ſalutis jactura reparari non poteſt: *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Matth. 16. Si ſemel animæ noſtræ defuerimus, actum eſt in æternum. *Idem.*

Tanta, inquient reprobi, fuit cœcitas noſtra, ut pro terrena fortuna, pro modico bono, pro vana, & fallaci oblectatione ſalutem noſtram neglexerimus: *Tranſierunt omnia illa tamquam umbra: quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis?* Sap. 5. Omnes iſtæ divitiæ, honores, voluptates evanuerunt velut umbra; neque aliquid ſupereſt, niſi triſtis memoria, ſomniorum ſimilis recordationi. Itane pro rebus adeo fragilibus anima, & ſalus erant amittendæ? Itane in diſcrimen adducenda erat beata æternitas pro bonis, quorum duratio quidem adeo brevis eſt, fruitio autem tot amaritudinibus mixta? Itane pro adeo exiguis bonis amittenda erat ſalus, præterquam nihil eſt niſi miſeria? Nonne potius abrenunciandum erat lucris omnibus, & bonis, quam ſalutem periclitari, vel amittere? Ullumne lucrum, aut bonum eſt, quod tantam reparare valeat ruinam, vel quod cum ſalute poſſit comparari? Horum igitur miſerorum exemplum nos alienis ſumptibus ſapientes efficiat; nunc eos concipiamus ſenſus, quos illi tunc, ſed fruſtra de ſalutis momento fovebunt. Hanc igitur hodie ſpectemus, tamquam maximi momenti negotium, vel unicum alicujus momenti, quod nobis eſſe poſſit negotium; huic præcipuam, totamque curam noſtram impendamus. Hoc propriè noſtrum eſt negotium: cætera ſunt ad tempus, & annos aliquot, hoc in omnem æternitatem. *Idem.*

Alia negotia ita curanda ut noſtri non obliviſcamur.

Neque poſtulo, ut omnem temporalium negotiorum curam, familiæ veſtræ regimen, munerum veſtrorum exercitationem, veſtræque negotiationis cogitationem abjiciatis: hujuſmodi occupationes, uti oportet, acceptæ cum ſalutis cura ſimul eſſe poſſunt. Et hæc media ſæpe ſunt, quæ nobis Providentia propoſuit, ut ad hunc finem perveniremus. Hoc poſtulo, ne rebus hiſce vacantes in illis præcipuum veluti negotium veſtrum conſtituatis; ne nimia ſollicitudine illis adhæreatis, ne illa tamquam finem veſtrum putetis, ſed hæc omnia ſedulo ad Deum, ſalutemque veſtram referatis. Vobis dico, quod S. Bernardus Eugenio Papæ in libro de conſideratione, quem huic Pontifici inſcripſit. Scio gradus, quem in Eccleſia obtinea, magnitudinem infinito te obruere numero negotiorum, & occupationum, quæ facere nequeunt,

quo

quo minus plurimum diſſipent mentem ſuam, animumque partiantur. Sed in numero negotiorum tuorum tuam ſalutem accenſe, & Eccleſiæ totius curam gerens tui ipſius non obliviſcere. *Idem*.

Conſilium capiendum ſerio in poſterum cogitandi de ſalute ſua. Quandoquidem tantum amiſimus temporis, & hactenus tanti momenti negotium turpiter adeo contempſimus, conſilium hodierna die capiamus ſerio eidem operam navandi, & optimo temporis, quod nobis reliquum eſt, uſu reparandi pravum uſum ejuſdem, quem fecimus; ſpectandi ſalutem noſtram tamquam unicum illud negotium, quod nobis gerendum ſit; hoc procurandi eodem ardore, quo ſæculares ea conſueverunt, quæ ſibi ſunt antiquiſſima; nihil eorum negligendi, quæ aliquid conferre poſſunt, ut negotium hoc nobis fluat e ſententia, ac noſmet præteritæ inertiæ conſideratione excitandi ad reliquum viæ, quod in cœlum supereſt, majori pernicitate percurrendum, quemadmodum ſolent viatores, qui nimis in itinere immorati ſunt. *Idem*.

Ideo vero melius adhuc liquet modica attentio, quæ hoc in negotio adhibetur, & negligentia, qua illud excipimus, quod ſi quibuſdam in occaſionibus conſilium hac de re petimus, videmur decipi velle. In rebus reliquis peritiſſimos, conſultiſſimoſque in arte viros conſulimus, ſed cum de ſalute agitur, obvium quemlibet directorem eligimus; præſertim vero ſi indulgentiæ fama illum commendet. Quoties etiam ſciſcitamur, utrum aliquid liceat, an ſecus, hac mente, ut illi, quos conſulimus, id ſentiant, quod maxime cupimus? Non petimus conſilium, ut expeditiora, ac tutiora ad ſalutem adminicula inveniamus, ſed ut incertiſſima eligamus, ut amplectamur ea, quæ periculoſa eſſe cognoſcuntur, dummodo a maxime eſſentialibus Chriſtianiſmi officiis abnormia non ſint. *Idem*.

Quid faciunt, qui vere ſalutem ſibi cupiunt. Qui verum habent ſalutem ſuam operandi deſiderium, nullum ingrediuntur ſtatum, nullum amplectuntur munus, nulli vacant occupationi, niſi ea ad ſalutem ſuam referatur, quæ ſumma ſemper eſt conſiliorum omnium. Hoc ante cætera ſemper conſulunt, antequam de re quapiam deliberent; hoc illos vel ad agendum impellit, vel deterret; atque inter diverſas vias, quæ ſeſe ipſis offerunt, non hærent eligentes eam, quæ ad hunc finem expeditiſſima videtur, atque tutiſſima. Vulgatius argumentum precum, quas fundunt Deo, eſt, ut ſibi liqueat, quod vitæ genus ſibi deſtinaverit in æterna præſcientia, ut ad beatitudinem perveniant; quod ubi ſemel cognoverint, nihil intentatum relinquunt, & inauſum, nullum non ſuperant, proſternuntque obicem, ut illud amplectantur. Quantumvis aſpera ſit via, ad quam a Deo vocantur, licet ſentibus, ſpiniſque eſſet obſita, nonniſi illecebras, atque delicias habere videtur illis; & ſi in cœlum perducit, ipſi hanc incredibili ardore amplectuntur. *Idem*.

Salutis negotium differendum non eſt. Alia vitæ negotia ſæpe ſunt differenda, etenim cum alia aliis adverſentur, omnia ſimul tranſigi nequeunt; ſed voluit Deus, ſalutis noſtræ negotium nulli munerum noſtrorum eſſe impedimento, ne ulla ratione illud differre teneremur. Hoc e contra alias quaſcumque occupationes ſanctificat, & quidquid hac mente non ſanctificatur, inutile eſt, ſi fortaſſe neque injuſtum eſt, neque noxium. *Ex ſermonibus chriſtianis*.

Vin' metum, quem ipſe concipis de ſalute tua, æquum, & utilem eſſe? imitetur timorem eorum, qui naufragium reformidant. Hoc in timore omnia projiciuntur, ut ſaluti ſuæ conſulatur; & quidquid pretioſiſſimum eſt in pelagus jacitur. Et quia nil tanti ſit, quanti vita, libenter omnia relinquuntur, ut illa ſervetur; ſalus ipſa unum illud eſt, quod reſpicitur. Eheu! cum eſtis in mundo, eſtis in procelloſo mari; in ſingula momenta ſcopuli occurrunt. Si rationabilis, & prudens es, ſalutis tuæ ratio unicum illud negotium eſt, quod te debet occupare, omnia tibi ſunt abjicienda, quæ illam prohibere poſſunt; navis hæc exoneranda eſt, cor eſt exonerandum. Bonum hoc tibi acceptum eſt, ſed male partum eſt. Pondus eſt, quod tibi cauſa erit naufragii, projiciendum eſt. Forma illa te allicit; ſed cum amor illius noxius ſit, pondus eſt periculoſum, quod certiſſime te in interitum trahet, ideoque relinquendum eſt: *Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum*, S. Auguſtinus ait. Pereant reliqua, honores, dignitates, opes, dummodo in hoc interitu, & univerſali naufragio id ſalvemus, quod præcipuum, & unicum eſt, & quod ſalvare intereſt noſtra, animam videlicet noſtram. *P. Maſſon ſermone 6. Adventus*.

Felixne an infelix in hac vita fuerit parum intereſt. Homo iſte brevi magnas collegit opes; omnia illi fluxerunt e ſententia, bona affluenter in domum ejus ingreſſa ſunt; honores, agri, exiſtimatio, omnia confluxiſſe videntur, ut illum inter homines ſæculi beatiſſimum facerent. Dives fuit, potens, ſcitus, prudens. Maxima ille quidem obiit negotia, non abnuo; ſed ſalutis ſuæ negotium non procuravit, ideoque in inferno æternum torquetur. Illi vero e contra, qui natus fuiſſe videtur calamitatum ludibrium futurus, altus, & nutritus in amaritudine, ne unus quidem tranquillus, terrenuſque affulſit dies; nihil illi ceſſit e ſententia, negotia, conatus, conſilia, omnia peſſum abiere. Vitam duxit triſtem, obſcuramque, multis laboribus, pluribuſque mœroribus confectam. Improba ejus fortuna nullum ipſi conciliavit amicum, & poſtquam bona illius in deterius lapſa ſunt, omnes eum contempſerunt. Nil in terris calamitoſius fingi poteſt; verum eſt; ſed homo hic operatus eſt ſalutem ſuam; omnia illius mala eumdem cum vita finem habuere; ſanctus eſt, æternumque beatus. Eccleſiaſticus ille meritis, vel favoribus nituit; plurimos habuit amicos, ampliſſimas aſſecutus eſt dignitates, ad inſulas evectus eſt. Magna ſervorum cohors, magni honores, ſumma magnificentia: quæ vita hac beatior, atque optatior? Mors ſerenos ejuſdem turbavit dies. Prodeundum fuit illi coram ſupremo judice; ratio ei reddenda fuit villicationis ſuæ, & poſtquam in vita felix extitit, poſt mortem in æternum interiit. Quæ conſolatio, quæ felicitas e contra religioſo huic viro, cordato Sacerdoti, qui in tenebris, & humiliaris caligine vixit. In id intentus, ut ad unguem omnibus ſui ſtatus officiis perfungeretur, cum laude omnia miniſterii ſui obiit munera. Pauper, humilis, mortificatus, in mundo non magnas quidem fortunas habuit, ſed ſanctus eſt. Quæ dignitas conferri poteſt cum hac in altera vita fortuna? Quæ ſors ejus ſorte præſtantior? *Idem*.

Pericula quæ ſunt in mundo pro ſalute. Omnia in mundo pericula ſalutis eſſe dicere poſſumus. In hoſtico vivimus, viæ inſidiis plenæ ſunt, aer, qui reſpiratur, parum ſanus: omnia laqueis referta ſunt, objecta tentant, exempla trahunt; ipſa naturæ noſtræ affectio in malum prona reliquis ſimul periculis par eſt. Mundus hic eſt procelloſum mare, indeſinenter cupiditatibus agitatum, ſcopuliſque repletum; ii, qui videntur, non ſemper ſunt deteriores; malacia æque metuenda eſt, ac procella. Nulli fidendum eſt, ac ſibimet jugiter cavendum. Naufragium fit, tum quod non ſatis altum eſt pelagus, tum quod nimis prope raditur littus. Quantumvis parum cœli proſpectus amittatur, erratur, & plurimi in ipſo portus oſtio naufragium faciunt. Bona fortuna ebrios facit, mala opprimit; utraque maximis periculis ſalutem objiciunt. Non deſunt mala, quibus bonorum patientia ſuperata cedit; pauca etiam ſunt proſpera, quæ modum non excedunt; hæc nos excæcant, extra nos rapiunt, in errorem inducunt. Proſperitas hominem inflat ſuperbia, mollit voluptate, aggravat inertia .... Miraculo opus eſt ad evitandum virus, quod univerſaliter adeo effuſum eſt, & adeo bene præparatum. Quodcumque periculum eſt, quodcumque tentatio eſt in proſperis; objecta, quæ majoribus pollent illecebris, ſeſe offerunt catervatim; contagio communis eſt, laquei ſub pedibus. Honor, magiſtratus, digni-

dignitas numquam attollunt, quin nos furentibus ventis objiciant; vita deliciis affluens præcipitiis plena eſt; ipſi etiam duces ſunt metuendi; omnia fallunt, omnia ſaluti ſunt periculoſa. Qua igitur vigilantia, qua cura opus eſt, ut in hoc mondo ſaluti conſulatur, & hæc in tuto conſtituatur? *Idem*.

Mundus eſt regio, ubi omnia ſaluti ſunt periculoſa, & ubi ſecuritas, in qua vivitur, maximum eſt omnium periculorum. Paucæ in mundo converſationes ſunt, quæ vel antidotis, vel remediis non egeant, pauci ſermones, qui vel pudorem, vel charitatem non lædant. Obtrectatio ita belle ſibi locum invenit, ut ubique etiam in maxime familiaribus colloquiis aditum ſibi aperiat; ſine hoc ſale omnia nullius ſaporis ſunt, & languent. Poſtquam plurimorum nomini labes offuſa fuit, quænam fit reparatio? quæ pœnitentia? Ætas effœta, moleſtas aliquis caſus, infortunium a voluptariis cœtibus aliquem removebit; at hic ullîſne angitur curis, vulneribus, quæ intulit, medicinam allaturus, vel reparaturus damnum, quod plurimis peperit? Hoc ipſum quam palam probat exiguum electorum numerum in mundo? Hi voluptarum adeo hilares conventus, hi cœtus adeo magnifici, hæ ludorum, amorumque academiæ, hæc ſplendida, & delicata convivia, ſuntne innocentiæ perfugium, & contra vim cupiditatum aſylum? Attamen ibi homines tranquilli ſunt; ibi regnat gaudium & lætitia; verum numquid merito addere poſſumus, & bonam conſcientiam ibi regnare? Cum hæc omnia ſerio, & per otium conſiderantur, omne periculum patet, ac perterremur, ſed ubi videmus omnium ætatum, omniumque conditionum mortales eo alacriter, & catervatim confluere, quid cogitari poteſt de multitudine, quæ in interitu ſuo gaudium conſtituit, & quæ de ſalute ſua eſt adeo parum ſollicita? *Idem*.

Si ſalvamur parum intereſt, quid in mundo fuerimus, fecerimus, vel pertulerimus.

Si ſalvamur, perfunctoriæ omnes mundi calamitates, genus obſcurum, turpis conditio, egeſtas, morbus, contemptus, nihil poterit ullo modo ſupremum bonum imminuere; ſin damnamur, omnis fluxa mundi felicitas, dignitas, potentia, honor, opulentia, voluptas, nihil ſummam infelicitatem avertere poterit. Quid vobis videtur? Numquid quam maxime refert beatam procurare æternitatem? In communibus negotiis aliqua ſemper reliqua ſpes eſt. In mundo calamitoſus ſum, ſpero me in altera vita beatum futurum. In negotio ſalutis nulla reditus ſpes adeſt, & quicumque damnatur, in æternum damnatur. Intelligiturne, quanti momenti ſit hoc negotium? *P. Croiſet in ſpirit. conſid.*

Quæ nos illecebrâ excæcat; quodnam veneficium nos faſcinat? Quacumque in alia re rationabiles ſumus, atque ſapientes, & in hac una, ubi ſapientes eſſe intereſt, obſtupeſcimus, & rationis ſenſu caremus. Quid enim prodeſt mortalium doctiſſimo, potentiſſimo terrarum dominatori, nituiſſe, excelluiſſe, viciſſe, egiſſe triumphos, ſi damnatur? Hominum pleriqae currunt, progrediuntur, quin ſpectent finem, quo tendendum eſt. Dummodo ſciant multiplicare nugas, quibus diſtrahuntur, ac illecebras, quibus agnoſcere prohibentur præceps illud extremum, quo via illos adducit, contenti ſunt. Hoccine eſt eſſe ſapientes? Sæcularium negotiorum impedimentum, familiæ cura, magiſtratus officia, ſolatia, ipſæ voluptates nos avocant, neque ſinunt per otium de ſalute noſtra cogitare. Si quæ adhuc ſupereſt religionis ſpecies, rectique ſenſus ratio, ex quo aliquid prohibet, nos ſaluti noſtræ proſpicere numquid illa nobis cura, voluptas, officium, negotium habenda ſunt? Nulla conditio eſt, ſtatus nullus, qui relinquendus non eſſet, ſi cum ſalutis cura ſimul eſſe non poſſet. Ad naufragium evitandum omnia projiciuntur in mare. Beata æternitas aliquorum dierum vita poteſt comparari. Attamen certum eſt, nullum eſſe ſtatum, qui nos in cœlum non valeat adducere, cum Deo auctore ſuſcipitur. Sancti ad ſanctitatem acquirendam uſi ſunt iiſdem occupationibus, quas reprobi in uſum adeo pravum verterunt. Cupiditates noſtræ, non ſtatus noſter nobis ſunt impedimento. *Idem*.

Salutis negotio parum attendimus.

Bona fide, ſalutis noſtræ negotio plurimumne occupamur? Cum autem adeo parum illi vacemus, quo jure ſperamus illud nobis ſententia ceſſurum; nos, qui putaremus hominis alicujus negotia peſſum itura, niſi illis majorem, quam nos, æternitati navaret operam? Deus nobis totam conceſſerat vitam ſaluti unice impendendam, & judicaverat non brevius temporis ſpatium requiri, ut eamdem operaremur; nobis autem aliter judicare placet, & ſperamus, nos ſalvos fore, quamvis ægre aliquot ſolum vitæ noſtræ menſes integros inveniamus huic uni negotio impenſos. Ita infinitam beatitudinem in diſcrimen adducimus, atque tranquille noſmet æternæ objicimus infelicitati, quæ alias quaslibet infelicitates continet, & excedit! Scimus tempus eſſe breve, inſtare mortem; quodlibet momentum eſſe poſſe extremum, & ſi hoc extremum eſſet, interitum noſtrum inevitabilem fore. Qui hoc cogitantes fremunt, impoſterum in hoc negotio erunt oſcitantes! Millies animo terribiles haſce cogitationes revolvimus; jam ad extremum ſtadii noſtri ſpatii pervenimus; at ſalutis noſtræ negotium plurimumne, proceſſit? *Idem*.

Non ſine difficultate operari poſſumus, ſed illa ſuperanda eſt.

Salus ſuas habet difficultates, quod autem negotium non habet ſuas? Numquid ſine labore in re militari ad primos gradus aditus patet; numquid ſine curis in mercatura tranſigenda opes quæruntur, numquid ſine difficultate quolibet in ſtatu procedere licet?... Quiſnam non ſentit eas difficultates, quæ in ſuo ſtatu, ac munere inveniuntur? Quot vigiliæ, quot ſudores, quot curæ? Numquid labor plurimos deterret? Ni velit inſipiens haberi, quis otiari vult cauſatus, non ſine labore negotia tranſigi poſſe? Quo in loco habentur, qui mundo hoc ineant conſilium? Unum ergo ſalutis erit negotium, in quo liceat ratione carere, & a recta ſenſu abhorrere, quin male audias? Attamen quamvis cætera tibi e ſententia fluxiſſent, niſi ſalutem operatus tuam, fruſtra tu ſapientem jactitas; næ inſipiens es. Licet difficultates, quæ in ſalute procuranda tibi occurrunt, longe graviores eſſent, quam perhibentur, deliberandumne eſſet, utrum eſſent ſuperandæ? At verum non eſt, difficultates tales eſſe, quales feruntur. *Idem*.

Salutis negotium eſt difficile, nihilque prætermittendum ut è voto cedat.

Salus difficile negotium eſt; cur diſſimulandum, quandoquidem Salvator hoc palam docet in Evangelio? Hac in re nihil ipſe nos celat. Vinea eſt ſumma cura excolenda, ſi fructum inde percipere volumus; ager eſt tanto labore exercendus, ut otiari, vel reſpicere retro non liceat: abditus eſt theſaurus, qui noniſi humo alte defoſſa inveniri poteſt: negotium eſt, ubi nulla prætermittenda cura eſt, ut talenta in quæſtu ponantur: pretioſa eſt margarita quorumcumque bonorum pretio redimenda, niſi habetur; & ſi ſemel acquiſita amiſſa fuerit ſumma ſollicitudine inquirenda eſt, ita ut omnia ſuſque deque vertenda ſint, donec reperiatur. Hæc ardua, & arcta via eſt, per quam pauci ingrediuntur. Hæc porta anguſta, per quam introire difficile eſt. Poteratne Salvator magis ob oculos ponere hanc veritatem, quam his omnibus utens parabolis, atque comparationibus? Salus ergo difficile negotium eſt. Et profecto quot obices adverſantur, quot hoſtes obſiſtunt! Obices a concupiſcentia, quæ domanda eſt, a violentis affectibus, qui ſunt moderandi, a ſenſibus inordinatis, qui mortificandi ſunt, ab inveteratis habitibus, qui ſunt convellendi, ab objectis æque jucundis, atque funeſtis, quæ ſunt fugienda, ab occaſionibus periculoſis, quæ ſunt evitandæ, a nexibus, qui ſunt infringendi. Qua conſtantia, qua vi ad id opus non eſt! ſed qua fortitudine opus, ut oppugnentur hoſtes, qui ſaluti noſtræ adverſantur? Caro, domeſticus hoſtis, eo metuendus magis, quo timetur minus. Mundus, qui placitis ſuis nos ſeducit, qui ſuis promiſſionibus allicit, qui ſuis pertrahit exemplis. Dæmon potens inimicus, & verſutus, vigilans & crudelis, qui negotium ſuum potat cladem noſtram, dum interim noſtrum non putamus negotium noſtram

ſtram ſalutem. Ut igitur ſalvemur, fortitudine eſt opus, & fidelitate. *P. Nepveu tom. 2. chriſt. conſider.*

Cur ſalutis negotium proprie ſit negotium noſtrum.

Salutis negotium proprie negotium noſtrum eſt, etenim omne lucrum nobis cedit. In aliis negotiis lucrum nequaquam illius tantum eſt, qui operatur. Agricola ferit, & metit, ſed plerumque non ſibi. Pater ſe ipſum bona colligendo torquet, ſed ut filios locupletes faciat, & ſæpe ut faciat ingratos. Judex caro emit pretio magiſtratum, videlicet neceſſitatem ſemet ipſum populi victimam efficiendi. Quid inde percipit? Inanem honorem. Qui ferit, Salvator inquit Jo. 4. non ſemper & metit. *Alius eſt, qui ſeminat, & alius, qui metit.* Sed in ſalutis negotio, qui operatur, hic unus omnem percipit quæſtum, quem cum nullo partitur: *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet*, S. Paul. ad Gal. 6. ait. Si oras, ſi jejunias, ſi erogas aleemoſynam, ſi ſenſus tuos mortificas, ſi carnem tuam crucifigis, lucrum omne tuum erit, ſed lucrum magnum; in hac enim vita centuplum ipſum excedet, in altera vero erit infinitum. *Idem tomo 1.*

Noſtrum etiam negotium eſt; jactura enim tota erit noſtra.

Salus noſtrum negotium eſt; ſi enim male ceſſerit, jactura tota nobis ceder. In negotiis, ubi periculo utilitas mixta eſt, ſocietates fiunt, cautiones quæruntur; & dummodo minus ſubeamus diſcrimen, minus referre lucrum optamus; volumuſque cum aliis lucrum partiri, dummodo ipſi nobiſcum detrimenta partiantur. Sed cum agitur de ſalute nulla ſocietas eſt, cautio nulla. Solis periculum adeundum eſt; omne lucrum, & omne detrimentum ad nos perſonaliter ſpectat; ſinguli pro ſe ſua adlaborant. Hic vir bonus, cui tantum ueli eſt pro ſalute tua, qui tantum exhauſit curarum, qui hoc ſuum negotium eſſe putavit, lucri quidem partem accipiet, ſi proſpere ceſſerit, ſin autem male, exors erit omnis jacturæ. Quod immo erit cauſa interitus, & damnationis tuæ, cauſa erit illius meriti, & quæſtus. *Idem.*

Salutis noſtræ negotium, negotium fuit filii Dei, qui ideo factus eſt homo.

Cum miſit Deus Filium ſuum in mundum, unum illi mandavit, & hoc unum fuit ſalutis noſtræ negotium, perinde ac magnitudini illius maxime par, ſuæ gloriæ accommodatius. Quamquam in tanta exercitiorum varietate homines diſtineat, vult tamen hanc unam omnium eſſe in terris occupationem, & non aliud nobis in tempore vult eſſe negotium, niſi æternitatis. Illuc omnes curas noſtras debemus extendere, atque in munerum noſtrorum diverſitate, cum non aliud nobis ſit finis præter hunc, non aliud etiam negotium habebimus; ac ſolum vitæ noſtræ opus erit illud ipſum, quod totam Dei meruit occupare ſapientiam, ſeu in æternitate, ut hoc conſilium conciperet, ſeu in tempore, ut illud opere adimpleri juberet. Attamen aliis quibuſcumque rebus intenti de hoc ſeca numquam cogitamus, & tantum abeſt, quod ex ea unicum negotium noſtrum faciamus, ut ne negotium quidem hæc nobis faceſſat. Tempus nanciſcimur iis rebus impendendum, quæ ad nos minime ſpectant; nec ſuppetit nobis otium pro illa, quæ inevitabilis eſt neceſſitatis, ac æterni momenti. Semper in motu verſamur, quin umquam proferamus pedem verſus beatum hunc terminum, & numquam fere vacantes unicæ rei, quæ omnes occupationes noſtras expetit, inutilium curarum infinita farragine animos noſtros obruimus. *Ex ſermone hujus argumenti in collectione Orationum Academiæ Gallicæ oblatum anno 1675.*

Cur ſalutis negotium ſit magnum, nur umque negotium noſtrum.

Totius mundus negotiis obrutus eſt, & neminem ferme videmus ſaluti ſuæ intentum negotio. Omnes domos ingrediemini, negotia ibi invenietis, homines omnes interrogate, negotiis intentos reperietis, & ſi familiariter cum illis ſermonem miſcebitis, ſæpe de negotiis tantum ſuis verba facient, quin ſalutis, atque æternitatis negotium umquam in verba, vel etiam in cogitationem ipſorum incidat. Ad hæc lis, magiſtratus, familiæ cura, exercitus imperium, reipublicæ adminiſtratio nonne totidem ſunt variæ occupationes magna negotia appellandæ? Omnes iſtæ conſiderationes non prohibent, quominus juxta evangelii oraculum aſſeram, nullum in mundum præterquam ſalutis eſſe negotium; ſeu quod cætera cum hoc comparata magna non ſunt, ſeu quod ad hoc relata tamquam ad præcipuum finem non afferunt curas diverſas, & quod omnia ſimul unam occupationem efficiunt. *Idem.*

Quanti ſteterit filio Dei noſtra ſalus.

Dei filius omnia pertulit, omnia ſuſtinuit ob hunc finem, ut nobis fortitudinem immitteret omnes vincendi difficultates, quæ occurrerent, omneſque obices ſuperandi. Quis intelligere poteſt æternæ ſalutis pretium, inquit chriſtianæ eloquentiæ Pater, quoniam hæc infinita ſapientia, quæ cujuſcumque rei meritum perfecte cognoſcit, nihil ad hoc prætermiſit, neque renuit requiem, honorem, vitamque ſuam ſacrificare. Attamen nos illam negligimus, quamquam negotium ſit noſtrum; & non ſolum non ſperamus illam conſecuturos ſub adeo gravibus conditionibus, quibus hæc divina perſona, cujus nihili intererat, niſi quod intereſſet noſtra; verum etiam detrectamus illi aliquam impendere conſiderationem, quaſi metueremus, ne noſtram perturbaremus tranquillitatem immortalem requiem nobiſmet procuraturi; & quaſi magnum hoc opus, quod Dei filium exercuit, quoad in hac vita permanſit, dignum non eſſet, quod vitæ noſtræ momentum occuparet. *Idem.*

Mundana prudentia hac in re cæca eſt, quamvis in aliis ſit perſpicax.

Prudentia mundi quam cæca es in propriis luminibus tuis, & veris tuis utilitatibus ſenſu carens! Uſquequo proprium tuum bonum, tuæque ſalutis negotium, quod unicum negotium eſt, quod ardenter amplecti debes, contemnes? Uſquequo adverſaberis juſtitiæ Dei, quæ eſt certiſſima vitæ norma? Si adeo ſapientia conſilia præbes tua conſulentibus oracula circa præſentia, numquam ſalutaria præbebis monita circa futura, quæ adeo digna ſunt conſiliis tuis? Si adeo aptas rationes excogitas, quibus ad optatos exitus negotia producas, numquid unica relinquenda tibi erit via, quæ ad extremum tuum finem adducit? Si adeo ſcitas fers ſententias de rebus humanis, ac peritiis, ſemperne eris injuſtus in judiciis, quæ de æternis, diviniſque rebus profers? Ingentes curæ exiguas auferunt, cumque nos magni momenti urget negotium, ægre minoribus operam damus. Æquum eſt, S. Eucherius inquit, quod, quæ potiora ſunt, primum in cogitationibus noſtris locum teneant; noſtræ ſalutis negotium cæteris quibuſcumque prævalere debet, ac cogitationes noſtras prorſus occupare, cum non præcipuum tantummodo ſit, verum etiam unicum. *Idem.*

Salus noſtra nobis chara eſſe debet, & non cupiditas prohibere poteſt, ne illam cæteris bonis præferamus.

Homini charius nihil eſt vita ſua, non enim renuit quandocumque rerum jacturam ſubire, dummodo eam ſalvam faciat. Quid ergo illi faciendum non eſſet ſalvaturo animam ſuam, & perfruituro æterna hac, & immortali vita, quæ toto cœlo pluris, quam vita corporis facienda eſt? Scio in diſcrimen adduci, atque negligi quotidie ſalutem, eamque bonis hujus mundi poſthaberi. Sed cupiditatis tempus e tempore conſcientiæ diſtingue. Cum cupiditas prævalet, tunc ſalutis æſtimatio ceſſat, & evaneſcit; quippe denſa eſt nebula, quæ cœlum nobis abſcondit, ac celat æternitatem; ſed ubi conſcientia nubem hanc perfodit, & diſſipat, tunc mundus viciſſim evaneſcit, & æternitas ſeſe ea in luce nobis offert, quæ oſtendit eam reliquis rebus eſſe præferendam; tunc nihil eſt, quod propter illam amittere nolimus. Opes, honores, voluptates, amici, conſanguinei, omnia huic magno, & incomparabili negotio cedunt. Hoc ipſum accidit quod mercatori: donec mercaturæ vacat, atque in terra ultro citroque negotiari ſatagit, mercibus tantum conquirendis intentus eſt; diceres vitam ejus cum lucro collatam nihil fieri; laboribus ſe exercet, ſudat, & alget, valetudinem, vitamque ſuam in diſcrimen adducit, ut navim jam jam vela daturam mercibus repleat. Verum in mari vehementi agitur procella, quæ inevitabile ipſi portendit naufragium, niſi navim exoneret? Tunc teſtatur vitam ſuam ſibi reliquis rebus eſſe pretioſiorem; quoniam ut illi conſulat, merces ſuas pro-

ſicit in mare. Ita judicandum eſt de illo, cui aliquid Chriſtianiſmi, & religionis eſt reliquum. *Auctor Anonymus.*

Inefficax, quam habent homines ſeſe ſalvandi voluntas.

Salvos fieri volumus; ſed minus principaliter volumus; ſi enim nunc voſmet excutere vultis, invenietis primam, præcipuamque voluntatem veſtram non eſſe, voſmet ſalvos faciendi. Primum illud, quod vultis, & ante cætera vultis, eſt vobis in mundo fortunam ſtatuere, ad ſublimiorem locum contendere; voluntas vero vos in hoc ſtatu ſalvandi poſterior eſt, voluntas eſt dependens, & ſubordinata; ideoque non agit, niſi quatenus prima, ac præcipua, quæ in vobis dominatur, voluntas id vobis permittit. Salvari volumus, ſed abſtracta, & confuſa voluntate hoc volumus; volumus voluntate frigida, & inefficaci; volumus indirecte; volumus in intentione, non facto, theoretice, non practice volumus. Quod efficit in vobis hæc voluntas, quam vobis ineſſe dicitis voſmet ſalvandi? Permixta, & confuſa eſt ſexcentis aliis voluptatibus, quæ prohibent, ne ſentiatur; & illam ſuffocant. Deſiderium progrediendi, honorem aliquem conſequendi, locupletandi, hæ ſenſibiles, diſtinctæque ſunt voluntates...; Nulla umquam voluntas magis ſterilis fuit illa, qua voſmet ſalvare vultis; quid enim parit? Regitne mentem veſtram? Movetne cor veſtrum? Influit in cogitationes, & actiones veſtras? Nil horum: ſalvari vultis, & ea renuitis media, quæ ad id ſunt neceſſaria. Quælibet voluntas finis, ſi vera, ſinceraque eſt, continet mediorum voluntatem, quæ igitur voluntas finis hæc veſtra eſt, quæ media ad illum excludit? Hoc vultis, ſed ſecundo loco; hoc vultis, ſed primoribus labiis; hoc vultis, ſed nihil operamini conſecuturi bonum, quod vultis. *Liber, cui titulus:* Le bon goût de l'Eloquence Chretienne.

Summa ſecundæ Epiſtolæ S. Eucherii ad Valerianum de ſalute ſua.

Ea, quæ prima, & præcipua ſunt, primum teneant, opus eſt, locum in animo noſtro, primumque ſint curarum noſtrarum objectum, & ſalus noſtra, quæ magnum, ac ſummum negotium noſtrum eſt, ſuprema ſit omnium ſollicitudinum noſtrarum cauſa. Salus noſtra nos occupet; neceſſe eſt, non ſolum tamquam primum, ſed etiam tamquam unum illud, quod occupare nos debet. Tanto ſtudio hanc cæteris quibuſcumque rebus præferre debemus, ut hæc omnis ſuperet, eiſque anteferri mereatur. Attentio noſtra ſumma eſſe debet erga Deum, ſumma erga animam noſtram. Sed hæc duplex animæ noſtræ applicatio erga hæc duo objecta hujus naturæ eſſe debet, ut cum utraque princeps, & neceſſaria ſit, altera ſeparari nequeat ab altera. Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur! Nulla igitur utilitatis ratio umquam ſubſiſtere poteſt, cum de animæ agatur detrimento; Omnes mundi quæſtus, lucra omnia minus ſunt, quam nihilum, cum aliquod damnum perfertur, quod ad ſalutem referatur. Quomodo enim recipi poteſt fructus, aut lucrum ex re qualibet, cum anima eo frui minime poſſit?... Si bona, quæ nobis proponuntur, apta non ſunt, quæ nos alliciant, ut perquiramus illa, niſi mala, quæ timemus, nos cogunt, ut illa fugiamus; quandoquidem ſalus noſtra in his duobus conſiſtit, ut æternis, & infinitis bonis perfruamur, & extremis malis, quæ æternum durant, liberemur. *Idem.*

De magnitudine negotii ſalutis noſtræ cum reliquis omnibus collati;

Salus momento omnia detrimenta, omnes vitæ errores reparat: verum ſi ipſi noſtræ ſaluti deſumus, quid proderit fuiſſe in mundo divites, atque potentes? quid proderit fuiſſe perſpicaces, doctos, eruditos, ſi in æternum miſeri futuri ſumus? Totus mundus, ſi contra hominem conjuret, illi cœlum auferre nequit; nequit etiam vel minimum illius turbare felicitatem, ſi ſalvus eſt. Univerſus terrarum orbis conſiſto conſenſu uni favens nequit hunc efficere, non dico beatum, ſi damnatus eſt; ſed etiam minus miſerum. Heu! Quid igitur homini prodeſt; ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Et quid dari huic poterit, quod jacturam, quam paſſus fuerit, valeat reparare? Nonne mirum eſt, omnes fateri ex omnibus negotiis, quæ præ manibus habemus, ſalutis negotium unum omnium maximum eſſe, & nihilominus hoc illud eſſe, quod maxime negligitur, & quod eſt minus curæ? Studium, negotium, ſolatia, colloquia, munera, omnia nobis magni momenti videntur, omnia nos occupant; ut ſerione vacandum eſt ſaluti noſtræ negotio? huc ſemper nimis cito eſſe exiſtimatur, & quod mirum eſt, numquam ſuppetit otium. Profecto dicendum eſt, nobis parum dignam eſſe noſtræ ſalutis ideam, quandoquidem illam nullo in diſcrimine habemus. Velleſne temporalibus negotiis tuis neque majus temporis ſpatium, neque majorem curam impendere? Et niſi vel majus temporis ſpatium, vel cura major illis impenderetur, quomodo ea ceſſura putares? Quinam eſt homo, cui tam modicum zeli, & charitatis adſit, qui ſalutem noſtram magis negligere poſſit, ac ipſi eam negligimus, ſi ſalus noſtra ab illo tantum penderet, quantum pendet a nobis! *Idem.*

Salus eſt proprium negotium noſtrum, cui per noſmet operam navare debemus.

Quæcumque in mundo magna vocantur negotia, proprie loquendo negotia non ſunt, ſaltem noſtra non ſunt; quippe ea procurantes aliena potius procuramus, quam noſtra, & nonniſi pro illis, qui poſt nos venturi ſunt, laboramus. Nullum eſt negotium, quod per alium confici nequeat: ſalutis negotium unicum eſt, quod nonniſi per nos tranſigere valeamus, & a quo noſmet diſpenſare non poſſumus, quin in nullam reditus ſpem intereamus. Hoc unum illud neceſſarium eſt, de quo ſæpe loquitur JESUS CHRISTUS: unicum, quia hoc unum eſt maximi momenti, & cujus exitus nihilominus quodammodo pendeat a nobis; unicum, hoc unum enim eſt, quod totam curam noſtram meretur; unicum tandem, unum enim eſt, quod a cura noſtra pendeat. *Idem.*

Salus eſt mundi totius negotium.

Salus unicum eſt mortalium omnium negotium; Regis in regni ſui regimine, Præſulis in curis, quas de ſua diœceſi gerere debet; litterati viri in ſtudiis; militis in ſtatu ſuo; mercatoris in ſuo commercio, & opificis in arte ſua. Neceſſe non eſt, hominem eſſe Regem, Præſulem, Militem, Mercatorem; neceſſe non eſt eruditum, & litteratum eſſe; ſed omnino neceſſe eſt, ipſum ſalutem ſuam operari: *Porro unum eſt neceſſarium.* In vulgaribus negotiis, aliqua ſemper ſupereſt ſpes. Quicumque hoc ſalutis negotium non peregit, nihil egit, nihilque agere poterit, &c. *Idem.*

In terra non ſumus, niſi ut ſalutem noſtram operemur. Deus nos creans, & ſervans in terris non alios ſibi propoſuit fines, quam noſtram ſalutem, & gloriam ſuam: æquiſne igitur auribus morituri audiemur dicentes: Magna in mundo operati ſumus, ibi ingenio, ac prudentia nituimus; ingentia collegimus bona, eum fructu aliorum ſaluti operam dedimus, noſtram dumtaxat negleximus; hoc eſt fecimus omnia, præter unicum illud negotium, propter quod nos unice creaſti. Quid prodeſt nos a Deo rationis lumine donatos fuiſſe, ſi nobis inutile ſit ea tantum in re, propter quam nobis illud donavit? Heu! illo utimur ſolum, ut nullius momenti conſilia incipiamus, & perducamus ad finem. *Idem.*

Coram Deo inexcuſabiles erimus, ſi ſalutem noſtram neglexerimus.

Salutem volumus, quis enim ita inſipiens fuit, qui nollet illam? Sed eam volumus generali, atque indeterminata voluntate, vagis inhæremus deſideriis, quin umquam ad opera deſcendamus. Volumus inefficaci, inertique voluntate; volumus infirma, & ignava voluntate; leviſſimum quodlibet obſtaculum nos prohibet, & leviſſimæ deterrent difficultates. Ex quo manus operi eſt admovenda, ac laborandum, & noſmet ſubjicere debemus quibuſdam officiis, quæ evitari non poſſunt, quibuſdam regulis, atque obſervantiis, tunc deficit animus, & cedimus. Id volumus arctata, & circumſcripta voluntate; præſto ſumus, ut hanc vel illam viam ingrediamur, ut hoc, vel illud faciamus, ſed nihil præterea. Itane, inquiet Deus, & cætera vultis? itane ex mortali aliquo morbo vultis convaleſcere? Itane litis alicujus victoriam optatis? Eheu! Quot hujuſmodi voluntates

ſteriles,

ſteriles, & effectu carentes? Numquid reprobabit illas Deus tamquam falſas voluntates illas rejiciens? .... Ne nobiſmet ipſis blandiamur, Chriſtiani, dicentes nos ſalvos fieri velle, hoc eſt Deo imponere, & ſecum pugnantia loqui; ſimul enim ſexcenta nobiſmet perbibemus ſecreta teſtimonia, ſalutem eam eſſe ex omnibus mundi rebus, quam ipſi minus volumus, & minus velle contendimus. *P. Bourdalove ſerm. de Prædeſtin.*

Objectorum multiplicitate diſtracti, tumultu ſtupefacti, inanibus occupati nugis, malorum exemplorum torrente rapti vitam noſtram traducimus, quin ne cogitemus quidem, quem ob finem in mundo ſimus; ſed inevitabilis, quæ nobis adeſt, neceſſitas in finem hunc indeſinenter tendendi, & nihil agendi, niſi propter hunc finem, non tranſibit. Ignis non magis, ut calefiat, Sol non magis, ut luceat, facta ſunt, quam homo ut amet Deum, ut ſerviat illi, & hoc pacto æternam beatitudinem mereatur. Ita nonniſi ut nobis eſſet auxilio, ut ad finem hunc perveniremus, atque ſalutem noſtram operaremur, creavit Deus hanc prope infinitam creaturarum multitudinem; cum ne una quidem ſit, quæ per ſe ſumpta nobis non præbeat argumentum, ut illum agnoſcamus, cauſam, ut amemus, medium, ut illi ſerviamus. Igitur nonniſi ad id ſumus in mundo; hic eſt mortalium omnium finis; at omnes ne mortales propter hunc finem vivunt? Hoc unum illud neceſſarium eſt, de quo loquitur Evangelium; at reſpiciturne tamquam tale? *P. Croiſet in receſſibus pro una ſingulorum menſium die.*

Pro Deo, & ſalute minus facimus, quam pro mundi negotiis.

Quot in mundo curæ, ut votorum finem conſequamur, ut ſuſceptum opus cedat e ſententia, ut Principis gratiam mereamur. Numquid eaſdem habemus curas, ut ſerviamus Deo, & ſalutem noſtram operemur; hæc enim duo ſeparari non poſſunt? Plerorumque mortalium vitæ rationem intuiti, nonne in terris alia qualibet de cauſa verſari diceremus? Quoties mundi placita Chriſtiani hominis officiis prævalent? Quilibet ſua habet conſilia; quilibet ad fines ſuos tendit; dicendum ſane eſt, nobis parum perſuaſum eſſe, quod Deus ſit extremus finis noſter, & nos creati ſimus, ut illum poſſideamus, quandoquidem frigide finem hunc conlectamur. Nulla in Chriſtianiſmo veritas eſt, quam hac citius percipiamus, & nulla de qua minus cogitemus, uti nulla etiam, qua cogitantes etiam minus afficiamur. Cum ab ipſis uſque incunabulis audire conſueverimus, hominem creatum non eſſe, niſi ut ſerviat Deo, neque in terſis verſari, niſi ut ſalutem ſuam operetur, non afficimur horum verborum ſignificatione, quorum ſenſum fortaſſe nunquam aſſecuti ſumus, & multo minus prævidimus mala, quæ ſunt conſecutura. Si enim verum eſt, me in mundo ideo tantum eſſe, ut ſerviam Deo, & ſalutem operer, ne una quidem eſſe debet actio vitæ meæ, quæ ad finem hunc non referatur, & neſcio, utrum in toto vitæ ſpatio vel unam hac mente perfecerim. *Idem.*

De rebus omnibus præterquam de ſalute ſolliciti ſumus.

In mundo ob unum id ſumus, ut Deo ſerviamus, & ſalutem noſtram operemur. Hæc fundamentalis eſt noſtræ religionis veritas; at ducimuſne vitam huic tantæ veritati conformem? Hoc præcipuum eſt Evangelii dogma; omnia circum hoc vertuntur, hæc baſis eſt, cui omnia innituntur; at ſi mores, ſenſus, vitamque noſtram conſulimus, quis diceret, Deum extremum eſſe finem noſtrum, & nos ad æternam beatitudinem fuiſſe creatos? De rebus omnibus ſolliciti ſumus, ſed quia de ſalute noſtra non ſumus, quis non diceret ſalutem noſtram a nobis nihili fieri? Pro rebus omnibus, præterquamquod ut ſaluti noſtræ vacemus, tempus invenitur; de rebus omnibus cogitamus, præterquam de nobiſmet ipſis; omnibus rebus occupamur, præter ea, quæ propius ſpectant ad nos, & de quibus cogitare magis intereſt noſtra. *Idem.*

Salutis noſtræ curam negligimus nugis vacaturi.

Avaris ſimiles evadimus, qui ſæpe, ut uni parcant argenteo, centum amittunt; pro terrena hæreditate ſolliciti æternam nullo in diſcrimine habemus: pretioſum tempus amittimus, quod adeo neceſſarium eſſet, ut cœlum acquireremus, ac illud nugis impendimus; quo enim alio nomine terrena hæc ſunt appellanda? Nonne jure S. Auguſtinus ea puerilibus comparat ludis, quos ſapientes vertunt in ludibrium: *Majorum nugæ negotia vocantur.* Et hæ nugæ, quo nomine illas Scriptura vocat, nos privant bonis, quæ magis vera, & ſolida ſunt: *Feſtinatio nugacitatis obſcurat bona.* Sap. 4. Liber, cui titulus: *Chriſtiana documenta, pro Dominica 20. poſt Pentecoſten.*

Moleſta, quæ ſoleris habetur, cura.

Generali earum rerum, quæ in mundo accidunt, experientia docti videmus hominum curas, atque labores; motus quibus ſe ipſos torquent, & ſollicitudines, quibus ſe ipſos conficiunt, vel temporalia quæſituri bona, vel vitæ mala evitaturi. Heu! infinitum tantummodo bonum, malumque infinitum tantummodo erit negligendum? Quid fit, ut cœlum acquiratur, vel ut evitetur infernus? Quiſque ſe ipſum colligat, ac ſedulo inſpiciat, quam ſollicite omnia quærantur a nobis, quid quotidie a mane uſque ad veſperam a nobis fiat, & quantulam ibi partem maximum ſalutis noſtræ negotium ſibi vendicet? Numquid illi eam, quam liti cuidam, impendimus operam? Numquid eumdem, ac in iis, quæ ad præſentem pertinent vitam, laborem impendimus? O Deus, quod diſcrimen! Sed quam curam adhibemus tunc etiam, cum id cogitamus? Numquid illi vacamus pari ſollicitudine, ac iis, quæ vitam adeo celeriter prætereuntem reſpiciunt? Quid ergo? Æternitas in nobis tantam vim non habebit? Heu! nimis hoc ſcimus. Si oramus, ſi Deo, æterniſque rebus vacare cupimus, mens noſtra diſtractionibus repleta eſt; ſed ſi temporale aliquod incidit negotium aliqua cura dignum, mens, animuſque extremam illi attentionem impendunt. *Boudon in libro, qui inſcribitur:* Le Chretien inconnu.

Noſmet ſalvare poſſemus iiſdem laboribus, quibus damnamur.

Re intus proſpecta ab homine, ut ſalutem, ac beatitudinis æternitatem conſequatur, nil ultra exquiritur, quam labores ipſi, quibus ſeſe exercet, ut in æternum miſer fiat. Quos non ſuſtinet labores, ut honores, & opes conſequatur? Cor ſemper oppoſitis laniatur affectibus, nullam ipſi requiem permittentibus. Percurruntur maria, itinera uſque in extremas terrarum plagas ſuſcipiuntur; ſomno etiam interdicitur, noctéſque moeſte traducuntur inquirendo, qua via dignitas alicujus momenti obtineatur: ſemper ſpem, metumque inter hæremus. Quot fallacia gaudia? Quot veri dolores? Quot tempeſtates noſtra excitat ambitio? quæ trahit mala! Deus ab homine minus poſcit, ut eum beatum efficiat, quam Dæmon, ut illum æternum cruciet. Si dimidium dumtaxat pro ſalute earum haberemus curarum, quibus pro fluxa hujus vitæ felicitate torquemur, certiſſime ſalvi eſſemus. Ex quo aliquid amatur, ibi nihil laboris invenitur, S. Auguſtinus ait: ſi diligis Deum, onus tuum erit leve; bona exquiruntur opera, ſed illa ordiri ſufficit, ut fiant facilia. Virtutes fiunt ſuaves, & commodæ, prout exercentur, & amantur. Quidam, qui primos pœnitentiæ conatus perferre non poterat, ſibi deinceps ea invenit gaudia, atque ſolaria, quæ exprimi nequeunt. Ardenter ſalutem tuam concupiſce, & omnes evaneſcent difficultates. *Auctor Anonymus.*

Neque dicas, quod olim S. Chryſoſtomo dicebatur; ut ergo ſalvi ſimus, in deſerta nobis eſt confugiendum. Eheu! numquid ergo ſui ipſius abnegatio, injuriarum venia, temperantia, modeſtia, humilitas, rerum terrenarum contemptus inter clauſtra ſunt amandanda? Multo majori ſtat labore animæ fideli ſalus in mundo, quam ſolitariis in receſſu; longe difficilius eſt, conſtantem eſſe inter pericula, humilem inter honores, temperantem inter cupedias, pœnitentem inter mollitiem, mitem, & patientem inter bonorum jacturas, quam inter clauſtra, ubi nullum horum periculorum invenitur. Et nihilominus, niſi hæc in mundo ſervaverimus, actum de nobis eſt. O Deus! Numquid ſanctæ auſteritates magis neceſſariæ ſint inter clauſtra, ubi occaſiones ſunt infrequentiores,

Digitized by Google

res, gratiæ validiores, lapſus minua crebri, qnam iu mundo, ubi omnia ſcopulis plena ſunt, ubi omnia ad malum excitant, ubi omnia ſeducunt, ubi denique nemo niſi prorſus ſingulari vigilantia ſervari poteſt. Quæ illuſio? Quantus error! credete homines ab omnibus periculis remotiſſimos magis, qnam mundanos, mortificatione, & auſteritatibus indigere? *P. Maſſillon ſermone de Samaritana.*

Non eſt ita in Dei miſericordia fidendum n pan ſalute ſolliciti non ſimus.

At enim bonus eſt Deus. Dei filius pro nobis mortuus eſt, numquid damnare uos velit? Quam præclarum hoc eſt principium, & quam ſalubre nobis eſſet, ſi inde æquiores educere illationes ſciremus? Sed en quid reponam. Si Deus nequaquam vos fecit, ut perderet, cur ergo voſmet ipſos perditis? Vos non fecit, ut peccaretis, ut legem illius violaretis, cur ergo læditis illum? JESUS CHRISTUS mortuus eſt, nt vos ſalvaret, cur ergo voſmet ipſos damnatis? cur renuitis pro ſalute veſtra laborare, quemadmodum ipſe laboravit? Præclara profecto hæc reſponſio eſt, quæ Dei filio reddatur! Domine, nonne tu ſatis laboraſti? æquum ne eſt, ut & ipſe laborem? Decet ſane vos ejuſdem uti Paſſione, cum ſitis Crucis inimici. Propter eamdem Dei bonitatem, & Salvatoris Paſſionem damnabimini. Quid prætermiſi, inquiet ille, ut veſtram ſalutem procurarem? Omnia feci propter vos, qnid ipſi pro me feciſtis? vel quod pro vobiſmet ipſis feciſtis? Utrius hac in re magis intererat, mea ne, an veſtra? *P. Cheminais tomo 3. ferm. de ſalutis difficultate.*

Quid prodeſunt ea quæ adepti fuerimus, ſi animæ detrimentum faciamus.

Fingite vobis morti proximum hominem, qui immenſas poſſederit opes, qui omnibus perfruitus fuerit voluptatibus, qui gloriæ, & magnitudinis verticem attigerit, & qui cum rebus in omnibus voti damnatus fuerit, unice ſalutis ſuæ curam neglexerit, eumque interrogate extremo illo iu vitæ ſpiritu: *Quid prodeſt?* Quid omnia hæc bona, voluptates, honores proſunt? *Qaid prodeſt?* Hæc abierunt omnia; atque tui habita ratione idem ſunt, ac ſi numquam fuerint. Sed anima tua quam negleaiſti, quam perdidiſti, non tranſibit; ſed pœnæ, quæ funeſti ſunt effectus hujus negligentiæ, & jacturæ, non tranſibunt. Voſmet ipſos in extremo hoc vitæ momento fingite: conamini modo eos fovere ſenſus, quos tunc habebitis de ambitioſis conatibus veſtris, de conſiliorum veſtrorum vanitate, de cura, qua opes congeſſiſtis, qua ad honores obrepſiſtis, ac vobiſmet dicite, qnod tunc eſtis dicturi: *Qaid prodeſt?* Damnati quoque nonne in inferno etiam veritatem iſtam fatentur, cum dicunt: *Quid profuit nobis ſuperbia, & opum affluentia quid contulit nobis? &c.* Mirifice argumentantur, ſed inutiliter, quia nimis ſero. *P. Nepveu in Exercitiis.*

Omnes curæ impendendæ ſunt ſalutis negotio, quod anum omnes meretur.

Si cœli jactura temporali bono penſari poſſet; ſi vitæ hujus bona poſſent cum alterius felicitate conferri, æquum eſſet partiri curas; ſed quandoquidem omnis ſæculi ſpes nihil eſt, ſi cum ſpe vitæ alterius conferatur, proculdubio terrena in cordibus noſtris nonniſi eum tenere debent locum, quem re ipſa merentur: fluxis bonis perfunctoriæ tantum impendendæ ſunt curæ; ac ipſi omnem operam navare tenemur ei rei, unde ſors noſtra pendet. Tale autem erga nos eſt ſalutis noſtræ negotium; inde hominis totius bonnm, & malnm pendet cum pro corpore, tum pro anima, cum pro tempore, tum pro æternitate; ita ut, ſi illud bene fiat, totus homo ſit ſalvua in æternum, ſin male, totus homo in nullam reditus ſpem interierit. *Specimen ſermon. pro 4. poſt Pentec. Dom.*

Nolumus efficaciter ſalvari.

Conſidero, cum aliquid volumus, nos illud cogitare, petere, nihilque reliquum facere, ut illud conſequamur: ita ut dicere nequeas te aliquid velle, cum de illo non cogitas, cum illud non petis, cum nil agis, ut illud obtineas..... Profecto dicere poſſumus, extremam plerorumqne hominum cogitationem eſſe curam ſalutis, atque æternitatis. Cogitatio hæc, quantnm fieri poteſt, amovetur, & ab illa nonnumquam etiam inviti animum avocamus. Quippe nimis incommoda, ac triſtis cogitatio eſt, atque voluptates omnes nimis perturbaret, omniaque proſcriberet ſolatia. Non cogitaretur amplius de ſocietatibus, de ſpectaculis, de deambulationibus; mundus non eſſet amplius, niſi cœnobitarum, ac pœnitentium deſertum. Hoc autem minime volumus; volumus oblectari, ex animo omnem expellere cogitationem, quæ voluptatem non afferat; unde argumentor, nos ſalvari nolle. *Ibidem pro feria 2. poſt Paſſionis Dominicam.*

De ſalutis neceſſitate omnibus jam perſuaſum eſt, ſed cor movendum ut velit.

Validis opus non eſſe argumentis reor, quibus hodierna die vobis oſtendam neceſſitatem illam, qua ſalutem noſtram operari tenemur. Non opus eſt mentem perſuadere, nullus hic error impugnandus eſt, neque lux aliqua afferenda eſt huic argumento de ſalutis neceſſitate. Illi etiam, qui minime ſolliciti ſunt de cæleſtis regni acquiſitione, cum ferventioribus conſentiunt, & ſæpe qui minus probi ſunt, hac de re aliia præclara præbent documenta. Sed cum practice perficiendum eſt, qnod theoretice adeo palam fuit intellectum, tunc cordis pondus, ac torpor ſentitur. *Sermo MS.*

Vulgatiores fidei notiones ſufficiunt ad hoc, ut intelligamus, extremam eſſe ſtultitiam alteri cuicunique rei præterquam ſalutis ſuæ negotio operam dare, & in ea præcipuas curas impendere. Quod finem habere poteſt, ac debet, cum æternitate nullum habitura finem conferendum non eſt. Maxima quælibet mortalium cæpta, & conatus, hanc dumtaxat vitam reſpiciunt, & cum eadem ſunt defitura. In mundo nihil æternum eſt præter ſalutem, & quidquid ad illam refertur; cujus igitur ponderis hæc omnia eſſe debent, ſi cum ſalute conferantur? Da mihi, hac mente dicebat S. Bernardus; eruditiſſimum hominem, præſtantiſſimum, atque acutiſſimum virum, qui æque de rebus omnibus arguat, atque præ cæteris calleat regulas rempublicam optime adminiſtrandi, cui ſit ſumma prudentia, ut impeditiſſimas cauſas expediat, & eminus conatuum eventus, effectuſque proſpiciat; ſi tanto hic donatus ingenio, tantaque intelligendi vi præditus ante cætera ſaluti ſuæ minime vacat, inſipiens eſt; omnia ejus lumina tenebræ ſunt, deeſt illi ſenſus, & judicium, cum neſciat, quod ſcire maxime intereſt, & quod eſſe deberet præcipuum attentionis, & perquiſitionis ejuſdem objectum: *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, inquit Regius Proph. Pſ. 81. *De la Font pro 8. poſt Pent. Dom.*

Propoſitum ſerio vacandi ſaluti & noſtræ negotio.

Sæpe nobiſmet ipſis dicamus: *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Luc. 10. Nihil eſt, ad quod relinquendum paratus non ſim; nihil eſt, ad quod aggrediendum præſto non ſim; nihil adeo difficile, quod ferre detrectem, ut certam mihi faciam beatam æternitatem. Hoc impoſterum erit unicum mearum cogitationum objectum, unicum negotium meum, cujus cura cæteris quibuſcumque præſtabit. Ea, quæ deinceps facturus ſum, ad ſalutem meam unice a me referentur: nihil agendum ſuſcipiam, quin antea diligenter excuſſerim, utrum ſaluti meæ utile ſit futurum, an ſecus.... Quæcumque detrectabo lucra, quæ mihi poſſint offerri, non ſolum ſi mihi obſtaculo fuerint, ſed etiam ſi me in aliquod diſcrimen vocatura eſſe præſenſero; tandem enim quocumque pretio, ac labore ſalus quærenda eſt; nihil enim mihi profuturum eſſet mundi totius imperium fuiſſe conſecutum, ſi in æternum, ac nullam reditus ſpem inteream. *Idem.*

Nonniſi propter Deum, & ut ſalutem noſtram faciamus creati ſumus.

Propter Deum unice creati ſumus, omnes actiones noſtræ pertinent ad illum; quodcumque ad illum uſque non procedit, amiſſum eſt; quidquid non confert, ut in æternitate beati ſimus, inutile eſt. Hinc argumentare. Ego igitur tamquam inſipiens egi quotieſcumque propter mundum, propter amorem proprium, propter cupiditates operatus ſum; hoc autem, o Deus, quantum vitæ meæ occupat ſpatium, ubi vix exiguum invenire poſſum actionum numerum, quæ vere, ac mere fuerint propter te! Opus eſt igitur, ut me ipſum, ſecundum Scripturæ

locu-

Digitized by Google

locutionem inſpiciam, tamquam puerum centum annorum. Opus eſt, ut ex hac die vitam meam numerare incipiam, atque intentiones, vitæque meæ rationes ita dirigam, ut ſaltem in fine dicere poſſim me pauliſper vixiſſe pro illo, pro quo ſemper vita mihi erat ducenda. *Tiberges in receſſu die prima.*

Niſi de ſalute noſtra ſollicitiſumus, pro aliis laboramus, non pro nobis.

Nonne inſipientes eſſemus, ſi eum nemo nobiſcum mortis noſtræ pericula partiri poſſit, vitam noſtram traducimus aliis unice inſerviendo, quin opera noſtra ad ſalutem, æternamque felicitatem referamus? Subditus ſervire debet Principi, ſed hac mente, ut ſperet poſt mortem fidelitatis, zeliique ſui præmia ſe conſecuturum. Sin accidat, ut, eum moritur, nihil aliud fecerit, niſi quod Principi ſuo fuerit ſamulatus, quin ſimul & Deo ſervire cogitaverit, in quem recidit inutilitas vitæ ipſius? Pater pro filiis operari debet; niſi ſibimet propoſuerit chriſtiano more ſuis officiis perfungi, ex hac egrediens vita filios quidem opibus affluentes reliuquit, ſed nihil ſibi ſe feciſſe cognoſcet; hoc eſt, morietur ſibi, poſtquam vixerit aliis. Amicos agere debet, ut amico bona præſtet officia, quorum viciſſitudo eos mutuo adſtringit; ſi oblitus ſuerit amicitism nequaquam imminuturam horrorem mortis ſuæ, & ſe debere ad terribilem hunc tranſitum diſponere, ſe ſolum, atque derelictum inveniet. Magiſtratus inviolabili integritate juſtitiam debet adminiſtrare; ſi ſibi diligenter proſpexerit, provinciæ ſuæ munera omnem illius occupationem, tempuſque auſerent; & niſi ille ſeſe ſanctificaverit ſemet devovens felicitati populorum, nihil pro ſua operabitur; & vitæ finis, qui ad illum unum ſpectabit, nihil non refertiſſimum horrore habebit pro illo. Omnes homines quodcumque munus exerceant, & quacumque in conditione ſint, ſalutem ſuam ſpectare debent velut finem, ad quem cætera ſunt referenda. *Liber cui titulus: Animadverſiones in varia religionis, Ethicæque argumenta.*

Cætera quæcumque negotia ſalutis negotio cedere debent.

Hoc primum eſt humanæ ſapientiæ principium, leviora negotia gravioribus eſſe poſthabenda; qua in re inter homines duplex non adeſt ſententia. Filii tenebrarum pro modulo ſuo prudentiores, quam lucis filii; norunt illi quidem curas ſuas ordinatim diſponere, & alias aliis ſubordinare; & proprie loquendo, nulla in ſæculo vera ſapientia eſt, niſi quatenus majora negotia cum minoribus collata his anteferuntur. Undenam ergo homines in praxi nequaquam vivunt juxta regulam hanc, quam in terrenis ſequuntur? Præcipuum hominis negotium ſalus eſt, hoc fides nos docet. Minora negotia majoribus ſunt poſthabenda, hoc docet ratio. Undenam ergo hæc ſalutis negligentia, hæc ordinis perturbatio, qua fluxa ac terrena æternis præferimus? Hinc fieri S. Auguſtinus ait, quia deeſt prudentia, & conſideratio: *Non reflectimus ad rei momentum.* Sermo MS.

Salutis negotium ad omnia mortalium genera pertinet.

Salutis negotium eſt univerſale. Diverſas hominum conditiones Deus partitus eſt; ſed hæc occupatio æque ad omnes pertinet. Satis eſt naſci id, quod ſumus, ut ejuſdem ſimus participes. Quælibet creatura, quæ intelligendi vi prædita eſt, eſſentialem habet cum ſuprema veritate rationem, & quævis libera creatura neceſſario ad ſupremam tendit felicitatem. Itaque in ſalutis perquiſitione mercator, & artifex a togato, & milite non diſtant. Thiara non eximit Pontificem; Regnorum curæ non eximunt Reges; ſcientia vel inſcitia rudes, vel litteratos non eximunt. Paulo minor ambitio in honoribus conſectandis labores veſtros minueret; ſed cum agitur de ſalute, hoc eſſentiale negotium eſt ipſi inhærens humanitati; hominem eſſe ceſſarem, ſi in me ſalutis perquirendæ obligatio ceſſaret. Aderunt fortaſſe cauſæ, propter quas a muneris mei laboribus ceſſem; at Deus nullas mihi obtrudere poteſt, quæ a ſalutis, atque æternitatis meæ me curis diſpenſet. Cogitatio hæc, o fideles, quantam vim habet, ut ſalutis meæ negotio omnia poſthabeam! *Idem.*

Magna impudentia eſt totum ſeſe alienis negotiis impendere & ſui obliviſci.

Sæpe ſummo eum labore aliena tantum procuramus. Monarcha vigilat, meditatur, agit, tranſigitque pro ſubditorum ſuorum utilitate; miles in aciem deſcendit pro principis gloria, vel publica ſecuritate; togatus otium, tempuſque ſuum prodigit, ut ingratis, vel ignotis ſerviat; opifex propter civium commoda, vel delicias operatur; & cives pro ingrato, prodigoque hærede congregant opes. O nos inſipientes! Quouſque noſmet ipſos, & vera noſtra ignorabimus bona? Quidquid pro cœlo, & ſalute conabimur, conabimur nobis, neque cum quopiam fructum partiemur. Hoc depoſitum eſt, quod in Dei manibus collocamus, & quod juſtus judex nobis tantum reſervat. Quid? dicebat S. Bernardus ſcribens Eugenio Papæ, qui illius diſcipulus fuerat. O pater, ſimul & fili, fierine poteſt, ut tibi non ſerves partem earum curarum, quas terrarum regimini impendis: *Soli te negas tibi.* Ne te ipſum totum aliis tradas, meliorem tibi partem ſerva: *Eſto, & tu de habentibus unus. Idem.*

Omnia ad ſalutis negotium referenda.

Hæc eſt concluſio ex illo, quod conſtituimus, principio profecta, noſtræ ſalutis negotium unicum eſſe negotium noſtrum. Poſito igitur hoc principio, quod in dubium vocari non poteſt, ſalutem illud unum eſſe neceſſarium, de quo loquitur evangelium, reliqua omnia nugas eſſe, vel urbanitatis officia; regnare, conquirere, diteſcere, creſcere, familiam locupletare, niſi ſalus acceſſerit, vanitas eſt, & labor inutilis. Ex hoc principio ſequitur, licet præcepiſſet Dominus, ut noſmet ab omni commercio ſeparāremus uni illi vacaturi, ut in nemora, ac ſaltus ſecederemus dies, noctesque legem meditaturi, hoc nihilominus a nobis faciendum eſſe; etenim cætera ſunt inutilia. Sed immortales tibi habeantur gratiæ, multo minora tibi, Domine, ſufficiunt, noluiſti occupationum noſtrarum ſeriem, & humanæ ſocietatis ordinem perturbare. Hoc unum præcepiſti, ut quin a bonorum noſtrorum adminiſtratione, familiarumque regimine ceſſaremus, omnia referamus ad te, & omnia uni illi, quod neceſſarium eſt, ſubjiceremus. Quidquid ad id nos directe adducit, hoc facere veluti orationem, eleemoſynam, chriſtianarum virtutum praxin; quidquid nos inde avellit, hoc evitare quocumque modo conantes, vel ſi illud commiſerimus, pœnitentiæ noſtræ argumentum facientes, & demum quidquid nullo in diſcrimine videtur, eodem ad finem hunc recta intentione utentes. *Idem.*

Omnes dicunt ſe velle ſalvari, ſed pauci ſeipſa hoc volunt.

Ut ſalvemur, efficaciter id velimus, oportet, quemadmodum vult Deus; hoc eſt, omnia illa capeſſiſſe debemus, quæ ad id ſunt utilia. Deus ſuos labores, paſſiones, vitam ſanguinemque ad id impendit, nullis pepercit ſumptibus, nihil prætermiſit. Omnia ad id adhibuit, prædicationes, miracula, præcepta, conſilia; quin immo, totum te, Deus meus, ad id impendiſti. Tu vero, Auditor, id te velle affirmare potes, qui in vitioſo hoc habitu permanes, quem numquam ſuperare conaris? Tu id vis, qui ea omnia, quæ ad ſalutem tuam pertinent, negligis, qui tua contemnis officia, qui cupiditates tuas frænare, & peccandi occaſiones evitare non curas? Te illa velle dicere potes, id quod agis, conſiderans? Hoccine velle eſt &c. *Auctor Anonymus.*

Væ nobis, ſi aliena procurantes negotia negligimus noſtra! Væ & lucernis, quæ abſumuntur, & hominibus lucem præferentes diſſipantur; & rivulis, qui omnem, quam recipiunt, aquam emittentes nihil retinent ſibi! Væ ardentibus ſimul gelidiſque ſpeculis, quæ ſolares colligunt radios, eoſque vel permeare ſinunt, vel reflectunt, quin ne unum quidem retineant! quæ calefaciunt quidquid frigidiſſimum eſt, molliunt quidquid eſt duriſſimum, accendunt, & nihilominus tamquam glacies frigida remanent. *P. le Valois epiſtola* 1. *de Receſſu.*

Qui reliqua curant negotia, & ſalutem negligunt.

Quid, aliena negotia tibi erunt negotia; negotia terrena, urbanitatis officia, tibi negotia erunt, & tuæ ſalutis negotium tibi negotium non erit? Cætera tempus, atque attentionem tuam merebuntur; hoc vero non merebitur, ut illi animum adjicias? An neſcis, qua de re hoc agatur in negotio? Neſcis hoc agi, ut Deum in æternum habeas amicum, vel inimicum, ut amittas, vel lucreris cœlum, & cum cœlo

æter-

Digitized by Google

æternam infiniti boni poſſeſſionem, ut merearis, vel vites infernum, & cum inferno malum æque infinitum, atque æternum? Ullumne habes negotium negotio tanti momenti conferendum! Omnia ſimul negotia tua, omnia mundi totius negotia ſimul cum hoc uno ſuntne comparanda? *Idem*.

Differendum non eſt ſerio de ſalutis negotio cogitare.

Ne differas ſerio ad id animum appellere, neque dicas, te ad conſcientiæ tuæ curam primum illud otium traducturum eſſe, quod tibi tua negotia permiſerint. Niſi ipſe otium arripueris, nullum tibi permittent negotia; hæc, ut vara vibiam ſequitur, mutuo ſemet ſequuntur, atque ita impediunt, ut antequam unum expedias, jam alia quatuor incipiant. Hæc eſt catena, cujus finem numquam invenias, & ex qua numquam te ipſum extricabis, niſi illam perfregeris: *Abrumpatur illa interminabilis ſæcularium negotiorum catena, primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant*. Hoc olim S. Eucherius Valeriano dedit conſilium, illudque hodierna die tibi præbere audeo. Abrumpe interminatam hanc ſæcularium negotiorum catenam, & deinceps primo, potiorique negotio primæ, potioreſque curæ impendantur. *Idem*.

Sine labore ſalvari non poſſumus.

Fateor equidem in variis mundi conditionibus magna impedimenta inveniri; abſit enim, me velle latam efficere evangelii viam, quæ arcta eſt. Virtutis ſemitæ ſemper aſperæ ſunt, ac ſpinis conſitæ, quocumque in ſtatu ſimus; at putamus ne ſalvari nos poſſe, quin ſalus aliquo ſtet nobis ſumptu, & labore? Nihilne cœlum meretur; mundus vero meretur, ut omnia pro ipſo fiant? Si opes congerendæ ſunt, ſi principum virorum gratia captanda, quot moleſtiæ, quot ſollicitudines, quot, & quam aſſiduæ curæ perferendæ ſunt? Quot competitores ſemovendi, quot inſidiæ evitandæ, quot amaritudines ſuſtinendæ? Bonum vero omnium præſtantiſſimum, & ſolum, quod hominem beatum efficere poſſit, ſine labore acquiretur, cum minora, & fluxa mortalis hujus vitæ commoda nonniſi conſtantia, cura, labore comparentur? *Ex collectione orationum Gallicæ Academiæ oblatarum anno* 1703. *ſermone* 2.

De ſcientia ſalutis.

Salutis ſcientia non aliud eſt, quam cognitio fundamentalium religionis veritatum, & cultus, quem debemus Deo. Hæc rationis dux eſt, quam pretioſo veluti filo perducit per horridum labyrinthum, quo errores noſtri illam in ſingulas horas conjiciunt. Dicere poſſumus, hanc eſſe quamdam veluti communicationis lineam Cœlum inter, & terram, rivulum, per quem notiones divinæ in cor hominis influunt, ſcalam, per quam Deus deſcendit in terram, & homo in cœlum aſcendit; verbo, ſcientia ſalutis eſt fides Chriſtiana. Qui crediderit, ſalvus erit; hæc eſt doctrina auctoris ſalutis. *Ex eadem collectione ſermone* 4.

Infirma tantum nobis ſunt ſalutis deſideria.

Quinam eſt ſtupor noſter, & incuria, cum tantopere fragilia conſectantes bona, adeo languidi, frigidique ſumus in magno negotio, quod unum nos occupare deberet! Cum ardenter ſecuti conſilia hominis, qui nos protegit, ac facilem nobis aperit locupletandi viam, adeo frigide, atque oſcitanter reſpondemus divinæ miſericordiæ conſiliis, ſuos nobis theſauros aperientis, atque ut inde hauriamus hortantis? Numquid pro converſione, & ſanctificatione noſtra infirma, & languentia dumtaxat deſideria fovebimus, cum tanto ardore, ac ſollicitudine cupiditatibus noſtris ſatisfaciamus, omneſque incompoſitæ affectionis motus ſequamur? Ullane umquam fuit par huic cæcitati! *Ex morali dictionario* 1. *ſermone de miſericordia Dei*.

Nullum eſt momentum, quo ſalutem noſtram operari non poſſimus.

Num tempus ullum eſt, & ullum momentum, quo ſalutem meam operari non poſſim? quare? quia quidquid talentorum, ac bonorum tribuit mihi Deus, ſtatum, in quo ſum, tempus, quod poſſideo, hæc omnia elegit Deus propter meam ſalutem. Cum hoc per ſe pateat, nullus dubitandi locus eſt, quominus his me perfungente muneribus, quæ mihi impoſuit providentia, iiſque hac mente perfungente, videlicet ejuſdem providentiæ conſilia adimplendi, tempus, quod impendo, ſaluti meæ utile ſit. Occupatus es, inquis, tuis, publiciſque negotiis; hæc tibi non permittunt, ut ſervias Deo; at repono, tibi hac eadem via eundum eſſe ad Deum. Nonne Deus te in hoc ſtatu conſtituit? Opus, quod facis, opus illius eſt, atque illud facis, quin cogites te illi obedire: qua de re quereris; quandoquidem potes ſalutem tuam operari, atque ire ad Deum omnibus vitæ tuæ momentis? Hoc nonne magnum nobis afferre debet ſolatium? Ne unum quidem momentum eſt, cui Deus ſalutem meam non adjunxerit; ita ut ſi illud elabi ſinam, tot mihi ſalutis occaſiones effugere patiar. *P. De la Rue ſermone pro feria* 3. *hebdomadæ Paſſionis*.

Aliis cauſamur negotiis ſalutis noſtræ negotio non vacantes.

Facile fatemur neceſſe eſſe, ut ſalutem noſtram operemur; tota difficultas in hoc ſita eſt, ut ad id tempus inveniamus: hæc enim vulgatior eſt eorum excuſatio, qui de eadem ne cogitant quidem. Negotia, inquiunt, omne tempus noſtrum abſumunt; at ſalutis noſtræ negotium, negotium non eſt? Ullum ne aderit, quod propius ad nos pertineat, & quod tanti momenti ſit? Heu! proprie loquendo hoc unum nobis negotium eſt, totaque vita nobis conceſſa fuit, ut hoc tranſigeremus, neque brevius temporis ſpatium ad id requiri Deus exiſtimavit. Si ægrotamus, valetudinis noſtræ cura efficit, ut aliam quamlibet curam abjiciamus; ſi periculum adeſt litis, vel hæreditatis alicujus amittendæ; ſi amico, vel conſanguineo aliquid accidit triſte, menſes integros alia quælibet negotia nobis interdicimus, & de hoc uno ſolliciti ſumus. At enim tunc neceſſitas id poſtulat, inquies; at nonne æque magna neceſſitas eſt ex peccati ſtatu emergere, ac ex morbo convaleſcere? Nonne æque magna neceſſitas eſt, Cœlum non amittere, ac hæreditatem tueri? Quod negotium noſtra magis intereſſe debet, quam ſalus animæ noſtræ? *P. Croiſet tomo* 1. *ſolitudinis ſpirit*.

In mundo ſumus non niſi ut ſalutem noſtram operemur.

Hoc magnum, unicumque eſt mundi totius negotium; hic extremus eſt finis noſter. Non ſumus in terris, ut hoc, vel illud munus obtineamus, ut aliquam aſſequamur dignitatem, ut in hoc ſtatu niteamus, ut meritis noſtris nominis celebritatem nobiſmet comparemus. Sed vobis non contulit hanc dignitatem Deus, non hanc vobis provinciam credidit, non tot præclaris dotibus exornavit, niſi ut quædam eſſent veluti adminicula, quorum ope ſalutem conſequeremini, & facilius ad extremum hunc finem perveniretis. Non igitur creati ſumus, niſi ut ſalvemur; videlicet ut evitemus infernum, æternamque pœnam, videlicet ut Paradiſum, æternamque felicitatem promereamur. Propter Cœlum facti ſumus, neque verſamur in terris, niſi tamquam exules, vel ad ſummum tamquam viatores, quibus ſingulis diebus lætandum eſt, itineris, vel exilii ſui terminum propius accedere intuentibus. Verum itane noſmet ipſos in terris reſpicimus? Itane reſpicimus cœlum? Qui noſtrum vivendi genus intueretur, diceretne ſalutem a nobis tamquam poſtremum finem haberi? Quilibet ſcit ita bene diſponere media, ut ad ſuos fines perveniat; quotuſquiſque igitur ſalutem ſibi pro extremo fine proponit, quandoquidem tam pauci vera eligunt media, per quæ illam conſequantur? *Idem*.

Ægre intelligi poteſt, utrum aliquis ſalvari velit eo in ſtatu, & munere in quo eſt.

Facile eſſet cognoſcere, quem finem mercator in commerciis, litteratus in ſtudiis, aulicus in officiis, & fortis vir in periculis, quibus ſeſe objicit quotidie, ſibi proponant. Verum facilene pariter eſſet cognoſcere, quemlibet in ſtatu, ac munere ſuo id unum ſerio cogitare, ut ſalutem ſuam operetur, Deumque veluti extremum ſibi finem proponat? Attamen quid prodeſt homini ingentes opes congerere, ac mundum univerſum lucrari, ſi animæ ſuæ detrimentum patiatur? Quam enim commutationem facere poteſt, quæ acceptam reparare poſſit jacturam? Melius fuiſſet, illum numquam extitiſſe, quam ſalutem ſuam operatum non fuiſſe ..... Quid profuit ſummis, & inauditæ virtutis viris præclare factorum fama totum orbem repleſſe, atque tot honores adeptos fuiſſe, ſi reprobati ſunt? Finge tibi homi-

nem

nem morti proximum, qui immenſas poſſederit opes, qui omnibus perfruitus fuerit voluptatibus, qui ad gloriæ, & magnitudinis cumulum evaſerit, & qui rebus in omnibus votorum ſuorum finem aſſecutus ſalutis ſuæ negotium unice neglexerit; & in extremo hoc vitæ exitu ab eo ſciſcitare: *Quid prodeſt?* Quid nunc tibi proſunt bona, voluptates, honores? Hæc omnia tibi nunc ſunt, quaſi numquam fuiſſent. Sed anima tua, quam amiſiſti, non præteribit; ſed terribiles pœnæ, quæ funeſti ſunt hujus jacturæ exitus, non præteribunt; ſed mortalis mœror ob unicum maximi momenti negotium neglectum non præteribit. *Idem.*

Niſi Deus ſummum fuerit bonum noſtrum, ſummum erit malum.

Meminerimus Deum, niſi ſummum erit bonum noſtrum, ſummum nobis malum futurum. Cæteris quibuſcumque rebus, cujuſcumque naturæ ſint, carere poſſumus, ſed hoc carere bono non poſſumus. Homo pauper, derelictus in oblivione, & caligine, ſi ſalvatur, in omnem æternitatem eſt felix, & nullius indiget rei: homo dives, potens, beatus, in honore ab omnibus habitus, ſi damnatur, in omnem æternitatem eſt miſer. . . . Heu! Malumus adire periculum animam noſtram amittendi, quam amico moleſtiam aliquam afferendi, quam pauciora filiis bona relinquendi, quam minus in vita emicandi. Quiſnam de his rebus omnibus in inferno ſenſus habebitur? Numquid præteritorum bonorum recordatio magnum non erit damnato ſupplicium? Bona, quibus exutus fuit, magnum ne eidem erunt auxilium? Aſſerti amici magnam ne eidem gratiam habebunt, eo quod interierit, ut illis gratificaretur? Num ipſi illis habebimus gratiam, qui extiterint noſtræ calamitatis cauſa, vel propter quorum amorem damnati fuerimus? *Idem.*

Stulti ſumus ſi de ſalutis noſtræ negotio non ſumus ſolliciti.

Heu! quomodonam noſtra utimur ratione? Omnium primi vitium eorum damnamus, qui propria negligunt negotia alienis vacaturi; nos vero inanibus detinemur nugis, vel ad ſummum negotiis eorum, qui nobis ſuperſtites futuri ſunt, interim unicum negotium noſtrum, ſalutem videlicet negligentes. Si ad opes congerendas ſufficeret id ſerio velle, quis non immenſis abundaret divitiis? In noſtra ſitum eſt poteſtate ſanctos eſſe, & adhuc ægre id volumus; & ideo proprie ſancti non ſumus, quia nolumus. Mirum profecto eſt, homines, qui ſe ipſos tantopere diligunt, adeo parum tanti momenti veritatem attendere; mirum eſt, homines alioquin adeo ſapientes, & qui tantam in vitæ ratione prudentiam præſeferunt, ex hoc mundo egredi, quin umquam cogitarint, cur in illum fuerint ingreſſi, & quo poſt hanc vitam ſibi eundum ſit; & in morte ob inanem quamdam converſionis ſpeciem acquieſcere. *Idem.*

Quantumvis infirmi ſemper tamen habemus neceſſaria ad ſalutem ſubſidia.

Verum eſt nos eſſe infirmos, occaſiones eſſe frequentes, & per corruptionem, quam peccatum in hominis corde peperit, in malum pronos eſſe: at habere ne poſſumus validiora ſubſidia, ne cadamus, & ut lapſi reſurgamus? Unquamne intelleximus, quam facile ſit ſalutem noſtram operari, dummodo iis uti velimus ſubſidiis, quæ ad illam operandam ſuppetunt nobis? Tot Sacramentis, ubi applicantur nobis merita JESU CHRISTI; Sacramentis, quæ ut ita dicam, nobis ſunt ſaluberrimum divini ſanguinis lavacrum, & per quæ anima in omnibus neceſſitatibus ſuis maxima nanciſcitur adjumenta? Sacramentis, ſalutaribus pharmacis, inexhauſtis omnium gratiarum fontibus! Nonne hæc facilia, & efficacia ſunt media, per quæ tuto ad extremum finem noſtrum perveniamus? Profecto ſi in noſtra poteſtate ſitum fuiſſet, ſi nobis fuiſſet integrum eligere media ad ſalutem noſtram operandam idonea, in hanc mentem incidiſſemus, ut æque valida, commoda, facilia, ac tot adminicula optaremus? Numquid animo noſtro occurriſſet id petere, quod in noſtri gratiam JESUS CHRISTUS operatus eſt? Quot gratiæ! quot ſpiritualia ſubſidia! quomodo his uſi ſumus? Quam hactenus fructum ex omnibus hiſce gratiis percepimus? Unde conjicere poſſumus nos inde fructum aliquem recepiſſe? *Idem.*

In hac vita impendi- … Vivimus tempus in alia quæcumque re, quam in ſalutis negotio.

Cupiditas, & voluptatum amor ſunt veluti potiſſima cauſa, propter quam homines agunt. Vita univerſa dividitur in curas propter terrena negotia, & ſollicitudines, ut in mundo niteamus, vel ut oblectemur; etenim quoniam alio occupamur objecto? Quot numeras annos in Dei cultu traductos? At quiſnam tecum diſpenſavit, ne reliquos etiam traduceres? Et quod tot annos Deo non ſervieris, putas ne rationem tibi reddendam non eſſe dierum ſingulorum? Negotium, magiſtratus, pertinaces contentiones, quas vel ambitio, vel cupiditas excitant, uberes fortunæ, conſilia magnifica, inanes, futileſque nugæ, hoc eſt, quidquid nos ab extremo noſtro fine dimovet, omnia exhauriunt vota noſtra, dies abſumunt, totamque occupant vitam. Omnia magni momenti, omnia neceſſaria putantur, cum nobiſmet ipſis ſatisfaciendum eſt: Deus unus, ut videtur, habetur pro nihilo. Dici nequit, ignorari difficultatem ſalutis acquirendæ, & quanti referat non damnari; ſed omnia negligimus, ne eam perturbemus voluptatem, quam in hac vita guſtamus. *P. Croiſet.*

Niſi ſalvemur, quid ſi cetera profuerint?

Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Quid negotioſo huic homini prodeſt ingentia cumulaſſe bona; quid nobili huic viro vel in aula, vel in re militari ad primos honorum gradus perveniſſe; quid matronæ huic eniteſcere, & in voluptariis cœtibus primas habere; quid huic magiſtratui præcipuas obtinuiſſe dignitates; quid huic principi inter potentiſſimos terrarum monarchas haberi, ſi damnatus eſt? *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Idem tomo 2. Conſiderationum.*

Pauci in mundo de ſalute ſua ſolliciti ſunt.

Ut hæc veritas innoteſcat, ſatis eſt, oculos conjicere in eam rationem, qua in mundo vivimus. Quotuſquiſque ſerio magno huic, unicoque vacat negotio: & quin diligentius rem ipſam ad examen vocemus, quomodonam hæc attentio, & cura inquirenda videtur in iis, qui caſtra ſequuntur? Quid enim magis oppoſitum fingi poteſt vitæ, quam ducunt? Strepitus, tumultus, confuſio, violentia, amor gloriæ, ſuperbia, cupiditas inter cæteros emicandi, atque fortunam ſuam ulterius, quam fieri poſſit, provehendi. Neque facilius inter magiſtratus, & eos, qui juri dicundo præſunt, illam inveneris. His curæ eſt res familiaris ſua; hominum exiſtimatio, & approbatio ob oculos eorum verſatur; & nihil intentatum relinquunt, ne ipſorum in irritum abeant conſilia. His curis mens ipſorum occupata eſt; quid autem magis alienum a cura ſalutem ſuam operandi? Si ad inferiores ſtatus deſcendimus, occurrent cupiditates omnino ſimiles. Deſiderium familiam locupletandi, atque ſemet ultra ſtatum ſuum extollendi fons eſt injuſtitiæ, malæ fidei, invidiæque, qui numquam exhauritur. In illis homines vivunt, & moriuntur, unice mercaturæ, negotiis, ſuiſque rebus intenti &c. *Abbas Trappenſis in moralibus conſiderationibus in Evangelium S. Lucæ.*

Juſti, & peccatores longe aliter in ſalutis negotio ſe gerunt.

Juſtus inter, & peccatores, qui æque in ſæculo implicati ſunt, hoc diſcriminis intereſt, quod juſti primum quidem propter ſalutem ſuam operantur, & mox curas, quas ipſorum exigit ſtatus, terrenis rebus impendunt: cum e contra peccatores ordinem invertant, ac ſemper de temporalibus opibus ſolliciti, ſaluti ſuæ aliquot dumtaxat tribuant momenta. Illi cœlum terræ præferunt, & quidquid pro mundo faciunt, hoc ipſum referunt ad Deum. Alii cœlo præferunt terram, ac ſæpe ad mundum referunt, quod propter Deum facere videntur. Hoc mirum in modum nobis exhibetur in duplici benedictione, quam Iſaac largitus eſt Jacob, & Eſau filiis ſuis; quorum alter quidem prædeſtinatorum, poſterior vero reproborum erat figura. Dixit enim ille filio ſuo Jacob: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ;* ubi cœleſtes benedictiones ante terrenas memorantur, ut diſcamus nobis ante cætera, Dei juſtitiam, & gratiam eſſe inquirendam. Eſau autem dixit: *De pinguedine terræ, & de rore cæli ſit inſuper benedictio tua.* Terra præcedit cœlo; ut intelligamus, peccatores

in

Digitized by Google

in terrenis dumtaxat ſuam quærere felicitatem; & ſi Deus in animas eorum ſalutarem gratiæ rotem infundit, ipſos orientes illius fructus ſuffocare ſpinis, atque temporalibus curis, quibus occupantur. Sæpe tamen accidit, quod juſti videntes peccatorem proſpero frui rerum curſu, mœrora conficiuntur, eiſque ſuboritur tenſatio deſerendi ſpem, quam dæmon admodum incertam illis oſtendit. *Specimen ſermonum pro 4. poſt Pentec. Domin.*

Quod pro ſalute noſtra Deus fecit, oſtendit, quantum hæc ab ipſo æſtimatur.

Conſiderate, quid pro ſalute noſtra fecerit Deus. Diceret aliquis, ipſius felicitatem a noſtra pendere; adeo occupatus, & ſollicitus videtur, ut nos beatos efficiat. Cum fecerit Deus hominem liberum, atque ſortis ſuæ arbitrum, quid non egit, & adhuc agit, ut cor illius ſibi conciliet, atqua ad ſuam pertrahat ſervitutem? Ab eo cor iſtud petit, illum urget, atque ſollicitat, & modo promiſſionibus, modo minis utitur, nihilque reliquum facit, ut illud poſſideat. Quorſum autem tanta ſollicitudo? Quia in nobis ſitum eſt perire, & Deus etiam atque etiam ſalutem noſtram deſiderat. Satiſne intelleximus umquam redemptionis noſtræ myſterium? Umquam ne ſatis illud comprehendere poterimus? Deus quodammodo ſe ipſum exhaurit, ut intelligamus, quanti faciat animam noſtram, & quanto ſtudio ſalutam noſtram deſideret. Crediḋiſſet ne aliquis futurum fuiſſe, ut Deus fieret homo propter hominum eorumdem ſalutem? Attamen hoc miraculum factum fuit; & quantumcumque illud fuerit, Deus numquam illud ſatis eſſe putavit, ut nos cogeret ipſum amare, ac ſalutem noſtram operari. Opus fuit, ut triam ac trigiata annorum vita crudeliſſimo genere mortis clauderetur. Ecce quantum valeat anima noſtra, & quid fecerit Deus, ut illius ſaluti proſpiceret. *P. Croiſet tomo* 1. *Receſſuum.*

Ipſi ſalutem noſtram operari poſſumus, & hoc a nobis pendet.

Eo adhuc in ſtatu ſumus (immortales Deo gratiæ habeamus) ubi ſalutem noſtram poſſumus operari; certique ſumus, hoc eſſe tempus, & Deum nobis id faciendi gratiam offerre. Hujus rei argumento eſſe poſſunt hæ conſiderationes, quas facimus, & ſenſus, quos fovemus. Quis dixit, hoc non eſſe momentum illud, ex quo ſalus, & prædeſtinatio noſtra pendet? Certus ſum me per ſinceram converſionem nunc poſſe ſalutem meam certam facere; & ſaltem dubitandi locus eſt, quod niſi in præſentiarum convertar, mihi locus ultra non ſit. Num tanti ſaltem animam noſtram faciamus, quanti a dæmone ſit? Æquum ſane eſſet, nobis tantum ſollicitudinis eſſe ad ſalutem aſſequendam, quantum dæmoni eſt ad cladem inferendam. Turpis hæc quidem eſt comparatio: attamen verum eſt, a dæmone animam noſtram maximo in pretio haberi; & quantumvis ſuperbus ille ſit, nihil adeo turpe, abjectumque eſt, quod ille ad animam perdendam non conetur; & quantumvis anima diutius reſiſtat, ille numquam ceſſat, atque recedit. Quanta nos tentat aſſiduitata? Quam callide leviſſimis etiam utitur occaſionibus, ut nos in interitum pertrahat? Heu! ita oc a dæmone docendi ſumus, quanti animam noſtram facere debeamus? *Idem.*

Particularis cura, quam gerit Deus de ſalute noſtra.

Particularis cura, quam ſalutis noſtræ gerit Deus, nonne valida eſſe debet ratio, propter quam & ipſi, quantum in nobis eſt, ad eamdem debeamus incumbere? Deum, ut ita dicam, negotio huic totum vacare, quaſi ſoli eſſemus in mundo, & ipſe nobis carere non poſſit? Nos vero validiori egebimus cauſa, ut cogamur ſaluti noſtræ vacare? Qua ſapientia ille omniam vitæ noſtræ momentorum rationem habuit ab ipſo uſque noſtræ nativitatis exordio? Quam ſingularis fuit ejus in œconomia ſalutis noſtræ providentia? Numqaid parva gratia eſt, ex fidelibus parentibus hauſiſſe vitam, cum tot alii ex infidelibus oriantur? An minor eſt, educatos fuiſſe in eccleſiæ ſinu, in quem numquam fuiſſemus ingreſſi, ſi in errore alti, ac nutriti fuiſſemus? .... Putamus, hæc omnia fortuito accidiſſe; videbimus aliquando, hunc fuiſſe providentiæ ſingularis effectum. *Idem.*

Salus eſt unum illud quod eſt neceſſarium.

Certum eſt, quidquid in mundo bonum vocatur, eſſe inutile, tantum abeſt, quod ſit neceſſarium. Heu! Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Marc. 8. Nihil profecto: & tandem aliquando, licet nimis ſero hoc fatebitur reprobus, & dicet ut illi, de quibus in Sapientia ſermo eſt: Heu! quodnam bonorum genus, quod nobis tot mala conflavit, & quod, ubi nos in vita nocentes fecerit, miſeros facit poſt mortem! *Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Sap. 5. Auctor Anonymus.

Neceſſe eſt ſalutis ſuæ conſulere, quia neceſſe eſt vel felicem vel infelicem eſſe in æternum.

Si inter ſalutem, atque damnationem medium aliquod daretur, alicui propoſitioni aures adhibere poſſemus, & noſmet cura liberare: ſed certiſſime alterutra eligenda eſt, & quemadmodum nemo eſt, qui aſſentiri poſſit æternitati pænarum, omnino adnitendum eſt, ut mercedis æternitatem conſequamur. O felicem, ſed formidabilem neceſſitatem! felicem quidem, arctiori enim modo nos cogit bonorum omnium maximum procurare; formidabilem vero; ſi enim huic deſumus officio, negligentia noſtra malorum omnium maximo punienda eſt. Eſto etiam, ſi hac liberari cura poſſemus illam ſapientis alicujus viri ſollicitudini committentes, tunc fide ac prudentia illius freti quieſcere poſſemus; ſed obligatio hæc perſonalis eſt, & monarchæ, quorum imperio ſubditorum omnium parent volantates, qui ſubditorum omnium armis ſuam ditionem tuentur, & qui ad corporis cuſtodiam multo ſatallite ſtipati ſunt, ne unum quidem adhibere hominem poſſunt pro ſaluta ſua. Immo illi ipſi, qui nobiſcum hanc partiuntur obligationem, illam non imminuunt, ſed augent, & quo magis pro ſalute noſtra laborant, eo magis ipſi cum illis curam noſtram tenemur conjungere. *Idem.*

Salutis operandæ neceſſitas in morte tantum modo ceſſat.

Salutis obligatio non inevitabilis ſolum, & perſonalis eſt, ſed etiam ita durat, ut nonniſi cum morte ceſſare poſſit. Licet inceperitis hoc opus, ex quo ratio fide illuſtrata illius neceſſitatem vos docuit; licet in hoc labore conſenueritis; eventus ſemper erit incertus, atque ſemper vobis vigilandum erit juſto ſenſu timoris. Non magis certi ſumus noſtræ felicitatis, quam Apoſtolus, qui ſuæ eam omnem, quæ hoc in mundo haberi poteſt, certitudinem habuit: nihilominus magnus ille vir electus a Deo contremiſcit; & eo metuente ne reproborum numero accenſeatur, & corporis ſui caſtigatione animæ ſuæ pœnam prævertere ſtudente, nos in ſecreta ſalutis noſtræ ſecuritata vivimus. Quo majus inſtat periculum, eo minus exitum formidamus; & quaſi futuri ſecretum nobis exploratum eſſet, nobiſmet perſuademus non defuturum tempus, quo ſalutem operemur, neqa defutura ſubſidia, quibus eam conſequamur. *Idem.*

Salutis noſtra cura eſſe debet aſſidua, & non intermiſſa.

Fateor equidem, nos poſſe, immo etiam debere alias omnes intercidere occupationes, ſeu ad ſpiritum recreandum, ſeu ad vires corporis reficiendas; ſed hoc negotium ejus eſt generis, quod ne minimam quidem patitur intermiſſionem. Momentorum noſtrorum noviſſimum nobis abſconditum eſt arcano Providentiæ conſilio, ut omnia obſervemus, & ne unum quidem vacet ſuſpicione. Illud, quod fortaſſe negligemus, extremum erit vitæ noſtræ, ac ex illo noſtræ æternitatis exitus pendebit. Negotium hoc nulla cauſa, quæcumqua tandem illa ſit, poteſt interpellari; etenim cum nullum ſit momentum, quod illi fatale eſſe non poſſit, ita nullum in vita eſſe debet exercitium, quod illi eſſe non debeat conforme, ac ſubordinatum. Hoc unicum illud negotium eſt ſine intermiſſione procurandum; alia ſibimet viciſſim ſuccedunt; cumque ſimul eſſe omnia nequeant, inde ſit, quod ſimul omnia procurari non poſſunt. Hoc autem, tantum abeſt, quod aliis afferat impedimentum, ut immo eorum conferat perfectioni; hoc illis imprimit characterem dignitatis, ac meriti, quo ad ſupernaturalem ſtatum attolluntur, atqua æterna mercede fiunt digna. *Idem.*

Quid pro ſalute faciendum eſſet.

Quid pro ſalute faciendum eſſet, & quid facimus? Quid eſſet faciendum? Omnia proculdubio non ſolum ad imitationem Salvatoris, qui hoc con-

ſilio

filio omnia ſuſtinuit; ſed etiam ad imitationem tot Sanctorum, qui omnia reliquerunt, omnia conati ſunt, omnia pertulerunt; qui nec bonis, neque laboribus pepercerunt; & qui per labores, quos paſſi ſunt, prælia, quæ ſuſtinuerunt, cruciatus, quos pertulerunt, oſtenderunt nobis, quantopere conquirenda ſit hæc vita beata. Sed quomodo incedimus ipſi in ea via, quam ſummi illi viri ſudoribus, ac ſanguine irrigarunt? Ab hoc ſapienti exemplo abhorrentes facimus, quidquid nobis ad interitum conferre poteſt, & nihil, quod ſaluti noſtræ profuturum ſit. Omnia propter mundum, nihil propter æternitatem. Omnia ut opes acquiramus, ut honores adipiſcamur, nihil ut ſolidas, & veras divitias mereamur: omnia denique, ut cupiditatem expleamus, nihil, ut æternam beatitudinem poſſideamus. Profecto inſignis quidam Sanctitate vir ait, ſi propter Deum faceremus, quod pro mundo non detrectamus, ad ſummum ſanctitatis gradum perveniremus. *Idem*.

SUPPLEMENTUM.

Unicum objectum unicum Filii Dei in mundo fuit ſalutis noſtræ negotium.

Sicut unus dumtaxat finis placet Deo, unum dumtaxat negotium, quo ille cauſa noſtri occupetur, eſt ſalutis noſtræ negotium. Varii illi effectus, quos parit, illi non ſunt niſi tamquam veluti media ad hoc ipſum conſilium, vel inſtrumenta ad hoc opus. Cum miſit filium ſuum in mundum, unum dumtaxat illi imperavit; & unum hoc non aliud fuit, quam noſtræ ſalutis negotium tamquam ſuæ magnitudini par, & utile gloriæ ſuæ. Quamvis homines ſexcentis in operibus diſtentos adhibeat, vult tamen uni tantum rei in terris vacare, neque alteri negotio, quam æternitatis implicari. Huc omnes intendendæ ſunt curæ, cumque in tanta officiorum varietate hic nobis unus propoſitus finis ſit, hic etiam unus erit ille, qui totam Dei ſapientiam meruit occupare ſive ab æterno, ut illius conſilium conciperet, ſive in tempore, ut illud opere complendum curaret. Tamen aliis quibuſcumque rebus intenti, de hac numquam fere ſolliciti ſumus, & tantum abeſt, quod uni illi vacemus, ut etiam nullo illam in diſcrimine habere videamur. Non deeſt nobis tempus, quod maxime inutilibus occupationibus impendamus; deeſt autem, quod illi tribuamus, quæ inevitabilis eſt neceſſitatis, æternique momenti. Semper movemur, quin verſus beatum hunc terminum progrediamur, ubi quæſitam requiem poſſumus invenire; & numquam ſolliciti de una illa re, quæ omnes curas noſtras exquirit, animum obruimus infinitis, inutilibuſque occupationibus; ac tandem ex hoc orbe diſcedimus, quin ſciamus, cur Deus nos iſtic inquilinos poſuerit. *Ex octavo ſermone Academiæ anno 1675.*

Quamvis ſalutis negotium unice ſit neceſſarium, huic tamen minime omnium vacamus.

Licet obiter animum velimus advertere ad officia, quibus tamquam Chriſtiani tenemur, fatendum eſt, præcipuum, immo etiam unicum hoc eſſe, ut videlicet ſaluti noſtræ conſulamus. Quæ tamen in terris eſt occupatio noſtra? Sane eſt ſexcentis, alieniſque implicari curis, quæ efficiunt, ut obliviſcamur noſtri, prout curioſitas, utilitas, vel ambitio nos urgent. De objectis ferimur in objecta, quin in illo immoremur, quod nobis ſatisfacere poteſt, & feſſi conſectando ea bona, quæ nos ſemper egenos relinquunt, tandem nanciſcimur, nos inania phantaſmata perſecutos fuiſſe, & curſus noſtros in præceps tendiſſe. Per ſexcenta pericula ad majora pericula pervenimus, & omnia in interitum noſtrum facientes, nihil facimus, ut ſalvemur. Tamen in mundo nihil noſtra ſalute nobis eſſe debet antiquius, vel ut planius loquamur, nullum præter illam negotium habemus. Hoc unicum eſt, ideoque neceſſarium, vel potius unum neceſſarium. *Sermo octavus Academiæ. Anno 1675.*

Omnes negotiis obruti ſunt, & nemo fere ſalutis ſuæ negotio vacare videtur. Quaſcumque domos ingrediamini, ibi plurima invenietis negotia; ſingulos homines percontamini, omnes negotioſos videbitis, & ſi cum illis fueritis colloquuti, ſæpiſſime de negotiis ſuis verba facient, quin umquam, vel fere numquam incidat ſermo de ſummo æternitatis negotio. Lis, magiſtratus, rei domeſticæ cura, exercitus imperium, provinciæ alicujus præfectura, magna appellantur negotia, & nihilominus in mundo nullum verum eſt negotium, quam illud æternæ ſalutis, ſeu quod cætera cum hoc comparata nullo pacto gravia ſint exiſtimanda, ſeu quod ad hoc relata, tamquam ad præcipuum finem ſuum, varias curas parere non debent, omnes enim ſimul eamdem efficere debent occupationem. *Ex eodem ſermone.*

Dei Filius ita ſalutem noſtram deſiderat, ut illius medium eſſe voluerit, ſicut eſt ejuſdem principium.

Si verum eſt omne alicujus negotii momentum poſitum eſſe in finis illius, qui propoſitus eſt, excellentia, & in medii, quod adhibetur, perfectione, fieri nequit, ut ullum ſit cum ſalutis noſtræ negotio comparandum, in quo Deus non ſolum eſt finis, quem quærimus, verum etiam medium, quod ſequimur ad illum feliciter perventuri. Denique ad Deum contendimus per ipſum Deum, qui voluit ad nos uſque deſcendere, ut ad illum feliciter perveniremus. Ipſe eſt, ut de ipſo teſtatur, via, quæ nos ad beatum finem noſtrum adducit, & mirabili infinitæ ſapientiæ ſuæ conſilio itineris noſtri terminum nanciſcimur in via, quæ nos illuc adducit. Vult, ut illud ipſum, quod in æternæ ſalutis noſtræ negotio, finis noſter eſt, ſit quoque medium; ut hoc non ſolum unicum nobis ſit in terris negotium, verum etiam negotium individuum, quod non partiatur cor noſtrum inter duo objecta; quoniam diverſa non ſunt, neque ab altero ſecedere poſſimus, cum immoramur in altero. *Ex eodem ſermone.*

Mortales plerumque eos otioſos vocant, quos nihil agentes vident, vel qui eo tempore dormiunt, quod in laboribus inſumendum eſt. Sed Spiritus Sanctus e contra hoc nomine vocat eos omnes, quos mundus actuoſos, & vigilantes exiſtimat, ſi nihil faciunt, vel ſi parum nimis faciunt ad ſalutem acquirendam; hoc enim vere eſt in otium labi, & in inertia langueſcere, cum deficit ardor ad magnum illud negotium procurandum, a quo felix, vel infelix pendet æternitas. Sol juſtitiæ non lucet, niſi ut ad ſalutem noſtram adlaboremus, nos in laboribus noſtris illuminans; & pleno meridie dormire eſt, ſe ipſo tantum, terræque hujus bonis occupari, *Uſquequo, piger, dormies?* Sapiens Prov. 6. ait; *quando conſurges a ſomno tuo?* Hoc veris otioſis hæc ait, excitaturus illos ex mortali ſopore, in quo ſunt, circa ea, quæ ad ſalutem ipſorum pertinent. Vigilare pro mundi bonis acquirendis, dormire vocat; neque ambigit ſoporis nomine appellare univerſa illa negotia, quibus tanta ſollicitudine vacant, & quæ nihilo minus curam Deo nihil ſunt niſi meræ nugæ. *Ex ſermone quinto Academiæ anno 1711.*

Chriſtianus homo, qui utiliter ſaluti ſuæ ſtudet cooperari huic unico, ſummæque neceſſitatis negotio vacare debet; & quodcumque aliud gerat, ſemper hoc ob illius oculos debet obverſari. Hac mente religioſa parcitate temporis ſeduliſſimam procurare debet œconomiam; omnia enim momenta, quibus æternitas comparari poteſt, ſunt pretioſa; ventura quippe tandem eſt dies, qua nihil amplius facere poterit; & quia in mortis adventum differre unici hujus neceſſarii negotii curas idem præter propter eſt ac puteum effodere ad aquam hauriendam tunc, cum tota domus jam conflagraret. Sed una fides nos perſuadere poteſt de iis, quæ ſenſibus noſtris, ac menti ſunt adeo contraria, & unus Dei ſpiritus poteſt nobis in anteceſſum illius ſpecimen præbere. Numquid nimis dicere, aut imponere eſt, toties repetere, unum dumtaxat eſſe neceſſarium? Hoc tamen veritas ipſa teſtatum nobis reliquit: Luc. 10. *Porro unum eſt neceſſarium.* An fidem verbis illius habere non decet? Hoc ille nobis imperat, hoc præceptum eſt adeo abſolutæ neceſſitatis, ut velle ab eo ſe diſpenſare, idem ſit ac gloriæ ſibi

ſcelus

ſcelus ſuum vertendo oblectari ſua cæcitate, cui par inveniri non poteſt, & ſe inevitabili æternæque calamitati ſubjicare. *Ex eodem ſermone.*

Noſtra ſalutis negotium tanti momenti eſt, ut huic uni Dei Filius in terris vacaverit.

Dei Filio noſtra ſalus ita cordi eſt, ut hoc ſibi negotium depopoſcerit, ut illius neceſſitatem nobis commendaret ex perſonæ dignitate, quæ illud ſibi procurandum aſſumpſerat. Immo taliter in hoc opus incubuit, ut totus illi vacaverit, quemadmodum jubet nos quoque in illud omnes ætatis, & induſtriæ nervos contendere. Ad id omnia aggreſſus, & omnia paſſus eſt, ut inſpiraret nobis vim ad omnes illius difficultates ſuperandas, obiceſque infringendos. Quiſnam ſalutis æternæ pretium poteſt intelligere? quandoquidem hæc infinita ſapientia, quæ cujuſcumque rei meritum perfecte cognoſcit, nulli rei pepercit, neque dubitavit ob hunc finem ſuam requiem, honorem, vitamque ſacrificare? Nos tamen hoc nullo in diſcrimine habemus, licet hoc unicum & proprium ſit negotium; & quia laboremus ſub adeo ſeveris conditionibus, ſub quibus divina hæc providentia, cui nihil æque curæ ſuit, ac utilitas noſtra, ſeriam aliquam cogitationem impendere detrectamus, quaſi noſtram requiem perturbare metueremus requiem æternam nobiſmet comparaturi; & quaſi magnum hoc opus, quod Dei Filium exercuit, donec in terris verſatus eſt, dignum non eſſet, cui vitæ noſtræ momentum impenderetur. *Sermo octavus Academiæ anni 1675.*

Sæculi prudentia quam cæca es in luminibus tuis! quam parum tuis commodis moveris? Uſquequo adverſaberis ſapientiæ Dei, qui certiſſimus eſt canon vitæ tuæ? Quouſque nullo tibi erit in diſcrimine ſalus tua, quod unicum eſt negotium, cui quam ſedulo tibi ſerviendum eſt? Si tua conſulentibus oracula adeo ſcita præbes conſilia ad præſens tempus ſpectantia, numquam meliora præbebis monita de futuris, quæ tibi prævisionibus tuis videntur indigna? Si adeo concinna adhibes media, ut tibi tua benevertant molimina, deſerenda ne eſt unica via, quæ te ad finem extremum adducit? Et ſi adeo apte pronuncias de humanis, perituriſque rebus, eriſne ſemper injuſta in judiciis, quæ de divinis, æterniſque rebus profers? Ingentes curæ afficiunt, ut minores ceſſent, & tum magni momenti negotium nos urget, ea, quæ minora ſunt, faſtidimus. Æquum eſt, ut quæ majoris ſunt ponderis primum in cogitationibus noſtris locum obtineant: & juxta hoc principium, quod nemo umquam in dubium revocare poteſt, opus eſt, ut ſalutis noſtræ negotium cæteris quibuſcumque præpolleat, & mentes noſtras occupet, utpote non præcipuum dumtaxat, ſed etiam unicum juxta ipſum Salvatoris verbum: *porro unum eſt neceſſarium. Ex eodem ſermone.*

Ut ſperemus omnia nobis proſpere eventura uni tantum rei ſaluti videlicet ſit vigilandum eſt.

Si quodcumque facimus refertur ad finem propter quem facti ſumus, licet ſexcentis, uſque variis impediremur curis, unum tamen ſemper efficeremus; & ſicuti ſecretum efficiendi, ut omnia, quæ aggredimur, benevertant, eſt uni tantum vacare; ſalutis noſtræ negotium nonniſi proſpere ceſſurum eſt, ſi quemadmodum tota eſt occupatio Dei, ita noſtra quoque ſit. Verum ſi non hoc principio operamur, & ſi quin hunc nobis finem proponamus in omnibus actionibus noſtris, eas ob ambitionem, utilitatem, vel aliam inordinatam cupiditatem aggredimur, fateor nos numquam ſollicitudinibus, ac impedimentis vacuos futuros; ſed non fatebor umquam nos occupatos, & negotioſos eſſe; quia nihil agemus, quod ad finem, ſtatumque noſtrum referatur. Non agemus ut homines decet, multoque minus, ut decet Chriſtianos: conſtat enim hominem tunc humano more agere, cum agit ſecundum eum finem, propter quem eſt homo. At certiſſime conſtat eum non alium ob finem hominis naturam accepiſſe, niſi ut operetur ſalutem ſuam; hinc igitur Sapiens Eccl. 12. arguet, ex una hac re tantum cognoſci poſſe, utrum ſit homo: *hoc eſt enim omnis homo*; & addo, niſi magno huic operi fuerit cooperatus, quodcumque in mundo operetur, nihil agere congruum ſtatui præexcellenti, ad quem per Chriſtianiſmi gratiam evectus eſt. *Ex eodem ſermone octavo.*

Quæ minuta ſunt, magnorum virorum curæ eſſe nequeunt. Quod privati alicujus negotium eſt, hoc Principis eſſe non poteſt. Ita ſicuti gratia fidelem extollit ſuper quidquid præſtantiſſimum eſt in natura, noſque deſtinat immortalibus coronis, quæ toto cœlo ſolidiores ſunt illis, quæ in capitibus Regum renident: ſi temporalibus tantum rebus ſtudemus, ſi curæ noſtræ non referuntur ad fines longe ſublimiores, quam ſæcularium curæ, nihil agimus dignum nobis, & conditioni noſtræ conſentaneum. Inter labores ipſos otiamur, & cum maxime ſæcularibus negotiis diſtinemur, jure illud Evangelicum probrum Matth. 20. meremur: *Quid ſtatis hic tota die otioſi*. Re enim vera, quæcumque ſit occupatio noſtra, quodcumque negotium agamus, niſi ſalutis noſtræ cura ſolliciti ſumus, ſemper *otioſi* poſſumus appellari. *Ibidem.*

Quodcumque ſit negotium noſtrum, omnes labores noſtri irriti ſunt, niſi ad ſalutem noſtram referantur.

Eſto quidem præſtantiſſima opera aggreſſi ſimus, maximis ſimus negotiis exerciti, demandataſque difficiles provincias ſumma cum laude obierimus, præclara in lucem ediderimus opera, poſteris fruendos reliquerimus fructus vigiliarum noſtrarum tamquam pretioſa ingeniorum noſtrorum hæreditatem. Ethnici adhuc plura fecerunt, & nihilominus nihil feciſſe cenſentur ab eo, penes quem eſt omnium humanarum actionum arbitrium. Quo enim reipſa evaſere ambitioſa illorum molimina? quid ex eorum laboribus reliquum eſt, niſi nomen inane, & cinis. Si adhuc ſunt in honore in terris, num ideo minus torquentur in inferis? *Laudantur ubi non ſunt; cruciantur, ubi ſunt*, quidam Eccleſiæ pater inquit; & quod primas in mundo ſedes occupavere, num aliquem ſervant gradum in eorum ſqualore locorum, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Ut ergo utiliter agatur, non ſatis eſt ea facere, quæ nobis nequeunt prodeſſe magis iis, quibus infideles, & reprobi ſeſe exercuerunt. Ad propoſitum nobis finem eſt contendendum, & ad hunc omnia ſtudia, vigiliæque noſtræ transferenda. Si huic muneri deſumus, laborum noſtrorum fructum amittimus, nihilque ex eo retinemus; & tantum abeſt, quod aliquam ſperare valeamus mercedem ab illo, qui de meritis judicat, & qui coronas diſtribuit, ut non niſi probra, & anathemata ab eo expectare debeamus. *Ex eodem octavo ſermone.*

Quis gloriari poteſt ſe aliquid boni feciſſe, ubi neglexit id facere, quod unice erat faciendum, qui videlicet ſaluti ſuæ operatus non eſt. Si eo momento, quo pugna conſerenda eſt, exercitus imperator aleæ vacet, numquid pugnam hanc ſuis expeditionibus accenſebit? Et quodcumque ex alea referat lucrum, ſi victus fuerit, quomodonam factum ſuum poterit excuſare? Si noſtræ curioſitati & cupiditati ſatisfacturi hoc ſummæ neceſſitatis negotium deſeruerimus, credemus ne aliquid memoria dignum a nobis patratum fuiſſe? Cum ob inanem aliquam cauſam Dominum dereliquimus, & pro modico thure æternitatem gloriæ vendidimus, numquid præclarum aliquod, & utile factum nos geſſiſſe putabimus? Quam triſtis illa eſt negotiatio, Tertullianus ait, in qua nihil lucrantes amittimus omnia. Et licet omnem terrarum orbem lucrati fuiſſemus, quam funeſtum eſſet lucrum, ſi cœlum, ſalutemque animæ noſtræ amitteremus, quæ nobis antiquior eſſe debet, quam ſi univerſum terrarum orbem fuiſſemus adepti. *Idem ſermo.*

Inter affectuum procellas periculum eſt, ut pereamus, niſi de ſalute noſtra fuerimus ſolliciti.

Quibuſcumque curis impediti ſimus, ne putemus, nos eſſe negotioſos, niſi ſaluti noſtræ invigilemus, niſi ſemper hac mente operemur. Hæc eſſe debet præcipua omnium actionum cauſa, & unicus ſcopus motuum noſtrorum. Unica nautæ procella jactati cura eſt omnes induſtriæ ſuæ nervos contendere, ut navim tueatur incolumem; homo vero, qui in hoc mundo eſt tamquam in mari agitato omni ventorum genere, navim agens omnibus gratiæ theſauris onuſtam, ut ita dicam, inter cupiditatum fluctus, vitiorumque ſcopulos, in tanto rerum omnium diſcrimi-

crimine alteri cuipiam, quam ſalutis ſuæ negotio vacare poteſt? Hoc non ſolum unicum eſt negotium, nobis utile, verum unicum etiam eſt, quod ſit neceſſarium. *Porro unum eſt neceſſarium. Sermo idem.*

Cætera quæcumque negotia ultro, & ſine ulla neceſſitate aggredimur, & inde nobis integrum eſt emergendi vel per pacta, vel alia quapiam ratione. Sed neceſſitas ſalutem operandi noſtram nobiſcum naſcitur, & moritur. Nullus eſt prætextus, qui nos excuſet, nulla ratio, quæ nos valeat diſpenſare. Immo neque ullum ſuppetit in hoc negotio conſilium, quod capiamus, & propter ineluctabilem neceſſitatem æternam beati, vel miſeri eſſe debemus. Si quod eſſet medium ſalutem inter, æternamque damnationem, aliquam audire poſſemus conditionem, & ex periculo emergere; ſed neceſſario alterutrum eligendum eſt; cumque nemo ſit, qui æternitati ſupplicii valeat acquieſcere, omnino neceſſe eſt laboribus ad æternitatem remunerationis obtinendam exerceri. Beatam, ſed formidabilem neceſſitatem! Beatam quidem, arctiſſimo quippe modo nos cogit, ut maximum bonorum omnium nobis met procuremus; formidabilem vero, ſi enim huic muneri deſumus, negligentia teterrimo malorum omnium erit punienda. *Ex eodem ſermone.*

Obligatio ſalutem ſuam operandi perſonalis eſt, & ſingulorum cooperationem exquirit.

Obligatio ſalutem ſuam operandi perſonalis eſt, & Reges, qui tot mortalium opera utuntur, ut ſuas exequantur voluntates, & tot adhibent corporis ſui cuſtodes ut tuto vivant, ne unum quidem hominem ad animarum ſuarum ſalutem poſſunt adhibere. Illi ipſi, qui nobiſcum hanc partiuntur obligationem, illam augent, non minuunt, & quo magis ſaluti noſtræ inſerviant, eo magis urgent, ut cum illis ſimul cooperemur. Quia illis hujus ratio reddenda eſt, non ideo illis ſponſores, & vades habendi ſunt, & ſi ſuo defuerint muneri, non verant, ne ſimul cum ipſis damnemur. Salvator ipſe, qui tantopere ſaluti noſtræ conſoluit, opus hoc imperfectum reliquit, ut curam nobiſcum divideret, & per cooperationem noſtram perficeret, quod per gratiam ſuam orſus eſt. Hinc gloriatur Apoſtolus ſe adimplere ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne ſua: & Patres nobis prædeſtinationis ſecretum detegentes, dicunt, licet Deus per bonitatem ſuam nos deſtinet gloriæ; exigere tamen merita noſtra, non tamquam amoris ſui cauſas, ſed tamquam conditiones conſilio ſuo neceſſarias. *Sermo octavus Academiæ anni 1675.*

Salutis negotium unicum illud negotium eſt, cui vacare poſſumus, & debemus ſine intermiſſione, & mora. Cætera ſibi ſuccedunt, cumque ſimul eodemque tempore illis mens adjungi minime poſſet, nonniſi ſingulis vacare licet. Sed tantum abeſt, quod hoc aliis ſit impedimento, ut immo ad eorum perfectionem nonnihil conferat, & per ſocietatem, quam cum illis contrahit referens illa ad eum finem, quod ipſum ſibi proponit, imprimit iiſdem characterem dignitatis, ac meriti, quo ad ſupernaturalem ſtatum attolluntur, & digna fiunt æternis remunerationibus. Itaque ſicuti operam ludit, qui ad hoc negotium minime incumbit, ita omnia facit, qui huic præ aliis animum appellit, atque huic vacat, quidquid ſimul agat. Cum id agimus, ut ſalvemur, longe majora procuramus negotia, quam reges, atque Monarchæ: longe ſublimiores detegimus veritates, quam Philoſophi: longe ditiores victorias referimus, quam gentium domitores: & per hoc unum opus melius naneiſcimur immortalitatis comparandæ ſecretum, quam omnes Principes mundi; verum etiam beatam nobiſmet comparamus felicitatem, ad quam omnes mundi opes, honoreſque perducere nequeunt. *Sermo idem.*

Quam miſer ille eſt qui ſuam negligit ſalutem quam tam vili pretio ſibi poteſt comparare.

Mundi Principes, ob quorum oculos in omnibus actionibus veſtris ſemper commoda veſtra verſantur, quomodo nam æternitatis negotium vos adeo parum afficit, quod omni dubio procul longe graviſſimum eſt? Si de minoribus eſtis ſolliciti, ne contemnatis majora. Si tantopere ſtudetis veſtrorum corporum, quæ velitis, nolitis, in cineres redigenda ſunt, incolumitati, memento animarum veſtrarum, quæ ſunt immortales. Verbo; ſi inceſſanter negotiis veſtris invigilatis, ſcitote, non aliud vobis eſſe negotium, quam illud æternæ ſalutis. Hoc unicum eſt: ſit igitur oportet unicus laborum veſtrorum finis, unicumque curarum veſtrarum argumentum. Neceſſarium eſt; cedendum eſt igitur neceſſitati, & laudandum optimum Dei conſilium, quo nobis adeo arctam injecit neceſſitatem fluxis laboribus mercedem æternam promerendi. *Idem.*

Quomodo incedimus ipſi in ſalutis via, quam ſummi illi primævæ eccleſiæ viri ſudoribus ſuis irrigarunt, ſuoque cruore imbuerunt. A pulcherrimo eorum exemplo abhorrentes ea facimus omnia, quæ ad noſtrum conferre poſſunt interitum, & nihil quod ſaluti noſtræ proficiat; omnia pro mundo, nihil pro æternitate; omnia ad terrenum aliquod bonum, honoremque in terris obtinendum, nihil ad ſolidos honores, veraſque divitias promerendas; omnia ut ingratæ alicui creaturæ placeamus, nihil placituri pulcherrimæ illi formæ, cujus beata poſſeſſio ſemper eſt pretium amoris noſtri; omnia denique ſatisfacturi cupiditati, quæ ſpe quarumdam oblectationum inanium, ſexcentis, veriſque cruciatibus nos vexat; nihil, ut eam exerceamus virtutem, quæ ſub imagine ſeveritatis ſexcentas delicias complectitur. Profecto ſi propter Deum ea faceremus, quæ pro mundo aggredimur facienda, ad altiſſimum ſanctitatis apicem pertingeremus. At nonne ploranda eſt noſtra conditio, quandoquidem eam magnam ſanctitatis laudem adipiſci valeamus minori conatu, quam quem exerimus, ut inſignes rei efficiamur; non alium ex laboribus noſtris fructum percipimus, niſi curas, doloreſque immortales, & ſexcentis impliciti negotiis, ut ſuppliciorum æternitate involvamur, deterimus illud unum, quod infinitis cumulare nos poteſt deliciis? *Ex eodem ſermone.*

Funeſta homini Chriſtiano cæcitas eſt non videre, ſalutem illud eſſe, quod unum neceſſarium eſt, ideoque unum, quod cures, & ſtudia noſtra meretur. Attamen nihil hoc vulgatius in terris eſt. Omnia amamus, omnia habemus in pretio, & ſalutem duntaxat noſtram contemnimus. Inhæremus præſenti, quod finem habiturum eſt, & beatum illud negligimus futurum, quod nullum habebit finem; & incomprehenſibili cordis deerratione, conſilia noſtra intra breves temporis cancellos continemus, licet ſpiritus noſter beatam ſperet æternitatem... Si verum eſt nos omnes peregrinos eſſe, quemadmodum ſacra docent biblia Paral. 2. *Peregrini ſumus coram te, ſicut omnes patres noſtri*: Quis noſtrum de hujus itineris termino ſollicitus eſt? Quivis ambulat in via, quam ſua illi fortuna, vel honor oſtendit; ſuæ tantum utilitati, vel gloriæ ſtudet, vel incremento. Suis inhæret negotiis, inanibuſque meditamentis, quin quo hæc omnia tendant conſideret; & quia nimis cordis ſui viam ſequi vult, mentis ſuæ errorem ſequitur. Quam procul abhorremus a primorum fidelium perfectione, qui inhorrentia recedebant deſerta, & in remotiſſimos montes, Deo unice, ac ſaluti ſuæ vacaturi! Numquid minor nobis neceſſitas adeſt, quam illis, ſaluti noſtræ conſulendi? Illi nil ſcire volebant, niſi quod ad ipſorum ſalutem ſpectabat; nos autem nihil ignorare volumus, niſi quod eidem poſſet prodeſſe. *Sermo nonus Academiæ anno 1675.*

Cæcitas noſtra deplorabilis eſt, quod gloriæ honoribuſque intenti noſtram ſalutem negligimus.

Tanta erat filiorum Iſrael Ægyptiæ ſervitutis tempore animi infractio, ut Moyſem ſibi de promiſſionis terra loquentem audire non poſſent. Sæcularium ſub terrenorum bonorum cura, ac pondere viventium ea levior non eſt, licet minus ſentiatur. Difficile eſt ea in mentis infractione, quæ plerumque hunc ſtatum ſubſequitur, eam obtinere ſpiritus libertatem, quæ neceſſaria eſt, ut de cœlo cogitent; & oleum, operamque perdit, qui apud fideles ſub terrenarum curarum pondere ſqualentes de ſalute habet ſermonem. Cura, quam impendit ad illos lucrandos, cæteras curas abſumit, cogitatio hæc alias attrahit cogitationes, nihil in animo Chriſtiani relinquit, quod non in ſuum uſum convertat, tamquam radix funeſta, quæ ad

Servitus mundi gravior eſt, quam olim Hebræorum in Ægypto.

ſe

ſe attrahit humorem telluris proximæ, ut fructus ſuos ferat, & alat. Hæc terrenis bonis adhæſio non alias niſi avaritiæ cogitationes immittit, quæ omnes actiones noſtras corrumpunt, & nos a ſalutis cura deterrent. *Sermo aonus Academiæ anni 1675.*

Quid ſit operari ſalutem ſuam.

Salutem ſuam operari eſt, efficaciter a peccandi occaſionibus abhorrere, ſine intermiſſione ſuas cupiditates ſubigere, inceſſanter concupiſcentiæ deſideria cohibere. Salutem ſuam operari eſt pertinaciter evangelii placitis inhærere, totamque vitæ ſuæ rationem juxta puriſſimam JESU CHRISTI diſciplinam componere. Mundus eſt illius inimicus; ideoque hoc eſt æternum mundo bellum indicere. Denique ſalutem ſuam operari eſt, exhaurire cor ſuum creatarum rerum amore, & amore noſtrummet ipſorum, ut amore prælationis, ac re ipſa unice diligamus Deum infinite amabilem, & infinite nos amantem. Hoc eſt ſalutem tantum ſuam in pretio habere, & ſalutis noſtræ negotium, tamquam magnum, unicumque negotium noſtrum reſpicere, quod unum mereatur curam, atque attentionem noſtram, & quod ut ita dicam unice perdet ab hac noſtra attentione. *P. Croiſet in Exercitationibus Aſceticis pro ſingulis anni diebus.*

Salutis momentum.

Non agitur de lite, a qua univerſæ tuæ pendeant opes, non agitur de felicitate vel miſeria ad vitæ hujus uſque finem permanſura: negotium hoc magni quidem eſſet momenti, non tamen infiniti; calamitoſum eſſe, ad mortem uſque miſeriam pati, magnum utique malum eſſet, non tamen ſine reditus ſpe. Agitur de æterna felicitate vel damna; agitur, ut vel æternum poſſideas Deum in beatorum ſede, vel præceps dejiciaris in infernum, ſine ulla ſpe æternis flammis addictus. Ecce quid agatur, cum de ſalutis negotio ſermo eſt. Numquid hoc negotium nullius eſt momenti, & non omnes animi noſtri curas meretur? *Idem.*

Nolite umquam, fideles, oblivisci præclari hujus documenti, quod magnus Apoſtolus nobis in epiſtola ad Philippenſ. 2. reliquit: *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini*. Hanc ob cauſam voluit Deus nos ſortis noſtræ incertos relinquere. Cavete tamen, ne nimius vos obruat metus a dæmone immiſſus, qui ſemper in animi dejectionem, ac deſperationem degenerat. Nobis timendum eſt, ſed timore leni, tranquillo, filiali, indeſinenter reminiſcentes reprobationem ſemper verum eſſe opus noſtrum; neſcire nos, utrum Deus certiſſime omnia peccata noſtra dimiſerit, quorum nos vere pœnituit. Illud verum eſt indicium, Deum certe omnia nobis dimiſiſſe peccata, cum nos vitæ rationem commotamus. Nihil melius hanc veniam probat, quam perſeverans converſio. Licet incertus ſis, utrum in gratiæ ſtatu ſis, in uno te eſt, moraliter certum eſſe, te eſſe in gratia, ſi perfecte ex hoc ipſo temporis puncto convertaris. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus &c.*

Cur jugiter laborandum, ut ſaluti noſtræ conſulamus.

Nullum eſt momentum, quo ſalutem veſtram operari non debeatis; ſeu quod Deus, cujus oculos ſemper in vos intentus eſt, ad hunc dumtaxat finem cauſa veſtra operetur: inceſſanter cogitat de vobis, ut vos in cœlo beatos efficiat per vitæ labores: æquum igitur eſt, ut vos veſtræ felicitati ſitis intenti, quandoquidem & ille intentus eſt; ſeu quod teſte S. Petro Apoſtolo in 1. ep. *adverſarius noſter diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*: juſtum eſt ergo, ut quantum ille ſollicitus eſt, ut nos perdat, tantumdem ſolliciti ſimus ipſi, ut ſaluti noſtræ proſpiciamus; ſeu tandem quod nos admonet Dominus, ut ſemper, & ſine intermiſſione vigilemus: *Videte, vigilate, orate*, Marc. 13. *oportet ſemper orare, & numquam deficere.* Luc. 18. Vigilantia, & oratio, quæ non aliud eſt, quam jugis attentio tam in fugiendis iis, quæ ſaluti nocere poſſunt, quam in iis quærendis, & diligenter ſervandis, quæ eidem poſſunt opitulari. *P. de la Rue in Quadrageſima.*

Dominus libenter Regnum ſuum nobis largitur; *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2. Cur ergo Salvator de Regno cœlorum verba faciens hac utitur locutione? *Violenti rapiunt illud.* In generali corruptione, in qua verſabantur homines, antequam JESU CHRISTI Evangelium illis collucerer, videbatur Deus deſtinare cœlum exiguo mortalium numero; unus tantum erat populus, qui ad illud ſibi jus eſſe poſſet aſſerere. Sed poſt Domini adventum Regnum cœlorum, abſit invidia verbo, generali obnoxium eſt expugnationi, & patet omnibus vim illi facientibus, ſive Judæi ſint, ſive Græci, ſive Romani. Agitur modo tantum de fortitudine oppugnantium, ac rapientium illud, ſicuti olim egit Centurio, mulier Chananæa, ac tot Gentiles, qui non æquarunt dumtaxat Hebræorum fidem, ſed qui gloriam quoque præripuerunt, quod præ illis JESU CHRISTI prædicationi eſe docibiliores præbuere. *Multi ab oriente & ab occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cœlorum: Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Matth. 8. Hæc prima eſt horum verborum ſententia: *Regnum cœlorum vim patitur*; videlicet Cœlum non eſſe amplius paratum, ut olim videbatur, uni populo, ſed patere illis omnibus, qui vim adhibent, ac illud rapiunt. Hoc pretio omnes ad illud jus habent; laicus & Sacerdos, ſæcularis & regularis, dominus, & ſervus, pauper & dives, omnes jure ſuo ad illud poſſunt anhelare. Pauperes quidem, & parvuli facilius illuc perveniunt; non ideo tamen magni, & locupletes illius aditu prohibentur. *P. Segneri in Medit.*

Anima tanti valet, quanti Dei vita, juxta Dei ipſius judicium.

Dicendum ſane eſt, aliquid magnum eſſe animam, quandoquidem filius Dei illam ſuo redemit ſanguine; & illius lapſus admodum deplorabilis eſt, quoniam non niſi per crucem Redemptoris potuit reparari. Profecto non decebat Dei Sapientiam pro ea re, quæ flocci facienda eſſet, magnos erogare ſumptus; neque illius decebat majeſtatem dare parum pro ea re, quæ plurimi æſtimaretur. Videte nihilominus, quid ille fecerit, ut animam lucraretur, quid pertulerit, quid dederit, quid reliquerit. Quid pertulerit, crucis nempe ſupplicium; quid fecerit, infinita miracula, quorum hoc maximum eſt, mortalem aſſumpſiſſe formam, atque naturam, dejiciens, ut ita dicam, omnem magnitudinem ſuam in nihilum, & omnem felicitatem ſuam in cruciatus graviſſimos. Quid vero hoc illi ſuaſit? Noſtrarum animarum dignitas, & miſeria. Noverat hinc quidem originem ſuæ nobilitatis, ac finis, propter quem creatæ fuerant, ſublimitatem; inde vero illas de omnibus juribus, ac privilegiis ſuis dejectas videbat, mancipia dæmonum, quorum intolerabilis eſt ſævitia; teterrimis adjudicatas ſuppliciis, quorum duratio infinita eſt: qualibet ope deſtitutas, adeoque in miſeria ſua cæcas, ut, quin remedium perquirant, ſe ſemet in illam ſponte dejiciant. Hic ſtatus eſt miſerrimus tot creaturarum adeo nobilium, & præexcellentium, cujus ille miſertus eſt, utque illis ferret opem, nequaquam cenſuit indignum magnitudine ſua de ſublimi ſolii ſui vertice uſque in pulverem deſcendere, & turpiſſimum Crucis ſupplicium ſubire. *P. Novet in Meditationibus.*

Inefficax ſalutis deſiderium.

Summa cum erubeſcentia confiteamur: nihil fidendum eſt in hujuſmodi deſideriis, quæ ſinceram, firmam, ædificantem converſionem pollicentur, & quæ vel minimam noxiam affectiunculam valent infringere. Ideo foventur, ut aliquam alamus ſalutis ſpem, & ſi qua eſt cupiditas ſalutem ſuam operandi, infirmum ſatis eſſe ducitur hoc deſiderium, quin longius procedatur. Sterilia hæc, & fallacia deſideria Chriſti aſſeclam in quamdam monſtri ſpeciem convertunt; habet enim concupiſcibilem appetitum, ut bonum cupiat, non autem iraſcibilem videtur habere, ut ſuperet malum, & eas vincat difficultates, quæ in boni perquiſitione ſolent occurrere, & verum eſt dicere Chriſtianum non ultra in iis, quæ ad ſalutem ſuam pertinent, admitti, niſi ut inutilia hujuſmodi foveat deſideria: *Tota die concupiſcit, & deſiderat.* Prov. 21. Quid faciunt vir hic & mulier illa, hujus mundi ſectatores, qui aliquam Chriſtianæ pietatis ſpeciem ſervare volunt? Numquid operantur hac mente, ut cœlum lucrentur? Nullo modo; ſed id operari vellent. Hoccine dignum eſt fide ſua, & promiſſionibus, quas Deo in ſacro Baptiſmi fonte fecerunt? Quid diceretur de viro avido colligendi bona, & qui nullo ſe vellet immiſcere negotio ad ea ſibimet comparanda? Quid de mundana fœmina, quæ videre, & videri cuperet,

ret, & tota die iu penetralibus domus ſuæ delineſceret? Duplex hoc characteris genus nunquam damnantur inertiæ. Nemo in mundo eſt, qui cum de opibus, honoribuſque conquirendis ſermo eſt, non agitetur ad bos fines perveniendus; imo hac in re magis excedunt mortales, quam deficiant. Quod autem ad ſalutem pertinet, hoc nomen per ſe gignere videtur otium, omneſque hominis artus obſtupefacere. *P. la Peſſe, & recens auctor.*

Cum de ſalute ſermo eſt, nihil adeo commune eſt, ut deſideria, & nihil adeo rarum, quam ſerio illis explendis operam navare. Mulier hæc, cui placent ſocietates, & induſtrium virorum gaudet conſuetudine, pudorem ſuum in diſcrimen adducit; hunc vellet quidem ſartum, tectum tueri, ſed adhuc vult, & jampridem vult, hoc tamen nondum præſtitit. Hinc vanitas, inde voluptas excitati pudoris hujus motus jugulant. *Tota die concupiſcit, & deſiderat.* Negotioſus hic vir vellet quotidie reſarcire damna, quæ intulit; voluntas ejus in deſideriis conſiſtit, tamen gradu non movetur. Juſtitia clamat, in oculos ſalit; conſcientia illam nativis coloribus imbutam nobis objicit; ſed hi omnes ſtimuli nullum improbo huic præbent levamentum, quia nihil reſtituit. Nobilis iſte ſe Deo vellet devovere; id ſæpe etiam cogitat, rei hujus neceſſitatem agnoſcit; tamen adhuc in neſcio qua obſcæna voluptate marceſcit. Avarus dives alienum hoc prædium reſtituere vellet, ſed illud retinet ſemper, & ſyngraphas etiam fidelia uſurpationis hujus teſtimonia clam celat. Ita omnia hæc abeunt deſideria, & adveniante die mortis æque hac in re progreſſi ſumus, ac in ipſo ætatis flore proceſſeramus. *Iidem.*

Quid ſit faciendum cupienti ſe ſalvare.

Unum illud, quod eſt mihi in hac vita faciendum eſt, ſervire Deo, mandata illius obſervando, ac me ipſum ſalvum faciendo. Ad id omnes actiones, conſilia, & intentiones meæ ſunt referendæ. Ut verbo me expediam, omnia vitæ meæ momenta devovenda ſunt ſervitiu Dei, & unico ſalutis meæ negotio, quod unum meam attentionem meretur. Aliter operari eſt operari contra eum finem, propter quem Deus me in hoc mundo conſtituit. Numquid hoc mihi hactenus propoſui? Quidquid egi, non ne propter Deum operatus ſum? Nonne in omnibus illius gloriam dumtaxat quæſivi? Quomodo ego legem ſervavi? Serio ne operam navavi, ut meæ ſaluti conſulerem? Quid ad hanc rem operatus ſum? *Conſiderationes Chriſtianæ.*

Longe aberravi a fine meo, Deus mi! Creaſti me, ut tibi ſervirem, te amarem, te glorificarem; & his oppoſita operatus ſum. Quin in omnibus actibus meis tuam gloriam perquirerem, nihil aliud ſpectavi, quam voluptatem meam, & amoris proprii complementum. Non magis de te ſollicitus fui, quam ſi pro te creatus non fuiſſem. Omnia, & ſingula vitæ meæ momenta tibi fuiſſent impendenda; cumque illa ad examen revoco coram te, nullum invenio, quod tibi impenſum fuiſſe valeam affirmare: libido quippe, cupiditas, voluptas, utilitas, & amor proprius omnium actionum mearum principia, & cauſæ extiterunt. Modicum illud boni, quod feci, ſi quid tamen feci, corruptum fuit cum perverſis intentionibus, cum innumeris vitiis, ignavia, & negligentia, quæ ubrepſerunt. Agnoſco modo cauſam tumultus, & amaritudinis, quam reperiebam inter voluptates, quas adeo feſtinanter conquiſiveram, & quarum poſſeſſionem tamquam felicitatis meæ cumulum intuebar. Cum enim propter te factus ſim, nullam niſi in te requiem poſſum invenire: *Feciſti nos ad te; & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*, ait D. Auguſtinus. Tibi millies gratias ago, eo quod omnia ita diſpoſueris, ut voti compos fieri nequeam niſi ſolida, æternaque bona poſſideam. *Ibidem.*

Alto rubore ſuffuſus hactenus in teterrima ſalutis meæ negligentia me verſatum fuiſſe confiteor. Nihil egi, ut me ſalvum facerem; e contra jam pridem ad interitum feſtino, & qui ex mea agendi ratione judicium ferre velit, cenſebit fortaſſe nullum mihi propoſitum fuiſſe finem, niſi ut æternum perirem. Agnoſce anima mea cæcitatem tuam, & periculum, in quo verſaris, damnationis tuæ. Nonne jamdudum aberras, fluxa bona, fragileſq; conſectata voluptates, quarum fruitio, quin te voti compotem reddat, maximum tibi negotium faceſſit ad nobiliorem finem procreatæ. Gratias tibi ago Domine, eo quod me ad finem adeo præſtantem, & felicitatem nullum finem habituram creaſti. *Ibid.*

Ut ſalutem noſtram operemur, divinum auxilium implorandum.

Opem mihi fer Domine iis in certaminibus, quæ mihi contra me ipſum erunt ſuſtinenda, nec permittas, ut anima, quam creaſti ad imaginem tuam, ut te poſſideret, a te in æternum ſeparetur. Opus eſt manuum tuarum, noli eam derelinquere; eamque contra omnea ſalutis meæ inimicos confirma. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*: Pſal. 118. & ne illius inani fulgore, præſtigiiſque decipiar. Rectas fac intentiones meas, ut uni tibi placere velim. Inſculpe altius in animo meo hanc veritatem; me ideo in terra hac poſitum eſſe, ut ſaluti meæ conſulam, & animæ meæ jacturam nullo umquam pretio eſſe reparandam. Libenter alteri cuicumque jacturæ ſubſcribo, dummodo hanc incolumem tuear. *Ibidem.*

Timor periculorum animæ in nobis non eſt ita acer, ut ille malorum corporis.

Cum vere timor periculi percellit aliquem, nihil intentatum relinquunt, ut illud evitent. Nil magis metuimus, quam detrimenta, ærumnas, ægritudines, ac turbam hanc malorum, quibus ſepti ſumus; & raro quidquam negligimus, quod inde nos valeat eruere. Cum autem non eadem utimur præcautione ad majora a nobis arcenda mala; præſumendum eſt ea non admodum formidari; vel ſi verum eſt, illa a nobis timeri, credimus proculdubio non adeo magna opus eſſe cura ad illa evitanda. Tunc vero quodnam eſſe poteſt erroris hujus fundamentum? Et quanam ex cauſa animæ periculum unum illud eſt, quod non omnem ſollicitudinem noſtram expoſcit, ut illud præveniamus? *Sermo quintus Academiæ anni* 1701.

Impoſſibile eſt duo ſimul haberi deſideria, alterum diteſcendi, alterum ſalutem acquirendi.

Unum dumtaxat habere videmini deſiderium, vel ſaltem unum dumtaxat vobis eſſet habendum voſmet videlicet ſalvos faciendi: verum audebitis ne affirmare, a vobis non optari potius divitias? Talia reipſa ordo eſt deſideriorum noſtrorum; flagrare debet ſecundum majus illud bonorum, quæ cupiuntur, pretium. Æterna vero bona ullane ratione comparari poſſunt cum bonis, quæ nos derelinquunt, vel quæ potius quam primum relinquimus? Quid habemus, & poſſidere poſſumus, quod æquiparari poſſit ſaluti animæ noſtræ? Sed quomodo poſſumus duo ſimul alere deſideria adeo violenta, & oppoſita? Non miror, ſi terrici malos dies tranſigimus; ſi vitam adeo moleſtam ducimus. Sollicitos eſſe ad opes quærendas, & adhuc ſollicitiores ad ſalutem operandam; fateor equidem me ratum fuiſſe, duo hæc ſimul conciliari non poſſe. Quomodone ita feliciter in adeo diverſa ſtudia noſmet partimur? A mane ad veſperam noſtris vacamus reditibus; & a mane uſque ad veſperam impenſius cœleſtibus theſauris congerendis (ita enim credi volumus) inhiamus. Omnes viri boni non habent, uti nos, animam ſatis magnam, ut ſimul cogitationibus ſuapte natura ita longe ſepoſitis & fere pugnantibus occupentur. *P. la Peſſe, Tomo* 2.

Attente inſpiciamus, an ullum nobis adſit momenti majoris negotium, ullum nobis ſit, ex quo tot noſtra pendeant bona, ullum, quod tanti referat noſtra, quanti ſalus noſtra. Non agitur hoc loco, utrum lis tibi adjudicetur, an ſecus; neque utrum in omnem vitæ hujus curſum felix, vel infelix futurus ſis. Hoc magni quidem eſſet momenti, non tamen infiniti. Calamitoſum eſſe, ad mortem uſque pati, magnum utique malum eſt; tamen ſpe aliqua non careret. Agitur de æterna felicitate, vel miſeria, agitur de æterna Dei poſſeſſione in Beatorum patria, vel de æternis in inferno ſuppliciis, ac de æterna in nullam ſpem reditus damnatione. De hoc agitur, cum ſermo eſt de ſalute. Ulliuſne momenti hoc eſt negotium? Meretur ne curam, & ſollicitudinem noſtram? Dignum ſane eſt animadverſionibus noſtris. Quantam deteſtor, Domine, cæcitatem, erroremque meum. Potior effluxit vitæ meæ pars; & nondum huic negotio vacare cœpi. Heu! quid mihi metuendum non eſt ab ira tua, ſi adhuc eidem vacare cunctor ..... Quid modo prodeſt opulentis illis reprobis, magnis opibus redundaſſe, magnos geſſiſſe titulos, optima prædia poſſediſſe? quæ enim permutatio dari poteſt, ubi omnia in æternum amiſſa fuerunt. Cœlum amiſi, amiſi Deum: ergo perdidi univerſa; eaque in nullam reditus ſpem perdidi. Nimio tibi, Domine mi Salvator, ſteti pretio, ut me interire patiaris. Effuſis lacrymis fateor me hoc meritum eſſe, & interitum meum mihi eſſe inevitabilem, niſi melius, quam hactenus, ſaluti meæ conſuluero. Sed actum jam eſt; certum

iniit conſilium, ex hoc ipſo temporis momento ſalus mea eſt omnium curarum, meæque ſedulitatis objectum. Hæc unicum eſt negotium meum; proprie loquendo, non habeo alterum: & ſtat mihi impoſterum omnes exercere virtutes, quæ ad cœli acquiſitionem ſunt neceſſariæ. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit. Tom. 5.*

Mundi placita Evangelicis nequeunt derogare inſtitutis.

Quantumcumque Dei verbum mendacibus interpretationibus corrumpatur, inanibus acuminibus diſſimuletur; ad libitum benignum, commodumque conſcientiæ ſyſtema, ſexcentis ſuffultum auctoritatibus proponatur; videatur licet ſacroſanctarum Evangelii inſtitutionum oblivio præſcripſiſſe pro mendacio; ſemper verum erit nos in hoc mundo non eſſe, niſi ut ſalutem noſtram operemur, & unum hoc dumtaxat nobis eſſe negotium. Semper verum erit, arctam eſſe viam, quæ ducit ad vitam, paucos eſſe, qui ambulant in ea; diebus omnibus crucem eſſe ferendam; in ſingulas horas nobiſmet vim eſſe inferendam. Semper verum erit Evangelium ſolum eſſe morum noſtrorum canonem, ideoque & ſalutis; ſpiritum & mundi placita e regione adverſari ſpiritui, placitiſque JESU CHRISTI; falſo homines ſibi blandiri, quaſi eſſent ex numero Diſcipulorum Salvatoris, ſi juxta mundi placita, & ſpiritum vivunt. Denique ſemper erit verum vitam mollem, deliciis affluentem, mundanam, numquam fuiſſe vitam Chriſtianam; Deo reddendam eſſe rationem talentorum, quibus ab illo donati fuimus, totius boni, quod faciendum erat, & factum non fuit, totius mali, quod patratum eſt, imo etiam verborum otioſorum, quæ prolata fuere; relaxatione fidem infirmari; licentia omnes Religionis ſenſus ſuffocari; malis exemplis eam trahi. Semper liquebit, numquam fore, ut Evangelicæ veritates conſenſerint; itaque nulla re nos magis affici oportere, quam uno ſalutis noſtræ negotio. Hic unicus eſt finis, omniumque Filii Dei deſiderium omnibus mortalis vitæ ſuæ diebus; hoc unum non ſine maximo dilectionis exceſſu coegit illum, ut Calvarium aſcenderet, & ſe ſe offerret Patri, tamquam victimam placentem, atque perfectam pro mortalium omnium ſalute. Quantum igitur ſontes ſunt tot mali Chriſtiani, qui ſalutem ſuam nullo habent in diſcrimine, quaſi de inſenſilium hoſtis pernicie, & excidio ageretur? Nonne his hoc ipſum exprobrari poſſet, quod Salvianus olim ævi ſui Fidelibus, quos ait, nullam habuiſſe rationem animæ ſuæ; & dæmonem tantam eam facere, ut noctu, ac interdiu vigilet eam voraturus. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit. Tom. 5.*

Vult Deus nos cooperari gratiæ ſuæ, ut ſalutem noſtram operemur.

Quoniam nihil majoris momenti nobis eſt, quam ſalus noſtra, una ex præcipuis veritatibus a nobis attentius meditanda, ordo eſt, quem ſervat Dominus, ut ad promiſſam nobis beatitudinem adducat. Pendet a Deo: fides enim docet, ſine Dei ope nihil boni a nobis fieri poſſe. Pendet ab homine; quod S. Auguſt. verbis illis oſtendit: *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* Quam maxime noſtra refert noſtram ſubmiſſionem agnoſcere, & edoceri de jugi neceſſitate, quæ nobis eſt auxiliorum Dei. Hoc eſt Chriſtianæ humilitatis fundamentum; hoc nobis oſtendit, quænam ſit noſtræ conditionis miſeria. Hoc nos docet, ut etiam Deo noſmet exhibeamus tamquam pauperes nihil habentes, niſi quod ab illius gratia, & liberalitate recipiant. Deus pati nequit Chriſtianos inertes, qui languent in mollitie, qui vellent a Deo totum ſalutis ſuæ opus impleri, qui mercedem obtineri vellent ſine labore, & quin aliquo ſe motu exerceant ad eam promerendam. Neceſſe igitur eſt, chriſtianum hominem diſcere, quænam eſſe debeat fidelitas, & quid ſibi faciendum ſit, ut pro virili ad magnum hoc negotium incumbat, a quo æterna illius pendet felicitas. Non deſunt eſſentiales diſpoſitiones, quæ hominem Chriſtianum efficiunt, & quas Deus in nobis vult reperire. Quid utilius, quam ad eas cognoſcendas nervos omnes contendere, ut Dei mentem aſſequamur! Hi fundamentales Religionis canones in Evangelio optime explicantur. *Lambert in anno evangelico.*

Animo ſaluti ſuæ intenta inceſſanter conſulit Evangelium, & conſulit, ut ad illud ſe ſe conformet. Illa attentius in eodem ſemet intuetur, & Sancti Jacobi textus ait, illam ſemet intueri non ſecus ac qui ſe inclinant, ut attentius, ac apertius videant, quod videre volunt. Omnes ſibi applicat veritates quas legit, vel audit. Abſcondit illas in corde ſuo, ut ad illas, ubi adſit occaſio, confugiat, eaſque ſibi tamquam actionum ſuarum normam proponat, atque ut in rebus dubiis illas velut ducem, & in tentationibus, velut præſidium ſequatur. Tunc gaudio perfunditur cum legit, vel audit hoc verbum; ſed beatam ſe minime putat, niſi illud exercens; quia cum homo vere in hac vita felix non ſit, niſi quatenus futuræ vitæ felicitatem ſperare poteſt, ſcit, hanc ſibi ſperandam non eſſe, niſi ea, quæ in Evangelio ſibi præcipiuntur, expleverit. *Tourneux in anno Chriſtiano. Tomo 6.*

Si S. Paulus poſt tot exantlatos labores, nondum ſe ſalutis ſuæ certum putat, quis audebit, D. Chryſoſtomus inquit, ſe ſuæ certum aſſerere in hac vita, quæ perennis eſt tentatio; & qui non proficiet non exemplo ſolum, ſed etiam conſilio Apoſtoli alibi dicentis: qui ſe ſtare putat, videat ne cadat; & alibi paſſim; cum timore, ac tremore ſalutem veſtram operamini. Sancti ipſi ſe comparant homini, qui manu ducitur, ut curſat, ac referat bravium illis promiſſum, qui ad propoſitam ſibi metam pervenerint. Inquit igitur ſe captum fuiſſe a JESU vocante ipſum ad fidem, & Apoſtolatum, ſibique ab illo propoſitum fuiſſe finem, quo tenderet, quemdam videlicet divinæ cognitionis, virtutis & perfectionis gradum, & pro pretio vitam æternam, quemadmodum deinceps oſtendit. Non moratur igitur, ſed currit, ac laborat ad ſtatum illum perventurus, ad quem vocatus eſt. JESUS CHRISTUS rebus omnibus eſt præferendus; pro ſordibus habendum quidquid ad illum non adducit; ex ſemet abrenuntiandum eſt, vel propter illius amorem ferendum earum rerum omnium, quæ apud homines ſunt in pretio, detrimentum: hominis imbecillitas cognoſcenda eſt, & divinæ gratiæ acceptum referendum eſt, quidquid boni fieri poteſt: tamquam inutiles habendæ ſunt optimæ quævis actiones, ubi per J.C. fidem, atque amorem factæ non fuerint; quotidie in Dei cognitione progrediendum eſt; adſpirandum ad glorioſam reſurrectionem, cujus reſurrectio ſua pignus eſt, & per paſſionem ejus ſocietatem promerenda; procuranda eſt conformatio morti illius per voluntarias carnis mortificationes, humilemque acceptationem crucis, quam nobis immittit; in via Dei non ſubſiſtendum, ſed ſemper procedendum, ut eo, quo vocatur, perveniat, numquam nimia de ſalute ſua præſumendum, ſed trepidandum propter propriam infirmitatem, atque omnibus in rebus inconſtantiam; confidendum tamen in illius miſericordia, & bonitate, a quo pluribus in occaſionibus tot gratiis, atque favoribus aucti fuimus: ſi enim ex nobiſmet nihil poſſumus, omnia tamen poſſumus per ipſum. Ne præfidamus ergo in viribus noſtris; ne nobiſmet ipſis innitamur; ſed collocemus in Deo omnem confidentiam noſtram, neque deerit ille nobis, quominus flagitiati noſtræ ea omnia præſtet ſubſidia, quibus egemus, ut ſalutem conſequamur. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo 6.*

Nemo in hoc mundo habere poteſt phyſicam ſalutis ſuæ certitudinem.

Se ipſum fallit, qui credit ſalutem ſuam curæ, qua Dei verbum audit ſollicite, quin tamen illud opere ſtudeat adimplere. Auditor legis nequaquam juſtus eſt coram Deo, S. Paulus ait ad Rom. 2. ſed factor ejuſdem juſtificabitur. Quicumque J.C. inquit Matt. 7. audit, & obſervat præcepta mea, ſimilis eſt ſapienti ædificanti domum ſuam ſuper petra: Qui vero audit, & non obſervat, inſipienti ſimilis eſt, qui ædificat in arena domum quamprimum ventorum flatu diſjiciendam. Evangelium ſimile eſt ſpeculo, in quo omnes detegere poſſunt maculas ſuas. Qui enim vitam ſuam confert cum ſanctis Evangelii regulis, videt, quid in vita ſua rectum eſt, quid ſecus; nam rectum cenſendum eſt, quidquid eſt conforme legi JESU CHRISTI; ſecus vero, quidquid eidem adverſatur. Matrona ſuæ formæ ſtudioſa ſe in ſpeculo inſpicit, ut ſordes abluat, quas more ejuſdem opera videt. Hoc ipſum de fidelibus omnibus dicendum eſt, qui ſerio ſaluti ſuæ cupiunt ſtudere. Mores ſuos cum lege Evangelica comparare debent, ut ſciant vitæ ſuæ labes, eaſque corrigant, ſalutem ſuam operaturi. *Tourneux ibidem.*

Fruſtra, noſtri habita ratione, Sancti tot pertulere pœnas ſalutem ſuam operaturi, niſi illam imitemur.

Quanti fecerunt Sancti viri ſalutem ſuam, & quidquid illis conferre poterat ad beatam æternitatem promerendam? Ad quam aliam fortunam contenderunt; & ad comparandam felicitatem hanc nullis finibus circumſcriptam quot prælia ſuſtinuerunt, quot retulerunt victorias? Ætates, ſtatuſque omnes percurrite; ubique magna effulgebunt virtutis, modeſtiæ, & mortifica-

tionis

tionis exempla. Omnes Sancti iſti, quos adeo paſſum imitamini, ſapientes ne fuerunt eo quod a noſtra inertia & ignavia abhorruerunt, an ipſi ſumus ſapientes, quia non ſumus æque ac illi devoti, humiles, immortificati? Audebimus ne dicere illos plura, quam oporteret, feciſſe, ut eo pervenirent? Palam conſtat nos omnino aliam viam ſequi. Hæccine via eſt, qua ad eumdem terminum pervenire valeamus? Quam longe diſcrepat a ſummorum illorum virorum via? Sancta hæc exemplaria nobis fient inutilia, niſi noſmet exciverimus ad illa imitanda. Satis nobis eſt frigide confiteri, nos quidem ad ſalutem nihil operari; temporalibus negotiis abſorberi omne tempus, & nugis ſæcularibus detineri. Vera quidem hæc eſt confeſſio; ſed præterea vitæ ratio mutanda eſt, & in praxim redigendum, quidquid Sancti tot tantiſque exemplis nobis faciendum eſſe indigitaverunt. *P. Croiſet in Exercit. Aſceticis Tomo 2.*

Unum adhuc nobis reſtat perfugium ad cœli gloriam promerendam, hoc poſito, quod deſit nobis fortitudo ad illud impetu facto rapiendum; eſt autem pati ſaltem, viam nobis fieri, ut illuc introducamur. *Compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Luc. 14. Deus autem quodammodo nos compellit egeſtate, infirmitatibus, perſecutionibus. Hæc enim a nobis non optantur, immo tamquam mala putantur, & non niſi invitis accidunt. Sed illis bene utamur, patienter illa ſuſtineamus, & æque tuto cœlum obtinebimus, ac illi, qui ſibi vim faciunt, ut illud eripiant. Sinamus nos Providentia trahi, non ſecus ac illos, qui ſe trahi ſinunt a circumfuſa populi turba, hoc eſt, ſinamus agere tribulationes, quæ irruunt in nos, in ſupplementum noſtræ imbecillitatis, cogentes, ut ea faciamus, quæ infirmitas noſtra non ſinit. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Act. 14. Numquid vellemus regnum hoc dono nobis concedi, quin ejus acquiſitio nullo nobis eſſet pretio comparanda? Hoc fieri non poteſt. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. P. Segneri Medit.*

Anima noſtræ ſalus omnibus mundi bonis eſt præferenda.

Animam ſuam corpori, & mundi hujus bonis præferre neceſſitas eſt, de qua cuilibet licet imperfecto Fideli reor perſuaſum eſſe debere. Sed heu! quo ipſi in diſcrimine habemus animam partem noſtri præſtantiſſimam. Turpe lucrum, gloriæ vapor, momentanea voluptas ea commutatio eſt, quam pro illius jactura acceptatis. Tamen licet omnem terrarum orbem fuiſſetis adepti, quid hoc vobis prodeſſet, ſi animæ veſtræ detrimentum faceretis? Animam hanc igitur, licet rerum omnium jacturam facturus ſis, ſerva, quia hæc omnia tanti non ſunt, quanti illa: *Serva animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum.* Eccl. 10. Hujuſce veritatis certus, Domine, in poſterum animæ meæ incolumitatem cæteris quibuſcumque bonis anteferam. Bona hæc fluxa, ac fragilia ſunt; illa vero immortalis; illam tibi penitus devoveo, eam tuæ voluntati omnino ſacrificans. Anima mea decreſcit, cum æſtimat, & amat aliud quidpiam præter te; ſupremus perfectionis gradus illi eſt, tibi uni vivere. *P. Segneri in Meditat.*

In ſalutis negotio trepidandum eſt ſemper, ſed hic timor injicere debet pr... ſumptionem non autem confidentiam.

In ſalutis negotio ſemper ſumus incerti; extremum vitæ noſtræ momentum inutiles efficere poteſt curas omnes a nobis longa annorum ſerie ſuſceptas. Non igitur ſatis eſt, ſaluti noſtræ vacare; ſed cum timore, ac tremore eidem vacandum eſt: *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini.* Philip. 2. Magnitudo periculi, quod ſubimus, eſſe debet noſtri timoris cauſa: ejuſdem periculi propinquitas in nobis timorem, tremoremque debet producere. Periculi magnitudo efficere debet, ut timeamus. Quid in ſalutis negotio non periclitamur? Si ita miſeri ſumus, ut illud male vertat; de nobis actum eſt, omnia in nullam reditus ſpem interierunt; omnia in æternitatem perdita ſunt. Impii ſemel in abyſſum detruſi, nequicquam omnibus ſæculis malis ſuis remedium exquirent; ſed quem invenient exitum, ut effugiant ex iis malis, quibus obruuntur: *Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis.* Job. 11. At longe abeſt hoc periculum; fortaſſe non eſt arduum emergere. Proh Chriſtiani! hoc illud eſt, quod vobis trepidationem debet injicere, ac facere, ut terror medullis veſtris inhæreat: *Pavor tenuit me, & tremor; & omnia oſſa mea perterrita ſunt.* Reſpicite ſub pedibus veſtris teterrimum gurgitem, unde egrediuntur legiones dæmonum, qui parati ſunt, ut graviſſima vobis inferant prælia; oculos conjicite in mundum hunc præſtigiatorem, in quo vivitis, & in laqueos, quos vobis circum ubique tendit. Oculos in cœlum attollite, unde poteſtis auxilium ſperare, ſed quod propter veſtras infidelitates vobis ſemper clauſum eſſe oporteret. Voſmet ipſos colligite; inordinatorum affectuum veſtrorum tumultum audite, videte rebellionem carnis, ac dura certamina, quæ indeſinenter veſtræ infert voluntati. Poſt hæc dicite, periculum, in quo eſtis, pereundi non eſſe manifeſtum, & Apoſtolum exaggerare, cum præcipit, ut cum timore, & tremore ſalutem noſtram operemur. *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini.* Hic tamen timor licet æquiſſimus, numquam de ſpe vos debet perturbare: deſperatio, inquit Apoſtolus ad Rom. 2. pars eſt malum operantis: *Angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Adſpectus imminentis periculi, modica ſpes, quam in propriis viribus invenimus, inevitabilis alieni ſubſidii neceſſitas, ut vel unum bonum foveamus deſiderium ſalutis; hæc omnia detinere nos debent in profunda humilitate, & jugi ſollicitudine, ne Divino patrocinio efficiamur indigni. *P. Segneri in Medit.*

Noſtræ ſalutis opus eſſe debet nobis opus moleſtum, ac laborioſum, quod nobis bene vertere nequit, niſi diligentiſſime in eo noſmet exercuerimus: *Veſtram ſalutem operamini.* Philip. 2. Salus non eſt ex illis operibus, quæ inter plures diſtribui poſſunt. Numquam ſane ſoli eidem vacabimus; hoc eſt enim opus tam Dei, quam hominis, & magis etiam Dei, quam noſtrum: ſed ille hoc omnino citra laborem noſtrum non perficiet. Deus quidem ex ſe omnia perficiet; etenim ſine illo ipſi nihil facere poſſumus. Nos quoque omnia faciemus ex parte noſtra; quia Deus, qui nos prævenit, nihil ad magni hujus operis conferet complementum, niſi quatenus & ipſi cooperari, ejuſque ſubſidio uti voluerimus. *P. Segneri in Meditat.*

Ut ſalutem noſtram operemur, precibus cœlo vim debemus inferre.

Vis ad cœlum rapiendum adhibenda duo habet objecta, Deum, & noſmet Deo quidem per orationem vim inferemus. Quamvis enim cupiat nobis ſuum largiri paradiſum, vult tamen, nos cum ipſo ita agere, quaſi ille nobis eſſet extorquendus per importunitatem: *Propter improbitatem dabit*: Oratio autem unica ratio eſt Deo vim inferendi. Vis autem, quam nobiſmet ipſis debemus inferre in omnimoda noſtrummet abnegatione conſiſtit. Oculos claudere objectis omnibus periculoſis, aures obſtruere blandis ſermonibus; linguam compeſcere, ubi vellet in impatientiæ, acrimoniæ, irriſionis, & obtrectationis vocabula erumpere; in ipſo corde jugulare ſenſus omnes vanitatis, ſuperbiæ, ultionis; hæc vis eſt nobiſmet inferenda: ita Regnum cœlorum vi rapitur; ita miles arcem oppugnans obicem omnem arcet, ac propellit. Quod fit vi, brevi etiam fieri conſuevit; quapropter dictum eſt, & *violenti rapiunt illud.* Matth. 11. Adhibeamus vim omnem, quæ neceſſaria eſt, & regnum hoc momento acquiremus. Momentum latroni bono de cruce pendenti fuit ſatis, ut audire mereretur ex ore JESU CHRISTI hæc verba Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Exemplum hoc quidem portenti loco eſt: ſed licet ætate provecti ſimus, agitur tantum de conſtanti voluntate Deo, nobiſque vim faciendi; Deo quidem per Orationem; nobis vero tandem aliquando abrenuntiandi inanibus ſæculi voluptatibus. *P. Segneri Meditat.*

SANCTITAS.

Perfectio, virtus &c. Obligatio creſcendi in ſanctitate, & ad perfectionem adnitendi &c.

MONITUM.

SERMO de Sanctitate, & Chriſtiana perfectione primo ſtatim intuitu nimis late vagari videbitur incipiam; quoniam omnium virtutum praxis, præceptorum, & conſiliorum evangelicorum obſervantia, patientia, ſenſuum affectuumque mortificationes, omniaque bona opera huc tendunt, ut nos ſanctos, & perfectos Chriſtianos efficiant; & quemadmodum hæc totidem ſunt veluti ad Sanctitatem acquirendam ſubſidia, exigeret, uti videtur, hoc argumentum de iis omnibus verba fieri; quoniam chriſtiana perfectio in harum rerum congregatione conſiſtit, cum unicus defectus, & unum, quod deſideretur, ſufficiat, ut opus ſit imperfectum.

Verum enim vero hoc non prohibet, quominus haberi voleat ſermo de ſanctitate generatim; cum enim Deus non alios ſanctitati, & perfectioni a nobis acquirendæ fines præſcribat, quam propriæ ſanctitatis terminos, & ad hunc finem creati ſimus, non adeo operoſum eſt in tam patenti argumento aliquos ſibi cancellos ſtatuere, verba faciendo vel de ſanctitatis adipiſcendæ neceſſitate, vel de deſiderio in perfectione progrediendi, & in ſanctitate in dies magis creſcendi. Præterquamquod cum perfectio, & ſanctitas plures habeant gradus, quemadmodum in cœlo diverſæ manſiones, & coronæ ſunt, a Chriſtiano quærendum eſt, ut adnitatur eam acquirere perfectionem, quam ille ſtatus requirit, ad quem ipſum Providentia vocavit, quin longam illam perſequamur enumerationem rerum earum, quas ſi fecerimus, eo pervenire poſſimus.

Notandum ſolum eſt, nos de hac re alibi jam fuiſſe in aliis argumentis locutos, quæ aliquem cum hoc nexum habent, cujuſmodi ſunt ſalutis cura, fervor in cultu Dei, in minimis rebus fidelitas, & alia, quæ, ſi res feret, conſulere poteris.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ concionum hujus argumenti ſtructuræ.

PRo concionis ad ſormandos mores aptiſſimæ, utiliſſimæque argumento deſumi poteſt veritas hæc evangelica; in ſanctitate, & virtute ſemper eſſe progrediendum, quin aliquos umquam nobis cancellos ſtatuamus ejus perfectionis, quam acquirere poſſumus; idque ob triplicem cauſam, quæ erit ſermonis partitio. Prima ex Dei mandato id jubentis, atque volentis deſumpta eſt: *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra* 1. ad Theſſal. 4. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt &c.* Matth. 5. Altera eſt exemplum filii Dei, qui noſter prototypus eſt: *Jeſus proficiebat ſapientia, & gratia apud Deum, & homines.* Luc. 2. Tertia demum deſumitur ex gratia, quæ nobis ad id præbet auxilium. Itaque Deus ſimul & mandatum præbet, & exemplum, & auxilium ſemper in perfectione creſcendi, & in dies majorem acquirendi ſanctitatem.

Pars Prima. Hæc Dei voluntas eſt, qui hoc nobis palam præcepit, & perfectionem noſtram ſua putat intereſſe. 1. Quatenus creator, & poſtremus finis noſter; gloria enim opificis eſt opus ſuum, & opus excellens mirifice commendat auctorem ſuum. Nos Dei opera ſumus, qui noluit nos creare perfectos, quemadmodum primum hominem creavit, ſed voluit, noſmet ipſos noſtræ perfectioni adlaborare, eique manum extremam admovere. Ita unus perfectus homo in aliqua ſocietate majorem Dei gloriam affert, atque dignius eum laudat, quam alii quamplurimi. Quid? Num reliqua Dei opera perfecta erunt qualibet in genere ſuo: Cœli, Sol, Terra, omniaque alia Dei opera elegantiſſima habebunt ejus perfectionis, cui paria ſunt, lineamenta: homo autem, quod potiſſimum, perfectiſſimumque illius eſſe debet opus, ſatis putabit ſibi mediocrem, deformatamque eſſe virtutem? Profecto, quemadmodum ille nos ad majorem ſui numinis gloriam creavit, quot perfectionis gradus nobis deſunt, tot ſunt furta, ac latrocinia, quibus illius gloriam ſurripimus. Ad hæc, cum Deus ſit noviſſimus finis noſter, nulla actio eſt, quæ pro ipſo fieri non debeat, nullum verbum, nulla cogitatio, ne unus quidem cordis noſtri motus, qui in ipſum non tendat; ideoque perfectio noſtra in hoc ſita eſt, quod toti ſimus illius, ad illum quam propius accedamus, eique nos ſimiles præbeamus. Ad id autem ſemper progrediendum eſt, ſine ulla intermiſſione procedendum, ſi in perfectione, & ſanctitate proficere cupimus; quia inter ipſum, & nos infinitum ſemper aderit intervallum. At hoccine præceptum eſt? Reſpondeo, religioſis quidem ex omnium Theologorum poſt Aquinatem ſententia, præceptum eſſe; cæterum exiſtimandum non eſſe, eos ſolos teneri, ut ad ſublimem perfectionis, & ſanctitatis gradum adnitantur; etenim ſi evangelica excipias præcepta, quibus noluit mortales univerſos ſubjicere, ſæculares quoque conari debent, ut ſtatus ſui perfectionem acquirant. Evangelia non ſunt duo; pro ſæcularibus alterum, alterum pro cœnobitis; neque duæ ſunt viæ, quibus ad cælum perveniatur; arctior, & difficilior altera, pro illis, qui ſeſe divino cultui devoverunt; altera vero latior, & facilior pro illis, qui vivunt in mundo. Omnibus generatim Salvator dixit Luc. 13. *Contendite intrare per anguſtam portam*, quemadmodum palam Apoſtolis ſuis declaravit: *Quod vobis dico, omnibus dico, &c.*

Pars altera. Dei filio ſatis non fuit nobis præbere præceptum omnia credendi, ac in dies ad ſubliniorem perfectionis, & ſanctitatis gradum perveniendi; præbuit etiam exemplum in ſe ipſo, proficiens, ut inquit evangelium, gratia, & ſapientia coram Deo, & hominibus. Nam licet ille Sanctus eſſet infinita ſanctitate ex primo conceptionis ſuæ momento, & ex eodem omnem jam haberet ſapientiæ plenitudinem, quam in vitæ ſuæ fine habebat, eam tamen evolvere, & explicare voluit, ac magis magiſque in dies quaſi creſcentem oſtendere, prout ipſe creſcebat ætate. Præterea in laboribus quo-

Digitized by Google

quoque, & ærumnis creſcere voluit, quin umquam ſubſiſteret. Annos triginta in tenebris, & arte laborioſiſſima tranſegit; mox urbes, vicoſque ad animas lucrandas, & peccatores convertendos peragravit. Denique crudelem, turpemque mortem perpeſſus eſt; ſemper crevit; ſemper profecit; ſemper zelum, & amorem ſuum magis, magiſque probavit. Hoc ille nobis dedit exemplum, nobiſque dicere licebit, ſatis eſt, ubi divini hujus prototypi perfectionem aſſecuti fuerimus. *Ibi curſus tui metam fige, o Chriſtiane, ubi Chriſtus fixit ſuam.* Cum pervenerimus ad hanc annihilationem, mortificationem, patientiam, ſanctitatem, tunc dicere poterimus, ſatis eſt; ſed ante illud tempus quieſcere velle, manifeſta illuſio eſt; eſt retrogredi. In tota Salvatoris vita ſi animum adverteris, nil diſtat a ſummo. Malorum perpeſſiones, humiliationes ad ſummum. Virtutes omnes in ſummo perfectionis gradu exercitæ fuerunt; & nos in mediocritate ſubſiſtere poterimus? Et exiſtimabimus ſatis a nobis factum fuiſſe, ut quieſcendi jus habeamus? Heu! *Ibi curſus tui metam fige, ubi Chriſtus fixit ſuam.* Si dicimus; opus eſſe gloriam opificis, & cauſæ effectum; diſcipulus non minus eſſe debet gloria inſtitutoris ſui, & nos eo perfectiores erimus, quo propius illum imitari conabimur. Tot illum imitati ſunt, nos vero eum ſequi pudebit? Cogitemus, in hoc ſitam eſſe noſtram ſanctitatem, ac perfectionem.

Pars tertia. Non ſolum mandavit Deus, ut ſancti, & perfecti eſſemus, neque ſolum hoc nos docuit eaemplo, ſed tertio auailium etiam præbuit, quo in dies creſceremus, & inceſſanter progrederemur in virtute; hoc autem auailium gratia eſt cum actualis, tum habitualis. Hæc enim ſemper uſque in infinitum creſcere poteſt, quippe quæ hæc proprie noſtram efficit ſanctitatem, quamobrem ſanctificans appellatur. Illam vero, actualem videlicet gratiam, Deus nobis in ſingula ſere eahibet momenta; hæc nos urget, ſollicitatque ad ampliſſima facta, quæ ſunt noſtræ ſanctitatis cauſa, & menſura. Recenſe omnia ſubſidia, quæ nobis divina ſuppeditat Providentia creſcendi, & in dies ad perfectionem progrediendi: quot ſeſe offerant quotidie occaſiones exercendi modo humilitatem, modo patientiam, modo mortificationem. Si huic reſponderimus gratiæ, quam meritorum congeriem intra menſem, annum, ad vitæ exitum congregabimus; cumque ad ſtadii finem pervenerimus, quænam abſoluta erit a nobis meritorum via ſemper progredientibus, nec ſubſiſtentibus uſpiam? &c.

Heu! quam beati eſſemus, ſi poſt aliquod temporis ſpatium oſtendere poſſemus fructum, quem retulimus, noſtrumque in ſanctitate progreſſum: quam brevi ad ſanctitatem perveniremus! Sed vere ne dicere poſſumus, jam pridem ſuperbus eram, iracundus; hodie vero humilior ſum, moderatior, patientior &c.

II. Sanctitas, quam nobis præcipit Deus, & ſine qua nulla ſalus ſperanda eſt, in hominum animis tres validos obices infringendos invenit, licentiam, ignorantiam, inertiam; vel ut clarius loquar, tria Chriſtianorum genera illam impugnant, vel male affecti ſunt erga eamdem.

1. Homines in omnem effuſi licentiam eam perſtringunt, eique abrogant fidem. 2. Ignari male intelligunt illam, & in uſu, quem faciunt, vel quem ſe facere credunt, fallaces ejuſdem ideas concipiunt. 3. Ignavi eam ad praxin redigi non poſſe putant, & ad eamdem ſe pervenire deſperant. Primi illi maligni, & critici eam in odium rapiunt; ſecundi rudes, & carnales ejuſdem pro libidina, ac ſenſu ſuo ideas ſibi efformant. Tertii infirmi, & languidi difficultatibus deterriti illi abrenunciant. *Ex ſermone P. Bourdalove de Sanctitate &c. Hæc partitio æque bene & devotionis argumento quadrat.*

III. 1. Poſſumus fieri Sancti, perfectique Chriſtiani in ſtatu, & conditione noſtra. Ad id neceſſarias habemus gratias; ſexcenta externa ſubſidia, quæ nos excitant, nobiſque opitulantur; occaſiones innumeras exercendarum virtutum, quæ nos perficiunt; & quod omnem nobis aufert prætextum, ea omnibus temporalibus negotiis, quæ ſunt ſtatui noſtro conformia, ne unum quidem prohibere nos poteſt, ne ſanctitatem, ſi velimus, acquiramus. 2. Adnitendum nobis eſt, ut in eo ſtatu, in quo nos Providentia conſtituit, ſanctitatem adipiſcamur, & perfecti efficiamur. Hoc inevitabile eſt Dei præceptum, quod ad omnes pertinet; & falluntur, qui ad religioſos tantum illud ſpectare arbitrantur. Hoc in baptiſmo polliciti ſumus; denique ad id unum in lucem ſumus editi &c.

1. Noſtrum erga Deum poſtulat officium, ut IV.
ad ſublimiorem perfectionis adnitamur gradum, qui noſtram deceat profeſſionem, & ut noſmet Sanctos efficiamus. Alia quælibet Dei ſerviendi ratio eodem indigna eſt. Deus, quem colimus, & Dominus, cui famulamur, infinite Sanctus eſt, & perfectus, neque nos evocavit, ut ipſi famularemur, niſi ut aliquo modo eum imitaremur. *Perfecti eſtote, quoniam ego perfectus ſum &c.* 2. Noſtra intereſt ad perfectionem adniti, & majorem pro viribus ſanctitatis gradum acquirere; quia non ſolum magni, beatique erimus in cœlo juxta ſanctitatis noſtræ menſuram; ſed etiam quod alia quælibet via perveniendi ad gradum virtutis ad ſalutem neceſſariæ inefficax eſt, niſi ſemper progredi conati fuerimus.

1. Chriſtiani hominis officia adimplere, ſtatuſ- V.
que, & profeſſionis noſtræ muneribus ſatisfacere non poſſumus, quin ad perfectionem adnitamur; quia alioquin ſemper infra ſubſiſtimus, nec pervenimus umquam ad gradum, qui omnino neceſſarius eſt. 2. Niſi ad id contenderimus, quod in ſtatu noſtro, & Chriſtiana religione perfectiſſimum eſt, nequeunt ſuperari difficultates, quæ in ſalute operanda occurrunt, & obices, qui adverſantur, ſeu ex nobis, corrupta natura, & concupiſcentiæ rebellione proficiſcantur, ſeu externæ ſint, moleſtæ, delicatæque occaſiones, quæ in vitæ hujus curſu nimis frequentes ſunt. *Ex Chriſtianis ſermonibus tom. 1. Dominic.*

Ut perveniamus ad perfectionem, quam petit VI.
Deus a Chriſtiano in eo ſtatu, & conditione, in quo illum Providentia conſtituit, 1. ardenter deſideranda eſt, alioquin nonniſi imbecilles conatus exeremus ad eam conſequendam; & docet experientia, quampluimum negligi, & derelinqui, quod multo obtinendum eſt labore, & quod non adeo vehementer optatur. 2. Ad id conſtanter, & ſine intermiſſione adlaborandum eſt; ſi enim in moleſto, & laborioſo hoc ſubſiſtimus ſtadio, retrocedimus, non procedimus; & naturæ noſtræ pondus nos retrahit a termino, quo tendendum eſt. 3. Veræ ineundæ ſunt viæ; non ſecus ac, ut ad eum, quo cupis, terminum pervenias, illa ingredienda via eſt, quæ illuc ducit. Hæc autem via eſt peaxis Chriſtianarum virtutum.

Adnitendum nobis eſt, ut noſmet ſanctificemus, VII.
& eam acquiramus perfectionem, quam religio, & ſtatus noſter poſtulant ob duplicem cauſam, quæ ſermonis erit partitio.

Prior eſt, Deum hoc velle: *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra;* & hanc nobis voluntatem ſignificavit, præcepto, quod tulit, exhortationibus, quibus nos excitavit gratiis, quas offert, & ſubſidiis, quæ illius nobis Providentia miniſtrat.

Altera eſt, nos in baptiſmo ſolemnibus hoc recepiſſe promiſſionibus, & quatenus Chriſtianos hoc ipſum palam profiteri. *Ex P. Texier, tomo 1. Dominic.*

1. Deus nobis præceptum tradidit, ut ſanctita- VIII.
tem, & perfectionem aſſequeremur. 2. Se ipſum nobis propoſuit in prototypum, deditque filium ſuum, cujus imitaremur exemplum. 3. Pro ſanctitate ſolum coronas habet, & præmia. *Ex eodem.*

1. Ut perfectionem chriſtianam, & ſanctitatem, IX.
quam a nobis exigit Deus, & quam ipſi etiam nos ſecuturos ſpopondimus, fortitudine, & conſtantia opus eſt ad ſuperandas difficultates, & obices, qui occurrunt. 2. Vigilantia, & fidelitate opus eſt erga gratias, quas nobis ad id largitur Deus; alioquin enim nobis elabi ſineremus pulcherrimas proficiendi

Digitized by Google

occaſiones. 3. Iis uti opus eſt ſubſidiis, quæ Dei filius nos docuit, illa in praxin redigere, & eligere etiam, quæ ſunt efficaciſſima, ac ſtatui noſtro maxime convenientia.

X. Chriſtianus homo eſt, qui per profeſſionem, ſtatumque ſuum a mundo ſeparatus eſt; hæc prima eſt qualitas ejus, & primum illud, quod neceſſarium eſt, ut ſancti, perfectique ſimus: abhorrere a mundi placitis, a criminibus, quæ ibi patrantur, & ibi pereundi periculis. 2. Homo eſt, qui propter infinitos titulos, qui ab illius conditione ſeparari non poſſunt, Deo conſecratus eſt, ideoque illum amare debet, colere, illi inſervire, & gloriam illius procurare; quod eum ſanctum & perfectum Chriſtianum conſtituit, ſi diverſis his perſunctus fuerit officiis, uti recepit. *In primis ſermonibus P. Bourdalove.*

XI. Poſſe nos, immo debere adniti, ut ſancti, & perfecti ſimus in omnibus conditionibus, ſtatibuſque, quos Providentia conſtituit, & leges probant. 1. Quia homines quocumque in ſtatu ſint, & quamcumque conditionem amplectantur, creati ſunt propter Cœlum, & ut ſint æternum beati; quod conſequi non niſi per ſanctitatem poſſunt, quæ poſita eſt in peccati immunitate, & chriſtianarum virtutum exercitatione. 2. Quia omnes homines eaſdem habent leges, eadem præcepta, idem evangelium, & ſi media diverſa ſunt pro ſtatuum varietate, ſemper tamen communi, & generali huic fini ſunt accommodata. 3. Vita filii Dei, cui noſtra conformis eſſe debet, ut ſimus ex numero prædeſtinatorum, eſſe debet pro norma, & exemplari mortalibus omnibus, & ille ſanctus eſt, qui eſt eidem conformis.

XII. 1. Quanti Deo ſteterit facere Sanctum, cum unico tantum illi ſteterit verbo creare mundum ea in perfectione, quam intuemur; labores, ærumnæ, miracula, paſſiones, & mors Hominis Dei. 2. Sperandum non eſt, nos ſine laboribus ſanctitatem, & perfectionem adepturos.

XIII. Ambigi nequit, quominus perfectio, & ſanctitas ſit ſcientia, eaque omnium ſcientiarum præſtantiſſima, & maxime neceſſaria. Ita Scriptura modo eam vocat ſcientiam ſanctorum: *Dedit illi ſcientiam ſanctorum*; Sap. 10. modo ſcientiam ſalutis. *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus.* Luc. 1. Ad hanc autem divinam ſcientiam addiſcendam nihil nobis deſiderandum eſt vel 1. ex parte magiſtri, qui illam nos docet verbo, & exemplo; qui homo factus eſt, ut ſe mentis noſtræ imbecillitati ſubmitteret; qui nobis intelligendi vim præbet, quod non ullus facere poteſt magiſter, & qui egregiam, & admirabilem habet methodum, ut in ea brevi nos perfectos efficiat; 2. vel ex parte diſcipulorum. Nemo eſt, cui ſatis non ſit ingenii, ut eamdem perdiſcat; quoniam ii etiam, qui maxime ſimplices, ac rudes ſunt, in eadem excellere poſſunt; ſtudium, & attentio, quæ in illa adhibetur, nequaquam prohibet, ne ad alia negotia incumbamus; quidquid eſt in mundo, ibique accidit, conferre poteſt, ut in ſcientia hac proficiamus; & demum quotidie fieri poſſumus in ea perfectiores &c.

XIV. Cum Scriptura de perfectione, & ſanctitate loquatur ſub nomine, ac ſymbolo viæ, atque itineris, ubi omnes homines, quatenus viatores ambulare tenentur, ac ſemper ſine intermiſſione progredi, conſiderare poſſumus.

1. Viæ hujus qualitates. Recta eſt, ac tuto nos ad terminum, ad quem anhelamus, adducit; arcta eſt, neque contendere debemus, ut latior fiat, quin aberremus, & in præceps ruamus; unica eſt, omnibuſque hominibus communis; unde ſequitur, cum non ſuperſit altera, neceſſario hanc eſſe arripiendam, ſi eo, quo contendimus, volumus pervenire. Demum quamquam arcta, difficiliſque hæc via ſit, infinite complanata eſt, tum propter opem, quam nobis fert Deus, tum propter exemplum & Dei, qui primus per illam inceſſit, & aliorum, qui innumeri eamdem ſecuti ſunt. 2. Quomodo in via hac ſit ambulandum: videlicet aſſidue, quin immoremur, & fatigemur; etenim non progredi eſt regredi, & retrocedere: celeriter currendum eſt, ut loquitur Propheta: Pſal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Ambulandum eſt uſque ad vitæ finem; ſtadium eſt, ubi ſemper procedere poſſumus; & quod nullum finem habet, niſi cum morte.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, auctoreſque, unde depromi copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

S. Auguſtinus *lib. 50. Homil. Homil. 34.* docet, perfectionem chriſtianam non in hoc eſſe poſitam, ut omnia bona tua pauperibus eroges, & omnia relinquas; hoc enim non aliud eſt, quam medium ad eam aſſequendam; ſed in hoc, ut JESUM CHRISTUM ſequaris: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me.* Sancti Patres.

S. Hieronymus *in c. 38. Jobi* recenſet varios Sanctorum ordines, qui ornant eccleſiam, & varios modos, quibus ſanctificamur.

Idem in Matth. ad cap. 19. oſtendit ad hoc, ut perfecti ſimus, non ſatis eſſe omnia fortunæ bona relinquere, quod Philoſophi nonnulli fecerunt; ſed relinquenda eſſe, ut ſine obice, & ſine ulla diviſione curarum JESUM CHRISTUM ſequamur.

S. Baſilius *in Pſal.* 1. ſanctitatem comparat ſcalæ Jacob, ubi ſemper aſcendendum eſt, ut ad perfectionis faſtigium perveniatur.

S. Chryſoſtomus *lib. de Virginit. c. 84.* docet Chriſtianos ſanctiores, & perfectiores eſſe debere, quam antiquæ legis ſunctos, quia uberiorem habent gratiæ affluentiam.

Origenes, *Homil. 11. in cap. 20. Levit.* oſtendit, quod Sanctum eſſe, eſt eſſe devotum cultui Dei, & a communi uſu ſeparatum, quod iis rebus omnibus commune eſt, quæ ſanctæ dicuntur.

S. Dionyſius *de Eccleſ. Hierarch.*, & S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 124. *art.* 5. oſtendunt, ſtatum religioſum eſſe ſtatum, ubi ad altiſſimum perfectionis gradum quilibet conari debet.

Caſſianus *Coll. 6. Abbat. Theod. cap. 14.* docet ſemper in virtute creſcendum, & in perfectionis via progrediendum.

Idem *Collat. 10. c. ultimo* docet, neminem quantumvis rudem, & ignarum a ſanctitate, & perfectione, ad quam omnes contendere debent, prohiberi.

S. Gregorius Nyſſenus hanc ſanctitatis, & perfectionis acquirendæ regulam tradit, legere ſanctorum exempla, quæ ſcripta fuerunt, ut ad ſanctitatem per illa excitaremur.

S. Bernardus *Serm. de diligendo Deo* oſtendit, quo arctius conjungimur Deo, eo ſanctiores, atque perfectiores fieri.

Idem *Epiſt. 341. ad Monach.* oſtendit, quemadmodum in mundo ambitioſi numquam contenti ſunt dignitatibus, quas habent, ſed ad ultiora ſemper adnituntur; ita nobis numquam ſubſiſtendum eſſe, ſed ſemper progrediendum.

Idem *Serm. 3. de Aſſumpt.* loquitur de diverſis Sanctorum generibus, variiſque ſeſe ſanctificandi rationibus.

Idem *Serm. 1. de Adventu* oſtendit, ut ſanctus fias, non longa tibi ſuſcipienda eſſe itinera, laboreſque &c.

S. Leo *Serm. 11. Quadrag.* docet ad ſanctitatem, & perfectionem acquirendam initium ducendum eſſe a præceptorum obſervantia, & jam longe proceſſiſſe, qui ea fideliter adimplet.

Origenes *Tract. 8. in Matth.* oſtendit, præceptorum Decalogi obſervantiam neceſſariam eſſe, ut ſancti, perfectique ſimus, ſed non ſufficere.

Richardus *De Gradibus Charitatis cap. 3.* docet, charitatem, quæ noſtra perfectio eſt, ſemper creſcere debere.

Jacobus Alvares prolixum edidit tractatum de perfectione chriſtiana, ubi oſtendit in quo conſiſtat, & in quo ſecus; & eam poſſibilem eſſe demonſtrat. Aſcetici aliique.

Alphon-

Alphonſus Rodriguez, cujus opera omnia inſcribuntur; *Praxis perfectionis, & virtutum chriſtianarum, & religioſarum*, in ipſo primi tomi exordio, libro primo agit de perfectionis deſiderio, de neceſſitate ad illam tendendi, ac mediis ad eam perveniendi.

P. Ludovicus a Ponte quatuor edidit hujus argumenti tomos, quibus collegit quidquid dici poteſt.

Lancicius *Opuſc. 9. c. 10. & opuſc. 16.*

P. SaintJure lib. 2. de cognitione, & amore Domini noſtri oſtendit, Chriſtianam perfectionem in unione cum Deo conſiſtere.

Hieronymus Platus *lib. 1. de bono ſtatus religioſi c. 12.* docet non religioſis ſolum, ſed omnibus Chriſtianis ad perfectionem eſſe contendendum.

P. Gaudier magnum edidit volumen, *de natura, & cauſis perfectionis.*

Cardinalis de Richelieu libro de Chriſtiani perfectione c. 6. docet, in quo conſiſtat, & media efficacia ad eam conſequendam.

P. Nepveu in libro, cui titulus: *Spiritus Chriſtianiſmi* cap. 3. docet nos eſſe non poſſe veros, perfectoſque Chriſtianos, *niſi* conati fuerimus imitari JESUM CHRISTUM, qui noſtrum eſt exemplar.

Liber, qui inſcribitur Animadverſiones in quædam religionis, Ethicæque argumenta, plures habet locos, ubi agit de ſanctitate.

In primo tomo operis noſtri, titulo, de baptiſmo, & nomine Chriſtiani, plura invenientur de obligatione, qua ad ſanctitatem contendere tenemur, quæ iſtic non cenſuimus eſſe repetenda.

P. Croiſſet tomo 1. conſiderationum chriſtianarum in quodam articulo probat, nullam ſolidam eſſe niſi in virtutis exercitatione voluptatem.

Concionatores ſuperi. Idem loquitur de exemplo Sanctorum.

Matthias Faber *in fer. 3. Pentecoſtes Conc. 2.*

Idem *Conc. 5. in Domin. 4. poſt Pentec.* ubi probat, hominem mundo implicitum acquirere poſſe ſanctitatem.

P. Bourdaloue in Adventu ſecundo ſermonem habet de ſanctitate.

P. Girouſt, ſermone pro feria 3. poſt primam Quadrageſimæ Dominicam.

P. Texier in Dominicali ſermone pro tertia poſt Epiphaniam Dominica.

Idem in Quadrageſima ſermone pro feria ſexta hebdomadæ primæ, ubi agit de obligationibus, quas per baptiſmum contraximus.

Lambert in homilia de Trinitate.

Saraz in tomo 2. Adventus ſermone 31. de JESU CHRISTO operum ſuorum conſummatore.

Dictionarium morale, ſermone primo de officiis Chriſtiani, & ſpiritu Chriſtianiſmi.

Specimen ſermonum pro prima poſt Epiphaniam Dominica argumento 2.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta particularium ſermone 3. ubi agit de perfectione chriſtiana, oſtendit ſemper in virtute, & ſanctitate creſcendum.

Granatenſis in locis communibus *Titulo* Perfecti, & *Titulo* Sancti.

Qui collectiones ediderunt. Buſæus in Viridario, *Titulo* chriſtiana Perfectio.

Lohner. *Titulo*. Perfectio chriſtiana.

Labatha. *Titulo*. Perfectio.

Berchorius. *Titulo*. Sanctus, & ſanctitas.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

A*mbula coram me, & eſto perfectus.* Geneſ. 17.

Perfectus eris, & abſque macula coram Domino Deo tuo. Deuteron. 18.

Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter. Levitic. 19.

Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos a cæteris populis, ut eſſetis mei. Levit. 20.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Pſalm. 67.

Ibunt de virtute in virtutem. Pſalm. 83.

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Pſalm. 83.

Juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectam diem. Proverb. 4.

Semita juſtorum declinat mala, cuſtos animæ ſuæ ſervat viam ſuam. Proverb. 16.

Facile videtur (nempe ſapientia & ſanctitas) *ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam.* Sapient. 6.

Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet. Ibidem.

Si quæſieris eam (ſapientiam) *quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies.* Proverb. 2.

Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol; nam ſtultus ſicut luna mutatur. Eccli. 27.

Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Eccli. 4.

Timete Dominum, & ſervite ei corde perfecto. Joſue 24.

Eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Matth. 5.

Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam. Ibid.

Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Luc. 2.

Sine modo: ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam. Matth. 3.

Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Joann. 6.

Æmulamini chariſmata meliora; & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. 1. ad Corinth. 12.

Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata. Ad Epheſ. 5.

Currebatis bene, quis vos impedivit? Ad Galat. 5.

Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. 1. ad Theſſalon. 4.

Hoc oro ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia. Ad Philipp. 1.

Ego me non arbitror comprehendiſſe; unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei. Ad Philipp. 3.

Non quod jam acceperim, aut jam perfectus ſim; ſequor autem, ſi quomodo comprehendam. Ibidem.

Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate. Ad Philipp. 4.

Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu. Ad Coloſſ. 1.

Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. 2. ad Timoth. 3.

Quis eſt qui vobis noceat, ſi boni (id eſt virtutis) *æmulatores fueritis?* 1. Pet. 3.

Qui ſervat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta eſt. 1. Joann. 2.

Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc. Apocal. 22.

Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Apocal. 21.

Vocavit nos (Deus) *vocatione ſua ſancta, ut eſſemus ſancti.* 2. ad Timoth. 1.

Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum. 1. Petri 1.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſampta.

Exemplum innocentiæ Abel.

INtee vereris teſtamenti ſanctos Abel præſereadus aſt, utpote qui primus umnium eſt, & ab eodem JESU CHRISTO juſtus vocatus. Eum elegit Deus, ut eſſat primus in exiguo Sanctorum uumero, per quem oſteadere voluit iis omnibus, qui ſæculorum decurſu araut naſcituri, inobedieatiam Adæ aequaquam probibituram, quominus ipſa propitios oculos ia homines corde coavetterat. Effudit igitur Deus in Abel hanc juſtitiam, quam meripſe laudavit, & quæ ex tunc illum ia oculis Dei acceptum effecit. Sanctus hic adoleſcens cum dolore vidit funeſtum illum ſtatum, in quem paraates ſui ceciderant culpa ſua, & eorum infidelitas ipſum impulit, ut arctius adhæreret Deo fideli charitate, quam uulla res potuit umquam labefactara. Quidquid de ipſo narratur, hoc aſt, ipſum Deo ſacrificia obtuliſſe, eique eum præſtitiſſe cultum, qui uni illi debetur, & qui alteri cuipiam daſerri non poteſt. Sed animadvertunt Sancti Patres, illum in ſa congregaſſe merita, & coronas virginitatis, ſacerdotii, & martyrii, atque ax tunc incœpiſſe oſtendere juſtis, qui ipſum erant ſecuturi, illis ſemper fratrum ſuorum perſecutionem eſſe perſerendam.

Exemplum Henoch.

Ex omnibus juſtis, qui præceſſerunt diluvium, hemo in Scripturis celebrior eſt Henoch: quem S. Auguſtinus ait poſt Abel *inſigniſſimum* fuiſſa eorum, qui ante Noe vixeruut. Sed tota virtus illius nobis unica voce indigitatur, cum teſtatur Scriptura, ipſum coram Deo ambulaſſe: *Ambulavit coram Deo.* Hæc una locutio nobis oſteadit, quaaam in re Sanctum hunc virum imitari debetemus ad Sanctitatem perfecte acquireadam; quoniam ambulsre curam Deo ptoprie eſt in tetris vivere, quemadmodum ibi vixit J. C., ſingulis momentis divinam conſulere voluntatem, ſicuti JESUS CHRISTUS patris ſui voluntatem conſuluit, ut noſmet illi in minimis etiam actionibus coaformemus. Mirum igitur eſſe non debet, ſi ad celebrandam ſancti hujus viri virtutem, hoc illi perhibet reſtimonium Scriptura Eccli. 44. quod videlicet placuerit Deo: *Placuit Deo.* Hinc diſcendum eſt, nos neque Sanctos eſſe, ueque Deo placere poſſe, niſi quatenus adniſi fuerimus omnia ad imitationam Henoch ita facere, ut illi placeant. Deus in hujus gratiam rem præſtitit ſiagularem uni tautum poſt ipſum conceſſam, Eliæ ſcilicet; illum enim repente ax hominibus tranſtulit, ne mundo, qui jam corrumpi incipiebat, corrumperetur.

Sanctitas Patriarchæ Noe.

Deus, qui ſemper bonus aſt, quamadmodum ſemper eſt juſtus, nuluit in generali mundi totius excidio hominem perdere, qui ſemper ia innocentia, & ſanctæ vitæ integritate permanſerat inter mortalium corruptionem. Noe, inquit Scriptura, invenit gratiam in oculis ejus, Quemadmodum particeps aun fuit crimiaum, quibus ævo ſuo homines paſſim fœdati erant, ita noluit Deus eum malorum eſſe participem; & quemadmodum pietas illius ſatis habuit virium, ut pruhiberet, ae prava ſequeretur exempla, quæ ubique intuebatur, Deus quoque ſatis habuit potentiæ, ut prohiberet, ne cum illis interiret, quos imitari aoluatat. Factus aſt ergo, ut Scripturæ inquit, Mundi reconciliator: Deum quippe maxime ad iram conciratum coegit, ut adhuc ſuarum recordaretur miſericordiarum. Deniqua voluit Deus, unum Noe cum familia ſua, quam tanto eripiabat naufragio, viſibilem eſſe figuram unici Salvatoris hominum; quod deinde felicius in animabus perfecit, quod tunc ia mundu palam fecit Noe, ipſe unus ſalvans terram a peccatorum diluvio, quæ tantus iaiquorum homiaum numerus committit. Cæterum Sanctus hic Patriarcha poſt diluvium nequaquam degeneravit a ſanctitare, quæ illum commeodaverat, antequam Deus univerſali cataclyſmo terram uaiverſam obrueret. Hoc in juſtitia ipſius maaime auituit, & ſanctitatem ajus maxime admitabilem effecit; quod ſolus erat in mundo juſtus, & non ſacutus eſt pietatis exempla, quæ illi ab aliis tradi potuiſſent, ſed ſa ipſum aliis imitaadum exemplar propoſuiſſet.

Sanctitas Patriarchæ Abraham.

Ia Scripturis poſt Noe neminem videmus, cujus ſanctitas præ aliis celebretur; quod ramen, ut S. Auguſtinus de Catechia. rudibus c. 19. animadvertit, noa inde factum eſt, quod illis ignurantiæ, tanebratumque tamporibus non reſervaret ſemper Deus fideles animas, quæ ipſi adhærerent, & quæ in cordis ſimplicitate illum conquirerant. Ex harum occultarum perſunarum numero, S. Auguſtinus ait, eduxit Deus Abraham, ut illum conſtitueret Patrem rotius populi ſui, qui ſolus in uaiverſo mundo profiteretur ſe colere verum Deum, & Deus oſtendere cœpit in terris ea conſilia, quæ eminus ſuper homines meditabarur, elegitque Abraham, ax quo ipſa aliquando proditurus erat homo factus, per quem omnla nobis erat conceſſurus. Difficile eſt ad unguem deſeribere magni hujus Pateiarchæ ſanctitatem; ateaim, ut S. Ambroſius inquit, omnes ſuperavit ideas, quas autiquitatis ſapientes de ſummis hominibus conceperuar; & ipſa teſtatur Scriptura illi neminem patem inveatum fuiſſe: *Non eſt inveatas ſimilis illi.* Quo magis oblectatus eſt ſeſe ſub Dei manu ſubmittens, eo magia oblectatus eſt Deus illum attollens. Viait tamquam alienigena ſuper terram, quia civis erat Cœli; & quo magis a rerræ boa is aaimum amovebat, eo magis illum Deus opibus cumulavit. Dum viveret, omnia expertus eſt tentationum genera, per umnes tribulationes, & aſſlictioaes traductus; ſed ubique Deo fidelis eatitit, & Spiritus ſanctus hoc illi perhibet teſtimonium, quod numquam a divina lege receſſerit: *Conſervavit legem Excelſi, & in tontatione inventus eſt fidelis.* Sin autem ſcire cupis, qua via ad tantam pervenerit perfectionem, per illam ſana, quam Deus illi indigitavit, ut videlicet ſamper coram ipſo ambularet, *Ambula coram me, & eſto perfectas.* Gen. 17.

Exemplum S. Patriarchæ Joſeph.

In Patriarcha Joſeph admiramur Sanctum, quem attullere, ac magaum, & potaatem in mundo facere oblectatus eſt Deus; numquam fortaſſe Divina Providantia magis palam euituit, quam in magno hoc viro; quis enim non mirabitur videns hominem, quam tetra calumnia in obſcorum carcerem conjecit, fere oſque ad ſolium evehi, atqua in eminenti hoc gradu eam præſeferre ſapientiam, quæ nihil habet de cœcitate, vel de ſuperbia vanæ homiaum ſapientiæ, ſed quæ ſemper ſubjecta Deo, quem tamquam principium ſuum colit, videt omnia deinceps ſubjici ſibi. Quin verba faciam de ſaacti hujus Patriarchæ virtutibus, de vitæ innocentia, de crudeli perſecutione, quam in illum fratres ſui excitarunt, de venis, & generoſa obliviona injuriæ, qua fuerat affectus, de prudeatia, & charitate; dicere mihi ſufficit, ſi eæ conſiderentur vitæ ipſius circumſtantiæ, quæ aliquam habent cum vita Salvatoris mundi ſimilitodiaem, exploratum, compertumque fore, ipſum hujus præſtaoriſſimam fuiſſe figuram, ajuſque ſanctitatem parem fuiſſe eximio conceptui, quem de illo habuerat Omnipotens.

Alia plura ſanctitatis exempla, quæ longum eſſet referre.

Non fert animus, longam iſtic texere eorum nomenclaturam, quorum ſanctitas ia lege veteri enituit; ad id enim ingentia volumina requirerentur. Itaqua aihil dicimus de pietate Iſaac, de laboribus Jacob, de patieatia Job, de Moyſe, Joſue, autiquis Prophetis, & aliquibus ax regibus Juda, quos ipſa celebrat Biblia. Voluit Deus, & in lege naturæ, & in lege ſcripta Sanctos inveniri, ot oſtenderet, multo faciliorem eſſa ſanctitarem in lega gratiæ, ubi plura nobis adſunt ſubſidia, ac plura acquirendæ ſanctitatis adminicola.

Miaus adhuc in animo aſt, omnia afferre ſanctitatis exempla, de quibus in novo teſtamento ſermo eſt, ſed ea ſolum attingere, ex quibus aliquod parcipi valeat documentum, ut in ſalutis via progrediamur, & creſcamus in perfectione.

Salvator videbatur creſcere ſapientia, & gratia prout &c.

Primum quod nobis occurrat, eſt Salvatoris axemplum, qui antequam præceptum irrogaret imirandi perfectionem patris noſtri, qui in Cælis eſt, voluit

ſaſa

ſruoi æta
te.

ſeſe nobis viſibilem in terris præbere, & cum hominibus converſari, ut illis vivens eſſet exemplum, in quod oculos conjicere poſſent. Sed quamvis in perſona illius videatur ſanctitas ſeſe viſibilem præbuiſſe, ipſumque omnes urbes, ac populos peragrare debuiſſe, ut omnes illum viderí, imitarique poſſent; latuit tamen, atque triginta annos in caligine vitam traduxit; & ex puerili ætate hoc unum nobis teſtatum reliquit evangelium, eum videlicet prout ætate procedebat, ita & ſapientia, & gratia coram Deo, & hominibus proceſſiſſe: hoc eſt, licet omnes ſapientiæ theſauros poſſideret, & ſanctus eſſet ſanctitate increata, & infinita, ipſum tamen apertiora ejuſdem indicia præbuiſſe prout ætas creſcebat; & uti loquitur Propheta, gigantis inſtar in perfectionis via cucurriſſe. Ita S. Joannes ait, illi, qui manere vult cum JESU CHRISTO, ambulandum eſſe in eadem via, & gradu eodem, quo ille ambulavit. *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* 1. Joan. 2.

S. Joannes Baptiſta ſemper in ſanctitate, & perfectione crevit.

Hoc ipſum præter propter dicere poſſumus de magno S. Joanne Baptiſta, qui licet in matris utero ſanctificatus fuiſſet, crevit, & ita in perfectione, & ſanctitate proceſſit, ut pro Meſſia potuiſſet haberi, niſi humilitas, quæ potiſſima illius erat virtus, non ſecus ac præ cæteris Salvatori erat curæ, obſtitiſſet. Itaque ut fungeretur officio Præcurſoris illius, qui venerat, ut mundum ſanctificaret, evehendus erat ad eminentem perfectionis gradum, ut illius opinionis, atque exiſtimationis, quam per illum adipiſceretur, auxilio tutiſſimum, certiſſimumque perhibere poſſet teſtimonium illi, quem jam pridem præſtolabantur, & quem ob oculos habebant, quin poſſent cognoſcere. Illius baptiſmus non conferebat quidem gratiam, qua ſancti efficimur, ſed ad illam diſponebat, & ipſa etiam Joannes præparabat diſcipulos divino huic inſtitutori, a quo perfecti, & ſancti efficerentur. Denique ut annunciaret, & cognoſcendum traderet illum, qui erat ſanctitas eadem, ſimilis illi eſſe debebat. Quamobrem Salvator viciſſim hoc perhibuit teſtimonium, quod inter filios hominum nemo hoc major extitiſſet, nemo videlicet Joanne Baptiſta ſanctior, atque perfectior.

Mirabilis B. Virginis in gratia, & ſanctitate progreſſus.

Non deeſſet dicendi copia illi, qui integrum edere vellet ſermonem de jugi progreſſu in gratia, & ſanctitate, qua glorioſa Dei mater ab ipſo nativitatis exordio ad extremum uſque vitæ ſpatium crevit, quin aliqua in curſu mora, intermiſſio, vel intervallum contingeret; unde Sancti Doctores nobis judicandum relinquunt, quantus ejuſdem fuerit ſub exitum vitæ profectus; quia duæ horæ vitæ illius numquam fuere conformes, cum ſubſequens illam ſemper ſanctiorem, perfectiorem, Deoque chariorem efficeret, præcedente, quamobrem Eccleſia hæc illi applicat verba: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, &c.*

Verbum, & exemplum S. Pauli de progreſſu in perfectione faciendo.

Sancti Pauli exemplum, & adhortatio, quam habet ad Philippenſes, novum eſt, ac manifeſtum argumentum, Chriſtiano ſubſiſtendum non eſſe in via perfectionis, & ſanctitatis. Ecce quomodo ſe ipſum præbeat in exemplum. Non credo, inquit ille, ad metam, terminumque mihi indigitatum perveniſſe; ſed ut illuc perveniam, hac utor induſtria, quæ me ſolicitum tenet; quo magis progredior, mihimet ipſi perſuadeo eſſe me ſimilem Athletæ in ſtadio magni cujuſdam pretii coronam referre conanti. Etenim quemadmodum curſores iſti indeſinenter metam, quo ſunt perventuri, ſe ſpiciunt, quin caput convertant reſpecturi viam, quam abſolverunt, & omnem conatum exerunt, ut illuc aſſequantur; ita obliviſcor eorum omnium, quæ antea a me facta fuerunt, nullamque eorum habendam rationem eſſe cenſeo, ne ſeu bene, ſeu male geſſerim, mihi vel ambitio, vel deſperatio ſuboriatur. In futurum igitur totus ſum cogitans ſemper viam, quæ mihi reſtat abſolvenda, ut Jeſu Chriſti de me adimpleam conſilia, qui me ad fidem vocavit; & ut coronam, quam mihi præparavit, promerear.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Deus nos ad ſanctitatem vocans vires tribuet, quibus ad eam perveniamus.

ESTOTE *vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Matth. 5. Et, *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* S. Petri 1. Temeritas non eſt velle ad ſanctitatem Dei accedere, licet non aliud ſimus, quam infirmitas, ignorantia, miſeria, & prava tantummodo ſtudia habeamus. Iterum dico, temeritas non eſt; eadem quippe Dei vox, quæ nos ad illius fidem vocavit, vocat etiam ad ſanctitatem. Temeritas potius eſt voci illius audientes non eſſe, hanc prætexendo cauſam, quod miſeri ſumus, & quod inter ipſius, noſtramque naturam infinitum intercedit intervallum. Eamus, pareamus, quin ullam infirmitatis noſtræ rationem habeamus, & quin ſpectemus terminum, in quo ſumus, anhelemus ad illum, ad quem ille de ſolii ſui altitudine vocat tot fere vocibus, quot ſunt verba in Scripturis. *Vocavit nos vocatione ſua ſancta, ut eſſemus ſancti.* 2. ad Timot. 1. Ita cum ſimus certi, vocem, qua acceſſimus, & qua univerſum ex nihilo potuit educi, ſatis eſſe potentem, ut nos deducat, quo vocat, quis non ſentiet ſe ipſum ſuper mortalia ſublatum, quis non illa contemnet? Quis non ſentiet ſe novo animarum ſpiritu, ut omnes ſuperet difficultates, cum certo ſciat, Omnipotentem, a quo unico verbo eductus e nihilo fuit, vocare ipſum alio verbo æque potenti, & amabili ad ſtatum adeo ſublimem, qualis eſt naturæ, & ſanctitatis ejus fieri participem? *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* S. Petri 1. Quid ergo prohibebit, ne ſancti ſimus, quandoquidem Deus omnipotens nos deducere, immo attollere vult ad ſublimiorem gradum ſanctitatis? Ne adverſemur magnis, quæ de nobis bonitas ejus concepit, conſiliis; ne naturalem infirmitatem noſtram cauſemur; Deus, qui melius, quam nos illam cognoſcit, non ceſſat nos ad ſanctitatem vocare, quoniam illius omnipotentia infirmitati noſtræ vires adjiciet. Ne prætexamus ignorantiam, Deus, qui intuetur illam, ſapientiæ ſuæ luminibus tenebras noſtras diſcutiet. Denique ne deſpondeamus animum, eo quod in nobiſmet ipſis ſentiamus oppoſitiones iis, quæ a nobis petit Deus, quas inſuperabiles eſſe opinamur; Deus, qui novit illas, & qui in natura, ingenio, ſtudiiſque noſtris videt affectiones ſublimibus conſiliis ſuis oppoſitas, eas corrigere noverit divitibus infinitæ gratiæ ſuæ profuſionibus. Reſpiciamus dumtaxat exemplar, quod nobis propoſitum eſt, divinæ ſanctitatis. *Inſpice, & fac ſecundum exemplum, quod tibi propoſitum eſt.* Exod. 25.

Cum Deus per baptiſmum nos a Paganis diſtinxerit debemus per ſanctitatem a malis peccatoribus ſeparari.

Eritis mihi Sancti, quia ſanctus ſum, ego Dominus, & ſeparavi vos a cæteris populis, ut eſſetis ſancti mei. Levit. 20. Deus Judæis præcipiens circumciſionem, ait illis, hanc notam eſſe, per quam illos ab aliis nationibus diſtinguere volebat, eoſque ſuo cultui addicere. Quænam obligationes, ut ſanctitatem quæramus, & vitam culpa vacuam ducamus! Dei ſumus; & Dei eſſe non poſſumus, niſi ſancti ſimus. Deus noſtrum eſt exemplar, & exemplar ſanctitatis, cui noſmet conformare debemus. Sed obligationes iſtæ longe majores adhuc ſunt in nova lege, ubi recipimus, non jam ut Judæi exteriorem notam ad aliquod dumtaxat tempus duraturam, ſed notam interiorem, æternamque, & characterem, quem indeſinenter, & pro felicitate, & pro æterna infelicitate geremus. Sed illud obſervandum eſt, quemadmodum hoc charactere, & hac nota diſtinxit nos Deus, & ab infidelibus, idolorumque cultoribus nos ſeparavit, & electione prorſus ſingulari nos fecit ex omnibus nationibus populum acceptum ſibi, ita nos & moribus, & tota vitæ ratione noſmet ſeparare debere a peccatoribus, & iis, qui nomine tenus Chriſtiani ſunt, idque per morum ſanctitatem, & vitam vere Chriſtianam, quæ in ſpiritu, & veritate Deo ſerviat.

Pertranſiit benefaciendo. Act. 10. Scriptura volens

Digitized by Google

Magnis paſſibus, ad perfectionem eſſe contendendum.

lens in vitæ JESU CHRISTI idea præbere nobis chriſtianæ vitæ ideam ait, ipſum pertranſiiſſe omnibus benefaciendo, atque relinquendo in tranſitu ſuo, non ſecus ac Sol, jugem benedictionum influxum: *Pertranſiit benefaciendo*. Sed notandum, quod S. Bernardus addit: *Non pigro, non remiſſo, non lento gradu*; ſed magnis paſſibus, & gigantis inceſſu, ut loquitur regius Propheta, ad ſtadii exitum properando, iis actionibus, quæ & infinitæ eſſent numero, & infinitam haberent meritum. Magnum documentum, quod nobis perſuadet, non ſatis eſſe ire ad Deum recto, aſſiduoque motu, videlicet virtutum, bonorumque operum praxi; ſed motu celeri, itaut indeſinenter progrediamur, & in dies ſanctiores efficiamur. Non ſatis eſt facere bonum, ſed adnitendum, ut maximum bonum faciamus.

Perfectio, & ſanctitas optanda eſt, ſi illam acquirere cupimus.

Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Apocal. 21. Deus majori flagrat deſiderio ſeſe nobis communicandi, nobiſque gratias largiendi, quam nos eas recipiendi; expectat ſolum, has a nobis optari, eaſque nos eſurire, & ſitire, ut inquit Scriptura. Ita inquit ille apud Joannem cap. 7. *Si quis ſitit, veniat ad me*. Vult nos ardenti virtutis, & perfectionis flagrare cupiditate, *ut ubi* conceſſerit, quidquid optaverimus, id æſtimemus, & tamquam pretioſum aliquid ſervemus; vulgo enim, quod parum concupitum fuit, ubi obtentum fuerit, flocci æſtimatur. Quamobrem non poſtrema inter cauſas modici progreſſus, quem in virtute, & perfectione facimus, hæc eſt, quod illam non ſatis ardenter optamus. Optamus illam quidem, ſed frigide, & ignave, ita ut deſideria, quæ de eadem fovemus, potius ſint abortus, quam conceptus.

Deus hominum ſanctificationem reſpicit tamquam ſuum ipſum.

In his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe. Luc. 2. Quod Patris ſui negotium JESUS CHRISTUS appellat, eſt illius exteriorem procurare gloriam per hominum ſanctificationem. Magnum profecto negotium! Tantus enim Deus nulla habere poteſt parva negotia. Maximi momenti negotium! Quandoquidem Pater Æternus illi ſuum filium præfecit. In hujuſmodi negotiis opera noſtra uti vult Deus; nam, quemadmodum S. Paulus, 1. ad Corinth. 1. ait, nos vocavit in ſocietatem filii ſui: *Vocati eſtis in ſocietatem filii ejus*; & vult nos in noſtra, & in proximi ſanctificatione illius eſſe coadjutores, gratiæ illius cooperantes. Oportet igitur nos hujuſmodi vacare negotiis noſtræ quidem ſanctificationi cooperantes chriſtianarum virtutum exercitatione, alienæ vero, ſin minus verbo, ſaltem exemplo.

Modus, quo perfectio optanda, & quærenda ſit.

Si quæritis, quærite. Iſaiæ 21. Putat S. Bernardus Iſaiam Prophetam per hæc verba æque ſenſu referta, ac brevia innuere voluiſſe impenſam curam, & ardens deſiderium, quod nobis habendum eſt inquirendæ, & inveniendæ virtutis, & ſanctitatis; nulla enim res alia in hac vita curas, & conquiſitiones noſtras meretur, niſi quatenus aliquid conferre poteſt, ut ſanctiores, perfectioreſque fiamus. Si ergo ſublimem hanc quæritis perfectionem, eam bene quærite; hoc eſt non fatigemini eam quærentes: quippe vera deſideria perſeverantiam perquirunt, ardentia eſſe debent, efficacia, ac talia, ut ſecundum Michææ Prophetæ cap. 6. verba jugiter intenti ſimus, ut Deo ſemper magis, magiſque placeamus: *Indicabo tibi, o homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat a te: utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo*.

Quæ retro ſunt obliviſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum proſequor, &c. ad Philipp. 3. Apoſtolus vult nos eorum, quæ jam bene facta a nobis fuerunt, obliviſci, & ea tamquam non facta habere, ſed quæ facienda ſuperſunt, dumtaxat proſpicere. Regula hæc nonne juſta, & rationabilis eſt? Tandem enim ſi id ſpectamus, quod fecimus, certiſſime aliquid remittemus, & vanitate nobis auferente animum progrediendi, vel in principio, vel in medio ſtadio immorabimur, quin procedamus, & illud perficiamus. Quod ſi ſemper ante nos proſpexerimus, videbimus nos adhuc diſtare procul a termino; cumque via, quæ reſtat, longa ſit, nobis feſtinandum erit, neque ulla temporis jactura facienda, ne dies abeat, & ingruens nox ulterius operari prohibeat.

Ut ſanctiſſimus, eſſe debemus ſeparati a mundo.

Qui me ſegregavit ex utero. Ad Galat. 1. Chriſtiani ad Chriſtianiſmum, ut Apoſtoli ad Apoſtolatum vocantur per ſeparationem a mundo, quæ eorum efficit ſanctitatem, eoſque a peccatoribus, impiiſque diſtinguit. Quamobrem JESUS CHRISTUS dixit: *Veni ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filium adverſus matrem ſuam*; fieri enim non poteſt, quod JESUM CHRISTUM in arcta evangelii ſequamur via, & ſancti ſimus, ut ille ſanctus eſt, quin a peccatorum turba in latam iniquitatis viam abeuntium ſeparemur; & ſicuti J. C. qui noſtrum caput eſt, ſeparatus fuit a peccatoribus dicente S. Paulo ad Hebr. 7. *Segregatus a peccatoribus*; ita filii ipſius nonniſi ex nota hac poſſumus haberi.

In quo proprie vitæ perfectio conſiſtat.

Juſte, quod juſtum eſt, perſequeris. Deuter. 16. Perfectum eſſe, quantum in hac vita fieri poteſt, eſt perfecte omnes actiones ſuas facere iis cum diſpoſitionibus, quas ipſæ requirunt, & infirmitatis defectus perfecte reparare. Ita animas ad perfectionem attollere eſt inſpirare illis deſiderium perfecte faciendi, quod faciant; docere, quomodo, & quo ſpiritu faciendum ſit, & quomodo per pœnitentiam, ſinceramque humiliationem errata ſint reparanda. Hæc eſt vitæ hujus perfectio.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ ſanctorum Patrum hujus argumenti.

PErfectus ſervus Chriſti nihil præter Chriſtum habet; aut ſi quid præter Chriſtum habet, perfectus non eſt. Auguſt. de perfect. juſtit.

Perfectus eſt qui ad perfectionem irreprehenſibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipſa etiam peccata venialia non negligens mundare eleemoſynis. Idem, ibidem.

Nullus ſanctus & juſtus caret peccato, nec tamen ex hoc deſinit eſſe juſtus vel ſanctus, cum affectu teneat ſanctitatem. Idem de Eccleſ. Dogmat.

Multum in hac vita ille profecit, qui quam ſit longe a perfectione juſtitiæ proficiendo cognovit. Idem, de ſpiritu & littera.

Quanto eſt quiſque ſanctior, & deſiderii ſancti plenior, tanto eſt ejus in mundo fletus uberior. Idem, de Doctrin. Chriſt.

Tamdiu non relabimur retro, quamdiu ad priora contendimus; at ut cœperimus ſtare, deſcendimus, noſtrumque non progredi regredi eſt. Idem, Epiſt. 145. ad Demetr.

Numquid mox ut naſcitur charitas, jam perfecta eſt? Ut perficiatur naſcitur, cum fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur. Idem, in Epiſt. Joannis.

Hæc eſt hominis vera ſapientia, imperfectum ſe noſſe; atque ut ita loquar, cunctorum in carne juſtorum imperfecta perfectio eſt. Hieronym. l. 5. adverſ. Pelag.

Felix eſt ille, qui quotidie perficit, qui non conſiderat quid heri fecerit, ſed quid hodie faciat, ut proficiat. Idem, in Pſalm. 83.

Ab omni nequitia mundum eſſe neceſſe eſt & dolo, qui cupit regnare cum Chriſto. Idem, Epiſt. ad Nepot.

Si vis habere partem cum Chriſto; tibi Chriſti exemplo vivendum eſt. Idem, in quadam Epiſt.

Non nobis ſufficit velle juſtitiam, niſi juſtitiæ patiamur famem. Idem, in hæc verba, Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.

Tota vita boni Chriſtiani ſanctum eſt deſiderium proficiendi. Auguſt. tract. 4. in Epiſt. 1. Joannis.

Cognoſcamus Sanctos non naturæ præſtantioris fuiſſe,

ſed

ſed obſervantiæ majoris, nec vitia neſciſſe, ſed emendaſſe. Ambroſius, in lib. de Joſeph.

Magna eſt perfectio ſuæ imperfectionis cognitio. Gregor. in Moral.

Chriſtus, ſicut in illo ipſo homine, quem geſſit, etiam in noſtris mentibus quoſdam gradus corporeæ ætatis exequitur. Naſcitur, creſcit, roboratur, ſeneſcit; ſed orandus, ne in nobis diu & jugiter parvulus, & infirmus ſit. S. Paulin. in Epiſt. 3. ad Sever.

Simus ut Chriſtus, quoniam Chriſtus quoque ſicut nos: efficiamur Dii propter ipſum, quoniam ipſe quoque propter nos homo factus eſt. Gregor. Nazianz. orat. 40. in Paſch.

Deſinens proficiendi appetitus non aberit a periculo recedendi. Caſſian. Collat. 6. Abbat. Theod.

Quicumque Sanctus quotidie in propria extenditur, & præteritorum obliviſcitur. Baſilius, Epiſt. ad Chilan.

Nemo perfectus eſt, qui perfectior eſſe non appetit, & eo perfectiorem quiſque ſe probat, quo ad majorem tendit perfectionem. Bernard. in Epiſt.

Indefeſſum proficiendi ſtudium, & jugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur. Idem, Epiſt. 123.

Erubeſcat anima converſa ad Dominum, minori affectu ſectari juſtitiam, quam iniquitatem antea ſectaretur. Idem, Epiſt. 341.

Nemo repente fit ſummus, & aſcendendo, non volando apprehenditur ſummitas ſcalæ. Idem, Serm. de ſancto Andrea.

Nullum omnino præſentiæ ejus (nempe Dei) *verius teſtimonium, quam deſiderium gratiæ amplioris*. Idem, ibid.

Numquam juſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, numquam dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque juſtitiam. Idem, Epiſt. 253. ad Abbat. Carit.

Magna confuſio, magna valde; ardentius (peccatores) *pernicioſa deſiderant, quam nos utilia: citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam*. Idem, Serm. 1. de latit. cordis.

Verus amor gradu uno contentus non eſt, ad altiora ſemper nititur, & ad perfectiora indeſinenter concupiſcit attingere; quas habet non magni facit virtutes, proficiendi accenſus deſiderio. S. Laurent. Juſtinian. de caſto connub. cap. 2.

Anima creſcit, dum quotidiana propugnatione ſe ad perfectionem promovet. Baſilius, Homil. 3. in Hexam.

Semper tibi diſpliceat quod es, ſi vis pervenire ad id quod non es. Nam ubi tibi placuiſti, ibi remanſiſti; ſi tamen dixeris ſufficit, periſti. Auguſtin. Serm. 15. de verbis Apoſtol.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento valeat depromi.

Tenemur ad ſanctitatem aſpirare, quæ nonniſi incœpta eſt per baptiſmum.

QUamvis per Baptiſmum novæ creaturæ fiamus, Adam moriatur in nobis, ibique oriatur JESUS CHRISTUS, attamen informia adhuc opera ſumus a gratia, & labore noſtro perfectionem expectantia. Nos, inquit S. Jacobus Apoſtolus, non aliud ſumus, quam novæ creaturæ principium. Chriſtianæ vitæ principia ſunt in animabus noſtris, habemus virtutum omnium ſemina; at niſi diligenter coluerimus illa, pravorum noſtrorum ſtudiorum ſpinis ſuffocantur. Regeneratio noſtra in baptiſmo incœpta dumtaxat eſt, in omne vitæ ſpatium eſt producenda, & licet peccatum per hoc Sacramentum deletum ſit, & quidquid ab Adam recepimus, nequeat nobis cœli aditum claudere; ſexcenta nihilominus ſunt, quæ prohibent, ne charitas in animabus noſtris ſtabiliatur, eaque totidem ſunt obſtacula ſanctitati religionis chriſtianæ, quam ſumus amplexi; ideoque nobis adlaborandum eſt, ut eradicemus illam, & niſi jugiter in magnarum virtutum exercitatione fuerimus, numquam perveniemus ad perfectionem, quæ nobis eſt acquirenda.

Chriſtiano ſemper credendum eſt, & in virtute progrediendum.

Cum per baptiſmi gratiam teneantur Chriſtiani ad perfectionem contendere, immo ad eam perfectionem, quæ quantum fieri poteſt patris cœleſtis perfectionem imitetur, ut Dei filius loquitur; inde ſequitur, illis indeſinenter incedendum eſſe in via ſalutis, & jugi bonorum operum motu eundum ad Deum. Conſtat quippe, nihil perfectum eſſe, niſi quatenus eſt in actione, & actionem eamdem, ac jugem actionem eſſe maximarum rerum perfectionem. Deus ipſe, qui ſumma perfectio eſt, nihil eſt niſi actio intrinſecus, & extrinſecus; intrinſecus quidem per æternas emanationes; extrinſecus per aſſiduas operationes: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor* Joan. 9.

Deus ſanctus eſt quia omnipotens.

Quamquam ſit verum, Dei ſanctitatem mirum in modum in omnibus adorabilibus perfectionibus ipſius eniteſcere; tamen S. Thomas 1. part. quæſt. 25. artic. 3. illius omnipotentiam conſiderat, tamquam infinitæ ſanctitatis ipſius potiſſimam cauſam. *Ideo Deus peccare non poteſt, quia omnipotens eſt*. Dicit, Deum eſſe infinite ſanctum, quia oppoſitus eſt peccato, quod eſt ſanctitati contrarium, ita ut nequeat peccare. Ratio autem, propter quam peccare nequit, eſt, quia omnipotens eſt; quia peccare poſſe, eſt poſſe deficere in actione ſua, & poſſe in ſua actione deficere, potentia non eſt, ſed impotentia. Impotentia autem ſimul eſſe non poteſt cum omnipotentia Dei; ideoque verum eſt dicere, Deum, cum ſit omnipotens, nullam in ſe habere impotentiam, & nullam impotentiam habentem nulla in re deficere poſſe, cumque nulla in re deficere poſſit, peccare non poſſe, & cum non poſſit peccare, infinite alienum eſſe ab eo, quod oppoſitum eſt ſanctitati, videlicet peccato. Verum ergo eſt, cum Deus ſit omnipotens, omnino neceſſarium eſſe, quod ſanctus ſit.

Notio, & definitio ſanctitatis in hominibus.

Sanctitas ſæpe juſtitiæ nomine nuncupatur; juſte enim judicans de cujuſcumque rei merito maximi facit ſupremum bonum, & res terrenas contemnit. Cum religione etiam nonnumquam confunditur, quoniam quoddam veluti continet ſacrificium rerum creatarum omnium eſſentiæ divinæ, & immortali. Credit S. Thomas 2. 2. qu. 81. art. 8. ſanctitatis effectum juxta etymologiam græcam, atque latinam eſſe, nos in bono puros, atque inconcuſſos efficere; puros quidem ſeparando animam ab iis omnibus, quæ ſuapte natura ſunt corruptibilia; inconcuſſos vero, auferendo, ut ita dicam, objectis, quidquid affectus noſtros ciere poteſt. Ut proprie loquamur, dicendum eſt, ſanctitatem in eſſentia ſua conſideratam ſpecialem eſſe virtutem, & eamdem cum religione; animam enim conſecrat divino cultui, & ad id omnes illius actiones dirigit. Sed ſi conſideretur, quatenus omnes aliarum virtutum actus refert ad Deum, tunc virtus eſt generalis. Hæc omnia a D. Thoma eodem in loco docentur. Addendum eſt tamen ſanctitatis nomen tribui rebus divino cultui dicatis; quamobrem templa, vaſa, & homines aræ inſerviendo devoti ſancti ſunt, & propter uſum, & miniſterium ſanctificati.

Chriſtianæ perfectionis definitio.

Aliquid perfectum eſt, cum abſolute conſecutum eſt finem, propter quem factum eſt, vel ad quem deſtinatum eſt, uti liquet ex generali inductione, quæ poteſt inſtitui rerum omnium ſeu in moribus, ſeu in natura. Ita homo perfecte homo eſt, cum habet ea omnia, quæ neceſſaria ſunt ſive animæ, ſive corpori, & qui ea eſt ætate, qua ratione bene uti poteſt. Et eſt perfecte Chriſtianus, cum omnes habet virtutes, quas chriſtiana poſtulat religio, ejuſque omnia officia pro ſtatu ſuo fideliter, & conſtanter adimplet. Hoc locum præbet chriſtianam perfectionem cum ſanctitate confundendi; cum enim Chriſtiani finis ſit ſervire Deo, eumque in hac vita colere, & in alia poſſidere, cumque in hoc etiam ſanctitas eſſentialiter conſiſtat, ſanctus, ſimulque perfectus eſt, qui ſecundum ſtatum ſuum perfecte Deo famulatur. Sed cum in hac perfectione detur plus, & minus, variique gradus ſanctitatis; vulgo ſancti, perfectique dicuntur illi, qui non communem habent ſanctitatem, & perfectionem, ſed in eminenti gradu, ad quem Chriſtianus contendere debet.

Perfectio, & ſanctitas ardenter eſt optanda, ſi eo cupimus pervenire.

Ut aliquem in virtute, ſanctitate, & perfectione progreſſum faciamus, omnino neceſſarium eſt id velle, & enixius optare: ita ut hoc deſiderium vere ex animo proficiſcatur, ac non ſecum trahat, quin aliunde excitandi ſimus, præter quam Spiritus Sancti gratia, quæ nobis hoc ardens deſiderium inſpiret: etenim valde parum ſperandum erit ab iis, qui hos ſenſus non habuerint. Ratio deſumpta eſt ex iis, quæ docent Philoſophi, rebus in omnibus, præſertim vero in actionibus moralibus, finem primam eſſe cauſam, qua ad agendum impellimur. Itaque quo magis hunc finem optamus, eo diligentiorem navamus operam, ut ad eum perveniamus.

Ut virtute præditi ſiamus, & in perfectione progrediamur, ſatis non eſt bonas intentiones habere, bona ſovere deſideria, bona concipere conſilia; operi manus eſt admovenda, ac ſerio adlaborandum. Aſceticæ vitæ magiſtri animadvertunt, quamplures optima animo concipere conſilia, ſed nunquam eo pervenire, ut ſibi vim faciant, ac ſuperent cupiditates ſuas, & prava ſtudia, quæ magna ſunt ad ſanctitatem impedimenta; ita ut de illis dici queat, quod Apoſtolus de ſe ipſo ad Rom. 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*. Hujuſmodi conſilia effectu carentia non ſunt determinatæ voluntatis effecta, & proprie loquendo meræ ſunt velleitates; denique vellemus, ſed non volumus fortiter, quamobrem nullo noſmet agitamus motu, ut id exequamur, quod volumus, & in eodem ſtatu permanemus.

De neceſſitate ad perfectionem, & ſanctitatem adſpirandi.

Omnibus Chriſtianis ad perfectionem eſſe contendendum, atque adlaborandum, ut ſe ipſos ſanctificent, veritas eſt, quam noniſi flagitioſi homines, & qui tranquillam, commodamque vitam ducere volunt, quin de ſalute ſua ſint ſolliciti, in dubium vocant; ſed nemo Theologorum dubitat, quominus hoc verum præceptum ſit, & non ſimplex tantum conſilium. Rationes, non ſecus ac diſcrimen, quod religioſos inter, & ſæculares intercedit, toties hoc in tractatu explicatæ, iteratæque ſunt, ut illas iſtic adſerendas eſſe non duxerim. Hæc nihilominus Theologica doctrina eſt, a S. Thoma 2. 2. q. 84. art. 5. ad 2. tradita, Religioſam vitam ſtatum eſſe perfectionis, non quod qui religionem ingreditur, illico perfectus eſſe debeat; ſed quod religioſi arctiorem habent neceſſitatem adſpirandi ad perfectionem; & eum, qui non conatur, ut perfectionem acquirat, & ſerio ad id operam non intendit, hunc vere religioſum non eſſe; quoniam id non adimplet, quod profitetur. Non quærimus hoc in loco, utrum religioſus, qui ſatis eſſe putaret ea ſervare, quæ ad Dei mandata, & eſſentialia vota ſua pertinent, ſed ſervare nollet alias regulas, quæ ſub peccati pœna illum non obligant; utrum, inquam, hujuſmodi religioſus peccaret mortaliter. Variant Doctorum ſententiæ; aliis affirmantibus lethale non deeſſe crimen; aliis negantibus, niſi aliqua contemptus ſpecies adeſſet. Quod tamen, & in quo omnes conſentiunt, eſt, religioſum, qui hos ſenſus foveret, & hanc aleret mentem, moraliter loquendo, verſari in periculo in mortale crimen labendi.

Ad ſanctitatem acquirendam conandum eſt ut ſemper novi progreſſus faciamus.

Sancti omnes mirum in modum celebrarunt laudibus, omnibuſque commendarunt etiam, atque etiam tamquam præſtantiſſimam perfectionis, & ſanctitatis acquirendæ viam, ipſius S. Pauli Apoſtoli exemplo comprobatam praxin hanc; videlicet, obliviſci eorum omnium, quæ a nobis bona facta ſunt, ac indeſinenter animo reputare ea, quæ facienda ſuperſunt; & profecto ille vere felix eſt, qui quotidie proficit, nec cogitat, quid heſterna die fecerit, ſed id tantum, quod ſibi hodierna faciendum eſt. Profecto neceſſarium eſt, hoc ſequi conſilium; naturale quippe eſt oculos in ea conjicere, quæ magis placent, & amovere ab illis, quæ moleſtiam poſſunt afferre. Ita ſicuti voluptate perfundimur noſtrum intuiti progreſſum, & bonum, quod feciſſe credimus, & e contra moleſtum eſt videre, quantum adhuc deſit; ideoque potius ea contemplamur, quæ a nobis bene facta ſunt, quam quæ adhuc facienda ſuperſunt, ut perfectionem aſſequamur.

Quidquid afferri poſſit in laudem aureæ illius mediocritatis, quam tantopere jactitarunt philoſophi, qui in ea virtutem conſtituunt; certum eſt, ſi hæc in mera morum diſciplina virtus eſt, ſæpe vitium eſſe in Chriſtianiſmo, & qualitates, quæ fidelem conſtituunt, virtutes eſſe, quarum perfectio nonniſi in ſummo invenitur. Humilitas exempli gratia inferius ſeſe demittere nequit, neque charitas altius aſcendere; quippe altera quidem ſeſe ad nihilum uſque ſubmittere oportet, altera vero ſeſe attollere uſque ad Deum. Pœnitentia ad ſummum pervenire debet dolorum, & contritionis; fides obedientiæ, zelus ardoris. Divini amoris menſura eſt, nullam habere menſuram, quia objectum ipſius infinitum eſt, neque ullis cancellis continetur.

Dei filius leges tulit omnibus hominum conditionibus ſanctificandis idoneas.

Cum evangelium nequaquam evertat vitam urbanam, & ſocietatem, quam homines ſimul conficiunt, ſed illam ſanctificet, & in omnibus partibus regat, JESUS CHRISTUS, qui hujus evangelii auctor eſt, leges edidit prorſus ſanctas, & novas, ut ſancta efficeret omnia munera, diverſaſque conditiones, ſocietatem hanc conſtituentes, atque ſervantes. Quemadmodum debebat omnes homines ad perfectionem adducere, ita neceſſe erat, ut gratia ipſius, quam S. Petrus multiformem appellat, cuilibet vocationi propriam perfectionem communicaret. Hoc miraculum operatus eſt, & quotidie operatur ſupremus hic legislator.

Liquet, quo magis progredimur in via, quæ ducit ad terminum, ſine errore, & ambagibus, eo citius, atque tutius ad terminum pervenire, in quem hæc deſinit via: hinc progreſſus, qui fit in via, argumentum eſt nos ad terminum perventuros, eo certius, quo ille major eſt. Progreſſus autem in virtute via recta eſt, & tuta ad perfectionem, & inde ad beatitudinem perducens; igitur quo magis in hac via progrediemur, eo certiores erimus nos æternam aſſecuturos felicitatem, qui noſter terminus eſt.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

In omnibus urbanæ vitæ ſtatibus quilibet in profeſſione ſua vult eſſe perfectus; in chriſtianiſmi profeſſione virtus communis ſatis eſſe putatur.

ADeo naturalis omnibus hominibus ille ſenſus eſt, qui eos ad perfectionem adducit, ut omnes, eorum labores non alium præter hunc terminum habeant. Similes belli labores ſuffert, ſi adit pericula, ſi vitam ſuam in apertum diſcrimen adducit, ſi tunc etiam ſe ſe ad pugnam exercet, cum nulli ſibi hoſtes ſuperandi ſunt; id agit, ut ad eum virtutis, & ſcientiæ rei militaris gradum perveniat, qui heroas, populorumque domitores effecit. Si doctor dies, noctesque traducit inſomnes in penetralibus ſuis volumina evolvendo, nonne ad id perfectæ acquirendæ ſcientiæ deſiderium illum impellit? Nullus pictor eſt, qui aliquid intentatum relinquat, ut excellat in arte; nullus immo faber, qui æmulationis ſtimulis agi ſe minime ſentiat, & qui aliis eamdem profitentibus artem cedere velit. Unus eſt homo Chriſtianus, hic lucis filius, qui in cœptis ſuis magis ignavus, minoſque prudens, quam filii tenebrarum, honori, vel conſcientiæ potius ſibi non vertat pervenire ad perfectionem ſtatus ſui, ad quam toto niſu contendere debet: bonorum, & gloriæ mundi cupidior, quam virtutis, & ſanctitatis, quæ verum eſt hujus vitæ bonum, & quæ efficere poteſt, ut in altera æternam beatitudinem conſequatur. Nulli rei parcit, ut fortunam ſuam provehat, cum interim illi perſuaſum ſit falſo, Chriſtianiſmi perfectionem ad religioſos tantum, & JESU CHRISTI miniſtros pertinere, ſatis eſſe putat, ſi communes habeat virtutes, & aliquot perfunctoria religionis exercitia. *Ex Chriſtianis ſermonibus pro quarta Adventus Dominica.*

Quamvis homo in ſumma rerum omnium perturbatione oriatur, nihilque habeat niſi cæcitatem in men-

meute, errorem in memoria, in voluntate nequitiam, in libertatis uſu licentiam, in affectibus rebellionem, in ſenſibus omnibus ſollicitationem ad crimina, ac in toto mundo objecta, quæ ipſum alliciunt in ſcelus; poteſt tamen ope gratiæ, quæ numquam defutura eſt, fieri magnus Sanctus, & ad eum perfectionis apicem pervenire, quem Deus expectat ab illo. Hoc eſt Dei conſilium illum ad aliquem vitæ ſtatum, quicumque tandem ille ſit, evocantis; & hic proprius eſt effectus gratiæ vocationis, illum ad id impellere, eique ad id faciendum opem ſuppeditare: ita ut ſi Chriſtianus non perveniſ ad perfectionem propriam ſtatus illius, ubi enm Providentia conſtituit, cauſa eſt, quod ille minime vult; gratia enim, quam ad id illi præbet Deus, ſatis eſt potens. Cur autem non ſit, quandoquidem effectus rationem habere debet cum cauſa? Fieri ne poſſet, mundi Salvator, ut gratia hæc, quam ipſe paſſionibus tuis meritus fuiſti, & quæ ex vulneribus tuis effluxit, vim non habeat originis ſuæ, videlicet nos Sanctos faciendi, quemadmodum tu ipſe Sanctus es, & ſanctitatis origo? Utique, hoc affirmo cum S. Auguſtino, gratia, quæ nos agit ad vitam ſancte traducendam, tantam habet vim, & efficaciam, quantam, ſi illic eſſet ſanguis JESU CHRISTI. Hæc nos urget, ut hoc munere perfungamur, ac nos docet, cum ſimus filii Dei, adlaborandum nobis eſſe, ut digni ſimus filii hujus Patris, noſmet perfectos efficiendo, ſicut ille perfectus eſt. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*. Idem ex parte.

Chriſtiani omnes propter ſuſceptum baptiſmum ad ſanctitatem contendere debent.

Chriſtiani omnes ad ſanctitatem, ſtatuſque ſui perfectionem contendere debent. Et ſane nonne mirum eſſet, ſi qui eumdem receperunt baptiſmum, quibus JESUS CHRISTUS eadem pollicitus eſt, & qui omnes eumdem Deum colunt, hi diverſas haberent obligationes? Vobis ne, ſæculares, promiſſus fuit Paradiſus alius ab eo, qui promiſſus fuit religioſis? Ullum ne interceſſit diſcrimen inter veſtrum, & eorum baptiſmum? Aliæne adhibitæ fuerunt cæremoniæ ad officiorum veſtrorum diſcrimen innuendum? ..... Nonne divortium feciſtis cum tribus hisce inimicis, cum dæmone, qui ſemper paratus eſt ad vos dolis ſuis decipiendos, cum mundo, qui præſto ſemper eſt ad vos illecebris ſuis faſcinandos, cum concupiſcentia, quæ vos inceſſanter trahit in malum? Nonne divortium hoc JESU CHRISTI ſanguine ſignaſtis? Et hoc nonne eſt, ſe ad ſanctitatem obligare? Et hæc omnia obire, nonne eſt ſanctum eſſe, atque perfectum? *Idem*.

Verum indicium quod in gratiæ ſtatu ſimus, eſt ad perfectionem contendere.

Periculoſa, ac pernicioſa ſæcularium opinio eſt, ſibimet perſuadere, ſe nulla re ad perfectionem conſectandam teneri, & ſatis eſſe, ſi in gratiæ ſtatu ſint. Opinio hæc efficit, ut de eorum ſalute ſollicitus totis artubus contremiſcam, & ex duabus rebus alterutram veram eſſe affirmem, quod in hac permanentes ſententia vel in gratiæ ſtatu non ſint, vel ſi ſint, non diu in eodem eſſe permanſuros. Rationem ſuggerit S. Bernardus palam aſſerens, veriſſimum gratiæ reſidentis in corde indicium eſſe, inſpirare deſideria gratiæ novæ, novæque perfectionis; ejuſque ſententia innititur verbo Scripturæ dicentis, eum, qui gratiam guſtaverit, novum gratiæ deſiderium, novamque famem eſſe experturum: *Qui edunt me, adhuc eſuriunt*. Eccli. 24. Gratia cum in anima eſt, abyſſus eſt alias trahens abyſſos; eam dilatat, atque novis gratiis recipiendis efficit parem. Unde Sanctus hic infert, ſatis eſſe putare, ſi nullum peccatum committas, quin ad perfectionem pervenire contendas, nota eſt, te vel non habere gratiam, vel gratiam in te non operari. *Idem*.

Quid facietis, o ſæculares, qui dicitis, Chriſtianiſmi perfectionem ſtatus veſtri non eſſe, cum vobis violenta aliqua ingruet tentatio? Quid facietis cum voluntate veſtra impotenti, infirma, profligata? *Declinabitis a via juſtitiæ*, S. Hieronymus inquit, peccabitis, ac peccatum veſtium ſeaſim pravum habitum faciet; habitus migrabit in neceſſitatem; neceſſitas hæc vos ad mortem uſque ſubſequetur, atque ad æternum deducet interitum.

Non equidem affirmo, neceſſe eſſe, ut actu perfecti ſimus, itaut nullus nobis deſit perfectionis gradus, & quod mere imperfectio vocatur, per ſe ſolum poſſe nos cœleſti gloria privare; ſed aſſero, eos, qui non conantur majorem ſanctitatem, & perfectionem in ſuo ſtatu adipiſci, ſenſim ruere in ſcelus, & quin in virtute creſcant, amittere, quod fortaſſe fuerant adepti, ac tandem labi in abyſſum criminum, quæ ſecum trahant eorum reprobationem. Hinc S. Bernardus occaſionem arripit exclamandi; ille, qui ſanctus eſt, adnitatur, ut magis adhuc ſanctificetur; qui ſanctus eſt, novas acquirere virtutes contendat. Nemo confidat præſenti gratiæ, quam poſſidet, ſed magis magiſque ſeſe ſanctificare contendat. *Idem*.

Falſæ excuſationes, quæ poſſent afferri, ne ad majorem perfectionem adnitere mur.

Mihi dicendum non eſt, ſanctitatem ſtatum eſſe nimis eminentem homini miſero, qualis ego ſum, neque mihi audendum, ut ad illam conitar. Certus ſum, a Deo me ad illam vocari, eumque me ad eam adducere velle, quandoquidem ad id tanta præſtitit; certus quoque ſum, ipſum velle me ad illam contendere, omneſque conatus exerere, ut eo perveniam. Quid enim eſſe vellem, niſi ſanctus eſſe velim? Ergo velle deberem reprobum eſſe, nihil enim medium eſt inter duos hoſce terminos, inter ſanctum, & reprobum. Neque illud mihi dicendum, me nimis imbecillem eſſe, quam ut ſanctus fieri velim; ſcio equidem, me ex me nil eſſe, præterquam miſeriam, & fragilitatem; ſed etiam ſcio, Redemptorem meum, qui nihil prætermiſit, ut me ſanctum faceret, infirmitatibus meis ſubjiſſe, ut me ſua indueret fortitudine, ac me dicere poſſe, quod olim magnus Apoſtolus; omnia poſſum in eo, qui me confortat. Quid ergo mihi faciendum, ut ſim vere ſanctus, ſecundum voluntatem filii Dei me ad ſanctitatem vocantis? Satis eſt, illum ipſum induam, quemadmodum idem Apoſtolus ad Rom. 3. docet. Nihil hoc facilius, dummodo bona mihi adſit voluntas. Si, ut ſanctus fierem, ingentes mihi cumulandæ eſſent divitiæ, multi invenirentur obices, ac legitimi afferri poſſent prætextus; quilibet enim eas poſſidere contendit; ſed ſanctitas ex parte in hoc poſita eſt, ut eas contemnamus, neque illis cor noſtrum adjiciamus. Similiter ſi, ut ſanctitatem acquirerem, ad honores, & illuſtres dignitates eſſem evehendus, vel primi in Civitate gradus eſſent obtinendi, ſanctitas tanto ſtaret pretio, ut pauci ad eam pervenire poſſent, & plures hanc prætexere poſſent excuſationem, ſi ob ſanctitatem indipiſcendam non adlaborarent. Sed obſcuram, latentemque vitam ducere, humilitatem, latebraſque amare, quæ tutiſſima eſt ad ſanctitatem via, hoc quiſnam prohibere poteſt? Denique ſi ad virtutem, ſanctitatemque acquirendam opus eſſet vitæ hujus voluptatibus frui, hoc multo graviori conſtaret labore. Ad id enim ingentes erogandi ſumptus eſſent, & ſæpe amaritudo ſola ibi inveniretur, ubi voluptas, ac dulcedo ſperatur. Sed voluptatis ſenſum abdicare, paratum eſſe perferendis crucibus, quæ ab humana conditione, ſtatuque noſtro ſeparari vix poſſunt, auſteram, ac pœnitentem vitam molli, & deliciis affluenti præferre, hoc omnes facere poſſunt; atque ita cum ſit nemo, qui ſanctus eſſe non poſſit, omnis, qui adfertur, prætextus inutilis eſt, & nulla excuſatio in Dei judicio poteſt admitti. *P. D. Argentano collat. 23. de ſanctitate Dei*.

Sanctos eſſe difficile non eſt, ſi velimus.

Quid? Num adeo operoſum eſt, ſeſe ad tria illa amanda redigere, quæ hominum Salvator tantopere amavit, & in quibus tota ſanctitatis vitæ chriſtianæ eſſentia conſiſtit, paupertatem, contemptum, & cruces? Tria hæc ſeſe nobis offerunt ſæpe, ut ſancti efficiamur; nos vero perhorreſcimus illa tamquam mortales inimicos, cum e contra a nobis perquirenda eſſent, atque recipienda tamquam ſanctitatis acquirendæ adjumenta, meritorum occaſiones, ac theſauri, qui in æternitatem nos dites efficere poſſunt. Verum quidem eſt ipſam ad ea vehementiat repugnare naturam, ſed Salvatoris gratia, quæ ſuppetias adfert, nonne adhuc vehementior eſt? Hæc cum ſit divini ſpiritus ema-

Digitized by Google

emanatio, atque participatio, in animam, a qua recipitur, infert eos ſenſus, qui efficiunt, ut amet id, quod ille amavit, ut divinam induat fortitudinem, & ſupernaturali virtute id amplectatur, quod illa naturali ſtudio perhorreſceret. Quur Sancti, qui erant homines, uti nos, conditionis ejuſdem, ac nos, magis beatos ſe exiſtimarunt in paupertate ſua, quam divites mundi inter divitiarum ſuarum affluentiam? Quur majorem in confuſionibus, atque contemptibus conſolationem guſtarunt, quam ambitioſiſſimus quiſque in honoribus, & quur majori affecti ſunt gaudio ſe graviſſimis obrutos crucibus intuiti, quam libidinoſiſſimus quiſque in ſuis voluptatibus? *Idem*.

Magna difficultas educendi ſanctum ex nihilo peccati.

De nihilo peccati ſanctum educere non adeo facile eſt opus. Deus omnipotens, ut de tenebris lucem educeret, unico uſus eſt verbo: *Dixit lumen tenebris ſplendeſcere*. Sed ut ſanctum in terris faceret, eumque æterna beatitudine dignum in cœlis præberet, ipſe in terras deſcendere debuit, ſeſe inter peccatores annihilare, ut peccatorem de hac abyſſo educeret, alioquin hinc inde numquam fuiſſet egreſſus. Cumque Verbum hoc omnipotens deſcendit, ac ſemet in creaturarum ſuarum ordinem redegit, pretioſum aperuit gratiarum ſuarum theſaurum, eas hominibus largiturus, ut ſi vellent, ſancti fierent. Ut eos gratias recipere cogat, illos oret, hortetur, eiſque quacumque ratione perſuadeat, opus eſt. Hoc illi omnibus vitæ ſuæ laboribus ſtetit, ad id ſuas impendit vigilias, ſudores, lacrymas, jejunia, prædicationes, miracula; verbo, nulli pepercit rei, ut homines de profunda peccati abyſſo retraheret, & ſanctos efficeret. At nondum ſatis, illorum ipſe infirmitatem ſuſciperet, opus fuit, ut ſuam illis fortitudinem communicaret; illorum in ſe miſerias reciperet, ut illos iiſdem liberaret; illorum peccata ferret, ut ipſe illis ſuam concederet ſanctitatem. Ita per omnipotentis hujus Dei merita, homines poterunt, ſi voluerint, theſaurorum ſanctitatis Dei fieri participes, & locupletari, dummodo tantum velint recipere inæſtimabilia bona, quæ illis acquiſivit Deus, & quæ in manibus eorum ponit. Heu quid Deus meus! tot ne profuſionibus erat opus, tantopere te ipſum torquere oportebat, ut homo de peccatorum abyſſo educeretur, & ſanctus fieret? O Deus miſericordiarum! Ego unus pluris ſteti tibi, quam mundi totius creatio, neque tot labores, pœnaſque pertuliſti, niſi ut de peccatore ſanctum faceres, & de miſero nihilo filium Dei, atque æterni tui Regni hæredem. Ita voluiſti Domine, neque dubitare licet; quoniam tantum laboraſti, & ad id laboraſti; loquuntur actiones tuæ, ac multo vehementius paſſiones tuæ loquuntur, & efficaciter probant, te plura feciſſe, ut me ſanctum faceres, quam quæ tibi fuiſſent facienda, ut centum alios hoc majores mundos creares. Nonne miſer eſſem, ſi labores tuos irritos facerem, & ſi gloriolam hanc ſancti qualitatem contemnens, mallem miſera in peccati abyſſum me iterum immergere, unde in brachio forti, cum gratiarum tuarum affluentia me eduxiſti? *Idem*.

Facilius eſt ſanctum eſſe, quam pravam vitam ducere.

O vitæ chriſtianæ ſanctitas! Omnes te reformidant, quoniam nimis ſevera, auſtera, & non ferenda exiſtimaris; ſed quia te non noverunt, neque experti homines ſunt. Qui te paulifper cognoviſſet, amabilis dulcedo ſanctitatis ad quam nos evocat Deus, næ fateretur, longe facilius, atque jucundius eſſe ſanctorum, quam peccatorum vitam vivere, atque cupiditatum tyrannidem toto cœlo, quam Jeſu Chriſti imperium, eſſe duriorem. Veritatem hanc ſedulo ad examen vocate, vos, qui de veſtra diffidentes imbecillitate non audetis ad ſanctitatem contendere, quia vos illam aſſequi nequaquam poſſe exiſtimatis. Reſpicite ingentia, quæ de vobis habet, conſilia, & validum gratiarum, quas vobis offert, auxilium, nullus enim dubito, quin vobis vires, animique accedant ad illud aggrediendum opus, quod re ipſa quidem eſt difficile, ſed quod nulli eſt impoſſibile, *Idem*.

Sanctitas ſemper eſt veneratione digna, eamque omnia, creata coluerunt.

Sanctitas verenda eſt, ſemperque habita fuit digna veneratione in illis, in quibus eluxit, & bruta quoque ferociſſima, & res ipſæ ſenſu carentes teſtata ſunt, quonam in honore illam haberent. Eam coluerunt Leones in tot ſolitariis, qui cum ipſis intra ſaltus, & nemora vitam ducebant, tygrides jam reverentæ ſunt in ſanctis Martyribus, qui ipſis devorandi in amphitheatris objiciebantur, ad quorum corpora illæ ne accedere quidem ut plorimum audebant. Mare illi in tot ſanctis paruit, ſemet ſolidum ſub pedibus ejus, marmoris inſtar ſubſternens, atque gloriæ ſibi vertens, quaſi eam veluti in triumphum deferret. Dei quoque intereſt honor, qui adhibetur illi, & Eccleſia quemdam religionis cultum in hoc ſtatuit, ſi eos colat, qui in eadem excelluerunt. Quamobrem videmus, populos nequaquam expectare mortem eorum, quos veluti ſanctos reſpiciunt; catervatim ad illos confluunt; quodcumque vel etiam minimum, quo illi uſi ſunt, tamquam pretioſas reliquias putant, & credunt non immerito, quodcumque ad aliquem pertinet ſanctum, ſanctum eſſe, & dignum veneratione. *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*. Pſalm. 138. *Idem*.

Sanctitas Chriſtianiſmo eſſentialis.

Sanctitas Chriſtianiſmo ita eſſentialis eſt, ut omnes S. Pauli epiſtolæ ad primos fideles ita inſcriberentur: *Ad Sanctos Eccleſiæ Epheſi, ad Sanctos Eccleſiæ Corinthi, &c.* cum per hoc magnus ille Apoſtolus innuere vellet, Sancti, & Chriſtiani qualitatem invicem ſeparari non poſſe, & alteram inferre inevitabilem alterius obligationem. Sumus Dei templa per baptiſmum fundata, & incæpta, inquit S. Zeno Veronenſis; ſed illa in dies magis, magiſque attollenda, ac perficienda ſunt novis ſanctitatis incrementis. Templa quidem ſumus, ſed templa viventium, quæ ſemper creſcere debent per gratiam Domini noſtri, cui incumbere debet omne ſpirituale ædificium, ut creſcere, augerique poſſit, dicit Apoſtolus ad Epheſ. 2. *In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Domino ſemper*. Sanctitas hæc ab animabus noſtris migrare debet etiam in corpora, quæ offerenda a nobis ſunt Deo, tamquam hoſtiæ viventes, quæ illi acceptæ ſint, inquit S. Paulus. *Specimen ſermonum pro prima poſt Epiphaniam Dominica*.

Falſum flagitioſorum objectum, ſanctitatem eſſe impoſſibilem.

At enim inquies, nihil ſpecioſius, nihilque divinius ſanctitatis idea; ſed nihil magis temerarium, quam quod homo ſe ad hanc formare velit ideam. Philoſophorum ſapientia quantumvis imperfecta nullibi niſi in ſcriptis eorum inventa fuit; ſemper totalis ferme deprehenſa fuit oppoſitio inter eorum ſermones, ac vitam. Marmorei, æneique homines eſſe debuiſſent, ut chimerica eorum parerent inſtitutis. Quomodo igitur creaturæ adeo imbecilles conentur ad ſanctitatem, quæ ſapientia eſt toto cœlo ſublimior? ... Objectio hæc plurimis quidem ſatis virium, roboriſque videtur habere, præter eos etiam, qui Romanam Eccleſiam inſimulant, quod filiis ſuis jugum imponat viribus eorum longe majus, eoſque ad id vitæ genus adſtringat, cui per naturæ ſuæ corruptionem impares ſunt. Satis crebro videntur Catholici, qui omnia ſuffocant deſideria, quæ ipſis immittit Deus, vitæ perfectioris, qui reſiſtunt omnibus vocibus, quibus ad ſanctitatem vocantur, cauſantes hoc ſibi irritum fore opus; nullam probabilitatis eſſe ſpeciem, quod, cum adeo fragiles ſimus, vitam crucifixam, vitam ſpiritualem ſuſtinere valeamus; ad quam ſuſtinendam neceſſe eſſet, vel non habere corpus, vel hoc non ex limo, terraque eſſe confictum. Quæ ſi vera ſunt, quid de evangelio, quid de omnibus incarnationis, vitæ, ac mortis Domini myſteriis ſentiendum eſt? Quid? Deus noſtram induit carnem, ut inviam doceret viam, ut nobis ob oculos regulam objiceret, cui nemo ſe conformare poſſet, ut nobis ea præcepta proponeret, quæ vires noſtras excedunt, & exempla, quæ imitari nobis non licet? *P. de la Colombiere* 1. *ſermone pro feſto Omnium Sanctorum die*.

Haud ita, Redemptor, amabilis; nemo umquam

mihi

Credendum non eſt impoſſibilem eſſe ſanctitatem,

mihi perſuadebit, te tot illecebris invitante, ut tuum jugum ſuſcipiam, & crucis pondus ſubeam; te tanto zelo ad ſpiritus paupertatem, ad paſſionum, eorumque amorem, qui eaſdem mihi inferunt, ad mundi, & meimet ipſius odium hortante: te præcipiente, ut ſine ſollicitudine vivam, & ne timeam vel mortem, vel quidquid ſuppliciorum excogitare poteſt ſævitia; te ſuadente, atque extimulante, ut omnia ad te venturus relinquam; te omnibus timoris, amoris, ac ſpei propoſitis argumentis adnitente, ut pœnitentem, & mortificatam vitæ rationem aggrediar, verbo, ut ſanctus, perfectuſque ſim; mihi credendum eſſe, hæc tua vel conſilia, vel præcepta adimpleri non poſſe, ac imprudentis eſſe illis ſeſe ſubmittere, & eadem amplecti. *Idem.*

Sanctitas, & chriſtiana perfectio non eſt ita difficilis, ut vulgo exiſtimatur.

Nequaquam, fideles, ſanctitas nulli impoſſibilis eſt; immo neſcio cui difficilis eſſe poſſit, ſi excipias divites, quibus, diſſimulari non poteſt, quominus incommodum ſit ingredi ſanctam viam, quam evangelium regnum cœli vocare conſuevit; quoniam hoc ipſe teſtatur JESUS CHRISTUS. Sed quantumcumque illis arduum ſit vias ingredi ſanctitatis, hoc tamen ipſis abſolute impoſſibile non eſt; poſſunt enim, tot aliorum exempla ſecuti, confringere catenas, quibus adſtricti ſunt, omnia propter JESU CHRISTI amorem relinquere poſſunt, & quod maximum eſt evangelicæ perfectionis impedimentum, in gradum ſibi convertere, quo ad illam facilius aſcendant. Ad hæc in ipſa etiam opum affluentia pauperes eſſe poſſunt, fuga luxus, voluptatum, & hujus mundi, qui res proſperæ illis aditum ſternunt; & quin inſaniæ videantur inſimulandi, cum ad hunc virtutis, & ſanctitatis gradum contendunt, audeo dicere, hunc pro ipſis multo majoris, quam aliis, cumulum eſſe ſapientiæ: quando quidem probabiliſſimum eſt homines in magna fortuna raro ſalvari, niſi prorſus ſancti fiant; & vix fieri poteſt, ut in mediocri ſtatu ſeſe contineant; nec non quicumque ibi perfectioni abrenunciat, in maximo intereundi periculo verſatur. *Idem.*

Obligatio ad ſanctitatem adſpirandi ad omnes uno ſtatu ſingulorum ſpectat.

Si neceſſitas hæc, quam nobis evangelium imponit, contendendi, ut perfecti ſimus, quemadmodum Pater noſter cœleſtis perfectus eſt, non eſt ſimplex conſilium, ſed obligatio, quæ eſt de jure naturali; quod igitur diſcrimen inter religioſos, ac mundi perſonas conſtituis? Modicum ſane, o fideles, & ſi excipitis, S. Baſilius ait, perfectæ caſtitatis obligationem, quam religioſi voverunt, & amorem effectivum, ſive adhæſionis, quo tenentur magis aſſidue, & unice adhærere Deo, quam ſæculares, in quibus Deo ſufficit amor appretiativus, videlicet ſibi in corde eorum deferri prælationem quibuſcumque rebus creatis, cum quibus converſari tenentur propter negotiorum, commercii, & miniſterii ſui neceſſitatem; reliqua omnia evangelii præcepta religioſis æque, ac ſæcularibus ſunt communia. Verum eſto non eadem vobis adſit perfectionis obligatio, quæ in religioſis eſt, ſaltem major vobis eſt obligatio curam gerendi veſtrum, quia in majori pereundi periculo verſamini. Concupiſcentia, quæ in illis, & vobis eſt, poſt baptiſmum longe difficilius in vobis ſuperanda eſt propter objectorum, quæ vobis circum obſident, & undequaque alliciunt præſentiam. Cum mundus ſit centrum illius, ita illa ibi adeo valida invenit arma, quibus vobis inferat bellum, ut auſim affirmare, vos de illa triumphum reportare non poſſe, niſi ad perfectionem toto niſu contendatis. *Auctor ſermonum chriſtianorum, ſermone pro quarta Quadrageſimæ Dominica.*

Cum virtus, quæ de cœlo lapſa eſt in terras, non ſit niſi tamquam in aliena regione, ubi omnia contra illam armata ſunt, eamdem expulſura, ipſa ut plurimum viribus nequaquam prævalet, niſi in eo fuerit perfectionis gradu, qui efficit, ut haud ægre referat triumphum, & qui nos inter graviſſima certamina præbet invictos. Et profecto, S. Auguſtinus inquit, omnes hominum in mundo conditiones imbecillibus tantum, communibuſque virtutibus reguntur; concupiſcentia, & cupiditas efficiunt, ut ſexcenta ibi ſcelera dominentur. Niſi perfectionis amor animos fecerit illis, qui perſecutionibus agitantur, nihil niſi deſperatio in illis videbitur. Niſi perfectionis amor ſolatium attulerit pauperibus, qui laboribus, atque egeſtate in mundo premuntur, in terris languebunt, ac tota eorum pietas in maledicta, atque blaſphemias convertetur. Niſi perfectionis amor in judicis corde fuerit, nulla amplius erit in foro juſtitia; omnia ibi confuſione, ac dolo plena erunt, ſanctiſſimæque juſtitiæ leges cedent humanæ cupiditatis verſutiæ. Niſi perfectionis amor mentes rexerit mercatorum, quam primum avaritia corrumpentur, eorumque negotiatio non alias habebit regulas, quam calliditatem, & dolum. *Idem.*

Qui in mundo vivunt perfectionis, & ſanctitatis acquirendæ curam in religioſos rejiciunt.

Hæc ſanctitas, & Chriſtianiſmi perfectio, ait aliquis e mundo, religioſorum eſt propria; ideoque ad illos eam acquirere ſpectat, hic eſt character, quo diſtinguuntur; hæc eorum profeſſio eſt. Illi nequaquam impediti ſunt ſexcentis negotiis, quibus ipſi diſtinemur; cura illis non eſt bonorum, prædiorumque, ex quibus quam maxima utilitas percipienda eſt. illis non eſt alenda familia. Illi ſui compotes ſunt, illis uni ſerviendum eſt Deo, atque adnitendum, ut ſancti fiant. Nobis vero in ſæculo, inter juges diſtractiones, quas magiſtratus, negotium, domeſticæ rei cura, cætus quidam, quos nos torrens trahit, & quibus urbanitatis gratia intereſſe debemus, pariunt, quid faciendum? Numquid ſuppetit nobis locus, ac tempus vacandi piis exercitiis, atque animum appellendi ad eum perfectionis gradum acquirendum, ad quem nobis contendendum eſſe docent? Nonne ſatis nobis erit, ſi aliquando Dei miſericordiam mereri, eamque flectere nobis contigerit? Audite Chriſtiani hujus mundi, audite Pſeudo Chriſtiani, vobis auferendus eſt error adeo gravis, qualis hic eſt, vobiſque oſtendendum, qui exigat a vobis hæc Chriſtianorum qualitas, & nomen quod geritis. *P. Girauſt tom. 1. Quadrageſimæ de chriſtiana ſanctitate.*

Judicia ex quibus cognoſci poteſt, utrum aliquis ſit perfectus Chriſtianus.

Si mihi probare vis, te verum eſſe Chriſtianum, te nominis hujus officium explere, nec Deum ex te majorem exquirere perfectionem eo in ſtatu, & profeſſione, in qua te illius providentia conſtituit, non ſatis tibi ſit hoc dicere, oſtende hoc mihi operibus, & credam, atque te ſanctum vocabo. Cum videbo te lecto omnibus legis articulis ſtudentem, ut ſcias, quid tibi præcipiat, atque ad unguem illam obſerves, tunc te perfectum eſſe Chriſtianum dicam. Cum videbo temet tibi interdicere, quod prohibet evangelium, ludos, ſpectacula, noxiaſque voluptates relinquere, cupiditatibus tuis obniti, pravos habitus reformare, omnibus oculis tuis, omnibuſque cordis tui deſideriis invigilare, ne quid illi permittas, quod conſcientiam lædat, & quod a recta ratione abnorme ſit, tunc te ad perfectionem contendere dicam. Cum videbo te in omnibus religionis muneribus obeundis diligentem, aſſiduum in templis, modeſtum, devotumque, dum ſacris intereſ myſteriis, divino verbo attentum, bonorum librorum lectioni, ſanctarumque rerum meditationi addictum, in ſermonibus verecundum, in cœptis tuis æquum, & rectum, in miniſterio tuo ſolertem, eique propter Deum, & ſecundum Deum operam navantem, amantem ſolitudinis, cum ſubmiſſione patientem, pauperibus ferentem opem, & quodcumque in te ſitum eſt, bonum facientem, tunc dicam te chriſtiano more vivere, ac ſi in hujuſmodi piis exercitationibus perſtiteris, te ſanctum futurum. Sed ubi e contra te videam inertem, & oſcitantem, nonnumquam etiam ignorantem ea, quæ ſcire tuum eſt, ac de illis edoceri detrectantem, dico tibi inane eſſe Chriſtiani nomen, & inane religionis phantaſma. *Idem.*

Perfectio quædam religioſis, & ſæcularibus communis eſt, & ab omnibus habenda.

At enim numquid in ſæculo cœnobii virtutem habere debemus? Nequaquam, Fratres; ſed vel eſtis, vel eſſe debetis Chriſtiani. Adeſt autem perfectio quædam communis, & omnium Chriſtianorum propria, quemadmodum particularis adeſt perfectio propria religioſorum. Si ex vobis totam perfectionem religioſam exquirerem, fines

tranſ-

Digitized by Google

tranſgrederer, ac vos merito queri poſſetis, quaſi nimium a vobis exigerem. Sed cum ita in religioſos omnem chriſtianam perfectionem rejicitis, vobis jure exprobare poſſum, vos nequaquam illuere, quo vocamini a Domino. Plurimi in mundo hoc abutuntur diſcrimine ſæcularium, atque religioſorum, at quomodo ſit intelligendum ignorant ... Non enim deſunt officia, quæ & ad religioſos particulariter, & ad Chriſtianos omnes generaliter ſpectant; & in hoc poſita eſt, non quidem religioſa, ſed chriſtiana ſanctitas quæ ſæcularium æque, ac aliorum eſſe debet. Exempli gratia fides, ſpes, charitas, inimicorum amor, lenitas, ſui abrenunciatio, cordis libertas, animi mortificatio, continentia pro eo ſtatu, in quo ſumus, patientia in adverſis, mundi hujus corrupti, profanique fuga, abſtinentia, opera miſericordiæ; hæc omnia, & alia plurima æque pro vobis ſunt, ac pro religioſis: hi præ vobis his in rebus magis Chriſtiani non ſunt; ideoque eorum obligatio veſtra eſt, & viciſſim veſtra eorum eſt obligatio. Hoc non eſt peculiare eorum, ſed commune noſtræ religionis fundamentum. Ad id omnes idem æque obligat Chriſtianiſmus, idem, qui nobis præcipit, Dominus, Deus idem, cui ſerviendum eſt; idem judex, cui ratio reddenda; auxilia eadem, eædem gratiæ, eadem ſubſidia omnibus tradita ſunt, ut ad eumdem finem perveniamus. *Idem*.

Cum S. Chryſoſtomo concludamus, fallacem hanc, quæ a vobis ſit Chriſtianam inter, ac religioſum, diſtinctionem, & quam ad tot fundamentales articulos, & inevitabilia extenditis officia, meram eſſe illuſionem, & hominum adinventum: *Iſta diſtinctio ab hominum opinione producta eſt*; inquit ille; cordis veſtri corruptio illam invenit, numquam in ſacris litteris memoratam: *Nihil enim eorum ſacræ litteræ agnoverant*. Ita eſt, Auditor: evangelium poſtulat, ut tu in ſtatu tuo, non ſecus ac religioſus in ſuo, perfectus ſis; hoc eſt, vult vitam tuam innocuam eſſe, & frugi; petit a te, ut iracundiam cohibeas, ut orientem ſtatim inimicitiam celeri, ſinceraque reconciliatione, non ſecus ac petit a religioſo. Petit, ut tu prandiis temperans ſis, ac ſobrius, in appetitibus tuis mortificatus, & carnis tuæ inimicus, officiis tuis obeundis intentus, gratiæ fidelis, non ſecus ac religioſus: petit, ut quotidie proficias, ut certam facias ſalutem tuam fuga occaſionum, noxiarumque occaſionum, labore, bono temporis, & omnium ſubſidiorum uſu, quæ tibi æque, ac religioſo ad perfectionem acquirendam ſuggerit Deus; & quære, quamdiu tibi libuerit, numquam in Chriſtianiſmo reperies duas leges oppoſitas, alteram quidem facilem pro te, alteram pro religioſis difficilem. *Idem*.

Dei filius nihil prætermiſit quod noſtræ proderet ſanctificationi.

Dei filius paulo antequam emitteret ſpiritum, caput inclinans ait: *Conſummatum eſt*, hoc eſt, a ſe perfectum fuiſſe patris ſui conſilium circa hominum ſanctificationem, & ad id ſe neque ſanguini, neque vitæ ſuæ pepercifſe. O triſtem cogitationem homini morienti, qui ſanctitatem ſibi comparare neglexit, videre Deum, qui dixit ſibi non eſſe amplius quidquam ſanguinis in venis, quidquam anhelitus in pulmonibus, quidquam vitæ in corde; ipſum ſemet exhauſiſſe, ut illum ſanctificaret; ipſum nonniſi in finem hunc, & vixiſſe, & mortuum eſſe; illum vero ad id nihil facere voluiſſe, neque ſerio umquam cogitaſſe, atque vitam in operibus inutilibus, & vanitate plenis perdidiſſe. *P. Traier in Dominicali ſermone pro prima Dominica poſt Epiphaniam*.

Omnes Chriſtiani univerſe ad ſanctitatem contendere debent.

Cum mortales quidam urgentur, ut adnitantur eam acquirere perfectionem, quæ ſtatus ipſorum propria eſt, obeuntes Chriſtianiſmi officia, reſpondent, ſe magnos futuros fuiſſe ſanctos, ſi omnibus hiſce rebus ſeſe ſubjicerent. Reſponſio in iis, quæ inde conſequuntur, æque periculoſa, ac in ſemet ridicula, quaſi non crederent, ſe ad ſanctitatem acquirendam teneri, quaſi aliud nomen gerere poſſent, vel ad alios fines creati eſſent; quaſi ſanctitas opus eſſet ſupererogationis; quaſi vocatio eorum non eſſet vocatio ad ſanctitatem; quaſi Spiritus ſanctus, quem recipiunt, non eſſet ſpiritus ſanctitatis; quaſi omnia chriſtianæ moralis effata non eſſent totidem ſanctitatis documenta; quaſi tandem peculiaria capita, ſecundum quæ aliquando erunt judicandi, non omnia ad ſanctitatem referentur. *Ex ſermonibus moralibus*.

Hominum ad vitæ ſanctitatem oppoſitio.

Cum incipimus velle progredi in viam Dei, incipimus ſimul objici hominum contradictioni, qui ſeſe eidem opponuntur. Quicumque hanc expertus non eſt, non incœpit adhuc, ut opus eſt, progredi in pietate. Alii quidem amicitiæ cauſa illi conſilium dare contendunt. Quomodo hoc facere poteris, inquiunt, quod nemo fecit? Alii vero ſimulant generatim quidem ſe eorum probare conſilium, ſed perſuadere adnituntur, hoc illi e ſententia nequaquam ceſſurum; hoc tempus non eſſe ita vivendi. Niſi impugnantur regulæ generales, earum impugnatur applicatio, eamque multitudinis exemplo labefactare contendunt: denique rarum eſt, quod poſſit aliquis juſtitiæ regulis hærere, quin habeatur tamquam ſingularis, & imprudens, qui nimis auſteras habet ſententias, & inanea ſibi ſcrupulos fingit. Sæpe etiam ambitioſus vocatur, & cupidus inter cæteros hac vivendi ratione emicandi. *Ex ſpecimine Ethicæ tom. 5.*

Eſtote perfecti, ſicuti Pater veſter cœleſtis perfectus eſt, dicit J.C. omnibus fidelibus in Apoſtolorum perſona. Et ſane ſpiritus paupertas, alienus a terræ bonis animus, ſemet ipſius abnegandi, crucis ferendæ, injuriarum dimittendarum, inimicorum diligendorum, orandi pro perſecutoribus ſuis, benefaciendi illis, qui nos injuria affecerunt, contemnendi, fugiendique mundum, graviſſima ſine querela perferendi mala, nullam pravam cupiditatem, iracundiæ motum, verbum injurioſius prolatum ſibimet permittendi neceſſitas, nonne ſunt obligationes fidelibus omnibus communes, & eſſentiales? Quam vero illæ in ſe continent perfectionem? Horum officiorum praxis nonne ex fidelibus totidem Sanctos perficeret? ... Sed hoc neceſſarium eſt, ut vere ſancti ſimus, nonne mihi licet hodie in ipſo Chriſtianiſmo dicere, quod olim vetus quidam auctor de amicitia dicebat, nullos amplius eſſe veros amicos? Non ſunt amplius ulli, vel ſaltem pauci ſunt veri Chriſtiani; etenim ubinam illi ſunt, loquor de illis, qui in mundo ſunt, ubi, qui vacent acquirendæ ſanctitati, & perfectioni chriſtianæ, tamquam ſummo negotio ſuo, tamquam præcipuo, & unico negotio? Ubi etiam ſunt illi, qui tantum habent curæ, & ſollicitudinis, ut ſint Chriſtiani, humiles, patientes, quantum ut ſint locupletes, potentes, & in hac vita beati. *P. Nepvea in Chriſtianis conſiderationibus*.

De ſanctitate, & Chriſtiana perfectione in hac vita idem non eſt ac de die, in qua lumen, & tenebræ ſeparata ſunt; ſed tamquam de mane, in quo licet lux regnet, eſt nihilominus cum quadam obſcuritate permixta. Sanctitas eſt, quæ partium ſuarum ratione integra, & completa eſt; virtutes omnes, quæ illam componere debent, ibi ſunt, & vitia omnia, quæ illam evertunt, procul abſunt; ſed nimirum virtutes omnes ibi adhuc infirmæ, ac languidæ ſunt, & vitia non omnino inde radicitus convulſa ſunt. Hoc tamen non prohibet, quominus ſanctitas univerſalem tribuat propenſionem in bonum, & generalem horrorem mali, quamvis hæc propenſio, hoc odium non ſint in extremo perfectionis ſuæ gradu. Hoc ipſum ferme accidit novo homini in gratia, quod infanti in natura; omnes habet partes eſſentiales, quæ illum componere debent; corpus, & animam; corpus quidem omnibus variis exterioribus, interioribuſque organis inſtructum, animam omnibus facultatibus ſuis ornatam, quamvis hæc omnia infirma ſint, ac longe diverſa ab iis, quæ virili ætate futura ſunt. *Ex libro cui titulus: Examen ſui ipſius*.

Juſtus

Quilibet Chriſtianus habere debet deſiderium in virtute, & ſanctitate creſcendi.

Juſtus habere debet ardens deſiderium ſemet in bono confirmandi. Reſpicit bona opera ſua, tamquam pignora amoris, quo proſequitur Deum; unde ſequitur, quod indeſinenter in ſanctitate proficere cupit: etenim quo magis ſua ſanctitas creſcit, eo magis creſcit etiam deſiderium placendi Deo, & creſcit etiam ſenſus, quem de illius habet magnitudine, nec nos ſpes ipſius magis roboratur. Cæterum prout in ſanctitate progreditur, eo magis ſibi perſuadet ſe facere, quod ſuum eſt; bona opera illius ſunt aculeus, & excitamentum virtutis, ut impoſterum ſemper melius operetur. Ita quod de avaro dicitur, numquam eſſe contentum eo, quod habet, ac ſemper majora ſitire; hoc nos in laudis titulum convertere poſſumus, ac dicere de viro bono, qui bonorum operum theſaurum congerit. Numquam dicit, ſatis eſt, cupit inceſſanter bonorum operum numerum augere, quamobrem illum ſitire, & eſurire dicit Jeſus Chriſtus: Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam. *Idem.*

Character hominis, qui vera virtute præditus eſt, & qui ſerio vult ſanctificari.

Vir bonus, & vere Chriſtianus ſincero ardet amore erga Deum, ſuam invenit oblectationem in obedientia, & in mandatorum illius executione. Magnæ virtutes ſunt objectum votorum ejus, eaſque minus etiam eſſentialia officia conſequuntur. In ſemet ipſum ſeverus, lenis erga alios, nihil habet, quod proximo diſpliceat. Peccatorem non rejicit; ſcit, ſe illum debere ad virtutis amorem inflammare, & ſe non inde moleſtam aliquam impreſſionem percepturum. Non novit omnes has carnis, & ſanguinis rationes; novit ſolum eum, qui diligit Deum, diligere etiam, proximum ſuum, eique toties parcere, quoties ab eo læditur. Sine adſectatione, & ſine arte facit non id ſolum, quod ſaluti neceſſarium eſt, verum id etiam, quod conferre aliquid poteſt perfectioni ipſius, ut in dies ſanctior evadat. Non audit hominum plauſus, & laudes; & gloriam, quæ ex ſanctitate emanare poteſt, reſpicit tamquam periculoſum laqueum, vel tamquam tentationem, quam prætertre ſinit, & quam ſuffocat, non fovet. Quo magis illius pietas, & fortitudo creſcit, eo magis ſuam ſentit infirmitatem; hinc dolet, extollitque cor ſuum ad Deum, cui ſuos labores devovet; conſtans in officio ſuo, ab eo numquam deflectit, pietatem amat, illum quærit, & ſincere conatur virtutes ſuas ad primos uſque perfectionis gradus provehere. *Ex libro, qui inſcribitur: Tractatus de conſcientia.*

Vera vitæ hujus ſanctitas omnium affectuum victoriam ſupponit.

Non ſatis eſt abſtinere a peccatis, vel aliquam exercere virtutem, ut ſis vere ſanctus; ſæpe enim accidit aliquos affectus cohiberi, frænarique, ſed aliis habenas laxari. Herodes nonnihil agit in S. Joannis Baptiſtæ gratiam, ſed non poteſt Herodiadi diſplicere. Sæpe etiam ab aliquo receditur crimine, ut minus aperta vitia nutriantur. Affectus trudit affectum, qui nimium edit rumorem. Phariſæus Deo gratias agebat, quod neque mœchus eſſet, vel fur; manifeſta hæc ſcelera ſcandalum attuliſſent populo, ejuſque gloriæ labem offudiſſent; verum noverat artem nutriendi avaritiam, atque ſuperbiam, quæ facile celantur. Eſto quidem, rationem habeto exiſtimationis tuæ a peccatis abſtinendo, dummodo abſtinentia hæc integra ſit, & generalis, & ſi ut Abraham ipſum etiam filium ſacrificas, ſi ultro gloriæ Dei immolas affectus, qui tibi chariores ſunt, magiſque naturales, cum interim ſecreta foves vitia, & peccati abſtinentia partialis eſt, neque potiſſimum ad Dei gloriam refertur, falleris, & accipis umbram virtutis pro ipſa virtute. *Idem.*

In virtute progrediendum eſt, & ad perfectionem perveniendum.

Incipienti virtuti regulæ tradendæ ſunt, neque habenda eſt fides ardori naſcenti, cui nihil arduum videtur. Cupiditates alia poſt aliam ſuperandæ ſunt, non omnes ſimul oppugnandæ. Ad perfectionem contendere, diuturni laboris opus eſt, arduum, & difficile; ſed hac via multo brevius. Unam tantum impugnandam aggredere affectionem, unum vitium delendum, unum pravum habitum evellendum; quam primum poſt te relinques eos, qui longius proceſſerunt, proficieſque magis, quam ſi præcipiti ardore intra diei unius ſpatium omnia perficere velles, atque longum ſtadium uno tantum anhelitu metiri. *Idem.*

Magis ſublimis ſpectanda eſt perfectio, ut ſis in numero juſtorum.

Cordis natura talis eſt, ut ſemper infra ſua ſubſiſtat officia, quia ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Juſtus ſæpe conatus exerit, ut ſe ad perfectionem attollat, & ſæpe ſub curſus dimidium ſubſiſtit; hoc nos ipſi etiam ſæpe ſenſimus, ibique conſtitimus, quia ad terminum uſque procederemus. Diligenti opus eſt vigilantia, ne fervor intepeſcat, & altius ſpectandum eſt, ut in medio maneamus. At plerique Chriſtiani eo tantummodo ſpectant, ut a ſe magna propellant pericula; ideoque non ſpectantes ultra id, quod ſibi eſſentialiter faciendum eſt, ſemper infra ſubſiſtunt. Ulterius contendendum eſt, aliquid agendum præterea, quæ omnino ſunt neceſſaria, ut directe eo perveniamus, quo perveniendum eſt. Ad perfectionem adſpirandum eſt, ut ſimus in numero juſtorum, & ut verus decet fideles vitam inſtituamus. Nulla præter hanc via eſt, & velle aliter juſtificari, eſt velle finem aſſequi, quin per media tranſitus fiat. *P. Maſſillon.*

Ut homines fierent ſancti, atque æternum beati, Dei filius venit in terram, & ad hunc finem nobiliſſima naturæ, & gratiæ opera retulit. Etenim ſi Pater æternus per ſingularem gratiam, qua præ tot populis, quos in Ethnici erroris tenebris ſepultos reliquit, nos ad myſteriorum ſuorum cognitionem vocavit, hoc præſtitit, ut vitam puram, ſanctam, innocuam, & ab omnibus Ethnicorum ſordibus, & ſceleribus vacuam duceremus: *Elegit nos, ut eſſemus Sancti.* Si Dei filius ſemet ipſum ſua exuit majeſtate, & magnitudine mortalem, qualis noſtra eſt, carnem induens; ſi triginta annos laboribus ſe exercuit, ut doctrina, & exemplis ſuis nos de officiis noſtris erudiret; ſi ut ſe ipſum redemptionis noſtræ auctorem, ac pretium conſtitueret, non pepercit ſanguini, & vitæ ſuæ, hoc ille fecit, ut nos ad vitam prorſus ſanctam, ac divinam regeneraret, quæ vacua eſſet ab omni corruptione vitæ illius, quam ab Adam accepimus. Denique ſi Spiritus ſanctus peculiarem ſibi in cordibus noſtris manſionem conſtituit, eaque recenti præſentia tamquam templa ſua conſecrat, hoc agit, ut in nobis divinam ſervet vitam, ad quam ſumus regenerati. *Idem.*

Deus ſublimem exigit virtutem præſertim a religioſis.

Virtutis, & pietatis ſoliditas inveniri debet in quolibet eo modo, qui dignus ſit ſanctitate vocationis ſuæ. Cum in ſæcularibus metuentibus Deum exquirenda non ſit perfectio tanta, quanta in iis, qui religionem amplexi ſunt, religioſis ſatis eſſe non debet virtus, quæ in aliis ſatis eſſe deberet, & quæ ipſis non ſufficit ex judicio Dei, qui ſciens, quid dederit illis, ab illis quoque eos expetit fructus, qui aliquam habeant rationem cum gratiis, quas contulit ipſis. Hæc inviolabilis eſt regula, quam ipſe in evangelio conſtituit; multum ab eo petitur, cui multum datum eſt. Non ſufficit ergo cogitare, te Chriſtianum eſſe, ac ſacro ablutum baptiſmate; præterea cogitandum eſt, tibi affluentiſſime faviſſe Deum, ut hæc affluentia, & ſuperaffluentia gratiarum Dei gignat in te fructuum divinorum affluentiam, & ſuperaffluentiam; fructuum videlicet fidelitatis, gratitudinis, amoris. *P. Croiſet in primo receſſu, pro die una ſingularum menſium.*

Sanctitas, & perfectio chriſtianos eſſe debet ſecundum ſtatum ſingulorum.

Ut bonus ſis in ſtatu perfecto, non ſufficit bonum eſſe in eo gradu, qui in ſtatu imperfectiore ſufficeret; ſed bonus eſſe debes ſecundum eam conditionem, in qua te Deus conſtituit, ſecundum gratias, quas nobis tribuit, & ſecundum rationem, quam ex nobis exquiret. Hoc a S. Auguſtino vocatur adimplere ſtatum in quo quiſque eſt per bona opera ſua, ne incidat in eam exprobrationem, qua filius Dei illum Apocalypſis Epiſcopum redarguit: *Non invenio opera tua plena.* Hujus Epiſcopi opera hominibus quidem plena videban-

bantur, ſed vacua Deo, qui magnum deprehendebat diſcrimen inter id, quod eſſe debebat, & quod erat. Quod nobis oſtendit, licet alii de nobis contenti ſint, nos tamen contentos eſſe non debere, metuentes, ne Deus fortaſſe videat in nobis, quod ipſi non videmus. *Idem.*

Charitas ſemper debet creſcere.

Hoc unum a Deo peto, ajebat S. Paulus ad Philippenſes, quod charitas veſtra magis ſemper abundet, Philippenſium charitas magna erat, & nihilominus S. Paulus Deum rogat, ut augeat illam, eamque recentibus ſemper cumulet incrementis. Charitas enim totus eſt Chriſtianorum theſaurus; virtus eſt, cui terminos conſtituere non debent. Magnæ charitatis præmium eſt, eam fieri ſemper majorem; hoc boni genus eſt, S. Chryſoſtomus inquit, quo numquam ſaturari debemus; & illius menſura eſt, nullam habere menſuram. *Modus diligendi Deum eſt diligere ſine modo.* Liber, qui inſcribitur; *Inſtructions Chretiennes.*

Ad perfectionem eſt contendendum.

Eſtote vos, perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Fruſtra aures obſtruimus, ne ſecretam audiamus vocem, quæ adeo crebro loquitur nobis ad cor, & ait, cum hunc nacti fuerimus honorem, propter quem ſpectamus ad Deum, præſtantiſſimum hunc Patrem, non poſſe nos hujus cognitionis honorem tueri, niſi ſolliciti ſimus, atque omnem navamus operam eam adepturi perfectionem, quam ipſe habet. Equidem ſcio, naturam, quæ ſemper ad relaxationem tendit, adniti, ut nos in re hac prævertat, nobiſque perſuadeat, cum adeo ſimus infirmi, nequicquam contendere, ut altius perveniamus; quantumvis parum noſtram intelligamus imbecillitatem, ſatis eſſe, ſi conemur noſmet eripere ex crudeli inſaniorum cupiditatum tyrannide, ſi cor noſtrum ita cicuremus, ut a noxiis retrahamus voluptatibus, quæ illi virus adſpergunt, & quæ guſtantibus ſe inferunt mortem; ſi noſmet continentes intra juſtos terminos, quos nobis religio præſcribit, nequaquam ruamus in vetitum; alioquin vitam nimis duram futuram, ac non ferendum jugum, ſi indeſinenter, ac ſine intermiſſione adlaborandum eſſet, ut fieremus perfecti; poſt aliquot relatas de nobiſmet ipſis, delatiſque affectibus victorias, poſſe nos victoriarum fructibus frui, contentos de acquiſita quadam perfectione, quæ creditur ſatis eſſe debere, quin noſmet tantopere torqueamus aliam majorem adepturi. Illuſio, periculoſus error, &c. *Auctor Anonymus.*

Cogitate, quid feciſtis tot annos, quibus Deum colere profitemini; quid inquam feciſtis, ut perfectionem ſecundum ſtatum veſtrum aſſequeremini. Perfectio hæc, ſancti Patres loquuntur, in perfecta cupiditatum ſuarum victoria conſiſtit, in perfecta abnegatione earum rerum omnium, quæ nos ab hoc fine arcent, in morte quadam erga omnia ſtudia naturalia, in mentis, & voluntatis noſtræ ſubjectione, in ſolitudine interiori, in perpetua Dei præſentia, & recordatione. Quid autem ad hoc ipſi fecimus, ad reprimendam hanc antipathiam, venenatam originem tot peccatorum, tot contumeliarum, tot ſimultatum, quæ foventur in corde, ad coercendum ingenium aſperum, truculentum, moroſum, difficile, querulum, intractabile, ad auferendam hanc diſſipationem, & evagationem, quæ eſt adeo oppoſita interiori ſolitudini, quæ eſt tranquillitatis origo? *Idem.*

Semper in ſanctitate creſcendum.

Maximi momenti veritas eſt, quæ effecit, ut omnes Sancti Patres conſiderarent, quam neceſſe ſit quotidie progredi in ſanctitate, ac in via bona, ubi ſemel illam fueris ingreſſus; neque enim ſatis eſt illam ingreſſum fuiſſe, ſed oportet in eadem progredi ea conſtantia, quam fides illuminet, & charitas inflammet. Si igitur nobis curæ eſt induendi novum hominem, prout exuimus veterem, timendum eſt, ne qui procedere debemus, retrocedamus. Plantæ, quæ, ubi ex ſolo emerſerunt, non creſcunt, quamprimum moriuntur; ac ſimiliter dicere poſſumus, niſi noſtra charitas creverit, & paulatim prava ſtudia, maloſque habitus noſtros diſſipaverit, ſecretum eſſe in nobis obicem, qui prohibet, ne creſcat, eamque fortaſſe brevi eſſe interituram. *Idem.*

Per nequitiam abutimus mediis, quibus ad ſanctificationem eſſet utendum.

Quidquid creatum eſt, in mente Dei nos ad ſanctitatem debet impellere, & nihilominus hoc ipſum vulgo ab eadem deterret. Ullane major in mundo fingi poteſt rerum perturbatio, quam mediis uti, ut recedatur a fine? Qui cauſantur ſe J.C. non ſequi, vel qui fideles non adhærent eidem, ubi ſemel ſe eumdem ſequi profeſſi ſunt, hoc agunt, eo quod adhærent aliquo modo creaturæ. Relinquitur fons aquæ vivæ, ut hauriatur aqua lutulenta, quæ ſitim magis accendit, ex ciſternis cœnoſis. Vera ſanctitatis acquirendæ ars eſt, ex bonis exterioribus nihil præter neceſſarium poſſidere, vel ſaltem uti illis, quin interiori affectu illis adhæreas, non pendere ab illis, niſi quatenus jubet Deus, ſemperque præſto eſſe illis habendis, vel non habendis. Rumor, quem edunt res creatæ, non alio ſpectat, niſi ut interpellent animæ ſanctæ ſoporem, quo inter providentiæ brachia teneretur, ſi ſemel illi committere vellet, & in id unum incumbere, ut fideliter illi ſerviret, ſine alia cura, quam magis magiſque ſemet in ſingulos dies ſanctificandi. *P. Dozenne in libro, cui titulus: Moralis Jeſu Chriſti.*

Hominum plerique fortunam ſuam ipſi præferunt ſanctitati.

Quamplurimi de ſanctitate acquirenda non laborant, quia ſuæ ſanctificationi vacantes non ſperant opes, honoreſque ſe acquirere poſſe, nimirum fortunam ſuam præferunt ſanctificationi, quaſi magnitudo Dei, honor eidem inſerviendi, illius amandi obligatio ſatis non eſſent, ut illi adhærere deberent. Nonne hoc eſt indignos fovere ſenſus de nobilitate characteris chriſtiani? Nonne hoc eſt oblivioni tradere finem, propter quem creati ſumus? Quid? ſi pietas, & ſanctitas ſimul eſſe non poſſunt cum hujuſmodi bonis, quæ cupiditas amare poteſt, ſanctitas, & pietas nullo nobis in diſcrimine erunt habendæ? Hoccine eſt eſſe Chriſtianum? Etiamſi dies noſtros in egeſtate ac tenebris traducturi eſſemus, huic, quod unice neceſſarium eſt, vacare debemus, æternæ videlicet ſaluti noſtræ, ad quam unica via ſanctitas eſt. *P. la Peſſe ſermone de temporalibus fructibus pietatis.*

Deſiderium proficiendi in virtute prædeſtinationis nota eſt.

Conſtat propter ea, quæ nobis Spiritus ſanctus pollicitus eſt, quod quotidie in via perfectionis procedere prædeſtinationis nota eſt. Hoc infertur ex verbis regii Prophetæ Pſalm. 83. *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum in loco quem poſuit.* Quam beatus eſt, Domine, cui tuum præbes auxilium, ut ad gloriæ ſedem perveniat? Hic gratia, præſidioque tuo adjutus ſibi in corde ſuo gradus conſtituit, per quos inceſſanter aſcendere decrevit, donec permaneat in hoc mundo, qui non aliud eſt, quam vallis lacrymarum, donec perveniat ad locum, quem illi miſericordia tua in cœlo præparavit; etenim Sancti Patres per has aſcenſiones intelligunt voluntatem in virtute creſcendi per conſtantem bonorum operum praxin. Propheta autem explicat, quid contingere conſueverit poſt hos progreſſus in ſanctitate, addens, Deum ſemper uberiores benedictiones ſuas effundere in eos, qui ita progrediuntur, quarum ope de una in aliam tranſeunt virtutem, & per beatam perſeverantiam, quam illis largitur Deus, & quæ cumulum addit eorum prædeſtinationi, ingrediuntur in gloriæ conſeſſionem. *P. Chabu, Secretum prædeſtinationis.*

Per gradus aſcenditur ad ſanctitatem, & perfectionem.

Pauci inveniuntur ſimiles S. Paulo, qui ex perſecutoribus eccleſiæ momento fiant Apoſtoli. Ad ſanctitatem, non ſecus ac ad ſanctuarium per gradus aſcenditur; temporis ſucceſſionem, & bonorum operum ſerie acquiritur perfectio. Per gradus in nobis formatur J.C. & viva illius imago apparet in moribus, & actionibus noſtris, quemadmodum teſtatur Apoſtolus ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Plurima detrahenda ſunt, non ſecus ac ſculptor ex marmore,

mnlra-

Digitized by Google

multaque alia addenda, quemadmodum efficit pictor, qui ſuos miſcet colores, aliuſque ſuper alios inducit in tabula, ſi perficiendum eſt magnum hoc opus ea in perfectione, quam hæc continent verba: *In virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Ad Epheſ. 4. Perveni ad extenſionem, & plenitudinem perfectionis, quam expectat ex me. *Idem in tractatu recidivarum in peccatum.*

Deus ſuas gratias omnibus, & per gradus communicat pro ut illis bene utimur.

Docet S. Dionyſius cap. 4. de divinis nomin. Deum, qui intellectuale eſt lumen, ſummumque bonum, nil amplius cupere, quam ſuos ſplendores effundere in animas, ac ſeſe illis plene communicare. Sed addit, ipſum ordinatim, & quaſi gradatim procedere; ſed a minoribus incipit luminibus, quæ ſi illæ fideliter recipiunt, vel majora deſiderant, hæc illis effundit pro magnitudine deſideriorum, & amoris, quem ſovent. Et S. Bernardus in Epiſt. 123. poſt S. Auguſtinum addit, infatigabilem proficiendi curam, & jugem conatum, qui exeritur, ut ad perfectionem perveniatur, pro ipſa perfectione deſumi: *Indefeſſum proficiendi ſtudium, & juges conatus ad perfectionem perfectio reputatur*. Cum enim hæc cura, & conatus, ubi ſupponitur, ſit efficax, numquam ſuo caret effectu, qui eſt eum, in quo invenitur, perficere. Denique S. Gregorius in hom. 3. in Eſechielem juſtis tribuit id, quod narratur cap. 1. hujus Prophetæ; quatuor animalia, quæ currui divinæ gloriæ juncta erant, numquam revertebantur, & quodlibet eorum ambulabat ante ſe cum toto impetu ſpiritus, quod agebantur. Hoc myſterium innuit, ſanctos, quin retrocedant, poſtquam ambulare incœperunt, ſemper progredi, quin revertantur, & recogitent umquam, quod fecerunt. *Idem.*

Chriſtiani, & præſertim religioſi, debent ſemper in virtute procedere.

Chriſtiani omnes, ſed præſertim religioſi, qui ſeſe Domino per religionis vota devoverunt, ita illi adhærere debent, ut nihil eorum ardorem valeat imminuere. Hac de cauſa perſuaſum eſſe debet, quod in virtutis via non procedere, retrocedere eſt; tepidum eſſe deterius eſt, quam eſſe frigidum; res parvas negligere eſt ſeſe præparare ſenſim ad lapſum funeſtum; ideoque neceſſe eſt ſemper magnis paſſibus procedere, quin umquam ceſſetur. Via juſtorum, inquit Sapiens Prov. 4. eſt lumen fulgens, quod progreditur, & creſcit uſque in perfectum diem. Virtus eorum nova ſemper habere debet incrementa. *Abbas de Monmorel ſerm. pro 4. poſt Pent. Dom.*

Minori labore in Dei ſervitute ſanctificamur, quam legibus mundi obſequimur.

Si ad ſanctitatem acquirendam graviſſimi militiæ labores eſſent ſuſtinendi, ac in ſexcenta vitæ diſcrimina adducendus eſſet unigenitus, ſolus locupletiſſimi hæres patrimonii, unica ſpes antiquæ, ſpectatiſſimæque familiæ, atque cum eo in periculum eſſet exponendum, quidquid chariſſimum eſt, ulline invenirentur parentes, qui hoc pretio ſancti eſſe vellent? Si ad cœlum lucrandum nocto, atque interdiu ingratis vacandum eſſet officiis, quæ cum graviſſimis conjuncta ſunt moleſtiis, ſine ulla oblectatione, ſine fructu, quemadmodum plurimi faciunt; ſi opus eſſet ſeſe omnibus urbanitatis officiis mancipare, morum factitatem continenti ſtudio acquirere ad omnium ingenia concilianda, quod aulicos facere ſolet; ſi dies, valetudo, ac ipſa vita eſſet atterenda in impeditiſſima negotiorum farragine, tantus ne eſſet ſanctorum numerus? Si, ut perfectus Chriſtianus eſſes, omnes devorandæ eſſent mundanorum moleſtiæ, omnibus temet ſubjicere deberes mobilibus, & moroſis legibus urbanitatis, conſuetudinis, uſus; ſi ut Deo placeres, tantum & corpus, & animum tuum torquere deberes, quantum mundana mulier, ut placeat mundo, numquid jugum Domini ſuave, & onus leve appellaretur? Fateris, mundum malum eſſe dominum, inciviem, durum, tyrannicum vocas: ne fingere quidem auderes Deum æque bonum, ac beneficum, qualis noſter eſt: cur igitur tantopere quereris de aſſertis difficultatibus, quas tibi amor proprius obtrudit, ne te in Dei cultu ſanctifices? Quid ergo diſplicet nobis, quid prohibet, ne id, quod in officiis noſtris maxime eſſentiale eſt, adimpleamus? *Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus.*

Deſcriptio hominis, qui ad chriſtianæ vitæ perfectionem contendit.

Qui ſolida virtute præditus eſt, atque perfectioni acquirendæ vacat, homo eſt ſine amore proprio, ſine ſimulatione, ſine ambitione. Homo eſt ſemper ſeverus in ſe, qui ſibi nihil parcit, mirum in modum lenis erga alios, in quibus excuſat omnia. Honeſtus ſine adfectatione, blandus ſine humilitate, officioſus ſine cupiditate, diligens legis obſervator ſine ſcrupulo, jugiter ſine contentione Domino adhærens. Numquam iners, licet nimis feſtinare non videatur; numquam nimis occupatus, ac minus adhuc in negotiis diſſipatus, quia ſemper ſervat cor liberum unico tantum negotio vacans ſalutis ſuæ, & ad id omnes ſuas curas impendens. Humiles de ſe ipſo ſenſus fovens, alios tantum habet in pretio, quippe in illis eas tantum ſpectat virtutes, quas habent, & in ſe ea tantum conſiderat vitia, quibus eſſe poteſt obnoxius. In Sanctorum ſchola eruditus minima ſtatus ſui officia præfert maximis actionibus, quæ ſibi arrident, & placent; in conditionis ſuæ exercitiis virtutem acquirit parum communem minima quæque magnis intentionibus attollens. Denique homo eſt ſemper contentus, ſemper in pace, ſemper ſibi conſtans, quem proſpera non inflant, quem adverſa non deprimunt; ſcit enim ab eadem manu vitæ hujus bona æque, ac mala proficiſci; & quemadmodum ſola Dei voluntas vitæ ipſius norma eſt, ſemper id facit, quod vult Deus, & ſemper vult, quod facit Deus. Intra conditionis ſuæ cancellos incluſus, alienis ſeſe non immiſcet negotiis. Vitæ ſuæ regendæ, moribuſque corrigendis intentus, illis, quorum intereſt, integrum relinquit aliena corripere facta, diligenti probitate a fidelium turba diſtinctus, per ſe ipſum experitur, quanta veneratione digna ſit virtus. *Idem.*

Falſa idea, quam vulgo de virtutis ſanctitate nobis efformamus.

Nulla res eſt, ubi frequentius falſas nobis fingamus ideas, quam in virtute, pietate, & ſanctitate. Hanc nobis exhibemus veluti regionem, cujus aditus crucibus, ſpiniſque conſiti ſunt: ex minimis, quæ nobis occurrunt, obicibus tot nobis monſtra confingimus. Modo in prærupta rupe collocatur, quo nonniſi adrependo aſcendi poteſt; modo in obſcura ſtatuitur ſolitudine, ubi lacrymis nutritur; nulla ſanctitatis imago non terret. Triſtitia ſemper in illius fronte depicta eſt; & diceres, quemque pro libidine horrentem illius imaginem ſibi proponere. Profecto pauci inveniuntur æqui rerum æſtimatores, qui illam in pretio non habeant, & qui per intervalla ejuſdem aliqua deſideria non concipiant; ſed infirma hæc, atque ſterilia deſideria quamprimum cedunt præjudiciis. Hæc attentio, hæc jugis violentia, quam quiſque ſibi facere debet, ut loquitur Scriptura, ſeorſus avertit, hæc multitudo præceptorum, & conſiliorum, quæ ſervanda ſunt, terret, & ex quo propius vitam Chriſtianam conſideramus, ejuſque praxin amplecti debemus, difficultates invenimus, quæ naturæ terrorem incutiunt, & quas ipſa amplificat imaginatio. Homines Dei ſervitio devoti miſeri exiſtimantur, docentes vitam triſtem, coactam, ſine ſolatio, ſine requie, ſine voluptate. Nobiſmet perſuademus, eos ſolitudine moroſos, ac triſtes effici, pietate in jugibus animi cruciatibus contineri, & mortificatione fieri ſibi, aliiſque graves... Sed quantumvis ſenſus virtutis praxin horreat, certum eſt tamen, vitam vere Chriſtianam vitam eſſe ſuavem, & hanc unam efficere poſſe, ut eas guſtemus voluptates, quæ eo dulciores ſunt, quo potiores. *Idem in ſpiritualibus conſiderationibus.*

Quilibet eſſe poteſt ſanctus in ſtatu, & conditione ſua.

Quid ſibi vult, Domine, hoc abſolutum mandatum, quo jubes nos perfectos eſſe, ut pater noſter cœleſtis perfectus eſt? Quamnam ætatem, vel quem ſtatum ab hac lege diſpenſaſti? Et ſi unus quidem eſt Chriſtianus, qui ſanctus eſſe non poſſit, cur omnibus generatim hoc proponendum erat exemplar? Certum

eſt, velle Deum; quemlibet ſanctum eſſe, ſed non ideo minus verum eſt, hunc nequaquam ſanctum futurum, niſi ad unguem omnia adimpleverit officia ſtatus illius, in quo Deus ipſos conſtituit. Cum milites, & publicani ex S. Joanne ſciſcitati eſſent, quid ſibi faciendum, numquid juſſi ſunt ſtatum mutare? Nequaquam. Magno huic Sancto ſatis fuit utroſque hortari, ne cui vim facerent, ut quilibet in ſtatu, ac officio ſuo religioſe legis præcepta obſervarent. Et ſane ſi Dei amor eſt tamquam anima perfectionis, cui videri poterit difficilis virtus chriſtiana, & potiori ne jure faber, quam nobilis, ſæcularis, quam religioſus dicere poterit, ſe Deum amare, vel neſcire, vel minime poſſe? Perfecta mandatorum Dei obſervantia baſis eſt ſanctitatis. Frequens ſacramentorum uſus magnum hoc roborat ædificium, & quilibet in ſtatu ſuo invenit, unde illud perficiat. *Idem.*

Cur ſæculares in clauſtris, vel in deſertis cœli inquirant viam? hanc in propria habent familia, eamque in filiorum ſuorum inſtitutione, in domeſticorum cura, in bono proſperorum, & adverſorum uſu, in cordis rectitudine; verbo, in vitæ veræ chriſtianæ exercitatione eas inveniunt rationes, quæ ipſos ſanctos efficere poſſunt. At enim negotiorum impedimenta, & familiæ cura omne fere tempus abſorbent, neque ſpatium relinquunt, quo ſalutis negotio vacetur. At ignoraſne, te efficaciter ad ſalutis tuæ negotium incumbere poſſe, aliis negotiis tuis operam navando, quæ negligere noxia eſſet incuria? Quin tibimet proponas pro tot curarum, laborumque cauſa opulentiam, tuæque domus incrementum, reſpice neceſſitatem vitæ neceſſitatibus conſulendi, conſervandi bona, nova acquirendi, filiis tuis proſpiciendi, reſpice inquam hæc omnia tamquam tui ſtatus officium, & ordinem providentiæ, quæ cum te in hoc ſtatu conſtituerit, vult ejuſdem onera a te ſuſtineri. Ex quo Deus admiſcebitur cauſæ, propter quam tuis negotiis invigilas, rationem habebit omnium vigiliarum, laborumque tuorum; omnes curæ tuæ melius inſtitutæ, ac moderatiores, ideoque minus laborioſæ fient utiliores. Non ſolum propter cœlum laborabis, & ſanctus fies, ſed ipſum coges Dominum benedicere induſtriæ tuæ, & quantumvis laborioſa fuerit vita tua, ſemper erit tranquilla, & ut loquar Scripturæ verbis, dies pleni erunt. Quidnam oppoſitionis invenitur inter hanc pietatis praxim, & ſæcularium hominum conditionem? *Idem.*

Invidemus illis, qui negotiorum impedimento liberati, atque per ſtatum ſuum ſexcentis expediti curis poſſunt libere bonis operibus vacare, ac præſentem, tutumque habent modum ſemet ſanctificandi. Sed in eorum, qui in mundo vivunt, poteſtate ſitum eſt, iis uti mediis, quæ in ſuo inveniunt ſtatu, ſanctitatis acquirendæ. Quiſnam eſt paterfamilias, qui domum ſuam regere nequeat, ſi ſe ipſum bene rexerit? Quodnam bonum opus magis ſolidum, ac utile, quam filios in Dei timore educare, religionis principia illis diligenter imprimere, & vitii horrorem in illis excitare? Quodnam opus bonum magis neceſſarium, & acceptum Deo, quam edocere, quotidie perfectiorem facere familiam ſuam? Bonum exemplum patriſfamilias majorem habet vim in animos, & cor illorum, qui ejus ſubſunt imperio, quam regulæ in religioſos; & optima vitæ ratio eſt morum diſciplina pro ſervis, & filiis efficaciſſima. *Idem.*

Cum diu in vita ſanctitatis ſubſtitimus, feſtinandum eſt, & majori cum fervore incedendum.

Progrediamur, quantum fieri poteſt, ad terminum, qui nobis indigitatus eſt. Cum tantum temporis remorati ſumus, quantum noſtra nobis oſtendit conſcientia, liquet plurimum itineris adhuc ſupereſſe abſolvendum. Inceſſanter igitur ad ſtadii finem curramus relaturi bravium cœleſtis beatitudinis, cum liqueat, eos, qui ſanctum hoc ſtadium ingreſſi curſum non perfecerunt, in magno verſari periculo, ne amittant rarum hoc præmium, niſi ſummos exerant conatus, & incredibili pervolent celeritate. Curſus longiſſimus eſt, tempus vero, quod ad illum abſolvendum datur, breviſſimum. Judicate utrum quam maxime referat illius diligentiſſimam rationem habere, idque eo magis, quod nobis perſuaſum eſſe debet, hoc a Deo concedi, ut conemur noſmet laboribus noſtris præbere dignos illius miſerationibus. *Liber cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri.*

Chriſtianos nullos ſanctitati ſuæ terminos debet circumſcribere, nec dicere, hoc ſatis eſt.

Non licet Chriſtiano, quantumcumque in virtute ac pietate profecerit, ſubſiſtere velle, & non procedere, quaſi, quidquid perfectionis, & ſanctitatis ſupereſt acquirendum, ſit meri conſilii. Retrocedere eſt in ſalutis via non procedere, juxta S. Bernardi ſententiam, quæ in omnium ore verſatur. S. Auguſtinus ante S. Bernardum Chriſtianis omnibus utiliſſimum hoc documentum præbuerat: Nemo fidelium, ait ille, quantumcumque in pietate procedit, dicat, ſatis eſt; ſi enim hoc dicit, ſubſiſtit, & in via ante curſus finem remoratur, ideoque in finem uſque non perſeverabit. Quamobrem idem S. Auguſtinus docet totam Chriſtiani vitam non aliud eſſe, quam ſanctum deſiderium, hoc eſt jugem cordis motum, quo actus, ut S. Paulus, obliviſcitur omnium, quæ poſt ſe reliquit, ut in dies ſemper magis procedat. *Specimen Ethicorum tom.* 10.

Sanctitas quodammodo eſſentialis eſſe debet Chriſtiano.

Cum ad Deum arctiſſimis, intimiſque vinculis attineamus, nihil eſt, quod facere non teneamur, ut noſmet tanto bono dignos præbeamus. Dubitare non poſſumus, quominus omnes curas debeamus impendere ad acquirendam, quantum ipſe conceſſerit, ſanctitatem, & evangelicam perfectionem. Verbo, dubitare non licet, nobis datum eſſe, ut ſimus membra ejus corporis, cujus ipſe caput eſt; opus eſt ergo, ſanctum eſſe corpus hoc, ut tali capite ſit dignum; ideoque ſanctitas qualitas eſt eſſentialis partibus, quibus ille conſtat, atque componitur. Ut nobis illius acquirendæ viam aperires, dixiſti Domine, ego ſum via, veritas, & vita. Via quidem, ut illi inſiſtamus viæ, quam ipſe ambulaſti; veritas, ut non alias habeamus regulas, quam veritates, quas ipſe nobis oſtendiſti; vita tandem, ut nos tuus poſſideat ſpiritus; nulluſque ſit ſenſus, nulla actio, nullus motus, qui per afflatum illius non producatur. Ita qui hæc conſideraverint, numquam mirabuntur, quod juſſeris nos eſſe perfectos, ſicut Pater noſter cœleſtis perfectus eſt: *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Abbas Trappenſis in moralibus conſiderationibus in evangelium S. Matthæi.

Ut perfecti ſimus, quemadmodum Dei filius poſtulat magna nobis opus eſt fidelitate.

Si hæc obligatio, qua ſanctos, perfectoſque eſſe debemus, nobis utilis eſt, magnam a nobis exigit fidelitatem, magnam diligentiam, dicam etiam, magnos labores; quomodo enim reſecari poſſunt ea omnia, quæ adverſantur puritati, quam petit; quomodo ea omnia fieri, quæ ad id aliquid conferre poſſunt, quin inceſſanter omnia naturæ ſtudia impugnentur, & huic denegetur, quidquid cupidius videtur expetere? Leviſſimi defectus, minima etiam deſideria, cum mere naturalia ſunt, cum hac obligatione nequaquam conſentiunt; itaque ſi illi ſatisfacere volumus, diſtrictus ſemper habendus eſt enſis, ut Salvator inquit, neque alteri cuipiam rei vacandum eſt, quam amputando, reſecando, ſeparando, quidquid impurum eſt, ac jugibus precibus Dominum fatigando ad obtinendas eas gratias, quibus indigemus, ut ad propoſitam nobis perfectionem toto niſu tendamus. Credentibus mediocritatis ſtatum ſufficere, ac terminum conſtituere volentibus Dei conſiliis, & gratiis non prodeſt affirmare, officium hoc ad eos tantum pertinere, qui religionis ſtatum amplexi ſunt, non autem ad eos, qui in mundi commercio vivunt, quoniam verbum tuum Domine omnibus dictum eſt. *Idem.*

Sublimis & perfectæ ſanctitatis idea.

Qui tibi, Domine, pura, ſinceraque adhæret charitate, qui ardenti deſiderio regnum cœlorum inquirit, & vult omnes curas ſuas ſibi inutiles non eſſe, nullum habet amorem, quo poſſideatur,

nullam

nullam ſollicitudinem ; qua pertaebetur, nullam voluntarem, qua diſtineatnr, aullam cupiditatem, quæ ipſi dominetur, ſeu fortunarum, ſeu voluptarum, ſeu bonnrum, ſeu mundi gloriæ, vel ſibi, vel conſanguineis, vel amicis, vel aliis, ſed omni affectione, umnique cura depoſita, ac ſe ipſum piæ cæteria odio habens te ſequitur omnino nudus, omnibuſque rebus expeditus, ac ſemper recenti fervore ſucccenſus. *Idem*.

Ut ſancti, & perfectiſſimus vitia primum nobis evitanda ſunt.

Quodcumque in virtute fiat ſtudiom, niſi vitia tua cognoveris, & correxeris, ſuperficiale eſt, & modicum adſert fructum. Hoc ſi deſit, animæ ad perfectinnem tendentis, multa opera bona facientis cura ſimilis eſt illis, qui minimarum rerum negotiationem exercent, quæ nonaiſi mediocrem illis quæſtum ſunt allaturæ ; cum e contra, qui incipiunt vitæ ſuæ rationem corrigendu, imitantur illns, qui magna emetiuntur itinera, & magnas habent ubique terrarum mutuas negotiurum procurationes. Ratio vero, propter quam, qui vitiis ſuis corrigendis nun navant operam, aun admodum progrediuntur, hæc eſt, quia lumen eorum exiguum *eſt*; non enim expurgarunt naturalem corruprionem, quæ in nobis eſt, & quæ eſt omnium tenebrarum noſtrarum origo. *P. Suria tom. 1. Dialogoram aſceticoram cap.* 2.

Vult Deus nos creſcere, & perfectiores fieri.

Noa deſunt mortales, qui in Dei coltu plurimum adlaborarunt, qui ſe providentiæ tradiderunt, ac ſubmiſerunt voluntati illius pluribus in rebua non ita levibus, qui adepti ſuat habitum ambulandi curam illo, jugiter inteari, ut illi placeant ; ſed qui tandem in ſe ipſis ſecretam carpentes requiem videntur contenti eſſe eo ſtatu, in quo ſunt, ac prohibere velle Deum, ne ipſos ad ſublimiorum gratiarum participationem illos attollat. In ſtato ſuo conquieſcunt, quaſi dicerent, ipſi contenri ſumus, & Deus eſſe debet contentus; quod ſupereſt, neque neceſſarium eſt, nec ſatis tutum. Deus neminem patitur remorari, neque ubi de perfectione agitur, ullos terminos ſtatui ; ſed quemlibet præſto eſſe, ut eum uſque ad conſiliorum ipſius complementum ſequatur. *Idem tom.* 3.

Quodnam ſit verum perfectionis, & ſanctitatis deſiderium.

Perfectinnis deſiderium certum eſt conſilium vivendi nun ſolum bene, ſed ſancte, ac in omnium virtutum exercitatione. Plerique enim hominam incerti ſunt conſilii ſui, eiſque ſtabilis hæc bonum exercendi determinatio deeſt. Operam oſcitanter impendunt ei rei, quæ vires omnes, omnemque induſtriam flagitaret. Illi, qui mundi homines dicuntur, ita affecti ſunt. Quamvis plurima bona opera faciant, attamea numquam mentem hanc habent, ſeſe penitus Deo devovendi. Quaſdam illi quidem exercent devotiones, quaſdam erogant eleemoſynas, ſed reliquum vitæ tempus in terrenis negotiis, India, ſolatiis juxta naturale cujuſcumque ſtudium impendunt. Paucs opera bona, quæ faciunt, per occaſionem videlicet fiunt, quod non prohibet, quominus de ſalute ſua ſint admodum incerti, cum vita eorum tantam habeat bonorum, malorumque immixtionem, ut dici nequeat, ipſos Deum ſibi in magiſtrum eligiſſe. *P. Suria in dialogis aſceticis. Tom.* 1. *cap* 1.

Sanctorum exemplum validum eſt ad ſanctitatis excitamentum.

Eccleſia hodie nobis proponit exemplum Sanctorum, qui, ut S. Ambroſius inquit, non præſtantiorem habuere naturam, ſed voluntatem obedientiorem : *Agnoſcamus ſanctos non fuiſſe natura præſtantioris, ſed obſervantia majoris.* Nulla res efficacius perſuadet exemplo, præſertim vero, cum a ſimilibus præbetur. Exemplum vocem habet verbis omnibus eloquentiorem ; oculos corporis afficit, migrat in animum, deſcendit in cor. Ita Eccleſia nobis Sanctorum proponit ſanctitatem, ut ad eorum imitationem impellat ; hoc exemplum eſt, quod eo majorem ad perſuadendum vim habet, quo magis ad noſtram accedit infirmitatem. Filiis domeſtica proponuntur exempla, ut excitentur ad ſequenda majorum veſtigia ; Sanctorum virtutes exempla ſunt, ut ita dicam, deſumpta ex eadem familia, ex qua ipſi prodiimus, & quæ inveniuntur in ordine naturæ per gratiam confirmatæ, in quo & ipſi ſumus. *Ex ſpecimine orationum panegyricarum tom.* 2. *pro die omnium Sanctorum.*

Quemadmodum nihil pernicioſius eſt ſcandalo, quia, ex Tertulliano, eſt exemplum rei malæ, quod illud quodammodo confirmat, & quod in animabus propenſionem in malum corroborat ; ita bonum exemplum ratio eſt validiſſima, qua utitur Deus, ut homines ad virtutem perducat. Ideo Spiritus ſanctus in Bibliis Sanctorum veteris teſtamenti vitam nobis reliquit ; ideo præcipuæ Apoſtolorum res geſtæ accuratiſſime referuntur in Actis, & Eccleſia in annalibus ſuis memoriam ſervat eorum, quæ ſancti fecerunt adepturi gloriam, qua perfruuntur, ut magna hæc exempla menti noſtræ præſentia nos inflamment ad obices ſuperandos, quos illi ſuperaverunt, ut ad terminum eumdem pervenirent. Quomodo autem ſancti alicujus vita ſanctitatem nobis perſuadet? Bifariam, S. Chryſoſtomus inquit ; efficiendo, ut ſanctitatis perfectionem intelligamus, & in nobis corrigendo vitia, quæ ab eadem nos amovent ; quippe ſancti vitam conſiderans intelligo nihil amandum, & in pretio habendum præter virtutem ; & cogitans, quod ſancti fecerunt, diſco, quid mihi faciendum ſit .... Ad examen revocemus noſtras, & Sanctorum actiones, ſtatimque apparebit, quid illos ſanctus fecerit, & quid faciat, ne ſancti ſimus. *Ibidem*.

Dei amor, in quo ſanctitas noſtra conſiſtit, in nobis ſemper creſcere debet.

Cum charitatis ignis ſemper, & extra nos, & intra inveniat, unde augeatur, & creſcat, ſi ille intepuerit, nonniſi noſtra negligentia hoc fieri poteſt. Obligatio Deum ſine intermiſſione, ac tempore diligendi exhibetur nobis per ignem, quem legis ſacerdotes interdiu, noctuque in altari ſervabant accenſum. Pauci tamen ſunt, qui hoc munus adimpleant ; & qui magis frugi ſunt, ex hoc intelligere debent, quam diſtent a perfectione, quæ in perenni hoc amoris incremento conſiſtit, ſine quo indeſinenter labimur in teporem, & ex tepore in Dei inimicitiam ; hoc enim ſtatutum eſt, in ſpirituali vita nullum eſſe ſtatum conſiſtentiæ, neque medium aliquid inter progreſſum, & remiſſionem : ita ut niſi Dei amor creſcat in nobis, illum imminui, & ſenſim oporteat extingui. *Ibidem pro ſecunda poſt Pentecoſten Dominica.*

Ut fideles ſimus gratiæ Dei, ſemper in ſanctitate creſcamus oportet.

Prima obligatio animæ, quam Deus ſpecialibus favoribus proſequitur, eſt, illi ſumma fidelitate, qua poteſt, reſpondere, & pro viribus adniti, ut vocationis ſuæ præſtantiam ſequatur. Neque enim aliquam ex his gratiis negligere poſſumus, ſed omnes in quæſtu ponendæ ſunt, niſi in ingrati animi vitium labi velimus. Juſtus eſt arbor illa ſecus fluenta conſita fructum ferens tempore ſuo, de qua ne unum quidem decidit folium. Deus facit nullam animæ ipſius affulgere claritatem, qua fides ejus non roboretur, neque ullum in voluntate malum edit, quo amor ejus non inflammetur; hic in ſancto fœnore ponit omnes cœli theſauros, & nullum ex locupletiſſimis gratiæ talentis inutile eſſe patitur. Semita juſti, Sapiens Prover. 4. ait, eſt tamquam lux orientis diei, quæ ſemper augetur ; ille quoſdam veluti gradus in corde ſuo conſtituit, & de virtute in virtutem uſque ad perfectionem progreditur. In perfectorum via nihil pericaloſius eſt, quam in hoc perniciſſimo animæ in Deum curſu remorari, qui progredi ceſſat, cadit, vel ſpirituali percutitur paralyſi, quæ inertem relinquit animam, quæ omnes illius alligat facultates, & quæ nullum illi motum erga Deum, vel erga creata permittit. *Abbas de Jarry ſermone pro die Viſitationis.*

Quatenus Dei filii ad perfectionem, & ſanctitatem contendere debemus.

Spiritus filiorum Dei, S. Leo Papa inquit, & divinæ hujus filiationis nobilitas pati nequit, Chriſtianum fidelem mundi hujus ungis adhæreſcere : vim aliquam habeat, neceſſe eſt, cum divinæ hujus regenerationis magnitudine, filii cum patre ſuo conſentiant, ameat, quod ipſe amat, & fugiant,

quod illi non placet. Et ſi nobilium virorum filii in mundo ſe in contemptum adducunt, cum actiones eorum generi ſuo nequaquam ſunt pares; quodnam, potiori jure, dedecus erit filiis Dei, ubi magnis virtutibus totam Chriſtianiſmi dignitatem non ſuſtinent? Quare conſiderandum eſt, obligationem hanc, quam nobis irrogat evangelium, ut ſimus perfecti, ſicuti pater noſter cœleſtis perfectus eſt, non eſſe conſilium ſimplex, ſed obligationem, quæ non præcepti tantum, verum etiam juris naturalis eſſe videtur. Et profecto aliquid ne magis naturale filio, quam patris ſui vitam referre, ubi digna eſt, quam filius imitetur? Quod tanto magis verum eſt in filiis Dei, qui pro talibus haberi nequeunt, niſi Dei ſimilitudinem gerant in vitæ ſuæ perfectione. Hominum filii parentibus ſimiles ſunt, vel in faciei lineamentis, vel alio aliquo naturali ſigno; ſed filii Dei patrem cœleſtem nonniſi in vitæ ſuæ perfectione poſſunt imitari. *P. Campigni in ſermone de obligationibus Baptiſmi.*

In baptiſmo in[illegible] duntaxat [illegible] ſanctitatem quæ eſt a nobis [illegible], & perficienda.

Quamquam per baptiſmi virtutem novæ fiamus creaturæ, attamen informia adhoc opera ſumus perfectionem ſuam a gratiam, & operibus expectantia; *Sumus initium aliquod creaturæ ejus*, inquit S. Jacobus. Chriſtianæ vitæ principia ſunt in animabus noſtris; virtutum omnium ſemina habemus; verum niſi illa diligenti cura excoluerimus, inter pravorum ſtudiorum noſtrorum ſpiras ſuffocantur. Regeneratio noſtra in baptiſmo nonniſi incœpta eſt, & pergere debet in omne vitæ ſpatium; & quamvis peccatum ſacramento deletum ſit, ſexcenta ſunt tamen, quæ prohibent, ne charitas in animabus noſtris penitus conſtituatur, & quæ totidem ſunt obices perfectioni, quam a nobis exigit Deus. Concupiſcentia, & affectiones, quæ in nobis remanſerunt, omnibus illius conſiliis adverſantur, ita ut niſi in jugi magnarum virtutum exercitatione verſamur, niſi inceſſantes progredimur, numquam perventuri ſimus ad perfectionem, & eum ſanctitatis gradum, ad quem tendere debemus. *Idem.*

Cum mundi homines dicentes audio, ſe ad perfectionem nequaquam teneri, ſatis eſſe, ſi in gratiæ ſtatu ſint, & hoc poſito, omnia ſibi licere; pro illis contremiſco; alterutrum enim teneo, vel illos non eſſe in ſtatu gratiæ, in quo ſe eſſe putant, vel ſi ſunt, non diu in eo permanſuros. Ratio ex S. Bernardo præſto eſt, palam docente, maximum indicium, quod in corde aliquo gratia reſideat, hoc eſſe, cum illis novæ gratiæ, novæque perfectionis inſpirat deſideria. Quod innititur illi Scripturæ verbo dicentis, eum, qui gratiam guſtaverit, recenti ejuſdem deſiderio eſſe flagraturum: *Qui edunt me, adhuc eſurient.* Eccl. 24. Cum gratia in anima eſt, ibi effodit abyſſos, quæ alias trahunt; eam dilatat, hac parem efficit aliis gratiis recipiendis. Hinc Sanctus iſte concludit, putare ſatis eſſe a peccatis abſtinere, quin de perfectione acquirenda laboretur, indicio eſſe, vel gratiam non habere, vel hanc in corde non operari.

SCANDALUM,

Quod accipitur, & infertur. Sceleris enormitas, & effectus pernicioſi &c.

MONITUM.

ALibi de exemplo generatim, deque bono exemplo ſingillatim actum eſt, quin verba facta ſint de pravo, quod proximis tribuitur: nunc autem agendum de ſcandalo, quin ſermo habeatur de bona ædificatione, quam fidelis quilibet fratribus ſuis debet. Duo hæc argumenta ſeparanda eſſe cenſui, licet a plurimis concionatoribus ſimul pertractentur, tum quod ſatis ſuperque copiæ utrobique ſuppetit, tum quod eorum tractandorum ratio prorſus differre debet.

Cum neceſſe ſit, in mundo ſcandala oriri, ipſo Jeſu Chriſto aſſerente, videlicet cum in humana ſocietate fieri vix poſſit, ut ſcandala in mundo evitentur propter aliorum quidem nequitiam, aliorum autem infirmitatem, hinc orta diſtinctio eſt inter ſcandalum activum, atque paſſivum. De utroque hic ſermo, licet quidquid locuti de conſuetudine, quam omnes fere ſequuntur, hac de re diximus, ad ſcandalum paſſivum, quod nomine tenus differt, traduci valeat; ſed quæ ſemel attigimus, iterum non prodibunt.

Alterum quoque ſcandali paſſivi genus eſt, de quibus pauca dicemus, eſtque illud, quod ex bonorum virtutibus, boniſque actionibus ſumitur, propter quas improbi injuſte, ac temere ſcandalizantur; nihil vero prorſus aſſeremus de ſcandalo, quod impii hauriunt ex evangelicis inſtitutis, noſtræque religionis veritatibus, non ſecus ac de ſcandalo crucis, & humiliationum filii Dei; hæc enim ad alia pertinent argumenta. Cæterum ſcandalum, de quo hic agimus, locum præbet deſcribendi plures morum ſæculi characteres, & vitia, & uberem aperit campum diſertiſſimæ, ac patheticæ eloquentiæ, ad deplorandum interitum animarum, cujus illud eſt cauſa.

PA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti ſtructuræ.

I. AD ciendum horrorem, quem ſcandalum meretur, utor imprecationibus ipſius J. C. quas t. & in mundum: *Væ mundo a ſcandalis*, Matth. 18. 2. & in ſcandali auctores contorquet: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit;* ut alibi diviſionem inquiramus, quam in terribilibus his Salvatoris maledictionibus. Scandalum eſt cauſa omnium mundi malorum: *Væ mundo*. Et auctorum ſuorum excidium: *Væ homini illi*. Hæ duæ erunt Concionis partes.

Pro priori. Oſtendendum eſt, Jeſum Chriſtum jure protuliſſe anathema in mundum propter ſcandalum, *Væ mundo a ſcandalis*. Cur? Quia mortalium plerique damnantur propter ſcandalum, quod præbetur, & accipitur, & quia fere ſufficit, præberi ſcandalum, ut accipiatur; quam veritatem luce clariorem oſtendam pluribus propoſitionibus, quæ omnes experientiæ innituntur, & quæ latum excurrendi in morum diſciplinam campum aperient. Nil facilius, quam ſinere, ſe mali exempli torrente trahi. Liquet nihil ad perſuadendum eſſe efficacius, quam alienum exemplum generatim. Sed pravum exemplum, quod ſcandalum vocatur, longe efficacius eſt ad malum perſuadendum: *Facilius eſt*, S. Auguſtinus inquit, *Juſtos decipi ab impiis, quam impios a melioribus emendari*. Et conſtat ratio. Pravo impiorum exemplo accedit robur ex naturalibus ſtudiis, quibus in malum ferimur, jam proni ſumus in id, quod illud nobis perſuadere voluerit. Cæterum ſcandalum aufert omnes obices, quos conſtituerat Deus, ut nos a vitiis præſervaret; videlicet conſcientiæ lumina, naturalem pudorem, quo ob quædam ſcelera ſuffundimur, metum, ne ob vitæ rationem exprobremur. Propoſitio altera. Pravum exemplum, ſeu ſcandalum crimini quidem impunitatem, nocenti vero impudentiam, vel audaciam tribuit; etenim ubi ſemel ſcandalum præbere cœpimus, nullius nos pudet facinoris; & cum publica eſt ſceleris infamia, in flagitiis perſeveramus, quin ne intelligamus quidem murmur, quod excitat. Propoſitio tertia. Maxima quælibet vitia nonniſi per ſcandalum invehuntur; veluti impudicitia, impietas, irreligio: *Adulterium dum videtur, diſcitur*, Tertullianus inquit. Propoſitio quarta. Quia prava exempla ſeſe communicant per eos omnes, qui nobis accedunt, vel quibus accedimus ipſi, & ſcandalum undequaque ad nos venit, & per ſenſus omnes ingreditur. Igitur Dei filius jure exclamat: *Væ mundo a ſcandalis*, & quæ inferuntur, & quæ recipiuntur.

Pars altera. Scandalum in ſolo etiam auctoris ejuſdem corde conſiderantes oſtendere debemus, Deum nequicquam teterrima in eum evomuiſſe anathemata: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*. Matth. 18. 7. Propter criminis enormitatem, quod evertit finem, propter quem Dei filius venit in terram, nempe ut omnes homines ſalvos faceret; ſcandalum enim eo tendit, ut eos perdat, eripiatque Deo animas, pro quibus Salvator vitam, ſanguinemque effudit ſuum; quæ non eſt hyperbolica exaggeratio; id enim S. Paulus per hæc verba 1. ad Corint. 8. teſtatur: *Peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt*. Et quamvis, qui ſcandalum præbet, non hac mente operetur animas perdendi, ſatis eſt, hunc funeſtum eſſe ſcandali effectum, & ab auctore ſuo ignorari non poſſe. 2. Domini maledictiones vanæ non ſunt erga eos, qui ſcandalum præbent; etenim quin loquamur de diffamatione, quæ fere ſemper ſubſequitur ſcandalum, ea tantum mala inſpiciamus, quæ æternitatis habita ratione ejuſdem manent auctorem. Huic enim ratio reddenda eſt animæ fratris, quem perdidit, quæ anima ipſius dicitur eſſe reparanda: *Sanguinem ejus de manu tua requiram*. Ezech. 3. 3. Converſionem ſuam, ac pœnitentiam moraliter impoſſibilem efficit propter difficultatem, in quam ſeipſum adducit reparandi malum, quod affert, animas eruendi ex abyſſo, in quam illas conjecit, & mundum bonis exemplis tantum ædificandi, quantum exemplis pravis illum ſcandalizavit, &c. 4. Quia hoc illud peccatum eſt, quod in hac vita frequentius, & acerbius inſignibus ſuppliciis, quæ exemplo ſint, punitur, ut hac punitione deterreantur alii, ne pravum ſequantur exemplum, quod flagitioſi ita male mulctati præbuerunt.

II. Duæ propoſitiones concionis partitionem conſtituent in hæc verba: *Væ mundo a ſcandalis*.

Prima, væ ſcandalum præbenti. 1. Quia coram Deo eſt homicida omnium animarum, quibus ſcandalum adfert. 2. Quia coram Deo rationem redditurus eſt omnium ſcelerum, quæ patrabuntur ab illis. Hoc monſtroſum peccatum eſt, peccatum diabolicum, peccatum contra Spiritum ſanctum; quia directe charitatem impugnat; peccatum eſſentialiter oppoſitum redemptioni Jeſu Chriſti.

Propoſitio altera. Duplex væ ſcandalum præbenti, cum bonum tenetur exemplum præbere. Tales ſunt patres erga filios, domini erga ſervos, ſacerdotes erga dominicum gregem, &c. *Ex veris ſermonibus P. Bourdalove recens editis, pro Adventu tom. 1. ſerm. 3.*

III. 1. In hoc ſermone videbitis primum magnitudinem injuriæ, quam Deo ſcandalum infert; 2. magnitudinem damni, quod infert Eccleſiæ, cujus totam faciem deformat, quam probro, ac rubore ſuffundit, atque infidelibus, hæreticiſque contemptibilem efficit; 3. magnitudinem damni, quod infert proximo, & auctoribus ipſis. Si alia ſcelera aliquod audent facinus contra Dei gloriam, facinus hoc vanum eſt, ac infirmum; e contra vero ſcandali facinus effectivum eſt, & reipſa præſtantiſſima ejus opera evertit, omniaque illius perturbat conſilia. Si alia ſcelera aliqua injuria Eccleſiam afficiunt, ſcandalum ipſam prorſus dedecorat. Denique ſi alia nocentem æternæ damnationi ſubjiciunt, ſcandalo hoc ineſt peculiare, quod difficilius expiatur, & mala, quæ gignit, vix poſſunt reparari. *De la Font diſcurſu pro Dominica 6. poſt Epiphaniam.*

IV. 1. Peccator numquam ſe magis dignum præbet ira Dei, ejuſque in ſe ultionem convertit, quam cum proximo ſcandalum adfert. 2. Peccator numquam magis impar eſt fructum percipiendo ex gratiis Dei, quam cum ob proximi virtutes, bonaſque actiones ſcandalizatur. 3. Peccator numquam majorem teſtatur imbecillitatem, neque in majori pereundi diſcrimine verſatur, quam cum ſe in vitium trahi ſinit ſcandalo, quod ex pravis proximi actionibus accipit.

V. De maledictionibus, atque anathematis, quæ Dei filius profert in eos, qui ſcandalum præbent. Oſtendendum eſt, Deum hæc anathemata præſertim in tria perſonarum genera contorquere. 1. In mundi ſectatores generatim, qui prava tribuunt exempla. 2. In homines protervos, qui palam flagitioſiſſimam ſe vitam ducere profitentur. 3. In mundi principes viros, qui conditionis ſuæ nobilitate ſcandalis aliquam præbere videntur auctoritatem. Hi ſunt tres ſcandali gradus. Scandalum ſimplex, ſcandalum profeſſionis, ſcandalum auctoritatis.

VI. 1. Cum nulla res chriſtianæ religioni, ejuſque doctrinæ, atque inſtitutis apud Ethnicos fidem magis abrogaverit, quam ſcandalum, quod ex vita, praviſque fidelium moribus perceperunt; ita nunc nullum infidelium, & hæreticorum converſioni majus obſtaculum eſt, quam ſcandalum eorum, quorum vita ſuæ fidei, & religioni con-

formis non eſt. 2. Nullus eſt peccator, cui Deus graviora minitatus fuerit mala, & in quem ille acerbius animadverterit.

VII. 1. Facile eſt præbere ſcandalum proximo; ſufficit enim verbum imprudenter prolatum, actio, quæ ex ſe indifferens eſſe poteſt, peccatum, quod per imprudentiam non celavimus, & ad aliorum cognitionem pervenit; præberi etiam poteſt ipſo indumentorum genere, ſervorum caterva, luxu; verbo, malo earum rerum uſu, quæ pertinent ad nos. 2. Facilius adhuc eſt accipere ſcandalum, & ſequi propoſitum ob oculos exemplum, propter noſtram imbecillitatem, ac pronam in malum naturam. Hinc duplicem ad noſtram doctrinam eruere poſſumus concluſionem. Prima eſt, nobis diligentiſſime cavendum, ne cui ſcandali occaſionem præbeamus: altera eſt diligentia, qua a nobis amovere debemus, quidquid eſſe poteſt ſcandali occaſio.

VIII. 1. In mundo facile eſt ſcandalum parere, & pauci ſunt hoc crimine vacui; quod ſtatibus, & conditionibus omnibus adhærere videtur. Illi ipſi, qui putant, ſe nemini ſcandali occaſionem præbere, vel qui ad id animum non advertunt, illi ſunt, qui frequentius præbent occaſionem modo malis actionibus, modo officiorum ſuorum omiſſione. 2. In mundo nemo ferme cogitat, & advertitur reparare ſcandalum. Hæc duo ſunt concionis puncta, quorum alterum nos impellere debet, ut maxima, qua fieri poteſt, diligentia omnibus operibus noſtris invigilemus; alterum, ut ſerio ad examen revocemus, quænam fuerit uſque in præſens vitæ noſtræ ratio, ut medeamur ſcandalo, quod fortaſſe præbuimus.

IX. In hoc argumento eligi poteſt ſimplex hæc, & communis diviſio, quæ tamen continet, quidquid dici poteſt. 1. Injuria, quam infert Deo, cum gloriam deterit, & evertit conſilia, quæ de hominum ſalute fovet, inutilem efficit erga eos, quorum gignit excidium, incarnationem, mortem, paſſiones, & merita Jeſu Chriſti. 2. Damnum, quod infert proximo, illius animam perdens, & damnationem procurans, quod malorum omnium extremum eſt, atque graviſſimum. 3. Damnum, quod ſcandali auctor ſibi conſtat, ſe ipſum onerans peccatis omnibus, quæ propter ipſum ab aliis patrantur, ac ſeſe eo redigens, ubi malum, quod peperit, nequeat reparare.

X. 1. Scandali impudentia: hoc enim publicam peccatum eſt, quod ſine metu, & pudore committitur, & quin ulla habeatur ratio eorum, qui facti teſtes eſſe poſſunt, impudentiam ſuam reliquis vitiis communicat, ut palam turpiſſima quæque patrentur. 2. Scandali crudelitas, quod ſine miſeratione fratris animam occidit, eique mortem æternam infligit. 3. Immedicabile vulnus, quod ſcandalum infert; & difficultas medendi malo, quod affert, quod, eo quod ignotum eſt, non ideo minus magnum, late patens, & perniciofum eſt. Hæc tria ſunt, quæ in nobis ciere debent ſcandali horrorem, ac tres concionis partes efficere poſſunt.

XI. 1. Ignoratur vulgo, in quo ſcandalum conſiſtat, & quomodo committatur; unde fit, quod Chriſtianorum plerique in hoc incidunt crimen, quin ad id animum advertant, & hac in re ſuam conſcientiam excutiant. Quamobrem variæ illius ſpecies explicandæ ſunt, ac docendum, quot modis præberi poſſit ſcandalum proximo directe, indirecte, cum intentione nocendi, vel ſine intentione in vitium pertrahendi, & quomodo quælibet ſpecies cauſa ſit ruinæ, & damnationis proximi. 2. Ignoratur enormitas hujus peccati, & quantum Deus illud perhorreſcat, quod oſtendendum eſt per minas, quas ille ſcandali auctoribus intentat, & ex ratione, quam ille petet ſalutis, & animæ fratris ipſorum, per obligationem reparandi damnum, quod ſcandalo illatum fuit, & per difficultatem huic obligationi ſatisfaciendi.

XII. 1. Malum, quod in mundo gignit, qui ſcandalum præbet. Peccans peccare docet, ac fit iniquitatis magiſter, hanc publice actionibus ſuis docens, idque efficacius, quam ſi verbis doceret. Tentator eſt, quod in ſcelus impellit; & qui dæmonis vicarius, & organum eſt, ut homines perdat. Delet quodammodo turpitudinem, & infamiam peccati, ac facit, ut impudenter, & propalam committatur. 2. Pœnas, quas Deus paſſim repoſcit a ſcandali auctoribus, & quæ tres ferme ſunt. Prima mors turpis, & funeſta, uti videmus in Scripturis: *Ponam te in exemplum*, dicit Deus Nahum 3. In te ponam exemplum poſteritati univerſæ memorabile. Altera eſt fere certa reprobationis nota; cum enim tot perdiderit animas, juſtum eſt tanti ſceleris ſupplicium, quod pœnæ earum ſit ſocius. Tertia eſt, in altera vita acrius animadverti in eum, qui ſcandalum præbuit pro numero eorum, quorum interitus, & damnationis fuit cauſa.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

S. Auguſtinus *lib. de catechizandis rudibus* docet, veritatem non eſſe deſerendam, neque a bonis operibus ceſſandum, quod in ſcandalum impii deſumere poſſint. Sancti Patres.

Idem *lib. 2. contra Epiſt. Petiliani* rationem reddit, cur dæmon homicida vocetur, quia animam occidit, & primus ſcandalum in mundum invexit.

S. Gregorius 3. *part. curæ Paſt. admon.* 36. oſtendit plures ſcandalum tribuere, quin ſe tribuere putent.

Idem 1. *part. ejuſdem curæ Paſt.* docet ſcandalum creſcere, ac pernicioſius fieri per circumſtantias dignitatis, aliarumque qualitatum in præbentibus illud.

Idem *Homil.* 31. *in Evang.* hoc ipſum oſtendit,

Idem 3. *part. curæ Paſt. admon.* 36. oſtendit ſcandali crudelitatem tum in præbentes, cum in accipientes illud.

S. Chryſoſt. *ſerm. contra concubinarios* oſtendit gravius, ſed ſine ſcandalo peccantem minus punitum iri, quam qui cum ſcandalo minora peccata commiſerit.

Idem *Homil.* 7. *in Geneſ.* oſtendit injuſtitiam eorum, qui propter unius noxam accuſant omnes, qui ejuſdem ſunt profeſſionis, & inde ſcandali occaſionem arripiunt.

Idem *Homil.* 14. *in Epiſt. ad Roman.* docet, eos, qui alios ad peccatum excitant, gravius puniri peccantibus.

Idem *Serm.* 25. *in Epiſt. Pauli ad Rom.* docet, quam grave ſit ſcandali peccatum, & qua pœna vulgo puniatur.

Idem *Homil.* 20. *in Epiſt.* 1. *ad Corinth.* prolixum habet de ſcandalo ſermonem.

Idem *Homil.* 56. *in cap.* 9. *Joan.* docet, fugiendam eſſe improborum ſocietatem, ne qui nos vident, ſcandalizentur.

S. Hieron. *lib.* 3. *in cap.* 12. *Oſeæ* docet, eum, qui aliis eſt lapſus, & ſcandali occaſio, ſui excidii eſſe cauſam.

Idem *Epiſt.* 11. *ad Feroniam*, eam hortatur, ne pravo exemplo cui ſit occaſio peccati.

S. Baſilius *Tract.* 2. *de Baptiſmo cap.* 10. docet quid ſit ſcandalum allatum, & acceptum, & quomodo ſit ab utroque cavendum.

Idem *S. Reg. brev. reſpon.* 64. oſtendit, unde ſcandalum oriatur, & quot modis inferri poſſit.

Origenes *Homil.* 1. *in Pſalm.* 36. docet, cum præbentibus ſcandalum converſandum non eſſe, neque ſcandalum alicui eſſe præbendum.

Idem *Homil.* 25. *in cap.* 21. *Exodi* docet, imbecillium animarum eſſe ſcandalizari.

Idem *Homil.* 25. *in cap.* 31. *Numer.* Madianitarum exemplo docet in afferentes ſcandalum gravius, quam in accipientes animadverſum iri.

S. Chryſologus *Serm.* 27. docet, qua cura ſcandalum ſit evitandum.

S. Bernardus *Serm.* 1. *de Converſ. S. Pauli* ſcandalum

Digitized by Google

lum præbentes comparat Judæis, qui Dei filium occiderunt, ac indigne ſanguinem illius fuderunt.

Idem pluribus in locis oſtendit, qua cura nobis cavendum ſit, ne ſcandalum præbeamus, atque adnitendum, ut quantum in nobis erit, illud ex mundo exterminemus.

Aſcetici aliique.

Granatenſis in memoriali lib. 2. de pœnitentia Confeſſionis loquitur de ſcandalo evitando.

Conradus Elingius *in Catech. lib. 3. cap. 2. & in locis Comm. lib. 5.*

Moralis chriſtiana in *Pater l. 8. ſect. 3. art. 3.*

P. Chabu in libro, cui titulus: Secretum Prædeſtinationis *cap. 6. art. 4. ſect. 3.*

P. Cameret in libro, cui titulus: *Purus, perfectuſque Chriſtianiſmus*, prolixum habet de pravo exemplo tractatum.

P. Gegou in libro, qui inſcribitur: Uſus Sacramenti Pœnitentiæ *par. 2. cap. 2. §. 5.*

Liber, cui titulus: Bellum vitiis prælio 40. contra ſcandalum.

P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus tom. 1. pro 14. die Februarii, & tom. 3. pro 12. die Septembris.

Concionatores ſequentes.

Raynerius de Piſis in Pantheologia.

P. Grizel in Adventu ſerm. 10.

P. Delingendes ſerm. pro Feriis 4. & 5. poſt 3. Quadrageſimæ Dominicam.

Lambert in anno evangelico Hom. 83. in Evangelium feſtivitatis S. Michaelis.

Biroat in Adventu de mundi damnatione ſermone 12.

P. Bourdalove in veris ſermonibus recens editis primo Adventu ſerm. 3.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta, in Adventu ſerm. 14.

Qui collectanea ediderunt.

Granatenſis in locis communibus verbo *Scandalum*.

Buſæus in Panario, Titulo *Exemplum malum*.

Labatha, Verbo *Scandalum*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturæ huic argumento.

Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio, plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies. Exod. 23.

Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam. Exod. 34.

Quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur. 2. Reg. cap. 12.

Ab occultis meis munda me & ab alienis parce ſervo tuo. Pſalm. 18.

Inventi ſunt in populo meo impii, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. Jerem. 5.

Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: propter quod & ego dedi vos contemptibiles omnibus populis. Malach. 2.

Qui decipit juſtos in via mala, in interitu ſuo corruet. Proverb. 28.

Neceſſe eſt ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Matth. 18.

Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Matth. 18.

Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: & ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te. Ibidem & cap. 5.

Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Ad Roman. 14.

Ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum. Ibid.

Videte ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. 1. ad Cor. 8.

Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem. Ibid.

Rogo vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. Ad Roman. 16.

Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. 1. ad Cor. cap. 5.

Si quis viderit eum, qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem, nonne conſcientia ejus, cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? 1. ad Cor. cap. 8.

Peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt. Ibid.

Sic peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Ibid.

Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum. 2. ad Cor. 6.

Sine offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei. 1. ad Cor. 10.

Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. 1. ad Theſſ. 5.

Peccantes coram omnibus argue. 1. ad Timot. 5.

Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Pſal. 36.

Ne ambules cum homine furioſo, ne forte diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. Proverb. 22.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deprompta.

De protoparentum noſtrorum ſcandalo.

De ſcandalo, quod protoparentes noſtri præbuerunt, non loquar; ſatis enim mihi erit ibi animadvertere eam veritatem, quam S. Chryſoſtomus docet, eum videlicet, qui alium ad peccandum impulerit, acerbius, & gravius punitum iri, quam qui alio auctore, atque ſuaſore peccat. Hujus rei nobis ſuppetit exemplum in ea ſuppliciorum varietate, quibus Adam, & Eva affecti fuerunt, quamquam ejuſdem noxæ rei. Eva enim ſeverius punita fuit, quam Adam, quippe illa hunc ſollicitavit, & in divinæ legis inobedientiam induxit. Quinimmo Deus ultionem ſuam in ipſum etiam ſerpentem extendit, quo miniſtro uſus fuerat dæmon, ut Evam ad rebellionem excitaret.

Ultio Dei in Amalecitas, & quare.

Scandalum crimen eſt, cujus venia perraro, ac difficillime obtinetur, & cujus ultio in remotiſſimam quoque poſteritatem extenditur. Hujus rei exemplum invenimus in imperio, quo Deus Moyſi præcepit, ut in libro ſcriberet, ſe jam decreviſſe interitum, excidiumque Amalec, eo quod adverſatus fuiſſet Iſraelitis tranſitum per agros illius petentibus, ut proficiſcerentur in terram Canaam, quam illis promiſerat Dominus. Sententia hæc poſt quadringentos adimpleta fuit annos, cum Samuel Dei nomine imperavit Sauli, ut Amalecitis bellum indiceret, eoſque univerſos occidione deleret, quin cuiquam parceret; & non extrema inter cauſas, propter quas Saul reprobatus fuit, hæc extitit, quod adeo explicitum Dei mandatum ex parte dumtaxat implevit. Inſignis figura horroris, quo Deus illos proſequitur, qui pravis exemplis alios a recto tramite avertunt, atque in vias perditionis inducunt.

Lex in Scriptura contra eos, qui foveam foderint in quam animalia ceciderint.

In Exodo explicita lex habetur in eum, qui ſecus viam foderit foveam, neque illam contexerit, ita ut bos, vel aliud quodlibet accolæ ſui pecus illac tranſiens, in illam ceciderit; & qui id fecerit, damnatur, ut damnum reparet proximo illatum. Quam ob rem Apoſtolus 1. ad Corinth. 9. dicit, vel nos cum ipſo dicere poſſumus: *Numquid Deo cura eſt de bobus?* Et ſane ſi jubet Deus a nobis reparari damnum, quod noſtra acciderit culpa, putaſne eidem zelum defuturum, ut rationem minime poſcat animæ, quam ipſi ſcandalo noſtro perdiderimus?

Eleazarus timuit, ne eſſet ſcandali occaſio.

Quam timuit, ne populo ſuo ſcandali eſſet occaſio venerabilis ſenex Eleazarus, vir ille apud Judæos æque ætate, & dignitate verendus, ille juxta egregiam S. Ambroſii locutionem. *Vir*

ante

ante tempora Evangelica Evangelicus. Ut mortem effugeret, hoc unum ab illo petebatur, non quod vetitis carnibus veſceretur, ſed tantum ſimularet, ac in ſpeciem aſſenſum præſtaret, ſore ut ex illis comederet. Horruit ille hanc ſimulationem, & quare? Neque enim decet, inquit ille, ætatem, qua ſum, & dignitatem, quam teneo, ambagibus uti, ac ſenſus meos ſimulare. Quid enim cogitabit, quid dicet, quid aget ignara, infirmaque juventus, ubi audierit, Eleazari virtutem loco ceſſiſſe, ipſumque a Dei ſui lege defeciſſe? Quam ipſe ſcandali occaſionem non præbebo? Omnes in meum tranſibunt exemplum, ac fient imbecilles, & impii, qualis ipſe fuero. Et ſane quid dictum, quid cogitatum, quid exemplo ipſius factum non fuiſſet? Fuiſſet hoc publicum ſcandalum, quod jure magnus ille vir perhorruit.

Matathiæ zelus ad ſcandalum publicum ulciſcendum.

Scandalum malum eſt contagioſum, & quod brevi ingentes progreſſus facit. Hæc res excivit ſtrenuum illum Machabæum, invictum Matathiam, ut illud auderet facinus, quod Spiritus ſanctus laudibus extulit, & cujus memoria in æternum vigebit. Vidit quemdam Iſraelitam mundi timore victum, & jamjam idolo thus adoleturum. Vidit, & actus zelo Dei, qui in indignationem ſe vertit, duplici ſacrificio hanc prævenit impietatem ſuper idoli ejuſdem ara immolans non ſolum impium Iſraelitam, verum etiam Ethnicum, a quo ille thus adolere jubebatur, iramque ſuam conſecrans morte duarum victimarum, quas ab illo mactari Deus juſſit. At undenam profectus eſt hic zeli impetus? Ex dolore, quo correptus fuit cogitans futurum, ut hujus ſacrilegii exemplum ſexcentis aliis exciperetur: ex conſideratione, qua cenſuit, ſi eo in caſu unius ſcandalum impune abire permitteretur, hoc ſatis futurum eſſe, ut natio tota illud ſequeretur. Periculum, in quo illi viſus fuit eſſe populus Dei, & prævisio malorum, quæ hujus profanatoris ignavia erat paritura, excitavit Matathiam; & juſta hujus ira in Scripturis eſt laudum ipſius argumentum.

Scandalum quod præbebant filii ſummi Sacerdotis Heli.

Exemplum eorum, qui ex profeſſione, ac ſtatus ſui obligatione divino cultui dicati vitam ducunt prorſus mundanam, Ethnicamque, omnibus Chriſtianis vulgo magnum eſt ſcandali argumentum. Ita in primo Regum libro magnum fuiſſe dicitur ſcelus filiorum ſummi Sacerdotis Heli, quia populum ab oblationibus, & ſacrificiis Domini avertebant. Magnum profecto ſcelus, S. Gregorius *in l. 2. Reg. l. 2. c. 2.* inquit, etenim publicum erat ſcandalum. Sane cum videntur eccleſiaſtici, religioſi, viri ad præcipuas Eccleſiæ dignitates evecti, iiſdem obnoxii cupiditatibus, eadem committere ſcelera, in quæ ruunt, qui mundo famulantur, facile nihil ibi ineſſe mali exiſtimatur, charitate, qua jubemur ſemper æquiores de proximo ſenſus concipere, non permittente, ut credamus, homines ſacris addictos myſteriis prodere velle conſcientiam ſuam, ac ſe damnationis periculo objicere.

Scandalum quod Rex Iſrael Jeroboam dedit

Impius Rex Jeroboam timens, ne, ſi populus Jeroſolymam ſe conferret ſacrificia oblaturus, ad familiam David reverteretur, Iſraelitas impulit in idololatriam; quæ res illum coram Deo ita deteſtabilem, ac odioſum effecit, ut per Prophetam Ahiam dixerit illi: *Operatus es mala ſuper omnes, qui fuerunt ante te.* 3. Reg. 14. Et ſane eas, quas merebatur, dedit pœnas; regno quippe privatus fuit, univerſum genus illius cum infamia deletum fuit, nomen maledictum, & memoria in execratione. Populus autem, qui pravum illius exemplum ſecutus eſt, ullam ne peccati excuſationem invenit? Dei ultionem effugit? En quomodo idem Propheta loco citato loquatur: *Et tradet Dominus Iſrael propter peccata Jeroboam*: Deum videlicet propter peccata Jeroboam, cui populus infidelis ſe mancipaverat pravum ejuſdem exemplum ſecutus, traditurum eſſe univerſum Iſrael ſæviſſimis hoſtibus, a quibus penitus deleretur.

Cum Propheta Eliſæus impio, & crudeli Hazaeli Regi Syriæ prædixit inauditas crudelitates, quas ille contra Dei populum erat exerciturus; crudelis hic Rex perhorruit, licet non defuerit, quominus illas exequeretur. Attamen ſtatim in arena horroris ſenſu perculſus Prophetæ reſpondit: *Quid enim ſum ſervus tuus canis, ut faciam rem iſtam magnam?* 4. Reg. 8. Num rabidus ipſe canis ſum, ut tanta hæc exequar mala, quæ vaticinaris? Hoc cogitare deberet ſcandali auctor: ac dicere de ſe, ſi omnia reputaret mala, quæ pravum exemplum ſuum afferet, & quot ille mortem ſcandalo infliget.

Si qui ſcandalum præbet, cognoſceret malum, cujus eſt cauſa, ipſe illud horreret.

Animadvertit S. Gregorius, Dei filium nos vitæ ſuæ ratione, & exemplo docuiſſe, quomodo diſtinguenda ſint ſcandala, & quibuſdam in occaſionibus eorum habenda ſit ratio, in aliis vero ſint contemnenda. Cum diſcipuli ſui retulerunt ipſi, Phariſæos ex illius doctrina ſcandali occaſionem accepiſſe, hoc ille ſibi negotium nequaquam faceſſere oſtendit; ſed cum ab eo quæſitum fuit, ut tributum perſolveret, poſtquam oſtendit, ſe immunem eſſe, præcepit S. Petro, ut exolveret illud, ne ſcandalum exigentibus præberet, & ad id data opera fecit miraculum. Undenam tam diverſa agendi ratio? Ut videlicet intelligeremus, magnus hic Pontifex inquit, nullam a nobis habendam eſſe rationem ſcandalorum, quæ nos adigunt, ut muneri noſtro deſimus; & e contra illa eſſe prævertenda, quæ ne ſuboriantur, prohibere poſſumus, quin ipſi deficiamus.

Senſus filii Dei de ſcandalorum diſcrimine.

Non omnes Patres conſentiunt, Mariam Magdalenam ita enormibus abditam fuiſſe criminibus, quæ coram mundo ſexum muliebrem adeo dedecorant. Immo complures tenent, crimen illius in hoc fuiſſe poſitum, quod vitam ducebat mollem, mundanam, deliciis affluentem, non ſine ludis, & voluptatibus, in faſtu, ac vanitate. Sententia hæc fortaſſe verior eſt, ſed ſemper ad nos erudiendos aptiſſima; nam, quin excuſet Magdalenam peccatricem, vel quin imminuat ideam, quæ vulgo habetur libidinum, & vitiorum ejus, facile eſſet oſtendere, ipſam quodam in ſenſu in oculis Dei fieri nocentiorem. Etenim, quantumvis libidinoſa fuiſſet, malum totum perſonale, & particulare fuiſſet illius: hoc eſt, illa ſupremo judici reddit̃ura fuiſſet rationem animæ tantum, ſalutiſque ſuæ: ubi ſi dixerimus Magdalenam extitiſſe ſcandali objectum populo toti, iniquitates tot mortalium illi imputatæ fuerunt, & ipſa cauſa extitit interitus eorum.

Magdalenæ exemplum.

Liquet, quid Salvator dixerit S. Petro, qui inconſulto, & fortaſſe etiam putans ſe bene agere, diſſuadere nitebatur magiſtrum ſuum, ne pro hominum ſalute mortem perferret. Salvator illum Sathanam appellavit: *Vade retro Sathana.* Matt. 16. Cur? Addit ſtatim rationem. *Scandalum es mihi*: quia qui alios a bono deterrent, non ſecus ac qui ad malum impellunt, dæmonis officium gerunt, & ſunt ejuſdem vicarii.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Qui fratri ſcandalum præbet illi animam occidit.

V*Eruntamen animam illius ſerva.* Jobi. 2. Ulciſcere ſi lubet, illius bona, & corpus affligens, ſed vitæ parce, dicit Sathanæ Deus, cum illi permiſit, ut tentaret Job. Quo juſſu prohibebat Deus ſolum, ne Dæmon ſancto Job naturalem, ac mortalem vitam auferret. Verum nonne potiori jure hoc dici poteſt peccatori ſcandalum præbenti: ſi iratus es in fratrem tuum, & hic factus eſt odii, & indignationis tuæ objectum, quodcumque tibi libitum fuerit, illi damnum infer; ſed ne eo uſque ulciſcaris, ut ſpiritualem, & immortalem ipſi vitam eripias: *Verumtamen animam illius ſerva.* Inde enim ſequitur, qui nullo habet in diſcrimine fratri ſuo ſcandalum inferre, hunc coram Deo reum eſſe mortis ſpiritualis fratris ſui; eripit enim illi charitatem, quæ eſt animæ vita.

Et

Qui ſcandalum præbet vocari poteſt Antichriſtus.

Et nunc Antichriſti multi facti ſunt. 1. Joan. 2. Si quod S. Joannes in prima Canonica ſua Epiſtola dixit, verum eſt, uti re ipſa eſt, multi jam in mundo ſunt Antichriſti. Quare? Quia mundus plenus eſt indignis Chriſtianis, qui nefariis exemplis ſuis Jeſu Chriſti opus avertunt, & redemptionis pretium annihilant. Quot ex illis, qui me audiunt, in ipſo etiam litterali Apoſtoli ſenſu hæc quadrare poteſt maledictio! Et nunc *Antichriſti multi facti ſunt*. Quot in ipſo Chriſtianiſmo Antichriſti eo magis metuendi, quo minus cogniti, & explorati!

Qui ſcandalum præbuit rationem redditurus eſt inter tus fratris ſui.

Num cuſtos fratris mei ſum ego? Gen. 4. Numquid alterius cujuſpiam præter me rationem redditurus ſum, dicebat Cain cum Deo loquens, & coram illo ſemet volens excuſare: numquid me conſtituiſti tutorem, atque cuſtodem fratris mei? Hoc ipſum quotidie tot mortales loquuntur: numquid aliena ſalus mihi credita fuit? Numquid mihi de eadem ratio reddenda eſt? Utique, reſpondet Dominus per Prophetam ſuum; tu mihi rationem reddes, & cum venero tamquam judex ſupremus cuique redditurus, quod illi debitum fuerit, ac poſtremas laturus ſententias, tunc jura, ſecundum omnes æquitatis regulas, in te animadvertam ob plurima ſcelera, quorum extitiſti cauſa. Etenim te auctore periit frater tuus; impudicis ſermonibus tuis animæ illius puritas fædata fuit; tu erroribus, nefariiſque effuſæ licentiæ tuæ inſtitutis mentem ejus corrupiſti; tu impuriſſimæ vitæ tuæ illecebra cor illius veneno infeciſti; tu feciſti, ut ipſum tæderet officiorum ſuorum; tu irriſionibus tuis irreligione plenis effeciſti, ut jugum excuteret, & omnem Chriſtianæ religionis praxin relinqueret; & ſi corruptas vias ſecutus eſt, ideo ſecutus eſt, quia arcto tibi vinculo erat conjunctus. Hoc, inquit Deus, imputabitur tibi; hoc in te graviſſimis puniam exemplis.

David orabat Deum ut ſibi dimitteret peccata quæ ipſe fecerat, at ob illis patrata ...

Ab occultis meis munda me; & ab alienis parce ſervo tuo. Pſalm. 18. S. Rex David in fervore pœnitentiæ ſuæ Deum orabat, ut ſibi duo peccatorum genera dimitteret, quorum mala infinita ipſi videbantur; occultorum videlicet, & alienorum; peccatorum, quæ ipſe committebat, quin agnoſceret illa, & eorum, quæ ipſo auctore ab aliis committebantur, quin umquam illa ſibi vitio verteret: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo*. Munda me ab iis criminibus, quæ mea mihi abſcondit ſuperbia, ſed ſimul et a me dimitte peccata proximi mei, quibus ego miſere cooperatus ſum; peccata aliena, quibus nefaria vitæ meæ ratio venenatam præbuit originem, peccata aliena, quæ aliquando mihi exprobrabis, & quæ meis accedentia cumulum addent gravi farcinæ, quam quotidie augeo, & ſub qua brevi ſuccumbere debeo.

Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. 1. ad Cor. c. 5. Verum eſt bono exemplo magnam eſſe vim, ad homines de officio ſuo erudiendos, ad virtutem illis inſpirandam, ad minuendas difficultates, quæ animos avertunt; ſed confitendum eſt, pravum exemplum vim habere adhuc majorem, magiſque funeſtam ad vitium inſpirandum, & effundendum, ad auferendum nobis adſpectum officiorum noſtrorum, quæ nobis maxime eſſentialia ſunt, atque ad praxin illius nobis tamquam impoſſibilem adſtruendam. Hoc innuere voluit S. Paulus 1. ad Cor. 5. cum ſcandalum vocavit malum fermentum totam, eamque ingentem maſſam corrumpens: *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. Videlicet pravum exemplum, quod in vulgus, & cum ſcandalo præbetur, maximam habere vim ad infirmos fideles pervertendos, ad tentandos, labefactandos fortes, atque totam licet magnam civitatem inficiendam.

Qui ſcandalum præbet non damnatur ſolus, ſed eſt etiam cauſa damnationis aliorum.

Sufficiant vobis omnia ſcelera veſtra, domus Iſrael. Ezechiel cap. 44. Scandalorum auctoribus merito dicere poſſumus, quod Ezechiel Propheta dicebat Judæis ævi ſui, quos domum Iſrael appellat; ſatis vobis ſit, Deum in vobiſmet ipſis offendere, ac ſi voſmet damnare decreviſtis (funeſta conceſſio!) vos ſolos damnate, cur alios in ſcelere, ac damnatione veſtra involvere vultis? Sinite, eos in via ſalutis incedere, ne ſtatuatis in viis eorum lapides offenſionis: *Non ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum*, ad Rom. 14. Cur uno ictu tria lethalia vulnera vultis inferre; primum quidem fratri veſtro, quem ſcandalizatis; alterum animæ veſtræ, cui mortis vulnus infligitis, tertium filio Dei ipſius, in quem recidit vulnus, quod proximo infertis: *Sufficiant vobis ſcelera veſtra*.

Ratio quam ſcandali auctor reddere debet Deo de fratre a ſe occiſo.

Sanguinem ejus de manu tua requiram. Ezech. 3. *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me*. Geneſ. 4. Scandalum præbenti nonne metuendum eſt, ne ſibi ut olim Cain dicatur a Deo: Sanguis Abel, miſeri, & innocentis illius, qui tuus erat frater, quem tu occidiſti auferens illi vitam gratiæ, ultionem contra te depoſcit; cur hanc illi negem? Redde igitur rationem ſanguinis illius quem effudiſti, vel ſaltem, quem indigne profanaſti, & cujus virtutem annihilaſti. Num oſtendere voluiſti, tibi majorem eſſe vim ad animas damnandas, quam mihi ad ſalvandas? Quid hujuſmodi exprobrationibus repones? Heu! Deus nimis ſe facere nequaquam exiſtimavit ſanguinem, vitamque ſuam ſacrificans, ut animam ſalvam faceret; tu vero ne minimam quidem ſacrificare vis affectionem, ut illius prohibeas interitum? Deus ſe ipſum charitatis ſuæ victimam fecit, ut animam hanc ſalvam faceret; & Chriſtianus illam nequitiæ ſuæ victimam facit, ut eam damnet? Poſt hæc illa ne poteſt in partem accedere meritorum Jeſu Chriſti, quorum virtutem inutilem fecit?

Qui ſcandalum præbet deſtruit opus Dei.

Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Ad Roman. 14. Ne inferas hanc injuriam Jeſu Chriſto deſtruens opus Dei mala ædificatione, quam proximo tuo præbes. Nonne hoc ſignificat, malo exemplo deſtrui conſilium Dei, opus Dei, ſalutem animarum, ac ipſum Salvatorem, quatenus efficit, ut pereat effectus, & virtus vitæ, mortis, paſſionum, meritorum, gratiarum, & virtutum illius? Peccator, qui ſcandalum præbet hoc pacto ſalutem prohibens animarum, deſtruit Redemptionis effectum, quam antonomaſtice magnum Dei opus appellat, quoniam Jeſus Chriſtus venit in mundum, ut fieret mundi Salvator, non ſolum morte ſua, verum etiam exemplo vitæ ſuæ, quæ via eſt, quam ſequi, & veritas, quam credere debemus. Ita ſcandali auctor malo, quod præbet, exemplo delens vim, virtutemque mortis illius, nec non efficaciam exemplorum, quæ nobis tribuit, ut in viam ſalutis deduceret, Dei opus evertit: *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei*.

Qui ſcandalum præbent, omnes poſſunt homicidæ.

Ille homicida erat ab initio. Joan. 8. Nullum dæmoni melius quadrat nomen, quam homicida, quod ab ipſis uſque mundi primordiis meruit, quia uno ictu mortalibus omnibus intulit mortem protoparentes noſtros ad peccandum ſollicitans. Sed hoc ipſum nomen nonne eamdem ob cauſam convenit ſcandalo, ac præbenti illud? Hic homicida eſt eo crudelior, quo minus patent cædes illius. Corpus quidem non occidit, ſed vitam aufert animabus, quæ ſunt toto cœlo præſtantiores, ac nobiliores. Hic æternæ ſolum mortis vulnera infligit, quæ terrent eos omnes, a quibus attente conſiderantur. Quia ita ſunt ſpiritualia, ut occidant animas, quin vulnerent corpus; ita ſecreta, ut nemo illa videre poſſit; ita inſenſibilia, ut ne ille ipſe, qui vulneratur, ſua videat, aut ſentiat vulnera; ita incurabilia, ut nulla humana ope ſanari poſſint; ita innumera, ut indeſinenter multiplicentur; ita indelebilia, ut numquam obliterentur ex animo, & mente illorum, qui vulnerati fuerunt; vulnera enim ita alta manent, ut neque curari, neque ad cicatricem valeant adduci. In mundo autem nemo nocens æquius morte mulctatur, quam qui homini vitam aufert; & interfectores, ac homicidæ ſunt odii, publicæque execrationis objecta. Sed ſi ſcandalum nobis æque cognitum eſſet, ac eſt mortale, illud magis quam omnes mundi hu-

jus

jus elades perhorreſceremos, quia io homiue miſere ioterficir id, quod omnes homines non poſſeot occidere; animam nempe: *Animam autem non poſſunt occidere*. Matth. 10.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum in hoc argumento.

Qui in conſpectu populi male vivit, quantum in illo eſt, eum, a quo attenditur, occidit. Auguſt. lib. de Paſt.

Quantiſcumque aliquis exemplum malæ converſationis, etiamſi eum illi non ſequantur, præbuit; pro tantis ſe malis rationem noverit redditurum. Idem, Serm. 163. de Temp.

Hoc non ita dicimus, ut ſi quiſquam ſcandalizatus fuerit de bonis operibus noſtris, ab eis deſiſtendum putemus. Idem, Epiſt. 119. ad Elcidiam.

Scandalum eſt tibi, quod docet te facere malum. Idem.

Quot teſtes (dominus) ſuæ iniquitatis habet, tot diſcipulos efficit. Auguſt. Serm. 16.

Se concitat ad libidinem quaſi cœleſti magiſterio. Idem, l. 1. Confeſſ. c. 16.

Nemo amplius in Eccleſia nocet, quam qui perverſa agens, nomen vel ordinem ſanctitatis habet; & in exemplis culpa vehementius extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Gregor. in Paſtoral.

Tot mortibus digni ſunt (domini), quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla transmittunt. Idem, ibid. p. 3.

Qui peccando lapſus eſt, ſibi tantum nocuit; ſed qui ſcandalum facit, multos ſecum trahendo perdit. Cyprian. Serm. Præl.

Non ſolum ibi (in ſpectaculis) ſcelus geritur; ſed & docetur. Idem. Epiſt. 1.

Adulterium diſcitur, dum videtur. Idem, ibid. Epiſt. 2.

Conſtruſere jura peccatis, & cœpit licitum eſſe quod publicum eſt, Idem, ibid.

Deſinunt eſſe probri loco purpurata flagitia. Idem, ibid.

Deos vitiorum patronos effinxerunt (Pagani) ut peccatum non modo crimine careat, ſed & præclarum etiam & divinum cenſeatur. Gregor. Nazianz.

Scandalum (acceptum) puſillorum eſt, aut malorum. Hieronym. in Epiſt.

Scandalum non bonæ rei, ſed malæ exemplum eſt, ædificans ad delictum. Tertullian. lib. de veland. Virg. cap. 3.

Bonæ res neminem ſcandalizant, niſi malam mentem. Idem, ibid.

Mulier erat in civitate peccatrix, quæ non ſolum peccatrix, ſed totius civitatis peccatum facta fuerat. Chryſolog. Serm. 27.

Nimis penetrabile telum eſt imitatio deteriorum. S. Eucher. Homil. de Quadrag.

Si reliquis cauſa perditionis fueris, graviora patieris, quam qui per te ſubverſi ſunt. Chryſoſt.

Ne opineris, quod damnum hoc ad eum qui offenditur ſolum pertineat; tranſit etiam ad Chriſtum ipſum, qui propter illum crucifixus eſt. Idem.

Mores & vitia ducis imitari, genus obſequii judicatur. Lactantius. l. 5. Inſtit. c. 8.

Num tibi videtur graviorem ab eo Chriſtus ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione, pervertit animas quas redemit, quam a Judæo qui ſanguinem ſuum fudit? Bernard. Serm. de Converſ. Pauli.

Dupliciter reus eſt qui aperte delinquit, quia agit & docet, facit & ſuadet. Iſidor. l. 2. Sent.

Plus ille peccat qui ad peccandum impulit, quam qui peccavit. Origenes.

Qui ſcandalizatur, parvulus eſt: majores enim ſcandala non recipiunt. Hieronym. in Matth. 18.

Si de veritate ſcandalum oritur, utilius ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur. Gregor. in Ezech.

Dæmones quærunt organa, per quæ operentur. Origenes.

Deplorandus ille ſtatus eſt, ubi non jam vitii excuſatio, ſed authoritas datur. Cyprian. de ſpectaculis.

Quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant homines. Cicero, l. 3. de Oratore.

Inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur. Senec. Epiſt. 123.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento poſſit depromi.

Scandalum, ut Theologi loquuntur, eſt actio, quæ habita ratione infirmitatis eorum, qui ejuſdem ſunt teſtes, poteſt ex ſe illos in peccatum impellere, vel efficiens, ut illud facilius exequantur, vel metum auferens, quo deterriti ab illo abſtinebant, exemplo, quod illis præbetur. *Dictum, vel factum*, S. Thomas 2. 2. qu. 43. art. 1. ait, *occaſionem præbens ruinæ*. Non quod neceſſe ſit, quod hæc actio per ſe mala, & nefaria ſit, vel peccatum: ſufficit enim, ipſam habere aliquam ſpeciem mali; *Vel quia habet ſpeciem mali*. Hinc patet 1. ſcandalum non eſſe ſpeciem peculiarem peccati, veluti latrocinium, juramentum, detractionem; ſed peccati genus eſt, quodcumque eſſe poſſit, ex quo locum præbet funeſtæ, miſeræque imitationi ſeſe extrinſecus effundens, aliosque ad ſimilia patranda inducens. 2. Sequitur, ut peccatum aliquod ſcandalum cenſeatur, eſſe debere actionem, quæ ad aliorum pervenit cognitionem quacumque via, & quæ ex ſe illos in ſcelus impellere poſſit. Hinc fit, quod peccatum clam, vel ſola cogitatione, vel deſiderio patratum non poteſt eſſe ſcandalum, quia nemini præbet exemplum, vel occaſionem peccandi. Definitio ſcandali.

Scandalum dividitur in illud, quod præbetur, & accipitur, quod ſcholæ activum, & paſſivum appellant. Prius eſt, cum aliqua fit actio, quæ ex ſe alios in peccatum poteſt impellere. Alterum eſt, cum ad alieni peccati exemplum re ipſa arripitur occaſio peccandi, quo in loco activum, & paſſivum ſcandalum ſimul conjuncta inveniuntur, quorum alterum cauſa eſt, alterum effectus alterius, & utraque ſimul duo vera peccata. Verum ſi quis ſcandali cauſam accipit ex innocua proximi ſui actione nullam mali ſpeciem habente, tunc qui ſcandalizatur, & arripit peccandi occaſionem ex ea re, quæ ipſum ædificare deberet, ſolus peccat. Tale erat Scandalum, quod Phariſæi ex ſanctiſſimis filii Dei actionibus accipiebant; unde liquet, ſcandalum paſſivum eſſe poſſe ſine activo, cum temere accipitur. Dividitur ſcandalum in activum, & paſſivum.

Scandalum peccatum eſt, cujus ſæpe rei ſimus, quin ne intentionem quidem illius committendi habeamus. Neque enim, ut ſcandalum afferas animabus, neceſſarium eſt, ut tibi explicitum proponas damnationis earum finem, neque determinatam habeas voluntatem proximo tuo ſcandali occaſionem afferendi. Dæmon unus hanc habere poteſt nequitiam; neceſſe non eſt, inquam, te velle explicite animæ fratris tui interitum afferre, ſed ſatis eſt intelligas, te re ipſa cauſam eſſe interitus ejus; ſatis eſt, te illud agere, propter quod patet illum interiturum. Inutile quoque eſt dicere, vellem, illum non perire, nam velle ſimul, illum non perire, & velle id, propter quod periturus eſt, duæ ſunt voluntates contradictoriæ; & malum eſt, quod prima, quæ efficit, ut velis fratrem tuum non perire, dimidiata voluntas eſt, & imperfecta, quæ in tuam tantum cedit damnationem; cum altera, qua vis id, propter quod periturus eſt, voluntas eſt efficax, & abſoluta. Ut ſcandali reus ſias, neceſſe non eſt habere intentionem ſcandalum afferendi.

An-

Animadvertendum quoque eſt, ſcandali peccatum, quod adeo funeſtos habet effectus, ſæpe iis inhærere rebus, quæ ab hominibus leviſſimæ habentur; ſed quæ ad ſanctuarii lancem coram Deo ſunt abominationes; immodeſtia in veſtibus, luxus in ornatibus, nuditates indecoræ, indumentorum ritus, quos Deus ſæculi, hoc eſt carnis, dæmon invenit, levitates, familiaritates, in quibus facile quamdam decori ſpeciem negligimus, privatæ colloquia, quorum ſecretum, familiaritas, dulcedo fortes infirmat, & ſapientes infatuat, feſtivitas quædam parum regularis, ac nimis libera, affectatio placendi, &c.

Scandali peccatum non tantum eſt perſonale, ſed ſe aliis communicans proprio [illegible] peccata.

Quamquam peccata ſint perſonalia, & Deus, quantumvis terribilis ſit in judiciis ſuis, videatur nobis promiſſionibus ſuis animos facere, dicens in Scripturis animam, quæ peccaverit, ipſam ſolam eſſe perituram: *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur:* hoc in aliis quibuſcumque criminibus verum eſt; ſed excipiendum eſt ſcandali peccatum; quia hoc non eſt proprie perſonale, ſed quoddam veluti originale peccatum, quod ſeſe communicans, & effundens inficit animam, idque non ſolum proprio veneno, & nequitia, ſed nequitia illorum etiam, ad quos ſe extendit, & in quos ſe effundit.

Qui ſcandalum præbuerit pro propriis, & alienis peccatis punietur.

Si ſecundum Dei legem illi, qui peccaverit, moriendum eſt, multo magis moriendum illi, qui aliis peccati cauſa fuerit, qui conſilium, exemplumque præbuerit, qui occaſionem, & adminicula ad peccandum ſuppeditaverit; cum hæc omnia, in quibus ſcandalum conſiſtit, procul dubio magis punienda ſint, ac morte digniora, quam ipſum peccatum. Ita verum eſt, generatim loquendo quemlibet ſarcinam ſuam geſtaturum; ſed ille, qui ſcandali auctor eſt, cum propria geret etiam ſarcinam aliorum; & quamvis alii, quorum iniquitates portabit, non ideo exonerentur, & juſtificentur; hoc alienæ iniquitatis pondus illum opprimet magis.

Neque putet aliquis, ſe ea in re, quæ nullo in diſcrimine habetur, poſſe impune gignere fratris ſui ruinam, vel malam ædificationem; etenim agere cum rationabili timore aliis ſcandalum inferendi, ſatis eſt, ut actiones noſtræ illæ etiam, quæ maxime permiſſæ ſunt, noxiæ fiant. Hæc olim erat S. Pauli ſententia. Manducare carnem idolis oblatam per ſe neutrum erat; neque enim caro illa novas ſordes contraxerat. Attamen ad evitandas publicas murmurationes, ac ſuſpicionem, ne particeps fieret profani cultus, S. Paulus abſtinuit, ut alios ædificaret paratus etiam, ut ſibi hanc eſcam in perpetuum interdiceret, potius quam fratrem ſcandalizaret: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* 1. ad Cor. 8.

Quanam ſit gravitas peccati ſcandali & unde deducenda.

Quamquam verum ſit, reliqua vitia tunc eſſe mortalia, cum ad certum uſque nequitiæ gradum perveniunt; attamen hæc ſcandali circumſtantia ea toto cœlo graviora efficit; tunc enim non mortem ſolum inferunt committentibus illa, ſed omnibus etiam, qui inde occaſionem arripiunt ſimilia patrandi, omnibus, qui approbant, & qui cum illa prohibere poſſint, eorumque inhibere curſum, hoc minime faciunt. Itaque ſcandalum inter vitia id eſt, quod lues maxime contagioſa inter morbos, hoc eſt, peccatum eſt omnium maxime mortale, & inevitabile. Sufficit videre, ut videns morte percutiatur, non ſecus ac intuitu baſiliſci, qui mortale virus ſuum in oculos, & inde in animam immittit. Hic eſt effectus eorum omnium, quæ nos ad peccandum impellunt.

Scandalum activum eſt oppoſitum charitati.

S. Thomas in eadem quæſtione art. 2. addit, ſcandalum activum ſemper eſſe peccatum in auctore illius, ſeu mala ſit actio illius, ſeu mali ſpeciem habeat tantummodo; utraque enim modo agit contra charitatem, quæ non malum ſolum, verum etiam mali ſpeciem prohibet. Hinc ſecundum Doctoris ejuſdem ſententiam, cum ſcandalum oppoſitum ſit charitati proximi, quæ ſpecialis eſt virtus, & ab aliis diſtincta, eſt etiam ſpeciale peccatum, quamvis nequeat eſſe ſolum, & ab omni actione ſepoſitum, quod intelligendum eſt de actione nefaria facta cum animo alios in peccatum pertrahendi; cum enim non accedit hæc intentio in illam facientem, quoniam actio hæc non niſi per accidens ſcandalum eſt, non poteſt peculiarem peccati ſpeciem conſtituere.

Quomodo neceſſe ſit evenire ſcandala.

Cum dicitur in evangelio neceſſum eſſe, ut in mundo eveniant ſcandala, hoc non de abſoluta, ſed morali tantum neceſſitate intelligendum eſt; hoc eſt, propter hominum infirmitatem, nequitiam, & corruptionem fere inevitabile eſſe, quod viventibus nobis inter laqueos, & pericula, quæ inveniuntur in mundo, tanta circumundique ſepti objectorum varietate, quibus in vitium impellimur, quamplures non cedant tentationibus, quas hæc gignunt objecta, & ſollicitationibus, quæ ab aliis fiunt, vel non ſequantur prava exempla, quæ ob oculos habent.

Cum Dei filius ejaculatus eſt maledictiones in mundum propter ſcandala, liquet, ipſum fulminea hæc non protuliſſe verba Matth. 18. *Væ mundo a ſcandalis*, niſi propter pravos effectus, quos ſcandala gignunt. Et profecto conſtat, quamplures interire Chriſtianos, quia mundus plenus eſt periculis, & quia infinita ibi occurrunt objecta, quæ nimiam vim habent, ut illos in peccatum trahant, vel ubi ſemel in illud lapſi fuerint, in eodem retineant. Maximum autem malum eſt, quod tot adſint ſcandala, quia ſunt cauſa interitus plurimorum fidelium. Neceſſe eſt, Salvator ait, ut veniant ſcandala; neceſſitas tamen, quæ nulla in re minuit nequitiam eorum, qui ſcandala gignunt. Homines ſcandalum afferunt fratribus ſuis, eoſque ad peccandum impellunt, quia ſunt nequam; & quia nihil nequius eſt, quam ad peccandum inducere ſervos Dei, merito addit: Væ tamen homini illi, per quem ſcandalum venit.

Quo uſque [illegible] indulgentia [illegible] proximo ſcandalum afferatur.

Quantum conſtantiæ requiritur cum de officiis ſuis adimplendis agitur, tantum requiritur indulgentiæ, cum id, quod fratres noſtros offendit, prætermitti poteſt, quin evangelii leges violentur. Hoc certiſſimum eſt principium in doctrina S. Pauli. Uti poteſtate ſua, facere id, quod legitimum, licitumque eſt in iis circumſtantiis, in quibus actio noſtra ſit fratribus noſtris lapſus occaſio, hoc eſt ſe ipſum illorum interitus cauſam præbere. Sed ex hoc principio judicari poteſt, ſi ille, qui nihil niſi legitimum, licitumque facit, nihilominus peccat, ex quo actio illius ſit fratribus ejus ſcandali cauſa: quam diſpliceant Deo illi, qui cum jam nocentes ſint propter morum ſuorum corruptionem, nocentiores fiunt mortem fratribus ſuis inferentes, eoſque ſecum in præceps trahentes.

Quantum odeat Deus ſcandalum, & quare.

Si nulla Deo virtus acceptior eſt, præſtantior, ac divinior, quam zelus animarum lucrandarum; nullum vitium eſt illi magis contumelioſum, oculiſque ipſius magis abominabile, quam ſcandalum, quod tot animas perdit, atque pervertit. Zeli meritum præcipuum, propter quod tanti pretii apud Deum eſt, in hoc poſitum eſt, quod velificatur præcipuo Dei conſilio, ad quod in ordine naturæ, & gratiæ omnia opera ſua refert; unicus enim finis, quem ille ſibi in creationis, & redemptionis operibus propoſuit, eſt ſalus, æternaque beatitudo hominum, quos ad imaginem ſuam creavit. Scandalum vero hoc evertit conſilium, & annihilat fructum mortis, & paſſionum filii Dei, ſanguinem ejus reddit inutilem ſaluti eorum, pro quibus effuſus eſt, & poteſt plures brevi animas veneno inficere, quam bona juſtorum exempla, & ferventium concionatorum zelus Deo acquirere valeant.

Quando abſtinere debemus a bono efficiendo, ex quo prævidemus aliquos ſcandalum percepturos.

Docet S. Thomas ea ſoliditate, quæ tanto viro familiaris eſt, cum agitur de earum rerum obſervantia, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, & quæ ſine noxa prætermitti non poſſunt, nunquam eſſe omittendas propter ſcandalum, quod inde proximus percipere poterit; ordo enim bene inſtitutæ charitatis exigit, ut propria ſalus præferatur alienæ; cumque alioquin divinæ, & eccleſiaſticæ legis

obſer-

obſervantia nec mala ſit, nec ullam habeat mali ſpeciem, temere, & ex mera improbitate proximus inde ſcandali occaſionem poteſt arripere. Sin autem bona operatio, de qua agitur, neque abſolutæ eſt ad ſalutem neceſſitatis, neque præcepti; Sanctus hic Doctor addit, diſtinguendum eſſe ſcandalum, quod ex infirmitate, vel ignorantia procedit ab eo, quod oritur ex improbitate. Nos nequaquam teneri, ut iſtius aliquam habeamus rationem, quod innoteſcit ex agendi ratione, qua Dei filius erga Phariſæos uſus eſt, cum æquum non ſit, noſmet ipſos privare ſpiritualibus bonis, quæ percipere poſſumus ex bonis operibus, propter impiorum nequitiam. Sin autem ſcandalum oritur ex infirmitate, vel ignorantia, differenda eſt ſaltem ad aliquod tempus praxis boni operis, quod conſilii tantum eſt, donec poſſimus errorem auferre proximo oſtendentes, ipſum immerito ſcandalum percipere ex bono, quod fit. Quod ſi poſtquam ſatis illum edocuerimus, eique factum noſtrum probaverimus, adhuc mordicus in ſententia perſiſtit, nulla habenda eſt ratio ſcandali, quod ſine cauſa ulla recipit. Addi etiam poteſt altera prudentiæ regula, quam hac in re S. Chryſoſtomus tradit. Spectandum eſt, inquit ille, utrum bonum, quod nobiſmet proponimus hoc bonum opus facientes, majus ſit, quam malum, quod timere poſſumus, ne ex ſcandalo eveniat. Ita cum agitur de evellenda antiqua, pravaque conſuetudine divinæ legi oppoſita, nulla habenda ratio eſt ſtrepitus, ac rumoris, quem nefarii homines excitabunt prohibituri, ne hic abuſus obliteretur: etenim bonum, & publica utilitas, quam nobis ipſi proponimus illum convellentes, major eſt, quam malum, quod ut plurimum ex hoc ſcandalo poteſt oriri.

Licet non ſit intentio ſcandalum afferendi, ut ſcandalo peccatum fiat, ſatis eſt, quod actio ſcandalum poſſit afferre.

Quamvis hoc agenti neque mens, neque conſilium ſit proximum in ſcelus impellendi, cum actio ipſa per ſe talis eſt, ut illum in peccatum poſſit inducere, tunc eſt cum ſcandalo conjuncta, quod peccatum eſt diverſum, vel ſaltem circumſtantia aggravans peccatum commiſſum, & in ſacramento Confeſſionis declaranda. Exempli gratia ſatis non eſt dicere, juravi; ſed addas, oportet, ſcandalum, quod pes jusjurandum peperiſti. Non ſatis eſt, habui quaſdam dubitationes de fide; addendum eſt, illas coram imbecillibus quibuſdam hominibus argumentis probare adniſus ſum.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex aſceticis, nuperiſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Scandalum peccatum eſt diabolicum, quia occidit animas.

SCandalum eſt peccatum diabolicum; & ratio, quam adſert S. Chryſoſtomus, manifeſta eſt: etenim ſecundum evangelium Joann. 8. particularis diaboli character eſt, fuiſſe homicidam ab ipſis uſque mundi primordiis: *Ille homicida erat ab initio*; nec homicida fuit, addit hic S. Doctor, niſi quod in ipſo mundi principio perdidit animas, ſeducens illas, in laqueos impellens, efficiens, ut tentationi cederent, & converſioni earum obicem ſtatuens. Quid autem aliud præſtat homo in omnem effuſus libidinem, ac nefarius, qui in vitiorum ſuorum furore ubique aucupatur, abſit verbo invidia, ſuæ impuritati prædam; quid aliud facit, & in quo improba ejus vita occupata eſt? In hoc ut animas fallat, ac perdat; hoc eſt, earum abutatur infirmitate, ac ſimplicitate, & ex earum imprudentia, & vanitate referat victoriam, ut earum religionem labefacter, de pudore triumphes, juſtos earum timores diſſipet, earumque bona everrat deſideria, ut eas in peccato confirmet, poſtquam in illud turpiter pellexerit, ut a Dei viis dimoveat, tunc cum divina afflatæ gratia reſipiſcunt. Nonne hæc ſunt, o hominum impuriſſime, opera tenebrarum, in quibus totam vitam traducis? Nonne igitur dæmonis officio fungeris! ... Dæmon homicida fuit ab initio per ſe; nunc autem per te eſt; tu illius vicarius es, tu illi miniſtras arma; tu illius opus perſequeris; tu pro illo ſis tentator, interfectos animarum, infelices has victimas earum cupiditatibus, tuiſque voluptatibus ſacrificans: *Ille homicida erat ab initio*. Pater Bourdalove in veris ſermonibus recens editis, in primo Adventu ſerm. 3.

Præbere poſſumus ſcandalum proximo, quin credamus, vel hanc mentem habeamus.

Illud autem vigilantiam noſtram excitare debet, nobiſque documento eſſe, ut ab hoc peccato abhorreamus, quod jam notatum a nobis eſt, poſſe aliquem ſcandalum afferre, quin hoc credat, & ſæpe etiam, quin ad id animum advertat. Ita mulier mundi hujus ideis repleta, & divino ſpiritu vacua, ſeſe videt implicitam viſitationibus, atque converſationibus noxiis, quas ipſa intercidere non vult, ſibimet ipſi perhibens teſtimonium, quod nullam pravam ſibi propoſuit intentionem. Attamen videt illa palam, ſe hoc commercio fovere affectum hominis impudici, ſe in corde illius inordinatas excitare cupiditates, ſe illum a ſalutis via detorquere, ſe blandis, amatoriiſque ſermonibus locum præbere, ac illius aſſiduitatem ferendo perdere eum, quin perdere velit. Nonne animæ illius homicida eſt? Illius quidem intentio, o Fideles, eſt ſuæ tantum vanitati ſatisfaciendi; ſed præter intentionem vanitas ejus in juvene hoc accendit tamen, & fovet ſecretum amorem. Amori huic nonniſi blandis verbis, quæ urbanitatis officia ab ipſa vocantur, reſpondet, & in hoc ſubſiſtere decrevit; ſed hoc illius propoſitum non prohibet, quominus indulgentiæ ipſius effectus longius procedat, & ipſa licet invita patiat damnationem illius, quem a ſe per infirmitatem amovere non poteſt. *Idem*.

Quam noceant a ſuis cultum Deo Sacerdotes, & eccleſiaſtici populo ſcandalum afferentes.

Quodnam hoc ſcelus eſt in Domini miniſtris, qui ſacro charactere inſigniti, atque ſanctiſſimis ſacerdotii muneribus addicti illud ſæculari, mundanaque vita polluunt, ne dicam, impara, & nefaria, & qui efficiunt, ut ſcandali dedecus ipſi ſtatui, miniſterioque ſuo labem offundat? Hi ex Jeſu Chriſti ſententia eſſe debent ſal terræ; & per illos, S. Gregorius Papa inquit, terra corrumpitur: debent eſſe lux mundi, & lucent, ut mundo apertius oſtentent maculas, quæ in ipſis deprehenduntur, & quæ illis ruborem ſuffundunt ... Hoc Dei indignationem excitabat in illos, eumque cogebat dicere ipſis per quemdam prophetam, quod ipſe non auderem applicare eis, niſi Dei nomine loquerer, cujus unius eſt adeo acribus exprobrationibus illos redarguere. Non verebor igitur illis Domini ſenſum ſignificare per hæc Malach. cap. 2. verba: *Et nunc ad vos mandatum hoc a ſacerdotes*. Audite me, dicebat illis Deus Iſrael, ſacerdotes & miniſtri templi, audite me, & judicate. Vos in eccleſia mea conſtitueram, ut illam ædificaretis, & ſanctificaretis, vobis gregis mei curam commiſi, ut ejuſdem eſſetis paſtores; quemadmodum labia veſtra ſcientiam promebant, ita opera eſſe debebant norma morum, & veræ pietatis. Attamen infideles muneri, quod credidi vobis, receſſiſtis a via, quam docetis, alioſque docere tenemini, & ultro aberraſtis; erranteſque longe plurimos vobiſcum in errorem perduxiſtis: *Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege*. Quapropter, concludebat Dominus, licet ſitis paſtores animarum, ac miniſtri templi mei, vos contemptibiles feci in oculis omnium populorum, vita veſtra, vel potius vitæ veſtræ ſcandala vos de gradu exiſtimationis, qua fruebamini, dejecit, ac facti eſtis omnium ludibrium: *Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis*. Idem.

Licet quod facimus, per ſe peccatum non eſt, faciendum tamen non eſt cum credendi locus eſt, illud ſcan-

Quamvis illud ipſum, quod agimus, nobis omni culpa carere videretur, ex quo ea, quæ illud conſequuntur, funeſta ſunt, hoc nobis permittere non debemus, vel potius illud debemus perhorreſcere. Nequaquam, dicebat S. Paulus, numquam mihi licere credam id, quod prævidero, & novero ſaluti fratris mei obſuturum. Loquebatur de carnibus, quæ idolis fuerant immolatæ, quæ cum per ſe nihil haberent impuritatis ex Apoſtolorum ſen-

ten-

dali occaſionem ſuturum.

tentia indiſcriminatim manducari poterant a fidelibus, quibus recta erat conſcientia, videlicet, qui non erant proni in idololatriam, & qui ſe in unum Deum credere profitebantur. Nihil refert, dicebat vir hic a Deo ad noſtram doctrinam, moreſque noſtros informandos ſuſcitatus; ſi caro, qua veſcor, ſcandalum adfert fratri meo, quamvis carnis hujus uſus non alia lege mihi interdictus ſit, ego charitatis lege illius eſum mihi interdicam: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, eſcam non manducabo in æternum.* 1. ad Cor. 8. Numquid vos o fideles majori, quam D. Paulus privilegio gaudetis? Hæc lex charitatis minus vos obligat, quam illum? Numquid vobis magis, quam illi, integrum eſt voſmet diſpenſare? *Idem.*

Obligatio reparandi malum, quod infert ſcandalum.

Si verum eſt, peccatum tuum funeſtos exitus habuiſſe, quos ipſe deploras; ſi verum eſt, te errantem alios etiam in errorem impuliſſe, nonne ordo poſtulat, ut illos ab errore revoces; nonne æquitas poſcit, ut illis reddas, quod illi tua culpa amiſerunt, ædificans eos tua pœnitentia tantum, quantum vitæ tuæ flagitiis illos ſcandalizaveras? Attamen non ita loquitur mundus, qui plenus eſt his nefariis animabus, quæ carnali prudentia conantur ex naufragii reliquiis quodcumque poſſunt ſalvare, atque in hoc ipſo aſſertæ pœnitentiæ ſuæ ſtatu ſibi reſervare, quidquid proprio amori vel ſpem, vel ſolatium poteſt adferre, omnes ſocietatis delicias, omnem proſperitatis nitorem, omnem vanitatis luxum, & faſtum, verbo omnem exteriorem habitum peccati. Hoccine eſt reparare ſcandalum, quod præbuerunt? Itane tot pœnitentes converſi ſunt? Cum divino afflati ſpiritu ingreſſi ſunt in viam pœnitentiæ, itane illi ambularunt? Humilitas, auſteritas, ſolitudo, nonne ea pars fuit, quam illi ſtrenue, fortiterque amplexi ſunt? cum ipſis perſuaſum eſſet, mundum ſibi novo vivendi genere, quod ducebant, tantum eſſe ædificandum, quantum illi primis criminibus ſcandalum attulerunt. *In adventu ſecundo, ſermone de pœnitentia.*

Scandalum magnum eſt malum, quod tamen ſecundum Scripturas neceſſarium erit, ac ſemper erit in mundo.

Pravum exemplum virus eſt, quod ſerpit etiam in membra corporum, quæ optime conſtituta videntur; hoc eſt peſtis ſocietatis; incendium eſt, quod per communicationem ſolidiſſima virtutis devorat ædificia. Illud vero magis deplorabile eſt, quod illius fontem exhaurire non datur. *Neceſſe eſt*, inquit J. C. Matth. 18. *ut veniant ſcandala.* Etenim donec homo cupiditates habebit, & hæ ſeſe extrinſecus proferent per actiones, conſilia, ſollicitationes: hoc eſt, donec homines erunt homines, ſemper aliena peccata proximo erunt lapſus occaſio. Fatalis ſcandali neceſſitas, quæ illud nequaquam dignum efficit excuſatione; etenim quantumvis neceſſarium ſit generatim loquendo, eſt tamen liberum, ideoque tale, ut quilibet ſigillatim illud dare, vel accipere poſſit, vel ſecus. Ad eum ciendum hororem, quem meretur, ſatis eſſet proferre imprecationes, quas ipſe J. C. in illud contorquet: *Væ mundo a ſcandalis*, quibus repletus eſt: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*, & qui ubique pravi exempli ſui contagionem effundit. *Sermo manuſcriptus.*

Scandalum ſeſe communicat generatim per eos omnes, qui ad nos accedunt, & ad quos ipſi accedimus.

Mundi principes viri nobis ſunt ſors corruptionis, quia vitia eorum ſunt magis ſenſibilia, magiſque contagioſa. David flagitia ſua celare non potuit; clam patraverat illa, ſed oculi attenti, qui principum factis invigilant, illius detexerunt impudicitiam. Inde vero quam grave ſcandalum! quæ contagio! Imitari volumus eos, quibus placere ſtudemus; & illis obſequitur, qui eorum vitia imitatur; *Genus quoddam obſequii eſt imitatio principum.* Amici noſtri nobis ſunt ſcandali argumentum. Imitatio ultro ſequitur amicitiam; laudes, quas amici vitiis deferunt, nos facile in illud impellunt; nobis honori vertimus in eorum ſenſus tranſire, & oblectamur illis placentes: *Noli amicus eſſe homini iracundo, ne forte ſumas ſcandalum animæ tuæ.* Ad hæc ſcandalum nobis oritur ab illis omnibus, in quorum ſocietate vivimus. Sponſus eſt lapſus occaſio conjugi ſuæ, herus famulis, domeſticus domeſtico, ſenes adoleſcentibus, apud quos illi honori ſibi vertunt præteritas libidines, eas jactitant, eorumque cupiditatem in adoleſcentia in vitium prona excitant. Denique ſcandalum undequaque ingruit, per oculos, per aures, per imaginationem, per cor ipſum ingreditur. Itaque merito exclamabat Salvator; *Væ mundo a ſcandalis.* Matth. 18. *Idem.*

Maxime nefarium, quod præberi ſcandalum poſſit, eſt habere intentionem perdendi proximum pravis exemplis.

Prima ſcandali ſpecies eſt, cum directa ſcandalum præbentis intentio eſt procurare interitum fratris ſui: atque tunc ſcandalum iſtud deteſtabile eſt, & peccatum contra Spiritum ſanctum; tunc enim ſcopus, primaque ſcandalum præbentis mens eſt corrumpere animam proximi ſui, pro cujus ſalute Salvator totum ſuum cruorem effudit! O Cœlum! Ulterius ne rabies debacchari poteſt? Hoccine eſt odium contra Deum? Hæccine contra fratrem invidia? *Væ homini illi!* Væ homini hujus viæ, & characteris. Sed cur ille adhuc homo vocatur? Quænam ſupereſſe poteſt humanitas in corde, qui directe quærit fratris ſui reprobationem, & gaudet a Deo animam divellere? Eſto, Dæmones nos in ſcelus ſollicitantes injuriam Deo, nobiſque interitum afferre ſtudeant; ſed in hominum mentem tanta cadere poteſt improbitas? Fateor, Auditores, rarum eſt huc uſque nefarios eſſe, ſed nonne ad tantum facinus accedit, qui recentem nanciſcitur voluptatem cum alios ad crimen ſollicitat, & qui potuit innocuam animam corrumpere, vel cor Deo devotum in ſcelus pertrahere? Non deſunt, Auditores, qui nullo habent in diſcrimine communem perverſionem, & qui contenti non ſunt improbitate ſua, niſi ſcandalum ſuum in ipſum uſque ſanctuarium intulerint. Sed hæc monſtra relinquamus, quorum abominationem jam execramini. *Idem.*

Scandalum præbemus etiam præter intentionem.

Non deeſt alia ſcandali ſpecies ſuperiori vulgatior, cum videlicet, quin directa adſit intentio corrumpendi mores fratrum noſtrorum, ipſis præſentibus vel ſollicitationibus, vel conſiliis fit id, quod per ſe cor illorum corrumpere poteſt, vel ſeducere; ſed vereor iterum adhuc dicere: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*: Væ illi, cujus imitatio contagioſa eſt fratri ſuo. Quorſum hoc? quia dupliciter nocens eſt in oculis Dei, & criminis, quod committit, & ſcandali, quod præbet. Infelix, quod ſibi ſoli improbus eſſe nequit, ſed duo uno ictu vulnera infligit, alterum cordi ſuo, alterum cordi fratris ſui, cujus ille rationem redditurus eſt coram Deo. Non ſatis eſt illi peccare contra continentiam, temperantiam, vel modeſtiam, peccat etiam contra charitatem. Crudelis, tibi ſatis non eſt inutile in te efficere pretium ſanguinis Dei, illud etiam in fratris tui corde facis inutile? At enim mihi voluntas non eſt illum depravandi, ſua illum perdit ignorantia: *Ergo peribit infirmus in ſcientia tua frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt*, S. Paulus 1. ad Cor. 8. reſpondet. At non videbas, ingrate, futurum, ut facinus tuum illum in ſcelus poſſet pertrahere? *In tua ſcientia.* Non videbas illum infirmum eſſe æque ac tu, ex eodem concretum ſanguine ac tu, iiſdemque cupiditatibus obnoxium? *Frater.* Tenerum fratris nomen, quod illum tibi religionis vinculis conjungit, nonne ad miſerationem inflectere debebat cor tuum, ne tantum illi inferres excidium? *Frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.* Impie! auſus es ergo obicem ponere conſilio, quod de illo conceperat Deus, & hujus mortis effectum annihilare? Hæc ſine te efficax erat futura. Abi, miſer, eſto corruptor fratris tui, cum velit Deus illius eſſe Redemptor .... At enim imputet ſuæ imbecillitati interitum ſuum. Heu! immo quia infirmus eſt, illius ratio habenda tibi eſt; numquid fortibus, generoſiſque animabus ſcandalum noxium eſt? Animæ illæ quæ per ſtatum ſuum tibi, Chriſte, adhærent, & quas diuturna experientia in tuæ legis amore confirmavit, nihil habent, quod ſibi timeant ab externa perſuaſione; ideoque has ſcandala non ſeducunt; ſed virorum contagio in-

conſi-

Google

conſideratam enecat juventutem, ſexum infirmiorem, vanas mulieres, quas mentis diſſipatio minus reddit attentas. Infirmus licet ſit, quantum tibi libitum fuerit, ne hujuſmodi infirmis ſcandalum afferas, prohibet Jeſus Chriſtus: *Si quis ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis*. Matth. 18. Proh Superi! tantane in chriſtiana juventute corruptio videretur, niſi ſcandalum prima rationis ſemiformatæ momenta vitiaſſet: neque cor eorum mollire incœpiſſet, antequam adoleſcentes vel ſatis fortes eſſent, ut tela poſſent eludere, vel ſatis liberi, ut ſe inde præſervare valerent? *Idem*.

Scandalum noxias facit actiones, quæ per ſe culpa vacare poſſent.

O Deus! quam labem ſcandalum non effundit ſuper eas vitæ noſtræ circumſtantias, quæ culpa vacare videntur? Commercium, quod cum perſona hac ſexus diverſi foves, nihil aliud fortaſſe eſt niſi ad tempus terendum inanis occupatio; ſed male audit, & in improbum ſenſum illud obtrectatio detorquet; materia eſt, quam ſcandalum corrumpit, & abſtinere teneris. Amor, quo videris proſequi eos, qui ſunt parum religioſi, vel in fide ſuſpecti ſunt, fortaſſe eo non procedit, ut in eorum migres ſententiam; ſed crederis nimium ipſorum erroribus adhærere, vel nimis arctam cum illis neceſſitudinem conjunxiſſe, ab illis tibi recedendum eſt, quia hoc pacto tribuis ſcandali occaſionem. *Idem*.

Difficile eſt eum, qui ſcandalum præbet, converti ac reparare malum quod peperit.

Ad ſinceram, veramque converſionem non ſatis eſt relinquere peccatum, & flagitia ſua abdicare, ſed præterea reparandum eſt malum, quod factum fuit. Sed quomodonam reparari poteſt clades, quam in urbe, vel provincia ſcandala pepererunt! Raptum reſtitui poteſt bonum, honor per obtrectationem imminutus reparari poteſt publice palinodiam canendo; hoc rarum eſt, ſatiſque difficile, ſed tamen fieri poteſt: inflicta curari poſſunt vulnera; verum reddine poteſt innocentia, pietas, Dei amor illis, qui cauſa noſtra rerum harum jacturam fecerunt! Delerine poteſt turpis macula, quæ propter inſignia ſcelera familiæ, profeſſioni, ſtatui, corporique, cujus membra ſumus, inſedit? Numquid ſatis erit cauſari, nos funeſtos hujuſmodi exitus non præſenſiſſe, neque nobis umquam hanc incidiſſe mentem tot mala gignendi? Triſte ſolatium! deplorabilis excuſatio, ubi undequaque ignibus admotis omnia conflagraverint, poſſe dicere, non hanc nobis fuiſſe voluntatem. Malum num ideo levius eſt, num ideo malum eſſe non perſeverat? *Sermo manuſcriptus*.

Vis mali exempli.

Conſuetudinis torrens nos trahit, & ſanioris hominum partis exemplum has vias proterentium nimis valida eſt ad nos in iiſdem continendos. Factum ibi probatum videtur auctoritate illorum, quorum meritum, atque dignitatem veremur; illi ipſi, qui majori zelo graviſſima inſectantur vitia, ſæpe magno pollent ingenio ad nobis probandas eas opiniones, quas ſequimur. Noſmet ad eorum conſilia, & ſapientium formamus, nec videmus, ſapientes hos, quos ſequimur, minus eſſe in via ſalutis duces, quam errorum noſtrorum ſocios. *Auctor Anonymus*.

Graviſſimum hominis malum, qui Dei timorem amiſit, eſt peccare tuto, ſine ullis conſcientiæ ſtimulis, ſine mentis tumultu, quin Dei judicia, & inferni pœnas reformidet. Hoc illud eſt abominabile malum, contra quod divina juſtitia per os Iſaiæ cap. 3. profert anathema: *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt*. Fecerunt id, quod æternis obruendum erat tenebris, ac illud in lucem protulere; illud prædicarunt tamquam illuſtre factum, licet eadem eſſet infamia; inaudita vanitate ſibi in jactantiæ argumentum converterunt, quod illos opprobrio, & confuſione ſuffundere debebat: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*. Matt. 18. Væ impudentiæ adeo deteſtabili. *Ex moralibus ſermonibus, ſermone de timore Dei*.

Scandalis poteſt quis afferendi mortem animabus.

S. Cyprianus barbaram hanc antiquorum conſiderans conſuetudinem producendi in ſpectaculum Gladiatores, qui in amphitheatris ſeſe mutuis vulneribus confodiebant daturi crudelem populo oblectationem ſanguinis, ſuæque ſuæ ſumptibus, & qui ſe ipſos in hac arte funeſta exercebant, *Occidere homines*, ajebat, *ars eſt, ludus eſt, uſus eſt*. Heu! dicere poſſumus, nunc in mundo eſſe artem animas occidendi; quid enim aliud eſt hæc ars in mulieribus ſeſe comendi, exornandi, fuco liniendi, quotidie recentes, indecoroſque veſtimentorum ritus inveniendi, alteram diei partem inter calamiſtros, alteram vero in virorum cœtibus traducendi? Niſi ars inferendi mortem animabus per ſcandalum, quod præbent: *Occidere homines ars eſt*. Hæc faciunt ornatus illi, quos tanta pompa, & luxu explicant; hoc nuditates illæ non ſine ſcandalo intuentium, hi agendi modi, qui nimium hilares, ac liberi ſunt, &c. *Auctor Anonymus*.

Ingens malum, quod ſcandalum parit.

Qui ſcandalum præbent inter nos non prodeunt niſi ad inſtar horribilium cometarum quocumque luem, & corruptionem afferentium. Inhumani filii perſequentes eccleſiam, quæ peperit illos, & Chriſtianos fecit, veri hæretici morum, qui eccleſiam male vivendo magis affligunt, quam hæretici impia dogmata proferendo, inquit S. Bernardus: *Quod hæretici faciunt per prava dogmata, hoc faciunt plures hodie per prava exempla*. Obnitamur contra funeſtum hunc mali exempli torrentem, contra quem tanto impetu Sanctus Auguſtinus exclamat: *Væ tibi flumen moris humani*. Noſmet opponamus pravo principum virorum exemplo, qui corrumpunt puſillos auctoritate ſua vitium probantes; doceamuſque fideles, ut contra generalem morum corruptionem ſe ipſos confirment. *Auctor Anonymus*.

Quod nequaquam ſit ſcandalum magis periculoſum.

Sæpe decipimur in idea, quam ipſi concipimus, ſcandalorum, quæ horrorem cient, & quæ ab univerſo mundo damnantur; ſed quæ nequaquam ſunt præ cæteris magis periculoſa. Scandalum cognitum, damnatumque non magnum adfert detrimentum; cum enim probatum non ſit, nequaquam in interitum trahit eos, qui ſcandalizantur; ideoque pro illis proprie ſcandalum non eſt. Magna ſcandala ea ſunt, quæ cum ſint abdita, & magis communia, plures animas impellunt in præceps, cujuſmodi ſunt luxus, amatoriæ nugæ, ſermones nimis liberi &c. *Idem*.

Enormitas ſcandali.

Quod Chriſtianus non audeat profiteri ſe pro Jeſu Chriſto ſtare, ignavia eſt; ſed quod pro dæmone ſe ſtare palam oſtentet, ac ſe præbeat nequitiæ illius inſtrumentum, ut cum ipſo conſpiret ad perdendas animas, quas Salvator ſanguinis ſui pretio redemit, hoc profecto horribile videtur, & hoc illud eſt, quod facit, qui ſcandalum præbet. Hoc facere nonne eſt ſe Jeſu Chriſti perſecutorem oſtendere? Nonne hoc eſt ponere in loco ſancto deſolationis abominationem? Auderetne aliquis dicere, ſcandalum præbenti majorem ineſſe vim ad animas perdendas, quam Jeſu Chriſtu ad ſalvandas? & pravum exemplum plures damnaſſe, quam mors, ſanguis, merita J. C. ſacramenta, ubi illius merita applicantur, ſalvos fecerint? Si Jeſus Chriſtus habet ſacramenta ſua, quæ ſunt fontes gratiarum, noſtræque ſalutis inſtrumenta, dæmon, S. Auguſtinus inquit, habet ſua, quæ ſunt fontes peccatorum in hominibus, & inſtrumenta damnationis eorum. Mala exempla, laſcivæ tabulæ, libri pravi, impuri ſermones, inhoneſtæ cantiunculæ, periculoſa ſpectacula, ubi a videntibus crimen perdiſcitur, impii flagitioſorum hominum ſermones, nuditates, & immodeſta puellarum, mundanarumque mulierum ornamenta, earum vel nimium liberi, vel nimis adfectati mores, exempla hominum alioquin gravium ob eorum dignitatem, atque auctoritatem pondus habentia, ſunt quodammodo dæmonis ſacramenta. *P. Nepveu tomo tertio conſiderationum chriſtianarum pro duodecima die Septembris*.

Malum eſt aliquid facere, quod per ſe neutrum eſt, & ſine intentione, quæ mala ſit, ex quo animæ infirmæ ſcandalum præbet, quid erit ergo malam facere actionem, eamque facere animo proximum in vitium pertrahendi? Scelus eſt inimicum odiſſe, eumque non amare, quid erit ergo perdere

dere

dere innocentem, fratrem tuum, atque amicum? Si cauſa es damnationis illius, ille pariter erit tuæ; ſi illum io infernum præcipitem trudis, ille te ſecum trahet; ſi fuiſti interitus illius inſtrumentum, certiſſime ejuſdem ſocius eris. Illius interfector fuiſti magis crudelis, qoam ſi vitam corporis abſtuliſſes, quandoquidem æternam illi vitam abſtuliſti; ipſe igitur in inferno erit æternum carnifex tuus. *Idem.*

Injuria, quæ per ſcandalum fit proximo, & ipſi etiam ſanatoi.

Si proximi tui bona rapuiſti, nulla tibi ſalus ſperanda eſt, niſi illa reſtituis. Proximo tuo ejus innocentiam rapuiſti, charitatem, Dei gratiam, ſimulque Cœlum, æternamque felicitatem; quomodo illatum illi damnum reparabis? Quomodo veniam ſperare poteris? Quomodo ſalutem conſecuturum putas, niſi illam fueris operatus? JESU CHRISTO eripuiſti animas, quæ illi erant chariſſimæ, quæ illi toto ipſius ſanguine ſteterunt: quantum dolorem eidem afferre putas hanc injuriam; & credis te ab illo aliquam obtenturum gratiam, niſi eam reparaveris? Illi exultantis lætitiæ impetus, quos ob receptam, quæ deerraverat, ovem teſtatur Salvator, efficere debent, ut æquum judicium feras de illius dolore ob ejus interitum; putaſne illum paſſurum, ut impunis abeat injuria, qua tantopere læditur? An potius dubitare potes, quominus ultio illius par ſit futura dolori ſuo in tantæ cladis auctorem? Sin autem te ſontem intelligis, quomodo ita ſecurus, ac tranquillus es? *Idem tomo* 1.

Propenſio, qua homines ad alios imitandos feruntur.

Quid non poteſt naturalis hæc illecebra, qua nos agi cognoſcimus ad aliorum exempla imitanda? Quid non poteſt falſa hæc æmulatio, qua impellimur ad alios ſequendos, & imitandos in iis omnibus, quibus in mundo excellunt, & nitent? Si igitur illi nobis vitii indigitant viam, ſi nos ſuis ſermonibus in eamdem invitant, ſi pertrahunt exemplis, ſi a nobis exigunt noxiam hanc indulgentiam; ſi in hoc commentitiam ipſi gloriam conſtituunt, ſi inde pendere putant exiſtimationem, vel etiam gratificationem ſuam, quot hæc tentatio ſeducet? Vos, dilectiſſimi Auditores, mundum ſatis noſtis, ac melius, quam ego, noſtis illum, voſmet, veſtramque conſulite experientiam. Scitis quid illi ſacrificetur, quomodo cenſura illius timeatur, quomodo eidem placere omnes adnitantur, & quomodo ejus probatio requiratur. Ex hoc ſcandalo, quemadmodum S. Bernardus animadvertit, omnia fere proveniunt mala, quibus noviſſimis hiſce temporibus affictatur eccleſia, & hæc morum diſſolutio, quam videmus, & quam ſatis deplorare non poſſumus. *P. Bourdaloue in veris ſermonibus, Sermone de humano reſpectu.*

De ſcandalo, quod ſummi, nobiliſque ſi præbent, & ii qui habent auctoritatem.

Pares, Matreſque, quæ filiis veſtris mala præbetis exempla, quam Deo rationem eritis reddituri? crudeles interfectores eorum, quorum parentes eſtis, & quibus corporis vitam tribuiſſe videmini, ut vitam animæ auferatis. Sed quam hæc in re principibus præſertim viris metuendum eſt? Pravum principis exemplum eos habet effectus, qui noonumquam neque in vita, neque io imperio illius continentur. Principum peccata ſunt peccata originalia, quæ infelici fœcunditate multiplicantur, ac funeſta perennantur immortalitate. Sæpe in eorum, qui hæc mala gignunt, poteſtate non eſt, hæc mala vel compeſcere, vel reparare; & impoſſibilitas, quæ prænoſci potuit, & quæ evitanda fuit, illos coram Deo excuſabit? Heu! princeps, pater familias, herus, ne cogitantes quidem ſæpe congregant ſibi theſauros iræ, qui in caput eorum, ubi minus cogitaverint, ingruent; etenim hic ſubditus, hic filius, hic famulus, quos ad peccatum impulere vel exemplo, vel tolerantia, illis peccant: illi nocentes ſunt, illi ſunt rationem reddituri. Illud vero maxime terribile eſt, quod congregant ſibi funeſtum hunc peccatorum, ultionumque theſaurum, tunc etiam cum nihil mali facere videntur, ſed longe terribilius hoc eſt, quod illum etiam poſt mortem congregare non ceſſant; & quidam io purgatorio verſatur, quidam eſt in inferno, qui adhuc in terra peccant eorum miniſterio, quos exemplo ſuo ad peccandum impulerunt: hi peccant adhuc illorum ſumptibus, & fortaſſe illi pœnas ſuas augeri ſentiunt, prout hi ſua iterant ſcelera. *P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus.*

Deus a nobis repetet rationem animæ fratris noſtri, quam ſcandalis noſtris perdiderimus.

Si Deus petiturus eſt rationem animæ proximi tui, niſi illum erudieris, niſi alueris, niſi correxeris, quid tandem erit, ſi illum pravo exemplo corrupeeis, atque, ut damnaretur, effeceris? Pravus liber commodatus, laſciva tabula expoſita, ſermo impurus, impius, maledicus, mulier parum modeſta ſcandalizat proximum; hoc eſt ſcandalum datum, receptumque; frater tuus perit, ad damnatur, quis rationem Deo redditurus eſt, niſi qui cauſa fuerit ruinæ illius? *P. de la Colombiere in chriſtianis conſiderationibus.*

Minima etiam obſervanda ſunt, quæ poſſunt proximo ſcandalum afferre.

Unum ſufficit verbum, oculorum conjectus, immodeſtus geſtus ad infirmo alicui ſcandalum ingerendum, & accendendum in corde illius ignem, & incendium, quod numquam poſſit extingui. Ita magnificum Jeroſolymæ Templum, opus tot regum, maximum, locupletiſſimum, ſuperbiſſimumque ædificium, quod hominum pietas divinæ extruxerit majeſtati; ita inquam auguſtum illud ſanctuarium incenſum fuit, ac prorſus abſumptum. Gregorius miles, qui in oppugnatione, qua Titus Imperator Jerololymam cepit, turrim conſcenderat, ardentem contorſit facem in templum illud. Ignis ſtatim adhæſit tanta pertinacia, ut non potuerit extingui. Nihil prætermiſerunt Judæi, ut illud incendio liberarent, ad quod ipſum imperator totius exercitus ſui vires adhibuit, fluvii, fonteſque exhauſti ſunt, ut aquæ opponerentur flammis, quas tæda una excitaverat; ſed incendium numquam deſtitit, totumque templum conflagravit. Hæc eſt imago malorum, quæ in anima ſcandalum parit. Anima hæc ornata gratia, & donis Spiritus ſancti, electa a Deo, ut ſit templum ipſius, ſtatim ac per oculos, vel aures impuri ignis ſcintillam hauſit, illico in corde excitantur flammæ, quæ nequeunt extingui &c. *Idem.*

Mirum eſſe non debet, ſi bonæ actiones aliquando ſcandalum afferunt.

Virtuti hoc eſt cum vitio commune, quod ſæpe inde ſcandalum ſumitur. Sed hoc diſcriminis intereſt, quod vitium ſanctis ſcandalum affert, cum e contra impii ex virtute ſcandali occaſionem arripiant, eamque audeant damnare. Homo juſtiſſimus etiam, ſanctiſſimuſque mirum ne cenſere debet, ſuam vivendi rationem improbari, poſtquam Jeſu Chriſti vita impiorum cenſuram evitare non potuit? Quoties Pharisæi palam Jeſu Chriſti facta, dictaque improbarunt? Hoc idem fuiſſet, ac iſthmum perfodere velle, adniti his injuſtis, & inimicis hominibus ſatisfacere. Dei filius ſemper ſecutus eſt regulas, quas ipſe ſibi præſcripſerat, quin illis negotium faceſſerent inimicorum dicteria, & querimoniæ. Quid reſpondit ille diſcipulis ſibi nunciantibus, quod Phariſæi ex illius ſermonibus ſcandalum perceperant? Sinite illos, ait, cæci ſunt, & duces cæcorum. Ita queruntur homines, quod ſolitariam vitam ducis, quod illorum opiniones improbas, quod majorem habes rationem evangelicarum legum, quam legum, & conſuetudinum mundi; ſine illos, cæci ſunt. Cum homines inſurgent io te, quia ſumma officii fide munere tuo perfungeris, malum non labetur in te, ſed io eos, quibus injuſte vitæ tuæ ratio ſcandalum dederit. *Lambert in anno evangelico Homilia 83. tomo 7.*

Quinam exprimere poſſet magnitudinem peccati hominis alicujus potentis, qui cæteros dignitate præſtans illos ad virtutem deberet impellere exemplo, atque auctoritate ſua, & qui e contra ſinit graſſari vitium, illius curſum cobibere non curat, & ipſum prava vivendi ratione probare videtur? Quos progreſſus licentia non habet, cum illi nullum injicitur frænum, ſed tali probatur exemplo? Verum quid fiet de hujuſmodi mortalibus tanta præditis auctoritate, qui adeo pernicioſe ſibi credita poteſtate abutuntur? Rei erunt non ſolum ſuorum peccatorum, ſed alienorum etiam, quibus flagitioſo vivendi genere locum præbuerunt. Regula hæc ſpectat ad parentes, qui ſunt occaſio lapſus filiis ſuis

Digitized by Google

ſepe pravo exemplo, nonnumquam etiam pernicioſo conſilio. Regula hæc ad omnes pertinet ſuperiores, & eos omnes, qui aliquam in alios obtinent auctoritatem; pertinet etiam generatim ad omnes fideles, qui aliquam habent poteſtatem; quippe rationem reddituri ſunt peccati fratrum ſuorum, cum illud non prohibent, vel illi aliquid ſua conferunt indulgentia. Merito igitur terror incedit animo reputanti ſententiam, quam Salvator protulit, cum ait; *Væ illi, per quem ſcandalum venit*. Idem.

Scandalum Eccleſiæ majus inferunt damnum, quam olim tyranni perſecutione.

Ipſi ſcandalis noſtris majus eccleſiæ damnum inferimus, quam tyranni olim perſecutionibus ſuis eidem attulerint. Perſecutiones, quibus Chriſtiani angebantur, fidelium augebant numerum. Martyrum ſanguis ſemen erat; ideoque Tertullianus tyrannos irridebat dicens, quo plures ab ipſis necabantur, eo magis eorum numerum multiplicari. Sed prava exempla noſtra fidelium numerum delent, & imminuunt ... Dicere poſſumus re ipſa flagitioſam cujuslibet Chriſtiani vitam ſingillatim eccleſiæ injuriam afferre; hujus opprobrium eſſe, fæcunditatem impedire, ac magnum obicem ſtatuere converſioni Ethnicorum, Hæreticorum, & peccatorum derelictorum. Etenim quamvis eorum ſcandala nihil imminuat ſanctitatem eccleſiæ, quæ in inſtitutis, myſteriis, & diſciplina ſua ſemper ſancta eſt; homines tamen vix ſibi perſuadent, religionem adeo ſanctam eſſe, cum qui profitentur illam, religioni ſibi minime vertunt in omnem impietatem, omniaque ſcelera proruere. *Auctor ſermonum chriſtianorum ſermone de reverentia eccleſiaſticis debita.*

Verba ſine exemplis in iis, qui prædicant alios.

Cujus ponderis eſſe poſſent verba, quæ quotidie de cathedra veritatis annunciamus, atque ea morum præcepta, quæ contra luxum, libidinemque jactamus? Quæ fides haberetur conſiliis, quæ in tribunalibus pœnitentibus damus, ſi luxum, atque impudicitiam in ipſum uſque ſanctuarium inferramus? Quibus rationibus uteremur, ut populis oſtenderemus obligationem, qua ad virtutem exercendam, fugiendumque vitium tenentur, ſi nos, qui peculiari modo virtutis characterem, & vitii horrorem præ nobis gerimus, mira inverſione virtutem quidem perhorreſceremus, vitium autem diligeremus? ... Similiter cum matrona aliqua, quæ quotidie accedit ad ſacramenta, ac inceſſanter inviſit xenodochia, non ideo tamen vanitatis, nugarumque amatoriarum affectum relinquit, quantam removet ab omni pietatis ſenſu perditas animas, quæ fortaſſe converti vellent, & quæ pravo illius exemplo prohibentur! Qui cum vident tot flagitia cum tanta Sacramentorum frequentia; cum vident, JESU CHRISTI miniſtros tanta diligentia contendere, ut placita Belial cum evangelicis legibus concilient; cum tantam vident impietatem in illis, qui ipſis præclara virtutum exempla præbere deberent; nonne tunc animæ illæ deviæ, errantesque ratiocinari incipiunt, ac dicere intra ſe: ſi qui adeo eximia profeſſuri documenta, qui toties lacris ſaciſiciuntur myſteriis, vitam ducunt adeo corruptam, næ illi quidem credere non videntur, quod dicunt; atque tot veritates, & adeo præclara præcepta non ſunt ad ſalutem neceſſaria? Atque hoc pacto ratiocinati decernunt in vitæ ſuæ genere perſiſtere, in impudicitiis ſuis volutari, quin attendant, ſe non ideo juſtificatum iri; Salvator enim dicit illis in evangelio: facite quod vobis dicunt, non id quod faciunt. *Idem*.

Sequimur potius malum exemplum, quod ſummi viri præbent, quam bonum.

Fatendum eſt hominum proclivitatem ad id, quod vident, imitandum multo majorem eſſe in malum, quam bonum; quia tunc accedit naturæ corruptæ pondus. Celerius deſtruitur ſimulacrum, quam fit; & ſimiliter citius in anima ſcandaloſo vivendi genere J. C. imago delatur, quam bono vitæ ædificantis exemplo ſarcitur. Hoc autem præſertim accidit in exemplo, quod illi præbent, quorum inſignia ſunt merita, & qui præ cæteris nitent; quippe non docent ſolum peccare, ſed etiam auferunt verecundiam peccato inhærentem, quæ tutiſſimum erat vallum, quo prohibebatur, ne ſe extrinſecus effonderet. Exemplum profecto plurimum confert ad hoc, ut vitium ſeſe latius effundat, cum qui in hoc labitur, ejus ordinis, & characteris eſt, qui reverentiam conciliat. Tunc enim vulgo dicitur; ſi eccleſiaſticus iſta, qui quotidie ad aras accedit, flagitioſa vitam traducit; ego, qui cum ſæcularis ſim, bis in anno ad eaſdem minime accedo, nonne potiori jure eamdem mihi vindicare debeo licentiam? Superiorum flagitia ſunt excuſationis loco criminibus inferiorum, atque ſunt invitatio quædam ad malum; & ſcandalum, quod ille præbet, cui ſumma auctoritas eſt, eſt veluti immane ſaxum de ſummo cacumine montis lapſum, quod obviam quodlibet ſecum trahit. Ita nihil hoc malo terribilius poteſt videri. *P. Segneri in Praxi curatorum cap. 12.*

Ferunt, Sanctum Petrum facie ad iram, & indignationem compoſita olim apparuiſſe eccleſiaſtico cuidam ſcandalum præbere ſolito, & in manu ejus impoſito libro, gravibus imperaſſe verbis, ut illum aperiret. Eccleſiaſticus librum aperiens in hæc incidit verba: *Quando reduces animas, quas tuo exemplo æterno ſupplicio demerſiſti?* Brevis hæc lectio ita illum perterruit, ut abdicans ſe beneficio ſuo in cænobium quoddam ſe contulerit, ubi reliquum vitæ ſuæ ſpatium pœnitentiam ageret horrori anteactæ vitæ parem. *Idem*.

Minæ, quas Dei filius intentat illis, qui ſunt aliis ſcandali occaſio.

Væ illi, per quem ſcandalum venit, ipſe Dei filius inquit. Si anathema hoc eſt terribile contra ſcandala generatim, quanto graviori pondere ruet in eccleſiaſticum, in virum, cui aliorum cura commiſſa eſt? Et ſane quot ille mortes ſcandalo ſuo non meretur? Tot procul dubio, quot animas pravo perdidit exemplo. Quod ſi hujuſmodi minæ tamquam inanes putantur, non ſecus ac domeſticis Loth eæ videbantur, quas ipſe illis portendebat: *Viſus eſt eis quaſi ludens loqui:* Gen. 29. nonne nunc etiam accidit, quod tunc illorum accidiſſe? Repente abſumpti fuere flammis, quas Loth illis prædixerat, & ne momentum quidem temporis habuerunt, quo luam, non dicam plorare, ſed ne agnoſcere quidem poſſent incredulitatem. Quanti igitur intereſt adeo funeſtam evitare indocilitatem? Si ſcopulus fuiſti, in quem animæ alliſæ naufragium fecere; feſtina, ut fias tutus ſalutis eorum portus; repara tempus, quod ſermonibus, vel actionibus tuis inordinatis adeo miſere perdidiſti; præbe in temet exemplum pœnitentiæ, quod ſuperat pravum, quod præbuiſti, exemplum. Hæc unica ratio eſt formidabilem illam præveniendi ſententiam: *Qui decipit juſtos in via mala, in interitu ſuo corruet. Prov. 28. Idem.*

Peccator publicus, & ſcandalum præbens leviter, ocyus exemplari ſupplicio punietur.

Non metuo, ne tamen vobis terrorem incutiam; ſed cum peccatum veſtrum publicum fuerit, pro certo habete maledictionum, pœnarumque exemplarium torrentem vobis imminere. Serius, ocyus Deus palam inſignes repoſcet pœnas criminis veſtri. Juſtum quippe eſt, a Deo providentiam ſuam juſtificari, ipſumque mundo oſtendere, ſi permittit, ut ab improbis tot alii ſeducantur, ſe ſcire inde ultionem, cum eſt opus, repoſcere. O viri nobiles! Vos qui aliquam in mundo obtinetis dignitatem, hoc ad vos maxime pertinet. Quo majorem habetis auctoritatem, & quo pernicioſior fuit vita veſtra, eo majorem vim habuit, ut actionum veſtrarum teſtes traherent in ſcelus. Ita Deus maxime terribilibus pœnis iniquitatum veſtrarum pondus librabit, ut eos, quos exempla veſtra in ſcelus pertraxere, ſupplicii veſtri magnitudo deterreat. Nonne optimum eſſet conſilium capere vitam tam ſanctam docendi, quam improba fuit, quam duxiſtis, ad terribilia ultricis juſtitiæ Dei fulmina evitanda? *Ex mſ. ſermone P. Stephani Chamillard.*

Scandalum præbentes vocari poſſunt dæmonis vicarii.

Qui pernicioſis exemplis ſcandalum præbet, publice tradit impietatis, licentiæ, contemptus divinarum legum documenta; quocumque graditur, effundit virus vitiorum, quibus abditus eſt, & nefariis vitæ ſuæ, publiciſque ſceleribus videntibus ſe præbet lapſus occaſionem. Nonne hoc eſt ſe ipſum præbere miniſtrum, vicarium, & inſtrumentum dæmonis ad perdendas animas, eaſque in perditionis abyſſum pertrahendas? Hic enim irreconciliabilis hominum inimicus non ſemper ſuggeſtionibus ſuis fideles in crimen valens perducere improborum utitur miniſterio, ut virulentis eorum ſermonibus fallat, vel

pravis

pravis exemplis corrumpat pietatem illorum; quos conatibus, doliſque ſuis non potuit evertere, ut S. Leo inquit: *Habet hoſtis antiquus multos, quorum ad alios decipiendos, & ingeniis utatur, & linguis.* De la Font.

Injuria, quam per ſcandalum fit J.C. in fratrem reſilit.

Ne putes, S. Chryſoſtomus inquit, injuriam, quam infers proximo pravis exemplis tuis illi communicans virus, quo jam infectus es, in illo ſubſiſtere; in ipſum reſilit JESUM CHRISTUM, qui illum ſua morte redemit, & qui pro ſalute ejus in cruce animam voluit efflare. Videmus in mundo, quod famulum cædere fuſtibus, aut afficere contumelia, non eſt ſolum huic famulo injuriam inferre, ſed potiſſima injuriæ pars ad Dominum pertinet, idque præſertim ſi ille huic charus fuerit, & perjucundus. Cum autem JESUS CHRISTUS animas noſtras pretio adeo charo redemerit, nonne eſt illum inſigni afficere contumelia, has ex ipſius ſinu animas divellere, ipſiſque fieri lapſus, atque interitus occaſionem? Ita S. hic Doctor loquitur: *Ne opinetis, quod damnum hoc ad eum, qui offenditur, ſolum pertineat, tranſit etiam ad Chriſtum ipſum, qui propter illum crucifixus eſt.* Idem diſcurſu pro ſexta poſt Pentecoſtem Dominica.

Scandalum præbentes quodam in ſenſu erga J.C. magis crudeles ſunt, quam qui illum crucifixerunt.

S. Bernardus aſſerit, eos, qui pravis exemplis ſuis tentant juſtos, & infirmos in vitium perducunt, reos fieri ſceleris, quod ipſam Judæorum ſuperat nequitiam, & crudelitatem carnificum, qui Salvatorem crucifixerunt; hi quippe illius ſanguinem effundentes quodammodo cooperati ſunt ſaluti mundi, & redemptionis noſtræ operi; ſed ſcandalum præbentes funeſta exempli ſui contagione delent, & annihilant mortis hujus efficaciam, inanem, inutilemque efficiunt ſanguinis ejus effuſionem, auferunt illi animas, quas conjunxerat corpori, cujus caput eſt, tot laboribus, & opprobriis: *Si Dominus proprium ſanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, num tibi videtur ab eo graviorem ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, ſcandali occaſione, exemplo pernicioſo, avertit ab eo animas, quas redemit, quam ab illo, qui ſanguinem ſuum fudit?* Ita ſane; quia ſalus harum animarum ipſi propria vita charior eſt, graviorem, ac magis intolerabilem ipſi contumeliam inferunt, quam qui ex venis illius ſanguinem hauſerunt vi ſuppliciorum, atque cruciatuum; quia magis adverſantur, ne divina illius conſilia expleantur. Quod ſi Dei homines, Deique vicarii vocantur illi, qui, quantum in ipſis eſt, ſalutem animarum procurant, quia Deo obſequuntur ea in re, quæ illi maxime curæ eſt; illi, qui fratribus præbent lapſus occaſionem, nonne dæmonis miniſtri, & organa poſſunt appellari? *Idem.*

Malum, quod eccleſiæ ſcandalum infert.

Si ſcandalum tantam infert Deo contumeliam, eccleſiæ profecto non affert minora mala, neque cladem minus deplorandam; hoc malum eſt fermentum, quo brevi tota fidelium civitatis, vel provinciæ alicujus maſſa corrumpitur; malignus eſt vapor, qui ſeſe aliis, aliiſque communicans totam inficit regionem; lepra eſt, quæ cum aliquam corporis partem corripuerit, brevi ad alias ſe effundit, totumque corpus deformat. Verum hæc adhuc eſt tenuis imago inſigniuoi malorum, quæ ſcandalum parit in eccleſia; omnem ſtatim illius fulgorem commacular, omnem illius faciem deturpat; myſteriorum ejus ſanctitatem fidelium irriſionibus, atque contemptibus objicit; puritati evangelicæ diſciplinæ abrogat fidem, & contagioſa vi in malum trahit illos etiam, qui maxime inde abhorrere videntur. Quemadmodum enim homines ad imitandum proni, violenta rapiuntur propenſione ad mala potius exempla imitanda, quam bona; ſi hæc exiguam vim habent, & paucos habent ſectatores, illa facile plurimos imitatores inveniunt; cumque publica facta ſunt, diceres conſuetudine excuſari malum, quod ineſt, & licitum fieri, quod divina lege prohibetur. *Conſenſere jura peccato, & cœpit licitum eſſe, quod publicum eſt*, S. Cyprianus inquit. *Idem.*

Scandalum eſt periculoſiſſima perſecutio, quam Eccleſia perſtulerit.

Scandalum eſt ſæviſſima, & periculoſiſſima perſecutio, qua dæmon eccleſiam inſectetur. Hanc in ejus primordiis ipſe perſecutus eſt rabie, ac impotentia, quam ſæculi principes exercuerunt in filios ejus, ut illam delerent; ſed ipſa glorioſe triumphavit de omnibus conatibus illius, & licet tanta clade, & ſanguinis effuſione confici debere videbatur, inter fidelium diſcipulorum mortem, ac interitum multiplicata eſt, atque ex ipſis cladibus ſua accepit incrementa. Cum ſævitia non eum habuerit eventum, quem dæmon præſtolabatur, callidius eccleſiam ille adortus eſt ſuſcitans ſchiſmata, & hæreſes, ut fidei illius puritatem corrumperet, & infringeret unitatem. Quamvis recens hoc bellum eidem gravius, & acerbius extiterit priori; inde tamen victrix evaſit tot illuſtrium doctorum, qui illi patrocinabantur, zelo, atque eruditione. Sed periculoſiſſimum bellum, quod illi dæmon inflixerit, eſt morum corruptio, quam in omnes illius ſtatus invexit per ſcandala aliquot membrorum, ex quibus compoſita eſt. Hi ſunt domeſtici inimici, quos in ſuo fovet ſinu, qui maximam illi afferunt amaritudinem, & qui cor illius a certiſſimo, graviſſimoque dolore conficiunt: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Iſajæ 38. *Idem.*

Nihil eſt, quod majorem eccleſiæ afferat injuriam, quam ſcandalum, nihil quod magis illius exhauriat fæcunditatem, nihil, quod magis verbo Dei vim, ac virtutem auferat, licet illud a ferventiſſimis evangelii præconibus prædicetur. Prava pſeudofidelium exempla magis pernicioſos ibi pariunt effectus, magiſque periculoſas impreſſiones efficiunt, quam falſa hæreticorum dogmata. His fidem non habemus; immo ab illis quam diligentiſſime nobiſmet cavemus; quidquid ab illis proficiſcitur, tamquam ab inimicis profectum ſuſpicione non vacat; at non ita cum illis agimus, cum quibus in eadem communione verſamur; facile ad eos imitandos proni ſumus, & fas eſſe ducimus, quidquid illos facere videmus; omniaque humanarum, divinarumque legum interdicta modicam vim habent ad inhibendum illud ſtudium, quo ad prava ſequenda exempla urgemur, tunc præſertim cum conſuetudine probari videntur. *Idem.*

Scandalum eſt cauſa vitiorum omnium, quæ hodie in mundo graſſantur.

Publicis dumtaxat ſcandalis acceptus referendus eſt tepor pietatis noviſſimorum horum temporum, & hæc adeo generalis corruptio, quæ adeo late in omnes conditiones, ac ſtatus ſe effudit, ut pauci inveniantur, qui gravibus ſceleribus patrandis pares non ſint ſeſe conformantes vitæ magis communi, quæ ab hominibus ejuſdem profeſſionis ducitur. Hoc deterret infideles, ne chriſtianam religionem amplectantur, judicantes potius ex vita, quam in Chriſtianis oſtentatiorem intuentur, quam ex ſanctitate legum, quas ipſi amplecti profitentur. Ulterius etiam procedunt; inde enim, S. Chryſoſtomus inquit, occaſionem arripiunt evomendi blaſphemias in JESUM CHRISTUM, religionem illius in ludibrium vertendi, ac pertinacius ſuperſtitionibus ſuis inhærendi. *Idem.*

Scandalum reparari debet, & quomodo.

Si olim cauſa fuiſtis lapſus aliquarum animarum ſeu pravis exemplis, ſeu improbis ſermonibus, ſeu negligentiis veſtris, adnitimini inpoſterum tot animas lucrari, quot perdidiſtis, vel filiorum veſtrorum educatione, vel cura efficiendi, ut famuli veſtri edoceantur; verbo, bonis exemplis; alioquin vobis dicet Deus, ut olim Cain, vocem ſanguinis fratris veſtri, cui magis funeſtam mortem intuliſtis, altius, quam Abel, de terra ad ipſum uſque clamare. Confugite ergo corde mæſtitia confecto ad mundi Salvatorem, ut gratia ſua reparet ruinas, quas ſcandalis veſtris in domo illius peperiſtis, ut eos curet, quos vulneraſtis, eos attollat, quos dejeciſtis, eos revocet, quos in errorem deduxiſtis. Hæc unica via eſt leniendi iram divini judicis, quam ipſi vobis ſcandalis veſtris conflaſtis. *Idem.*

Mali, quod ſcandalum affert proximo, magnitudo.

Si furtum, quod homini aufert bonorum partem, ſi obtrectatio, quæ illius exiſtimationi labem offundit, ſi homicidium, quod illis vitam corporis ferro,

aut veneno eripit, ſcelera ſunt adeo enormia, contra quæ leges adeo ſeveras irrogarunt pœnas; quam magis monſtroſum, ac deteſtabile vitium videri debet ſcandalum, quandoquidem animabus tantum infert excidium? Hoc non rapit fragilia, perituraque bona, quæ iſthic cum vita relinquenda ſunt; non honores, qui nominis celebritatem conferunt, & qui nobis reverentiam conciliant, quantumvis ſemper adverſæ fortunæ telis pateant; neque corporis vitam, quæ breviſſimæ eſt diuturnitatis; ſed præſtantiora, amplioraque invadit bona, quæ eripere conatur animæ; conatur enim animæ eripere inæſtimabiles gratiæ theſauros, omnes virtutum, meritorumque divitias, & id, quod vitam ejus conſtituit, gratiam videlicet, & charitatem. Nonne hæc detrimenta ſunt magis deploranda, & metuenda, quam terrena omnia mundi hujus detrimenta? Hinc conjice, quam horribile malum ſit ſcandalum, quam nobis eſſe debeat formidabile; quoniam ſæpe mortem adfert ingenti numero animarum Dei ſanguine redemptarum, & ad gloriam æternam aliquando perfruendam deſtinatarum. *Idem*.

S. Chryſoſtomus eos, qui ſcandalum præbent, incendiariis comparat, qui ardentibus malleolis hominum domibus, Deique templis ignem injiciunt. Scandalum hoc, quod præbuiſti, fuit tamquam ignis ſcintilla, quæ incidens in affectiones hujus adoleſcentis ad impuritatis flammas concipiendas proni, totum illius cor inflammavit, ac funeſtis accendit ignibus nonniſi ſumma cum difficultate extinguendis; tibique reddenda erit ratio malorum, quorum cauſa tua ſcandala extiterunt. *Biroat in Adventu ſermone* 12.

Non ſecus ac pii, & virtute præditi homines confundunt peccatores bono exemplo, quod oculis eorum objiciunt, & cujus fulgorem illi ſuſtinere non poſſunt; ita mortalium ſcandala pudorem cient virtuti, & vitio tribuunt impudentiam. Pudore ſuffunderetur Chriſtianus ubique videns tot impios, & flagitioſos, & inde impius occaſionem majoris arripiet impudentiæ. Deplorabilis eccleſiæ ſtatus, S. Cyprianus ait, quoniam non quæruntur amplius excuſationes peccati, ſed probatur exemplo! *Deplorandus ille ſtatus eſt, ubi non jam vitii excuſatio, ſed authoritas datur*. *Idem*.

Sancti peccatorum bono exemplo confundunt, & impii ſcandalo ſuo confundunt virtutem.

Corpora eorum, qui ſcandalum præbent, ſunt quodammodo corpora dæmonum, & rabiei eorum ſenſibilia inſtrumenta. Hæc eſt Origenis ſententia dicentis, infelices hos ſpiritus quærere organa, & inſtrumenta, hoc eſt humana corpora, ut ſcandala cient, cum non aliam habeant faciliorem, expeditioremque ad homines perdendos viam: *Dæmones quærunt organa, per quæ ſcandala operentur*. Omnes ſimul dæmones nequeunt pravum præbere exemplum, non enim habent corpora, quibus ſenſibiles fieri poſſint; ſed quod ex ſe nequeunt habere, hoc inter Chriſtianos inveniunt, qui illis corpora ſua commodant ad ſcandala, quæ illi cupiunt, excitanda. Mortales iſti faciunt membra ſua furoris eorum inſtrumenta, eiſque eadem præſtant, præterpropter, officia, quæ uti boni Domino exemplis ſuis. *Idem*.

Mundus repletus eſt ſcandalis, & pravis exemplis.

Cum ſcelera publica ſunt, nullis opus eſt teſtibus, & probationibus. Ut mundo ipſius ſcandala oſtendantur, ſufficit oculos aperire. Quocumque aciem vertamus, invenimus imagines peccati, veluti propalam expoſitas in corporibus eorum, quibuſcum vivimus. Et quemadmodum in urbe, ubi lues graſſatur, vix perflatur aer, qui corruptus non ſit, & vix aliquis invenitur, cujus attactus contagioſus non ſit, ita in mundo corrupto ubique prava videmus exempla, & pauci occurrunt, qui proximo ſuo ſcandalo non ſint, eique vitiorum ſuorum non communicent virus. *Idem*.

Quomodo reparandum ſit ſcandalum proximo illatum.

Ad reparandam injuriam, quam attulimus Deo per ſcandalum, quod proximo dedimus, hoc potiſſimum quæritur, ut virtutibus noſtris ædificemus eos, quos vitiis noſtris ſcandalizavimus, ut eos convertere poſſimus, quos pervertimus. Ita ante converſionem noſtram duximuſne vitam flagitioſam, atque in omnia vitia effuſam? ſtatim ac gratiæ lumen nobis affulſit, in omni vitæ noſtræ ratione nihil non ſanctum eſſe debet, optimique exempli. Viſine ſumus erga pauperes duriuſculi? publicæ, ac liberales eleemoſynæ nobis erogandæ ſunt. Cum illis conſuevimus, qui in omni vitiorum genere volutabantur? indeſinenter cum illis verſemur, qui frugi ſunt, ac integri; quippe converſio, quam vita ædificans ſequitur, efficit, ut Deus glorificetur, magis quam maxima quælibet corporalia miracula. *Abbas de Monmorel ſermone in evangelium Quinquageſimæ*.

Malum quod ſcandalum peperit in mundo.

Horribile peccatum! fecit enim, ut tertia Angelorum pars cœlo dilaberetur; protoparentem noſtrum de terreſtri Paradiſo deturbavit; totum humanum genus afflixit, integras nationes perdidit; ſalutem fere impoſſibilem præſtitit illis, qui communem hujus vivendi rationem ſequuntur, ac tandem homines ad interitum ducit. Verum nulla res in me majorem ciet admirationem, quam inſignis ejuſdem progreſſus. Aliquando imperceptibilis exhalatio ex infecto emanans loco, ac ſeſe per aerem effundens totum terrarum orbem morbis replevit, & majorem terrarum partem in cœmeterium convertit. Ita unus ſufficit malignus ſpiritus ad univerſum terrarum orbem erroribus, vitiiſque ſuis corrumpendum. Quid non fecit in eccleſia Arius? Quandoquidem, S. Hieronymo teſte, terra univerſa in Ariminen. Concilio Arianam ſe eſſe admirata eſt. Hæreſiarchæ, cui nomen Vigilantius, doctrina omnium fere temporum ſuorum mulierum puritatem corrupit. Sola Manetis memoria non levius in mundo peperit malum. Quam cladem duo noviſſimorum ſæculorum hæreſiarchæ in Germania, Gallia, ac borealibus regionibus pepererunt? Quis dicendo aſſequi poſſet, quot illi animas perverterint, quantum ſanguinis effuderunt, quot bella, ac ſeditiones excitarunt, quot aras profanarunt, quot templa ſubverterunt? Unus ſufficit nefarius homo ad urbem, provinciam, regnumque totum everrendum. *P. Deligandes ſerm. pro feria 4. poſt tertiam Quadrageſimæ Dominic.*

Quinam ſint, qui præbent ſcandalum, & ſcandaloſi mundi ſunt.

In hanc claſſem rejicio primum eos omnes, qui palam docent impietatem, puta Hæreſiarchas, auctores ſectarum catholicæ fidei oppoſitarum, Atheos, impios, plus æquo licentiæ ſibi vindicantes, omnes illos, qui verecundiæ jacturam fecerunt, omnes illos, qui execrandis opinionibus ſuis, quas ubique ferunt, ſimplices in errorem impellunt. In hoc numero illi etiam recenſeri poſſunt, qui de Deo inſolenter, ac impie loquuntur, blaſphemi, qui facile dejerant, qui palam bonos mores oppugnant, apertaque licentia ipſa honeſtatis principia labefactare conantur. Inter eos, qui ſcandalum præbent, accenſeri poſſunt obſcœnarum comœdiarum, amatoriarum fabellarum, aliorumque librorum fidei, boniſque moribus oppoſitorum auctores. Pictores, qui inhoneſtas imagines exprimunt, eas vendentes, & ementes, necnon publice in domibus ſuis picturas habeat expoſitas, ubi nuditates, ac turpes actus exhibentur. Qui aleatorum receptaculum ſe tenere profitentur, aliorumque ludorum academiam, & quorum domus patet illis, qui in alea toti ſunt; conſtat enim ludos hoſce occaſiones eſſe juramentorum, imprecationum, litium, aliorumque malorum. Qui etiam in familiis ſuis pravum præbent filiis, atque famulis ſuis exemplum. *Idem, & diverſi alii auctores.*

Pravum exemplum quam perniciosum ſit.

Nihil ad hominis voluntatem a bono quidem avertendam, in malum autem convertendam eſt aptius, quam pravum exemplum. Experientia, quæ nobis ſuppetit, ita communis eſt, ut cumulatiſſimum eſſe poſſit veritatis hujus argumentum. Plerique adoleſcentes malo pereunt exemplo. Et conſtat ratio. Voluntas intra officii ſui cancellos nonniſi ratione, pudore, Dei timore, ſtimuliſque conſcientiæ contineri poteſt. At pravum exemplum hos obices infringit, efficitque, ut hæc omnia valla ſuperemus. Exemplum rationis loco eſt; exemplum verecundiam aufert, humanus reſpectus nobis Dei metum eripit, conſcientia tandem ſedatur tot intuens mortales ſine religione ulla id facientes, quod ipſi non ſine metu

faci-

Digitized by Google

facimus. Vitia non videntur amplius ita deformia, uti nobis exhibebantur, e contra vero ſeſe nobis cum illecebra in exemplo oſtendentia nos ſollicitant, & cupiditates, quas tamquam indomitas feras eſſe arbitramur, manſueſcunt exemplo, quo nihil eſt familiarius. Ita vitia in conſuetudinem, affectiones in habitum migrant. Ita ſane turpiſſimæ cupiditates, & flagitioſiſſima vitia, exemplum ſi acceſſerit, nil habent, quod in nobis pudorem excitet; & ſi quid adhuc ſupereſt, hoc exemplo contegitur. *P. Camaret libro, cui titulus: Purus & perfectus Chriſtianiſmus.*

Quam injuriam Dei filio inferimus animas prævo corrumpentes exemplo.

Putaſne, Dei filium non affici ea contumelia, quam illi ſcandalum infert animas ab eodem avellens, pro quibus ſuum cruorem effudit, & illis æternam mortem infligens? Quid illi in mundo jucundius, & charius eſt, quodque illi majori ſtet pretio? Quæ mors crudelior, ac terribilior hac æterna morte, quam infers his animabus, quas totius ſanguinis ſui pretio redemit? Hoc te docebit S. Bernardus per hæc verba, quæ terrorem debent incutere cuilibet mortalium pravum exemplum præbenti: *Horrendum penitus ſacrilegium, quod & ipſorum videtur ſuccedere facinus, qui Domino majeſtatis ſacrilegas manus injecerunt.* Et ſatis validam tribuit rationem; namque, ait, ſi Dominus ſuum effudit Sanguinem pro redemptione animarum; ſi ita dilexit illas, ut ad eas ſervandas vitæ ſuæ non pepercerit, nonne liquet, eum, qui pravo exemplo has animas perdit, majori Deum afficere contumelia, quam carnifices, qui per inſtrumenta paſſionis ſanguinem ex illius venis hauſerunt? *Idem.*

Scandalum mortale virus infert.

Ita eſt; verbum, quod miſeræ illi creaturæ dixiſti, virus eſt, quod illi gratiæ vitam, æternamque auferet felicitatem; dogma illud, quod ei vendităſti, in [illegible] quæ ad fidem pertinent, inani uſus cavillatione, [illegible] atque dogmatis tradendis te immiſcens, mortale venenum eſt, quod per aures ingreditur, & deſcendit in cor, ut ibi religionis principia ſuffocet; pravum hoc exemplum, quod præbes nimia licentia, immodeſtia, & profanatione rerum ſanctarum in templo, qui hodie condictus eſt ad conveniendum locus: pravum hoc exemplum, quod vos parentes filiis veſtris tribuitis, peſtis eſt mortalis, & virus, quod certiſſime recipientibus illud inferet mortem. *Idem.*

Quid commenti ſunt dæmones, ut vitium probarent? Pravum adhibuerunt exemplum; fecerunt, ut colerentur vitia, & vitioſi, Dei nequam, atque hac arte turpiſſimas quaslibet abominationes conſecrarunt, abſtuleruntque hominibus pudorem id faciendi, quod in fictis numinibus adorabant. Difficile proculdubio erat hominibus non committere ſcelera, & non amare peccata, ut ita dicam, conſecrata. Vos autem quid facitis hodierna die pravis exemplis? id agitis, quod proximus, amicus, inferior veſter vix poteſt non facere, cum vos illud foventes vident, cum vos amant, vos colunt; vos mirum in modum reverentur. Vitia veſtra in vobis verenda facitis, omnem illis pudorem, omnemque infamiam aufertis: *Ut fiant miſeris religioſa delicta*, ut S. Cyprianus ait. *Idem.*

Difficile eſt prava aliorum exempla evitare, ſe ſe contra virus præmunire.

Pravum exemplum eſt *Petra ſcandali*, ut loquitur Scriptura; ubique invenitur, ac difficile eſt in illud non impingere. Scopulus eſt, in quem omnes ferme naves pertranſeuntes alliduat; ura eſt abyſſi, ubi neque ſtare, neque incedere datur, quin lapſus fiat; malum eſt contagioſum, quod converſatione, flatu, auditu, viſu, omnibuſque exterioribus ſenſibus communicatur. Quomodo vero ab illo nos tueri, & illud evitare poſſumus? Si fugere liceret, aſſignaremus amuletum contra peſtem: *Cito, longe, ſero*; ſed in mundo vivere debemus; perflandus nobis eſt malignus hic mundi aer, & hic mundus juxta S. Joann. in ep. 5. verba mortali malignitate totus infectus eſt: *Totus mundus in maligno poſitus eſt.* Arandum nobis eſt hoc mare tot ſcopulis repletum, eundum nobis eſt contra torrentis impetum, incedendum per hanc viam, quæ præruptis, ac præcipitibus locis eſt repleta. *Idem.*

Pravum exemplum

Dei filius, poſtquam dixit, neceſſe eſſe, ut veniant ſcandala, addit, licet hæc fatalis adſit neceſſitas: *Verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Væ ſcandalum præbenti, & accipienti; uterque reus eſt. Pravum exemplum non excuſat. Hæc tamen vulgaris eſt hominum exceptio; hoc non extremum eſt in Chriſtianiſmo malum, cenſere, non adeo grave malum eſſe facere, quod alii faciunt, & ſequi impetum, quo trahimur. At malum contagioſum, eo quod commune eſt, num ideo minus eſt? Reſpicite malum exemplum tamquam luem, qualis eſt; creditisne illud vobis minus detrimentum allaturum, quia majus affert aliis? Pravum exemplum ſemper eſt peccatum, hoc eſt Dei offenſa; quo jure dicere poteſtis, hanc offenſam minorem eſſe, quia a multis infertur? Vulnus vulneri additum, ſi utrumque mortale eſt, numquid minus malum affert, quam primum, quia eſt ſecundum, vel tertium? E contra pejus erit. *Idem.*

quod eſt commune non ideo minus malum eſt in ſequentibus illud.

Sancti Patres, atque inter alios SS. Cyprianus, Auguſtinus, & Gregorius malum exemplum, comparant lolio; & hæ ſunt rationes. Quia quemadmodum lolium bonis frugibus nocet, ita mali bonis nocent hominibus, qui ſatis fortes non ſunt, ut illis reſiſtant. Lolium terræ ſuccum, & adipem attrahit; mali quoad poſſunt, ad ſe trahunt mundi bona, divitias, honores, voluptates. Lolium pravas habet qualitates, quæ bonam terram corrumpunt, & malignitatem ſuam bonis frugibus communicat; mali pravas alunt opiniones, & mores adhuc nequiores, qui mundum corrumpunt, & boni inde detrimentum patiuntur. Inimicus, qui lolium ſerit eſt dæmon; meſſis tempus eſt mundi finis; meſſores Angeli. Hæc eſt applicatio, cui nihil eſt, quod opponatur; hanc ipſe Dei filius fecit. Mittet filius hominis Angelos ſuos, qui ex univerſo regno ipſius omnia colligent ſcandala, eos, qui præbent, eos, qui recipiunt pravum exemplum, eoſque in manipulos alligabunt ad comburendum. *Idem.*

Scandala, & prava exempla lolio comparantur.

Conſiderate omnes punitiones, quæ in Scripturis ſanctis memorantur ad ſalutarem judiciorum Dei metum nobis incutiendum funeſtis exemplis, quibus irritata ejus juſtitia in homines ſcandalum præbentes, ac illud ſequentes animadvertit. Videte, utrum Deus magis conſciis, quam auctoribus ſcelerum pepercerit? In univerſali diluvio, in quo inſignes illi gigantes, homines in ſæculo potentes perierunt, numquid ii tantum, qui præ cæteris nocentiores erant, juſtas ſcelerum ſuorum dedere pœnas? In incendio infamium urbium cæleſti igne incenſarum, filii, qui fortaſſe nonniſi propter parentum ſuorum pravum exemplum peccaverant, evaſere flammas, quibus patres illorum abſumpti fuere? Numquid unus Pharao Ægypti plagis percuſſus fuit, atque Erythræi maris fluctibus obrutus? Nonne omnes de illius aula, conſilio, miniſtri omnes, populuſque pœnæ ejuſdem conſortes fuere? Totus exercitus, qui ſecutus eſt populum, qui Dei gentem perſequebatur, nonne eadem pœna affectus fuit? Quot infirmæ, timidæque animæ peccaverunt ſolum, quia aliena ſecutæ fuerant exempla ad vitulum aureum adorandum multitudine dumtaxat adductæ? Attamen ignavi illi homines, qui prava ſecuti fuerant exempla, in ore gladii cæſi ſunt. *Id.*

Qui malum ſequuntur exemplum æque puniuntur ac illi, qui præbent illud.

Non minimus dolor, quo conficiuntur illi, qui poſt vitam in ſceleribus traductam bona fide converſi ſunt, eſt non poſſe in viam ſalutis revocare eos, quos ipſi ab eadem amoverunt, neque ex inferno educere illos, quos per ſcandalum illuc dedere præcipites. Ita, auditor mi, ſi poſtquam flagitioſam duxiſti vitam, Deus cor tuum tangit, tibique gratiam largitur ſinceris proſequendi lacrymis præterita flagitia, hos doloris ſenſus concipe, ac inter gemitus, ac ſpem obtinendi miſericordiam, & veniam tot ſcelerum tibimet ipſi dic: In infinita Dei miſericordia confido. Utique; gemitibus, ejulatibus, ac ſuſpiriis cordis mei commotum, ſpero, ipſum non denegaturum mihi amicitiam ſuam, ipſumque oblivioni daturum ſcelerum meorum & numerum, & enormitatem; ſed miſeri illi, quos vita mea nefaria præcipites dedit in infernum, indene ideo egredientur? Lacrymæ meæ extinguentne flammas, quibus devorantur? Me gemente, & in ſacco; & cinere pœnitentiam agente, illine ullam in cruciatibus ſuis requiem invenient? Nullam. Quamcumque mihimet ipſi pœnitentiam imponam, quantumcumque a-

Senſus, quos ſovere debet pœnitens converſus, ubi conſiderat animas, quas ſcandalis ſuis perdidit.

mari ſint dolores mei; miſeri illi in omnem æternitatem damnati ſunt; idque propter me. Hæc meditatus, ſummoque dolore confectus exclamabis: Quid, Domine! nequeo reddere tibi animas, quas abſtuli. Ex me igitur in hac vita pœnas ſume. Ego profecto non deſinam, quominus coram te me dejiciam, & annihilem hac ſpe fretus, fore ut ad te alios fideles ſervos perducam. *P. Stephanus Chamillard ſerm. MS. hujus argumenti.*

Scandalum quod præbent mulieres inhoneſtis veſtibus &c.

Certum eſt eos, qui ex fidelibus ſunt fratribus ſuis petra ſcandali, hoc eſt, qui illis exhibent occaſiones peccati per vitia, errureſque ſuos, coram Deo reos eſſe omnium criminum, quæ committuntur ab illis, quibus ipſi toto vitæ ſuæ ſpatio occaſionem hanc præbuerunt. Quis dubitat, quominus, ex. gr. mulier, quæ in ſe mortalium omnium ora, oculoſque convertit, parum decoris ornatibus, indumentiſque ſuis, cincinnis, calamiſtris, ac nuditatibus, quæ ſcandalo carere non poſſunt, tot peccata committat, quot pravi in ipſam conjiciuntur obtutus, quot impudica deſideria concipiuntur? Profecto numquam ſatis invehi licet contra publicum ſcandalum, quod gignere poteſt damnationem plurimarum mulierum, puellarumque, qui nudato ſinu, nudatiſque lacertis, aliiſque indecoris induendi modis, & immodeſto corporis habitu in ſe hominum convertunt oculos, & in eorum cordibus impudici amoris ignem accendunt. Eſto quidem, SS. Hieronymus, & Cyprianus inquiunt, non affectent illæ indecoros hoſce habitus; neque pravo conſilio ſeipſas ita comant, & ornent; non ideo tamen ſunt minus nocentes ob ea crimina, quæ ideo patrantur. Ita eſt; mulieres, puellæque mundanæ, ſi hujuſmodi veſtibus, muliebrique mundo accenditis, & fovetis noxia deſideria in liberioribus adoleſcentibus, coram Deo rationem redditaræ eſtis omnium ſcelerum, quorum cauſa fuiſtis. Nequicquam profitemini, nullam vobis pravam intentionem fuiſſe; licet voſmet ipſas non perderetis, cum alios perdatis, culpane vacare poteſtis? Quam adferre excuſationem poteſtis, cum vos obtuleritis virus, & miniſtraveritis enſem, quibus miſeri illi ſibimet mortem conſciverunt? *Auctor Anonymus.*

Pravum exemplum aufert verecundiam.

Nihil in Confeſſionibus ſuis S. Auguſtinus uberioribus proſequitur lacrymis, quam infelicitatem mali exempli, quam habuit in adoleſcentia. Ingenium habebat in bonum ſatis proclive; immo ſatis bonam etiam educationem receperat, & ſine jactantia in libro, ubi nil aliud quam confuſionem ſuam quærit, fatetur, ſe numquam ad maxima hæc flagitioſæ vitæ ſcelera venturum fuiſſe, niſi ſodales ſui ipſi prava præbuiſſent exempla. Ita enim loquitur: *O nimis inimica amicitia, ſeductio mentis! cum dicitur eamus, faciamus, & pudet non eſſe impudentem.* In magni hujus ſancti viri verbis, & experientia habemus exemplum, ac manifeſtum argumentum audaciæ, & impudentiæ, quam ſcandalum tribuit, quod in malo patrando efficit impudentes. *Idem.*

Sæpe proximo ſcandalum præbemus, quin ne cogitemus quidem.

Nollet quidam vel minimum alicui in temporalibus bonis detrimentum afferre, qui ne animum quidem advertit ad evitenda ſexcenta, quæ proximum in diſcrimen adducunt gratiæ, & nonnumquam æternæ felicitatis amittendæ. Exponitur ſimpliciter inhoneſta tabella; amatorius liber commodatur; canuntur cantiones ad noxium inſpirandum amorem nimis accommodatæ; matrona cum adfectatione ſeipſam in loco etiam ſancto oſtentat ornatam indumentis æque & pudori, & chriſtianæ humilitati oppoſitis, aliquis de pietate obloquitur, & devotiſſimum quemque in jocum traducit. Quis dicere poſſet, quantum hæc omnia proximo noceant? Majorem illi infers injuriam hac arte illum in peccatum impellens, quam ſi exiſtimationi illius labem offunderes, vel omnia bona auferres. Et nihilominus, quiſnam e mundo ad hoc attendit? Heu! Mira inverſione fit, ut qui aliquem verbo lædere perhorteſcimus, nullo in diſcrimine habeamus animæ illius inferre mortem, eique vitæ gratiam auferre. *Auctor Anonymus.*

Hoc ſcandali argumentum maximæ eſt in religione neceſſitatis; argumentum; quod adeo late patet in chriſtiana morum diſciplina, ut ad omnia ferme officia, omneſque vitæ noſtræ actiones referatur; argumentum, cujus cognitio ita abſolutæ neceſſitatis eſt, ut nemo verus Chriſtianus eſſe poſſit, qui hoc penitus non calleat, & nihilominus ita neglectum, ut pauci fideles ſerio animum appellant, ut erudiantur: etenim quot ſunt, qui ſcandalum & præbent, & accipiunt, quin plerumque ſciant, quid ſit ſcandalum. Hoc virus in animas noſtras quovis tempore, & loco, data opera, temere, per impudentiam, per ſilentium, per verba, per viſitationes, per veſtimenta, per geſtus, per ipſam devotionem male inſtitutam æque, ac per vitium ſe inſinuat. Verbo, cum tota vita chriſtiana inter nos, ac proximum diviſa ſit, in vitæ noſtræ ratione, illud ſæpe crimínoſiſſimum eſt, quod parum ædificat, & magnum ſcandalum adfert. *Abbas du Jarry, tomo 2. ſermonum, ſermone de quinquageſima.*

Quam late pateat ſcandalum, & quanti referat hoc noſſe.

Quid ſit ſcandalum & ejus nequitia.

Scandalum datum non aliud eſt, quam impedimentum, quod ponimus in via ſalutis, quod remorari poteſt, vel eſſe cauſam lapſus illis, qui in hac ambulant via; vel ut ſimplicius loquar, eſt pravum exemplum cognitum, quod illos, a quibus videtur, ad imitationem invitat, & infirmat principia fidei, & religionis in illis, qui hoc apprehendunt. Aer eſt contagioſus inficiens illos, a quibus reſpiratur, illis ſuam communicans improbitatem; flatus eſt mortalis in animas uſque corruptionem inferens. Hoc intelligebat Apoſtolus 2. ad Cor. 2. cum loquebatur de odore mortis mortem afferente: *Odor mortis in mortem.* Cor enim hominis iam pronum eſt in malum, ut quantumvis parum in corruptionis ſuæ proclivi, impellatur, vix fieri poteſt, ne labatur, & decidat. *Idem.*

Scandalum magis periculoſum eſt cum præbetur ab illis, qui habent auctoritatem.

Cum ſummorum virorum facta magis aliorum conſpectui pateant, ſcandalum, quod præbent, magis pernicioſum eſt, quia apertam relinquit viam illis, qui eos vellent ſequi, & imitari. Serio id cogitate vos, qui aliquem in terris gradum obtinetis; ſcitote, ſi potentes eſtis, vos potenter excruciatum iri; ſcelerum veſtrorum magnitudinem pro veſtræ conditionis magnitudine majorem eſſe, Deum ſeveriſſime ſumpturum pœnas de animabus, quibus ſcandalum affertis; ac dum illas trahitis in abyſſum, ipſas viciſſim vos illuc præcipites daturas, & nequitiam effuſam in ſcelera omnia, quorum eſtis auctores, in ſceleribus veſtris annumerari. Sapiens ait: *Pro tantis reus, quantos traxerit in reatum.* Sed pauci ſunt, quos hæ terreant conſiderationes, quin pauci illis ſe indigere arbitrantur; plerique peccatorem ſcandali auctorem eam tantummodo eſſe putant, qui palam profitetur impietatem, & qui religionis monſtrum poteſt appellari. *Idem.*

Dicis, nullam tibi eſſe pravam intentionem iis in rebus, ex quibus homines ſcandali occaſionem arripiunt. Confide, quantum tibi placuerit, in ſecretis diſpoſitionibus, in quibus es; fortaſſe ſatis erunt, ut Deo ſatisfiat, interiorem dumtaxat animi partem intuenti: ſed non cogitas rem tibi eſſe cum hominibus nequitia, & injuſtitia refertiſſimis; quod ſi Deus videt defectus omnes, qui tibi inſunt, homines exiſtimare poſſunt, nullos eſſe tibi eo tempore, quo integerrimæ quælibet actiones veneno inficiuntur. Expectaſne benignas fidei interpretationes ad crimina tua excuſanda? & cum ſuſpicione ſimulationis non careant ſinceriſſimæ devotionis indicia, ſperaſne ipſas criminis ſpecies indulgentiam eſſe obtenturas? Quomodo vis aſſertam intentionum tuarum puritatem dignoſci per has exteriores ſpecies, quæ ſuſpicione non vacant? Oporteret, ut unuſquiſque te, tuaque amaret æque ac to temetipſum, ac omnes proprii amoris tui oculis tuas actiones ſpectaret ... Verum eſto in vitæ tuæ ratione plus ſit imprudentiæ, & ſimplicitatis, quam nequitiæ; hæc ſimplicitas, & imprudentia te non excuſant; quoniam in te poſitum eſt ſerio dicta, factaque tua perpendere, ut illa a ſcandali veneno expurges; ac tuum eſt cavere, ne quid facias, unde qui vident te, fieri poſſint nequiores, vel ſuſpicari te improbiorem eſſe, quam vis exiſtimari. *Idem.*

No-

Qui attendendum ac cui præbeatur ſcandali occaſio.

Noſtrum eſt jugiter nobis invigilare, ſevere actiones noſtras, verba, inceſſus, obtutus ad examen vocare, ne quid horum fratribus noſtris ſcandalum afferat. Non loquor hoc in loco de execrabilibus, irriſionibus, quibus ſacratiſſima religionis myſteria nonnumquam in ludibrium vertuntur; de dogmatibus diabolicis, ac nefariis, quæ in mundo impune venditantur; de funeſtis, pernicioſiſque conſiliis, quæ adoleſcentiæ præbentur, de periculoſis libris, qui componuntur, imprimuntur, ac ſine ſcrupulo leguntur; de ſyſtematibus, atque chimericis religionis ideis, quæ formantur; quid enim dicendum eſſet contra peccatores, qui ſcandalum afferunt Urbibus, Provinciis, & Regnis, cum mundi Salvator graviſſimas intentat minas contra eos, qui vel unam animam ſcandalizaverint? Loquor de ſermonibus nimium liberis, de licentia, quam mortales ſibi arrogant cum alterius ſexus perſonis, de Immodeſtia in indumentis, in geſtibus, in obtutibus, &c. *Idem.*

Æquum eſt reparare ſcandalum publica pœnitentia.

Quid æquius eſt, quam publicam agere pro publicis peccatis pœnitentiam; quam oſtendere voſmet eſſe pœnitentes illis omnibus, qui vos peccatores fuiſſe cognoverunt; vos ſubditos eſſe iis legibus, quas toties violaſtis; vobis probatas eſſe veritates, quas toties oppugnaſtis aut factis, aut verbis; ita enim reparantur mala per ſcandalum allata; qui male de fide veſtra judicarunt, fidem ſuam confirmari ſentiunt veſtram confirmatam intuiti; & religio per licentiam veſtram dedecore affecta venerabilis fit per veſtram converſionem. Ubi es primus eccleſiæ orientis fervor, cum videbantur Imperatores pro purpura ſacco induti, ac cinere adſperſi præ templorum foribus palam reparare ſcandala, quæ attulerunt, neque iterum in ſacrorum myſteriorum partem accedere, niſi prius per omnes auſteriſſimæ penitentiæ gradus pertranſiſſent? Eccleſia praxin mutavit, ac ſeſe filiorum ſuorum infirmitati accommodans, legum ſuarum rigorem temperavit, prout fidelium charitatem frigeſcere vidit; verum ſi alia eſt ejus praxis, ſpiritus tamen eſt ſemper idem... Exigebat tunc publicas pro ſcandalo reparationes, & hodierna etiam die exigit; & hujuſmodi reparationes eo magis inevitabiles ſunt, quo ſunt minus ſeveræ... Attamen omnia ſcandalis repleta ſunt, & ubi publica pœnitentia videtur? *Idem.*

Magnum crimen eſt peccare propter ſcandalum quod receptum eſt.

Cum magnum ſit crimen præbere proximo ſcandalum, & hoc pacto efficere, ut in peccatum labatur, aliud crimen eſt peccato eedera propter ſcandalum, quod nobis datum fuit. Quamobrem non licet nobis reſpicere tabulas, vel ſimulacra inboneſta, multoque minus illa domi aſſervare, eaque expoſita relinquere mortalium oculis, ac noxiæ curioſitati. Hoc ſimul eſt ſcandalum & accipere, & præbere; quia hæc eſt occaſio lapſus non infirmis tantum, innocuiſque animabus, verumetiam illis, qui nullam inde impreſſionem percipere profitentur. Nam quidquid dicant protervi iſti homines, qui ex impudicitia ſuis creſcere conantur, & qui merito ſibi vertunt, quod inanimatis imaginibus non afficiuntur, quia fortaſſe nimis aſſueti ſunt viventibus realitatibus; pro certo affirmare poſſumus, hæc objecta impudica per oculos tranſeuntia in cor ipſum dilabi, & excitare cupiditates, quæ ſemper præſto ſunt, ut excitentur, atque inflammentur, quantumvis ſemiſopitæ, extinctæque videantur. *Abbas de Monmorel ſermone in evangelium Dominica vigeſima poſt Pentecoſten.*

Quemadmodum Dei filius venit ad deſtruenda dæmonis opera; ita dæmon per vicariorum, atque ſectatorum ſuorum miniſterium venit ad deſtruenda opera filii Dei, ad ſtatuendum in corde regnum peccati, ad delendas ibi fidei, gratiæque impreſſiones, ad efficiendum, ut J. C. loco audiatur tamquam illuſionis, erroris, & mendacii Magiſter... Terribile miniſterium eorum, qui ſcandala præbent, & ut ita dicam, concionatores ſunt vitiorum, ornare, ac detergere domos, ex quibus dæmon fuerat ejectus, ut eo revertatur; illi præparare vias, illum in poſſeſſionem reducere, illi concedere de filio Dei victoriam, eique occaſionem præbere de eodem impotenter agendi triumphum. Hoc enim faciunt ſcandalorum auctores, qui animas perdere, eaſque dæmonis ſervituti, qua ſervitute Salvator eas liberaverat, ſubjicere conantur. Ut verbo me expediam, hoc eſt deſtruere opus, propter quod ille tot ſudores fudit, tot labores pertulit, & ad quod omnia vitæ ſuæ momenta, & curas impendit. *Auctor Anonymus.*

Inhoneſtæ tabulæ ſunt ſcandali occaſio.

Segnius irritant animos demiſſa per aures, quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus: imago ad vivum expreſſa objectum præſens afficit, illud ob oculos ponit, & idem eſt ac picturam intueri. Animi ægritudo non moratur rationis conſiderationes; ad objecti ſui adſpectum excitatur, ita ut ſi in tabula reperiat id, quo allicitur, non perpendit, utrum hæc res ipſa ſit, an imago. Satis eſt, ſi pictura rem illi præſentem exhibeat; ideas ſuas, & impreſſiones iterum excitat, ideoque animæ ſuæ vulnera refricat. Caſtæ autes læduntur ſermone, qui pudori oppoſitus eſt, & pudor hic ſæpe intra honeſtatis cancellos coercet. Sed tabula, & ſimulacrum hujuſmodi conſiderationibus impares ſunt, & qui rubore ſuffunderentur audientes parum honeſta colloquia, non pudet illos in immodeſtam imaginem oculos conjicere &c. *Idem.*

Qui obſcœnas domi ſuæ imagines exponunt, præbent ſcandali occaſionem.

Vos eſtis ſcandali occaſio, cum domi veſtræ habere, & conſervare vultis tabulas, ſimulacra, imagines, quæ ſunt lapſus occaſio videntibus illas. Vobis peccant, quicumque ibi peccandi cauſam inveniunt; ac voſmet reos exhibetis excidii, quod accidere potuiſſet illis, quos ſua virtus præſervat, & qui reſpondent gratiæ qua admonentur, ac permoventur. Vos laqueum tetendiſtis; nihil reliquum feciſtis, ut in illum eos impelleretis. Eſto hoc factum fuerit præter veſtram intentionem; quippe dæmonis nequitia requireretur, ut id hoc animo fieret; ſed hic animarum hoſtis hanc pro vobis habet intentionem, veſtroque utitur miniſterio, ut eos fallat. *Idem.*

Operum Auctores qui poſſunt eſſe cauſa ſcandali propter opera, quæ ad impudicitiam inducunt.

Quot celebres auctores ſcandalum in Chriſtianiſmo pepererunt plurimarum animarum clade, alii quidem per errores, & hæreſes, quas docuerunt, alii vero per venenata, ac pernicioſa volumina. Quot inſignes artifices, pictores, ſculptoreſque reliquerunt opera, quæ mortales omnes admirantur; ſed quæ inſimul mentes rapiunt, imaginationem fœdant, & mores corrumpunt, alii quidem laſcivis picturis, alii vero ſimulacris, cælaturis, aliiſque imaginibus, quæ ad peccatum poſſunt impellere. Non picturæ, neque ſculpturæ artes, aliæque id genus improbantur, ſed earum abuſus. Ars, cum bona ſit, utiliſque, a Deo eſt; abuſus illius corruptio eſt, & hoc eſt opus hominis, ac dæmonis. Ars inſtituta eſt ad mundum exornandum, & locupletandum, non vitiis, flagitiiſque cumulandum, & artis opera fieri debent ad publicam utilitatem, non autem eſſe impudicitiæ, luxus, aliarumque noxiarum impudicitatum documenta. Auferatur quidquid in illas invexit cupiditas, ibi relinquatur id ſolum, quod reſpondet menti illius, qui auctor eſt artium, non ſecus ac naturæ; non deerit occaſio laudandi opifices, opera illorum, & eos, qui illa conſervant; ſed trepidandi locus eſt, dum cogitamus inſignes artifices, quorum opera ſcandalis ſuis tot animarum excidium pepererunt, fortaſſe æternis inferni flammis torqueri, dum interim inanibus celebrantur encomiis in terra, & ad autographa ipſorum curioſa redimenda magna vis auri, argentique impenditur, melius in eleemoſynas eroganda... Verum nonne jure improbandi ſunt pictores, ſculptores, aliique id genus opifices, qui hujuſmodi opera faciunt, atque ex illis expoſcenda ratio tot peccatorum, & ſcandalorum, quorum cauſa fuere? Cogitantne Deum diſtricte in judicio ſuo rationem expetiturum, atque de manu eorum poſtulaturum ſanguinem tot animarum, quas illi in ſcelus impulerunt per artis, ac ſcientiæ ſuæ abuſum? Operibus eorum tamquam laqueis uſus eſt dæmon ad infinitas capiendas animas, quæ alioquin non interiiſſent. Meminerint ipſius maledictionis, quas ejaculatur Dei filius contra eos, qui ſunt cauſa ſcandali, ac metuant, ne ſupremus judex in altera vita pœnas ab ipſis repoſcat & ſceleris ipſorum, & eorum criminum, quibus per ſcandalum miſere aliquid contulerint. *Idem.*

Inevitabilis obligatio eſt ſcandalum datum reparare.

Principium eſt in dubium minime revocandum, ſi ſupremum lædentes Dominum fratri noſtro damnum intulimus, nequicquam nos ploraturos, oraturos, manus in cœlum ſublaturos, ac divinæ juſtitiæ ſatisfacturos; adhuc enim reſtat arcta obligatio reparandi damnum illius, cui detrimentum attulimus, ac res in eodem ſitu, quoad ipſum ſpectat, reſtituendi, in quo erant, quantum per nos fieri potuerit. Etenim quantumvis quæ ſpectant ad Deum longe alia ſint ab illis, quæ ad hominem ſpectant; ſunt tamen ita ſimul conjuncta, atque invicem hærentia, ut ſeparari minime poſſint. Videtur a nobis exigere Deus alterum altero diſtrictius, nam in iis, quæ ad ipſum referuntur, mitius agit, & non parum nobis remittit; nihil vero e contra in iis, quæ nobis invicem debemus. Quotuſquiſque autem eſt, qui mundi hujus commercio irretitus in vita ſua reus non extiterit alicujus publici peccati, cogniti, & cum ſcandalo conjuncti, quod virus infuderit in cor illorum, qui ejuſdem teſtes fuerunt. Ex temet ipſo judicium fer, Auditor mi, utique ex teipſo judica, o juvenis, cujus omnes obtutus, inceſſus, colloquia, omneſque temet ornandi modi eo tendunt, ut placeas, & noxiam cupiditatem infundas. Judicate vos, mundani, qui ut voſmet ſæculi placitis conformetis, prorſus paganam ducitis vitam, ſolatiis dumtaxat, & voluptatibus indulgentes. Judicate vos patres familias, judices, mercatores, vos tandem, quibus inſatiabilis opum congerendarum cupiditas tandiu dominatur. Quot id genus peccata eſtis confeſſi, cum animum appuliſtis, ut voſmet converteretis, & infringeretis vincula, quibus terræ adſtricti hærebatis? Conſequenter fateri debetis, pœnitentiam veſtram veram eſſe non poſſe, niſi quatenus par eſt ſcandalo, quod naturaliter eſſe debuit ſcelerum veſtrorum effectus. *P. Chamillard in M. S. ſerm.*

Pravum alienum exemplum non excuſſe ſcelera noſtra.

Quod alii ſuo deſint officio, hæc ratio non eſt, propter quam extra noſtros cancellos debeamus egredi, & actionis eorum improbitas nos minime excuſat, ubi erga illos eam agendi rationem ſequimur, quæ abnormis eſt. Vitia, in quibuſcumque illa intuemur, nos admonent, ne ſimilia committamus, nec minus malis, quam bonis exemplis ad virtutem poſſumus erudiri. Tamen cum naturæ noſtræ pondus nos in malum potius, quam bonum trahat, gratia, & ratio cogunt, ut nobiſmet ſemper a pravis caveamus exemplis, quæ ſemper ſunt contagioſa. *Abbas Trappenſis in chriſtianis effatis tom.* 1.

Quædam eſt ſcandali ſpecies, quæ negotium nobis faceſſere non debet.

Si veritas æterna prohibet, ne hominibus ſcandali cauſam præbeamus, docet quoque ſcandalum adeſſe, quod bonis nequaquam faceſſit negotium, & quod in eorum dumtaxat detrimentum cedit, qui perperam ſcandalizantur. J. C. vita, quamvis irreprehenſibilis eſſet, ſcandali argumentum fuit Phariſæis; ita hoc ſolatio eſſe debet ſervis illius, ubi contingit eorum innocentiam dicteriis proſcindi, & quantumvis opera, non ſecus ac intentiones eorum pura ſint, tamen male explicantur, ac in pravum ſenſum detorquentur. Cum fecimus id, quod veritas, juſtitia, & charitas poſtulant, ut hujuſmodi in occaſionibus aliis medeamur, in pace permanendum eſt, illi ſuæ tradendi ſunt improbitati, in fide ſua relinquendi, ac interim pro illis orandum eſt. *Idem.*

Senex Eleazarus maluit mortem perferre, quam eſſe cauſam ſcandali vetitis in legis eſcepibus veſcens.

Utinam plerique Chriſti fidelium vellent ſequi exemplum illuſtris illius Eleazari, de quo ſermo eſt in 2. Machabæorum libro. Cogebatur venerabilis ſenex veſci carnibus lege vetitis eo uſque, ut illius familiariſſimi ſenectutis ejus miſerti perſuadebant illi, ut regi gratum facturus permiſſis uteretur carnibus ſimulans iis uti, quæ in ſacrificio fuerant immolatæ; verum ſanctus hic ſenex ſuam conſiderans ætatem, dignitatis præſtantiam, generis nobilitatem, domus ſuæ honorem, & antiquitatem, necnon irreprehenſibilem vitam, quam a teneris unguiculis duxerat, exclamavit ſe mori malle, quam uti diſſimulatione. Nolo, ajebat ſtrenuus ille vir, ſæculis venturis Eleazarum accuſari tantæ imbecillitatis, quæ in religionis dedecus cedit. Hoc publicum eſſet ſcandalum, & laqueus adoleſcentibus, ſi viderent ſenem nonaginta natum annos, poſtquam toto vitæ ſuæ tempore eidem fideliter adhæſerit, ſub extremum vitæ finem deficere; ac legem abdicare, ut idolorum cultum amplecteretur; etenim licet hominum manus effugerem, non effugiam tamen manus omnipotentis, neque juſtitiæ ipſius ſeveritatem; cum e contra generoſe morti occurrens facinus aggredior dignum ætate mea, adoleſcentibus generoſitatis exemplum relinquo, & gloriam tribuo Deo, qui me remunerabitur. Hi ſunt, o Fideles, generoſi ſenſus, quos fovere deberetis, ubi ſeſe vobis offerunt occaſiones, in quibus periculum imminet, ne pravum præbeatis exemplum filiis, quorum inſtitutio vobis credita fuit. Numquid vos allicit ludus, ita ut meliorem temporis, quod adeo pretioſum eſt, & quod vobis datum eſt in ſalutis veſtræ, veſtræque familiæ cura tranſigendum, partem in eo vobis traducere placeat? Numquid vos libidinis æſtus ſollicitat? Numquid hæc vos urget tentatio, ut luxum alatis omnium bonorum & veſtrorum, & eorum, quibus obærati eſtis, periculo? Vobiſmet dicite, quod illuſtris hic Eleazarus; numquam decidam in hoc ſcelus, & meæ religionis, & officio meo turpiſſimum. Hoc publicum eſſet ſcandalum, laqueus eſſet adoleſcentibus, ſi viderent homines, quos propter ætatem, aut gradum, quo ſuper ipſos eminent, vereri debent, adeo procul ab officio recedere, & veri Dei cultum relinquere in mundi, omniumque idolorum ejus cultum migraturos. *Auctor Anonymus.*

Scandalum quod præbet gravis auctor, pernicioſius eſt eo, quod aliquis e vulgo tribuit.

Scandalum eo pernicioſius eſt, quo qui illud præbet vel dignitate, vel doctrina ſua eſt celebratior; ſi enim peccator ille inſigni aliquo gradu altear, flagitiorum ejus ſcandala majori cum rumore effunduntur; incendium eſt, cujus ſcintillæ quocumque pervolant; cadaver eſt atra lue contabeſcens in foro projectum; fons eſt communis veneno infectus. Quod ſi peccator pollet auctoritate, tot invenit imitatores, quot ad illum cupiditate aliqua accedunt; quilibet gratiam illius demereri contendit mores ejus imitatus; & unius hominis crimen brevi fit crimen mundi totius. Sin autem ob doctrinam nominis floret celebritate, tunc ſcandalum magis funeſtum eſt, ait S. Auguſtinus; cum enim rudibus populis non ſit ſatis luminis, ut ex ſemet ipſis de religionis rebus judicent, omnia doctorum virorum errata tot veluti rationes putant, quibus crimina ſua probantur, ſecretis conſcientiæ ſuæ ſtimulis objicientes publicum hominis exemplum, qui ab omnibus ſcitus, ac ſapiens habetur. *Abbas de Jarry.*

Quam periculoſum eſt ſcandalum, cum proficiſcitur ab illis, qui per particularia ſui ſtatus officia proximum ædificare tenentur! Cum pater pietatis, & virtutis documenta, quæ debet filiis, ac domeſticis ſuis, in exempla licentiæ, libidiniſque convertit; cum mulier chriſtiana oblita officiorum, quæ matris nomen ab illa requirit, non erubeſcit adoleſcentulis ſcandala præbens commerciis, quæ nimis mundo cognita ſunt, ita ut familiam ipſius latere non poſſint; cum magiſtratus abutens auctoritate, quam princeps ei contulit, ut injuſtitiam perſequatur, ac protegat imbecillitatem, ſua abutitur poteſtate, ut alteram quidem opprimat, alteram vero triumphare ſinat, atque cor ſuum publicis, exploratiſque tradens cupiditatibus, liberam relinquit viam omnibus illis, qui illud ſeducere, atque corrumpere voluerint. Ad id ſerio animum advertite vos, qui aliquem in mundo gradum tenetis, mementote criminum veſtrorum magnitudinem creſcere pro magnitudine veſtræ conditionis; ac Deum diſtricte ultionem ſumpturum ob animas, quibus ſcandalum attuleritis. *Idem.*

Regula prudentiæ, cum dubitatur, utrum actio bona vel indifferens, ſcandalum ſit allatura.

Cum eſſentiales ſtatus noſtri obligationes nos ad quædam facienda cogunt, vel cum inde eccleſia magnam percipere poteſt fructum, illa a nobis aggredienda ſunt ſecundum Salvatoris, & Apoſtolorum exemplum, quamvis prævideamus non defuturos homines, qui inde ſcandali occaſionem arripiant. Verum ſi Dei gloria, eccleſiæ utilitas, ſalutis noſtræ cura, vel neceſſitas, quæ legem non habet, facta, vel cœpta noſtra non probant, quantumvis innocua, & ſancta videantur; ſi metuimus non injuria, ne aliquis inde ſcandalizetur, conſulendum nobis eſt ſaluti

fra-

fratrum noſtrorum præ reliquis omnibus rationibus, quas ipſi habere poſſemus; quia væ illi, per quem ſcandalum venit, inquit J. C. *Idem.*

Nos quatenus Chriſtiani opponere debemus vitæ noſtræ exemplum.

Deus undequaque contumelia afficitur; effrænata licentia ſceleribus omnibus januam aperuiſſe videtur; vix minimum pietatis veſtigium in mundo videtur, & eccleſia nullam reliquam habet ſpem, niſi in exigua proborum hominum manum. Sumuſne ex hoc numero? Nunc tempus eſt oſtendendi, utrum veri ſimus filii ipſius; illa in manibus noſtris rem ſuam collocat; noſtrum igitur eſt, omnem illius reparare cladem; ac tueri gloriam exemplis virtutis æque publicis, uti publica ſunt ſcandala, quibus dedecoratur; noſtrum eſt obniti contra hunc impietatis torrentem, undique exundantem; noſtrum eſt, in flagitioſorum hominum corde inſtaurare memoriam Dei illius, cujus ideas omnes illi penitus oblitterare conantur; noſtrum denique eſt ea vita, quæ publica ſit vitæ eorum cenſuram, palam damnare, quod reformare non poſſumus.

Qui ſcandalum præbent ſunt dæmonis concionatores.

Deus ſuos habet concionatores, ſed & mundus, & dæmon ſuos; poſſumne alio nomine vocare mortales, qui prorſus devoti ſunt effundendo in aliis dogmata impietatis, & vitii? Flagitioſi iſti, quorum os eſt veluti ſepulchrum patens, ubique fœtidum odorem exhalans mortis, ſcandali, & corruptionis; mundanæ mulieres, quæ ſunt veluti eſcæ publicæ aptæ ad alendam concupiſcentiam oculorum impudicorum, & adulterorum, & quæ ferentes in corde ſuo accenſum ſuarum cupiditatum ignem; fatales eorum ſcintillas effundunt, quocumque pertranſeunt per indumentorum ſuorum immodeſtiam, & vitæ ſuæ inverecundiam. Veniet aliquando dies, qua caput hoc, nunc mundi idolum, in cranium deforme, ac horridum convertetur. Veniet dies, qua corpus hoc fœtidum, & corruptum publicam veluti faciet reparationem JESU CHRISTO crucifixo per turpe tabum, quod delicatam ejus lautitiem excipiet. Veniet dies, qua Deus a vobis has repetet animas pretium ſudorum ſuorum, & ſanguinis, quas de manibus illius avulſiſtis; qua, poſtquam fueritis dæmonis inſtrumenta ad hominum damnationem, fietis æternæ comites ſuppliciorum, quæ propter hoc deteſtabile munus perferet, & qua omnes victimæ infelices, quæ perierint in laqueis, quos illis tetendiſtis, ſimul inſurgent in vos ultionem expetituræ interitus ſui, cujus vos præcipua cauſa extiteritis. *Abbas du Jarry, in Panegyr. S. Damin.*

SUPPLEMENTUM.

Chriſtiani relinquentes idola crediderunt licere ſibi ethnica ſuum mores jactare.

NOviſſimorum horum temporum Chriſtiani perhorreſcentes idolorum cultum, quem mens, & ratio execrantur, paullatim in illius uſus, quibus ſenſus maxime illiciuntur, migrarunt. Satis eſſe rati inſana Ethnicorum damnaſſe dogmata non minimam morum diſciplinæ partem adoptaverunt; & inde originem hauſit hæc morum, crapularum, ſaltationum licentia, quæ Religionis opprobrium eſt; inde etiam profecta ſunt dierum antecineralium ſolatia, funeſta excidii tot animarum origo. Et quæritur adhuc quid mali ſit intereſſe voluptuariis cœtibus illis, & omnis intemperantiæ, libidiniſque ſpectaculis? Nonne potius eſſet quærendum, utrum liceat in partem horum feſtorum ab omni religione abhorrentium accedere, quin Dei iracundia in nos, & familias noſtras provocemus! Quod portentum oppoſitionis fidem inter, & vitam! Credere quidquid nobis credendum proponit eccleſia de terribilis hiſce veritatibus, quæ tot pœnitentes, & martyres peperere; de frequentibus his periculis amittendi innocentiam in mundo, quæ tot clauſtra, ac deſerta cœnobitis replevere; de ineluctabili, ac univerſali neceſſitate ſeſe jugiter mortificandi, & carnem ſuam macerandi, ac pœnitentiam faciendi, ut ſaluti noſtræ conſulamus; denique de remotione occaſionum peccati, & de vitæ Chriſtianæ characteres: Hæc credere omnia, & Bacchanaliorum illecebras delibare, & his oblectari ſolatiis? quisnam ſatis impietatem, miſeramque hujus vitæ ſtultitiam aſſequitur? *P. Croiſet in Exercit. Aſceticis Tomo primo.*

Quænam rationes magis irridendæ; ineptiores, ac ſtultiores iis, quas prætexunt homines, ut nefarium Bacchanaliorum uſum tueantur! Jejunium, & pœnitentia carnis privii tempore obſervanda inter principes cauſas enumerantur, ad flagitioſa hæc ſolatia probanda. Severa abſtinentia ſervanda eſt; dies quadraginta jejunandum eſt; igitur totidem præter propter dies in anteceſſum ſeveræ hujus abſtinentiæ rigores ſunt reparandi. Sancto quadrageſimali tempore peccatorum pœnitentia facienda eſt; igitur in anteceſſum ruere opus eſt in omnia vitiorum genera, innocentiam omnibus objicere periculis; cor ſexcentis criminibus polluere, ſenſibus ſuis effrænem licentiam laxare, voluptatibus omnibus ingurgitari, antequam hæc pœnitentia inſtituatur. Quadrageſimæ tempore chriſtiana vita ducenda eſt; hoc frugalitatis, ac ſanctimoniæ tempus vita prorſus pagana præveniendum eſt. Sancto eo dierum ſpatio Dei mandata erant cuſtodienda; hæc igitur per hebdomades ſex, quæ præcedunt, violanda ſunt. Primo Carniſprivii die capita noſtra erunt cineribus adſpergenda; dum ſunt Bacchanalia, omnia luxus ornamenta oſtendenda ſunt. Denique hoc pœnitentiæ tempore ſacræ audiendæ erunt conciones; igitur antequam hi pœnitentiæ dies adveniant, choreis, profaniſque ſpectaculis eſt indulgendum. Peculiarem ſibi cultum adhiberi Deus petit in quadrageſima, dæmoni ſaturnaliorum tempora præſtandum eſt, quod olim ab Ethnicis exigebat. Hæ ſunt cauſæ licentiæ illius, quam quiſque per hos intemperantiæ dies ſibi vindicat. Hoc pacto probare volunt conſuetudinem, quam vel minima Evangelii notio, vel leviſſima Religionis rudimenta proſcribunt, reprobant, damnant. Qualis error! Quam inſana dierum noſtrorum cecitas! *P. Croiſet in Spiritualibus Exercit. Tomo 1.*

Inanes cauſa quas prætexunt amatores Bacchanaliorum.

Si peccator iterum crucifigit ſuis criminibus Salvatorem, ſcelus hoc potiſſimum inter Bacchanaliorum licentiam committit. Licentia, quæ tunc temporis graſſatur; effrænis libertas, qua omnes impudentiſſime in omnia runnt flagitia; inverecundia ſceleſtiſſimo abuſu probata, qua quiſque omnia ſibi licere putat illis omnis intemperantiæ diebus, haberi quodammodo poteſt, tamquam oſtentatio laxitatis, impietatis, nequitiæ, quæ nullum injicit ſcrupulum. Quam inferunt contumeliam id genus Chriſtiani Religioni ſanctiſſimæ, qualis noſtra eſt! Sed qua impudentia Religionem, Evangelium, & JESUM CHRISTUM in jocum, & opprobrium traducunt? Nonne hoc eſt palam iterare omnes ignominias, profanationes, opprobria paſſionis Dominicæ? Nonne hoc eſt in ludibrium vertere & veritates magis terribiles noſtræ Religionis, & JESU CHRISTI præcepta, & ſacratiſſima Evangelii dogmata? Mundus apertiſſimus Filii Dei inimicus per hæc ſcelera de ipſo Salvatore triumphat. Nonne dici poſſet, hanc eſſe ſpeciem publicæ a vera, & Catholica fide defectionis? Saltem hic eſſe videtur manifeſtus contemptus eorum omnium, quæ in JESU CHRISTI diſciplina puriſſima ſunt, atque ſanctiſſima. Nonne in choreis, ac ſaltationibus impie crucifigitur JESUS CHRISTUS per ea ſcelera, quæ ibi patrantur? Nonne in profanis hiſce ſpectaculis læditur Salvator per publica irreligionis, & licentiæ ſpiritui Evangelii oppoſitæ documenta? Nonne in mundanis his cœtibus, in voluptuariis hiſce ſocietatibus, in his aleæ academiis plerumque nocturnis, Barabbas mundi Salvatori palam præfertur? Nonne denique in his conviviis, unde ſemper exulat temperantia, in his parum Chriſtianis ſolatiis, quæ neceſſarii ſunt innocentiæ ſcopuli, in his nequiſſimis perſonatorum conventibus cum Apoſtolo dici poteſt, Dei Filium millies crucifigi? *P. Croiſet in Aſceticis Exercit. Tomo 1.*

In Bacchanaliorum impudicitia potiſſimum rurſus Salvator crucifigitur.

Circumquaque oculos circumfer, & finge tibi videre, quidquid in mundo fit, tamquam in excelſum montem ſublatus, unde videre valeas quidquid accidit in terris. Vias latronibus repletas, maria piratis obſeſſa, exercitus ſanguinem, flammamque

Intemperantiæ dies ſunt occaſio lapſus peccaminibus & ſcandalum juſtis.

minis

Cyprian. Ep. 3. ad Donatum.

mimitantes, foros cauſidicis refertos, atque ſibi invicem belluarum inſtar infenſos; vanarum, vel impudicarum mulierum orbes; juventutem vel corruptam pravis aliorum exemplis, quæ intuetur, vel alios corrumpere conantem ſuis; mortales veneno infectos propter tabidum aerem, quem reciprocant, & qui in unum ſocietatis corpus coaleſcere videntur, ut ſe majori cum furore perdant, non ſecus ac miſeri, qui in communi naufragio ſemet invicem complectentes ſubmerguntur. Hæc omnia primum occurrent animo tuo, & clamabis, quomodonam fieri poteſt, ut ſalus in mundo fiat, vel ubi tunc etiam, cum magnæ adſunt ad virtutem propenſiones, mortales fiunt nequam, non ſine quadam ſpecie neceſſitatis, facientes ea, quæ a nefariis hominibus fiunt, ne illorum invidiam, odium, & irriſionem ſibi conflent, & ne ſoli in cauſa bona inveniantur. *Ex Hiſtoricis Sanctorum Elogiis Tom. 1.*

Quam miſera ſors illorum eſt, qui cum aliquandiu guſtaverint Deum, ei bona fide deſervierint, & vere devoti aliis exemplo præfulſerint; quam miſera inquam ſors illorum eſt, cum ipſos vitæ hujus tædet, & a Dei ſervitute recedunt! Hi lapſus eo magis funeſti ſunt, quia fere ſemper ſunt mortales. In id genus Apoſtatis raro vera datur converſio. Illis, qui pietate deſerant, idem accidit, quod illis, qui a fide deficiunt, quotuſquiſque ex his ad fidem revertitur? Non deſunt etiam, qui nequiores evadunt illis, qui genere ſuo ſunt infideles. Pauci ſunt pietatis deſertores, qui non ſtatim impingant in omnem licentiam, & plerumque palam, & gravi cum ſcandalo. Ægre quidem Dominus opus ſuum perdit, & amicum detrudit; non ita facile ejus iracundia contra dilectam animam inflammatur. Quot urgentes ſollicitationes adhibet, quot officioſas oblationes, ut prohibeat, ne illa ſe ſeduci permittat. At tandemne hanc animam pertæſum eſt ſervitutis Dei! Decrevitne Dominum mutare? deſertio hæc, atque rebellio fit ſemper magno cum rumore. Seu hæc ſit improba inimici ſalutis noſtræ nequitia, volentis recentem prædam in eum ſtatum adducere, unde nequeat ultra emergere; ſeu effectus ſit improbitatis cordis humani, quod tot timoribus, rationibus, ſtimulis fatigatum uno ictu tot obices ſuperare ſtudet, tot infringere vincula, & tot ſimul importuna lumina extinguere, ſtatim primo impetu in diſſolutiſſimam licentiam erumpitur. Sermones liberi, verba impia, Religionis irriſio; hinc fere initium ducitur, ut profiteantur ſibi nullam eſſe pietatem, & domino mutato mores etiam mutatos fuiſſe. Devotus, qui deſcivit a pietate, nullius rei rationem ſibi putat habendam, ne quis ſibi exprobret, quod fuit, ille prior, quid evaſerit, narrat. Impiæ illius irriſiones modo circa nimiam ſollicitudinem in officiis obeundis, modo circa frequentem ſacrorum myſteriorum uſum verſantur. Hic contram patrem vere Chriſtianum invehitur, illic contra Concionatorem vero ſucceſum zelo furit. Fieri ne poteſt, ut ille, cui pietas non defuit, nec deeſt ratio, queat non videre, quantam ſibi ingerat probrum hæc mutatio in populo, cujus fabula factus eſt, & coram Deo, qui illum perhorreſcit. Proh Deus, quam longe recedit a te, qui a tuo cultu recedit! *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Ebrietas evitanda.

Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, inquit Apoſtolus Eph. 5. quæ verba monitum ſimul, & documentum complectuntur. Monitum, vel potius juſſum eſt, intemperantiam, & vini exceſſum evitandum; documentum vero, vinum, ſi hauriatur immodice, ad luxuriam adducere; addit enim corporis vires perniciofas, noxium calorem, carnale gaudium, audaciam præfidentem, & cum hoc gignit oblivionem Dei, rationem auferens, vel perturbans. Ob hos pravos effectus S. Auguſtinus ep. 93. ebrietatem peſtem appellat, vitium commune, cujus imperium admodum prævalet, & late patet. Utque hujus majorem horrorem in fidelibus cieret, Apoſtolus addit, ex eo libidines, & impudicitias ortum habere; nam licet *luxuria* nomen deſumi poſſit pro omni intemperantiæ genere, notæ melioris interpretes, putant hic ſecundum Apoſtoli mentem indigitari impudicitiæ crimina, quæ plerumque ex intemperantia originem ducunt. *Tourneux in anno Chriſtiano.*

S. Cyprianus cauſas explicans, propter quas permittit Deus, ut ſui exagitentur, eas ita exponit. Quilibet in id unum intentus erat, ait, ut diteſceret, & oblitus quid primi Chriſtiani fecerant ævo Apoſtolorum, & quod ſemper eſſet faciendum, tanta flagrabat libidine augendi bona, ut ſe numquam ſatis divitiarum adepturum putaret. Nulla erat in Sacerdotibus pietas, nulla in Eccleſiæ miniſtris fides; nulla in moribus diſciplina, nulla in operibus charitas. Mulieres fuco faciem liniebant; viri comarum colorem mentiebantur, & artem in hoc conſtituerant. In eorum oculis, ac nictibus neſcio quid laſcivum deprehendebatur; multum calliditatis in verbis, ut ſimplicioribus fucus fieret, & ut viciſſim ultro citroque ſemet ipſos deciperent. Non ſolum ſine ulla neceſſitate jurabant, verum etiam pejerabant. Superiorum mandata intolerabili ſuperbia contemnebantur. Proximo obtrectare nemo verebatur, & odia internecina diu ſavebantur. Præſules plurimi, quorum erat verbo & exemplo populis pietatem ſuadere, divina negligebant, ſedem deſerebant, relinquebant gregem, & in remotiſſimas terrarum plagas ſe conferebant ad ſordida negotia, & dignitate ſua indigna procuranda. Nemo ſollicitus erat, ut fidelibus graviſſima egeſtate laborantibus ferret opem; aurum dumtaxat congerebatur; aliena bona ſurripiebantur; & multiplici fœnere propria augebantur. Hanc malorum ævi ſui tabulam ſanctiſſimus Præſul exhibet nobis, & utinam hoc quoque ævo ſimilia his mala non furerent. *Cardinalis Bellarminus de gemitu Columbæ.*

Abducemini Babylonem, idololatriæ centrum, in captivitate, dicebat Dominus Iſraelitis per os Prophetæ: videbitis in hac civitate populum inſipientem ſequi Deos ſuos conflatiles, atque lapideos, qui per compita, & vias magna cum pompa circumferuntur. Sed cavete, ne deteſtabile exemplum vos trahat; præbete mihi honorem debitum, ac taciti in corde veſtro dicite: *Te oportet adorari, Domine*; Baruch 6. Utamur iis præcautionibus, quibus utebatur Deus populum a mali exempli contagione præſervaturus: hoc enim non minimum eſt ſaluti obſtaculum illi præſertim, qui in ſæculo pluribus impedimentis implicitus eſt. Religio ibi a fundamentis concuſſa eſt; ſancta illius inſtituta ad ludibrium atque impugnantur; cumque vel inviti ſimus horum teſtes ſcandaloſum, in nobis ſitum eſt, utrum in eorum partem accedamus. Quod mundus in hæc mala ruat, in luxum effrænem, in turpiſſimam licentiam, in nequiſſimam impietatem; hæc illius ſunt idola; mirum videri non debet, ſi illis ſacrificat. Qui credit Evangelio, qui huic ſuos mores conformat, non ægrius ab his abſtinet flagitiis, quam ſi illa ab idolorum cultoribus patrari conſpiceret. Mirum ne videretur vobis intueri Ethnicos in omne nefas ruentes? Et illorum exemplum vobis eſſe debet cauſa, ut minus officia veſtra ſectemini? Eadem habetis arma contra ſcandalum, & idololatræ, & mali Chriſtiani; eædem veritates contra utrumque ſuſtinere vos debent: *Te oportet adorare, Domine. P. Segneri in Meditationibus.*

Publica potiſſimum ſcandala invito Deo ſtrictius coercere debemus.

Mundi ſcandalum periculoſa eſt tentatio propter numerum præbentium illud; ſed quo major eſt tentatio, eo glorioſius eſt fideli eam ſuperare. Cæterum periculi magnitudo non excuſat illos, qui cedunt; neque ulla vobis ſalus eſt, ſi vobis deeſt fortitudo reſiſtendi adverſum multitudinem inſipientum cultorum ſæculi. Licet omnes ſimul homines JESU CHRISTI diſciplinam conculcarent, horum tamen tibi exempla ſequi non liceret; tibique glorioſus eſſet, ſolum eſſe, qui ut olim Tobias

Licet ſcandalum eſſet generale, tunc glorioſum eſſet ſtare ſolum pro veritate & Religione.

Deum

Deum coleret, ſanctamque illius legem adoraret: *Cum irent omnes ad vitulos aureos* ... pergebat *in Jeruſalem ad templum Domini*. Tob. 1. Præterquam quod conceptus ingentis hujus numeri mundanorum, cui tibi reſiſtendum eſt, phantaſma eſt, quod non niſi imbecillimum animum terrere poteſt. Nonne teſtatur JESUS errantium ac pereuntium numerum multo majorem eſſe? Hujus veritatis certi, quin multitudinis timore deterriti in illius partem concedamus, nihil magis vetamur, quam ut in illa numeremur. Peccatores, inquit Propheta Pſal. 48. ſe ſe præcipites dant in infernum, quin animadvertant, quo tendunt, ſimiles ovibus, quæ præcedentem ſubſequuntur. *Sicut oves in Inferno poſita ſunt. Idem.*

Cum aliquamdiu in Dei cultu verſati ſumus, & tandem eo pervenimus, ut magnas Religionis veritates faſtidiamus, quamprimum earumdem obliviſcimur. Numquam parum aberramus, ubi bona via ſemel cognita, pertæſi ejuſdem ab illa recedimus. Quodnam morum, ſenſuum, vitæque diſcrimen inter eum, qui vere pius eſt, & eumdem, qui ſuæ indulgens libidini habenas laxavit! Quænam proximo ſcandali cauſa! Ad quem iniquitatis & nequitiæ gradum non pervenitur! Suavis, humilis, officioſus, beneficus (qui enim ſincere pius eſt, & Deo fideliter ſervit, haſce omnes obtinet qualitates) quam præſefert omnibus in occaſionibus ſapientiam, prudentiam, probitatem! Matrona hæc magnis Religionis noſtræ veritatibus imbuta nulla afficiebatur lætitia, niſi ex ſolidæ pietatis praxi, & in mundo vivebat, quin mundi placita ſequeretur. Morum ſanctimonia, modeſtia, & in officiis ſuis obeundis cura præclaris ejuſdem virtutibus recentem afflabant decorem. Invidia ejus virtutem verebatur, & ab omnibus in mundo tamquam nobilis mulieris exemplum habebatur. Monialis hæc virgo poſito vix Religionis tyrocinio ſenioribus erat admirationis cauſa propter teneram pietatem, atque fervorem. Quis crediddiſſet futurum, ut adeo ſolida veritas aliquando evaneſceret? Sed quod putreſcenti trabi, vel parieti vitium facienti conſultum minime fuit, totum corruit ædificium. Exilis in rate rima funeſtiſſimi naufragii cauſa extitit. Aurum hoc adeo pretioſum, fulgorem amittens, omne amiſit pretium. Virtus hæc adeo fulgida caliginem duxit. Sed poſſibile ne eſſet verbis oſtendere ſcandalum, quod inde provenit, non conſanguineis tantum, ac familiæ, ſed civitati, & fortaſſe toti etiam provinciæ? Adoleſcens ille adeo ſcitus, æquus, & optime inſtitutus, hæc omnia eſſe deſiait, ubi a pietatis ſuſcepto tramite defecit. Chriſtiana Matrona hæc non agnoſcitur ultra, ex quo mundana facta eſt, ex quo vitæ ſeveritatem laxavit. Vaſa hæc electionis, & pretioſa eumdem exitum habuere, ac fictilia, quæ ubi primum labuntur, confringuntur. Salomon perditus, & Apoſtolus Apoſtata, & proditor factus ſatis ſuperque probant, eum, qui vere pius fuit, ac Dei gratiam guſtavit, & labitur, numquam in criminis mediocritate quadam conſiſtere. Diceres fidem, mentis ſanitatem, rationem cum ipſa pietate interire. Hoc autem quem ſenſum gignit in eorum animo, qui adeo nefaria exempla, & adeo miram mutationem intuentur? Quid de hujuſmodi perſonis cogitari poteſt? niſi poſt maturam præcedentis ſtatus ſui animadverſionem, tandem agnoviſſe, quod pietas eſt verus error, & illuſio mera animarum vulgarium, & inſipientium. Quod ſcandali argumentum? *P. Croſſet in Spiritualibus Exercit. T. 5.*

Quam nobis mutandum ſit ſcandalum, quod præbemus aliis noſtra licentia.

Intelligamus, quanti noſtra referat vitam ducere prorſus oppoſitam ei vitæ, quam adhuc ſervavimus, propter ſcandalum, quod adhuc fratribus noſtris præbuimus flagitioſam vitam ducentes. Quo uſque malum non proceſſit; quia non ſolum auſi ſumus Deo adverſari, verum etiam de ſceleribus noſtris egimus triumphum. Quot animas perdidimus, earum improbitatem pravis exemplis noſtris probantes, præſertim vero ſi quis conſtituti ſumus in dignitate? Numquid non ſero nimis opem afferemus, ut educamus illas de abyſſo, in quam eaſdem conjecimus? Numquid nobis ſatis præſumptionis eſt, ut credamus, fore ut poſſimus ſuſcitare mortuos, infernum aperire, & de inexorabilis Judicis manu revellere victimas, quas ejuſdem ultioni objecimus? Perſona hæc caſta eſſet, niſi nullo habuiſſemus in diſcrimine primos ignes libidinis illius, niſi prioribus turpis commercii ſignificationibus velificati fuiſſemus; niſi primos pudori ipſius laqueos tetendiſſemus. Hæc nequaquam in omnem licentiam ſemel proſtituiſſet, niſi adeo jucundis coloribus mundum adeo ſuavem illi exhibuiſſemus, niſi illam turpibus aſſentationibus pellicere ſtuduiſſemus; niſi illam ſollicitationibus, ac pollicitationibus pertrahere conati fuiſſemus. Nonne ipſi prima pietatis ſemina jugulavimus in adoleſcentis illius corde? Nonne huic perſuaſimus, receſſum, ſilentium, ſolitudinem bubonibus, noctuiſque eſſe relinquendam? Adoleſcentiam, formam, ac veneres, quæ illi comites accedunt, habere tempus ſuum, iiſque prodeundum eſſe in lucem, & honeſtorum hominum cœtum? *P. la Peſſe, Tomo 3.*

Non ſatis eſt, non eſſe ſcandalo, ſed etiam proximus ædificandus eſt.

Præceptum, quo prohibentur homines proximo ſcandalum afferre, non eſt ſolum negativum, verum affirmativum quoque eſt, noſque jubet, eidem bonum exemplum præbere. Alioquin omnino munus noſtrum adimplere non poſſumus. Præcipit Dei Filius, ut chriſtianæ vitæ ratione fratres noſtros ædificemus. Mandatum, quo jubemur proximum noſtrum diligere, peculiariter jubet, nos illius ſaluti conſulere; nemo eſt, qui facere nequeat, & debeat non ſolum non afferendo ſcandalum cuipiam, verum etiam bonum præbendo exemplum unicuique pro ratione ſtatus, in quo nos Providentia conſtituit. Si nobis auctoritas eſt, ſi opes, ſi exiſtimatio, ſi talenta ſive a natura donata, ſive acquiſita, jubet Deus nos iiſdem uti, ut numerum ſervorum illius augeamus. Quicumque ſceleris alicujus curſum prohibere valens, otiatur, & nullo habet in diſcrimine ea, quæ ad Deum, & Religionem pertinent, culpa non vacat. Quicumque a Deo iis ornatur prærogativis, quibus præditus efficere poteſt, ut virtus ametur, colatur, exerceatur, & vitium ſua puniat auctoritate, vel ejuſdem horrorem cieat bonis exemplis, ſed id facere negligit, non ſolum non fungitur munere ſuo, ſed ſe dupliciter præbet nocentem. Cumque plurimi ſæpe & auctoritate, & exiſtimatione, & officio careant, ecce quid ſaltem a Chriſtianis omnibus exigat Deus. Tenentur omnes fratrum ſuorum ſalutem procurare, optare, pro illis orare, eoſque optimis exemplis ædificare. Nobis omnibus mundi Salvator dixit Matth. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt. Lambert in anno Evangelico Tomo 7.*

Væ illi per quem ſcandalum venit. Ex his Domini verbis intelligimus nobis perquam ſedulo evitandum eſſe, ne fratribus ſcandalum ingeramus non ſolum pravis actibus, verum etiam factis iis, quæ omni vacant culpa, cum non ſunt neceſſaria; hoc eſt præter actiones illas, quas ex officio facere tenemur, alias non eſſe exercendas, ſi illinc alii ſcandali occaſionem poſſint percipere. Verum eſt tamen, ubi aliquis arripit ſcandalum ex eo facto, cui divina lege interdictum non eſt, injuria alias ſcandalizari. Verum ex altera parte, ſi certi ſumus factum hoc aliis lapſus occaſionem futurum, nobis eſt abſtinendum. *Torneux in anno Chriſtiano Tomo 6.*

Tam ſimile eſſe ſcandalo non minimum eſt peccatum.

Quandoquidem Dei Filius ſibi factum judicare vult, quidquid in gratiam humilium factum fuerit, mirum eſſe non debet, ſi ſe læſum putet, ubi illi læduntur; & ſi graviſſimas illis pœnas intentat, qui eoſdem ſcandalo afficiunt, ſeu illos contemnendo, ſive alia quavis ratione. Scandalum vocatur, quidquid efficere poteſt, ut homo ambulans ruat impingens in lapidem, quem fortuito offendit, vel laqueum, qui data opera eidem poſitus fuit. Ita ſcandalo cuipiam eſſe, eſt illi occaſionem præbere lapſus alicujus, quemadmodum, ſi illum contemnentes, vel lædentes ſumus in cauſa, ut

vel

vel animos deſpondeat, vel ſuccenſear; ſi pravum illi dantes conſilium, vel exemplum in crimen aliquod impellimus. Salvaror igitur, qui omnes humiles amat, non patirur, his ſcandalum præberi, videlicet, hos lædi, contemni, his tendi laqueos, & poni offendicula, ut decidant, hos a recta, iu qua ambulant via, deterreri. Qui impune abire non ſinit leviſſimum quodlibet malum illatum ſuis, perinde ac ſibi illatum fuiſſet; non patitur, ut dejiciantur in malorum omnium graviſſimum, peccatum videlicet, quin ſeveriſſimas exigat pœnas ab illo, qui adeo parum ipſum reveritus fuerit, ut illos lædens ipſum quoque laceſſiverit. *Auctor recens*.

De ſcandalo paſſivo & quomodo caveatur.

Væ illi, per quem ſcandalum venit, ubi culpa ejuſdem acciderit. Duplex ſcandali genus diſtinguendum eſt, quorum alterum datum, alterum acceptum. Ubi quis alteri culpa ſua ſcandalum ingerit, datum eſt: ubi vero aliquis temere ſcandalizatur, ob bonam alterius actionem, hoc ſcandalum eſt acceptum. Cum cibus optimus nocet ſtomacho viriato; non cibo ſuccenſendum eſt, ſed pravæ ſtomachi affectioni, qui cibum, quo alendus eſt, in virus convertit. Præter ea, quæ a nobis fieri noſtrum expoſcit officium, nihil faciendum eſt, unde alii ſcandalizentur. Non ſolum nobis evitandum eſt, ne fratribus noſtris per noxia facta ſcandalum ingeramus, verum etiam ne ingeramus per ea, quæ omni culpa vacant, cum neceſſaria non ſunt, neque ullo arctæ obligationis vinculo ea facere tenemur. Verum quidem eſt, ubi aliquis ſcandalizatur facto, quod lege divina minime prohibetur, injuria illum ſcandalizari; quippe ſcandalum acceptum eſt: Sed ſi mihi exploratum, compertumque erat hanc illi lapſus occaſionem futuram; facto mihi erat abſtinendum, & id faciens non ſine crimine ſcandalum præbui, atque tunc ſcandalum datum eſt. *Auctor recens*.

Recepta ea, quæ [illegible] ſunt neceſſaria, omnia [illegible] tenenda ſunt, quæ proximo ſcandalum [illegible].

Non ſatis eſt id facere, quod per te licet; neque enim licet amplius, ſi liquet futurum, ut aliquis inde ſcandali occaſionem arripiat; & infectum relinquendum eſt, dummodo illud ex aliqua neceſſitate præſtare non teneamur. Palam docet S. Paulus, ei, qui tunc illud facere vellet, deeſſe Charitatem, & hoc eſſe peccare in fratrem ſuum, & reſiſtere fructibus, quos ille ex Salvatoris morte debet recipere. His poſitis mirum ne debet eſſe, ſi Dei Filius intentat væ illi, cujus culpa ſcandalum acceſſerit; & ſi edicit, melius illi futurum ſi revincto ad collum lapide projectus fuiſſet in mare, quam ſi minimo fidelium ſcandalo extitiſſet? Salvator poſtquam diſcipulos ſuos docuit, ſcandalum nemini eſſe præbendum, eximiam eis tradit regulam evitaturis, ne ſibi ſcandalum præbeatur: *Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te; abſcinde eam, & projice abs te.* Matth. 18. Qua in re nobis Salvator oſtendit, quanti momenti ſit, non ſolum in æquiorem, quoad fieri poteſt, partem proximi noſtri facta interpretari: ſed ſi negari nobis videmus locum id faciendi, evitare cœtus, ac particulares perſonas, quæ nobis ſunt ſcandalo, & generatim fugere occaſiones omnes, in quibus periculum eſt, ut ſcandalizemur. *Auctor recens*.

Mundus ſcandalis refertus eſt, & ſcandala efficiunt, ut fideles corruant. Quid ergo faciendum, ubi noſmet infirmos cognoſcimus, ac timemus lapſum; niſi recedendum ab iis rebus omnibus, quæ nobis ſcandalum poſſunt ingerere? Sed aliquando quod nobis lapſus occaſio eſt, nobis placet, & fortaſſe etiam nobis non modicæ neceſſitatis videtur. Perſona, quæ efficit, ut labamur, nobis chara eſt; officium hoc in quo permanere non poſſumus, quin pereamus, nobis ad victum eſt neceſſarium. Obices iſti ſunt non ita levi negotio ſuperandi; ſed huic JESU CHRISTI argumentationi reſiſtere nequeant. Niſi mortem poſſes effugere, quin oculum vel aliud membrum amitteres, hoc ultro abjiceres, ut temporali huic vitæ proſpiceres; quanto magis ferenda tibi eſt omnium corporis tui membrorum jactura, ut ita mutilus in Cœlum admittaris, quam omnia corporis tui habentem membra mitti in æternam abyſſum, ubi nulla ſperanda fuga eſt, ubi redemptio nulla? Nihil tibi ſalute tua debet antiquius eſſe; hoc poſito, quod certiſſimum eſt, ſi membra ſervare nequis, quin Deum laceſſas, illa potius omnia perdenda ſunt, quemadmodum Sancti Martyres exemplo docuere. Si qua igitur perſona, ſi quod negotium, ſocietas, munus nobis eſt occaſio peccati; præſtat jacturam facere bonorum omnium, quæ inde percipere poſſumus, quam nos æternæ objicere damnationi. *Auctor recens*.

Pravum exemplum principum paſſim lex eſt populo.

Pravum Principum, & ſuperiorum exemplum peccati qualitatem confirmat. Hi enim cum plurimum poſſint in republica, cum ſubditis, atque inferioribus ſuis motum tribuant, illos etiam trahunt poſt ſe in malorum abyſſum, ac de illorum ſceleribus ſunt rationem reddituri. Populi gloriæ ſibi vertunt ſequi, & imitari mores, ac ritos principum; & hoc pacto vitium in legem migrat, & enormia quæque flagitia fiunt mores regni totius, atque reipublicæ. Item cum Eccleſiaſtici viri ſanctitate, dignitate, exiſtimatione, & ſaltem aliqua pietatis opinione in mundo fulgentes labuntur, & mores, ſenſuſque mutant, longe nocentiores ſunt illis, quibus mediocris virtus ineſt: nam præter ſcandalum, quod præbent infirmis, quos trahunt in ſententiam ſuam, atrocem quoque injuriam, inſignemque inferunt contumeliam virtuti, quæ præterquam quod paucos habet [illegible]tatores in ſæculo, flagrat etiam infamia propter ſcandala, quæ illi populo præbent. *P. Antonius de S. Martino a Porta in libro cui titulus: Les Conduites de la Grace*.

Majora ſcandala proficiſcuntur potius a libris nefariis, quam a pravis exemplis.

Non illi ſolum, qui peccant, & qui gloriantur, cum peccaverint, ſcandalum afferunt; longe gravius illud malum eſt, quod gignunt auctores librorum, præſertim vero carminum laſcivorum; quia clanculum, atque per cuniculos quoſdam pus, atque venenum irrepit facile in animas propter otium, quo guſtari poteſt, eique impenſius animus adverti. Adde his blandam illam efferendi rationem mala dogmata, quæ in ſcriptis ſuis venditant, ubi ſemper in jocum traducunt & virtutem ipſam, & eos omnes, qui illam profitentur. Morum quippe nequitia ſcopus eſt, quo tendunt, & flagitioſum vivendi genus apud illos eſt eſſentiale lepidi, feſtivique viri attributum: ita ut homo plus æquo in omnem licentiam effuſus ſemper poematibus, & carminibus ſuis virorum ſummam conſequatur. Caracterem hunc omni, qua pollent, induſtria, tuentur; hunc præ cæteris celebrare conantur, atque ornare locis ſplendidioribus prout pluribus vitiis deformis eſt. His autem curis omnibus ſe ſe torquent, ut rurſus placita inſinuent ſua, videlicet, licentiam, ac irreligionem veræ magnitudinis, ac veri meriti certiſſima eſſe argumenta. Hinc fit, ut qui nominis ſui curam gerit, omnia abjiciat virtutis principia, ſe ſe in ſcepticum erigat, & elata fronte in omne vetitum ruat. Hujuſmodi ſcriptores operam navant, ut externam ipſam virtutis ſpeciem in ludibrium traducant. Viro probo, qui ab omnibus talis habetur, atque probatur, ſemper appingunt oris ſpeciem tetram, moleſtam, ridiculam, contemptibilem; cum interim flagitioſo tribuant venuſtatem; moreſque omnes, quæ amorem ſibi concilíant. Hæc omnis contentio opus eſt odii, quo virtutem, & amoris, quo vitium proſequuntur. Hinc facilis patet conjectura, utrum hæc ſcripta ſint pernicioſiſſima ſcandalorum, quæ accidunt, origo nec ne. *Recens Auctor*.

Jure dici poteſt, omnia in mundo ſcandalum eſſe: nihil enim ibi eſt, quod non veliſicetur vitiis, & ad virtutum contemptum, excidiumque non tendat. Audite mundanorum ſermones, & colloquia: vix tria proferent verba, quin vos in peccatum impellant vel blaſphemiis, vel irriſionibus, quibus virtutem in jocum traducunt, vel increpationibus, & calumniis, quæ nonnunquam optimum quemque ita perturbant, ut eorum labefactare conſtantiam, & patientiam valeant delaſſare; vel pernicioſis conſiliis, quibus ſub amicitiæ ſpecie majorem vobis inferunt contumeliam, quam convitiatores, qui palam honorem, vitamque veſtram laceſſunt: *Væ mundo a ſcandalis*. Matth. 18. Facta eorum nequaquam meliora ſunt verbis. Hic tibi eripit bona, vel vi, vel lite, & cavillationibus; ecce iræ, & ultionis argumentum. Illa tuam lædit famam, eique omnibus in cœtibus meræ fuliginis fucum conatur adſpergere; id tuum inflammat odium, & parit diſſenſionem. Hic tibi minitatur, & pollet aucto-

auctoritate, atque vi; noſti illum tibi officere poſſe, ac prava ejus in te voluntas tibi eſt comperta; hæc tibi timoris eſt cauſa perennis. Ille tibi blanditur, fallacibuſque promiſſionibus, quas inanes eſſe certo ſcis, os tibi ſublinit. Hoc illicium eſt, & proculdubio laqueus, ut in præceps ruas, unde tibi difficile ſit effugere. *Væ mundo a ſcandalis. Pater Novet in Meditationibus ſuis.*

Mundum ingreſſi facilius mundi, quam Evangelii ſpiritum invenimus.

Mundi mores, & conſuetudines prævalent ſemper illis Religionis, ejuſque placita Evangelicis inſtitutis. Vix in puero ſe ſe expedit ratio, cum mundi ſpiritus illam invadit. Non alia ei traduntur præcepta; re adhuc integra perniciosam invenit ambitionis, luxus, vanitatis domi ſuæ ſcholam. Conſanguineorum ſermones prorſus mundani, & plerumque praviſſima exempla, tamquam prototypi proponuntur illi; & poſt hæc miramur, morum corruptionem eſſe adeo univerſalem, & ſpiritum religionis extingui. *Non permanebit ſpiritus meus in homine*, dicebat Deus ante diluvium, quo tempore ad iracundiam irritatus in omnem terrarum orbem ſæviſſime animadverſurus erat. *Non permanebit Spiritus meus in homine*; quia homo caro eſt, & vivit ſecundum carnem. Numquid non æque poteſt Deus hodierna die ſimilem in nos proferre ſententiam? Et quonam ſæculo id potuit æquius, quam hoc, dicere maximam eſſe hominum in terris improbitatem; & omnes cogitationes cordis eorum in malum intentas eſſe? *P. Croiſet in Aſceticis Exercit. Tom. 4.*

Quonam ſæculo verius dici potuit, quod *omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram*, quam noſtro hoc? Experientia duce videmus, ſpiritum carnis in mortales omnes effuſum terram omni vitiorum genere inundaſſe. Quænam ætas, quæ conditio, qui ſtatus, ubi voluptatum amor, ubi cupiditas, ambitio, luxus, impudicitia non dominentur? Mundi ſpiritus ubique ferme regnat; ubique triumphat iniquitas. Pudet potius eſſe Chriſtianum, vel talis videri, quam in cœtibus peccatorem videri pudeat. Flagitioſus homo, mundana mulier merito ſibi vertit ſuam inverecundiam, ac religionis defectum, & jactitat, ſe de præcipuis fidei veritatibus ambigere, & omnibus prorſus conſcientiæ ſtimulis, ſcrupuliſque carere. Vitium omnes cancellos fregiſſe videtur; diceres torrentem eſſe, qui omnia Religionis, inſtitutionis, rectique ſenſus valla proſtraverit. Solitudo, deſertum, ipſa etiam clauſtra, ſacratum pietatis chriſtianæ perfugium hanc tot vitiorum colluviem ſentiunt. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Ubinam hodierna die eſt rectitudinis, rectæque fidei aſylum? Una tantum familia ab univerſali iniquitate immunis invenitur. Ita deluvii tempore felix iſta familia ex univerſali naufragio evaſit. *Idem ibidem.*

Levis pictura malorum, quæ per ſcandalum accidunt in Mundo.

Arduum eſſet aſſequi quot accidant in mundo mala per ſcandalum, pravumque exemplum. In omnibus fere ſtatibus, vitæque conditionibus quilibet gloriæ ſibi vertit ſuam iniquitatem. Paſſim intuemur domos patentes impudicitiæ, atque intemperantiæ. Interſumus mortalium cœtibus, ubi plena omnia ſunt occultis artibus, ardentiſſimis, iiſque inhoneſtis affectibus. Nemo religioni ſibi vertit intuentium oculis objicere tabulas, ubi eadem natura coloribus imbuta exhibetur; & amor impurus anima eſt, ac deliciæ earum ſocietatum, quæ maxime nitent. Nemo ibi dominatur, niſi qui hac in re ferventior eſt. Scandalum in ipſum uſque Sanctuarium, ad aras uſque defertur, ubi de amatoriis nugis verba facere gloriæ ducitur. *Peccatum ſuum prædicaverunt*, inquit Propheta, *nec abſconderunt*. Malum eo uſque proceſſit, ut obex difficillime ſuperandus iis, qui virtutis tramitem ſequi ſtudent, ſit timor, ut virtute præditi videantur. Tantum abeſt, ut mundi oculos fugiant, ut omnibus ſe deſtitutos meritis credant, niſi omnia illius placita fuerint amplexi. Audax hæc impudentia hodierna die ita mortalium auget licentiam, & tot animas in viam perditionis abducit. Non ambigimus tot hominum exempla ſequi, qui tuto ſe ambulare arbitrantur, & facile credimus citra religionem fieri a nobis poſſe, quæ tam audacter ab aliis fieri conſpicimus. Verum licet admodum pauci viam virtutis ſequantur, ac omnes ſe se in omnia proruant flagitia, nobis ſemper pro virili adnitendum eſt, ut in maxima mundi corruptione Chriſtianam vitam ducamus. *Auctor recens.*

Moiſes punitus, quod populo præbuit ſcandali occaſionem.

Neque me exagerare exiſtimetis; nihil non divinis probatum oraculis loquor. Moiſes, qui tot operatus fuerat miracula, qui pro ingratis ſe ſe tot periculis objecerat; magnus ille vir aditu Chanaanitidis ejuſque poſſeſſione prohibitus fuit, quia qui illi circumſtabant, ex eo ſcandali occaſionem arripuerant. Quia mihi non credidiſti, dicit illi Dominus, neque honoraſti me coram filiis Iſrael, ideo non deduces populum in Terram promiſſam. Quibuſdam in occaſionibus Moiſes parere detrectaverat; bis, terve in Ægyptum pergere abnuerat populum liberaturus; defuit illi confidentia, cum dixit Deo: Præſum ſexcentis hominum millibus, & vis eos a me ali in deſerto; ubi nam reperiam oves, & boves, ac tot alia tantæ multitudini adeo neceſſaria? Ægre etiam ſubiit populi regundi provinciam; nihilque illum Terræ promiſſæ aditu prohibuit, niſi occaſio, quam populo præbuit ſeſe ſcandalizandi. Peccatum hoc erat omnium minimum, ſed punitum fuit tamquam maximum, propter effectus, & damnum, quod aliis afferebat. *S. Chryſoſtomus in opuſculis.*

Viri principes nocentiores ſunt, cum præbent ſcandali cauſam.

Summus Pontifex quidam in epiſtola quadam ad ævi ſui Imperatorem data inter cætera præclara, hoc habet: *Majora facit crimina dignitatum ſublimitas.* Quo potentior quis eſt, quo magis, genere, honoribus, dignitatibus nitet; peccatum illius eo majus eſt, & malum quod patrat eſt eo gravius. Quod dicitur de generis prærogativa, dici poteſt etiam de donis omnibus, quibus præ reliquis tollimur, & præ aliis eniteſcimus. Quis enim poteſt ambigere, peccatum eo majoribus pœnis eſſe puniendum, quo majori cum cognitione, & clariori bonum inter, & malum diſtinctione fuerit patratum? Hac in re Spiritus Sanctus ait: Sap. 6. *Potentes, potenter tormenta patientur.* Optimo præditus es ingenio, mente perſpicua, ſano judicio, egregia memoria: quotidie documenta recipis a tot viris, quibus inſigne lumen affulget, a tot concionatoribus. Heu! mentem hanc tot luminibus recipiendis parem, tot præclaris imbutam cognitionibus, judicium hoc adeo ſolidum, memoriam hanc adeo felicem, hæc omnia bona impenditis, ut committatis hanc injuſtitiam & impietatem, ut voſmet effrænatis cupiditatibus mancipetis, ut auctoritate veſtra aliena bona invadatis, ut viduam, & orphanum opprimatis, ut fortaſſe graviora flagitia committatis? Nonne hoc eſt abominationes abominationibus addere, eaſque in æternum inexpiabiles reddere? *P. Antonius de S. Martino a Porta, & recens Auctor.*

SER-

Digitized by Google

SERVITUS DEI.

Quam ſuave ſit ſervire Deo; & quam præſtet huic ſervire, quam mundo. Fidelitas in ſervitute Dei.

MONITUM.

De fervore in ſervitute Dei, de bonorum operum praxi, de fidelitate in modicis rebus, de evangelicæ legis ſuavitate, de mandatorum Dei obſervantia, de captivitate mancipiorum mundi, deque aliis pluribus argumentis cum eo, de quo hic agimus, rationem, aut nexum aliquem habentibus alibi jam ſermo fuit; quod tamen non prohibet, quominus Dei ſervitus generatim ſumpta, ac a circumſtantiis, vel peculiaribus modis ſerviendi majeſtati Dei ſejuncta ſit, argumentum utile, & ſuggeſtui accomodatum; quoniam alia quæcumque argumenta huc referuntur, & hic eſt fructus ex aliis omnibus ſermonibus percipiendus.

Fatendum eſt tamen, quemadmodum hoc argumentum omnem chriſtianam complectitur diſciplinam, omnium præceptorum obſervantiam, omnium virtutum praxin, omniumque vitiorum fugam, concionem nimis late vagaturam, niſi in generali theſi ſubſtiteris, quin excurras in prolixas inductiones eorum ſtatuum, qui pro Dei cultu magis ſunt utiles; quales ſunt ſtatus eccleſiaſticus, & ſtatus religioſus, cujus obligatio adhuc gravior eſt. Sed ſuadendum eſt tantummodo, ut Chriſtiani ſupremo huic Domino ſerviant, ac exponendæ cauſæ, quibus ad id adiguntur, ex Chriſtiani qualitate deſumptæ, ex profeſſione, quam in baptiſmo emiſerunt, ex Dei beneficiis, ex remunerationibus, quas ille ſervis ſuis pollicetur, ac præſertim ex dignitate, & gloria, quæ illi inſervientibus cedit.

Cavendum eſt quoque, ne argumentum hoc ita diſtinctum cum devotionis argumento confundatur, de quo ſuo loco actum eſt; nam licet hæc duo argumenta unum tantummodo videantur conficere, ſolaque tractandi ratione differant, & quidquid de alterutro dicitur, de altero quoque dici poſſit, operæ pretium cenſuimus illa ſejungere, quia utrumque ſatis copiæ ad varias concionum ſtructuras ſuppeditant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ concionum hujus argumenti ſtructuræ.

Oſtendam vobis hodie, cui potiſſimum ſervire debeatis. Joſue 24. Nequicquam ſe liberum eſſe mortalis gloriatur, quantumvis libertatis ſuæ acer aſſertor, quippe eam tamquam ſuæ naturæ prærogativam conſiderat; ubique dominum quærit, ac libenter ſe ſe mancipat illi, qui prior occurrit corde, & affectu adhæreſcens vitæ hujus bonis, quorum ſe voluntarium efficit mancipium; hujuſmodi ſunt opes, honores, voluptates, omneſque animi ægritudines, quæ ſunt velut imperioſi tyranni, quibus per ſummum dedecus obtemperamur. Ego vero vobis oſtendam, quinam ſit legitimus Dominus, cui unice obſequium noſtrum devovere debemus. Hic autem non alius eſt, quam Deus, qui profectu ſupremus eſt cœli, terræque dominus, ſed qui præſertim erga homines dominorum omnium & maximus, & optimus eſt. Dico 1. maximum eſſe, cujus magnitudo ad dignitatem, atque incomparabilem honoris gradum attollit eos, qui ſunt ex numero famulorum ſuorum. 2. Optimum dico, illum videlicet, cui inſervientes maxima perfundimur voluptate; illum, cui facilius gratificari poſſumus, & a quo uberiorem mercedem ſumus conſecuturi. Ita magnitudo Domini, cui famulamur, gloriam noſtram conſtituit, & nos cogit ſuſtinere glorioſam qualitatem ſervorum tanti Domini. Bonitas vero, & ſuavitas ejus exigunt, ut propter noſtram utilitatem illi fideliter ſerviamus, & propter magna bona, quæ eidem inſervientes recipimus. Duplici verbo: magnitudo, & bonitas, duæ ſunt cauſæ, quibus agi debemus ad illum nobis in Dominum eligendum, ac nos illius famulos profitendos: *Oſtendam vobis, cui potiſſimum ſervire debeatis.* Joſue 24.

Pars prima. Deus eſt magnus Dominus. Hæc prima eſt ratio, propter quam illi ſerviendum eſt. 1. Magnitudo ejus; hoc eſt naturæ ipſius præſtantia, & ſupremi hujus entis præ reliquis omnibus altitudo confert illi jus imperandi, omnibuſque creaturis intelligendi vi præditis indicit inevitabilem eidem ſerviendi neceſſitatem. Hæc veritas eſt, atque principium, quod ſolis indiget rationis luminibus; atque ſuper hoc fundamento Philoſophus omnem conſtituit politicam, eum videlicet, qui in vita civili, non ſecus ac in natura aliis ſuperior eſt aliquo præſtantiæ, ingenii, nobilitatis, doctrinæ titulo, jus habere acquiſitum, & naturale imperandi, atque rectum ordinem poſcere, ut qui illi inferior eſt, eidem obſequatur. Hoc autem poſito quanta eſt ſupremi hujus Entis ſupra nos excellentia? Angeli ſibi gloriæ vertunt, quod electi ſint ejus miniſtri ad imperata facienda; creata omnia, cœli, ſydera, elementa obtemperant; homines vero, a quibus voluntariam exquirit ſervitutem, ſibi gloriæ non ducent tanto huic Domino famulari? Nonne illi qualitatem hanc cæteris quibuſcumque præferre debent? Illi ſudore ſuffundi ne debent, quod huic famulantur; ideoque divinum hunc Dominum cogere, ut ipſum talium pudeat famulorum? Nonne potius illis gloriandum eſt ob hunc titulum ſecundum veterum Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum exemplum, qui nihil glorioſius eſſe poſſe crediderunt? Nonne ipſis totis viribus conandum eſt, ut illum mereantur ea facientes, quæ digna ſunt Deo, ut loquitur S. Paulus: *Ut ambuletis digne Deo?* 2. Deus propter ſupremam magnitudinem ſuam ſupremum habet dominium in omnia creata, quæ illi neceſſario ſubjecta ſunt, ſed ab homine, quem in pretio habet, & cum quo non ſine quadam reverentiæ ſpecie agit, ut loquitur Scriptura, voluntariam exigit ſervitutem; non vult hunc ſibi mancipii inſtar deſervire, ſed ſponte, & ut amicum potius decet, quam ſervum, quemadmodum idem ait Joh. 15. *Non dixi vos ſervos, ſed amicos.* Sed cum imperium, & dominium, quod in nos obtinet, alienari non poſſit, ſi renuimus illi, quatenus ſervos, eſſe fideles, eidem fideles erimus quatenus rebelles captivi, in quibus juſtitiæ ipſius rigor eniteſcet. 3. Duobus hiſce titulis, qui ſunt illius magnitudo, ac ſupremum, quod

in nos habet, dominium, tamquam Creator noſter, adde etiam tertium jus nos ſervos vocandi, quod nequaquam credidit ſua magnitudine indignum; videlicet, quod nos emit, vel potius redemit. Etenim noſmet alteri mancipaveramus Domino per peccatum, & hoc pacto illius excuſſeramus imperium, ut peccato, ac dæmoni obſequeremur, ut S. Petrus Apoſtolus inquit. Poſtquam autem nos ex hac liberavit captivitate vitæ, ſanguiniſque ſui pretio, nobiſque libertatem filiorum Dei acquiſivit, nonniſi propter illum, & ut illi ſerviamus, vivendum eſt nobis, quæ eſt S. Pauli 2. ad Cor. 5. illatio: *Ut jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt*. Ita niſi ingrati ſimus tanto huic beneficio, quod reliqua omnia complectitur, noſmet illius ſervituti mancipare debemus; quapropter parti huic finis imponendus eſt profitendo, nos cum gratia ipſius, eidem in æternum fideliter ſervituros.

Pars altera. Deus dominorum omnium eſt Dominus, quapropter intereſt noſtra illi ſervire, & in hac ſervitute ad mortem uſque permanere. 1. Commodus eſt dominus, nihil præcipiens, quod vires noſtras excedat, nil nimis durum, & difficile: cui ſatis eſt modicum illud, quod pro illius ſervitute facimus, & qui reſpicit magis affectum, bonamque voluntatem, quam magnitudinem earum rerum, quæ facimus, ut ipſi ſerviamus. Ubi inſtituenda eſt comparatio, & oſtendendum quid in mundi, aliorumque dominorum ſervitio in omnibus ſtatibus, & conditionibus ſit perferendum. 2. Dominus eſt bonitate, & ſuavitate refertiſſimus, qui lenit unctione gratiæ ſuæ ſervorum ſuorum labores, & pœnas; quamobrem jure teſtatur jugum ſuum ſuave eſſe, & onus, quod a nobis geſtari jubet, leve. 3. Dominus eſt liberalis, qui rationem habet earum rerum omnium, quæ pro illius ſervitute facimus, neque eas in altera tantum vita remunerari differt; ſed in hac quoque incipit ea dulcedine, & ſolatio, quo afficit ſervos ſuos, & quod ultra centuplum omnes eorum labores remuneratur.

II. 1. Fidelium qualitas, quam gerimus, nos cogit, ut Deo fideliter deſerviamus. 2. Tota chriſtiana doctrina ad id redigitur, ut ſciamus, quomodo illi ſerviendum ſit.

Pro priori parte. Hanc in baptiſmo profeſſionem emiſimus abrenunciandi mundo, pompis ejus, omnibuſque vanitatibus illius, ut Deo uno ſerviremus. Secundo; prima veritas, quam in religione docemur, eſt, nos in mundo eſſe dumtaxat, ut Deum amemus, eique ſerviamus, & hic finis eſt, ad quem creati ſumus, ut illi inſerviamus, cum propter illum, ejuſque gloriam tantummodo creati ſimus. Tertio: quia tota noſtra felicitas in hoc ſita eſt, ut illum in hac vita diligamus, eique famulemur; quippe in altera eo majores erimus, quo fidelius illi fuerimus obſecuti.

Pro poſteriori. Chriſtiana religio docet, ad hoc ut Deo ſerviamus, quomodo ille cupit, & ipſi tenemur; 1. nobis ad unguem leges, & mandata illius ſervanda eſſe. 2. Omnes actiones noſtras ad ejus gloriam eſſe referendas, nihilque aliud ſpectandum, niſi quod pro illo nobis laborandum eſt. 3. Habendam eſſe ſinceram voluntatem numquam ab illius ſervitute deſciſcendi, eumque numquam lædendi.

III. Tria potiſſimum in Dei ſervitute ſunt conſideranda. 1. Honor, & gloria, quæ cedit ſervientibus ſupremo huic univerſorum Domino. 2. Bona, quæ inde in hac vita recipimus; peculiare illius patrocinium; pax conſcientiæ; libertas filiorum Dei; immunitas a cupiditatum captivitate, & mundi hujus ſervitute. 3. Præmia, quæ in altera vita ſperamus, & regni ſui hæreditas, quam ſervis ſuis pollicetur.

IV. 1. Deus a nobis exigit jure, ut illi noſtram devoveamus ſervitutem; quatenus Creator, qui ad id nos unice creavit; quatenus ſupremus Dominus, qui imperare poteſt, quod illi placet; quatenus noſter poſtremus finis, qui futurus eſt ſuprema felicitas noſtra, quam ipſe nos mereri vult ipſi famulando. 2. Oſtendendum eſt nos futuros felices, & Deum contentum noſtri futurum, ſi illi inſervientes id fecerimus, quod facimus, ut mundo ſerviamus.

V. Tria ſunt bonorum genera in ſervitute Dei, quæ in mundi ſervitute non inveniuntur. 1. Bonum honorabile: *ſervire Deo regnare eſt*: cum a contra mundi, & cupiditatum noſtrarum ſervitus turpis ſit. 2. Bonum utile. Ibi enim infinita ad cæleſtem gloriam acquirimus merita, ubi æternam mercedem ſumus conſecuturi. 3. Bonum delectabile. Ibi enim pacem nanciſcimur, veraſque voluptates guſtamus.

VI. 1. Obligatio ſerviendi Deo. Illius ſumus, quia ſumus opera ejus; poteſt igitur jure de nobis diſponere, operam noſtram a nobis exigere. Ad hæc propter illum ſumus, ut eum colamus, eique ſerviamus, a quo eſſe, & vivere accepimus. Denique tota noſtra felicitas in hoc ſita eſt, ut fideliter ei famulemur. 2. Quænam ſint opera, quæ a nobis exigit? Eadem præter propter ac illa, quæ fideles famuli dominis ſuis præſtant. Quærere, quid ipſe velit, & optet a nobis fieri: *Domine quid me vis facere?* uti S. Paulus dixit ſtatim ac fuit converſus; id alacriter, & fideliter exequi, nec umquam facere, quod illi diſpliceat. 3. Quomodo illi ſerviendum ſit, & conditiones, quas a ſervis ſuis exigit Deus. Hæ nimis duræ non ſunt; eædem enim ſunt, quas S. Paulus in ſervis erga heros ipſorum requirit, videlicet, ut illi *cum timore, & tremore*, ſed filiali timore ſerviamus; *cum ſimplicitate*, hoc eſt cum intentione eidem placendi; cum alacri, hilarique voluntate: *cum bona voluntate*. Deus ignavos in ſervorum ſuorum album non recipit.

VII. 1. Rationes, quæ nos ad Deo ſerviendum impellere debent: juſtitia; illi debemus quidquid ſumus, quidquid habemus, quidquid facimus. Utilitas; ibi enim quæcumque fingi poſſunt bona, venimus. Gratitudo; quid minus facere poſſumus propter Deum, qui in ſingula momenta nos cumulat beneficiis? 2. Modus, quo Deus ſibi ſerviri vult. Libere ſerviendum eſt illi; quippe involuntariam, coactamque, quæ ſibi ab invito adhibetur, reſpuit ſervitutem. Vult ſibi cum gaudio, non autem cum triſtitia, & mœrore ſerviri. Serviendum eſt illi cum perſeverantia; & mobilem, atque inconſtantem reſpuit ſervitutem.

VIII. De illo diſcrimine, quod inter mundi, ac Dei ſervitutem intercedit. 1. Mundi ſervitus dura eſt, atque difficilis. Dei vero ſuavis eſt; quippe gratiarum ſuarum ope nobis modum ſuppeditat, quo adimplere poſſimus ea, quæ præcipit, efficitque, ut ibi gaudium reperiamus. 2. Mundi ſervitus infructuoſa, ac ſterilis eſt: plurimum laboratur, & vulgo nullus fit quæſtus: in ſingulos aliquod lucrantes ſexcenti numerantur ſpe ſua fruſtrati, & modicum illud, quod percipitur, non eſt cum labore ad id perferendo comparandum. 3. Mundi ſervitus turpis eſt, qui illi ſerviunt, ad humillima quæque dejiciuntur, cum e contra ſervitus Dei ſit cum ſummo honore conjuncta.

IX. 1. Ex omnibus dominis Deo uni jus eſt nos obligandi, ut illi in ſpiritu, & veritate ſerviamus; cujus rei argumenta a nobis jam allata ſunt. Hæc prima eſt propoſitio. 2. Tamen ex omnibus dominis Deus ille eſt, cui vulgo peſſime ſerviatur; quotus enim quiſque propter illum facit, quod facit pro mundi, ac terræ principibus? Propoſitio altera. *Ex dictionario Morali*.

X. Nihil glorioſius eſt, quam titulus ſervorum Dei, qui ſimul nobis & amicorum, & filiorum ejus confert qualitatem, qui certos nos facit protectionis ejus, & jus nobis confert ad cœli hæreditatem. 2. Nihil indignius, quam illi renuere ſervitutem, quæ ipſi debetur; & agere contra gloriam illius, vel illi oſcitanter deſervire. *Ex P. Duneau tomo primo Dominicalis*.

XI. *Fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam &c.* Duæ qualitates, quas verus Dei ſervus habere debet. 1. Fidelitas in Domini ſui gloria procuranda; in præferenda illius utilitate propriæ, perfecta animi

inte-

integritate; in illi ſerviendo ſumma cura, feſtinatione, & ardore. 2. Prudentia, quæ in eo poſita eſt, ut illi ſecundum ſtatum noſtrum ſerviamus; nihil aggrediamur quod vires noſtras excedat; atque ea capiamus conſilia, per quæ id conſequi valeamus, quod pro divini hujus Domini ſervitio ſuſcipimus.

XII. De diſcrimine inter Dei, & mundi ſervitutem. 1. Mundus eſt dominus crudelis, & non ferendus; Deus autem ſuavis, & qui cum famulis ſuis ſumma agit benignitate. 2. Mundus eſt Dominus moroſus, cui fere numquam ſatisfacere potes: Deus Dominus eſt noſtræ indulgens infirmitati, & cui ſatis eſt id, quod pro illo facere poſſumus. 3. Mundus dominus eſt infidelis, ingratus, qui multum pollicetur, ſed qui ſervus ſuos fruſtratur, ac inani ſpe decipit: Deus e contra fidelis eſt in promiſſionibus ſuis, & magnificus in remunerationibus &c.

XIII. In duplici ſermonis hujus parte oſtendere poſſumus: 1. labores, qui in Dei ſervitute perferendi ſunt, toto cœlo minores, levioreſque eſſe illis, quos in mundi ſervitute ſuſtinemus: 2. e contra gaudia, quæ in Dei ſervitute guſtamus, toto cœlo majora eſſe. Itaque labores cum laboribus, gaudia cum gaudiis ſunt conferenda, ac inde inferendum, Dei ſervitutem ſervituti mundi eſſe præferendam. *Ex Auctore ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta tomo 2. ſermonum particularium.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque unde hauriri poteſt copia ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Auguſtinus *Tract.* 85. *in Joannem* duo diſtinguit genera ſervientium Deo, aliorum, qui amore, aliorum, qui timore ſerviunt; & duplicem Deum metuendi rationem explicat.

Idem *in Expoſit. in Magnificat* recenſet, & explicat quatuor ſervitutum genera, quæ Deus a creaturis ſuis exigit.

Idem *Tract.* 41. *in Joan.* loquitur de ſervitute peccati, & infelicitate ſervitutis mundi.

Idem *Epiſt. alias 39. nunc 26.* vehementer hortatur adoleſcentem ad Dei ſervitutem amplectendam.

S. Hieronymus *Epiſt.* 13. oſtendit, nomen Chriſtiani, & ſervi Dei eſſe aliquid per ſe magnum, ſed ſe ipſa nihil eſſe, cum ſerviitur Deo eo modo, qui adeo ſpecioſo nomine eſt indignus.

S. Chryſoſtomus *Epiſt. 7. ad Theodor. Monach.* docet, neminem vere liberum, & a curis immunem futurum, niſi qui vivit pro JESU CHRISTO, eique fideliter ſervit.

Idem exhortatione *in cap.* 28. *Matthæi* oſtendit, id, quod nobis præcipit Deus, facile adimpleri poſſe, facilitatem hanc aliquando damnationem noſtram futuram, & cauſam, propter quam in nos gravius animadverteretur.

Idem *Homil.* 21. *in* 1. *ad Corinth.* oſtendit, nobis vivendum eſſe nonniſi propter illum, qui nos redemit, quia ſumus illius, & ad illum hoc titulo pertinemus.

S. Paulinus *Epiſt.* 25. oſtendit nullius Domini ſervitutem ſervituti Dei nobis eſſe præferendam.

S. Fulgentius *Epiſt.* 4. oſtendit, Chriſtiano ſemper chriſtiane vivendum, ſerviendo maximo omnium dominorum.

S. Chryſologus *Serm.* 14. pulcherrimam habet ſervitutis Dominicæ deſcriptionem.

S. Bernardus *Serm. 2. in cap. Jejunii* oſtendit, quid ſit faciendum, ut ſimus veri ſervi Dei.

Idem *lib. ſentent.* vel qui libri hujus eſt auctor *num.* 2. *&* 5. oſtendit, quatuor eſſe dominos, qui variis modis homines in ſuam pertrahunt ſervitutem.

Caſſianus *lib.* 10. *Inſtitutionum Monaſticarum c.* 1. 2. 3. *&* 4 regulas præbet circa rationem præſtandi Deo ſervitutem, quæ illi debetur, & exhibet illuſiones, & vitia, in quæ labuntur illi, qui ſe falſo Dei ſervos jactant.

Nonnulli ſancti Patres loquentes de devotione; quæ non aliud eſt, quam ratio bene ſerviendi Deo, loquuntur de conditionibus neceſſariis ad hoc, ut Deo bene ſerviatur. Veluti S. Auguſtinus in libro de vera religione, S. Ambroſius in Pſalmum 118. S. Anſelmus in ſoliloquiis. Alios etiam memoravimus in titulis *Fervoris*, *mandatorum Dei*, *legis evangelicæ*, *obligationum baptiſmi*, *&* *nominis chriſtiani*. Conſuli poterunt hi tituli, qui cum hoc nexum habent.

Ascetici aliique. Hieronymus Platus *de bono ſtatus religioſi* l. 1. c. 3. oſtendit, hominem non eſſe juris ſui, ſed Dei; & affert ſeptem rationes præcipuas, propter quas illi ſervire tenetur.

P. Ludovicus Granatenſis in duce peccatorum amplum edidit hujus argumenti tractatum. In cap. 1. oſtendit, ſupremam Dei eſſentiam nos cogere, ut ſerviamus illi. In capite altero, nos ad id titulo creationis teneri. In tertio §. 1. quam indignum ſit non ſervire Deo, & in capitibus ſequentibus, nos ad id teneri propter redemptionis, juſtificationis, & prædeſtinationis noſtræ beneficia.

Cambolas in libro, cui titulus: *Vitæ Chriſtianæ exemplar* cap. 5. §. 2. docet, Chriſtianum non debere vivere ſibi, ſed Deo, & ut huic ſerviat. Cap. 6. §. 4. oſtendit, mundum, ejuſque placita cum Dei ſervitute conciliari non poſſe. Cap. 8. §. 8. docet, homini numquam intermittendam eſſe eam ſervitutem, quam debet Deo, non ſecus ac creata reliqua eam non intermittunt. Et §. ſequenti oſtendit, res omnes hujus mundi determinatum tempus habere; ſed Deo ſervire. omnium temporum eſſe, omnium locorum, quia ſemper ad Deum pertinemus. Et in §. 13. capitis ejuſdem oſtendit, quod Chriſtianus deberet ſervire Deo toto vitæ ſuæ tempore, quamvis eſſet æterna.

Euſebius Nierembergius tomo Homiliarum plures habet hujus argumenti homilias, ubi agit de captivitate eorum, qui mundo ſerviunt, & de ſuavitate jugi Salvatoris.

P. Croiſet, tomo primo chriſtianarum conſiderationum agit de præjudiciis, quæ virtutis ſuavitatem oppugnant.

P. Guilleminot libro, cui titulus: *Sapientia chriſtiana* cap. 3. docet, nos noſtri juris non eſſe, ſed Dei.

Rodriguez lib. 1. tract. 3. cap. 13. ubi agit de puritate intentionis, loquitur de rationibus, propter quas Deo ſerviendum eſt.

Peau in libro, qui inſcribitur: *Schola* JESU CHRISTI cap. 3. oſtendit arctam, & inevitabilem obligationem ſerviendi Deo.

Boudon in libro, cui titulus: *Chriſtianus ignotus* cap. 4. oſtendit, Chriſtianum pro Domino habere Deum, cui omnem ſervitutem ſuam debet impendere.

Dandinus in *Ethicis Sacris l.* 44. *c.* 6. oſtendit, quæ gloria ſit ſervire Deo, & affert ſanctorum Patrum de hac re ſententiam.

S. Franciſcus Saleſius in Introductione ad vitam devotam, ſub devotionis nomine dicit, quidquid magis ſolidum dici poteſt de ſervitute Dei. Et in titulo de Devotione plurimos recenſuimus Auctores, qui de hac virtute verba faciunt; & quidquid illi dicunt facile transferri poteſt ad illud, de quo agimus, argumentum?

Concionatores recentes. *Præter concionatores, qui egerunt de devotione, fervore, ſuavitate jugi Salvatoris, hi ſunt, qui præ cæteris peculiariter de Dei ſervitute locuti ſunt.*

P. Texier in dominicali, Dominica tertia poſt Paſcha integrum habet ſermonem de ſuavitate ſervitutis Dei, & de bonorum gaudiis.

Biroat ſermone tertio pro tertia Quadrageſimæ Dominica docet, imperium, quod in nos habet Deus, dividi non poſſe, quin deſtruatur.

P. de la Colombiere *ſerm.* 48. oſtendit Chriſtiano chri-

chriſtiane ſemper vivendum eſſe maximo Dominorum omnium ſerviendo.

Idem ſermone 58. oſtendit Deo, & mundo ſimul ſerviri non poſſe.

P. Duneau in decimam quartam poſt Pentecoſten Dominicam, oſtendit hoc ipſum, & quam glorioſum ſit ſervire Deo.

Idem in Evangelium: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, loquitur de ſervitute a nobis Deo præſtanda.

In dictionario morali duo ſunt deinceps ſermones alterum de utilitate, quæ manet ſervientes Deo, alterum de ſervore, cum quo Deo ſerviendum.

Saraaio in Adventu, ſermone, cui titulus: *Reparatio noſtræ voluntatis per ſubmiſſionem voluntatis Dei*. Pars bujus ſermonis ſecunda eſt de ſubmiſſione, ac ſervitute, quam debemus Deo.

July in operibus mixtis, ſermone de officiis populorum erga Deum, & erga Regem.

Auctor ſermonum Chriſtianorum tomo 4. ſermone pro 22. poſt Pentecoſten Dominica loquitur de officiis hominis Chriſtiani erga Deum, & Principem.

P. Aurelianenſis in ſermone de ſeveritate evangelica plurima habet de ſervitute Dei.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta in ſermonibus particularibus tomo 2. unum habet, ubi oſtendit in ſervitute Dei minus eſſe laboris, & plus gaudii, quam in mundi ſervitute.

Qui collectanea ediderunt.

Buſæus in Viridario. Titulo. *Perfectio*.
Labatha. Titulo *ſervi Dei*.
Spanner Polianthea Sacra. Titulo *ſervus Dei*.
Summa Prædicantium.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Deuteron. 6. & Matth. 4.

Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, ac ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua. Deuteron. 10.

Dominum Deum tuum timebis, & ei ſoli ſervies, ipſi adhærebis. Ibidem.

Timete Dominum, & ſervite ei perfecto corde atque veriſſimo. Joſua 24.

Eligite hodie, cui potiſſimum ſervire debeatis. Ibidem.

Servite Domino in omni corde veſtro. 1. Reg. cap. 12.

Timete Dominum, & ſervite ei in veritate, & ex toto corde veſtro. Ibid.

Vade, & loquere ad ſervum meum David. 2. Reg. cap. 7.

Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo? Job. 1.

Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Pſalm. 2.

Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Pſal. 20.

Miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Pſal. 102.

Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Pſal. 72.

Bonitatem feciſti cum ſervo tuo Domine. Pſal. 118.

Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ. Pſal. 115.

Servite Domino in veritate. Tob. 14.

Servite Domino in lætitia. Pſalm. 99.

Confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſerviam. Jerem. 2.

Millia millium miniſtrabant ei. Daniel. 7.

Si Dominus ego ſum, ubi eſt honor meus? Malach. 1.

Serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Matthæi 25.

Quis, putas, eſt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit dominus ſuus ſuper familiam ſuam? Matth. 24.

Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores. Matth. 25.

Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Matth. 11.

Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris. Ibid.

Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Matth. 6.

Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ. Ibid.

Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Luc. 9.

Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Matth. 22.

Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Luc. 12.

Paulus, ſervus Jeſu Chriſti. Ad Rom. 1.

Jacobus Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervus. Jacob. 1.

Simon Petrus, ſervus, & Apoſtolus Jeſu Chriſti. 2. Petri 1.

Judas Jeſu Chriſti ſervus. Judæ 1.

Servire Deo vivo, & vero. 1. ad Theſſal. 1.

A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt. 2. Petr. 2.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſumpta.

Moyſes prætulit ſervitutem Dei ſervituti mundi, & honoribus Aulæ.

ADmiratur Apoſtolus electionem, qua Moyſes Deo ſervire maluit, & mundo illum prætulit, nam licet magnus hic Iſraelis legislator a Pharaonis filia fuiſſet adoptatus, & in regis aula nutritus, cum adolevit, cœleſti afflatus lumine ſapienter abdicavit honorem filii reginæ illius, & conculcans omnem, quam inde expectare poterat, proſperitatem, maluit ſe ſa Iſraelitis fratribus ſuis jungere, quamvis crudelis ſervituris jugo oppreſſis, quam diutius perfrui deliciis, & ſuavitatibus, quas in Ægypti aula guſtabat. *Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem*. Ad Hebr. 11. Quam ſapiens eſt hæc electio; & quam admirabile hoc exemplum! Nonne ſemper nobis præferenda eſſet ſocietas bonorum virorum in ipſorum paupertate, contemptu, & anguſtiis, quam improborum in rerum copia, & lætitia? Nonne millies beatiores ſumus, quod Salvatori ſervimus potius participes facti dolorum, & ignominiarum illius, quam dignitatum, & gaudiorum mundi, huic noſmet captivantes? *Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti*. Hoc nos docet magni illius legislatoris exemplum.

Quid dixerit Joſue filiis Iſrael illos ad Dei ſervitutem revocaturus.

Joſue, ut Judæis ipſorum oſtenderet prævaricationes, eoſque ad officium revocaret, nullam expeditiorem viam eſſe arbitratus eſt, quam illis dicere: Ad vosmet ipſos me converto, conſiderate quæ promiſiſtis, & quæ feciſtis; nonne vos ipſi Deum vobis in dominum elegiſtis, nonne illi bene ſervire decreviſtis? Poterat ille (ut S. Joannes Chryſoſtomus animadvertit) poterat illis oſtendere ſupremum Dei in ipſos dominium; poterat recenſere gratias, quas ab eodem receperant, victorias, quas illius ope reportaverant; ſed quin iſtic immoretur, ſatis eſſe putat ad ipſos de ipſis provocare; ab ipſis prævaricatoribus ad ipſos electione, & jurejurando obſtrictos. Quamvis alius quilibet externus teſtis in mentibus, cordibuſque veſtris eam non haberet vim, quam debet habere conſcientiæ veſtræ teſtimonium, nonne ad vivum exhibet vobis, quod vobis faciendum fuit, & quod non feciſtis?

Seculi ſervitutem Dei ſervitutem reſpiciunt, ut olim Iſraelitæ deſertum poſt

Pluſimi eorum, qui olim cum Moyſe rubrum mare traduxerunt ſpectatores immenſæ magnitudinis deſertum ſibi neceſſario traducendum, ut ad terram promiſſam pervenirent, hoc illis adeo hor-

[illegible] maris ſubit.

rendum viſum eſt, ut ægre illud fuerint ingreſſi. In quam infelicem terram nos adduxiſti, dixetuat ſeditioſi duci ſuo; ubi nulli ſunt fluvii, fontes nulli, nulli arbores, non meſſes, non pecora, ingentes arenæ, campi, rupeſque, ubi feræ ipſæ vix audent morari; hæccine via eſt, quam ingredi homo poteſt, qui ſui ipſius, naturæque non ſit inimicus? Hic eſt in figura ſermo ſectatorum mundi, cum apud illos de ſervitute Dei loquimur. Hæc regio eſt, quam tamquam deſerti ſpeciem reſpiciunt, ubi procul ab hominum conſortio nonniſi injucunda, & moleſta duci vita poteſt; quia in hoc deſerto nihil videtur (ubi eminus tantum videatur) niſi quod valeat deterrere. Ibi nulli ſunt ludi, nulla ſpectacula, nullæ ineptæ ſocietates, nullæ mundanæ occupationes, ibi nullæ cupiditates, nullæ verſutiæ, nulli ſingulares amores, qui tamquam ſcandala habentur: inanium futiliumque alloquiorum locum preces obtinent, bonis tantum operibus vacatur, in id tantum incumbitur, ut ſtatus ſui obeantur officia. O teterrimum vivendi genus, inquiunt illi; animus ne appelli poteſt, ut tali ſerviatur Domino cruces tantum, ac paſſiones ſervis ſuis promittenti? Ita mortales loquuntur; & hæc falſa eſt idea, quæ de ſervitute Dei habetur.

Deus tunc tandem Dominus vocari voluit, cum hominem in terreſtri Paradiſo effinxit.

Tertullianus primum Geneſeos caput conſiderans animadvertit, Deum, qui, antequam primum hominem creaſſet, Deus ſemper appellatus fuit, ſtatim poſt creationem illius Domini nomen aſſumpſiſſe: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*; ſeu ut doceret, hominem unum ex creaturis omnibus eſſe, cujus Deus Dominum, ac regem dici oblectetur, ſeu ut hominem ipſum doceret, illi non alium eſſe dominum, cui in hoc mundo ſerviat, præter Deum, qui ſtatim ac ipſum ex nihilo eduxit, glorioſam hanc ſibi vindicavit qualitatem, quam antea noluerat aſſumere in reliqua omnia, quæ ipſe creaverat. Vel, ut addit S. Auguſtinus, Deus poſtquam primum hominem creavit, dedit illi imperium in omnia animantia, quaſi ſignificare voluiſſet, Deum imperium ſuum oſtendere modo longe alio ab eo, quo hujus terræ domini. Hi principes ſunt ſervos, ſubditoſque facientes; Deus vero ſe ſupremum rerum principem oſtendit dominos faciens. Hoc adinventum eſt illius ſapientia dignum, ut regni ſui gloria, & aulæ magnificentia refulgeat, cum illi non niſi reges, & qui ſunt perfecta libertate donati, deſerviant.

Illi, quos Deus ſervos ſuos vocavit, præcipui fuerunt veteris teſtamenti viri.

Manifeſtum, authenticumque argumentum, quo probetur nullum eſſe nomen præſtantius, & glorioſius nomine ſervi Dei, hoc eſt, quod Deus ipſe de ſanctiſſimis, qui umquam extiterint, viris loquens illos ſervorum ſuorum nomine indigitaverit; perinde ac nullum eſſet nomen, ex quo melius eorum magnitudinem, & ſanctitatem intelligeremus. In Geneſi c. 26. dixit ad Iſaac: *Ego ſum Deus Abraham patris tui; benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſervum meum Abraham.* In Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, Joſue, Moyſes ſemper *ſervus Domini*, *famulus Domini* appellatur. Deus ex Dæmone quærit: *Numquid conſiderasti ſervum meum Job?* Job. 1. Et loquens de David cum Propheta Nathan ait: *Hæc dicet ſervo meo David.* 2. Reg. 7. Sed nonne Abraham, Moyſes, Job, David, quin de aliis loquamur, præſtantiſſimi fuerunt veteris teſtamenti homines?

Dei ſervus libertatem ſuam in carceribus, atque inter vincula, compedeſque ſervat, cujus rei eximium habemus, S. Ambroſius ait, in Joſepho teſtimonium. Ægyptiis venumdatus fuit per fratrum ſuorum improbitatem, ut ſervus eſſet: *In ſervum venumdatus eſt Joſeph*; Pſal. 105. at non ideo fuit ſervus. Corpus quidem illius vinculis conſtrictum fuit, anima vero non item, S. Ambroſius inquit: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ſed non animam ejus.* Quid! ſervum putabis ſapientem hunc virum, quem tamquam Oraculum Ægypti Reges conſuluerunt, & qui univerſo illi populo imperitavit? *Quomodo hic ſervus, qui erudivit principes populi, & univerſum Ægypti populum in ſervitutem redegit?* Hoc ipſum dicere poſſumus de S. Joanne Baptiſta in novo teſtamento. Magnus hic Meſſiæ præcurſor in ſpeciem quidem ceſſit crudelitati Herodis, a quo in vincula fuit conjectus. Sed de hoc dicere poſſumus, quod Tertullianus de omnibus martyribus: *Etſi corpus includatur, omnia ſpiritui patent.* Corpus illius vinctum eſt, ſed ſpiritus liber.

Moyſes, & Joſue non majoribus encomiis in Scripturis ornantur, quam cum Dei ſervi appellantur.

In ſcripturis videmus duos præcipuos viros, qui in Dei populo enituerint, poſt mortem non alio decoratos fuiſſe elogio, quam nomine ſervorum Dei: *Mortuus eſt Moyſes ſervus Domini*: *Mortuus eſt Joſue filius Nun ſervus Domini.* Joſue 1. Hoc fuit eximium veluti illuſtrium horum Heroum epitaphium, qui præ cæteris enituiſſe aliis videntur nominibus, quam hoc ſimplicium Dei ſervorum titulo. In prioris enim cippo inſculpi potuit, hic erat legiſlator, & dux populi ſui, Deus Pharaonis, ſecretorum Altiſſimi ſequeſter, miraculorum illius inſtrumentum, & brachium quodammodo potentiæ illius. In Joſue autem ſepulchro quænam cælari potuiſſet epigraphes poſt tot prælia præliata, victorias relatas, ac tot præclare geſta, inhibitum præcipitem Solis curſum, redditumque voci ſuæ obedientem ſyderum, & elementorum creatorem? *Obediente Domino voci hominis.* Joſue 10. Attamen iſti duo viri adeo illuſtres non aliud habuere elogium præter titulum ſervorum Dei, quia hic unus cæteros quoſcumque longiſſime ſuperat.

Jonas Propheta ſe Dei veri ſervum, & adoratorem nominando vocat.

Jonas erat propheta, ideoque Dei ſervus; hoc enim appellabantur nomine omnes illi, quos in illuſtri hoc miniſterio Deus adhibebat; ſervus erat rebellis, & fugitivus, qui navim conſcenderat Tarſum profecturus, ne Domini mandata faceſſeret. Attamen cum divina ipſum perſequeretur Juſtitia, neque ipſe ignoraret, procellam navi, nautiſque naufragium minitantem in ſuæ inobedientiæ pœnam excitatam fuiſſe, credidit ſe non poſſe melius maris fluctus mulcere, ac Dei iram lenire, quam crimen ſuum confitendo, ac profitendo a ſe Deum cœli, cujus famulus erat, adorari; ſed ſe morte dignum, & in mare projiciendum, eo quod illi obtemperare detrectaſſet: *Hebræus ſum, & Dominum Deum cœli ego timeo.* Jonæ 1.

Primum, & perfectiſſimum exemplar ſervi Dei, eſt filius ipſius Dei.

Non poſtrema inter cauſas, quæ Dei filium hominis naturam coegit aſſumere, ac in terras deſcendere, fuit, ut doceret homines, quinam cultus, & honor ſupremo Cœlorum, terrarumque Domino debeatur: quod ipſi dicimus ſervire Deo, qui finis eſt, propter quem homo creatus fuit. Divinus hic dominus, cujus erat mundi totius imperium, dignatus eſt ſervi nomen, & qualitatem ſubire: *Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ*, inquit per Prophetam Pſalm. 115. cum æterno Patre loquens. Voluit ille ex primo vitæ momento hoc nomine illi obtemperare; ſervitio illius libertatem, requiem, & gloriam ſacrificavit euſque, ut cum gaudio crucis mortem ſuſtineret: denique tota vitæ illius curſus a primo ad extremum uſque ſuſpirium non aliud fuit, quam jugis obedientia. Sudavit ille, laboreſque ſummos pertulit, ut ejus exequeretur imperia; cibus & eſca illius, ut ipſe teſtatur, fuit Patris voluntatem perficere; & ſi teſtatur Apoſtolus, illum hominem factum ſervi formam induiſſe, dicere poſſumus ipſum omnia veri ſervi munera obiiſſe, cum non aliud illi umquam fuerit conſilium, non mens, quam illius imperiis obſequendi, atque omnes mortales ad cultum ipſius adducendi.

Sanctæ Virginis exempl.

Inter meras creaturas liquet, nullam fidelius Deo fuiſſe famulatam, & ut SS. Patres loquuntur, de Deo melius meritam fuiſſe, quam beatam Virginem. Neceſſe non eſt hoc in loco dicere, ipſam de propria ſubſtantia ſuppeditaſſe, unde ſancta efformaretur Salvatoris humanitas, illum lactaſſe, aluiſſe, omnibus illius neceſſitatibus conſuluiſſe, eaque

omnia

omnia præſtitiſſe; quæ ſatis comperta ſunt; ſed ad probandum eum titulum, quo ſe ipſam vocavit ancillam nempe Domini eo in ſenſu, quo iſtic accipimus: *Ecce Ancilla Domini*, Luc. 1. neminem voluntati Dei magis paruiſſe, neminem diligentius, & fidelius leges illius obſervaſſe, neminem in ſe melius duo hæc conjunxiſſe, videlicet altiſſimam dignitatem cum humilis ancillæ qualitate, quoniam utriuſque officia perfectiſſime adimplevit.

Apoſtoli aſſumpſerunt nomen ſervorum Dei tanquam glorioſiſſimum. Si in veteri teſtamento Deus ſanctos Patriarchas, atque Prophetas dignatus eſt nomine ſervorum Domini; in lege nova Apoſtoli ad legem hanc ferendam, ac nomen, & gloriam Domini omnibus terrarum plagis annunciandam deſtinati, quamquam eſſent eccleſiæ fundamenta, & evangelii præcones, quod officiorum omnium glorioſiſſimum eſt, non alium ſibi titulum, aut qualitatem vindicarunt, quam ſervorum ejus, a quo in adeo glorioſi muneris ſocietatem fuerant vocati.

Servitus, quam a nobis exigit Deus, eſt, ut ea credito nobis talento lucrum faciamus. Habemus in evangelio parabolam, quæ mirum in modum explicat, quam a nobis Deus exigat ſervitutem; eaque eſt de diſtributione talentorum, quæ paterfamilias tradit ſervis ſuis, ut ea illis induſtris, cura, & diligentia referant fructum. Diſtricta ratio, quam hic paterfamilias ea ſervis petit, ſatis illam præſignat, quam Deus ea nobis petiturus eſt occaſionum, & auxiliorum, quæ non defuere nobis aliquid propter illum operandi eo in ſtatu, ac locu, in quo nos ipſe conſtituit. Cum illi, qui cum quinque recepiſſet talenta, alia quinque lucratus fuerat, tum illi, qui duo tantum acceperat, & duo item acquiſiverat, non defuit merces: *Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* At quænam fuit ſors inutilis ſervi, qui creditum ſibi talentum humo ingeſta tumulaverat? Noſtis poſt acerrimam exprobrationem in tenebras exteriores conjectum fuiſſe. Ipſi parabolam argumento applicate.

Tres in evangelio memorantur, quorum Salvator ſervitutem recuſavit. Reperimus etiam in evangelio tres homines, qui Dei filium ſequi, & ex diſcipulorum ejus numero eſſe voluerunt, ſed quorum operam Salvator recuſavit. Primus audacter ad illum acceſſit dicens: Domine te quocumque ſequar; alter ab ipſo quidem Jeſu Chriſto invitatus fuit, ut eum ſequeretur: *Sequere me*; ſed rogavit, ut primum ſibi liceret patri ſuo parentare. Tertius denique ſummam præ ſe ferens voluntatem ſe ſe illius ſervituti devovendi, tempus petit, quo domeſticis rebus proſpiceret. Hæc tria ſunt characterum genera totidem hominum ſpecies indigitantia ad ſerviendum Deo non ſatis aptas. Primus deſignat ſuperbos, & ambitioſos, in eccleſia, & ſervitute Dei prælationes, dignitates, & gloriam tantummodo inquirentes; velut ille qui primus ſe ſe obtulit Salvatori, poſtquam ea conſpexerat miracula, quæ fiebant a diſcipulis, & qui ſe eamdem habiturum ſperabat poteſtatem, quemadmodum S. Auguſtinus animadvertit, atque hoc pacto magnam nominis celebritatem ſe comparaturum. Majus ineſt myſterium in repulſa, qua alterum rejecit, hic erat adoleſcens, qui ad perfectionem quidem pervenire cupiebat, ſed viam illuc perveniendi ingredi detrectabat; videlicet nolebat mundum, & parentes ſuos relinquere. Tertium denique rejicit ob cauſam, ipſi uni tantum exploratam; volebat enim de bonis ſuis diſponere, & inde amicos ſibi comparare, ut quodcumque caſus ferret, certum haberet refugium; vel expetebat tempus, neque defuiſſet illi cauſa, qua data fide ſe ſe poſſet expedire &c.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Quam glorioſum ſit ſervire Deo. SErvus meus es tu Iſrael, *quia in te gloriabor*. Iſaiæ 49. Mirum ne eſſe debet, ſi Dei ſervi ob hoc nomen gloriantur, quandoquidem & ipſe ob tales ſervos gloriatur? Vulgo in terris qui regibus, principibuſque ſerviunt, gloriæ ſibi vertunt hanc ſervitutem, & reges beatos ſe putant, eo quod bonos, & fideles famulos habeant. Quod autem glorietur Deus, ſibi ſervitutem a creaturis adhiberi, quæ non aliud ſunt quam terræ vermes, ſi conferantur cum eo, quem in cœlo infinita cœleſtium ſpirituum multitudo adorat, hoc noſtram meretur admirationem; & nihilominus in Iſaia Propheta videmus Deum illi dicentem: *Servus meus es tu Iſrael, in te gloriabor.* Scio equidem, hæc verba præcipue ad Meſſiam, cujus figura Iſaias erat, referri; verum & ipſi conveniunt Iſaiæ, quem elegerat Deus, ut ejus opera populum Iſrael ad officium revocaret.

Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Joann. 12. Animo fingi ne poteſt major honor, & bonum glorioſius eo, quod Dei ſervis per hæc verba promittitur futurum, ut diſcumbant cum domino ſuo, & idem regnum poſſideant? Dei filius aliquid amplius pollicetur: *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.* Maximus honor, quo ſubditus affici poſſit, eſt a rege honorari; quid ergo erit honorari a rege regum? Verum quomodonam id fiet? Audite, & admiramini, quod ipſe Salvator apud S. Lucam cap. 12. dicit: *Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Quis vidit umquam herum præcinctum accumbentibus famulis miniſtrare? Hoc tamen Dei filius pollicetur ſuis. Quis hoc credere poſſet, niſi ipſe teſtatum reliquiſſet? Cum illis aget, perinde ac e ſervis facti fuiſſent Domini; hæ magis validæ locutiones ſunt ad exprimendum pretium, in quo Deus ſuos famulos habet. Quam cæci ſunt homines, qui ignorant, quantum bonum ſit ſervire Deo.

Non dicam vos ſervos .... vos autem dixi amicos. Joan. 15. Jure Salvator amicos vocat eos, qui ſibi deſerviunt; quia *ſervire Deo regnare eſt*. Primo ſtatim intuitu oppoſitio quædam in his verbis adeſſe videtur, eſſe amicum, & ſervum, ſervire, & regnare, imperare, & imperata facere. Sed perfecta libertas in glorioſa ſervitute, quæ nos ſubjicit Deo, in hoc conſiſtit, quod nobiliſſimum noſtræ voluntatis exercitium, & vera poſſeſſio, quam habere poteſt homo ſui ipſius, invenitur in obedientia, quam præſtamus Deo, & in motu ſpiritus illius. Quemadmodum non eſt vim facere flumini, alveum illius in directum effodere; vel quemadmodum ſydera nullam patiuntur vim per impreſſionem intelligentiæ curſum eorum regentis; ita non conqueri poteſt homo, quod Deus vim aliquam ipſius inferat libertati, cum illum legibus ſuis ſubjiciens efficit, ut præſtantiori modo, & qui naturam illius magis deceat, operetur. Ideo S. Paulus in ſecunda epiſtola ad Corinthios cap. 3. aſſerit, ubicumque invenitur impreſſio, & motus ſpiritus Dei, perfectam inveniri libertatem: *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas*; & in epiſtola ad Galatas hæc addit verba: *Si Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege*; non ait non habetis legem, ſed non eſtis ſub lege; hoc eſt, Dei lex pro vobis non eſt jugum grave, ſed leve, & glorioſum. Hoc eſt Dei potius amicum eſſe, quam ſervum, hoc eſt regnare eodem tempore, quo ſervitur, atque obtemperatur. Servire Deo regnare eſt.

Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Matth. 6. Quid, Chriſtiani, ſcitis vos eſſe debere totos Dei, at voſmet fere totos impenditis dæmoni? Scitis unum eſſe Deum, qui ſexcentis, iiſque legitimis rationibus jus habet ad amorem veſtrum, veſtraſque actiones, & imperare poteſt, quodcumque ipſi libitum fuerit, quoniam in hoc mundo eſtis dumtaxat, ut illi ſerviatis; vos autem curas, affectioneſque veſtras cum indignis creaturis dividitis? putetis officia veſtra cum mundanis oblectationibus veſtris paſtiri? Veram ſcitote vobis facilius eſſe Deum omnino perdere, quam illum cum fallacibus mundi blandimentis conciliare; pervenire uſque ad licentiam, impietatem, atheiſmum, hæc omnia faciliora ſunt, quam mundi amorem, ac ſervitutem cum amore, Duobus Dominis ſervire nequit.

& ſervitute Dei conjungere. Deus diviſam ſervitutem non recipit.

Lætitia ſervorum Dei toto cœlo major eſt, quam mundanorum lætitia. *Dediſti lætitiam in corde meo*. Pſalm. 4. Lætitia ſervorum Dei eſt in corde, & in animæ centro, ubi proprie verus eſt gaudii ſenſus; lætitia vero mundanorum, & ſervorum mundi exterior tantum eſt, & in corpore, quod ſexcentis flagitiis evertit, quæ natura in brutis animalibus corrigit, & quæ ratio in mundanis, & peccatoribus corrigere nequit. S. Auguſtinus poſt triſtem experientiam gaudii impiorum mox expertus gaudia bonorum, & ſervorum Dei, dicit peccatoribus nullum eſſe verum gaudium: *Peccatores non proprie gaudent, ſed geſtiunt*. Gaudio mundanorum idem ferme accidit, quod triſtitiæ eorum, qui veri ſunt ſervi Dei; ſuperficiale tantum eſt. Hinc ſe ſe colligere renuunt, intus enim inveniunt mare amaritudinis, quod momento voluptates omnes ſubmergit. Nequicquam ſimulant faciem hilarem, atque ridentem, & cor contentum; nullus eſt vir præditus virtute, qui per hos riſus, gaudia, externaſque felicitatis ſpecies non detegat eorum animi inquietas perturbationes. E contra docet experientia, nullum eſſe verum gaudium, nullas ſolidas voluptates, præterquam ſervire Deo.

Quomodo ſerviendum ſit Deo. *Ut ambuletis digne Deo*. Ad Coloſſ. 1. At quomodonam *digne Deo* ambulare, eique ſervire pro meritis licet? Hoc verum eſt; ſed ſaltem illi ſerviendum eſt, uti poſtulat, & quantum poſſumus, noſtra obeuntes munera, & magna cum alacritate facientes, quidquid pro illius ſervitute facimus, nullum tempori finem, nullos laboribus, quos pro illius ſervitute ſuſcipere & poſſumus, & debemus, cancellos ponentes. Hæc erat mens S. Regis Prophetæ cum dicebat: Dominus magnus eſt, & quia magnus, illi quadam exceſſus ſpecie ſerviendum eſt: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*. Pſal. 47. Cum ſervimus creaturis, magnitudo ſervituris, quam illis præſtamus, ſæpe vitio fortaſſe non caret; cum autem Deo, infinita magnitudo domini novum ſemper confert pretium, novumque meriti gradum animæ illi pro viribus inſervienti, & ſe nihil umquam pro illo ſatisfacere poſſe credenti.

Nullus eſt dominus, cui pejus ſerviatur, quam Deo, ab illis, qui ſe illius ſervos appellant. *Si pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Malach. 1. Hoc olim exprobravit populo ſuo Deus per Prophetam: Si Pater, ac dominus veſter ſum, ubi eſt honor, qui mihi tamquam patri, dominoque debetur? Ubi obedientia mandatis meis, & timor, ne legem meam infringatis? Hic inanis eſt honoris titulus, quem mihi deferre vultis, quia aliquid præterea mihi præſtetis. Heu! Deus hic majeſtatis, & Dominus hoc ipſum nunc temporis quam jure pleriſque mortalium poſſet objicere! Quoniam nullus eſt in mundo dominus, cui pejus ſerviatur, qui minori habeatur in pretio, dicamne? qui a ſervis ſuis majori afficiatur contumelia, quam Deus ſupremus rerum Dominus a pleriſque fidelium. Probrum eſt, ac indignitas inexplicabilis videre, quomodo a mundanis, & peccatoribus excipiatur. Sed quomodonam ab illis excipitur, qui alioquin ſe illi ſervire peculiariter profitentur? Illis confert gratias, quas reſpuunt, & quibus indeſinenter reſiſtunt. Quot ſanctæ inſpirationes, quas tamquam importunas rejiciunt? Sexcenta jubet, quin illi juſſa faciant, vel ſi faciunt, ægre, & gravate faciunt. Plurimi ſe multum feciſſe arbitrantur, ſi illius cultui exiguum temporis intervallum mane, & veſpere impendunt, & præterea forraſſe dimidium horæ, quo ſacris interſunt myſteriis. Attamen quid diceretur de ſervo, qui domino ſuo unam, duaſve per ſingulos dies, idque ſi reliqua negotia permitterent, horas impenderet, & aliam temporis partem pro libidine, & pro ut voluntas ferret, inſumeret? Ullus ne dominus eſſet, qui hoc pretio ſibi ſervitutem vellet præſtari? Hæc tamen ratio eſt, qua agimus cum Deo ſupremo rerum Domino, & cui nos ſervire gloriamur.

Propoſitum non quam recedendi a ſervitute Dei. *Numquid & vos vultis abire?* Joann. 6. Numquid & vos, ut alii, me deſerere vultis? Hoc dicebat Salvator diſcipulis ſuis videns ſe ab illis derelictum, qui ipſum fuerant ſecuti. En, Apoſtoli, ad id redactus ſum, ut vos tantum habeam ſectatores; numquid & vobis ſuboritur tentatio alium ſequendi Dominum, & me ſolum illic relinquendi? *Numquid & vos vultis abire?* Chriſtiani, videmus divinum hunc Dominum noſtrum fere ab omnibus eſſe derelictum. Si plerorumque mortalium vitam intuemur, nullus videtur amplius eſſe Chriſtianiſmus, nulla religio, & ſi judicium ferendum eſt ex vita, quam ducunt, ubique videntur inutiles ſervi, aut deſertores infames eorum, quæ in baptiſmo polliciti ſunt. Mundi idolum omnia trahit ad ſe; omnia ſub voluptatis jugo cedunt. Num & ipſi recedere volumus ab illius ſervitute, & meditamur a legitimo hoc, ſupremoque Domino deficere? *Numquid & vos vultis abire?*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Serviens Deo animus recte imperat corpori; inque ipſo animo ratio ſubjecta recte imperat libidini, vitiiſque cæteris. Auguſtin. lib. 19. de Civit. cap. 21.

Ubi homo Deo non ſervit, nullo modo poteſt juſte animus corpori, aut humana ratio vitiis imperare. Idem, Ibidem.

Libera ſervitus eſt, ubi non neceſſitas, ſed charitas ſervit. Idem, in Pſalm. 99.

Omnis creatura, velit, nolit, uni Deo, & Domino ſuo ſubjecta eſt; ſed hoc admonemur, ut tota voluntate ſerviamus Domino, quoniam juſtus liberaliter ſervit, injuſtus autem compeditus ſervit. Idem, lib. de agone Chriſtian. cap. 7.

Quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo ſubditus hæreat. Idem, lib. de vera Relig. cap. 48.

Vis ut ſerviat caro tua animæ tuæ? Deo ſerviat anima tua: debet regi, ut poſſit regere. Idem in Joann.

Magna felicitas eſt eſſe in domo Domini ſervum, etſi cum compedibus. Idem, lib. 1. de moribus Eccleſ. cap. 12.

Subjectione animus Deo propinquat. Ibidem.

Simul & ſervus es, & liber: ſervus, quia factus es: liber, quia amaris a Deo, a quo factus es; animus illo ſolo dominante liberrimus eſt. Idem, ibidem.

Feciſti nos ad te Deus, & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Idem, in Confeſſion.

Quam ſuave mihi ſubito factum eſt carere ſuavitatibus nugarum! Et quas amittere metus fuerat, amiſiſſe gaudium fuit. Idem, ibid.

Dulciores ſunt lacrymæ pœnitentium quam gaudia theatrorum. Idem.

Grandis dignitatis eſt & meriti, eſſe ſervum Domini. Hieronym. in Pſal. 15.

Si ſol & luna, & ſtellæ Deo ſerviunt, quare ego non ſerviam? cœlum ſervit, & terra non ſervit, & iuſtita homo non ſervit! Idem in Pſal. 91.

Nulla major eſt dignitas, quam ſervire Chriſto. Ambroſ. l. de vid.

Servit quicumque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel mœrore dejicitur; ſervilis eſt enim omnis paſſio. Idem, de vita beata lib. 2.

Peccator intra ſe dominos habet, intus ſe ſervitutem patitur. Idem.

Nemo poteſt in una & eadem re omnipotenti Deo ſervire, atque ejus hoſtibus gratus exiſtere. Gregor. Homil. ſuper Ezechielem.

Beata voluntas, quæ ſerviendo comparat libertatem:

Digitized by Google

tem: miſera ſervitus, quæ generat libertatis exceſſum. Chryſoſtom. in illud Iſaiæ, ſi volueritis & audieritis me.

Libertate nobilior eſt ſervitus Chriſti. Origenes l. 1. in cap. 1. Epiſt. ad Rom.

Nihil eſt quod poſſit aut debeat præferri ei, qui verus eſt Dominus & verus Pater. S. Paulinus, Epiſt. 25.

In hoc facti ſumus, ut boni ſimus, & noſtro ſerviamus authori; contra præceptu cujus agentes contra naturam agimus. Idem, Epiſt. 25.

Subjecti ſumus Deo, ſed non ſumus omnino ſubjecti, quia ex nobis naſcitur, quod divinæ renititur juſſioni. S. Fulgentius, Epiſt. 4.

Hæc ſervitus (nempe Dei) non onerat, ſed honorat; abſtergit ſervitutis maculam, non inurit. Chryſolog. Serm. 14.

Dato, non accepto pretio, miſeræ nos vendimus ſervituti. Idem, Serm. 1. de Prodigo.

Hæc eſt gloria hominis, perſeverare, & manere in Dei ſervitute. S. Irenæus l. 4. c. 28.

Creator ille eſt, tu creatura; tu ſervus, ille Dominus; ille figulus, tu figmentum: totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes, illi præcipue Domino, qui & te fecit, & bene fecit tibi. Bernard. Serm. de quadrupl. debito.

O libera ſervitus! o ſervitium ſupra omnes dominationes eximium! quibus talis lætitia tribuitur, qualis in regnorum gloria non habetur. Caſſiodorus, in Pſalm. 99. Ubi dicitur, ſervite Domino in lætitia.

Tunc ero meus, cum fuero tuus, o Domine. Idem.

Juxta rei veritatem ſervi ſumus, licet propter gratiæ abundantiam filii Dei nominemur & ſimus. Rupertus Abbas, in c. 17. Joannis.

Non ſervi cupiditatis, ſed ſervi per gratiam efficimur charitatis. Auguſt. lib. contra Adimantum, cap. 17.

Placet tibi homo ſervus fidelis, & tu non vis eſſe Deo fidelis; qui habes ſervum, attende quia habes Dominum. Idem, in Sermon. Commun. Sermon. 50.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi poſſit.

Quid ſit ſervire Deo

DEi ſervum eſſe glorioſa dignitas eſt, qua tegitur quidquid humile, ac turpe eſt in ſervitute, ad quam eſſentiæ noſtræ conditio, peccatum genus, & jus gentium homines redigere conſueverunt. Illa, quam ipſi debemus Deo, definiri poteſt obedientia amoris refertiſſima ſupremo ejus domino, & ſubmiſſio, quam ob cauſas omnes, quæ fingi poſſunt, illi debemus; cui tamen nos æquo ſubjicimus animo integre noſtram voluntatem, actiones, perſonaſque ipſius ſervitio devoventes; ita ut toti ſimus illius, toti propter illum, atque non niſi propter ipſum vivamus, ut inquit Apoſtolus. Noſtra igitur ſervitus eſt pertinere ad Deum modo prorſus recenti, quem in baptiſmate vovimus, & cui ſolemniter noſmet adegimus, ita ut illi ſerviamus, toti ad illum ſpectemus, nulla ſit in vita noſtra cogitatio, actio, tempus, quod ipſi ſacrificandum non ſit; quippe ad illum pertinemus eodem pacto, quo ſervus ad dominum ſuum pertinet, neque aliquid bonorum, valetudinis, virium, vitæque habet, quod ad eumdem non ſpectet. Hoc ipſi profitemur, cum Chriſtianorum qualitatem recipimus, quæ, ut ita dicam, nos a creatis quibuſcumque rebus avellit Deo unice vacaturos.

Deus Nos creavit, ut illi ſerviremus, & ob id omnes in mundo ſumus.

Hoc primum eſt noſtræ religionis principium, & primum, quod nobis præbetur, documentum, finem, propter quem in mundo ſumus, eſſe, ut ſerviamus Deo, qui nos in eodem conſtituit; & cui debemus & noſmet ipſos, & creaturas omnes, quarum perfruitionem nobis non permittit, niſi quatenus media ſunt eidem ſerviendi: ita ut cum voluntatis noſtræ perturbatione nequaquam noſmet illius imperiis ſubmittimus, non ſolum vita, quam nobis conceſſit, abutamur, verum etiam agamus contra naturæ finem, quæ in omnibus operibus ſuis nil ſpectat aliud, quam Creatoris gloriam, atque ſervitium: *Omnis creatura factori deſervit.* Sapient. 6.

In quo conſiſtat ſervitus, quam debemus Deo.

Cum de ſervitute Dei loquimur, ſupponendum eſt juxta Scripturarum locutionem laudare, honorare, glorificare, adorare Deum, illi ſervire, & obſequi ſynonyma eſſe, & unum ac idem ſignificare. Sed quia hoc munere multo melius bona, ſanctaque vita defungimur, quam verbis; & operibus præſertim Deus in veritate colitur, eique ſervitur: hinc fit, quod vita noſtra eſſe debet jugis adoratio, perpetua laus, cultus, honor, & ut verbo me expediam, perpetua ſervitus exhibita Deo.

Explorata veritas eſt, creata omnia, quamlibet pro modulo ſuo, ſervire Deo; ſed hoc faciunt ex neceſſitate quadam, quæ ab illius eſſentia ſeparari non poteſt. Hæc eorum natura eſt, hic finis, hac mente creavit illa Deus, cui adverſari non poſſunt. At aliud de homine dicendum eſt, a quo Deus liberam exigit ſervitutem; hic ex officio debet illum metuere, amare, colere, eique ſervire, neque ab hoc officio poteſt ſe diſpenſare, quin violet jus divinum præſtantiſſimum præ alio quovis jure, cui innitantur obligationes juſtitiæ, quæ inter homines eſt. Exempli gratia, quod filium debet patri tamquam filius, proprie non eſt officium juſtitiæ, ſed pietatis; & nihilominus debet illi obedientiam, ſervitutem, honorem, operam, & opem in neceſſitatibus; ita ut ſi eidem deeſſet, majorem committeret injuſtitiam, quam ſi hoc contra alium quemlibet hominem faceret. Ita quod homo creatori ſuo debet, utrum ſit juſtitiæ officium, necne, certe officium eſt, cui ſi deſit, nocentior eſt, quam ſi alteri cuicumque injuſtum ſe præbeat; quia officium hoc eſt ordinis ſuperioris illis juſtitiæ communis, ac illud reddere tenetur ob præſtantiorem virtutem, quæ religio eſt.

Dei ſervitus non attollit, non dejicit.

Cum Dei ſervitio adhæremus, ac noſmet voluntati ipſius rebus in omnibus perficiendæ ſubjicimus, tantum abeſt, quod noſmet dejiciamus, ut ad altiſſimum immo dignitatis gradum evehamur: quippe anima noſtra ſe ſe integre ſubmittens Deo ſupra ſe non aliud habet, niſi primum entium omnium, ac ſe ſe a reliquis quibuſcumque efficit independentem. In elevatione hanc omnem naciſcimur felicitatem, cui pares eſſe poſſumus, quo enim res aliqua propior eſt ſuæ perfectionis principio, eo affluentius illius percipit communicationes; quapropter S. Auguſtinus lib. 1. de moribus eccl. cap. 12. ait, per ſubmiſſionem Deo nos ad illum fieri propiores: *Subjectione animus Deo propinquat.* Et S. Irenæus lib. 4. contra hæreſ. cap. 75. addit, hanc eſſe viam non ſolum ad veram magnitudinem, & felicitatem, verum etiam ad horum bonorum ſtabilitatem.

Servi Dei illius quoque ſunt amici.

Hæc eſt prærogativa, quæ nobilem comitatur ſervitutem, quam veri fideles profitentur, quod nempe ſervi Dei ſimul illius ſunt amici, quamquam videatur aliqua inter amicitiam, & ſervitutem ineſſe oppoſitio; amicitia quippe exigit æqualitatem, atque inter homines ſervi numquam pares ſunt dominis ſuis. Verum novit Deus invenire temperamentum duas haſce qualitates in eodem ſubjecto conciliaturus, illum, qui ſervit ſibi, ad naturæ ſuæ attollens participationem per communicationem gratiæ ſanctificantis: *Per quam efficimur divinæ conſortes naturæ*, quemadmodum inquit princeps Apoſtolorum. Neque dixeris, Salvatorem ipſum aliquam ibi agnoviſſe oppoſitionem, cum Apoſtolis ſuis ait, ſe non vocaturum jam illos ſervos, quia illis ſua aperuit ſecreta conſilia, & quia ſervus ignorat domini ſui voluntatem, qui illi mentem ſuam minime pandit, cum ipſe illos quidquid a Patre didicerat, edocuiſſet. Sciendum

dum quippe eſt, ſervi nomen nonnumquam humilem innuere ſervitutem, quæ vix diſtat a captivitate; atque hoc in ſenſu Dei filius dicebat illis. *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit qui faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos; quia omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.*

Deus ſervos habet diverſorum ordinum & characterum.

Generatim loquendo dicere poſſumus Dei ſervitutem complecti univerſam morum diſciplinam. Adorare Deum, illum metuere, illum amare, illi ſervire; in hoc enim totus homo conſiſtit. *Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo.* Inanimatæ creaturæ ſerviunt ipſi, quin illum agnoſcant; impii, quin ſciant, ſe illi ſervire damnati, quin illi ſervire velint; juſti, ac boni ſoli ſunt, qui cum cognitione, gaudio, & amore illi ſerviunt. Animadvertendum eſt tamen, habere Deum ſervos diverſorum ordinum, & meritorum; ſervos habet omnium ſtatuum, ætatum, ſexuum, conditionum. Illi tamen vulgo in duas claſſes diſtingui conſueverunt; ſcilicet in eos, qui peculiari titulo ſe illius ſervituri devoverunt, cujuſmodi ſunt eccleſiaſtici altarium cultui devoti, & religioſi in ordines varios diviſi, ſed omnes divino cultui addicti in variis miniſteriis, quæ omnia ad eumdem finem contendunt. Alii vero ſunt Chriſtiani generatim, qui ſervire debent Deo pro vocatione ſua, ad unguem mandata illius obſervantes, atque ſtatus ſui, & religionis officia obeuntes. Cum autem de ſervitute Dei loquimur, de Chriſtianis omnibus ſine ulla ſtatus, & conditionis diſtinctione loquimur; omnes enim eſſe debent ſervi Dei, & glorioſi hujus nominis munera obire.

De illis, qui Deo ſerviunt per timorem, & de illis qui etiam ad hæreos per amorem.

Inter eos, qui ſerviunt Deo, & ſe ſe legibus ejus ſubjiciunt, Apoſtolus ad Romanos cap. 8. duo memorat genera, cum ait; *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* Ex hujus Apoſtoli ſententia ſpiritus ſervitutis eſt ille, qui efficit ut propter timorem agamus, ſpiritus vero adoptionis, qui efficit, ut propter amorem operamur. Timor ſervilis facit mancipia, & amor filios efficit. Judæi, qui vulgo propter pœnarum timorem agebant, ſervi erant; Chriſtiani, qui propter amorem operantur, ſunt veri filii; ubi cum Theologis animadvertendum eſt, quemadmodum non omnis timor excludit amorem, ita non omni amore timorem excludi. Adeſt, inquiunt illi, timor filialis, qualis eſt filiorum patres ſuos ſimul amantium, atque timentium. Hic non eſt timor ille, qui ſervos facit, quoniam Deus illum in lege nova & imperat, & laudat, ac paſſim illum cum ſervitute, quam a nobis exigit, conjungit. Sed timor, qui proprius eſt ſervorum, & quem ille ſervilem appellat, ille eſt, qui non ſolum nullo Dei amore permixtus eſt, ſed illum excludit, ſaltem tacite, quia retinetur amor peccati, quod vellemus committere, & quod committeremus, niſi metueremus ſupplicium. Quod neceſſario conſiderandum eſt, ut intelligatur S. Auguſtinus, qui in hæc verba Pſal. 99. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*; ait magnum eſſe bonum ſervire in domo Dei, quamvis etiam ibi vinculis, catenis, hoc eſt ſuppliciorum metu retineremur.

Servire Deo non prohibet, quin hominibus ſervire poſſimus, & debeamus.

Quamquam oraculum hoc ex ejuſdem veritatis ore emanarit, neminem duobus dominis ſervire poſſe, ac inde neceſſario ſequatur nobis uni Deo ſerviendum eſſe, quoniam ſupremus eſt Dominus noſter, ac ſolus Dominus antonomaſtice; hoc tamen non prohibet quominus hominibus etiam ſervire poſſimus, & debeamus; ſed hoc fieri debet cum ſubordinatione ad ſervitutem Dei, quia ille ipſe hoc vult, & jubet; & cum hoc pacto ſervimus hominibus, Deo ſervimus, neque huic ſerviremus, ſi aliter faceremus. Sine hoc ordine, & hac ſubordinatione peccator, qui & Deo, & mundo ſervire vult, non uni domino ſervit, ſed pluribus, eique jure applicari poſſunt hæc Deuteronomii verba: *Si audire nolueris vocem Domini, ſervies Diis alienis, qui non dabunt tibi requiem die, ac nocte.* Cum autem hi domini, ac dii non ſint naturales domini, neque ſint veri dii, ſed tyranni, fictaque numina, immites erunt, & immiſericordes: *Diis alienis*. Ad hæc domini erunt impotentes, ac intolerabiles, & inceſſanter torquebunt ſervientes ſibi quin vel interdiu, vel noctu requiem illis permittant: *Qui non dabunt tibi requiem die, ac nocte.*

In quo conſiſtat libertas filiorum Dei, & eorum qui huic fideliter ſerviunt.

Prima & præſtantiſſima hominis qualitas, S. Auguſtinus inquit, eſt carere criminibus, quæ tyrannidem exercent in animam, ac dominari crudelibus cupiditatibus ſuis, quæ tot ferme ſervos efficiunt, quot in terris ſunt homines. *Prima libertas eſt carere criminibus.* Hoc pacto juſtus ſe ſe turpi inordinatarum affectionum captivitate liberans incipit poſſeſſionem acquirere glorioſæ libertatis filiorum Dei, de qua Apoſtolus loquitur.

Deo cultum debemus, qui aliquo modo ſit congruus magnitudini illius, & qui quantum fieri poteſt exprimat dominii illius dignitatem, atque præſtantiam. Alioquin tota religio, quæ non aliud eſt, quam publica confeſſio imperii, & infinitarum perfectionum creatoris, quin in illius gloriam cedat, eum dedecorat, & afficit contumelia: ideoque ille ſemper imperfecta ſacrificia perhorruit, quia non ſatis apte tribuunt ideam entium omnium perfectiſſimi. Quæ ſi vera ſunt, uti nefas ambigere; quid ſentiendum eſt de modo, quo plerique Chriſtiani Deo famulantur? quid de ignavia, qua religionis ſuæ obeunt munera? quid de modico zelo, quo adnituntur, ut Deo ſerviatur ab illis, qui ſibi ſubditi ſunt? Quam frigide, & oſcitanter ea, quæ ad pietatem pertinent, operantur? Ullusne dominus eſt, qui ſervum pati poſſit ita ignavum, negligentem, & in nullo diſcrimine habentem, quidquid ad ipſum refertur.

Rationes quæ nos cogunt ſervire Deo ea qua poſſumus fidelitate, & zelo.

Tenetur homo ex naturæ ſuæ conditione agnoſcere Deum pro ſupremo, & legitimo domino; quamobrem debet illi bona, perſonamque ſuam devovere, omneſque actiones ſuas ad illius gloriam referre; & hoc ipſi Deo ſervire dicimus, eaque juſta idea eſt, quam concipere debemus de ſervitute, quam illi debemus. Et ratio eſt, quia ad illum ſpectamus, & ſumus magis illius, quam noſtri, quemadmodum loquitur S. Auguſtinus, qui profitetur hominis intereſſe hanc ſervitutem cognoſcere tamquam naturæ ſuæ prærogativam, & proprietatem ab eſſentia ſua inſeparabilem; & S. hic Doctor addit hanc fuiſſe cauſam imperii, quod Deus primo parenti noſtro irrogavit, quo uſus eſt jure ſuæ poteſtatis, atque dominii.

Tenemur ſervire Deo propter magnitudinem, & præſtantiam naturæ ipſius, quæ toto cælo ſuper entia omnia creata elevata eſt; & ratio hæc eo majorem habet vim, quod innititur ipſis naturæ principiis docentis id, quod nobilius, ac præſtantius eſt, naturaliter rebus illis dominari, quæ minus ſunt nobiles, quod Philoſophus lib. 1. Ethic. c. 13. probat inductione entium omnium, quæ ſunt in natura, in humana politica, & in regnorum regimine; ita ſine hoc ordine, atque ſubordinatione nihil eſſet ubique niſi perturbatio, atque confuſio. Ut autem ex hoc principio argumentemur, quid ſit homo, & quid omnes homines ſimul, ſi eos compararemus cum Deo, coram quo mundus univerſus, Angeli, homineſque minus ſunt, quam aquæ gutta cum oceano comparata, vel atomus, ſi cum tota terrarum maſſa conferatur. Nonne propter hunc præſtantiæ titulum, quem habet ſupra nos, omnem illi operam, omnemque ſervitutem conſecrare debemus?

Deo ſerviendum eſt tamquam Creatori noſtro.

Dominium, quod in nos habet Deus, non innititur ſolum præſtantiæ eſſentiæ ipſius, ſed etiam ſubmiſſioni, quam illi tamquam Creatori noſtro debemus. Si enim rei alicujus auctorem eſſe, eſt jus habere ad illam poſſidendam, eaque, prout libitum fuerit, utendum; numquid prolixa opus eſt argumen-

mentatione, ut judicemus Deum per hunc Creatoris titulum alios quoslibet titulos complectentem, quibus rei alicujus domini efficimur, jure a nobis expetere ea omnia, quæ voluerit, ac nos ad ea præſtanda teneri! Cum figulus teſtaceum vas effinxit, nonne illud diſponere poteſt, prout ipſi placuerit? Parentes nonne naturales ſunt domini filiorum, quibus vitam dederunt, & nonne jure ab illis expetere poſſunt eam ſervitutem, quæ viribus, & conditioni illorum ſit congrua? Quis autem ignorat, Deum ſine ulla comparatione magis eſſe vitæ noſtræ auctorem, quam eos, quibus uſus eſt, ut nobis vitam tribueret; quoniam hi non aliud ſunt quam inſtrumenta, quibus ipſe uſus eſt?

Et tamquam Redemptori.

Ratio quarta cæterarum eſt æquiſſima & validiſſima; inde vero deſumpta eſt, quod redempti ſuimus pretio magno, ut inquit Apoſtolus 1. ad Cor. 6. *Empti eſtis pretio magno*. Emptionis autem hujus pretium non fuit aurum, neque argentum, ſed ſanguis adorabilis, & pretioſus Salvatoris, qui eſt homo Deus, addit S. Petrus in 1. epiſt. cap. 1. ita ut emptionis titulo pertineamus ad illum tamquam ſervi tanto pretio redempti. Verum ob id quid ipſe petit? S. Paulus his docet verbis: *Ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt*. 2. Cor. 5. Poſt adeo inſigne beneficium exigit ſolum, ut propter ipſum vivamus, ut omnes cogitationes noſtræ tendant in ipſum, ut vitam noſtram illi ſacrificemus, quemadmodum ille ſuam pro nobis ſacrificavit.

Magnitudo mercedis, quam ſervis ſuis pollicetur.

Quinta ratio deſumitur ex magnitudine mercedis, & gloriæ immortalis, quam ipſe pollicetur illis, qui ſibi fidelem ſerviunt ſervitutem. Etenim ſi pro levi mercede libertatem noſtram impendimus, nobiſmet vim facimus, principis alicujus viri ſervitutem ſubimus; ſi ſexcentis mortis periculis noſmet objicimus, ut mortali principi, qui ſæpe meritorum noſtrorum obliviſcitur, eaque non remuneratur, obſequamur; qua fidelitate, atque conſtantia nobis ſerviendum eſt regi cœlorum, totum regnum ſuum promittenti in noſtræ ſervitutis mercedem, & qui nullam actionem propter ipſius amorem factam ſine præmio abire ſinet; eique gloriæ coronam attribuet? &c.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Sumus Dei, & propter Deum, ideoque illi ſervire tenemur.

QUod ſum minus mihi charum eſſe debet, quam ille, propter quem ſum; hic me fecit propter ſe, & non propter me ipſum, videlicet ut illum amarem, colerem, illi ſervirem, non autem, ut amarem me ipſum, atque ut meam tantummodo utilitatem ſpectarem. Si quis cor habet alienum ab hoc noſtrummet ipſorum ſacrificio, quod illi facere debemus, qui creavit nos, hujus cæcitatem deploro ac miſereor videns illum ſui ipſius ſervum; Deumque obſecro, & obteſtor, ut eum liberet, eamque doceat, quid ejus interſit. O Deus! Tu nequaquam feciſti cor hominis cum hac adeo monſtroſæ proprietatis propenſione. Rectitudo hæc, in qua Scriptura nos docet, illud a te creatum fuiſſe, nequaquam in nobis poſita erat, ut ſui juris eſſet, ſed illius, qui fecit nos propter ſe: ſed homines fieri volunt ſuimet ipſorum domini, omniaque propter ſe facere, vel ſaltem nonniſi cum quibuſdam conditionibus ſe Deo mancipare. Monſtroſa proprietas! Ignorata Dei jura! Creaturæ ingratitudo, atque inſolentia! Miſerum nihil, quid habes, quod tuum ſit? Nihil habes, quod ad te ſpectet, nihil, quod tibi a cœlo profectum non ſit, & ad cœlum non debeat reverti. Quidquid in te eſt, clamat contra te pro Creatore; tace ergo creatura, quæ temet aufers Creatori tuo, memento te in mundo eſſe, ut illi ſervias. *Ex manuſcripto, quod Cameracenſi Epiſcopo acceptum refertur.*

Deus ipſe creaturam facere nequit, quæ eidem ſervire non teneatur.

Cum ſupremum, abſolutumque dominium bonum ſit a divinitate inſeparabile, creaturæ omnes illi neceſſario ſubditæ ſunt; & quantumvis Deus homini libertatem contulerit tamquam naturæ ipſius prærogativam, tamen illum diſpenſare non poteſt, quominus ſibi ille ſubjectus ſit, neque alium ipſi finem poteſt præſcribere, quam ut ſit pro illo, a quo fuit creatus. Poteſt ille quidem creaturam ex nihilo educere, eamque ad eum magnitudinis gradum evehere, ut ejus poteſtas ſe te quocumque extendat; poteſt ille quidem tantam intelligendi vim conferre, ut infinita cognoſcat objecta, ſed nequit illam ita magnam efficere, ut non ſit ſemper a creatore ſuo pendens, eique ſervire non teneatur tamquam ſupremo Domino, cui debet, quidquid eſt. Nequicquam igitur impii glorioſum, & ſuave Domini jugum excutientes dicunt, ſe non ſervituros: *Confregiſti jugum meum, & diruiſti; non ſerviam*. Jerem. 2. Inviti hoc, vel illo modo ſerviunt. Facilius eſt invenire fluvium ſine fonte, quam creaturam a Deo non pendentem. Independentia perfectio eſt incommunicabilis; & quo pluribus a Deo perfectionibus aucta eſt creatura, eo magis ab eo pendere, eique ſervire tenetur; quia hi totidem tituli ſunt, propter quos hoc facere debet. *Pater Texier in Adventu ſermone de ſervitute perturbationum animi.*

Infelicitas eorum qui Deo ſervire detrectant, ut ſuis pareant affectibus.

Millies miſeri ſunt fideles illi, qui ſæculi licentia illecti, cavillantes ſe cogitare, loqui, & agere velle, quemadmodum ipſis placuerit, turpiſſimam ſervitutem ſuam nequitiæ contegunt integumento, S. Petrus Apoſtolus *in* 1. *Epiſt. cap.* 2. inquit, quod perperam libertatis nomine appellant: *Velamen habentes malitiæ libertatem*. Sibi promittunt, vivere liberos, hoc eſt ad arbitrium, libidinemque vitam traducere; ſuum ſequi volunt ingenium, ſuamque voluntatem perficere; nec vident, ſe in hoc fieri corruptionis mancipia, videlicet ſervos naturæ per peccatum corruptæ, & in qua dæmon tyrannicum exercet imperium, ut inquit princeps Apoſtolorum: *Libertatem illis promittentes, cum ipſi ſint ſervi corruptionis*. 2. Petr. 2. In hoc calamitoſiſſimo ſtatu, in quo a Dei ſervitute receſſerunt, invenitur quidquid fingi poteſt ad veram ſervitutem efficiendam: tyranni ſine numero, catenæ, & compedes graviſſimi, acerbiſſima tormenta. Hoc item axioma eſt, inquit S. Petrus, apud populos omnes probatum ſecundum armorum jus, victo victoris legem eſſe ſubeundam. *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt*. Quamobrem Chriſtianus ſe vinci ſinens a dæmone ſimul fit ſervus illius; atque tot habet dominos, quot ſunt dæmones, qui illius vitiis, & cupiditatibus utuntur, quibus in turpi ſervitute adſtrictum tenent. *Idem*.

Felicitas noſtra nonniſi in ſervitute, quam Deo præſtamus invenitur.

Qui ex ſe non habet, quod ipſum felicem reddere debet, ab iis pendet rebus, a quibus ſuam emendicat felicitatem; quæ ſi illo minores ſunt, eorum vere ſervus eſt; quippe omnis dominatio, quæ rationabilis non eſt, atque inferiorum, ſupernarumque rerum ordinem perturbat, eſt tyrannis, ac ſubjectio, per quam lex accipitur, ſervitus eſt, & captivitas; præterquamquod qui ſe hoc pacto captivat, contra ſe provocat poteſtatem illius, quem ſua rebellione laceſſit, recedens a ſervitute legitimi domini, ad quem ipſe pertinet. Supremus hic dominus non alius eſt, quam Deus, qui efficit, ut ille ſentiat vim, & juſtitiam ſuæ dominationis, per eas pœnas, quas ab illo ſumit. Quamobrem olim populo ſuo per Prophetam Ezechielem cap. 7. minitabatur: *Et ſcietis, quia ego Dominus percutiens*. Noluiſtis voſmet mihi ſubjicere, neque obtemperare tamquam fideles ſervi; intelligetis, me veſtrum eſſe dominum ex pœna inſigni, quam a vobis ob rebellionem veſtram depoſcam. Ego ſum Dominus percutiens rebelles, ac oſtendens poteſtatem meam, illos in neceſſitatem adducens ad officium ſuum revertendi

ita ut felicitas, quæ poſſidetur ab iis, qui libertate fruuntur, nequaquam in hoc ſita ſit, ut nullam agnoſcant dominationem, ac nulli domino pareant, ſed in hoc, ut uni illi pareant, qui naturaliter, & omni jure Dominus eſt rerum omnium, & qui noſtram non expetit obedientiam, & ſervitutem, niſi ut in æternum nos beatos efficiat. *Liber cui titulus: Sapientia chriſtiana*.

Cum voluptate pro Deo ſervitus vel potius nullum niſi in Dei ſervitute verum gaudium invenitur.

Anima voluptate carere non poteſt, & gaudium, ſi Div. Chryſoſtomo credimus, cauſa eſt univerſalis, propter quam omnes homines agunt. Neceſſario igitur opus eſt, aliquam in Dei ſervitute inveniri voluptatem. At quæretis, quanam in re voluptas iſta conſiſtat? Dico autem, Fideles, conſiſtere in amore maximo, ſuaviſſimoque objectorum omnium, qui Deus eſt; in jucunda, aſſiduaque perfruitione illius, quod amatur, & certa ſpe eodem in æternum perfruendi. Hic locus non eſt vobis aperiendi tres hos ubertimos fontes cæleſtium, & ineffabilium deliciarum, præterquam quod nulla ſatis eſſe poteſt eloquentia ad id tradendum illis, qui numquam illas experti ſunt; verum quaſdam offeremus conjecturas, ex quibus intelligere liceat, voluptates ſervorum Dei voluptatibus impiorum eſſe præſtantiores. 1. Quia hæ præ illis relinquuntur. A quibus autem? Ab illis, qui utraſque experti ſunt. Dicendum eſt igitur in Dei ſervitute plus ſuavitatis percipi, quam in ſervitute mundi, & in omnibus terræ deliciis. Ad id probandum ſolum ſufficit S. Auguſtini exemplum, & ejus teſtimonium poſt plurimorum annorum experientiam par eſt omnibus argumentis, quæ ratio, & naturale lumen nobis poſſent ſuppeditare: *Nemo dat fontem pro gutta*, inquit ille. 2. Videmus eos, qui ſeſe terrenis ingurgitant voluptatibus, eas indeſinenter eſurire, ac ſitire, ac numquam credere, quod illæ ſibi ſufficiant, ſed in anima ſemper inane aliquod remanere ſpatium numquam replendum; cum e contra unicum cœleſtis ejus conſolationis momentum, quæ in Dei ſervitute guſtatur, cumulat animam dulcedine, qua repletur, & quodammodo inebriatur; quæ res mulcet ea mala, quæ aliunde in mundo perferuntur, eaque efficit ſuaviſſima: *Superabundo gaudio in omnibus tribulationibus meis*, dicebat S. Paulus, 2. ad Cor. 7. Mundi gaudia neminem umquam ita loquentem induxerunt; e contra vero, qui præ cæteris illa pergustavit, Salomon videlicet, ſe ipſum cohibere non potuit, quominus diceret: *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi*. Eccle. 2. Ubique inane, ac dolor; inane in ipſa perfruitione, & paulo poſt dolor, & pœnitentia. 3. Unde:am in voluptuoſiſſimo quolibet proficiſci poteſt terribilis hæc inconſtantia, propter quam ab una ad aliam migrat voluptatem, ab uno ad aliud objectum, tanta levitate, ac ſollicitudine? Ne dixeris, hunc eſſe humanæ imbecillitatis effectum, cujus mens natura ſua mobilis eſt, & quam nullum bonum figere poteſt. Non enim videmus in ſervitute Dei eos, qui ſolide in bono confirmati ſunt, hoc pacto mutari. Videmus illos quadraginta, & quinquaginta annos jugiter pietatis exercitiis intentos, bonis operibus, atque charitatis officiis, nec non mortificationi vacantes, quin ullo umquam afficiantur faſtidio; ſed ſemper recenti cum voluptate, ac magis exquiſita, integraque oblectatione. Nonne magnæ requiruntur voluptates ad ſuperandum illud incredibile ſtudium, quo ad mutationem ferimur? *P. de la Colombiere ſermone de Transfiguratione*.

Pernicioſa eſt plerorumque mortalium illuſio, quibus perſuaderi nequit, chriſtianam vitam, ac Dei ſervitutem ſuas habere oblectationes, & voluptates. Illum amplecti, idem eſſe putant, ac ſe ſe in triſtitiæ abyſſum præcipitem dare, atque ſe adhuc viventem ſepelire. Quod ſi verum eſſet, chriſtiani Auditores, quomodo fieri poſſet, ut tot homines omnium conditionum, ætatum, ſexuum, publica profeſſione ſeſe Dei ſervituti devoverent? Et ipſi noſtis, illos ibi magis puris oblectationibus perfrui, quam quibus ſenſus affici conſueverunt, eoſque illic voluptatem magis ſolidam, & gaudium majus invenire ....

Ideo Iſaias cap. 48. populum Iſrael alloquens Dei verbis ait illi: *Utinam attendiſſes ad mandata mea, fuiſſet utique quaſi flumen pax tua*. Si unimum appuliſſes ad præceptorum meorum obſervantiam, atque hoc pacto fidelis cultui meo adhæſiſſes; tua pax, felicitas, gaudium fuiſſet fluminis inſtar, quod ſemper plenum eſt, & numquam areſcit. Gaudium impiorum torrenti potius eſt ſimile, non ſolum, quod magno cum impetu fertur, quod ſine lege vagatur, atque quocumque eladem, atque ruinam adfert, ſed quod fluxum eſt, ac perſunctorium; & cor, quod modo eodem exundat, paulo poſt exſiccet luto, ſpinis, & amaritudine plenum. *Idem*.

In iis, quæ dico, experientiam conſulite; hæc melius, quam quælibet argumenta, vobis perſuadebit, extra Dei ſervitutem nullum eſſe verum gaudium, nullam ſolidam voluptatem. Dicunt, Domini jugum non eſſe ferendum. Quis hoc dicit? flagitioſus homo, ſuis voluptatibus deditus, & qui nullum umquam aliud oblectamenti genus guſtavit, cujus licet ponderis alicujus eſſet teſtimonium, id deberetiſne credere, cum Jeſus Chriſtus docuerit oppoſitum: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve .... Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris*. Matth. 11. Dubitatis adhuc? Conſulite omnes Sanctos Patres, qui teſtimonium hoc perhibent miſericordiæ Dei, ſimplex adeo bono domino ſerviendi deſiderium effeciſſe, ut ea perfruerentur voluptate, quam mutare noluiſſent cum iis oblectamentis, quæ mundus offerre poteſt ſuaviſſima: *Quam bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde!* Pſalm. 72. O Iſrael ſi ſcires, quam bonus & liberalis eſt Deus! Bonus eſt etiam erga inimicos ſuos, quibus vitæ hujus bona non negat, licet illis abutantur contra ipſum; erga illos vero, qui ipſi deſerviunt, ita ſuavis eſt, atque omnium oblectationum prodigus, ut exprimi nequeat. *Idem*.

Nullum niſi in Deo gaudium, & requiem invenire poſſumus.

Scio, Deum feciſſe cor hominis, neque illud feciſſe pro creaturis, quæ vaſtam illius extenſionem replere non poſſunt: *Feciſti nos ad te Deus, & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Pro te, o Deus, feciſti hoc cor, & fruſtra extra te, ſervitutemque tuam quærit ſuam requiem, & felicitatem. Fruſtra terrena hæc conſectatur, ac delibat omnia ſenſibilia objecta, quæ ſunt ſuper terram; hæc inquirens bonum inquietus erit, cumque invenerit illa, tunc ſollicitudinem ſuam ſentiet percrebuiſſe. Nequaquam; nullibi requiem inveniet, niſi requieſcat in te: *Irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Dele igitur, Domine, hæc omnia inania deſideria, quæ nos turbant, & inutiliter agitant, atque in eorum locum ſubroga deſiderium placendi tibi, cognoſcendi te, amandi, atque ſerviendi tibi. Deſiderium hoc requiem noſtram non perturbabit; e contra magis ardens erit, & nos magis tranquilli. *Idem*.

Deo ſemper ſerviendum.

Ut vere Chriſtiani ſimus, ſemper Chriſtiane vivere debemus. Si eſt divinæ auctoritati fines ſtatuere non credere cæce ea omnia, quæ illius teſtimonio probantur, nonne eſt æternitatem illius quibuſdam veluti cancellis circumſcribere, ad tempus ab illius ſervitute recedere? Non vult ille cor veſtrum, niſi in æternum illud poſſeſſurus eſt; & putatis acceptos illi fore annos, quos mundus cum ipſo partitur. Profitetur ille ſe irritari, & dedecorari cultu veſtro, quantumvis modice & alium ſimul Dominum colatis; & audetis exiſtimare, ipſum ea vita honorari, cujus pulchriores dies dæmoni devoti ſunt? Veſtra vos fallit opinio; fieri nequit, ut unus homo duobus dominis etiam diverſis temporibus ſerviat. Hic Deus, qui omnem meretur ſervitutem tuam, hanc non magis hoc, quam alio tempore meretur; illam ſemper depoſcit, neque patitur, ut vel uno tantum momento eam ſibi mundus uſurpet. *Idem ſermone* 48.

Glorioſum eſt ſervire Deo.

Quantus honor, & gloria eſt tanto, & tam bono

Digitized by Google

bono domino ſervire ! Conditio illius, qui inter ſervos ejus minimus eſt, melior eſt conditione regum terræ; tandem enim horum magnitudo, ac proſperitas cum vita deſinit, & ſervi Dei cum vita ſua finem imponunt laboribus, qui in ſervitute ſua ſibi ſunt perferendi, poſtmodum æternam felicitatem, ac immortales coronas inventuri. Jure igitur regius Propheta affirmat, meliorem eſſe diem unam in atriis Dei, quam mille alibi ubilibet. Verum eſt gloriam in pretio eſſe habendam, & amandam; ſed non ibi ſtatuitur, ubi vere eſt. Honori nobis vertimus, quod regibus famulamur: caro emimus pretio in domibus eorum officia; Deo autem ſervire non admodum glorioſum eſſe cenſemus; & quod deplorabile eſt, ſæpe nos pudet, quod illi obtemperare debemus. In hoc maximum gloriæ ſuæ argumentum collocabatur eo tempore, quo Chriſtiani *tamquam purgamenta hujus mundi* habebantur; & nos ſæpe pudet ea facere, quæ ad cultum illius pertinent nunc temporis, cum late chriſtiana religio dominatur, & potentiſſimi quoque monarchæ eam ſequi gloriantur. Felices Chriſtiani, qui agnoſcunt, quanam gratia a Deo cumulentur, dum in ſervorum ejus numero recenſentur.... O quam ſuavis eſt Dominus! quam magnificus in promiſſionibus ſuis! fidelis in iis exequendis! liberalis in remunerando! Quam beatus eſt, qui famulatur illi; & quam bene elegit, qui illi voluit adhærere! O ſi omnes homines ſcirent, quid ſit Deo ſervire, non aliud umquam cuperent, non aliam inquirerent gloriam, quam ex eorum eſſe numero, qui illi deſerviunt... Dominus meus, & Deus meus! amariſſimo dolore conficitur cor meum, cum coram te præteritos vitæ meæ annos recogito. Heu! tantum abeſt, quod illos unice impenderim tibi famulaturus, ut ſim ex numero infidelium ſervorum, qui ſibimet ſervierunt, & qui ſe ipſos, remque ſuam tantum ſpectarunt. Attamen cum ſis dominus meus, & rex meus, tibi hodie me in æternum fideliter adhæſurum jure jurando polliceor, reciproque, ac profiteor me in ſervitute tua vivere, & mori velle. *Boudon, in libro cui titulus; Chriſtianus ignotus.*

Deus eſt dominus ſuavis, & mitis, qui ſervientes facit pœnas ſibi ſervientium.

Si rite ad examen vocemus ea, in quibus Deus illam conſtituit ſervitutem, quam a creatis exigit rebus, iniquum profecto de eodem fert judicium, qui illum durum exiſtimat dominum, cui curæ non ſit condire ſervorum ſuorum labores aliqua ſuavitate, qua reficiantur pondus diei, & æſtus perferentes. Quid enim innuit Spiritus ſanctus, cum de viro bono loquens ait, Deum illum in benedictionibus dulcedinis ſuæ præveniſſe? Pſalm. 20. Quid ſignificat regius Propheta, cum Pſalm. 53. homines invitat, ut Deum guſtent, ejuſque bonitatem experiantur? Quid ſibi vult S. Paulus, cum ad Roman. 15. orat Deum conſolationum, ut credentium in ſe corda repleat gaudio, & pace in fidei ipſorum exercitatione? Quid Salvator ipſe indigitare vult, cum homines invitans ad jugum ſuum ſubeundum, hoc ſuave, & leve eſſe, ac in eo cordis requiem inveniri, teſtatur? Neque Propheta, neque Apoſtolus, neque ipſe Jeſus Chriſtus in his locis loquuntur de alterius vitæ gaudio, ſuavitate, dulcedine, requie; quandoquidem verba faciunt de eo gaudio, quod hic in terris experiri poſſumus, quoniam loquuntur de dulcedine ſæpe nos præveniente, & requie, quæ ſub ipſo jugo, tunc etiam dum fertur, invenitur. *Pater Aurelianenſis ſermone de ſeveritate evangelica.*

Deus ſervis ſuis non omnes in alteram vitam delicias reſervat; quædam in hac quoque vita illis tribuuntur, quæ ad gloriæ coronam non pertinent, ſed quæ locum habent ſtipendii in temporali militia, quemadmodum loquitur S. Bernardus; cum velit ipſe non metentem ſolum, verum etiam ſerentem hoc alacri animo facere: *Ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit*, quemadmodum ipſe Dei filius teſtatur Joan. 4. Scio equidem, & Propheta hoc dixit, cum lacrymis ſeri, quod cum gaudio metendum eſt: ſcio hoc Jeſu Chriſti jugum, quod ſuave appellatur, crucem eſſe ferendam, ac jugiter ferendam: ſcio viam hanc, in qua Deus nos prævenit benedictionibus dulcedinis ſuæ, viam eſſe ſpinis impeditam; quoniam hæc illa eadem via eſt, quam Salvator arctam vocavit: ſed haud ægrius intelligo, quomodo per unctionem, quæ efficit, ut difficillima quæque non facilia tantum, verum etiam jucunda fiant; haud ægrius, inquam, intelligo, quomodo per gratiæ hujus unctionem inter has cruces, has lacrymas, omnes has difficultates lætitia, & dulcedo inveniatur, quam quomodo Deus per omnipotentiam ſuam fecerit, ut olim Hebræi inter deſerti horrorem, ſterilitatem, & aſperitatem delicias ipſas inveniret. Æque facile intelligo, quomodo crux, quæ poſt Jeſum Chriſtum in vita chriſtiana geſtatur, juſtorum labores mulceat, & repleat cor eorum voluptate; ut intelligo, quomodo lignum illud, quod Moyſes projecit in mare, hujus aquas dulces, ac potabiles fecerit. Æque facile intelligo, quomodo S. Paulus ſuperabundabat gaudio in tribulationibus; ut intelligo, quomodo tres pueri in Babylonica fornace inter ignes, & flammas ventum roris flantem ſentiebant. *Idem.*

Gaudium, quod in Dei ſervitute percipitur, purius eſt illud ab eo, quod in mundo guſtatur.

In Mundo omnia rident, omnia nitent, omnia gaudium cient, & ſæpe fateri tenemur cum Salomone, hos riſus errorem eſſe, & hoc gaudium illuſionem: *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* Eccleſ. 2. In ſervitute Dei e contra omnia horrorem cient, animumque avertunt, atque inter ſacrum hunc horrorem ſolida invenitur dulcedo. Hoc illud deſertum eſt, quod timidis Iſraelitis tantum attulit terrorem, ſed ubi aliquot dies proceſſerunt, vaſtæ illæ, atque ardentes arenæ illis jucundiores viſæ ſunt, quam uberrima Ægypti arva, quorum deſiderio imprudenter fuerant confecti. Triſtes illæ, ſterileſque rupes illis aqua, & oleo manarunt; ardens illud, ignitumque cœlum ſuaviſſimum illis depluit ros, cum quo quotidie mane cœleſtis delabebatur manna, quæ jucundiſſimam illis præbebat alimoniam. Ita fortaſſe ubi primum a mundo receſſeritis, primus adſpectus ejus vitæ, quæ a mundanorum vita tam longe diſtat, vobis admodum triſtis videbitur; hæc quippe communis eſt eorum tentatio, qui ex mundi agitatione, atque diſſipatione egrediuntur, ut in tranquillam ſervitutis Dei vitam ingrediantur. Verum procedite, audacter proferte gradum, quidquid vos primo ſtatim intuitu perterret, tandem vobis dulce fiet. Hæc a mundo ſeparatio, hæc orationis frequentia, hæc bonorum operum praxis, hæc officiorum omnium obſervantia, quæ nunc tantum vobis injicit terrorem, vobis fient cauſa lætitiæ, atque infinitarum conſolationum. *Idem.*

Dulcedo, quæ in Dei ſervitute guſtatur, eſt fructus Spiritus Sancti.

Dulcedo chriſtianæ vitæ, quæ in Dei ſervitute ducitur, non ſolum fructus eſt naturalis rationalis Philoſophiæ, ſed multo magis eſt fructus unctionis omnino cœleſtis, quam Spiritus ſanctus immediate producit in corde eorum, qui veri ſunt ſervi Dei, per quam vulgo efficit, ut ſuam ſentiant præſentiam; unctionis, cujus viva impreſſio, S. Paulo teſte, ita eam ſuperat, quam in corde noſtro, noſtriſque ſenſibus objecta creata pariunt, ut omnem illius nobis auferant ſenſum. *Idem.*

Gaudium impiorum ſemper turbatum eſt.

Merito S. Bernardus mundum ea comparat cum regione, in qua prodigus verſabatur filius, ex quo a patre receſſerat: *Facta eſt fames valida in regione illa:* (Luc. 15.) regione ſemper deſolata fame, quæ moleſtiſſimam parit aviditatem: regione ſemper ſexcentis, teterrimiſque ægritudinibus obſcurata, in quibus imprudentes mundani vitæ ſuæ ſuavitatem perturbant vel tædio earum rerum, quas habent, vel deſiderio earum, quas perdunt, vel expectatione illarum,

quas

quas cupiunt; regione ſemper agitata odiis, quæ illos inflammant, invidiis, quæ illos diſrumpunt, & quæ efficiunt, ut illi ultro citroque in voluptatibus ſuis ſibi adverſentur, quaſi voluptas unius eſſet ſuttum aliis factum; adeo inexplebilis eſt fames illorum. Quam aliter afficiuntur ſervorum Dei corda, ubi unctio Spiritus ſancti ſemel eos attigit! Statim ac guſtatur, tantum abeſt, quod alterum quodpiam deſideretur, ut alia quælibet dulcedo ſatua videatur, ac faſtidium pariat. S. Auguſtinus, qui non credebat ſe voluptatibus carnis umquam carere poſſe, ubi primum in corde ſuo hanc divini ſpiritus unctionem accepit, voluptates iſtæ illi graves effectæ ſunt, iiſdemque privari non detrimentum ratus eſt, ſed ſolatium: *O quam ſuave mihi ſubito factum eſt carere ſuavitatibus nugarum! Et quas amittere metus fuerat, amiſiſſe gaudium fuit.* Idem.

Gaudium ſervorum Dei in ipſis etiam calamitatibus, & tribulationibus.

Teſtatur S. Paulus, gaudium in omnibus tribulationibus ſuis ſemper ſuperabundaſſe: *ſuperabundo gaudio in omni tribulatione.* 2. ad Cor. 7. Illæ autem ſæpe tam vehementes erant, ut eas propius in illis inſpiciens mortem aliquid deſiderabile eſſe cenſebat; ſed ubi conſiderabat illas cum gaudio, ac interiori conſolatione conjunctas, qua gratia condiebantur, videbatur amittere ſenſum eorum, quæ in illis erant duriſſima, ac eam tantummodo guſtare voluptatem, qua Dei ſpiritus in cor illius effundebat. S. Auguſtinus reminiſcens primarum turbarum, quas vitæ mutatio in ipſo pepererat, lacrymas, quas tunc fundebat, putabat eſſe fontes ejus conſolationis, quam mundus ignorat. Infelices cenſentur, qui lugent; ego lugebam, ait ille, ruebam in lacrymas ea in agitatione, quam cordi meo afferebat ſpiritus pœnitentiæ, qui eudem potiebatur: ſed cum lacrymis bene mihi erat, eaſque præferebam omnibus voluptatibus, quibus hactenus mundus, & caro me fortiter adeo eonjunxerant: *Currebant lacrymæ, & mihi bene erat cum eis.* Hinc ſanctus hic pœnitens arguebat, quam perfectam beatitudinem pariat pura lætitia, quam ſervis ſuis in altera vita præparat Deus; quandoquidem eorum quoque lacrymæ in terris vim habeant beatos illos faciendi. *Idem.*

Boni ſolum, & ſervi Dei proprie contenti ſunt.

Conſiderate, ac liquebit in mundo neminem proprie contentum eſſe præter veros Dei ſervos. Mundani hoc in re bona fide agunt; ſemper ſe contentos non eſſe queruntur. Philoſophi quidam ſe eſſe gloriantur; ſed univerſam eorum provoco philoſophiam. Frequentes eorum invectivæ contra fortunam, quæ pleramque illis adverſa fuit, ſignificant potius cor indignabundum, quam contentum. Pleraque eorum philoſophi ſunt, quia aulici eſſe nequiverunt. Solum eſt chriſtiani hominis cor, quod divini ſpiritus unctione repletur, quidquid accidat, ſemper contentum eſt. Quidquid accidat, inquam, hæc enim divinæ hujus unctionis virtus eſt, ſeſe cordi præbere ſentiendam inter ipſos dolores, & ægritudines. Hoc alterum vitium eſt voluptatum mundi, quod quantæcomque ſint per ſe, ad eas corrumpendas ſatis eſt modicum doloris, atque moleſtiæ. Teſtis eſt Aman ſuperbus, quem negata ſibi a Mardochæo exigua quædam obſequii ſpecies prohibuit, ne in tanta bonorum affluentia, ac tot a rege beneficiis cumolatus contentus eſſet. *Idem.*

Deus bonus eſt, & mitis non durus, nec difficilis, ut eum aliqui arbitrantur.

Error eſt, & illuſio, quo homines liberari debent; videlicet quod aliqui ſibi Deum exhibent tamquam immitem & inhumanum dominum, qui noſtris paſcitur lacrymis, qui noſtro cruore ſaginatur, cui nullum jocundius eſt melos, quam noſtri ejulatus, atque ſuſpiria. Illum ſibi fingunt ſemper procellis, ac fulminibus armatum; illum terribilem Deum, & ultionum Dominum vocant; verbo, nulla in Scripturis veritas eſt, qua non abutantur, ut ſeſe in hac ſententia confirment, Deum dominum eſſe durum, denique ſeverum, & eum, qui illi ſervire velit, debere omnem abdicare tranquillitatem, omniaque ſolatia, ac miſeræ, atque infelici vitæ ſeſe ſubjicere. Evertendum eſt hoc idolum, quod illi ſubſtituunt in locum Dei bonitate, amore, & miſericordia pleniſſimi .... Inde palam nobis innoteſcunt deſideria, quæ ſuaviter agere cum ſibi ſervientibus optat, quod aſſumit nomina amoris pleniſſima, amici, patris, ſponſi; & nonnumquam etiam eorum animantium nomina uſurpat, quæ peculiarem aliquam lenitatem videntur exprimere, velut agni ... Profitetur etiam, gaudium, quod effundet in cor fidelium ſervorum ſuorum, nequaquam futurum ſimile gaudio mundanorum, quod primoribus tantum labiis delibant. Iſti faciem quidem ridentem habent, cor autem ægritudine, ac triſtitia confectum; ſæpe canunt, & rident, dum crudeles, & inordinati affectus in eos tyrannidem exercent, eoſque cruciant. Gaudium ſervorum ejus in imum uſque cor eorum penetrabit, totumque illius captum replebit. *Pater Texier in Dominicali ſermone tertia poſt Paſcha.*

Si Deus in lege veteri, quæ lex erat auſteritatis, cujus tempore nonniſi inter flammas, ac ignes ſe oſtendit, & nonniſi inter turbines, atque procellas loquebatur; ſi in hac lege, inquam, dulcedinem impertire iis dignabatur, qui ejuſdem ſervituti adhærebant; quid tandem faciet in nova, quæ lex eſt amoris? Quid nobis expectandum non eſt fideliter ſervientibus, ac eo tempore viventibus, quo, ut S. Paulus ad Tit. 3. in terris palam *apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei?* Nolo iſtic proferre Apoſtolum Dei nomine omnibus ſervis illius promittentem pacem, quæ omnem ſenſum exuperat; malo exhibere vobis amantiſſimum Dominum noſtrum, qui miſertus miſerorum mundi ſervorum ſub peccatorum ſuorum, affectuumque pondere gementium eos urget, ut tyrannicum excutiant jugum recepturi ſuum, quod, ut ipſe profitetur, eſt leve, & jucundum: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos: jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matth. 11. O Deus! Quam ſuave ſpectaculum erat magnæ feſtivitatis die hunc Salvatorem intueri attollentem vocem, ut ab innumera multitudine hæc amoris pleniſſima exaudirentur verba. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Joan. 7. *Idem.*

Deus efficit ut ſervi ſui lætitia afficiantur inde, ipſa ſupplicia, quibus propter ejus amorem torquentur.

Divina providentia, quæ efficit lumen ex tenebris ſplendeſcere, ac oleum de ſaxis diffluere, ſcit invenire modum, inquit Spiritus ſanctus, efficiendi, ut maris amaritudo in lactis dulcedinem convertatur. *Inundationem maris quaſi lac ſugent.* Deuter. 33. Quid eſt hæc maris inundatio, quidam quærit interpres? niſi amaræ tribulationum aquæ, hoc enim nomine in Scripturis vocantur, & videmus divina fieri bonitate, ut ſervi ſui ibi ſuaviſſimas dapes inveniant. Teſtes illi, qui inter graviſſima ſupplicia ita inebriati erant lætitia, S. Auguſtinus inquit, ut ſui compotes non eſſent, & de ſana mente dejecti viderentur; relinquebant parentes ſuos, filios, conſanguineos, ut ad ſupplicia feſtinarent, domos ſuas, ut in carceris ſqualore ſeſe contumularent: inter flammas, ardentesque prunas veluti pueri in Babylonis fornace leni quodam rore, & aura ſuavi erant recreati, interque rotas & equuleos exquiſitiſſimum convivium nanciſcebantur. Heu? ne hæc agendi, loquendique ratio vobis cieat admirationem, ſanctus hic Doctor inquit, parvula cæleſtium deliciarum gotta illos penitus inebriaverat. Quod ſi Deus tantum voluptatis in tribulationibus, & exercitatione virtutum, quæ naturæ graviores ſunt, collocavit; ſi fecit, ut pœnitentes, & martyres inter cilicia, jejunia, immo inter rotas, equuleoſque gaudium invenirent, ipſi conjicite, quam dulcedinem in corde noſtro producet praxis charitatis, bonorum operum, earumque rerum omnium, quæ eidem ſervituti aggreuiemur? Quid erit, cum per orationem cum eo colloquemur, cum guſtabimus bonæ conſcientiæ pacem, quod eſt juge convivium, & cum interiori perfruemur requie, quam Deus ſervis ſuis in partem eſt elargitus? *Idem.*

Quanta dignitas ſit ſervis Dei.

Qualitas ſervi Dei regnis omnibus, omnibuſque terrarum imperiis eſt præferenda. Reges, aliique principes populis imperant, & ab illis exigunt ſervi-

Digitized by Google

ſervitutem, ſed quomodo glorioſius eſt regi deſervire, quam quod tibi ruſticus aliquis ſerviat, ita glorioſius eſt ſervire regi regum, ac ſupremo cœli, terræque Domino, quam nationibus univerſis imperitare, quemadmodum ſapienter reſpondit S. Agatha Præfecto Siciliæ ex ea quærenti, utrum puderet ipſam generi ſuo ſordes offundere turpi chriſtianæ religionis, quam profitebatur, ſervitute: *Multo præſtantior*, ait illa, *chriſtiana ſervitus, regum opibus, & præſtantia*. P. Duneau *ſermone pro 14. poſt Pentecoſten Dominica*.

Quinam eſſe debeat verus Dei ſervus.

Ad gerendam veri ſervi Dei qualitatem, hoc eſſe oportet animo, & corde, ut rebus in omnibus divini hujus domini gloria noſtris præferatur commoditatibus, ut inquiramus, & amplectamur occaſiones omnes illi placendi prompta, alacrique omnium voluntatum illius executione. Ille vere Dei ſervus eſt, cui nihil eſt antiquius, quam illi deſervire, qui paratus eſt ſubeundæ potius jacturæ vitæ, honoris, bonorumque, quam in iis deficiendo, quæ ad hanc pertinet profeſſionem, qui ſibi gloriæ vertit religionis ſuæ muneribus perfungi, quin mundi irriſionibus, ac dicteriis moveatur, qui libenter gerit domini ſui inſignia, videlicet, ærumnas, humiliationes, terrenarumque rerum omnium contemptum. Ille verus eſt JESU CHRISTI ſervus, qui præſto eſt omnibus Domini ſui imperiis faciendis, qui ſemper attentus eſt vel minimis voluntatis ejus indiciis; qui ſemper paratus eſt ad illum, ubi venerit, excipiendum præ ſe ferens bonorum operum, bonique exempli facem; qui non prima, neque altera, neque tertia noctis vigilia dormitat, expectans Domini ſui adventum, ut illi obvius occurrat. Fidelis Dei ſervus cum ab illo acceperit talenta in quæſtu collocanda, illa neque diſſipat, neque ingeſta humo tumulat, ſed pro viribus auget; utque omnia verbo complectar, verus Dei ſervus animatum eſt inſtrumentum, nullam habens actionem, nullumque motum, niſi quem recipit a Domino ſuo, ad quem refert, quidquid habet, quidquid agit, quidquid eſt. *Idem*.

Illi non ſunt veri ſervi Dei, qui hominum ſervitutem ſervituti Dei præferunt.

Mirum ſane eſt adeſſe homines, qui aliorum hominum ſervitutem ſervituti Dei præferunt; homo imperat, quod vetat Deus, & contra Deum homini obtemperatur; homo vetat, quod jubet Deus, & Deo non adhibetur obedientia. Melius edocti Apoſtoli nequaquam ſeſe ita geſſerunt poſt Domini ſui Aſcenſionem; ſed elata voce evangelium Jeroſolymæ prædicarunt. Cum hoc Principibus Sacerdotum compertum fuit, hoc illis graviſſimis propoſitis pœnis, ac terribilibus minis prohibuerunt; ſed S. Petrus, & S. Joannes illi reſponderunt ea cum libertate, quæ Apoſtolis, veriſque Dei ſervis digna fuit: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate*. Act. 4. *Idem*.

Principum dignitatis intereſt jus habere imperandi magna hominibus, & magna ab illis exigendi; ſed Dei gloriæ intereſt, non ſolum ſervos ſuos non opprimi rerum magnarum, quas jubet, pondere, atque difficultate; verum etiam eaſdem illis amabiles reddere, ita ut in illis adimplendis ipſi quadam voluptate perfundantur. Etenim, ut Caſſiodorus ait, gloria Domini, qui ita magnus eſt, ut Deus, eſt habere ſervos, qui ſibi ſervitutem ſuam gloriæ vertant. P. *Bourdalove in primis ſermonibus, ſermone pro 2. quadrag. Dominica*.

Quid faciendum, obſervandumque eſt, ut ſimus veri ſervi Dei.

Vultis ne ſerio voſmet Deo tradere, ac ſincere eſſe in numero ſervorum ejus, S. Bernardus Serm. 2. in cap. jejunii interrogat? Attendite, quid ametis, quid metuatis, quid vos mœrore, quid afficiat lætitia. Deum unum amate, vel ſi quid aliud præter Deum amatis, hoc propter illum amate. Nihil metuite, niſi de Deo diſpliceatis, vel ſi aliud quidpiam metuitis, hoc propter illum metuite. In Deo uno lætamini, vel ſi aliud quidpiam vos afficit lætitia, hoc putate tamquam allecebram quamdam, qua ipſe utitur, ut ad ſe vos alliciat. Ne doleatis niſi ob jacturam Dei ſeu propter veſtra, ſeu propter fratrum veſtrorum peccata, vel ſi alia quæpiam vos angit jactura, hanc reſpicite tamquam tentationem, qua vos emundare conatur, atque efficere, ut magis intrinſece ipſi adhæreatis. Id facientes nequaquam duobus dominis ſervietis; unum habebitis dominum, cui ſacrificabitis quidquid vobis erit chariſſimum, ſocietates veſtras, amicitias, commoda, cupiditates, ipſas etiam delicias. *Ex morali dictionario 2. ſermone de devotione*.

Ullus ne dominus eſt, qui mereatur ſibi ſerviri, ſicut Deus? Hic ſupremus eſt rerum omnium Dominus; ipſe Deus eſt rerum omnium creator; ſed præterea peculiariter, & per titulum unice illi proprium Dominus, ac Deus noſter eſt. Hoc quot continet obligationes, atque myſteria! *Quid mihi eſt in cœlo & a te quid volui ſuper terram . . . Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*! Regius propheta exclamabat. Et ſane præter Deum nihil noſtrum eſt. Opes, & dignitates noſtræ non ſunt; mors eas citius nobis eripiet. Exiſtimatio noſtra, noſtra non eſt; obtrectatrix lingua non delendam illi offundere poteſt labem. Honor, fama, poteſtas, valetudo, cæteraque bona, quorum populari errore nos dominus arbitramur, noſtra non ſunt. Quid igitur noſtrum eſt? Tu ſolus, o Deus, qui te nobis dare dignaris, tu ſolus, qui jubes nos in te tamquam in ſupremo, unicoque Domino noſtro confidere. Si ille ſolus eſt Dominus, & Deus noſter, uni illi ſerviendum nobis eſt; quomodo enim in illo confidere poſſemus, & dicere noſtrum eſſe, & ad nos pertinere, ſi nos totos illius eſſe detrectaremus? Ille ſe nobis tradit quænam gloria eſt tantum habere Dominum? Noſmet illi tradere debemus; quænam nobis eſſe debet itidem bene ſerviendi obligatio? *Idem in ſermone primo de ſervitute Dei*.

Mundus ingratus eſt dominus male remunerans ſervitutem, quæ ſibi præſtatur.

Miſera ſors illorum, qui mundo ſerviunt, & aliquam mercedem expectant! Dominus habet pauca, ſervus recipit nihil. Mundus eſt pauper; quid conferre poteſt ſervientibus ſibi? Mundus ſæpe ingratus eſt; licet plura haberet bona, quam quæ habet, facile obliviſcitur laborum, quibus torquemur, ut illum nobis propitium præbeamus. Quot ſervi parum contenti! Quot mortales, qui amara, licet inutili, pœnitentia dolent ſuas aſſiduitates, ac triſti recordatione revocant in mentem repulſas turpes, quas paſſi ſunt; hic quidem a viro potenti, in cujus clientela ſe eſſe gloriabatur; ille autem a miſera creatura, quæ poſtquam ejus obligurrit bona, ſervitutem ipſius in jocum traduxit. Longe diverſa eſt pars eorum, quorum ſumma cura eſt ſervire Deo. Vult nomine ſuo illis dici omnia illis proſpere ceſſura, illos perfruituros fructibus, quos ipſorum in præſtanda ſervitute vigilantia illis promeruit. Afflictio, pudor, deſperatio opprimunt animam eorum omnium, qui Deo male ſerviunt; ſed pax, honor, gloria ſunt portio illius, qui, ut huic ſupremo Domino placeat, facit, quodcumque boni facere tenetur. *Idem*.

Potiori jure debemus Deo, id quod ſervi debent dominis ſuis.

Inter diverſa officia, quæ ſervi erga dominos ſuos præſtare debent, duo potiſſimum eminent, honor, & obedientia. Debent honorem dominis ſuis, quia Dei perſonam repræſentant; debent illis obedientiam, quoniam conſtituti ſunt, ut imperent illis. Si autem honor, & reverentia debentur dominis, quia Dei perſonam repræſentant, inferendum eſt longe, ac toto cœlo majorem deberi Deo; & ſi domini eo, quod habent in manu auctoritatem Dei, jure exigunt e ſervis ſuis obedientiam, inferendum quoque eſt, cum hæc ad illos a Deo proficiſcatur auctoritas, hanc illi majus conferre jus exigendi, ut ſibi obtemperetur, atque ſerviatur. Nemo eſt, qui magnum hoc religionis principium, & illationes, quæ inde hauriuntur, non videat: ſed o magnam humani cordis corruptionem! pauci ſeſe duobus hiſce officiis ſubjiciunt, pauci adorant, & colunt Deum eo modo, quo adorandus, & colendus eſt; pauci obediunt Deo, & in ea manent animi ſubmiſſione, qua debent. *Idem*.

Ut aſſumeremus qualitatem ſervorum Dei, eique

illum

illum adhiberemus, quem meretur, honorem, vellem ipſum adorari, eique in ſpiritu, ac veritate ſerviri, quemadmodum ille poſtulat, corde contrito, & humiliato; anima ab omni criminis affectione vacua; intentione recta, & ſimplici ſacrificandi cultui illius, quidquid ſimul eſſe non poteſt cum reverentia, & amore, qui illi debetur. Sed quotuſquiſque Chriſtianus hoc animo eſt? Numquid hoc vos ipſi eſtis? Vuſmet ipſos eacutite; veſtrum teſtimonium appello. *Idem.*

Quomodo ſerviendum ſit Deo

Niſi Deo ex corde ſervierimus, ſerviri etiam ad illius gloriam aliquid conferremus.

Seu Deo ſerviamus, ſeu ab illius ſervitute recedamus, totum creaturæ lucrum eſt, vel detrimentum. Numquid illi ſervire detrectamus? Noverit ille quidem ſe ipſum in juſtitia ſua glorificare, ultionem repoſcens. Illi recto corde ſervitur? Glorificabitur in bonitate ſua, ſed non ideo in ſeipſo vel major erit, vel glorioſior. Quidqoid accidat, S. Auguſtinus ait, gloria certiſſimum Dei bonum eſt, ac dominium, quod alienari non poteſt. Illi æque glorioſum eſt inimicos ſuos miſeros facere criminum eorumdem punitione, ac amicos ſuos æternum facere beatos remuneratione, quam illorum fidelitati concedit. Prima illius voluntas erat, ſibi ſervitutem præſtari, quam præclare fuiſſet remuneraturus; ſecunda voluntas eſt, & ab invitis hanc ſibi præſtari eo modo, qui nonniſi funeſtus eſſe poteſt male ſervientibus. Seo recedas a via, quam ille indigitavit, ſeu ſequaris oppoſitam, ſemper ad illum redibis, & numquam ex manu ejus elabi poteris. Velles temet ſupremo illius imperio ſubtrahere; ſed quam inane hoc facinus eſt, & quanta mala hos conatus ſubſequuntur! *Idem in Conſiderationibus.*

Deus non pendet a nobis neque indiget noſtra ſervitute.

Domini, & ſervi ſibimet invicem ſunt neceſſarii. Quid faceret ſervus pauper ſine bonis domini ſui, a quo percipit alimenta? Sed quid faceret Dominus ſine ope ſervorum ſuorum? Numquid ille agros eacoleret? Ille ne ſolus in morbis, vel adverſis, quæ accidunt, ſibi vel remedia, vel ſolatia, quorum indiget, procuraret? Solus es, Domioe, qui a nemine pendeas; ſolus es Domine ille infinite magnus, ac liberalis, qui large, effuſeque ea omnia bona diſpenſas, quæ creaturæ poſſunt habere; unus es dominus miſericordia, & benevolentia plenus, qui vitæ hujus ærumnis, & calamitatibus nos objicis, ut languens charitas noſtra excitetur, atque ad te confugiamus. *Idem.*

Diſcrimen inter Dei, & mundi ſervitutem.

Ut bene ſerviamus Deo, nobiſmet vim inferre debemus; ſed hæc vis ſuavis eſt illis, qui ei bene ſerviunt. Hic dominus eſt auctoritatis ſuæ aelotes; ſed ſimul indulgens eſt, ac ſciens temperare ſeveritatem. Servitus noſtra, ſi fideliter noſtro perfungamur officio, noſtram fidem alit, confirmat ſpem, excitat, & auget charitatem. Hoc ipſum dicere non licet de catenis, quibus mundo adnectimur; pondus earum eſt reale, dulcedo vero imaginaria. Nil certius dolore, quem afferunt, nil incertius voluptate, quam pollicentur. Nil durius pœna, qua illas perferimus, nil verius malo, quod in illis ſubimus; nil fallacius felicitate, quam ibi ſperamus. Hæ tamen ſunt catenæ, quibus oneramus, cum ad honores, ſæculique bona contendimus. *Idem.*

Vera voluptas nonniſi in virtute, ac ſervitute Dei reperitur.

Voluptuoſe! quam longe tua te fefellit opinio credentem, voluptatem in criminibus inveniri! hæc tam longe inde abeſt, quam tu a vitæ felicitate. Tecum tuam trahis infelicitatem, quocumque pergas, & quodcumqua facias, temet ne uno quidem momento conſcientiæ tuæ potes ſurripere. Inſtrue, ſi lubet, menſam tuam exquiſitiſſimis dapibus; ingurgita temet ipſum voluptatibus omnibus, quas excogitare poteſt impudicitia, nihil invenies, quod tibi ſatisfaciat; & quodcumque coneris, ſemper eris infelix, & quocumque tuum geres dolorem, &, ut S. Auguſtinus loquitur, quocumque verſum te vertas, ſimilis ægrotanti, ut requiem carpas, nullibi hanc niſi in Dei ſervitute, virtutiſque exercitatione reperies. Cum Deus fecerit humanum cor ſibi ſoli, ipſe unus illud explere valet, & efficere, ut verum gaudium, ſolidamque voluptatem percipias. *Auctor Anonymus.*

Commentitiæ difficultates in ſervitute Dei.

Qui ſibi fingunt Domini jugum grave, & non ferendum, vel arbitrantur ſe numquam ſuperaturos difficultates, quæ in Dei ſervitio occurrunt, ſimiles ſunt exploratoribus, qui ad promiſſam terram videndam miſſi fuerunt; quippe reverſi coram univerſo populo, ſe profecto regionem omnium uberrimam vidiſſe narraverunt, ſed ſimul inveniſſe urbes, quarum propugnacula ad cœlum uſque aſſurgebant, & quarum cives immanis erant magnitudinis, ita ut temeritas eſſet conſilium inire potiundi regione illa, eamque armis ſubigendi. Hæc eorum figura eſt, qui ut animas a Dei amoveant ſervitute, eaſque ad vitam mollem ducendam juxta mundi placita impellant, omnia illis ob oculos exhibent difficilia, & non ferenda; graviſſimas tentationes, quæ ſuperandæ ſont, horribiles mortificationes, atque ea quæ vel leviſſima ſunt, tamquam totidem monſtra, aut invios montes repræſentant, eo quod ipſorum imaginatio perhorruit externas quaſdam auſteritates, quæ illos deterruerunt. *Alius Auctor Anonymus.*

S. Auguſtini, & Cypriani teſtimonia de ſuavitate quæ in Dei ſervitute guſtatur.

O Domine! S. Auguſtinus id expertus exclamabat: quis dicere poſſet, qua oblectatione perfuſus ſum mihi impuras ſenſuum voluptates interdicens, & quomodo ejus rei, quæ mihi incredibilis videbatur, ſenſi veritatem! etenim ex corde meo omnes inanes mundi nugas abjiciens, in earum locum ingrediebaris tu millies ſuavior omnibus mundi ſuavitatibus; atque tunc experientia didici, cum tibi placeat dulcedinis tuæ guſtum animabus noſtris infundere, te vel amaras, vel inſipidas reddere omnes ſenſuum voluptates. Ita etiam S. Cyprianus glorioſus martyr de ſe ipſo teſtatus eſt ſcribens ad Donatum, atque confitens errorem, quo credebat, hominem negotiis, ſodalitatibus, ſolatiis, cæteriſque rebus omnibus, quæ inſignem comitari ſolent fortunam, implicitum numquam amplecti poſſe oppoſitum vivendi genus, atque ſuturum, ut omnia præteritæ vitæ flagitia catervatim ſeſe offerrent expetitura, ut alerentur. Sed o Deus, hic ſanctus addit, ſimul ac per ſecundam nativitatem factus ſum homo novus, lumine ſuperno in mentem, & cor meum ingrediente, facilitatem ibi nactus ſum, ubi omnia mihi difficilia, & ardua videbantur. Hi ſancti ſunt, qui teſtimonium perhibent gratiæ, & ſancti, qui inſignes fuerant peccatores. Gratia deinceps nequaquam mutavit naturam. Nonne hæc ipſa hodierna adhuc die a mundo revellit tot juvenes, eoſque jubet ſequi Salvatorem, atque jugo illius onuſtos, crucemque geſtantes ſeſe illius cultui devovere, vel illos in mundo vivere permittit, ut omnes ejuſdem perferant perſecutiones? Tantum gaudii, æqualitatis, conſtantiæ in earum rerum privatione, quæ in mundo ſuaviſſima ſunt, nonne palam, & gratiæ Salvatoris vim probat, & noſtram damnat improbitatem? Sed tantæ dulcedinis faſtidium nonne in nobis miram oſtendit intemperiem? *P. Dozenne libro de divinitate J. C.*

Bone Deus! ſiccine tibi ſervitur; vel ſiccine ſervitur mundo? Homo ſceleris tantum amore ducitur? Et arbitratur, ſe de gradu detrudi, ſi tibi famuletur? Cor illius adeo magnum, atque inter cupiditates magnanimum, abjectum eſt in pietate. Si mundo ſervit, nihil ipſi videtur arduum; ac ea etiam conatur, quæ impoſſibilia videntur; ſeſe devovet, ardet, ad pedes idolorum ſuorum conficitur; coram te vero, Domine, deficit; illum ſua virtus deſtituit totus, illius ignis extinguitur, ac videtur ad oſtendendam omnem illius imbecillitatem ſatis eſſe, ut te amare, tibique ſervire teneatur. *Abbas Mongin, qui Academiæ Gallicæ pretium retulit.*

Quæ in mundi ſervitute ferenda ſunt, gra

Quid non patiuntur, qui in viis peccatorum ambulant? Quo labore torquetur aulicus ad promerendam gratiam, quæ illi ſæpe negatur? Quot illi contemptus perferendi ſunt? Quæ indigna illi

ſuſti-

...non ſunt tu.., qua in Dei ſervitute ſuſtinenda.

ſuſtinenda? Quantum illi obſequendum? Qua nii debet aſſiduitate ſæpe etiam illis moleſta, in quorum gratiam adhibetur? Sed viam adeo difficilem ingredienti quænam eſt remuneratio? labores fera ſemper inutiles ſunt, & ſi quando aliquam pariunt gratiam, tempus, quo eadem ille perfruitur, ita breve eſt, ut cum S. Auguſtino gratia ſterilis poſſit nuncupari. Quænam ſunt negotioſi hominis curæ, familiam ſuam opibus augere quærentis? Quo labore conficitur, antequam votorum ſummam conſequatur? Et cum poſt infinitos labores tandem opes aliquas congeſſit, adverſa fortuna, quam ſæpe permittit Deus in pœnam injuſtitiæ, qua bona illa parta fuere, oſtendit illi, quam parum fidendum ſit fortunæ, quæ peritura dumtaxat bona concedere poteſt. Homo ſtudiis addictus beatior ne eſt, cum gloriæ cupiditate actus inter eruditos niteſcere quærit? Noctes dieſqua inſomnes chartis invigilat; at quænam eſt tot laborum, atque vigiliarum merces? Exilis voluptas doctorum aliquot virorum laudem ſibi comparandi, quæ etiam per invidiam ſæpe illi negatur. Quæ pericula militi ſubeunda non ſunt? &c. Inferamus ergo vias omnes, quas nobis aperit ſæculum, vias eſſe difficiles; & licet illic inveniremus bonum, quod quærimus, omnes iſti fallaces fulgores ſpecioſæ felicitatis non prohiberent, quominus irriti eſſent labores noſtri, quia Deus eorum principium non eſt. Verum ſi vias ſæculi reliquerimus Jeſu Chriſti vias ſecuturi, eique ſerviturí, has non ſolum faciliores, verum etiam tutiores inveniemus, & felici experientia docebimus, multo majori opus eſſe labore, ut damnemur, quam ut ſalvemur. Ita eſt; hoc de veritatis cathedra audeo affirmare. Avarus multo difficilius opes congerit, quam ab illis animo alieno vivat; ſuperbus multo majori cum labore aucupatur honores, quam exerceat humilitatem, atque ſuo gradu contentus ſit: & ut verbo me expediam, toto cœlo difficilius eſt ſervire mundo, quam Deo. *P. de la Rue in ſermonibus, qui illi referuntur accepti.*

Dulceſo... quæ in Dei ſervitute guſtatur.

Veſtra vos fallit ſententia, cum arbitramini omnes rigores a virtute, ac Dei ſervitute proficiſci; a vobiſmet ipſis proveniunt; non inſimulandus eſt amaritudinis nomine calix Jeſu Chriſti, S. Auguſtinus inquit, eum guſtus veſter depravatus ſit. Ægro peccatori omnia amara, atque moleſta videntur; redde cordi tuo guſtum, quod culpa tua abſtulit, & guſtabis, quam ſuavis eſt Dominus; mundum odio perſequere, & ſenties quam primum, quam dulcis, & jucundus eſt Deus. Vide, utrum animæ juſtæ in via ſalutis, ac Dei ſervitute illud ipſum inveniant faſtidium, quod tu; interroga illas, utrum earum, an tua conditio ſit dignior invidia, ac reſpondebunt ſe nequaquam permutaturas eſſe dolores ſuos cum omnibus mundi gaudiis, paupertatem cum opibus, humiliationes cum inani ſæculi gloria: reſpondebunt beatiores dies eos eſſe, quos cum Domino traducunt, ſe in virtute, ac receſſu ſexcentis perfundi deliciis, dum hoc tibi non ferendum jugum videtur; ſe in ſervitute Dei ſexcentis conſolationibus perfrui, dum tibi nihil niſi mœrorem, triſtitiamque nanciſceris. *Pater Maſſillon.*

Terrenæ voluptates nihil habent amabile præter primas impreſſiones; ſi ulterius procedas, fel tantum, & amaritudinem guſtas; ſed virtus hujuſmodi non eſt. Hæc eſt manna abſcondita, cujus ut ſancta, amabiliſque dulcedo guſtetur, alnius conſideranda eſt. Ita prout longius procedi in hac via, quæ in ſpeciem moleſta videtur, eo uberiores conſolationes, & delicias nanciſceris; ſed cum via a mundo ad receſſum, a ſcelere ad virtutem migraveris, neque fidelis in Dei ſervitute diutius permanſiſti, non guſtas amplius inhærentes illi conſolationes, quibus juſtus perfunditur. *Idem.*

Servis Dei non deeſt unde repetant dulcedines quæ in ſervitute ejus perferunt.

Juſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda, inquit regius Propheta. Ne putetis pœnitentiæ lacrymas ſemper eſſe amaras; juſtus, qui patitur, ac ſibi vim infert, ſexcentas ſemper ſecretas invenit in Dei ſervitute compenſationes. Luctus ejus vertitur in gaudium, triſtitia in voluptatem. In juſto extrinſecus nihil niſi ſpinas vides, ſed non vides Dei gratiam, quæ intus illum dulcedine cumulat. Non vides niſi amaritudinem, ac vim, quam ſibi infert in mundi, & voluptatum fuga; ſed non vides ſecretas conſolationes, quæ juſto non ferendum exhibent mundi commercium, ex quo eas guſtavit voluptates, quæ in Dei ſervitute inveniuntur. *Idem.*

Dei ſervitus duplicem habet faciem, eamque longe diverſam; alteram quidem horridam, triſtem, hirtamque, alteram vero ſuavem, amabilem, ridentem; altera ea parte graves offert ſarcinas geſtandas, altera vero ſanctam lætitiam, pacem duraturam, opes affluentes, ſecretaſque delicias, quas humanum cor numquam guſtavit. Aſſerere igitur Dei ſervitutem ſuas non habere delicias, ſuaque ſolatia; arbitrari in juſtitiæ praxi nullam inveniri tranquillitatem, requiem, malaciam; ac tandem credere calicem filii Dei ita amarum eſſe, ut nullam contineat dulcedinem, hoc non eſt agnoſcere pretium abſconditæ mannæ iſtius, qua Dominus eos paſcit, qui ſibi deſerviunt. *Idem.*

Pœnæ, quæ in mundi ſervitute perferuntur, majores ſunt, quam in ſervitute Dei, & labores minus nobiles.

Numquid peccator ſemper in voluptatibus, & gaudiis innatat? Nonne & ipſe ſuas habet ſollicitudines, curas, mœrores? Nonne ſæpe videtur pallidus, triſtis, inquietus, ad principum excubare valvas, & ſordidum lucrum conſectari! Malum pro malo; ſollicitudinem pro ſollicitudine; nonne præſtat illam aſſumere, quæ ſanctificata eſt, ſuamque remunerationem habebit, quam quæ laborem parit ſine conſolatione, & ſine fructu? Mundi occupationes numquid nobiliores ſunt, atque præſtantiores iis, quibus Dei ſervi occupantur? Conſectamur fugientem dignitatem, quin recipiamus Deum nos perquirentem. Quid ut pluſimum in mundo fit? In dubium revocantur contractus, de agrorum jure diſceptatur, lis intentatur, atque producitur, quæ familiis requiem auſert, & illas evertit. Dignitates appetuntur, quæ ubi obtentæ fuerint, rurſus ambiuntur aliæ; vita ipſa ſacrificatur, hoc eſt, quidquid pretioſiſſimum eſt pro aliena contentione, vel pro contumelia, quæ falſo putatur illata: mulier meliorem diei partem inſumit inter calamiſtros, & ſpecula, ulteram vero in inanibus viſitationibus perdit. Hæc ſunt mundanorum negotia. Quamvis omnia eſſent alioquin æqualia, quis dicere auderet, ea æque nobilia, eximia eſſe, ac ea, quibus vacat anima Deo ſerviens, muneribus ſuis perfungens, & chriſtianas virtutes exercens? *Auctor Anonymus.*

Hæc eſt imago voluptatum mundi: omnia, ut ad illas pervenias, moleſta ſunt, amara, difficilia; ubi vero poſſideatur, ſtatim creant nauſeam, atque faſtidium. Denique omnia multis laboribus ſtant, & nemo conqueritur; cupiditas ex cupiditate oritur, ſi huic ſatisfacis deſiderio, alteri ſtatim ſatisfacere cupis; voluptas in voluptatem trahit, atque experientia tua te docet, ſtatim ac id aſſecutus es, quod optabas, alia recenter optare. Licet difficultates, quæ in virtute occurrunt, reales eſſent, ac veræ, numquid ideo te a Dei ſervitute diſpenſare deberes? Si in hac nihil eſſet perferendum, quo jure eam expetere poſſemus remunerationem, quam ille ſequentibus ſe pollicetur? .... Licet enim multis tibi laboribus ſtaret ſervire Deo, numquid faceres aliquid ultra id, quod illi debes? Nihilne cœlum meretur? Mundus ſolus meretur, ut omnia propter ipſum fiant? Nullis tibi laboribus ſtetit temet mundi placitis conformare? Eheu! ſcis omnia bona tua, voluptates, honores ſtetiſſe tibi pluribus malis, doloribus, confuſione, quam quæ in Dei ſervitute fuiſſes perpeſſus. Nunc cum fatigatus ſis in viis ejus, cumque fallaces ejus illecebras faſtidias, necnon per te ipſum illius amaritudinem cognoveris, videri ne poteſt difficile tibi illum pro Deo relinquere? *P. Maſſillon.*

Quam ſuavis ſit Dei ſervitus.

Conſideremus, quam ſuavis ſit Domini ſervitus. Hanc ferre, eſt velle bonum, evitare malum, fratres diligere, neminem odiſſe, æterna

acqui-

acquirere bona, præſentibus, ac temporalibus non capi. Jugum hoc nequaquam grave eſt cervicibus ſubeuntium illud, ſed ſolatium eſt. E contra vero videmus, quam moleſtum ſit, ac durum mundi jugum. Ferre hoc, eſt peritura conſectari bona, adhærere iis, quæ nobis blandiuntur, certam ſibi facere velle poſſeſſionem bonorum, quæ nullam habent ſtabilitatem, cupere ſemper fluxa, ac pereuntia bona, & cum illis perire nolle. Videmus quanta ſuavitate charitas nos ad veram adducat felicitatem, dum interim cupiditas per arduas, difficileſque vias ad malum inevitabile nos trahit. Videmus denique quot periculis amatores ſæculi viam ſibi ſternant ad periculum longe terribilius. Mundi jugum eſt intolerabile; jugum Jeſu Chriſti ſuave eſt, & leve. Jugum Jeſu Chriſti nos reficit: mundi jugum nos opprimit. *Ex homilia Clementis XI.*

Mundus infidelis eſt in remuneranda ſervitute; ſed fidelis eſt Deus.

Mundi ſervus innixus teſtimonio, quod ille ſanctorum ſuorum perhibet ſibi, gemens, & lacrymans dicere identidem poteſt. Scio, me, quod ad mundum attinet, munere meo perfunctum eſſe; at non ideo ſcio, utrum mundus hoc mihi merito accenſebit: neſcio, utrum ſervitutem meam remunerabitur; immo utrum ſervitus mea illi accepta fuerit, neſcio. Quod attinet ad mundi remunerationem, ſine præſumptionis ſuſpicione dicere poteſt; de me ipſo certus ſum, non autem de illis, qui ſunt gratiarum domini, atque diſtributores; immo utrum inter eos æqui dentur ulli, neſcio. Nimis ſcio, ſimulque neſcio, quinam ſit hic mundus, cui miſere adhæſi, & in quo pertinaciter confidi: ſed propterea poſtquam diu eidem ſervivi, non ſum adhuc certus; funeſta quippe me docuit experientia, cum mundus talis ſit, qualis eſt, me in eo confidere nec potuiſſe, nec debuiſſe. Et profecto ſi huic uni inſiſtamus principio, quot in mundo merita evaneſcunt? quot ignorantur, quot oblivioni tradontur, quot tempore obliterantur, quot malis officiis delentur, quot numero, & multitudine ſuffocantur? Nullum oratio finem inveniret, ſi hanc inductionem perſequi vellem. Sed cum Deo nihil tale nobis eſt metuendum; cujuſcumque naturæ ſint ea, quæ propter ipſum facimus, illa cognoſcit, diſtinguit, diſcernit, appendit in ſtatera ſanctuarii, memoriam ſervat, ac certi eſſe debemus, fore ut aliquando cumulatiſſimam remunerationem percipiamus. *Auctor recentior.*

Pro mundo labores noſtri ut plurimum ſunt irriti, cum tamen pro Deo habiti ſint.

Quid quotidie non facimus in mundo, ut ibi eas obtineamus gratias, quas jure veluti ſuo mundus charo vendit pretio? gratias ardenter cupitas, & impatienter expectatas, quæ ubi tandem poſſidentur, cognoſcuntur non mereri labores, quibus redemptæ fuerunt. Qui labores non perferuntur, ut in mundo ad eos provehamur gradus, ubi nobiſmet ingentia adeſſe fingimus bona, ſed quæ tunc faſtidire incipimus, cum ad illorum acquiſitionem pervenimus? Quæ non ſubeuntur pericula? Et quin vitæ ipſius ratio habeatur, quid non adducitur in diſcrimen, ad eam in mundo comparandam gloriam, quæ merum eſt phantaſma, & qua diu non fruimur, quin illius vanitatem, & nihilum intelligamus? Quibus angimur curis, & ſollicitudinibus, ut apud mundi principes favoris gradum aſſequamur, qui ſæpe ad nihilum adducit, & pro quo ſæpe requies, & libertas ſacrificatur! Quot mundi ſectatoribus in Chriſtianiſmo jure dici poſſet, quod per Prophetam Iſraelitis dicebat Deus ad oculos eorum ponens funeſtos exitus infidelitatis, qua eidem ſerviebant: *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum*: Aggæi 1. hoc eſt, volmet excruciaſtis, quam magnos conatus exeruiſtis, volmet ad abjectiſſima quæque demiſiſtis, & hæc omnia in inanem, miſeramque fortunam deſiere, quæ expectationi veſtræ non reſpondit, & quæ longe minor fuit intentione veſtra, quoniam pro mundo laborantes, ac eidem inſerviendo devoti ſeminaſtis in ingrato ſolo, ex quo nihil vobis expectandum fuit, & quod nonniſi modicum fructum vobis relaturum eſt: *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum.* At in Dei ſervitute longe aliter accidit, &c. *Idem.*

Deus cum ſervis ſuis longe aliter agit, ac mundus cum ſuis.

Quam diverſa eſt, Domine, agendi ratio tua ab ea, quam ſequitur mundus. Mundus malum ſub boni ſpecie celat; tu autem bonum abſcondis ſub ſpecie mali. Mundus opes dumtaxat loquitur, honores, voluptates; ſed in illius opibus vera adeſt paupertas, in voluptatibus vera amaritudo, in honoribus vera demiſſio. Tu vero e contra paupertatem, amaritudinem, atque triſtitiam promittis, ſimulque ſub hac paupertate æternas opes, ſub hac amaritudine cœli voluptates, verumque honorem, qualis eſt ſanctorum, abſcondis ſub hominis humilitate non alium habentis titulum, quam ſervi mundi totius. *Auctor Anonymus.*

Jugum, & ſervitus Dei, eſt ſuavior mundi ſervitute.

Vos ipſi noſtis, Auditores, & melius, quam ego, poteſtis aſſerere, utrum in mundo ſine magnis conatibus aliquid obtineatur. Vos ipſi noſtis, quos ſæpe fallax ſpes jampridem fortaſſe ſervire juſſit domino imperioſo, moroſo, inconſtanti, a quo jam tot paſſi eſtis repulſas, & cujus adhuc libidinem toleratis. Vos ipſi noſtis, quos ambitio, & fortuna tot objicit pelagi tempeſtatibus, tot militiæ periculis, tot reipublicæ curis, vel tot fori contentionibus. Ulloſne in terris ſtatus eſt, ulla domus, ulla familia, ulluſne, fere dicam, vir, qui ſine gravi, aſſiduoque labore votorum ſummam conſequatur? Quot ſunt ineunda conſilia! Quot caſus, & jacturæ reparandæ? Quot lites, atque contentiones inſurgunt? Quot inimici, & competitores ſuperandi? Quot curæ neceſſario ſunt habendæ? qua perſeverantia, qua patientia opus eſt? Hoc generale effatum eſt, nihil acquiri poſſe, nec alicujus rei acquiſitionem ſervari ſine ſummo labore, & difficultate,... In virtutis praxi, & ſervitute Dei aliquidne eſt adeo moleſtum, difficile, laborioſum? Fateor equidem, magna adverſus ſenſus prælia eſſe ineunda; bellum eſſe non ita facile abſolvendum illud, quod caro adverſus ſpiritum gerit; religionem, atque pietatem illa exigere officia, quæ ſine difficultate, ac labore adimpleri non poſſunt; nonnumquam iis rebus, quas horret animus, noſmet ſubjicere opus eſſe, nobiſque interdicere illa, quæ ſtudiis noſtris ſunt magis conformia. Verum nullone in diſcrimine habetur unctio gratiæ, qua jugum fit ſuave, & onus leve, & propter quam in iis etiam laboribus, qui minus videntur ferendi, delicias, & voluptatem naociſcimur! Nonne hæc ea ſunt, quæ quotidie ab illis dici audimus, qui pietati maxime contrarii videbantur, & qui illius horridam ſibi proponebant imaginem? Ex quo tetigit illos Deus, atque ſecuti ſunt vocem Dei ipſos ad ſibi ſerviendum evocantis, ſtatim ſervitutis hujus dulcedinem guſtarunt, atque obſtupuerunt inanes imaginationes, atque truculentas chimæras, quas ipſi ſibi efformaverant: *Quam ſuave mihi ſubito factum eſt carere ſuavitatibus! Et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat*, ait Auguſtinus. Numquam crediſſem; ſed quanta repente voluptate perfuſus ſui omnes mihi voluptates interdicens! Et videmus, prout Deus ſeſe in hominum cor inſinuat, mundum, & ejus omnes, quibus detinebantur, omnem apud illos ſuavitatem amittere. *Pater Giroaſt ſermone de ſuavitate ſervitutis Dei.*

Quo magis in Dei ſervitute progredimur, eo magis illius ſuavitatem guſtamus.

Quo magis in Dei ſervitute, atque ſanctitate progredimur, eo magis illius ſuavitatem guſtamus, eo magis noſtrummet ipſorum compotes evadimus, ac nos in tranquillitate confirmamus. Modo hæ ſunt emanationes gratiæ, quæ ſupervenit vel tamquam placidum ros, quod ſuaviter penetrat, vel tamquam imber copioſus, qui magnis ſeſe fluctibus effundit, & mundat. Tribuit Deus ſpiritui quædam lumina, quæ omnes diſſipant nubes, & afferunt ſerenitatem. In cordibus eorum ciet quoſdam motus, qui illos alliciunt, & rapiunt. Neque id perpetuo, ſingulisque momentis; ſed non

ſecos

ſecus ac ſerena dies efficit, ut plurium, quæ nubilæ prætererierunt, ne meminerimus quidem, ita unicum harum interiorum oblectationum momentum plures hebdomadas, integroſque menſes ſuſtinet animam... Nequicquam hæc omnia a mundo inter chimæras rejiciuntur, hæc vera ſunt oblectamenta ... O quam ſuavis eſt, Domine, ſpiritus tuus! Quam bonus es Deus Iſrael, tu me dulcedine replevisti, & ego ſancta cum hilaritate viam mandatorum tuorum cucurri. Ita Rex propheta loquebatur. *Idem.*

Pauci omnium, qui mundo ſerviunt, contenti ſunt.

Verum quidem eſt in mundo videri mortales florenti fortuna gaudentes, & ultra meritorum ſuorum menſuram bonis cumulatos; verum ideone contenti videntur? Eſto quidem, opibus, & honoribus diffluant, ac mundus ſemet exhauſiſſe videatur, ut eos ad felicitatem numeris omnibus abſolutam attolleret. Interim autem contentum eſt cor eorum? Aliquidne ultra deſiderant? Beatos ſe putant? Et in ipſa proſperitate, ac felicitatis ſpecie re ipſa ſuam requiem inveniunt? An e contra, ut S. Chryſoſtomus inquit, infrequentius, ac difficilius in hujuſmodi ſtatu illa invenitur? Nonne in magnis fortunis magnæ adſunt ſollicitudines, & moleſtiæ? Quis autem enumerando aſſequi valeat eorum multitudinem, qui illas adepti ſunt, ut eſſent calamitoſiores, utque ut apertius ſuam ſentirent infelicitatem? Attamen nihil reliquum fecerat mundus, ut eorum expleret ambitionem, eoſque favoribus ſuis cumularet; verum ſimul his favoribus aliqua ſemper amaritudinis ſemina immiſcuerat, quæ inde ſeparari non poterant, & quæ quamprimum doloris fructus erant paritura. Mundus illos potentes, & opulentos efficiens, illis contulerat quæcumque potuerat; ſed illis non potuerat tribuere hanc ſaturitatem, hanc pacem cordis, ſine qua neque opulentia, neque potentia efficere poterant, ne ſtatus eorum eſſet gravis, atque moleſtus. Quantumvis beati videbantur, quot res deerant illis, ut eſſent beati? At enim illis ſibimet dumtaxat ſuccenſendum fuiſſe inquies, quia ideo erant miſeri, quod erant inſatiabiles. Reſpondeo enim, cur adhuc erant inſatiabiles, niſi quod, S. Chryſoſtomus inquit, comperta, conſtans, æternaque veritas eſt, cor humanum non poſſe umquam mundi favoribus ſaturari? *Idem.*

Veracex gaudium animæ, quæ ſe totam Deo tradidit.

Quoties; Domine, accidit mihi, ut affluenter guſtarem cœleſtes conſolationes, quarum ipſe fons es, & quæ in anteceſſum nobis in terra præbent paradiſum. Quoties tui repletus reliqua contempſi, ac mundum nullo in pretio habendum cenſui? Prohibebas a corde meo inanes voluptates, quarum deſiderio ne cor ipſum teneretur, tu in earum locum ſubibas, ut de ſe ipſo ait S. Auguſtinus l. 11. Conf. c. 2. *Et intrabas pro eis.* Et jam, Domine, harum voluptatum privatio mihi jucundior erat, quam vel fuerat, vel eſſe potuerat earum poſſeſſio. Quod ſi in hoc exilii loco, ubi te nonniſi per obſcurum fidei velum intueri poſſum, jam reples cor meum, quid tandem erit in beata patria, ubi te facie ad faciem intuebor? *Quid erit in patria, ſi tanta eſt copia delectationis in via.* Si propter emiſſam a me profeſſionem cum mundum reliqui, ut tibi inſerviendo me devoverem, jam in paupertate tua adeo locuples ſum, quid erit, & quaſnam ſperare poſſum divitias in domo tua? *Qualem me facturus es de divitiis tuis, quem divitem jam facis de paupertate tua?* Idem.

Falſas ideas quam nobiſmet de ſervitute Dei effingimus.

Nihil eſt, in quo nobiſmet fingamus magis falſas ideas, quam in pietate, ac ſervitute Dei. Credimus omnia relinquenda eſſe, ex quo conſilium inimus ſerviendi Deo; putamus in intimos ſolitudinis receſſus confugiendum eſſe, atque ibi ducendum vitæ genus prorſus latentis, & ignotæ. Non deſunt animæ, quas Deus ad hunc perfectionis evocat gradum; & hæ ſunt peculiares vocationes, quas, ubi immittit, novit ille ſuavitatibus ſuis mulcere, & condire. Verum non ſemper hoc illud eſt, quod a vobis petimus, cum apud vos de ſervitute Dei verba facimus. Prohibetne evangelium, quominus bonis veſtris ſervandis invigiletis, & laboribus etiam exerceamini, ut per fas moderata cura illa augeatis? Prohibet ne evangelium, quominus familiæ veſtræ conſulatis, filios veſtros in aliquo gradu collocetis, ex agris fructum percipiatis, dignitatemque veſtram cum honore, & ſecundum juſtitiæ regulas tueamini? Prohibet ne evangelium, quominus ultro citroque mutuis urbanæ vitæ ceteris officiis, parentibus feratis opem, amicorum conſuetudine perfruamini, colloquamini, converſemini, dummodo illud temporis ſpatium impendatis, quod poteſt impendi? Numquid evangelium vitio vobis vertit honeſtam animi recreationem? Deus nil horum jubet; at ſolum auferri jubet excesſum. *Idem ſermone hujus argumenti.*

Vera voluptas ſoluno Deo invenitur.

Bona, honores, voluptates, omnia nos alliciunt; Deus unus pro nobis nullas habet illecebras. Attamen ullane vera præterquam in Deo inveniri voluptas poteſt? Tu nos pro te feciſti, S. Auguſtinus ajebat; & turbatum, inquietumque ſemper erit cor noſtrum, donec requieſcat in te. Non ne hoc millies experti ſumus in iis, quæ perdite concupivimus? Numquid contenti ſumus, ubi illa ſumus aſſecuti? Nonne ſæpe ſatis eſt illa guſtaſſe, ut eorumdem tædio afficeremur, eaque contemneremus? Nequicquam noſmet excæcamus, ut minori cum metu deerremus; hoc ipſum tædium, interior hæc inquietudo ſecreta vox eſt, qua admonemur nos nequaquam pro creaturis factos fuiſſe; in illis nihil eſſe niſi vanitatem, & afflictionem ſpiritus, & nos propter Deum tantummodo factos fuiſſe. *P. Croiſet in receſſibus.*

Modus ſeſe devovendi ſervituti Dei.

Jam actum eſt, Domine, cor meum non partior; me pro te uno feciſti, ut impoſterum totus ero tuus: *Dixi nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ excelſi* Pſal. 76. Miſericordiæ tuæ acceptam referre debeo mutationem hanc; ſero, fateor equidem, tibi inſervire incipio; verum eorum non reſpuis ſervitutem, qui undecima tandem hora venerunt. Spero non ſine gratiæ tuæ ope futurum, ut fervor, ac fidelitas mea partem aliquam reparet præteritarum infidelitatum mearum, & quocumque in loco, vel tempore moriar, hoc mihi ſaltem ſolatii futurum ſit, quod aliquando tibi ſervire cœperim. *Idem.*

Facilitas qua Deo ſervitur.

Bonitas actionis pro Dei ſervitute ſuſceptæ, ſi in ſe mer ſumatur, eam facilem reddit. Hujus veritatis probatio in noſtris cordibus eſt. Quos ſtimulos, quos tumultus cor noſtrum non ſentit, cum actionis alicujus injuſtitia perſpecta menti noſtræ effulget, & mox cor noſtrum turbat? Gratia, ratio, omnia pugnant contra peccatores. Ratio quidem criminis turpitudinem oſtendit, facti nequitiam ob oculos ſtatuit, & mala, quæ crimen conſequuntur, repræſentat; gratia vero, judicia, & ultiones Dei. Quænam eſt illi turbarum, & agitationum cauſa? Sed e contra ubi actio bona eſt, & cum virtute conjuncta, cor, neſcio qua voluptate, fertur in illam. Nulli ſunt interni tumultus, nulli timores, ſtimuli nulli. Vos ipſi judicium ferte, Auditores, ex illis pietatis intervallis, quæ ſubinde experimini. Nonne verum eſt, tunc temporis nullo vobis ſtare pretio virtutem? Actionum veſtrarum rectitudo vobis fuit cauſa conſolationis, quæ in vobis voluptatis locum habebat. *P. Catrou, in MS. ſermone.*

Ut ſimus veri ſervi Dei mundum odiſſe debemus.

Duo ſunt domini in terris, qui ſimul decertare videntur, utri homo ſit ſerviturus; Deus ſcilicet, & mundi princeps. Alterutrius ſervitus neceſſario ſubeunda eſt; etenim omnino fieri nequit, ut vel neutri, vel utrique ſimul ſerviatur. Interim vero quomodo ſe erga duos hoſce dominos gerunt Chriſtiani? Audiamus Dei filium Matth. 6. *Unum odio habebit*; videlicet dæmonem, quem Deus ipſe mundi principem vocat: quamobrem ex Salvatoris teſtimonio videmus, Deum pro Domino accipiendum eſſe, & amandum, eique ſerviendum; & ut illum a nobis ſincere amari oſtendamus, nobis illius ſervituti eſſe adhærendum. Ita viderene vis, utrum vere Chriſtianus

ſis,

ſis, & ſervus Dei? Scrutare cordis tui latebras, & vide, utrum diligas illum; quem ſi diligis, proculdubio odio habebis mundum, qui illius eſt inimicus, qui enim aliquem amat, amat amantes illum, & odit omnes illum odio perſequentes. Ecce quid plurimos fallat; putant enim ſe vere ſervire Deo, cum pleni non ſunt amore mundi, vel cum ſeſe tantum ab aliquo expediunt commercio, quod cum illo habebatur, & palam erat nefarium. Hic error eſt, ſi fides evangelio. Non ſolum mundus amandus non eſt, ſed fugiendus, ſed ſpernendus, ſed odio habendus: *Unum odio habebit, & alterum diliget*. Hoc ipſum innuit regius Propheta: Si diligitis Dominum, odite malum, odite auctorem mali, principem mundi, qui illius eſt inimicus. *Liber qui inſcribitur; Chriſtiana inſtructio pro 14. poſt Pentec. Dom.*

Deo ſervire principium eſt.

Præcipua, & præſtantiſſima veſtrarum qualitatum hæc eſt eſſe, ut olim David, ſervos Dei; qualitas inſignis, quæ jugiter vobis ob oculos verſari debet, ut ſciatis, utrum iis reſpondeatis officiis, quibus propter illam perfungi debetis. Qualitas, quam ſolam, uti Jonas, debetis ferre pro muneris veſtri argumento, pro anima actionum veſtrarum, pro veſtrarum operationum, & vitæ norma. Cum propheta hic navim reperiſſet Tharſum verſus ſolventem, in eam cum aliis pluribus conſcendit. Navarchus, qui illum ignorabat, ex eo quæſivit; quid agis? cujas es? quo vadis? *Servus Dei ego ſum*, reſpondit Jonas, *& Deum cœli ego colo*. Admirabile reſponſum, & magno propheta dignum, etenim hoc idem eſt, ac ſi diceret; tota profeſſio mea, totum munus meum, omnes qualitates meæ in hoc ſitæ ſunt. Ubicumque ſim, Deum invenio, & illi ſervio. Quocumque pergam, ibi Deus meus eſt; & in id unum incumbo, ut ſerviam illi. Quodcumque facio, propter Deum, & ut illi placeam, facio. *Ex moralibus ſermonibus tomo 8.*

Quid ſit ſervum eſſe Dei, & quomodo hoc ſervi munus ſit adimplendum.

Quid, veſtra ſententia, eſt Dei ſervum eſſe, eique ita ſervire, ut ille ſibi ſerviri jubet? Eſt illius ſervitutem alteri cuicumque præferre; nulli ſervire domino, nulli adhærere objecto niſi propter illum, poſt illum, atque juxta illius mandata, & imperia. Non vetat, ne creaturis ſerviamus, ne noſtris perfungamur officiis, ne munera noſtra obeamus; ſed a contra fideles in illis nos eſſe jubet; ſed vult, S. Auguſtinus inquit, illis inferiorem ſuæ a nobis ſervitutem præſtari, ita ut ipſi ante omnia ſine ulla comparatione ſerviamus. Eſt omnino, & abſoluta aliam quamlibet abdicare ſervitutem, quæ cum ſervitute ipſius ſimul eſſe non poſſit; eſt ſeſe objicere perferendis ſæviſſimis hominum perſecutionibus, potiuſquam pravis illorum voluntatibus morem geramus: eſt in imperiis, quæ & a creaturis, & a Deo fiunt, diſtinguere diverſam horum dominorum poteſtatem, ne eum lædamus, qui majorem, potiorique jure in nos habet auctoritatem. Heris propter lucrum, amicis propter amorem, iis, qui de nobis meriti ſunt optime, propter animi grati ſenſum, regibus propter quoddam juſtitiæ, & conſcientiæ principium, ut loquitur S. Paulus, famulamur. Deus autem Dominorum omnium eſt generoſiſſimus, amicorum fideliſſimus, benefactorum liberaliſſimus, regum maximus; ideoque ſi tanta cura, & zelo creaturis ſervimus, aliquas tantum bonas habentibus qualitates, propter quas illas amamus, qua alacritate, & voluptate ſerviendum eſt Creatori, qui omnes illas complectitur? *Ibidem*.

Querelæ reproborum ob labores, quos ſine fructu in Dei ſervitute pertulerunt.

Audite triſtia verba, quæ Sapiens reprobos proferentes inducit, & quæ illi in omnem æternitatem non ſine luctuoſiſſimo ejulatu pronunciabunt: *Ambulavimus vias difficiles, laſſati ſumus in via iniquitatis*. Sap. 5. O nos miſeros! fatigati ſumus decurrentes viam iniquitatis, dum a Dei ſervitute profugi mundo ſerviremus. Plurimos labores pertulimus, innumeraque vere paſſi ſumus mala, ut inania quædam conſectaremur. Nequicquam cupiditatibus noſtris ſatisfacere conati ſumus; omnes conatus in irritum abierunt; ex labore in alium longe graviorem lapſi ſumus, & poſtquam ſexcentis cruciatibus noſmet exercuimus injuſta conſilia noſtra expleturi, nihil nobis ſupereſt præter ſupplicia numquam deſitura. *De la Volpilliere, tomo 2. ſermonum.*

Duobus dominis ſimul, Deo, & mundo ſervire non poſſumus.

Inter periculoſiſſimas, & nihilominus vulgatiſſimas ſæculi illuſiones non poſtrema ea eſt, in qua plerique fideles verſantur, qui adhuc extrinſecus aliquos pietatis ſenſus ſervantes credunt, niſi in omnimodam labantur relaxationem, ſe poſſe cum Deo ſuo paciſci, illi ſimplicem ſuperioritatis, atque æſtimationis in animo ſuo præ mundo tribuentes, atque interim duobus ſimul dominis ſervientes. Fatali hoc errore præventi ſibi morum diſciplinam ſuis aptatam cupiditatibus concinnant; nolunt ipſi quidem omnino Dei ſervitutem relinquere, at ſimul nolunt a mundi ſervitute prorſus recedere. Confluunt in Templum, frequentant Sacramenta, preces aliquot, ac eleemoſinas effundunt; ſed ſemper ſecretum aliquod ſervant rerum creatarum amorem; ſine religione ſeſe mancipant omnibus objectis, erga quæ inordinatis affectionibus ſuis rapiuntur; mundum quidem contemnunt ex ea parte, quæ eorum non palpat cupiditatem; putant vero ad contemptum hunc reparandum poſſe illum aliis in rebus diligere; pœnitentes, ſed quin ſibi vim faciant, humiles, ſed quin ſe demittant, devoti, ſed quin amorem proprium abdicent, temperantes ex officio, zelotes ex vanitate, ardentes cum ſerviendum eſt Deo, ardentiores cum ſerviendum eſt mundo, quadam vitiorum, atque virtutum viciſſitudine, perpetuoque æſtu bonarum, malarumque operationum. *Ex Auctore ſermonum moralium tomo 8.*

Nulla res non diſpenſare poteſt a Dei ſervitute, & inanis eſt excuſatio quidpiam cauſari.

Ex iis omnibus, qui, ut a Dei ſervitute ſe eximant, magna objiciunt negotia, aſſiduaſque occupationes ſuas, quæro, utrum hæc omnia negotia prohibeant, ne infinitis vacent rebus, quæ in vita nullius ſunt neceſſitatis? Viſitationes, converſationes inutiles, libri profani, eorum, quæ recens accidunt, narrationes, ludi, omnes, verbo, voluptates nonne aliquando ſuum in magno hoc negotiorum numero locum inveniunt? Vacat, ut iis invigilant, quæ cupiditatem illorum palpare poſſunt, at autem iis animum adjiciant, quæ charitatem poſſunt ædificare, non vacat. Vacat, ut mundo ſerviant, ut ſerviant Deo, minime vacat. Ubi ratio eſt, ubi bonus ſenſus, ubi prudentia?... Nullam hujus rei video rationem, niſi quod nobis perſuaſum non eſt, quam neceſſarium ſit, & quanti referat ſervire Deo. Credunt religionem non aliud eſſe, quam peculiarem profeſſionem uti cæteras, eamque ad eccleſiaſticos tantum pertinere, vel ad eos, quibus non aliud in vita munus eſt: ſaltem ſibi blandiuntur, Deum nihil præterea a nobis expetere, niſi ut peculiaribus muneribus noſtris faciamus ſatis, quilibet pro conditione, ſtatuque ſuo; & huic innixi fundamento pleriqua ex ſola profeſſione ſua religionem ſibi efformant, alii quidem ſeſe in aula bene gerendi, alii magiſtratum ſuum rite procurandi, alii commercium utiliter tranſigendi; qui inſignis eſt error. Religio quippe ex duplici officiorum genere coaleſcit, particularium, quæ varia ſunt, & generalium, quæ ſunt Chriſtianis omnibus communia. Hæc duo officiorum, & vocationis genera ſibi invicem ita cohærent, ut Dei voluntas omnino adimpleri non poſſit, niſi utraque adimpleatur. Si enim prætexentibus Dei ſervitutem non licet peculiaris vocationis noſtræ officia omnino negligere, multo minus licet mundi negotia prætexentibus negligere officia generalis noſtræ vocationis. Pro utriſque ſuum eſſe debet tempus, & omnibus in caſibus alterum alteri cedit. Videtis autem rationem, & juſtitiam expoſcere, ut peculiari vocationi potius denegemus modicum illud temporis ſpatium, quod ipſi debetur, quam illud auferamus Deo in temporalibus negotiis tranſmittendum. *De S. Martha, ſermone in 4. Quadrag. Domin.*

Si

Minus moleſtum eſt ſervire Deo quam mundo.

Si peteres a nobis, Domine, pro tuo cultu, & ſalure noſtra id, quod a ſervis ſois exigit mundus, hoc nobis impoſſibile videretus. Aulici vita, quæ ſuavior videtur, quam quæ belli ducitur, num re ipſa minus incommoda eſt? Libertatem tuam abdicare, quin te voto obſtrinxeris, affectionibus tois vim inferre, quin illas umquam ſuperare poſſis, & quineas mortificare velis; numquam dicere, quod ſentis, numquam facere, quod copis; vituperare, quod habes in pretio; laudare, quod aſpernaris; ſeſe omnibus ſubmittere, ac velle omnibus præeſſe; pati injurias, quin conqueri audeas, & quin illas dimittere velis; præ dolore emori, & ſe contentum ſimulare; omnibus adulari, de omnibus diffidere, ſemper metuere, parom ſperare, multa cunari, nihil obtinere: nonne hæc aulici vita eſt? Deus vero aliqoidne ita difficile petit? Quæritne Deus officia, quæ nobis tantam vim afferant, adeo aſſiduos labores, adeo moleſtam ſervitutem, adeo cæcam obedientiam, qualem a ſectatoribus ſuis exigit mundus? Quidquid a nobis petit, ad hoc redigitor, ut illum quidem ex toto corde, proximum vero noſtrom ut noſmet ipſos, diligamus. *Qui diligit, legem implevit*. Ad Rom. 13. Quid minus difficile? Ea quæ miles, ea quæ aolicus pro mundo patiuntur, tua damnatio eſt, qui pro Deo nihil vis facere, nihil pati. *P. Nepveo tom. 3. conſid. Chriſt.*

Pœnitentia in morte eo quod Deo non ſervierimus.

Quantus erit in morte dolor, eo quod non ſervierimus Deo? Aliquidne erat, quod cum Deo a me eſſet conferendum? quæ mihi erat cauſa illom non amandi, quæ illum non amandi ex toto corde? Quid me ab illius ſervitote repellebat? Numquid duo mihi erant domini, ut deliberandum eſſet, utri ſervire deberem? & licet duo mihi fuiſſent, uter esset præferendus? Ille ſane miſer eſt, cui unus non ſufficit Deus. Cuinam vitam debeo; & quinam pro me mortoos eſt? a quo beatam expectare poſſum æternitatem; & quiſnam me æternis adjudicare poteſt ſuppliciis? O Deus, nil horum ignorabam, & aliom mihi dominum feci..... At cuinam inſervieas dies meos tradoxi? Mondo videlicet, hoc eſt multitudini otioſorum, inertiom, ſtupidorum, quorom plerique flagitioſi ſunt, & omnes fere meritis carent. Inconſtantes eorum ideç apud me legum locum obtinuerunt. Quanam attentione oſus ſum, ne ullam earom violarem? Quam mihi vim intuli, ne cui diſplicerem? *P. Croiſet tom. 2. receſſuum.*

Mundi ſervitus non mulcet jugum J. C. ſed non ferendum facict.

Domini jugum moleſtum nobis videtur, cum ſolum eſt, & credimus illud mulcere nos poſſe, ſi & mundi jugum ſimul ſubierimus, quaſi pondus ponderi adjunctum onus valeat imminuere. Cæterum mundi jugum turpe eſt, & nonniſi periculo fertur. Nobis aotem perſuademus, ſi curarum noſtrarum partem Deo impenderimus, facile ex hac infamia, & periculo nos evaſuros. Fallimor, certum eſt, Dei ſervitutem, quæ adeo ſuavis eſt, cum tota illi impenditur, non ferendam fieri illi, qui adhuc aliqua in re a mundo pendere deſiderat, & nemini vel turpius, vel periculoſius eſt huic mundo ſervire, quam illis, qui quodammodo Jeſu Chriſti ſe eſſe profitentur. *P. de la Colombiere ſerm. 58.*

Cordato viro nullum creatum bonum ſufficere poteſt.

Quamcumque pro ſervitute mercedem mundus nobis rependat, numquam contenti ſomus, & aliquid ſemper ulterius deſideramus. Pro Rachele Jacob ſeptem annos ſervierat, ac tandem Liam tantummodo ſe retuliſſe cognoſcit. Quia deſiderium, quin extinguatur, ſemper magis accenditur. Quin requies quæratur, recentes ſemper obeundi ſunt labores, ut id habeatur, quod quæritur; atque hoc pacto cor ab uno ad alterum tranſiſit deſiderium, ab uno ad alterum transfertur bonum, fruſtra ſuum quærens Creatorem. Faſtidit, quidquid habet, id ſolum in pretio habens, quod non habet; ſentit ea, quæ habet, anguſtis finibus contineri, nec videt iiſdem etiam coarctari ea, quæ non habet. *Idem.*

Qui Dei ſervitutem relinquit, filio prodigo comparatur.

Homo quidam, inquit evangelium, duos habebat filios, quorum natu minor patri ſuo dixit: Pater da mihi partem, quæ mihi contingit, eique pater aſſentitur. Quænam adoleſcenti huic erat cauſa a patre ſuo recedendi? In deliciis innutritus, magno ſervorum numero annuenti ſibi obtemperante ſeptus, amatus, in honore habitos, in ſumma rerum copia, & ſine cura ulla in patris ſoi domo vivebat. Vel minimia etiam rebus, quibus indigere poterat, proſpiciebatus, omnia ad illius tranqoillitatem, atqoe felicitatam conferebant, & opimæ hæreditatis ſpes felicitati illius cumulum addebat. Cum repente inſana ductus libidine omnibus hiſce bonis abrenunciat, & ejus ſubmiſſionis, qoæ tota illius erat felicitas, pertæſos patris ſui domum deſerit, ac ſolus vult eſſe ſuæ fortunæ faber. Ita peccator agit; deſeſſus nimia felicitate, qua in Dei ſervitute perfruebatur, faſtidit vitam frogi, tædio afficitur nimium diuturnæ tranquillitatis, atque in tumoltu novi cujuſdam ſaporis voluptatem ſe inventurum arbitratur. Quid cauſæ habere poteſt hic peccator de Deo conquerendi, cum ab hujus ſervitute recedit? Umquamne melios fuit Pater? ulluſne dominus foit dignior imperio? Huoc tamen diligere, hoic ſervire ille faſtidit. *P. Croiſet tom. 2. receſſuum.*

Cumquis a Dei ſervitute deficit, quamprimum in omnem libidinem ruit.

Nemo omquam a Deo recedit, qui longius non aberret; primus error naufragium eſt; anima uni Deo creata, nonniſi in Deo requiem, & felicitatem ſuam poteſt invenire; quamprimum torrentis vi rapitur, qui firmo, immobilique huic ſaxo non hæret. Deſcenſus rapidus eſt, propenſio violenta, ex quo cœptum eſt proferre pedem, non ambulatur, ſed curritur, ſed in præceps ruitur.... Qui majori pietatis laude floruerunt, ſi umquam perveniuntus, & a Dei ſervitute recedunt, in maxima quæque flagitia labuntur; obliviſcuntur Dei, ſuimet ipſorum obliviſcuntor; extinguitur fides, ratio infirmatur, ſola dominatur cupiditas, quæ quot mala non gignit in anima, in qua illa ſuum conſtituit imperium? Religioſus aliquis afficitur tædio ſtatus ſui, a profeſſione ſua deficit, a Deo abnormi vivendi genere recedit. Quot mala, bone Deus, intra paucos dies! Cæcitas, ſtupor, defectio ſtatim primos lapſus excipiunt: *Abiit in regionem longinquam*, inquit Lucas 15. de filio Prodigo. Ille quam procul ſe a Domino abeſſe videt, quamvis adhuc domi ejoſdem permaneat: conſcientiæ religio, fervor, ſenſus pietatis, omnia extinguuntos. Oblivioni Dei ſuccedit ſtupiditas, hanc excipit obduratio: *Ecce qui elongant ſe a te, peribunt*. Quid fit, vel quid fieri poteſt, aliquo a bonorum omnium fonte procul recedente? *Idem.*

Quænam ſunt tumultuoſæ vitæ ſollicitudines? Qui fortunæ nutantis timores? Nulla vitæ auſteritas ab auſteriſſimis pœnitentibos adeo duros, aſſiduoſque labores exigebat. Ipſa etiam ſolatia magno ſtant labore: mundanorum voluptates non ſunt pars vitæ eorom pacatior; & vitium omnia ſibi permittens eſtne virtute magis tranquillum, cum hæc ſeveriſſima eſt, & nihil ſibi fas eſſe permittit? Quandonam de mondo dicetur, quod de Deo dicitus; nimium laboris eſſe in ejus ſervitute, ac mundana gaudia nimiis ſumptibus comparari? Quandonam hiſce realibus, ſemperque inutilibus deterriti difficultatibus excotere cogitabimus grave jugum meliori domino ſervituri, qui omnia meretur, & adeo parum exigit a nobis? In Dei ſervitute labos eſt: Heu Domine! multos te ſervos invenires, ſi, ut tibi placerent, illis ferendum, ac tolerandum eſſet, quidquid mundus a ſuis ſectatoribus exigit? *Idem tom. 1. conſid.*

Difficultas, quam in Dei ſervitute experimur, a nobis procedit, non autem ab

At enim in Dei ſervitute labor eſt; quis aotem vobis dixit laborem hunc procedere ex lege Dei, & earum rerum, qoæ jubentur, qualitate? Difficultates, quæ injuſte chriſtianæ virtuti tribuuntur, ex corde noſtro procedunt, in nobis ipſis oriuntur. Domini lex ita rationi conſentanea eſt, ut facilior eſſe nequeat; ſed ægrotanti quodlibet pondus nimis vide-

ſit, quæ Deus quærit a nobis.

videtur oneroſum. Cor vitio corraptum eſt: mirum non eſt, ſi virtutem faſtidiat. In viis Dei omnia difficilia videntur; quidquid enim ſeſe offert, novum eſt illi, qui ſemper oppoſitam viam ſecutus eſt. Non mutanda ſunt ea, quæ a Domino petuntur; cor noſtrum mutandum eſt. Ubi de ſenſibus noſtris eam retulerimus victoriam, quam illos de nobis referre paſſi ſumus, in deliciis haberemus ea, quæ nunc perhorreſcimus. Non dicamus amplius, virtus difficilis eſt, ſed dicamus, vitioſæ cupiditates, quas alui, perverſa mundi placita, quæ ſecutus ſum, mali habitus, quos indui, virtutem mihi difficilem præbent. *Idem.*

Virtus licet auſtera videatur, guſtandas porrigit veras voluptates; nullaque in mundo perfecta felicitas eſt, niſi viris bonis Deo fideliter deſervientibus. Licet iter inſtituendum eſſet per deſerta, eorum non officerent ardores, neque ariditates. Dominus, cui famulamur, ignorat, quo pacto ſervitutem ſuam facilem, atque ſuavem exhibeat? Licet chriſtianæ virtuti in ſterili ſolitudine habitandum eſſet, Deus novit ſervis ſuis mannam cœlo demittere; novit de rupibus aquæ viventis fontes elicere. Arentes arenæ, præruptæ ſemitæ, antra, ipſæ etiam fornaces, omnia in eorum ſolatium vertuntur. Denique omnia ſuavia ſunt, & nihil arduum Deum vere diligenti. *Idem.*

Quid vetet, ne Deo, ut par eſt, ſerviamus.

Pleroſque mortalium in via virtutis moratur defectus fidelitatis, ſinceritatis, & æquitatis in ſervitute Dei. Exigui quidam amores, quædam vincula, quæ numquam infringuntur, quæ numquam infringere volunt; quidam amoris proprii fundus ſemper ſub ſpecioſo recti ſenſus, moderationis, honeſtatis, & prudentiæ prætextu latentis: ſecreta ſuperbia, quæ optimas quaslibet actiones corrumpit: denique æterna cum Deo avaritia totum cor noſtrum exigente, quia vel minima illum diviſio dedecorat . . . . . Quot in ſe ipſos reditus, ſed qui fatigant tantummodo, & moram injiciunt! Ex quo in perfectionis via retroſpicimus, parum apti ſumus regno Dei, & animum deſpondemus. *Idem.*

Deo ſerviendum eſt in corde ſimplicitate.

Vult Deus ſibi in cordis rectitudine, ac ſimplicitate ſerviri, quæ ſi deſit, quæcumque pietatis ſpecies non aliud eſt, quam ludificatio quædam animam in craſſis imperfectionibus detinens. Conſilia, propoſita omnia ad vota, & inanes ideas rediguntur; quædam oſtentatio pietatis aliquandiu externam tuetur ſpeciem; ſed quodlibet ædificium in mobili arena extructum ſerius, ocyus labefactatum corruit, externorumque fulcrorum multitudo parum prodeſt, niſi ſolidum fuerit fundamentum. Cum Deus cum ſimplicitate, ac rectitudine quæritur, invenitur. Omnes iſtæ proprii amoris ambages veri ſunt errores. *Idem.*

In Dei ſervitute diu expectandæ ſunt tentationes.

Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, Eccleſiaſticus cap. 2. inquit. *& præpara animam tuam ad tentationem*; & quia non ſatis noſmet præparamus illis, ideo eas nimis ſentimus. Sed immerito difficultates hæ, quæ in perfectionis via reperiuntur, a nobis habentur tamquam moleſti obices, qui viam efficiunt aſperiorem; hæ ſpinæ pro ſepibus ſunt, quidquid eſt inimicum, & nocere poteſt amoventibus. Mirum: quilibet ſibi jus eſſe putat exercendi virtutem, quæ viri boni propria eſt. Profiteris pietatem? abjectiſſimus quilibet ex hoc cenſorum grege ſibi licere putat virtutis tuæ periculum facere; omnia verba tua ad lancem vocantur; omnia facta tua ſine ulla miſeratione excutiuntur; tuæ intentiones in alium ſenſum torquentur, omnes fiunt judices cogitationum tuarum, & donec imperfectorum, parumque frugi mortalium vitia diſſimulantur, omnia exaggerantur, nihilque condonatur illi, qui pietatem colit.

Quod Deus a ſervis ſuis exigit, non eſt ita difficile ut exiſtimatur.

Quæ voluptas eſt tanto huic domino inſervire! & quem, illi ſerviiſſe, pœnituit! Licet hoc ipſa ſtare deberet vita, quemadmodum tot olim martyribus ſtetit, qui nunc cultus, & votorum noſtrorum objecta ſunt, eſſet ne deliberandum? Heu, Domine! tantum non petis; cor potius exigis, quam ſanguinem, cor hoc, quod alteri cuicumque rei trado, & quod uni tibi nego. Profecto qui videret, quam ægre, & gravate homines ſe pro Deo ſtare profiteantur, diceret illi, qui illius partes amplectitur, nullum ſperandum eſſe quæſtum, magnam vero metuendam eſſe jacturam. Omnia metum injiciunt, omnia deterrent, adeo nullam habemus ejus felicitatis ideam, qua in vita chriſtiana homines perfruuntur. Metuimus, ne devoti cenſeamur, & tales eſſe pudet, atque donec mundani palam ſe impios eſſe jactitant, ſe mundi placitis adhærere gloriantur, Chriſtiani erubeſcunt evangelium. *Idem tom. 2. receſſum.*

Serviendum eſt Deo, qui dominus eſt, ad quem tot titulis pertinemus.

Credimuſne JESUM CHRISTUM noſtrum eſſe Deum, atque Dominum? Credimuſne non aliam eſſe in cœlum viam præter eam, quam nobis oſtendit, neminem illic admitti, niſi qui partes Dei ſequitur, & ad ſalutem aſſequendam opus eſſe, ut illum ſequamur? Et ſi has credimus veritates, quomodo nobis licet deliberare quid agendum? Quomodonam mundus nobiſcum vota ſua partiri poteſt, quomodo & ipſe partes ſuas poteſt habere? Cuinam debemus, quod ſumus? quis nos redemit? quis æternæ ſortis noſtræ arbiter eſſe debet? Numquid mundus, cujus placita adeo ſerviliter ſequimur, & cui ne diſpliceamus veremur? Numquid ſalutis noſtræ inimicus, qui in rebellione ſua tot ſibi ſocios adjungit? Et ſi JESUS CHRISTUS ſolus eſt noſter Creator, Redemptor, Rex, Judex, cur alteri præter ipſum Domino ſervimus? *Uſquequo claudicatis in duas partes*, dicebat olim propheta Elias populo univerſo? Cur tot ambages, cur tot deliberationes in hac domini electione, cujus nobis optio relinquitur? *Idem.*

Duobus dominis ſervire non poſſumus.

Nemo poteſt duobus dominis ſervire, Salvator ait. Vultiſne veram cognoſcere hujus impoſſibilitatis cauſam? Quia omnia vero debentur Deo; & poſtquam illi dederimus, quod infinita ipſius majeſtas exigit a nobis, fieri nequit, ut aliquid pro alio ſuperſit Deo. Difficile eſſet duobus ſervire dominis, quorum merita infinita non eſſent; attamen non eſſet prorſus impoſſibile, & utrique reddi poſſet, quidquid uterque jure ſuo peteret. Sed hoc poſito, quod alteruter ſit infinite adorabilis, quidquid reverentiæ, & obſequii impenditur alteri, habendus eſt tamquam manifeſtus contemptus auctoritatis, quam prior Dominus obtinet: *Uni adhærebit, & alteram contemnet*. Matth. 6. Etiamſi omnia illi conferres, tamen inutilis ſervus eſſes; ſed vel minimum quidpiam negans illi, ſervus es inutilis, ſervus, qui in ſe juſtitiæ ſeveritatem convertere meretur. *P. de la Colombiere ſerm. 48.*

Labores qui in Dei ſervitute occurrunt nos deterrere non debent.

Si labor in Dei ſervitute nos terret, ac difficultates efficiunt, ut retrocedamus, non divinus tantummodo cultus, ſed omnes etiam vitæ conditiones, immo ipſa humana ſocietas nobis ſunt abdicanda. Quæ enim mundi hujus officia ſecum non gerunt quemdam laboris, ac moleſtiæ characterem? Quid eſſet in vitæ hujus commercio homo, qui nulla in re ſibi vim facere vellet? Nonne ille honeſtus cenſetur in mundo, qui rebus fere in omnibus ſibi vim facit? Ab hac autem lege noſmet diſpenſare volumus in iis tantum, quæ ad Deum pertinent, omnia in illius ſervitute dura ſunt, omnia moleſta. Operam ludimus, cum oſtendimus vobis, Deo ſerviendum eſſe, eſſentiale hoc officium, æternamque felicitatem noſtram ab illius ſervitute ſeparari non poſſe; ubique languor, ubique tædium, ubique querimoniæ. Numquid noſmet vincere, numquid cedere, pati, diſſimulare oportet; dummodo hoc in urbana vita uſu receptum ſit, nullo ſtat labore. Idem officium ſit impoſſibile, ex quo eſt religionis officium. Num quiſquam in mundo ad honores aſcendit ſine magno conatu? Et licet magni, inſigneſque adhibeantur conatus, numquid ſemper votorum ſumma obtinetur? Num facile, num jucundum eſt pendere a ſexcentis hominum generibus, quæ impetioſa, & mobilia ſunt, & quorum ingenium, libidi-

nem-

nemque, & ſæpe etiam contemptum ferre opus eſt! Ad quæ moleſta officia, ad quot demiſſiſſimos urbanitatis actus, ad quot coactas liberalitates non adigit lis aliqua, honoris cauſa, munus, magni momenti negotium! Quot pericula belli? quot curſus mari, quot cruces, quot labores ubique, ut ambitioni, & cupiditati fiat ſatis? Ullumne in terris regnum eſt, ulla domus, ulla familia, quinimmo ullus adeſt homo, cui aliquid citra gravem, aſſiduumque laborem cedat ex ſententia? Quot conſilia ineunda ſunt, quot movendi lapides, quot officia ſervanda, quot rationes habendæ, quot moleſtiæ, injuriæ, contumeliæ, labores in vita civili perſerendi ſunt! Et nihil horum grave putatur, nihilque a propoſito eos deterret. Cur ergo labores, & difficultates longe leviores, quæ in Dei ſervitute occurrunt, ab ea nos deterrebunt? *P. Croiſet in ſpirit. conſid.*

Ulluſnè in communitate aliqua ſingulari nitet pietate, videlicet humilior eſt, mortificatior, quam alii, ac paratior oneri cuicumque non ægre, nec gravate ſubeundo? Hic viliſſima quælibet ſibi expectanda eſſe ſciat miniſteria. Si quid moleſtum eſt, ſi quid injucundum, ſi imperfecti hoc munus rejiciunt, uni illi cedet. Idea, quæ de illius mortificatione concipitur, efficit, ut nulla virtutis ejuſdem ratio habeatur. Qui bonæ voluntatis eſt, ſemper ultra vires oneratur, cum interim, qui id tantum facere volunt, quod ſibi placet, inertes ſunt, ac per otium cenſoria nota perſtringunt eos, qui operantur. Amor proprius inæqualitatem bene pati non poteſt; ſed virtuti jucunda eſt; & quantumvis incommoda ſit, ſemper tamen cedit in honorem pietatis.

In Dei ſervitute pura, & ſolida gloria guſtatur.

Boni nequaquam patent huic viciſſitudini odioſæ gaudii, ac mœroris, neque crudelibus ſtimulis, qui omnia mundanorum ſolatia perturbant, neque ullum umquam tranquillum ipſis relinquunt diem. In id unum intenti, ut placeant Deo, in fidelitate ſua lætitiam, & felicitatem perfectam inveniunt. Si officium ſuum illis nonnumquam videtur difficile, quamprimum veram honeſti hominis voluptatem eſſe ſtatus ſui muneribus perfungi experiuntur. Si hæc voluptas tanta non eſt, ut humani cordis corruptionem non palpet, ſolida tamen voluptas eſt, quam nulla amara ſubſequitur pœnitentia. Momentanea non eſt voluptas, quæ eumdem cum publica feſtivitate, aut recreatione finem habeat, & quæ plerumque a plurimorum libidine, ingenioque pendet, pura voluptas eſt, quæ permanet, & quæ omnibus vitæ momentis guſtari poteſt. Voluptas non eſt, quæ opes abſumat, quæ honeſtatem commaculet; quæ officiat valetudini; voluptas eſt ſæpe utilis, ſemper honeſta, & quæ valetudini prodeſt propter eam, quam gignit, animi tranquillitatem. *Idem.*

Deus dominorum omnium mitiſſimus, & ſuaviſſimus.

Boni miſerine ſunt, minuſque beati, eo quod uni tantum domino ſervire debent? Sed cui domino? Ulluſne umquam dignior fuit imperio? Ullus ne eſſe poteſt, qui magis ſervitutem a nobis ſibi præſtari mereatur? Deus non ſolum dominorum omnium eſt dominus, ſed mitiſſimus quoque, & liberaliſſimus eſt. Quanam paterna benevolentia ſervorum ſuorum exigit officia; quanam liberalitate ea, quæ exigit, remuneratur? Vult beatam, quam nobis pollicetur, æternitatem certiſſime ſubſequi centuplum, quod in hac ipſa vita largitur. Si præcipit, ut gloriam ſuam quæramus, numquid noſtræ obliviſcitur utilitatis? Certi ſumus, nos illi placere, ex quo volumus; certi ſumus gratiæ illius, ubi illa indigemus, certi protectionis ejus, ubi eam imploramus, certi poſſidendi illum, ubi eum amaſe, eique ſervire perſeveremus. *Idem.*

Vera gloria eſt ſervire Deo.

Gloriam amamus, & quærimus; hoc noſtrarum cogitationum, votorumque eſt argumentum. Ubi, Domine, gloriam iſtam invenire poſſumus, niſi conſtanter, & cum fidelitate tibi inſervientes: nonne hæc in hac ipſa vita merces eſt ſervorum tuorum? Mundi ſectatores inanem, & commentitiam tantummodo gloriam conſectantur; ſolida, & vera individua comes eſt veræ pietatis. Quidquid impiorum invidia, & improbitas obluctentur, æſtimatio tributum eſt, velis nolis, a ratione chriſtianæ virtuti perſolvendum. Bonorum nemini fortaſſe teterrimis calumniis labes offundetur, eorumque famæ ſecretis calumniis obtrectabitur, aculeatiſque irriſionibus illorum pietas in ludibrium traducetur; ſed virtuti eorum ſuum ſemper adeſt meritum: quantumvis improbum ſit cor humanum, mens tamen facere non poteſt, quominus de illis rectum ferat judicium. Illi exagitantur, ſimulque habentur in pretio, atque inter ipſas perſecutiones coluntur. *Idem.*

Mundus abſolute ne relinquendus eſt, ut Deo ſerviatur?

Ut ſerviatur Deo neceſſe ne eſt, ut mundus omnino ab omnibus deſeratur? Hoc objiciunt mundani, cum illis Chriſtiani hominis exhibentur officia. Numquid mundus ab omnibus deſerendus eſt? Nequaquam; verum inficias ire nemo poteſt, in mundo mundum inveniri, cui Chriſtianus quilibet abrenunciare tenetur; mundus a Deo reprobatus, & maledicto percuſſus: mundus, pro quo non oravit Salvator, mundus apertus JESU CHRISTI inimicus, atque mordicus præceptis ejuſdem oppoſitus. Dubitandum ne eſt, quo minus mundus hic ſit deſerendus? Et niſi contra IESU CHRISTI oraculum putes te ſimul, & Deo, & mundo ſervire poſſe, neceſſario aut mundum hunc, aut JESUM CHRISTUM relinquas oportet. *Idem.*

Nemo poteſt duobus dominis ſervire, Deo, & mundo.

Omnes iſti mortales verſuti, & qui ſe fideles eſſe profitentur, inveneruntne artem duobus ſimul dominis inſerviendi, hinc quidem pecudum inſtar mundi placita ſecuti, inde vero inter JESU CHRISTI diſcipulos haberi cupientes? Nullo modo; omnia hæc circa morum diſciplinam adinventa; politica iſta ratio, cum agitur de religione; hæc in moribus artificia, error, illuſio, licentia vocantur. Hanc ſcenarum, perſonarumque varietatem religio noſtra ferre non poteſt. Vult Deus ex toto corde amari, omnem horret diviſionem, nihil de jure ſuo hac in re dimittere poteſt. Rebellium, & apoſtatarum in numero ſemper habuit eos, quibus tormentorum adſpectus, vel minimum idololatriæ ſignum extorſerat. Non recipit ſervos duorum dominorum gerentes inſignia. Vos mundi placita ſequimini, vos mundi ſpiritum habetis, vos mundo placere vultis, ab hoc uno ſtipendium veſtrum expectare debetis, nequicquam illud expectatis a Deo. *Idem.*

Mirum! inconſulto in mundi partes conceditur, mancipii inſtar toto vitæ ſpatio mordicus illi ſervitur, quantumvis dura, moroſaque ſint illius placita, merito ſibi adſeribendum putant, quod illa ſequantur, in minimis etiam officiis ſunt diligentiſſimi, & ad ſuperſtitionem uſque ſeduli ſunt, ut inconſtanti huic, duro, cerebroſoque domino ſerviant. At e contra de fide eſt, Domini jugum ſuave, & onus ejus leve eſſe, nihil certius lege illius, nihilque ſervitute ejuſdem glorioſius. Et ſane quinam magis verus honor inveniri poteſt? aliquidne eſſe poteſt utilius, quam illi ſervire? Dulcis in vita tranquillitas; confidentia hilaritate plena in morte, poſt mortem æterna beatitudo; hæc eſt ſors ſervorum Dei, & nihilominus mundi ſervitus Dei ſervituti præfertur. Saltem quam negligenter, quam oſcitanter, illi ſervitur? cum interim incredibili ſolertia, ardore, cura mundo ſerviatur. *Idem.*

In ea Jeſu Chriſti verba, Jugum meum ſuave eſt.

Dicis, Domine, jugum tuum ſuave eſſe, & onus, quo ſervientes tibi oneras, eſſe leve; hoc eſt, conditionem eorum, qui pertinent ad te, nihil niſi amabile habere, & eos, qui illam amplexi ſunt, illic non duritiam, neque amaritudinem invenire. Sed quomodonam iſta conciliari poſſunt cum iis, quæ præcipis ſequentibus te, cum dicis crucem ferendam eſſe illis, qui te ſequi deſiderant? *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Luc. 9. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam*

ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc. 14. Iis enim conſolationibus, quas jugum tuum ſubeuntibus polliceris, quid magis oppoſitum eſt, quam hujuſmodi ſeparationes, diviſiones, abnegationes, quas proponis tamquam neceſſarias conditiones illis, qui eſſe volunt in numero ſervorum, ac diſcipulorum tuorum? Quot, Domine, hæc difficultas detinet; quot non intelligentes inter duas haſce veritates quamdam tantummodo oppoſitionis ſpeciem adeſſe, cæterum perfecte ſimul congruere, nihil ibi non ferreum jugum, immane pondus, & non ferendam inveniunt duritiam? Non aliis opus eſt argumentis, præter experientiam quotidie oſtendentem verba tua infinitæ eſſe veritatis. Teſtis ille, qui aſſerebat pœnitentium lacrymas millies ſuaviores eſſe maximis peccatorum gaudiis; nec defuere, qui ardentius crucem concupierunt, ibique majorem lætitiam, & conſolationem invenerunt, quam in iis, quæ in mundo acceptiſſima, & jucundiſſima habentur. *Idem.*

Plerique eorum, qui Deo ſervire, eumque colere ſe putant, animum appulerunt, ut JESU CHRISTI jugum levius oſtenderent, atque aſſirmantes, hoc ſi levius fuerit, a pluribus facilius geſtatum iri, non verentur ſibi religioni obtruncare, quidquid ibi moleſtum, & laborioſum eſt. Non audent quidem dicere crucem ferendam non eſſe; ſed ejuſdem obligationes evertunt ea pertinacia, qua perſuadere volunt, diſpoſitiones, quæ hoc officio continentur, ſimul eſſe poſſe cum vanitate, nugis, affluentia, amore luxus, voluptatum perquiſitione, & gloria mundi. Aures præberi poſſunt illis, qui hoc pacto loquuntur, non autem illis haberi poteſt fides; non vult Deus Chriſtianos diſputare, ſed vult reſiſtere. Prohibet contentiones, ſed jubet conſtantiam, cum de mandatis illius exequendis, & lege obſervanda ſermo eſt. *Abbas Trappenſis tom. 2. eſſatorum chriſt.*

e. Matthæus exemplum oſtendit, obedientiam vocationis Dei promptam eſſe debere.

Dei filius nullo habet in diſcrimine ſtatum, qualitatem, conditionem perſonarum. Vocatio ad ſervitutem ejus effectus eſt gratiæ, & beneplaciti illius. Dummodo plena, & integra ſit voluntas, & omnia relinquantur, ut illum ſequamur ſine exceptione, nil ultra petit. Quodnam, Domine, invenitur documentum in eo modo, quo Publicanus vocem tuam audit juſſus te ſequi? Homo hic, qui ut videtur, nulla fuerat excultus doctrina, negotio prorſus humano, terreſtri, & apto potius ad omnia ingenii lumina extinguenda, quam accendenda implicitus primo ſtatim intuitu videt nil melius fieri poſſe, quam hoc audire verbum, & illud ſequi. Si quid erat, quod moram, & aliquod temporis ſpatium requireret, antequam conſilium caperetur, hæc ſane erat occaſio. Agebatur de ſtatu mutando, de omni fortunæ ſuæ curſu relinquendo; tamen nihil illum moratur; ſtatim conſilium capit in arena, & felicitas, quam in tua ſervitute ſe videt conſecuturum, rerum omnium locum apud ipſum tenet. Niſi vocationi fidelis fuiſſet, niſi vocem tuam audiviſſet, niſi praeſto fuiſſet, ut mandata faceret, adeptus fuiſſet honorem hunc, ut ex comitatu eſſet tuo, ut in Apoſtolorum albo deſcriberetur, ut primus eſſet vitæ, actionumque tuarum hiſtoricus? *Abbas Trappenſis in Chriſt. conſider.*

Nimis verum eſt, Domine, pauciſſimos eſſe, qui te ſequi poſſunt; ſed hoc inde oritur, quia pauciſſimi volunt; qui enim effectivam habent voluntatem, habent etiam facultatem. Cum plerique eorum, qui te ſequi vellent, audiunt, quid ſibi faciendum eſt, ſtatim deſiderium, & cogitationem abjiciunt. Abnegationes, abrenunciationes, privationes illis ſubeundæ ipſis ſtuporem injiciunt, & eorum voluntas adhuc infirma abnegationi adeo late patenti ſeſe accommodare non poteſt. Hoc accidit adoleſcenti, qui cum te conveniſſet percepturus, quid ſibi ad æternam vitam comparandam faciendum eſſet, ut æternam vitam acquireret, cumque ex te audiiſſet ad perfectionem adipiſcendam omnia vendenda eſſe bona, & pauperibus diſtribuenda, omniaque relinquenda eſſe, ut te ſequeretur, hoc verbum maximo illum mærore confecit. Hoc ipſum faciunt plerique fidelium, ex quibus Deus non petit realem, & effectivam abnegationem, ſed quærit, ut cor tantum animumque omnibus mundi hujus rebus avellant. *Idem.*

Conſuevit Deus variis modis experiri ſervos ſuos.

Animæ Deo inſervientes ſæpe ſtatum, ſitumque mutant. Nonnunquam in tenebris ſunt, in dejectione, tædio, ariditate. Sexcentis modis eas tentat; dummodo conſtantes permaneant, & duo præcipua fundamenta ſubſiſtant, confidentia videlicet, atque ſubmiſſio; in hac diſpoſitione, quæ ipſis vera deſolatio videtur, magis progrediuntur, quam ſi conſtanti ſerenitate perfruerentur. *Idem tom. 2. eſſatorum chriſt.*

Contradictiones, ac difficultates quolibet in ſtatu inveniuntur, & cum iſtis expediri volumus, in alias prioribus ſuccedentes impingimus. Non ſinit Deus eos, qui in integra ab omnibus tribulationibus, ſeu interioribus, ſeu exterioribus immunitate vivere volunt, votorum ſummam conſequi. Sæpe id, quod deinceps occurrit, durius eſt, minuſque ferendum eo, quod reliquimus. Crux JESU CHRISTI quocumque ſequitur eos, quos ille diligit. Qui illam vellet abjicere, uæ ille quidem voluntati ejus reſiſteret, & amore ipſius ſe indignum præberet. *Idem.*

Lumen naturale quo docemur Deum eſſe, docet quoque illi ſerviendum, & quem pariter cultum eſſe exhibendum.

Illuminat Deus omnem hominem venientem in hunc mundum, dilectus Diſcipulus inquit. Generale hoc lumen, quod omnibus hominibus communicat, ratio eſt; hic immortalis radius divini intellectus, qui in noſtris animabus effulget: fulgidi, & indelebiles characteres, quibus inſculpſit Deus in fronte noſtra lumen divini vultus ſui, ut loquitur Propheta Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine:* iſtæ inſitæ cognitiones exiſtentiæ Dei, obligationis ſerviendi illi: hæc religio ut ita dicam rudi forma delineata, & præparata, quæ nos ad cognitam perfectamque religionem adducit. Homo enim per hæc generalia lumina cognoſcens Deum eſſe, qui a nobis coli, & adorari vult, alteram infert ex priori hac veritate, videlicet Deum nobis præſcripſiſſe modum, quo ſibi ſervitutem præſtari, honoremque vult adhiberi, non ſecus, ac genus cultus illius, quem a nobis recipere vult; quoniam ſupremum hoc ens nimis magnum eſt, ita ut aliud recipere nequeat ſervitutis genus ab eo, quem ipſe nobis indigitavit. Alterius hujus veritatis cognitio inducit hominem rationis uſu compotem ad legitimi hujus cultus perquiſitionem. Hic autem primus rectæ rationis uſus, quo de exiſtentia Dei erudimur, nobis quoque oſtendit obligationem illi ſerviendi, & modum ipſum, quo id nobis faciendum eſt. *Specimen ſermonum pro Dominicali: ſermone pro die Epiphaniæ.*

Conſolationes, quæ in Dei ſervitute guſtantur, hujus pœnas imminuunt.

Homo ſervituti Dei omnino devotus alacriter ſuſtinet labores omnes, qui in eadem ſunt perferendi, & quæcumque illi calamitas incidat, hanc recipit tamquam amicum manus ictum, quo ſolatio afficitur eodem temporis momento, quo percutitur. *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Pſalm. 22. neque oblivisci poteſt æternam eſſe beatitudinem, quæ merces eſſe debet eorum, quæ in hac vita patitur propter Deum. Deus, inquit ille, rationem habebit hujus contemptus, quem patior, hujus irriſionis, quam diſſimulo, hujus confuſionis, quam amplector, hujus repulſæ, quam perfero: hæc eſt criminum meorum expiatio, hoc cœli pretium. Aliquidne ulterius requiritur ad leniendum & exiguos dolores, quos nobis contingere ſinit ad virtutis noſtræ periculum faciendum, & graviſſimas etiam amaritudines? Hominum conſolationes dolori ad tempus ſoporem inducunt; ſed hæc ipſum etiam amaritudinis fontem dulcedine adſpergit; & quamvis aliquem nobis malorum noſtrorum ſenſum relinquat, ut patientia noſtra exerceatur, animam tamen ipſam interiori lætitia replet, ut cum propheta Pſalm. 4.

dicere

Digitized by Google

dicere debeat: O Deus. *In tribulatione dilataſti mihi cor meum*. Prorſus oppoſitum de illis dicendum eſt, qui mundo ſervientes patiuntur, ut noxiis cupiditatibus ſatisfaciant ſatis. Via inferni ſæpe illis pluribus obſita vepribus eſt, quam cœli ipſius via; eorumque damnatio pluribus ſtat laboribus, quam quibus opus eſſet, ut ſalvarentur; etenim inter adverſa, quæ Deus illis immittit ad eorum pertinaciam vel infringendam, vel conſummandam, quodnam habere poſſunt ſolatium? Si in Dei gratia eſſent, hæc illis ſolatio eſſet inter injurias, quibus ab hominibus afficiuntur; & ſi beati eſſent ſecundum mundum, hujus blanditiæ, deliciæque quamvis fallaces aliquam ſaltem perſunctoriam voluptatem illis tribuerent. Verum cum ſimul & Dei, & hominum ſint inimici, intus quidem agitati conſcientiæ ſtimulis, quibus torquentur, extrinſecus vero afflictati perſecutionibus, quæ ingruunt, non valentes obſtinatum cor ſuum convertere ad Deum illos, ut ad ſe redeant, invitantem, & licet inviti ſecrem quærentes mundum ab illis fugientem, eoſque contemnentem, humanis, vel cœleſtibus carentes conſolationibus; nonne hoc eſt inferni principium? *Abbas du Jarry Serm. pro die Aſcenſ.*

Conſolatio inter ea, quæ patimus mala. Tribulationes, quas patimur, Apoſtolus inquit, conferri non poſſunt cum ea gloria, quam nobis promerentur. Æternitas malorum requireretur, S. Auguſtinus inquit, pro bonorum æternitate; ſed quandonam inciperet felicitas noſtra, ſi calamitas nullum eſſet finem habitura? Satis eſſe putavit Deus vitam adeo brevem, qualis noſtra eſt, ut noſtri periculum faceret; immo paucis amaritudinibus infinitas prope miſcuit delicias. Quin ergo de noſtrorum malorum diuturnitate conquereremur, indeſinenter illi gratiæ nobis eſſent agendæ eo, quod perſunctorios, leveſque labores in ejus ſervitute perferendos infinita voluerit beatitudine remunerari. Via, quam ſequimini, ardua eſt, non abnuo, ſed ducit in cœlum: via vobis longa videtur, ſed, ubi aliquando perveneritis ad terminum, videbitis ea, quæ præterierunt, æternitatis habita ratione, brevia, & fluxa fuiſſe. *Idem*.

Magnitudo & præſtantia Dei docet quomodo illi ſervire debemus. Ut Deo, quemadmodum opus eſt, ſerviamus, omnes facultates noſtras debemus impendere. Ratio deſumitur ex natura ipſius Dei, & ex eminenti magnitudine illius, quæ talis eſt, ut comprehendat quidquid magnum concipi poteſt. Hæc non ſolum infinita eſt magnitudo, ſed infinite infinita, quæ omnia in ſe complectitur, quæ omnia redigit ad ſe, & quæ ita entibus omnibus dominatur, ut quod in illa eminenter non continetur, nihil ſit; dignitas ejus omnes abſorbet dignitates; bonitas omnes bonitates, honor omnes honores, bonum omnia bona, ita ut nihil ſit extra ipſam conſiderandum. Ad hæc dominium Dei tale eſt, & jura, quæ illud ſequuntur, ſunt tanta, ut per hæc omnia ſibi vindicet, omnia poſſideat. Quæ cum ita ſint, nonne æquum eſt, nos totos illius eſſe, nos omnibus facultatibus animæ noſtræ uti, ac omnia illi officia præſtare, quibus pares ſumus, quandoquidem ob unum hoc ſumus in mundo. *Ex Epiſtolis P. Surin tom.* 1.

Quidquid ſapientes dixere de neceſſitate bene inſumendi temporis, quod ubi ſemel amiſſum fuerit, reparari non poteſt, ad hoc transferri poteſt argumentum; quoniam alia quælibet occupatio ſervituti Dei comparata, nonniſi vanitas eſt. Opus eſt ergo, fidelem bene conſiderationem iſtam perpendere, & meminiſſe totum illud tempus, quod in supremi hujus Domini ſervitute minime impenditur, prorſus amiſſum eſſe. E contra vero quinam rei adeo pretioſæ melior fieri poteſt uſus, quam ille, qui fit propter æternitatem, jugiter propter Deum operando? *Idem*.

SUPPLEMENTUM.

Deliciæ, quæ in Dei ſervitute guſtantur. CUi nobis non licet ſecretam illam unctionem intelligere, qua legis jugum Deus mulcet, beata illa momenta, quibus ſe ſe juſtis animabus præbet agnoſcendum, ſuaviſſimam ſpem, qua efficit, ut in anteceſſum cœleſtia gaudia delibent; hos luminis radios, quorum ope mundi vanitates nitido in luce cognoſcunt; ſuaves lacrymas, quas ad Crucifixi pedes nonnumquam effundunt, in quibus puriorem, magiſque exquiſitam voluptatem, qua in ſuaviſſimis mundi deliciis inveniunt. Da mihi, Domine, S. Auguſtinus exclamabat, cor tuo amore ſuccenſum, & facile hoc myſterium aſſequetur. *P. Croiſet in Anno Chriſtiano*.

Docet S. Paulus omnia aliquid conferre utilitati amantium Deum. Profecto non ait, nihil adverſi illis accidere: norat quippe, quot malis eſſent obnoxii, dum viverent; dicit ſolum, amorem ipſorum erga Deum efficere, ut omnia illis cooperentur in bonum. Eos humiliat, non proſternit adverſitas; honores, & laudes monent illos, quid eſſe debeant; contemptus vero, & humiliationes, quid reapſe ſint: eorumque lapſus etiam fervorem, ac vigilantiam eorum rurſus inflammant. *Conſiderationes Morales cum notis in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos*.

Nihil mutare poteſt gaudium illius, qui lætatur in Domino; reliqua gaudia, præterquam fluxa ſunt, incertiſque fundamentis inſiſtunt, calamitatum vitæ hujus nobis non auferunt ſenſum; ſed Dei timor nulli obnoxius eſt mutationi, ac animam tot ſuavitatibus replet, ut minime fortunæ caſibus afficiatur. Qui Deum timet, & in eodem confidit, defert in corde ſuo inexhauſtum deliciarum fontem, in quem dolor incidens æque facile ſubmergitur, ac in mari ſcintilla. *S. Chryſoſtomus in Homil.* 18. *ad populum Antiochenum*.

Iter hoc crucibus, ſpiniſque conſitum, tunc arduum eſt, cum ambigitur adhuc, an illud ingreſſurus ſis, nec ne. Ex quo vero illud ingreſſus es, ac ferventer in illo ambulaſti, illud tibi videtur ſtratum, facile, immo etiam jucundum. Flores, quibus conſita videtur eorum via, qui voluptatibus addicti ſunt, ſæpe convertuntur in ſpinas; nonne videmus enim, ſpinas, quibus conſitum videtur iter, quod boni ſequuntur, ut plurimum in flores mutari? Virtus, quæ exercetur, interior gratia, qua fulcimur, certa ſpes ad beatum finem perveniendi, mirum in modum mulcent laborem, & auferunt pœnitentiæ quidquid in eadem aſperum, durum, & amarum videtur ineſſe. Quantumlibet arduum iter hoc videatur, Sancti hilariter per illud incedebant JESU CHRISTI exemplo confirmati. Illos ſtrenue, fideliterque ſequamur, & eaſdem ſuavitates, conſolationes guſtabimus, eamdemque facilitatem experiemur. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Nemo fruitur vera libertate, niſi qui ſervit Deo. Vehementer errant homines, cum libertatem inquirunt, a Dei ſervitute recedentes. Ignorant ne, neminem uni ſervire Domino, qui Deo non ſervit. Qui Dei unius non eſt, eſt mundi ſuas leges habentis, eſt amoris proprii habentis ſua placita, eſt ſuarum cupiditatum ſexcentas variaſque propenſiones habentium. Qui Deo non ſervit, ſexcentorum tyrannorum mancipium eſt, nullum quietis ſpatium ſubjectis ſibi permittentium. Noſtræ alienæque affectiones conſentiunt, ut nos torqueant, ut nobis inſidias ſtruant, ut nos in præceps dejiciant. Quid ferendum non eſt a candidatorum numero, ab inimicorum nequitia, a prava fide amicorum, quibus non alia mens eſt, quam nobis fucum faciendi; a venalibus animabus, ſua tantum commoda quærentibus, ſi quando blanda nobis fallacis amicitiæ præbent argumenta. *Qui mundo ſervit, ſubditus eſt pluribus tyrannis.* Si vere Dei non ſumus; ſumus ergo plurium dominorum inter ſe diſſidentium: ſingulis quippe ſingula, & oppoſita ſunt ſtudia. Adde his fatalem neceſſitatem uni placendi, & reliquorum iram, ultionemque ſubeundi. Hoccine eſt vere eſſe libe-

Digitized by Google

liberum? Sed ubinam gentium inveniri poteſt libertas adeo ſuavis, tranquilla, & conſolatione plena, qualis eſt illa filiorum Dei, ſi a mundi famulatu diſcedamus? Quænam acerbior ſervitus, quam illa, cui ſubjacet, qui in mundo vivit? Ibi aliis ſuſtinendi ſunt, aliis mos eſt gerendus, ab omnibus pendere opus eſt. E contra vero in ſervitute Dei, quæ dulcedo eſt, a tot capitibus non pendere, ac uni tantum mundi hujus ſalvatori placere! Quæ utilitas exempli gratia in ſtatu Religionis! nonne hoc ipſum dici poteſt de illis omnibus, qui adhærent Deo eo animo, qui ſe eidem famulari profitentur, qui ſanctis ejuſdem mandatis obtemperant? Quam dulci libertate, & animi tranquillitate fruuntur, qui etiam inter ſervos illius ſunt pauperrimi; qui unice pendent a divina, & amabili Providentia? Qua pace, quo interiori gaudio anima illius cumulatur! Quæ vero utilitas eſt, nullam tibi parvulorum, vel magnorum rationem habendam eſſe; utrorumque officiis non indigere, &, ut ita dicam, omnium benevolentia, & favore carere poſſe! *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Curæ & labores, qui in mundi ſervitute ſunt ſuſtinendi.

Circa exaggerationem dicere poſſumus, ſi in Dei ſervitute ea eſſent toleranda, quæ proculdubio in ſervitute mundi ſuſtinenda ſunt, dubitandi locus eſſet, utrum ingens fidelium numerus inveniretur, nec ne. Et profecto inveniri ne poſſent tot cruces perferendæ, tot habendæ rationes, tot tædia diſſimulanda, tot diſſimulationes ſuſtinendæ, tot animi dejectiones, atque tot indigna perferenda, quot ſuſtinet, qui mundi ſpiritu animatur, qui omnibus ejuſdem legibus paret, qui ſe ſe illius placitis mancipat? Attamen durus hic, barbaruſque tyrannus ſervos invenit, atque fautores? Cumque Domini jugum adeo durum, & grave videatur, tamen tyrannicis mundi legibus omnes fere ſe met ſubjiciunt. Nullibi in mundo inveniri poteſt hæc libertas, quam ſibi met pollicentur mundi ſectatores a Deo recedentes. Non invenitur in Regum aula, neque apud Principes viros; nullibi enim gravior inſtat crux, anguſtia, ſervitus. Libertas non eſt in dignitatibus ampliſſimis, & in magiſtratibus: nihil enim magis arduum eſt, quam ibi conſtitui, ubi tibi actionum tuarum omnibus ratio reddenda ſit. Nemo ſui juris eſt, ſed reipublicæ, quæ omne tempus, omneſque exigit vigilias ab eo, quem ſuis honoribus cumulat. Libertas hæc non eſt in vita privata: ibi enim quot urgent negotia ſervitute ipſa graviora! Mundus eſt cœtus mancipiorum, quibus non alia conſolatio eſt, quam conditionis ſuæ generalitas, & diuturna ſervitutis ipſius conſuetudo. Filii ſæculi eam, quoad vobis libitum fuerit, jactate libertatem, qua caretis, exclamate, quoad vobis placuerit, libertas, libertas. Oſtentate inane hoc nomen; quod non magis vos decet, quam Comœdum aliquem Regis, vel Principis nomen, ac titulus. Nulla vera libertas eſt, niſi libertas filiorum Dei. Qui Deo adhæret, poſſidet Spiritum Dei; & libertas ibi ſemper eſt, ubi eſt Spiritus Dei. Verum eſt; Deo ſervientibus plures obſervandæ ſunt leges: at quis ignorat, leges haſce dulces eſſe; & in ſuavi hoc ſervitio tranquillitatem, pacem, gaudium inveniri? juxta ea, quæ Salvator ipſe ore ſuo teſtatur: jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Vita ſervorum Dei lenis eſt, facilis, mitis; & in hac ipſa lenitate, uniformitate vitæ libertas vera invenitur: e contra nihil magis ſollicitum, & inquietum, quam vita exlex, & inordinata. De ſuavitate vitæ bonorum feramus judicium ex immutabili gaudio, in quo felicitatis eorum character conſiſtit: ex æqualitate ingenii, quod pacis, qua intrinſecus perfruuntur, locupletiſſimum eſt teſtimonium: cum interim, qui mundo ſerviunt, vivant in tumultu, ac perturbatione, neque illis integrum ſit de ſuis anguſtiis queri. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Mundi ſectatores graviori in ſervitute vivunt, quam veri ſervi Dei.

Quantumvis jactitent mundi ſectatores delicias ſuas, & de ea glorientur libertate, qua nequaquam fruuntur: nulla eſt, & eſſe nequit vera libertas niſi in Dei ſervitute. Veritatem hanc vero manantem gaudio guſtemus ea fidelitate ſervientes Deo, quam inania mundi argumenta labefactare non poſſint. Ne reſpiciamus umquam tamquam crucem, vel ſervitutem, ſedulam in Dei cultu diligentiam, ac religioſam mandatorum noſtrorum obſervantiam. Audacter reſpondeamus illis, qui mundi ſermonem locuti dicunt ſervorum Dei vitam nimis eſſe coarctatam. Dicamus illis, mundi aſſeclis plura eſſe intra octiduum ſuſtinenda, quam Dei ſervis toto vitæ ſuæ ſpatio. Nobiſmet legem irrogemus, & ineamus conſilium numquam, ne in minimis quidem noſtræ conditionis muneribus deficiendi, & ſedulo omnem pietatis noſtræ praxim obſervandi. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

De Virtutis ſuavitate.

Qui ſui impos non eſt, facile agnoſcit in mundo virtutem eſſe amabilem, & boni viri conditionem eſſe felicem. Fatetur hunc meliorem partem elegiſſe; ſuſpicitur pax illa, qua exuberat; perſeverantiæ ipſius invidetur; nemo ita flagitioſus & impius eſt, qui nolit mortem virorum bonorum ſubire. Sed quidquid agatur, ut chriſtianæ ſaluti externa hæc aſperitatis, atque auſteritatis ſpecies auferatur, quantumlibet ſuavia ſint ejus lineamenta, ſemper tamen horrida ei facies appingitur. Licet omnes illius aditus faciles, ſtratoſque coneris oſtendere, volunt ſemitam illius arduam eſſe, ſpinis, tribuliſque conſitam, & cruces tantummodo in ejuſdem ſolo germinare. Quamvis hæc omnia eſſent vera, quamvis virtus prærupta dumtaxat, & inhoſpitalia montium incoleret juga, quamvis aer, ac terra ibi devoraret habitatores ſuos, videlicet magno quamvis ſtaret pretio virum bonum eſſe; numquid fidem habenti alterum ſuppetit conſilium, quod ſequatur? Verum enim vero cum gaudium, tranquillitas, dulcedo a virtute vera ſeparari minime valeant: cum omnia ſtrata, & complanata ſint cordi, quod plenum eſt Deo, & cum anima tota impenditur Deo; cum ſpinæ, quæ ſecus virtutis viam conſitæ ſunt, hebetes ſiat, & minime laceſſant; cum in alio quovis ſtatu uberiores ſiat, & ubique gravius lancinant; cum itineris hujus anguſtiæ ſatis latum, commodumque ſpatium relinquant; cum omnia monſtra, quæ in virtutis regione inveniuntur, inania ſunt phantaſmata, quæ adventantibus evaneſcunt; quam amara, & gravis erit ignavis mortalibus pœnitentia, qui virtutem ipſam & habent in pretio, & diligunt; ſed qui ab eadem recedunt veriti, ut in ea nimias difficultates, ac labores inveniant. *Ibidem.*

Donum, quod ante cætera Deus animæ tribuit, gratia eſt, qua qui auctus eſt, poteſt omnia. Secundum eſt amor ipſius. Amanti omnia ſunt jucunda, & facilia. Tertium eſt plena fiducia, immo etiam certitudo ſalutis ſemper innixa divinæ bonitati, quam toties experti ſumus, ita ut de illa dubitare integrum minime ſit: quæ omnia licet mixtum habeant pavorem ſalutarem, hic tamen ne hilum quidem officit. Nonne hi ſunt fontes uberrimi conſolationis, pacis, gaudii, & tranquillitatis perfectiſſimæ, qua nulla ſuavior in mundo queat reperiri? Ex hoc fonte emanat cordis quies, affectuum malacia, teſtimonium conſcientiæ, quæ fidelis animam requie ſuaviſſima replet. Bone Deus, qua conſolationum copia animas ſervorum tuorum non irrigas. Adverſa, cruces, morbi, contraria fortuna, moleſti caſus, ærumnæ, quidquid amari in vobis eſt, evaneſcit, ubi labefactare contenditis cor purum, cor divino amore ſuccenſum, cor quod totum eſt Dei, & cui Deus eſt omnia. Mortis cogitatio, mors immo ipſa exuit horrorem ſuum, & hæc corporum noſtrorum diſſolutio, quæ creata omnia terrore replet, fidelem animam non niſi poteſt afficere lætitia. O quam verum eſt, Domine, jugum tuum leve eſſe, & ſuave, concede quæſo, ut id beata edocti experientia intelligamus. *Ibidem.*

Adeo ſuave eſt jugum Domini, ut ſit quædam præguſta-

Mundus ait, jugum Domini ferendum non eſſe; Filius autem Dei ſuum ſuave eſſe docet, & mandata ſua nequaquam eſſe difficilia. Cui fides habenda? Mundus ait; ſed quinam hic mundus eſt?

Illi,

in felicitate Beatorum.

Illi, nampe, qui id neſciunt; omnes enim, qui illod experti ſunt, docent oppoſitum. Gloriator mundos aſſeclas ſoos gaudiis, deliciis, conſolationibos affluere. Num verum dicit? Teſtes vocari poſſent mundi ſectatores, qui proculdubio delicias ſuas amaritudina repleras eſſe confiterentur. Perſuaſum nobis hodierno die eſt de maximis hiſce veritatibus, quas praxis confirmat; quas ſi minus ipſi experimor, credimus id modicæ virtuti noſtræ acceptum eſſe referendum. Nihil negemus Deo. Fides in minimis aperit, ut ita dicam, fontes omnes ſuavitatum, & conſolationum ſpiritualium, quæ animæ fideli procurant quietem adeo perfectam, ut nulla major inveniri poſſit in mundo, quæ quædam eſt veluti prægoſtatio felicitatis, qua Beati perfruuntor in Cœlo. Numquam de virtute niſi his affinia loquamur. Cœli, & æternitatis cogitatio magno ſunt nobis ſubſidio in ipſis etiam animæ hæreditatibus. Ne inquiramus delicias in cultu Dei; hoc enim earum curſum inhiberet, earum copiam exhauriret. Deo propter ipſius amorem tantummodo ſerviamus. *Ibidem.*

Excellentia naturæ Dei exigit, ut omnes facultates noſtra in cultu illius exerceantur.

Ut Deo ſerviamus, uti opus eſt, omnes in id facultates noſtras debemus intendere: ratio deſumitur ex natura Dei ipſius, atque eminenti magnitudine, quæ complectitur quidquid magnum fingi poteſt: hæc eſt magnitodo non ſolum infinita, ſed infinite infinita, quæ univerſa continet in ſe, quæ omnia redigit ad ſe, & quæ tali pacto dominatur in univerſa, ut quidquid in illa eminenter non continetur, ſit nihil. Dignitas ejus omnes abſorbet dignitates, bonitas bonitates, honor honores, utilitas utilitates, ita ot nihil conſideratione dignum extra ipſam inveniator. Præterea Dei dominatio talis eſt, & jura, quæ illam conſequuntur, tanta, ut jurium ſuorum vi omnia ſibi vindicet, omnia poſſideat. Quæ cum ita ſint, nonne æquum eſt, nos totos eſſe illius, noſtramque totam impendere ſervitutem; omnibus animæ noſtræ facultatibus eum colere, omnemque opellam noſtram uni illi præſtare, quandoquidem ideo in hanc lucis uſuram prodiimus? *Ex Tomo primo Epiſtolarum P. Sarini.*

Quidquid Sapientes dixere de neceſſitate temporis recte iniumendi, cujus jactura nullis umquam rationibus reparari valet, ad hoc potius, quam ad aliud quodvis argumentum applicari poteſt. Quæcumque enim præter hanc occupatio cum Dei ſervitio comparara, mera vanitas eſt. Oportet igitur, ut in executione conſideratio hæc rite perpendatur, & ut meminerimus, quidquid temporis in ſupremæ hujus majeſtatis cultum minime impenditur, periiſſe. Cæterum quænam melior inſtitui poteſt rei adeo pretioſæ œconomia, quam ſi jugiter Deo deſerviendo ad æternitatem acquirendam tranſmittatur? *Idem.*

Quoddam confidentiæ argumentum eſt animæ fideli, quæ Deo ſerviente tota vita ſua famulata eſt.

Fervor in difficillimis etiam occaſionibus, acerrimiſque tentationibus viget; anima magnis greſſibus in via mandatorum Dei procedit: immo leviter percurrit ſemitas has, quæ ſpinis quidem conſitæ, atque ſcopulis circumſeptæ, videntur aliis, eidem vero propter ſanctum gaudium, quo animatur, videntur ampliſſimæ. Gaudium hoc cor ejus dilatat, ac rapit; illa ſeſe attollit ad Deum vecta alis confidentiæ, & amoris; atque de ſublimi elevationis vertice contemnit mundum, ejoſque illecebras, Dæmones eorumque inſidias, nec videtur ultra naturæ, & cupiditatis pondus ſentire. Sancti illius fervores, ubi mortis memoria ſubit, ingeminantur. Heu! inquit illa, Deus meus, & Deus cordis mei? quandonam illa nobis illuceſcet dies, quo ſine ullo velamine videbo te; quo ſine ulla diviſione te poſſidebo, quo te ſine tempore ullo diligam? Conſtringe Domine vincula, quæ me tenent, educ de carcere animam meam, & mihi vitam hanc aufer, ubi te ſemper laceſſo. Adventus mortis hujus adeo mortalibus omnibus horridæ, fervorem animæ ſanctæ magis; magiſque adauget. Exclamat pia hæc anima, prope inſtat exilii mei finis: tandem igitur fruar poſſeſſione Dei mei, & in ſinu illius conquieſcam. Præverte Domine, Pater mi, hoc momentum mihi, quod numquam nimis celeriter meis votis accidet. Invaniret, ſcio equidem, juſtitia tua in me, onde ſuccenſeret, & ex me pœnas expoſceret; ſed me comitem addo JESU CHRISTO, per quem me ſalvum feciſti, & & in quo amo te! In ſolis meritis ejus confido, atque id ſpero conſecuturum per ſanguinem ipſius. Suavi hac ſpe ducta anima hæc ægritudinis rigoribus cedit, & extremum recipit lethale vulnus, quo ſuum abſumitur ſacrificium.

Pax, & tranquillitas qua fruuntur ſervientes Deo, pœnis, quæ in mundi ſervitute perferuntur, comparata.

Nihil eſt ex parte virtutis, quod nobis perſuadere debeat, nos ad perfectionem ſtatus noſtri propriam pervenire non poſſe. Virtus quocumque in loco ſit, & quacumque ex parte ſpectetur, videtur amabilis, & vere eſt. Character ipſius eſt ejuſdem elogium. Lenitas illi ſemper comes accedit. Rectitudo, bona fides, modeſtia, charitas, juſtitia, quidquid in chriſtiana, urbanaque vita verum conſtituit meritum, & reverentiam, atque exiſtimationem promeretur, hæc omnia ad veram illius imaginem, & characterem abſolvendum concurrunt. Si quid ex his in virtute deſideratur, virtus ultra non eſt. Quænam vero difficultas obſtat, ne ſis homo lenis, honeſtus, officioſus, miſericors? Quænam te ab ſtatus tui muneribus obeundis deterret? Ut me verbo expediam, quænam in Dei ſervitio difficultas occurrit? Quot autem, & quantæ in mundi ſervitio? De his judicium feramus ex moroſitate, ægritudine, dedecore, quæ eos torqueant, qui parum chriſtiani ſunt, & a vitæ honeſtate diſſentiunt. Quid contemptibilius, & reapſe contemptius eo, qui liberior æquo eſt, atque exlex, nec non omnis religionis expers, & nequam? Virtus, inquiunt; in prærupti montis cacumine ſita eſt: verum eſt; ſed & illuc facilis patet adſcenſus, & gratia omnes vias nobis ſternit. Modico quidem labore opus eſt aſcendenti; ſed non longa via eſt, & ubi illuc perveneris, quæ aeris ſuavitas! quæ pax! quæ ſerenitas! quam abunde omnes ſarciuntur exantlati labores, & ſumptus impenſi! Quæcumque Deo ſervientes patimur, ne minima quidem particula eſt eorum, quæ mundo ſervientes ſuſtinemus. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Deus amanti nihil grave.

Cogitate de fide eſſe, Domini jugum eſſe leve, & facile, quod ſuſtineatur ab illis, qui conſtanti animo ſerviunt Deo: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matth. 11. Licet experientia, & conſtans Sanctorum omnium confeſſio non eſſet practicæ hujus veritatis demonſtratio: ſolum JESU CHRISTI verbum ſufficeret ad perſuadendum, nos ſenſibus noſtris decipi, rationem noſtram mentiri, cum ait Dei ſervitutem aſperam eſſe; viam, quæ ducit ad Deum, cum arcta, anguſtaque ſit, difficillimam, & moleſtiſſimam eſſe; pietatem ali amaritudine crucis. Pœnitentia, mortificatio, adverſitas, contemptus, humiliatio, hæc ex mortalium ſententia ſunt bonorum virorum pars; idque abſterret, repellit, avertit tot ignavas animas a Dei ſervitute. Tamen licet univerſalis hæc ſit opinio, & paſſim accepta, falſiſſima tamen eſt. Salvator, qui eadem eſt veritas, oraculum, quod falli non poteſt, affirmat nullam in terris veram eſſe ſuavitatem niſi in Dei ſervitute. Nihil hoc verius. At cruces nonne germinant in viis perfectionis? Mortificatio avelli ne poteſt a vera pietate? Ingreditur ne aliquis in cœlum, qui in ſe violentus non fuerit? Haud ita ſane; ſed cum Dei amor ſit principium, baſis, & quodammodo chriſtiana virtus, cum Deus vere diligitur, nihil videtur grave, nihil amarum, nihil difficile; unde illa profecta eſt egregia S. Auguſtini ſententia: *Ubi amatur, non laboratur; aut ſi laboratur, labor amatur.* Deum amanti omnia ſuavia ſunt, omnia facilia; & ſi in hac ſancti amoris via, aliquæ difficultates occurrunt, ipſæ difficultates amantur ita, ut illis carere diſpliceret. Quo plurima pro objecto dilecto perferuntur, in iis perferendis major voluptas, & gaudium majus percipitur; tantumque abeſt, ut nobis oneroſæ fiant difficultates ipſæ, ut immo miram adferant jucunditatem. Septennium ſervitii nihil videbatur

Jacob cogitanti magnitudinem mercedis, videlicet Rachelis, quæ laborum ſuorum fructus erat futura. Longinqua navigatio magna habet incummoda; exercitus gravia habet exercitia; oppidum non ſine magnis periculis defenditur; tamen cupiditas, honor, amor gloriæ nullam in his difficultatem nanciſcitur; & amor Dei non iiſdem privilegiis perfruetur? *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Deus curam gerit ſervientium ſibi

Quid deeſſe poteſt illi, cujus curam Deus gerit? Quid huic metuendum eſt? Si Deus pro nobis, quis contra nos, dicebat Apoſtolus? Licet mundus univerſus conjuraret in hominem, quem in ſuam clientelam recipit Deus, licet totus in illum infernus irrueret, quid illi eſt trepidandum? Joſeph a fratribus ſuis venundatur Iſmaelitis; truditur in carcerem ab eo, a quo emptus fuerat, quis non portento ſimile exiſtimaſſet, credere alienigenam hunc, vile hoc mancipium, præſumptum hunc reum inter manicas, compedeſque concluſum futurum aliquando ſecundum abs rege in Ægypto? Deus hujus curam ſuſcipit; licet illi calumniæ ingerantur, oblivioni tradatur, afficiatur contumeliis, egreditur de carcere, ut ita dicam, regni ſolium aſcenſurus. Quodnam efficacius, quam Omnipotentis præſidium? Quis portus ab omni procella tutior? Adverſa fortuna, familiarum, rerumque publicarum ſubverſio, horribiles caſus, eventus inauditi, nil horum perturbare poteſt felicitatem, vel labem adſpergere gloriæ illius, cujus Deus curam gerit. Hæc homini juſti ſors eſt. Gemunt pauperes; humili loco nati, neque præſtanti ingenio prædIti, omni carent præſidio, ſquallent in oblivione; ſed ſi Amici Dei fuerint, ſi integri vitæ, ſceleriſque puri extiterint, Deus eorum curam aſſumet; & licet divitum, nobiliorumque fortuna niteat, ac fulgeat, viri boni ſors eſt centies beatior. Hoc autem ſuavi experientia cognoſcere, ſingulis licet. *Idem*.

Ne dixeris ultra, magnis ſumptibus ſtare ſanctitatem. Hæc loquendi ratio adeo communis apud imperfectos, mundanoſque, nimis aperte probat, Deum nimis parum amari. Difficultates, quæ in illius ſervitio inveniuntur, non ſunt in illo, ſed in corde eorum, qui ſibi blandiuntur, cum putant ſe Deo velle ſervire. Æger viribus effœtus, lenta febri ad maciem adactus omnia invenit nauſeoſa, faſtidium ſibi afferentia; quæ omnia viro bene valenti, ac robuſto levia videntur. Idem infirmus, qui vix alterum proferre poteſt pedem, quin labatur, haud ægre pedibus leucam obambulat, cum bona fruitur valetudine. Ex practicis hujuſmodi conſiderationibus proficite. Amate Deum & omnia vobis erunt jucunda, ac in illius ſervitute facilia. Amate Deum, & omnes perfectæ vitæ difficultates evaneſcent. Quod ſi Evangelica inſtituta nimis videantur vobis amara, & gravia, hinc arguite, animam veſtram infirmam eſſe, & a vobis nequaquam amari. *Idem*.

Fallacia mundi placita, quibus aſſeritur pulchrior ætas non eſſe Deo devovenda.

Ex fallaciſſimis mundi placitis extremum non eſt, in voluptatibus juventutem eſſe tranſigendam; hac ætate oblectationibus eſſe indulgendum; tempus affuturum, quo pietatis cultores fieri æquum eſt: maturiorem ætatem aptiorem eſſe perſeverantiæ; ſingulis ſuum eſſe tempus, anni primi, quippe florentiores, ex plurimorum ſententia, mundo ſunt deſtinati. Incertæ reliquiæ dierum languentium, ac ſemimortuorum deſtinantur illi, cui omnia debentur vitæ momenta: tunc ſatis apti erimus colendo Deo, cum rebus omnibus erimus inepti; en quid perniocioſiſſimum hoc placitum ſignificet. Hilariter traducenda eſt juventa: cuinam principio periculoſiſſima hæc incumbit ſententia. Quid? Ætas virtuti aptior, & in vitium proclivior legibus ſubjicienda non eſt? Valla omnia, aggereſque conterendi ſunt, quia torrens magno cum impetu fertur? Adoleſcens facile corrumpitur; expectandum non eſt, donec corruptio deferveat? Adoleſcentes in vitium cerei ſunt; num charitatis, rectique ſenſus eſt, pati illos in interitum ruere? *P. Croiſet in Aſceticis conſiderationibus &c.*

Permittendum eſt, juventutem elabi; at elabentur ne juvenum vitioſæ affectiones & habitus pravi, quos alunt, & qui recentes in ſingulos dies vires acquirunt? Et Deus hic, qui nihil dimitti juſtis animabus, dimittet ne flagitia, & impietatem adoleſcentiæ nefariis juvenibus, condonabit ne parentibus nefariam indulgentiam, quæ tot adoleſcentes in totidem protervos homines convertit. Tempus erit, quo Chriſti fidelibus liceat impune Deum laceſſere, voluptatibus tantum vacare, ac ſibi gloriæ ducere, quod nihil credunt? Prima eorum rudimenta erunt ſanctiſſimas leges in jocum traducere, & illos, qui Deo famulantur, contemnere. Prima eorum ſtudia ſunt, reſiſtere contra motus gratiæ, & cum peccato conſueſcere. Hoc tamen probari vult mundus, tamquam receptam conſuetudinem, cum ait, permittendum eſt, ut tranſeat juventus. Heu! celeriter nimis juventus iſta præteribit, ſed libidinoſæ, nefariæque juventutis flagitia numquam fortaſſe præteribunt. *P. Croiſet ibidem*.

Juventus, inquiunt, voluptatum eſt ætas: æquius dicerent: ætas eſt peccatorum, ideoque ex omnibus ætatibus illa, qua noſmet ipſos magis mortificare, nobiſque majorem vim facere debemus. Sed quonam privilegio tempus illud, quo præ omnibus affectiones noſtræ magis pertimeſcendæ ſunt, voluptatum ætas factum eſt? Quamdudum erit in chriſtiani vita numerus annorum, quibus ille diſpenſatur ab officiis, quæ ſunt magis Chriſtianæ legi eſſentialia? Qui juvenis eſt, ſatis fortis non eſt, ut vincula infringat, quæ coaleſcere incipiunt; & ſperat ſe fortiorem futurum, cum vincula multiplicabuntur, & vires attritæ erunt, vel quaſi everſæ hoc tot annorum habitu. Juvenes æque licentiores, creditis ridentes hoc ætatis minus effœtæ dies nequaquam devovendos eſſe Deo, qui vos creavit, atque conſervat, nimis ſpecioſos eſſe, ut ſanctificentur; hos veſtris voluptatibus deſtinatis, quos autem Deo tribuetis? Verum ſi omnes dies veſtri numerati ſunt; & ſi omnes, quod certo certius eſt, ineluctabiliter Domini ſunt jure eo, quod alienari minime poteſt; dies, quos illi deſtinatis, non ideo minus debentur. Quantumvis bene diebus noſtris antiquis utamur, numquam ſatis temporis illi tribuimus. Quæ igitur jactura reparabit jacturam adeo diuturnæ adoleſcentiæ; & ſi jactura hæc irreparabilis eſt, cuinam alteri principio innitemur, ſi chriſtianæ vitæ officia in tempus aliud rejicimus? *Idem*.

Deo totius conſolationis non ſervimus, quin in ejus ſervitio ſuaviter repleamur.

Nequaquam putandum eſt, quod aliquibus accidit, Dei ſervos nulla in hac vita oblectatione perfrui. Craſſus hic error eſt filiorum ſæculi ſibi perſuadentium in Salvatoris ſequela nonniſi cruces, ac tribulationes offendi. Error graviſſimus! Nemo ſervit Deo totius conſolationis, quin aliquam guſtet in ſervitute ipſa oblectationem. Cæterum Salvator, qui diſcipulis ſuis dixit, illos ſuarum perſecutionum, & opprobriorum futuros eſſe participes, illis etiam pollicitus eſt centuplum ſpiritalium conſolationum. Vult eorum pœnas aliqua ſemper ſuavitate conditi; & ſicuti mundus fautoribus ſuis numquam impertit, quæ non ſint aliqua amaritudine permixta; filius quoque Dei nullum Electis ſuis dolorem immittit, qui aliquo interiori gaudio non leniatur. Manu eadem, qua fel, & abſynthium inſpergit voluptatibus impiorum, temperat deliciis omnes bonorum pęnas. Numquam illis calicem ſuum exhauriendum tradit, quin illius amaritudinem aliqua conſolatione mulceat, & altera manu crucem offert, effundit altera ſacram unctionem, qua eamdem efficit minus inſuavem. Si amicos ſuos nonnumquam ad Calvarium adducit, eos etiam nonnumquam ducit ad Thabor. Iidem diſcipuli, qui teſtes fuere agonis ſui in horto Gethſemani, prius in monte ſancto teſtes etiam fuerunt transfigurationis ipſius. Optimus hic Dominus, & Magiſter lenitatis, & benevolentiæ cumulatiſſimus ferre nequit, fideles ſervos, atque diſcipulos dulcedine, & lætitia omni carere. Efficit etiam, ut hanc in ipſis laboribus, & jugo, quod bajulant, admixtam inve-

inveniant. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Sermo manuſcriptus.*

Motus, qui violentus eſt, cum ad finem accedit, lente procedit, atque laxatur. Qui, exempli gratia, lapidem ſurſum jaculatur, lapidi projecto motum impertit, & impreſſionem, quæ manet, donec manere poteſt. Verum cum aliunde naturale hujus lapidis pondus huic motui reſiſtentiam immittat, & paullatim impreſſam ſuperet violentiam, hinc fit, ut hic motus, atque hæc violentia remittatur, & naturale lapidis pondus efficit, ut ad centrum ſuum revertatur. Hoc ipſum de virtute dicendum eſt. Hæc nobis quidem naturalis non eſt; motus eſt violentus, mori ſibi met ipſi, quem in cordibus noſtris imprimit gratia. Gratia hæc eo momento, quo nobis confertur, fortior eſt quam natura; verum accidit, ut mala voluntas noſtra peccati habitum contrahens reviviſcat primus mores reſumens, & hoc pacto cœli motum ſuperat; natura referente ex gratia non ſine quadam infelicis victoriæ ſpecie, id, quod pius gratiæ motus ſecuta ſibi amiſiſſe videbatur. *Auctor Anonymus.*

Dei ſervitus unicus eſt finis, quem nobis in omnibus proponere debemus.

Hoc unum in vita nobis faciendum eſt, ut ſerviamus Deo Legem, & mandata ejus ſervantes. Hoc unicum eſſe debet omnium noſtrarum curarum, atque cogitationum objectum. Hic unus eſt finis, in quem omnes actiones, conſilia, cogitationes, atque intentiones debent intendere. Verbo, omnia vitæ noſtræ momenta Dei ſervitio ſunt devovenda, ac uni ſalutis noſtræ negotio impendenda. Aliter operari eſt agere contra finem, propter quem Deus nos in mundo conſtituit. Hanccine nobis hactenus propoſuimus? Quidquid fecimus, fecimuſne propter Deum? In omnibus illius tantum gloriam quæſivimus? Quid hactenus a nobis actum eſt, ut ſaluti noſtræ conſuleremus? *Auctor recens.*

Actum jam eſt, Domine Deus! Poſthac totus ero tuus. Non niſi propter te volo operari. In omnibus actionibus meis id unum quærere, ut tibi morem geram, & placeam. Legis tuæ obſervantia unicum erit curarum, induſtriæque meæ objectum. Creaſti me, ut te in æternitatem omnem poſſiderem, poſtquam aliquot annis tibi in hac vita deſerviſſem. Omnia hujus momenta tibi dicata eſſe volo. Sentio quidem, conſilio meo plures obices nequaquam defuturos: omnes exeret dæmon conatus ſuos, ut me perdat: mihi exhauriendæ erunt plurimorum irriſiones, qui mutationem hanc improbaturi ſunt; mihi met ipſi jugiter vis erit inferenda ad cohibendos impetus affectionis illius, cui me penitus abdidi: verum *ſi conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum.* Pſalm. 26. Cur? quia gratia tua adjutus, nihil eſt, quod reformidem; nulla vis poteſt me a ſervitute tua deterrere. *Idem.*

Sunt, qui virtutis praxim perſuadere cupientes, illius tantum auſteritatem oſtentant. Illis immo oſtendenda eſt ſuavitas, quæ comes eidem accedit; puræ conſcientiæ lætitia; pax cordis adhærentis Deo; felicitas, qua fruitur, qui perfectum obtinet ſuimet ipſius imperium. Cum igitur animæ ad vitam devotam ſunt alliciendæ, hoc primum ducendæ ſunt, omnia terræ hujus bona eſſe fallacia, vana, ſuperficialia, quæ noſtra nequeunt replere deſideria; fluxa, fragilia, mutationi obnoxia, & quamprimum de mane uſque ad veſperam peritura. Cum veritates hæ magna in luce iis proponuntur; tunc plane cognoſcunt, ſe in tenebris ambulaſſe, donec fallacibus hiſce bonis adhæſere; vivendi genus ſuum errorem eſſe, ideoque mutandum. *P. Surin Tom. 1. dialogorum ſpiritualium.*

Dei ſervitium tantum abeſt quod grave & moleſtum ſit, ut ſit etiam jucundum.

Arte hac utitur dæmon ſæpiſſime, ut nos a Dei cultu abſterreat, hunc nobis exhibens tamquam gravem, difficilemque, ægritudinibus, mœroribuſque refertum, qui quidem perniciosus eſt error, ac diligentiſſime præcavendus; quem ut abjiciamus, ſatis eſt animum advertere ad id, quod ipſe docet *Jeſus Chriſtus*, ubi de ſuo loquitur ſervitio: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matth. 11. & alibi: *Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris.* Et profecto quænam requies, voluptas, ſuavitas comparari poteſt cum illa, qua Deo impenſius ſervientes perfruuntur! Gratiæ, quibus Deus illos prævenit, virtutis praxim illi adeo facilem præbent, ut nullam in ea difficultatem nanciſcantur. Conſolationes, quibus eos cumulat, inconcuſſos reddunt omnibus vitæ hujus malis, quemadmodum Spiritus Sanctus teſtatur Prov. 12. *Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.* Teſtimonium, quod propria illis perhibet conſcientia, ſe a Deo amari, ejuſque amore frui: moralis, quam habet ſalutis ſuæ certitudo, aliæ denique benedictiones, quibus eos cumulat Deus, ſunt quædam prægustatio felicitatis, quam illis in altera præparat vita. Omnibus hiſce ſupernaturalibus favoribus adde, illos ab omnibus amari, & in pretio haberi, & ſingulos ſua intereſſe putare, quidquid illis uſuvenit. Ita Deus in hac etiam vita ſervientes ſibi remuneratur. *Chriſtianæ conſiderationes.*

Soli ſervi Dei guſtare poſſunt dulcedinem ſervitutis ipſius.

Suavitas, & conſolatio, quibus cumulat Deus ſervientes ſibi, ſuperant, quidquid fingi poteſt, & illi ſoli abſconditum theſaurum iſtum agnoſcunt: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Pſalm. 30. Hoc ipſum noſtrum ſinguli experiri potuimus, donec Deo fideles extitimus. Tunc una die plus voluptatis percipiebamus, quam experti fuerimus, ex quo a Dei ſervitute receſſimus: *Melior eſt dies una in atriis tuis, ſuper millia.* Pſalm. 83. Heu! poſt infelix illud momentum, quo in peccatum lapſus ſum, nondum verum guſtavi gaudium; non niſi labor, ægritudo, triſtitia adhæſit medullis meis. Ex quo ſemel a via veritatis erratur, ſemper teruntur viæ difficiles, arduæ, & quodammodo inhoſpitæ. Vivitur in tumultu, atque ſollicitudine. Semper inquieti ſumus, ſemper ægritudine quadam laboramus, ſemper conſcientiæ ſtimulis nulla nobis requiem præbentis torquemur. *Erravimus a via veritatis.... laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* Sap. 5. Si ſcires, quam ſuave ſit ſervire Deo, & quam moleſtum ab illius ſervitute recedere, non ſolum ab ea non recederes, quin etiam ferventer illam amplecteretis; ſed hic theſaurus abſconditus eſt, quem Deus non niſi veris illius ſervis aperit. *Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Chriſtianæ Conſiderationes.*

Quoniam me dignaris, Domine, excipere in numerum ſervorum tuorum, licet indignum, gratiam mihi concede, ut tibi ad mortem uſque fidelis exiſtam. Ne ſinas me fallacibus voluptatum illecebris allici, nec mendacibus mundi placitis decipi, neque difficultatibus abſterreri, quas ab ipſis affectionibus meis experiri poſſent, & quæ me in ſervitutis tuæ tædium poſſent adducere. Fac me ita cordis mei Dominum, ut numquam inimicis tuis aditum præbeam, qui in eo tamdiu imperitarunt: *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam; & noli me reprobare a pueris tuis; quoniam ſervus tuus ego ſum.* Sap. 9. *Ibidem.*

Non eſt dubitandum, utrum ſerviendum ſit Deo, an dæmoni.

Cum nobis detur optio Deum inter, & dæmonem, noſtrum eſt videre, utrius eſſe velimus; alterutri enim ſerviendum eſt nobis, quandoquidem utrique ſerviri non poteſt. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Matth. 6. Cæterum Dei Filius nullam diviſionem admittit. Quemadmodum ille ſe nobis totum dedit, & nihil eſt, quod ab eo non acceperimus, vult, ut nos quoque viciſſim ſine exceptione ipſi devoveamus: *Totum te exigit, quia totum te fecit:* ait D. Bernardus. At dubitandum ne eſt, utrum capiamus conſilium? Pauca nobis pollicetur dæmon; quandoquidem nobis fluxa promittit bona, quæ ne bonorum quidem nomen merentur; & quæ ſua non ſunt; & nos ad ſequelam evocans ſuam, non vult quidem beatos nos facere, ſed in eamdem calamitatem, in quam præceps ruit, nos quoque pertrahere. Dei filius e contra nihil nobis pollicetur, quod non largiatur, & cujus poſſeſſio-

nem

nem non habeat. Pro quacumque vel leviſſima vi, quam nobiſmet ipſis inferemus, pro noxia voluptate, qua abſtinebimus, beatitudinem nobis promittit nullum finem habituram. Nihil ipſi perferemus, quod non ille antea pertulerit, ut nobis præberet exemplum; ejuſque conſilium eſt evertendi Dæmonis imperium, gloriam Patris ſui reparandi, ac nos immittendi in Regni poſſeſſionem, quod nobis ſanguinis ſui pretio comparavit. Quidquid unquam Sanctorum, Sapientumque virorum fuit, partem hanc adoptarunt; & nos ipſi cum erimus in mortis articulo conſtituti, eamdem nequaquam ſecutos fuiſſe dolebimus. Id nos facturos in ſacro Baptiſmi fonte juravimus, cum regenerati fuimus ad gratiam in eccleſiæ ſinum excepti. Tunc enim ex nobis quæſitum fuit, utrum dæmoni, & omnibus pompis, operibuſque illius abrenuntiaremus, & per os ſponſorum noſtrorum iiſdem nos abrenuntiare reſpondimus. Hoc fœdus ante aras ſancitum, cujus teſtes fuerunt Angeli, & homines, nos aliquando damnabit, ſi ejus promiſſionibus fuerimus infideles. Hoc autem deinceps ratum eſſe volumus, cum libere, & ſponte Chriſtianam Religionem profeſſi ſumus. *Ibidem.*

Quam felices ſunt animæ iſtæ ſubjectæ Deo, regulis ab eo ſibi præſcriptis attentæ; animæ illius timore ſimul, & amore actæ, & chriſtianarum virtutum praxi ſuffultæ! Omnibus vacuæ deſideriis, & magis adhuc omni metu, requiem nanciſcuntur, quam ſenſibilium bonorum perfruitio præſtare non poteſt. Dicant nobis hæ animæ electæ, quænam ſunt deliciæ, quæ innocentiam comitantur: qua tranquillitate ſpectetur terra, ubi deſpicitur; qua confidentia confugitur ad Deum, ubi ſincere perquiritur; qua ſecuritate cor cum eodem, ut ita dicam, permaneat, ubi cœleſtibus hiſce virtutibus repletur. Ennarrent, ſi fieri poteſt, quænam ſit puræ conſcientiæ pax, pax illa, quæ omnia verba, omneſque ſenſus noſtros exuperat. *Sermo tertiar Academiæ anni 1707.*

Deliciæ quæ in Dei ſervitute inveniuntur.

Quæramus requiem, & felicitatem noſtram, donec nobis in hac vita placuerit, nuſquam illam niſi in Dei ſervitio inveniemus. Terra a Domino maledicta non niſi tribulos, ac ſpinas germinare poteſt. Solium ipſum licet nitidum, locuples, atque refulgens hominem beatum nequit efficere. Florentiſſima fortuna, diutiſſima proſperitas, gloria pulcherrima perſtringere quidem poſſunt, ſed nihil in terris nobis penitus ſatisfacere poteſt. Sex annorum millia fere elapſa ſunt, ex quo homines beatos ſe ſtudent efficere; nemo potuit adhuc plenam, perfectamque invenire requiem, quæ omnia vota ſua complere potuerit. Reſtat illi ſemper infinitum vacuum, quod omnia objecta creata replere non poſſunt. Pro his homo factus non eſt. Ad Deum uſque ſe attollat homo, opus eſt, illius adhæreat ſervituti; & quo id capit conſilii; pacem nanciſcitur, ac ſuavitatem, quam alibi non invenit, licet nihil intentatumque reliquerit, ut eam ſi procuraret. Manifeſtum argumentum, Deum eſſe finem, & centrum noſtræ quietis, & nos nonniſi eidem ſerviendo frui poſſe perfecta tranquillitate. Licet maximi terrarum Imperatoris amicus eſſes; licet in illius aula omnibus voluptatibus, ac deliciis affluetes, felicitas hæc eſſet chimærica, & beatitudo commentitia: *Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia*, inquit Propheta Pſalm. 83. Dies una in atrio Tabernaculi ducta, & in Dei ſervitute tranſacta nobis plures veras parit dulcedines iis, quas in maximi terrarum Principis ſervitio ſexcentis annis poſſumus delibare. *P. Croiſet in Aſceticis exercitationibus Tomo 5.*

In noſtra poteſtate non eſt ſervire Deo vergente in ſeniam ætate.

Ut Deo utilius, ac fructuoſius famulemur, illi ſerviendum eſt, quam citius fieri poteſt; namque in ipſo ætatis flore fidentius, & abſit invidia verbo, dignius illi opellam noſtram offerre poſſumus. Numquid auderemus aliquam nobis ſedem depoſcere inter terreni alicujus Principis miniſtros, poſtquam in ignavia, & otio conſenuiſſemus! Et minus adhuc omni dubio procul id petere auderemus, ſi meliorem vitæ noſtræ partem in aula inſenſiſſimi illius inimici traduxiſſemus. Quis adeo impudens eſſet, ut exercitus ſibi depoſceret imperium, poſtquam toto vitæ ſuæ ſpatio domi in foci angulo conſediſſet! In mundo, & ſecundum mundi placita vivere, cum per ætatem Deo potes famulari, hoccine eſt ei debitum honorem deferre! Velle poſt hæc in ejus ſervitutem admitti tamquam aliqua exiſtimatione dignos, hoc eſt palam noſmet ipſos decipere, & non ſolum periculum adire ut ab illius aditu prohibeamur, verum etiam ut inter ſcelera noſtra intereamus. Rugæ noſtræ nos a cœtibus arcent, voluptates non ſunt amplius pars noſtra, in conventibus nonniſi tamquam inutiles habemur. Sequi vellemus ſapientiæ viam, cuperemus eſſe devotos, atque prudentes; verum eritne tunc in poteſtate noſtra eſſe tales? Infinitam habeat præſumptionem oportet, qui putet, hoc in ſua poteſtate futurum. *P. la Peſſe Tomo 4.*

Non ſolum Filii Dei jugum ſuavius eſt mundi jugo, ſed & onus illius levius eſt. *Onus meum leve.* Conſilia Evangelica ſunt onus JESU CHRISTI; onus vero mundi ſunt ſcelera inhærentia amori, quo illum proſequimur. Conſiliorum obſervantia tribuit animæ pacem, cum qua nullum temporale bonum poteſt comparari, & quæ omnem ſenſum, & cogitationem excedit. E contra, iniquitas excitat in peccatoris anima turbas, quas nulla voluptas mulcere poteſt. Conſiliorum praxis nobis ſternit præceptorum difficultatem; cum interea præcepta in ſingulos dies fiant peccantibus difficiliora. Conſiliorum complementum eſt quodammodo certum ſalutis noſtræ pignus, juxta illa Apoſtoli 2. ad Tim. 4. verba: *bonum certamen certavi, curſum conſumavi, fidem ſervavi in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa juſtus judex.* E contra perſeverantia in ſceleribus nonne mundi ſectatoribus eſt certum veluti æterni eorumdem excidii argumentum? Quam terribilis eſt cogitatio iſta! Ego igitur, ſi lubet, Salvatoris onus per ſe graviſſimum, ſaltem fatendum erit, bonis, quæ illud comitantur, non parum mitigari. Quid mundanus ad hæc? JESUS CHRISTUS, ait, nos ad conſiliorum praxim non obligat. Eheu! Quid intereſt, utrum aliquid imperatum ſit, nec ne, ſi inde maxima redundant bona. *P. Seguers in Medit. Tomo 3.*

Cui Salvatoris onus levius ſit onere mundi.

Si tibi non credo, Salvator, dicenti jugum tuum eſſe ſuave, & onus tuum leve, non deeſt in me metipſo infidelitas; ſi credo, & nihilominus onus hoc ſubire detrecto, hæc inſania eſt, ac dementia. Sed cur de verborum tuorum veritate dubitem? Numquid petis a me, quod abhorreat a ſapientia & juſtitia, quod perfecte cum veris commodis meis non conſentiat! Numquid mihi præcipis quidpiam, quod ipſe gratia tua facile minime præbeas, ſi fidelis eſſe voluero? Mundus, verum eſt, ſinit me ad deſideriorum meorum libidinem vivere; ſed præſtat ne, ut finem inveniam mihi propoſitum, cum iiſdem indulgeo? Hoc moleſtus eſt, & inutilis labor, qui me obruit, cum mihi blanditur. Tu vero, Domine, nihil ſervis tuis promittis, quod tibi ſervientes non conſequantur: ipſa etiam conſiliorum praxis, quæ mundanum terret, illis eſt fons tranquillitatis, facilitas bene agendi, & ſalutis obtinendæ ſecuritas. Mundanus vero, quem obſervantia placitorum ſæculi retinet in iniquitate, audeat ne dicere, leve onus ſibi eſſe ferendum? Sola voluptas ſerviendi Domino, qualis es tu Salvator meus, poteſt abunde reparare omnem moleſtiam, ſi qua in lege tua ſervanda invenitur; ſed mundanus videt injuſtitiam tyranni, cui ſervit, & duritia legis, quam imponit. *Idem ibidem.*

Diſcrimen inter jugum Salvatoris, & mundi.

Salvatoris jugum ſunt illius præcepta: *jugum meum*, onus vero Conſilia Evangelica, *onus meum*. Alterum ſuave eſt, alterum leve, non ſolum ſi in ipſis ſpectentur, ſed etiam ſi cum mundanorum vita comparentur. JESUS CHRISTUS allicere vult peccatores, ut jugum ſuum non detrectent comparatione inſtituta cum ſæculi jugo, & re adhuc integra promittit illis requiem, quam inutiliter quærunt extra ipſius ſervitutem. Sed præter veram cordis pacem, quam illis pollicetur, addit ipſos in legis ſuæ ob-

fer-

ſervantiæ dulcedinem inventuros, cum interea mundi placita pro illis ſint pondus, ſub quo non cedere non poſſunt. Hæc eſt connexio horum verborum: jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve, cum illis, quæ præcedunt: Venite ad me vos omnes, qui onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quæ nobis utilitas, ſi rite cognoſcere poſſumus, quid interſit diſcriminis inter ſæculi captivitatem, & Dei ſervitutem. *P. Segneri in Meditationibus Tomo 3.*

Aſſerere chriſtianam vitam ſuaviorem eſſe mundanorum ſtatu, mundanis videtur paradoxum. Mundus, ut fautores ſuos ſibi captivet, permittit illis, ut indulgeant affectibus ſuis, & eorum libidini, avaritiæ, ac ſuperbiæ velificatur. Commendat curam, qua ſibi rebus in omnibus ſatisfaciunt. Dei Filius e contra ſervos ſuos cogit, ut ſibi jugo inferant bellum; qua etiam in re ſervitus ejus ſuavior longe eſt, quam ſervitus mundi. Profecto nemo eſt, qui adjuvante Deo nequeat ſuas ſuperare cupiditates, ac lenſim ita illis dominari, ut tandem haud ægre illas ſibi ſubjectas experiatur. Sed quis unquam id aſſecutus eſt, ut illis omnibus faceret ſatis? Hic nondum viſus fuit. Cupiditas omnis augeſcit flammæ inſtar, prout illi pabulum miniſtratur. At ullus ne miſerior ſtatus eſt, quam jugiter laboribus confici pro fine, quem numquam es conſecuturus? Ut poſt labores tuos ſis calamitoſior, quam ante? Dei ſervitus ergo minus moleſta eſt propter finem ſuum, videlicet propter appetituum noſtrorum mortificationem, quam ſit ſæculi jugum, cujus finis eſt, illis ſatisfacere. Addamus etiam alteram eſſe altera ſuaviorem propter media, per quæ ad terminum ſibi propoſitam pervenire aliquis poteſt. Dei Filius magna quidem a ſuis ſervis requirit; verum etiam ſimul magna ipſis miniſtrat ſubſidia. Eos ſua gratia munit, animat, eis opem fert, ut ſa ſe ſupra naturam attollant; aſſumit ille ſibi graviorem jugi partem, ejuſque ſpiritus noſtram ſuſtinet infirmitatem. Mundus nos impellit, ut injuſta animi noſtri ſtudia ſequamur, ſed omne auxilium nobis afferre detrectat. Dicit, ut olim Pharao: Non dabo vobis paleas, ite quocumque vultis ad illas quærendas; & nihil operum veſtrorum imminuetur vobis. *Idem ibidem.*

Dulcedo, quæ in Dei ſervitute guſtatur. Jugo duæ inſunt proprietates; altera ſimul conjungendi animalia, quæ alioquin ad illud geſtandum numquam conjungerentur; altera cogendi eadem animalia, ut concordi gradu eamdem ſequantur viam, per quam ductor illorum ea agere ſtudet. Hoc eſt legis Evangelicæ ſymbolum; Judæos ſimul, & Gentiles conjungit, qui alioquin invicem eſſent disjuncti: deinde coegit eos communibus officiis, ut incederent per ſolam, unicamque viam, quæ ducit in cœlum. Aures veſtræ, inquit Iſaias Propheta c. 30. audient vocem Domini, clamantis: hæc eſt via, ſequimini illam, quin flectatis ad dexteram, vel ad ſiniſtram. Quam glorioſum eſt tale jugum! quam ſuave eſt, quam leve! Hoc jugum eſt Salvatoris ipſius: *jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matth. 11. Tamquam Deus noſter ille hoc nobis impoſuit; tamquam homo, ipſe etiam geſtavit illud invicta conſtantia uſque ad mortem. Cæterum Dei Filius nequaquam præcipit cum Tyranni ſævitia, quærentis minus amorem noſtrum conciliare ſibi, quam timorem. Noſtra dumtaxat poſtulat corda; nil vult ſibi ingratiis tribui. Hic homo Deus ſuum nobis imponit jugum cum ſuavitate, tamquam Rex mitiſſimus. *Diſcite a me, quia mitis ſum.* Matth. 11. Suavitas primum eſt attributum, de quo ipſe glorietur coram ſervis ſuis, cum ſimul illis aperit voluntates ſuas. Addit etiam ſe humilem eſſe corde: *& humilis corde*; ut magis, magiſque nos adigat ad ſubeundam legem, cui ſemet ipſum primus ſubjicere voluit. Mundus eſt dominus immitis, & ſuperbus, qui graviſſimis nos legibus obruit, quibus ſe ipſum ſubjicere detrectat. Dei Filius Dominus eſt lenis, & humilis, imperans cum benignitate, geſtans jugi partem, quod aliis imponit, & ſemet primus ſubjiciens iis omnibus, quæ ab ipſo jubentur. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Duo hæc ſedulo meditemur, & certus ſum nos non ægre, neque gravate cervices noſtras adeo amabili jugo ſuppoſituros, tantumque abſore, ut tali jugo vincamur, ut immo nos eo liberiores, votique compotes futuri ſimus, quo hilarius, alacriuſque onus illud ſuſceperimus. *P. Segneri in Meditationibus Tom. 3.*

Cupere magna pro Deo operari, dum minima negliguntur, illuſio eſt. Non minima in aſcetica vita illuſio eſt, ſemper cupere propter Deum nova, & inaudita facere, & nonnumquam etiam ea, quæ cum ſtatu noſtro ſimul nequeunt conſociari, atque interim minora negligere officia, & parvulas res, quas quotidie poſſumus operari. Quid nobis in vagis hiſce deſideriis confidere licet? Quantumvis ſancta, & inflammata nobis videantur, nonniſi noxia nobis eſſe poſſunt. Tunc enim facile eſt ſemet ipſos virtutum locupletes exiſtimare, licet e contra ſimus pauperrimi. Dicis: *dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Apoc. 3. Incipiamus ergo minuta officia noſtra diligenter obeundo; & mox jactitare licebit, nos ſincere paratos eſſe ad ea, quæ perfectiora ſunt exequenda. Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis erit. Non dicit Salvator; qui facit minima; ſed qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis erit. Non enim ſperamus futurum, ut quia aliquando minoribus muneribus noſtris perfuncti ſumus, ideo ſimus pares iis, quæ in virtute ſunt difficiliora: ad id enim opus eſt, ut in minimis fideles extiterimus, hoc eſt, ut hæc obire conſtanti cum diligentia conſuevarimus. Ne igitur oratione teramus tempus fingendo nos teterrimis ſuppliciis undique obratos, & ſimulando nos eadem citra querelam ſuſtinere. Tempus hoc deſtinatum eſt, ut noſmet veris certaminibus, non autem commentitiis dumtaxat ſubeundis præparemus. Sed in oratione noſmet diſponamus ad perferenda citra impatientiam tot exiguas adverſitates, quæ immenſo nos ſollicitant, ad ſuſtinendas irriſiones quaſdam, quæ licet leviſſimæ nos ad vivum laceſſunt, ad diſſimulandas tot nugas, quibus ne a cogitantibus quidem nos lædi exiſtimamus; ita enim in minimis fideles facti, in eam adduci poterimus ſpem, ut & in majoribus fideles inveniamur. Etenim nonne eſt ultro noſmet excœcare, arbitrari noſmet gravioribus periculis ſuſtinendis aptiores fore, cum leviſſimam moleſtiam vix devorare valeamus? *P. Segneri in Medit.*

Fatemur Deum eſſe ſuaviſſimum, optimum, maximum, potentiſſimum, liberaliſſimum dominorum omnium; & unum illum nobis opitulari poſſe; neque aliunde expectamus auxilium. Fatemur mundum ingratiſſimum eſſe, duriſſimum, pauperrimumque omnium dominorum; nihil habere quod donet, licet omnia promittat; ſervitium illius turpiſſimam eſſe ſervitutem; nullo jure mereri nomen Domini; illi non niſi viliſſima deſervire mancipia, & vere tyrannum eſſe, qui nonniſi miſeros poteſt efficere. Attamen licet hoc palam omnibus conſtet, & quotidie ſexcentis probetur exemplis, quotuſquiſque eſt, qui velit ſolum Deum pro Domino habere? Deo ſervire non abnuunt, ſed ſimul etiam mundo ſervire volunt. Servitutem ſuam partiri volunt. Nemo ſatis impius eſt, ac irreligioſus, ut Deo ſervire detrectet; ſed quam rari fideles veri ſunt, qui uni Deo velint impendere ſervitutem. Duris mundi legibus ſubjicimur; illius geſtamus inſignia; ſpiritum, ac placita illius ſequi profitemur. Novus hic Dominus durus eſt; ſervitus illius amara, & injucunda; nihil intereſt; eidem cum voluptate ſervitur; amatur jugum illius, licet oneroſum, & grave. Propriæ etiam amantur ærumnæ: nemo dolet, minus adhuc illas faſtidit, cum interim indeſinenter jugis audiatur querela de aſſerto pondere jugi Domini JESU CHRISTI; quod licet ſuave, ac leve ſit, ſemper nimis oneroſum videtur. Servitute illius fatigamur. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit. Tomo 5.*

Deo

Quantum ſit diſcrimen inter Dei, & mundi ſervitutem.

Deo ſimul & Mundo ſervire non licet, & ſi liceret, numquid tentandum hoc eſſet? Attendamus pauliſper, utrum duplex hæc ſervitus propter duorum dominorum diſparitatem ſimul eſſe queat. Leges, & placita eorum adeo ſunt oppoſita, ut liqueat, non poſſe alterum amari, niſi alterum oderis, & utrique placere velle, idem eſſe, ac utrique diſplicere. Dei Filius omnino a ſervis ſuis exigit perfectam puritatem, immaculatam innocentiam, cor purum, & humile, atque a creatis bonis omnibus avulſum. Modeſtia, lenitas, mortificatio, charitas nullis cancellis definita, non fucata charitas, recta fides, ſincera ſimplicitas omnium diſcipulorum JESU CHRISTI characterem debent conſtituere. Nulla ex his virtutibus poteſt abeſſe. Nemo Dei ſervus non debet mundum tamquam irreconciliabilem Salvatoris inimicum reſpicere; ideoque nemo non debet perhorreſcere mundum, execrari leges, inſtituta, ſervitutem. Quæ major oppoſitio, quam inter duos hoſce Dominos. Quid vobis videtur? Poteſt ne aliquis ſimul utrique ſervire? *Idem ibidem*.

Timenda eſt nobis repulſa ſi ſero ad Dei ſervitutem accedimus.

Quam timendum eſt nobis, at dedignetur Dominus eos, qui ſuo ſeſe offerunt ſervitio, cum nobis non licet amplius ſervire Mundo! De ſenſu Dei, ipſi etiam judicium ferre poſſumus ex noſtro. Si quis ſe ſe offerret nobis opellam ſuam præſtiturus, cum jam effæta eſſet ætate, captus membris, & ſenio fractus, quid diceremus? homo hic ſuam mihi exhibet ſervitutem, omnibus viribus deſtitutus, ſine robore, & idcirco inutilis. Non ita honeſti viri illuduntur. Nos vero Deo deſtinamus aliquot languentis vitæ noſtræ annos, qui fortaſſe numquam erunt. & qui præterea in poteſtate noſtra ſiti non ſunt. Sed eſto diuturna vita nobis liceat frui; hæc certe non ſatis bene tuta ſpes eſt, cum ſub finem dierum noſtrorum nobis inter Dei famulos locum non defuturum arbitramur. Anteactæ vitæ flagitia ubique in nobismet ipſis erunt notata, & æquis videre Deus oculis poterit os, oculos, manum, cor ſexcentis modis in cultu Idolorum mundi coinquinata? Nonne hi noſtrorum ſcelerum teſtes erant irreprehenſibiles? Poterit ne Deus nos coram ſe ſuſtinere, qui longiſſima annorum ſerie hoſtibus ſuis Mundo, carni, dæmonique ſervivimus ſervitutem? Quænam eſt iſta præſumptio? cuinam principio innititur? Ne cunctemur ergo noſmet devovere Deo. Satis diu tergiverſati ſumus; nobiſque locus dubitandi eſt, utrum tam ſero nos velit excipere. *P. la Peſſe, Tom. 11.*

Capiamus in arena conſilium noſmet Deo tradendi: detrimentum, quod hactenus factum eſt, nimis grave eſt, atque pernicioſum. En triginta, quadraginta annos Mundo traditos, totidem pleriſque noſtrum procul dubio non ſuperſunt Deo tribuendi. Abuſi igitur ſumus Dei beneficiis, ut illi graviſſimam inferremus injuriam, præferentes illi omnium inimicorum ejus turpiſſimum. Dat ille nobis hoc ingenium, hanc valetudinem, ſpeciem hanc, nobis has confert opes, dignitates, exiſtimationem, ut illis contra ipſum abutamur! Proh Deus! Unice Rex noſter, unicumque bonum, cui debemus quidquid ab illo recepimus, obliviſcere præteritorum vitæ noſtræ annorum. Jam in mundi ſervitio conſenuimus: pudet nos coram te accedere. Sed largire nobis, ut in numerum ſervorum tuorum recenſeamur, nihilque inauſum, atque intentatum relinquamus gratiæ tuæ ope illatam a nobis tibi injuriam reparaturi. Benedic huic noſtro conſilio, ut ſervorum tuorum mercedem conſequi mereamur. *Idem Ibidem*.

Chriſtiani nonniſi propter Deum vivere, & mori debent.

Reges terræ plerumque in exercitibus ſuis quamdam habent delectorum militum manum. Hi milites ſtrenui ita Regi ſuo devoti ſunt, ut vitam ſuam unice illi devovendam tueantur, cui ſervire gloriæ ſibi, & honori vertunt. Si Principis utilitas exigit, ut illi periculis abſtineant, tranquille in tuto conſiſtunt: ſin autem e contra, non dubitant pro illo vitam, cruoremque prodigere. Ita neque ſibi vivunt, neque moriuntur ſibi, ſed Regi. Hanc autem conceptum adſtruere nobis videtur Apoſtolus de veris Dei ſervis, de Chriſtifidelibus, qui penitus ſeſe illius ſervituti devovent. Vitam, mortemque nullo in diſcrimine habentes, ſi vivunt, Deo vivere volunt: ſi moriuntur, volunt pro Deo mori: *Sive vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur*.. Domino ſervis, non abnuo, ſed quam ſollicite caves tibi? Non habes vim pro Deo tantum vivendi, divellens te a ſexcentis minimis commodis, quæ adhuc faciant, ut tibi vivas. Minus adhuc adeſt tibi virtus pro Deo moriendi, objicere detrectanti periculo vitam tuam pro ejus gloria. Quæ tamen felicitas eſt eo uſque procedere, ut moriamur pro Deo? Hanc optime novit Apoſtolus, qui per omnia periculorum genera cucurrit eo perventurus. Unicum autem periculum a nobis propter Deum ſubeundum nos terret, ac turbat. *P. Segneri in Meditationibus ſuis*.

Salvatoris jugum nobis videtur acerbum, cum ſolum eſt: illud nos mulcere poſſe credimus mundi jugo noſmet ſubjicientes: quaſi onus alteri adjectum prioris pondus valeat imminuere. Sentimus, & fatemur Deum ſupremum eſſe dominum noſtrum: ſexcentis titulis ad eum pertinemus. Ille creavit nos, & ſibi dumtaxat nos creavit. Ad illum omnino creationis, conſervationis, & redemptionis jure pertinemus. In ſervitutem lapſos ſtatim ac ex nihilo educti ſuimus, magnis ſumptibus redemit nos Deus, ut illi ſerviremus. Ipſe nos alit, nos fovet, nos tuetur, locupletem, pretioſamque ſervituti noſtræ mercedem pollicitus eſt, ipſe nos filii ſui in æterno regno ſuo cohæredes inſtituit. Ullus ne umquam fuit ſervus pluribus titulis domino ſuo addictus, atque devinctus? Tamen per injuſtiſſimam, indigniſſimam, leviſſimamque inſaniam, non contenti, quod Deo uni ſerviendum eſt nobis, partimur cor noſtrum mundum inter, & Deum; ſimulque duobus dominis ſervire volumus. *P. Croiſet in Aſcetic. Exercit. Tom. 5.*

Inter mundi negotia meminiſſe debemus ſemper nos eſſe chriſtianos.

Urbanitatis officia obire, hoc vobis licet; immo in civili ſocietate omnino neceſſarium eſt; ſed numquam inſanis mundi placitis obſequimini. Indeſinenter mementote vos Dei ſervos eſſe. Quod dedecus, quæ turpitudo, voſmet flagitioſorum hominum, mundanarumque mulierum chimæricis legibus ſubjicere, quibus placet novos mores, uluſque invehere, & juxta ingenii ſui libidinem hos probare, illos proſcribere! Non aliam vitæ rationem ſequamini, niſi inſtituta Evangelica, neque normam aliam, niſi Sanctorum exempla. Iis, quæ facienda ſunt, Deum unum conſulite ſimul cum ſalute, & conſcientia veſtra. Procul ejicite ex mente, & corde veſtro indignam illam homine chriſtiano ſententiam: ita in mundo vivendum eſt: in mundo viventibus ita agendum eſt. Denique inter ipſa mundi impedimenta, & negotia, indeſinenter vos Chriſtianos eſſe recordamini. *Idem ibidem*.

Nullus in hoc mundo niſi in Dei ſervitute contentus.

Ut ſimus beati, deſideria noſtra ſaturanda ſunt; nullumque creatum bonum eſt, quo illa non magis exardeſcant. Cor eſſe debet veri ſui compos, & extra Deum non niſi inquietum eſſe poteſt. In mundi ſervitio delaſſamur, fatigamur, atterimur. Quæ ſine dolore conditio? Nulla dies ſine nebula. Nullum ſine onere miniſterium. Quidquid agas, omnia tædium cient, omnia faſtidimus. Deus unus eſt, cujus jugum ſuave ſit, & leve; in illius ſervitute dumtaxat aliquam nanciſci poſſumus jucunditatem. In mundi ſervitute omnia dura ſunt, omnia fructu carentia; nullum eſt gaudium, quod non inter ſpinas ſuboriatur. Omnia pungunt. Quandonam hoc in mari tranquillitas eſt? Omnia ſcopulis repleta ſunt, omnia referta naufragiis. Quid ex ipſa aliorum paſſione non patimur? quid ex propriis affectionibus noſtris non ſuſtinemus? In Dei ſervitio tyranni iſti ſaltem vinculis ſunt adſtricti; in viis illius omnia ſtrata ſunt, & complanata. Cœlum ibi ſemper ſerenum eſt. Et profecto

fecto cum in pace eſt conſcientia, quænam jucundior malacia poteſt inveniri? Verum eſt tamen myſteria hæc abſcundita eſſe prodentibus, ac ſapientibus mundi, nun enim niſi humilibus revelata ſunt. In quo ſitum eſt, ut & ipſi ea cognoſcamus? Præſtu ſimos, ut umnia ſoſtineamus, & ſacrificemus, ut & ipſi id experiamur. *Idem ibidem.*

Ullus ne umquam viſus eſt mundi ſaotor, qui domini, eoi ſervit, cuntentus extiterit! Quas effundunt qootidie querelas ub ea, qoæ in ſingula momenta in ſua ſervitute pationtur? E coutra vero viſuſne aliquis eſt oon contentus, non hilaris, nun vera perfuſos lætitia Deo ſerviens? Ulluſne repertus eſt, qoi queſtos fuerit ſibi uimis magna ſuſtinenda eſſe; laborum ſuorum modicam ſibi mercedem tribui; Deum inſuavem, ac immitem eſſe duminom? Nulla inveniri poteſt ratio inter modicom illud, qood patimur ſervientes ei, & mercedis, quæ nos manet, magnitudinem: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Rom. 8. Pœoitentia, eruces, mortificationes theſauri ſunt abſconditi mundi ſapientibus: *Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis.* Luc. 10. Sed quinam uberior ſuavitatis, pacis, intimæque conſulationis fons viris optimis, qui mondi ſervitute rejecta unice Dei Filio adhærent! Eorum modeſtia, verecondia, æqualitas in rebus omoibus, imagines ſunt tranquillitatis animæ, & gaodii, quud imo corde percipiunt. Anachuretarum anteſignanus S. Paulus centum traduxit annos in remotiſſimo ſpeco hominibus ignotus, & unice Deo occupatus; hiecine conqueſtuſne umquam eſt de Dumino, eui tamdio ſervivit? An ille nobis lugendus eſt! Penitus quæcumque in terris fierent, ignoravit. Quot ſunt ex Principibus ſæculi, qui ſibi eamdem ſurtem obtigiſſe velleot, *Pater Croiſet in Aſcetic. Exercit.*

Moyſis exemplo ſervitus Dei omnibus honoribus mundi eſt præferenda.

Hæc fuit optio Moyſis, magni illius Judaici populi legiſlatoris, licet a Pharaonis filia adoptati, & in aula, tamquam ſi filius hujus eſſet, adoptati. Qui cum aduleviſſet, cœleſti illuſtratus lomine ſapienter ſe abdicavit dignitate filii Reginæ, & contemnens umoes opes, uc honores, quos inde conſequi poterat, maloit cum filiis Iſrael, fratribus ſuis permiſceri, licet jugo diræ ſervitutis oppreſſis, quam diotios guſtare delicias uulæ, quibus in Ægypto perfruebatur: *Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.* Hebr. 11. Quam ſapiens, ac prudens hæc optio foit! Quam admirabile hoc exemplum! Nunne ſemper præſtaret, bonorum virorum in pœois, ac paſſionibus ſocios eſſe, quam malorum in ipſorum affluentia, atqoe lætitia? *De la Font in ſecundam Adventus Dominicam.*

Nulla res eſt, in qua mortales ſibi fingant imagines a veritate magis abhorrentes, quam pietas. Putant ſtatim umnia relinquenda eſſe ab iis, qui Deo ſerviendi conſilium capiont, recedendum eſſe inter ſaltus, & nemora, vitamqoe prorſus anachoriticam, ignotumque ducendam eſſe. Nun deſont animæ, quas evocat Deus ad hunc perfectionis gradom, & hæ pecoliares ſunt vocationes, qoas ille mitiores efficit, atqoe ſuavitate quadam condire novit, cum eas nobis immittit. Verum non ſemper hoc exigit a nobis, cum de ſervitote Dei verba fiont. Num vetat Evangelium, ne bonis ſervandis iuvigilemus? ne licitis rationibus illa augeamus cum prudentis œconomi cura, non aotem cum avari hominis feſtinatione, atque aviditate, com nobis, & filiorum, & familiæ neceſſitatibus conſulendum eſt? Num prohibet, ne liberis noſtris honorem aliquem, uot magiſtratum procuremos, ne agrorum noſtrorum fructus colligamus, vel ne cum honore, & juxta canones æquitatis generis noſtri dignitatem tueamur! Num Evangelica lege cautum eſt, ne ultro citroque commonibus urbanæ vitæ cerretur officiis? ne cognatos, & affines amemus; ne amicorum rationem habeamus; ne cum aliis verſemur? Num honeſtam animi relaxationem vitio nubis vertit Evangelium? Nihil horum condemnat Deus. Verum eſt igitur Dei ſervitutem non eſſe ita doram, atque diffi ilem, quod mundi ſectatores dictitant. Salvat r hoc palam docuit, cum dixit jugum ſuum ſuave, & onus ſuum eſſe leve, & qui aliter cogitaret, veritati eidem contumeliam inferret. *P. Girouſt, Sermone de ſervitute Dei.*

Actum jam eſt. Non partiar ultra cor meum. Feciſti me Domine propter te; jam totus deinceps ero tuus, *Dixi, nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ excelſi.* Pſalm. 76. Miſericordiæ tuæ accepta referenda eſt ita mutatio. Sero tibi ſervire cœpi, non abnuo, verumtamen dignaris etiam acceptam habere opellam eorum, qui undecima diei hora in vineam miſſi fuere. Spero equidem futurum, ut ope gratiæ tuæ fervor, ac fides reparent præteritas infidelitates meas, & quocumque in loco, & quandocumque moriar, hæc mihi ſaltem erit conſolatio, quod jam tibi ſervire cœperim. *P. Croiſet in ſingulorum menſium ſolitudine, Tom. 1.*

Quam ſuavis ſit Dei ſervitus, ſi cum mundi ſervitute comparetur.

Bonitas actionum, quæ propter Deum fiunt, eas faciles præbet, & meriti eo majoris, quo lobentios fiunt, & alacrius. Hoc noſtra experiontur corda, cum opera bona exercemus. Quibus ſtimulis, quibus tumoltibus non agitur cor, cum perſpecta pravæ actionis injuſtitia noſtræ affulget menti, & mox cor ipſum perturbat? Gratia, ratio, omnia contra peccatorem digladiantur. Præſtat ratio, ut ſceleris ſui illum pudeat; oſtendit ei facti iniquitatem, ac turpes effrænium ſuarum cupiditatom effectus. Gratia quoque io peccatoris mentem Dei revocat judicia, illi ob oculos ſtatuit ejuſdem ultionem, & iracundiam. Quænam illi tumultus, & formidinis cauſa. E contra ubi actio bona eſt, haud neſcio qoa eum voluptate amplectitur animus; nullo meto agitur, nullis ioterioribus ſtimulis, quibus antea lancinabatur, urgetur. Judicium feramus ex iis pietatis intervallis, quæ ſubinde ſumus experti. Nonne verum eſt, virtotem nullis nobis ſumptibus ſtetiſſe? Actionum noſtrarum rectitudo nobis erat conſulationis cauſa, quæ io nobis voluptatis locum obtinebat. *Auctor recens.*

Vellemus fideliter ſervire Deo, non tamen odiſſe mundum Dei inimicum.

Duo ſunt domini ſuper terram, Deus, & mundi Princeps. Opus eſt alterutri ſervire. Fieri nequit, ut non alterutri, vel ut otrique ſimol ſerviamos. Quomodo autem ſe gerunt veri Chriſtiaoi erga duos hos duminos, quorum cauſæ penitus adverſantor. Audiamus Dei Filiom: *unum odio habebit*, videlicet dæmonem, & *alterum*, Deum videlicet, *diliget.* Hinc ex ipſo Salvatoris teſtimonio liquet, Deum pro domino aſſumendum eſſe, & diligendum, atqoe ut oſtendamus, hunc a nobis ſincere diligi, opus eſſe, ur mundum oderimus. Videre vultis, otrum vere Chriſtiani ſitis, & ſervi Dei; ſcrutamini, otrum in imis cordibus veſtris ſanctum ipſius amorem inveniatis. Hunc ſi invenire dabitur vobis, proculdubio odio habebitis mundom, qoi internecinos eſt hoſtis ejuſdem, cum quo ſimul eſſe non poteſt, qui enim hominem amat, eos amat omnes, a quibus ille amatur, & odit omnes, qui ſuot illius inimici .... Hic plurimi decipiuntur. Putant, cum pleni ſint amore mundi, ubi aliquod domtaxat plane nefarium relinquunt commerciom cum illo initum, ſe ſtatim vere ſervire Deo. Hic bipalmaris eſt error. Non ſolum amandus non eſt ullo pacto, ſed inſuper fugiendos eſt, & contemnendus. *Unum odio habebit, & alterum diliget.* Matth. 6. Si mundom non odiſti, non diligis Deum. Hoc docet Regius Pſaltes: Pſal. 96. *Qui diligitis Dominum, odite malum. Ex libro cui titulus*: Inſtruction Chretienne pour le 14. Dim. dapres la Pentecote.

Longe aliter, Domine, ac mundus operaris. Mundus malum abſcondit ſob ſpecie boni, tu vero ſub mali ſpecie bonum tegis. Mundus nonniſi de voluptatibus, divitiis, honoribus loquitur, ſed in divitiis veram habet paupertatem, in voluptatibus

ama-

amaritudinem, in honoribus turpitudinem. Tu e contra paupertatem, amaritudinem, dejectionem polliceris, & ſub hac ſpecie nobis abſcondis immenſas, æternaſque divitias ſub paupertate; ſub amaritudine voluptates numquam defuturas; ſub dejectione veram dignitatem, eam nempe Sanctorum. *Auctor Anonymus*.

Si omnia terrena bona per ſe in nihilum tendunt, judicium feramus, quem locum in mente noſtra tenere debeant, quandoquidem ipſi facti ſumus, ut bona æterna poſſideamus. Non quæritur, ut opes noſtras, agros, honores, magiſtratus relinquamus, & ea, quæ ad vitæ neceſſitatem, decoremque pertinent, negligamus. Quoniam in terra vivendum eſt, non interdicit nobis Deus neceſſarias curas, ut dies noſtros eo pacto traducamus, quod noſtram deceat conditionem: ſed exigit, ut attentius inſpiciamus indignitatem rerum earum, quibus omnis noſtra ſpes, curæ, & deſideria omnia occupantur. De perfunctoria tantum fortuna ſolliciti ſumus, nonne & æterna nobis eſt procuranda? Terra nos poſſidet, ſed nos cælum expectat. Gloria, divitiæ, voluptates, inanes mundi ludificationes, hæc omnia prætereunt, omnia ceſſant, omnia evaneſcunt, nos autem ſumus in æternum manſuri. In omnibus negotiis, quibus agimur, id unum proſpicimus, ut eam, quem vel genere, vel operibus locum obtinuimus, illum ſervemus. Fortunam noſtram facere, nominis celebritatem comparare, mundo placere deſideramus. Sed quid vanius iis omnibus fortunis, quas certas nobis facere conamur, cum interim ſanctos fieri, & Deum poſſidere negligamus; quæ æterna nobis fortuna eſſe debet. *P. la Piſſe Tomo 3.*

Difficile eſt in proſperis Divinitatis ſenſum ſovare.

Credine poteſt, mundanum hunc hominem, cui parcit tribulatio, & qui feſtinat, ut omnia ſibi comparet, quæ oblectationi dumtaxat inſerviunt, & omnino ſunt ſupervacua; credine poteſt, inquam, hominem hunc de Dei præſentia eſſe ſollicitum. An naturæ convenientius eſt cogitare, illum in hoc oblectationis ſtatu nil mali ſuſtinentem, ipſumetiam amittere ſenſum, quem nobis cognitio Divinitatis inſpirat? Cum non conſueverit vitæ hujus malis labefactari, raro ad cœlum tenetur confugere; neque enim de Deo cogitamus, niſi cum ſævit tribulatio: & ſi ab illo malis noſtris præſidium perquirimus, inde plerumque fit, quia nullum in creatis rebus ſolatium invenire potuimus. Hac in tranquillitate, atque inertia facile obliviſcimur Dei. Bona, voluptates, gloria mundi nobis paullatim abſcondunt veſtigia licet apertiſſima Majeſtatis, & poteſtatis divinæ, nec non noſtræ indignitatis; rati quippe nos tuto eſſe per dignitatem, vel honores a gravibus ictibus, qui repente obruunt miſeros, & calamitoſos, in quorum numero nos eſſe non credimus, in adeo proſpera fortuna Omnipotentis opem implorare dedignamur. *P. la Peſſe Tomo 4.*

Impatientia, & ſuperbia maximi ſunt obices, quos in nobis metipſis nanciſcimur cum volumus noſmet jugo Filii Dei ſubjicere. Impatientia illud nobis præbet intolerabile; & dicimus cum impiis, de quibus loquitur Propheta Pſal. 2. projiciamus a nobis jugum, quo opprimimur. Superbia vero facit, ut in jugo Salvatoris inveniamus ſubjectionem, quæ in dedecus nobis cedere videtur. Ita confringimus jugum, & profitemur ſervire nos nolle. Conatur JESUS CHRISTUS duos huſce obices amovere dicens: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Matth. 11. Dulcedo, & humilitas amabilis hujus Domini non minimam conferunt ad mulcendam præceptorum ejus obſervantiam: ſed propria noſtra lenitas, & humilitas praxim eorum faciliorem præbebunt. Hic alius eſt loci ejuſdem ſenſus: *Diſcite a me, qui mitis ſum, & humilis corde.* Meum ſecuti exemplum mites eſtote, & jugum Domini vobis ſuave videbitur. Humiles eſtote, ſicuti ego quoque humilis ſum, & ferentes Domini jugum gloriam invenietis: vo-

lis mire videbitur, ſi mites fueritis, & glorioſum, ſi humiles. *P. Segneri in Medit. Tomo 3.*

Longe plura in mundi, quam in Dei ſervitute ſuſtinentur.

Ut ſancti, perfectique evadamus eo in ſtatu, in quo nos conſtituit Deus, ſatis eſt diligenter, & ferventer omnia Chriſtiani hominis munera obire. Num arduum eſt adeo munus obire ſuum, & honeſtum eſſe virum? An multo magis arduum eſt, hæc non præſtare? Quot dolores! quot ægritudines! quot probra! quot conſcientiæ ſtimuli! Qui male vivit, omni ſe ſubjicit contumeliæ. Mala, quæ ipſi nobiſmet procuravimus, ſtimulis erunt. E contra quantæ oblectationis eſt obire ſui ſtatus officia? Quantumvis modicum honeſtatis, religionis, rectique ſenſus ſuperſit, poteſtne bonæ conſcientiæ ſuavitas non guſtari? Virtus ſubigit cupiditates, quam victoriam quot præclari fructus non conſequuntur, cum interim, qui iis inſerviunt, ſub earum vinculis ingemiſcunt. Nequicquam diſſimulas, nequicquam perſonam geris, & extrinſecus callide gaudium adfectas. Hoc ne minimam quidem moleſtiam extinguit. Hæ anxietates, ſollicitudines, quæ imperfectum quemlibet ſubſequuntur, pulcherrimum concinnant virtutis bonorum elogium, & produnt ſecreta tormenta, quibus impii laniantur; cum interim, qui ſerviunt Deo, imperturbabili pace, interiorique lætitia, quæ nullis umquam labefactari poteſt adverſitatibus, perfruantur, ita ut qui horum non ſequuntur exempla, eorumdem tamen invideant felicitati. Majoribus ſtat ſumptibus eſſe nefarium, quam frugi. Conclamet mundus, & adverſetur veritati, quæ paradoxum ſectatoribus ſuis videtur: experientia tamen fallacia mundi præjudicia confundit. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Conſtanter in Dei ſervitute perſeverandum eſt.

Non moleſte tulit Jacob ſeptem annos ſervire Labano, quia ſperabat ſe in uxorem conſecuturum eſſe Rachel: quomodo ergo lugebimus tempus illud, quod in Dei ſervitute impendemus? Conſideremus hinc quidem nos ſervire Domino, inde vero cotnam Jacob, & propter quod ſerviebat. Nos Deo omnipotenti ſervimus, & pro mercede gloriam æternam expectamus. Jacob autem ſerviebat Ethnico, & idolorum cultori, a quo decipiebatur, eique ſerviebat propter magnam terrenæ formæ cupiditatem. Sed noſtram cum illius ſervitute comparemus. Videamus, utrum viginti annos ſervierimus Domino, & utrum illi dicere valeamus, quod Labano Rachelis parenti dicebat Jacob: Viginti annis fui tecum: die, noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis. Sanctus hic Patriarcha omnia ſacrificabat pro infidelis utilitate; nos vero inertes erimus, & otioſi, cum oſtendere debebimus nos eſſe Dei ſervos? Magnæ felicitatis loco habeamus ſervire poſſe Domino adeo potenti, qui tantam ſervitutis noſtræ mercedem pollicetur. *Ex tractatu de diſcrimine Temporis, atque æternitatis.*

Sapiens juxta Biblicum ſermonem, juſtum ſignificat: vera enim ſapientia ſanctitas eſt. Si juſtus es, omnis tibi cedet utilitas; nam ſi Deus in ſeipſo ſpectetur, nullum percipit ex ſervitute noſtra emolumentum; neque inde fit ditior, aut beatior: *Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris?* Job. 22. Deus ergo, ut ſibi præbeatur occaſio te bonis ſuis cumulandi, vult te ſibi deſervire; omnis tibi cedit utilitas, & nihil eſt in hoc genere, quod tibi certiſſime non proſit. *Si Sapiens fueris, tibi metipſi eris.* Prov. 9. Quam uber divitiarum fons virtus eſt! Fruſtra perquiremus in terra bonum aliquod, quod comparari poſſit cum illa. Jacit agricola ſemen ſuum, & certus non eſt metendi; negotiatur mercator, & pecuniam ſuam objicit periculo. Juſti igitur conditio longe felicior eſt, *qui ſi ſeminat in lacrymis, in exultatione metet.* Pſal. 125. Si pro cœlo lucrando negotiatur, novit omnia ſibi ad id merito tribui, & nec vel minimas virtutis actiones mercede ſua poſſe fraudari: *Seminanti juſtitiam, merces fidelis.* Prov. 11. *P. Segneri in Meditat.*

Divinæ Majeſtati pla-

Domini, cui ſervimus magnitudo flagitat, ut illi magno cum fervore ſerviamus. Eſtote ferventes, Apo-

ſtantia ea, git, ut perfecte vivamus.

Apoſtolus ait, ſervitis enim Domino. Quantumcumque conemini, Sapiens ait, Deo ſerrituri, & glorificaturi, conatus veſtri numquam meritum illius exæquabunt. Si magnitudo fervoris, quo ſervimus, æſtimanda eſt a magnitudine Domini, cui ſervimus: quonam fervore Deo ſervire debemus? Magnus eſt in ſemetipſo, magnus eſt ſi nobiſcum conferatur, magnus ſuapte natura, magnus potentia, magnus operibus, magnus in omnibus: nihil niſi in eodem magnum eſt: *Tu ſolus Altiſſimus*. Quidquid magnum vocatur, non eſt magnum in ſe; ſed dumtaxat noſtrum habita ratione. Magnum nobis videtur, quia ſumus parvi; ſed ſi Deo comparetur, nihilo minus videbitur. Debemus igitur ſervire Deo eo fervore, qui deceat non quidem illius magnitudinem, meritumque, quod fieri nullo modo poteſt, ſed viribus noſtris. Verum heu! quid ipſi poſſumus. Cum omnes conatus noſtros exeruerimus, Domine, vere, & cum rubore dicere poterimus, nos inutiles ſervos eſſe; quid ergo erimus, cum hoc nequaquam factum fuerit a nobis. Magnitudo obligationum, quas injicit nobis divinus hic Dominus, cui ſervimus, & magnitudo eorum, quæ ipſi facienda recepimus, nos cogunt, ut ferventer illi ſerviamus. Muneribus hiſce ſine ardore perfungi non poſſumus. *Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum*, dicit Dominus Levit. 21. *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, dicit Salvator Mundi: Amate Deum ex toto corde veſtro. Quænam obligationes? Poſſumus ne iiſdem ſine fervore defungi? Quatenus Chriſtiani tenemur mundo, & nobiſmet ipſis abrenunciare; ſequi JESUM, crucem geſtare poſt illum; per arctam viam incedere, nobiſmet ipſis jugiter vim facere, oculum eruere, ſi nos ſcandalo fuerit; videlicet ab iis, qui nobis chariſſimi, atque utiliſſimi ſunt recedere; Deum omnibus præferre, & ita affectos eſſe, ut bonorum, honoris, vitæque potius jacturam faciamus, quam illum mortali noxa offendamus. Hæc officia omnia ſunt inevitabilis neceſſitatis homini Chriſtiano; poſſumus ne illa ſine fervore, & ſine fervore magno obire? Hic autem fervor poteſt ne cum ignavia noſtra, quæ ſumma eſt, conciliari? *P. Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus*.

Eccl. 43.

Quotuſquiſque Deo ſerviens incipiat obeundo Religionis officia.

Ubinam ſunt, Domine, qui vere hoc eſſentiale, & inevitabile Religionis munus adimpleat? Ubinam ſunt, qui tibi primas cogitationes impendunt, motus primos, prima verba, & primas actiones? Num hæc eſt mundana mulier, cujus monſtroſa ignavia dimidium dierum ſuorum partitur cum ſuorum ornatuum, voluptatumque cura? Num hic negotioſus homo, qui ſtatim ac expergiſcitur, parat infelicis eloquentiæ dolos adeo viduæ, orphaniſque fatales? Num libidinoſus ille, cujus turpia flagitia primis radiis ſuis illuſtrare Sol erubeſcit? Num aulicus iſte, qui vult potius adolere thus idolo fortunæ ſuæ, quam Deo flectere genua? Num eruditus ille, qui de Deo ſcribere audet, & loqui, quin antea quid ſit ſentiendum didicerit? Num artifex iſte, qui plerumque dies Domino ſacros orditur ab opere, quod lege prohibetur? Ita hæc pretioſa vitæ noſtræ pars, & ut ita dicam, hic flos dierum noſtrorum, quem Deo quotidie offerre debemus, avaritiæ, ambitioni, & voluptati impendimus; ita ut ſi excipias aliquot pias animas, quas Clauſtrorum perfugium, vel peculiaris aliqua pietatis profeſſio meditationis exercitatione formavit, omnes Chriſtiani horas, dieſque, menſes, & annos in nugis, ineptiiſque traducunt. *Abbas du Jarry*.

Aberravi a fine meo. Deus meus! Me creaſti, ut tibi ſervirem, te colerem, te diligerem. Prorſus oppoſitum operatus ſum. Quin in omnibus actionibus meis gloriam perquirerem, meam dumtaxat voluptatem, & amoris proprii ſatisfactionem quæſivi. Non magis de te ſollicitus fui, quam ſi a te creatus minime fuiſſem. Omnia vitę meæ momenta pro te erant impendenda, & ubi ea coram te recogito, ne unum quidem invenio, quod dicere valeam vere pro te inſumptum fuiſſe: quoniam ingenium, cupiditas, voluptas, avaritia, & amor proprius fuere principium, & unica mearum actionum cauſa. Modicum, quod feciſſe poſſum, ſi quid tamen boni feci, ſexcentis perverſis intentionibus corruptum fuit, non ſecus ac quampluribus vitiis, & negligentiis, quæ in illud obrepſerunt, & quæ omnem abſtulerunt fructum bonorum operum, quæ feci. *Auctor recens*.

Intelligo nunc cauſam tumultus, & amaritudinis, quam toties expertus ſum inter ipſas voluptates, quas tanta cum aviditate conquiſiverum, & quarum poſſeſſionem tamquam beatitudinis cumulum reſpexerum. Id autem eſt, quod cum propter te, Deus, creatus ſim, in te uno requiem poſſum invenire. *Feciſti nos ad te, Domine, & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Quampluriman tibi gratias ago, eo quod omnia ita diſpoſuerim, ut voti compos eſſe nequeam, niſi ſolida, æternaque bona poſſideam. Id ſummo cum rubore confiteor; hactenus vixi in terribili ſtupiditate circum ea, quæ ad ſalutis meæ negotium pertinent. Nihil umquam operatus ſum, ut me ſalvum facerem; e contra vero tot annos id unum facere contendo, ut peream. Tempus jam eſt tandem aliquando, ut agnoſcam cœcitatem meam, & periculum interitus mei. Nonne ſatis diu vagor in fluxorum fragiliumque bonorum perquiſitione, quorum perfruitio tantum abeſt, ut me voti compotem præbeat, ut immo mihi amariſſimum negotium faceſſat. Gratias ago tibi Domine, quod me propter finem adeo præcellentem creaveris, & propter felicitatem nullum umquam finem habiturum. *Recens auctor*.

Laboribus, quantum placuerit, exerceamur, niſi vere propter Deum exercemur, nemo in omnem æternitatem nobis laborum noſtrorum gratiam habiturus eſt. Quaſcumque rationes habeamus, ac religioſe omnia ſervemus officia, Deus numquam exteriori ſpecie mulcetur; vult, ut ſine ulla tergiverſatione, ac exceptione toti ſimus ipſius; adorari vult in ſpiritu, & veritate, videlicet exigit, ut cum ſinceritate, & rectitudine ſibi ſerviamus. Sed, bona fide, hæccine ea regula eſt, quam plerique e ſæculo ſequuntur? Ipſa etiam devotorum hominum pietas eſtne huic morum diſciplinæ conformis? *P. Croiſet in Receſſuum ſuorum Tomo 1.*

Bona, honores, voluptates, nos allicitis; Deus unus pro nobis nullas habet illecebras; tamen ulla ne vera voluptas, præterquam in uno Deo poteſt inveniri? *Feciſti nos ad te, Domine, & irrequietum erit cor noſtrum, donec requieſcat in te*: S. Auguſtinus ait. Nonne hoc millies experti ſumus in iis, quę perdite amavimus? quæ ubi conſecuti ſumus, factine ſumus votorum noſtrorum compotes. Nonne illa delibare ſatis fuit, ut eadem contemneremus, atque faſtidiremus? Quamvis noſmet obtundamus, ut minori cum timore erremus, hoc faſtidium, hæc ipſa interior ſollicitudo, qua toto ferme vitæ ſpatio urgemur, vox eſt ſecreta, quæ dicit, nos nequaquam factus eſſe pro creaturis; in terris nihil eſſe, niſi vanitatem, & afflictionem ſpiritus, & nos propter Deum tantummodo factos eſſe. *P. Croiſet pro Receſſu ſingulorum menſium Tomo primo*.

Nulla niſi in Dei ſervitute vera voluptas.

Liquet Dei ſervum numquam infortuniis obrutum fuiſſe, & Spiritus Sanctus per Prophetam teſtatur, neque illi, neque filiis illius defutura, quæ ad victum ſunt neceſſaria; *Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem*. Si bonus amicus, & herus protegit illum, quem amat, & gaudet illum muneribus ſuis cumulare; quanto magis protegit Deus illos, qui gloriæ ſibi vertunt fideliter ejuſdem ſervitio adhærere. Quomodo illos a vulgo ſecernit beneficiis ſuis. Si quis eorum, qui eidem inſerviunt, bonis temporalibus deſtituitur, inde proculdubio fit, quia hæc bona ſaluti ejus nocerent. Paupertas, humiliatio, contemptus

Pſalm. 36.

non-

nonniſi in oculis hominum miſeros faciunt Dei ſervos; & hoc in ſtatu magis contenti ſunt, quam ſi reſulgerent in ſolio. Ingrediamur in adorabilis providentiæ ipſius clientelam, & quæcumque noſtra futura ſit fortuna, ſemper erit beata, ſi nos probaverimus dignos, qui amemur ab illo. Graviſſimum quodlibet infortunium Deus nobis in commodum, utilitatemque convertet, donec gratia illius perfruemur. Illi igitur conſtanter, fideliterque ſerviamus; enormis enim eſſet infidelitas, & ingratitudo, ſi tot bonis cumulati de illius bonitate diffideremus, cum præſertim de mundi hujus bonis agitur, quæ ille minori habet in pretio, & quibus carere non ſinit in iis, quæ ſunt ad victum neceſſaria, aliquem eorum, qui ſui ſunt. *Pater veſter cœleſtis ſcit, quia his indigetis.* Matth. 6.

Gloriæ nobis vertere debemus etiam coram mundo, quod ſumus ſervi Dei.

Qui vult ſervire Deo, palam profiteri debet ſe illi ſervire. Deus magnus eſt Dominus, nec ſinit, aliquem pudore ſuffundi, eo quod ſervituti ipſius videatur addictus. Immo eſt etiam unicus Dominus noſter, & nos ſatis eidem fideles ſumus, ut hanc ipſi qualitatem detrectare nequeamus. Quam enim cauſam in medium proferre poſſemus, ſi nos eidem ſervire puderet? Nonne in nomine ipſius baptizati ſuimus? quod ſane nos ſecernit ab omnibus illis, qui ad ipſum non pertinent. Nonne legem illius profitemur? Nonne ejus credimus Evangelio? Subditus Principi ſuo fidelis, miles Regi ſuo devotus vereturne illius inſignia deferre? Nonne libenter illus juſſa capeſſit? Poſſet ne Deus nos ſervos ſuos pati, ſi ſervitutis ejuſdem celeremus indicium, ſi diſſimularemus neceſſitatem, in qua ſumus, mandatis ſuis obtemperandi. Cæterum viventes, ut vivimus, in jugi bonorum, malorumque conſortio, neceſſario præ nobis ferre debemus, utrum Deum ſequamur, an mundum? Sequimur ne Deum? Vivamus igitur tamquam ſervi Dei, penitus a mundo divulſi. Utamur hoc mundo, videlicet opibus, & honoribus, quaſi non uteremur; neque in illis ſupremum bonum noſtrum conſtituamus, ut qui mundo ſerviunt. Hac enim in re nos debemus præ profanis mundi culturibus eminere, qui illi inhærent propter peritura bona, de quibus Apoſtolus 2. Cor. 2. ait: *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt.* P. *la Peſſe Tomo* 4.

Tenetur quilibet ſ. ... cilis in

Omnia ſive animi, ſive corporis bona, cujuſmodi ſunt robur, bona valetudo, intellectus &c. totidem ſunt talenta, quæ ſunt in lucro ponenda, & in Dei cultum adhibenda. Dives, qui pauperibus non opitulatur; ſuperior, qui non efficit, ut Deus ab inferioribus colatur; amicus Principis, qui non utitur auctoritate ſua prohibiturus, ne innocens opprimatur, vel ne jam oppreſſus liberetur, totidem ſunt ſervi infideles, qui non referunt domino ſuo lucrum, quod ex talentis ab ipſo creditis expectat. Omnia prodeſſe poſſunt, & omnia talenti loco ſunt animæ fideli. Ille etiam, qui rebus omnibus ineptus eſt, hanc ipſam ineptitudinem ſuam Domino reportat, tamquam talentum, ſi inde ſit humilior, docilior, & minus audax. Simus ſolum boni ſervi, & amemus illum, cui ſervimus; nec deerit nobis ratio omnia ad majorem illius gloriam traducendi, atque inde honoris ejuſdem incrementum, & animarum noſtrarum ſalutem percipiendi. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo* 6.

Dei ſervitio adhibenda talenta omnia, quæ recepit a Deo.

Præcipit Deus, ut mandata ſua ſervemus; ſi illi arctius, quam vulgo ſæculares adhærere velimus. Ullumne inter ejus præcepta ſunt, quod ad noſtram utilitatem non dirigatur? Ullumne ſuavius extitit jugum, quam Domini, aut onus aliquod levius? Comparemus ea, quæ mundus præcipit ſervis ſuis cum iis, quæ mundus durus ille, & immitis Dominus a ſuis exigit mancipiis. Comparemus ea, quæ nobis facienda ſunt, ut familiæ noſtræ proſpiciamus, ut provinciæ alicujus munera obeamus, ut fortunam licet fragilem nobis comparemus, belli, domi, in mercatura; ut difficili, pervicaci, moroſoque Domino morem geramus, ut amico gratificemur, ut de ingrato bene mereamur, ut in mundo nominis celebritatem obtineamus. Quot nobis labores ſuſtinendi! quot moleſtiæ perferendæ! Quot ſudores, quot vigiliæ! Immodicis ſumptibus exhaurimur; valetudinem noſtram atterimus; dies noſtros abbreviamus, & hæc omnia cum graviſſimo detrimento. Quanto in pretio ſalus ipſa haberetur juxta eamdem mundanorum ſententiam, ſi ad illam aſſequendam oporteret, ut nobiſmet tantam vim inferremus? Et poſt hæc Quadrageſima nimis prolixa videtur; aliquot abſtinentiæ, & jejunii dies nimis duri; minima propter Deum mortificatio non ferenda. O miſeram cæcitatem! Oblectamur ſordibus noſtris; & magis ſapiunt nobis Ægypti cœpe, quam lac, & mel Terræ Promiſſæ. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

SOCIE-

SOCIETAS, ET CONVERSATIO.

Bonæ, malæque ſodalitates; inutilis, & periculoſus congreſſus; bona, & mala colloquia, & ſermones; cum impiis conſuetudo.

MONITUM.

Neceſſe non eſt admonere, titulum hunc, ſub quo agimus de chriſtiana converſatione, deque bonis, praviſque ſocietatibus, rationem, immo & nexum quemdam habere cum aliis titulis, a quibus vel ſupponitur, vel continetur: exempli gratia, cum amicitia, amicorum electione, peccati occaſionum fuga, bono, & pravo exemplo, immo etiam cum ipſa charitate, vel zelo, qui pro ſalute proximi habendus eſt: reor autem concionatori cavendum, ne diverſa hæc argumenta ita permiſceat, ut de uno dicat, quidquid aliis proprium eſt, ac ſingulare. Facilis eſt hujus erroris fuga; ſinguli enim hi tituli ſatis uberem rerum copiam ſuppeditant, ut tot varii ſermones inſtituantur. Itaque ego ipſe illis ſejungere conabor, nihilque afferam, niſi quod ad bonas, malaſque pertinet ſocietates, videlicet fructum, qui percipi poſſit ex virorum bonorum congreſſu, & periculum, cui ſeſe objiciunt mortales in impiorum commercio: bonos ſermones, qui habendi ſunt, defectus, qui in congreſſu ſunt evitandi, & quid boni ibi fieri poſſit.

Attamen ſi ſtructura ſermonis, quam ſibi concionator propoſuerit, expeteret, ut latius de aliquo ex his argumentis, quæ ſatis arctum nexum habent, diſſereret, conſuli poterunt alii tituli, de quibus locuti ſumus, & qui ſuo quiſque loco afferuntur. Ad hæc puto non inutile monitum eſſe, in hoc titulo de ſocietate, atque congreſſu, qui latius paulo patere videtur, ſermonem contractari tantum poſſe ad malarum ſocietatum fugam, vel potius ad periculum, cui obnoxius eſt, qui cum flagitioſis hominibus conſueſcit; ad utilitatem, quæ ex bonorum ſocietate percipitur; vel etiam ad bonos ſermones, qui in congreſſu inſtituendi ſunt. E re tamen cenſui hæc omnia ſimul colligere, ne titulos multiplicarem, ac interim plura ſuggererem argumenta illis, qui hac in re ſtylum vellent exercere

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia concionum hujus argumenti ſyſtemata.

I. CUm quibus conſueſcere debeant Chriſtiani: in ea S. Pauli verba: *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt*. Ad Philip. 3.

Apoſtolus paucis verbis complexus eſt, atque præſcripſit modum, quo Chriſtiani alii cum aliis invicem, & generatim cum proximo conſueſcere debeant. Verborum S. Pauli ſenſus eſt, nos jam quodammodo in cœlis vivere, nos eſſe quodammodo cives cœlorum per vivam illuc perveniendi ſpem, certamque fidem finis illius, pro quo creati ſumus, aliquando videlicet cœleſte regnum poſſidendi; unde inferri poteſt, congreſſus noſtros aliquam habere debere ſimilitudinem cum Beatorum in cœlo congreſſu; bonum quod ipſi nobis comparabimus.

1. Ineuntes, ac inire quærentes ſocietatem cum ſanctis hominibus, & qui ſublimis virtutis exiſtimatione gaudent.

2. Pios ſermones habentes, ut de iis erudiamur, quæ ad cœlum viam ſternant, utque hæc eos, cum quibus conſueſcimus, edoceamus.

3. Exercentes charitatem, concordiam, omneſque virtutes, quæ in hoc beato commercio poſſunt exerceri. Hoc pacto converſatio noſtra in terris erit in cœlo, & propter cœlum: eaque nos ad illius acquiſitionem excitabit. Hæc eſſe poteſt ſermonis partitio, in ſingulis cujus membris Chriſtiani congreſſus iis opponantur, qui mundani, indifferentes, & noxii poſſunt appellari: 1. qui ineuntur cum flagitioſis hominibus, cum quibus manifeſtum adeſt periculum, ne pervertamur, & corrumpamur; 2. ubi inutiles tantum ſermones habentur de iis, quæ in diem nova accidunt, de principum conſiliis, & geſtis, vel etiam de proximo, qui in jocum traducitur, cui obtrectatur, & irridetur; ac tandem de ineptiſſimis nugis. Oſtendendum eſt, quam parum digni ſint homine Chriſtiano hi ſermones; cum enim ille cœli ſit civis, cœleſtia loqui eum decet. 3. Notandi erunt vulgatiores defectus, & peccata, quæ in impiorum colloquiis accidunt, & mox latius de illis diſſerere virtutibus, quæ congreſſuum noſtrorum eſſe debent, ut ita dicam, condimenta; & fructum oſtendere, qui inde percipi, & hauriri poteſt.

De impiorum ſocietate. Tria paſſim nos ad ineundam cum impiis ſocietatem impellunt, & hæc tria nobis triplex officii, & obligationis genus injiciunt. II.

Primum eſt ipſa ingenii noſtri natura, quæ ſæpe nos ad conſuetudinem cum illis habendam trahit; & ob id etiam indeclinabilis nos urget neceſſitas quam primum ab illis fugiendi, ubi cum illis verſari cœpimus, quin illos cognoſceremus; idque ne in mores eorum abeamus, eiſque ſimiles efficiamur.

Alteram neceſſitas eſt; cum ad id ſtatus, conditionis, vel generis noſtri officiis cogimur, quæ quidem prætermittenda non ſunt, eoque in caſu adnitendum eſt, ut ex improborum etiam ſocietate proficiamus, eorum impetus patienter ſuſtinendo, noſque in dies magis contra vitium confirmando deterritos aſpectu malorum, in quæ nos præcipites agit, ac moleſtias, quibus nos afficit.

Tertium denique eſt charitas, quæ nonnumquam etiam ad illos inquirendos impellit; atque tunc opera ſedulo navanda eſt, ut qua exemplis, qua ſalutaribus monitis ad frugem revocentur. *Argumentum hoc deſumptum eſt ex Auctore ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta in Dominicali, ſermone pro quinta poſt Epiphaniam Dominica.*

De ſocietate eorum, qui virtute ſunt præditi, deque conſuetudine cum illis iucunda. Ad examen revocari poteſt primum utilitas, quæ inde percipitur, ut boni fiamus, ex eorum eruditione, conſiliis, & exemplis proficientes; quod certiſſimum eſt. III.

Secundo ſuavitas, ac voluptas, qua inde perfundimur; quippe cum iis verſamur, in quibus confidere poſſumus, & qui charitatem erga nos habent, & zelum pro iis, quorum noſtra vere intereſt.

Tertio gloria, quæ nobis cedit cum hominibus honeſtis, & quorum explorata probitas eſt, conſueſcentibus; neque enim fieri poteſt, quominus neceſſariam indipiſcamur famam hominum ſaltem bene vivere optantium. Senſim in mores illorum tranſimus, quorum utimur familiaritate; & nihil eorum, quæ ab illis percipimus, non perhoneſtum nobis accidere poteſt.

IV. 1. Malæ ſocietates fugiendæ ſunt, & evitandæ. Patent argumenta. Primum innocens in illis pervertitur; ſecundo vitioſus in flagitiis ſuis ibi confirmatur; tertio periculum eſt, ne eadem nobis, ac iis, cum quibus neceſſitudo eſt, immineat fortuna, & exitus idem.

2. Quinam ſint peccatores, quorum præſertim ſocietas, & familiaritas eſt evitanda? Primum illi, qui palam licentiam, impietatem, hæreſim, impudicitiam profitentur. Secundo illi, qui non directe quidem in vitium nos trahunt, ſed qui prohibent, ne bonum operemur, & ne noſtris muneribus perſungamur. Tertio illi, qui clam, & callide in partes ſuas nos pertrahere conantur, & quorum doctrina ſuſpicione non caret; qui non palam quidem in malum nos impellunt; ſed immo non vulgarem morum ſeveritatem nobis inſpirare videntur; ſed qui intus, & in cute cæci ſunt duces, qui nos ſecum præcipites agere cupiunt.

V. Quando liceat cum impiis conſueſcere; & quando ab eorum conſortio recedendum ſit. Liquido patet numquam citra periculum in mala ſocietate permaneri poſſe; attamen non minus certum eſt non deeſſe quaſdam ſocietates, a quibus ſecedere nequaquam licet, ideoque nos haud teneri ad eas omnes relinquendas; & in quibuſdam occaſionibus chriſtianam legem permittere, ut animo tantum, & voluntate ſeceſſio fiat. Occaſiones autem, in quibus non ſine præcautionibus neceſſariis cum flagitioſis hominibus verſari poſſumus, & occaſiones, in quibus ab iiſdem recedere debemus, quia poſſumus, duplicem efficient partem concionis ad erudiendum, & ad praxin ſervandam perutilis.

Occaſiones, in quibus recedere non tenemur a prava ſocietate, deſumuntur, 1. a nativitate. Filius relinquere non poteſt domum patris ſui, ubi ob oculos habet exempla nefaria, & ubi cum ſceleratis familiariter verſari tenetur. Tunc autem ne hujus contagionis labe inficiatur, ſibi diligenter proſpicere debet, & cogitare, ſe habere Patrem in cœlo, cui longe plura debet. 2. A ſtatu, in quo providentiæ ordine conſtituti ſumus: veluti cum uxor virum habet in omne libidinis genus effrænem, impium, omnibuſque additum vitiis, hunc relinquere non debet, ſed ſuavitate, ac indulgentia, ſi fieri poſſit, pro viribus ad frugem revocare. 3. Aliquando cum peccatoribus congredi licet, ubi aliqua affulget ſpes illos ad officium redigendi.

Occaſiones, in quibus nefas eſt diutius cum impiis, flagitioſiſque hominibus verſari, ſunt: 1. cum in eorum ſocietate, frequentibuſque congreſſibus locum præbemus credendi, vel ſuſpicandi, nos eorum licentiæ velificari, vel ab eorum conſiliis, & cogitationibus non abhorrere, ac in eorum ſenſus migrare: 2. cum non ſolum nulla ſpes adeſt eos convertendi, ſed periculum eſt, ne ipſi pervertamur, tunc enim nihil prætermittendum eſt, quominus ſaluti noſtræ conſulamus: 3. cum per hoc ſcandali occaſionem præbemus aliis, qui hac re excitantur ad familiaritatem cum flagitioſis, nefariiſque hominibus ineundam.

VI. Quæ vitæ ratio ſervanda, ubi cum ſceleſtis ſimul vivere tenemur.

1. Animo ſaltem, & corde ab eorum flagitiis, agendique modis abhorrere debemus; & ſi minus licet eorum perſonas odiſſe, non magis re, & corpore ab illis ſeparari, ſaltem mente, ac voluntate recedamus, oportet, odio habentes eorum ſcelera, & improbitatem.

2. Conſtanter perferendæ ſunt eorum perſecutiones, triſiones, ludibria, quin ideo ab officiis noſtris obeundis ceſſemus.

3. Adnitendum eſt, ut bona patientiæ, & charitatis illis præbentes exempla eos ad frugem revocemus.

De ſocietatibus generatim. VII.

1. Pravæ ſocietates fugiendæ ſunt veluti occaſio peccati, & vulgatiſſima plurimorum interitus cauſa.

2. In bonorum ſocietate noſmet indulgentes præbere debemus, ne eos lædamus, & ut fructum aliquem ex eorum familiaritate percipiamus.

3. In qualibet ſocietate adnitendum eſt, ut bene audiamus, eidem alicujus utilitatis futuri.

De bonorum ſocietate, & conſortio.

1. Horum ſocietas quærenda eſt tamquam perfugium virtutis, & innocentiæ, quæ a reliqua mundi exulat parte. VIII.

2. Fructus inde percipiendus eſt tamquam ex pietatis, virtutis, & ſanctitatis ſchola, ubi ſemper perficimur non ſolum quoad vitæ civilis elegantiam, verum etiam quoad chriſtianæ vitæ ſanctitatem.

De congreſſu inter diverſi ſexus mortales; hunc omnino prohiberi non poſſe; dummodo obſerventur hæ conditiones. IX.

Prima eſt, quod innocens ſit, hoc eſt, quod intentio crimenoſa non ſit, ſed recta, & ſancta.

Altera, quod honeſta ſit, & modeſta, quin aliquid permittatur, quod pudori ſeu verbis, ſeu factis officiat.

Quid requiritur, ut chriſtiana ſit converſatio. X.

1. Ibi Dei nulla eſſe debet oblivio; hoc eſt, ſermo eſſe debet de rebus piis, & quæ ædificent eos, qui ſimul conſueſcunt, & colloquuntur.

2. Proximus ibi lædendus non eſt detractionibus, aculeatis irriſionibus, contentionibus, jurgiis.

3. Qui converſantur, nequaquam videri debent diſſipati; neque permittere, ut ſibi aliquid excidat parum modeſtum, & vel ſua profeſſione, vel charactere ſuo indignum.

De bonis ſermonibus in converſationibus inſtituendis. XI.

1. Religionis, & profeſſionis, quam ſumus amplexi, dignitas cogit, ut bonos habeamus ſermones.

2. Zelus, & charitas efficere debent, ut occaſionem hanc amplectamur tamquam aptiſſimam rationem proximum ad virtutem deducendi.

De mundanis ſocietatibus, & converſationibus. XII.

1. Paulatim pervertunt, atque corrumpunt animas, quæ maxime innocuæ ſunt, & quarum ingenium eſt ad bonum, & virtutem proclive.

2. Illis vero, quas non pervertunt, jure ſcandalum afferunt.

3. Prohibent ne quæ corruptæ fuerunt, de converſione cogitent, ne irrideantur, & in ludibrium traducantur.

De ſocietatibus, & converſationibus generatim. XIII.

1. Inſpiciendum eſt ingenium, ac ſtudia eorum, in quorum ſocietate vivere volumus; inde enim boni pendent mores, vel mali.

2. Fidendum non eſt illecebris, & voluptati; quæ reperitur in eorum conſortio, cum quibus familiariter vivimus.

3. Deſiderium cum ſociis conſueſcendi moderandum eſt oppoſito deſiderio ab illis, ubi fieri poſſit, recedendi, & receſſus amare, quæ nota eſt animi ex iis, quæ Dei ſunt, voluptatem percipientis.

Cur adeo periculoſum ſit adoleſcentibus cum nefariis ſodalibus conſueſcere. XIV.

1. Propter ætatis imbecillitatem, quæ omnibus pravis impreſſionibus patet; qui periculoſiſſimus eſt ſcopulus, qui inveniatur in vita, & cui, ut parentes, & iis, quibus ætatis hujus cura credita eſt, quam diligentiſſime caveant, Sancti Patres hortantur.

2. Quia facile non eſt illos ex hoc periculo retrahere, ubi habitum efformaverint.

3. Quia naturaliter malum potius, quam bonum imitantur, & primæ impreſſiones, quas in pravis

vis ſocietatibus recipiunt, in omnem vitam perſeverant.

XVI. Dei filius in ſociabili vita, quam inter homines duxit, tria præſertim nos docet.

1. Modum utiliter cum hominibus converſandi, omnibus benefaciens, alios erudiens, aliis exemplum oſtendens, & de omnibus optime merens.

2. Ferre defectus eorum, cum quibus verſamur, quemadmodum ille diſcipulorum rude ingenium ferebat, &c.

3. Vim, qua malis exemplis reſiſtendum eſt, & pro virtute ſtandum.

CAPUT II.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſita concionum argumenta pertractanda.

Sancti Patres. S. Ambroſius *lib. 1. de Officiis* docet, quomodo noſmet gerere debeamus in conſuetudine eorum, qui mobiles ſunt, & incommodi.

Idem *cap. 45. libri ejuſdem* eam oſtendit utilitatem, quam bonorum ſocietas, & familiaritas adfert.

Idem *in S. Lucam l. 4. & ſerm. de cathedra S. Petri* docet, quanti periculi ſit cum impiis conſueſcere.

S. Auguſtinus *Confeſſ. l. 2. c. 9.* non ſine lacrymis narrat, quanti ſibi ſteterit contagioſa malorum hominum conſuetudo.

Idem *l. 3. c. 8. & 9.* ait, ſe nequaquam auſum fuiſſe patrare ſcelera, quorum ſeipſum accuſat, ſi ſolus fuiſſet; & malorum conſortia criminum ſuorum cauſas extitiſſe.

S. Hieronymus *in Epiſt. 4. ad Furiam* imperat huic, ut adoleſcentum, eorum vero, qui æquo ſolutiores ſunt, ſocietatem evitet.

Idem *in Epiſtola ad S. Damaſum Pp.* hæc proferens Iſajæ cap. 6. verba; *in medio populi polluta labia habentis ego habito*, docet, quanti referat pravas ſocietates effugere; quod ipſum argumentum Epiſt. 47. pertractat.

Origenes in librum Job ſanctum hunc virum celebrat ob id potiſſimum, quod inter Ethnicos vivens, fidelis vero Deo eſſe non deſiit; neque moribus eorum corrumpi, atque inſici paſſus eſt.

S. Baſilius *in regulis fuſius diſputatis quæſt. 6.* pluribus Scripturæ locis oſtendit, quam pernicioſa ſit bonis ſocietas, & neceſſitudo impiorum; de qua re loquitur etiam homil. 9.

S. Chryſoſtomus tom. 5. homil. 24. cui titulus, *de converſatione optima*.

S. Gregorius *lib. 1. in Job cap. 1.* oſtendit, quænam utilitas percipi valeat ex impiorum conſortio, quod evitari non poteſt.

Idem fuſius hoc ipſum tractat argumentum hom. 9. in Ezechielem.

Idem *in Pſalm. 1. Pœnit.* hæc Regii Prophetæ Pſalm. 6. explicans verba: *Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem*; oſtendit cum impiis conſuetudinem contrahendam non eſſe.

Ascetici aliique. Trithemius *l. 1. ad Monach.* integram habet homiliam, cui titulus; *De pravorum conſortio fugiendo*.

P. Suffren in tom. 1. anni chriſtiani amplum, ſolidumque habet tractatum de converſatione, ubi fere ea collegit omnia, quæ dici poſſunt.

P. Dozennes in libro, cui titulus, *moralis Jeſus Chriſti*, diſcurſum habet de converſatione.

P. Nepveu tom. 3. chriſtianarum conſiderationum, unam habet de converſatione.

Idem in receſſu utiliſſimam habet hujus argumenti conſiderationem.

Liber cui titulus, *Inſtructio chriſtiana pro puellarum educatione cap. 8.* docet, quam pernicioſæ earum integritati ſint mundanæ cum adoleſcentibus conſuetudines.

Liber, qui inſcribitur, *Adoleſcentiæ in pietate chriſtiana inſtitutio* a Gobinet edita.

P. Craſſet libro, cui titulus: *Chriſtianus in ſolitudine*, conſideratione ſexta.

Matthias Faber parte 3. Operis tripartiti in variis concionibus. Concionatores.

Engelgrave *in Cœlo empyreo in feſt. Epiphan.*

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta unum habet de impiorum conſortio, praviſque ſocietatibus. *Tom. 1. Dominical. ſerm. pro Domin. 5. poſt Epiphan.*

Idem in tomo myſteriorum Sanctiſſimæ Virginis ſerm. de Viſitatione, loquitur de ſermonibus habendis in viſitationibus, atque converſationibus, & quomodo in illis ſeſe gerere deceat.

Idem tom. 4 ſermonum particularium unum habet de bonis ſermonibus, qui in congreſſibus habendi ſunt; hic autem ſermo religioſos potiſſimum reſpicit.

Ludovicus Granatenſis in locis communibus verbo *Societas*. Qui collectanea ediderunt.

Buſæus in Panario. Verbo *Societas mala*.

Drexellius in Niceta l. 1. c. 9.

Stapleton in Promptuario morali, variis in locis ſed præcipue in Dominic. 16. poſt Pentec. punct. 1.

Berchorius) Verbo *Societas*.
Labatha.)

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Recedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Num. 16.

Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum; & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Pſalm. 1.

Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Pſalm. 25.

Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum. Pſalm. 105.

Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem. Pſal. 6.

Declinate a me maligni. Pſal. 118.

Non adhæſit mihi cor pravum, declinantem a me malignum non cognoſcebam; detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar; ſuperbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam. Pſal. 100.

Vidi prævaricantes, & tabeſcebam ... Super inimicos tuos tabeſcam .... Tabeſcere me fecit zelus meus. Pſal. 118.

Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum! Pſalm. 132.

Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis, ... ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a ſemitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt. Proverb. 1.

Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit; amicus ſtultorum, ſimilis efficitur. Prov. 13.

Ne æmuleris viros malos, ne deſideres eſſe cum eis. Prov. 24.

Abominantur juſti virum impium; & abominantur impii eos, qui in recta ſunt via. Prov. 29.

Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo, ne forte diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. Prov. 22.

Cum viro ſenſato aſſiduus eſto, quemcumque cognoveris obſervantem timorem Dei. Eccli. 37.

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam. Ecc. 13

Cave ne cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam. Exod. 34.

Omnis homo ſimili ſui ſociabitur. Eccli. 13.

Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te. Eccli. 7.

Recedite, recedite exinde; pollutum nolite tangere, exite de medio ejus. Iſajæ 52.

Egredimini de Babilone, fugite a Chaldæis. Iſajæ 48.

Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini. Jerem. 50.

Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Matth. 18.

Cum publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter. Matt. 9. & Marc. 2.

Hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Luc. 15.

Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. 1. ad Corinth. cap. 5.

Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial? 2. ad Corinth. 6.

Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat; ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Ad Epheſ. 4.

Corrumpunt mores bonos colloquia mala 1. ad Cor. 15.

Noſtra autem converſatio in cælis eſt. Ad Philip. 3.

Scripſi vobis, ne commiſceamini fornicariis, &c. Cum ejuſmodi nec cibum ſumere. 1. ad Corinth. 5.

Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite. Ad Epheſ. 5.

Ne commiſceamini cum eo, ut confundatur. 2. ad Theſſal. cap. 3.

Annunciamus vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre deambulante inordinate. 2. ad Theſſal. 3.

In omni converſatione veſtra ſancti ſitis. 1. Petr. c. 1.

Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam. Ibid. cap. 2.

Exite de illa populus meus, ut ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis. Apoc. 18.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſumpta.

Exemplum Henoch.

HEnoch ævo mundus jam corrumpi incipiebat, & gliſcente in dies ſingulos labe ſanctus hic Patriarcha, qui Deo ſemper fidelis extiterat, & qui hactenus innocentiam ſuam ſervaverat, illius amittendæ periculum ſuiſſe ſubiiſſet, ſi diutius inter flagitioſos, quorum commercium, & ſocietatem evitare non poterat, permanſiſſet. Ideo inſigni cæli beneficio repente ex hominibus raptus eſt, ne, Scriptura ait, per illud commercium aliorum improbitas ad illum uſque ſe effunderet, & ſpiritum hunc rectum, ac innocentem animam ſuæ labe corrumperet. Deus in hujus viri gratiam ſingularem omnino rem, atque ante id tempus inauditam operatus eſt, eumdem ex hoc auferens mundo, quin communem legis mortem ſubiret. Adeo verum eſt impiorum ſocietatem ſua contagione ipſam inficere innocentiam, ac poſſe ſolidiſſimam quamlibet, optimeque confirmatam virtutem corrumpere.

Exemplum Loth.

Loth a ſocietate Abraham viri ea tempeſtate ſanctiſſimi recedens in medio populi nequiſſimi ſibi ſedem conſtituit. Quamvis autem nonnulli Sancti Patres aſſerant, divina Providentia ſanctum hunc virum Sodomitis deſtinatum fuiſſe, ut innocentiæ illius adſpectus illis pudorem offunderet ob fœdiſſimas ipſorum obſcænitates, eoſque ad converſionem impelleret; modicus, vel nullus fructus, quem ex illius exemplo populus ille recepit, ſatis oſtendit, ſocietatem bonorum minorem habere vim, ut impiis virtutem ſuadeat, quam impiorum habeat conſuetudo, ut ſanctiſſimos etiam perverſat. Attamen inter Sodomorum flagitia ſe continuit Loth: videbat ille quidem generalem populi totius corruptionem, ſed non ſine horrore, & lacrymis illam videbat; & miraculum, quod in illius gratiam operatus eſt Deus, ſatis oſtendit, quam gerat curam juſtorum providentia. Probum hunc virum abire juſſit, vel potius vi quadam una cum tota domo revulſit de medio hominum nequiſſimorum, in quos ultio ſua erat ſævitura; expectavit donec Loth egreſſus in tutum ſeſe recepiſſet; atque tunc cœlo delapſus ignis in cinerem ſceleratiſſimam redegit urbem, & omnia, quæ intus erant, abſumpſit. In coacta hac Loth fuga, tamquam in apertiſſimo exemplo videre eſt, a Deo non ſolum protegi bonos, ſed in horum gratiam impiorum etiam ſupplicia differri. Abraham enim, cui Deus intum a ſe aperuerat conſilium urbem illam funditus evertendi propter obſcœniſſima ſcelera, quæ ibi patrabantur, Dominum obteſtatus eſt, ne cum nocuis vellet innocuos confundere; exoravitque, ut ſi tot inter ſontes decem tantummodo juſti invenirentur, iræ ſuæ cohiberet effectum, atque propter pauciſſimos, qui culpa vacaſſent, tot ſceleratiſſimis parceret.

Exemplum Job.

Hoc illud elogium eſt, unde Scriptura vitam orditur ſancti Job, qui tot aliis de cauſis laudem merebatur: *Vir erat in terra Hus, juſtus, & ſimplex.* Job. 1. Quid igitur, quæri poſſet, tantumne miraculum eſt, hominem juſtum in magna regione videre? Quot alii juſti extiterunt, quorum vel ipſum nomen reticetur? Sed fidelem fuiſſe inter idololatras, quibus illa abundabat regio, quin in eorum errores abierit; tot inter impios juſtitiam coluiſſe, quin eorum ſcelera fuerit imitatus; hæc illius ſingularis eſt gloria, quæ illi coram Deo, & hominibus tantam gloriam comparavit.

Exemplum Tobiæ.

Quacumque in ſocietate ſimus, ſi providentiæ conſilio, non voluntate noſtra ibi ſumus, poſſumus ſemper imitari Tobiam, qui & in patria, & in captivitate numquam particeps fuit corruptionis eorum, cum quibus vitam ducere tenebatur. Si erat in patria, dum cæteri ſeſe conferebant ad vitulis aureis thura adolenda, *ſolus fugiebat conſortia omnium, ſed pergebat in Jeruſalem ad templum Domini.* Job. 1. Sin autem in Ninive infidelis victoris mancipium, dum reliqui contribules ſui prophanis Ethnicorum carnibus veſcebantur, animæ ſuæ innocentiam ſervavit, eamque numquam vel eorum eſcis, vel vitiis fœdavit. Hinc inferendum eſt, ſi minime liceat corpore, licere tamen ſpiritum malorum hominum conſortia evitare; & ſi ab oculis mundum amovere non poſſumus, poſſe tamen a corde.

Boni malorum prohibent interitum.

Quærit S. Ambroſius, cur tamdiu diſtulerit Deus terris univerſale diluvium immittere; & reſpondet, illum patienter tot nefaria ſuſtinuiſſe flagitia, quibus ſeſe quotidie mortales commaculabant, dum interim juſti aliquot, qui vivebant adhuc in mundo, ab aliorum iniquitatibus erant immunes: ſed poſtquam omnis caro viam juſtitiæ corrupit, & Noe tantum, ejuſque familia generalis expers erat corruptionis, tunc nihil amplius Dei iram cohibere potuiſſe, ne ille ſuum opus deleret. Aperuit igitur cœli cataractas, terraſque tot ſordibus fœdatas aquarum eluvione expiavit, juſtum dumtaxat Noe, ejuſque familiam ſibi reſervans, qua iterum cultoribus terras repleret, & mundum novum efficeret.

Obeſt bonis cum malis vivere: prodeſt malis vivere cum bonis.

Rem prorſus miram legimus in Bibliis: videlicet, cum Iſraelitæ poſt captivitatem annorum ultra ſexaginta revocandi, atque ex Babylone in terram patrum ſuorum erant reducendi, litem obortam fuiſſe inter duos utriuſque populi tutelares Angelos; quorum alter precibus Deum fatigabat, ut Iſraelitas quamprimum abire liceret, ne ex infidelium commixtione corrumperentur; alter vero Deum obteſtabatur, ut illi adhuc ibi permanerent pro ſalute, & converſione Babyloniorum ipſius cultæ creditorum: quilibet ſua habebant conſilia, timores, cauſas. Undenam hoc? Quia bonis periculoſum eſt cum malis vivere; malis vero utile vivere cum bonis.

Deus vetat, ne juſti impiorum ſocietatem inquirant.

Deus ſemper interdixit juſtis quamlibet cum impiis ſocietatem, ne horum vitiis pollueréntur; & ne exemplis horum illecti a recta virtutis ſemita deflecterent. Ita legimus in Geneſi illum præcepiſſe Abrahæ, ut patrium ſolum, domum, omneſque eos, cum quibus arctiſſimis conſanguinitatis, affinitatiſque vinculis conjunctus erat, relinqueret, in aliam profecturus terrarum plagam, ibique novam ſibi poneret ſedem, perinde ac, quantumvis Dei eſſet amicus, metuendum eſſet, ne talis eſſe perſeveraret in regione, quæ Dei erat inimica. In Exodo c. 34. prohibet Deus, ne Iſraelitæ alienigenas uxores ducant, ne ab his a veri Dei cultu dimoverentur; quod accidit deinceps Salomoni licet mortalium omnium ſapientiſſimo. Et in libro Joſue c. 23. videmus, quibus minis hoc ipſum interdictum inſtau-

inſtauret, atque populo ſuo oſtendat, in quæ ſcelera primum, mox vero in quæ, quantaque mala futurum eſſet, ut his nuptiis, & affinitatibus conjicerentur.

Deus ſæpe in bonorum gratiam impiis quoque temporalia contulit bona.

Attamen ex eodem ſacro textu intelligimus, cum divinæ providentiæ juſſu boni cum improbis vivere, eodemque uti contubernio coacti fuerunt, in eorum gratiam his non ſpernenda bona contuliſſe. Ita augebat ille opes Labani propter Jacob generum illius, donec ille hujus opera uſus eſt fideliſſima; & propter Joſeph domui Putipharis benedixit. In Prophetarum congreſſu prophetavit Saul; & Deus ſæpe miſericordiam exercuit erga populum ſuum propter Abraham, Iſaac, & Jacob; quamobrem S. Chryſoſtomus ait, Sanctos non eos ſolum, qui in cœlis ſunt, ſed eos quoque, qui ſunt in terra, protectores eſſe, ac patronos urbium, provinciarum, & regnorum, his cœli benedictionem promerentes.

Providentia voluit bonos ſemper malis eſſe permixtos.

Ab ipſis uſque mundi primordiis, boni, malique ſemper mixti, ſimulque confuſi fuerunt peculiari quodam providentiæ conſilio; idque non in civitatibus ſolum, verum etiam in privatorum domibus, ac familiis, ut boni eſſent exemplo malis, & mali bonorum virtutem exercerent. In prima orbis familia, Adæ videlicet, Abel, & Cain ſatis diu ſimul vixere. Inter filios Noe, qui in Arca ingreſſi fuerant, unus patri reverentiam non præſtitit, & maledicto percuſſus fuit. In familia Abrahæ, Iſmael cum aliquamdiu ſimul cum Iſaac vixiſſet, inde fuit expellendus. In domo Jacob ex duodecim filiis, quos genuerat, Joſeph, qui innocentiſſimus erat, ab aliis undecim venditus fuit, & parum abſuit, quominus e viventium numero exturbaretur.

Quid gerit Deus cum bonis, qui impiorum amicitiam, vel affinitatem quæſiere.

Aliter ſe geſſit Deus cum juſtis, cum ipſi ex ſe, & contra ejus imperium, impiis ſeſe miſcere, vel cum illis ſocietatem inire voluerunt: permiſit enim, ut alii perverterentur, veluti filii Seth, qui primum quidem in Dei cultu, ac timore eruditi, ac inſtituti fuerant, & qui ob affinitates, quas contraxere cum filiis Cain paternæ impietatis hæredibus, non ita multo poſt corrupti ſunt: alii vero acerbiſſimis exprobrationibus, Dei nomine, caſtigati fuere, veluti ſanctus Rex Joſaphat ob initam neceſſitudinem, fœduſque cum impio Achab percuſſum: & alii tandem ſeveriſſimis affecti ſuppliciis, velut ſtrenuus Judas Machabæus, qui victus, cæſuſque fuit, eo quod Romanorum amicitiam quæſiverat, & cum illis icerat fœdus.

Exemplum S. Joannis Baptiſtæ.

Magnus filii Dei Præcurſor in eccleſia celebratur, eo quod a puero in deſertum conceſſit, ibique permanſit, donec annuntiandus ſuit Meſſiæ adventus, quin ullum haberet cum hominibus commercium, ne mundi contagione, & peccatorum ſocietate pollueretur. Itaque habitus ille fuit tanquam Patriarcha, & exemplar eremitarum, eorum videlicet, qui ſeorſim vivunt ab hominibus, quorum exemplis, atque ſermonibus in vitium poſſent impelli.

De Peregrinis in Emmaus proficiſcentibus.

Exemplo peregrinorum in Emmaus proficiſcentium diſcimus, quam vim habeant boni, ac pii ſermones ad fervorem injiciendum, & evitandos eos, qui in Dei cultu intepuerunt; nam cum duo illi Salvatoris diſcipuli morte illius deterriti, quem tamquam magiſtrum ſecuti fuerunt, nutarent in fide, ſtatim ac Dei filius ſeſe illis comitem addidit in via, & aliquamdiu ad illos collocutus eſt, faces illæ extinctæ, atque fumantes adhuc iterum inflammatæ ſunt ad acceſſum ignis divini, quo illos afflavit, ita ut novo ardore ſuccenſi Jeroſolymam fuerint reverſi: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Luc. 24.

Cauſa lapſus S. Petri.

Permiſit Deus, ut Apoſtolorum princeps, & caput laberetur, non ſolum ut ille ſuam agnoſceret infirmitatem, ejuſque præſumptionem puniret; verum etiam, ex quorumdam ſanctorum Patrum ſententia, quia pravo ſeſe implicuerat conſortio intra Pontifices, ſatellites, & miniſtros ſe commiſcens, qui ſeſſi erant, eo quod Salvatorem in Olivarum horto ceperant, & qui indigne illum in judicis aula probris, conviciiſque laceſſebant, ubi eorum dicteriis, atque irriſionibus traditus fuerat.

Deus nonnunquam parcit impiis in gratiam juſtorum.

Sæpe uſuvenit, Deum iram ſuam cobibere, ac differre ſupplicia, quæ de impiis expoſceret, niſi rationem habere vellet juſtorum, ne hos eadem involvat calamitate. Ita in Apoſtolorum Actis legimus cap. 27. cum S. Paulus Romam verſus navigaret, adeo vehementem repente obortam fuiſſe tempeſtatem, ut omnes, qui eadem vehebantur navi numero 276. de vita ſua jam deſperaverint, ac ſe propediem in nullam reditus ſpem interituros crediderint. Verum cum Angelus Domini S. Paulo apparuiſſet, pollicitus eſt illi, futurum, ut in gratiam ipſius nemo itineris ejuſdem ſocius interiret. Ecce quid illis magni hujus Apoſtoli profuit ſocietas: *Ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum.* Act. 27.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

C*Haritas patiens eſt; benigna eſt &c.* c. 1. ad Corinth. 13. Charitas in congreſſibus omnino eſt neceſſaria, ne mali ſint, & ut boni fiant; atque notatu dignum eſt, conditiones, & effectus omnes, qui in loco hoc celeberrimo ab Apoſtolo charitati tribuuntur, nullibi magis habere locum, neque alibi, quam in converſationibus, eſſe utiliores. Procul enim arcet ſuperbiam, avaritiam, iram, lævas de proximis ſuſpiciones, atque contentiones omnes, quæ inde ſuavitatem omnem exturbant. E contra vero patientia, affabilitas, indulgentia, aliæque virtutes, quæ charitatis comites eſſe conſueverunt, ibi locum ſuum nanciſcuntur, omnemque congreſſuum dulcedinem faciunt. Ibi gloriæ potius ſibi vertere quilibet debet aliis cedere, quam pertinaciter, & mordicus repugnare; nemo illic lædendus eſt, nemo ſe ulla re lædi putare debet, atque in id adniti, ut omnibus placeat, ita tamen ut Deo non diſpliceat. Hoc pacto bene converſandi artem noſſe idem eſt, atque charitatem, omneſque illius partes adimplere.

Impios a ſocietate proſcribere idem eſt, ac proſcribere vitium.

Auferte malum ex vobis. 1. ad Corinth. 5. Eruditiſſimus auctor commentariorum, qui inter S. Ambroſii opera circumferuntur, hæc Apoſtoli verba dupliciter explicat; 1. eliminate malum hominem a ſocietate veſtra; 2. ejicite peccatum, quod unicum in terris malum eſt, auferte malum ex vobis. Sed quocumque in ſenſu intelligantur, alter ad alterum redit; Apoſtulus quippe monet e ſocietate noſtra hominem nequam exterminare, ſimulque omne peccatum ex corde ejicere, neque enim cum vitioſis citra noxam, & Dei offenſam conſueſcere poſſumus, prohibemur ne noſmet objiciamus periculo in eorum mores, & vitia abeundi.

Cum impiis facilius corrumpimur, quam illos convertamus.

Ne commiſceamini cum illo 2. ad Theſſal. 5. Hæc verba, quibus Apoſtolus utitur ſuaſurus, ne cum homine nequam conſueſcere audeamus, notanda ſunt: non enim dicit ſolum, ne ullam cum hoc familiaritatem ineatis, ſed ne commiſceamini cum illo. Aqua, quæ pura eſt, non corrumpitur, licet aquæ corruptæ ſit proxima; verum ſi commiſceantur utraque ſimul, illa corrumpitur; & commixtio id agit, quod propinquitas agere nequit. Si dimidiatus calidæ in dimidium frigidæ calix infunderetur, qualitates eorum non minus quam ſubſtantiæ commiſcerentur, calida quidem caloris, frigida vero frigoris ſui partem amitteret. Hoc ipſum accideret, ſi pura cum lutulenta miſceretur aqua, pura quidem lutulenta fieret, lutulenta vero nequaquam emundaretur. Sæpe cum flagitioſo homine verſaris, ultro citroque illum & excipis, & convenis; hi non ſunt, ex Apoſtolo, ſimplices acceſſus, hæc eſt commixtio, ſed proh miſeram commixtionem! Nequam ille nec monitis, nec exemplis convertitur; illum non corripis, immo neque audes: aqua hæc in ſua corruptione permanet; at non hoc ipſum accidit in te? innocentiam amittis tuam; ſuperantur conſilia

tua, non ſecus ac monita, & exempla tua; eras tamquam detæcatiſſima lympha, ſed hac commixtione corrumperis.

Vitioſi quorum converſatio jocundior eſt, ſunt magis periculoſi.

Si te lactaverint peccatores &c. Prov. 1. Nihil melius exprimit modum, quo vitium in vitioſorum hominum conſuetudine gliſcit, quam hæc lactis ſimilitudo a Sapiente uſurpata; ſeu velit innuere, vitium blande ſloere cum ſuavitate, & voluptate per modum ſolarii; ſeu quod nutrices cum lacte ſimul mores, ac ſtudia ſua pueris, quos ſuis alunt uberibus, communicant; ſeu quod ex medicorum ſententia virus nunquam magis pernicioſum eſt, neque mortem infert præſentiorem, quam ubi cum lacte ſimul hauritur. Ita pernicioſiſſimi peccatores illi ſunt, qui callidius, & jucundius in hilari converſatione vitium, & corruptionem inſpirant.

Nihil nobis eſſe debet cum impiis commune.

Excutite pulverem de pedibus veſtris &c. Matth. 10. Quæritur, undenam profecta ſit hæc apud Judæos conſuetudo excutiendi pulverem de calceis, cum de loco aliquo egrederentur, ubi parum benigne fuerant excepti; & quid per hæc innuere vellet Salvator Apoſtolis ſuis, cum interclusus illi fuiſſet aditus in urbes, quo evangelium prædicaturi ſe ſe contuliſſent. Erudiſſimus Cardinalis Cajetanus ait, hoc ab illis fieri voluiſſe, ut oſtenderent ſibi nihil eſſe commune cum peccatoribus, quorum ſalus deſperabatur; nihilque ab illis accipi poſſe, immo neque pulveris granum; & ſicuti illi a nobis recipere detrectant bonum, & virtutes, quas illis inſpirare vellemus, ita neque nos velle vel minimis ipſorum ſordibus fædari, nihil enim præterea ex eorum ſocietate, atque colloquiis referre poſſemus.

Qui in re ipſa non nunquam bona ſotiles ſunt.

Major ſerviet minori. Geneſ. 25. Hoc dicit Scriptura de Eſau, & Jacob, futurum videlicet ut natu major minori famularetur. *Serviet*, quemadmodum S. Auguſtinus interpretatur, non ſolum illi ſubmiſſus, ſubjectuſque erit, uti vulgo explicatur, ſed ſerviet, quomodo dici ſolet aliquis nobis profuiſſe, dum obeſſe vellet, atque noſtram procuraſſe utilitatem, dum nobis interitum ſe putabat allaturum: *Serviet non obſequendo, ſed vexando.*

Modicum fermeatum totam maſſam corrumpit. 1. ad Corinth. c. 5. Apoſtolus ita loquens ſupponit, unum dumtaxat hominem nequam corrumpere poſſe totam e ſanctis omnibus compoſitam maſſam, quomodo vero nunc impiorum multitudo unam dumtaxat animam facillime perdere, & corrumpere poteſt? Inter hoc, & S. Pauli ſæculum id diſcriminis intereſt, quod tunc mali ſeparabantur a bonis, nunc vero boni a malis ſeparandi ſint; tunc enim pauci inter Chriſtianos erant mali, boni vero plurimi; hodierna vero die pauciſſimi boni ſunt in tanta impiorum multitudine. In hac tamen ab impiis ſeparatione in eorde ſemper ſervanda eſt charitas, atque conſenſus cum illis, & ſi corpore ab illis ſeparamur, hoc fieri ſimpliciter debet, ut ab eorum vitæ genere abhorreamus, & cum illis quam minimam habeamus conſuetudinem, quin prudentiam, & charitatem lædamus: *Si ab iniquis recedere non potes, recede ab iniquitate*, S. Auguſtinus ait.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ ſanctorum Patrum hujus argumenti.

AD inſtructionem jungi bonis, multum prodeſt, & ad probitatis teſtimonium. Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 45.

Oſtendunt adoleſcentes, eorum ſe imitatores eſſe quibus adhæſerint: ea convaleſcit opinio, quod ab iis acceperint vivendi ſimilitudinem, cum quibus converſandi hauſerint cupiditatem. Idem, ibidem.

Gratulandum eſt cum mali de Eccleſia ſeparantur, ac columbas, ne oves Chriſti ſæva ſua & venenata contagione prædentur. Cyprian. de ſimpl. Prælat.

Fuge perſonas, in quibus poteſt mala converſationis eſſe ſuſpicio. Hieronym. Epiſt. ad Gerontiam.

Proclivis eſt malorum imitatio; & quorum virtutes aſſequi nequeas, cito imiteris vitia. Idem Epiſt. 7.

Quid tibi neceſſe eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habeas aut perire aut recedere? quis mortalium juxta viperam ſecuros ſomnos carpit? Idem Epiſt. 147.

In ſolitudine, cito obrepit ſuperbia. Idem Epiſt. 4.

Tales habeto ſocios, quorum conſortio non infameris. Idem Epiſt. ad Nepot.

Præceps ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos me puderet minoris decoris, cum audirem eos jactantes flagitia ſua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes eſſent. Auguſt. lib. 2. Confeſſ. cap. 9.

Libebat malum facere non ſolum libidine facti, ſed etiam laudis. Idem, ibidem.

Ne putetis gratis malos eſſe in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum: omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ut per illum bonus exerceatur. Idem in Pſal. 54.

Tu ſcis Domine, dum talia loqueretur, ut mundus nobis inter verba vileſceret. Ita loquitur de matre ſua. Idem in Confeſſ.

Nihil ita perſequitur vitam juſtorum, ut vita iniquorum; non, dum cogitur imitari quod diſplicet, ſed dum cogitur tolerare quod videt. Idem.

Coram pio vivens impie, etſi non obligat conſentientem, cruciat tamen ſentientem. Idem.

Non eas converſationi habenas immittit, Paulus, ut, quoniam neceſſe eſt convivere, & compeccare poſſimus: licet convivere; commori non licet. Tertull. de idolol.

Penſate quæſo, ubi erit patientia, ſi deeſt quod toleretur! Ego Abel non ſuſpicor, qui Cain non habuerit; boni enim, ſi fuerint ſine malis, perfecti eſſe non poſſunt, quia minime purgantur. Greg. l. 9. Epiſt. 39.

Ipſa malorum ſocietas, purgatio bonorum eſt. Idem, ibidem.

Vitari ſocietas malorum debet, ne ſi fortaſſe corrigi non valeat, ad imitationem trahant; & cum ipſi non mutentur, eos, qui ſibi conjuncti fuerint, pervertant. Idem Homil. 9. ſuper Ezech.

Sicut malus aer aſſiduo flatu tractus inficit corpus, ita perverſa locutio aſſidue audita infirmantium inficit animos, ut tabeſcant delectationes pravis operis, aſſiduitate curtoſi ſermonis. Idem, ibidem.

Non valde laudabile eſt bonum eſſe cum bonis, ſed bonum eſſe cum malis: ſicut enim gravioris culpæ eſt inter bonos bonum non eſſe, ita immenſi præconii eſt bonum etiam inter malos extitiſſe. Greg. l. 1. Moral. c. 1.

Bonus ſic malo connectitur, ut aut pares reddantur, aut cito ab invicem ſeparentur; amicitiæ enim, pares aut quærunt, aut faciunt. Chryſoſt. ſup. Matth.

Rerum naturæ eſt, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, ſed ex malo bonus contaminetur. Idem, ibidem.

Melius eſt habere malorum odium, quam conſortium. Sicut bona multa habet communis vita Sanctorum, ſic plurima mala affert ſocietas malorum. Iſid. lib. 2. Colloq.

Inter bonos bonum eſſe ſalutem habet, inter malos vero laudem. Illud tantæ felicitatis eſt, quantæ etiam ſecuritatis; hoc autem tantum habet virtutis, quantum difficultatis. Bern. in Epiſt.

Bonos in conſilio, bonos in obſequio, & bonos habeas contubernales, qui vitæ & honeſtatis tuæ cuſtodes ſint & teſtes. Idem, ibidem.

Remedium eſt, quem converti velle non videris, vitare, ſi poſſis. Caſſiod. in Pſal. 19.

Hi veraciter boni ſunt, qui in bonitate perſiſtere etiam inter malos poſſunt. Gregor. in Moral.

Omnium ſocietatum nulla præſtantior, nulla firmior eſt, quam cum viri boni moribus ſimiles, ſunt familiaritate conjuncti. Seneca, Epiſt. 11.

Nulla res magis animos inhoneſtos, & in pravum incli-

inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum converſatio; paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter aſpici, frequenter audiri, Idem, ibidem.

Cum iis converſare, qui te meliorem facturi ſunt, illos admitte, quos tu potes facere meliores. Idem, Ibidem.

Sumantur a converſantibus mores: & ut quædam in contactu corporis vitia tranſeunt, ita animus vitia ſua proximis tradit. Idem, l. 3. de ira.

Nemo vitioſus non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut allinit. Idem, Epiſt. 7.

PARAGRAPHUS V.

Quid hoc in argumento ex Theologiæ penu valeat depromi.

Quid ſit ſocietas, & converſatio.

SOcietas, ex D. Thoma *in opuſc. contra impugn. religionem c.* 5. hac voce in ſenſu magis proprio accepta, eſt unio duorum, vel plurium ſimul viventium, vel eodem utentium contubernio, pro communi utilitate, vel majori vitæ, aut officii ſui commoditate. Verum cum iſtic de converſatione præſertim agatur, cujus alius finis eſt, & alia ratio, credo dici poſſe, ſocietatem eſſe, in latiori ſenſu deſumptam, hominum, qui ſimul coeunt, vel fortuito ſimul conveniunt, de iis, quæ accidunt, & quæ paſſim neque præmeditata ſunt, neque in anteceſſum ſtatuta, collocuturi. Hinc fit converſationem differre propter perſonas, colloquia, quæ ab illis habentur, & finem, quem ſibi proponunt. Itaque bona eſt, vel mala, ſeria, vel hilaris; utilis, vel noxia; honeſta, cum ſcandalo conjuncta, indifferens pro earum circumſtantiarum varietate. Et quemadmodum finis, quem vulgo ſibi proponunt homines, eſt temporis cum aliqua jucunditate traducendi, proprie appellari converſatio non poteſt magiſtratuum conſeſſus, qui de rebus publicis deliberant, neque medicorum congreſſus, qui congregantur, ut de morbi alicujus natura, ac remediis diſceptent, neque judicum conſilium, qui litem ſunt dijudicaturi; ſed tantum amicorum ſocietas, vel eorum, quorum grata, jucundaque eſt conſuetudo, qui hac mente conveniunt, ut mutuis ſermonibus tempus fallant; atque viciſſim aliquid conferant alterius oblectationi, & perfectioni vitæ, pro ut illis ſe ſe offerre poteſt occaſio.

Cum homo natus ſit ſociabilis, naturaliter in ſocietate, atque converſatione complacet ſibi, ut inquit Ariſtoteles, ac dici poteſt ſocietas in omnibus humanæ vitæ ſtatibus eſſe neceſſaria. Homo illam amat, velut rem, qua omne ſibi tædium auſertur; & quæ convenit ipſi: illa non parum virtuti confert, S. Hieronymus inquit, quia proximi ſanctitas nos erudit, atque humiliat. Sed ut ſocietas iſta, quam amamus, utilis fiat, non ſine magna moderatione, ac prudentia eadem utendum eſt. Quemadmodum ſolitudini aliquid ineſt horridum, ac triſte; ita mundi turba non minus incommoda eſt, quam periculoſa. Status præ cæteris magis optandus medius eſt inter utrumque in commercio electorum quorumdam mortalium, cum quibus conſueſcimus, ad receſſus quidem tædium, multitudinis vero tumultum evitandum.

Sociabilis vita pluribus in rebus ſolitariæ præferenda eſt.

Quamquam ſolitaria vita majori cum innocentia ducitur, quam quæ in jugi hominum commercio implicita eſt, inficias tamen ire nemo poteſt, quominus pluribus in rebus vita ſociabilis ſolitudini ſit præferenda: homo quippe ſolitarius quamplures exercere nequit virtutes, quas ille poteſt, qui cum aliis conſueſcit. Ille enim quam exercebit cum ægrotante, vel mœrente charitatem, ſi neminem videt? Quam patientiam, ſi nemo illi reſiſtit, vel illum afficit injuria? Quam obedientiam, vel ſubmiſſionem, ſi ſuperiorem non novit, a quo ſibi imperetur? E contra vero in vita ſociabili inceſſanter plurimarum virtutum exercendarum occaſiones occurrunt, quamvis alieni dumtaxat ferendi eſſent defectus; præter quamquod exempla virtutis eorum, cum quibus verſamur, magnæ ſunt, præſenteſque cauſæ, ut nos ad virtutem excitent, atque ad imitandum inflamment.

Cuinam rei innititur ſocietas, & converſatio.

Omnes homines mutuo quamdam fovent generalem ſocietatem, quæ naturæ ſimilitudini innititur: ejuſdem urbis cives aliam inter ſe alunt, quæ communi innititur utilitati; peculiares amici aliam, quæ in ingeniorum conformitate, ac reciprocis urbanitatis officiis ſita eſt; conſanguinei aliam, quæ in fortioribus, arctioribuſque vinculis conſiſtit; ſed Chriſtiani corpus quoddam efficiunt, quod charitas animare debet; charitas, quæ præcipua etiam eſſe debet converſationis eorum cauſa.

Electio habenda eorum cum quibus vivendum eſt.

Cum magis proni ſimus ad aliorum vitia, pravaſque qualitates, quam virtutes imitandas; cumque communis ſententia ſit, nos plerumque ſimiles illis fieri, cum quibus conſueſcimus, ideo ſemper meminiſſe debemus moniti, quod S. Paulus tradit Corinthiis, bonos corrumpunt mores colloquia prava, non ſecus ac bona colloquia effectum prorſus oppoſitum gignunt. Itaque oppoſitos habet effectus converſatio, & prout inſtituitur, ferre, vel auferre poteſt inſignia mala. Illi ergo eligendi ſunt, cum quibus vulgo converſari debemus; & fugienda eſt conſuetudo cum illis, qui nos corrumpere poſſunt.

Bene converſandi regula.

Ad ſanctam, & ſpiritualem vitam ducendam hanc nobis ſancti Patres regulam tradunt. Quantum in nobis eſt, & ſtatus, atque conditio noſtra ſinunt, receſſum potius, quam converſationem diligere oportet; ita ut non niſi ægre ſolitudinem relinquamus, atque ob majoris boni deſiderium. Id ſi fecerimus, in ipſis etiam ſocietatibus minus diſſipati erimus, ac minus noſmet extrinſecus effundemus. Generatim ut cum mundo verſari diſceremus, converſatio noſtra, ut Apoſtolus ait, ut plurimum eſſe deberet in cœlo, cum ſanctis, ipſoque Deo, ut data occaſione inſpiraremus aliis bonos ſenſus, quos in cœleſti hac converſatione haurire poteremus.

Quando fugienda, vel quærenda ſit impiorum ſocietas.

Quamvis in Scripturis præcipiat Deus, ut malorum ſocietatem, & converſationem fugiamus, ſperandum tamen non eſt futurum, ut illam omnino effugere valeamus, non ſecus ac aliqua in mundi plaga vivere poſſimus; ubi nullus homo nequam inveniatur. Hæc bonorum, malorumque commixtio ſapienter divinæ providentiæ conſilio conſtituta eſt ad utrorumque utilitatem, ut mali ex bonorum ſocietate proficerent, neque bonis patientiæ, heroicarumque virtutum exercendarum deeſſet occaſio. Hac de cauſa non prohibet Deus, ut juſti cum peccatoribus vivant, & commorentur, ubi nullum periculum adſit, quod in eorum ſocietate pervertantur; & charitas ſæpe eos requiri jubet, ubi ſpes adſit aliquam illis afferendi utilitatem, eoſque convertendi.

Non nego ſermones haberi, iter inſtitui, mercaturam exerceri, aliaque negotia tranſigi poſſe cum quolibet mortalium genere; aliquamdiu permaneri poſſe in eadem ſocietate, in qua hominem nequam inveneris, vel in quam hic recens accedat; aliquam cum illo iniri neceſſitudinem poſſe, ubi nondum agnitus fuerit, vel ubi aliqua ſpes illum ad officium revocandi oboriatur. Prorſus a mundo recedendum eſſet, ſi evitandas eſſet occurſas eorum omnium, qui ſecundum Deum minime vivunt; quæ ejuſdem S. Pauli eſt illatio. Ipſa etiam nobis permittit eccleſia familiariter cum illis colloqui, quos propter flagitioſæ vitæ genus a corpore ſuo ſecrevit, niſi eos palam denuntiaverit, ſinit eos a nobis videri, cum illis agi, ſi aliquam ſperamus utilitatem; atque cum illis etiam, quos minime tolerat, quamquam ad id ſeveriſſimas præſcribat regulas, quæ non ignorandæ, obſervandæque ſunt, in occaſionibus neceſſitatis, vel etiam charitatis minime vetat aliquas adhuc levia commercii habere reliquias. Illud vero præſcribit Apoſtolus a particularis perſonæ conſuetudine abhorrendum eſſe, ubi vitæ illius flagitia cognovimus, atque experti ſumus, monita, exempla, preceſque noſtras nullam in animo ipſius vim obtinere.

Quando...

Cum homo nequam nos ad peccandum ſollicitat

Ne recedendum sit a vitioſi hominis ſocietate.

pravo exemplo, ſi præterea addit promiſſiones, munera, illecebras, minas, ſi ſua utitur auctoritate, atque poteſtate, ut nos cogat, tunc citius quam fieri poſſit recedendum eſt ex ſocietate adeo periculoſa, ex converſatione, & commercio, quæ in manifeſtum nos adducunt diſcrimen, ne in æternum a Deo ſeparemur. Et ſi quæ ratio, quam prudens, doctuſque confeſſarius ſatis aptam cenſuerit, ibi ad aliquod tempus adhuc permanere coegerit, vel inde abſcedere minime integrum ſit, quin charitati officiatur, & gravius gignatur malum, id conſilii capiendum eſt, ut quamprimum licuerit, terga vertamus. Donec autem felix hæc ſe ſe offerat occaſio, corde recedendum eſt, & enixis votis pro illis, ac nobis orandus eſt Deus, nihilque induſtriæ prætermittendam, quod mens, & charitas nobis ſuggerere poterunt, ut captum exequamur conſilium diſcedendi, ac prorſus converſationem illam relinquendi.

De converſatione inter diverſi ſexus perſonas.

Inter diverſi ſexus perſonas converſatio neque omnino mala eſt, neque vetita. Hanc plurimorum etiam ſanctorum probant exempla; ſæpe ipſam etiam hoc ſuadet charitas, neque vituperari poteſt, cum ætas, conditio, officium omnem auferit ſuſpicionem: prudentia tamen regenda eſt, ita ut nulla obloquendi, vel lævum judicium ſerendi præbeatur occaſio. Verum ſatis numquam vituperari poſſunt nimium hilares converſationes, quæ fere numquam crimine vacant; hi ſolius cum ſola ſuſurri, qui nimiam ſignificant familiaritatem, juſtamque præbent credendi cauſam, non deeſſe utrobique amoris flammam ea præſertim ætate, quæ nimia facilitate ignem ſolet corripere.

Malæ ſocietates recenſentur in numero proximarum occaſionum.

Cum malæ ſocietates inter proximas occaſiones recenſeantur ſaltem habita nonnullorum ratione; (hæc enim occaſionis ſpecies eſt, vel periculo, vel frequentia nulli ſecunda) liquet, quidquid de occaſionibus dicitur, de pravis ſocietatibus quoque dicendum eſſe quoad earum fugiendarum neceſſitatem, ubi earum diſcrimen intelligimus, noſtramque ſalutem in periculum ibi adduci cognoſcimus. Ideo in titulum de Occaſionibus conjecimus, quidquid inter duo hæc argumenta commune invenitur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, concionatoribuſque recentioribus loci hujus argumenti.

In impiorum ſocietate duo damnant.

QUI cum impiis conſueſcit, vulgo damnatur; cujus rei duæ potiſſimum afferri poſſunt cauſæ. Prima eſt complacendi aliis ſtudium, quod in urbana vita, & ſocietate adſectatur; altera vero fallax eſt honoris ſenſus, qui efficit, ut turpe cenſeamus ea non efficere, quæ ab aliis fiunt. Fatalem hanc aliis complacendi cupiditatem, quæ efficit, ne diſpliceamus illis, cum quibus vivimus, ea, quæ illi faciunt, & probemus, & ipſi faciamus, ſanctus Auguſtinus flere non ceſſat; cupiditatem quidem, quæ plurimorum criminum cauſa ipſi fuerat. O nimis inimicam amicitiam! exclamat; o incomprehenſibilem animæ errorem! Ex mero complacendi ſtudio, atque ex libidine, ſine proficiendi, nocendive cupiditate, ſine aliquo animi motu, ſine utilitate; idque quia plurimi, qui amantur, id faciunt: *Cum dicitur; eamus, faciamus; pudet non eſſe impudentem*. Conf. l. 2. c. 9. Quot malorum, ac relaxationum in quovis ſtatuum genere cauſa eſt deſiderium iis non diſplicendi, cum quibus vivimus? Secundum leges fallacis hujus complacendi libidinis quoties tenemur menti, animoque noſtro vim facere, ut id faciamus, quod alii faciunt, & ne ſocius diſpliceamus! *Pudet non eſſe impudentem*. Tuntane umquam fingi poteſt contra Deum, vel contra noſmetipſos ignavia, ut aliis placituri in ipſam naturam noſtram tyrannidem exerceamus? *Specimen ſermonum tomo 3. Quadrageſimæ. Sermone pro feria 6. in hebdomada paſſionis*.

In pravis ſocietatibus ſibi perſuadent homines in hoc honorem ſuum verti, ſi id faciant, quod alii.

Complacendi cupiditas eo uſque procedit, ut nobis perſuadeat, in hoc verti honorem noſtrum, ſi in ſocietate id fecerimus, quod alii faciunt; ac putant homines turpe eſſe exercere virtutem; ubi a ſolo exerceatur ... Quot videmus, qui nequam non ſunt, & eſſe ſimulant, ne tanquam ſingulares habeantur. Eſſent boni, ſi bonos eſſe liceret, quin ſe ſe odio, & irriſioni ſodalium objicerent; ſed naturam ſuam prodere tenentur, ac vim facere ſtudio, quo ad virtutem feruntur, ut ſimulent vitium in partem acceſſuri falſæ gloriæ audacter in vetitum ruendi. Nonne hoc illud eſt quo impelluntur homines, ut de criminibus, quorum vacui ſunt, coram glorientur? Nihil magis me commovet, quam ea ratio, qua S. Auguſtinus hoc malum deplorat, in quod lapſus fuerat in adoleſcentia. Tanta cæcitate me præcipitem agebam, ait ille, ut inter coævos meos me puderet, niſi haberem tot pudenda, quot alii, quæ referrem. Audiebam illos de criminibus ſuis gloriantes, eaque majori jactantia oſtentantes, quo erant fœdiora; quibus tunc invidebam non patratorum quidem ſcelerum voluptatem, ſed laudem. Quæ res magis probro digna eſt, quam vitium. Attamen vitioſum eſſe adnitebar, ne probris afficerer, cumque non haberem, unde ſceleſtiſſimo cuique me parem oſtenderem, feciſſe comminiſcebar, quæ minime feceram, ne eo inhonoratior viderer, quo eram innocentior, & ne me contemptibiliorem efficerem, quia caſtior. Fierine poteſt, ut dæmon cogere fideles poſſit, ut non ſolum gratiæ reſiſtant, verum etiam ut naturæ ſuæ vim faciant, ſuumque torqueant ingenium, ut licet inviti damnentur? O graviſſimam hoſtis humani generis illuſionem! cum videt, nullam amplius in peccato voluptatem inveniri, efficit, ut in eodem honor inveniri credatur! *Ibidem*.

In mundo catervatim damnantur.

Hinc animæ catervatim ſe ſe in infernum præcipites agunt; uti in evangelio ſcriptum eſt, lolium in faſciculos projici ad comburendum: *Alligate ea in faſciculos ad comburendum*: atque aſſerere poſſumus, tantam videri fidelium turbam, qui in lata, ac patenti via, quæ ducit ad mortem, intereunt. Illi vero colligantur ſocietate impiorum, per quam, & in qua alligati ſunt, & veluti ſimul invicem conſtricti, veluti ejuſdem catenæ annuli, omnes ſequuntur, cum aliquis eorum trahitur. Itaque eorum, qui damnantur, plerique decidunt in infernum, veluti, qui ſimul eodem pereunt naufragio, quo arctius ſe ſe complectuntur, & alternis cohærent, eo magis ſuo conferunt excidio. *Ibidem*.

Quævis pericula converſatio minitetur innocentiæ, quæcumque laqueos virtus formidet, cum ad homines accedit, cum ſimul cum illis colloquitur, corporis animæque neceſſitates non ſinunt, ut in jugi receſſu vivamus. Qui in ſolitudinum receſſibus conſilii ſui certiſſimi ſe ſe abdunt, facere nequeunt, quo minus aliquando ad tempus ab Angelorum commercio ſe ſe diſpenſent, ad homines redeant, & ab illis opem recipiant, qua carere non poſſunt, & quam rupes, ac nemora illis nequeunt ſuppeditare. Hæc res olim efficiebat, ut ſolitarii ſaltem inter ſe aliquam ſervarent ſocietatem, & cauſa erat, propter quam plures ab aliorum conſortio ſe ſe poterant diſpenſare, ut naturæ, atque conſcientiæ ſuæ neceſſitatibus conſulerent. Verum hinc etiam diſcere tenentur omnes homines, quomodo ſe ipſos gerere debeant in commercio, quod evitare non poſſunt: & hoc ſtudium eo magis neceſſarium eſt, quia noſtra vitæ ratio æque aliis eſſe poteſt pernicioſa, ac nobis aliena, & quia par eſt utrobique periculum. *Ex ſermonibus de vulgatiſſimis cauſis flagitiorum mundi, editis a P. Heliodoro Parienſi, e Capuccinorum familia. Sermone nono de converſatione*.

Bona in malorum ſocietate corrumpitur.

Aberas a peccato; horrebas quidquid poterat diſplicere Deo; & quantumvis prona eſſet in aliorum concupiſcentia, gratia has peccati reliquias ſuperabat, ſeque contra naturæ ſtudia fulciebat; ſed pravæ ſodalitates contra te una cum natura, & concupiſcentia conſentientibus viribus dimicarunt: expugnatoque corde evicerunt, ut relictis virtutum partibus in partes vitiorum concederes. Hilaritas, quæ in facie, atque actionibus effulgebat,

quam

quamvis in corde flagitioſi hominis nequaquam eſſet, illius mores, atque ſermones effecerunt, ut aliqua tibi de religione ſuſpicio oboriretur, eam nempe gravem eſſe, atque incommodam corruptæ naturæ, utque tibi illi placerent ſenſus, qui Deum citra dolorem lædi permittunt. Ita fallaci deceptus ſpecie ſenſim, ac ſine ſenſu in eam lapſus es licentiam, quam antea execrabaris; idque quia a neſaria ſocietate, quemadmodum Deus tibi imperabat, non receſſiſti. *Idem*.

Quamvis aliquando peccetur in mala ſocietate, illam tamen frequentare ad nunquam peccatur.

Eſto quidem, nondum peccaveris, Dei gratia, non ideo tamen impune tibi licebit abire, eo quod frequens in prava adſueris ſocietate: ſi enim, ut Deus jubet, peccatum horruiſſes, næ ita quidem prope ad illud acceſſiſſes; ac ſi gratiam tanti feciſſes, quanti præcipit Deus, numquam in illius amittendæ periculum te te objeciſſes. Non eadem quidem patraſti ſcelera, ac illi, quorum ſocietatem quæſiviſti, ſed alia patraſti cum illis congrediendo, quod tibi Deus nefas eſſe voluerat. Læſiſti Deum, non fortaſſe quidem peccatis ejuſdem ſpeciei, ac illi, ſed aliis pluribus, ingenti numero viſitationum acceptarum, redditarumque; atque utinam eadem quoque peccata ſin minus facto, ſaltem voluptate minime patraveris. *Idem*.

Perpendite, quæſo, verba, quibus utitur S. Paulus Apoſtolus 2. ad Corint. 6. ut nos exire cogat de mala ſocietate, in quam fortuito inciderimus: *Exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, eroque Pater veſter, & vos mihi eritis filii, dicit Dominus Omnipotens*. Perpendite, quanti momenti ſit hic receſſus. Apoſtolo non ſatis eſt ſibi a Jeſu Chriſto tradita auctoritas. Moyſem profert, Iſaiam, & Jeremiam, Deumque ipſum loquentem inducit; ac bis repetit, Deum ipſum ita loqui, ac præcipere, ut ab impiorum ſocietate abhorreatis: efficit, ut Deus bis hoc ipſum inſtauret præceptum; memorat quemdam Iſaiæ locum, ubi hoc ipſum mandatum quater repetitum eſt, ac in mentem nobis revocat hoc ab Omnipotente imperari.

Periculum lædendi Deum in pravis ſocietatibus.

Multo magis nos obligat Deus, ut a pravis ſocietatibus recedamus, cum nos in ſcelus impellunt, quod ſæpe accidit, & eo uſque procedunt, ut in illud labamur: tunc enim pereundi periculum majus eſt, ac ipſa reſiſtentia noſtra fatigamur. Iteratis hujuſmodi ictibus, & infirmitate noſtra adeo concutimur; ita parum nobiſmet ipſis aliquando invigilamus, ut poſtquam plures ſuperavimus impetus, tandem vel minimo afflatu nos everti patimur; & malo hoc temporis momento majorem habebit vim unicum verbum, quam omnes ſimul ſuperiores conatus habuerint. Quomodo igitur permittere poſſet Deus, ut in adeo periculoſo ſtatu permaneremus, qui, ne in minus terribili maneamus, interdicit? Quomodo non juberet, nos ab eo loco recedere, ubi multo magis nobis timendum eſt, quam in aliis pluribus, unde tamen exire jubemur. *Idem*.

Neceſſitas fugiendi ſocios, qui [illegible] aſſicitur.

Obligatio vero recedendi a ſocietate hominis impii major eſt, ſi crimina facta ſunt publica, ſi ille male audit, ſi illius flagitia paſſim vulgata ſunt; neque eum eo conſuetudinem fovere poteſtis, quin aliquid conferatis ad hoc, ut in peccato ſuo perſeveret, quin in ſuſpicionem eorumdem criminum incidatis, quin efficiamini conſortes effectuum ſcandali, quod ab illo præbebitur. Fortaſſe quædam pudoris reliquiæ plurimos flagitioſos viros cogerent, ut ad frugem redirent, ſi tantum nobis eſſet fidelitatis, atque conſtantiæ, ut ab illorum ſocietate recederemus, ac omnem cum illis conſuetudinem intercideremus. Hic receſſus, hæc fuga illis oculos aperiret, efficeretque, ut perhorreſcerent tandem eas vitæ ſordes, quarum turpitudinem nemo ferre poteſt, & cor eorum execraretur eam corruptionem, cujus ne odor quidem ferendus eſt accedentibus ad eos. Viſitationes veſtræ illos in hanc mentem inducunt, ut minime credant, ſe adeo inviſos, infameſque eſſe, quandoquidem vos accedere nec pudet, nec piget; neque tantam eorum eſſe lepram, quandoquidem illam vel non ſentitis, vel ſaltem diſſimulatis. Rationem hanc adfert S. Paulus, ut nos ad fugam capeſſendam compellat. Ne ullam ineatis neceſſitudinem cum illo, qui inter libidines, & vitia verſatur, ut illum pudeat vitæ ſuæ, cujus infamia eos quoque longius arcet, quos ſibi amiciſſimos erat expertus. Pudor medeatur animo de Deo minorem, quam de hominibus rationem habenti; & injuria, ac dolor, quo afficitur videns ſe ab hominibus deſeri, illum timere diſcat, ne in æternum a Deo ſeparetur. *Idem*.

Male audit qui cum illis verſatur, quorum vita deſerta eſt.

Fieri nequit, quominus male audias, ſi in ſceleratorum hominum ſocietate verſari perrexeris. Quomodo enim mortales putent, te illa odiſſe vitia, quæ a te ſæpe, & non ægre videntur? Quomodo arbitrentur, illa tibi diſplicere, quandoquidem mavis in diſcrimen adducere exiſtimationem tuam, quam ab eorum conſuetudine abſtinere, qui flagitioſum vitæ genus palam profitentur? Quomodo ſuſpicione vacat ſalus tua, cum liqueat, te ſæpe adire, ac diu permanere in locu, ubi tetra lues furit, & inter eos, qui eadem infecti ſunt? Fortaſſe flagitioſus, & libidinoſus non es, ut illi, quorum uteris familiaritate, & occaſionem præbes, S. Chryſoſtomus ait, credendi, te iiſdem ſceleribus abditum eſſe; ſcandalum adfers proximo tuo, & in cauſa es, ut te æque nocentem putet, ac eos, quorum gaudes frequentia. *Idem*.

Quinam ſunt iſti effectus? & quid ex hujuſmodi ſcandalis accidere poteſt? Scandala hæc cauſa erunt, quod multi, non ſecus ac tu, ſibi fas eſſe ducent pravis intereſſe ſocietatibus, honorem & conſcientiam negligent; alios & ipſi, ut tu, attrahent; illis perſuadebunt, ut non ſecus ac tu voluptati ſuæ exiſtimationem poſthabeant, cauſa erunt, quod utrique peribunt, ac alios perdent non ſecus ac tu, quod tibi ratio reddenda erit Deo de tuo, deque aliorum interitu, qui nonniſi te ſequentes perierunt, & quod vetuerat Deus, ne exemplo tuo hanc perditionis viam illis oſtenderes. *Idem*.

Noſmet contrahimus, & reos facimus malorum, quæ in pravis ſocietatibus fiunt, ubi illas frequentamus.

Arbor eumdem fert fructum, ac germen, quod in aliquo ex ramis ſuis inſitum eſt, & vos eoſdem pravos gignitis effectus, quos ſcelerati ſocii, cum quibus verſamini. Igitur non ſecus ac in illos, in vos quoque pari pœna ſævietur. Juſtitia eos punit, qui fures comitantur, quamquam qui recens acceſſerunt, nihil adhuc fortaſſe furati ſunt: neque eos punit propter conceptum furandi conſilium, neque enim leges humanæ in ſolam criminis patrandi voluntatem animadvertunt; ſed hos afficiendos putat ſupplicio, quia re ipſa furantibus præbebant opem, & ſola eorum præſentia prætereuntibus metum, furibus autem injiciebat audaciam. In pravorum hominum ſocietate verſaris, & licet eadem ſcelera non patraſti, aliquid tamen contuliſti, ut ab aliis patrarentur, cum propter fiduciam, quam ſontibus, tum propter ſcandalum, quod illis, qui te norunt, præbes. *Idem*.

Quam difficile cum hominibus converſari, quin Deus lædatur, & vulneretur conſcientia! Perfectus ſit oportet, S. Jacobus ait, qui loquendo non peccat; ſed, addit, qui nequit linguam cobibere ſuam, decipitur, ſi putat ſe verum eſſe Chriſtianum. Numquam cum hominibus fui, ajebat vetus quidam, quin inde minus homo redierim, hoc eſt minus frugi, & bonus. Nonne verum eſt, converſationes veſtras confeſſionum veſtrarum vulgo eſſe materiam? In hoc ergo potiſſimum attenti eſſe debemus, nobiſque quam diligentiſſime invigilare. *P. Nepveu tom. 3. Chriſtianarum conſiderationum*.

Plurimarum converſationum inutilitas.

In Converſatione plures evitandi ſunt defectus, ſed vulgatior inutilitas eſt; etenim quodnam eſt argumentum colloquii plerarumque mulierum, earum etiam, quæ devotæ exiſtimantur? Nugæ profecto, & merum nihil. Umquamne ibi de Deo ſermo auditur? qui hunc ſermonem injiceret, ſibilis exciperetur. Ullane res melius Chriſtianorum

corru-

Digitized by Google

corruptionem oſtendit? Ullane melius probare poteſt a nobis Deum parum amari? ſi te diligeremus, Domine, ſæpe de te cogitaremus; & ſi cogitaremus, loqueremur etiam; cum in corde noſtro non ſis, ideo non es in ore. Quomodo vero in corde noſtro eſſe poſſes? Quomodo ibi ſimul eſſe cum mundo, qui illic dominatur? Verum ſi inutiles converſationes damnandæ ſunt; quid erunt periculoſæ, & nocentes vanis ſermonibus aut verbis maledicis, & obſcœnis diſſluentes? *Idem*.

De vulgaribus mundanorum ſermonibus. Quænam eſt vulgatior materia, circa quam verſantur honeſtorum hominum, & eorum, qui minus improbi cenſentur, colloquia? Omnia circa divitiarum, honorum, voluptatum æſtimationem verſantur. His innixi principiis quamplurimas venditant ſententias evangelicis oppoſitas inſtitutis, ideoque falſas, quin aliquis adverſetur. Si quis afferret propoſitiones aliquot theoreticis evangelii veritatibus contrarias, quicumque vel levem religionis ſenſum foveret, contra hujuſmodi impietatem inſurgeret; verum ſi quædam jactantur placita practicis evangelii veritatibus contraria, hæc plauſibus excipiuntur. At numquid hæ minus de fide ſunt? Attamen Chriſtianus, qui in converſationibus non alios haberet defectus, quos ſibi exprobraret, ſibi complaceret, ac ſui rationem habendam eſſe cenſeret; verum nonne ipſe rationem redditurus eſt ad ſeveriſſimum illud accerſitus tribunal, ubi otioſa quoque verba judicabuntur? *Idem*.

De pravis colloquiis in congreſſibus. Nonne magis adhuc deplorandum eſt, videre fideles inhoneſtis, obſcœniſque ſermonibus polluere linguam toties Jeſu Chriſti ſanguine imbutam: videre mulieres, quarum pars eſt verecundia, ac modeſtia, & quæ ſe Chriſtianas dicunt, in aliis ſolutiora, & æquivoca verba pati, alios excitare oſtendendo ſe illis oblectari, eademque ſibi etiam permittere? Verba hæc nullo in diſcrimine habentur; hilaritatis ſermo cenſentur, & interim Apoſtolus illa peccatis accenſet, quæ nos a cœli patria proſcribunt; & illa eorum, a quibus proferuntur, conſcientiam polluunt, ac ſæpe eorum animas perdunt, a quibus audiuntur. Heu! quot adoleſcentulis æquivocum verbum, obſcæna vox innocentiam eripuit? Verbum illud æquivoce prolatum pravam ciet cogitationem, prava cogitatio pravo excipitur deſiderio, & pravum deſiderium animam perdit eam nocentem efficiens. O crudelem hilaritatem eas perdentem animas, quas Jeſus Chriſtus proprio ſanguine redemit! Væ tibi ſi criminis hujus es particeps! niſi modo illud lacrymis abluis, quot tibi aliquando lacrymarum imbres erunt effundendi! *Idem*.

Honeſtæ, & Chriſtianæ converſationis regula. Ut bene converſemur, magno opus eſt ſenſu, qui dijudicet, quid dicendum, faciendumve ſit pro variis temporum, locorum, perſonarumque circumſtantiis: etenim quamvis ſententia per ſe ſcita, atque elegans eſſet, non eſt magnus orationis ornatus, ubi importune dicatur; quemadmodum locupletiſſima vaſa non tantum ornamento ſunt, quam impedimento eo in cubiculo, ubi in loco ſuo conſtituta non ſunt. Bonitate opus eſt, ut noſmet pares illis præbeamus, cum quibus verſamur, ſin minus conditione, ſaltem familiaritate. Hæc eſt cauſa, propter quam Reges converſationum voluptate frui minime poſſunt, ſeu quod ſe ſe aliis pares præſtare nequeunt, ſeu quod, ubi ſeſe demittere dignantur, eorum familiaritas ſine reverentia ferri non poteſt. Honeſtate opus eſt in factis, & dictis; ſi enim converſamur, ut homines decet, eorum, qui nobiſcum ſunt, oculos, aureſque, ſin, ut Chriſtianos, propriam conſcientiam revereri debemus. Jucundo opus eſt genio, nihil enim hoc ſe ſe facilius communicat: ſi triſtis eſt, alios afficimus triſtitia, ſi hilaris, in aliis ciemus hilaritatem, ſi querulus, ac mæſtus, aliis mœrorem noſtrum immittimus. Hic in converſatione ſerenum, ac pluvium tempus efficit; utque duplici verbo complectar omnia, converſatio familiaritatem ſine abjectione, reverentiam ſine metu, animi effuſionem ſine dedecore, urbanitatem ſine adfectatione depoſcit. *Liber cui titulus:* La conduite du Sage, *tomo* 5. *cap.* 1.

Defectus in converſatione vitandi. Imperioſa morum evitanda ratio eſt, quia ſuperbam denotat animam, quam naturaliter odimus. Neque eo modo loquendum eſt, quaſi de re propoſita definias; ita enim aufers aliis libertatem examinandi, & judicandi ſecundum propria lumina, quæ injuſta dominatio eſt, & in æqualibus excitare poteſt ſecretam contradicendi libidinem, ac repugnandi potius, quam id ſibi perſuaderi ſinant. Si haberi nequit ſententiarum conformitas, quia privilegium hoc eorum eſt tantum, qui arcto amicitiæ fœdere conjuncti ſunt, ſervanda ſunt tamen humanæ urbanitatis officia, a pertinaci quacumque contentione abſtinendo, quin ſemper quocumque pretio victoriam tibi velis adjudicari; alioquin enim difficile eſt ſervare pacem, nec queſtubus occaſionem præbere. Poſſumus quidem ratiocinari cum illis, qui noſtræ adverſantur ſententiæ, cavendum tamen eſt, ne aliquam præ nobis feramus in ſermone acrimoniam: illi enim, quibus rationes noſtræ perſuadere non poterunt, non iracundia, neque vocis noſtræ tono movebuntur; & vulgo non tantum ſententiæ, quam earum offerendarum modi homines provocant. Ita cum videmus, contentionem acerbitatem potius, quam curioſitatem excitare poſſe, homo Chriſtianus, atque honeſtus abſtinere debet, ac ſilentio reſervare, quod verbis non potuit. In increpationibus, quas nonnumquam facere tenemur, evitandus eſt oris habitus imperioſus, ferox, ſuperbus, qui nonniſi ſecretum nobis excitare poteſt eorum contemptum, quos ad frugem revocare cupimus; cumque aliquis a nobis admonendus eſt, aculeatis temperandum eſt iriſionibus, quæ efficiunt, ut monita in leviorem partem ſumantur. *Id. tomo* 2.

In ſocietatibus aliis complacere æquum eſt. Quemadmodum homines virtute præditi, cum quibus conſueſcimus, nihil umquam expetent a nobis officio noſtro contrarium, illis abſque culpa poſſumus complacere; neque nobis timendum eſt, ne diſpliceamus Deo noſmet conformantes ſodalibus, quorum votum eſt Deo placere. Sed in iis converſationibus, quæ ſunt indifferentes, cum iis, in quos forte offendimus, chriſtiana indulgentia nequaquam ſe ad verba uſque & facta, quæ Deo diſpliceant, extendit. Societas proximorum ſumptibus alitur, abſens conviciis petitur, indicta cauſa damnatur; ſocietas liberis, parum honeſtis, vel etiam omnino impiis ſermonibus fovetur; non poſſumus hujuſmodi in occaſionibus complacere, quin conſcientiam prodamus, & fidem, quam debemus Deo: neque licet immodicis vacare ludis, & in omne libidinum genus noſmet ingurgitare, quin Dei partes relinquamus, atque hæc facilitas indigna eſt nomine indulgentiæ, quod cum ſibi vindicat, illam ſummo afficit dedecore. *P. Heliodorus in ſermonibus nuper memoratis*.

De mundanis ſocietatibus. Mundus, cui filius Dei maledixit, & quem reprobavit, ubinam invenitur, præterquam in his cætibus, & ſocietatibus, ubi vir nequam pejor evadit, & ubi juſtus corrumpitur? In ſocietatibus, ubi mollities, & luxus triumphum referre videntur, ubi ſub honeſta ſpecie proferuntur æquivoca verba duplicem ſenſum habentia; ubi in id unum labor omnia transfertur, ut placeas, & aliqua ex parte inter alios niteas; ubi ſarta tecta exiſtimatio labe non caret, & integerrima quælibet innocentia non vacat periculo. Hæ ſocietates Chriſtiano viro fugiendæ ſunt, ſi Jeſu Chriſti maledictum velit effugere; etenim velle chriſtianæ religionis profeſſionem, vel, quod iniquius eſt, pietatem ipſam cum harum ſocietatum, ac hujus ſaginæ hominum frequentia conciliare, hoc eſt nova ſibi placita, novumque evangelium proponere. *Ex Dictionario morali tomo* 2. *ſermone* 2. *de devotione*.

In piis etiam converſationibus ple- Pii etiam homines ſæpe de divinis agunt prorſus humana ratione. Incipiunt illi quidem Spiritus ſancti motu, ſed non ſine motu naturæ finem imponunt;

Digitized by Google

res obrepunt defectus.

nunt; ſe ipſos inquirunt, audirique volunt; volunt ſibi plaudi, ſententiamque ſuam alienæ præferri; nihilque vulgatius eſt, quam videre pia colloquia in contentiones migrantia, vel in inutiles, vanas, & curioſas converſationes degenerantia. Hæc cauſa fuit, propter quam Propheta ſe ipſum propius inſpexit, atque aliquando abſtinuit, ne de rebus ſanctis loqueretur: *Obmutui, & ſilui a bonis. Abbas Trappenſis tomo 2. de monaſticæ vitæ officiis.*

Periculum quod in plurimis ſocietatibus adeſt.

Quibus gracile temperamentum eſt, hi ſe ſe non omnibus climatibus objiciunt; illi, qui ex pulmonibus laborant, cavent, ne aerem nimis ſubtilem reſpirent; nos vero, qui gratiam in fictili vaſe geſtamus, qui multiplici experientia docti noſtram didicimus infirmitatem, qui numquam ex quadam exceſſimus ſocietate, quales illuc ingreſſi ſumus; quocumque ibimus, quæcumque audiemus, de quibuſcumque rebus loquemur, & exiſtimabimus, poſſe nos innocentiam noſtram tueri, cum interim fortiſſima quælibet virtus labefacteiur? O errorem, & abuſum nimis manifeſtum! In congreſſibus nosmet cum imprudentia implicamus; in illis nosmet gerimus cum ignavia, inde nonniſi cum confuſione egreſſuri. *In chriſtianis actionibus P. Simonis a Virgine, tomo 4.*

Particularis converſatio nonnomquam magis movet, majoremque obtinet fructum, quam vehemens aliqua concio. Ibi enim ille, cum quo loqueris, ſibi dicta putat, quæ dicis, neque enim cum aliis loqueris; ideoque cum ſibi minime caveat, ſermo, qui præter expectationem ejus auribus accidit, eſt veluti acies teli non prævisi, quæ cor ejus pervadit. Præterquamquod cum converſatio ſuavior fit, ac obſequentior, jucundius in animum audientis illabitur; cupimus enim noſtri rationem haberi, atque ipſa ſuavitate patimur vinci. *Pater Dozenne in Morali Jeſu Chriſti de converſatione.*

Quam vim habeant particulares ſermones in animos.

Cum hominibus loqui debemus eo modo, quo Deus cum nobis loqui conſuevit: *Si quis loquitur quaſi ſermones Dei.* 1. Petri 4. Cum autem Deus nobis loquitur ad cor, privatim loquitur, & de eis rebus, quæ ad nos ſingillatim pertinent, improviſo loquitur, nec ſine quadam illecebra, tunc etiam cum nos corripit, nobiſque minitatur. Si Dei verbum, ſicuti experti ſcimus, adeo potens eſt in libro, qui legitur, quanto potentior erit in ore viri boni loquentis? S. Paulus hoc nobis oſtendit his verbis: *Sermo Dei vivus & efficax.* Ad Heb. 4. Divinum hoc verbum in paginis quodammodo anima caret; ſed viva vox illi vitam addit, & robur. *Idem.*

Colloquia, quæ fugienda ſunt.

Ea potiſſimum vitanda ſunt colloquia, quæ vulnerant charitatem, quam tantopere nobis commendavit Deus, & ea quæcumque vel minimum eidem poſſunt officere. Lenis, & moderata contradictio aliquando animat converſationem, quæ alioquin langueſceret; ſed cum gloriæ nobis vertimus, ex contentione victores abire, ac deficiente ratione animus exaſperatur, & vox attollitur eo uſque, ut aliquid vel inofficioſum, vel contumelioſum proferatur, hoc ſapiente viro indignum eſt, atque a Spiritu Sancto ſtultitiæ redarguitur: *Labia ſtulti miſcent ſe rixis, & os ejus jurgia provocat.* Prov. 10. Apoſtolos igitur imitamini, qui loquebantur ea, quæ Spiritus ſanctus illis ſuggerebat; neque vobis ſufficiat pravos evitare ſermones, ſed bonos quoque immittere conamini. *Idem.*

Charitas aliquando nos cogit, ut cum hominibus converſemur.

Sancti, & virtute præditi homines non ſemper a reliquis mortalibus procul debent abeſſe, ipſi quippe ſal terræ ſunt ad corruptionem prohibendam, & lux mundi ad tenebras diſſipandas. In congreſſibus plurimi inutiles habentur ſermones; ſed in ſolitudine etiam non deeſt ſilentium aliquod, de quo, non ſecus ac de verbis, Deo ratio erit reddenda: quippe converſatio efficax via eſt, qua proximus ad frugem revocari, & ad virtutem excitari poteſt. Igitur inter duo hæc extrema quoddam inquirendum eſt temperamentum, in quo Deus glorificetur; montem debemus conſcendere, ut illius perfruamur conſortio; verum illinc etiam debemus deſcendere, ut cum hominibus agamus.

Denique Moyſes imitandus eſt, qui a facie ſua velum amovebat acturus cum Deo, ac demittebat illud acturus cum hominibus, ut eorum indulgeret infirmitati, neque enim fulgorem ex facie, oculiſque illius emicantem poterant ſuſtinere. *Idem.*

Nimium liberi adoleſcentium cum puellis converſatio.

Adoleſcentes hodierna die quamdam ſibi licentiam vindicarunt, ut nullam muliebris ſexus habeant reverentiam, neque cum illo modum ſervent. Non præferunt amplius eam urbanitatis, honeſtatis, ac reverentiæ ſpeciem, qua olim mulieres excipi conſueverant; ſaltem pleique oppoſitum ſervant. Non enim ſexus illius verecundiæ parcunt; ſe eum virginibus liberos eſſe gloriantur; factis, verbiſque impudentes ea dicere, ac facere videntur, quæ ipſis quoque pudorem deberent offundere, ſi chriſtianæ religionis ſenſum haberent. Itaque chriſtianæ, prudentiſque puellæ intereſt, homines adeo parum honeſti characteris evitare; ac ſapientis munus eſt matris eos omnes amovere, quorum conſuetudo, & nimis frequens viſitatio ſuſpicione non caret. *Abbas Fenelon in puellarum inſtitutione.*

Cum illis converſari fœminis licet, quibus ſolida pietas eſt, ſuavis, & jucunda converſatio; quæ inſignes ſunt virtutis academiæ, quemadmodum de ſancta Paula divus Hieronymus loquitur: & S. Petrus ait, bonam, laudabilemque matronarum converſationem evangelii progreſſui fuiſſe neceſſariam. Sed modus eſt adhibendus &c. *Idem.*

De mundanis puellis amantibus & requirentibus converſationes.

Non dicam, hos nimis liberos, nimiſque hilares mores omnino chriſtianæ modeſtiæ, quam Apoſtolus etiam, atque etiam mulieribus commendat, oppoſitos eſſe, ſed dicam, opinionem illam, qua pleræque putant ſe numquam in conjugium expetitum iri, niſi ipſæ, ut ita dicam, eos perquirerent, a quibus exquirendæ ſunt; hanc inquam opinionem ſæpe illarum fortunæ obeſſe; quia, quod non raro videntur, nimis communes exiſtimantur; & quantumvis parcus aliquis ſit in ferendo de actionibus alicuis judicio, modica verecundia, qua illæ omnia ſibi licere volunt, efficit, ut a cordatis hominibus tamquam nimis liberæ, & impudentes habeantur. Profecto docet experientia, quod puellas haſce ridentes, verboſaſque, quæ licentiam affectant, quæ ſæpe domo egrediuntur, quæ mundi lucem adamant, quæ ſocietates quærunt, quæ monuſcula diligunt, ſolæ cum ſolis colloqui oblectantur, & plures inſectantur amaſii, quam in uxores expetant viri; plureſque palpant, quam habeant in pretio. Palam quidem laudantur, ſed clam probris afficiuntur; omnes illas illudunt, fabula fiunt, atque totius civitatis ludibrium. Nam quamvis etiam ſapientes eſſent, mundus ita factus eſt, ut nonniſi, quod raro videt, id plurimi faciat; & ex quo aliquis ſæpe videtur, ſtatim cum eo familiaritas jungitur, & a familiaritate ad contemptum facile tranſitus patet. *Idem.*

Quomodo agendum cum illis, qui in converſationibus nos lædunt.

Plurima opus eſt cura, ut in converſationibus ab iis caveamus, qui nos exaſperant, excitantque, & ea dicunt, quæ facile nos ad iracundiam poſſunt provocare. Ubi igitur cum illis nobis res fuerit, qui nullum ſervant modum, & qui coram ea dicunt, quæ nobis contumelioſa videntur, neque ita levi negotio prætereunda, ſilentium ſervandum eſt, neque melius excogitari poteſt conſilium, quam id genus hominibus non reſpondere. Qui conviciantur, ac nos contumeliis provocant, hoc unum cupiunt, ut illis ardentius reſpondeamus, ſilentium vero, quod tunc adfectamus, illos ad deſperationem adigit, qui prohibere nequeunt, quin minus dolor ſuus ſe ſe extrinſecus prodat. Nihil inauſum relinquunt, ut nos irritent, & ad loquendum impellant; ſed ad eorum eludendam inſaniam optima ratio eſt, ne hiſcere quidem, ac illos furori ſuo derelinquere. Hæc ſuperbia illos exarmat; efficitque, ut ſe vel negligi ſentiant, vel contemni; at ſi reſpondere auſus fueris, jam de ſe actum putant. *Abbas de Bellegarde in gallica paraphraſi officiorum S. Ambroſii.*

Qui

Digitized by Google

Qui filios ſuos ita inſtituere cupiunt, ut vere chriſtianos decet parentes, in id omnem operam, induſtriamque navare debent, ut quoſcumque virtutis obices amoveant. Verum ignorare nequeunt pravarum ſocietatum frequentiam obſtaculorum omnium maximum eſſe, æque ac perniciofiſſimam; debent igitur illos inde arcere, & ad id omni auctoritate ſua uti, quam Deus, & natura illis in filiorum perſonas, vivendique rationem permiſere, atque eamdem in filios exercere poteſtatem, quam ſi illi ex imprudentia, vel libidine ſe ſe cum tetra lue infectis commiſcere, vel igneorum tormentorum grandini ſe objicere vellent; conſtat enim pravas ſocietates non minus pernicioſas eſſe contagione ſua, quam bene valentibus ſit peſtiferorum xenodochium. Non deſunt tamen adeo barbari parentes, qui illos in periculoſis adeo, pernicioſiſque ſocietatibus verſari ſinant, ſperantes futurum, ut inde eos educere poſſint, vel conjugio, vel munere aliquo, non mediocrem allaturo utilitatem, qui u cogitent, ſe interim pati, quod periculoſius vitiorum tabo inficiantur. ac gravia recipiant vulnera, quæ deinceps nullo eruot pharmaco ad cicatricem vocanda. *Idem*.

Quomodo cum impiis conſuetcere debeamus, cum neceſſitas cogat.

Quod attinet ad eligendas ſocietates frequenter a nobis adeundas, S. Paulus vetat, ne cibum quidem cum impiis ſumamus, niſi fortaſſe, ut illis bonum aliquod efficiamus; ne eorum vivendi rationem vel imitari, vel probare velle videamur. Verum ſi ſalutis eorum zelus cum illis nos agere cogit, charitas docebit, quo tempore, quove modo hoc faciendum ſit, quin vel nobiſmet damnum, vel ſcandalum aliis afferamus. Quoad familiaritatem, quæ converſationes efficit frequentiores, quantum fieri poteſt, cum iis tantum nectenda eſt, qui eadem ac nos virtutum ſtudia fovent; cujuſmodi ſi nemo inveniatur, ſatius erit ſe ſe omnibus urbanum, ſuavem, affabilemque præbere, familiarem vero nemini. Non levis eſt virtus ſcire pati, ac tacere, ſine qua pax interior obtineri non poteſt, quæ præ cæteris rebus eſt neceſſaria, ubi cum illis verſari cogimur, quorum mores, conditio, vivendi genus diſcrepat. Videre, & indeſinenter diſſimulare ea, quæ diſplicent, ac merito improbantur, acerbiſſimum eſt, bonis vero præſertim, cum Deus illos ad ſe trahit, eoſque ſpiritus ſui communicatione ſupra humanos conceptus, atque rudes carnis, ſanguiniſque ſenſus attollit. *Ex libro, cui titulus: Cruciatus Domini noſtri. Tomo I.*

Volumus ſimiles eſſe illis, cum quibus converſamur, & re ipſa ſimiles evadimus.

Qui nequam non eſt, nonne ſe eſſe ſimulat, ut ſimilis credatur tot improbis, quibus ſeptus eſt, & ne ſingularis videatur? Bonum igitur ingenium ſuum prodit, ne dignoſcatur, vim facit ſtudiis ſuis, quibus ad virtutem rapiebatur, ut vitium ſimulet, utque hanc nefariam aucupetur gloriam ea patrandi ſcelera, quæ ab aliis patrantur: Nonne hac de cauſa homines gloriæ ſibi vertunt ea etiam crimina, quibus carent. Et S. Auguſtinus nonne ex hoc numero antequam laſtralibus aquis ablueretur, atque in adoleſcentia ſua in omne libidinum genus effuſa ſe fuiſſe fatetur? Ita converſationis licentia hominem ſuopte ingenio verecundum, ſe prudentem obtrectatorem facit, & irriſorem. Ita vanitas mulierem natura ſua modeſtam, ſeveramque mundanam efficit, & flagitioſam: ita magnorum ſumptuum exemplum eum, qui hos videt, cogit, ut licet invitus prodigus fiat, ne contemnatur ab aliis, &c. *Liber qui inſcribitur*, Le Chretien du temps, *parte 4. cap. 14.*

Deliberandum eſt, ut ſciatur, cum quibus ineunda eſt neceſſitudo.

Attentius ea conſideretur ſocietas, cui ſumus addicti, ſeu ex genere, ſeu ex electione, ſeu alio quolibet caſu; neque ignoretur tempore adeo corrupto, quale præſens eſt, ubi fidelium plerique opibus dumtaxat congerendis vacant, vel tempori cum aliqua oblectatione traducendo, vel ingenio, ac libidini ſuæ indulgendo, fidendum non eſſe neceſſariis, amicis, ac ſibimet ipſi, ac illos dumtaxat frequenter adeundos eſſe, qui ſermonibus, exemplo, conſilioque ſuis charitate referti magno nobis eſſe poſſunt adjumento, ut meliores evadamus, & quacumque in conditione vitæ conſtituti ſimus, evitandam eſſe eorum ſocietatem, qui flagitioſe vivunt, atque ab illis recedendum, quos malos eſſe videmus, & ſcimus. Cum Nehemiæ, & Eſdræ ævo Jeruſalem iterum ædificaretur, ante cætera in illud omnis cura collocata eſt, ut filii Iſrael ab alienigenis ſecernerentur. Sic autem fieri non poſſet, ut re ipſa, conſuetudine, & loco ſecedamus, quod accidit crebro, pacem tueamur ea, in qua conditio noſtra nos eſſe jubet, ſocietate, donec generis, vocationis, officii, vel alterius cujuslibet inſeparabilis commercii vincula perſtringere non licet: ita tamen, ut ſi in Ægypto vivimus, ne Ægyptiorum more vivamus, ſi Babylone, vel in Ninive thura adolemus, non Babyloniorum, neque Ninivitarum ritu illa adoleamus. *Idem cap. 27.*

De Deo in ſocietatibus raro incidit ſermo.

Verus fidelis, qui cor habere debet Deo plenum, nonniſi de Deo verba facere deberet: ſed, e contra mirum eſt, & portenti loco habetur, ſi hodierna die aliquis in ſocietatibus de Deo ſermonem habens audiatur; qui ſi forte adſit, tamquam alienigenam, exoticamque linguam loquens excipitur; & perinde ac nemo loquentem intelligeret, nemo loquenti reſpondet, ne inſtituatur colloquium de Deo, atque cæleſtibus. Horum enim regio illis ignota eſt, ac docet experientia, ſatis eſſe de Deo ſermonem injicere, ut plurimorum mortalium ſocietati ſilentium indicatur, & muta fiat: quem ſi paulo diutius perſequaris, videbis omnes tædio affici, ac ſenſim domos ſuas dilabi. Unde hoc, niſi quod nemo loqui poteſt de illis, quæ ignorat? Non agnoſcitur Deus, & quod pejus eſt, nemo illum cognoſcere ſtudet; præterquamquod quemadmodum libenter de iis loquimur, quæ diligimus, & quæ nobis cordi ſunt; ſi Deum vere ſuper cætera diligeremus, uti opus eſt, ullumne ſermonis noſtri frequentius eſſet argumentum? *Ex Theologicis Collationibus P. de Argentana Capuccini, Collatione 30.*

De converſatione generatim.

Vulgatiſſimum eſt apud pios homines axioma, aliquid ſemper amitti in humanis converſationibus, & numquam deeſſe pœnitentiæ occaſionem. Difficile eſt ibi non dicere aliquid, quod ignorare præſtaret; non dicere aliquid, quod ſilentio melius eſſet obruendum; nec de iis rebus ferre judicium, de quibus nobis non eſſet ferendum. Difficile eſt, fratrum noſtrorum affectionibus nullam in corde noſtro fieri impreſſionem; vel ob nimium complacendi ſtudium amori proprio non indulgere; denique nullam in nobis excitari tempeſtatem, quæ animæ noſtræ pacem perturbet, vel quæ nos ab illa attentione dimoveat, quam Deo habere debemus. *Ex libro cui titulus: Tractatus aſcetici, vel ſermones in varia Ethicæ chriſtianæ argumenta.*

In converſationibus quivis ſuos prodit defectus.

Quemadmodum quilibet ſuum habet amorem proprium, particularia negotia, malum ingenium, libidinem, animi ægritudines, impetus, infirmitates, præjudicia, falſas ratiocinationes, odia, amores, ſimultates; hæc omnia in eorum converſationibus ſe ſe produnt, ac manifeſtant; ſed præterea amici, qui crebro ſimul eſſe conſueverunt, invicem hos ſibi defectus communicant, vel eos ſaltem, qui ab illis minime defectus exiſtimantur, eo modo, quo imperitus præceptor, qui falſa tantummodo venditat, nihilominus illa diſcipulis ſuis perſuadet: ita eorum ſocietas fit eorumdem errorum origo, & ſæpe etiam ſcelerum eorumdem. *Idem.*

Si ſerio animus adverteretur ad ea omnia, quæ in vulgaribus colloquiis dicuntur frigida, inania, & puerilia, ea effutire, vel audire puderet, ac fortaſſe perpetuum nobiſmet indiceremus ſilentium, quod in commercio omnibus inutilibus ſermonibus deterius eſſet. Oportet ergo omnibus ſe ſe accommodare ingeniis; pati nonnumquam fabuloſas narrationes, ineneſque animadverſiones in horum temporum politiam, ac magniloquam ſententiarum jactantiam, quæ veluti crambe repetita enecant,

ſem-

ſemper eædem; præſtolantes tempus, & occaſionem aliquod utilius inſerendi argumentum, vel ſermones inutiles ad ſalutarem aliquam concluſionem revocandi, ex qua occaſio erudiendi capiatur, quæ proprie ars eſt chriſtiane converſandi: *De la Bruyere, in charactere ſocietatis, & converſationis.*

De pravis ſermonibus qui inter flagitioſos habentur.

Mundum nequaquam ſapere flagitioſis hominibus ille videtur, qui ſermones ſuos condire non novit iis locutionibus, quæ fornicem, ganeaſque redoleant, qui blaſphemias non evomit, quarum turpitudo cujuslibet honeſti viri aures offendat. Ineptiæ magis ridiculæ præclara ſunt facta, quæ jactantur. Ita omnem ſenſum amiſiſſe oportet, ut obliviſcatis obſcœnitatem illam, de qua gloriantur, quin illam commiſerint, illam chimericam gratiam, quam jactitant, familiaritatem illam, propter quam ſibi plaudunt, epiſtolium, de quo verba fiunt, & quod numquam exaratum fuit, acute illud, vel potius inſipienter dictum, quod prolatum fuiſſe affirmatur, hæc, inquam, omnia illa eſſe, a quibus tota illorum pendet auctoritas, & exiſtimatio: *Tantopere laboratur, ut peccetur,* S. Chryſologus inquit. *P. L'Anglois in tractatu de humano reſpectu.*

Omnia nos cogunt ab impiorum ſocietate recedere.

Ratio, honor, decor, omnia nos cogunt, ut ab impiorum converſatione abſtineamus. Ratio dicit, ſi nimium poſt eos cucurrerimus, qui evagantur, & quos ad officium revocare non poſſumus, periculum eſſe, ne & ipſi evagemur. Honor inquit, te in corruptorum mortalium conſortio vigere non poſſe, & vincula, quæ cum illis nectuntur, eſſe contumelioſa. Decor docet, inter mores noſtros, & illos, cum quibus conſueſcimus, aliquam eſſe debere ſimilitudinem, & vitium ab eo probari, qui vitioſis utitur familiariter. *Marſilly in tractatu de amicitia.*

De periculoſis converſationibus.

Periculoſas voco converſationes, familiares diverſi ſexus mortalium ſocietates, ubi puritas, & innocentia jugiter periclitantur. Cur data opera te objicis malo, quod numquam poterit reparari? Cur te eouſque excæcas? Numquid poſt hæc vel carnis fragilitatem, vel tentationis vim cauſaberis? Hoc non eſt fragilem eſſe, ſed eſſe velle; hoc non eſt tentari ſimpliciter, ſed velle tentari. Quis neſcit, & fortaſſe ſuis etiam ſumptibus non didicit, quanta ſit blandi objecti illecebra, cum ſeſe nobis offert? Tanta eſt, quanta magnetis ferrum attrahentis; ſed magnetem amove, & ferrum nullam amplius ſentiet impreſſionem. Hæc res eccleſiam impulit, ut tot decreta ferret contra eccleſiaſticos, qui domi ſuæ mulieres, ſuſpicione minime vacuas, alerent; ſuſpicione, inquam, minime vacuas, enim circa id interdicta verſantur, quin ad examen revocent, utrum malum tantum ne ſit, quantum metui poteſt; ideoque concionatores adeo frequenter omnes aciei ſui xerunt vires, ut contra hujuſmodi converſationes invehantur. *P. Segneri in libro, qui inſcribitur: De officiis curatorum.*

Si divini verbi miniſter contra hoc malum invehitur, & in periculoſas detonat converſationes, habetur velut homo ex alterius orbis advectus plaga, qui temere exardeſcit; atque hujuſmodi familiaritates, ac neceſſitudines nugæ vocantur. Si matronæ huic dixero, illam ſeſe periculo objicere: mene, reddet illa? Toto cœlo abſum; vitam potius extorquebit ex me aliquis, quam aſſenſum, qui me dedecore afficiat: ille conſanguineus meus eſt, hic amicus, erga quos nonniſi ſenſus honeſtiſſimos foveo. Hoc dicis, & cogitas, & fortaſſe fieri non poteſt, ne hujuſmodi ſenſus foveas; neque enim facile eſt ab uno ad alterum extremum tranſilire. Adeſt in nobis ingenitus quidam pudor, qui nonniſi nexu quodam peccatorum amittitur; primum quidem metum eſt officium, urbanitas, indulgentia, amicitia, obſequium. Sed cum David æque ſanctus ac tu in domus ſuæ ſolarium obambulaturus aſcendebat, numquid in adulterii ſcelus labi meditabatur? Attamen levis occaſio, quam illi fors obtulerat, deſivit in tantum facinus; & ſi ea omnia enarratem, quæ ſcribunt hiſtorici de familiarium converſationum effectibus, profecto perhorreſceres. *Ex mſ. ſermone.*

De obſcœnis ſermonibus, qui in converſationibus habentur.

Peccatores in Scripturis duplici ſepulchrorum generi comparantur. Alia *ſepulchra dealbata* dicuntur; & hi ſunt hypocritæ præclara quidem verba, & malas affectiones habentes. Alii vero ſepulchris patentibus comparantur: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum*; hi autem illi ſunt, qui obſcœna dumtaxat proferunt verba, quorum os turpius, & corruptius eſt ſepulchris ipſis patentibus. Prioribus illis, Origenes inquit, aliqua ſaltem pudoris ſupereſt ſpecies; impuri quidem ſunt, ſed corruptionem ita celant ſuam, ut eorum infectio ad alios non migret; ſepulchra ſunt clauſa, neque extrinſecus prodit cadaverum fœtor, quæ ibi continentur. Poſteriores autem tabum ſuum accedentibus communicare volunt: ore pleno virus ſuum evomunt in colloquiis ſuis, & impura verba adeo familiariter gerunt in labiis, ut impudenter ea quibuſcumque illos audire voluerint, venditent. *Sermo mſ.*

Quamquam hæc turpia, obſcœnaque verba, & impudica colloquia minus criminoſa ſint, quam turpia facta, nihilominus magna ſcelera ſunt. Obſcœna voco verba, voces has recenter inventas ad exprimendas impudici hominis facta, deſcriptiones effæminatorum, teneras cantiones, vocabula duplicem habentia ſenſum: opera omnia, quæ cupiditas auſit cum oblectatione, & quæ os impurum in converſationibus cupide profert, & alacriter exprimit: opera, inquam, nimis funeſta, quæ mortem animabus inferunt, eaſque impuras efficiunt, non ſecus ac illa, a quibus concipiuntur. Lingua eſt veluti inſtrumentum, quo utitur ſpiritus ad cor hominis corrumpendum. Verba, quæ impudicus ſemel protulit, paulatim deinceps flammam accendunt in corde eorum, qui audierunt illa, ut ea nonniſi lacrymarum torrente poſſit extingui. Pernicioſum linguæ cum corde, & mente commercium, quæ adeo conſentire videntur, ut nos perdant facilius! Miſerum conſenſum, cujus funeſtiſſimos effectus ſatis ſuperque experimur!

De pravis ſocietatibus generatim.

Fugite commercium hominum malo devotorum, qui non alios ſequuntur duces, quam animi affectiones; ſermones, quos habent, exempla, quæ tribuunt, actiones, quas faciunt, quamprimum veſtræ efficient conſcientiæ. Si venenatis eorum blanditiis vos capi ſinitis, neque tanta vobis vis ineſt, ut adeo ſanctam ſocietatem infringere valeatis, quamprimum in eorum mores migrabitis, & virtutem veſtram in nimis periculoſum diſcrimen illi inhærentes adducitis. Quantumvis parum illorum familiaritate utamini, ſtatim experientia docti intelligetis, quid mali valeant inferre. Dolus, vis, perfidia, proditio, graviſſimum quodlibet ſcelus, nullo ipſis ſtant ſumptu; voſque licet invitos in ſcelerum ſuorum partem vocabunt. In furore ſuo nullum ſervabunt modum, quin nullam habeant dedecoris rationem, quin exiſtimationis ſuæ detrimento afficiantur, quin prætextus inquirant, ut externam dumtaxat ſpeciem virtutis præleferent, atque iniquitatibus ſuis fucum aliquem allinant: *Abbas de Bellagarde in libros morales veteris Teſtamenti, in Salomonis Proverbia.*

Quænam requiritur virtus, ne ea ſequamur exempla, quæ nobis indeſinenter verſantur ob oculos? Corruptæ naturæ propenſio ad mali potius, quam boni imitationem nos adigit: cumque propenſio hæc pravis roboratur ſermonibus, praviſque illorum exemplis, cum quibus frequenter conſueſcimus, trahimur quodammodo, quin torrenti huic ne reſiſtere quidem valeamus. Hæc origo eſt tot calamitatum, in quas inconſiderata ruit adoleſcentia; quæ tunc ſuam tandem agnoſcit malum, cum in nullam reditus ſpem inciderunt, quia via impiorum tenebris oppleta eſt: de abyſſo in abyſſum, de præcipiti in præceps ruunt, quin ſuum agnoſcant errorem, cum interim viri boni ambulant in lumine, ubi nullus error metuendus eſt. *Idem.*

Quam

De converſationibus omnium hilaribus, liberiſque.

Quam maxime refert hujuſmodi converſationes effugere, ubi ſeſe cor effundit immodice, interior pars diſſipatur, inflammatur concupiſcentia: & quamvis tunc nullum adeſſe periculum intelligatur, attamen quamprimum peſſimi exiſtent effectus. Ubi enim primum ſeſe obtulerit occaſio, natura, quæ quodammodo malo præparata eſt, per liberam hanc, hilaremque converſationem facilius ſuccumbet. Ita ſenſim, & ſine ſenſu lapſus fit in malorum abyſſum, unde vix, & ne vix quidem poſſit emergi: cum nihil infrequentius, atque difficilius ſit, quam ex hujuſmodi erroribus ſeſe colligere, & perfringere habitus, in quibus plurimorum annorum ſpatio miſere conſenuimus. *Flechier in S. Magdaleææ panegyrico.*

Malæ ſocietates ſunt impedimento plurimorum juvenum ſaluti.

Quis mihi ſatis pollentes ſuggerat voces, ut oſtendam, quanto ad ſalutem impedimento ſint pravæ ſocietates; utque perſpicue ob oculos ſtatuam eorum multitudinem, qui quotidie pereunt propter impiorum conſortium! Hic laqueus eſt, in quem impingere vulgo ſolet juventus; quam ubi dæmon perdere nequit, vel inſtitutionis defectu, vel parentum incuria, vel indolis indocilitate, vel mentis mobilitate, vel impudentia, vitioſorum hominum contagione pervertit. Horum ſermones, & exempla huic inſtrumento ſunt, quo ſanctiſſimum quemque corrumpit, quo bonæ conſcientiæ ſtatum ſubvertit, & ſæpe hac ratione in teterrima impulit flagitia animas, quæ antea peccatum fere ignoraverant, & quæ inter periculoſiſſimas tentationes virtutem ſervaverant. O Deus! fierine poteſt, ut hic humani generis inimicus ad homines perdendos nullibi potentius incrementum inveniat præter homines ipſos? Ideone opus eſt, ipſum hominum uti miniſterio, qui intra fratres ſuos rabiem exerceat, quam ille contra eoſdem concepit? Neſcio utri magis deplorandi ſint, illine, qui ſermonibus, & exemplis aliorum aliquid conferunt excidio, an qui ab illis ſe perverti ſinunt, quod illos non fugiunt, neque eorum converſationem magis, quam atra lue tabeſcentium evitant: *Gobinet in libro, cui titulus: Adoleſcentiæ in chriſtiana pietate inſtitutio, parte tertia.*

In eos, qui exemplis & ſermonibus ſuis alios corrumpunt.

Illi, quorum converſatio aliorum innocentiæ adeo pernicioſa eſt, nonne calamitoſiſſimi ſunt, quando quidem eos perdunt, quos ſanguine ſuo Jeſus Chriſtus redemit; & perinde ac ſatis non eſſet, ſi ſe ipſos tantum damnaverint, ſunt etiam cauſa damnationis fratrum ſuorum, auctores corruptionis eorum, & ſcelerum, quæ ab illis committuntur, necnon diabolicæ nequitiæ inſtrumenta; ac ipſi per ſe funguntur munere hujus inimici Dei, quorum eſt homines in crimen impellere, & in infernum præcipites dare. Infelix Cain! rationem reddes de fratrum tuorum animabus; vox ſanguinis eorum, quem effudiſti, hoc eſt ſalutis eorum, quos perdidiſti, a Deo contra te ultionem depoſcet. Hic illam de manu tua requiret; ac tu rationem reddes, animam pro anima: *Sanguinem ejus de manu tua requiram.* Gen. 4. *Idem.*

Cæcitas eorum, qui malis ſocietatibus ſe pervertī ſinunt.

Altera vero ex parte nonne deplorabilis eſt eorum cæcitas, qui impiorum converſatione ſe perverti patiuntur? Neque enim id accidit, quaſi admoniti nequaquam fuerint, nihil pravis ſocietatibus eſſe pericoloſius, hunc eſſe virtutis ſcopulum, in quem tot mortales alliſi naufragium fecere, idque ſæpe etiam poſtquam propria docti fuerant experientia. Poſthæc a tanto lapſu non cavere ſibi, temere, ac ſine metu crebro eas ſocietates adire, quæ cane pejus & angue eſſent evitandæ; o Deus! quæ cæcitas! O amicitia, S. Auguſtinus exclamat, ſalutis animarum nimia inimica! cæcitas mentis, quæ efficit, ut malum fiat ob ſolam imitandi libidinem, utque aliis complaceas: *cum dicitur: eamus, faciamus, pudet non eſſe impudentem.* *Idem.*

S. Auguſtini exemplum docet, quid malæ facere poſſint ſocietates.

Ut liquido pateat, quouſque inſaniæ pravæ ſocietates adoleſcentem urgere poſſint, audite, quid de ſeipſo narret S. Auguſtinus l. 2. Confeſſ. c. 3. miſerum ſtatum, in quem hac eadem via reductus fuerat, deplorans: *Præceps, inquit, ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quoniam audiebam eos jactantes flagitia ſua, & tanto glorianres magis, quanto magis turpes eſſent; & libebat facere non ſolum libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum eſt vituperatione niſi vitium? Ego ne vituperarer, vitioſior fiebam: & ubi non ſuberat, quo admiſſo æquarer perditis, fingebam me feciſſe, quod non feceram, ne viderer abjectior, quo eram innocentior, & ne vilior haberer, quo eram caſtior.* Hic ille miſer ſtatus erat, ad quem pravæ ſocietates S. Auguſtinum in ipſius adoleſcentia redegerant, ex quo nonniſi graviſſimis difficultatibus, & non ſine prorſus peculiaribus divinæ gratiæ miraculis emergere potuit. Hinc ſane intelligimus, quales ſocietates potiſſimum perhorreſcere debeamus, eorum videlicet, qui palam ſe vitioſos, & impios eſſe profitentur; eorum omnium, qui fœdiſſima non celant crimina, cujuſmodi ſunt impudicitia, juramentum, ebrietas, ſed qui de eiſdem gloriantur, ut Sapiens Prov. 2. ait, *qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis;* omnium denique, qui ad malum impellunt, alioſque pravis ſermonibus, nefariiſque exemplis conantur corrumpere. *Idem.*

De inutilibus colloquiis.

In mundi vita pulveris tantum contrahitur, ut veræ filiorum Dei qualitates prorſus deformentur, & ſermones omnes, qui illic habentur, veterem potius, quam novum hominem, & mundi, quam Dei ſpiritum ſapiant. Hæc res exigit, ut nonniſi ſumma vigilantia cum hominibus verſemur; ut attentius perpendatur, quid & aliis dicamus, ne illis officiamus, & nobis dicant alii, ne noceant. Vix enim credi poteſt, quænam mala ſemina in mentibus noſtris per incauta colloquia imprimantur, & hæc inter potiſſimas corruptionis mortalium cauſas poteſt recenſeri. Non ex libris, non ex concionibus, neque ex magiſtrorum lectionibus adoleſcentes ſuam hauriunt diſciplinam, & ſenſus, ſed ex converſatione; & ex ſermonibus, quos audiunt: hi enim multo majorem in animis eorum vim obtinent, quam ipſa documenta; cumque pauci ſint, quorum ſermones concionum vim habentes magnas efficiant mutationes, pauciſſimi illi ſunt, qui non ſeducantur ſententiis, quas in vulgatis audiunt colloquiis. *Specimen ethicum tomo 1.*

Viſitationes, & colloquia nonnumquam neceſſaria ſunt.

Viſitationes, uti opus eſt, inſtitutæ ſunt vitæ chriſtianæ officia, non ſecus ac aliæ charitatis actiones. Hæc ſunt neceſſaria civilis ſocietatis vincula, viæ ad augendam, fovendamque animorum concordiam, & denique utiliſſimæ occaſiones exempla proximis tribuendi, vel ab iis recipiendi. Homines non ita ſpiritui ut plurimum vacant, ut his carere poſſint ſubſidiis: aliqua debetur eſca eorum erga homines charitati, non ſecus ac eorumdem erga Deum pietati; & non ſecus ac illorum erga Deum amor brevi evaneſceret, ſi nullum cum ipſo haberent commercium per preces, & bona opera, quæ, ut illi placeant, operantur; ita charitas erga homines quamprimum frigeſceret, niſi charitatis teſtimoniis aleretur. *Idem.*

De piis converſationibus, & quomodo ibi ſæpe de Deo ſit loquendum.

Qui Dei filium diligunt, ut plurimum tria inſignia dona a cœlo percipiunt, quod primum eſt Deum alloqui, alterum Deum audire, tertium loqui de Deo. Si de Salvatore loqui tibi non placet, manifeſtum indicium eſt, ipſum a te parum amari; os enim loquitur ex abundantia cordis. Homines libenter de iis loquuntur, quos diligunt, ac viciſſim oblectantur ſibi verba fieri de iis, qui jugiter in ipſorum cogitatione verſantur. S. Auguſtinus narrans ſermonem, quem de Sanctorum felicitate cum parente ſua habuit, ait, collatione illa tanto ſe repletam fuiſſe gaudio, ut quidquid in

mundo

mundo voluptatum, & illecebrarum fingi poteſt, contemptu ſignum ſibi videretur. Pollicitus eſt Jeſus Chriſtus, ubicumque duo, vel tres in nomine ipſius fuerint congregati, ſe in medio eorum futurum, quod re ipſa contigit duobus Diſcipulis in Emmaus proficiſcentibus. Cum enim in via de Salvatoris paſſione & reſurrectione colloquerentur, Jeſus ſeſe illis addidit ſocium, & cor illorum adeo ſuavi conſolatione replevit, ut redeuntes hæc ſibi mutuo dicerent: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via*. Luc. 24. P. *Novet in meditationibus*.

Cum Dei filius in terras venerit nobiſcum de rebus divinis acturus, atque mundi placita confutaturus, non decuiſſet profecto, illum de alia quapiam re verba facere. Cœleſtis illius erat origo, cœleſtia omnia illius eſſe debebant verba; munus illius erat ſalvas faciendi animas, eas a perditionis vias retrahendi, illiſque cœlorum viam oſtendendi; ejus ergo ſermones muneri ipſius eſſe debebant accommodati. Ipſe Verbum eſt Patris æterni, atque perfectionum ejus imago; de quo igitur loqui debebat, præterquam de magnalibus Patris ſui, deque honore, quem illi debemus? In mundum ingreſſus ſum, Deus me in ſua eccleſia conſtituit, ut teſtimonium veritati perhibeam, non debeo igitur abeſſe a fine meo, neque mundi vanitatibus vacare. Chriſtianum, qui ex Spiritu ſancto natus eſt, inutilibus oblectari ſermonibus dedecet; non eſt homo de mundo, non debet ergo mundi lingua loqui. Hoc autem multo magis religioſum dedecet virum, qui Dei ſervitio, ariſque omnino devotus eſt: omnia in hoc eſſe debent divina, omnia, vel minimum quodlibet verbum reſpirare debet ſanctitatem &c. *Idem*.

In mundo ita noſmet gerere debemus, ut in illius vitia non abeamus.

Si ſtatus veſter vos cum hominibus conſueſcere cogit, ingredimini, ſi vobis lubet, in mundi commercium, ſed ne voſmet cum hominibus de mundo commiſceatis, ne in eorum mores, atque ſenſus migreris; *Non atque tranſire in Ægyptum criminoſum eſt, ſed tranſire in mores Ægyptiorum*, S. Ambroſius ait. Moyſes in Ægyptum profectus eſt, neque ideo periit, quia ſeſe cum Ægyptiis non immiſcuit, neque eorum exemplo, vel ſermonibus corrumpi paſſus eſt. *Idem*.

De bona converſatione.

Inter utiliſſima conſilia, quæ illis tradi poſſint, qui ad virtutem contendunt, hoc eſt, ut nihil antiquius ſit illi, quam bona converſatio, ubi animus ſuaviter ad virtutem formatur. Aliorum exempla occultas quidem, ſed vehementes in homine impreſſiones efficiunt, quæ illum attrahunt vel non ſentientem. Paulatim eorum ſententiis, atque inſtitutis imbuitur; diſcit loqui, & facere, quod illi loquuntur, & faciunt, ac ſibi faciendum putat, quod ab aliis fieri videt. Animum bene natum pudet, ſi a ſimilibus in bono ſuperetur. Duo autem ſunt hominum virtute præditorum genera, cum quibus converſari licet; cum iis primum, qui ſapientes ſunt, & qui ſapientia, atque ætate præſtant, juxta illud Sapientis monitum: Cum ſapientibus ini familiaritatem, & ab illis diſce ſapientiam: hoc eſt eorum ſocietate oblectare, & fructum capite ex ſapientibus ſermonibus, optimiſque illorum exemplis: ſecundo cum coætaneis, & eamdem profeſſionem amplexis, quos ad virtutem ferri cognoſcetis. Eorum exempla in animo veſtro impreſſionem efficient, ac vos ad imitandum impellent. *Gobinet in altera parte de adoleſcentiæ inſtitutione*.

Inter pravos ſodales ab iis diligentius cavendum eſt, qui ejuſdem, cujus tu, ſunt profeſſionis. Sæpe tibi occurrunt; vix illis reſiſtere poteris, facile a ſimillimis patimur vinci. Rex Joas, qui adoleſcentiam adeo ſancte, integreque traduxerat ſub Joiadæ ſummi Sacerdotis diſciplina, ab aulicis ita deceptus fuit, ut eorum conſiliis idolorum aris adoleverit thura. Tibi igitur cave quam diligenter, ut niſi horum ſodalium occurſum omnino evitare non poſſis, ſaltem eodem non corrumparis. *Idem*.

Otioſorum ſocietas periculoſiſſima.

Fuge ſocietatem adoleſcentum otioſorum, & oſcitantium, quibus nullum munus eſt, vel eo, quod ipſis eſt, male fungentium. Eorum exempla otium tibi ſuadebunt. Te ſermonibus ſuis attrahent, perſuadebunt, ut officium, laboremque relinquas, atque ſolatiis indulgeas: docebunt amare ludum, inire choreas, adeſſe theatris; & ex inerti, otioſaque vita te in vitium propellent. Et pro certo habe nullam hac tibi ſocietatem eſſe poſſe periculoſiorem. *Idem*.

Aliæ pravæ ſocietates evitandæ.

Jure optimo S. Petrus etiam, atque etiam fidelibus commendat, ut in converſatione ſua Sancti ſint; etenim ex omnibus actionibus, quæ interdiu accidunt, hæc illa eſt, in qua Deus magis læditur. Nemo unus ignorat, quid ibi agatur, quot impie, & nefarie proferantur; quot peccatorum impudicæ, & maledicæ linguæ ibi ſint cauſa, & quot ex hoc fonte mala prodierint. Ut converſatio veſtra chriſtiana ſit, utque ibi ſapienter voſmet geratis, pro virili fugite converſationem, non impiorum ſolum, & flagitioſorum, ſed detrectantium, irridentium, & mundanorum, ubi de nugis amatoriis, & vanitate, ut plurimum verba fiunt, & ubi ſexcenta venditantur fallacia placita evangelicis inſtitutis contraria. Evitate hæc ſolius cum ſola familiaria colloquia, quæ in perſonis diverſi ſexus præcipue adeo ſunt periculoſa: neque dicatis tantum vobis eſſe virtutis, ut reſiſtere poſſitis eis artibus, quæ ad vos decipiendos poſſent adhiberi. Quiſnam enim hoc vobis ſpondet? Numquid conſcientia veſtra, cujus corruptionem bene noſtis? An Dei gratia? Numquid illam ſe largiturum recepit Deus illis, qui periculum quæſiverint? Quid ergo? experientia veſtra, quæ nimis fortaſſe vobis funeſtos converſationum veſtrarum exitus objicit? *Auctor Anonymus*.

Viſitationes quomodo inſtituendæ.

Tria ſunt communium viſitationum apud homines genera; aliæ neceſſariæ ſunt pro magni momenti negotiis; aliæ officioſæ, quas amici, & affines ultro, citroque accipiunt, & reddunt; aliæ, quæ ad tempus videlicet traducendum fiunt. De primis, quæ ſæpe evitari nequeunt, vel ad quas obeundas ex charitate nonnumquam tenemur, nil dicam. Officioſæ infrequentes eſſe debent, breves, utiles, modeſtæ. Tertiæ vero omnino intercidendæ ſunt, neque ex eorum mortalium numero eſſe debemus, qui non modicam vitæ partem in reddendis, recipiendiſque impendunt viſitationibus, pro nihilo habentes jacturam temporis, quod ideo nobis conceſſum eſt, ut ſaluti noſtræ proſpiceremus. Qui fructus ex viſitationibus capitur? In ſocietatibus nihil ferme niſi prava videntur exempla, nefarii ſermones audiuntur. Nonne in hujuſmodi viſitationibus, atque congreſſibus ipſa periclitatur innocentia? Exemplum efficax eſt, natura fragilis. Quomodo conſuetudinis, exemplorumque torrenti licebit reſiſtere? Satiſne tibi conſtantiæ eſt ad detractiones prohibendas, ad prava inhibenda colloquia, & bona ſubroganda? Quis te in ſocietate poterit pati, ſi pati nihil poteris? qua vero conſcientia pati poteris, te coram contumeliis affici Deum? *Idem*.

Qua cura evitandæ ſint periculoſæ converſationes.

Cura hæc tanto major eſſe debet, quia in converſatione omnia loquuntur. Oris habitus, geſtus, obtutus, veſtimenta, omnia ibi metuenda ſunt. Adoleſcens cum alterius ſexus perſona init converſationem; hujus ſpeciem, ingeniumve laudat, æquivoca illi profert verba, ſed quæ, licet æquivoca, multa ſignificant. Scrutatur, quo pendeat, prope illam canit, cantionumque illi applicat verba, atque ſexcentis indiciis illi ſignificat, quod verbis explicare minime auderet: *loquitur nutibus, & quod metuit dicere, ſignificat affectibus*. Puella hæc quantumvis initio ſit ſapiens, & pudibunda, agnoſcere incipit, ſe aliqua in re aliis præſtare, & recipiens, licet frigide, officia, quæ ſibi præbentur, his veluti totidem argumentis tritus, ut ſe ſpecioſam eſſe ſibi perſuadeat. Hinc illa ſeſe calamiſtris comendi cura, ut magis placeat,

ac in

ac in ſocietatibus emicet; hinc illa plurimorum ornatuum adſectata conquiſitio, hinc ſe ornandi, cyprioque pulvere capiti decorem adjiciendi ſollicitudo. *Ex P. de la Colombiere.*

Parentes conſiderare debent qui buſnam ſocietatibus interſint filii.

Hinc intelligite, parentes, vobis aliquando in Dei judicio reddendam eſſe rationem libertatis ejus, quam filiis veſtris permittitis in omni ſocietatum genere interveniendi. Dicitis quidem vos non pati, virginem hanc niſi cum conſanguineis ſuis verſari; ſed attendite, utrum hæ conſanguineæ mulieres periculoſos habitus foveant. Sancta Thæreſia ait, parum abfuiſſe, quominus in conſobrinæ ſuæ ſocietate periret. Mater ejus honeſte huic aditum in domum ſuam negare non poterat, ſed quod conſobrina nugatorias nugas amabat, ſancta virgo fatetur, niſi peculiaris ſibi Dei gratia adfuiſſet, futurum fuiſſe, ut cum illa perverteretur. *Idem.*

Quid! toto diei ſpatio prope ignem aſſidendo quis poterit, quin caleſiat? Quid in converſationibus, & propinquitate hujus mulieris, quæ non admodum culpa vacat, poterit ſuam ſervare innocentiam? Quid in his colloquiis, quæ inter ſolum, & ſolam habentur, & quæ a Tertulliano *privata libidinis conſiſtoria* vocantur, puræ tantum, caſtæque cogitationes fovebuntur? Credes quodcumque voles, verum noſtin, quo nomine Tertullianus vocet, qui ſimilia conantur? illos *Funambulos pudicitiæ, & caſtitatis* appellat: hoc eſt, quemadmodum minimum quid requiritur, exigua pedis nutatio, prava funis remiſſio, pes minus apte locatus, ut ſaltatoris caput conteratur, ita minimum quid in eo ſtatu ſatis eſt, ſola cogitatio, officiolum aliquod nimis hilari exceptum animo, ut fiat naufragium. *Ex Anonymo Auctore.*

De pravis ſermonibus in converſationibus.

Hoc ſingulis diebus experimur: mater cum voluptate loquitur de filiis; luſor de alea tantum verba facit; mulier mundo dedita de calamiſtris, mundoque muliebri; & anima, quæ diligit Deum, de Deo tantum habet ſermonem: *ex abudantia cordis os loquitur.* Matth. 1. Ita etiam cum voluptate alios loquentes bibulis auribus excipimus; & niſi converſationes noſtræ circa ea verſentur, quæ noſtros palpant affectus, jam ſtatim langueſcunt, ac afferunt tædium. Vin igitur ſcire, utrum diligas Deum? cogita, qua de re libenter loquaris, & alios audias loquentes. Si juxta hanc normam judicare voluerimus de charitate, qua plerique fidelium in mundo viventes animati ſunt, heu! quam pauci JESU CHRISTI amatores invenientur? Si ex illis quæreretur, ut olim ex duobus diſcipulis in Emmaus proficiſcentibus: qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem? Quotuſquiſque cum illis reſpondere poſſet: loquimur de JESU CHRISTO, qui potens erat opere, & ſermone? Sed quod deterius eſt, de eodem loqui nos pudet; & ſi quis auderet, ne ille videret ſocios paulatim dilabi, vel obmuteſcere. O Deus! Quam parum amaris; & quam jure dicere potes, te in plerorumque mortalium corde eſſe mortuum! *Oblivioni datus ſum tamquam mortuus a corde.* Pſalm. 30. *Auctor Anonymus.*

Periculoſæ converſationes inter utriuſque ſexus mortales.

Quid dici, cogitative poteſt de illis, quibus in mundo non aliud negotium; vel ſolatium eſt, quam videre mulieres, & cum illis colloqui? quid autem de his credi poteſt, quæ integras horas pomeridianas in nugaciſſimas converſationes impendunt! Quomodo fieri poteſt, quod utrique, viri ſcilicet ſimul, atque mulieres, indeſinenter non habeant mentem turpibus ideis, obſcœniſque imaginibus repletam? Cor humanum ſuapte natura in infamem hanc libidinem pronum eſt, & cum ſolum eſt, ſumma cum difficultate ab eadem ſibi cavet; quomodo ergo ſe ipſum præſervet in jugi amatoriarum nugarum, æquivocorum verborum, obtutuum, & ſæpe etiam minus decentis licentiæ commercio? Quomodo ſe ipſum tueri poteſt inter occaſiones, & coram objectis, quibus ſollicitatur? At enim hæc omnia nullam in animo meo vim obtinent, neque meæ officiunt conſcientiæ. Nunne eſt de ſanæ mentis uſu delectum eſſe, hoc pacto loqui, S. Hieronymus inquit? Quis enim, ait ille, nudatis pedibus ſuper prunas citra noxam poteſt incedere? At inquies, nihil hac in re mihi exprobrat conſcientia. Eſto; ſed fortaſſe non ſatis illam ad examen vocaſti. Cæterum hoc argumentum eſt, conſcientiæ ſtimulos jam ſuffocatos fuiſſe, & brevi futurum, ut aperte in omne vetitum impudentiſſime ruas. *Pater Gegou in libro, qui inſcribitur, uſus Sacramenti pœnitentiæ.*

Cum mundi ſectatoribus exhibetur periculum, in quo ipſi, aliique verſantur, cum in converſationibus ferunt, vel perſequuntur ſermones, qui lædunt honeſtatem, fratrumque exiſtimationi afferunt contumeliam, atque adeo ipſam religionem laceſſunt: merito hæc ais, inquiunt; ſed mutos eſſe oporteret, quandoquidem hodierna die converſationum colloquia circa tria hæc argumenta verſantur, impietatem, detractionem, nugaſque amatorias. Cæterum niſi ahenei eſſemus, propulſare nequaquam poſſemus cogitationes malas, pravaque deſideria in ea ſocietate, ubi quidquid ad illa cienda conjurat. Hæc quotidie dicentes audimus homines, qui hoc pacto flagitia ſua excuſare conantur: ſed illi vehementer errant. Si fieri nequit, ut mundum videatis, ut ſocietatibus interſitis, quin aliquo pacto Deum lædatis; vobis ergo a pericoloſo hoc commercio procul eſt recedendum, atque omnis prorſus relinquenda ſocietas eſt. *P. de la Colombiere ſerm. 57. de mundi fuga.*

Ex converſationibus nimium liberis, hilaribuſque nemo culpa vacuus revertitur.

Dicite, ſi vobis lubet: in magnis hiſce ſocietatibus, in diuturnis virorum, mulierumque converſationibus, quorum una hæc cura eſt, ut oblectentur, & cum voluptate tempus traducant; umquamne integram tranſegiſtis diem, quin alicui obtrectaretis, vel aliquem audiretis detrahentem, quin oblectaremini proximum irridentes, eumque in ludibrium traducentes? Non loquor de malis cupiditatibus, quas aliis inſpiratis, quibus placendi cura culpa non vacat; verum affirmare auderetis, vos ſemper ex ſocietatibus retuliſſe cor æque caſtum, æque liberum, mentem æque puram, qualem illuc attuliſtis? O Deus! dubitarine poteſt, rem difficultatis plenam eſſe, innocenter vivere iis in ſocietatibus, ubi ſimul coactæ videntur eæ difficultates, quæ poſſunt adverſari innocentiæ? *Idem.*

Facile eſt cum impiis corrumpi, & in eorum mores abire.

Difficillimum eſt diu cum tetra lue infectis permanere, quin eadem contagione inficiamur; ſed lues, quæ animas corrumpit, longe periculoſior illa eſt, qua corpora contabeſcunt. Naturaliter eo modo vivimus, quo alios vivere intuemur: exemplum eorum, cum quibus verſamur, & quorum utimur familiaritate, efficit, ut in eorum flagitia abeamus, illaque amemus. Vitia monſtra ſunt, quæ cum abſunt, perhorreſcimus; ſed ſi propius accedere patimur, oculos noſtros alliciunt, neque amplius videntur, quod ſunt, ſatiſque illecebrarum habent, ut nobis eouſque placeant, ut noſtros occupent ſenſus, ac per nonnulles gradus tandem cordis noſtri imperium obtineant. Ideo ſi illa ſuperare volumus, eminus oppugnanda ſunt, & longiſſimum, ſi fieri poteſt, inter utrumque ſpatium relinquendum eſt. Numquam ſimul cum mundi amatoribus eſſe licet, quorum ſolus adſpectus, converſatio vero multo magis, quidquid in nobis corruptiſſimum eſt, poteſt excitare. Proni quippe ſumus ad peccati impreſſiones recipiendas; & ſenſus noſtri, imaginatio, omnes animæ noſtræ facultates totidem veluti rivuli ſunt, per quos omnia iniquitatum genera in animum influunt, & cordis penitiores ſinus pervadunt. Omnia prava colloquia, quæ auribus accidunt noſtris, omnia flagitioſe facta, quæ intuemur, pernicioſos in anima gignunt effectus. Quapropter unica prohibendi ratio, ne corrupti nos corrumpant, hæc eſt, quam longiſſime ab

illis

Digitized by Google

illis recedere. *De S. Martha tomo 2. Aſceticorum tractatuum.*

Mundani congreſſus.

Mundi ſectatorum congreſſus magnum eſt theatrum libidinis, & luxus, earumque rerum omnium, quas una voce, abſit verbo invidia, mundanitatem dicere poſſumus. Quilibet ea ordine ſuam quotidie ludit perſonam, & paucis ex adſtantibus ſunt, qui non irrideantur; nec deeſt, qui totius coronæ ſe plauſum mereri putat, quem omnes illudunt. Diſſimulatio ibi urbanitatis nomine appellatur; & adſectatæ hujus officiuſitatis, quam quilibet ſibi honori vertit, beneficio hominum cœtus in veram comœdiam vertitur, ex qua quivis ſui admodum contentus, aliis vero offenſus egreditur. Ibi elegans dominatur luxus, cujus in dies creſcit contagio, voluptatum exquiſita cura, quibus mortales omnes maxime oblectantur; vita mollis, quam probant exempla, & mundanus habitus aliis imponens. Ibi regnant mundi placita a Jeſu Chriſti inſtitutis procul abhorrentia; ibi affectus omnes ſuaviter in cor ubrepunt, & illud corrumpunt. Et profecto quænam virtus tot labefactari non poteſt inſidiis? Quænam inter tot pericula innocentia perſeverabit? *Pater Croiſet in chriſt. confid.*

Nihil hujuſmodi congreſſibus magnificentius eſt, fulgidius nihil. Cupiditas, qua quilibet flagrat alios ſuperandi, efficit, ut nihil prætermittatur, ut placeat; ars quidem in omnia ornatuum genera, cor autem in varia effunditur deſideria; omnes illuc ſe conferunt, ut in ſe aliorum admirationem convertant. Mundi ſpiritus, qui hujuſmodi cœtibus præeſt, illic placita ſua, tamquam totidem leges magnifice depromit. Quantumvis dura, acerbaque ſint, nemini illis adverſari licet. Quidquid huic multitudini mundanorum cœtum hunc conſtituentium placet, ſive de luxu, ſive de ſpectaculis, ſive de ſolatiis agatur, tamquam ſors oraculi excipitur. Diceres, mundum idolum eſſe hujus conventus; ſaltem nemo eſt, qui tanquam mancipium illi minime ſerviat. *Idem.*

Pericula quæ in ſocietatibus & mundi cœtibus adſunt.

Putas tot inter objecta, quæ reipſa placent, cor, quod oculos duces ſequitur, ita ſui compos eſſe, ut illis minime adhæreat. Putas omnia in hujuſmodi converſationibus culpa vacare, ubi ſermones omnes vulgo circa nugas amatorias verſantur, & ubi nemo ſibi religioni vertit ſexcentas loquendi rationes, ad mentem corrumpendam aptiſſimas. Omnia plena ſunt ſcopulis, aer etiam contagioſus eſt: virus per aures, oculoſque ingreditur; & quid prohibebit, ne cor ipſum pervadat? Omnia ibi perſtringunt oculos; omnia ibi animum tentant, omnia ſeducunt. Nullum eſt contra malum adeo præſens amuletum, nullum ſubſidium, pharmacum nullum. Putas nihilominus in hiſce mundanis cœtibus omnia culpa vacare, & frigide quæris, quid mali in his voluptariis converſationibus adſit. Qui hoc quærunt, næ illi hoc ſatis ſciunt. *Idem.*

Hæ ſocietates optima quæque corrumpunt ingenia.

Quantumvis ad virtutem natus eſſes, & optimis præceptis inſtitutus, nullum eſt adeo felix ingenium, nullum adeo bonum principium, quod in hujuſmodi congreſſibus cito non corrumpatur. Mundus animam diſſipat, illi blanditur, illam a Deo divellit, illam corrumpit, quæ ſicubi ſeſe colligit, ideo hoc accidit, ut ſeſe moleſtiſſimis pœnitentiæ cruciatibus traditam videat. Mens, quam cordis nequitia pervertit, mores flagitioſorum hominum frequentia corrupit; reliquiæ inſtitutionis bonæ, & chriſtianæ religionis, quæ fere extinctæ ſunt, efficiunt, ut plurimi deſiderio teneantur felicium, & innocentium dierum, quibus ætas illos a contagioſis cœtibus amovebat, & ubi vita frugi illos a tot periculis præſervabat. *Idem.*

De illis, apud quos hi cœtus inſtituuntur.

Si malum eſt his cœtibus intereſſe, quid ſentiendum de illis, apud quos inſtituuntur? Quid non exprobrabitur, vel quæ ratio reddenda non erit his adeo officioſis hominibus, qui ſe ipſos perdere volunt, ut aliis voluptates procurent; quid domos ſuas in publicos congreſſus convertunt corum omnium, qui in mundo maxime nitent; quorum domi nemo ſe Chriſtianum dicere audet, & unde virtus omnis exulare videtur? Quos laqueos illi non tendunt innocentiæ, domi ſuæ congregantes, quidquid malas cupiditates gignit, & fovet, & qui ædes ſuas in voluptariam academiam vertentes, ſimul eas exhibent veluti nequiſſimæ impudicitiæ theatrum, & luxus lyceum? Mortalibus hiſce Deo ratio reddenda erit non de malo tantum, quod ibi patratur; quibuſnam enim aliis flagitiis eorum cœtus præbent occaſiones? Verum enim vero ſi hujuſmodi mundani congreſſus tot ſcopulis referti non ſunt, non ideo minor eſt eorum contagio. Solum, quod ibi regnat otium, nonne efficit, ut illiciti habeantur? Profecto innocentia non ſemper aperta vi laceſſitur; ſed mollities vincit ante pugnam, ac dici poteſt inertia ſola ſpiritus pietatis extingui. Illuc ſingulis diebus ad tempus videlicet traducendum convenitur, ajunt enim, ſe alioquin neſcire, quid agant; quaſi Chriſtianus, quibus tot officia ſunt adimplenda, aliquem invenire poſſet diem, horas aliquot, quibus ſibi nihil eſſet faciendum. *Idem.*

Converſationes eorum, qui honeſti dicuntur, circa nugas verſantur.

In iis autem converſationibus honeſtorum hominum, quæ innocentiſſimæ habentur, quid fit? De iis verba fiunt, quæ recens accidunt, de iis quæ in urbe fiunt, de rumoribus, qui circumferuntur, verbo de nugis. Nunc ludus, nunc fabula caput eſt harum honeſtarum, eruditarumque converſationum. De his rebus colloquuntur in congreſſibus ſuis homines, qui naris emunctæ ſe putant, magna hæc ingenia, penes quæ bonum ſenſum depoſitum eſſe arbitrantur, & quæ infirmitatis redarguunt pios homines, qui præ ipſis magis Chriſtiani ſunt, & minus inertes. Cæterum detractio converſationem exhilarat, tædiumque procul expellit, ſine hac omnia languent, & ut plurimum cum jactura eorum, qui harum ſocietatum membra ſunt, alii oblectantur. Malum, & bonum illic promiſcue irriſionis ſunt argumentum, omnia in hoc poſita ſunt, ut quæ optima habentur, improbe in pravum ſenſum detorqueas. Et ſane nonne in hac locutionum, & ſententiarum improbitate emicat illud ingenium, quod aliorum in ſe admirationem convertit? *Idem.*

Converſationes, & viſitationes ſub charitatis, vel urbanitatis prætextu.

Verum eſt quaſdam eſſe nugarum amatoriarum, ludorumque converſationes, quas ſalutis noſtræ inimicus in nobis fallendis ſemper induſtrius hodierna die in charitatis, vel etiam urbanitatis officia convertit. Hic prætextus eſt, hic ſpecioſus finis, qui in his proponitur viſitationibus, quibus mundanæ inviſuntur perſonæ, quas levis affectio corporis intra privatos continent parietes, in quarum ædibus mundi ſpiritus congregat, quidquid mortalium eſt, qui hilares amant ſocietates, & voluptatum trahuntur illecebris. Fruſtra in mundo ſeſe mortales excœcant, fruſtra propriæ rationi, & gratiæ adverſantur; ſentiunt enim, invitique ſentiunt has otii viſitationes, has voluptatum ſocietates, has hilares converſationes, ubi detractio, vel licentia graſſatur, chriſtianæ religionis ſpiritu damnari, & reprobari. *Idem.*

Quænam eſſe debeant chriſtianæ converſationes.

Religio non omnia ſocietatum, & viſitationum genera damnat. Non deſunt earum quædam, quæ chriſtianæ ſunt; non deſunt igitur quædam, quæ liceant, ſed numquam licent, ex quo aliquod occurrit periculum. Earum cauſa charitas eſſe debet, vel ſaltem chriſtianæ obedientiæ officium. Domeſtica negotia, & minus adhuc ſalutis noſtræ negotium pati non debent jacturam temporis, quod illic inſumitur. Quævis aſſidua cura ſignificat periculoſam aliquam affectionem, vel noxiam otioſitatem. Quilibet ibi morigeratus eſſe debet, atque in his viſitationibus, cœtibuſque ita ſe gerere, ut numquam ibi ſe fuiſſe pœniteat. *Idem.*

Mundanæ ſocietates, periculum quod ibi ſubeſt.

Si mundus vaſtum eſt mare tempeſtatibus plenum, mundani congreſſus ſunt periculoſiſſimi illius ſcopuli. Nemo non illi fidit, quia omnia rident, omnia tranquilla videntur; ſed non deſunt procellæ,

quæ licet minime intumeſcant, deſæviunt, neque ſtridens dumtaxat aquilone procella ratibus affert exitium. Naufragia, quæ in ſumma accidunt malacia, funeſtiora ſunt; ſemper in nullam ſpem reditus perit, qui perit, quin antea periculum prævideat. Quot mortales hujus rei teſtimonium perhibere poſſent eo magis admittendum, quo procul ab omni ſuſpicione remotum; & quot his voluptariis congreſſibus extremum debent interitum? Veneni ſuavitas efficit, ut libenter degluttiatur; omnia ibi periculoſa ſunt, ſed omnia illecebris plena ſunt: & hæc cauſa eſt, propter quam iis ſuccenſemus, a quibus de periculo admonemur. *Idem*.

Pravorum ſermonum effectus.

Quemadmodum compoſitus ſermo pietatis impreſſiones efficit, ita ſermo incompoſitus, & nefarius parit cogitationes, & impreſſiones peccati. Qui parum honeſte, prudenterque loquitur, oſtendit cogitationes ſuas neque caſtas eſſe, neque honeſtas, & cor ſuum nefarium eſſe juxta evangelii verba: *Ex abundantia cordis os loquitur*. Matth. 12. Id genus ſermones mores bonos corrumpunt, etenim in animo cient cogitationes virtuti contrarias. Hic naturalis eſt talium ſermonum effectus in ea infirmitate, atque corruptione, in quam nos peccatum redegit, ubi ſine præcautione, & multo magis cum voluptate audiuntur, quod in ſocietatibus, atque converſationibus ut plurimum accidit. *Auctor Anonymus*.

Quodnam, amabo vos, eſt argumentum prolixorum ſermonum in hiſce mundanis converſationibus? Amatoriæ fabulæ, lepidæ hiſtoriolæ, civitatis rumores, animadverſiones in veſtimentorum, ornatuumque recentes modos, nova voluptatum ſyſtemata, exquiſita valetudinis tuendæ forma, cenſura, irriſio, acute dicta, joci: hæc ſunt materia, & ſæpiſſime etiam maxime ſerium negotium eorum, qui in civitate præ cæteris nitent, neque enim in otioſis his cœtibus ſolidiora expectanda ſunt argumenta. Integræ impenduntur horæ ad calanticæ analyſin inveſtigandam, ad recentis alicujus ornamentorum generis apologiam texendam, ad novi ludi elogium concinnandum. *P. Croiset 2. tomo christ. consider.*

Permittit Deus propter ſibi propoſitos fines, ut in hoc mundo mali ſimul cum bonis vivant.

Permittis, Domine, ut in hoc mundo ſervi tui inimicis tuis commixti permaneant, & vis eos ſimul vivere, ſimulque verſari, quaſi non alias, & prorſus oppoſitas cogitationes, atque ſententias haberent. Illos uſque in diem meſſis ſecernere differs: *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem*; hoc eſt uſque ad illam diem, qua facturus es inſignem illam, atque tantopere expectatam diviſionem: cum in nubibus inſidens venies undequaque divinæ majeſtatis fulgore coruſcans, ut per univerſale judicium hominibus tribuas, quod illi apud tuam vel juſtitiam, vel miſericordiam meriti fuerint, æternis flammis adjudicans illos, qui ſanctarum legum tuarum contemptu te ad iracundiam provocaverint; eorumque fidem remunerans, qui hiſce rebus tibi ſerviendi felicitatem, gloriamque prætulerint: *Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos &c.* Matth. 13.

SUPPLEMENTUM.

Societates bonæ, & malæ, Converſationes, Colloquia, &c.

Non licet habere ſocietatem cum impiis.

EXtra neceſſitatis, atque juſtitiæ terminos, cum omnia nobis integra ſunt, atque a noſtra pendent optione, quærere impios, voluntarias cum illis inire neceſſitudines, & mundanas, profanaſque amicitias, ac familiaritates, quarum una voluptas cauſa eſt, & quæ nulla ratione probantur; affirmo hoc eſſe Dei mandatis adverſari, idque magni Apoſtoli auctoritate confirmo. Ita enim cum Theſſalonicenſibus loquebatur, 2. Theſſ. c. 3. *Denunciamus vobis, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate*; & ut præceptum hoc tamquam unum ex maxime neceſſariis, ac eſſentialibus divinæ legis ſervetis. Hinc David Pſalm. 25. hoc ſibi religioni vertebat, & tamquam ſcelus graviſſimum perhorreſcebat. *Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: Odivi Eccleſiam malignantium*. Hoc ſemper mihi propoſui, ut nullam cum flagitioſis hominibus haberem neceſſitudinem, neque cum iis me commiſcerem, qui ſibi gloriantur committere iniquitatem; ut eorum quidem perſonas diligerem, id enim charitas jubet; ſed eorum cœtus, dolos, conſuetudinem abhorrerem, altior enim charitas, cujus debitor ſum Deo, & mihimet, vetat, ne ullum cum illis fœdus percutiam. *P. Bourdaloue in Dominicali*.

Viventes cum peccatoribus Sanctus eſſe nequis.

Umquam ne animum advertiſtis fideles ad rem ſatis notandam, quam nobis exhibet S. Joannes loquens de noviſſima Cœna, quam JESUS CHRISTUS pridie mortis ſuæ fecit cum Apoſtolis ſuis? Statim ac Judas egreſſus eſt, ut deteſtabile facinus exequeretur, mundi Salvator in extaſim raptus exclamavit Joan. c. 13. *Nunc clarificatus eſt filius hominis*. Unde nam procedebat hæc gloria, S. Auguſtinus quærit. Non quidem a beata viſione Dei, nam hanc poſſedit ab ipſo ſuæ conceptionis momento; non a corporis ſui Reſurrectione, nondum enim reſurrexerat; ſed ab exitu proditoris illius, qui hactenus cum aliis diſcipulis interfuerat; & rationem hanc facer textus adducit: *Nunc clarificatus eſt filius hominis*. Si gloria filii Dei completa eſſe non poterat, donec ſecum permanere hominem impium patiebatur; conjicite, fideles, utrum poſſitis eſſe Sancti, & juſti coram Deo, cum inter peccatores verſamini, ac ſponte cum illis conſueſcitis. *Idem*.

Juſti cum peccatoribus viventes pervertuntur.

Cum Deus præcepit Joſue, ut Acham neſarium hominem de populo tolleret, atque interficeret, non aliis uſus eſt vocibus, quam his: *Surge, ſanctifica populum*. Joſue 7. Ad id autem, quid faciam, reddidit Joſue? Exterminabis Acham, qui ſacrilegus eſt. Donec ille permanebit in Tribubus, ego permanere non poſſum in illis; ſed auſer nocentem hanc animam, & tunc populus omnis ſanctificabitur. Diceres improborum ſeparationem eſſe veluti Sacramentum expiationis pro bonis. Et profecto nihil ultra requireretur ad familias, communitates, ordineſque integros ſanctificandos. Extrude ex domo vitioſum, a quo infecta eſt, illam in pietatis domum convertes. Ejice ex communitate hominem perturbatorem, ac ſeditioſum, evadet illa cœtus Sanctorum. Tolle de Principis aula atheos nonnullos, qui illic dominantur, jam aula fiet chriſtiana. Quidam eſt in civitate, qui plures perdidit animas, quam dæmon aliquis perdituros ſit, & fortaſſe noſti quaſdam mulieres, quarum ſocietas plures libidinoſos facit, quam impuriſſima nonnullorum dogmata, qui olim effrænis licentiæ ſcholam aperuerunt. Auſer igitur non ingentem horum virorum, mulierumque numerum, & ubique ferme Dei cultum reſtitues. *P. Bourdaloue in Dominicali*.

Conſuetudinem inire cum impiis qui tales eſſe agnoſcuntur, eſt Deum contemnere.

Ita eſt, cum nefariis, & impiis, quos noſtis impios, & nefarios, inire neceſſitudinem idem eſt ac Deum contemnere. Et profecto quid Dei contemptum appellaris, niſi fœdus cum inimicis ejus initum hoc nomine ſit appellandum? Et quinam ſunt inimici Dei, niſi peccatores, præſertim vero ii, qui palam tales habentur? Quid ſentiretis de filio, qui affectu, & animo conjunctus eſſet cum perſecutoribus Patris ſui; cum illis, qui honori, & vitæ Parentis ſui ſtruerent inſidias? Nonne illum tamquam monſtrum horreretis? Verum vos ipſi hoc facitis viventes cum impiis. Quoad in peccatis volutantur, inter illos, & Deum odium intercedit irreconciliabile. Legite ſacros libros, & videte, quænam perſcienda fuerit exprobratio Joſaphat Regi Juda, Principi alioquin religioſiſſimo. Fœdus ille percuſſerat cum Achab impio Rege Iſrael. Non deſuerant politicæ rationes, ut ſocia cum illo arma conjungeret; ſed ejus conſilium a Domino fuit reprobatum. Princeps, dixit illi Jeho Prophetica

liber-

libertate; 2. Paralip. c. 19. Prævaricatus es; *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris; idcirco iram merebaris*. Opera bona Joſaphat, & bona illius fides excuſarunt illum; vos autem, Chriſtiani, quam excuſationem afferre poteſtis? *Idem*.

Ut te purum, ac mundum tuearis, non ſatis eſt honeſtum eſſe hominem; abeſſe debes etiam ab eorum ſocietate, qui mundi non ſunt. Eorum conſuetudo ſemper malos exitus habet; & ſicuti bonorum exemplum eſſe poteſt cauſa virtutis, exemplum malorum poteſt eſſe cauſa vitiorum, & corruptionis. Si tibi ſatis virium eſt, ut non eadem committas ſcelera ac illi; non ſatis eſt fortaſſe, ut ſemper te mundum, atque ſine macula ſerves. Turpes æquivoci, juges detractiones, blaſphemiæ, ſexcentæque impietates, quibus æquo licentiores oblectantur, polluunt aures eorum, qui eorum intereſſunt ſocietati. Nec minus patiuntur oculi. Quomodone poſſunt non contrahere impuritatem, cum ſunt tantæ corruptionis teſtes? quomodo caſtimoniam ſervare, tot impudicos intuiti? Quomodo tandem nocentes non fieri, cum ſint præſentes tot ſceleribus, eaque committi videant non ſine quadam voluptate, & oblectatione? *Sermo quintus Academiæ Anni 1677.*

Typus Chriſtianæ converſationis.

Non vult Apoſtolus fideles omnes fieri concionatores: vult ſolum omnes converſationes, ſermones, colloquia eſſe Chriſtiana. Nihil hoc æquius; nihilque hoc eſſe deberet vulgatius? Quid enim æquitati, & rationi magis conſonum eſt, quam quod Chriſtianus Ethnicorum more non loquatur, ſed Chriſtianorum? Attamen omnes ſermones noſtri ſuntne ſancti? De quibus rebus habetur ſermo in frequentibus iſtis converſationibus, & cætibus mundanis? Qui loquitur, loquiturne tamquam ille, qui Dei verbum annuntiat: hoc eſt, ullam ne partem in his ſermonibus habet Deus? integræ colloquendo abſumuntur horæ; ſed de quibus rebus habetur ſermo? de ſexcentis nihilis, & ſæpe etiam de rebus, quæ immediate infra nihilum ſunt. Narratiuncula, hiſtoriola, ſomnium occupat tempus, ne dicam, inertiam horum mortalium, qui ſibi ingenium, & eloquentiam non deeſſe putant, quia norunt multum loqui, nihil dicendo. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat. Tom. 4.*

Nihil vulgatius in mundum invehit morum corruptionem, quam cum mundanis hominibus frequens conſuetudo. Hæ, inquies, urbanæ, & officioſæ ſunt converſationes; ſed in his converſationibus ſenſim, & ſine ſenſu deglutitur virus, quod occidit animam. Aſſertæ neceſſitates provinciam aliquam, ſtatum, familiam decenter ſuſtinendi cogunt, ut injuſtum ſuſcipiatur commercium, ut utraque manu hinc inde cumulentur opes, ut propriæ utilitati conſcientia ipſa ſacrificetur. Prætextus nominis, quo nuncuparis, magiſtratus, quem geris, fortunæ, quam tibi procuras, probat mundanos cœtus, ex quibus numquam niſi minus Chriſtianus egrederis. Profana ſpectacula, quibus numquam ſine peccato adſtas; alea, ubi jactura temporis reliquis deterior non eſt, vulgo mundanas ſocietates conſequuntur. Dici ne poteſt cum aliqua veri ſpecie, harum converſationum, & ſocietatum cauſam eſſe pietatem? E contra in illis, quam procul te abeſſe intelligis ab omni Religione, ab omni rectitudine, & ſæpe etiam ab æquitate naturali, omnique mere morali virtute? Poſt hæc dici poteſt, profanos cœtus, ſocietates mortalium, qui ſæculo ſerviunt, frequentari poſſe, quin adeas periculum amittendi omnes chriſtianas virtutes? *P. Croiſet in Aſceticis exercit.*

Optimum proculdubio, & maxime neceſſarium impiorum ſocietatem evitare, nam, ut inquit Scriptura, qui picem attrectat, inquinabitur ab ea; & qui cum ſuperbo communicat, ſuperbiam contrahet. Nullum cum peccatoribus commercium habendum eſt, niſi propter neceſſitatem, vel charitatem. Si illum ab erroribus revocare potes, operæ pretium eſt illum videre, ut illius converſionem procures. At videndus non eſt, ſi nullum ex eo ſperas fructum te percepturum; ſimulque ſi te infirmum noſcis, ut ab illo valeas corrumpi, tibi ſatis eſt Deum pro illius ſalute precari, quin te periculo obiicias pereundi frequentius cum eo converſando. Hoc maximæ neceſſitatis monitum eſt; & qui naturam bonam ſortiti ſunt, ſed ſpiritum facilem, numquam ſatis accurate eos poſſunt eligere, cum quibus conſueſcant. *Tourutun in anno Chriſtiano Tom. 8.*

Pravis ſocietatibus, tot ſunt ſeductiones, ut vix tentatione non ſuperari valeamus.

Nulla magis periculoſa tentatio eſt, quam illa pravarum ſocietatum. Fieri poteſt, ut cum primo in illam offenderis, Dei gratia ſuffultus non cedas; ſed cum in te ſitum ſit, illuc reverti, vix, & ne vix quidem fieri poteſt, ut tentatione, cui tot ſunt illicia, non ſuperaris. Cum ſermones irreligioſi, procaces, & impii etiam nonnunquam, fulciuntur exemplo, valde difficile eſt, ut cor ſatis proclive, & corruptioni paratum, non corrumpatur. In ſodalitatibus malis, relaxatio, tepor, pietatis defectus, impietas, & ſæpe etiam aliquid deterius ingrediuntur in animam, quæ non ſatis ſibi cavet, per oculos, & per aures; & licet ſanctus eſſes, ita ut miracula perpetrares, numquam certe inde niſi minus devotus pedem referes. Quot mortales damnationem ſuam acceptam referre debent pravis ſodalitatibus? Quæ altera cauſa eſt plerorumque malorum in adoleſcentibus? Quot lapſuum, quot miſerorum caſuum quotidie ſunt ſaltem occaſio! Omnia contagio plena ſunt. Homo, cui honoris, rectique ſenſus pars aliqua ſupereſt, nonne perhorreſcere deberet ſocietatem, in qua nemo eſt, quem contemnere deberet! Quod excidium non pariunt hæ religioſarum domorum peſtes, cum in ſanctiſſimas Communitates, quæ per ſe ſunt virtutis perfugium, obrepunt? Quomodo qui minus perfecti, ac regulares ſunt, iidem ſemper & audaciores ſunt, & impudentiores, & inſolentiores! Nihil intentatum prætermittunt, ut ſibi deliniant juniores, innocentes animas, quæ de inſidiis ſibi poſitis ultra non diffidunt. Illecebris, aſſentationibus, laudibus, munuſculis utuntur, ut pernicioſæ ſocietatis ſuæ numerus augeatur, & animas haſce in præceps deiiciant. Quam tumide ibi ſua dogmata jaciunt! Quomodo ferventium virtutem, ſuperiorum zelum, minutas irrident regulas, alios puerilitatis, alios inſcitiæ redarguentes, quod religioni ſibi vertant tot ſervare nugas, ſaluti, ut ipſi inquiunt, inutiles. Ibi regnant murmura, detractiones, maledicta. Mirum ne eſſe debet, ſi tot adoleſcentes pervertantur, antequam cognoſcere potuerint clandeſtinas artes harum perditarum animarum? *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Malæ ſocietates ſunt vulgatior ſcopulus virtutis.

Malæ ſocietates ſunt infamis ille ſcopulus, in quem virtus nonnumquam etiam melius confirmata, triſte facit naufragium. Hi ſunt emiſſarii hoſtis ſalutis noſtræ, qui ſexcentis artibus Dei ſervos ſeducunt, atque pervertunt. Pauci non incidunt in retia, quæ ab illis tenduntur, & nonniſi fuga periculum evitatur. Niſi inita cum pernicioſis hiſce amicis neceſſitudo infringitur; niſi quamprimum ab hiſce pravis ſodalitatibus receditur: nulla virtus tanta eſt, quæ ſeduci non poſſit. Profecto ſi amicus eligendus eſt, nonne is eſſe debet vir bonus, & virtutis in occaſionibus perſpectæ, atque exploratæ? Socius æquo licentior ſemper infeſtiſſimus nobis eſt inimicus; id ſocietatis genus numquam apud nos ſuſpicione carere debet. Facile eorum imitamur exempla, cum quibus conſueſcimus; & difficile eſt eludere tela, quæ in nos ab hominibus flagitioſæ vitæ conjiciuntur. Vitium ſemper plures refert triumphos, quam virtus, ſenſim creſcit, & bravi ad exceſſum evadit, quin ſentiatur. Pravum exemplum longe potentius eſt ad pervertendos

bonos, quam bonum ad convertendos peccatores. Mirum eſt, quod de pravis ſodalitatibus nemo diffidat, ex quibus nemo niſi minus innocens revertitur. Si conſilium capiendum eſt, ſi magni momenti ſecretum alicui committendum eſt, ſi in alicujus manu depoſitum collocandum eſt, ſemper vir probatæ virtutis eligitur. Num aliquis eligeretur eorum, qui adeo parum chriſtianam vivendi rationem ſequuntur? numquid ad tuarum compotationum, libidinumque ſocium confugeres? Cur flagitioſo homini credas, eique temet committas? Bona fide quæſo, ſincera amicitia, probitas, dicamus etiam, rectitudo, ſapientia regnantne in pravis ſocietatibus? Quinam eſt homo ſapiens, quem ſerius ocyus non pœniteat ſe illis interfuiſſe? Quot juvenes propter innocentiam, ſapientiam, & complures alias virtutes adeo in honore habiti, mox interierunt, quia pravos ſodales nacti ſunt? quot reprobi extremam calamitatem ſuam initæ cum neſariis hominibus neceſſitudini acceptam referre debent? Quot adoleſcentes in religioſis communitatibus alti, & educati, poſtquam primos annos traduxere in fervore, in tenera pietate, ita ut viderentur futuri aliquando pretioſiſſimum Ordinis ſui ornamentum, male periere, eo quod adhæſerunt mortalibus, a quibus neſaria dumtaxat recipiebant exempla? Dici jure poteſt, ſalutem quam ſæpiſſime ab amicorum electione pendere. *P. Croiſet, in Aſcetic. Exercit.*

Malæ ſocietates ſunt ſchola vitiorum; nemo impius eſt, qui non doceat quidquid hauſit impietatis, & nemo ex audientibus illum, non redit nequior. Dæmonum cœtus non eſſet adeo pertimeſcendus; nam eos, eorum dogmata, & exempla horreres, ſed in pravis ſodalitatibus neminem times. Scelus addiſcitur ridendo: ſpiritus corrumpitur, ut ita dicam, honore, & cor oblectatione. Omnia ibi contagium eſt, omnia venenum. Animæ, quæ ab omni crimine ſunt immunes, virus ebibunt. Si quid in mundo eſt, quod horrere debeamus, potiſſimum malorum ſocietas evitanda eſt. Æque celeriter, ac enormia quælibet flagitia fugienda ſunt; hæc enim illorum ſchola eſt. Mirum! Si quis imperfectus adeſt, ſi quis in communitate parum regularis, ut plurimum cum hoc juniores ineunt neceſſitudinem: ſeu quod imperfecti ad eos capiendos majori utantur dexteritate, ſeu quia eorum conſuetudo minus gravis, & majus adfert oblectamentum. Nullum igitur unquam niſi cum perfectioribus habeamus commercium; his tantum familiariter utamur. Eligamus ſemper eos, qui ſanctiores ſunt, & frugi, & ab aliorum ſocietate abhorreamus. *P. Croiſet in Aſcetic. Exercit.*

Licet converſationes ſuas habeant utilitates, ſæpe majorem afferunt perniciem, quam fructum.

Converſatio, & ſocietas, quæ in civili vita hominis bonum conſtituunt, non ſemper in ordine gratiæ chriſtiani felicitatem, atque ſanctitatem efficiunt. Id ſæpe, quod illum ad virtutis praxim impelleret, ſi æquum ejuſdem conceptum ſervaret, eumdem ab illa removet per ingratas imagines, quas illius vel recipit, vel tribuit. Sæpe id, quod vitii horrorem cieret, ſi illud ſibi ſecundum nativam deformitatem exhiberetur, magis magiſque cupiditatem irritat propter crudelem aſſentationem, turpemque indulgentiam eorum, cum quibus verſatur. Cum ita loquor, non dico omnes generatim fugiendas eſſe ſodalitates, ita ut receſſus, & ſilentium ſola ſint chriſtianæ innocentiæ perfugia, ſed ajo in humanis ſocietatibus plurimum eſſe metuendum, & neminem ſatis cautum eſſe poſſe in verbis, & in electione facienda eorum, cum quibus familiaritas inſtituenda eſt; ajo, non ſecus ac, dum ſævit lues, certum ſibi vitæ regimen proponendum eſt, & interdicendus uſus quorumdam amicorum, quorum deſiderio tenemur; ita ſibi quaſdam irrogandas eſſe regulas, ut in cœtibus ſociorum bene loquamur, & recedamus præſertim ab iis, qui ſub blanda oris ſpecie non niſi tabidum aerem exhalant, obvium quodlibet corrumpentem. *Sermones Morales.*

Tempore periculo ſe objicit, qui promiſcue cum omnibus converſatur.

Cave a proximo tuo, dicit Dominus apud Jeremiam cap. 9. & ne indiſcriminatim omnibus te credas: frater tuus ſupplantabit tibi, & ab illo, quem amicorum optimum arbitratus fueris, decipieris. Non dicit ille quidem, nullam in mundo habeas neceſſitudinem; conſanguineorum tuorum ſocietatem evita, quærens in ſolitudine aſylum, quod in ſæculi corruptione inveniri non poteſt. Non dicit hoc nobis Deus. Virtutem noſtram inter impios tueri poſſumus. Abraham ſartam tectam ſervavit ſuam cum populis incircumciſis. Joſue, & Moyſes, qui propter ſibi creditam provinciam in mundi luce vitam ducere debebant, nullum ſanctitatis detrimentum paſſi ſunt. Quid igitur ſibi vult Propheta? ne credas proximo tuo; rege verba tua, & ſi prohibere nequis, quominus alii tecum loquantur, prudenter ſecerne eos, cum quibus conſueſcas: *Habitatio tua in medio doli.* Jerem. 9. Vivis enim in centro verſutiæ, & corruptionis; lingua eorum, qui ad te propius accedunt, acuta ſagitta eſt, quæ, niſi tibimet proſpexeris, lethale vulnus infliget: *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Placentia proferunt verba, ſed hæc totidem tela ſunt, quibus te perdant: *In ore ſuo pacem cum amico loquitur, & occulte ponit ei inſidias. Ex Moralibus Sermonibus Tom. 3.*

Singulari opus eſt gratia, ne in ſæculi ſocietatibus amittamus innocentiam.

Eget anima virtute magna, & gratia peculiari, ut inter pericula, quæ paſſim in mundanis occurrunt converſationibus, ſuam tueatur integritatem: & vix, & ne vix quidem fieri poteſt, ne venenata verba mortalia vulnera infligant. In converſatione omnia loquuntur, corporis habitus, geſtus, obtutus, munuſcula, veſtes; omnia ſunt metuenda. Heu! S. Paulus redigit corpus ſuum in ſervitutem, & orat, ut liberetur de carcere mortali propter Angelum Sathanæ, a quo inter ſeveriſſimas etiam mortificationes torquetur. Anachoreta in deſerti ſui latebris totis artubus contremiſcit, & quamvis longis jejuniis carnem caſtiget, quamvis abſit a mundo, nequit fere importunam illius amovere imaginem, quæ menti illius hæret infixa; tu autem vis, ut quod ipſa inimici umbra ſollicitat, in te ejuſdem non agat præſentia? Putas te non moveri iis laudibus, quæ tibi deferuntur, obſequiis, quæ tibi præſtantur, blanditiis, & urbanis officiis, quæ tibi adhibentur? Quis tibi virtutem hanc contulit? Num tua conſcientia? verum noſti ejus corruptionem. An neſcis voluptatem emollire animam, licet ferream, æneamque, præſertim vero cum juniores aggreditur, qui eo cedunt facilius, quo acrior in illis vivit concupiſcentia, quæ in illis fallendis utitur ſuavitate, ac illecebra voluptatis, cujus illi nondum norunt pericula? Hoccine eſt initum a te conſilium numquam faciendi quodcumque honori, ac pudori poſſit officere? Illud quidem laude dignum eſt, ſed non ideo contentus eſt Deus, qui præter corporis puritatem cordis etiam munditiem requirit, qui docet eum, qui oculos conjecerit in mulierem ad concupiſcendum, jam lapſum eſſe in adulterium? Allatis rationibus adjici poteſt etiam, majus nonnumquam adeſſe periculum in omnibus hiſce converſationibus, præſertim vero ſexus diverſi, quæ honeſtæ videntur, quam in aliis. Magna peccata, inquit Tertullianus Tract. de Idol. cap. 11. primum quidem animam deterrent, & cum patet periculum, omni armamur virtute, ac vigilantia, ut reſiſtamus. At ſæpe in aliis occaſionibus, neque vigilamus, neque nobiſmet ipſis cavemus: ac inde fit, ut ſeu per ſuperbiam, ſeu per ſimplicitatem in periculo, quod amatur, pereamus. Si hæc ſuperbia eſt, meremur deſeri a Deo, permittente paſſim, ut mentis tumor peccatis carnalibus frangatur; ſin autem fragilitas, ut tandem propria agnoſcatur imprudentia, cum innoteſcat, nos ob noſtram infirmitatem labi. *Ex Moralibus Sermonibus, Tom. 3.*

Quæ, & quanta ſint pericula.

Nihil æque periculoſum eſt, ac hujuſmodi converſationes, & colloquia inter diverſi ſexus perſo-

nas.

cula in converſationibus utriuſque ſexus.

nas. Tunc enim, Tertullianus in Tract. de Idolol. cap. 11. ait, ultro citroque perflantur impuritatis ſcintillæ. ſive eadem foveantur ſtudia, ſive oppoſita, ſive ſimul conſentiant, ſive non conſentire ſimulent, quæ eſt ars etiam pernicioſior, ut ſtatim revertantur in gratiam, & validiores jungant neceſſitudines. *Nullum majus ſcandalum occurrit, quam ipſa virorum ac mulierum confuſio ... ubi inter ſe de commercio ſcintillas libidinum conſlabellant.* Tunc duæ ſeans diverſi perſonæ ſe ſe perdunt, ac objiciunt tentationibus, quibus plerumque uterque ſuperantur. Cum adoleſcentula verba fiunt, oris habitus, & ingenium celabratur: æquivoca jaciuntur vocabula, quæ licet æquivoca multa ſignificant. Tentatur, ut quam in partem pendeat, innoteſcat, & ſexcentis nutibus illi oſtenditur, quod palam dicere pudor vetat. Virgo hæc adeo verecunda, & ſapiens, noſſe incipit, ſibi aliquod præ aliis eſſe privilegium, & officia ſibi præſtita frigide excipiens, illis utitur tamquam argumentis, ut ſibi perſuadeat, egregia forma præcellere. Hinc illa oritur cura ſe ſe ornandi, ut placeat magis, atque in virorum cœtibus niteat. Hinc mundi muliebris, veſtiumque cura, ut habitus corporis magis commendetur. *Papillæ faſciolis comprimuntur, & criſpanti cingulo anguſtius pectus arctatur*; ait D. Hieron. *de vitanda ſuſpicioſae contubernii.* Hinc ſtudium calamiſtris caput ædificandi, cirratoſque crines in genas demittendi, quæ mala jam ab ipſo S. Hieronymi ævo in more erant poſita, qui videtur ex antri ſui latebris proſpexiſſe ea, quæ in Romanarum Matronarum cætibus accidebat; mala, quæ ſæculi noſtri nequitia eo proveait, ut converſationes ſint cum maximo periculo conjunctæ, & via ullis remediis valeant curari. *Ex Moralibus Sermonibus Tom. 3.*

Erudimini, genitores, vobis in Dei judicio aliquando reddendam eſſe rationem ejus licentiæ, quam filiis veſtris permittitis videndi, & adeundi quodlibet ſocietatum genus. Fateor equidem, vos non pati, adoleſcentulum huic domo efferre pedem niſi ſuis conſociatum conſanguineis: verum id ne diligenter inſpicitis, utrum hi conſanguinei ſpiritum mundi habeant, & utrum perículoſas neceſſitudines alant? S. Thereſia teſtatur, parum abfuiſſe, quominus interiret in ſocietate ſororis patruelis ſuæ, quam mater non poterat honeſta aditu domi ſuæ prohibere: vos autem non dubitatis credere filios veſtros alienigenis, quorum ne mores quidem vobis explorati ſunt. Eos cognatis veſtris credere vitio vertendum non eſt; ſed ſi cognati hujuſmodi mundo ſerviunt, ſi conjugio juncti ſunt, ſibi religioni minime vertent ſocietatibus intereſſe, illuc adoleſcentulam adducent, ubi id addiſcet, quod ignorabat adhuc, & ſi hæc moveri non poterit, illos non ambiguis indiciis emotos eſſe liquebit. Illa autem reverſa aperiet ne vobis pravas cogitationes, quibus agitatur! Fatebitur ne conſuetudinem initam cum adoleſcentibus blandis, officioſis, & qui in ſpeciem ſaltem ipſam colere videbantur, inflammaſſe cor ſuum, eique lethale vulnus inflixiſſe? Parentes puellarum tutores, quibus illæ objicientur periculis, niſi vos neceſſarias aſſumpſeritis curas illas concomitandi? niſi infinita uſi fueritis vigilantia, ut illas ab iis laqueis expediatis, quæ ubicumque earum pudicitiæ parantur? Quæ autem rationes vobis reddendæ non erunt, ſi hac in re defeceritis, & illæ perierint! *Ex Moralibus Sermonibus, & Recentiore.*

Corporis ſolitudo non eſt omnino neceſſaria ad ſuccendam in neceſſitatem, ſed illa mentis latentem ſequitur.

Quamvis corporis ſolitudo admodum placeat Deo; quamvis aliquot dierum receſſus, ubi fieri poſſit, ſit Chriſtiano neceſſarius, ut ſe colligat poſt mentis evagationem, in quam frequentes ſocietates, & mundi conſuetudo illam conjiciunt; tamen præcipua ſolitudo, quam ab illius fidelitate exigit Deus, illa eſt cordis, & ſpiritus. Solus erit, niſi temere in omnium ſocietatum genus ſe ingeſſerit; ſi in mundo a mundi corruptione ſe præſervaverit; niſi aſſentatoribus, tamquam infeſtiſſimis hoſtibus fidem habuerit; ſi quidquid affectationem, & aliis placendi ſtudium redolet, illi diſplicuerit, ſi ſibimet caverit contra fucata mortalium officia, & ſimulata obſequia, quæ ſibi adhibentur. Solus erit, ſi lingua JESU CHRISTO ſacra nihil niſi rectum, ſincerumque protulerit; ſi eadem abuſus non fuerit ad temere effutiendum, quidquid in buccam venerit de dictis, aut factis proximi ſui. Etenim in mundi converſationibus non ſolum adulationibus, cenſuris, detractionibus locus eſt; non ſolum quærunt homines lepide, ac feſtive aliis placere, ſed dummodo riſum excitant ſibi, non cuiquam parcunt amico, & ſi illis deeſt juſtitia, & ſinceritas, in his humilitas, & charitas deſideratur. Adeo verum eſt, in mundi converſationibus omnia eſſe plena periculis. *Ex Moralibus Sermonibus, Tom. 3.*

Quomodo cum mundo in converſari valeamus, quin lædamus Deum.

Contentio in familiaribus converſationibus injucunda eſt, cum nimis procedit, plerumque omnia cedunt in vagas quæſtiones, quæ nullius ſunt utilitatis. Si quando diſputandum eſt, ſententia cuique ſua proponenda eſt extra acrimoniam, & acerbitatem. Si corripis, hoc ſuaviter faciendum eſt, & cum mones, nemo tibi eſt lædendus. In omnibus vitæ actionibus, ratio debet ſemper dominari, non autem animi perturbatio. Simili ratione in converſatione, neque odium, neque ſimultas aliqua præſeferenda eſt, neque permittendum, ut aliquod infirmitatis, aut cupiditatis indicium, vel alius quippiam inordinatus motus excidat nobis. Operæ pretium eſſet numquam habere ſermonem, niſi de rebus piis, vel ex Bibliis deſumptis, quæ opem nobis præbere poſſunt, ut ſanctiorem vitam vivamus, & in cordibus noſtris virtutis accendere deſideria. Verum hæc omnia cum modo, ac methodo facienda ſunt. Sermo nimis prolixus tædium affert, & avertit animos eorum, qui audiunt; & mœrore conficimur, cum ea, quæ dicimus, ut placeamus, non æquis auribus excipiuntur. Ubi momenti alicujus quæſtiones proponere volueris, & de fide, exempli gratia, continentia, juſtitia diſceptare, tempus opportunum tibi eligendum eſt, & cave; ne aliis te præbeas incommodum, imprudenter de rebus magnis ſermones inſtituendo. Nil magis fatigat, ac faſtidium creat, quam ſermones hujuſmodi, cum nimis producuntur, vel cum inurbane præciduntur. Modus ſenſus proprios exprimendi purus ſit, & ſimplex ſine fuco, & arte. Dictio plena ſit ſuavitate, non affectata, & honeſta gravitas dictis pondus adjungat. *Ex Officiis S. Ambroſii.*

Si in ſocietatibus, quibus ſæpe intereſſe conſuevimus, cor noſtrum mutatur erga amicos, qui erga nos mutati ſunt, numquid mutatio noſtra nobis vitio vertenda eſt? Hæ inconſtantiæ, de quibus conqueruntur, quaſi in amicitia ſimus inconſtantes, tantum abeſt, quod vitio tribuendæ ſint, ut e contra habendæ ſint veluti effectus rationis, quæ nos illuminat, quæ, modo cupiditate excæcati non ſimus, quamprimum prodit injuſtitiam, qua cor noſtrum iis devovimus creaturis, quibus non erant neceſſaria merita, ut amore noſtro digna exiſtimarentur. *Auctor recens.*

Terga mundo vertere tenemur, ſi volumus ſalvari.

Conſilium cape æternum faciendi divortium cum periculoſis ſocietatibus, eaſque tanquam irreconciliabiles hoſtes, & Dæmonis, qui ſæculi Princeps eſt, emiſſarios fugiendi. Omnia rejice dogmata, quæ Evangelicis adverſentur. Prava exempla, & ſcandala, quæ tibi ab illis præbentur, evita: *Proclivis eſt malorum imitatio*, S. Hieronymus inquit contra Jovi. lib. 2. *& quorum virtutes aſſequi nequeas, facile imitaris vitia.* Fuge præſertim peccandi occaſiones, quæ in converſatione cum impiis ſunt nimium frequentes: *Nullus enim diu tutus eſt, periculo proximus. Idem ad Pammach.*

Quid reſpondebitis, cum prodeuntibus ad Salvatoris Tribunal, hic vobis tot inutiles, periculoſas,

& noxias exprobrabit viſitationes, quas obiiſtis inordinatis affectibus veſtris ſatis facturi, tot repulſas, quas tuliſtis, ut vobiſmet aditum aperiretis in illas domos, quarum ſexcenti obices aditum vobis præcludebant; tot artes, quas adhibuiſtis, ut viam vobis faceretis per turbam importunam, quæ prohibebat, ne ad ſummos viros accederetis? Vobis patebant xenodochia, dicetur vobis, ego vos præſtolabar in perſona tot miſerorum, qui ope veſtra indigebant. Hoc veſtræ charitatis monumentum iis remuneratus fuiſſem conſolationibus, quæ effeciſſent, ut in hoc pietatis officio majorem nanciſceremini jucunditatem, quam in ſuaviſſimis terrarum deliciis, ſed ne gradum quidem movere dignati eſtis, ut me quæreretis. Quid adeo juſtis objurgationibus reſpondebitis? Quo confugiet peccator, cum Deus inter has exprobrationes nequaquam ſubſiſtens efficiet, ut ille agnoſcat, ſentiat, manu attrectet, ſcrutetur, omnem ſtupiditatis ſuæ magnitudinem, profunditatem, atque nequitiam. *Abbas du Jarry.*

Pravæ ſocietates ea facilitate corrumpunt animas, qua peſtis corpora.

Societates pravæ malum eſt adeo contagioſum, ut difficillimum ſit nobiſmet ab illius contagione cavere. Illi etiam, qui ſanctiorem vitam ducunt, hac in re, non ſecus ac alii timere debent; facile enim in ſenſus, ſtudia, & affectiones illorum migramus, cum quibus conſuevimus. Quamobrem paſſim nos admonet Spiritus Sanctus in Scripturis, ut improborum hominum ſocietatem fugiamus, ne nobis fiant lapſus occaſio. *Noli eſſe amicus homini iracundo: neque ambules cum viro furioſo: ne forte diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ.* Proverb. 22. Pravi ſermones, qui habentur in cœtibus, dogmata licentiæ, quæ ibi venditantur, quamprimum jugulant ſenſum pietatis, quem ſancta educatio fortaſſe inſpiravit, & nonnumquam eo uſque proceditur, ut pudeat videre alios ſe ipſis nequiores. *Chriſtianæ conſiderationes.*

Nihilne vobis timendum eſt ab iis, cum quibus crebro verſamini? ſi malo ſunt ingenio, moribuſque pravis unica ratio voſmet a contagione perſeverandi fuga eſt. Sæpe vincitur, qui ſibi nihil timendum eſſe putat. Ne confidas in virtute, conſiliiſque tuis. Non diu reſiſtent pravis exemplis, quæ ſibi in id genus ſocietatibus paſſim occurrent. Primum quidem fortaſſe reſiſtes, ſed paulatim aſſueſces ſermoni infelicium horum amicorum: amor, indulgentia, neceſſitudo cum illis inita efficiet tandem, ut ipſa etiam illorum crimina probes, quæ antea horrorem injecerant tibi: idem accidit, ac popularibus morbis, ſi ſenſim, & ſine ſenſu ſola aeris tabeſcentis reciprocatione contrahuntur. Ita ſerius, ocyus, qui cum impiis verſatur, fit impius, quamvis re adhuc integra ne ſentiat quidem. Sæpe libidinoſi alicujus hominis ſermo, in quem fortuito incidiſti, ſatis eſt, ut maculam offundat probatiſſimæ continentiæ, & charo emitur pretio voluptas ex ſocietate mortalium hujuſmodi percepta. Quantumvis modicus tibi ſit ſalutis tuæ zelus, vitandus tibi eſt vel ipſe adſpectus eorum, quorum converſatio tibi poteſt officere. Ne dicas igitur iterum, te hominum ſermonibus non moveri; te eſſe extra jactum telorum ſuorum veneno imbutorum: vulgatiſſimum illud eſt, ac ſæpius a Patribus repetitum: non es fortior Samſone, David, aut Salomone, &c. *Ibidem.*

Neceſſitas pravas fugiendi ſocietates fulcitur præcepto, quo teneris fugere ſcandalum, & peccandi occaſionem. Si pertinax turbam ſequeris, illiceris ab iis, qui alios ſolent in errorem pellicere. Poſita neceſſitate cum illis verſandi, non abnuo, te propius illorum veſtigare principia, & ſi fieri poteſt, ſecretiores cordis eorum latebras rimari; certus enim ſum eos tibi magiſtri loco futuros in iis, quæ a te cogitanda fuerint, dicenda, atque facienda. Quam primum enim agnoſces inſanam eorum libidinem, contemnendam levitatem, graviſſima præjudicia. Ad id enim ſatis eſt eos videre, & audire; verum de hoc non agitur. Teneris pravum eorum evitare contubernium, & familiaritatem, licet de illis optime ſentias. *Ex ſermonibus P. de la Peſſe, Tom. 3.*

SOLA.

S O L A T I A.

LUDI LICITI, ILLICITIQUE.

Solatia honeſta, & inordinata, &c.

M O N I T U M.

CUm concionatoris hoc ſibi proponentis argumentum finis non ſit auditores ſuos ad quodvis ſolatii genus evitandum impellere, neque inde omnes cuilibet mortalium generi, quolibet tempore, & quibuslibet in occaſionibus interdicere, ſatis erit eam rerum ſupellectilem afferre, quæ ſufficiat, ut a noxiis, & periculoſis ſolatiis homines deterreantur, utque Chriſtiani excitentur ad illis dumtaxat utendum, qui honeſti ſunt, atque permiſſi. Abſtinebimus itaque ab omni argumenti hujus exaggeratione, quæ non paucis nimium ſeveris auctoribus placuit; verum non ideo diſſimulabimus æquiſſimos, probatiſſimoſque ſenſus eorum, qui juſto acti zelo ſæculi in hac re licentiam compeſcere conati ſunt.

Operæ pretium eſt hic animadvertere, e re judicatum fuiſſe argumentum hoc ab aliis ſejungere, cum quibus plurimum habet rationis, & nexus, & de quibus ſingillatim agendum eſt; cujus generis ſunt mundi voluptates, effuſæ flagitioſorum libidines, mollis eorum vita, qui oblectamentis tantummodo vacant, *quod non prohibet tamen, quominus concionatori hæc ſimul liceat permiſcere. Sed rerum me coegit copia, ut hæc argumenta diſpeſcerem; neque dubitandi locus eſſe poteſt, quominus ſermo eo magis abſolutus futurus ſit, quo magis ad particularia coarctabitur argumenta.*

Quod autem ad hoc pertinet, ubi de ſolatiis generatim agendum proponimus, quin ad particularia ſpectacula, choreas, comœdias, ſaltationes &c. deſcendamus, & quæ ſingula in hoc opere ſuum locum invenient, de ludo tantum verba faciemus, quæ vulgatiſſima eſt temporis fallendi ratio, in quam conſuetudo plurimos abuſus invexit, & quæ gravioribus malis eſt obnoxia. Potiſſimum vero in alea immorabimur, contra quam vehementius invehi fas eſt. Attamen æquum non eſt, quod concionator zelo ſuo ita ſe rapi ſinat, ut decernat, cenſoria nota caſtiget, & nimis facile damnet, nulla habita perſonarum, ætatum, conditionum, urbanitatis ratione, quin illud diſtinguat, quod rare fit, & per occaſionem ab eo, quod per habitum, & quotidie fieri conſuevit.

P A R A G R A P H U S P R I M U S.

Multiplex ſermonum hujus argumenti ſynopſis.

I. SOlatia, ex D. Thomæ ſententia, remedia ſunt, quæ non ſine quadam indulgentiæ ſpecie infirmitati noſtræ conceſſit Deus; cum enim ſpiritus par minime ſit jugi attentioni, neque corpus labori nimis diuturno, atque violento, neceſſario utrique remiſſio, & requies aliqua permittenda eſt, ut abſumptæ reparentur vires, & deinceps corpus impenſius agere valeat. Comparatio a Sancto hoc Doctore remedia inter, & ſolatia inſtituta nobis indigitat, quænam regulæ in ſolatiorum uſu ſervandæ ſint. 1. Remedia non decet eſſe nocua; 2. non decet eſſe periculoſa; 3. non decet eſſe vel nimis frequentia, vel aſſidua. Similiter ſolatia noxia eſſe non debent, qualia ſunt, quæ culpa non vacant, a quibus omnino abſtinendum eſt: non debent eſſe ſaluti periculoſa, cujus generis plurima ſunt, quæ ſibi mundus licere putat, & quæ hac una de cauſa damnanda ſunt: denique neque immodica, neque aſſidua debent eſſe. Hæc eſt juſtæ concionis diviſio.

Punctum primum. Remedia valetudini nocua eſſe non debent, alioquin non ſunt amplius remedia, ſed mera venena, & lethale vulnus inferrent, non vitæ incolumitati proficerent. Solatia pariter ſaluti non debent officere, ideoque nihil in illis ineſſe debet criminis, & culpæ; alioquin omnino ſiunt contraria fini, quem nobiſmet proponere debemus, cum eligimus illa. Hic enumeratio poteſt inſtitui noxiorum ſolatiorum, qualia ſunt detrectationes, ubi alienis ſumptibus oblectatio perquiritur, liberæ converſationes, impiorum, vel ad impietatem viam aperientium, librorum lectura, aculeatæ irriſiones, quæ proximum vertunt in ludibrium, quin loquamur de inhoneſtis voluptatibus, deque cruentis, & inhumanis ſpectaculis, &c. Etenim ſenſus, ac rationis compotem eſſe hoc eſt id velut ſolatium amplecti, quod eſſe poteſt æternæ pœnitentiæ argumentum.

Punctum alterum. Remedia eſſe non debent periculoſa; numquam in diſcrimen adducitur vita, ut corporis valetudo reparetur; & qui ſanæ mentis eſt, numquam remedium haurit, in quo non deeſſe periculum intelligat; tunc vero potiſſimum, cum nulla cogit ratio, cum integrum eſt hoc potius, quam illud optare pharmacum, quod ſibi nequaquam officere poſſe cognoſcit. Hoc ipſum in ſolatiis agendum. Cum Providentia non unius generis nobis ſolatia ſuppeditaverit, eumque inter ea, quæ cordis noſtri corruptio periculoſa effecit virus illis immiſcens, non deſunt multa, quæ omni prorſus culpa vacant: chriſtianæ intereſt prudentiæ cane pejus & angue evitare illa, quæ nobis poſſunt obeſſe. Quænam vero ſunt periculoſa hæc ſolatia? Satis eſſet illa ex propria, vel ſaltem ex aliena experientia cognoſcere. Hæc illa ſunt, quæ ſemper ſecum ſecretum afferunt virus, quod ſenſim, & ſine ſenſu in cor infunditur, & quæ ſerius ocyus animabus integerrimis, & innocuis mortis vulnus infligunt.

Punctum tertium. Remedia neque nimis frequentia debent eſſe, neque nimis aſſidua. Ceſſant eſſe remedia, cum nimis frequenter hauriuntur, &

nullum fere in corpore effectum obtinent, ex quo hoc illis aſſuetum eſt; immo ſi in uſu communi quædam prætteritur quantitas, funeſta fiunt, ac lethalia. Similiter de ſolatiis dicendum eſt: quantumvis in ſeipſis innocua ſint, & legitima, cum modo tamen capienda ſunt, & culpa vacare non poſſunt, ubi vel modus exceditur, vel illis nimium temporis ſpatium impenditur. Solatia inſtituta ſunt ad corpus recreandum, & ſpiritui requiem aliquam permittendam; ideoque illa in continuam occupationem, jugemque exercitationem tranſire non debent, & illis tantum permitti jure debent, qui laboribus defatigati hac indigent recreatione. Tot autem juvenes, qui nihil terunt, ac difficile conantur, indigentne laboris remiſſione aliqua, vel ſolatio? cautari ne poſſunt aſſiduam vigilantiam, laborem, curam, ut illud probent ſpatium temporis, quod in ludis, aliiſque ſolatiis inſumunt? &c.

II. 1. Solatia inventa ſunt, ut munus noſtrum facilius obire valeamus recreando ſpiritum nimis diuturna, ac violenta applicatione fatigatum; ſed accidit, ut plerique ſeſe illis ita mancipent, ac inhæreant, ut alteri cuilibet curæ ſe impares præbeant.

2. Solatia quærimus, ut ſtatus munerîſque noſtri labores mulceamus, quæ vera eſt via illos magis ferendos efficiendi; ſed illa ut plurimum prohibent, ne his vacemus, quia hos derelinquimus, ut inertem vitam ducamus, de alea tantum, ludiſque ſolliciti. Hoc in omnibus ſtatibus omnibuſque hominum conditionibus videtur.

III. 1. Chriſtianus abhorrere debet ab omnibus ſolatiis prophanis, mundanis, noxiis, & periculoſis. Hoc ille ſe facturum per baptiſmum recepit, hoc illi conſcientia ſua, & chriſtianæ religionis, quam amplexus eſt, lex ipſi præſcribit.

2. Sanctificare debet ſolatia ſua, quæ per ſe nullo in diſcrimine ſunt, per bonam intentionem, eadem capiens tamquam remedia, quibus indiget, & animo per illa novam acquirendi vim, qua omnibus ſtatus ſui defungi valeat officiis.

IV. Ludus, aliaque ſolatia, licet honeſta, moderanda ſunt, neque aliæ æquiores adhibendæ ſunt regulæ, quam quæ deſumuntur ex neceſſitate, urbanitate, & charitate, quæ tempus in illis impendendum debent determinare.

1. Neceſſitas, quæ legum omnium prima eſt, vult poſt motum, laborem, ærumnas, morboſque aliquod ſolatium ſumi; & pietas nimium eſſet auſtera, ſi illud negaret ſpiritui laboribus, vigiliiſque confecto, & corpori plurimis infirmitatibus obnoxio. Periculum vero eſt, ne pertinaci ludorum amore neceſſitatis terminos prætergrediatis.

2. Urbanitas, quæ lex eſt ſociabilis mundi, exigit, ut aliquid conferas honeſto ſolatio eorum, in quorum ſocietate vel ex officio, vel ex neceſſitate verſaris. Sed in ipſis etiam ſolatiis, id ſervandum, quod decet.

3. Charitas ibi exerceri poteſt, & debet, cavendo ne aliquem lædas, & omnibus bonum præbeas exemplum.

V. Cum ſolatia non aliud ſint, quam remedia ad homines recreandos inventa, inde tria poſſunt inferri, quæ totidem erunt regulæ, ſecundum quas iiſdem bene uti valeamus.

1. Solatia per ſe nec ſumenda eſſe, nec conquirenda; ſed ſicut remedia propter valetudinem tuendam, vel reſarciendam inventa ſunt, ita ſolatia ſumenda ſunt, ut corporis, animique vires reparentur; & hac mente illa præ cæteris eligenda ſunt, quæ ad id aptiora videntur.

2. Illis moderate utendum eſt; pharmaca non adhibentur tamquam eſca vulgaris, ſed caute, & ex mera neceſſitate potantur.

3. Illa præ cæteris eligenda ſunt, quæ maxime ſunt innocua, hoc eſt minus violenta, minuſque periculoſa; ſimiliter non omnia ſolatia promiſcue adhibenda ſunt, ſed illa anteferenda, quæ mentem noſtram minus valeant diſſipare, vel quæ ad nullum nos poſſint vitium impellere.

VI. Ludus ex eorum ſolatiorum numero eſt, quæ regi poſſunt. Verum eſt propter abuſum, qui hodierna die paſſim inolevit, paucos eſſe, qui hac in re ſe intra juſtos cancellos contineant, & multo facilius eſſe ab illo prorſus abſtinere, quam eum, qui decet, modum ſervare. Hæ autem regulæ ſervandæ ſunt, ne Deus lædatur, & ut ludus nobis innocuum ſolatium fiat.

1. Nemo ſibi fas eſſe putet, alea ludere, aliiſque fortunæ ludis, qui civilibus, eccleſiaſticiſque legibus prohibiti ſunt: deinceps afferentur rationes, & auctoritates.

2. Ludus, quantumvis licitus, & honeſtus, migrare non debet in occupationem diei totius, neque in eo inſigne temporis ſpatium inſumendum eſt. Ita illi, qui meliorem noctium partem ludendo terunt, ſibi perſuadere debent, non minus conſcientiam, quam valetudinem ſuam periclitari. Qui ita abutitur ludo, directe contra finem agit, propter quem ille inſtitutus eſt.

3. Nemo ſeſe objicere debet periculo ingentem auri vim amittendi: ludus non debet eſſe negotiatio, ſed ſolatium; eademque de cauſa minus ludendum eſt, ut quæſtus fiat, quam ut honeſte animus relaxetur. Numquid fas eſt periculum ſubire familiam gravi aliquo incommodo afficiendi, ut huic ludendi libidini ſatis fiat.

VII. Conditiones in ludis ſervandæ, ut inde innocens capiatur oblectatio, quin ulla vel Deo, vel conſcientiæ injuria afferatur.

1. Ludus non debet eſſe impedimentum, quominus noſtris muneribus perfungamur, ſive illis, quæ ſtatus noſtri propria ſunt, ſeu illis, quæ cum omnibus fidelibus ſunt nobis communia. Hoc tamen vulgo accidit, & non extremum eſt ludi malum.

2. Ludendum non eſt nimia aviditate, neque iis etiam ludis, qui honeſtiſſimi habentur: hæc enim aviditas ſignificat paſſionem, vel ſaltem hanc gignit; & ex quo ludus in paſſionem migrat, non eſt ſimplex ſolatium, ſed brevi funeſtum etiam eſt.

3. Ludus non debet eſſe occaſio juramenti, vel furoris, quod accidit illis, qui de magna auri vi ludunt, & amittunt illam; ideoque illi, qui in malum hoc labi conſueverunt, cum ludunt, citra crimen ludum incipere nequeunt.

VIII. 1. Ludus majus eſt malum, quam vulgo exiſtimetur. 2. Quamvis in vita, quæ in ludis inſumitur, nil aliud mali inveniretur, quam otium, & inutilitas, hoc ſatis eſſe debet, ut damnetur, utque oſtendatur, quam longe hoc vivendi genus abhorreat ab illo, quod fideli amplectendum eſt.

Pro parte priori recenſenda ſunt mala, quæ naſcuntur ex ludo. 1. Ex propenſione oritur cupiditas, ex cupiditate habitus, ex habitu amor, qui æque periculoſus eſt, ac amor terrenorum bonorum, aliarumque voluptatum. 2. Ibi regnat injuſtitia, aſtus, & fraudes adhibentur, atque injuſtitiæ, quæ ad reſtitutionem obligant. 3. Occaſio furoris eſt, juramentorum, blaſphemiarum, litium, contentionum &c. 4. Ratio reddenda eſt temporis, cujus ibi jactura fit, ac inevitabilium officiorum, quæ negliguntur. 5. Ibi patrimonia prodiguntur, dum interim luget uxor, gemunt filii, ac neceſſarium illis etiam fortaſſe ſubtrahitur, ut crudeli frugalitate parcatur auro in alea abſumendo. 6. Denique ludus cauſa eſt, propter quam familiæ ruunt in deterius, nec non aliorum eſt cauſa malorum, quæ eiſdem accidunt.

Pro parte altera: conſtat, ludentium vitam otioſam eſſe, & aleatores reipublicæ inutiles eſſe, nomine tenus Chriſtianos, qui nullo, uti opus eſt, religionis munere perfunguntur &c.

IX. Oſtendi poteſt, ludum generatim eſſe fugiendum.

1. Quia fovet, ac nutrit otium, quemadmodum videmus in tot hominibus, qui id unum quærunt, quomodo tempus terant, & quorum unicum negotium ludus eſt.

2. Quia ludus excitat vitia magis nefaria, iram, ultionem, avaritiam.

3. Quia

3. Quia eſt occaſio plurimorum, graviumque criminum, juramentorum, plaſphemiarum, fraudum &c.

X. In ludo tria amittuntur, quæ nemo non novit, & quæ numquam fortaſſe ſerio cogitavit.

Primum tempus eſt. Hoc illis accidit, qui toti ludo vacant, vel qui hoc ſuum præcipuum negotium putant. Liquet magnum eſſe temporis pretium, ejuſque interitum reparari non poſſe; verum non ſatis attenditur, quantum temporis ludus auferat, & quam male in hac inerti, ineptaque occupatione tempus inſumatur.

Alterum eſt: pecunia amittitur, ac res domeſtica atteritur, cujus rei non aliud sequitur argumentum, quam experientia; ne unus quidem agnoſcitur, qui locuples factus fuerit, plurimi vero qui ære alieno obruti ſunt, & florentiſſimæ quædam familiæ per aleam ad nihilum redactæ ſunt.

Tertium eſt conſcientia propter crimina, quæ ibi patrantur, & quorum ludus cauſa eſt, vel occaſio.

XI. Ut ludus ſit innocens, tria ſervanda ſunt.

1. Intentio, qua luditur; ludus enim nonniſi propter ſolatium, non autem propter quæſtum licet; hoc enim eſſet ludi finem invertere, ac pervertere uſum, qui eſt reparandi animi, corporiſque vires, ut deinde impenſius labori vacetur.

2. Tempus, quod in ludo inſumitur: quippe hic inordinatus eſt, ubi nimium temporis impenditur; quod illi faciunt, qui dies, noctesque in alea traducunt.

3. Pecunia, de qua luditur; non enim licet ſe ſe objicere periculo inſignem faciendi jacturam, quæ familiæ incommodum afferat; cum aurum expendendum eſſet, ut alienum æs diſſolveretur, atque ex bonorum ſuperfluo eleemoſynæ erogarentur.

XII. In ludo paſſim tria magna crimina committuntur, propter quæ illum evitare tenemur.

Primum avaritia eſt; etenim deſiderio, & ſpe lucri potius, quam propter animi remiſſionem luditur.

Alterum eſt impietas, propter eccleſiaſticorum decretorum contemptum, & juramenta, quæ proferuntur.

Tertium eſt ſcandalum, & malum, quod præbetur, exemplum.

XIII. Inter ludos, & alia ſolatia multa ſunt periculoſa, plura adhuc noxia, pauciſſima licita. Prima metuenda ſunt, ſecunda fugienda, poſtremis cum modo utendum. In hujuſmodi occaſionibus nobis potiſſimum opus eſt pietate, juſtitia, ac temperantia.

Pietate, ne pericuLoſa eligamus.

Juſtitia, ut omnino ea, quæ noxia ſunt, deſeramus.

Temperantia, ut cum ſobrietate, ac ſine amore utamur illis, quæ licita ſunt. *Pie, juſte, ſobrie vivamus in hoc ſæculo. Ex Dictionario Morali in conſiderationibus de Bacchanalibus.*

XIV. Cum ludus iu fine ſuo honeſtum ſit ſolatium, & in forma contractus, qui fit inter luſores, nullus idcirco ludus eſt, qui duplici hac virtute regendus non ſit, temperantia, atque juſtitia. Temperantia quidem regere debet ludum quatenus voluptatem; juſtitia vero quatenus contractum. Oſtendi autem poteſt in praxi nullum ferme ludum eſſe, in quo vel intemperantia, hoc eſt exceſſus, vel injuſtitia non dominentur; quæ duæ eſſe poſſunt partes concionis. *Ex manuſcripto ſermone, cujus Pater de la Rue auctor fuiſſe creditur.*

XV. Ludi exceſſus nequit attolli aliquo ſupernaturali fine, nec probari ulla naturalis honeſtatis cauſa, neque ulla neceſſitatis ratione tolerari; qui tres ſunt prætextus, qui ad illum excuſandum afferuntur. 1. Dicunt alii, ſe propter conſcientiam ludere ad majus malum evitandum: 2. alii propter urbanitatem, ac ſocietatem: 3. alii propter neceſſitatem, & quoddam officii genus inhærentis quibuſdam vitæ ſtatibus, qui non aliam habere videntur occupationem. Tres hæ rationes refelli poſſunt totidem partibus concionis. *Idem.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſita argumenta pertractanda.

Sanctus Cyprianus tractatum habet de *Aleatoribus*, ſive hoc opus ab hoc ſancto Præſule, ſeu ab alio quovis auctore fuerit conſcriptum, ibi tamquam in ſpeculo videntur mala, quæ alea parit. Sancti Patres.

S. Auguſtinus, vel auctor ſermonis 56. *de tempore* contra aleam invehitur, eamque damnat omnino.

S. Chryſoſtomus *Orat. de muliere, & pulchrit.* ſatis prolixam habet honeſtarum, licitarumque oblectationum enumerationem.

S. Ambroſius *libro 1. Offic.* præcepta quædam tradit pro ſolatiorum licitorum, ac neceſſariorum uſu.

S. Bernardinus Senenſis tomo 2. cap. 26. contra aleam acriter invehitur, nihilque vehementius dici poteſt.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus oſtendit, aleatores vulgo omnia religionis officia negligere, in parte 2. tom. 1. cap. 23. § 6.

Sancti Patres, qui declamarunt, vel ſcripſerunt contra ludos, & oblectamenta ævi ſui, immorati ſunt in ſpectaculis, choreis, conviviis, in quibus maxima committebantur flagitia, uti Tertullianus, Arnobius, Lactantius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, S. Gregorius, S. Eucherius, S. Chryſoſtomus, aliique, quorum inſigniores locos indicabimus, vel etiam proferemus titulo de ſpectaculis.

S. Franciſcus Saleſius ſuam adfert ſententiam de ludis, aliiſque oblectationibus libro de introductione ad vitam devotam, parte 3. cap. 32. Aſcetici, aliique.

Cambolas in libro, cui titulus: *Vitæ chriſtianæ exemplar*, peculiarem habet tractatum de ſolatiis ſecundum chriſtianæ religionis ſpiritum inſtituendis.

P. Suffren tomo 2. Anni Chriſtiani cap. 9. ſatis amplum habet tractatum de ludis, ſolatiis, aliiſque oblectamentis.

Toſtatus quæſt. 55. in cap. 6. S. Matthæi loquitur de malis, quæ parit alea.

P. Corderius *in Familia ſancta* cap. 11. hoc tractat argumentum, & loquitur de quavis ſolatii ſpecie generatim.

Dominus du Tremblai integrum edidit hujus argumenti librum: *Moralia de ludis, & ſolatiis colloquia*, ubi nihil prætermiſſum eſt.

Thiers Curatus *de Champrond* librum edidit hujus argumenti, quem inſcripſit: Tractatus de ludis, & ſolatiis, quæ Chriſtianis vel permittenda, vel prohibenda ſunt ſecundum eccleſiæ regulas, ac Sauctorum Patrum ſententias.

Barbeiracius de ludo tractatum conſcripſit, ubi de eodem ſermonem facere inſtituit ſecundum vera diſciplinæ moralis principia a nimia relaxatione, nimiaque ſeveritate æque recedens.

P. Croiſet tomo primo Chriſtianarum conſiderationum fuſius agit de bacchanalium ſolatiis, & ludis.

Liber, qui inſcribitur: *La Conduite du ſage dans les differens etats de la vie*, peculiari capite loquitur de eo modo, quo ſapiens in ipſis ſe gerit ſolatiis.

P. Petrus le Moine in libro de facili pietate c. 4. oſtendit pietate nequaquam proſcribi honeſta ſolatia, & capitibus ſequentibus oſtendit, quænam eorum eſſe debeant conditiones.

P. Heliodorus Pariſienſis Capuccinus Auctor ſermonum de vulgatioribus mundi hujus flagitiis, ſermone undecimo loquitur de malis, quæ accidunt in ludo.

P. Nepveu in libro cui titulus, *Conduite Chre-*

Chretienne cap. 8. loquitur de uſu voluptatum, & ſolatiorum.

Petrarcha *Dialog. 27. de remed. fortunæ* invehitur contra aleatores, ac videtur hos mortalium omnium nequiſſimos judicare.

Concionatores.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta, de ludo unum habet, & alterum de bacchanalium ſolatiis.

In ſermonibus moralibus unum de ludo reperies.

Qui collectiones ediderunt.

Qui de bacchanalium flagitiis egere, plurima hujus argumenti attigerunt.

Buſæus, Peraldus, Lohner, Mauſi, Betchorius.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Bibliorum huic argumento.

SEdit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Exod. 32.

Non ſedi in concilio ludentium. Jerem. capite decimo quinto.

Nunquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. Tob. 3.

Exultent juſti in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia. Pſalm. 67.

Gaudete in Domino ſemper: iterum dico, gaudete, modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Ad Philipp. 4.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſumpta.

Exemplum Iſraelitarum aureum vitulum adorantium.

NUlla res melius oſtendit, quam pernicioſus ſit ludus, & ſolatium, niſi ad honeſtum finem referatur, quam Iſraelitarum exemplum, poſtquam de Ægypto fuerunt egreſſi. Populus hic, qui ſupra fidem in idololatriam pronus erat, oblitus modi illius, quo illum de ſervitute eduxerat Deus, omniumque miraculorum, quæ propter ipſum fuerat operatus, ex Moyſis abſentia occaſionem arripuit excutiendi Domini imperium, & cogendi Aaronem, ut ſibi Deos conflaret, quos duces ſecutus in terram promiſſam introduceretur. Aaron mortis metu perterritus rebellium importunis petitionibus induſſit, qui ſtatim pretioſiſſima quæque in medium protulerunt, aureum conflaturi vitulum, quem veluti Deum coluerunt, & quem diebus feſtis, conviviis, ſolemnibuſque ludis honorarunt, ut cordis ſui ſenſus, ac deſiderium, quo flagrabant jugum Domini excutiendi, teſtarentur: *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Exod. 32. Populus iſte ingratus, & perfidus, poſtquam immodice ſeſe epulis, vinoque ingurgitavit, ludere, ac oblectari cœpit. En unde mundana, & incondita oriuntur ſolatia, probra, importunique ludi; hi effectus ſunt crapulæ, vitæque inertis, ac voluptuoſæ, ſigna animæ, quam tædet ſervitutis Dei, & quæ ex voluptate ſua ſibi idolum conſtituit, & demum quæ non alios habet vitæ ſuæ duces, quam proprias cupiditates. Hoc reſpondit Moyſes, qui de montis vertice, in quo erat, impiarum oblectationum clamores audiverat, & a Deo, quidquid factum fuerat, didicerat. Joſue quidem fidem illi facere volebat, clamores, qui auribus eorum accidebant, inde fortaſſe proficiſci, quod populus cum hoſte decertaret, qui ex improviſo illum fuerat adortus: Haud ita, magnus Legiſlator reſpondit, hæc potius effuſi gaudii eſt lætantium, & ignorantium, quod eos Dominus dereliquit, qui prope erat, ut in capita eorum ultionis ſuæ fulmina contorqueret, niſi precibus meis illius brachium continuiſſem.

Teſtatur Jeremias Propheta cap. 15. ſe aleatorum ſocietatem vitaſſe metuentem, ne & ipſe ea involveretur pœna, quam Deus de hoc mortalium genere poſcere conſuevit: *Non ſedi in concilio ludentium, quoniam comminatione replesti me.* Non ait ſimpliciter, ſe non adfuiſſe unquam in ſocietate ludentium, quia præter mentem, ac fortuito ibi poterat interfuiſſe; ſed ait: *Non ſedi*, illic non immoratus ſum, quoniam alte cordi meo inſederat timor judiciorum tuorum, & verebat, ne puniret tamquam approbator ſcelerum, quæ impune abire non pateris.

Ludus fugiendus exemplo ſ[an]cti Prophetæ.

Dei filius in evangelio non damnavit honeſta, & licita ſolatia.

Dei Filius, qui venit, ut impuris voluptatibus bellum indiceret, qui eos, quicumque ipſum vellent ſequi, crucem ſuam quotidie ferre juſſit, ut loquitur per Evangeliſtas, & qui denique maledicto percuſſit eos, qui in hoc mundo lætantur, ibique oblectari dumtaxat inquirunt: Dei filius, inquam, nequaquam ſe profeſſus eſt inimicum cujuſlibet generis ſolatiorum, quorum uſum ne illis quidem interdixit, qui perfectum hoc ſanctitatis exemplar ſequi profitentur. Profecto ipſe licet Sanctus, ſapiens, ſerius, ac modeſtus, non parum oblectatus fuiſſe videtur parvulos intuendo, atque in hoc quamdam ſolatii ſpeciem conſtituiſſe. Sinite eos venire ad me, inquit *Matth. cap.* 19. ne prohibeatis illos ad me accedere. Illos blandis excipiebat vocibus, eorum capitibus ſacras imponebat manus; & actio hæc, quam aliquis in gravi, ſerioque viro minus probaret, indigna non erat Homine Deo, qui ut ſe humanæ accommodaret infirmitati, opportunum cenſuit aliqua uti remiſſione in laboribus, quos pro hominum ſalute perferebat.

Salvator Apoſtolis ſuis permiſit, ut aliquod ſolatium caperent.

Quod Salvator ſancte facere conſuevit, hoc Diſcipulis ſuis, ac in horum perſona Chriſtianis omnibus permiſit: legimus enim in evangelio, quod cum illos prædicationis laboribus feſſos videret, deducebat aliquando in campeſtres, ſepoſitoſque locos, ut honeſtis quibuſdam colloquiis mentem, animumque reficerent. Et S. Marcus Evangeliſta narrat, quadam die Apoſtolos ad Jeſum conveniſſe, eique narraſſe, quod fecerant, & quid ipſis acciderat. Familiaria id genus colloquia erant quædam recreationis ſpecies, quas amantiſſimus magiſter illis indulgenter permittebat, ut deinceps majori vi, & alacritate laboribus ſuſceptis defungerentur. Ludos vero, & mundana ſolatia damnavit, ac anathemate eos percuſſit, a quibus illa perquirerentur: *Væ vobis, qui videtis.* Luc. 6.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum.

Ludus vocari poteſt vita nullam occupationem habentium.

ÆStimaverunt eſſe luſum vitam noſtram. Sap. 15. Verba hæc, quæ in Sapientia dicuntur impiis, idolorumque cultoribus, qui arbitrabantur vitam noſtram non aliud eſſe, quam ludum, jucundamque illuſionem; vel qui idola ſua reſpiciebant, quaſi vitam, ac ſenſum haberent; hæc verba, inquam, quin admodum a naturali ſenſu detorqueantur, applicari poſſunt aleatoribus, qui meliorem vitæ ſuæ partem in aleis, fritilliſque ducendis inſumunt. Crediderunt vitam nobis ideo conceſſam, ut luderemus; vel ludum vitam eſſe ſuam: videlicet non aliud ſibi negotium eſſe, nec aliud ſibi quærendum, quam ludum. Hæc loquendi ratio, quæ ſatis eſt familiaris, cum ſequentibus congruit: *Et converſationem vitæ compoſitam ad lucrum.* Sapien. 15. Credunt converſationem ideo factam, ut ludatur, utque alii aliorum pecuniam lucrentur: *Et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.* Et ipſorum cupiditas perſuaſit illis, ſibi hoc pacto opes eſſe acquirendas, tamquam omnium celerrimo, atque facillimo, licet non minime omnium criminoſo.

Maledictio contra aleatores.

Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum .... & ſcandalum. Pſalm. 68. Regius Propheta juſto iræ motu actus contra Judæorum ingratitudinem, at-

que

que ſævitiam, non ſine quadam imprecationis ſpecie cupit, menſam illorum ipſis fieri perennem laqueum, & ſcandalum. Sed hæc eadem, necnon ſequentia verba aleatoribus applicari poſſunt. Luſoria menſa jugis eſt ipſis laqueus, & ſcandalum, quia ludus illis eſt occaſio, ratio, & catena criminum propter quamdam neceſſitatis ſpeciem in ſingula momenta peccandi. Maledicta, quæ Rex ſanctus proferre pergit contra populum hunc perfidum, & ingratum, nonne ad eoſdem aleatores transferri poſſunt? *Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva*. Pſal. 68. Cœci ſint, nec videant, quibus ſeſe malis obruant; tamquam furentes agant, ac ipſi ſibi hoſtes ſint infenſiſſimi: *Dorſum eorum ſemper incurva*. Semper in terram curvi ſint, ſemper lucro intenti, ac ſervi avaritiæ, quæ illis dominatur.

Qui ludum depereunt idololatriæ nomine inſimulantur

Qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam. Iſaiæ 65. S. Antoninus hunc locum de aleatoribus explicat; qui re ipſa fortunæ menſam ſtatuere videntur, ut illi, tamquam numini, bona ſua, tempus, curaſque omnes ſacrificent. Illam immo invocare videntur, atque velut ſolam ſortis ſuæ arbitram vereri. Quamobrem Patres quidam dixere, ludum idololatriæ aditum reſerare, ac ejuſdem eſſe ſpeciem; ita ut vetus quidam, ut beatus eſſet, hanc votorum ejus ſumma habebat; *Utinam fortunatus fiam! nullam aliam virtutem deſidero*; ſperabat quippe illa favente nihil ſibi umquam defuturum. Præterquamquod ſi Apoſtolus avaritiam vocat *idolorum ſervitutem*, nemo lucri magis deſiderio tenetur, quam aleatores, qui quidquid dicant, & quidquid cauſentur, ut ſordidam hanc contegant cupiditatem, de pecuniæ amore, qui ipſis dominatur, judicium ferri poteſt ex amore, quo ludum depereunt, ac illos fortunæ cultores vocari: *Qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ ſanctorum Patrum hujus argumenti.

CHriſtianus quicumque es, & alea ludis, hoc, primo in loco, credere debes, quia non Chriſtianum, ſed Ethnicum tibi nomen eſt. Cyprianus aut quivis Author operis de Aleatoribus.

O manus crudeles, & ad periculum ſui armatæ! quæ bona patrum, & opes avorum ſudore quæſitas, ignominioſo ſtudio dilapidant! Idem.

Membra noſtra, quæ jam conſecrata ſunt, luſibus, atque ineptis motibus dare non decet. Auguſt. Serm. 1. de Decoll. Joan. Baptiſt.

Aleas tractare non videtur multis peccatum eſſe manifeſtum, ſed infinita vitæ mala ſolet inferre. Chryſoſt. Homil. 15. ad Pop. Antioch.

Furioſus tabulæ ludut. Auguſtin. aut alius Auth. Serm. 56. de temp.

Initium & caput iniquitatis eſtis, qui totam diem in tam pernicioſa voluptate conſumitis. Chryſoſt. Homil. 7. in Matth.

Quot in taxillis ſunt puncta, tot ſcelera ex ludo procedunt. S. Antoninus, in Summ. 2. part. titul. 1. cap. 2.

Non eſt aliquod vitium, quod reddat homines ita infames & abominabiles, ſicut ludus. Idem.

Vix eſt dare actum, in quo concurrant tot mala, quot in ludo. Idem, ibidem.

Luſor ludum facit Deum ſuum, eo quod illum in amore præponit ipſi altiſſimo Deo: nam illud ab homine colitur, quod in amore præ cæteris honoratur. Bernardinus Senenſis, tomo primo, Sermon. 42.

Sceleſti homines ſunt luſores: quid enim eſt ludus, niſi fomes iniquitatis & cupiditatis. Idem, tom. 2. Serm. 16.

Prima iniquitas ludi, quod ludus generat cupiditatem in luſore. Idem, tom. 4. Serm. 37.

Non impedio liberam voluptatem, ſed cum honeſtate fieri volo. Chryſoſt.

Parum delectationis ſufficit ad vitam, ſicut parum ſalis ſufficit ad condimentum cibi. Ariſtoteles, 4. Ethic. cap. 2. & 3.

Ludo & joco uti quidem licet, ſed ſicut ſomno, & quietibus cæteris. Cicero, l. 1. offic.

Dandum eſt aliquod intervallum animo, non ut reſolvatur, ſed ut mediocriter remittatur, & ad bona revocetur. Seneca.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia morali ad hoc argumentum poſſit adferri.

SOlatium generatim cujuſcumque generis illud ſit diverſio eſt ab objecto, quod nimis diuturna, violentaque applicatione fatigat mentem ad aliud, quod illam ad tempus recreet: vel mutatio eſt moleſti laboris corpus infirmantis in aliquam minus ſeriam occupationem, magiſque hilarem. Hinc ſequitur, 1. hanc non ſimplicem eſſe requiem, neque inertiam, ſed mutationem actionis in aliam, quæ minus corpus, animumque delaſſet: 2. ſolatium non eſſe debere aſſiduum, alioquin enim moleſtum fieret, & ſolatium eſſe ceſſaret: 3. ſolatii finem eſſe animam, & corpus recreare, ut reparentur vires, & conſuetum munus iterum promptius, & alacrius ſuſcipiatur: 4. ſolatium ex aliqua re quærere, & eadem oblectari, inter ſe differre: quodvis ſolatium oblectatio eſt, non e contra quævis oblectatio ſolatium. Studium enim eruditi, litteratique viri oblectatio eſt, bellum Ducis, pictura Pictoris; ſed hujuſmodi exercitationes laborem eorum efficiunt; ſolatium vero ex alia qualibet repetunt. Quid ſint ſolatia.

Ludus eo in ſenſu, in quo paſſim accipitur, eſt actio inventa, vel inſtituta, ut aliquod aſſiduis laboribus ſolatium inveniatur, ideoque ſolatii ſpecies eſt. Theologi tamen, & juris conſulti aliam ludi tribuunt ideam, & dicunt hanc eſſe conventionem, vel contractum, quo inter duos vel plures convenit de eodem redimendo lucro iiſdem conditionibus, iiſdemque periculis, ac de cedenda illi, qui vicerit, pecunia, quam quiſque in medium attulerit, aleæque ſubjecerit. Ajunt autem contractum hunc naturali jure licitum eſſe, dummodo conditiones requiſitæ ad unguem obſerventur, ſi cæterum abſit ſcandalum, ſi nulla auctoritate legitima prohibitus ſit, ſi nulla interſit iniquitas, & nulla peccandi præbeatur occaſio. Verum licet hæ adſint conditiones, per quas iſta conventio, & contractus licitus ſit, pericula, quæ in uſu, & praxi ludi hujus inveniuntur, necnon abuſus, qui paſſim fieri conſuevit, occaſionem præbent pluribus difficultatibus, atque exceptionibus, quas calleat concionator opus eſt, ut rite hoc tractet argumentum. Definitio ludi; qui permiſſus eſt, ſi neceſſariæ adhibeantur conditiones.

Nullus eſt Theologus, qui aliqua rationis ſpecie damnare poſſit honeſta, & moderata ſolatia, quæ neque ab evangelio, neque a religione prohibentur, quæ plurimorum ſanctitatis gloria florentium virorum exempla confirmant, ac plures aſceticæ vitæ magiſtri illis etiam ſuadent, qui pietatem, ac devotionem profitentur. Neque a morali Philoſophia improbantur; quippe ab hac quædam virtus ſtatuitur, Eutrapeliam vocant, quæ medium tenet inter vivendi genus, quod nimis triſte, vel auſterum eſt, ac illud, quod eſt nimis hilare: itaut proprium hujus virtutis officium ſit ſolatia ſecundum honeſtæ urbanitatis leges componere. Neceſſitas ipſa, quæ legum omnium eſt princeps, his aliquando uti nos jubet; hominis enim laboribus addicti conditio par non eſt illis jugiter, ac inceſſanter ſuſtinendis; ideoque Deus, qui hanc nobis pœnam irrogavit, noſtræ indulſit infirmitati, quietis tempus inſtituens, atque permittens, ut confectas vires reparemus. Hinc ſequitur non deeſſe quamdam ſolatii neceſſitatem, non ſecus ac quietis, ciblque non deeſt. Illi, mea quidem ſententia, æquius judicarunt, qui Honeſta ſolatia, communiter ſumpta damnari non poſſunt.

cum

Digitized by Google

cum S. Thoma ſolatia, cujuſcumque illa generis ſint, conſiderarunt tamquam pharmaca, & remedia, quibus nonniſi, ubi neceſſitas adſit, oti conſuevimus; & quæ cum inſtituta ſint ad corporis bonam valetudinem reparandam, illi nocua eſſent, eamque pœnitus everterent, ſi in communem converterentur eſcam, vel ſi abſque menſura, modoque haurirentur.

Solatia non ſunt propter ſe, ſed propter aliquem finem.

Vitæ hujus ſolatia conſideranda tantummodo ſunt tamquam media, non tamquam finis. Subſidia ſunt, ut facilius ea obeamus munera, quibus neceſſario nobis deſungendum eſt: ſed non ſunt terminus, quo nobis tendendum ſit, & cui oobis ſit adhærendum. Illi autem, quorum ſinguli vitæ dies non aliud ſunt, quam ſolatiorum catena, nonne illa ſibi velut finem videntur proponere? Nonne illa tamquam potiſſimam ſuam occuparionem reſpiciunt? Nonne de illis magis, quam de Deo, deque ſalute ſua ſolliciti ſunt? Nonne omnia fere ad hæc referuntur? Quid autem eſt, rem aliquam ſibi veluti finem proponere, cum hic minime ſit? Porro ex S. Auguſtini ſententia peccati mortalis perturbatio in hoc ſita eſt, ut velis iis bonis frui, quorum uſus tantummodo habendus eſt, videlicet ut media in finem, & e contra convertas.

Innocea ſolatia omnia fieri poſſunt.

Nocua æque, ac innocua ſolatia ſæpe idem habent objectum, oeque differunt niſi circumſtantiis, modo, vel exceſſu. Ludus, exempli gratia, ſolatium eſt, quod per ſe innocens eſſe poteſt; verum ſi inde negotium fiat, quod paſſim accidit; ſi nimium temporis inſumatur in eo, ſi illum paulo nimis depereas, ſi illius amor efficiat, ot tua obire contemnas officia, quis ambigit, otrum ludus culpa vacet, necne? Verum enim vero nonne ferme impoſſibile eſt, ex quo ſolatium migrat in affectum, diſtinguere, quouſque juſtæ oblectationis ſeſe fines protendant? Qui licet diſtinguerentur, numquid minus eſt impoſſibile, ſeſe intra illos continere, ac in ore præcipitii gradum ſiſtere, ubi omnia nos in illud vel detrahunt, vel impellunt?

Qua conditione liceat ſolatium.

Cum liqueat, ſolatii finem hunc eſſe, reparare videlicet animi, corporiſque vires nimio labore vel exhauſtas, vel imminutas, Doctorum omnium ſententia eſt, tunc jus, ac fas eſſe ſolatium capere, cum tantum laborarum fuerit, ut eodem ſit opus: cæterum extra caſum hunc ſolatium non licet. Addunt alii ſolatia ſecundum præteritos, vel futuros labores eſſe moderanda: hoc eſt Chriſtiano licere ſolatium capere, vel ut collapſas præterito labore vires reficiat, vel ut ſe parem præbeat labori futuro perferendo: *Regalantur aut præterito, aut futuro labore*. Hinc ſequitur, mundi ſectatores, qui nil operantur, vel operari nolunt, nullum debere ſibi ſolatium permittere, quia nonniſi mollitie, ac libidine acti ſolatia perquirere poſſunt. Itaque licitarum rerum uſus illis nocet, quia nocens eſt eorum intentio. Sed propter non extremum eorum, quæ nunc in mundo graſſantur, malorum accidit, ut qui minus laboribus exercentur, maxime ſolatiis, & oblectationibus vacent.

Non ſatis eſt ideo ſolum amare ſolatia, ut labori aptiores ſimus, & illis dumtaxat uti, ut exhauſtas reparemos vires, mentemque reficiamus; illa etiam eligenda ſont, quæ maxime ſunt innocua, ſi animæ ſanctitatem, & cordis libertatem ſervare velis. Conſtat enim, inter mundi hujus ſolatia non deeſſe quædam omnino mala, ac divina lege prohibita: non deſſe periculoſa, quæ citra noxam ſibi nemo debet permittere, ac tandem neutra, quibus bene, vel male uti poſſimus; & hæc illa ſunt, quæ recta intentione ſanctificare, ac ad ea omnes afferre circumſtantias debemus, quæ uſum illius licitum faciunt.

Eccleſiaſticorum ſolatia.

Quoad eccleſiaſticos, qui ſolatiis indigent, non ſecus ac alii, hi præ aliis tenentur magis ea tantum eligere, quæ damnare nequeat eccleſia; ac præterea omnem ſervare moderationem pro tempore, & rationem habere locorum, videlicet numquam inſpectante populo ſeſe ludis reficere; ac præſertim quam diligentiſſime cavere, cum quibus ludant, ac ita ſe gerere, ut nihil detrimentum patiatur ipſorum character, & dignitas.

Solatiis tempus modo agere.

Solatia ſuum habere debent tempus; quod tamen non diebus omnibus, neque omnibus horis redire debet, alioquin nomen, naturamque mutarent: neque ultra eſſent ſolatia, ſed vacationes, & negotia; & inordinata ſunt, cum familiaria ſunt, & perpetua, cum locum tenent negotiorum, cum in ipſis potiſſima cura, ac ſtudium impenditur. Præterquamquod eorum acies obtunditur, ac dulcedo corrumpitur, amittunt quidquid novitatis, & acuminis habent, animum non recreant amplius, ſed obruunt, ubi ſine remiſſione, & ſine modo ſumuntur. Addendum eſt, ſolatia ſeriis actionibus id eſſe, quod cibis ſal: ſal quidem plena manu non ſumitur: laboribus id eſſe, quod morbis remedia; menti id, quod corpori cibus, & quies. Apoſemata, & pharmaca non ita paſſim epotantur; non omnibus horis obſonatur, neque toto anni tempore dormitur. Oportet igitur ſolatii tempus modum non excedere; neque modus æquior ſervari poteſt, quam qui ex neceſſitate, urbanitate, charitate, conſuetudine, ac munere nobis impoſito deſumitur.

Solatia non debent eſſe indecora.

Non ſatis eſt ſolatium neque illicitum, neque immodicum eſſe; nullum etiam eligendum eſt, quod parum deceat, ac eodem utenti dedecus adferat. Hominum conditiones neſcio quod habent decorum, quod lædi nequit, quin ratio lædatur: quidquid homini e vulgo liceret, in magiſtratum obtinente probari non poteſt. Non quod hujuſmodi viri eamdem ſervare debeant ſerietatem, atque gravitatem in ſolatiis, quam in publicis obeundis muneribus præ ſe ferre debent; ſed quia cum hominum qualitates ab eorumdem perſonis quodammodo ſeparari non poſſint, illi ſemper præ aliis, id quod decet, magis ſervare tenentur. Ita ſolatium illud, quod in artifice nemo improbaret, gravem dignitate virum nota quadam adſpergeret. Qua de re ſi regulas perieris, te conſulere jubebo rationem, quæ ſatis docet eos, qui illi aurem præbere volunt, regionum conſuetudinem, quæ pro lege haberi poteſt, ſtatum, ætatem, & ſingulorum conditionem. Inde peti opus eſt menſuram, ut nihil ſibi fas eſſe putet, quod honor, & decorum poſſit prohibere.

Raro licitis etiam ſolatiis utendum eſt.

Quædam ſunt ſolatia, quæ non damnat Eccleſia; fideles eligere debent tamquam magis a culpa abhorrentia, vel ut preſſius loquamur, tamquam minus nocua. Quemadmodum enim nulla omnino remedia ſunt abſolute innocua, & quæ non ſemper temperamentum infirment, ita neque ulla ſolatia ſunt, ob quæ aliquantulum cor non exareſcat. Nemo a deambulatione, converſatione, aliove id genus ſolatio recedit, quin aliquid terreſtre contraxerit. Niſi igitur nobis tantum valetudinis ineſt, quantum ſatis eſt, ut remediis careamus, ſi neceſſitas jubeat mentem noſtram aliqua oblectatione reficere, eas eligamus, quæ minus obfuturæ ſunt, iiſque infrequentius, quam fieri poteſt, utamur.

Ludi aliqui permittuntur, aliqui prohibentur.

Vulgo tria ludorum genera diſtinguuntur, quos leges his exprimunt verbis: *Ubi victoria pro virtute eſt; ubi fortuna vincit; ubi virtus, & fortuna concurrunt*. Ex triplici hoc ludorum genere, Doctores quidam putant, eos tantum licere, & culpa vacare, ubi ſola virtus victoriam obtinet: quæ quidem ſententia paolo ſeverior eſt: neque enim leges, conſuetudo, ratio illos vetant, in quibus induſtria pariter, & fortuna decertant, & qui ſemper honeſti habiti ſunt; ludentes enim magis ſuæ induſtriæ confidunt, quam taloi, qui in ludo felicitas appellatur. Præter quam quod cum ibi majorem ſibi vindicet partem mens ipſa, quam ſors, honeſtis conveniunt hominibus, & quamquam ibi major mentis attentio quam in ludis aliis ſit adhibenda, & aliquando etiam par ac in graviſſimis quibuſcumque negotiis, quod adverſari videtur fini ludi ipſius, qui ſolatium

eſt,

eſt, tunc applicationis mutatio pro ſolatio numeratur, & voluptas ingenio vincendi major eſt, magiſque digna viro, quam ſi ea mera fortuna lucraretur. Quod vero pertinet ad ludos, quorum ſors tenet arbitrium, hi adeo funeſtis ubnuaii ſunt vitiis, ut leges civiles in eos tamquam in graviſſima ſcelera pœnas irrogaverint. Eos quippe interdixerunt, ſeveriſſimiſque propoſitis mulctis proſcripſerant; neque illis patrocinari voluerunt, qui aleatoribus perfugium tribuerent, vel domos ſuas adeo infami conſuetudini commodarent. Fruſtra vero veteres, Romanæque leges in aliquibus regionibus locum amplius non obtinent; poſteriores quippe leges noſtri æque ſeveras irrogarunt leges, atque judicibus etiam, atque etiam commendatum eſſe voluerunt, ut eas obſervari curarent. Quamvis omnes legislatores eodem viaiſſent tempore, non ideo tamen conſenſu magis conſtanti, penituſque conſlato aleam proſcribere potuiſſent. Quod quidem præclariſſimum præjudicium eſt oſtendens id genus ludos perniciosiſſimos eſſe, ideoque ab hominum ſocietate proſcribendos; quamvis etiam ipſa non doceremur experientia, eos ea parte cauſam eſſe morum corruptionis.

Alea canonibus eccleſiaſticis vetita.

Sacri Canones non minorem exercuerunt ſeveritatem in eos, qui ludunt alea, & qui publicas tenent id genus academias; & habemus unum inter prima Concilia, quod illos anathemate percutit, necnon plurimos Canones, qui laras excommunicationes iterant, atque confirmant. Neque dicendum eſt hos Canones obſoletos eſſe, eiſque conſuetudinem derogaſſe: etenim quamvis Eccleſia hodierna die tantam non exerceat ſeveritatem extrinſecus, ſemper tamen ſpectare debemus, quænam illius fuerit in diſciplina inſtituenda voluntas. Hæc autem mens immutari nequit id probandu, quod antea damnavit. Id genus ludos hodierna quoque die tantum improbat, quantum temporibus illis improbabat; & ſi iiſdem pœnis non utitur, hoc agit, quia novit filiorum infirmitatem, ac timet, ne pares ſint pœnarum ſuarum ſeveritati ferendæ. Hoc tamen non efficit, quod peccatum minus ſit, & malum minus perniciosum. Quamvis autem hæ leges, & hi Canones ſub gravi culpa obligent, hic tamen afferendus eſt modus, eum videlicet, qui per occaſionem, ſine ſcandalo, & noice luderet ad animi laxationem, nequaquam mortaliter peccaturum.

Undenam proficiſcatur ludi malum generatim.

Totum ludi malum generatim ex lucrandi oritur cupiditate: hæc unica eſt cauſa malorum omnium, quæ illum & reipublicæ, & privatis adeo perniciosum efficiunt. Donec voluptatis ergo luſum fuit, ludus tamquam innocens ſolatium habitus fuit; ſed ſimulac ſeſe immiſcuit avaritia, factus eſt adeo periculoſus, ut facilius ſit omnino abſtinere, quam ſervare modum, qui neceſſarius eſt, ut culpa vacet; ac deinceps nihil ultra eſt, quam litium ſeminarium, mercenariumque negotium. Et Juſtinianus Imperator cupiditatis hujus adeo verebatur effectus, ut permittere noluerit in iis etiam ludis, in quibus ſola decerrat induſtria, jacturam fieri poſſe uno majorem ſolido, ſapienter judicans, cupiditatem, ubi ſemel ſibi aditum aperuiſſet, quam primum in finis locum migraturam, atque ibi quoque ut alibi ubicumque malorum omnium cauſam foturam.... *Radix malorum omnium cupiditas*. 1. Timoth. 5.

Amor ludi illum nocuum facit.

Licet in ludo nihil aliud mali inveniretur, quam violentus amor, quo homines ludum conſectantur, hoc ſatis eſſet, ut in eo malum, ideoque etiam peccatum adeſſe judicaretur. Et profecto ibi quædam adeſt illecebra, ut qui eadem ſemel ſe capi ſinunt, deinceps vix inde valeant divelli, quantumvis intelligant ſe temporis jacturam facere, ſe domeſtica negotia deſerere, ac propterea familia graviſſimum pati detrimentum. Verum non afficiuntur, quaſi magicis notis incantati eſſent, omnemque ſenſum amiſiſſent. Quis autem dubitare poteſt, utrum tantus hic amor crimine careat? Præterquam quod nemo citra noxam, eamque non levem ſe ipſum adducere poteſt in periculum, ubi nequeat iis officiis defungi, quæ ſtatus ſingulorum ſunt propria, & non poſſit propria Chriſtiani hominis obire munera, exercere opera bona, & virtutes, quas chriſtiana ea nobis requirit religio. Hoc autem præſtat immodicus ludi amor, ac violentus affectus, quem in tot mortalibus intuemur.

Peccatum eſt ob quæſtum ludere.

Cum ex mera quæſtus cupiditate, ac avaritia luditur, ac præcipuus finis, quem ludens ſibi proponit, eſt lucrari, alieniſque ſumptibus locupletari, hæc circumſtantia nocentem efficit ludum; neque enim cum hac intentione ludere potes, quin ludo abutaris; tunc enim eo non uteris, ut mentem, animumque reficias, ſed ut quamdam negotiationis, turpiſque commercii ſpeciem tranſigas, inquit Cardinalis Cajetanus: *Ludere principaliter propter lucrum ſemper eſt peccatum, quia eſt dare operam turpi lucro.* Omnes Theologi hoc ipſum unanimi conſenſu docent, & hac de cauſa potiſſimum Concilia, & Eccleſiæ Patres aleam damnarunt.

Ludi pretium pro[illegible] magnam pecuniæ vim peccatum eſt.

Quantumvis liceat ludo argenteum aliquem nummum committere; aliuquin enim ludus ipſe langueſceret, quia luſores nulla allicerentur voluptate ea quæſtu, quem propria referre poſſet induſtria, poſtquam victores extiterint; nullus eſt inter Caſuiſtas, qui gravis culpæ reum non judicet, qui immodicas periclitetur ſummas, quæ neceſſariæ eſſent alendæ familiæ, alieno æri diſſolvendo, aliiſque ſatisfaciendu neceſſitatibus. Hoc autem, Doctores inquiunt, peccare eſt contra juſtitiam; ea enim, quæ neceſſitatis, officiique ſunt, reliquis anteferenda ſunt; atque conſcientia integra negligi nequeunt officia adeo juſta, & neceſſaria, ut ſuppetat, quod in ludo inſumatur; neque licet ſeſe obiicere periculo amittendæ facultatis hiſce obligationibus ſatisfaciendi; qui enim ludit, ac magnam auri, argentique vim amittit, quin illud perſolvat, quod debet, recens ſeſe alieno obruit ære, ſeu ut ludat, ſeu ut ſuam alat familiam. Hac in re animadvertendum eſt, eam pecuniæ magnitudinem, quæ per ſe modica eſt, eſſe poſſe ingentem habita ratione conditionis, ac neceſſitatis ludentium.

Peccatum etiam eſt proximo magnum afferre detrimentum in ludo.

Inquiunt præterea mortale peccatum eſſe inſigne afferre detrimentum proximo per ludum, immo etiam illum in periculum adducere hujus jacturæ faciendæ. At quodnam majus detrimentum, quam illud, ubi agitur de magna parte bonorum alicujus, de familiæ ejuſdem alimonia, de æris alieni ſolutione, de eleemoſyna, quam pauperibus debet, &c. Quod minime licet homini adeo neceſſarias ſummas ludo committere, quamvis citra mentem earum amittendarum, immo e contra cum ſpe lucrandi, multo minus licet cupere, quod jacturam faciat, ac reipſa illum exuere bonis, quorum jactura eſt adeo funeſta, & ſibi, & tot aliis.

De reſtitutione pecuniæ per ludum quæſitæ.

Nullus dubitandi locus eſt, quominus pluribus in occaſionibus reſtituenda ſit pecunia ludo quæſita: 1. cum dolus, & fraus ſeſe immiſcuerunt; tunc enim idem eſt, ac ſi pecunia ſurrepta fuiſſet: 2. cum aliquis invitus ludere coactus fuit, vel aliqua illectus arte ab eo, qui certus erat ſe victorem futurum: 3. cum partes, & conditiones utrinque pares non ſunt; 4. cum luſum fuit cum illis, quibus non eſt bonorum ſuorum dominium, quales ſunt filii familias, qui nihil poſſunt diſtrahere, & religioſi, quibus nihil proprium eſt, & qui nihil poſſident. Sed præter has occaſiones doctores plurimi docent eos, qui ludo licet non admodum ingentem pecuniæ vim lucrati ſunt, ad ejus reſtitutionem teneri; hac illi utuntur argumentatione. Non poſſumus, inquiunt, retinere ea, quæ nullo legitimo titulo poſſidemus; conſtat enim per leges principum terræ dividi, atque ſervari inter homines fortunæ bona, & ad hæc juſte poſſidenda legitimo opus eſſe titulo, hoc eſt lege principis alicujus, qua bona hæc adjudicentur. At nullam invenies legem aleatori pecuniam ludo partam adjudicantem, cum verbi gratia, jactus tibi venereus accidit, vel cum aliqua

tibi

tibi luſoria obtigit pagella ; nullo igitur jure bona hæc tibi vindicare potes. Juſti ad bonum aliquod acquirendum, vel poſſidendum tituli ſunt ſucceſſiones, acquiſitionis contractus, donationes, commercium, & mercenariorum ſtipendia, in quibus titulis ludum contineri non liquet. E contra vero liquet ludum, ubi de non levi agitur quæſtu, præcipue vero aleam legibus prohiberi; ludus ergo non poteſt boni alicujus licet non adeo magni nos efficere poſſeſſores. His reſponderi poteſt, pecuniam, quam ludo vicimus, ad nos pertinere propter pactum a ludentibus initum cedendi victori argentum ludo commiſſum, & hanc quamdam eſſe ſpeciem donationis. Verum enim vero ſi conventio hæc contra leges facta eſt, pecunia illa poteſt ad nos legitime pertinere ? Illud vero conſtat, judicio aleatorem non cogi ad eam diſſolvendam pecuniæ vim, quam amiſit, quod manifeſtum eſt argumentum, pecuniam hanc non deberi. Quæſtionem hanc aliis, qui eruditione, ac doctrina præſtant, ſolvendam relinquo : ſed ſi vera eſt hæc opinio, quemadmodum ſolidis ſuffulta videtur principiis, næ illa quidem plurimorum conſcientiæ terrorem incutere debet. S. Bonaventura ita ſentire videtur; tenet enim pecuniam ludo quæſitam in eleemoſynas erogari non poſſe, quoniam alienum bonum eſt, quod ad nos minime pertinet.

De tempore, quod in ludo poteſt inſumi.

Doctores temporis jacturam inter ea peccata recenſent, quæ ut plurimum ludum concomitantur. Hoc triplici ratione contingere poteſt : cum nimium temporis ludo impenditur; cum efficimus, ut alii temporis jacturam faciant; cum eo tempore luditur, quo minime licet. 1. Nimium temporis impenditur ludo, cum citra neceſſitatem luditur; etenim ludendum eſt tantum, ut mens, animuſque reficiatur; neque ludendum, niſi hac animi refectione ſit opus : alioquin contra ludi finem peccatur. Hujus autem refectionis tunc ſolum eſt opus, poſtquam ſeriis, difficilibus, moleſtiſque negotiis opera data eſt, quæ res profecto coram Deo illos damnabit, qui omni cura, & negotio carentes in ludo curam omnem, negotiumque conſtituunt. 2. Ludus malus eſt, cum efficit, ut qui fautores, vel ſpectatores ſunt, temporis jacturam faciant; hæc enim una eſt ex præcipuis rationibus, propter quas Concilia vetuerunt, ne eccleſiaſtici non ſolum alea luderent, ſed ne viderent quidem ludentes, eiſque ſuffragarentur. 3. Hoc poſito, quod aliquo indigeas ſolatio, neque in ludo majus temporis ſpatium impendas, quam par eſt, conſiderandum ſupereſt, quo tempore luditur, neque enim quovis tempore ludere fas eſt. Publici ludi diebus dominicis, ac ſolemnioribus feſtivitatibus prohibentur. Nemo eſt, qui religioni ſibi vertere non debeat ludere tempore carniſprivii, paſſionis, Paſchatis, aliiſque id genus temporibus pietatis, ſanctiſſimorumque myſteriorum memoriæ recolendæ deſtinatis. Hinc ſequitur, quod abuſus eſt, quem S. Auguſtinus ævo ſuo deflebat, in Chriſtianiſmo videre dominicos, feſtoſque dies pietati, & cultui Dei potiſſimum ſacros, a Chriſtianis paſſim in ludis, aliiſque profanis ſolatiis impendi. De hoc malo ſumus locuti, cum de feſtorum dierum obſervatione verba faceremus.

Quædam circumſtantiæ, in quibus ludere nefas eſt.

In ipſis etiam ludis, qui licent, non deſunt circumſtantiæ quædam, quæ illos quibuſdam hominibus illicitos faciunt, videlicet ſcandalum, quod præbere poſſent, palam, ſacris in locis, importuno tempore, quale eſt divino cultui dicatum, ludere; vel etiam cum iis ludere, quorum deplorata fama eſt, & cum iis, qui ludentes facile exardeſcunt.

Supponendum eſt tamquam chriſtianæ religionis principium, Chriſtianum, qui mundo, pompis, & voluptatibus ejus abrenunciavit, nequaquam voluptatem, vel ſolatium propter ipſam voluptatem, ſolatiumque perquirere poſſe. Ut his citra noxam utatur, eſſe debent quodammodo neceſſariæ, iiſque uti debet *utentis modeſtia, non amantis affectu*. Cum autem ſola ſolatii utilitas ſit animi, corporiſque vires collapſas recreare, liquet ad ſummum ita fas eſſe indulgere ſolatio, uti fas eſt mandacare. Unde facile argui poteſt, meliorem vitæ partem in ſolatiis tranſigere, non eſſe chriſtianam vitam ducere, ſed mundanam, ethnicamque; ſolatium enim non licet per ſe, ſed tantum, ut per illud anima, & corpus fiant laboribus perferendis aptiora.

Chriſtianus particeps eſſe non debet ſolatiorum profanorum.

Quinam fidelis poſſet in profanorum ſolatiorum partem accedere ? Si enim ſe ipſum tamquam peccatorem conſiderat, fateri debet huic ſtatui, qui pœnitentiam, lacrymas, voluptatum fugam requirit, nihil magis eſſe contrarium, quam periculoſarum oblectationum perquiſitionem. Sin autem tamquam Dei filium, & Jeſu Chriſti membrum, illius veritate illuſtratum, gratiis locupletatum, corpore nutritum, regnique hæredem ſe reputat, judicare debet, nihil tanta hac dignitate indignius eſſe, quam inſanis filiorum ſæculi gaudiis velle oblectari.

Principia ex quibus de ſolatiis judicium ferendum eſt.

Afferam quædam principia, ſecundum quæ de ſolatiis judicandum eſt. 1. Quælibet voluptas, vel ſolatium, quod nullo pacto ad Dei gloriam referri poteſt, vetitum, & criminoſum eſt, neque enim voluptas, & ſolatium propter ſe quærenda ſunt. 2. Omnis voluptas, & ſolatium, quod eſt proxima occaſio peccati, & quod ſæpe cauſa fuit, ut peccaremus, & quod proximo lapſus, vel ſcandali cauſa fuit, omnino vetitum eſt. 3. Omnis voluptas, quæ modo caret, ſemper eſt criminoſa.

Solatiis non tantum indigemus, quantum arbitramur.

Si bona fide rem hanc perpendere velis, fateberis homines multo minus, quam exiſtimamus, indigere ſolatio, ac indigentiam hanc potius in imaginatione, vel conſuetudine, quam in reali neceſſitate conſiſtere. Qui exterioribus occupantur laboribus, ſimplici tantum ceſſatione laboris egeat, qui iliis vacant negotiis, quæ multo quidem cum mentis, modico vero corporis labore conjuncta ſunt, ſeſe colligere debent ab ea diſſipatione, quæ ſuapte natura ex hujuſmodi negotiis proficiſcitur, non autem ſe magis, magiſque diſſipare per ea ſolatia, & oblectamenta, quæ ſpiritum ipſum vehementer fatigant.

P A R A G R A P H U S VI.

Delecti ex ſpiritualibus libris, recentibuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Non omnia ſolatiorum genera damnanda.

NOn omnia ſolatiorum genera damnanda reor; quædam laude ſunt digna; quædam etiam Chriſtiana, quæ tantum abeſt, quod obſtaculo ſint ſanctitati, ut magno eſſe poſſint ſubſidio illis, qui eamdem acquirere cupiunt. Litterati viri, quibus vitæ ſpatium nimis breve videbatur, quo ad doctrinæ apicem pervenirent, per intervalla quaſdam inſtituunt lectiones ſolatii loco; in eruditorum hominum cœtu ſeſe reficiunt, iiſque ludis ſucciſivas horas impendunt, qui aliquando majorem afferunt, quam ipſa ſeria ſtudia, utilitatem. Miles, qui inter arma ſibi ad nominis gloriam aditum reſerare contendit, nequaquam inutilibus ſolatiis indulget. Venatio, ludicra certamina, equeſtres palæſtræ ludi ſunt non ad voluptatem ſolum inventi, ſed etiam ad corpus laboribus durandum, atque militaribus exercitationibus formandum. *P. de la Colombiere ſermon. 45. pro extremis bacchanalium diebus.*

Solatiom modum ſervare debet.

Quantumvis bonum, honeſtumque ſit ſolatium, modum ſervare debet : hoc tamquam pharmaco utendum eſt, atque credendum, remedia illis, qui ſine neceſſitate hauriunt illa, æque metuenda eſſe, ac morbos ipſos. Valetudinem deterunt, & quotidiana docemur experientia, eos, qui ſæpe medicaminibus utuntur, præterquamquod minus robuſti ſunt, mirum in modum omnibus vitæ caſibus magis affici, quam cæteros. Dixerunt alii, ſolatia eſſe debere veluti ſal, quo condiuntur epulæ: ſed modico ſale opus eſt, ne magis noceat, quam proſit. Hæc ſomni ſpecies eſt naturæ reparans vires; verum ſi ſumatur immudi-

modice, pravis nos humoribus onerat, & aggravat corpus, ne munera ſua valeat obire. Si ſolatium tamquam imbecillitatis noſtræ ſubſidium ſumpſerimus, numquam ultra juſtæ moderationis terminos eodem utemur; neceſſitatem potius, quam voluptatem conſulemus, ac pro hora, quam illi permittemus, diem integrum laboribus impendemus. *P. Cordier in familia ſancta* cap. 7.

Solatium eſt aliquando neceſſarium.

Quamvis labor maximas habeat utilitates, neque voluptate careat omnino, cum nihilominus magis moleſtus ſit, quam jucundus, ferendus non eſſet, niſi aliquando laxaretur. Hoc ſane efficiendum eſt; etenim quemadmodum nullum corpus eſt adeo robuſtum, quod aſſiduo labore non fatigetur; ita nullus eſt ſpiritus, qui diuturna attentione non exhauriatur; & ſicuti ſpecies inhumanitatis eſſet homini plurimum laboranti nihil quietis, ſomnique concedere; ita duram eſſet honeſtum negare ſolatium poſt gravem mentis exercitationem. Vires noſtræ modicæ ſunt, & niſi earum habuerimus rationem, quam primum fatigamur, ac delaſſamur. Verum profecto eſt, animam noſtram, quæ ampliſſimis vitæ muneribus obeundis deſtinata eſt, in operationibus ſuis minus a materia pendere; ſed non agit ſine naturalium facultatum ope, quæ exceſſu, aſſiduitate, contentione atteruntur. Organa, ubi nimium tendantur, detrimentum patiuntur, mentes abſumuntur, attentio evaneſcit; & nimia anxia operandi ſollicitudo efficit, ut periculum ſubeamus, vel non faciendi ea, quæ opus ſunt, vel nihil omnino faciendi. *Idem*.

Diſcrimen inter requiem, & ſolatium.

Diſcrimen aliquod ſtatuendum eſt requiem inter, ac ſolatium. Illa eſt a labore ceſſatio: hoc autem non eſt ſimplex inertia, ſed potius exercitatio nobis jucunda, quæ ad tempus nos a ſeria occupatione divellens honeſtam tribuit menti relaxationem, eique permittit, ut triſtitiam quamdam excutiat, quæ a ſolitudine, ac negotiis omnium ſerius ſeparari non poteſt. Qui homini ingenio valenti requiem dumtaxat, vel laboris vacationem concederet, dimidium dumtaxat ejus, quod opus eſt, illi tribueret. Corporis quidem ſufficiens ſolatium eſt illi permittere, ne opus ſuum proſequatur; menti vero hoc parum eſt; hujus natura eſt ſemper agere, neque otioſa relinqui poteſt; quin illis objiciatur periculis, quæ ſecum trahit otium. *Idem*.

Solatiorum abuſus.

Nobis ridere, & gaudere non ſufficit, niſi cum peccato, atque inſania gaudeamus; niſi riſus noſter impuritatibus, niſi flagitiis miſceatur. Quia, rogo, hic error eſt, quæ ſtultitia? Numquid lætari aſſidue, & ridere non poſſumus, niſi riſum noſtrum, atque lætitiam ſcelus eſſe faciamus? An forte infructuoſum putamus gaudium ſimplex nec delectat ridere ſine crimine? Quod, rogo, hoc malum eſt, aut quis furor? Rideamus quæſo quamlibet immenſuratim, lætemur quamlibet jugiter, dummodo innocenter. Quæ vecordia eſt, & amentia, ut non putemus riſum, & gaudium tanti eſſe, niſi in ſe Dei habeat injuriam! *Ex Salviano l. 6. de gubernatione Dei*.

Honeſtorum ſolatiorum utilitas.

Aliquo opus eſt ſolatio ad tædia noſtra extenuanda, ad mœrorem diſſipandum, ad labores ſuſtinendos, ad triſtitiam propulſandam, ad ingenium noſtrum, cum faſtidit, mulcendum, ad ſtudiorum ſatietatem afferendam, ad mala, ſi minus ſuperari poſſunt, avertenda, vel ſaltem facilius ferenda, cum iiſdem liberari non poſſumus, ad temperandum metum ærumnarum, quas eminus proſpicimus, ad prohibendum, ne illis, quibus afficimur, proſternamur. Quamobrem natura nobis indidit quamdam propenſionem erga ſolatium, & quæ animo noſtro idem eſt, quod appetitus corpori propter eſcam illi neceſſariam; quæ tamen variis modis pro temperamentorum, & inclinationum varietate ſumuntur. *Ex libro cui titulus: Le conduite du ſage*.

Prudentis, & Sapientis eſt ſcire ſolatium capere.

Quin ſingulis immoremur conditionibus, quæ in ſolatiis perquiruntur, paucis eas complecti poſſumus dicentes, ea puerilia eſſe, cum palam illis vacamus, eaque ſumimus, quæ ætatem, & conditionem noſtram non decent; irrationabilia, cum nos fatigare potius, quam reficere poſſunt; injuſta cum alienis ſumptibus procurantur. Ita plurimos videmus, qui negotia ſua norunt obire, ſed paucos, qui, uti oportet, ſolatia ſumere didicerunt: multos, qui mentem ſuam exercere ſciunt, paucos, qui illam remittere calleant; plures, qui laboribus exercentur, ut ſolatia capiant, ſed paucos, qui capiunt ſolatia, ut laboribus exerceantur. Sapientis tantum, ac prudentis eſt noſſe ſolatium ſumere; unus enim ille eum novit modum, qui in veris ſolatiis requiritur. Ea non odit, natura enim, quæ illum ad laborem peperit, illi ſimul etiam quemdam tradidit affectum earum rerum, quæ laboris tædium auferre poſſunt; illis indiget, quemadmodum enim Sapientia hominem nequaquam immortalem fecit, ita neque indefeſſum; illa cupit, ut alacrius vitæ labores ſuſtinere poſſit, atque illius tædia tolerare; & quicumque ita felix non eſt, ut ſine dolore aliquo vivere nequeat, debet eſſe ſatis ſapiens, ut illum vel requie mulceat, vel aliquibus ſolatiis attemperet; illis indulget, ut redeat promptius ad animi, corporiſque munera, ita ut ſolatium ipſum quædam illi ſit jucunda ad laborem præparatio. Ille unus eſt, qui ad tempus ponere poſſit ſerietatis perſonam, quin ſpiritum ponat, ſumere hilaritatem, ac facilitatem faceti ingenii, quin ſumat puerilitatem, & ſenſuum, mentis, & cordis ſolatia cum ipſa conſcientia conjungere. *Idem*.

Electione & prudentia opus eſt in ſolatiis.

Devotio, quæ neque ſevera, neque ruſtica eſt, ſemper eſt prudens, & cauta, & quemadmodum non rejicit indiſcriminatim, ac ſine ulla exceptione omnia ſolatiorum genera, ita eadem non fortuito, neque ſine electione admittit. Hæc exigit, ut eorum electio fiat, ac in illis modus, & regula quædam ſervetur. Prohibet primum ſolatia omnia, quæ conſcientiam vulnerant, & animæ mortem inſtigunt. Secundo ea non patitur, quæ domeſticam pacem perturbant, & quæ in familias diſcordiam, & perturbationem injiciunt. Tertio poſtquam omnia amovit illa, quæ nocua ſunt, & cum ſcandalo conjuncta, regit illa, quæ innocenter, ac ſine ulla ſuſpicione poſſunt admitti, locum illis, ac tempus aſſignat, eaque pro qualitatum, ætatumque varietate diſtribuit; & quemadmodum non permittit, ut ſolatia in negotiorum locum migrent, ac vita omnis ſolatium ſit, ita ne patitur quidem ea confundi, quæ ſunt diſtinguenda, & immutari leges, quas natura, ac decorum conſtituit, & ea ſolatia, quæ hujus ſunt ſexus, vel ætatis, ad aliam transferri. *P. le Moine in libro, qui inſcribitur, la Devotion aiſée*.

Homo ludis, ac ſolatiis non eguiſſet, ſi in beato perſeveraſſet innocentiæ ſtatu, in quo illum creaverat Deus: nam quamvis cura illius futura fuiſſet terreſtrem excolere Paradiſum, quemadmodum Scriptura ſancta teſtatur, labor illius eidem ſuavis fuiſſet; & quin moleſtiam illi afferret, voluptate etiam affeciſſet illum, e S. Auguſtini ſententia: *Non enim erat laboris afflictio, ſed exhilaratio voluntatis*; ideoque nulla res eum coegiſſet aliquam menti, corporique relaxationem inquirere. *Thiers, tractatu de ludis in præfatione*.

Solatiis egemus.

Hominis poſt peccatum tanta infirmitas eſt, ut cum nequeat indeſinenter ſeriis rebus vacare, debet aliquando ſolatium aliquod capere. Neque enim menti illius id accidit, quod cœlis, qui inceſſanter ſupra caput noſtrum circumaguntur, quin fatigentur. Verum cum hominis res finibus ſuis coerceantur, pares eſſe debent labori, qui ſuſcipitur; & quam primum exhaurirentur, ſi in jugi contentione detinerentur. Non ſecus ac uberrimi etiam agri requie indigent, ut fructus ſuos afferant; ita aliqua laboris opus eſt intermiſſione, alioquin obtunditur ſpiritus, & langueſcit; cum e contra poſtquam paulo recreatus eſt, majori, quam antea, vi, & contentione ad laborem revertitur. Quapropter S. Auguſtinus lib. 2. de Muſic. cap. 15. ait. *Sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam*. *Idem*.

Regula circa ſola.

Prima regula, quam ratio ſuggerit, eſt in uſu

ſola-

gia generatim,

ſolatiorum generatim rationem habendam eſſe conditionis. Alia enim eſſe decet plebeii hominis, alia in ſpectabili quoppiam viro ſolatia; alia in artifice, in erudito viro alia. Eccleſiaſticus vero nullam ſatis adhibere poteſt curam, ut ſolatia ſua ad canonum, ac decori normam componat. Alea clericis ſemper prohibita eſt. Sex ſaltem concilia decreta irrogarunt, quæ illam ab hoc ſtatu, quo in Dei eccleſia nullus ſanctior eſt, vel ſublimior, proſcribant; ſed ipſum quoque decorum nonne vetat, ne integras noctes producatur ludus, & ne illi ſeſe immiſceant iis cœtibus, qui ſemper aliquam ſæculi labem illis, qui Deum minus timent, affundunt. *Ex manuſcripto ſermone.*

Solatium laboris congruum eſſe debet.

Regula alia eſt, ſolatium ex præteritis laboribus eſſe metiendam, atque pro laborum magnitudine uſurpandum. Ideo mulierum nonnullarum culpa eſt venia prorſus indigna; languent in otio, quod a mollitie non abhorret; nihil intentatum relinquunt, ne fatigentur umquam; meliorem diei partem ſomno impendunt, mox inerti vacaturæ ſe ipſas admirandi negotio. Quo jure hæ ſolatium exquirere poſſunt, nugacibuſque occupationibus detineri! Quod artifex aliquot laboribus horas ſubtrahat, juſtum eſt, imo neceſſarium; vos autem, mulieres, quæ omnes pomeridianas horas in nugis tranſigitis, præteriti laboris prætextum cauſari nequaquam poteſtis. *Idem.*

Ludus jam non licet amplius cum omni affectu diligitur.

Certum eſt, ludum non eſſe amplius ſimplicem animi relaxationem, ex quo virulento affectu appetitur, vel cum inde aliquando exiſtit moribus noſtris, vel Chriſtiani hominis officiis præjudicium. Ludum vero eo pacto, quo hodie luditur, ſemper fere id genus eſſe inter mundi ſectatores aſſerere minime vereor. Propter hanc ludendi cupiditatem, nonne verum eſt, homines luſoriis indormitare; fatigari, quin a laſſitudine reficiantur, ubi lucrum aleatorum attentionem non excitet? Niſi ingens quæſtus cupidinis triſtem exhilaret ludi nimium ſerii tarditatem, hic in mœſtam deſinit oſcitantiam. Itaque ludere, vulgo non aliud eſt, quam id quærere, quo nil melius avaritiæ velificatur; & in corde ſuo revocare, quidquid lucri amor magis acre habet, ac illecebroſum. Inde ſucceſſive oriuntur varii motus affectionis ejus, quæ ſemper violenta eſt, nunc furor contra adverſam fortunam, nunc immoderatum gaudium, quod inſperata ſors excitat: ita ludere idem eſt, ac efficere, ut in faciem ſuam quoddam veluti theatrum ſexcenti mobiles prodeant affectus. Quod malum! *Idem.*

In ludo pecuniæ, ſimulque tempus paſſim amittitur.

Quod ad me pertinet; hæc vera non ſunt, inquis; ludo, ut ludam, & ludum nihil conſequitur, quam ipſe ludus. Heu! nonne ſatis hoc eſt, ut nocens fias? Ludum conſequitur pecuniæ jactura melius in pietatis operibus inſumendæ, in affinis alicujus inopia ſublevanda, in familiæ alicujus neceſſitatibus ope ferenda. Ludum conſequitur jactura temporis, quod vel Deo, vel domeſticis, ac familiaribus curis debetur; quid enim accidit filiæ, donec mater meliorem noctis partem in luſoriis ſoliis committendis traducit? Quæcumque enim vicaria adhibeatur cura, quinam oculi cum illis ſollicitæ parentis conferendi ſunt? Quid mali accidit inter famulos, donec dominus poſt acceptas clades pertinaciſſime adhuc in ludo occupatur? Haud ita ſane, Fideles; ſi exiguos demas ludos, qui patrem inter, ac filios continentur, & quos innocentia ſuaviſſima condit hilaritate, nullus fere innocens eſt.

De alea.

Legibus omnibus damnantur ludi, ubi periculo inſignes ſummæ committuntur; hi quippe ludi, ut vera dicamus, neque honeſtæ ſunt corporis exercitationes, nec jucunda mentis ſolatia. Hæ ſunt furta probata, menſæ exitiales tum victoribus, tum victis: privata latrocinia, in quibus conſanguinei, affines, amici ultro, citroque dedita opera ſe ipſos evertunt. Quin ibi animum reficiant, contremiſcunt, atque palleſcunt, veluti in navi fluctibus agitata: ibi exclamant, ac ſe ipſos torquent, veluti in incendiis, non deſunt furor, & impetus, non ira, & rabies, tamquam in infeſtiſſimo conflictu. Non ſolum ibi divitiarum jactura fit, & familiæ evertuntur; ipſa etiam amittitur conſcientia, omneſque chriſtianæ religionis leges infringuntur: ibi ſedata etiam mente juratur, inauditæ inveniuntur imprecationes, recentes cuduntur blaſphemiæ, & perjuria, ac fraudes in quæſtu ponuntur. *P. le Moine in devotione commoda cap. 7.*

Chriſtiano quid conſiderandum in ludo.

Opus eſt, chriſtianam aliquam cogitationem, ſeriamque conſiderationem prohibere, ne mens evagetur, atque hæc ſecum, vel his ſimilia cogitet: Ludo, & quamvis lucrum facio, tempus tamen amitto; hoc vero tempus bonum eſt, nullo redimendum pretio; bonum, quod neque emitur, neque commodatur, & quamvis omnes mundi theſauros lucrarer, omnibus tamen hiſce theſauris ne unam quidem horam amitterem. Attamen cum hac hora, cujus jacturam paſſus ſum, æternam mihi comparare poteram felicitatem; coronam in cœlo acquirere poteram; æs alienum per crimina conflatum ad extremum uſque quadrantem diſſolvere poteram. Ludo, & fortaſſe divinæ juſtitiæ manus ſublata meo imminet capiti. *Idem.*

De fraudibus, quæ in ludis fiunt.

Illuc ingrediamur, ubi luditur alea pernox, & quid ibi fiat, intueamur; hinc non abſunt diſſimulatio, mendacium, & fraus; quilibet ſimulat, ut fallat adverſarium: ac poſtquam furtum fecit, eodem ferme pacto gaudet, ac ſi optimam nactus eſſet hæreditatem. De reſtitutione ne verbum quidem; aliena bona in manibus decipientis remanent, neque inde egrediuntur. Hic adulterina tala volvit; ille paginas fictitias ſupponit; duo ſimul conſentiunt, ut tertium fallant, ejuſque ſpoliis diteſcant; hic cum alio conjurat, ut aliquem in fraudem inducat, atque ex hujus detrimento proficiat. Nihil niſi dolus, verſutia, mala fides invenitur. *P. Cordier tomo ſecundo Familiæ Sanctæ.*

De juramentis, ac blaſphemiis, quæ committuntur in ludo.

Quidam non hic morantur, de mendacio ad perjurium tranſeunt; ac ſi eorum juramento adhibes fidem, penes illos ſemper victoria ſtetit, & quamvis aliquando falſi crimine redargui poſſint, pravus habitus non ſinit, quominus Deus teſtis vocetur eorum, quæ affirmant; ſed præcipuum vitiorum omnium caput eſt blaſphemia. Ludus plures ipſe ſolus, quam vinum ſimul, & ira, blaſphemias invenit. Quotidie recentes excogitat, quæ quo magis execrabiles ſunt, eo accidunt jucundiores: meditatas enim dumtaxat impietates amat, ac in illis gloriatur; & aleator cenſet ſe jacturam abunde reparaſſe, cum ſexcentas blaſphemias evomuit. *Idem.*

Qui ludum deperit, quomodo illum relinquat? Si lucratur, putat fortunam in partes ſuas conceſſiſſe numquam receſſuram; ſi perdit, jacturam ſperat ſe reparaturum; ſibi pollicetur, fortem, quæ ſub initium terga verterat, ſub finem faciem oſtenſuram; atque uno tantum opus eſſe jactu, ut damnum reſarciatur: ſi hodie adverſo pugnatum eſt numine, credit ſe cras eodem favente pugnaturum. Hoc pacto labuntur dies alternis victoriis, & damnis, ac citius vitæ, quam ludi advenit finis. O bone Deus! quod vitæ genus! Numquid in hoc homo e mundo egreſſus æternæ felicitatis ſuæ ſpem poteſt conſtituere? Verum ad hæc aleatores ne animum quidem advertunt.

Aleatorum character eorumque ludendi cupiditas.

Conſcriptorum Patrum, vel Principum, ſapientumque virorum conſilia ad graviſſimum aliquod agitandum negotium coacta oculis nihil tam grave, ac ſerium exhibent, ac menſa hominum de magna pecuniæ vi ſimul ludentium. Triſtis ſeveritas in eorum facie riget: ultro citroque implacabiles, atque irreconciliabiles inimici, donec conſeſſus manet: non norunt amplius affinitatis, vel amicitiæ vincula, non genus, non dignitatem: ſola ſors cæcum, & ferox numen eorum concilio præeſt, ac penes illam arbitrium eſt: eam altiſſimo ſilentio, ſummaque colunt attentione, cui alioquin minime pares ſunt, omnibus animi affe-

ctibus

ctibus veluti ſuſpenſis, & huic oui cedentibus. *Auctor recens.*

De aleatorum academiis. Nou miror publicas adeſſe aleatorum ganeas, tamquam totidem inſidias hominum avaritiæ poſitas, tamquam voragines, iu quas privatorum decidit pecuuia non reverſura, tamquam horrentes ſcopulos, iu quos aleatores alliſi pereont, & unde egrediuntur emiſſarii, qui cognoſcant quinam ad littus appalit cum pecunia ex recenti præda collecta; quiſnam judicio victor deceſſit, & ingentem auri vim retulit; quis inſignem ex lucro quæſtum reportavit; quis filius familias nuper locupletem adiit hæreditatem. Fallere indignum profecto, ac turpe negotium eſt, ſed verus, vulgatum, cognitum, omnibuſque temporibus commune his hominibus, quos rapaces aleatores appello. Illud vero miror, adeſſe, qui neſciat, quod has ingredi domos, ac ſubſtantiæ ſuæ jacturam facere idem eſt, & quod tut inveniantur mortales ita omni ſenſu carentes, quot ſatis ſunt, ut illis abunde ad victum ſufficiant. *Idem.*

Vituperabile eſt magnas pecunias ludo committere. Sexcenti ludo pereunt, ac frigide dicunt, ſe facere non poſſe, quo minus ludant: quænam excuſatio! Ullane licet violenta, licet turpis cupiditas eſt, quæ hoc ipſum dicere non poſſit? Numquid excuſari poteſt, qui ait ſe temperare non poſſe, quominus ſuffuretur, lattocinetur? Ludus terribilis, jugis, ſine modo, ſine fine, ubi nil minus ſpectatur quam adverſarii clades, ubi lucri deſiderium ad cæcitatem adducit, ubi damnum acceptum ad deſperationem adigit, ubi avaritia conſumit; ubi aleæ, talorum jactui, folioque luſorio propria & filiorum, necnon familiæ totius fortuna committitur, numquid res eſt, quæ licere poſſit, & qua nemo valeat abſtinere? Nonne multo major ſibimet inferenda vis eſt, cum ludo ad omnimodum exitium actus veſtimentis quoque, ac eſca privatur aleator, neque, unde victum familiæ ſuppeditet, habet? *Idem.*

Citra graviſſimam noxam ducine vita poteſt, quæ nos in eum ſtatum adducat, ubi perſungi minime liceat officiis conditioni, ſtatuique noſtro, & chriſtiani hominis qualitati, quam gerimus, inhærentibus? Numquid nimius ludi, ac ſolatiorum amor nos huc impellit? Judex, qui ſolatia deperit, numquid laborem fugiet? Numquid illis vacabit ſtudiis, quæ ſunt neceſſaria ad acquirendam doctrinam, ſine qua ſuo munere perſungi nequir, ideoque nec in illo immorari? Numquid omnem adhibebit curam, qua opus eſt, ut impeditius negotium aliquod explicet, ac illud intus, & in cute cognoſcat? Eccleſiaſticus, Paſtor, qui animum ſuum relaxare jugiter cupit, eumne zelum habebit, quo carere non poteſt, quin miniſterii ſui ſe præbeat prævaricatorem? Mulier, quæ id unum cogitat, quomodo ſe ipſam recreet, poterit ne omnes ſuſcipere curas, quæ neceſſariæ ſunt, ut domeſticæ curæ, filiorum educationi, moribuſque ancillarum invigilet? Hæc omnia nonne continentur in eſſentialibus chriſtiani hominis officiis? Et ſi ſolatiorum amor prohibet, ne illis rite perſungamur, nonne in eum nos ſtatum adducit, ubi nos nequaquam ſalvare poſſimus? *P. Nepveu in conſiderationibus ſuis, tom. 3.*

Unde oriatur tantus hic amor ludi. Ludus proprie loquendo naturalis affectus non eſt, ſed inventus, & ab hominum ingenio, induſtriaque profectus. Hic tamen, non ſecus ac cæteri, ſuam habet in corde hominis originem, & ludi affectum peculiarem gignit generalis voluptatum affectio, quæ pro ingeniorum, ac temperamentorum varietate differt. Omnes homines ſecretam habent ſeſe reficiendi cupiditatem, qua trahuntur ad ea, quæ magis ſingulorum ingenio accommodantur; ita alii ludum, alii venatum, alii ſcientias, alii diligunt artes; & ſecreta hæc affectio, quæ voluptatem cier, tantum movet eruditum virum, qui litteras amat, quantum aliam quemvis, qui ludo oblectatur. Hinc arguo, affectiones omnes, quas homines inveniſſe videntur, in ipſo hominis corde, quod ſuapte natura fertur ad voluptatem, originem ſuam invenire. *Ex Auctore Italo.*

Ludus in ſe omnium ſtatuum colligit mala. S. Cyprianus, vel quicumque auctor eſt egregii tractatus illius, qui inter Patris hujus opera circumfertur, mihi ſententiam ſuggerit integræ concioni parem; videlicet hoc eſſe dæmonis inventum, qui in ludo ſtatuum omnium mala, & vitia colligit. Hæc mercatura eſt; non enim deſunt, qui inde ſibi victum comparent, cum non alios reditus habeant præter ea, quæ ludo lucrantur; ideoque ibi eædem fraudes, doli, arteſque videntur. Lis eſt, ubi agitur, ex utra parte ſtet ratio: utrobique cauſa peragitur, judicatur, exequitur; utriuſque partis rationes, ac teſtes audiuntur. Prælium eſt, atque certamen, ubi de victoria decernitur, quæ ſæpe funeſta eſt, atque cruenta. *Idem.*

Eſto, prima qualitas, quæ nunc in aleatore perquiritur, ſit animi tranquillitas; eſto, plurimi hanc laudem promeriti ſint, quod ſeſe ultro citroque evertere noverint ſumma cum honeſtate, quin in queſtus erumpant. Tu, qui pium hoc tranquillitatis animi donum poſſides, fatere anxietatem, atque mœrorem, quem tua tibi affert avaritia, quam S. Cyprianus *crimen ignobile* appellat. Lucrum, quod avarus inſtitor quærit, lucrum eſt labori, rationi, ac juſtitiæ innixum; ſed lucrum aleatoris turpi innititur libidini, & avaro furori, qui in reliquo vitæ curſu ſexcentas gignit acerbitates. *Ex manuſcripto ſermone Patris Ruæi de ludo.*

Vos, quibus familiarum cura gerenda eſt, quam uberem peccatorum fontem filiis veſtris aperitis, non abſimillimus illi, de quo Petrus Bleſenſis loquitur: *Cujus pueritiam pater aleæ dedicavit*, quorum primi adoleſcentiæ anni, parentum exemplo, omnibus ludis, aleæque myſteriis initiantur, qui omnes eorum leges, omnes etiam artes didicerunt, antequam prima religionis rudimenta cognoverint; & quibus in animo inſculptus eſt lucri amor, antequam ſciant ſibi & animam eſſe, quam amittere poſſunt, & paradiſum, quem acquirere debent. Quænam hinc licentiæ cauſa præbetur ſervis; quodnam ſcandalum domeſticis? *Idem.*

De Aleatricibus. Luſoria folia, & ludi pro illis mulieribus ſunt, quæ voluptatem ſexus ſui officiis, ac decori anteferunt; pro illis, quæ in eo meritum ſuum conſtituunt, ſi ultra privatas domus ſuæ curas ſe attollant; hoc eſt ſi domum in graviſſimam calamitatem, ac egeſtatem dejiciant; pro matribus illis, quæ filiabus ſuis præter hæreditatis partem hoc etiam velati præclarum dotis additamentum conferunt, hæreditarium videlicet illius diſſipandæ ſtudium; pro mulieribus illis, quibus cum deſit, quomodo oculis placeant, putant in ſacculo, & ludi amore ſe nactas eſſe modum circum ſe retinendi mortales, ultra rugas etiam, & uſque ad mortem. Pro his ludi ſunt, ac folia luſoria; cura vero, labor, induſtria, & bona opera ſunt pro forti muliere, de ſuo officio ſollicita. *Idem.*

Ludentium hypotipoſis. Ingredere hos cœtus, ubi ſtatis horis luditur, & unde quater, vel quinquies etiam ad ludendum aſſidetur; ubi menſæ, menſariique nomina totidem ſunt avaritiæ characteres. Omnes ibi amici ſunt, vide tamen quid fiat. Dimidium lucri ardore, & ſpe commovetur; dimidium vero alterum damni timore, ac dolore conficitur. Cœtus eſt, ubi amor pecuniæ ſimul omnes cordis affectiones accendit, & extinguit, ubi id quæritur unum, quomodo amicus bonis omnibus exuatur, vel quomodo ſe ipſum exuat; ubi nullo in diſcrimine habetur periculum, atque naufragium, dummodo amicus eo ſubmergatur. Vide ergo fallaces hos amicos alterum in alterius excidium intentos; animo tibi finge imaginem eorum pertinaciæ, attentionis, anxietatis, impatientiæ, agitationis, furoris. Hanc *rabioſam amicitiam* S. Cyprianus appellat. *Idem.*

Duplex in ludo committitur injuſtitia. Injuſtitia duplex habet in ludis officium pro duplici bonorum genere, quæ ibi inveniuntur. Bonum, quod ipſi objicimus, bonum, quod ibi quærimus. Bonum, quod ipſi exponimus, legitime noſtrum eſſe debet, ut illud aleæ ſubjicere

valeamus; hæc prima eſt saiiu juſtitiæ: bonum, quod ibi quærimus, legitime in noſtrum migrare debet dominium, ut illud lucremur; hæc ratio altera eſt. Primum illud ludi materiam conſtituit, quod videlicet noſtra ſit pecunia; alterum ludi modum facit, quod videlicet ſine fraude æs alienum lucremur: quidquid contra duplex hoc accidit officium, fit contra juſtitiam, & ludum in crimen convertit.

Tuta vos ludere putatis conſcientia, cum æs, quod ſorti objicitis, veſtrum eſt. Verum tu paterfamilias numquid rationem poſuiſti cum filiis tuis? tu uxor cum viro? tu nepos cum creditoribus tuis? tu dives cum egenis? tu eccleſiaſtice, cum aris, & Deo? Quot vobis obeunda ſunt, antequam per jus, & fas aleæ vacare poſſitis, & dicere: pecunia hæc, quam periculo objicio, mea eſt: dicitis tamen, &c. *Idem.*

Ludus majores parit jacturas, & detrimenta, quam lites. Quam magis funeſtum eſt familiæ tuæ hoc deteſtabili aleæ damnum, quam adverſus litis alicujus exitus? Quam majorem tibi injuſtitiam totus inferre poteſt forus ea, quam tibimet ipſi infers; S. Cyprianus inquit? *Patrimonium ſine ulla fori contentione amittunt.* Quamprimum litem hanc, & forenſia relinque jurgia, ſed filiis ſerva ea, quæ per ludum amittis: raiiouaria, autographa, ſyngraphaſque flammis adjudica, dummodo ſimul luſoria quoque folia comburas. Filii, & familia tua ad paupertatem redigentur, non quod malos habueris cauſidicos, iniquoſque judices, ſed quod illi aleatores, diſſipatoreſque parentes habuerunt. *Idem.*

Qui ære alieno obſtrictus eſt non debet ludo objicere debitam creditoribus pecuniam. At enim nullam habes familiam; omni munere, & cura vacas; verum ærene alieno obſtrictus es? hoc autem tibi grave non eſt? Mirum ſane! Tota urbs, mercatores, artifices, domeſtici pro privatis neceſſitatibus adlaborant; hic autem pretium nemini perſolvet, ac interim ſibi perſuadebit, bonum, quod ludo committit, eſſe ſuum? Heu! quomodo ſuum eſſe poteſt? Magnificæ, quibus utitur, veſtes illius non ſunt, ſupellex non eſt illius, ſed eorum, qui, ut illi ſuas merces credant, ſibi vim faciunt, atque incommodum patiuntur. Numquam eorum injuſtiam intelligam, qui coram creditoribus ſuis egeni, & miſeri repoſitam ſemper habent pecuniam, ut ludant, faciam pecuniam, cujus œconomus eſt ſola voluptas, & quam graviſſima quælibet neceſſitas non auderet attingere. Si vel minimus tibi conſcientiæ ſupereſt ſenſus, audeſne peccata tua confiteri, quin hæc duo ſimul conjungas: plurimum debeo, & plurimum aleæ committo; quod ſi hac ſinceritate facis, inveniſne confeſſarium vel ita rudem, indoctumque, vel ita infimum, qui abſolutionem non deneget?... At neque alieno ære obſtrictus es, inquis, neque aliena poſſides bona: ſed tertio loco numquid pauperum bona non habes? Nullo habes in diſcrimine charitatis neceſſitatem? Quod ludo exponis, vel tibi ſuperfluum eſt, vel neceſſarium. Si neceſſarium num ſanæ mentis es, qui te ipſum ludo exuas? ſin autem ſuperfluum, num obſtruis aures voci Dei, cum non intelligas, quid pauperibus debeas, & ſuperfluum divitis divina providentia miſerorum victui deſtinatum fuiſſe? Frequentiſſime quæritis, quid ſit ſuperfluum, quod eleemoſynæ materia vocatur: hoc illa pecunia eſt, quam ludo committitis; illa, quæ plenis egreditur manibus, cumuleæ objicienda eſt, & quæ tanto labore egreditur, cum eſt Deo devovenda. Ut enim dicam, quod ſentio, mihi perſuadere non poſſum, divitem, vel quicumque ille ſit, coram Deo nocentem non eſſe, qui majorem pecuniæ vim ludo exponat, quam pauperibus eroget, vel in pietatis opera impendat. Huic enim invictæ innitur rationi; quoniam eleemoſynæ, ac pecunia ludo committenda ex eodem fonte haurienda ſunt, hoc eſt ex ſuperfluo, cur audes contendere diviſionem hanc ſaltem ex æquo inſtituendam non eſſe? .... Qui aliter facit, hic magis eſt aleator, quam Chriſtianus. Heu frater! idem S. Cyprianus ait: *Eſto potius non aleator, ſed Chriſtianus.* Hanc agendi rationem immuta, ac tibi cordi ſit magis chriſtiana religio, quam alea. *Idem.*

Quænam eſſe debet ſacrorum bonorum diſtributio, Dominici Altaris miniſtri! Domeſtici illius, qui menſæ ejuſdem eſca nutrimini; numquid hoc vobis præ manibus bonum dedit, ut ad luſoriam menſam illud afferretis? Horribile hujus temporis ſcandalum! videre hanc in JESU CHRISTI miniſtris licentiam, videre manus divinis ſacratas myſteriis tala volvere, ac luſoria folia miſcere... Conſuetudo, habitus, cupiditas, quæ radices altius jecit; ſed eccleſiaſticorum bonorum in hunc uſum profuſio, quonam pacto ſcandali, inhumanitatis, impiæque prophanationis nomine abſolvatur? Chriſti pauperes, quid hac de re dicitis? Sacræ aræ! Dei viventis templa, quæ adeo frequenter neglecta eſtis..... Eheu! Stomachum nobis movet eorum militum impietas, qui ſuper JESU CHRISTI tunicam prope crucem ſortem miſerunt, neque illorum nos moveat, qui eccleſiaſticis aucti beneficiis, qui JESU CHRISTI tunica induti, crucifixi bonis, ac ſpoliis ornati hæc prædæ objiciunt? Ubi ſunt Canones, ubi ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi ſuſpenſiones, atque anathemata? *Idem.* *De eccleſiaſticis ludentibus.*

Ludus ignis inſtar abſumit omnia; primum quidem argentum devorat, mox ad margaritas, lapilloſque, & pretioſam ſupellectilem migrat; tabulæ, ſpecula, veſtes, periſtromata illius effugere aviditatem non poſſunt. Inde equi, currus, ſervi, tandem ædes, agri, redditus, & hæreditates. Experientia hæc omnia ſatis probantur. Quot familias ludo deſolatas videmus? Quot domos everſas? Crudelis cupiditas, quam in mundo tyrannidem, & inhumanitatem exerces! Efficis, ut homo nihil intentatum, & inauſum relinquat furori ſuo ſatisfacturus, atque ad incitas omnino ſe redigat, quin vel domus ſuæ conſulat neceſſitatem, vel filiorum ſuorum lacrymas audiat, atque ſuſpiria. In Chriſtianiſmo illud mihi uberrimis deflendum lacrymis videtur, quod tam magnæ pecuniæ ludo committuntur, cum interim pauperi negetur, unde nudos tegat artus, ac famem relevet. *Ex Auctore recenti.* *Ludus abſumit omnia.*

Solatia alicui rei eſſe debent utilia. Numquid ergo filii ſæculi in vita ſua ſemper futuri ſunt præ filiis lucis ſapientiores? Litteratus non ea quærit ſolatia, quæ miles; qui caſtra ſequitur ſuos habet ludos ab illis diverſos, quibus vir Muſis deditus vacat, & uterque ex ſolatiis ſuis aliquem fructum contendit percipere. Cur non eumdem & Chriſtiani zelum habeant, & non credant ſe jucunde tempus traducere, niſi illius faciant jacturam? Liber hic amatoriis fabellis diffluens tibi, o mulier, affert ſolatium: at hoccine eſt ſolatium chriſtiana matrona dignum? Ullum ne inde ad ſanctificationem tuam fructum haurire vales? Societas tibi perplacet, nec ego quidem æterna ſolitudine damnare te vellem; verum cum ſanctis perſonis junge ſocietatem, & colloquia, quæ cum illis habitura es, in te perfectionis excitent deſiderium. *P. de la Colombiere in conſiderationibus ſuis.*

Mala, quæ ludus in familiis parit. Neſcio, utrum animum advertiſtis umquam ad ea mala, quæ ludus filiis veſtris poteſt afferre: optarem equidem, ne ipſi eſſetis, vel ſaltem eſſe poſſetis aliquando rei interitus animarum ipſorum, quæ judicii die procul dubio inſurgent in vos: etenim horum alterutrum accidit: vel dum luditis, illos relinquitis, vos autem præſertim, o mulieres, filias veſtras; vel ſi vobiſcum illas adducitis, quod illis præbetis exemplum? Si illas relinquitis, in quæ crimina illas labi poſſe putatis, quæ ſi labantur, putaſtine vobis nullam coram Deo reddendam eſſe rationem? Non video equidem, quomodo hanc effugere valeatis, non ſecus ac Dei maledictum contra eos, qui illis ſcandalum afferunt.... Funeſti horum ludorum effectus ad ſervos etiam migrant, quorum ſalutem negligitis, dum ludo vacatis, nihil ſolliciti, utrum tunc Sathanas ſuas artes exerat; & neſcio, utrum Deus vobis imputabit inhoneſta verba, ebrietates, aliaſque impudicitias, quibus ſe mancipant, vobis ludentibus: re enim vera vos quodammodo horum malorum cauſa eſtis; ſibi enim perſuadene hilariter tempus ſuum eſſe traducendum, cum interim

terim vos veſtrum adeo belle impendatis. *Ex Auctore recenti.*

Dæmon vulgo nos ad ludum excitat.

S. Chryſoſtomus ait, non Deum proprie, ſed Dæmonem efficere, ut ad ludendum excitemur; hic pluribus ad id artibus utitur; præſertim vero ſuperbia, avaritia, inertia. Superbia efficit, ut ſemper magnam auri vim ludo exponere velitis cum non pauperum tantum, verum etiam familiæ veſtræ detrimento. Efficit avaritia, ut ſemper lucrari velitis non cum proximi tantum, verum etiam conſcientiæ veſtræ præjudicio. Inertia præſtat, ut ſemper in hac vitæ ratione perſeverare valitis. Unum horum ſcelerum vos perdere poteſt. *Idem.*

Periculoſum eſt cum altero ſexu perſonæ ludere.

Quænam licentiæ occaſio, Mulieres, vobis jugiter cum viris colludentibus, nonnumquam etiam commiſſis capitibus, qui oculis ſemper in vos intentis, ac opportune blandas voces proferentes ſinunt ſibi ludo pecuniam auferri, ut vos perdant. Neſcio, quænam tunc ſint cogitationes veſtræ, ſed de Deo illas eſse mihi perſuadere non poſsum. Heu! quam periculoſæ ſunt hujuſmodi occaſiones! & quidquid dicatis, nequaquam innocentes eſtis coram Deo voſmet huic periculo objicientes. Noſtis, quo pacto paſſim cum adoleſcentulis ludatur; quantula cum illis lucrandi cupiditas; quot cum aliis injuſte fiant, ut penes illas victoria ſtet: parentes hoc vident, neque erubeſcunt. Oportet ſane illos, ubi de honore agitur, cæcos eſse, vel omni prorſus ſenſu carere. Non loquor de affectibus, qui ſæpe propter hanc in ludo indulgentiam ſuboriuntur; & qui aliquando poſtmodum familias dedecore afficientes, ludo eodem aluntur. *Idem.*

De ludo generatim.

Ludus voluptas eſt, quæ, ſi in ſe conſideretur, culpa vacare poteſt; at ſi illum aliquis ſibi in occupationem vertit, quod plurimis accidit; ſi in eo nimium impenditur temporis; ſi illum nimio conſectamur affectu; ſi affectus hic efficit, ut noſtra negligamus officia; ſi in illo nimis magna pecuniæ vis periclitatur; quis ambigit, quominus alea ſit cum ſcelere conjuncta? Ex quo ludus migrat in affectum, vix dignoſci poteſt, quo uſque legitimæ voluptatis fines protendantur? Verum dignoſcatur, numquid minus arduum eſt in eo gradu conſiſtere, ac in ipſo margine immorari? *Idem.*

De ludorum origine.

Luſoria folia, ac tali primis orbis conditi ſæculis in more non erant poſita; neque alii ludi, quorum arbitrium penes fortunam eſt, minus erant in otii temporibus illis felicibus, atque innocentibus. Homines lucta, pedum celeritate, aliiſque certabant ludis, quæ non minus ad corporis agilitatem, dexteritatem, ac robur, quam ad mentis oblectationem conferebant: pretia quoque nomen hoc non merebantur, niſi propter gloriam illis victoriæ inſignibus inhærentem; quippe ex oleæ, vel lauri frondibus, vel florum corolla conſtabant; ut competitores ad jucunda illa certamina ſola honoris æmulatione excitarentur, & avaritia nihil de eorum, qui vicerant, gloria imminueret, & ne eorum, qui victi fuerant, ignominiæ damnum adjicerent. Sed ambitio, crudelitas, avaritia paulatim in hujuſmodi ſolatia obrepſere. *P. Heliodorus Pariſienſis Capuccinus: ſermone 11. de voluptatibus.*

Cur ludi permiſſi fuerint.

Ethnici quoque nos docent, ludos ideo permiſſos eſſe, ut ſpiritus defeſsus recreetur, utque reficiatur a ſeria mentis applicatione in ſtudiis, domeſticis, publiciſque curis, mercatura, artibus; jugis enim attentio fatigat, proſternit, requiem capere cogit; & corpus laboris diuturnitate exhauſtum non poteſt amplius menti ſuggerere ſubſidia ad laborem perferendum neceſſaria; & ſolatium requiri videtur ad diſſipatas vires reparandas, ad auferendum ſpiritui malorum ſuorum adſpectum, ad inducendam illi exantlatorum laborum oblivionem; ita ut ad conſueta revertatur officia, quaſi illorum oblitus, & corpus ipſum par ſit, operæ, quam debet, præſtandæ. Artium, commercii, negotiorum, ſtudiorum, militiæ maxime intereſt, ut publicæ, privatæque perſonæ hoc capiant ſolatium, & nihil magni in mundo perfici ferme poſſet, niſi honeſta ſolatia repararent vires, quæ neceſsariæ ſunt, ut maximi momenti res ad perfectionem adducantur. *Idem.*

Quam attentionem ludus requirat.

Qui ingentem auri vim ludo objiciunt, idque crebro faciunt, diffiteri nequeunt, ludum maxime ſerium negotium, nec minimi momenti occupationem fieri. Nulla eſt lectio, his nulla, quæ magis hominis occupet attentionem, quam cura luſorium aliquod folium rejiciendi, vel admittendi, ne alteri proſpera arrideat fortuna, teſſeram aliquam movendi, proferendi, retrahendi, inſignem adverſario ictum inferendi, atque ab illius inſidiis ſibimet quam diligentiſſime præcavendi. Hæc autem mentis attentio tanta eſt, ut alearor neque potus, neque cibi meminerit, neque vel oculos habeat, vel aures, vel mentem, ut quid ibi fit, videat, & quid prope ipſum dicitur, audiat. *Idem.*

Varii ludentium effectus.

Affectus non minus cor aleatoris agitant, quam ludus illius occupet mentem: omnes alearum, talorumque motus movent, atque perturbant animam eorum, qui inſignem ludo exponunt pecuniæ ſummam. Adverſarius teſſeras jacit, eique ſenio, vel jactus venereus victoriam pollicetur; timor, triſtitia, deſperatio animum pervadunt illius, contra quem ludit. Sin autem medius damnoſum inter, auſpicatumque jactum accidit illi, aleator ipſe ſatis explicare non poteſt, utrum ſpem ſuperet metus, curam lætitia, atque gaudium triſtitia, ac deſperatione ſuperentur. Quo autem gaudio perfunditur, ſi adverſario damnoſi ſemper ſubſiliant canes; ſi felicibus ipſe utatur intervallis, ut jacturam, quam paſsus eſt, valeat reparare, qua voluptate perfunditur; & hic ab uno ad alterum fortunæ ſeu adverſæ, ſeu proſperæ extremum, quantam in corde illius parit agitationem. Illud vero magis dolendum eſt, quod eum metus, dolor, deſiderium aliquando ſpem eripiant, homo timet, ne in æternum cariturus ſit iis, quorum jacturam paſſus eſt: ea reparare ſummo cum ardore deſiderat; ſibi perſuadere non poteſt futurum, ut infortunium uſque ipſum perſequatur, ac adverſa fortuna pro ipſo ſuam amittat mobilitatem. *Idem.*

Infelices eventus ludi.

Ludi effectus nonniſi miſeri eſſe poſſunt; quæcumque te ſpes alliciat, quæcumque tibi arrideat proſperitas, portentum eſt homo alea locupletatus. Fortunæ inconſtantia, ac rei familiaris negligentia non ſinunt aleatorem bonis ſuis frui... Verum eſto quodcumque lubet; cum illo conjuret fortuna. Aleatores, id quod inſigne lucrum putatis, erit domorum veſtrarum excidium, veſtrarumque fortunarum everſio. Hoc aliena didiciſtis experientia; noſtis eos, cum quibus ludentes magnam hanc argenti, aurique vim eſtis lucrati, nullam familiæ ſuæ curam gerere; noſtis, illos eo uſque redigi, ut agros, & avita prædia, domos, & ipſa etiam venumdent officia; noſtis, eorum filios, creditores, atque domeſticos paupertatis, & deſperationis victimas fieri; & poſt graviſſima aleæ damna maxima ſequi flagitia. Hæ veritates non minus aleatoribus exploratæ ſunt, quam certæ. *Idem P. Heliodorus Capuccinus.*

Non propter ſolatium, ſed propter lucrum ut plurimum luditur.

Liquet nullum ex ludo capi ſolatium, cum ludenti adjacet damnum; & præter corporis, mentiſque labores inde nonniſi cum mœrore, deſperatione, graviſſimis ſollicitudinibus, & impatientia agitatis rationem excogitaturus, quæ non ſtatim animo occurrit, qua acceptam reparare valeas jacturam. Hoc ſatis eſt, ut intelligas te non ludere, ut ſolatium, ſed lucrum percipias; te non animi ſolatium, ſed ſordidæ cupiditatis complementum perquirere. Cum vero lucraris, lætitiam tuam diſſimulare non vales; frons tua, oculi, geſtus cordis tui hilaritatem enuntiant; atque hac in re tibi nihil eſſe charitatis oſtendis; quandoquidem ob ea lætaris, quæ proximum tuum ad deſperationem adigit, & quæ tot mortales miſeros efficiunt. Quantumvis dicas te ob lucrum tuum, non autem ob alienum interitum, damnumque lætari, lucrum tuum effectus eſt alieni infortunii, & interitus; bonum hoc tuum eſſe non po-

teſt, quin eſſe ceſſet alienum. *Idem*.

De ſcandalis, quæ in ludo præbentur.

Fieri vix poteſt, quo minus omnia furentia hominis vitia in ludo emiceent. Cupiditates illum adeo inconditis motibus agitant, ut temperare nequeat, quo minus, quod in corde latet, multalium omnium oculis prodeat. Inania verba gaudenti, atque ſperanti elabuntur; metuenti mendacia, atque perjuria; blaſphemia dolenti, ac deſperanti. Impetus hujuſmodi omnia cordis latibula detegunt: avaritia, ira, impietas ſeſe citra ullam verecundiam proferunt; & hæc peccatorum multitudo non minorem Deo injuriam, quam hominibus ſcandalum adfert. *Idem*.

Non ludendum cum eo, qui ludens iraſcitur.

Poteſt aliquis repente ira excandeſcere ludens; cum te non latet, illum in iracundia ſua nequaquam perſiſtere, criminis illius particeps non es; neque enim illud prævidiſti, neque ipſe aliquid contuliſti pertinacia tua, ut dejeraret, ac blaſphemias evomeret. Verum ubi ſcis, aliquem vulgo iracundia effervéſcere, cum tibi compertum, atque exploratum eſt, illum numquam fere luſoriæ aſſidere menſæ, quin juret, atque in blaſphemias erumpat, peccatorum ejus ſis particeps, non ſolum ubi cum illo jurgaris, quod ſi umquam faciendum leniter eſt, expectandum eſt, donec furor ejus deſerbuerit; verum etiam te illorum participem facis, ſi cum eodem ludere perſeveras; niſi antea illum moderatiorem factum fuiſſe, ac ſui ipſius magis compotem eſſe cognoveris. *Idem*.

Calvini ſenſus de alea.

Quamquam aleæ, teſſeræque, Calvinus ipſe inquit, ſuperſtitionem minime ſapiant, ſunt tamen plurimorum ſcelerum inſtrumenta, ac ſæpe plurima pariunt mala, & pericula. Illas tamen non omnino damnarem, niſi in pravum uſum adhiberentur. Sed quis non abutitur illis? Homines adeo violentum ludendi habitum contrahunt, ut quodam veluti faſcino illecti nonniſi maxima cum difficultate valeant abſtinere. Inde ſexcenta oriuntur mala; juratur, fallitur, in iracundiam erumpitur, familiæ bona perduntur. Nulla habetur ratio; religioni nemo ſibi vertit Deum laceſſere, dummodo lucrum feratur: quamobrem utilius eſſet, ut ab hujuſmodi ludis pro virili abhorreremus, vel ut dicam melius, ut omnino igni & aqua illi interdiceremus. Hæc docet Hæreticus Ep. ad 20. ſcripta inter diverſ. art. *Thiers in tractatu de ludis cap.* 16.

Ludus Chriſtiano viro habendus non eſt, niſi tamquam aptiſſimum ad feſſas corporis, mentiſque vires reficiendas remedium, ut deinde intentius vacetur operi, & ſeriis rebus agendis aptiores efficiamur. Etenim quemadmodum ille in baptiſmo abrenuntiavit mundo, operibus, & pompis ejus, non licet amplius illi ſolatium, quatenus ſolatium, perquirere. Ut autem eodem uti legitime valeat, opus eſt, quod hoc illi quodammodo ſit neceſſarium, ac dicere poſſit, ſe eodem uti, *utentis modeſtia, non amantis affectu*. Quemadmodum vero finis unicus, & ſola ludi, ac ſolatii utilitas eſt corporis, mentiſque reparare vires, extra omnem aleam eſt, fas non eſſe ludere, ac ſolatiis vacare, niſi ad ſummum uti fas eſt, quieſcere, dormire, manducare. *Ex eodem*.

Prudentia judicare debet de ludis, & ſolatii neceſſitate.

Quantopere hujuſmodi ſolatiis egeamus, ipſa nobis oſtendet prudentia, quantumvis modicum boni ſenſus adſit, atque nobiſmet ipſis, noſtræque profeſſionis officiis animum advertamus. Etenim ſi eos prætergrediamur cancellos, quos ratio, & evangelica diſciplina nobis hac in re præſcribunt, rerum natura mutatur; quod additamentum eſt, caput fit; pro fine ſumitur, quod via tantum eſt, ut eo perveniatur: utque id ſimplicius, apertiuſque dicam; ludus nobis eſſe ceſſat, quod re ipſa eſt, quoniam ceſſat eſſe ſimplex corporis, animique refectio, quæ duas haſce partes, quibus conſtamus, magis idoneas efficit, ut ſecrete, ut chriſtiane, atque ſecundum chriſtianas diſpoſitiones agamus: ita ut ex D. Thomæ 2. 2. qu. 268. art. 3. ſententia, ludi exceſsus capitali noxa non vacet. *Exceſſus in ludo eſt peccatum mortale*. Idem.

De iis, qui ære alieno obruti ludunt.

Obærati, qui æs creditoribus ſuis perſolvendum ludo committunt, magis vituperandi ſunt; hoc enim ex iis ſceleribus eſt, quæ cœleſtem ultionem expoſcunt. Plerique principum, ac nobilium virorum, qui ludunt, hoc ſibi religioni minime vertunt; undequaque mutuantur, ut ſumptibus, qui in ludum fiunt, provideant, cumque creditores æs repetunt ſuum, illi inanibus pollicitatiunculis hos fallunt, nugis fatigant, ſemperque moras nectunt, ut in aliud tempus æs diſſolvere differant. *Idem*.

Periculum, cui ſeſe objicit, qui ludit, ac ſolatium perquirit, circumſtantia eſt, quæ ludos, ac ſolatia efficere poteſt nefaria. Ideo quiſque ſe ipſum conſulere debet, temperamentum ſuum, ingenium, ſtudiaque ad examen vocare, antequam ludat, ac ſolatia perquirat. Qui pecuniæ æquo cupidiores ſunt, numquam ludo pecuniam, vel aliquid, quod pecunia æſtimari poſſit, committere debent; fieri ferme non poteſt, quod non ludant per avaritiam, & cupiditatem lucrandi, quæ res efficit, ut ludere nefas ſit. Qui iracundi ſunt, violenti, furibundi, ad jurandum, ac blaſphemandum proni, hi quoque a ludo quam maxime abhorreant opus eſt, ne irritentur, ne in juramenta, ac blaſphemias erumpant, &c. *Idem*.

Ludus nocens eſt, cum magno periculo objiciatur pecuniæ.

Cum plus æquo luditur, & pluſquam amittere rationabiliter velles, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, nefas eſſe ludere, quia ludo comes accedit injuſtitia, quia ibi magis regnat cupiditas, quia minus ibi capitur voluptatis, quia impenſius tunc ludus amatur, & quia exponitur aleæ bonum in uſum meliorem convertendum, & cujus jactura ſæpe graviſſima gignere ſolet flagitia. Hoc malum hodierna die inter Chriſtianos vulgatiſſimum unum ex illis eſt, in quæ Ethnici quoque, maxima cum indignatione, veluti tamquam in graviſſima ſæculi ſui vitia, invecti ſunt. *Idem*.

Scandalum quod ludus afferre poteſt.

Plurimi etiam ſcandalum afferre poſſunt proximo ſuo ludentes, immo & reipſa illis ſcandalum afferunt: hujuſmodi ſunt parentes erga filios, domini erga famulos ſuos. Hi quippe ſcandalum præbent, cum domos ſuas in aleatorum ganeas convertunt, vel cum ipſi inſanies id genus locos frequentant; cum diu ludunt, cum in ludo noctes, dieſque traducunt; cum nimis magnam auri vim aleæ objiciunt, cum jurant, ac blaſphemant, cum per avaritiam, & aviditatem ludo vacant &c. *Idem*.

Quantus ſit hodie ludi amor.

Verum eſt ludi amorem hodierna die eo proceſſiſſe, ut nulla ſit amplius regula, vel menſura, & integros dies, nocteſque in aleam tranſmittere, honeſti viri, honeſtæque mulieris ſolatium habeatur. Credunt etiam hoc ipſum vitæ genus belle cum pietate conſentire, nihilque in eo fieri contra religionis officia, ſi tunc etiam, poſtquam feſtinanter ſacris interfuiſti myſteriis, reliquum diei feſti ſpatium ludo impendas. Vitium hoc totum paſſim terrarum orbem inficit; ſed peculiare noſtri hujus ſæculi malum eſſe reor, quod hodierna die ad mulieres æque, ac ad viros hæc labes pervaſit; neque enim vidiſſe memini, alio quovis tempore fœminis tantum hoc dedecoris exprobratum fuiſſe. Neque neceſſe eſt hoc in loco recentem hunc in mulieribus furorem deſcribere; nemo unus ignorat, quot rei familiaris jacturas, quot familiarum excidia nova hæc pariat diſciplina. Verum non ſecus ac vara tibiam ſequitur, & vitium hoc alia ſubſequuntur; quia iniquitas non niſi iniquitate, uti veritas veritate fulcitur: mulieres, quas hæc ludendi libido tenet, pravis utuntur conſiliis, rationibuſque, ut ſuppetat ſibi, unde illam valeant explere. *Dominus du Tremblai in tractatu de Ludis*.

De aleatoribus eccleſiaſticis.

Mirum eſſe non debet, ſi Idololatriæ cupiditatibus omnibus obnoxii fuere, ac inter cæteras ludendi eos prurigo tenuerit; illud vero debet eſſe mirum, quod Imperator tantum hoc malum ævi ſui eccleſiaſticis, quin immo Orientis totius eccleſiaſticis exprobraverit. Hoc autem videmus in præfatione cujuſdam conſtitutionis Juſtiniani, quæ in extrema codicis lege invenitur. Nobis quidem perſuaſum eſt,

Cæ-

Cæſar ait, ſacerdotum puritatem, vitæ eorum integritatem, aſſiduarumque precum fervorem plurimum prodeſſe, ut Deus & nosmet ipſos, & imperium noſtrum propitio numine foveat: verum nobis etiam ſtupor inceſſit audientibus ea, quibus vix fidem poſſumus adhibere, aliquos videlicet ex his ſanctis viris, qui nonniſi ſumma cum reverentia excipiendi ſunt, nulla teneri verecundia, quo minus alea, teſſeriſque ludant. Quid autem ſapiens ille princeps dixiſſet, ſi, quæ noviſſimo hoc fiunt ſæculo, teſtis oculatus fuiſſet intuitus? *Idem*.

Ludi, & ſolatia per ſe amplectenda non ſunt.

Si tibi perſuaſum eſt, ſolatium per ſe amandum non eſſe, ſed tantum veluti neceſſarium ad exhauſtas attentione, ac labore vires reparandas remedium, & eum, qui aliter eodem utatur, æque ſtulte operari, ac illum, qui pharmacum optaret, quo ad valetudinem reſtaurandam minime indigeret: ſi tibi, inquam, hæc veritas probata eſt, haud ita operoſum mihi erit perſuadere, ſolatiis quam parciſſime utendum. Quemadmodum enim nihil ſtultius fingi poteſt homine remedia propter ipſa amante, eadem habenda eſſet idea hominis, qui ſimpliciter ſolatia quæreret, ut ſolatiis perfrueretur: attamen tantum abeſt, quod hæc nobis inſit idea, ut illam ne animo quidem concipere valeamus; cujus rei hæc ratio eſt. Parum ſanæ mentis haberetur, qui pharmaca pro bellariis acciperet, quia pharmacorum guſtus omnibus ferme accidit inſuavis, cum e contra ſuaviſſima habeantur ſolatia. Sed hoc in loco duos comparo ægrotos, quorum alter quidem corruptam habet rationem, alter vero guſtum depravatum; alter hic medicinam haurit, quia illius amat guſtum; cum ſolatiis vacare non debeat, niſi ut corpus, mentemque ſuam fatigatam reficiat, quemadmodum pharmacum hauriendum non eſt, niſi ut valetudo reparetur. *Idem*.

Qui ex profeſſo aleatores ſunt, aliis quibuſcumque muneribus impares ſunt.

Ludi amor omnino diſſipat mentem, eamque ineptam facit, quæ alteri cuipiam vacet rei, vel ex re alia qualibet, quam ex ludo, hauriat voluptatem. Attende, exempli gratia, utrum mercator, qui ludum deperit, rite ſuo munere perfungatur; utrum cauſidicus, miles, quotidie munerum ſuorum exercitationem intermittant, ut ludant. Sed nequicquam diutius hac in re immoraremur: teſtor mundi totius experientiam, ipſamque aleatorum conſcientiam, & ex illis quæro, utrum alteri cuipiam tranſigendo negotio ſint pares. *O aleatorum ſedentaria, & pigra nequitia!* S. Cyprianus inquit. *Idem*.

Ad hæc aleatores ſuimet ipſorum, ac familiarum ſuarum ſunt inimici; homines ſunt, qui ſeſe quotidie in ſummum diſcrimen adducunt. O crudeles homines, ita illos S. Cyprianus appellat, in turpi ludi occupatione ea diſſipantes bona, quæ a patribus accepere, majorum ſuorum laboribus, curiſque collecta... Quoties res familiaris peſſum ire videtur, ſeu vir, ſeu uxor perdite ludum ameot? Quot filiis deſunt neceſſaria, eo quod pretioſiſſima quæque in ludi ſumptus effunduntur? *Idem*.

Avaritia ſæpe ludi hortatrix eſt.

Eædem cupiditates pro varia ſpirituum affectione varios gignunt effectus. Ita non deſunt, qui propter avaritiam non ludunt, quia damni timor magis eos movet, quam lucri ſpes. Alii vero per avaritiam ludunt, quia damni timor lucri ſpe ſuperatur; & lucrandi cupiditas, ac ſpes cauſa eſt, propter quam homines ludunt, & qui ingentem auri vim ludo committit, quia ſperat, ſe tantumdem eſſe lucraturum, ac minorem quidem objicere vellet, ſi ejus ſe jacturam ſubiturum metueret: *Ex alieni concupiſcentia ſua prodigit*: opes ſuas aleæ ſubjicit, quia alienis ſe locupletare contendit. *Idem*.

Una avaritia ludi cupiditatem gignit, & alit, eamque eo uſque provehit, ut quidam veluti furor evadat, quemadmodum eam doctus quidam auctor appellat: *Furax dementia*. Verum ludus quoque viciſſim fovet avaritiam, eamque cupiditatem irritat, quam adſpectus objectorum, ac facilitas iiſdem fruendi. Mortales omnes naturaliter pecuniam cupiunt; neceſſitatum ſuarum ſenſus efficit, ut inceſſanter id quærant, quod illis ſolatio eſſe poteſt. Nulla promptior, & facilior lucrandi via eſt, quam ludus, ideoque ludus neceſſario avaritiam irritat... Qui audax eſt, & magnam auri vim ſubjicit aleæ, vel vincit, vel vincitur; ſi primum, cupiditas ejus magis inflammatur, nullum eſſe periculum putat, ac jamjam omnem aleatorum pecuniam ſuam arbitratur: ſin vincitur, cupiditas damnum, quod paſſus eſt, reparandi efficit, ut iterum ludat, ut ſi jacturam fecit, eamdem reſarciat. Hoc pacto ſeu vincat, ſeu vincatur, cupiditas ejus convaleſcit, atque tandem adeo acer, ac valida fit, ut ad leviſſimam quamlibet occaſionem inflammetur... Si re adhuc integra modicum aliquod ludo commiſit, lucellum hoc excitat affectum, & affectu commoto aleator non eſt amplius juris ſui, neque id ultra præſtare poteſt, quod antea decreverat. Hoc in ſtatu non meminit amplius officii ſui; & ſi quando redeunt in mentem ea, quæ initio ſtatuerat, cupiditate momento diſſipata evaneſcunt. *Idem*.

Ludus crudele commercium eſt.

Ludus adeo crudele commercium eſt, ut alterius clades non optari non poſſit: neque enim aliter aviditatem noſtram optare licet, cum lucrari nequeamus, quin alii amittant; neque alii lucrari poſſint, quin ipſi damnum feramus. Hæc ludi crudelitas eſt: & hac proculdubio de cauſa aleatores ab Ariſtotele fures, latroneſque vocantur; horum quippe voluntas, æque ac illorum, injuſta eſt; & quemadmodum cupiditas nullis finibus coercetur, ſi hæc hodie argentum quærit, ſemper creſcere poteſt, ac demum ad exitium illius, cum quo luditur, extendi. *Idem*.

In ludo nulla ferme æquitas ſervatur.

Verum eſto, ſi aleatores æquitatem ſervarent; ſi partes invicem æquales committerentur; quid autem cum hæc numquam accidant, vel ſi quando contingunt, non niſi præter intentionem ludentium eveniant? Cum in ſocietate aliquis adeſt, qui facile falli poſſit, nonne cum illo omnes certatim ludere contendunt rati, ſibi elabi victoriam non poſſe? Umquamne animadvertiſti, quibus artibus utantur, ut illum ad ludendum alliciant? Quomodo hæc prudentia, ac dexteritas appelletur? Verum enim vero ſi dexteritas iſta aliud non eſt, quam fraus hominis, qui mundi prudentiam poſſidet, aſſerere merito poſſum, hunc hominem non eſſe Chriſtianos ſenſus foventem. *Idem*.

Cur tam alea interdixerint.

Legiſlatores, qui norunt, quam difficile ſit hominum cupiditatibus fines ſtatuere, operæ pretium cenſuere omnino ludis illis igni, & aqua interdicere, in quibus facile incaleſcit animus, & in quibus vere dicitur, facilius eſſe omnino non ludere, quam moderate ludere, eo quod facile eſt illis diu, qualibet hora, & quolibet in loco ludere; cum e contra ludis, qui cum corporis exercitatione conjuncti ſunt, non niſi quibuſdam horis vacare liceat; in his non adeo celeriter pecuniæ jactura fiat; & ſpiritus fatigetur in illis, in quibus ſola dexteritas refert pretium. *Idem*.

Hæc ſecum ſæpe repetant oportet, numquid me in terris conſtituit Deus, ut luderem, ac ſolatiis vacarem? Tot abierunt anni, ex quo ludum, ſolatiumque dumtaxat conſector; quid inde mihi reliquum eſt? Numquid cor meum ideo contentum eſt; & illi, qui hoc vitæ genus ſecuti non ſunt, numquid ſunt præ me minus contenti? Nunquid adhuc hiſce detinebor nugis, quæ vere mihi ſatisfacere nequeunt? Accedit tempus, ingentibuſque greſſibus advenit, quo mihi reddenda erit Deo ratio tum ejus temporis, quod mihi, ut ſalutem meam operarer, conceſſerat, tum meæ valetudinis, ingenii, bonorumque meorum; atque momentum hoc hodie fortaſſe, veſpere, nocte hac fortaſſe irruet. Numquid animam efflare vellem nuper a teſſeris, aleiſque recedens? *Idem*.

Ludus eſſe non debet noſtra occupatio.

Quoddam tempus, & quaſdam horas honeſto impendere ludo, per urbanitatem, atque ſocietatis indulgentiam luſoriæ menſæ aſſidere, neceſſitas eſt ſimilis illi, qua veſci, ac dormire debemus; videlicet ut parumper mentem reficiamus, novaſque corpori vires tribuamus. Verum ita ludo

vacare, ut hæc præcipua ſiat occupatio noſtra, atque in hoc omne fere tempus tranſmittatur; & ita ut illi, quibus negotium, & labor miniſterio ſuo interdicuntur, non erubeſcant dies, noctesque tranſmittere alea ludentes, & inveniendi modos, hoc eſt, amicos ipſos diripiendi eorum pecuniam auferendo quærentes; nihilominus in ira, & dolore ſuo, in impetu, ac faciei colore, in incompoſito corporis habitu minime non videre ſordidiſſimæ, teterrimæque avaritiæ characterem; hoc ſane eſt ſe ipſum excæcare. *Sermo manuſcriptus, qui Patri de la Rue acceptus refertur.*

De ludo, & mala, quæ inde proficiſcuntur.

Mundani ludunt, ut cum illos pertæſum fuerit otii, aliquod habeant, quo oblectentur. Ludi amor efficit, ut ſuis deſint officiis, eoſque illuc adigit, ubi chriſtianæ pietatis exercitia obire non valeant. Nemo non videt, aleas, teſſeraſque præcipuum eſſe hominum, mulierumque negotium, qui in ſe totius civitatis oculos convertunt, ac timent, ne ab omnibus deſpiciantur, & flocci fiant, niſi communem vivendi rationem ſequantur. Res domeſtica neglecta, jurgia inter conjuges, abjectiones, quibus reparandæ ſunt inſignes jacturæ, perſona abjecta, & nonnumquam turpis, & nefaria, qua fortunæ excidio ſupplendum eſt; quamplures, qui honeſtum vitæ genus, æquabile, & chriſtianum duxiſſent, aleatorum numerum augent, hanc prætexentes cauſam, quod videlicet evitare cupiunt ludibrium, in quod ſe lapſuros putant, ſi eam vitæ rationem ſequerentur, quæ illos ab aliis diſtingueret. *Liber cui titulus: Animadverſiones in varia Ethicæ, & religionis argumenta.*

Plerique mortales ſatis ſib. non putant honeſta ſolatia.

Si in variis motibus, quibus homines in mundo agitantur, ut tempus fallant, id unum ſibi proponerent, ut confectas reficerent vires, poſſent illi quidem innocenter ſeſe recreare. Non deſunt gaudia quædam ſimplicia, atque naturalia, quæ ſpiritum reficiunt, honeſtas neceſſitudines aluat, commercium jucundius efficiant, & quæ ſine tædio guſtari poſſent. Hæc tamen nullam habent illecebram, ac ſuavitatem pro mundi ſectatoribus, immo triſtia videntur, fatua, ac parum apta ad mentem exhilarandam, atque excitandam animi alacritatem; eaque illis relinquunt, quos vel obſcura ſocietas, vel ruſtica ſolitudo a feſtivis ſocietatibus arcet. In eorum voluptatibus aliquid ſemper incompoſitum debet ineſſe, ut veræ videantur voluptates. *Idem.*

Extra omnem dubitationis aleam verum eſt, omnia inordinata ſolatia eſſe peccata, mihique non minus perſuaſum eſt, nulla eſſe eorum, quibus oblectamur, ubi plurimum mali non adſit. Quam ob cauſam? Audi. Voluptates, atque ſolatia reguntur ex fine: habita ratione laboris præteriti ſunt relaxationes; ratione vero futuri, ſunt diſpoſitiones, & apparatus. Non igitur licent, niſi quatenus neceſſaria ſunt, vel ut attritas vires repares, vel ut recentes acquiras. Hæc menſura eſt. Quidquid illam excedit, Dei conſiliis adverſatur, ideoque vetitum eſt. At quis non videt; quod mundi ſolatia vulgo neque labor aliquis præcedit, neque labor aliquis ſequitur? Quod illa propter ipſa quæruntur ſine alio conſilio, quam ſuavitatis eorum guſtandæ, & commodæ vitæ ducendæ? Quod ibi teritur tempus ſine modo, ac ſine fine, atque ſe nocentem exhibet, qui ita divinæ providentiæ ordinem ſubvertit? *P. Giroust in Adventu, tomo 1. ſermone de inutili mundo vita.*

Aſſiduus ludus peccatum eſt.

Fateor equidem non deeſſe ludos quoſdam, qui culpa vacent ſuoi, dummodo modice illis utaris: hæc nonnumquam recreatio eſt menti & corpori debita ad alterius quidem vires nimia attentione exhauſtas, ad alterius vero nimiis laboribus attritum robur reparandum. Sed ludi, qui ex profeſſione inſtituti videntur, dierum omnium, omniumque fere horarum, diurnarum æque ac nocturnarum præter eas, quæ ſomno, & quieti impenduntur; ludi, in quibus tota vitæ ratio ſita eſt, cum hujus quædam dumtaxat additamenta eſſe deberent; verbo, ludi, quales in mundo videmus, illi ſunt, quos damno, & jure damnandos cenſeo. In illis Dei erga vos conſilia minime invenio: hoc neque natura vos docet. Non quæro, utrum hoc ſit, ut Chriſtianum, ſed ut hominem decet, vitam inſtituere; & utrum adeo inane negotium factum fuerit, ut animæ rationalis cogitationes omnes in eo figerentur? *Idem.*

Mali prætextus, qui aſſeruntur, ne ludo abrenuncietur.

Ludus meus, inquis, nullam affert terrenis negotiis meis injuriam, aleæ committo ea tantum, quæ mihi ſuperſunt: eſto, ſed ludus hic tuæ ſalutis negotium evertit: nonne ſatis eſt? Sine furore, ac violentia ludo, hoc eſt, te ipſum ſciens, & volens damnas. Non erumpis, ut alii in perjuria, atque blaſphemias, teque retinet non tam Dei, quam hominum timor, & falſus honor, quod aucuparis, videri elegans, & imperturbabilis aleator, atque tui compos, non ſolum cum tibi arridet fortuna, verum etiam cum tibi adverſatur. Verum quomodocumque ſit, nulla ratio excuſare poteſt injuſtam tui temporis diſſipationem; quod quidem malum eſt omnino oppoſitum cœleſtibus intentionibus, & contrarium regulis, quas tibi tradidit Deus. Cæterum numquid manifeſte verum eſt te aleæ ſubjicere ea tantum, quæ ſunt tibi ſuperflua? Ubi nihil tibi ſupereſt, nonne iis manum admoves, quæ ſunt neceſſaria? At hoc ipſum, quod ſupereſt, & quod audacter adeo periculo objicis, eſt ne tuum? Nonne pauperum eſt? & neſcis apertam eſſe injuſtitiam aliena bona in diſcrimen adducere, ac ultro diſperdere? *Idem.*

Peccata & mala, quæ ex ludo proficiſcuntur.

Ludum amas, atque conſcientiam tuam perdit hic ipſe ludus interminatus, & exlex, qui tibi non eſt amplius ſolatium, ſed occupatio, ſed profeſſio, ſed negotiatio, ſed affectus, & animi ægritudo, ſed, ſi dicere fas eſt, rabies, & furor, ludus, de quo ad apicem litteræ dici poteſt abyſſum eſſe alteram, vel centum alias abyſſos trahentem: *Abyſſus abyſſum invocat.* Pſ. 41. Inde enim proficiſcuntur innumera illa peccata, quæ illum conſequuntur: inde officiorum tuorum oblivio, rei familiaris incuria, perniciosum, quod filiis præbetur, exemplum; inde redituum tuorum diſſipatio, inde indignæ verſutiæ, ac ſi verbo aptiori uti licet, nefariæ fraudes, quas lucri cupiditas parit; inde furor, perjuria, deſperatio, cum amittitur; inde turpia illa conſilia, ad quæ confugiendum eſt, ut acceptum damnum reparetur; inde illa ad omne nefas propenſio, dummodo inveniatur, quod aleæ ſubjici poſſit. Ludum coerce; & quoniam facilius eſt illum prorſus relinquere, quam moderari, eum relinque, ac palam hoc ipſum profitere. *P. Bourdalouë ſermone de Pœnitentia in veris ſermonibus ejus 2. Adventu.*

Mira attentio, quæ ludo impenditur.

Ludus non eſt amplius ſolatium, ſed ſtudium, quod exſiccat, ſed ſterilis, ingratuſque labor, quod vires exhaurit, ſed affectus, cui bona omnia, quies etiam, & anima ſacrificantur. Mentis attentionem, quæ ab exercitiis pietatis ſeparari nullo modo poteſt, nimiam eſſe conqueruntur: heu! alea majorem poſcit attentionem, ac mentem fatigat magis, quam magnus dierum numerus in ſolitudine tranſactorum. Quæ contentio, Domine! ut inceptam ludi rationem ad finem feliciter perducas, ut fortunam captives, ut ſemper ſortem in tuum commodum transferas, ut artem, atque verſutiam eludas, denique ut ipſa quoque aliorum conſilia, & cogitationes detegas, utque adverſario etiam tuo fucum facias. Satis eſt animo tibi fingas aleatorum congreſſum: nihil hoc magis grave, magiſque ſerium; triſtis ſeveritas in eorum facie regnat, omni conſideratione præterquam lucri repoſita, jugiter mente ſua aliquem agitant caſum, qui ſibi faveat, neque inquietum hoc, moleſtumque ſilentium, quod ſervant, intercidunt, niſi ut vel metum, quo tenentur, ne amittant, vel dolorem, quo conficiuntur, quia amiſere, teſtentur. Semper abſtracti uſque ad quamdam mentis alienationem magis communium vitæ urbanæ officiorum obliviſcuntur. Omnia illis condonantur verba injurioſius, acerbius, na-

cundius, ac importunius prolata, non ſecus ac ægris, quos nimia ſpiritus diſſipatio, vel ſanguis nimis agitatus de mentis ſanitate proturbat. Pravum eorum ingenium ultra ludum ipſum perſeverat, ac imprudens pertinacia, ne dicam ſpecies furoris lucrum perennandi, vel acceptam reparandi cladem, indeſinenter ludum inſtaurari jubet, ac animi affectum efficit vehementiorem. Hoc illud eſt nobile ſolatium, congreſſuum omnium anima, ætatum omnium ſcientia, omniumque nexus voluptatum. *P. Croiſet in ſpiritualibus Conſiderationibus*.

Ludus familias evertit. Ludi affectus umquam ne cum magna rei domeſticæ cura conſentit? & qui ex profeſſo aleator eſt, umquam ne cordi habet id, quod ipſius maxime intereſt? Numquid ludus artem locupletandi tradit? Piratæ numquam familiis tantum nocent, quantum alea; ſeſſio una naufragio par eſt; & licet omnium feliciſſimus ſis, metuendum ſemper tibi eſt, ne filios miſeros relinquas. Quot obæratæ familiæ; quot domus, quarum opulentia fulguris inſtar evanuit, ſtatim ac mortalium oculis enituit! mundi ſectatores numquam hæc mala veræ cauſæ referunt accepta. Sapiens veram mali originem ſcrutatur, atque in ludo, & luxu verum naneiſcitur tot malorum principium. *Idem*.

Nequicquam ſexcentas afferre conaris cauſas, ut probes te ludere, ſicut honeſtum decet virum, hoc eſt modice, ſapienterque; certum eſt, ibi nihil umquam fieri quæſtus in cœlum inferendi, ac ſemper pecuniæ jacturam minoris eſſe ducendam. Verum enim vero ſi illius, qui ex profeſſo aleator eſt, qualitas pudorem cuicumque Chriſtiano debet offundere, quid de illis cogitandum eſt, qui ob turpe lucrum adeo legibus, boniſque moribus contrarium, domum ſuam aleatorum academiam faciunt? Hi eo miſeriores ſunt, quo minus ſuam ſentiunt miſeriam. Quænam conditio magis chriſtiano nomine indigna? Aperire, ut ita dicam, omnibus cupiditatibus aſylum, ubi palam, ac imperioſius regnant; licentiæ perfugium, ac vitiis omnibus arcem, ubi dominantur, & ſexcenta mala gignunt. O Deus! quæ cæcitas, ne dicam quis furor pro ignavis, ac mercenariis hiſce animabus, velle ſibi vitio verti omnia aleatorum, quos congregant, crimina, ac totius populi iniquitatem ſubire, ſæpe etiam ob voluptatem videndi domi ſuæ nitentem aliquam ſocietatem, ſemper vero ob cupiditatem, quidquid dicatur, ferendi lucrum, quod æque ſordidum eſt, ac perniciosum. *Idem*.

Quando, & quomodo ludere liceat. At enim numquamne ludere licebit? & quodlibet licet honeſtum ſolatium nobiſmet ipſis interdicamus oportet? Non ita ſane: animus non eſt quodlibet abſolute ludi genus damnandi, neque uſum rerum omnium, quæ citra Dei injuriam hominis vires reparare, ac recreare poſſunt. Exceſſus dumtaxat damnatur, & amor; id unum vituperatur, quod bonis moribus contrarium eſt, & frugi, honeſtæque Chriſtiani hominis vitæ, nec non evangelicis inſtitutis oppoſitum. Colluſorum cœtus, quem urbanitas cogit, & chriſtianus ſpiritus regit, eſſe poteſt honeſta recreatio, dummodo non ſit quotidiana. Ludus ſemper eſſe ludus debet, hoc eſt, in ſerium negotium non debet migrare. Quia totum hominis ſpiritum occuper, eum immo laxare debet; cupiditas, periculum, affectus inde prorſus debent exulare; ac ita ludus eſt inſtituendus, ut nulla umquam tibi adſit cauſa, propter quam vel jacturæ pœniteat, vel nimio ob lucrum gaudio perfundaris. *Idem*.

De ludi amore, deque iis, quæ parit. Ludi amor, honeſtiorum hominum nunc amor eſt, atque inter ſuaviſſimas vitæ delicias recenſetur: ſed amor eſt, quod nomen omnia ſatis ſignificat, crucem, vim, mentis attentionem, ſtudium, officiorum oblivionem, maximi momenti negotiorum incuriam, quæ non aliud ſunt, quam præludia quædam, quæ, ut ita dicam, hic amor requirit. Aleatorem eſſe ex profeſſo plurimo ſtat ſumptu. Quot obæratæ familiæ, quot optimæ hæreditates diſſipatæ, quot potentes domus everſæ! Hæc omnia ludi amor parit. Hæc quidem non ita magno cum ſtrepitu fiunt, verum haud-ne minori cum ſumptu? Una ludi hora nonnumquam plus divitiarum abſumit, quam pluribus annis induſtria, & laboris aſſiduitate colligitur. Affectus hic ſimilis eſt torrentibus, qui ſæpe ſicco pede tranſvadantur, ſed quæ ſemper magna cum agrorum vaſtitate alveo ſuo exundantia feruntur. Temporis, ac pecuniæ jactura ſola non eſt, quæ in alea fiat: nonne ipſa conſcientia, probitas, religio periclitantur? Umquamne ibi naufragium patiuntur? Mirum! Satis eſt aliquem nobis dominari affectum, ut quidquid nobis chariſſimum eſt, huic ſacrificemus. *P. Croiſet tomo 2. aſceticarum conſiderationum*.

Sæpe ſolatium quærimus per otium, non ut mentem, ſed animumque recreemus. Solatia in mundo hodierna die non ſunt amplius oblectamenta, quæ ratio doceat, & urbanitas exigat: ſed exercitia ſunt, quibus fatigamur, per quæ animi affectus illudunt nobis, pro libidine id perſuadentes, quod ipſis blanditur. Neque ſolatium quæritur, ut ſpiritus reficiatur, ſed ut otiandi voluptati velificetur, & ut ſpiritus idem occupetur ſecundum mobilia deſideria cordis inconſtantis, cujus ille ſæpe ludibrium eſt. Ludorum, ſolatiorumque nexus ut plurimum maxime ſeriam, & fere unicam mortalium occupationem conſtituit; non quæritur ultra ſolatium, ut vivamus, ſed vivimus, ut ſolatiis vacemus. Miſeri putantur illi, quos magis chriſtiana cordis affectio ineptiarum harum nugarum minus avidos facit: & quilibet ſe miſerum putat, niſi quibuslibet voluptuariis cœtibus interſit. *Idem*.

SUPPLEMENTUM.

Solatia, Choreæ, Mundani cœtus.

Mundanorum ſolatiorum periculum. IN mundanis cœtibus plerumque totus ſæculi ſpiritus invenitur; deſiderium placendi; libido alios quidem videndi, videndi autem ab aliis. Illic ædificantur *tela nequiſſimi ignea*, ut Apoſtoli verbis utar, quibus hoſtis vanarum animarum, quæ ſunt mundi idola, & quibus mundus idolum eſt, affectiones inflammat. Illic omnes addiſcuntur uſus luxus, vanitatis, ambitionis, illic accenduntur cupiditates eæ, a quibus cæteræ perturbantur, & per commercium, quod animarum ſaluti fatale eſt, alii quidem ſeducendi alios artem percipiunt; alii vero ſibi gloriæ vertunt, quod ſeducuntur. *Flechier*.

Abſtinendum eſt a choreis, & profanis ſpectaculis. Hæ profanæ repræſentationes, hæc ſpectacula, quibus tot mundani inertes, atque voluptuoſi interſunt; hi publici, & voluptuarii cœtus, quibus admittuntur ii, quoſcumque illuc adducit libido ſeu alios videndi, ſeu ſe aliis ſe videndos præbendi. Duplici verbo dicam, ut melius intelligar: choreæ, & ſaltationes iſtæ ſuntne permiſſæ, an vetitæ? Alii vera illuſtrati ſapientia, quæ Evangelica eſt, eas improbant; alii vero fallacibus carnalis ſapientiæ luminibus decepti eas probant, vel probare conantur; quiſque ſuam ſequitur ſententiam; mihi vero, ut illas condemnem, nihil ultra videtur neceſſarium, quam hæc ipſa varietas ſententiarum. Etenim cur in re adeo vana periculo objiciam conſcientiam meam, cum alioqui facile eadem carere poſſim? Hinc quidem dicunt id genus ſolatia nequaquam vacare culpa, inde vero tenent non eſſe criminoſa; ex quo colligendum eſt, ſaltem ſuſpicione vacua non eſſe, & quia illi, qui aſſerunt, innocentiam lædi, ſunt in ſuo vivendi genere magis laudabiles, in officiis ſuis obeundis magis diligentes, & in ſcientia viarum Dei magis eruditi, nonne tutius, ac ſapientius eſt, me eorum ſequi ſententiam, neque adeo temere ſalutem meam periculo objicere? *P. Bourdalove in Dominicis*.

Inepta eſt excuſatio aſſerere profana ſolatia non officere bonis. Complures viros bonos extitiſſe dicetis, quibus non obfuere ſolatia; at quæſo temporis jactura, quod in illis impenditur; ſcandalum, quod vel ſola præſentia ibi præbetis, nonne vobis mala ſunt ſatis magna? Saltem hac ex duplici parte crimine non vacatis. Eſto quidem, ſi lubet, inconcuſſa vobis ſit virtus, ac animæ fortitudo nullis illecebris labefactanda; at hæc, quæ in vobis

privilegia eſſe concedo; in omnibus ſunt? Nequaquam; tamen quot fratres veſtri infimi vos ſecuti, veſtris veſtigiis inſiſtentes periere. Numquid inſontes eſſe poteſtis, cum hoc pacto ſitis cauſa, ut alii nocentes ſint? Pernicies eorum omnium, qui in cœtibus mundanis corrupti ſunt, partim recidit in vos. Quilibet teſtis in partem accedit ejus mali, quod tunc fit; neque enim hujuſmodi ſolatia locum nanciſcerentur, ſi a nemine perquirerentur; & qui criminis participes ſunt, erunt etiam aliquando pœnæ conſortes. *Auctor Anonymus*.

Quid nobis ſidei lumen in ſaltationibus detegat.

Quid vident, exempli gratia, mundi ſectatores in ſaltationibus? Vident cœtum mortalium, qui alacres oblectari ſtudent, ac communibus voluptatibus aliquid conſerre; mulieres, quæ nullum prætermittunt lenocinium, ut ſibi amorem concilient, & viros, qui nihil non audent, ut illas a ſe amari ſignificent. Vident ſpectaculum, quod ſenſus percellit, quod mentem replet, cor mollit, ac leſtive, ac blande mundi, & creaturarum amorem incendit. Verum quid fidei lumen in profanis hiſce cœtibus oſtendit iis, quos illuminat, & quibus videndum præbet, quid re ipſa ſit in angelorum oculis ſpectaculum ipſum? Videndam illis exhibet horrendam cœdem animarum ultro citroque necem ſibi inſerentium; oſtendit illis mulieres, quæ viros ſexcentis lethalibus vulneribus lauciant, & viros, qui neſaria idololatria mulierum pectus transfadigunt. Oſtendit illis dæmones in haſce animas ingredientes per omnes corporis ſenſus, venenum illis miſcentes per objecta iiſdem de induſtria expoſita, eas ſexcentis catenis vincientes, mille pœnas iis præparantes, atque illuſionem, & cœcitatem eorum irridentes. Oſtendit illis Deum iratis oculis has animas intuentem &c. *Ex tractatu de timore Dei*.

S. Gregorius tamquam periculoſam improbat temeritatem eorum, qui nondum ſatis in Dei amore confirmati, nimio fervore externis operibus bonis vacant, ſub ſpecie charitatis: difficile quippe eſt, ne ſpiritus hujuſmodi exercitationibus diſſipetur. Quodnam ergo tuliſſet judicium de illis, qui cum infirmiores ſint, non verentur profanis cœtibus intereſſe, ſpiritum magis diſſipantibus, quam graviſſimæ quælibet occupationes; præſertim vero cum nulla prætexi cauſa poſſit charitatis, aut zeli; quandoquidem ibi voluptas tantummodo quæritur? *Recens Auctor*.

Effectus cœtuum mundanorum in iis, qui converſionem cogitant.

Aſcetici alicujus libri lectio, ædificans converſatio, adhortatio pathetica, pius gratiæ motus mundanæ huic perſonæ, quæ converſione maxime indigebat, oculos aperuerant. Incipiebat illa, non ſine mœrore, mundi commercium intueri. Perterrita errore detecto, Dei gratia illecta ſcelera ſua horrebat, & jam jam vitam ſibi reformandam eſſe ſtatuebat, cum nimis in cordia ſui conſtantia confidens, rurſus incidit in periculum, & ſimulac iterum in cœtum prodiit, mundus jacturam, quam facturus erat, reparavit, & ſenſus cum corde conſentientes ſpiritum captivarunt. Dicto citius omnes præclaræ ſpes illæ evanuerunt; vincula ſemifracta iterum coaluerunt. Jam jam converſa erat; & in ſemet indignabunda ſuccenſet, quod de converſione cogitaverit: pudet illam gratiæ aurem præbuiſſe; & pœnitet, ut ita dicam, validis gratiæ impreſſionibus quodammodo ceſſiſſe. Hic vulgatiſſimus effectus eſt cœtuum pernicioſorum mundi hujus. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Bone Deus! Quæ virtus tot inſidiis reſiſtere valeat! Quænam inter tot pericula perſeveravit innocentia? Si mundus magnum pelagus eſt procellis plenum: dicere poſſumus mundanos cœtus ſcopulos eſſe difficillimos. Nemo diffidit, quia omnia illic rident, omnia tranquilla videntur. Sed non deſunt mutæ procellæ, non ventorum dumtaxat vi peritur: naufragia, quæ in ſumma pelagi malacia fiunt, ſunt omnium funeſtiſſima; in nullam reditus ſpem perit, qui periculo non prævifo, & ſine ſtrepitu perit. Quis autem de hujuſmodi cœtibus diffidit? Mundi ſpiritus, qui illis præeſt, ibi omnia ſua dogmata, tamquam totidem leges proponit: quæ licet duræ, amaræ, ac a religione abhorrentes ſint, non licet tamen illis reluctari. Diceres mundum idolum eſſe cœtus; & chriſtianas Matres huic idolo quotidie filias ſuas immolare. Hanc in ſcholam illas adducunt edocendas quidquid in vanitate exquiſitiſſimum eſt, quidquid in mundi ſpiritu nequiſſimum, quidquid in cupiditatibus voluptuoſiſſimum; & poſthæc mirum videtur, ſi in chriſtianiſmo adeo parum pietatis eſt, atque religionis? Mundanis hiſce cœtibus debetur perennitas ſpiritus mundi, relaxationis morum, atque irreligionis. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Chriſtianorum vita, quam ſit oppoſita officiis ſuis.

Chriſtianorum omnium officium eſt Deum indeſinenter laudare; at vita eorum cum hoc inevitabili officio concordat? Laudaturne Dominus in voluptuariis cœtibus, ubi omnia conferunt ad animam ſeducendam, molliendamque; ubi cor per oculos, aureſque deductum iis omnibus inhæret, quæ illud alliciunt, & ubi lingua tot veneficiis ſuſpenſa muta fit, & motu carens? In tanto voluptatum fragore auditurne religio! Nil ſapit, niſi quod palpat ſenſus; atque tot inter objecta, quæ placere poſſunt, & reipſa placent, anima ſuis dominabitur cupiditatibus? Hoc cœtuum genus, proprie loquendo non eſt, niſi eruditiſſima omnium animi perturbationum ſchola; quæ ſi ibi ortum nactæ non ſunt, certe obtinent incrementum. Ibi cum fructu, ac nitore lectiones habentur feſtivitatis, calliditatis, ambitionis. Diſcitur, quomodo belle amatoria negotia expediantur, parentum religioſa vigilantia eludatur; bona fides ſexcentis verſutiis fallatur; inſidiæ non fruſtra alienæ innocentiæ ſtruantur; callide competitor amoveatur; tuto de inimico ultio ſumatur; fortuna ſua in alterius excidio attollatur; cumque hæc documenta ſint blanda, eaque Auctores mirum in modum commendare norint: quorum procedit cupiditas ardens tanta arte tradita in corde, quod ad illam excipiendam præclare adeo diſpoſitum eſt? *Ibidem*.

Ne illos exaſperem, ad quos fortaſſe hic ſermo pertinere poteſt, & illos nequaquam nimia ſeveritate, nihil humanæ imbecillitati tribuente, deterream; ne putetis me cogere velle Chriſtianos ad omnia ſolatiorum genera ſive temporibus, quæ eorum perfruitioni deſtinata videntur, ſive aliis in occaſionibus, quibus urbanitatis, neceſſitatis, & officii etiam ratio eadem exigere videretur, relinquenda. Quantumvis auſteram nobis Evangelium, ac Patres chriſtianam Religionem exhibuerint, cruces tantum, pœnitentiam, mortificationem & ſui abdicationem crepantem, numquam eo uſque ventum eſt, ut omne gaudii, recreationis, vel ſolatii genus interdiceretur. Hæc enim nonnumquam neceſſaria ſunt corporibus, mentibuſque, ne nimis pertinaci contentione, aſſiduoque labore frangantur. Profiteor igitur me ex eorum non eſſe numero, qui extrema quævis probem; hoc enim eſt hujus ſæculi ingenium, ut ex altera quidem parte numquam graviora, & nequiora ſcelera extiterint, ex altera vero numquam ſeveriores inventi fuerint cenſores, qui nullum ſervent modum, ac tamquam laxitatem, & abuſum condemnent, quidquid æquiſſimum eſt, atque probatiſſimum. Quamobrem fateor, non deeſſe ſolatia quædam licita, honeſta, utilia, atque etiam neceſſaria; & illa, dummodo ſervetur modus, quem morum diſciplina illis præſcribit, videlicet moderatio, decorum, tempus aptum ac definitum, damnari non poſſe citra zeli imprudentiam, quæ potius ſeveri ingenii effectus eſt, quam virtutis, quæ nulla in re flectitur, atque laxatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Quod ſit diſcrimen inter licita, & vetita ſolatia.

Quemadmodum non minus vitium eſſet, morum relaxationi indulgere nimium molli indulgentia, quæ efficit, ut qui omnes induſtriæ ſuæ nervos contendere deberent ad ſcelera evellenda, non audeant publica flagitia inſectari; quam illa immodica ſeveritate damnare; ad utrumque ſcopulum evitandum, qui ex æquo timendi mihi viden-

videntur, per vos mihi liceat diſcrimen illud conſtituere, quod in ſolatiis ſervandum eſt; neque enim ſunt omnia ejus generis, atque naturæ. Sunt quædam omnium promiſcue temporum, ac per ſe nullo in diſcrimine habenda, ubi unus tantum exceſſus vitio vertendus eſt. Hujus generis ſunt deambulationes, venatus, corporis exercitationes, quæ valetudini æque, ac voluptati inſerviunt; & quia facile eſt illis honeſtum finem tribuere, qualis eſſet mentem diuturna in negotiis obeundis attentione fatigatam reficere, vel corpus jugi feſſum labore recreare, ut deinceps valeant ſuis impenſius defungi muneribus, ſancta, & laude digna fieri poſſunt, neceſſitas quippe, quæ excuſat illa, eadem quovis tempore probat, & lex ad ſummum illa moderari poteſt definiens tempus, & nimium eorum amorem coercens. Alia vero ſunt, quæ conſuetudo, quæ cum S. Baſilio dæmonis traditio poteſt nuncupari, invexit, quæ licet neutra videantur, ſi theoretice ſpectentur, & iis nudata circumſtantiis, quibus corrumpuntur, ſemper tamen in malum potius, quam in bonum inclinant, cujus modi ſunt, alea, exquiſita convivia, ſaltationes, & cætera id genus, non alium finem habentia, quam voluptatem, & cujus effectus ſemper timendi ſunt. Nam quin ſtatuamus, utrum aliquando licere poſſint, an ſemper totidem ſint gravia crimina (quod toto affirmari nequit, niſi ad examen revocentur circumſtantiæ, & variæ cauſæ, quæ nos ad eadem impellunt) haud hæſitanter ajo, hæc numquam eſſe periculoſiora, quam quibuſdam temporibus, quæ intemperantiæ devota fuiſſe videntur; quoniam exceſſus, qui illa in tot peccata convertit, numquam magis metuendus eſt, neque difficilius evitandus. *Idem*.

Solatia, quæ numquam culpa vacant, licere nequeunt.

Suppono exceſſum ſolatiorum, quibus ut pluſimum ſæculi ſectatores indulgent, ſemper eſſe criminoſum; licet alioquin eorum uſus quibuſdam in occaſionibus poſſet probari. Hoc vero nemo unquam in dubium revocare poteſt, quin palam ſe licentiæ patronum oſtendat, ſimulque evertat totius morum diſciplinæ principia, quibus exceſſus omnibus in rebus damnatur; hoc enim illud crimen conſtituit, quod jure intemperantia vocatur, quæ cum numquam culpa vacare queat, numquam licere poteſt. Tria vero, quæ ſeorſim nos in hoc vitium impellere poſſunt, ſimul omnia colliguntur, quibuſdam præcipue temporibus, quæ impudicitiæ, atque intemperantiæ deſtinata videntur; videlicet animi diſpoſitio, vel indita nobis a natura ipſa propenſio; prætextus, quibus illa probari poſſe videntur; denique occaſiones maxime urgentes, a quibus cavere ſibi hoc opus, hic labor eſt. Dico igitur his omnibus ſimul conſlventibus manifeſtum fieri periculum ad ea extrema deveniendi, quæ jure deplorat eccleſia, & quæ ideo cuilibet fideli accuratius evitanda ſunt, quod fieri nequit, niſi cauſa evitetur, ea videlicet anni pars, qua homines effuſius ſolatiis ſe ſe ingurgitare conſueverunt. *Idem*.

Cum adeſt timendi ratio, ut in exceſſum ruamus, ſolatiis abſtinendum eſt.

Si animi ſtudium, propenſio, vel alicujus objecti amor, æquam præbet metuendi cauſam, ut ſolatiis utamur ſine neceſſaria moderatione, cum iiſdem perfruemur, vel ut æquus terminos præſcriptos prætergrediamur, quis dubitat, utrum paratiores ſimus ad ea fruenda eo tempore, quod conſuetudo voluptati conſecraſſe videtur, quam alio quovis, & eo, quo illi, qui alioquin magis frugi, & verecundi ſunt, plus ſibi licere volunt, quam alia quavis anni tempeſtate? Notatum ſemper eſt, quia tamen detegi ratio valuerit, omnibus ferme ſæculis univerſalem inſtinctum quodammodo omnium mortalium mentibus dominatum fuiſſe, ita ut repente viſi ſint modo concurrere ad arma, modo coire ſimul ad ingredienda per remotiſſimas terrarum plagas itinera, modo peculiarem artem aliquam excolere, ut ea, de quibus antea nemo cogitabat, facta fuerint velati communia populorum omnium negotia. Verum poſſumus affirmare quadam vertiginis ſpecie humanas mentes agitari quibuſdam temporibus, præſertim vero dum Bacchanalia ſucrunt, ut omnes genio vacent, & ſolatiis indulgeant. Quilibet ad ea diſpoſitus eſt, non ſexus, non ætas, non conditio ulla expers eſt. Cauſa illius ſtudii, quo voluptates appetimus, non latet; quandoquidem hujus rei principium in nobis metipſis eſt, cur autem hoc ſtudium violentius eſt, vulgatius, ardentius hoc potius tempore, quam alio? Tempus tereret, qui hujus rei cauſam inquireret, niſi cum Patribus diceret has eſſe Ethnicæ religionis reliquias, quæ apud Chriſtianos permanſere, qui poſtquam confregerunt Idola, eorum tamen ritos ſervarunt, velati ad reparandum in anteceſſum tempus mortificationis, quod Evangelici præcones tamquam proximum illis annuntiant. *Idem*.

Solatia publica ſtatis temporibus fieri ſolita primis Fidelibus erant interdicta.

Eccleſia, & Religio primis Fidelibus interdicebant publica ſpectacula, quæ ſtatis temporibus fieri conſueverant; verum cum primorum ſæculorum fervor intepuerit, prout Fides, & Religio latius ſuos poſuit fines; cupiditas tandem charitati prævaluit, & legibus, quæ in primæva diſciplina ad unguem ſervabantur, & omnes antiqui Canones non prohibuerunt, quominus conſuetudo ad præſens uſque tempus perveniret, tamquam teſtimonium illius propenſionis, quo humanum cor ſæculis omnibus voluptatum deperiit. Fatebimini profecto, propenſionem hanc validam eſſe, noſque ad eam mirum in modum proclives eſſe, quandoquidem nulla vi facta cedimus, imo nuſmet in anteceſſum publicis ſolatiis præparamus, atque certatim alii aliis oblectationibus fruendi occaſionem præbemus, choreas inſtituentes, inſtruentes convivia, & novam aliquam rationem excogitantes temporis illius in alea, ludicris, ſpectacoliſque traducendi. Quis autem ſibi perſuadere poterit, cum natura ipſa conſtitutum ſit, ut ultro quæramus ſolatia, & eadem aliis etiam procuremus, ſervatum iri chriſtianam moderationem, quæ docet ſimplicem mentis recreationem admittere, & ſalutarem corporis exercitationem, quæ duæ ſolum efficere poſſunt, ut ſolatia honeſta ſint, nobiſque conceſſa? *Auctor recens*.

De nobis diffidendum eſt, cum agitur de choreis publiciſque ſolatiis.

At enim, inquies, flagitia, quæ quibuſdam intemperantiæ temporibus committuntur in choreis, & ſaltationibus, quibus homines potiſſimum occupantur, minime probo; igitur damnandæ quoque ſunt occaſiones, quæ ſibi iſthæc ſuadent, & evitandum periculum, quod te illis objicit. Hæ autem occaſiones ſunt eædem voluptates, quas tibimet concedere paratus es. Cave igitur melius ab alea, ac ludo, quem effuſius amas iis temporibus, quibus in illo noctes integræ traducuntur, poſt dies in ſexcentis ſtultitiis inſumptos, & propter quem plures menſes ſumptibus frænum injectum eſt, & grandis pecunia mutuo accepta non ſine ingenti ſpe jacturam aliis temporibus factam ſarciendi. Chorea, aliaque ejus temporis, quod Bacchanalia vocatur, ſpectacula eſſene poſſunt magis vacua culpa, & periculo iis diebus, quibus mens eſt omni ſolatiorum genere diſſipata, & cor voluptate corruptum liberiorum, ac in omnem lætitiam effuſiorum ſocietatum, quæ etiam alias induunt perſonas ad celandam quodammodo infamiam, qua ſuffunderentur, ſi palam in hujuſmodi ſolatiis parum pudicis, honeſtiſque deprehenderentur? Quot mortales illis intereſſe non auderent, niſi tempus faveret ingenio, quo rapiuntur, & modum ſuppeditaret liberius cupiditatibus ſuis ſatisfaciendi? Audacter ergo dicere poſſumus, ſi hæc flagitia probro digna ſunt, quod nemo valet inficiari, neceſſario inde conſequi, nequaquam vacare culpa ſe illis objicere, ac in diſcrimen adducere interitus. At periculum hoc nuſquam majus eſſe poteſt, quam publicorum ſolatiorum tempore; præter enim propenſionem, qua quiſque illa appetit, tempus ipſum, generali conſuetudine approbante, favet, validiuſque ad eadem invitat. *Idem*.

Pa-

Patet, quidquid efficere debet, ut magis timeamus periculum noſmet tradendi oblectationi, & voluptati in mundi feſtivitatibus, præſertim vero in illis, quæ bacchanalia appellantur, quæ ſunt tamquam omnium flagitiorum ſentina, patet inquam hoc imo nos impellere, ac in illud præcipites agere; immo etiam coram hominibus excuſare videtur eos, qui incidunt in illud. Etenim nonne verum eſt, licet natura ita conſtitutum non eſſet, ut ultro ad hæc ſolatiorum genera propenderemus, vel ætas, dignitas, officium, aut negotia noſtra alio quovis tempore nos inde avocarent: omnia hac in re cedere conſuetudini: juſtitiam in foro judici; opificet ab operibus ceſſare, alioſque omnes negotiis, vel quotidianis occupationibus inducias præbere? Calamitoſi temporis hujus negotium unicum eſſe videtur voluptatibus indulgere. Si hoc fieret, ut mox majori vi iterum ad ſuas quiſque curas reverteretur, & hæc animi recreatio hac mente moderate ſumeretur, nimis ſeverus eſſet ille, qui ſolatia hoc anni tempore damnaret potius, quam alio; ſed quis probare poteſt, intemperantiam & impudicitiam propter tempus, & conſuetudinem excuſari, necnon cancellos tranſilíri, quos humanæ infirmitati ratio concedit? Etenim hanc potiſſimum cauſam prætexere mortales ſolent, ut facilius in omne vetitum ruant, quia, inquiunt, torrens eſt conſuetudo, qui paſſim fortiſſimum, & conſtantiſſimum quemque rapit, & perinde ac iſta conſuetudo contra rationem, & æquiſſima Chriſtianæ Religionis jura præſcripſiſſet, hæc allegatur, ut ſeſe omnes excuſent. Timor, ne ab aliis in ludibrium vertamur, & cenſoria nota perſtringamur, ſi verecundiores vulgo fuerimus, quam illi, nonne ſæpe majorem vim habet, quam virtutis amor, ſuique officii cura? Societates, quæ numquam ſunt frequentiores, & otioſiores, nonne videntur ab omni labe tueri eos, qui illas ſequuntur, & imitantur? Nonne ſe citra probrum eſſe putat, qui hæc ſe facere jactitat, ut ſuum oſtendat ingenium, ut liqueat, ſe noſſe mundum, & hæc facere, quia ab honeſtis hominibus fiunt? Cum hæc omnia ſimul coeunt, conſuetudo, exemplum, ſocietate., timor diſplicendi propter repulſam, quæ parum honeſta, & inurbana videretur, quis ſe ſatis excuſatum non putet, ſi quid peccaverit, quandoquidem vix aliquis hoc tempore, & hujuſmodi in occaſionibus ſe continet? Tamen quis audeat affirmare illos eſſe culpa vacuos, & conſuetudinem alicui coram Deo prodeſſe? *Auctor ſermonum in omnia argumenta.*

Sola flagitia quæ bachanaliorum tempore committuntur, prohibere debent, ut quis temporis hujus ſolatiis interſit.

Quid porro magis magiſque debeat vobis in ſuſpicionem adducere ſolatia, quæ mundi occupationem ſtatis præſertim temporibus conſtituunt, & quæ prætermitto, ſatis enim ea noſtis: Quid inquam ea nobis in ſuſpicionem adducere debeat, hoc eſt, quia videlicet ipſa per ſe gravia peccata ſunt potiſſimum eo tempore, quod Bacchanalia appellatur, tempore intemperantiæ, atque impudicitiæ, quod criminoſum facit, quod citra crimen aliis anni temporibus fieri poteſt. Videlicet aleæ exceſſus, exempli gratia, criminoſus eſt, neque ambigitis: commeſſationum, compotationumque exceſſus crimine nequaquam vacat, quod de aliis etiam ſolatiis dicendum eſt, & hoc extra omnem dubitationem poſitum eſſe ſupponimus. Quid autem harum rerum omnium exceſſus eſt? Quandonam hoc nomine ſunt appellanda? Fatendum eſt tunc eſſe, cum omnino ſe ſe illis mortales ingurgitant, ut ita dicam, & in iis totum ſuum tempus impendunt. Qui exempli cauſa, tempus omne tereret ludendo, vel bibendo, & manducando, vel qui æternum quacumque re vellet oblectari; proculdubio, licet iſta per ſe licerent, exceſſus eorum licere non poſſet, & affirmare horum ſolatiorum exceſſum generatim criminoſum eſſe, id eſt affirmare, de quo dubitandum non eſt. *Recens Auctor.*

Quandonam ut plurimum ſe ſe mortales tradunt in omne libidinum genus, niſi ſtatis temporibus, quæ omnino illis devota eſſe exiſtimantur? Num de alia quapiam re tunc cogitatur? Nonne dies noctesque id cogitatur? Nonne id in occupationem, negotiumque migrat? At enim bibendo, vel manducando non exceditis: hoc ſatis difficile eſt, quod credam. Non multam pecuniæ vim aleæ committitis; eſto, licet ægre voſmet contineatis. Modeſtiæ, pudoriſque terminos non tranſilitis in choreis, & ſaltationibus; non levis adhuc vobis reſtat cauſa diffidendi. Qua igitur in re poſitus eſt exceſſus iſte, qui numquam culpa vacat? In tempore, quod inſumitur; in ardore, ac nimia cupiditate, qua hæc ſolatia conquiritis, in eorum amore, quod ipſi teſtamini. Quoniam enim hoc tempus ſolatiis, & oblectationibus deſtinatis, illud totum, quantum eſt, in illis impenditis. Et ſane ſi bacchanaliorum tempore Chriſtianæ religionis facies ſpectetur, cum eccleſia, piique viri lacrymantur, quid videbitur, niſi otioſorum hominum congreſſus, qui in mollitie, ignaviaque immerſi tempus tantum terere quærunt, & quibus hoc unum negotium eſt, efficere, ut ſolatia, & voluptates alia aliis ſuccedant, eaque permutare ſtatim ac priorum uſus faſtidium pepererit. *Idem.*

Solum tempus quod ſolatiis impenditur contrarium eſt legibus Chriſtianiſmi.

Quid cogitatis eo tempore, quod mundus voluptatibus, atque ſolatiis deſtinat? Id procul dubio, quomodo voſmet gaudio mancipetis, omnemque moveatis lapidem, ut quam uberrime ſolatiis omnibus, deliciiſque abundetis: ſi enim exceſſus non eſt in uſu, in ſumptu, vel in modo, tempus, quod impenditur, ſaltem excedit, ſimul enim conciliari non poteſt cum Chriſtianæ religionis ſanctitate, tempus eſſe, vel anni ætatem vitio, flagitiiſque deſtinatam. Sed quam afferre poteſtis excuſationem, quæ valeat aliquo pacto probare flagitia, quibus voſmet ingurgitatis? Ut extremum vale dicatis flagitiis, ac licentiæ, reſpondebitis, inchoaturi tempus mortificationis, & pœnitentiæ, quod eſt ſubſecuturum. O præclaram rationem abrenuntiandi voluptatibus, & ſceleribus, ſeſe in illis volutare! Geminare intemperantiam, integras noctes in alea, ſaltatione, compotatione, & commeſſatione traducere, idque ut te proximo diſponas jejunio ſanctiſſime in eccleſia Chriſtiana inſtituto. Hæc excellens quidem eſt diſpoſitio ad obtinendas recentes gratias, ac cœleſtes benedictiones tibi promerendas. *Auctor recens.*

In publicis ſolatiis, in ludis, choreis, & ſaltationibus, levis noxa videretur, ſi ſolus re illis traderer. Conſuetudo hæc approbans, & exemplum generale, quod omnium verſatur oculis, quamprimum cæteros trahunt, qui traditum a nobis exemplum ſecuti ſeſe eidem conformant; hinc intemperantia fit generalis; alii alios ſeſe mutuo excitant, & nulla conditio, nullus ſexus, nulla ætas eſſe poteſt immunis. Alii aliis fiunt lapis offenſionis, & petra ſcandali, ut loquitur Scriptura, tamquam omnes ſimul perituri, ſibimet ſcopulo futuri, vel alii alios in præceps daturi, vel denique apprehenſa aliorum manu alii alios in foveam pertracturi. Hinc fit, ut libidines, & flagitia quibuſdam temporibus non ſolum publica ſint; verum etiam, ut catervatim, gregatimque in illa curratur. Non niſi ludentium cætus videatur, & ſocialiter ſibi per vicem gaudendi, oblectandique occaſiones præbentium, ac omne tempus ſuum in alea, choreis, & voluptatibus abſumentium. Alios exemplo noſtro excitamus, alienoque excitamur ipſi, conſuetudo probatur, vel ſi nondum ſatis conſtituta fuerit, eamdem nos quoque conſtituere conamur. *Recens Auctor.*

Quemadmodum Deus ſibi

Jure dicere poſſumus, flagitia, in quæ labimur iis præſertim temporibus, quæ conſuetudo volupta-

tibus

quædam [illegible] tempora, quibus colatur, ita dæmon ſibi videtur reſervaſſe bacchanalia.

tibus conſecravit, valde frequentiora, & graviora eſſe ratione eorum, a quibus patrantur. Nam ſi iſti vitio culpiam ſunt obnoxii, tunc potiſſimum ſe illi mancipant liberius ea mente, quod tempus, quod ſubſecuturum eſt, reparabit omnia, atque ſupplebit iis omnibus officiis, quæ per hæc oblectationum tempora neglecta fuere. Satis eſt dicere hoc tempus eſſe intemperantiæ, quo regnant poteſtates tenebrarum, ut eo omnia permiſſa eſſe arbitremur. Diceres, quod, quemadmodum Deus poſt mundi creationem unum ſibi reſervavit diem, qui unice cultui ſuo impenderetur, ita Princeps tenebrarum, qui vult rebus in omnibus divinitatem imitari, ejuſque cultum ſibi uſurpare, quod tot ſæculis apud Ethnicos aſſecutus eſt, licet foras ejectus a mundo, ſecundum Domini verbum, videtur ibi ſtatos habere dies, ut Deus ſuos habet; & nomen ipſum, quo hæc ſolatiorum, ac intemperantiæ tempora nuncupantur, ſatis aperte docet, illum votorum ſuorum ſummam eſſe conſecutum; dies, quibus homines plerique non omnes ſolum conſcientiæ ſuæ ſtimulos jugulant, verum etiam ipſa rationis lumina extinguunt ſe ſe immodicis abdentes cupiditatibus, quæ ad inſaniam uſque procedunt, & quod fidem excedit, de omnibus ſuis flagitiis gloriantes. *Auctor ſermonum in omnia Ethicæ argumenta* &c.

In his choreis, ſaltationibus publiciſque cœtibus graviſſima flagitia committuntur.

Quonam alio nomine, quam dementiæ, vel furoris potius appellari poſſunt hi larvatorum mortalium cœtus, hi nocturni diſcurſus, inſani hi ſumptus in commeſſationibus, tripudiiſque, aliiſque id genus noxis, quæ in choreis committuntur? Quot laſcivi geſtus, quot indecora verba, quot figuræ, habituſque corporis non dicam homine Chriſtiano, ſed eo, qui ſimplicibus recti ſenſus luminibus nititur, indigno! Flagitia, quæ ibi patrantur, modum excedunt; & ſi Deus id genus mortalibus gratiam largitur, ut reſipiſcant, nullus dubito, quin fateantur aliquando, ſe in hujuſmodi nocturnis congreſſibus nequiſſima vitæ ſuæ crimina commiſiſſe; quandoquidem dicere verum eſt, ſola peccata, quæ ab hoc ſolatiorum, ac metamorphuſeon genere ſeparari non poſſunt, plerumque eſſe eorum omnium, quæ alia quavis in occaſione committi poſſunt, peſſima. Nonne quippe fatendum eſt, quantumvis frugi alio quovis tempore ducatur vita, ſaltationum, atque chorearum tempore longe majorem eſſe, quam alias animi diſſipationem: quoniam auſteriſſima etiam virtus, & probatiſſima innocentia ibi ſæpiſſime periclitantur? *Auctor recens*.

Ubi ſemel noſmet tradidimus intemperantiæ, quæ in ſaltationum, chorearumque cœtibus adeo frequens eſt, non ſemper in nobis ſitum eſt, eidem cancellos præſcribere. Quemcumque modum ſervare conſtituimus, pes eſt in lubrico, neque ita facile eſt noſmet continere intra eos fines, quos propoſuimus, quin ulterius progrediamur. Labimur, vel trahimur, ne cogitantes quidem, neque ſatis ille ſe ipſum cognoſcit, qui credit fore, ut reſiſtere valeat ſollicitationibus, precibus, tentationibus, quæ illi occurrent, ubi ſemel iis implicitus fuerit. Tranſitus ab eo, quod permiſſum dumtaxat eſt, ad id quod vetitum, plerumque modico eſt in diſcrimine; neque hæc ita procul invicem abſunt, ut ſpondere poſſimus, nos utriuſque terminos minime tranſilituros. Ita ſæpe uſuvenit id, quod de amico ſuo S. Auguſtinus teſtatur, qui cum ad gladiatorum ſpectacula, quæ tunc vetita erant, trahi ſe paſſus eſſet, ægre quidem, atque reluctans, & invitus, ſed ſocietatis importunitate coactus illuc acceſſit; ſed non diu ibi permanſit, quin oblectatione captus plauderet, &, ut alii, conclamaret, ac ſe deinceps ad eadem repetenda ardentiorem præberet. Hoc illis accidit, qui choreis, atque ſaltationibus intereſſe cupiunt, ac ſibi blandiuntur, ſe numquam officii, dignitatis, ac profeſſionis ſuæ oblituros, & ſe ſatis ſuperque omnes Religionis canones didiciſſe. Heu! ne in hujuſmodi occaſionibus de vobiſmet ipſis confidere velitis; non erit ultra penes vuſmet arbitrium; & longe facilius eſt iis abſtinere, quam ſemel impliciram in iis innocentiam ſervare. *Auctor ſermonum in omnia argumenta*.

Quibus malis ſeſe objiciant, qui ad ſaltationes quæruntur.

Exceſſus, in quos ruunt homines in choreiis, aliiſque publicis ſolatiis, ut plurimum exitus habent funeſtiſſimos non ſolum proximo, qui noſtris exemplis trahitur, verum etiam nobiſmet ipſis, cum in illos incidimus per pertinaciſſimam cœcitatem, aliaſque nobis inflictas a Deo nos deſerente pœnas, quæ licet non ita ſentiantur, ut bonorum temporalium, valetudinis, vitæque detrimenta, multo tamen magis formidandæ ſunt, tamquam effectus ſeverioris ultionis, atque gravioris iracundiæ. Tunc enim derelinquitur Deus contumelioſius, cum in partes inimicorum ejus concedimus; & apertius illi bellum indicimus, cum per quamdam apoſtaſiæ ſpeciem cultui ejuſdem, & Chriſtianæ Religioni abrenuntiamus, quemadmodum Patres nonnulli loquuntur. Deus igitur ex ſe videtur facere non poſſe, quominus ſuas amoveat gratias, atque præſidium, tradens mortales hujuſmodi inordinatis ipſorum deſideriis; cujus rei deinceps apertiſſima eis præbet argumenta. Et profecto ſi per hanc licentiam atque intemperantiam hoc nobiſmet malum conflamus, nonne jure affirmo, hiſce diebus libidinum, ac voluptatum initium ducere mortalium reprobationem, cujus rei manifeſta non deſunt indicia; quoniam hiſce iiſdem temporibus ipſi priores deſerunt Deum, vel ſaltem magis, quam alias recedunt ab officio? Si enim Sancti Patres veritati nequaquam officere arbitrati ſunt docentes, quod intereſſe ſpectaculis, quæ ipſorum ævo fieri conſueverant, idem erat ac abdicare fidem; erat enim iis adverſari promiſſionibus, quibus mundi pompis abrenuntiaverant; nihil hyperbolice dicimus, cum hoc ipſum de aliis aſſerimus oblectamentis, quæ ratione pari chriſtianæ vitæ adverſantur. *Idem*.

In choreis, & ſaltationibus magis, quam alibi pudor periculo objicitur.

Quamvis plures occaſiones impudicitiam ſuadeant, ac plures externæ cauſæ ad externum hunc concupiſcentiæ ignem inflammandum conferant, qui jam ſatis per ſe accenſus eſt: tamen neque vulgatiores, neque periculoſiores invenio, quam hos profanos ſexus diverſi congreſſus, qui propter choreas, & ſaltationes habentur. Hæc eſt veluti publicum Lycæum, ubi adoleſcentes impudicitiam addiſcant, & hauriant infelicis hujus ſcientiæ documenta, quam nemo ex ſemetipſo ſatis non diſcet. Hic plerumque locus eſt, ubi adoleſcentes cum adoleſcentulis aliquid licentiæ ſibi vindicare aſſueſcunt, quæ eum hactenus verecundiam, atque modeſtiam ſervarint, paullatim eo procedunt, ut jacturam faciant ejus pudoris, qui earum ſexum maxime decet, ejuſque pulcherrimum ornamentum conſtituit. Ut verbo me expediam, hic eſt ex miſeris his locis, qui voluptatibus dicati ſunt, quo numquam puella pedem intulit, quominus paſſa fuerit ſuæ pudicitiæ jacturam, vel ſaltem eidem labem aliquam non intulerit: quoniam hic unus eſt ex præcipuis mundi locis, in quibus intemperantia regnum ſuum conſtituiſſe videtur, & in quibus omnibus licet quodcumque ei libitum fuerit. *Pater le Jeune Presbyter Oratoris*.

Quid ſentiendum ſit de ſolatiis generatim, quorum alia periculoſa ſunt, alia crimine vacua.

De ſolatiis generatim dici poteſt, alia eſſe periculoſa, & quæ ſaltem in ſcelus impellunt, ſi criminoſa non ſunt; alia vero crimine vacua, in quibus præter exceſſum nihil eſt, quod timeatur, atque damnetur. Quod pertinet ad illa, quæ ſunt criminoſa, cum omni tempore vetita ſint, facile eſt cognoſcere nullis umquam temporibus probari poſſe, quia omnino mala ſunt; & non magis tolerari poſſe, quam vitium ipſum, atque intemperantiam: ita ut præcepta, quibus prohibentur, obligent omni tempore, & in locis omnibus. Quoad alia, quæ periculoſa ſunt, videlicet, quæ nequeant abſolute vocari mala, ſi in natura ſua, atque inſtitutione ipſa conſiderentur, cujus modi ſunt quidam ludi, & alia ſimilia: ſed quæ in malum potius, quam in bonum impellunt, inferendum eſt, ſi umquam evitanda ſunt, hoc accidere iis præſertim temporibus, ubi nos omnia impellunt, & omnia trahunt, quomodo accium Bac-

cbana-

carnaliorum tempore, quo omnia conſpirant, ut nos ad voluptates alliciant; quia hinc quidem numquam majorum criminum cauſa ſunt, inde vero hæc crimina nuaiquam graviora ſunt, neque perniciosiora. Nam ſicuti eo tempore fere univerſalis eſt intemperantia, fieri vix poſſet, ut illius labe non inquinaremur, ſi exemplum, & conſuetudinem ſecuti fuerimus, quam otioſitas, & morum corruptio invexerunt. Igitur ſerio conſideremus, ſi hæc ſolatia per ſe non ſunt omnino crimioſa, nobis tamen talia fieri, ex quo nos conjiciuut in eos exceſſus, a quibus noſmet tueri non poſſumus, & periculum, cui noſmet objicimus, proximam cenſetur, cum oon deeſt probabilitatis ſpecies futurum, ut ad exceſſum aliquem perveniamus. Conſideremus ex eo conſilio, qaod hujuſmodi in occaſionibus ſequemur, ſalutem, vel reprobationem noſtram fortaſſe pendere, ac tandem Deam a fidelitate noſtra expectare, ut hoc tempore, quo magis a cultoribus ſuis deſeritur, & ab inimicis laceſſitur, conſtantias illi adhæreamus, Quamobrem Chriſtianus, qui Deum ſuum aliquo amore proſequitur, gloriæ ſibi vertere debet in hac potiſſimum occaſione hunc eidem teſtari, quod nonniſr acceptiſſimum eſſe poteſt divinæ majeſtati. *Auctor ſermonam in omnia argumenta &c.*

Ethnici quoque choream indignam cenſuerunt iis hominibus, qui nec de ſana mente dejecti, neque vino eſſent madidi. *Nemo enim*, Cicero ait, *ſaltat ſobrius, niſi inſanit*. Sed inde ſancti Patres deterrent fideles propter pericula Deum lædendi, quæ a ſaltationibus ſeparari non poſſuot. Has reſpiciunt tamquam opus Sathanæ; cui in baptiſmo nuntium miſimus, tanquam puritatis, pudoriſque ſcopulum, & tamquam perniciosum inventum ad plurimas animi affectiones excitandas. Nam licet chorea fortaſſe non ſemper gignat eoſdem effectus in iis, qui illam depereunt, ſatis eſt, ut eos nonnumquam gignat, ut teneamur illam tamquam periculoſam peccati occaſionem evitare... Deus, S. Chryſuſtomus inquit, nequaquaquam aptavit nobis pedes in uſum adeo inutilem, inordinatumque adhibendos; ſed ut modeſte incedamus. Alibi dicit etiam, JESUM CHRISTUM non eſſe iis in locis, ubi profani muſices concentus locum habent. Qui gravi ſunt corde, & amant mendacium, inquiunt, quid mali eſt ſpiritum recreate, & oblectare? In quo peccant muſica, & ſaltatio? quam ob cauſam exclamatur: o pravas cogitationes, o inſanam dementiam! JESUS CHRISTUS non evocat peccatores ad lauta convivia, opiparaſque commeſſationes, ſed ad jejunia, vigilias, preces, non ad choreas profanoſque concentus, ſed ad ploratus, tribulationes, angoſtias. *Le Tournaux anni Chriſtiani Tomo decimo.*

Mala, quæ in ludis accidunt.

Alea qaam diligentiſſime fugienda eſt. Difficillimum eſt in ea ſervare modum. Seu lucrum feceris, ſeu jacturam, æque implicitus es; non niſi per avaritiam, & quæſtum, qui pravus eſt finis, luditur. Adde jacturas, quæ vulgo fiunt, & quæ poſt ſe relinquunt acerbitatem, ægritudinem, deſperationem: adde dolos, injuſta lucra, iracundiam, rixas, ſacramenta, jurgia, quibus hæc ludorum genera plerumque repleta ſunt; adde immodicum temporis detrimentum, mentis, ac divitiarum diſſipationem, pravos habitus iracundiæ, impatientiæ, juramentorum, mendaciorum, avaritiæ, ac aliorum complurrum effectuum, quos ludi producunt. Excidium pietatis, quod ſecum trahunt; inordinatum amorem aleæ in omnem vitam permanentem, & perſæpe gignentem ruinam bonorum, & honoris, & redigentem aleatores ad incitas, quod quotidianis ferme probatur experimentis. Adde tandem, quod hæc ludorum genera hominem cuicumque operi bono ineptum efficiunt: *Gobinet in juventutis traditione.*

Ludi, qui hodierna eſt, non dicam, inutilis, ſed magna occupatio, ſed maximum, ac fere unicum quorumdam mortalium negotium, quæ conceptum habere debet fidelis? Illius cupiditatem habere debet tamquam aliquid turpe, præſertim vero propter ſordidam avaritiam, quæ eſt anima illius. Id quod eſſe debet honeſtæ, & aliquando neceſſariæ recreationis loco, & qui ubi ſatio popoſcerit, tempore, ac loco vacari poteſt, convertitur in ſtudium, quod fatigat, & quod cupiditate animatum in furorem degenerat, ac fit inſania quædam valetudini, opibus, & ſæpe etiam morum probitati perniciosa. *Auctor recens.*

Quot inanes cauſas prætexunt, qui aleæ ſe mancipant.

Modicum ſolatium permiſſum eſt, fateor; at ſolatium putas, nil aliud cogitare? ab uno ad aliud migrare ſolatium, quo te ſtatus officia, domeſtica cura, modeſtiæque decus cohibeat? Solatium vocas periculoſiſſimis intereſſe ſpectaculis? diſſolutæ feſtivitatis licentiæ pudorem objicere? meras pietatis retinere ſpecies, ut te penitus ſine ulla religione abdas intemperantiæ ludorum, ac cœtuum! Solatium vocas, omnimoda mentis evagatione te in eum ſtatum adducere, ubi nequeas devotionis ſenſum alere, & ſalutari meditatione officia tua ponderare? quærere omnes delicias, & commoda carnis voluptuoſæ, ac ſontis? inquietum vigilare, ne in ipſa langueas lætitia, quin unquam cor tuum erigas in Deum? Si hoc tibi ſolatium eſt, certus auctor tibi ſum, hoc, ex ipſius JESU CHRISTI ſententia, non eſſe, eſſe Chriſtianum. Non ſuſtines omnes labores, ac pœnas, quas divinus iſte legiſlator ſuſtinuit; hoc tibi concedit. Non omnes tibi, ut ille ſibi, voluptates interdicis; hoc tibi largitur. Sed quantumcumque temporis potes ſine modo, ſine metu, ſine pudore in gaudia impendere, hoc palam eſt illius legem violare. Non habebit ille te pro diſcipulo, donec mundi licentiam ſecutus in omnes te voluptates abdideris. *Pater la Peſſe.*

SOLITUDO.

Receſſus a negotiis, & impedimentis ſæcularibus, ut ſalutis negotio vacetur. Solitudo interior, atque exterior.

MONITUM.

SOLITUDINIS, ac receſſus nomine hic non intelligitur integra mundi abrenunciatio, ut vel in deſertum, vel in aſceterium confugias, illic Deo uni, ac ſaluti tuæ vacaturus; ſed intelligitur a cujuſcumque negotiis, atque occupationibus ad tempus amotio, ut conſcientiæ tuæ negotio conſulas, & ad examen revoces, quomodo ad hanc uſque diem vixeris, atque vitæ in futurum ducendæ aliquod tibi veluti ſyſtema proponas. Cum ſanctarum harum ſolitudinum praxis nunc temporis in tota fere Gallia conſtituta ſit, & innumeræ propemodum ſint domus in hunc uſum deſtinatæ, hoc pluribus tum auctoribus locum præbuit methodos tradendi, juxta quas cum fructu ſervari poſſent, eaſque in lucem edendi, cum concionatoribus hinc ſermonum ſuorum argumentum hauriendi, ut populo adeo utilem praxim commendarent, cujus fructum experientia ipſa palam oſtendit. Ut utrorumque zelo obſequamur, colligemus hoc in loco quidquid nacti ſumus magis ſolidum, aptumque ad fideles utriuſque ſexus, omniumque conditionum excitandos, ut morem hunc amplectantur.

Quemadmodum autem hujuſmodi receſſus pluribus fieri modis poſſunt, aliquando ſeorſim, & intra privatos parietes, aliquando vero in aliorum cœtu, qui ad hanc rem ſimul conveniunt ſub ſapientis directoris ductu, & conſilio, utrumque hunc modum complectemur ſub hoc generali receſſus, & ſolitudinis nomine, quæ propria eſt ſæcularium, ac diverſa a ſolitudine eorum, qui prorſus mundo abrenunciarunt, ut in religioſo ſtatu ſe Deo devoverent.

Cæterum cum hujuſmodi ſolitudines propriæ ſint non inſignium tantummodo peccatorum, quia validum ſunt converſionis adjumentum, verum etiam bonorum, ut magis magiſque in virtute, bonorumque operum praxi confirmentur, utriſque eas ſuggeremus rationes, quibus excitari poſſint, ut valido hoc utantur tum ad peccatum relinquendum, tum ad perſeverandum in virtute ſubſidio.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti ſtructuræ.

I. PRO argumento concionis de ſolitudine; in quam noſtræ ſalutis cura, & deſiderium perfectionis nos per intervalla conjicere debet, aſſumi poſſunt hæc tria puncta. 1. Cauſæ, quæ nos ad id debent impellere, & finis, quem in adeo ſancta exercitatione nobis proponere debemus. 2. Diſpoſitiones, quas afferre debemus, ut inde quam uberrimum fructum referamus. 3. Fructus, qui percipitur, cum munere hoc, uti oportet, perfungimur.

Punctum primum. Quod ſpectat ad finem hujus ſolitudinis, & cauſas, quas nobiſmet proponere debemus a ſæcularibus negotiis noſmet expedientes; quamquam nonniſi bonus finis haberi poſſe videatur in adeo ſancta exercitatione, hæc tamen potiſſimum nobis ſunt proponenda. 1. Ut mores, & vitæ rationem reformemus; tandem enim, ſi rite attendamus, fieri vix poteſt, ut qui terrenis negotiis impeditus eſt, plurima committat peccata, atque ſæpius non decidat; ne ſæcularium negotiorum impedimenta ſæpe oblivionem inducant ejus rei, quæ una omnium maxime intereſt, æternæ videlicet ſalutis; ne inutiles converſationes, colloquia, viſitationes illius mentem diſſipent, ac meliorem temporis partem auferant; ac tandem ne homo ſtatus, munerisque ſui officia negligat. Plurima igitur reformanda ſunt in vita, in actionibus, in regimine, & hic præcipuus eſt finis, quem nobiſmet proponere debemus in hac ſolitudine, & hoc primum illud eſt, quod ob oculos noſtros nobiſmet ſtatuere debemus. 2. Solitudinem ingredi opus eſt animo conſulendi conſcientiæ ſuæ, totam anteactæ vitæ rationem ad calculos revocandi, cui rei ſolitudo nobis & commodum, & tempus conferet, quod difficile inveniri poſſet inter mundi rumores, & impedimenta negotiorum, quibus propter ipſam vitæ profeſſionem obruimur. Itaque hoc ſolitudinis tempus reſpicere debemus tamquam ſpatium, quod eligimus, ut ea, quæ noſtra ſunt, cogitemus, poſtquam tamdiu aliena, familiæ, vel etiam reipublicæ negotia procuraverimus. Hoc tempus eſt, quo caute nobis utendum eſt, ut rationes noſtras inſtituamus, eaſque in promptu habeamus, ubi coram Deo eas reddituri vocabimur. 3. Illuc ingrediendum eſt, ut Dei voluntatem de ſtatu amplectendo agnoſcamus; vel ſi jam illud ſumus amplexi, ut diſcamus modum, quo nobis vivendum eſt eo in loco, ad quem ille nos vocavit, & in quo ejus providentia conſtituit. Conſtans quippe veritas eſt, in ſolitudinis quiete nos a Deo illuminari, a nobis vocem ejus audiri, ac intelligi, quid a nobis petat. Etenim quomodonam inter mundi ſtrepitus agnoſci poteſt voluntas Dei, quomodo illi reſpondere, illamque exequi poſſumus, cum quidquid ſenſibus noſtris accidit, nos inde avertit? Quomodo illic ejus dogmata, exempla, legeſque percipere, quibus unuſquiſque ſeſe ſubmittere gloriatur? Hæ proculdubio tres ſunt validæ cauſæ, quibus adigimur ad ſolitudinem, receſſumque inquirendum, ut pauliſper nobiſmet conſulamus, quod inter mundi tumultum, atque impedimentum fieri non poteſt.

Punctum alterum. Diſpoſitiones a nobis huic ſolitudini neceſſario afferendæ plures ſunt, ſed illas afferam, ſine quibus non poſſumus illum referre fructum, quem ſancta hæc praxis producere poteſt. 1. Ingens deſiderium proficiendi hoc tempore adeo pretioſo, atque ad ſalutem operandam, acquirendamque perfectionem neceſſario: deſiderium, quod cum ſtabili conjunctum eſſe debet confidentia futurum, ut Deus, qui nobis hanc mentem immiſit, & adeo præclaram obtulit occaſionem ex ſce-

leribus

leribus noſtris emergendi, atque ad ſanctitatem acquirendam adlaborandi, minima renuat eas gratias, quæ ad effectum hunc nobis ſunt neceſſariæ. Præterquamquod hoc deſiderium eſſe nequit, niſi apertiſſimum argumentum ſinceræ voluntatis, qua vult Deus noſtram converſionem, quandoquidem ipſe illud nobis inſpirat. 2. Spiritus docilis, qui decrevit pravæ educationis præjudicia relinquere, & qui paratus eſt, ut ſeſe dedat veritatibus, quas Deus oſtendet illi; quæ diſpoſitio prorſus eſt neceſſaria, quoniam ad tempus a mundo ſecedimus, ut abjiciamus errorem ſallacium idearum, quas conceperamus de honoribus, voluptatibus, omnibuſque aliis bonis, quæ maximi in mundo æſtimantur. Sin autem præſto non ſumus aliis recipiendis ideis, atque exercendis illis inſtitutis, quæ magis vera, & ſalutaria cognoverimus, nequicquam in ſolitudinem confugiemus ea per otium meditaturi. Hoc eſt rebelles eſſe velle lumini, agnitam impugnare veritatem, & inde egredi nocentiorem, quoniam vellemus, vias ſalutis cognoſcere, quin eaſdem ſequendi animus eſſet.

Punctum tertium. Oſtendere fructum, qui ex hac ſolitudine percipi poteſt; hoc eſt, ſinceram perfectamque converſionem, vitæ rationem magis frugi, magiſque Chriſtiano dignam, intemeratam officiorum ſuorum obſervantiam, vitam ita exemplarem, & ſanctam, uti flagitioſa, & cum ſcandalo conjuncta fuit illa, quam ante duxeramus. Sermoni huic finis imponi poteſt fructu certo, manifeſto, & diuturna experientia confirmato, quem hujuſmodi receſſus in eccleſia pepererunt, & adhuc quotidie pariunt in iis, qui, uti opus eſt, illis vacant.

II. Ad ſanctam inſtituendam ſolitudinem, atque bene utendum adeo præſtanti ſalutis noſtræ ſubſidio, quod cætera continet, conſiderandum eſt. 1. Nos eodem quam maxime indigere: etenim nonne verum eſt vitam noſtram non aliud eſſe, quam mentis evagationem? Semper foris ſumus errantes, nulla nobis devotio eſt, nullus fervor, & ſumma eorum, quæ ad ſalutem pertinent, negligentia. Ut autem tanto malo medeamur, nihil magis prodeſſe poteſt, quam ſerio noſtram vitæ rationem ad examen vocare. 2. Exercitia, quæ in ſancta hac ſolitudine fiunt, & quæ alibi nuſquam fieri poſſunt. Ibi enim oratio, ſpiritualis lectio, ſancta colloquia, ſilentium, meditatio, piæ collationes, & quidquid vel in religione maxime eſſentiale eſt, vel magis aptum ad cor movendum, ac nos ad pœnitentiam excitandos, locum habent; ita ut niſi his rebus omnibus convertimur, neſcio quid nos convertere valeat; hic enim locus eſt, hoc tempus, quo gratia vehementius agere conſuevit, & quo validiora nobis ad bene agendum ſuppetunt auxilia. 3. Fructus, quem inde percipimus, ubi ſanctæ huic ſolitudini, uti opus eſt, vacaverimus: etenim quænam ibi ſancta non concipiuntur conſilia? Inde poſt ſinceram, accuratamque peccatorum confeſſionem egrederis conſcientia quidem tranquilla, mente vero chriſtianis veritatibus, evangelicisque præceptis imbuta, nec non ignito corde, novis viribus, ac recenti conſtantia, ut ſalutem tuam opereris, ac majori cum fidelitate omnibus ſtatus tui officiis perſungaris.

III. In ſolitudine, ac receſſu, quo noſmet recipere debemus, ut ſerio ſalutis noſtræ negotio conſulamus, tria ſpectare debemus, quæ nobis aperiunt viam ad eum, quem ſperamus, fructum obtinendum.

Primo præteritum, ut ad examen revocemus, quomodo viximus, & medeamur malo, quod fecimus, ut conſcientiam noſtram in tuto conſtituamus.

Secundo futurum, ut rationem ineamus vitæ ſanctius, quam antea, ducendæ.

Tertio præſens, ut noſmet in eo collocemus ſtatu, in quo eſſe vellemus, cum prodibimus coram Deo, & ut ſerio vitam prorſus novam ducere incipiamus.

1. Solitudo omnes auſert obices, qui ſaluti noſtræ adverſantur. 2. Nobis omnia ſuppeditat ſubſidia, quibus eam facile operari poſſimus. IV.

De ſolitudinis neceſſitate. Oſtendere poſſumus illam tribus hominum generibus eſſe neceſſariam. V.

1. Peccatoribus, ut convertantur, quod facere nequeunt, niſi ad tempus a mundi tumore ſecedant; etenim pravum exemplum, humanus timor, cum ſimilibus ſuis converſatio invictum converſioni eorum obicem ſtatuit: 2. tepidis, & illis, qui oſcitanter agunt, ut priſtinum in Dei cultu fervorem recipiant: alioquin enim in periculo verſantur in omne neſas ruendi: 3. bonis, ac iis, qui virtutem profitentur ad reparanda mala, quæ mundi commercium eorum pietati potuit afflare, & ne fervor ipſorum in pietatis exercitiis intepeſcat.

1. Receſſus, & ſolitudo innocentiæ perfugium eſt: per hanc enim recedimus a peccati occaſionibus, ab improborum, qui nos qua ſermonibus, qua exemplis in malum ſollicitant, ſocietatibus, ac tandem ab inſidiis omnibus, quibus mundus repletus eſt: *Totus mundus in maligno poſitus eſt*. 1. Joan. 5. 2. Origo eſt pacis, ac tranquillitatis ſpiritus; ibi enim nequaquam violentis agitamur affectibus, qui vitæ requiem perturbant, ambitione, ira, avaritia &c. 3. Hic locus eſt, tempuſque aptum recipiendis cœli gratiis, luminibus, diviniſque conſolationibus, quibus Deus cumulat animam, quæ fugit mundum, ut ſuæ ſaluti proſpiciat. VI.

1. Solitudo, & receſſus potens eſt ratio innocentiæ ſemel amiſſæ recuperandæ. 2. Ejuſque tuendæ, atque ſervandæ, cum ita felices ſumus, ut eam poſſideamus. 3. Mirabilia præbet ſubſidia, ut in virtute, & ſanctitate creſcamus, atque ad perfectionem perveniamus. VII.

Bona, quæ in ſolitudine inveniuntur, rediguntur ad duo, in quibus cætera continentur. 1. Ad gratias Dei, quæ ibi uberius conceduntur, & majori cum grati animi ſenſu, atque fidelitate recipiuntur: 2. ad minora ſalutis impedimenta; pauciores ibi ſunt hoſtes impugnandi, qui etiam ibi facilius ſuperantur; ibique minora ſunt, ac pauciora pereundi pericula. VIII.

Tria nos impellere debent ad ſolitudinem per intervalla amplectendam, ut noſmet colligamus. 1. Mentis evagatio, in qua vivimus, quin aliud cogitemus, quam terrena negotia, & quin alterius vitæ res inſpiciamus; quamobrem neceſſe eſt ſubinde ſeſe colligere. 2. Cordis terrenis rebus, & creaturis adhæſio, a quibus animum avellere non alio poſſemus pacto, quam ſi ſecedamus per otium earum vanitatem, ac brevitatem meditaturi. 3. Vitia, & habitus pravi, quos contraximus, qui radicitus convelli nequeunt, niſi removeatur cauſa, hoc eſt mundi commercium. IX.

1. Exterior ſolitudo, niſi adſit interior, nullius eſt meriti, atque utilitatis; illuc noſtras ferimus cupiditates, neque prodeſt niſi ad malum ingenium, animique ægritudinem ſovendam. 2. Interior ſolitudo ſine exteriori receſſu periclitatur, ne inter mundi rumorem, ac tumultum evaneſcat. X.

1. Niſi ſaltem ad tempus a mundi negotiis, ac impedimentis receſſerimus, difficile bonam, ſinceramque facimus converſionem. 2. Niſi per intervalla a ſodalitatibus, & mundi commercio receſſerimus, difficile eſt diu in virtute perſeverare, & non perverti. XI.

1. In ſolitudine, ac receſſu cor a terrenarum rerum amore divellitur. 2. In ſolitudine, & receſſu cor Deo repletur, & ſpiritus cœleſtibus fruitur veritatibus, earumque prorſus aliam concipit ideam ab illa, quam antea conceperat.

PARA-

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres.

S. Auguſtinus, vel *Auctor ſermonum ad Fratres in Eremo* Sermonibus 24. & 39.

S. Ambroſius *lib. 7. de officiis* oſtendit in receſſu multum fieri poſſe, dum nihil fieri videtur.

S. Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios.

S. Baſilius de laude vitæ ſolitariæ.

Cæſarius Arelatenſis Homil. 27.

S. Gregorius *lib. 6. Epiſtol. Epiſt.* 26. ubi aliquem ex amicis hortatur ad vitam tranquillam, & ſolitariam, eique tradit, cuinam rei in hac ſolitudine vacare debeat.

Idem *lib. 3. Moral. in Jobi* 12. docet, corporis ſolitudinem ſine ſolitudine cordis inutilem eſſe,

Idem *lib. 4. Moral. in Jobi* 28. oſtendit ſolitudinis utilitatem, & ad illam fideles omnes hortatur.

Idem *in Pſal. 5. pœnitent.* docet, quænam eſſe debeat ſolitarii occupatio.

S. Hieronymus Epiſt. 1.

S. Gregorius Nazianzenus de laudibus eremiticæ vitæ oſtendit bona, quæ ex ſolitudine percipiuntur.

S. Bernardus *Tract. ad Fratres de monte Dei.*

Idem in verba Salvatoris: *Simile eſt regnum cœlorum quærenti bonos margaritas* &c. latius de vitæ ſolitariæ laudibus diſſerit.

Idem Epiſtola 106. loquitur de vitæ ſolitariæ felicitate.

Idem *Serm. 40. in Cantic.* ad receſſum, ac ſolitudinem hortatur.

S. Baſilius eximiam habet hujus argumenti Epiſtolam, ubi plura habet, eaque præſtantiſſima in laudem ſolitudinis.

S. Laurentius Juſtiniani in quodam opere optime argumentum hoc pertractavit.

Trithemius *lib. 1. Hom. 6. ad Monachos* de amore ſolitudinis loquitur.

Dionyſius Carthuſianus in operibus minoribus tomo 2.

Richardus a ſancto Victore *cap. 7. in Cantic.* oſtendit Dei vocem non niſi in ſilentio, & ſolitudine exaudiri.

Thomas a Kempis *tom. 2. par. 1, opuſc.* 8. loquitur de bonis, quæ nobis ſolitudo procurat.

Aſcetici alii que.

P. Suffren tomo 1. anni chriſtiani cap. 6. ubi de ſolitudine, ac ſolitaria vita loquitur.

P. Poire in libro, qui inſcribitur: *Scientia Sanctorum*, Tract. 2. cap. 7. fuſius loquitur de ſpiritu receſſus, & de interiori, exteriorique ſolitudine.

P. Saint Jure lib. 3. de cognitione, & amore Domini noſtri.

P. Guillore Tract. 4. Operum Aſceticorum.

Liber cui titulus: Praxis curatorum, a P. Segneri Italice editum, cap. 26.

Liber, qui inſcribitur, Inſtructiones Chriſtianæ pro feſto S. Antonii, Tractatu de ſolitudine, & mundi fuga.

P. Gegou per occaſionem receſſuum, qui habentur in Britannia, tractatum ſeorſim edidit de neceſſitate per intervalla recedendi, & mox tractatum eumdem alteri inſeruit libro, cui titulus; *Uſus Sacramenti pœnitentiæ.*

Liber, qui inſcribitur: Epiſtolæ ſolitarii, ubi potiſſimum agitur in prima de bono ſolitudinis.

P. le Valois duodecim edidit Epiſtolas de neceſſitate receſſuum, qui hodie in omnibus fere urbibus fiunt; ubi diverſæ ætatis mortales invitat, ut adeo neceſſario ad ſalutem utantur ſubſidio.

P. Croiſet in primo receſſuum libro pro unica die ſingulorum anni menſium cap. 1.

P. Surin in Dialogis aſceticis lib. 2. cap. 1. ubi de cordis collectione verba facit.

Non loquor de illis, qui in lucem ediderunt meditationes, aliaque exercitia pro quovis die, qui in exercitiis impenditur. Prodeunt quotidie novæ methodi, ad id rite, & cum fructu peragendum, quorum titulus eſt, Spiritualia Exercitia, *eorumque numerus eſt infinitus.*

Concionatores Neoterici.

In Homiliis Euſebii Nierembergii Hom. 81. tota eſt de ſolitudinis neceſſitate.

Lambert in eccleſiaſticis ſermonibus tomo 1. ſermonem habet de receſſu eccleſiaſticis neceſſario.

Auctor ſermonum Chriſtianorum, ſermone pro ſecunda Quadrageſimæ Dominica, ubi de Transfiguratione ſermo eſt, ſolitudinis utilitatem oſtendit.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta tomo tertio argumentorum particularium, unum habet de receſſu, ac ſolitudine, ubi oſtendit illa gratiam reparari, ibique illam ſervari.

Idem in Dominic. tom. 2. Serm. in 1. Quadrag. Domin. loquitur de fuga, & ſeparatione mundi.

In ſpecimine ſermonum pro Panegyricis, tomo 1. Panegyrico S. Antonii, de ſolitudine, & mundi fuga ſermo eſt, & in tomo 2. Sermone pro monialis profeſſione, argumento ſecundo de re eadem habetur ſermo.

Qui collectanea ediderunt.

Buſæus in Paradiſo animæ. Titulo *Solitudo.*

Spannes Polianthea ſacra. Titulo *Solitudo.*

Stapleton, *Promptuarium morale in Dominic. 4. Adventus.*

Creſolius *in Myſtagogo cap.* 14.

Theatrum vitæ humanæ. Titulo *Solitudo.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturæ huic argumento.

A*Ccedite ad eum, & illuminamini.* Pſalm 33.

Vere non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta Cœli. Geneſ. 28.

Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. Pſalm. 54.

Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Ibidem.

Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus. Pſalm. 45.

Recedite de medio Babylonis. Jerem. 50.

Fugite de medio Babylonis. Ibid. 51.

Quis dabit mihi in ſolitudine diverſorium viatorum? Jerem. 9.

Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia levavit ſuper ſe. Thren. 3.

Rectas facite in ſolitudine ſemitas ejus. Iſaiæ 40.

In abſcondito plorabit anima mea a facie ſuperbiæ. Jerem. 13.

Eduxi eos in deſertum, & dedi eis præcepta mea, & judicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo vivet in eis. Ezech. 20.

Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus. Oſeæ 2.

Puer creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis uſque in diem oſtenſionis ſuæ. Luc. 1.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. 2. ad Cor. 6.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deprompta.

Quid Moyſes in ſolitudine didicerit.

QUis unquam, S. Ambroſius interrogat, laboribus, & curis plura conſecutus eſt, quam Moyſes per quietem, & in ſolitudine? Quadraginta diebus, quibus illic permanſit, didicit artem regendi populos, omneſque leges, quas illis præſcripturus erat. Inde hauſit admirabilem illam dignoſcendi, judicandique vim, rarum illud ſeveritatis, & manſuetudinis temperamentum, & alias admirabiles qualitates, quæ in ipſo enituerunt, dum jus diceret, innocentiam tueretur, crimina puniret, lites dirimeret, tumultus ſedaret, ac populum Dei per deſerta de-

du-

daceret. Nonne de ſolitudiae illa egreſſus eſt facie luminibus coruſcante, quæ nou aliud erat, quam interiorum emanatio luminum, quæ a Deo tunc temporis cum eodem converſatus receperat? Ia deſerto aperuit illi Deus conſilium initum de populo ex ægypria ſervitute liberando, ibique illum elegit tanti operis miniſtrum, atque eorum prodigiorum, quæ operaturus erat, ut adeo glorioſum facinus feliciter ad exitum perduceretur, inſtrumentum.

Eliæ Prophetæ ſolitudo.

Statim ac Elias propheta juſſus fuit ſecedere ad Achab furorem eludendum, atque ia ſpecum ſe recipere, eadem paruit fidelitate, qua ipſi elementa parebant. Imperterriti hic aaimi vir, qui potius perſecutoribus ſuis terrorem, formidinemque incutere poterat, quam ipſe ante eos contremiſceret, noa erubuit a Deo juſſus latere, quaſi hoc in re aliquid eſſet noa ſatis dignum ſuprema Domini, cui famulabatur, poteſtate, & magna illa aaimi fortitudine, qua a Deo fuerat donatus, indignum. In hoc ſpecu vir ille a toto ſecretus muado, & quo muadus dignus non erat, vitam duxit prorſus cœleſtem, Deo ipſo victum modo prorſus mirabili ſuppeditante, ita ut eo in ſtatu factus fuerit exemplar eorum, qui aliquando in ſolitudioibus, vel ia aſceteriis erant vitam ducturi, illuc tamquam in portum confugientes, ut ab omaibus mundi periculis eſſeat immunes. Ibi in locis, qui nulla exterma perturbatioae agitantur, ad ſummi hujus Prophetæ exemplum interinſecus ſervare debent pacem, mortalium omnium obliviſci, ut Dei unius meminerint, a quo illuc adducti fuerunt. Eorum in ſolitudine hilaritas ſimilis eſſe debet illi, qua perfuſus erat Elias, qui ibi ſeſe Dei mandatis perficiendis præparabat, quemadmodum illis obtemperaturus illuc conceſſerat.

Nonniſi in ſolitudine Deo ſervire poſſumus.

Quamvis exiſtimares te Deo ſervire poſſe in mundo inter familiæ curas, & negotiorum impedimenta, idne mundus virtuti ſemper oppoſitus pateretur? Pharao Moyſi dicebat, quo ire vultis? Deo in Ægypto ſervite, illi thura veſtra adolete, vos nemo prohibebit: *Sacrificate Deo veſtro in terra hac*. Exod. 8. Rem ita ſe habere nequit, reddebat Moyſes: *Non poteſt ita fieri*; Vos adoratis id, quod nos ſumus ſacrificaturi: *Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro*. Si mundus nos immolare videt, quod colit, id minime inultum feret, & nos lapidibus obruet: *Quod ſi mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent*. Ita ſi ſæculi lectatores viderint, vos luxum, vanitatem, impudicitiam, impietatem eorum perhorreſcere, eorum crapulam abſtinentia, ſuperbiam humilitate, irreligioaem pietate damnare, vos contra leges, & mundi placita loqui, vos lapidibus petent; quamobrem interiores adeundi luat deſerti receſſus, ſi in pace Domino offerre vultis ſacrificia, eique fidelem cultum præbere. *Viam trium dierum pergemus in ſolitudinem, & ſacrificabimus Domino Deo noſtro*.

Dei populus e Pharaonis ſervitute non evaſit niſi in deſertum concedens.

Dei populus quæreas, quomodo ſe ab Ægypti ſervitute, operibuſque adeo gravibus, ac moleſtis liberaret, nonne in ſolitudines conceſſit, atque perfugit? Nonne deſertum petiit, ut accederet ad Deum, a quo adeo crudeli captivitate fuerat liberatus? Moyſes deſertum ingreſſus, dignus habitus fuit, qui Deum illic videret, & eo severſus eſt, ut iterum adhuc ejus adſpectu frueretur: Deus erat primus populi ſui dux in hoc itinere, eumque per deſertum deducebat. Aate illum præcedebat Dei juſſu columna nubis, quæ modo lucida erat, ut illi facem præferret, modo obſcura, ut illum a Solis ardoribus tegeret; atque tueretur. Nubes hæc luminis radios effundebat, & igais inſtar micabat, Deo ita volente, lucem ante illos incedere, quæ viam oſteadens illum vere ducem eorum eſſe teſtaretur.

In deſerto populus accepit eſcam ſibi cœlitus demiſſam, cum Deus decidere juſſit mannam inſtar uberis pluviæ, quæ cum ſuper tabernacula; atque in caſtris ubique nivis inſtar deſcenderet, Iſraelitæ ex ea comederunt, & homo panem Angelorum manducavit: & quoniam illis, qui confidunt in Deo, ſatis eſt in ſingulos dies id habere, quod ſibi neceſſarium eſt, Deus infinita liberalitate ſua illis demiſit, & quotidie cœleſtem hanc eſcam depluit, hoc facto prohibens, ne in craſtinum eſſent ſolliciti; ita cum terra fidelibus ſuppeditare non poſſet annonam, donec per deſertum iter agebant, cœlum hanc illis miniſtrabat. In hac eadem ſolitudine Deus non ſolum ex arentibus ſilicibus aquæ fontes eduxit, ſed alia in occaſione aquis, quarum amaritudo ferri non poterat, dulcedinem reddidit, eadem potentia, qua alias in rupe produxit, in aliis mutans qualitatem. Populus univerſus obſtupuit hoc cœlitus beneficium recipiens, neque minus Dei ſui potentiam, & largitatem admirati ſunt in aquis, quarum ablata fuit amaritudo, quam illis, quas repente manare illinc viderunt, ubi terribilis ariditas eſſe videbatur.

Miracula quæ operatus eſt Deus pro populo ſuo in deſerto.

Exemplum Mathathiæ.

Primo Machabæorum libro capite ſecundo narratur, Mathathiam, qui ſanctum Jeroſolymæ obtinebat magiſtratum, ratum difficile fore, ut viros bonos decet, inſtituere vitam, & evitare corruptionem communem, qua tota illa civitas erat imbuta, & credentem, neminem ſaluti ſuæ conſulere poſſe in generali Ægyptiorum, Græcorum, & plerorumque etiam Iſraelitarum, qui tunc temporis degebant, corruptione, reliquit mundum, & quidquid habebat ia mundo, ut eum filiis ſuis in ſolitudinem confugeret; ac confugientem elata voce per vias, & compita magnæ urbis illius invitaſſe eos, quibus adhuc aliquis ſupererat zelus pro Dei ſui cultu, ut omnibus rebus relictis ipſum ducem ſequerentur. Exemplum, & verba illius tantam habuere vim, ut plurimi, quin aliqua humana conſideratioae moverentur, cum illo deſerta petierint illic quæſituri juſtitiam, quam in mundo invenire non poterant. Si Deus verbis meis tantam præberet vim, quantam olim ſancto huic viro, hoc in loco, ubi tantam populi frequentiam iatueor, exclamarem, pereundi, & a viis juſtitiæ recedendi periculum noa levius eſſe in hac civitate, quam tunc eſſet Jeroſolymæ: ſed quemadmodum certus ſum, nemini tantam fore conſtantiam, ac ſalutis ſuæ zelum, quanta fuit Mathathiæ, potius auctor ſum, ut non omaino mundum reliquatis ia deſertum conceſſuri; ſed ut ſalutis veſtræ negotio conſulatis, quaatum fieri poteſt, vos hortor, & moneo, ut ad aliquot dies voſmet recipiatis per otium tanti negotii neceſſitatem meditaturi, &c.

Exemplum Salvatoris.

Dei filius, cui mundus periculoſus eſſe non poterat, & qui, cum miſſus fuiſſet ad homines erudiendos, neceſſario palam prodire, & cum illis converſari debebat, attamen primos vitæ ſuæ annos triginta iu ſolitudiae tranſegit, cumque illi tres tantum circiter anni ſupereſſent, quos prædicationi, & mundi inſtructioni impenderet, antequam id munus aggrederetur, in deſertum ſeceſſit, ubi quadraginta dies, totidemque noctes in horreati ſolitudine traduxit, quin biberet, comederet, quieſceret, & cum quoquam loqueretur, præterquam cum Deo Patre ſuo, jugem mortificationem cum jugi oratione conjungens. Præterea tribus hiſce annis extremis inter graviſſimos evangelicos labores ſæpe etiam ex mundi turba iu montes, ſemotoſque locos ſe recipiebat. Magnus hic, & fidelis Pontifex, princeps paſtorum, noſtrarum animarum Epiſcopus tantoae receſſu indigebat? Cumque per ſe non indigeret eodem, aliquid ae ultra facere poterat, ut omnia mortalium genera Eccleſiaſtici, Laici, Epiſcopi, Sacerdotes, omniumque conditionum homines intelligerent ſe hac indigere ſolitudine, hanc ſibi amandam eſſe, & quantum fieri poteſt conquirendam.

Videmus in evangelio Dei filium, cum vellet

per-

Dei filius voluit Apoſtolos ſuos poſt Aſcenſionem ſeſe recipere.

perfecte ſanctificare Apoſtolos ſuos, antequam laboribus evangelicis manum admoverent, & aliquod miniſterii ſui obirent officium, præcepiſſe eis, ut ſtatim ac ipſe aſcendiſſet in cœlum, illi ſeſe reciperent. In hoc receſſu illi Spiritu ſancto repleti fuerunt, in gratia confirmati, & ad eminentem ſanctitatem elati, ſed præſertim ibi cumulari fuere dono fortitudinis, atque conſtantiæ, cujus vi audacter coram tyrannis, atque carnificibus confeſſi ſunt. Quænam eorum imbecillitas eſſet, antequam in hunc receſſum ſeſe recepiſſent, innoteſcit; quippe reliquerunt Dominum ſuum paſſionis tempore, ac poſt mortem illius ſatuerunt, quin auderent prodira; ſed quinam fuerit etiam exitus ejuſdem receſſus neminem latet.

Jo. Baptiſtæ exemplum.

Nemo unus ignorat, glorioſum hunc filii Dei Præcurſorem vitam ſuam in deſerto traduxiſſe, & quomodo ille ab omni mundi commercio ſepoſitus vixerit. Illic Spiritus ſanctus, quem in ipſo matris ſinu receperat, edocuit ipſum de miniſterio, quod ipſi erat exercendum; illicque ſublimem adeptus eſt ſanctitatem, propter quam veluti Meſſias habebatur. Nihil addi poteſt iis, quæ ſacer Textus de illo in hac ſolitudine dicit: *Puer creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis uſque in diem oſtenſionis ſuæ*. Luc. 1.

Applicationes quorundam Scripturæ locorum huic argumento.

Deſiderium ſolitudinis.

E*Cce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine*. Pſal. 55. Conſilium cœpi fugiendi, & manſionem meam in ſolitudine conſtituendi. Huc omnia mea vota ſpectant; quis igitur mihi alas columbæ tribuet, ut illuc avolam? *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ?* Ut in deſertum fugiam, ut ibi gemam, ut ibi in Deo meo requieſcam: *Et volabo, & requieſcam*. Hoc erat deſiderium Sancti Regis David pertæſi curarum, laborumque, quibus in regni ſui regimine obruebatur. Huc ſpectare deberent ii omnes, qui oppreſſi ſunt negotiis, quæ ne ſpiritum quidem eos ducere ſinunt. Ubinam in deſerto ſpecum inveniam, alter ajebat Propheta, ut ibi mundi laboribus defeſſus aliquid inveniam ſolatii, ac in Deo meo me recipiam? *Quis dabit mihi diverſorium in ſolitudine?* Jerem. 9. Talia fuerunt ſanctorum regum inter honores vota, talia prophetarum inter labores deſideria. Poſt hæc vide, utrum ipſe animum appellere debeas, ut ſaltem ad tempus a negotiorum tuorum impedimentis expedita ta debeas, cum ta Deus invitat, atqua ſollicitat; cum illius eſſet voluntas, ut magni illi viri permanerent in mundo, ut illic ipſi inſervirent, populoſque in officio continerent.

Solitudo neceſſaria eſt, poſt quam pro æternorum ſalute curam impendimus.

Venite in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Marc. 6. Diſcipuli ad prædicandum miſſi ad Jeſum rediere illi laborum ſuorum rationem reddituri; at quonam illos deduxit, ut ſeſe colligerent, ac in eum animi ſtatum redirent, in quo eſſe debebant? In deſertum. Hic aptiſſimus locus eſt ad reparandum malum, quod ſæpe mundi commercium adfert animabus ſanctiſſimis, atque integerrimis, licet in mundo verſentur dumtaxat, ut illius ſaluti cooperentur. Illic apoſtolici ſpiritus vis reparatur, cum infirmari ſenſim cognoſcitur; illic invenitur requies ſpiritualis, quæ reparat vires, quæ mentium ſedat emotionem, & quæ nos labori reddit aptiores: *Venite in deſertum locum, & requieſcite puſillum*.

Seculares curæ bona ſuffocant ſalutis conſilia.

Fugite a Chaldæis, & ſalvet unuſquiſque animam ſuam. Iſaiæ 48. & Jerem. 51. Fugita a ſæcularibus, & unuſquiſque ſuæ conſulat ſaluti. Alioquin quæcumque capitis conſilia voſmet devovendi Deo, & quæcumque concipitis deſideria vitam caſtigatiorem ducendi, in irritum cadent. Veſtram appello experientiam; quoties vidiſtis optima conſilia veſtra quodammodo ſuffocata curis temporalibus, quæ veluti ſpinæ ſuffocarunt bonum ſemen verbi Dei, quod in anima veſtra germinare incipiabat? Utimini experientia veſtra, quamquam vobis obfuerit. Receſſus a mundo, qui ſpinas tantum, tribuloſque producit, atque in receſſu excolire ſpiritum veſtrum, qui fructus afferet pro æternitate. Recedite in ſolitudinem ſalutis veſtræ negotio vacaturi; ad tempus a mundo recedite, antequam omnino a mundo recedere debeatis, & a vobis mundus in æternum recedat.

Contemnit multitudinem civitatis, & vocem exactoris non audit. Job. 39. Solitudo locus eſt, ubi mundus impune contemni poteſt, & ubi vox exactoris non auditur. At quinam eſt, amabo vos, hic exactor, cujus vox in hoc receſſu nos nequaquam ſollicitat? Non alius eſt, quam mundus, qui ſæpe exigit a nobis ea, quæ ipſi non debentur, ſubmiſſiones, viſitationes, converſationes, temporis jacturæ, prophanæ occupationes, ſexcentaque alia id genus, quæ illi minime debemus. Felicitas ergo eorum, qui ſolitudinem quærunt, eſt, immunes eſſe a tributo adeo gravi erga mundi aſſeclas, & cum Deo unice converſari debere: *Et vocem exactoris non audit*.

Deus illis tantum ſe communicat, qui in ſolitudinem ſe recipiunt.

Non in commotione Dominus. 3. Reg. c. 19. Domino nequaquam placet tumultus, & agitatio animæ inquietæ, ac diſſipatæ. Antequam hanc ſuo dignetur adſpectu, præparat ſibi locum in pace, & cum familiariter cum aliquo colloqui vult, illum ſeorſim accerſit, eique intus in corde dicit: *Veni dilecte mi, egrediamur*. Cantic. 7. Moyſes primum in montem Sinai juſſus fuit aſcendere, & poſtmodum illum Deus denſa involvit nebula, ut creaturarum quarumcumque rerum illi auferret adſpectum. Spiritus, qui ſeſe affundit extrinſecus per oculos, aures, alioſque ſenſus, ſimilis eſt alicui e ciſternis, de quibus loquitur Jeremias, quæ aquam continere non valent, quia undequaque fatiſcunt. Gratiæ, quas Spiritus ſanctus infundit, bonæ cogitationes, & ſanctæ affectiones ſtatim diffluunt. Ut Deo arcte adhæreamus, mundo bellum indicendum eſt: ſilentium neceſſarium eſt ad audiendam vocem Domini, quæ inter rumores exaudiri non poteſt.

Inter Mundi ſtrepitum non poſſumus ſervire Deo, ei benedicere, & pietati vacare.

Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena? Pſal. 136. Quomodo concinere poſſumus Canticum Domini in terra aliena, dicebant olim Iſraelitæ; hoc eſt in terra, ubi Dominus ipſe habetur tamquam ignotus, & alienus? Quomodo amoris ejuſdem ardores intueri poſſumus in climate, quod pro illo gelu adſtrictum eſt, ac ſemper fovere præſentiæ ipſius memoriam in regione, ubi omnia ad illam delendam conducunt? *Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* Quomodo vacare poſſumus exercitiis pœnitentiæ, & ſaluti tot inter impedimenta? Quomodo mentis pacem, atque tranquillitatem tot inter curas, & agitationes? Triſtitiam, & contritionem tot inter ſolatia? tempus commodum inter juges interpolationes? interiorem animi collectionem inter tot diſtractiones habere? Eſto quidem ad aliquot horas, ſed hoc negotium magnum temporis ſpatium requirit.

Dei vox audiri non poteſt inter mundi ſtrepitum.

Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus. Oſeæ 2. S. Ambroſius ait, mundum nimium edere ſtrepitum, & quantumvis potens ſit Dei vox, vox hæc, cujus impetus cedros conterit, & afficit, ut montes ipſi fumum emittant, facere nequit, ut ab anima inter mundi rumores audiatur; ſimilis eſt magiſtratum gerenti, qui nequicquam vocem attolleret, ut edicta ſua inter nundinarum ſtrepitum, inter tumultum ingentis populi exaudirentur . . . Quomodo gratiæ Dei affectus ſuos producere poſſunt extra receſſum, atque ſilentium; quomodo inter ſæculi impedimenta ejus lumina affulgeant? . . . Sed veni in receſſum, ac ſolitudinem ad Dei vocem audiendam. Hic loquetur vocis tono adeo valido, efficaci, ac forti, ut tibi terrorem incuſſurus, & cor tuum ſit concuſſurus. *Vox Domini concutientis deſertum, & commovebit Dominus deſertum Cades*. Pſalm. 28. Poſtquam hoc modo te perterruerit, atque concuſſerit, offeret tibi veniam peccatorum tuorum, extendet tibi manum, ſi volueris egredi, tibique confidentiæ ſenſus inſpirabit; & confidentia te confirmante,

meditatione te roborante, & receſſu amovente, quidquid propoſitum tuum infirmare poſſet, tam conſtans, fortiſque eris, quam modo imbecillus es, & infirmus.

Solitudo locus eſt, ubi Dei gratiam invenimus. *Invenit gratiam in deſerto populus. Jerem. 31.* Populus, inquit Jeremias, in deſerto gratiam invenit; hanc & vos procul dubio, ſi volueritis, ibi invenietis. Hæc regio eſt adeo accepta Deo, ut quemadmodum huc trahit, quos amat, non poteſt, ſi hoc dicere licet, non amare eos, quos illic invenit: donec illi ibi permanent, ipſe commoratur cum illis, & ſicut illi fiunt incolæ ſolitudinis, ita ipſe incola fit cordis eorum. Adhæc, ſolitudo locus eſt ſancte incantatus, ubi terrena omnia prorſus alia videntur ab illis, quæ alibi inſpecta videntur, & ubi quilibet ſe ipſum prorſus immutatum deprehendit. Illic mutatur mens, mutatur cor; cupiditates noſtræ ſua mutant objecta; ibi prorſus aliter, quam alibi ubique ratiocinamur; illic noſtri juris ſumus, & liberi; ibi noſmet dociles, ac flexibiles gratiæ præbemus, & paſſim qui Dei eramus inimici, evadimus amici Dei, & in oculis ejus accepti.

In ſolitudine æquius judicium fertur de Chriſtianis veritatibus, & vitæ hujus rebus. *Habitabit in ſolitudine Judicium. Iſaiæ 32.* Judicium, Iſaias propheta inquit, permanet in ſolitudine: homines ibi diſcunt rectum de rebus judicium ferre, ac loqui de Deo, de chriſtianæ religionis veritatibus, deque rebus omnibus, quæ ſpectant ad Deum. In ſolitudinem ad aliquot dies concedite, ut hoc experientia doceamini; ſed accedite cum vero deſiderio erudiendi, ſinceroque propoſito non adhibendi aures præjudiciis veſtris, ſed agnoſcendi veritatem, cum ſeſe offeret vobis; audeo affirmare, vos ibi plus luminis accepturos eſſe, quam ſperare audeatis ... Ibi detegetis falſitatem opinionum mundi, atque ſanius judicium feretis de ſalutis veſtræ negotio, deque infelicitate vivendi in criminibus.

Quomodo in mundo ædificari poſſit ſolitudo. *Requieſcerem cum regibus, & conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines. Jobi 3.* Reges iſti, atque principes terræ, qui ſibi ædificant ſolitudines, homines ſunt, qui omnem creatarum rerum curam abjecerunt, & qui nullo earum amore tenentur. Qui in mundo ſunt, quin ſint in mundo, quia extra Deum nullum inveniunt ſolatium, atque hoc pacto ſibi pacem comparant a rebus creatis nullo modo pendentem. Tunc externæ curæ, quibus impliciti ſunt, nullam in eorum mente pariunt imaginem, quæ ipſis valeat obeſſe, & cor eorum omnes humanæ vitæ eventus contemnit. Ad hanc ſolitudinem nobis eſt contendendum.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ ſanctorum Patrum hujus argumenti.

Fuge ſæculi mare, & naufragium non timebis; in mari furentibus ventis etſi non omnium naufragium, omnium tamen periculum eſt. Ambroſius, lib. 4. in cap. 4. Lucæ.

In ſolitudine, qui cum Moyſe loqueretur, non defuit. Idem lib. 3. Offic. cap. 1.

In redere tu, & omnis domus tua in Arcam; hoc eſt, dicit Dominus juſto: intra tu in teipſum, intra in tuam mentem, ibi ſalus eſt, foris diluvium, foris periculum. Idem.

Quid prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo defuerit mentis? Gregorius, l. 3. Moral. cap. 12.

Sic vivere (nempe in ſolitudine) jam in æternitatis vita partem habere eſt. Idem, lib. 6. Epiſt. 26.

Contemplativi ad locum dilectæ ſolitudinis magno impetu impelluntur. Idem, lib. 5. in Reges.

Si non prius a ſecretioribus cordis expellitur importuna ſæcularium turbarum turba, anima, quæ intus jacet mortua, non reſurget. Idem.

Neceſſarium eſt interdum a tumultu rerum temporalium ſeceſſum petere, in quo & Deus tanto purius cernitur, quanto cum ſe ſolo ſolus invenitur. Idem.

Neſcio quid plus lucis in eremo aſpicio; libet, ſarcina corporis abjecta, ad purum ætheris evolare fulgorem. Hieronym. Epiſtola ad Heliodorum.

Adhuc licet in terra poſitis, vita vivitur non præſentis ſæculi, ſed futuri. Cyprian. lib. 2. Epiſtola 4.

Amet homo ſanctum otium, in quo exerceat animæ ſuæ negotium. S. Proſper, lib. 1. de vita contemplat.

Spiritus ſanctus proprie ſedem habet ſolitudinem. Chryſoſt. Homil. 3. in Evang. Marci.

Solitudo mors vitiorum, purgatorium ſordidorum. Baſilius, de laud. ſolit. vitæ.

Tu mundi perſequentis felix effugium, ab æſtu ſæculi refrigerium, cæleſtis doctrinæ ſchola. Idem, ibidem.

O ſolitudo! homo quidem habitator eſt tui, ſed ejus (hominis) inhabitator eſt Deus. Idem ibidem.

Solitudo eſt paradiſus deliciarum. Idem, ibidem.

Solitudo ſanctarum mentium delectatio. Ibidem.

Quicumque ad perfectionem pervenerint, tuum, o ſolitudo, noverunt præconium. Idem, ibidem.

Eremus digna Spiritus Sancto habitatio: ipſe enim & ſecretum quærit, & ſolitarium locum diligit. S. Eucher.

O ſolitudo beata! mors vitiorum, vita virtutum. Bernard. Homil. de verbis Domini.

Hæc vox (nempe Dei) non auditur in foro, non ſonat in publico, ſecretum concilium, ſecretum quærit auditum. Idem, Epiſt. 107.

Memento interdum reddere teipſum tibi. Idem, de conſideratione.

De mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcunt. S. Leo, Serm. 4. Quadrag.

Ut in aula mentis poſſit homo divinæ vacare Sapientiæ, ubi omni ſtrepitu terrenarum ſilente curarum, in meditationibus ſanctis, & deliciis lætetur æternis. Idem, de Jejun. decimi menſis.

Nullus ſapientiam Dei recipit, niſi qui ſe ab omni abſtrahere actionum cura contendit. Iſidorus, lib. 2. Sentent. cap. 1.

Convinctum atque commercia Deo digna ſectare. Tertull. ad uxorem.

Vere in ſolitudine aliquid magni latere videtur, quæ a pleriſque Sanctis tam ardenter eſt amplexata. Thomas a Kempis, lib. 7. ad Fratres.

PARAGRAPHUS V.

Quid eſt Theologiæ penu depromi poſſit hoc in argumento.

Quid ſit ſolitudo, & quid proſit intelligendum. Solitudo eo in ſenſu, quo iſtic accipitur, non aliud eſt, quam voluntarius receſſus ad tempus a negotiis, ſocietatibus, & impedimentis mundi, ut ſaluti noſtræ conſulere, conſcientiæ negotia in ordinem redigere, ac in poſterum novam vivendi rationem inſtituere poſſimus, ut Deo inſerviamus, & omnia ſtatus noſtri chriſtiano more obeamus officia. Receſſus eſt ad tempus, quia re diſſert a vitæ religioſæ ſolitudine, quæ jugis eſt, ac integra mundo in omnem vitam abrenunciatio. Voluntarium autem dicimus receſſum, ad diſtinctionem exilii coacti, quod eſt pœna, quam ſubire jubemur. Dicimus etiam, ut ſaluti noſtræ vacemus, ad oſtendendum quid diſcriminis intercedat inter receſſum Chriſtianorum, & Philoſophorum, qui & ipſi ſolitudinem quæſiverunt, & ab omni hominum commercio receſſerunt, ut per otium ſecreta naturæ perveſtigarent: vel inter receſſum hominum mœrentium, ac triſtium, qui ob tetrum, obſcurumque ingenium ab hominum ſocietate recedunt.

In

Solitudinis hujus finis, & quid in ea facere velimus.

In hâc ſolitudine non ſolum ab omni commercio recedere animus eſt, ut orationi, divinarum rerum meditationi, bonorum librorum lectioni, aliiſque ſpiritualibus exercitiis vacemus, ſed præcipuus finis, quem ipſi nobis proponere debemus, eſt, reformare mores, noſmet colligere, vitam hactenus actam ad examen vocare, pravos habitus convellere, novumque ſibi vitæ ſyſtema conſtituere, ita ut poſt ſolitudinem prorſus alia vita ducatur: qua in re frequentes, ordinatæque meditationes, ac reliqua omnia devotionis exercitia nobis ſubſidio ſunt, ut in nobis hanc mutationem, vel hanc interiorem renovationem operemur. Quamobrem tanti momenti opus nequaquam aggrediendum eſt cum ignavia, per vim, ac perfunctorie; ſed cum fervore, ardentique deſiderio proficiendi ex adeo præclara occaſione diſcendi ea, quæ a nobis exigit Dominus.

Fructus, qui ex hac praxi percipiuntur.

Manifeſta veritas eſt quotidiana experientia probata, ſi ſancti hi ſolitudinis dies impendantur, uti opus eſt, & cum ea attentione, quam tantum hoc opus exquirit, inde inſignem percipi fructum pro vitæ noſtræ regimine; ibi peccata ſincera pœnitentia expiari; contra ea, quæ impoſterum committi poſſent, præcaveri; inveniri pacem cordis, & conſcientiæ requiem, quæ bonum eſt omnibus hujus vitæ bonis præferendum; novum concipi ardorem, ut Deo ſerviatur impenſius; novaſque vires acquiri, ut in ſalutis, & perfectionis via ambulemus, & de hoc ſolitudinis, ac receſſus tempore vere dici poteſt: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. 2. ad Corinth. 6.

Actionis hujus dignitas.

Cum actionis hujus finis, & ſcopus ſit perfecta hominis reformatio, nonniſi præſtantiſſima, & acceptiſſima eſſe poteſt Deo, & cum aſceticæ vitæ magiſtris dicere poſſumus, præcocem eſſe beatitudinem, quantum in hac vita mortalis homo frui poteſt; quia aliam quamlibet cogitationem, curam, occupationem abjiciens, omnes relinquens viſitationes, converſationes, & colloquia homo Deo uni vacat, cum illo tantum loquitur, vel de illo, audit vocem ejus, quæ in imo cordis receſſu perſonat, cum illo converſatur, & agit. Quodnam animæ ſanctæ gaudium! Quodnam ſpei, & conſolationis argumentum peccatori videnti ſibi a Deo aperiri perfugium contra ipſius juſtitiam, atque offerri tutam poſt naufragium ſtationem, & portum!

Solitudo hæc bifariam poteſt inſtitui.

Quod ſpectat ad modum exercendi hanc cordis ſolitudinem, omnes duplici modo hoc fieri poſſe fatentur. Prior eſt, in mundo permanere, ſed ſine amore, & affectione, corde tantum ab eo recedentes, ac ſibi domi ſuæ, atque in animo ſolitudinem ædificantes, quin aliis mundi ſolatiis, atque gaudiis afficiamur, vel ſi ſtatus, ac profeſſio noſtra illis nos intereſſe cogit, nonniſi invitos, & ægre, ut olim Regina Eſther conſueverat, in eorum partem accedere. Sed modus alter eſt tutior, atque utilior, videlicet corpore ſimul, & mente ſaltem ad tempus recedere, ut ſemper recedamus corde confugientes in aliquam ex illis domibus, quæ in hunc uſum deſtinatæ ſunt, ibique ſerio meditantes & terrenarum rerum vanitatem, & chriſtianas veritates, ad quas homines adeo parum animum advertunt.

Utrum præſtet vivere in ſolitudine quam habere commercium cum mundo.

Sæpe agitata hæc fuit quæſtio, utrum ad ſalutem, & perfectionem acquirendam utilius ſit vivere in ſolitudine, quam ſociabilem vitam ducere, & cum hominibus converſari, ut hi ad Deum, virtutemque adducantur. Liquet, utrumque hoc vitæ genus peculiariter ſumptum ſua habere bona, quibus alteri videatur præferendum, & in ſingulis pariter ſua eſſe pericula, præter ea, quæ ſunt utrique communia, & hoc omnino pendere a vocatione Dei, qua quiſque ad eorum alterutrum ſe vocari intelligit. Hac tamen in re Sancti Patres, aſceticæque vitæ magiſtri docuerunt: 1. eam vitæ rationem, quæ utramque illam complecti poteſt, eſſe perfectiſſimam; quippe ea via eſt, quam Salvator ſecutus eſt, qui exemplar eſt perfectionis, & ea, ad quam ille Apoſtolos, & apoſtolicos viros vocavit: 2. Chriſtianum, qui evangelica obſervare vult inſtituta, ſemper ſolitudinem verſus inclinare debere, neque mundi negotiis implicari, niſi quatenus ſtatus, & profeſſio ejuſdem patiuntur: 3. cum in mundo impliciti ſumus, quemcumque ſtatum, & quamcumque profeſſionem fuerimus amplexi, utile, & ſæpe etiam neceſſarium eſſe per intervalla in ſolitudinem ſeſe recipere, ubi ſerio ſaluti noſtræ proſpiciamus, & reparemus malum, quod commercium cum mundo intulit nobis.

Solitudo aptiſſimus eſt locus, ubi Cœli gratias recipiamus.

Nemo unus inter Chriſtianos eſt, qui neſciat, peccatoris converſionem opus eſſe gratiæ, & Deum, qui ejuſdem eſt Dominus, eam quolibet loco, & tempore largiri poſſe. Hoc tamen non prohibet, quominus quidam ſint loci, & momenta eidem magis apta, & verum ſit, illius vim ab hujuſmodi circumſtantiis præſertim pendere. Locus autem, ubi gratia efficacius operatur, non eſt mundus, inter negotiorum impedimenta, in converſationibus, magniſque populi cœtibus. Dei vox, qui nonniſi per gratiam loquitur, ibi ſaltem minus frequenter non auditur; ſed in ſolitudine, ut ipſe profeſſus eſt, efficaciter ad noſtrum cor loquitur: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*. Oſeæ 2.

Si certum eſt, ſalutis negotium, & peccatoris converſionem tempus requirere, & cum mora aliqua patienter eſſe tranſigendum; quis non videt, in ſolitudine tantum nobis arbitrium eſſe temporis, & extra illam momenta, horas, dieſque noſtros deditos eſſe nugis, vanitatibus, ſolatiis, negotiis, omnibuſque ſæculi cupiditatibus? Quod adeo verum eſt, ut in ipſo mundo, ſi quid accidit, quod attentionem, & mentis applicationem depoſcat, & cui diligenter invigilandum ſit, hominum conſortia fugimus, ſeorſim concedimus, atque noſmet ſecreto recipimus. Quid igitur faciendum, ut magno ſalutis noſtræ negotio vacemus? & ut ſolidam converſionem aggrediamur?

Conſcientiam noſtram noſſe, & regere non poſſumus, niſi mundi impedimenta vitemus.

Humanum cor exiguus eſt labyrinthus, ambagibus plenus, & abyſſus tenebris operta. Quomodo autem per has tenebras poſſumus inſpicere? Quomodo labyrinthum hunc extricare, omneſque viarum errores intelligere, niſi ſerium adhibeatur examen, & multæ impendantur conſiderationes, quæ nonniſi in ſolitudine fieri poſſunt, ubi mens aliis eſt expedita negotiis, quæ prohibet, ne ſibimet vacet? Præterea parum prodeſt noſſe malum, niſi medicina inveniatur, & niſi adhibeantur præcautiones, quæ neceſſariæ ſunt, ne impoſterum in illud relabamur. Sed quomodonam anima mundana diſcere poterit ſcientiam hanc prorſus divinam ſine attentione, & labore? Quomodo vero hæc haberi poterit intentio, & hoc ſtudium, niſi aliquantiſper a tumultu, aliiſque negotiis recedamus?

Ut divina inſtituta bene cognoſcantur, utque ſanum feratur judicium, quanti illa facienda ſint, attentius, ac propius conſideranda ſunt cum gratiæ auxilio, & luminibus fidei. Auferenda eſt perſona objectis, quibus fallimur, & videndum, quid reapſe ſint; ad quod perficiendum ſatis non eſt leviter ea cogitare, ac dicere nullam nobis eſſe circa fidem dubitationem; plerique enim Chriſtiani hoc ipſum & loquuntur, & ſentiunt. Sed horum inſtitutorum veritas ponderanda eſt, objecta hæc intus, & in cute ſunt exploranda, ut liqueat, quid illa promittant, quid dare poſſint; alioquin quidquid faciatis, ſemper in errore verſabimini, & voluntas veſtra in iiſdem ſemper vitiis permanebit. Igitur commode, ac per otium meditanda ſunt, ad quod ſolitudo omnino eſt neceſſaria.

Sola ſolitudo non ſufficit, niſi occupare ea hanc exercitia, quæ in eadem fieri conſueverunt.

Satis non eſt ſola ſolitudo, quæ peccatores ad converſionem diſponat, ſed requiruntur pietatis exercitia, quibus in ſolitudine vacare oportet, meditationes, lectiones, aliæque conſuetæ ſolitudinis occupationes, & dogmata, quæ ibi percipiuntur. Quamobrem ad fructum, qui ſperatur,

recipiendum non ſatis eſt ad tempus aliquod ab hominum conſortio, & mundi ſolatiis recedere; ſedulo hæc omnia obeunda ſunt exercitia, per quæ nullus eſt peccator, qui ſperare non poſſit, ſe optimam facturum eſſe converſionem.

PARAGRAPUS VI.

Delecti ex Aſceticis, & recentibus concionatoribus loci hujus argumenti.

Neceſſitas ſolitudinis ſpiritualis per intervalla inſtituendæ, & fructus qui inde percipitur.

EX omnibus exercitiis pietatis ſpiritualis ſolitudo ad animam convertendam utiliſſimum eſt, & fere ſolum, quo numquam ſine fructu uti poſſimus. Facile eſt leviter affici iis etiam religionis noſtræ veritatibus, quæ ſunt maxime terribiles, cum omnia ad mentem diſſipandam, & cor corrumpendum conducunt; ſed cum a tumultu, atque mundanorum negotiorum impedimento procul per otium magnas illas conſideramus veritates, quas numquam ſatis perpenderamus, & quæ nova in luce reſulgent, cum attente eas meditamur, & dum omnia profunt, ut verum earum ſenſum, omneſque earum effectus intelligamus, poſſuntne illæ non mediocrem habere vim tunc temporis præſertim, cum gratia eſt uberior, mens minus diſtracta, & pacatior, & cor optime diſpoſitum? Miraculoſa tot peccatorum converſio, tot religioſarum domuum vel inſtitutio, vel reformatio, tot Chriſtianorum antea in Dei cultu ignavorum, atque tepidorum fervor ſatis palam oſtendunt, maximæ utilitatis eſſe in ſolitudine ex ordine meditari præcipuas religionis veritates. His pietatis exercitiis S. Carolus Borromæus, S. Thereſia, S. Franciſcus Saleſius, omneſque fere noviſſimorum ſæculorum ſancti viri converſionem ſuam, ſuumque in virtute progreſſum acceptum referendum eſſe teſtati ſunt, & eorum exemplo quicumque ſerio vacare volunt maximo ſalutis ſuæ negotio, omneſque regularium ordines hodierna die hanc veluti inevitabilem legem obſervant, ut quotannis octo ſaltem, vel diebus decem præſtantiſſimæ huic ſolitudini impendant. *P. Croiſet tomo 1. Spiritualis ſolitudinis cap. 1.*

Nequicquam nobis blandimur; difficillimum eſt, pravas arcere cupiditates in mundo, ubi omnia iis fovendis conducunt. Difficillimum eſt diutius in mundo adeo corrupto vivere, atque aerem adeo contagioſum perflare, quin eadem labe inficiamur. Maximus quilibet fervor temporis progreſſu intepeſcit, conſtantiſſima quælibet virtus per intervalla novis indiget virium incrementis; ideo neceſſario a turba recedendum eſt; aliquando ſaltem confugiendum eſt in ſolitudinem, ut purior aer reſpiretur. Cum fere ſemper nimis magna ſpiritus evagatione, & commercio cum hominibus fervor tepeſcat, & langueat virtus, huic languori, viriumque decremento nonniſi per receſſum, animique collectionem afferri poteſt medicina. Spiritus ſanctus viſibili forma nonniſi in deſertum dilapſus eſt, vel cum Apoſtoli in cœnaculum ſeſe receperant. Dicere poſſumus, JESUM CHRISTUM ideo toties ſolum in montem ad orandum receſſiſſe, ut exemplo ejus edocti intelligeremus neceſſitatem per temporum intervalla in ſolitudinem confugiendi; & ipſe quidem in ſolitudine tribus Apoſtolis prægustandas præbuit cœli delicias, eoſque maximis favoribus cumulavit. Æquene licet detrectare rem adeo utilem, facilem, & neceſſariam? *Idem.*

Excuſatio & inutilis prætextus eſt negotiorum multitudo.

Facile fatetur quiſque, ſummam eſſe ſolitudinis utilitatem, immo & neceſſitatem; tota in eo vertitur difficultas, ut tempus inveniatur; hæc vulgatior eorum eſt excuſatio, qui hoc ſaluberrimo conſilio non utuntur. Verum admittenda ne hæc videtur excuſatio? Nos, inquiunt, diſtinent negotia, quæ omne tempus abſorbent; quid ergo ſalutis noſtræ negotium negotium non eſt? Num aliquod erit negotium, quod propius nos tangat, & quod majoris momenti nobis eſſe videatur? Heu! Hoc unum proprie nobis negotium eſt; tota vita ideo nobis conceditur, ut illi vacemus; non brevius temporis ſpatium ad id requiri cenſuit Deus, & ſi octo, vel decem in anno inveniendi ſunt dies, quibus huic tantum negotio, quod unicum eſt, navemus operam, tempus deeſt? Si ægrotamus, valetudinis cura aliam quamlibet curam extrudit; ſi periculum eſt, ne judicio victi de hæreditatis poſſeſſione deturbemur; ſi amico, vel conſanguineo moleſtum aliquod negotium incidat, pluribus menſibus aliud quodlibet negotium nobis interdicimus, & huic uni vacamus. Tunc id neceſſitas poſcere dicitur; at nonne majoris neceſſitatis eſt e peccati ſtatu emergere, quam ex morbo convaleſcere? Nonne magis neceſſarium eſt cœlum non amittere, quam hæreditatem tueri? Quid noſtra magis intereſſe debet, quam ſalus animæ noſtræ; & quid utilius, quam certas invenire rationes ſancte moriendi? Quid nobis magis antiquius eſſe debet, quam ex manifeſto æternæ damnationis periculo evadere? Speramus, nos ſaluti noſtræ impenſuros primum illud ſpatium, quod nobis negotia permiſerint. Heu! niſi ipſi temporis ſpatium arripuerimus, nullum nobis negotia permittent. Num aliquod adhuc nacti ſumus, ex quo illud inquirimus? Salutem noſtram non adeo contemnamus; eam intueamur dumtaxat tamquam negotium, & facile octo, vel decem dies inveniemus, quibus magno huic vacemus negotio, quod proprie noſtrum eſt negotium, & quod eſt negotium æternitatis. *Idem.*

Qui magis virtute ſunt præditi, credunt ſe ſubinde ſolitudine indigere.

Mirum eſt innocentiſſimum quemlibet, hoc eſt illum, qui minus indiget, credere ſe ſine ſolitudine ſtare non poſſe. Apoſtolici viri, qui mundum non vident, niſi ut illum ſanctificent, timent, ne & ipſi pervertantur. Iſtæ animæ puræ numquam Dei excidunt præſentia; fatentur tamen, ſe in ſanctiſſimis zeli ſui exercitiis diſſipari. Hi chriſtianæ religionis heroes ſanctiſſimos labores ſuos ex intervallo interrumpunt, ut in ſolitudinem ſe recipiant; neque putant ſe melius præſervari poſſe a mundi contagione, quam ſubinde ſeſe recipientes, ut in receſſu novas vires, & nova ſumant antidota. Religioſi magis regulares, quorum vita jugis eſt ſolitudo, nondum ſatis ſe receſſiſſe putant; ii vero, qui nequaquam arbitrari poſſunt ſe vitam æque ab omni ſcelere puram ducere, & quibus tanta virtus non eſt, iis, qui in ſingula momenta graviſſimis patent lapſibus; qui in jugi mentis evagatione, ac in corrupto mundo verſantur; hi putabunt aliquot ſolitudinis dies ſibi neceſſe non eſſe? Bona fide fateamur; hic voluntas deeſt, non tempus. *Idem.*

Solitudo hominibus utilis, & neceſſaria Deo.

Difficile non eſt intelligere, quam hæc adeo chriſtiana praxis utilis ſit omnibus mortalium generibus, & quam efficax ſeu ad peccatores ab erroribus revocandos, & reducendos ad Deum, ſeu ad confirmandos juſtos, & ad ſublimiorem perfectionis gradum attolendos. Præterquamquod meditationes, quæ ibi fiunt, circa præcipuas religionis veritates verſantur, difficile eſt ei, qui maxime ſerias occupationes intermittit, atque hominum commercium fugit ſuæ tantum ſalutis negotio vacaturus, difficile eſt, inquam, hoc negotium illi e ſententia non contingere: & Deus, qui citra faſtidium tamdiu quærit eos, qui longius ab ipſo recedunt, Deus, qui non ceſſat vocare eos, qui ſe fugiunt, & loqui ad eos, quos tumultus negotiorum mundi voci ſuæ officit, recedetne ab illis, qui in ſolitudinem uſque ſeſe recipiunt eum quæſituri? & nonne palam loquetur ad eos, qui a rebus omnibus recedunt, ut illum audiant? *Idem.*

Difficile eſt ſeſe non dedere iis veritatibus, quas

Attente perpendat mortalis vanitatem rerum omnium, quæ placent, & quæ in mundo majorem afferunt oblectationem; ſerio per otium conſideret plerarumque curarum noſtrarum inutilitatem, voluptatum inane,

In ſolitudine meditemus.

ne, & nihilom earum rerum omnium, quæ mundi magnitudo vocantur; recogitet, quid ipſe in hora mortis cogitabit; meditetur, quanam pernicitate, quidquid nunc nos palpat, tunc evaneſcet; videat deplorabilem animæ ſtatum Dei judicium prodeuntis, quin aliquid umquam fecerit, ut illi placeret; ſibi repræſentet corpus ſuum in ſepulchro a vermibus depaſtum; homo ſerio conſideret quidquid credit de inferno, judicio, ac æternitate, ſcrutetur omnes divinæ juſtitiæ auſteritates, prævideat, quid futurum ſit; poteſt ne ſeſe non dedere gratiæ, quæ ſemper felicibus hujuſmodi momenti ſtudet uti? Hujuſmodi conſiderationes frequentarunt deſerta, & quotidie religioſas domos frequentant, & per illas peccatores a ſceleribus ſuis reſipiſcunt. Si artem invenis efficiendi, ut crebro hujuſmodi fiant conſiderationes, jam inveniſti artem reformandi mores hominum, alendi fervorem in cœnobiis, majora mala prohibendi; jam ſanctos efficiendi artem inveniſti. Hoc autem illud proprie eſt, quod in receſſibus, de quibus loquimur, ipſi nobis proponimus, hoc eſt efficere, ut feriæ fiant conſiderationes circa præcipuas fidei noſtræ veritates. His diebus omnia in hoc vertuntur, ut noſtra vitæ ratio, ac fides noſtra ad examen vocetur; hi proprie ſunt dies conſiderationis; unde facile judicari poteſt, quam praxis adeo chriſtiana, & neceſſaria utilis eſſe debeat, & quanti referat, eamdem perfecte obire: & quam vani, ineptique ſint prætextus, quos amor proprius invenire poteſt, ut nos ab eadem diſpenſet. *Idem*.

Solitudinum uſus non eſt novum adinventum.

Neque putes nudius, ut ita dicam, tertius conſuetudinem hanc percrebuiſſe; ea quippe præſtantiſſimis omnium ſæculorum ſanctis fuit maxime familiaris. Quamquam primorum fidelium vita jugis eſſet ſolitudo, hoc tamen illis in more poſitum erat, ut peculiari quodam receſſu ſeſe præcipuis eccleſiæ ſolemnitatibus diſponeret. Ad hanc pietatis praxin veteres aſceticæ vitæ magiſtri tepidas animas, & imperfectos religioſos remittebant. Dicere etiam poſſumus Jeſum Chriſtum horum frequentium receſſuum nobis primum exemplum præbuiſſe, ſæpe clanculum aufugientem a turba, quæ ſequebatur illum, immo etiam a diſcipulis ſuis, ut ſolus in montem, vel in aliquem deſertum locum oraturus ſecederet; & fructus, qui ex hoc pietatis exercitio percipitur, palam oſtendit, quantopere eidem acceptum ſit. *Idem*.

Sancta hæc praxis omnium ſtatuum, & conditionum eſt propria.

Hoc pietatis exercitium adeo utile, & neceſſarium facile cum omnibus ſtatibus, omnibuſque occupationum, munerumque generibus ſe accommodat. Indiſcriminatim proprium eſt ſæcularium æque, ac regularium, eorum, qui ad ſublimem evaſere perfectionem, & eorum, qui vel incipiunt, vel opus habent, ut convertantur. Nullum magis efficax remedium eſt ad eos præſertim curandos, quorum fervor intepuit; quod ſi in eorum anima nil operatur, malum ipſorum fere eſt inſanabile. Sed cum eccleſiaſtici, ac religioſi ad majorem perfectionis gradum pervenire teneantur, quam cæteri fideles, liquet, ſolitudinem illis magis eſſe neceſſariam ad eorum fervorem fovendum, præterquamquod facilius invenire poſſunt tempus, & rationes id efficiendi. *Idem*.

Dei filius ſuos nos docet exemplo ſolitudinem amare.

Cur videtur nonnumquam Salvator eos fugere, qui illum ſequuntur? Dicitur in evangelio ille montem aſcendere, & ad radices ejus reliquiſſe populum, qui ſequebatur eum; proculdubio ut doceret eos, qui per ſtatum ſuum tenentur in mundo verſari, ſubinde in ſolitudinem confugere, ut per orationem, aliaque pietatis exercitia eum colligant ſpiritum, quam magna negotia diſſipant. Etenim crebro contingit in inſignibus, ac laborioſis conditionibus eis, qui terrenis occupati ſunt rebus, tempus omnino deeſſe, quo ſpiritualibus vacent. Totam tranſigunt vitam aliena curantes, quin vel momentum ſibimet impendant; & miſere moriuntur nimis a toto cogniti mundo, quin ſe ipſos umquam cognoverint. Ad hæc adjicit evangelium, Salvatorem, cum aſcendiſſet in montem, diſcubuiſſe cum diſcipulis ſuis; unde intelligere eſt, in ſolitudine mentem; poſtquam agitata fuit tumultu, & impedimentis mundi, cum Deo ſuo guſtare tranquillitatem, quam, qui in mundo ſunt, neſciunt, & quæ haberi poteſt tamquam maxima vitæ voluptas. *Abbas de Monmorel in Evangelio dominicæ quartæ in quadrageſima.*

Solitudo neceſſaria eſt diſpoſitio ad recipiendum Spiritum ſanctum.

Solitudo habenda eſt tamquam prima diſpoſitio, quam afferre debemus, ad recipiendum Spiritum ſanctum. Illic a mundi commercio ſemoti cor noſtrum omnibus terrenis affectibus exoneramus, ac nos in ſtatum adducimus ibi Deum hoſpitio recipiendi, qui in nos venire, ibique manſionem ſuam vult conſtituere. Etenim, ut S. Cyprianus Epiſt. 2. ad Donat. ait, in tranquillo tantum propitiæ ſolitudinis portu oculi ad Deum inceſſanter poſſunt attolli, ac tanquam inferiora deſpicere, quæcumque alii in mundo majori habent in pretio. Si eos conſulimus, qui per intervalla huic ſancto vacant exercitio, affirmabunt ipſi, ſe numquam inde egredi a terrenarum rerum affectionibus magis expeditos, nec magis Dei ſpiritu repletos. *Idem in ſermone in Evangelium Dominicæ Pentecoſtes.*

Quam neceſſaria ſit ſolitudo, ut in perfectione progrediamur.

Quam maxime intereſt per intervalla ſecedere, quamvis ad paucos dies: hoc enim eſt accedere ad Deum, ut illuſtremur gratia illius, & ut in perfectione creſcamus. Cum anima ſolitudinem metuit, & refugit receſſum, ſignum eſt ipſam de progreſſu ſuo parum eſſe ſollicitam, immo etiam ſuam ſalutem negligere; quoniam ſerio utrique vacare non poſſumus, niſi ad aliquod tempus recedamus a qualibet ſocietate, & ſolatio, nobiſmet ipſis dumtaxat proſpecturi, & niſi in hac ſolitudine cor noſtrum inveſtigemus, ſecretioreſque illius motus ſcrutemur, atque adnitamur primum quidem detegere, mox vero conſcientiam noſtram ſapienti confeſſario aperire; qui nos ab erroribus revocet, & in viam ſanctitatis deducat. *Ex tomo primo epiſtolarum P. Surini.*

Receſſus non minus animæ, quam corporis morbis neceſſarius.

Mirum ſane eſt, facile intelligi ſolitudinem; atque receſſum curandis corporum morbis eſſe neceſſarium, & intelligi nequaquam poſſe eumdem multo magis neceſſarium eſſe animæ ægritudinibus. Non licet ægrotantem videre, vel alloqui, cujuſcumque momenti ſit negotium illud, de quo ſermonem habere velles; & hinc etiam ſæpe ejus pendet valetudinis cauſa. Et qui ſerio animæ ſuæ mederi vult, credit ſe multijuga negotiorum varietate poſſe diſſipari? Ignoratne poteſt tantam eſſe mundi contagionem, ut fugienda ſit, quemadmodum eam fugimus domum, in qua lues debacchatur? Cum de corporis vita agitur, non hæret aqua, & citius quam fieri poteſt; fuga capeſſitur. Verum quidem eſt, hanc ſæculi contagionem non ſemper evitari poſſe: quædam ſunt vincula, quæ etiam ſecundum Deum ſunt neceſſaria; ſed mundi commercium interiori motu ſemper evitandum eſt. *Liber cui titulus documenta chriſtiana in Epiſtolam Dominicæ ſecundæ Adventus.*

Bona viventium in ſolitudine.

En quanam in re potiſſimum conſiſtat magnum eorum periculum, qui vivunt in mundo, & magna eorum felicitas, qui a mundo recedunt; quod mundus proprie eſt dæmonis regnum, quoniam illius princeps eſt, ut loquitur Jeſus Chriſtus. Illic ſuos tendit laqueos, ac ſtruit inſidias, illic clam ardentes ſagittas contorquet, quibus eorum tranſverberat cor, qui Deo vellent inſervire: *Ut ſagittent in obſcura rectos corde*. Pſalm. 10. At a mundo recedentes, ac in ſolitudine viventes, iiſque utentes armis, quas fides miniſtrat, longe facilius ab omnibus hiſce laqueis liberamur, ſi iis bene utimur auxiliis, quæ in receſſu invenimus. *Idem*.

Solitudo generatim ſpectanda eſt tamquam portus tutus contra fortunæ vices, atque libidinem, necnon contra vitæ impedimenta, mundi ſtrepitum, & negotiorum tumultum. Illic eas fugimus cognitiones, quæ nos fatigant, converſationes, quæ tædium afferunt; vel ut ſanctius lo-

quar, illic gratiæ ſunt uberiores, præmia ſunt magis magnifica, errores infrequentiores, promptior pœnitentia, vita tranquillior, mors ſuavior, beatior æternitas..... Hoc tot ſummos viros, inſigneſque ſanctos impulit, ut hoc vitæ genus amplecterentur; & quot in mundo extitera ex iis principibus, quos ſolitudines ſibi ædificantes Job repræſentat? Quot majorem nominis celebritatem imperii abdicatione, quam diadematis fulgore ſibi compararunt? Quot ſanctam tranquillitatem regni tumultui prætulerunt! Quot ultro abjecerunt, quod legitime poſſidere poterant?... Illis palam perſuaſum fuit, mundum eſſe pelagus æſtuoſum, & inhoſpitale, ubi iter inſtitui non poteſt citra naufragii periculum; diluvium iniquitatum adeo late effuſum, ut columbæ innocentes non inveniant, ubi pedem figere valeant; theatrum, ubi virtus vix prodire audet, & ubi vitium triumphat. *Auctor actionum chriſtianarum in Panegyrico Beati Simonis Stok.*

Utilitas, quæ in ſolitudine percipitur.

Ne nobiſmet ipſis os ſublinamus: aliquot nobis dies in ſolitudine traducendi ſunt, ſi innocentiam ſervare cupimus, ut nos in virtutis praxi contineat. Nobilmet perſugium comparare debemus contra mundi tumultum, ac ipſius familiæ impedimentum. Conſilium maximi momenti, quod S. Hieronymus illuſtri cuidam, pieque ævi ſui matronæ præbebat. Quære tibi, ait ille, commodum locum, quo ab omni ſtrepitum procul tamquam tutam in ſtationem ſubinde concedere valeas. In hoc receſſu poſt turbas, atque procellas pacem, & requiem invenies; hoc pacto redimes tempus, quod inutilium rerum curæ impendiſti, ſeu orationi vaces, ſeu evangelicarum veritatum meditationi. Hoc non dico, ut tibi otium ſuadeam, ſed ut te ad actionem inſtituam; ex hac ſolitudine egredieris aptior muneribus tuis obeundis, tuæque dignitati tuendæ. Illic neceſſaria recipies lumina, ut in ſtatu tuo ſancte vivas, atque ut chriſtiane cum mundo verſeris. *Idem.*

Omnes magni viri, gratiſſimi ſanctitate ſuis i bene dis per receſſum ſeſe diſpoſuerunt.

In receſſu Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Apoſtolos, ibique illis divinorum myſteriorum tribuit cognitionem; illic Joannes Baptiſta parat vias Meſſiæ, eique recentem populum format; illic Moyſes artem regendi populum Iſrael docetur; illic S. Paulus gratiis apoſtolatus repletur. Ubinam ſanctiſſimus quiſque cum Deo didicit converſari? In ſolitudine, Dei ſpiritus eos illuc ſæpe deduxit, ut poſtmodum liberarent alios ſpiritu erroris, quo excæcabantur; Juſtitiæ ſpiritus illos impulit, ut ſine aſſentatione vitioſos corriperent; ſpiritus Fortitudinis eos adegit, ut ignavos excitarent, ne animos deſponderent. *Idem in ſermone de religioſæ vitæ officiis.*

Solitudo proprius est locus ubi recipere poſſimus cœli lumina, & noſmet Deo penitus devovere.

A Mundo ſeparati, qui fons eſt diſſipationis, quam in ſolitudine nanciſcimur facilitatem, ut bona adimpleamus conſilia, quæ Deus nobis inſpirat eidem ſerviendi, ac noſmet illi penitus devovendi: Domus ſolitudinis propugnaculum eſt inacceſſum iis rebus omnibus, quæ nos diſſipare poſſent; prohibet ſilentium, ne in nimis aſſidua mortalium frequentia id amittamus, quod per mundi fugam adepti ſumus: minima momenta ibi diſpoſita ſunt, & repleta, ne ſæculi inutilitates animæ requiem perturbent. Cum non alliciamur, amplius objectis, nonniſi indignabundo oculo ſæculum ſpectare poſſumus: gemimus intuiti tot mortales negotiis inutilibus impeditiſſimos, quin autem adhibeant voci Dei illos de veritatibus ſuis erudientis, ſemper agitati, ſemper fluctuantes, fieri ne poteſt, ut inceſſanter diſtracti, ac nugis præpediti audiant Dei vocem, eique reſpondeant? Æternæ veritates num minorem flagitant attentionem, quam humanæ ſcientiæ? Hæ licet naturales ſint mentem poſtulant quietam, atque tranquillam; num aliquid minus requiritur, ut æternis veritatibus, & prorſus divinis cogitationibus repleamur! *Idem.*

Omnes veri Chriſtiani ſolitudinem amare debent.

S. Auguſtinus nobis oſtenſurus amorem illum, quo proſequi debemus ſolitudinem, re adhuc integra ſtatuit, quid pro ſolitudine intelligat, & docet, ſanctam eſſe quietem; ubi anima ab omnibus curis vacua contemplatione veritatis occupatur. Nobis exhibet ſanctam hanc requiem, veluti beatiſſimam conditionem, ad quam homo adhuc vivens valeat pervenire. Qui chriſtiane occupatus eſt, ad ſanctam hanc quietem anhelat, atque huic duriſſima neceſſitas eſt hujus ſtatus felicitatem relinquere. Cum actioni intentus eſt, cor ſolitudinem petit, atque cupit ſemper ſua vincula infringi, ut liberius eam ingredi poſſit conditionem, quam non niſi invitus reliquit. Quam neceſſe eſt has probare veritates hoc ſæculo, quo homines ſolitudinem oderunt! Fingunt ſibi illic non niſi triſtes tranſigi dies poſſe. Hominum plerique inter tumultus diſſipatam vitam agunt: eccleſiaſtici hac in re corruptum ſæculi guſtum ſequuntur: dignitates ambiunt, quiſque enitelcere quærit, & quidam etiam ſollicitudinem ſuam excuſare ſtudent ſpecioſo zeli, ac deſiderii ſalutis animarum prætextu. *Lambert tomo primo ſermonum eccleſiaſticorum ſermone ſeptimo.*

Quo modo inquirenda ſit ſolitudo.

Cum loquimur de receſſu, ac ſolitudine, nequaquam loquimur de receſſum triſtium hominum, qui mundi oculos fugiunt, ut mæſtum, tetrumque ingenium ſuum foveant. Illue ingredi oportet, ut Chriſtianum decet, ut vitam ſecundum religionis principia formemus, ut animum advertamus omnibus procellis, quibus in vita agitati fuimus, omnibus periculis, e quibus evaſimus, & illis etiam, quæ poterunt occurrere. Qui hoc animo ſolitudinem quærit, inde creaturas procul abeſſe inveniet, atque eadem utetur, ut animum ſuum ab illis divellat, quod profecto documentorum omnium eſt maximum: ſi enim creaturis bene utendi ſcientia magna eſt, illis carendi profecto major eſt. Cavebit, ne a creatis rebus abhorrens nimis mordicus ſuo adhæreat ingenio, neque nimis ſuum ſenſum ſequatur, qui ſcopulus eſt ſolitariorum; exempli gratia, non magnæ libertatis indicium eſt hunc deſerere locum, ut alteri adhæreas. Si quæris ſolitudinem, modo ſolitarium, & a mundi negotiis expeditum habeas animum, ibi quietem invenies; at ſi te receperis corde cupiditatibus agitato, invenies malaciam in procellis, exterioremque fugiens tumultum te invenies ſexcentarum cogitationum, conſiderationum, curarumque impedimento irretitum. *Liber cui titulus:* La conduite du ſage, dans les differens etats de la vie.

Solitudine ſubinde indigemus.

Ut in virtute progrediamur, nihil magis neceſſarium eſt, quam recedere, & ſeſe colligere; & impedimentum negotiorum, quod cauſaris, ratio eſt, quæ ſolitudinis hujus neceſſitatem oſtendit. Quo magis extrinſecus effuſi ſumus, eo magis indigemus, ut ſaltem per intervalla noſmet colligamus; alioquin optimæ quævis occupationes nos magis, magiſque diſſipant. Negotia quantumvis juſta ſint, mentem occupant, ac attentionem dividentia illam diſtrahunt, & diſſipant. Objecta vel moleſta, vel jucunda, quæ in obeundis negotiis ſeſe nobis offerunt, cum excitent cupiditates, ſunt magna diſſipationis occaſio homini, qui ſeſe colligere negligit. Denique imperfectarum multitudo intentionum, quæ noſtris ſeſe immiſcent actionibus, ubi nos nobiſmet non invigilamus, cor noſtrum dividens mirum in modum diſſipat mentem. Sanctiſſimus quiſque lacrymis proſecutus eſt hanc in ſe ipſo cognitam diſſipationem. Sanctus Bernardus, qui magno cuidam Pontifici malum hoc exprobraverat, ipſe etiam ſuam deflet calamitatem, eo quod in illud inciderit: & nos non dolemus, quia eadem diſſipatio verat, ne illius ſentiamus effectus, & exitum vereamur. Quamobrem ſolitudo prorſus eſt neceſſaria, ut ſerio ad id animum advertamus, &c. *P. Nepveu tom. 4. conſiderationum.*

De interiori ſolitudine.

Verum eſt non omnes natos eſſe, ut in deſertis vivant; & ſolitariam vitam traducant; ita non

jubet

jubet Deus; nos vel in ſpecu, & ſolitudines concedere, ubi mundi ſpiritus nobis obeſſe non poſſit; ſed tantum nobiſmet vult nos in imis cordis receſſibus ſolitudinem ædificare, ubi ita collecti, ut olim regina Eſther inter aulæ Aſſueri regis delicias, vere cum illa dicere poſſimus: Noſti, Domine, me ex quo pedem in hanc aulam intuli, neque regia potentia, neque coronæ ſulgore, neque majeſtatis illecebra, neque conviviorum magnificentia, neque deliciarum copia fuiſſe permoram. Ratio ſtatus mei paſſa non eſt me hæc fugere, verumtamen illa nullo umquam habui in diſcrimine, ac in uno te, qui ea Deus Abraham, voluptatem inveni. Hos S. Gregorius eos eſſe dicebat, *qui ædificant ſibi ſolitudines*. Iob 3. Hoc eſt expeditum eſſe a creatarum rerum amore, nihil ex mundi hujus bonis cupere, ac nullam in anima ſua turbam pati. Solitudinem ſibi ædificare eſt ſemper ſolum eſſe cum Deo in interiori cordis ſui parte, licet inter frequentes ſodalitates, & omnia objecta, quæ ſenſus afficiunt, verſeris. Solitudinem ſibi ædificare eſt perfectam quærere charitatem, quæ nos intus concludit, & prohibet, ne extra diſſipemur. *Auctor ſermonum chriſtianorum ſermone pro 2. Quadrag. Domin.*

Deus ſemper in ſolitudinibus, ſemotiſque locis voluit docere.

In devios ſemper montes, ſemotaque deſerta Deus mortales perduxit, cum illos docere voluit, eiſque magnum aliquod myſterium aperire. In Monte Sinai tradidit Deus Moyſi tabulas legis; in monte Jeſus Chriſtus Apoſtolos ſuos virtutes evangelicas docuit; in monte elegit illos ex diſcipulis, qui ipſum ſequi debebant, & eſſe Evangelii præcones. In deſerto quinque panes, duoſque piſces inſigni miraculo ita multiplicavit, ut quinque hominum millia ſaturarentur; & nemo neſcit, Apoſtolos tunc in receſſu fuiſſe, cum in eos dilapſus eſt Spiritus ſanctus, ut illos charitatis igne inflammaret; adeo verum eſt, placere Deo ſeſe communicare illis, qui a mundo ſeparati ſunt, & beneficiis ſuis cumulare illos, qui ſolitudinem diligunt. *Idem.*

Oratio Deo acceptior eſt in ſolitudine.

Si res numquam majorem vim habent, quam in centro, elementoque ſuo, ubi inveniunt neſcio quam virtutem, qua deſtituuntur ſtatim, ac inde recedunt; cur non dicendum erit, cum ſolitudo ſit quodammodo naturalis locus orationis, hanc ibi peculiarem virtutem nanciſci, quam alibi ubique non obtinet? Oratio extrinſecus magnam poſcit tranquillitatem, magnam intus pacem, ſanctum animæ otium, perfectam cordis ſejunctionem ab iis omnibus, quæ mortalia ſunt, ac integram Deo attentionem, cujus cor flectere ſtudemus: alioquin efficax non eſt. At hiccine eſt mundi ſtatus, qui ſexcentis eſt periculoſis negotiis immerſus? Nequaquam; non audit Deus preces noſtras in plateis, inquit Iſaias; in ſolitudinibus, in montibus, in ſecretis locis audit Deus vota Abrahæ, Jacob, & Moyſis; neque plena in luce, ac inter tumultum, ſed in nubis caligine, ac ſilentii tranquillitate. In ſpecus aditu Elias zephyros audit, & in deſertis, montibuſque Jeſus Chriſtus orans noctes traducit. *Idem in ſermone de ſancta Scholaſtica.*

In ſolitudine peculiari modo Dei præſentia perfruimur.

Quo magis anima a creatis rebus recedit, eo magis Dei præſentia perfruitur; non dico generali hac præſentia, per quam eſt ubique, ſed particulari, quæ ſpiritum, & cor hominis cum Dei ſpiritu, & corde conjungit. Sumus quidem ſemper præſentes Deo, quia ſemper ob oculos ejus verſamur; ſed non ſemper Deus præſens eſt nobis, quia non ſemper recordamur nos ab illo videri. Commercium hoc mutuum eſt inter illum, & animam ſanctam, quæ dicere poteſt: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cantic. 1. Deus ſane ubique eſt, & ubique efficere poteſt, ut audiatur; ſed Deo, & homini ſæpe accidit, quod duobus amicis, qui ſimul ſunt, ſed qui nihilominus nequeunt ſecum familiariter loqui, quia non deſunt circum illos ſocii, qui in ſingula momenta illos interpellant. In libera, expeditaque converſatione, *clauſo oſtio*, Salvator ait, corda invicem ſeſe produnt: *Sicut ſolet loqui homo ad amicum*; ita Moyſes cum Deo in monte ab hominum commercio ſepoſitus loquebatur. *P. Duzenne in morali Jeſu Chriſti.*

In ſolitudine cum Deo agendum eſt de ſalutis ſuæ negotio.

In penetralibus, atque ſecretiori cubiculo magna pertractantur negotia. Maximum autem, quod nobis ſit negotium, vel ut melius dicam, unicum eſt noſtra ſalus, atque profeſſio. Propalam pro aliis magis, quam pro nobiſmet ipſis laboramus; ſed receſſus in hoc ad noſtram ſanctificationem præſtat, quod amovet a nobis maxima quævis impedimenta, nobiſque magna confert ſubſidia. Si enim oblivio Dei efficit, ut in omnia ruamus ſcelera, Dei memoria in nobis virtutes omnes producit. In ſolitudine autem illa quidem evitatur, hæc autem invehitur. *Idem.*

Ita S. Gregorius Magnus in Pontificali cathedra ſedens, & graviſſimis implicitus curis gemebat ſub ſarcina, quam illi mundi onus imponebat, atque ſolitudinis deſiderio conficiebatur, donec dignitatis ſuæ muneribus perſangebatur eo ſucceſſu, qui mundi totius admirationem in eum convertebat. Plures operum ejus loci nobis hac in re cordis illius affectiones oſtendunt; præſertim vero dialogorum præfatio. Etenim quaſi interrogatus eſſet, quamobrem tantopere oppreſſus, tædio affectus videretur, reſpondit: Triſtitia, quam patior, tota ſimul & vetus eſt propter habitus diuturnitatem, & nova propter illius incrementum, quod ſentio. Spiritus enim meus jugibus munerum meorum impedimentis afflictatus revocat ideam ſtatus beati, quo olim in ſolitudine perfruebatur. Meminit quantum infra ipſum eſſet, quidquid moritur, & quantum ipſe ſuperior eſſet iis rebus omnibus, quæ tranſeunt; ſe olim cœleſtibus dumtaxat vacare conſueviſſe, & quamvis corpori adhæreſceret, ſe tamen contemplationis volatu ſupra quidquid corporeum eſt, aſcendiſſe. Sed nunc propter munus paſtorale ſpiritus meus temporalibus mortalium negotiis torquetur, ac ingemiſcit recordatus vitæ adeo puræ, quam in ſolitudinis quiete traduxit, & videos ſe terrenarum curarum, quibus ſeptus eſt, pulvere ſordeſcere. Cogito igitur, quod patior, cogito, quod amiſi; & quo magis conficior deſiderio ejus boni, quod perdidi, eo magis ingemiſco ob malum, quod patior. *Liber, cui titulus: Solitudo pro ordinandis edita a Curato ſancti Sulpicii Pariſienſis.*

Apoſtolici viri ſemper ſolitudinem quæſiverunt.

Talis fuit ſpiritus ſanctorum inter Apoſtolicos labores: in ſolitudine ad munera ſua obeunda ſe ipſos formaverant, amor ſolitudinis illos inter negotia tuebatur, & hic ſolitudinis amor apertum erat indicium, quod eos Dominus muneribus ipſorum vacare volebat. Non defuerunt etiam quidam, veluti S. Gregorius Nazianzenus, qui ſuis ſe muneribus abdicarunt, ut in ſolitudinem reverterentur reparaturi id, quod munus ſuum in ipſis imminuere potuerat zeli, quem hauſerant in ſolitudine. Quod ſi ſanctorum horum hominum vitæ rationem inſpexerimus, haud ægre quanta ſint ſolitudinis bona intelligemus. *Idem.*

Quid conſilii in ſolitudine capiendum, & quid conſiderandum.

Si verum eſt, quod ait Propheta, terram deſolatam eſſe, eo quod non ſit, qui recogitet corde; ubi melius ea conſiderare poſſemus, quæ ſunt ad proximi, & noſtrummet ipſorum ſanctificationem utilia, quam in ſolitudine? Ubi melius ſanctum illud exequi poſſemus Ezechiæ regis conſilium: Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ? *Recogitabo.* Mecum tacitus reputabo omnes annos meos, qui effluxerant, ex quo in lucem editus ſum, eoſque in memoriam revocabo; diligenti examine illos excutiam. Et ſane utiliſſimum eſt conſilium de ſe ipſo cogitare, atque ſtatum, in quo ſumus, conſiderare, & vitam anteactam ad examen vocare. Omnes anni noſtri fluunt, quin aliud cogitemus, quam quod cum iiſdem annis fluit; atque hac in re parum intercedit diſcriminis inter nos, & pueros, qui in

matrum utero moriuntur. Ex hac vita egreſſi ſunt, quin cognoverint, vel experti fuerint, quid in eadem acciderit; nos vero noſtram tranſigimus, quin animum advertamus unquam ad id, quod in ea cognoſcimus, & experimur, niſi cum omnia præterierunt. Has autem ſaluberrimas conſiderationes, ubi melius, quam in ſolitudine facere poſſumus? *Idem.*

Si ex me quæris, quid hac in ſolitudine cogitandum; heu! quænam objectorum multitudo ſeſe tuæ menti objiciet! Cogitanda ſunt crimina, quæ patrata fuerunt, quot, quantaque fuerint; cogitanda eſt nequitia, & ingratitudo noſtra; pœnæ impœnitentibus peccatoribus præparatæ, pœnarumque æternitas, quæ iiſdem inſtat: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Pſalm. 76. Attente conſideranda ſunt noviſſima; mors proxima, quæ poſtremus erit vitæ noſtræ terminus; finale judicium, quod poſtrema erit facti noſtri ſententia; terribilis infernus, qui extremum erit criminum noſtrorum ſupplicium, niſi in hac vita egerimus pœnitentiam; Paradiſus, æternaque beatitudo, quæ extrema erit noſtræ virtutis merces. Denique opus eſt noſmet eximamus ex eorum imprudentium numero omni ratione carentium, qui earum obliviſcuntur rerum, quæ ipſos adeo prope attingunt: *Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Deuter. 32. Opus eſt tandem, ut filium prodigum in ipſius converſione imitati tandem aliquando ad nos revertamur. *Idem.*

Niſi aliquamdiu in ſolitudine permaneamus, veritates chriſtianæ non magnam in animo noſtro vim efficacem habent.

Conſiderationes, & chriſtianarum veritatum meditationes, niſi ſeriæ, frequenteſque acceſſerint animadverſiones in plurium dierum receſſu, neque efficaces ſunt, neque duraturæ; celer enim, & perfunctorius adſpectus non ſatis magnam vim habet, ut nos impellat ad amplectenda ea, quæ ſunt difficilia, & quibus natura valida repugnat. Quoties bonas habuiſtis cogitationes, ſanctoſque motus erga bonum, & virtutis exercendæ deſideria? Sed quia obiter illas habuiſtis, nec ſatis attente harum veritatum pondus eſtis ſcrutati, nonne verum eſt, eas nullum in vobis bonum effectum peperiſſe? Illæ per otium erant meditandæ, ſumendumque tempus, ut in bonis his conſiliis confirmaremini. Bonæ cogitationes, quæ ſubinde vitam chriſtianam ducendi in nobis excitantur, non ſufficiunt, ut id opere compleamus. Primæ ideæ ſunt veluti primitiæ ratiocinationis, & iteratæ conſiderationes locum tenent concluſionum: *Cogitavi vias meas,* inquit Propheta Pſalm. 118. *Et converti pedes meos in teſtimonia tua. Idem.*

Qui ſolide domum vult ædificare, Jeſus Chriſtus inquit in evangelio, antea fodit fundamenta; & ex S. Ambroſii ſententia Deus in rerum ſpecie, ac ſuperficie non invenitur: *Deus in ſuperficie non jacet.* Paulisper cogitandum, & recogitandum nobis de nobis eſt; officia noſtra conſideranda, perpendenda munera, ac iterum, & ſæpius ad examen revocandus ſtatus ille, in quo ſumus. Etenim quod primo ſtatim intuitu bonum videtur, ſi rite ad examen revocetur, malum eſt, & quod verum videbatur, falſum eſſe invenitur. Quoties quotidie ob attentionis defectum fallimur? quoties nos pœnitet, eo quod primis adhæſimus conſiliis? Si in terrenis hoc verum eſt, quanto magis in iis, quæ ad ſalutem pertinent, quæ in ſemetipſis tanti momenti ſunt, & adeo difficile reparantur? Quamobrem ut tuto conſilium capiamus ſeu pro vitæ genere, quod amplectendum, ſeu pro modo, quo in hac re noſmet gerere debemus, aliquamdiu cum Deo in ſolitudine deliberandum eſt. *Idem.*

Ut Deum inveniamus in ſolitudinem noſmet recipere debemus.

Narrat S. Eucherius, cum neſcio quis ex pio amico quæſiviſſet, ubinam Deus poterat inveniri, ab hoc illum in vaſtam deductum ſolitudinem audiviſſe; hic Deus invenitur. *Et oſtendens ſolitudinis vaſtæ receſſum: En, inquit, ubi Deus eſt.* Et ſane quantumvis bona tibi ſit intentio, & quemcumque zelum habeas, nequis in mundo vivere ſine mentis evagatione, & Deus in tumultu, ac turba non invenitur: *Non in commotione Dominus.* 3. Reg. 19. Stella, quæ Magos per deſerta deduxit, in aula Herodis evanuit. In ſolitudine purior reſpiratur aer, cœlum invenitur apertius, & major apud Deum patet acceſſus, quidam Pater ait: *Aer purior, cælum apertius, familiarior Deus.* Relinque conſanguineos, & amicos: relinque patriam, paternamque domum, ad ſublimem hanc perfectionem, ad quam adeo pauci adnituntur, contende: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monſtrabo tibi.* Veni in ſolitudinem, ibi vocem Domini audies, *hæc vox,* S. Bernardus inquit, *non auditur in foro, non ſonat in publico.* Ita ne erres, ſi Deum invenire vis, egredere ex mundo; deſertum locus eſt, in quo ille habitat: *Eremus Dei templum eſt,* ait S. Eucherius. Ubi enim præterquam in ſolitudine permanebit ille, qui ſilentium ſibi elegit in habitaculum? *Quem enim certum eſt habitare in ſilentio, credendum eſt gaudere ſecreto.* Ubinam Spiritus ſanctus loquetur, ubinam vox, & afflatus illius majorem habebunt vim, quam in loco, quem ſecretorum ſuorum vult eſſe ſequeſtrem? *Eremus digna Spiritui ſancto habitatio; ipſe enim & ſecretum quærit, & ſolitarium locum diligit. Idem.*

Subſidia, quæ ad ſalutem operandam in ſolitudine inveniuntur.

Tanta eſt ſolitudinis felicitas. Ex Sanctorum omnium ſententia in hoc aſylo nos non perſequitur hoſtis; vanitatum nebula, ut in mundo, non aufert nobis amplius cœleſtium bonorum adſpectum: *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona.* Sap. 4. In deſerto dumtaxat pœnitentia ſuum regnum conſtituit: *Vox clamantis in deſerto, pœnitentiam agite.* Matth. 3. Homines illam ex ſocietate ſua ejecerunt; illa in deſerta conceſſit, ubi paucis auditoribus prædicat. Eſto ex hoc numero, relinque cœtus, & urbes, & rumore, ac tumultu deterritus pacem, & ſilentium inquire. Enixius ora Deum, ut facilem tibi aperiat viam, vel ſi illic jam es, gratiam hanc excole quam diligentiſſime. *Idem.*

Cum Deum amamus, ſolitudinem quærimus.

Cor Dei flagrans amore negligit mundi turbam, quæ urbes frequentat. Videt in ſæcularium cœtibus, & ſodalitatibus de temporalibus tantum negotiis verba fieri, de jurgiis, & litibus, de vanitatibus, profaniſque oblectamentis, de rumoribus ſæpe fictis, & dolorem afferentibus, ac ſemper vanis; Sal evangelicum pedibus conculcari, impietatem, & oblivionem Dei, æternarumque veritatum ibi regnare; illic latam viam ab omnibus ferme calcari, neminem de ſalute ſua eſſe ſollicitum: atque ſtupore perculſus ob tantam hanc cæcitatem, & depravationem ex mundi turba recedit, deſiderio flagrat in ſolitudine aerem puriorem reſpirandi, atque in arcta incedendi via, ubi illi non incommodet multitudo; ibique invenit mentis requiem, & tranquillitatem, quam alibi guſtare non poteſt. *Idem.*

In ſolitudine pro nobis laborantes noſmet proximis utiliores efficimus.

In ſolitudinem concedentes proximo eritis utiliores; cum eccleſiaſticis loquor. Voſmet aptiores præbebitis, qui animarum ſaluti cooperemini, quam inceſſanter cum mundo converſantes, cui ſcandalum afferet vita veſtra ſuæ nimium conformis. Solitudo veſtra proximum etiam ædificabit, qui bonum hoc exemplum mirabitur. Deinde vos majori habebit in pretio, vos reverebitur, ac ex ſalutaribus monitis veſtris fructum percipiet; plurimi vos imitabuntur, & cuicumque probabitur illud Scripturarum oraculum, eum, qui ſibi utilis non eſt, aliis utilem eſſe non poſſe. Apoſtolici viri, egregie S. Chryſoſtomus inquit, mundo fatigati, & exagitati, ſæpe in deſerta confugiunt, & in ſolitudinibus deliteſcunt, ſed poſtquam ſpiritum, animumque receperunt, de receſſibus ſuis tamquam generoſi emergunt leones certi propoſiti ſui, & nulla pericula detrectantes, ut alienæ ſaluti proſpiciant. Magnis repleti veritatibus, quas in ſolitudine meditati ſunt, & divini capitis ſui ſpiritu animari, atque excitari idea ſanctitatis, quam illis exigit Deus, cœleſti, qua nutriuntur, manna roborantur, ipſi diabolo terribiles. *Idem.*

Sine bona ſolitudine vix bona

Secundum conſuetam Dei providentiam poterit ille quidem peccatorem bonis aliquot motibus præveni-

Sæpè poteſt converſio. venire, eum vel in ipſa negotiorum turba, vel in ipſis voluptatibus immerſum apprehendere, illum intus in corde clam redarguere, ejuſque cæcitatem explorare; peccator hic commovebitur, &, ſi vis, aperte etiam concutietur; ſed adhuc longe ab integra diſtat converſione. Antequam ad felicem hunc terminum perveniat peccator, plurimas efficere debet conſiderationes, examina, preces, ut Deus opus illius cumulet longa gratiarum, earumque non ita communium ſerie, numeroque; quod in mundo non fiet, donec ille in ſuis ſolatiis, oblectamentis, negotiiſque verſabitur. Deus palam hoc edixit, cum dixit ſe nonniſi in ſolitudine efficaciter loqui ad cor, eodemque potiri: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*. Oſeæ 2. Quomodo enim cæleſtia hæc lumina, & gratiæ effectus ſuos producere poſſunt extra ſilentium, ac ſolitudinem? Quomodo his luminibus, & gratiis inter mundi tumultum animus adverti poteſt? vel quomodo inter convivia, & oblectamenta ſequi poſſumus hos ſenſus doloris, & contritionis? ..... Ut hoc vobis perſuadeam, mihi ſatis eſt experientia, quæ uque conſtans eſt, & certiſſima, ac communis. Conſiderate quæſo, quam communis hodierna die ſit in chriſtiana religione prædicatio. Concionatores nuſquam majorem zelum præ ſe tulerunt, neque templa majori auditorum frequentia fuerunt repleta; & nihilominus ubinam ſunt fructus, qui ex miniſterio adeo ſancto procedunt? Si concionator digne ſuo perfungetur munere, ſtatim in arena bonos aliquot motus in anima mundana ciebit; ſed quinam eſt horum motuum exitus? num perfecta converſio, vel ſaltem aliqua vitæ reformatio? Haud ita quidam; vel ſaltem hoc accidit raro; cujus rei hæc vera cauſa eſt: gratia, quæ Dei verbum comitatur, ſemen eſt converſionis, atque virtutis; eam recipit peccator, illius vim ſentit, verum eſt: ſed illi tempus non permittit ſingendi radices, quia ſtatim ad profana redit colloquia, ſeſe rurſus primis ſocietatibus implicat, conſuetis ſolatiis, & negotiis ſe iterum abdit. Ita omnes boni motus, quos concio, & concionator in illius anima excitaverant, quin aliquem gignant effectum, evaneſcunt. Hoc ipſum dicendum eſt de gratiis, quas elargitur Deus illis, qui vel oblectamentis, vel negotiis mundi hujus impediti ſunt; eæ quippe propter conſiderationis, meditationis, ſolitudinis defectum inutiles fiunt. Ita de homine, qui ſerio ſeſe Deo tradere cogitat, dici poteſt, quod olim Deus Sancto Patriarchæ Abraham: *Egredere de domo tua; & de cognatione tua, &c.* Si ſaluti tuæ ſerio proſpicere cupis, & ex via perditionis in tutam cœli viam migrare, ad aliquod temporis ſpatium a mundi commercio recede, in ſolitarium aliquem locum te recipe, ut ea invenias ſubſidia, quæ ad hoc præſtandum ſunt neceſſaria. *P. Gegou in libro cui titulus: Uſus Sacramenti pœnitentiæ, capite quinto.*

Sine ſolitudine vacare non poſſumus exercitiis pietatis, & pœnitentiæ.

Ex hactenus dictis facile judicari poteſt omnino neceſſarium eſſe, ut animæ mundanæ, quæ efficaciter converſioni ſuæ operam navare volunt, ſaltem ad tempus recedant a ſæculi curis, atque negotiis, alioquin numquam evaſuræ e via perditionis, in qua mundus eas tenet implicitas. Si enim verum eſt ad magnum hoc opus, vacandum eſſe exercitiis pietatis, pœnitentiæ, & mortificationis, quomodonam hoc extra ſolitudinis ſilentium, atque ſecretum fieri poteſt? Quomodo inter terribilem mundi perturbationem, atque tumultum, & inter ſæcularium curarum ſollicitudinem preces poſſunt effundi? Homo vix ſe ipſum in tanta rerum confuſione poteſt intelligere; quomodo autem ſe orationi vacaturum ſperabit, quin a mundi commercio recedat; quomodo ingemiſcere, ac ſuſpiria emittere poterit in eorum ſocietate, qui ridere tantum geſtiunt, & oblectari? Hoc ipſum dico de jejunio, aliiſque pœnitentiæ exercitiis; quomodo enim jejunare, ac te mortificare poteris inter eos, qui inter compotationes, & commeſſationes laſciviunt? Ad hæc, ſi meditationes, & lectiones omnino ſunt neceſſariæ ad contritionis ſpiritum fovendum, nonne liquet, ſolitudinem aptiſſimam eſſe, ut ibi pacata mens, & tranquilla habeatur; quandoquidem hic unicus eſt portus, ubi in tuto eſſe poſſimus contra rumorem, ſæculique procellas? *Idem.*

Si mortales omnes ſancti eſſent, eorumque ſermones, & exempla ad virtutem tantummodo nos excitarent, ex eorum familiaritate nonniſi magna ad converſionem efficiendam, & acquirendam ſanctitatem percipere poſſemus auxilia; ſed cum tanta ſit in mundo corruptio, ut non ſit, qui faciat bonum, non ſit uſque ad unum, ut loquitur Propheta; nonne inferendum eſt, ad hoc ut vacemus Deo, & exercitiis pietatis, ſolitudinem eſſe inquirendam? Hic Dei ope illi, quos tetigit gratia, & quos juſtos facere aggreditur, poſſunt ſine obice revocare in memoriam annos calamitoſos, qui ſunt vitæ ipſorum confuſio, & juſta mortis formido. Hic pace, ac tranquillitate, mundi longinquitate, & negotiorum intermiſſione opem ferentibus omnibus interioribus æque, ac exterioribus pœnitentiæ exercitiis, ſe ipſos colligere poſſunt, ut cognoſcant ſtatum animarum ſuarum, naturam, ac vim cupiditatum, peccatorum enormitatem, & pravorum habituum nequitiam. Hic libere flere poſſunt, & in ejulatus erumpere, oculos ſuos, manuſque in cœlum attollere Domini miſericordiam imploraturi. Hic quia timeant; ne ab aliis audiantur, aut videantur, ſeſe proſternere poſſunt, omniaque doloris, & contritionis ſuæ edere ſigna. Hic tandem poſſunt jejunare, ſeſe mortificare, & omnia pœnitentiæ opera exercere, ut in ſeipſis puniant injuriam, quam intulerunt Deo, & hoc pacto Dei mulceant iracundiam. *Idem.*

Solitudo, & fuga mundi ad gratiam ſervandam eſt neceſſaria.

Mundi commercium magnus eſt gratiæ ſcopulus; & nihilominus tantum abeſt, quod mundum fugiamus, ut non ſolum mundum, ſed etiam ipſam mundi lucem inquiramus, ubi melius eſt periculum perevadi. Mirum ne igitur eſſe debet, ſi adeo pauci illam tueantur? Quomodo enim inter mundi corruptionem hæc gratia ſervari poteſt? Quid hodie in mundo videtur, quod non videatur de induſtria factum ad gratiam deſtruendam? Num ſervatur gratia in iis converſationibus, ubi charitas tot rationibus vulneratur? Servaturne in occultis artibus, & dolis, ubi ambitioni juſtitia litatur? Servaturne inter vana illis placendi deſideria, quibus citra noxam placere non poſſe intelligimus? Servaturne in ſpectaculis de induſtria præparatis ad cupiditates contra rationem, virtutemque confirmandas? Hæccine gratiam ſervandi ratio eſt, ſemper in peccati occaſione verſari? *P. Aurelianenſis ſermone de ſancta Virgine.*

Bone Deus! quam fallax hoc tempore habetur idea ejus rei, quæ ſolitudo, & mundi abnegatio vocatur? Fidelis converti ne vult, & ne ſalutem ſuam in diſcrimen adducat, ab impiorum conſortio ſecedere meditatur? Reſpicit quamdam ex iis domibus, ubi ars adinventa eſt ſemovendi, quidquid in mundo impedimenti, atque tumultus eſt, & retinendi quidquid ibidem eſt utile, & commodum; fugiendi hominum lucem quibuſdam temporibus, aliis vero ad eos redeundi, & cum illis converſandi; ſocietatis voluptate perfruendi, utendo familiariter quibuſdam amicis, quorum conſortium facile eſt, & ſuave, & gloriandi, quaſi ſolitudinis meritum fueris conſecutus; ſibi vitæ ſyſtema proponendi, in quo reſervatur, quidquid placet, & in deliciis habetur. Hæc non eſt pœnitentiæ ſolitudo; hæc fuga eſt, ac tædium tumultus, & mundi; neque mirum eſſe debet, ſi plures, integriqua hujuſmodi ſolitudinis anni minime ſanctiores, & meliores efficiant. *Auctor Anonymus.*

Deus ad ſolitudinem vocavit eos, quos ad ſublimem attollere.

Cum vult Deus animam ad ſublimem perducere ſanctitatem, illi tribuit gratiam ſeparationis eo perfectioris, quo ſublimior eſt ſtatus, ad quem illam vocat. Chriſtianis vulgo in mundo vivere permittit, dummodo corde, & affectu ab illo di-

viſi

Digitized by Google

[illegible]

viſi ſint, ſufficitque eos a corrupta peccatorum maſſa ſeparare; ſed electas animas, & ad primum virtutis ordinem deſtinatas ducit in ſolitudinem locuturus ad cor earum, quin eas creaturarum commercium interpellet. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*. Oſeæ 2. Zelotes hic Deus, qui illas plene, & ſine ulla diviſione poſſidere vult, non ſinit, ſenſus earum ſæculi imaginibus perculſos in mentibus illarum inevitabiles impreſſiones efficere, quæ nobis etiam invitis auferant Deo partem ſpiritus, & cogitationum noſtrarum. Has mundo rapit, ne hujus nequitia cor illarum corrumpat, & ne vel minimus contagioſi, & veneeati aeris afflatus earum lædat puritatem, atque innocentiam. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*. Sapient. 4. *Abbas du Jarry, Panegyrico S. Antonii*.

Sancta occupationes animæ ſolitariæ.

Illic anima perficitur in omnibus virtutibus, quæ ſolitarii animam ornare poſſunt; modo ex rebus viſibilibus totidem veluti ſibi gradus facit, ut ad inviſibilium cognitionem, amoremque ſe attollat; modo cum Propheta omnes Creaturas ad Deum laudandum, eique benedicendum invitat, vel potius ſuam vocem, rationemque commodans omnibus rebus ſenſu carentibus tot variis modis eum celebrat, quot perfectiones illius diverſimode pictas in locupleti hac univerſorum varietate intuetur; modo aſſueſacit corpus ſuum mortificatione, ut alacriter Domini jugum ferat, & ſine reſiſtentia gratiæ motus, & elevationis ſpiritu ſequatur... Illic ſolitarii mens non minus abeſt a ſæculo, quam corpus; & ille magis avulſus, quam remotus a creaturis contemnit, quidquid magnificentiæ, & illecebrarum in mundo eſt; nam aliquando mundus hic ſeſe offert ſub forma, quæ magis periculoſa eſt illis, qui ab eo receſſerunt, quam qui in eo commorantur. Nobis decipiendis aptior eſt, cum ſeſe noſtris exhibet oculis in quodam intervallo, quod celans dolores, tædia, & amaritudines, quas mortales in illius commercio experiuntur, flores tantum oſtentat, quorum ſpinæ non amplius ſentiuntur. At ſolitarius, qui mundum fuga ſuperavit, facile triumphat etiam de dæmone in tentatione ſibi illius ideas, & phantaſmata ſuggerente. *Idem*.

Illic pœnitens ſolitarius ſatis minime ratus noxiis voluptatibus nuncium miſiſſe, quibus mundus ſua alligat mancipia, ipſas etiam, quæ culpa vacant, ſibi intercidicit. Illic tamquam vas Sanctuarii, quod quantumvis pretioſum permanet in perfecta mundi, & ſui ipſius oblivione, alienis relinquit manibus, quas divina ſuppeditat Providentia, alimoniam hujus corporis mortui, cujus Deo hoſtiam offert viventem. Illic quidquid Deus non eſt, videtur indignum, quod ipſius oculos, & cogitationes moretur, & immortalis pulchritudinis ſuæ imago in corde ejus inſculpta cum pulcherrimis gratiæ lineamentis eum ita replet, ut non habeat ultra oculos ad conſiderandas imagines in omnibus naturæ mirabilibus ſatas. *Idem*.

Mentis evagatio evitari nequit niſi in ſolitudinem conceſſas.

Quomodonam temporalibus vacare licet negotiis; & quotidie mundi commercio intereſſe, quin mens evagetur, & cor corrumpatur? Quomodo inceſſanter reſiſtere contra magnam hanc objectorum vim, quæ catervatim ſeſe offerunt, quæ nos undique obſident, & quæ jugiter vim faciunt, ut per ſenſus in animam noſtram ingrediantur? Quomodo non perſtringi poſſumus, ubi cominus intuemur opum fulgorem, honorum faſtum, illecebras, & magnificentiam figuræ hujus mundi, qui indeſinenter ob oculos noſtros ultet, ſuis promiſſionibus allicit, ſuis detinet illecebris, ac ſexcentis jucundis phantaſmatis faſcinat? Quomodo exempli, & conſuetudinis torrente non trahi? Semper obniti contra mundi placita, & mores, qui ſecretis cordium ſtudiis blandiuntur? Semper ſenſibilibus adhærere bonis, eaque ſine ulla exceptione futuris ſacrificare voluptatibus, quas nobis religio promittit, ſed quarum nullas nobis ideas ſenſus tribuunt, & quas ſpiritus ipſe non proſpicit niſi luminibus fidei, quæ licet certa, ſunt tamen ſemper obſcura? *In collectione orationum academiæ Gallicæ oblatarum anno 1703*.

De receſſu, & fuga mundi.

Si de rebus ſecundum generalem regulam judicium ferendum eſt, extra omnem dubitationis aleam ſitum eſt, æternum cum mundo divortium tutiſſimum eſſe ſalutis aſſequendæ ſtatum. Animam attollit ad Deum ſublimiori modo, eam cum illo arctioribus vinculis conjungit, & a ſenſibilibus, ut ita dicam objectis ſolvit; cupiditates ejus depurat, eamque in ſuperiori regione conſtituit, ubi neque turba, neque tumultus tranquillitatem ejus poſſunt labefactare. Hinc profitetur Deus ſe eam in ſolitudinem adducturum, ut ei loquatur ad cor, ac ſibi interiorem Mariæ collectionem, quam ſollicitas Marthæ curas eſſe gratiorem. Attamen ex hujuſmodi principiis inferendem non eſt, omnibus a ſæculo recedendum eſſe, ut ſuam tueantur innocentiam: hoc perfectionis conſilium eſt, non neceſſitatis; ſed per intervalla recedere, ut ſaluti cogitatio impendatur, utque conſcientiæ negotiis conſulatur, hoc inevitabile videtur eſſe, quandoquidem hac ſolitudine tantopere indigemus. *Ibidem*.

Quæri ſolitudo poteſt duplici diverſa ex cauſa.

Mirum eſſe non debet, ſi homines extiterint, qui ſæculi tumultum, impedimenta, ac vanitates fugientes, unice ſeſe abdiderunt æternarum veritatum contemplationi, ſtudioque virtutis. Hoc tot ſapientum gloriam, vel ut dicam melius, tot Sanctarum merita conſtituit. Sed hac in re nonnumquam res a ſpecie diſtinguenda eſt; etenim nonne aliqui parum ſanæ mentis inventi ſunt, qui magis ex hominum odio, quam ex amore Dei ſolitudinis horrorem quæſivere? Si cœleſtes laudamus animas, quæ pio quodam timore, ſanctaque prudentia actæ ſcopulos evitarunt, ubi periculum erat, ne virtus illic naufragium faceret, & contagioſum fugerunt aerem, ubi prope erat, ut innocentia corrumperetur; non eodem pacto laudabimus hos ſolitarios, qui id unum quæſiverunt, quomodo fortunæ tela eluderent, & quorum timida negligentia, vel callida mollities minus mundi errores, & flagitia, quam labores, & curas ejuſdem reformidavit. Pſeudoſapientibus hujuſmodi plena eſt vetuſtas; & ipſa etiam religio noſtra aliquando hujuſmodi hypocritas vidit; ſed perfectis abundavit ſolitariis, qui propter cœleſte regnum ſincere terram contempſerunt. At nonniſi in ſolitudine, ac receſſu Deus audiri poteſt? Vitæ civilis cura cum vitæ æternæ ſpe nequit conciliari? Hoc non omnino impoſſibile eſt, ſed admodum rarum, & perdifficile. *Ibidem pro anno 1705*.

De vitæ ſolitaria bonis.

Solitarius, qui Deo tantum eſt præſens, & cui Deus unus præſens eſt, & qui in tenebrarum caligine eminentem exercet ſanctitatem, eo in bello, quod ſibimet infert, nonniſi charitate poteſt roborari. Hominum laudes huic metuendæ non ſunt; ſed neque has coram illis meretur: innocentia ſua ipſi contra mundi rumorem tuenda non eſt, ſed nullum edit rumorem ejus innocentia: humanæ conſiderationes illi negligendæ non ſunt, ſed deſunt ipſi occaſiones, quibus eas negligat: nullæ ipſi ſanctæ actiones ſunt abſcondendæ, ſed omnes illius ſanctæ actiones abſconditæ ſunt. Solus, derelictus, ignotus, ignoratus uni tantum Deo amando vacare poteſt, & vacat. Magna eſt illius ſanctitas, qui in mundi luce vivit, quia illa renidet; ſed major adhuc eſt ſanctitas illius, qui procul eſt a mundo, quia non renidet. *Difficile eſt Deo tantum judice eſſe contentum*. Liber, qui inſcribitur: Conſiderationes in varia religionis, Ethicæque argumenta.

Inanis mundanorum excuſatio ne ſe a ſolitudine diſpenſare.

Nonne hæc excuſatio, & querela eſt, quam vulgo homines adhibent? Quomodonam, inquiunt illi, in hac negotiorum confuſione, in publicis cœtibus, & inter has occupationes, & externa negotia, quæ dignitatis, conditionis, ſtatuſque mei ratio obire me jubet; quomodonam, inquam, hiſce pietatis exercitiis vacem? Quandonam vel momentum integro de die demere poſſum, ut me clam recipiam? Hæc veſtra infelicitas eſt, & excuſatio vana: tandem enim cum legitima obeunda ſunt opera juſtitiæ, rationis, & non cupiditatis, ſemper

per

per ſolitudinis, & receſſus momenta poſſunt inveniri. Sanctus Ludovicus in aula, in plurimorum negotiorum turba, & inter aſſiduas curas, quas tanti imperii regimen flagitat, ſemper inveniebat artem regiis in ædibus ſibi ædificandi ſolitudinem inter tot impedimenta. Regia illius pietas noverat invenire tempus, & modum, quo ſe cœtibus, & mundi negotiis ſurriperet, in receſſu tecto ſalutis ſuæ negotio vacaturus. Num magno hoc principe occupatiores? Num te majora, ac impeditiora urgent negotia? Hoc igitur, æque ac ille facere potes, immo etiam debere te affirmo. *P. Champigni ſermone de ſpirituali ſurditate.*

Dei vox audiatur in deſerto.

De hoc agentes argumento gratiam, quæ nos ſollicitat, & urget, ut noſmet dedamus, dicentem inducere poſſumus, quod olim glorioſus JESU CHRISTI Præcurſor: *Ego vox clamantis in deſerto*. Quaſi diceret: vox quidem Dei ubique loquitur, & ego ubique ſum, Dei vox ſum; ſum Dei vox in deſerto, ſum Dei vox in Herodis aula; ſed quia Deus ſæpe clara voce clamat in deſerto, in mundo vero neque adeo ſæpe, neque adeo palam loquitur, ego non ſum vox in mundo loquentis, ſed tantum ſum vox in deſerto clamantis. *P. la Valois in tertia Epiſtola de ſolitudine.*

Miſſionarii, Apoſtolicique viri ſæpe indigent ſolitudine.

Miſſionarii, qui in mundum prodeunt dumtaxat ut illuc Deum ferant, quia ab ipſo feruntur Deo Apoſtolici viri, qui Deum unum quærunt; & de Deo loquuntur, atque animabus convertendis, ſanctificandis, ſalvandiſque tantummodo vacant; iſti divini homines agnoſcunt ſe in ſanctiſſimis etiam zeli ſui exercitiis diſſipari, & dum aliorum peccata detergunt, periculum ſubire, ne ipſi ſordeſcant. Per intervalla ſeſe in ſolitudinem recipiunt, ut ſe colligant; putant hos receſſus ſibi neceſſarios eſſe, ut ſe reficiant; te autem iiſdem non indigere putabis, te, qui in mundo mundum tantummodo quæris, te, qui nunquam ſine periculo illuc ingrederis, & inde numquam ſine aliquo recentis ſcrupuli argumento egrederis? Religioſi ſanctiores, quorum vita jugis eſt ſolitudo, ſatis ſe ſolitarios eſſe non putant, quotannis ſuum eligunt tempus, quo ſeſe penitus recipiant, atque in diligentiorem ſeſe colligant ſolitudinem. Tu autem tutum te exiſtimabis in mundo, in jugi mentis evagatione, in libera vita, quin tibi umquam vim facias, quin te umquam recipias? Si Sancti hi viri jam regularum ſuarum vi clauſi, prudenti conſilio ſe arctius concludunt, num tu prudens es, qui te objicis, quin temet colligas uſpiam? *Idem.*

Præcipit hominibus Deus, ut ſancti; atque perfecti ſint. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum: eſtote ergo perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Matth. 5. Verum putaſne ſine receſſu te poſſe ad ſublimem adeo perfectionem pervenire? Aliquiſne viſus eſt umquam, qui in plateis, in cœtibus, in negotiis, in mundi tumultu ſanctitatem fuerit adeptus? Illicne conſuevit Deus peculiares ſuas gratias effundere, gratias ſuaves, vehementes, victrices, eaſque effundere ita affluenter, atque conſtanter, uti opus eſt, ut Sanctos efficiant? Licet ita ibi eas effundere vellet, quotuſquiſque illis recipiendis par eſſet? Num tempus eſſet, quo homo ſe iiſdem penetrari ſineret, eiſque adverteret animum? Poſſetne illas tantum recipere? Qua via ingrederentur illæ in mentes, & corda cœleſtibus ſemper clauſa, ſemperque terrenis cogitationibus, ac deſideriis repleta, & agitata, ſemper in turba, atque tumultu? *Idem.*

Separatio a mundo corpore, & ſpiritu ad veram ſolitudinem eſt neceſſaria.

Mundo abrenunciare non eſt omnino hominum ſocietatem relinquere, ſed abrenunciare luxui, & mundanis voluptatibus, ſe a mundi ſtrepitu animo ſeparare; ſed corporali ſeparationi ſpiritualis etiam eſt conjungenda. Corporis ſeparatio phantaſma eſt, niſi ſeparatio mentis acceſſerit; & mentis ſeparatio ſubſiſtere nequit, niſi corporis ſeparatione fulciatur. Spiritus ſeparatio haberi poteſt etiam inter ſocietates; ea quippe a nobis pendet: ipſi ſolitudinem, ubi voluerimus, in corde noſtro poſſumus conſtituere . . . Hoc autem mirum eſt, quod in ſolitudine ii tantum videntur, qui minus indigent. Videntur religioſi, & eccleſiaſtici; ſed hæc pro illis proprie non eſt; pro negotioſis hominibus eſt, qui alioquin numquam conſcientiam ſuam extricabunt; pro iis, qui in aula, & in foro verſantur; pro mulieribus, quæ ſuis vacant voluptatibus, &c. *Specimen ſermonum pro die Pentecoſtes.*

Exterior ſolitudo parum prodeſt ſine interiori.

Non deſunt, qui numquam ſolitarii ſunt, licet ſæpe ſint ſoli; deſideriorum, conſiliorum, curarum turba eos quocumque ſequitur; ſe proſterni ſinunt inanibus terroribus, ac mœſtitiis, quæ mere ſæculares ſunt, atque profanæ, quibus cor eorum exareſcit. Variæ eorum cupiditates tantum ibi ſtrepitum edunt, ut obſurdeſcant, neque Dei vocem audiant, & in eum ſtatum redigantur, ubi nec loqui poſſint, nec audire. Similiter exterior ſolitudo parum prodeſt, niſi interior acceſſerit. Ut igitur vere ſolitarius ſis, ſilentium indicere debes imaginationi, cupiditati, ſenſibuſque tuis, ut Deus nobis loquatur, & ipſi cum illo loquamur; quidquid in nobis eſt in illum tendere debet. Denique exterius ſolitarii ſumus, quando cum mundanis non amplius converſamur; ſed intrinſecus ſumus ſolitarii, hoc eſt in ſpiritu, & veritate, cum ſeparati ſumus a mundi placitis, moribus, & criminibus, & viam ingredimur, quæ viæ illius eſt prorſus oppoſita. *De ſancta Martha tomo 2. tractatuum aſceticorum, tractatu de modica conſideratione, quam de nobiſmet ipſis facimus.*

Invitatio ad ſolitudinem.

Educ te e ſtrepitu, ac turba, veni ad quærendum Dominum in ſolitudine, huc eos omnes appellat, quibuſcum loqui vult; hic eſt veluti indictus illis ad conveniendum locus; ibi loquetur menti, & cordi tuo, atque oblectabitur tecum loqui, quotieſcumque illum audire volueris. Loquetur tibi lingua, quam numquam fortaſſe audiviſti, ſed quam intelliges, ubi primum audies, & ſemper cum ſolatio, & fructu intelliges; ſexcentas audies veritates, quas te ignoraſſe miraberis: ea, quæ deperis, nullo in diſcrimine habebis, tantaque cura Chriſtiani hominis officia obibis, quanta negligentia nunc illa cogitas. Non agitur modo de mundo deſerendo, ut reliquum vitæ ſpatium ducas in ſolitudine: optarem equidem, & hæc optima eſſet ratio expediendæ ſalutis tuæ; ſed hoc tua conditio non ſinit; & ſi hoc a te peterem, metuerem, ne quidquam mihi concederes. At non ſufficit tibi ad horam, vel diem recedere . . . . Opus eſt, Deo tribuas tempus loquendi; opus eſt tibimet ipſi tempus illius audiendi permittas, intelligendi, quæ dicturus eſt, illis mentem tuam replendi, te ipſum penetrandi, atque te in illis confirmandi, ut nullis labefactari valeas tentationibus, quas in ſtatu tuo evitare non potes; ad id autem hebdomas tota requiritur . . . . In hac porro ſolitudine ſpondere audeo, te, non ſecus ac Iſraelitas in deſerto, inventurum columnam ignis, quæ tibi in tenebris facem præferat, & columnam nubis, quæ te a fictis mundi fulgoribus protegat, ac prohibeat, ne illi animum tuum perſtringant: Deum fore ducem tuum, ſicut eorum fuit; illi curam futuram deducendi te, ut illos deduxit; illum nutriturum te eſca Angelorum, ſicuti illos nutrivit; & ſicuti illos in ſanctificationis ſuæ montem adduxit, ita illuc adducturum quoque te, niſi deerit tibi animus ſequendi, eumque te ſanctum facturum. *P. Valois in Epiſtola prima de receſſibus.*

Deus ſe hominibus nonniſi in ſolitudine communicat.

Quandoquidem Spiritus ſanctus viſibili forma nonniſi in deſerto ſuper Salvatoris ipſius perſonam deſcendere voluit, peccatores nequeunt amplius ſperare futurum, ut divinus hic ſpiritus velit ſeſe illis ubertim communicare extra ſolitudinem. Quemadmodum illic Pater æternus declaravit filium ſuum dominum noſtrum, atque imperavit, ut audiremus illum; ita illic filius ſuam ſcholam conſtituit, illuc invitat, & accerſit eos, qui illius fieri volunt diſcipuli; illic

ſua

ſua tradit præcepta, eiſque tribuit ſpiritualem intelligendi vim, quæ omnem continet ſapientiam, ſine qua nemo ſanctus eſſe, neque cum fructu aliorum ſanctificationi vacare poteſt. *Idem Epiſtola ſeptima.*

Alia ad ſolitudinem adhortatio.

Non miror, quod in mundo poſitus, ſexcentis diſtractus nugis, ambitione, & voluptate ebrius, id tantum audire ſolitus, quod tuis loquitur ſenſibus, ægre intelligas, quomodo audiri poſſit Deus, qui eſt ſpiritus. Fatetur Sanctus Bernardus hanc ſibi quoque fuiſſe difficultatem, neque potuiſſe umquam audire vocem Dei, donec ſocietatibus circumdique obſeſſus fuit, atque rebus externis occupatus; ſed addit, ſe, ubi in ſe rediit, omnia reliquiſſe, atque conceſſiſſe in ſolitudinem, ubi cum Deo verſaretur. Ita & tu ſecede, quemadmodum S. Bernardus, quære ſolitudinem, ac in eam te collige, quemadmodum magnus ille vir ſe collegit, cum ſincero deſiderio cognoſcendi voluntatem Dei, atque certus conſilii eam exequendi, ubi cognoveris; ibi cognoſces, quod fieri nequaquam poſſe putas, ut cognoſcatur, & quod extra locum illum numquam cognoſces. *Idem Epiſtola octava.*

Frivola eſt excuſatio dicere, hujuſmodi ſolitudines novum eſſe adinventum.

At enim ſolitudo, de qua loquor, novum inventum eſt, & recens praxis, de qua cum adoleſcens eras, ne verba quidem fieri audiſti; tu ſemper latam amaſti viam, & antiquitatem rebus in omnibus dilexiſti, præſertim vero in iis, quæ ad religionem, & pietatem pertinent; ſemper fugiſti pompam, & ſingularitatem; ridiculum eſſet vitæ rationem hac ætate immutare, ac ita ſero incipere occaſionem tradere mundo de te loquendi, poſſe homines ſalvos fieri ſine ſolitudine, ac te adniſurum, ut ſine eadem fias. Quid ergo, Chriſtiane, novum eſt adinventum facere, quod ipſe Dei filius, Apoſtolique fecerunt, & cujus illi nobis reliquerunt exemplum? Eccleſiaſticam evolve hiſtoriam, videbis ſolitudinem hanc Sanctis omnibus in more poſitam fuiſſe. Sanctus Gregorius ſimulac munctus fuit Epiſcopus, receſſit, & tamdiu in ſolitudine manſit, ut illinc tandem emergens a populo veniam petierit. Noſti, quamdiu S. Hieronymus delituerit; & S. Auguſtinum non ſemel ſe recepiſſe, & etiam atque etiam Valerium Epiſcopum ſuum rogaſſe, ut per ipſum liceret ſibi ad duos circiter menſes recedere. Atque ut ad noviſſima hæc veniamus ſæcula, magnus Mediolanenſis Archiepiſcopus S. Carolus Borromæus omnes totius Diœceſis clericos quater in anno in ſolitudinem ſe jubebat recipere, neque aliquis præteribat annus, quominus ipſe aliquando, vel etiam ſæpe bis ſe colligeret. Non memoro Sanctos Philippum Nerium, Franciſcum Borgiam, Franciſcum Saleſium, alioſque plurimos, qui hoc pacto ſe ipſos ſanctificarunt. *Idem.*

Solitudo nos amovet ab inutilibus & periculoſis converſationibus.

Si mundi converſationes fuere cauſa plerorumque criminum, quæ patrata fuere, æquum profecto eſt, a mundo recedendo expiare inanem voluptatem, quæ illic quæſita fuit, & converſando cum Deo quærere contrarium illius, quod quæſitum fuerat cum hominibus converſando .... Si, Apoſtolo teſte, bonos corrumpunt mores colloquia prava, prava hæc colloquia quantum augere poſſunt corruptionem morum, quia jam pravi ſunt, corruptique? Si converſationes adeo inutiles, vanæ, & ineptæ ſæcularium inſpirare poſſunt levitatem, atque vanitatem illis, quibus ſolidus eſt ſpiritus, quomodonam hæc vanitas, & levitas per eaſdem converſationes in illis, qui jam vani, leveſque ſunt, augebitur? Hæ converſationes, & ſocietates gignunt in piis hominibus, fortibuſque miſeras imbecillitates, miras diſtractiones, ridiculas vanitates; totum pietatis vigorem auferunt, omnes animæ vires diſſipant, divinarum rerum faſtidium creant, fervori frigus ſubrogant, unctionem in lamentabilem ariditatem immutant. Nonne igitur ad pietatis ſpiritum fovendum, & ne tepeſcat fervor, omnino neceſſarium eſt, inutiles has abrumpere converſationes, numquam ſeſe illis prorſus tradere, illis ſe contentos putare, quas propter officium, & ſtatum evitare non poſſumus, immo etiam ab utiliſſimis quandoque recedere, ut noſmet colligamus, & per ſolitudinem reparemus, quod per frequentes converſationes amiſimus? *Liber, cui titulus: Solitarii Epiſtola.*

In ſolitudine tantum intelligimus, ubi opus eſt, æternas veritates.

Nonniſi vehementi mentis, & voluntatis noſtræ attentione, & ab omnibus vitæ hujus curis immunitate noſmet roboramus in fide, atque æſtimatione a nobis habenda de rebus omnibus, quæ ſupra noſtros ſenſus, & naturalem rationem ſunt poſita. At ſi mens noſtra intelligere nequit ea, quæ in hac vita communia ſunt, niſi acriter ſeſe applicet, quanto majori attentione opus eſt, ut pares ſimus divinis rebus intelligendis? Ita quis dicere poſſet, quam neceſſaria ſit ſolitudo, & ſeceſſus, ut noſmet evacuemus rebus hujus mundi, ac inanibus ideis, fallacibuſque opinionibus liberemus, quæ rationi offundunt caliginem? Hæc enim ratio divina recipere nequit, niſi prout ſeſe terrenis expedit, & vacuam facit. *Idem.*

Qui proximorum ſaluti adlaborat, indiget ſolitudine.

Salvator a Spiritu ſancto ductus in deſertum conceſſit; venerat enim tempus, quo prædicare, cum hominibus converſari, & in publicum prodire debebat. Miniſtri Domini! Filii Dei exemplum vobis perſuadeat ſolitudinis neceſſitatem, ubi evangelici verbi prædicatio incohanda eſt. Illic ab omni commercio ſepoſiti cor veſtrum vacuum facere poteſtis terrenis affectibus, illum Dei ſpiritu repleturi, cum mox majori cum fructu, atque utilitate effuſuri: illic adepti auctoritatem, quam virtus in ſummos æque, ac imos confert, verbis veſtris tutum illud tribuere poteſtis pondus, quod miniſterii veſtri ſanctitas poſcit. *Abbas de Monmorel in Evangelium primæ Dominicæ in Quadrageſima.*

Ita cum paſtor zelum ſuum intepeſcere intelligit, vel ſaltem ſe cum languore, ac tædio communia munera obire, adnitendum ſibi eſt, ut reſuſcitet reliquias ignis ſacri, qui in anima ſua incipit extingui ſecundum illud Apoſtoli 2. ad Timoth. 1. verbum, *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei*. Quod nuſpiam, quam in ſolitudine melius fieri poteſt. Cum navis jactata ventis quaſſa eſt eo uſque, ut fere confracta ſit, nihil aptius fieri poteſt, quam illam in portum ſubducere, ut reficiatur.

Solitudo aliquandiu durare debet, alioquin ſenſus, qui illic ſumuntur, evaneſcunt.

Ad peccatorum converſionem omnino neceſſarium eſt, illos depellere errores ſuos, fallaceſque mundi opiniones, ac de tota ſalutis ſcientia, deque modo evitandi peccatum, pravos habitus, quos contraxerunt, deſtruendi, ac tandem chriſtianam vitam ducendi, erudiri. Hæc omnia nonniſi per meditationem, lectionem, & auxilium alicujus ducis in hac cœli ſcientia conſultiſſimi fieri poſſunt; ſed omnes hæ meditationes, lectiones, admonitiones non unius diei opus ſunt. Oculi corporis momento ferme uno penetrant, quidquid in aliquo objecto deprehendere valent, dummodo juſte applicetur; at hoc non accidit intellectui, qui eſt oculus animæ; ſtomachum imitatur, qui actionem, ac tempus poſtulat ad eſcam digerendam, alioquin numquam bene corpus nutrietur. Quod ſi hæc omnia pietatis exercitia plurimam poſtulant ſpiritus libertatem, & applicationem, conſtat poſtulare quoque otium, patientiam, & tempus, ut aliquam in ſpiritu efficiant impreſſionem. *P. Gegou in libro ſuperius memorato.*

Chriſtianæ ſolitudinis deſcriptio.

Hæc ſolitudo Chriſtianorum eſt propria, qui fidei luminibus illuſtrati, ac ſupremæ ſapientiæ ſpiritu ducti, illic innocentiæ ſuæ quærunt perfugium, ſi ita felices exititerunt, ut eam adhuc tueantur; vel ſi ita fuere infelices, ut ejuſdem paſſi fuerint jacturam, ſeſe recipiunt tamquam in aptiſſimum locum, ubi ſine ullo obice vitæ ſuæ inſtaurandæ vacare poſſint. Illic Chriſtianus, qui gratiæ ope ſanctum concepit faſtidium morum, negotiorum, opinionum, & vanitatum mundi, ſe ipſum intuetur

tur

tur tamquam Noe in arca, vel ſimilem Loth, quem Angelus Domini de infami Sodomorum urbe ſubtraxit. Illic tamquam puriori in aere videt funeſtos laqueos, quibus mundus repletus eſt. Illic cum Sapiente cap. 14. intelligit, *quod reipſa creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Illic conſiderans infelices has, & quaſi inevitabiles pereundi occaſiones, ex quibus divina ipſum eruit miſericordia, ſui impotens gaudii concinit: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Pſalm. 123. In ſolitudine, anima ſancta cum inexplicabili voluptate guſtans quietis, & ſilentii ſuavitatem, facere nequit, quominus obſtupeſcat videns, ſe hactenus ſtrepitum, atque tumultum tantopere adamaſſe. Illic contemplatione divinæ bonitatis, & gratiæ illecta eſt, quas non antea, niſi per umbras, & ſub integumentis perſpexerat. Illic illuſtrata, & quodammodo divinitatis ſplendoribus penetrata fateri cogitur, lumina, quibus quodammodo alias ſe perſtringi paſſa eſt; nubes tantum, tenebraſque fuiſſe, vel ad ſummum fucata quædam, & perfunctoria lumina. Illic vivificata, ſacroque Spiritus ſancti igne ſuccenſa, ambigit, utrum vita, quam vixit, vera vocanda ſit vita, & utrum debiles motus, quos nonnumquam experta eſt ſeſe ad ſuum auctorem convertens, haberi poſſint divini amoris ſigna, & effectus. Illic in ſancto, aſſiduoque raptu Dei admiratur majeſtatem, per otium profunditatem judiciorum ejus, & miſericordiarum magnitudinem adorat, cum ſtupore operum ejus præſtantiam meditatur, cum voluptate ſpiritus illius delicias delibat; penetrat eo modo, quem ne ipſa quidem intelligere poteſt, myſteriorum ejus nubes, & obſcuritates, & eum admirabili lumine illius ſecreta, atque conſilia detegit. Illic tandem rerum omnium & ſeoſum, & memoriam amittens Deo uni vacat, atque in felici verſatur impoſſibilitate non aliud amandi, quam Deum, *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii presbyteri.*

Deus peculiari modo nutrit in ſolitudine eos, quos vocat.

Dicere poſſumus, quemadmodum olim Deus eos aluit, quos in ſolitudinem adduxerat, ita hodie etiam alere eos, quos illuc vocat; ſed cum Iſraelitas quadraginta dumtaxat annos aluerit, in mundi uſque finem nutriet hos novæ legis ſolitarios. Ne formident igitur hanc ſolitudinem conſuetudini præferre; redimant hoc inæſtimabile bonum voluptatum omnium jactura, quibus perfrui poſſent in commercio, & ſocietate illorum, qui ſibi erant chariſſimi. Solitudo hæc in ſæculo locum teneat illis, quibus animus eſt pro illa nativitatis ſuæ ſedem relinquendi: nullus timor, nullum gaudium, nulla triſtitia eos inde valeat amovere; meretur illa quidem in corde eorum vicem gerere omnium affectuum, quibus occupabantur; in illa invenire debent, quidquid propter illam fortiter, & conſtanter reliquerunt, *Auctor Anonymus.*

Nemo vere niſi ſerio ſecedat, convertitur.

Quemadmodum Dei filius reſuſcitare volens filiam Archiſynagogi, e cubiculo ejecit tibicines, omnemque turbam; ita, S. Gregorius inquit, niſi ad tempus reliqueris curas, & ſæcularium negotiorum cogitationes, niſi a ſæculi ſocietatibus, & ſolatiis receſſeris, numquam anima tua, quæ per peccatum mortua eſt, reviviſcet. Liquet etiam, quid idem fecerit Salvator ſurdum curaturus: *Apprehendens eum de turba ſeorſum*. Marc. 7. Manu arripuit illum, eduxit ex turba, ibique illi reddidit auditum. En quo te Dominus vocat, *ſeorſum*, in ſolitudinem; hic te vult curare, & quia Prophetam agam, pro certo affirmare poſſum, te non alibi curatum iri, Imitandus eſt S. Petrus, qui ut ſuum elueret ſcelus, atque pœnitentiam agere inciperet, e cœtu ſeceſſit, & ex atrio, quod ipſi fuerat adeo funeſtum: *Et egreſſus foras flevit amare*. Matth. 26. Terribilis hæc ſalutis ſuæ negligentia, in qua hominum plerique verſantur, oritur ex mundi commercio, & violento affectu; quo ſolatia, & oblectamenta depereunt. Opus eſt ergo, illos ab hoc commercio recedere, ſibi has interdicere voluptates, & ad aliquot dies in ſolitudinem ſe recipere. Primum autem ſolitudinis hujus officium eſt, ſibi perſuadere de brevitate, & vanitate rerum humanarum, de veritate, & magnitudine bonorum, malorumque æternorum; quam ſapientiam cum vulgo Deus non communicet niſi precibus, & lectioni, nemo ſatis utrique vacare poteſt. *Auctor Anonymus.*

Cum Deus tangere vult cor alicujus, educit illum e mundo.

Cum Deus aliquem vult convertere, eum ſeparat ab objecto voluptatum ejus, eique ſolitudinem, & ſeparationem a rebus creatis procurat. Credimus aliquando eum, qui ab aula recedit, qui de honoris gradu dejicitur, qui domum remittitur, miſerum eſſe, & hoc infortunium vocamus; ſed ſæpe inſignis eſt Dei favor, qui ab illo amovet mundum, ut illum convertat, utque reſuſcitet; non ille a mundo, ſed ab illo divellitur mundus. Deus non invenitur in tumultu, in negotiis, in curarum impedimentis; in ſolitudinem ſecedendum nobis eſt, ut vocem illius intelligamus. *Specimen Ethicum tomo quinto.*

Solitudo neceſſaria ad divina inſtituta cognoſcenda.

Ut divina inſtituta rite cognoſcantur, ſanumque feratur judicium de pretio, in quo ſunt habenda, attentios, propriiſque non ſine gratiæ ſubſidio, fideique luminibus ſunt conſideranda. Auferenda eſt perſona objectis, quibus fallimur, atque ſeducimur, & videndum, quid reapſe ſint; ad quod ſatis non eſt obiter, leviterque animum advertere, ac dicere, nullam nobis eſſe in iis, quæ ad fidem pertinent, dubitationem; plerique enim Chriſtiani hoc ipſum loquuntur, & ſentiunt. Sed horum inſtitutorum veritas ponderanda eſt; ſcrutanda ſunt hæc objecta, ut liqueat, quid promittant, & quid præſtare queant; alioquin quidquid agas, intellectus tuus ſemper in ignorantia, & errore, & voluntas tua in iiſdem criminibus verſabitur. Hæc igitur per otium meditanda ſunt; quamobrem ſolitudo eſt omnino neceſſaria. *P. Gegon in tractatu de ſolitudinis neceſſitate ſeorſim edita.*

Sancti omnes ſolitudinem quæſivere.

Quænam poterat eſſe mens Sanctorum unimo reputantium curam, qua Dei filius ſolitudinem, latebraſque per intervalla quæſivit, & pretium, in quo ſanctam hanc ſe habere praxin ſemper teſtatus eſt? Hoc proculdubio excitavit vota eorum, qui a mundo recedere ſemper optaverunt; hoc fuit principium ſancti illius ardoris, quo ſolitudinem concupiſcebant. Quouſque hic ardor proceſſit? Non aliter rectius judicare licet, quam eorum amoris, ac teneritudinis refertiſſima verba conſiderando. Utinam, Sanctus Gregorius Nazianzenus exclamat, utinam columbæ ſimilis fiam, ut, quemadmodum illa, in ſolitudine vivens, ſemper tutus eſſe valeam a periculis, quæ a vita hac mortali ſeparari non poſſunt. Utinam liceret mihi, ſolum vivere, abditumque incluſum luco; mihique integrum eſſet ibi reliquum vitæ meæ ſpatium traducere non alia, quam brutorum, conſuetudine utentem! Vin' magis ardentia vota, quam quæ ſanctus hic Præſul nuncupavit? Exprimit ille ſecretiſſimas cogitationes ſuas, ac teneriores cordis ſui motus. Omnes in ſolitudinem feruntur, quam tantopere deſiderat, non aliquot vitæ annos, ſed vitam totam illic tranſigere cupiens. Brutorum familiaritas hominum conſuetudini illi præferenda videtur; altera enim innocentiam inſpirat, altera ſexcentis eſt obnoxia periculis. *Lambert in ſermonibus eccleſiaſticis, ſermone de ſolitudine.*

Solitudo ſæpe per diſtergium tetum, tædium alinquitur.

Receſſus, interior ſui ipſius collectio, ſolitudo horrida manſio eſt Deum, divinaque faſtidienti. Quærunt homines ea reparare tædia, quæ in oratione reperiunt, ſeſe in viſitationes, parum religioſa colloquia, ſexcentaque evagationum genera effundunt, neque advertunt, mundi commercium animæ vires infirmare, eique

gra-

gravius efficere jugum. Externæ imagines, quas extrinſecus recipit, illam perturbant, turbæ tædium, tædioque faſtidium ſuccedit. Salutis inimicus callide hac utitur animi affectione, quæ ipſi perutilis accidit; neque ſemper ſibi cavet anima a dolis, & inſidiis hoſtis adeo verſuti. Credit talentum ſuum humi fodere, qui ſuum non oſtentat ingenium; putat ſe non exiguam adipiſci gloriam, dum in mundi luce verſatur; at fallitur. Virtus in frequentibus hiſce converſationibus eam ſæcularibus parum conſideratur; raro non aliquod nobis elabitur vitium, quod nonnum conſideratur ab illis; ita pauci religioſi diu integram ſervant famam, & veram æſtimationem apud eos, qui mundum ſequuntur. Quicumque ſui obliviſcitur characteris, vel ſtatus, contemptibilis eſt; ſilentium, circumſpectio, receſſus quam bene religioſum decent! quantam illi conciliant exiſtimationem! Religioſus mundo mortuus eſt; frequentes illius exitus in mundi lucem ſemper ſunt importuni: & niſi miraculoſi fuerint, hoc eſt, niſi Deus ſit eorum principium, & perfecta charitas, & purus, integerque zelus eorum ſint cauſa, major ſemper, quam temporis, jactura ſubitur. *P. Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus.*

Elogium ſilentii, quod ſolitudinis comes eſſe debet.

Teſtantur Sanctus Iſidorus, ſilentium certiſſimum eſſe ſignum præſentiæ Dei in anima, & ſacræ plenitudinis cordis; ſilentium cupiditatum malaciam & gignere, & connotare; ſilentium præſervare a cæcitate ſpiritus, & a cordis evagatione liberare; ſilentium eſſe fidelem animæ cuſtodem, ſacrum pacis miniſtrum, fœcundam virtutum originem, magnum orationis magiſtrum, nobiliſſimum pœnitentiæ fructum, ac florem ſolitudinis pretioſiſſimum. Et Sanctus Chryſoſtomus addit, ad hoc ſilentii elogium numeris omnibus abſolvendum, linguam eſſe Angelorum, cœli eloquentiam, & artem perſuadendi Deum. Dicendum profecto eſt, tantum hoc bonum ab hominibus ignorari; fieri quippe non poſſet, ut ſi illud cognoſcerent, adeo & contemnerent, & perhorreſcerent. *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri.*

Cauſa mœroris, quem gignit ſilentium, & remedium, quod hoc ipſum adfert ſilentium.

Quantumvis parum conſiderentur mœrores, atque moleſtiæ, quæ ex pleriſque converſationibus referuntur, quamprimum liquebit, quam periculoſum ſit loqui, & quam utile tacere. Quod pertinet ad eos, qui ſilentium pati nequeunt propter triſtitiam, in quam decidunt neceſſario, & quod nondum aſſueti ſunt ſeſe, uti oportet, colligere, validis rationibus adnitendum eſt, ut hoc ineant conſilium tædii illius perferendi, quod hæc ſui ipſius collectio producit. Tunc enim anima in ſe quodammodo reverſa per otium ſe ipſam videt, atque conſiderat, ac in ſe ipſa magnum inveniens inane, quod eam terret, nullo modo ſe ipſam ferre poteſt. Cæterum ſenſus, quem ſuæ infelicitatis intuitus in illa ciet, adeo acer eſt, & cum tanto dolore conjunctus, ut nihil tantopere quærat, quam egredi ocyus ex hoc deſerto terribili ad quærenda objecta, quorum adſpectus ſolatium adferat, & inviſendos homines, quorum colloquiis reficiatur, hoc pacto conditionis ſuæ memoriam, & ſenſum deletura. Verum ſi pauliſper patiens expectaret, videret mœrorem, quem illi hæc ſui ipſius adfert collectio, evaneſcere, & quam primum diſſipari; tunc enim agnoſcens miſeriam ſuam ſecreto inſtinctu ſe agi ſentit ad quærendum extra creata omnia aliquod ſuis malis remedium. *Idem.*

Silentium ampliſſimus eſt Deum laudandi modus.

Ex regio Pſalte Pſalm. 64. juxta verſionem S. Hieronymi, qui merito ſolitarius Doctor vocari poteſt, diſcimus, ſilentium domus Dei decus eſſe, & ornamentum: *Tibi ſilentium laus in Sion.* Et profecto ſilentium adeo eximia eſt Deum laudandi, & invocandi ratio, ut Angeli, & Beati in cœlo non aliter eum celebrent, atque benedicant: *Cœli enarrant gloriam Dei*, regius loquitur Propheta Pſalm. 18. *Et opera manuum ejus nunciat firmamentum*; ſine ullo ſtrepitu, & clamore. Quod Pico Mirandulano locum præbuit animadvertendi, creaturas, quæ majora edunt opera, ac ſublimiores efficiunt operationes, minus ſentiri; & ratio eſt, addit ille; quia ſilentium præſtantiſſimus eſt modus laudes Dei celebrandi; & quia adoratio ſecreta digniſſima eſt Dei majeſtate. *Idem.*

Defectus vel violatio ſilentii cauſa eſt relaxationis in domibus religioſis.

Nullus dubito, quominus contemptus, & violatio adeo prudentis, ſalubriſque inſtituti, quale eſt ſilentii obſervantia, olim confuſionem, ac perturbationem in vetuſtiſſimos, celeberrimoſque regularium ordines injecerit, hodieque etiam efficiat, ut tot congregationes alioquin adeo nobiles, atque illuſtres de ſua decidant dignitate. Ratio eſt, quia nulla ſocietas eſt, quantumvis optime inſtituta, ubi non aliquis occurrat ſpiritus ab aliis abnormis: Quis autem arbitrari poteſt hujus farinæ hominem non interpretari aliter quam opus eſt, omnia, & ſæpe non ferre temeraria, & iniqua judicia de domus regimine? Sin autem huic integrum ſit ſenſus ſuos communicare alteri cuipiam ex eadem ſocietate, accidet fortaſſe huic non ſatis eſſe virtutis, ut hæc improbet judicia, vel non ſatis eſſe conſtantiæ, ut illis obſiſtat, vel non ſatis luminis, ut juſtitiam, & improbitatem deprehendat; & nullus dubitandi locus eſt, quominus hæc cogitationum communicatio eam inter ipſos neceſſitudinem, & commercium conjungat, cujus effectus deinceps nonniſi funeſtiſſimi, atque pernicioſiſſimi ſorori ſint. Hoc enim pacto ſeſe viciſſim corrumpunt, eorumque in dies percrebreſcente corruptione religioſa domus brevi tota fere laxabitur, quin tanti mali vel origo, vel progreſſus innoruerit. *Idem.*

Inter mundi tumultus Deo, uti opus eſt, ſervire non poſſumus.

In hac infelici, & quodammodo inevitabili neceſſitate, quam vanitas communis imponit tibi ruendi modo prorſus pagano gradum, in quo genus, & dignitas tua te conſtituunt, licet ne tibi vitam componere ſecundum ſublimem hanc ideam; quam de chriſtiana religione te habere teſtaris? Fierine poteſt te ſervire Deo, quantum eidem ſerviendum eſſe exiſtimas, donec cor, & mens tua diviſa erunt eo modo, quo ſcis, diverſis occupationibus, & aſſiduo commercio, cui tua te dignitas alligat? Cum vitæ tuæ rationem conſideras, & ſcire conaris, quonam agas inſtinctu, poteſtne conſcientia tua tibi perhibere teſtimonium, te ex eorum eſſe numero, qui Dei tantum ſpiritu aguntur, donec vives, vel ut melius dicam, mundo quodammodo abditus eris? Poteſne ſerio cogitare horrores mortis, tibi quam primum ſubeundæ, vivens ut facis, cum iis, qui vitæ hujus deliciis tantummodo vacant? Poteſne temet ſollicite præparare reddendæ rationi, quam intra breve temporis ſpatium ſupremo Judici redditurus eris, ac penetratum eſſe ſalutari hoc metu, in quo vivere debemus diei hujus adventus præſtolantes, quo detegendum eſt noſtræ ſeu prædeſtinationis, ſeu reprobationis myſterium, & quo initium ducendum eſt ſeu beatæ, ſeu miſeræ æternitatis; cum id unum agas, ut rationem hanc augeas, & muneris hujus tui officia te in jugem pertrahant mentis evagationem, vix tibi reliquum eſt momentum, ut ea cogites, quæ feliciſſimum hunc timorem excitant, & fovent. *Idem.*

Receſſus & ſolitudinis bona.

Illic ab hominum adſpectu ſemoti eorum judiciis, ac cenſuræ obnoxii non ſumus; hic humanis reſpectibus vacui, qui ſæpe mirum in modum eos etiam, qui virtute ſunt præditi, captivant, perfundimur gaudio, ubi propter Deum nos tantum operari cognoſcimus. Illic filii lucis a filiis tenebrarum ſejuncti horum contemptum, irriſiones, & perſecutiones ferre ceſſant. Illic tandem Dei ſpiritus regnat, & libertas verum imperium obtinet. Ut hac de re nobis perſuaſum ſit, id nos expertos fuiſſe decet; quippe difficile eſt eos, qui ſemper

in

in mundo vixerunt, credere poſſe, ſolitudinem aliud eſſe, quam mœroris, ac triſtitiæ principium. *Idem*.

Vulgi antecepta opinio a ſolitudine nos deterret.

Quidquid legeram de hoc ſolitudinis argumento apud Sanctos Baſilium, Chryſoſtomum, Gregorium Nazianzenum, Hieronymum, Ambroſium, Eucherium, & Bernardum, qui mihi videntur præ aliis fuſius illud pertractaſſe, hæc pretioſa libertas, quæ acquiritur, hæc tranquilla quies, quæ percipitur, perfecta hæc annihilatio ad quam homo carnalis redigitur, ſublimis hæc dignitas, quam ſpiritualis homo conſequitur; hæc, inquam, omnia in mente mea tanquam anagogiæ myſticæ habebantur, & ſermo, quem humana mens intelligere non poteſt. Fatendum eſt, anteceptam opinionem plurimum poſſe; plerique hominum tamen eidem ita ſunt obnoxii, ut ſatis ſit, aliquam primum mente opinionem imbibiſſe, ut nolint ultra veritatem agnoſcere, & errore ſuo liberari. Idea vulgatior, & ſenſus magis univerſalis, quem de ſolitudine homines concepere, eſt, eam horrentem, mœſtamque manſionem eſſe, triſtibus tantummodo propriam; & ridicula hac opinione ita præoccupati ſunt, ut quidquid dicatur ad errorem hunc illis auferendum, fieri tamen non poteſt, ut quicumque ille ſit, conſilium capiat ad aliquot dies eo ſeſe recipiendi experientia percepturus, utrum verum ſit, ibi adeo ſuaves delicias, & mirabilem requiem guſtari. Hinc illam horremus, neque nobis vulgo ſe offert, niſi ſub carceris alicujus, & exilii ſpecie. *Idem*.

Quam ſuavis ſit converſatio cum Deo in ſolitudine.

Deus non ſinit ſe videri in triviis, & plateis, vox ejus non ſonat in foro, ſed in ſolitudine auditur, ubi fidelem animam alloquitur: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*. In ſpecubus, montibuſque ſeſe communicat Abrahæ, Jacob, Moyſi, & Eliæ. Non loquitur plena in luce, neque inter tumultum, ſed in nubis caligine, & in quiete ſilentii. Immo JESUS CHRISTUS ſolus fugit in montem, & in penitiora deſerti ſe recipit, ibi noctes in oratione traducturus: *Et erat pernoctans in oratione*. Quis neſcit, contemplationem extrinſecus magnam exquirere tranquillitatem, intus pacem extremam, ſanctum animæ otium, perfectam omnium facultatum immunitatem ab iis omnibus, quæ mortalia, & creata ſunt, atque integram mentis, & cordis ſupremo Enti applicationem? Non miror itaque, ſi quadraginta illis diebus, quibus Moyſes in ſancti montis cacumine manſit, illic cum Deo converſatus, quemadmodum (*inquit Scriptura*) amicus cum amico, nullo ſollicitatus fuerit manducandi, bibendi, aut fratrem, familiam, populumque ſuum reviſendi deſiderio. Adſpectus, & colloquium cum Deo erant illi eſca, & potus; ſinus ejus ſacer erat thorus, ubi eſtatico quieſcebat ſopore, & præſentia illius, qui eſt principium, centrum, ac terminus omnium, illi erat omnia. Quam beati illi ſunt, qui oculos, aures, & cor clauſum habentes objectis omnibus ſenſibilibus, dignos ſe præbuerunt, quibus Deus faciem ſuam aperiret, ſuam vocem oſtenderet, eoſque repleret amore hoc, qui alium quemlibet amorem expellit, extinguit, & deſtruit! Beati illi, qui omni ſibi cum hominibus, & creaturis interdicto commercio, meriti ſunt ingredi in commercium Dei, ac vivere ſoli cum ſolo Deo! Beati illi demum, qui rebus omnibus, ac ſemet ipſis expediti ſe in eum ſtatum adduxere, ubi nihil præter Deum poſſent diligere. *Idem*.

Liquet, ſolitudinem ſacrum eſſe locum, ubi divina ſe communicat Majeſtas, eamque, ut Divi Chryſoſtomi vocabulo utar, eſſe veluti Sanctuarii aditum, atque veſtibulum. Maxima eorum voluptas, quibus perfectæ ſolitudinis ſpiritus adeſt, eſt incumbere, ut Dominum adorent, eique preces effundant; hac mente illius potentiam, & magnitudinem revereantur; coram ipſo ſeſe in perfecta ſubmiſſione, quæ ab annihilatione ſui non diſtet, contineant; ſe jugiter in ſtatum adducant experiendi gratiæ, & bonitatis ejus effecta, illius imperia, & voluntatem faciendi, filialem obedientiam præſtandi, & ſervilem ſubjectionem teſtandi. Fateberis ſane, hæc omnia pro mundo ænigma eſſe impeditiſſimum, at non illis, qui ſeſe ſolitudini devoverunt. Felici experientia didicerunt, quibus vinculis illos ad ſe Pater trahat, qua virtute illos attollat, quibus catenis illos retineat. Agnoſcunt, quam ſuavis eſt ſpiritus ejus, quam amabile imperium, & quam glorioſa ſocietas. O Deus quanti facio felices hos ſolitarios! *Idem*.

Solitudo eſt neceſſaria, ut medeatur malis, quæ gignit diſſipatio mentis in mundo inevitabilis.

Quæ mala non affert mentis, & cordis diſſipatio in mundi commercio? Hæc nos arcet ab objectis fidei, efficitque, ut ſpiritus immergatur imaginibus objectorum ſenſibilium, & cor inde acres impreſſiones recipiat, plurimum horum objectorum circumſtantiis afficiatur, moleſtis eventibus doleat, intemperanter proſperis gaudeat; verbo, ſomnia rebus repleatur, ac parum iis moveatur, quæ nobis fides proponit ..... Porro cum anima in rerum mundanarum occurſu infirma ſit, potior via ad eam obtinendam mentis collectionem, quæ neceſſaria eſt, ut divino cultui adhæreamus, eſt ab omnibus rebus exterioribus, quæ ſunt inutiles, & partim etiam ab illis, quæ bonæ ſunt, niſi neceſſariæ fuerint, recedere. Opus eſt ad tempus noſmet cum hominibus rudes, & agreſtes præbere, ſine charitatis detrimento, ne ab illis moveamur, qui nos vellent diſtrahere. Deinde tutius extra egredimur, atque cum proximis ea ſuavitate, & humanitate verſamur, quæ eorum nobis corda conciliat; cumque ita interiorem adepti ſumus animi collectionem, non ita facile eſt extrinſecus perturbari. *P. Surin tom. 1. dialogorum ſpiritualium*.

Sæculares indigent ſolitudine, ut ſaluti ſuæ conſulant.

Quoad ſæculares attinet, ab inutilibus viſitationibus, & occupationibus debent abſtinere, ut domi ſuæ permanere, & cum Deo converſari aſſueſcant. Solitudo illis neceſſaria eſt, ut ea hac exteriori turba recedant, qua ſe duci ſinentes a ſummo bono recedunt, ab interiori parte, ubi illud habitat, diſcedentes. Non deſunt mortales, qui in omnimodam lapſi ſunt diſſipationem, hac illac diſcurrere, quærere ſocietates, ſpectacula, atque omne negotium ſuum in aſſidua oblectatione ſtatuere. Non ideo nobis vitam largitus eſt Deus, ſed ut eam in operibus ejus impenderemus. Qui illam abſumit inceſſanter oblectamentis indulgens, jam illius interiit ſpiritus. Non occupatur ille unico negotio, pro quo Deus illum creavit. Ut magnum hoc negotium proſpere cedat, te ipſum colligas opus eſt, & de illo agas cum Deo. Perfugium quærendum eſt ab ira Dei, ne eadem percutiaris. Hæc ingruit tanquam grando ſuper animas, quas extrinſecus invenit diſſipatas. Quam ob rem Iſajas Propheta cap. 26. inquit: *Vade popule meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio*. Hoc pacto cordis oſtium obſtruitur terrenis rebus, & cœleſtibus objectis aperitur.

Qui vere ſpirituales ſunt, Deum in ſe ipſis quærunt.

Veri ſpirituales quærunt Deum in ſe ipſis, ac intra ſe illum inveniunt, ubi dici poteſt magis eſſe, quam alibi uſpiam in mundo. Illic proprie regnum ſuum conſtituit: *Regnum Dei intra vos eſt*. Illic nos revocat ab erroribus noſtris, & clamat, Sanctus Auguſtinus ait, ut ad eum revertamur. Per interiorem hanc converſionem Deum melius in nobiſmet ipſis quærimus, & invenimus, quam extra nos in creaturis. Hoc eſt piarum animarum exercitium. Studium earum eſt fugere externa, ac terrena impedimenta evitare, atque in ſemet ingredi, ut cor ſuum conjungant cum Deo. Alioquin toti foris ſumus, cum ſenſus appliciti ſint objectis, quæ illos ſuis percellunt illecebris, & quæ omnes ſpiritus vires abſumunt. *Idem c. 8. lib. 3.*

Qui a mundo ſeceſſerunt, ut in ſolitudine viverent, omne cum

Pleriſque eorum, qui mundum reliquerunt, ut in ſolitudine viverent, accidit, quod commercium, quod cum illo fovent, efficit, ut ſubinde

in

mundo commercium debent evitare.

in imo eorum corde reviviſcat, ubi minus id cogitant, & putant ſibi & propter pietatem, & receſſum nihil eſſe tale metuendum. Mundus illus ſemper retrahit, cum ad id eos diſpoſitos invenit, vel melius ipſi ſe iterum in mundum conjiciunt. Fax, quæ extinguitur, repente rurſus accenditur ſola, ſimplicique fumi communicatione. Extincta videtur, & revera eſt; attamen rurſus corripit ignem, quia aliquam adhuc habet rationem, & aliqua ex parte attingit id, quod illi reddere poteſt lumen, quo caret. *Abbas Trappenſis tomo* 1. *chriſtianorum effatorum*.

Solitudo noſtra otio ſa eſſe non debet.

Magna benedictio eſt in ſolitudine delituiſſe, ac vitam ſuam in ſilentio traducere, dummodo tantum deferatur Deo, quantum negatur hominibus, & cum illo totum habeatur commercium, quod non habetur cum illis. Attamen cum facillimum ſit, inutilem in ſolitudine vitam ducere, ſeu illic maneas quin aliquid agas, ſeu actiones neque puræ, neque animatæ ſint, uti eſſe deberent, certum eſt, non deeſſe tibi cauſam metuendi, ac diffidendi de omnibus viis tuis, idque eo magis, quo difficilius eſt eas cognoſcere, quæ rectæ ſunt, ab illis quæ ſecus. *Idem*.

Beati, qui ſolitudinis guſtum ſentiunt, vel potius, qui ibi inveniunt Deum, eumque audiunt. Multi illuc divino ducuntur ſpiritu, quibus nihilominus Deus gratias eaſdem non largitur. Licet enim de hominum turba egreſſi fuerint, & ſolum deſiderium ſerviendi Domino, & conſulendi ſaluti ſuæ vera extiterit receſſus ſui cauſa, immo impares ſint, qui rurſus caput mundum verſus, quam reliquerunt, convertant; tamen Deus juſtiſſimo conſilio ſinit, illos non carere agitationibus, & curis, neque permittit, ut profundam pacem, quam quæſiverunt, inveniant. Geſtit ille eorum exercere patientiam, & fidem, & fidei, atque perſeverantiæ ipſorum tandem concedit, quod illis converſionis initio negavit. *Idem*.

Initum ſecedendi ad aliquot dies conſilium non prodeſt, niſi caretur, ut conſilia, quæ ibi capi poſſunt, ad opus deducantur: etenim de ſtatu tuo nequaquam judicium ferendum eſt ex perfunctoriis diſpoſitionibus, in quibus es; ſed potius ex effectibus, & iis, quæ conſequuntur; neque enim deſunt plurimi, quibus ſatis eſt ad decem dies bonos eſſe, & frugi, ac mox ad intermiſſos habitus reverti. *Idem tomo primo*.

Solitudinis bona numquam ſatis intelliguntur.

Beati ſunt illi, qui nullum amplius habent cum mundo nexum, & qui in ſolitudine vivere poſſunt, quin ab ordine a Deo conſtituto recedant. Hoc bonum eſt, quod ſatis non cognoſcitur; pauci illud cupiunt, & illi, quibus illud largitur Deus, & quos ipſe ſinit perfrui, ſæpe id minime faciunt, quod debent, ut omnes percipiant utilitates, & bona, quæ eidem adnectere voluit. *Idem*.

Sancti amarunt ſolitudinem & ibi ſanctificati ſunt.

Videmus prophetas, quos ſpiritu ſuo replere volebat Deus, vulgo in deſerta ſe recipere conſueviſſe. Divinus JESU CHRISTI Præcurſor illuc ingreſſus eſt ab infantia, ut orationi vacaret; innumeri novæ legis ſolitarii, & pœnitentes inſtiterunt veſtigiis primorum horum mundi ſolitariorum, ut ſanctitatem acquirerent. Et profecto heroicus eſt conatus, abrenunciare hominum ſocietati ob innocentiam tuendam. S. Bernardus ait: *Nomen ſolitudinis nomen miſeriæ eſſe*. Quamobrem cum rationis particeps homo natus ſit ad ſocietatem, magnum Deo offert ſacrificium, cum illi abrenunciat. Attamen quantumvis triſtis ſit ſolitudo, hæc in vita pars eſt communis animarum ſanctarum; hæ in ſolitudine purificantur, Deum agnoſcere diſcunt, & cum eo ſpiritualem contrahunt affinitatem. *Specimen orationum panegyricarum tomo ſecundo*.

SPECTACULA.

COMOEDIÆ, CHOREÆ, SALTATIONES.

MONITUM.

DE alea, cæteriſque fortunæ ludis in titulo de ſolatiis egimus; hic verò agendum de ludis publicis, qui ſunt cum ſpectaculis conjuncti, cujuſmodi ſunt comœdiæ, & choreæ aliaque id genus, quæ integra pietate, pudore, & chriſtiana modeſtia vix, & ne vix quidem fieri poſſunt. Spectacula, quæ ipſi etiam Ethnici improbarunt, chriſtianorum Imperatorum leges proſcripſerunt, conciliorumque canones damnarunt: qua in re tria notanda ſunt illis, qui hujus argumenti concionem adornare aggredientur.

Primum eſt, plurimum intereſſe diſcriminis inter ea ſpectacula, quæ hodierna die exhibentur, & antiqua, contra quæ ſancti Patres ſummo zelo ſuccenſi invecti ſunt: quandoquidem ex theatris exularunt impietates ſacrilegæ, turpeſque obſcænitates, & quidquid urbanitati, & religioni palam erat oppoſitum; & chriſtiana religio penitus ſuſtulit amphiteatrorum crudelitates, & certamina gladiatorum, ubi humanus ſanguis effundebatur, atque hominum mors hilare erat ſpectaculum. Verumtamen his etiam temporibus non minus periclitatur pudor, aliique affectus, quos ſpectacula ciere poſſent; vitium enim, quod ibi ſæpe latet ſub alicujus virtutis perſona ſenſim, & ſine ſenſu in animum adrepit, & affectiones callide pertractatæ majorem impreſſionem efficiunt.

2. Notandum eſt, ne nocentium ludorum, ſpectaculorumque nomine illa etiam complectaris, quæ omni culpa vacant, qualia ſunt equorum curſus, navalia certamina, prælia ferarum, in quibus leones cum tauris committuntur, aliaque id genus, quæ in publicis ſolemnitatibus populo ſpectanda traduntur.

3. Denique cavendum eſt, ne quid hoc in argumento nimis exaggeretur, & omnino ne mortalis peccati nota iis omnibus inuratur, qui comœdiis, vel choreis interſunt ſine ulla exceptione: quandoquidem non deſunt, qui facere nequeunt, quominus interſint urbanitatis ergo, & obſervantiæ erga eos, a quibus intereſſe coguntur: eorum vero, qui de more iiſdem interſunt, periculum ſatis exaggerari non poteſt. Attamen non licet nimis acribus ſanctorum Patrum locutionibus uti, quas adferre debuimus, niſi aliqua modificatio adhibeatur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti lineamenta.

I. DE periculoſis ſolatiis generatim, comœdiis, choreis, ludis publicis, ſpectaculis, mimiciſque, vel inhoneſtis repræſentationibus.

Non fert animus honeſta vituperare ſolatia: hæc nonnunquam neceſſaria etiam ſunt ad animum reficiendum ſeriis deſeſſum occupationibus, nec non ad recreandum corpus laboribus nimiis infirmatum: ea vero probari nullo modo poſſunt, quæ peccati ſunt cauſa, & quæ mores corrumpunt. Hujuſmodi ea ſunt, quæ per pietatis relaxationem in chriſtianam religionem invecta ſunt, veluti choreæ, comœdiæ, & ſpectacula quædam ad voluptatem dumtaxat inſtructa: ubi tria poſſunt conſiderari, ex quibus tres concionis partes fiunt. 1. Solatia hæc eſſe profana, evangelicis præceptis, & Chriſtiani hominis officiis oppoſita. 2. Funeſta eſſe innocentiæ, boniſque moribus contraria. 3. Non ſine ſcandalo fieri, & per ea vitium probari.

Primum igitur, ut liqueat ſpiritui chriſtianæ religionis eſſe oppoſita, animadvertere ſatis eſt, chriſtianam religionem profeſſionem eſſe humilitatis, pœnitentiæ, & mortificationis, ac fugæ earum rerum omnium, quæ ſenſibus noſtris blandiuntur; e contra vero finem eorum, qui hæc nobis procurant ſolatia, atque hæc ſpectacula repræſentant, eſſe omnem, quam poſſunt, oculis, auribuſque præbere voluptatem, & palpare infelix illud ſtudium, quod homines in voluptatem pronos efficit; necnon conſilium eorum, qui ad hæc ſpectacula currunt, vel frequentes profanis hiſce cœtibus adſunt, eſſe eam omnem percipere, & guſtare voluptatem, quam in ipſis ciere poſſunt objecta, quæ illic exhibentur, & actiones, quæ ibidem fiunt. Quid ergo magis oppoſitum chriſtiani hominis profeſſioni, qui ad luſtrales baptiſmatis aquas pompis, vanitatibus, mundique voluptatibus abrenunciavit?

2. Hæc ſpectacula, atque ſolatia ad voluptatem tantummodo inventa innocentiæ funeſta ſunt, moreſque corrumpunt. Nihil hoc certius. Ibi enim videtur, ibi auditur, quidquid ad peccatum, vel dicam melius, ad flagitioſiſſimæ vitæ licentiam poteſt impellere. Cum hilaritate & voluptate in comœdiis audiuntur, atque videntur teneri amores, & alia ad libidinem promoventia; necnon conſpiciuntur mulieres iis omnibus circumornatæ illecebris, quas placendi cupiditas excogitavit. In choreis objecta nihilo minus periculoſa ſunt; omnia libidinem perflant, loci, temporiſque circumſtantiæ, perſonarum in omnem hilaritatem effuſarum ſocietas, licentia quam ſibi quiſque vindicat &c.

3. Hæc ſolatia ſcandalo non vacant: qui illa præbent, fovent ſcandalum eorum, qui iiſdem intereſſe conſueverunt; quia ea quodammodo probant præſentia ſua, præſertim vero ſi illi ſint vel genere, vel dignitate aliqua conſpicui, vel qui morum probitate, ac vitæ meritis aliquam ſibi adepti ſunt exiſtimationem; alii enim eorum exemplo reguntur.

1. Cauſæ, quæ mundi ſectatores ad choreas, & theatra compellunt, efficiuntque ut frequentes id genus ſolatiis interſint, paſſim malæ ſunt; interſunt enim, ut ſatis ſuæ faciant curioſitati, & vanitati, II.

ut videant, & videantur; neque ullam ſanam inveneris cauſam, quæ probare poſſit conſuetudinem eo conveniendi. 2. Quidquid ibi videtur, & auditur malum ſuadet, quod probari poteſt inductione eorum, quæ in hiſce ludis atque ſpectaculis accidunt. 3. Inde vere nihil refertur niſi innocentiæ jactura, ac prava ii .-ſſio, quam efficere poſſunt amores ad vivum exhibiti, & perſonæ, quæ ſcenam agere viſæ ſunt.

III. Credunt, choreas potiſſimum theoretice ſolatium eſſe omni culpa vacuum; veram ſi conſideretur in praai. 1. Vides peccata, quæ committuntur, antequam illuc conveniatur, atque dumtaxat ut ſeſe mortales hujuſmodi ſpectaculis diſponant. Vanitates in deſiderio prodeundi, ſeſe oſtendendi, atque aliorum in ſe oculos convertendi propter ſaltandi peritiam, propter habisum, geſtumque corporis, vel propter aliam qualitatem. 2. In choreis, cum ſumus in cœtu; parum decentes licentiæ, illecebræ, blanditiæ, amatoria verba, loliaa cum ſola ſuſurri &c. 3. Poſt choreas ſpiritus mundanus, ſexcentæ cogitationes eorum objectorum, quæ oculos perculerant, affectus ſæpiſſime noxii.

IV. Hæc ſpectacula, atque hæc genera ſolatiorum nemini liceot, & vulgo peccat, qui iiſdem intereſt: 1. quia prava mente illuc accedit, & ſane difficillimum eſſet illuc accedere bona: 2. quia hæc ſolatiorum geoera, quæ mortales tantopere depereunt, nullius decent ſtatum, ætatem, officium: 3. quia fere ſemper ſunt proxima peccati occaſio quibuslibet.

V. De choreis, & ſaltationibus particulariter. 1. Choreæ, & ſaltationes, quales hodierna die fieri conſueverunt, culpa non vacant, quia adverſantur profeſſioni religionis chriſtianæ. 2. Quia conciliis, eccleſiaſticaque doctrina prohibentur: quia ſunt occaſio plurimorum peccatorum, & perrarum eſt, ut inde æque innocens redeas, ut illoc te contuliſti.

VI. 1. Oſtendi ſimpliciter poteſt, nihil magis oppoſitum eſſe ſpiritui Chriſtianiſmi, & evangelii, quam choreæ, comœdiæ, atque tragediæ, quales paſſim exhibentur. 2. Nihilque aptius ad vitium ſuadendum, moreſque corrumpendos.

VII. 1. Spectacula, de quibus loquimur, vulgo criminoſa ſunt, ſi minus ex ſemet, ſaltem propter circumſtantias, quæ illa concomitantur, & quæ ab illis fere nequeunt ſeparari. 2. Licet hac de cauſa carerent culpa, non carerent tamen, quia nos ab officiis noſtris avertunt, & quia ſemper interdicta ſuere Chriſtianis, tanquam profeſſioni eorum oppoſita.

VIII. De comœdia ſingillatim eo in ſtatu, in quo nunc eſt, quæcumque adhibita fuerit cura, ut honeſtior efficeretur, atque a ſordibus expiaretur. 1. Quamvis inſtituta fuerit, ut vitium corrigeretur, illius tamen ſchola potius eſt, ubi docetur iis vocibus, quæ licet honeſtiora videantur, illud tamen inſinuant, atque propinant. Callidæ ideæ, & jucundi caſus, qui horum poematum efficiunt epiſodia, ſceleri eam inducunt perſonam, propter quam ab auctoribus probatur, & celebratur: ſpectatores vero hoc in impudicitiæ lycæo diſcunt turpiſſimos etiam, nequiſſimoſque ſuos affectus excuſare per exempla, quæ ipſis ob oculos objiciuntur. 3. In populo vero comœdia damnum irreparabile gignit propter otium, quod fovet, & corruptionem, quam infert.

IX. Concionis de choreis vel comœdiis hoc quoque eſſe poteſt argumentum: 1. eas refellere rationes, quibus alii hæc ſolationum genera probare conantur: 2. eas vero afferre, quibus jure damnantur: *Ex ſpecimine ſermonum tom. 4.*

X. Oſtendi poteſt comœdia eo in ſtatu, in quo nunc eſt, nequaquam eſſe innocens ſolatium, quod plurimi arbitrantur, eamque Chriſtianus horrere debet tamquam malum, atque flagitium. Hoc facile liquebit, ſi ad examen revocabitur: 1. natura & finis comœdiæ, non qualis eſſe deberet in inſtitutione ſua, ſed qualem illi ſibi proponunt, qui eam vel componunt, vel agunt, vel audiunt: 2. illius circumſtantiæ, quæ longe plures ſunt, & omnes pernicioſiſſimæ, quod ex tractatus hujus decurſu innoteſcet: 3. ejuſdem effectus, qui ut plurimum ſunt pernicioſi: quamobrem eccleſia, & doctores illi nigrum theta affixerunt &c.

1. Comœdiæ eo in ſtatu, in quo hodierna die eſſe feruntur, fovent, & augent crimina eorum, qui jam corrupti ſunt, quoniam eorum probant libidines: 2. eos vero, qui aliquam jam habent in vitia proclivitatem, omnino corrumpunt: 3. corrumpere etiam poſſunt innocentiſſimum quemque, qui a vitiis prorſus abhorreat. XI.

Comœdia, quantumvis innocens aſſe vel dicatur, vel exiſtimetur, ſemper habenda eſt tanquam malum, non autem tanquam honeſtum ſolatium, 1. quia occaſio eſt peccati, cui ſeſe objicere nefas eſt; raro illius occaſio remota eſt, & fere ſemper proxima: 2. peccatum eſt otii, amoris mundi hujus, perquiſitionis voluptatum ſuarum, & ſcandali, quod proximo præbetur: 3. eſt ſtatus habitualis peccati pro illis, qui de more theatris interſunt, & artem hanc exercent, vel fovent. XII.

Repræſentationes theatricæ, ſpectacula, ſaltationes, & chorearum cœtus adverſantur: 1. qualitati & profeſſioni hominis chriſtiani, qui enim JESU CHRISTI fidem amplexus eſt, mundi pompis, ac voluptatibus abrenuntiavit: 2. legi chriſtianæ, quæ in ipſis etiam cogitationibus exigit puritatem: 3. bono exemplo, quod Chriſtianus in omnibus actionibus præbere tenetur. XIII.

De choreis, comœdiis, aliiſque id genus ſpectaculis. 1. Habitus ſiidem interveniendi extinguit in homine chriſtiano ſpiritum pietatis ac religionis: 2. prohibet vitæ civilis officia eo in ſtatu, in quo nos providentia conſtituit: 3. omnia mortalium genera ad magna obeunda flagitia diſponit. XIV.

De ſaltationibus, & choreis ſingillatim. 1. Otium criminoſum eſt, cum in habitum migrat, ſemper indicio eſt, quod officia noſtra negligimus, ea, quæ ad ſalutem pertinent, contemnimus, pietatem, & religionem faſtidimus. 2. Occupatio eſt non ſolum periculoſa conſcientiæ, verum etiam peccato minime vacua? nulla ratio illas probare poteſt, niſi obedientia, aut neceſſitas, a quibus honeſte noſmet poſſumus diſpenſare: præterquamquod hoc non ita frequens accidit, ut migret in conſuetudinem. 3. Exemplum eſt pernicioſum, quod præbetur illis, qui id ſibi verterent religioni, niſi viderent homines alioquin bonos, qui ſcrupulum adimunt hujuſmodi ſolatiis paſſim intervenientes. XV.

PARAGRAPHUS II.

Fontes; auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas quæſtionum ſtructuras exornandas.

SAnctus Auguſtinus lib. 3. conf. cap. 2. fuſius loquitur de inanibus theatrorum ſpectaculis, quæ ipſe quoque juventæ flore deperibat, ibi verſo præſertim diſſerit de affectibus, quos in auditoribus gignunt funeſti caſus, qui ibi exhibentur. Sancti Patres.

Idem libro 2. de civit. cap. 13. docet comœdos apud Romanos infames fuiſſe. S. Ambroſius in capit. 7. S. Luc. ſaltationes in ipſa etiam vituperat adoleſcentia, ac in illis præſertim immodeſtos corporis geſtus perſtringit.

Idem in libris officiorum acriter invehitur contra chorearum conſuetudinem, ipſa Ethnicorum ulus auctoritate, a quibus damnatæ fuerunt.

Tertullianus integrum edidit librum de ſpectaculis, ubi capite quarto docet, fidelem, qui

in

Digitized by Google

in baptiſmo mundi pompis abrenuntiavit, neceſſaria illatione ſpectaculis quoque abrenuntiaſſe.

Sanctus Cyprianus peculiarem edidit tractatum de ſpectaculis.

Idem in epiſtola ad Donatum oſtendit veterum criminum memoriam per theatricas repræſentationes inſtaurari, & perennari.

Minutius Felix *in Octavio* oſtendit, omnes paſſim ævo ſuo perhorruiſſe theatra propter crudelitates, & obſcœnitates, quæ illic repræſentabantur.

Theophilus Patriarcha Antiochenus in *libro adverſus calumniatores religionis chriſtianæ* teſtatur, ævo ſuo fideles a profanarum ſpectaculis abhorruiſſe.

Clemens Alexandrinus *libro tertio pædagog. cap.* 11. oſtendit circum, atque theatrum ſcholas eſſe, atque occaſiones licentiæ, ubi turpia quæque addiſcuntur.

Lactantius *libro ſexto inſtit. capit.* 20. *&* 21. oſtendit, hæc ſpectacula, præſertim vero comœdiam, apta eſſe dumtaxat moribus corrumpendis, eaque fugienda eſſe Chriſtianis cujuslibet ſexus, & ætatis.

Sanctus Chryſoſtomus *homil. prima ad populum Antioch.* affirmative reſpondet dubitantibus, utrum peccatum ſit intereſſe theatris, atque ſpectaculis.

Idem *homil.* 3. *de Davide, & Saule* minitatur ſe ab aditu templi prohibiturum eos, qui ad ſpectacula concurrunt, & prolixam habet contra id genus homines invectivam.

Idem *homil.* 7. *in Matth.* hortatur ad fugiendas hiſtrionum nugas, & obſcænitates, quæ ab illis dicuntur.

Idem *homil.* 8. *in Matth.* quæ tota eſt contra mimos, atque hiſtriones, quos vita hac indignos, publicaſque peſtes appellat.

Idem *homil.* 38. *in Matth.* diſſerit de flagitiis, quæ committuntur in theatris.

Idem *in Præfat. comment. in S. Joannis evangel.* non ſine indignatione refert, quid ævo ſuo fieret in theatris.

Idem *homil.* 56. *in Geneſ.* invehitur contra choreas, & cautiones, quæ in nuptialibus, aliiſque ſolemnitatibus invectæ fuerant: adeo illi perſuaſum erat hæc omnia crimine non carere.

Tertullianus *in Apologet. cap.* 38. teſtatur, fideles immunes fuiſſe ab Ethnicorum ludis, atque ſpectaculis, & habuiſſe ſpectacula magis jucunda.

Idem *capit. quarto libri contra ſpectacula* reſpondet objicientibus in Scripturis nullibi prohiberi concurſum ad theatrorum ſpectacula.

Salvianus libro 6. de Provid. egregia plura habet hujus argumenti.

Aſcetici, aliique. Sanctus Franciſcus Saleſius *p.* 3. *cap.* 32. *&* 33. introductionis ad vitam devotam loquitur eo modo de ſaltationibus, atque choreis, qui licentiam minime probat.

Pater Cordetius *Tomo* 2. *Familiæ ſanctæ capit.* 11. *de ſolatiis* fuſius loquitur de choreis. deque periculoſis ſolatiis, ſaltationibus, & comœdiis *§.* 6. & 8.

Pater Heliodorus Pariſienſis in lib. cui titulus: *Sermone de Voluptatibus*, ſerm. 6. de comœdiis & 7. de choreis, & ſaltationibus.

Pater Senault in lib. qui inſcribitur: Monarcha, vel principis officium ſerm. 8. ubi agit de ſolatiis principis; & 7. ubi loquitur de comœdia, aliiſque ſpectaculis.

Pater Suffren tom. 1. anni chriſtiani cap. 9. art. 2. *§.* 3. oſtendit quomodo te gerere debeas in choreis & ſaltationibus.

Petrarcha fuſius de choreis verba fecit, & quodam in dialogo oſtendit earum vanitatem.

Petrus Gregorius inſignis juriſconſultus paſtoris officium ſibi vindicare non putat invehens contra comœdias, quaſi contra publicum flagitium.

Comitulus eximium edidit tractatum hiſpanice de bonis honeſti laboris, ubi abſolute profana hæc ſpectacula damnat.

S. Carolus Borromæus in egregio tractatu, quem edidit de choreis, oſtendit illas ſacrorum Bibliorum, Conciliorum, Patrumque auctoritate damnari.

Sereniſſimus Princeps de Conty in vulgo prodidit tractatum de comœdia & ſpectaculis juxta eccleſiaſticam traditionem.

Thiers Theologiæ doctor, & Parochus *Champrond* in tractatu de ludis, & ſolatiis cap. 25. loquitur de ſaltationibus, atque comœdiis.

Dominus Nicol celeberrimus propter egregia, quæ edidit, opera peculiarem habet de comœdia tractatum.

Pater Quillebeuff, Pelletier, Voiſin, & alii, qui videri poſſunt in collectione operum contra Patrem Camaro, & in excerptis operum plurimorum eccleſiæ Patrum, egerunt de ſpectaculis.

Meldenſis Epiſcopus tractatum edidit ad comœdiam pertinentem.

Liber, cui titulus: Chriſtiana Inſtructio pro educatione Puellarum, cap. 13. loquitur de choreis, ſpectaculis, & comœdiis, quæ chriſtianis virginibus interdictæ ſunt.

Pater Lebrun Presbyter Oratorii in lib. qui inſcribitur: Sermones de comœdia.

Liber, cui titulus: Chriſtianarum Familiarum Pædagogus, ubi fuſius de comœdia, & mox de choreis, & ſaltationibus ſermo eſt.

Auctor dictionarii moralis tomo 1. titulo Bacchanalium, plures habet de ſaltationibus, choreis & comœdiis conſiderationes.

Pater Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus agit de ſaltatione, comœdia, & ſpectaculis.

Baldeſanus in lib. cui titulus: Stimuli virtutum cap. 59. contra profanorum ſpectaculorum vanitatem.

Pater Le Jeune presbyter Oratorii recens in meliorem formam redactus ſerm. 16. loquitur contra Choreas. Concionatores au, peil.

Specimen ſermonum, Sermo pro Dominica 23. poſt Pentecoſten eſt contra ludus, choreas, & publica ſpectacula.

Pater Cheminais in ſerm. de Conceptione B. Virginis aliquid habet admodum ſenſatum de comœdia.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta tomo 2. integrum habet ſermonem contra choreas, comœdias, & alia ſpectacula. Qui collectanea ediderunt.

Drexelius lib. 3. Nicetæ cap. 7.

Buſſeus in Panario tit. Choreæ.

Peraldus, in remediis contra Luxuriam cap. 3. de Choreis.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Exod. 32.

Cum appropinquaſſet Moyſes ad caſtra, vidit tumultum, & choros: iratuſque valde, projecit tabulas, & confregit eas ad radicem montis. Ibidem.

Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem? Pſalm. 4.

Me irritaverunt in vanitatibus ſuis. Deuteron. 32.

Non ſedi cum concilio vanitatis. Pſalm. 25.

Odiſti obſervantes vanitates. Pſalm. 30.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Pſal. 118.

Beatus vir, qui non reſpexit in vanitates, & in inſanias falſas. Pſalm. 39.

Qui amat periculum, in illo peribit. Eccli. 3.

Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis. Eccli. cap. 9.

Nunquam cum ludentibus miſcui me. Tob. 3.

Non ſedi in concilio ludentium. Jerem. 15.

Die natalis Herodis ſaltavit filia Herodiadis, & placuit Herodi. Matth. 14.

Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, hæc cogitate. Ad Philipp. 4.

Turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, &c. Ad Epheſ. 5.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſumpta.

Iſraelitæ choros duxerunt circa vitulum aureum.

MAgiſter omnis impudicitatis, qui docuit Idola colere, docuit etiam ludere, S. Ephrem inquit. Hoc videmus in priſcis Iſraelitis, qui vitulum aureum coluerunt, & poſtquam adoleverunt illi thus, circum illum choreas egerunt: *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Hæc omnia ſimul juncta nobis oſtendunt, Pater idem ait, ab eodem magiſtro & Idolorum cultum, & ſaltationum morem invectum fuiſſe, quoniam dæmon per idola repræſentatus, atque ſub variis nominibus latens ſæpe adorari voluit choreis, publiciſque ludis quemdam religionis cultum indigitantibus.

Lætitiæ ſigna per choreas edita, & in Scripturis memorata longe alia ab hodiernis.

Inficiari nemo poteſt, veteris teſtamenti ſanctos viros nonnumquam lætitiam ſuam quadam choreæ, ludorumque publicorum ſpecie fuiſſe teſtatos; verum hoc accidebat, ut Deo gratias agerent ob factum aliquod, quod præclare illis ceſſerat ex ſententia, vel ob inſignem aliquem favorem, quem ab eodem acceperant, & hæc hilaritatis ſigna ſemper concomitabatur quidam religioſus cultus, quem domino adhibebant. Ita Maria ſoror Moyſis chorum, vel potius triumphum ducere cæpit, poſtquam populus ex Ægyptiaca ſervitute liberatus fuit, & Pharao fluctibus Erythræi maris ſubmerſus. Hoc item præſtitit David coram arca de Philiſtinorum manu reducta. In Bibliis plura legimus cantica ſimilibus in occaſionibus recitata; immo etiam occurrunt feſtivitates quædam non ſine apparatu celebratæ, quod ſine ſpectaculo fieri non poterat. Verum enim vero hæ choreæ, hi cantus, hæc ſpectacula fiebant ob cauſas longe alias ab iis, propter quas mundana ſolatia inſtituuntur, quæ ſæpe, ac jure damnavit eccleſia. Tunc recinebant, pſallebantque, ut celebrarent victorias, quas Deus de hoſtibus ſuis referebat, atque ut teſtarentur lætitiam, qua perfundebantur videntes domini ſui gloriam, & honorem: ſed in ſpectaculis mundi ſectatores ſuas quærunt voluptates, ſuaque ſolatia, & vanitas, immodeſtia, licentia, & impudicitia fere nunquam abſunt ab hujuſmodi ſaltationibus, choreis, atque gaudentium, lætantiumque conventibus. Quam ob rem chorearum, quæ in Scripturis narrantur, exempla nullo modo probare poſſunt, & excuſare profanas hujus temporis ſaltationes.

Cl[...] plauſu, & ſ[...] ſ[...] ſ[...] damnatæ.

In Ezechiele Propheta capite 25. Deus ad filios Jeruſalem loquens mira hæc illis profert verba: *Pro eo quod plauſiſti manu, & percuſſiſti pede, & gaviſa es ex toto affectu ſuper terram Iſrael: idcirco ego extendam manum meam ſuper te, & tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram; & ſcies, quia ego Dominus.* Filiæ & mulieres Iſraelitarum choreis & idolorum cultu Deum irritaverunt; quare Moyſes dolore confectus legis tabulas contregit, imperavitque Levitis, ut illas occidione delerent. Uxor junioris Tobiæ ſeipſam coram Deo excuſare volens teſtatur ſe nunquam ludis, & choreis interfuiſſe, & S. Chryſoſtomus animadvertit, in nuptiis Abrahæ, Iſaac, & Jacob, aliorumque ſanctorum patriarcharum nullibi mentionem fieri de choreis, aliiſque id genus mundanis oblectamentis, ſed tantum de laudibus, & gratiarum actionibus, quæ cauſa erat, propter quam Deus eorum conjugiis benedicebat, eaque fortunabat.

Dinæ exemplum docet virgines [...] colas de[...]bet, ne choreis & ſolatiis cœtibus interſint.

In Geneſi cap. 34. legimus, Dinam virginem quindecim annos natam, cum ex paterna domo ſola fuiſſet egreſſa ſine ſocia, & ſine facultate, acta inani curioſitate videndi choreas atque feſtos dies filiarum Sichem, raptam vi fuiſſe, ideoque propter illam totum Sichimitarum populum internecione occiſum fuiſſe. Hæc hiſtoria adeo tragica, atque funeſta efficere profecto deberet virgines cautiores, eaſque docere, ne adeo facile ſe ſe objiciant occaſionibus in ſaltationum, & ſpectaculorum conventibus, ubi earum ſemper periclitatur pudicitia.

Malum & ſcelus, quod peperit ſaltatio filiæ Herodiadis coram Herode.

In S. Matthæi evangelio cap. 14. videmus ſaltandi peritiam cauſam fuiſſe, propter quam Præcurſor filii Dei obtruncaretur, & caput S. Joannis Baptiſtæ, qui poterat, ut inquit S. Chryſoſtomus, totum terrarum orbem convertere, fuiſſe pretium ſaltatricis. Dæmon non aliam invenit validiorem viam, ut ab Herode obtineret mortem magni hujus viri, quem Judæa univerſa admirabatur, Joſepho hiſtorico teſte, quam ſaltantem inducere coram rege laſcivientem puellam calamiſtris bene comptam, muliebrique mundo ornatam, atque ea in arte peritam. Fierine poſſet, ut non execraremur id, quod tantum peperit damnum, tantumque crimen, licet nil aliud nobis ſuppeteret, quod choreis, & ſaltationibus objiceremus! Dei filius ſatis aperte oſtendit, quid ipſe de ludis, choreis, ſpectaculiſque ſentiret eo in miraculo, de quo in evangelio ſermo eſt, cum Archiſynagogi filia ad vitam revocavit; miraculo, quod operari noluit, donec ea in domo verſabantur ſaltatores, atque tibicines, quam ob rem imperavit, ut ejicerentur, antequam illuc ingrederetur: *Dicebat, recedite.* Matth. 9.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

In ſpectaculis nihil niſi vanitas videtur, & vanitatem amat, qui illa conſectatur.

AVerte oculos meos, ne videant vanitatem. Pſalm. 118. Hic unus ex iis locis eſt, quibus utebatur S. Ambroſius, ut fideles a theatricis ludis averteret. Num dubitatis, ajebat ille populo ſuo, utrum hi ludi in vanitatum numero ſint recenſendi! Quomodo Chriſtianos illos perquirere poteſt ſciens, JESUM CHRISTUM in carne ſua vanas mundi voluptates crucifixiſſe. Averte, Domine, oculos meos ab his ſpectaculis, ubi vanitas, pompa, magnificentia, & quidquid illecebrarum in mundo eſt, maxime nitet; quid enim in hujuſmodi ſpectaculis videtur, niſi objecta, quæ nos fallere poſſunt, nobiſque vanitatis amorem immittere?

Quæritur tentatio, & ultro ſe ſe illi objicit, qui comœdiis intereſt.

Qui amat periculum, in illo peribit. Eccl. 3. Conſiderandum eſt, comœdiam tentationem eſſe ultro quæſitam; quæ res longe Dei gratiam ſemovet, eumque impellit, ut nos noſtræ facilius tradat corruptioni, quam alia quæpiam tentatio, quæ non opinantibus ingruit. Temeritas, ſuperbia, & impietas eſt credere, ſe ſine gratia reſiſtere poſſe iis tentationibus, quæ in comœdiis occurrunt; præſumptio vero, & inſania eſt exiſtimare, nos ſemper divinitus eripiendos eſſe ex eo periculo, cui ipſi ultro temere, ac ſine neceſſitate noſmet objicimus.

Theatrum, & ſaltationes a S. Joanne damnantur in tribus concupiſcentiis mundum componentibus.

Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ 1. Jo. cap. 2. S. Joannes proculdubio damnat inanes theatri voluptates, cum inſpirat Chriſtianis horrorem erga ea, quæ ſapiunt mundi hujus voluptates, & quæ excitare poſſunt concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Ubinam enim tria hæc vitia collecta magis inveniuntur, quam in theatris? Hoc ipſum Seneca teſtatus eſt dicens: *avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior* ex theatris. Quid autem dicemus de locis omnibus, ubi Sanctus Paulus mulieribus, atque virginibus etiam atque etiam modeſtiam commendat? Credemuſne, illas ſimul & come-

comœdias eſſe poſſe, & æque modeſtas, ut S. Paulus requirit? & nobiſmet perſuadere poterimus, mulierem ſeſe omni induſtria, qua fieri poteſt, comere, & exornare, ut ad choreas, vel comœdias ſe conferat; & nonnullas etiam ipſa theatra conſcendere vocibus addituras geſtus, tonum, & eas dicendi, agendique rationes, quæ ad amorem ciendum aptiſſimæ ſunt, contra quas homines ſemper ſibi diligentiſſime cavere debent?

Seſe conſuetudini hujus ſæculi conformat, qui mundi hujus ſolatia amat, & quærit.

Nolite conformari huic ſæculo: ad Roman. 12. Nonne metuendum eſt, ne qui in mundanis ſpectaculis tantum voluptatis percipiunt, qui tanto ardore ad theatra feſtinant, & qui tantopere choreas ipſas depereunt, ſeipſos conforment ſpiritui hujus ſæculi, quæ manifeſta eſt nota reprobationis? Hic autem ſpiritus in eo pretio conſiſtit, in quo mundi pompæ, & vanitates habentur: deinde vero in iis ſenſibus, qui hauriuntur, & ſunt chriſtianæ diſciplinæ contrarii, ac tandem in pietatis tepore, atque in contemptu omnium exercitiorum, quibus illa fovetur: hoc autem nonne iis accidit, qui frequenter ſaltationibus, atque comœdiis interſunt? Ubine ſunt, qui ſæculi vanitates magis inſectentur, qui mundi ſpiritu magis repleti ſint, & qui minus divina ſapiant? *Nolite conformari huic ſæculo.* Nolite imitari horum mortalium exemplum, niſi vultis eſſe, ut illi, ſectatores ſæculi, ſolatiorum, & voluptatum amici, & inimici Dei.

Felicitas eorum, qui non vanitates deſpiciunt.

Beatus vir, qui non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. Pſalm. 39. Hoc nomine vocanda ſunt hæc ſpectacula, atque ſolatia, de quibus, ut minimum dici poteſt, quod nos ſemper peccandi periculo objiciunt: *Beatus vir, qui non reſpexit.* Etenim quo magis illinc abeſt, eo magis abeſt a ſcelerum occaſione, quæ poſt ipſum crimen habenda eſt malorum omnium maximum, &c.

PARAGRAPHUS IV.

Loci & ſententiæ ſanctorum Patrum hujus argumenti.

R*Apiebant me ſpectacula theatrica, plena imaginibus miſeriarum, & fomitibus ignis mei.* Auguſtin. lib. 3. Confeſſ. cap. 2.

Melius eſt die Dominica orare, quam choreas ducere. Idem, in Pſalm. 91.

Animarum peſtis, probitatis & honeſtatis everſio. (*Ita vocat ſpectacula theatrorum.*) Idem, lib. 1. de Civit. cap. 33.

Iſta conſuetudo balandi, de Paganorum obſervatione remanſit. Idem, Sermone 1, de Tempore.

Avertamus oculos noſtros a vanitatibus theatrorum, ne quod oculus viderit, animus concupiſcat. Ambroſ. in Pſal. 118.

Comes deliciarum eſt extrema, ſaltatio. Idem, lib. 3. de Virgin.

Quid ibi verecundiæ poteſt eſſe, ubi ſaltatur? Idem, ibid. lib. 2.

Nequitiarum chorus (*ita ſaltationes appellat.*) Idem, lib. de Cain & Abel.

Saltet, ſed adulteræ filia; quæ vero pudica, quæ caſta eſt, filias ſuas religionem doceat, non ſaltationem. Idem, l. 3. de Virgin.

In theatris conſpicies, quod tibi dolori ſit, & pudori. Cyprianus, Epiſt. ad Donatum.

Admonetur omnis ætas fieri poſſe, quod factum eſt. Idem, ibid.

Diabolus artifex, quia idololatriam per ſe nudam ſciebat horreri, ſpectaculis miſcuit, ut per voluptatem poſſet amari. Idem, ibid.

Ab omnibus ad ſpectaculum concurritur, commune dedecus delectat, vel recognoſcere vitia, vel diſcere. Idem, ibidem.

In his ſpectaculis, depoſita verecundia, audacior aliquis fit ad crimina, diſcit facere, dum conſueſcit videre. Idem, ibidem.

Fugienda ſunt iſta Chriſtianis fidelibus, tam vana, quam pernicioſa. Idem, ibid.

Cito in hoc aſſueſcimus, quod audimus, ſcelere. Idem, ibid.

Avocandus eſt animus ab iſtis, habet Chriſtianus ſpectacula meliora, ſi velit. Idem, ibid.

Quomodo qui deſident in theatro, qui nihil ſani neque audiunt, neque vident, qui undique obſidionem patiuntur, per aures, per oculos, poſſunt ſuperare concupiſcentiam? Chryſoſtom. Homil. 15. ad Popul. Antioch.

Nihil obſcœnius illo oculo, qui ſpectare talia patienter poteſt. Idem, Hom. 6.

Quidquid illic dicitur & fit, Sathanæ pompa eſt. Idem, in præfat. comment. in Joannem.

Omnis virtutis peſtis (*ſaltatio.*) Idem, Hom. 3. in Matth.

Nemo ad voluptatem venit ſine affectu, nemo affectum ſine caſibus ſuis patitur. Tertullian. de ſpect. cap. 15.

Tragœdiæ & comœdiæ ſcelerum & libidinum auctrices cruentæ, laſcivæ, & impiæ. Idem, cap. 8.

An ille recogitabit eo tempore de Deo, poſitus illic, ubi nihil eſt de Deo? Idem, cap. 23.

Nemo in ſpectaculo jucundo prius cogitat niſi videri & videre. Idem, cap. 25.

In omni ſpectaculo nullum majus ſcandalum occurrit, quam ille ipſe mulierum & virorum occurſus. Idem, ibid.

Quale eſt, illas manus, quas ad Deum extuleris, poſtmodum laudando hiſtrionem fatigare! Idem, ibid.

Studium placendi illicitum eſt. Idem, de velandis Virgin. cap. 3.

Viri & fœminæ communes conſtituentes choros ſeſe invicem libidinum telis confodiunt atque lacerant. Baſilius, Hom. 4. in ebriet. & luxum.

In theatris nil reatu vacat. Salvianus, lib. 6. de Gubern. mundi.

In ſpectaculis quædam fidei eſt, & a ſymbolis ipſius, & cæleſtibus ſacramentis lethalis prævaricatio. Idem, ibidem.

Quomodo, o Chriſtiane! ſpectacula poſt Baptiſmum ſequeris, quæ opus eſſe diaboli confiteris? Idem, ibid.

Renunciaſti ſemel diabolo & ſpectaculis ejus, & per hoc neceſſe eſt, ut prudens & ſciens, dum ad ſpectacula remeas, ad diabolum te redire cognoſcas. ibid.

Spectacula hæc publica maxima ſunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentiſſime valent. Lactantius, lib. 6. Inſtit. cap. 20.

In ſcenis neſcio, an ſit corruptela major vitiorum. Idem, ibid.

Carmen compoſitum, & oratio cum ſuavitate decipiens, capit mentes, & quo voluerit, impellit. Idem, cap. 28.

Hiſtrio enervis, dum amorem fingit, infligit. Minutius Felix, in Octavio.

Non incongrue ſtadia & theatra peſtilentiæ cathedram quis vocaverit. Clemens Alexandr. lib. 3. Pedag. cap. 11.

Magna iniquitate pleni ſunt hi cœtus, & occaſio conventus cauſa eſt turpitudinis, cum viri & fœminæ permixtim conveniunt, alter ad alterius ſpectaculum. Idem, ibid.

Prohibeantur ergo ſpectacula, quæ nequitia, verbiſque obſcœnis & vanis temere profuſis plena ſunt. Idem, ibid.

Alimenta vitiorum ... irritamenta vitiorum. (*Vocat ſpectacula.*) Lactant. loc. cit.

Quid juvenes faciant, cum hæc & fieri ſine pudore, & ſpectare libenter ab omnibus cernant? Idem.

Per ludum choreas intellige, quas peccatum eſſe manifeſtum eſt. Hugo Cardinalis.

Magiſter omnis iniquitatis, qui docuit idola colere, docuit etiam ludere. S. Ephrem.

A theatro ſeparamur, quod eſt privatum conſiſtorium impudicitiæ; ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur. Tertull. lib. de ſpectaculis.

Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Tertull. in Apologet.

Spectaculorum impuritates unum faciunt agentium & ſpectantium crimen. Salvian. lib. 6. de Gubern.

Animarum peſtis, probitatis & honeſtatis everſio, ſpectacula. Auguſt. lib. 1. de Civit. cap. 33.

Dum animas interficiunt, ludere ſe opinantur. Lactant. de vero cultu, cap. 20.

Deus prohibuit ſpectari, quæ prohibuit fieri. Cyprianus.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi poſſit.

Quid ſit comœdia, & tragœdia.

IDea generalis, quam de comœdia concipere poſſumus, quatenus ad noſtrum pertinet argumentum, non aliud eſt, quam repræſentatio naturalis actionis, vel ut melius dicam, eventus alicujus in ſua ſubſtantia & circumſtantiis. Nec vera eſt pictura, ubi verba pingunt cogitationes, & actio ipſas res exhibet, & facta. Argumentum, de quo agimus, non requirit diſtinctam cognitionem ſpecierum poematis drammatici, intra quas eſt comœdia, cujus propria differentia eſt, eſſe repræſentationem jucundi alicujus, & feſtivi facti, quod inter homines e plebe accidit: cum pro tragœdia intelligatur repræſentatio ſeria actionis funeſtæ, & inſignis ex imitatione calamitatis, quæ accidit viro alicui magni nominis, aut meriti. Tragicomœdia tandem repræſentatio eſt facti alicujus, in quo perſonæ principes graviſſimis urgeri videntur malis, quæ ſub finem felici eventu delentur. Hoc in argumento nihil ultra dicere opus eſt; etenim, quin ullam habeamus rationem proprietatis vocabulorum, & diſcriminis inter varias poematis drammatici ſpecies, omnia comœdiæ nomine complectemur.

Comœdia, aliaque theatrica repræſentationes per ſe indifferentes ſunt, ſed in circumſtantiis ſunt periculoſæ.

In generali hac idea theatrica drammata, quæ comœdiarum nomine complectimur, quæ eorum una dumtaxat ſpecies ſunt, per ſe neque bona, nec mala ſunt quoad mores. Omnia argumentorum genera, omneſque circumſtantias poſſunt admittere, & donec ita indeterminata ſunt, ſunt etiam indifferentia; hoc eſt, neque vituperationem, neque approbationem merentur. Sed agitur hoc in loco de comœdia, aliiſque theatricis drammatibus, quales hodierna die agi conſueverunt, quæ ſi minus impia, inhoneſta, & obſcœna ita ſunt, ut erant olim apud Ethnicos; experientia tamen oſtendit, hæc non minus eſſe periculoſa.

Diſtinctio drammatum in bona, & mala.

Fatendum eſt theatrica drammata vel innocua eſſe, vel nocua, vel partim nocua, & innocua partim. Primis eccleſiæ ſæculis in Ethnicorum theatris nihil non flagitioſiſſimum habebatur; quæ res ſanctorum Patrum zelum inflammavit contra comœdias; ipſaque eccleſiæ fulmina adhibita fuere contra hæc profana ſpectacula, quæ reipſa integerrimos quoſcumque mores corrumpere poterant; & cum legimus Tertulliani, S. Cypriani, S. Chryſoſtomi, & Salviani invectivas contra Chriſtianos, qui hiſce ſpectaculis, atque repræſentationibus intererant, videmus de his loqui tamquam de apoſtatis & profugis a fide, & religione. Sed certum eſt, neque eccleſiam, neque Patres unquam damnare voluiſſe pia drammata, cujuſmodi eſt tragœdia, cui titulus: Jeſus Chriſtus patiens, compoſita a S. Gregorio Nazianzeno, neque alia id genus plura, quæ ſanctas teſtamenti utriuſque referunt hiſtorias. Profanæ hiſtoriæ uberiora ſuppeditant theatro argumenta, & ſæculi mores ampliorem illi materiam miniſtrant; ubi ſi omnia decenter pertractentur, uti religio, & publica honeſtas requiſit, quod in collegiis puerorum fieri conſuevit, horum drammatum innocentia ea ab omni protegit cenſura. Hæc enim drammata adoleſcentes ad eloquentiam informant atque efficiunt, ut publice loqui non erubeſcant. Moribus etiam corrigendis prodeſt, qui comœdiæ finis eſſe debet. Quod ſpectat ad ambigui argumenti drammata, ubi mala mixta ſunt bonis, liquido conſtat, permittendum non eſſe, ut vel agantur, vel audiantur, niſi prius caſtigentur, & reformentur.

Comœdiæ ſingillatim omnes fere ſunt moribus perniciſæ.

Sin autem ſimplicem comœdiam inſpicere libet, non amplius in fine ſuo, ſed & in ſtatu, in quo ſemper fuit, & hodie etiam eſt, ſeu propter argumentum, & circumſtantias, ſeu propter effectus, meridiana luce clarius innoteſcet, fere ſemper de rebus parum honeſtis pertractare, vel de illis, quibus flagitioſarum affectionum ſcandala adhærent. Nonne eædem locutiones obſcœnæ ſunt vel ſaltem immodeſtæ, & æquivocæ non ſolum in veterum comœdiis, quæ ad hæc uſque tempora pervenerunt, verum etiam in illis, quæ hiſce temporibus aguntur? Itali nonne comœdias ſuas his vocibus replent? Galli vero num minus pudibundi ſunt? Num his ipſis diebus hos eoſdem deprehendimus defectus in nonnullis comœdiis, quæ nuperrime in lucem editæ ſunt? Hiſpani vero nonne ſancta ipſa, & ſacra in ridiculos uſus traducunt? Si comœdiæ, & tragœdiæ, quæ plurimis abhinc annis in Gallia exhibentur, apertis immunes ſunt obſcœnitatibus, nonne probro dignæ ſunt propter eam rationem, qua affectus noſtros pertractant? Quos enim effectus producere poſſunt teneræ locutiones cum reali repræſentatione conjunctæ, niſi corrumpant imaginationem; memoriam inficiant, & poſtmodum in intellectum & voluntatem, ac tandem in mores ipſos ſe effundant? Non deerunt profectu quamplurimi, qui nullam unquam in comœdiis pravam impreſſionem ſe percepiſſe teſtabuntur; ſed affirmo, vel hos numerabiles eſſe utpote paucos, vel hæc non bona fide dici, vel ſolam rationem, propter quam comœdia mores illorum non corrupit, hanc fuiſſe, quod hæc illos jam corruptos invenit, & illi nihil reliquum fecerunt, quod in ipſis operari poſſet comœdia.

Utrum ſit peccatum ad comœdiam ire.

Cum tribui nequeat certa reſponſio quærentibus, utrum lethaliter peccet, qui comœdiam ſpectaturus adit, aliquot propono regulas, quæ reſponſionis loco eſſe poſſunt: 1. certum eſt nefas eſſe ad comœdiam ire, ubi liqueat dramma repræſentandum malum eſſe, hoc eſt pudori, & honeſtati contrarium, in eo aliquid impietatis adeſſe, religionem, probitatem, pietatemque in jocum traduci, & ut verbo omnia complectar, talem eſſe, ut morum innocentiam corrumpere valeat; & ratio eſt, quia hoc eſt ſeſe palam peccati periculo objicere. Ad hæc præſentia tua probare videris inhoneſta hæc, vel impia drammata, ac tandem aliquid confers etiam peccatis actorum, a quibus repræſentantur, qui ſi noviſſent, ſe in vacuo acturos fuiſſe theatro, ea drammata nunquam luſiſſent. 2. Parentes prohibere tenentur, ne filii adeo perniciosis comœdiis interſint, quia ſcelus cum voluptate in adoleſcentium animos irrepit, & quia in vitium magis, quam in virtutem ſunt proni. Magiſtratus item, qui locum tenent patrum publicorum; eccleſiaſtici, & ſæculares ſuperiores teneatur hæc inhibere ſcandala; neque illis ambigendum eſt, utrum rationem reddituri ſint Deo de interitu animarum, niſi omni utantur auctoritate, ut hoc tantum nefas coerceant. 3. Cum incertum ſit, utrum ludenda drammata honeſta ſint, an ſecus, & bonis, maliſque mixta, qualia pleraque eſſe conſueverunt; quærere utrum illis intereſſe liceat, idem eſt, ac quærere utrum liceat ex mera voluptate, & ſine ulla neceſſitate ſe ſubjicere periculo committendi peccatum, qua in re nullus eſt, qui neget, Theologus. 4. Quamvis etiam ſcires in hac comœdia, vel tragœdia nil minus honeſtum reperiri, attamen cum non deſint unquam circumſtantiæ, quæ ad peccatum impellant,

Digitized by Google

lant ; hoc uaum eas periculoſas poteſt efficere. Hæ autem circumſtantiæ ſunt affectionum, amorumque uodi, mulieres comptæ, atque immodeſte viſæ, muſici concentus, ac modulamiua nimium reaera, & affectu referta, quæ illic immiſcentur, amoias periculoſi, qui nimis blande exprimuntur, ac minus tenere repiæſentautur, liberi actorum geſtus, quæ omnia ſimul efficiunt, ut plarique doctorum damnent & eos, qui comœdias repræſentant, & eos, qui iiſdem interſunt, ne iis quidem exceptis, qui interſunt, ut illis morem gerant, qui auctoritatem habent in eos, poſtquam nihil piætermiſerint, ut ſeſe contra periculum præmunirent. 5. Accedit præterea lex naturalis, quam conſcientia omues homines docet, licet in his ſpectaculis nil eſſet, quod ad peccatum impellerer, vel exciiaret; ſi nihilominus aliquis expertus eſt, ſe numquam illis intereſſe ſine mortali noxa, teneri etiam, ut ſeſe abſtineat, alioquin mortalis eriminis reus futurus. 6. Solus adſpectus æque, ac uarratio ſola rerum inhoneſtarum, quæ in comœdiis repræſentantur, grave peccatum eſt; non enim licet videia, multoque miuus attente conſiderara id, cujus aſpectus, & conſideratio concupiſcentiam accedunt, & impellunt voluntatem ad id faciendum, quod a Deo prohibetur. Sordes iſtæ ex actorum labiis emanare non poſſunt, quin audientium animam polluant, & quocumque modo illuc per oculos, vel pee aures ingrediantur, mentem ſempee, & animum inficiunt. 7. Quamvis plerique eorum, qui ſpectaculis hujuſmodi interſunt, non aliud efficerant malum, quam ſcandalum, quod præbent præſentia ſua auctoritatem quandam addentes ſolatiis adeo periculoſis, quæ nemo dubitare poteſt, quominus ſint plurimorum ſcelerum cauſa; hæc una ratio ſatis eſt, ut inde inferamus, eos, qui de more hiſce ſpectaculis adeſſe conſueverunt, in ſtatu peccati habitualis verſari. Sed omnes iſtæ rationes ſimul ſumptæ effeceruut, ut illi omnes, qui hoc pertractaruut argumentum, affirmarent moraliter fieri nun poſſe, ut aliquis ſine peccato comicis ludis interſit. Sententia hæc inuitirur ſanctorum Patrum & Conciliorum auctoritati, quorum plurimi extant canones, quibus hæc ſpectacula prohibentur: accedit etiam eccleſia, quæ nonniſi per impotentiam hoc malum tolerat, cui ſeſe oppoucie non poteſt: accedunt etiam leges civiles, quæ nou permittunt hæc ſpectacula, niſi ut otioſorum hominum majus malum prohibeant, qui neſcientes qua in re tempus traducere, gravioribus criminibus ſe ſe ingurgitarent.

(Eccleſia damnat hiſtriones, ideoque & comœdias.) Eccleſia damnat hiſtriones, atque ſimul ſatis ſe damnare comœdias putat: hoc paſſim in ritualibus præcipitur; & praxis ſemper eſt conſtans. A Sacramentis in vita æqua, ac in morte arcentur; qui comœdias agunt, niſi artem ſuam abdicaverint; ſancta Syuaai prohibentur, tanquam publici peccatores; aditus ad ordines ſacros, tanquam infamibus hominibus, illis intercluditur; ideoque & eccleſiaſtica ſepultura illis denegatue. Quoad illos, qui comœdiis frequentes adſunt, quemadmodum alii aliis ſunt nocentiores, & quidam potius erudiendi ſuut, quam improbandi, non æque omnes reprehendendi ſunt. Ita eccleſia nou contorquet anathemata in omnes: verum non inde inferendum eſt publica flagitia probanda eſſe, atque paſtorum, & concionatorum intereſt illos erudire.

(Confuetudo, & ſilentium magiſtratuum nullam adduns auctoritate comœdiæ.) Tot publica edita ſunt contra comœdiam decreta, necnon tot rogatæ leges, quibus ea prohibetur, ut vix numerari valeant; neque hic locus eſt earum numerandarum. Si nunc temporis conſuetudo ſuperat, & abuſus prævalet, inde inferendum eſt ad ſummum, comœdiam rejiciendam eſſe inter ea mala, quæ æque ſempee & prohibentue, & committuntur. Verum enim vero quantumvis leges civiles auctoritate ſua comœdiam probarent, licet hiſtriones ab illis, uti factum eſt, nequaquam damnarentur, ſed probarentur; Præſules, & concionatores imitari debent Chryſoſtomos, & Auguſtinos; qui, cum leges minime valentes omnia radicitus mala convellere, ea vel tolerabant, vel permittebant, ſummi illi viri palam profitebantur, eos abuſus, atque flagitia evangelica lege prohiberi. Prætterquamquod S. Thomas 2. 2. qu. 39. art. 3. decidit, humanas leges nequaquam ad id teneri, ut omnia mala coerceant, ſed ea tantum, quæ directe ſocietati adverſantur.

(Sanctorum Patrum de theatris, atque ſpectaculis ſententia.) Profecto Patres non legit, qui, quod nonnulli faciunt, affirmant, ab ipſis in ævi ſui ſpectaculis vituperari tantum idolorum cultum, atque turpes & manifeſtas impudicitias. Profecto mentis compos non eſt, qui non intelligit rationibus eorum aliquid ulterius inferri; in theatrorum ſpectaculis improbant illi miram mentis diſſipationem, tumultum, ſpiritus commotionem homine chriſtiano parum dignam; in illis redarguunt excitatos affectus, vanitatem, immodicoſque ornatus, quos rejiciunt in earum pomparum numerum, quibus in baptiſmo abrenunciavimus, deſiderium alios videndi, & videndi ab aliis, nimium vanarum rerum amorem: in Patribus invenientur hæ omnes, aliæque complures rationes, propter quas hæc ſpectacula damnant. Quod ſi penetrara velimus doctrinæ eorum principium, nonne palam videbimus, eam damnari ſpiritum, qui ad ſpectacula adducit: ubi, ne omnia revocemus mala, quæ cum illis conjuncta eſſe conſueverunt, id unum quærunt homines, quomodo ſuimet ipſorum obliviſcantur, atque conſcientiæ ſuæ quamdam tranquillitatem concilieat, poſtquam Dei, divinarumque rerum guſtum amiſerunt.

(S. Thomæ ſententia.) Quamquam S. Thomas 2. 2. quæſt. 87. art. 2. ad 2. theoretica & generatim mimorum, comœdorumque artem, quos putant fortaſſe *hiſtrionis* nomine deſignaſſe, in albo earum artium, quæ culpa vacant, recenſuerit, attamen cum vulgarus eorum uſus ab eodem conſideratur, ipſo eos inter infames artifices recenſet, & lucrum inde quæſitum inter illicitos, turpeſque quæſtus adnumerat. Ecce quomodo S. Thomas comœdiæ favet, cujus auctoritate abutuntur, quia approbant illam, & qui ſe ejus patronos profitentur. Videtur enim e. nequaquam certum eſſe ipſum de comœdia locutum fuiſſe, quæ tempore ejuſdem in uſu non erat poſita; ſaltem hac de re magna ſuppetit dubitandi ratio: licet etiam de ævi ſui comœdia fuiſſet locutus, noſtra ſingillatim in praxi eſt omnino contraria principiis, quæ ille ſupponit, ut cenſeat tolerandam.

(Generatim dicere poſſumus theatrica drammata nunc eſſe periculoſa, bonoſque moribus contraria.) Quin ad examen revocemus gradum mali, quod ineſt in comœdia, quæ res a peculiaribus pendet circumſtantiis, ex iis omnibus, quæ hactenus dicta, & quæ deinceps dicenda ſunt, liquet, eam inter illa eſſe rejiciendam, quæ ſunt periculoſiſſima. Et peculiariter judicari poteſt, an ſancti Patres, & doctores, qui illam improbarunt, pati potuiſſent noſtrorum theatrorum jocos, & hominem chriſtianum ibi hiſtrionem agentem: neque enim credi fas eſt, cordatum inveniri virum, qui facile non concedat, hiſtrionem agere, ſaltem ex profeſſione nequaquam eſſe homine chriſtiano dignum. Quod attinet ad theatrica drammata, quæ magnos cient affectus, eum illa fere periculoſiſſimis immorentur, quia iidem ſunt & jucundiſſimi, inficias nemo ire poteſt, hos illis excitari in audientibus illa, atque ea ex hac ſaltem parte perniciolos moribus effectus producere. Qua in re veterum, quæ nobis ſuperſunt, comœdiæ multo minus periculoſæ ſunt; etenim, quod ego ſciam, de amatoriis rebus ibi nou agitue, circum quas noſtræ omnes verſantur.

(Effectus maxime pernicioſus comœdiæ eſt excitare, & ſovere) Cum concupiſcentia atque inhoneſtus amor acerrima ſit impreſſio, quam in noſtris animabus peccatum facit, quod ſatis apeete liquet ex horribilibus malis, quæ producit in mundo, nihil periculoſius eſt, quam illam excitare, & amovere quid-

concupiſcentiam, atque amorem inhæctum.

quidquid affectionem iſtam coercet, ejuſque vim prohibet. Ad id autem quam maxime prodeſt quidam horror, quem conſuetudo, & bona gignit educatio; hunc vero horrorem nihil imminuit magis, quam comœdia, atque fabuloſorum amorum ſcriptores. Quamobrem affectio iſta ibi cum honore prodit, & ea ratione, quæ tantum abeſt, quod horrorem cieat, ut potius illi conciliet amorem prodit enim ſine ullo pudore, & ſine infamia, eamque gloriæ ſibi vertit, qui eadem affectus eſt. Ita mens paulatim illi aſſueſcit, eam patitur, de eadem loquitur, & poſtmodum anima naturæ proclivitatem ſecuta eadem leniter ſe rapi permittit.

Conjugum, quod hoc eſt honeſtiſſimarum comœdiarum probatio non poteſt affectus, qui in illis repræſentatur.

Ad comœdias probandas, & fabuloſas amorum narrationes excuſandas inutile eſt affirmare, ibi legitimos tantum affectus, & quorum finis conjugium eſt, repræſentari; etenim licet conjugium bene utatur concupiſcentia, hæc tamen in ſeipſa ſemper inordinata eſt, neque licet eam vel in ſe, vel in aliis excitare. Spectanda ſemper eſt tamquam turpis effectus peccati; tamquam veneni fons, quo ſingulis momenti inſici poſſumus. Itaque quacumque honeſtatis ſpecie comœdiæ, fabuloſæque narrationes eamdem regere admirantur, inficias ire nemo poteſt, eas in hoc quoque bonis moribus eſſe contrarias, imprimunt enim jucundam turpis affectionis ideam, immo eam veluti heroicam qualitatem proponunt, cum nulla ſit nobilior, quam quæ in theatrorum heroibus deprehenditur.

Drammata pravas tantum exprimunt affectiones quia affectiones eiſque ſpectatoribus placere ſtudent.

Comœdiæ finis poetas impellit ad eas tantum repræſentandas affectiones, quæ pravæ ſunt: etenim hunc ſibi proponunt finem, ſpectatoribus videlicet placendi, neque illis placere poſſunt, niſi actores ſuos induxerint loquentes, atque ſentientes eo modo, quo perſonæ, quæ ab illis repræſentantur, vel ad quas loquuntur, & dicunt, & ſentiunt. Non repræſentantur autem, niſi eæ perſonæ, quæ alicui turpi vitio obnoxiæ ſant, neque agitur comœdia, niſi apud mundi ſectatores, quorum mens, & cor inordinatis affectionibus, ſenſibuſque pravis corrupta ſunt. Hinc nihil pernicioſius eſt ea morali, qua poetæ, & fabuloſarum narrationum ſcriptores utuntur, neque enim aliud eſt, quam congeries fallacium opinionum, quæ ideo tantum acceptæ ſunt, quia corruptas ſpectantium, vel legentium affectiones palpant.

Quonam in loco Scripturæ prohibeant Comœdias, & choreas

Fideles quidam cum ægra olim ab hujuſmodi ſolatiis abſtinerent, ſciſcitabantur, quonam in Scripturæ loco Deus choreas, comœdiaſque prohibeat. Fatetur quidem Tertullianus, nullum eſſe in Scripturis locum, ubi comœdia explicite ſub hoc nomine prohibeatur, quod ipſum de ſaltationibus, & choreis dici poteſt; quibus tamen omnibus interdictum eſſe affirmat s. primi pſalmi verſiculo: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Hæc enim ea ſunt epitheta, quæ Tertullianus, aliique plures Patres ſecundum Spiritus ſancti ſenſum theatris attribuunt. Ideo nihil magis licet ad comœdiam, & ſaltationes pergere, quam prava exquirere conſilia, flagitioſa exempla ſequi, vel hæc aliis præbere, vel ſcelerum præcepta tradere, vel ea jubere, aut doctoris, & magiſtri inſtar perdocere.

Rationabiles ſenſus habendi de Comœdiis.

Donec comœdiæ in ſua tantum ſubſtantia conſiderabuntur, nemo ambigere poterit, quominus ſint indifferentes; etenim profecto non theatrum, non homines, non mulieres, non recitata, vel declamata carmina per ſe mala ſunt. Sed hæc omnia cum iis conjuncta circumſtantiis, quæ concomitantur hiſtrionum actionem, ea efformant ſpectacula, quæ Biblia, Patres, concilia, ac Theologi prohibuerunt.

Ad comœdiam, & choream ire pluribus peccati ſcandalum eſt.

Quemadmodum qui tenent licitas eſſe comœdias, fatentur tamen eccleſiaſticos, ſi ipſi iiſdem intereſſent, ſcandali peccatum committere, propter quod reddenda iis ſit ratio aliorum plurimorum peccatorum, in quæ laberentur illi, qui eorum exempla ſequi ſe poſſe credidiſſent: ita & laici, qui pietatem profitentur, & in quibus nullam pravam impreſſionem comœdia, vel chorea faceret, ii nihilominus graviter Deum læderent, & plurium peccatorum eſſent rei, quia plurimi imbecilli ſpiritus, pro quibus chorea, & comœdia lethiferum virus ſunt, ideo aliquando theatra frequentant, quia hæc ab illis frequentari cognoſcunt, qui pii homines exiſtimantur.

In quo præcipue conſiſtat ſummum ſpectaculorum ſcandalum.

Magnum ſcandalum, quod Tertullianus in ſpectaculis invenit, qualia ſunt ea, de quibus loquitur, hoc eſt, quod videlicet homines, atque mulieres ſimul illuc concurrunt, quod quantum fieri poteſt, omni pretioſa ſupellectili ornantur, quod videri geſtiunt, & videre, & quod oculorum conjectus, & laudes, quibus & hiſtriones, & ſaltatores excipiuntur, nec non lætitia, qua geſtiunt alios videre ſuæ ſententiæ participes, totidem ſunt fomites concupiſcentiæ.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, aliiſque concionatoribus loci hujus argumenti

Spectacula, de quibus loquimus, cient affectiones, quas coercere tenemus.

SI cupiditatibus noſtris in ipſis earum primordiis reſiſtere tenemur, non minus evitare tenemur ſumma diligentia quidquid illas excitare, atque fovere poteſt. Ad eas autem ciendas, fovendaſque extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, nihil aptius eſſe ſpectaculis, choreis, comœdiis, aliiſque id genus oblectamentis. Illic mens tumet ſuperbia, ubi videtur ambitio eſſentialis eſſe theatricorum heroum character, ibique cor ſimulatis mollitur amoribus, qui ſæpe veros accendunt: ibi anima variis agitur gaudii, triſtitiæ, ſpei, miſerationis, & indignationis affectibus; ibi denique affectus omnes eo magis periculoſi ſunt, quo puriori cum voluptate percipiuntur, vacuæ ab illis angoribus, & curis, quæ illam fere ſemper concomitantur, & quæ efficiunt nonnumquam, ut illius tædio capiamur. Quid magis oppoſitum videri poteſt humiliationi mentis, cordis alienationi, paci, atque tranquillitati interiori, quam magis, magiſque in diem fidelis ſibi procurare debet, quam cogitationes iſtæ nobilitatis, impreſſiones amoris, & hic tumultus, atque agitatio omnium humanorum affectuum? *Abbas de Monmorel in ſerm. in Dom. poſt Pentecoſten.*

Quantumcumque honeſta vel ſint vel ſingantur hujuſmodi ſpectacula, vulgo tamen in vitium impellunt.

Quidquid in hujuſmodi repræſentationibus agitur, in vitium impellit, S. Chryſoſtomus inquit; verba, veſtes, inceſſus, vox, cantus, oculorum conjectus, corporis motus, inſtrumentorum ſonus, ipſaque etiam comœdiarum argumenta, omnia veneno repleta ſunt, omnia impudicitiam perflant. Si quis a contra dixerit in hodiernis ſpectaculis omnia innocua eſſe, honeſta, & jucunda, huic facile reſpondebimus cum Tertulliano, hoc ipſum ſibi objicienti, nunquam ſel cum veneno fuiſſe commixtum; ſed potius exquiſitiſſimis dapibus infuſum fuiſſe, atque perdiligenter amaritudinem ſub ciborum deliciis abſcondi. Ita dæmon ipſe facere conſuevit in terrenis rebus, quæ ſuaviſſimæ ſunt, ſuum virus effundens. Eſto, hic Pater ait, quidquid ab hiſtrionibus exhibetur generoſum, honeſtum, ſcitum videatur, immo muſicæ illecebris conjunctum ſit: omnes iſtæ deliciæ conſiderandæ ſunt tamquam poculum mellis, cui virus commixtum eſt: hæc igitur in re periculum vos magis moveat, quam voluptas. *Idem.*

Hæc ſpectacula ſunt oppoſita ſpiritui Chriſtianiſmi.

Inter ea ſpectacula, de quibus non melior vel accipi, vel tradi regula poteſt, quam eorum uſum penitus interdicere, adnumerandæ ſunt comœdia, & tragœdia: nil certe magis evertit regulas omnes, omniaque evangelicæ diſciplinæ præcepta, nihilque magis directe ſpiritui chriſtianæ religionis adverſatur, quam id genus ſpectacula. Spiritus Chriſtianiſmi ſpiritus eſt pœnitentiæ, mor-

mortificationis; puritatis, modeſtiæ, charitatis, & lenitatis. Senſus autem, quos hæc nobis ſpectacula inſpirant, ſunt ex diametro hiſce omnibus virtutibus oppoſiti, & dumtaxat apti ad cupiditates, & contraria vitia fugienda. Ita cum Sancti tanto ardore, ac vi contra ſpectacula invecti ſunt, ut fideles ab illis deterrerent, nequaquam ſe validiorem afferre poſſe rationem arbitrati ſunt, quam fidelium qualitatem, quam gerebant, & per quam ſolenniter omnibus pompis, inanibuſque ſæculi ſolatiis abrenonciaverunt. Cur adhuc participes eſſe vultis pomparum dæmonis, quas in baptiſmo deteſtati eſtis, ajebat Tertullianus ævi ſui fideles allocutus? Ubinam majori in luce dæmonis pompæ renident, quam in theatris, atque ſpectaculis? Illic quidquid in mundo eſt ad homines fallendos aptius, quidquid religio apertius damnat, & reprobat, palam in laude ponitur, & quodammodo conſecratur. Numquid poſt hæc ea licet intueri tamquam ſolatia, quæ ſint permiſſa, & quæ culpa vacent? *Pater Nepveu in libro cui titulus*: Conduite Chretiene.

Pericula, quibus obnoxia eſt conſcientia in hujuſmodi ſpectaculis, & repræſentationibus.

Quidquid repræſentatur, & circumſtantiæ omnes, quæ hujuſmodi repræſentationes concomitantur, palam vitus, atque periculum earum oſtendunt. Quinam ut plurimum eſt comœdiarum finis? Pietatem, & religionem in jocum traducere, pudori atque modeſtiæ contemptum conflare, turpiſſimas cupiditates, & flagitioſiſſima cordis crimina auctoritate quadam probare. Illic graviſſima quælibet ſcelera eo pacto perſonata videntur, quod illis amorem conciliat; periculoſiſſimi affectus ea cum arte pertractantur, quæ illis facilem in cor aditum ſternit, cum adeo illuſtribus exemplis, felicibuſque eventibus commendentur. Hæc autem omnia exponuntur oculis ſpectatorum ab hominibus, qui immodeſtis veſtibus ornati ſunt, & qui perniciofos ſenſus inſpirant, omnem cantus, & declamationis jucunditatem attribuunt, & qui nonniſi nimis frequenter fortaſſe eos induunt affectus, quos ſimulare videntur, vel ſaltem qui id unum quærunt, quomodo eos aliis inſpireat. Hujuſmodi autem repræſentationes locum præbent illis occurrendi, eaſque videndi, quæ innocentiæ ſuæ afferunt exitium. Illuc accedis animo ad flagitioſiſſimam quamdam impreſſionem recipiendam diſpoſito. Hanc autem omnia, quæ vides, omnia, quæ audis, in te excitant, & fovent. Tot autem inter pericula, ſcopuloſque, quomodonam virtus, atque innocentia reſiſtere poſſunt? Sanctitas præ cæteris maxime conſtans, & conſumata contremiſcit, neque ſe ſatis tutam in abditiſſimis etiam receſſibus arbitratur; adoleſcentes vero, quorum virtus quidem imbecillis eſt, cupiditates autem acerrime, & cor molle, ſatis ſe fortes eſſe putabunt, ut periculo adeo certo, atque manifeſto ſe objiciant? *Idem*.

Effectus periculoſi & funeſti, quos ſpectacula gignunt.

Satis funeſta nos docet experientia, quid ea ferat frequentia, qua hæc adeuntur ſpectacula: Dei oblivionem, ſacramentorum contemptum, officiorum ſuorum negligentiam, morum licentiam, atque irreligionem. Huc plerumque funeſta adducunt ſolatia eos, qui eiſdem interſunt; ſaltem nonne vulgo accidit pretioſum gratiæ theſaurum illic amitti, pudicitiæ teterrimas labes offundi, quibus nullum ferme afferri poſſit remedium? Puella ad ſpectacula ſe confert: ut S. Cyprianus inquit, corde puro, & caſto, ſed illinc corde fœdato, corruptoque egreditur. Tot periculoſæ imagines, quæ remanent in mente, & quæ originem præbent plurimis pravis cogitationibus: tot tenera carmina, & verſus amoris refertiſſimi, qui totidem ſunt profanæ, pravæque libidinis documenta, quorum memoria, quæ numquam ferme deleri poteſt, indeſinenter in animam ſubtile, & mortale virus inſpirant; hæc ea ſunt, quæ inde refert adoleſcentia, & quæ deinceps gignunt morum corruptionem numquam ſatis deflendam. *Idem*.

In ſpectaculis & hujuſmodi cœtibus nosmet periculo objicimus gratiam amittendi.

Videntur homines cujuslibet ætatis, & ſexus omnibus intereſſe voluptatum cœtibus, quin choreas, & comœdias excipias. Iſti ſe in tuto eſſe arbitrantur, ubi quæſivere, utrum lethalis ſit noxa hujuſmodi indulgere ſolatiis, ubi aliquid ſibi reddi volunt, quod brevi omnem dirimat dubitationem. Heu! Fideles, ubi de veſtris bonis, veſtraque agitur valetudine, numquid opus eſt, certiſſimam vobis earum oſtentare jacturam? nonne minimum quodlibet periculum vos terret? Occaſio gratiæ amittendæ multo magis vos terrere deberet; ſatis eſt enim ultro adire illius amittendæ periculum, ut jam fuerit amiſſa. Poteſtis autem ambigere, utrum vobis ullum immineat periculum, hæc adeuntibus ſpectacula, his ſolatiis perfruentibus; vos, inquam, qui cordis veſtri corruptionem cognoſcitis, & qui conſcientiæ veſtræ judicio adeo male eam aſſeritis cauſam, quam coram mundo adeo belle tuemini? Sed ea eſtis ætate, eoque charactere præditi, ut nullum vobis immineat periculum. Quis hoc vobis promiſit, Fideles? Momentum funeſtum nonne in vobis accendere fortaſſe poteſt ignem male ſopitum? In hujuſmodi cœtibus, ſpectaculiſque nihil prætermittitur eorum, quæ hominum libidinem excitare poſſunt: ſenſus maxime teneri ibi cientur, atque ad id impeditur, quidquid virium, & ſuavitatis muſica habere poteſt. Nulla non adhibetur ars ad eam cupiditatem ciendam, quam ars nulla poteſt extinguere; vos autem in vobis ita confiditis; ut nullum vos adire periculum exiſtimetis? Quot homines ætate provectiores, ac maturitate ſapientiores illic mortale virus hauſerunt, quod eos perdidit? *P. Cheminais in 2. parte ſermonis de Conceptione B. Virginis*.

Communiter loquendo periculoſa hujuſmodi ſpectaculis intereſſe peccatum eſt.

At vulgo quæritur: peccatumne eſt hujuſmodi ſpectaculis intereſſe? Utique, Fideles, peccatum eſt vosmet temere, & ob ſolam voluptatem objicere periculo gratiæ amittendæ. Peccatum eſt præſentiam veſtram quandam auctoritatem præbere cœtibus profanis, ubi tota legis evangelicæ diſciplina everſa eſt, ubi omnia inhoneſti amoris dogmata magna cum arte, & gravi cum religionis ſcandalo venditantur, ubi audiuntur cantica, quæ paullatim cor molliunt, atque corrumpunt. Peccatum eſt perfrui cantionibus amorem, ac libidinem perflantibus, licet ab omni prorſus cupiditate eſſetis vacui. Etenim, amabo vos, inter hos cœtus, ubi, quin temerarium judicium fiat, credere poteſtis tot noxias cogitationes, tot turpia deſideria efformari, & fortaſſe ad clunculum conveniendum locos indici; amabo vos, inter hæc iniquitatis myſteria fidelis quam carpere poteſt voluptatem, quæ vacet culpa? Peccatum ob temporis jacturam, dolemus tempus deeſſe, quibus chriſtianæ religionis officia obeamus; & occupationibus, negotiiſque majoris momenti temporis partes demimus impendendas nugarum ineptiis, inanibuſque ſpectaculis, quæ hac de cauſa ſatis eſſent criminoſa, niſi aliunde eſſent flagitioſiſſima. Peccatum ob pravum pecuniæ, quæ inſumitur, uſum. Peccatum ob effectus, quos certiſſime gignunt in illis etiam, qui innocentiſſimi ſunt; mentis evagationem, Dei, divinarumque rerum negligentiam; orationum incuriam, mundi amorem: ibi enim regnum mundi eſt: & cœtus illi ex mundanis coaleſcunt perſonis, quæ cum immodeſtis ornatibus ſuis nil ultra quærunt, niſi ut videant, & videantur.

De licitis, & illicitis ſolatiis.

Quæritis, utrum ſpectacula, comœdiæ, choreæ prohibitæ ſint, necne. Qua in re unum video principium, cujus ope omnes caſus in argumento decidere fas eſt: hoc autem eſt. In baptiſmo abrenunciaſtis Sathanæ, & operibus ejus. Hoc promiſiſtis, hoc juraſtis. Quænam autem ſunt opera Sathanæ? Hæc ſunt, ſi fides ſanctis Patribus habenda, ludi, voluptates, ſpectacula, ſolatia, cœtus, quibus ille præeſt: at ego ex vobiſmetipſis quæro: hæc ſuntne opera JESU CHRISTI, an opera Sathanæ? Nil enim medium eſt. Neque ideo dixerim a chriſtiana religione nequaquam permitti

mitti quaſdam corporis, animique relaxationes, ſine quibus labores nimium graves, & virtus auſtera nimium videretur; ſed hæc relaxationum genera ideo licent, ut inde ad occupationem magis ſeriam tranſitus fiat; neque earum alterum quempiam finem agnoſcit religio. Quidquid facimus, ploremus, gaudeamus, operemur, quieſcamus, omnia eſſe debent hujuſmodi, ut ad Deum referantur, quemadmodum inquit Apoſtolus. Hoc poſito, hæc ſolatia licent, necne? Dicere ne poteſtis, vos illis propter Dei amorem intereſſe? Hoc profanum opus, & Sathanæ inventum poteſtne invenire locum inter pura opera Chriſtianorum? Poteſtne Jeſus Chriſtus ullam habere partem in hujuſmodi recreationibus? Itane impudentes eſſetis, ut dicere auderetis: propter gloriam tuam, Domine, curro ad ſpectacula, ad mundanos cœtus, memet objectis hujuſmodi, quæ ſcandalum afferunt, objicio. Ego tibi hoc ſolatium offero. Propter amorem tui ad illud accedo, ut tibi placeam, tibique impenſius inſerviam. Aliquidne magis impie, & imprudentet dici poſſet? *Pater Maſſillon ſerm. de exiguo electorum numero.*

Lætandum eſt, ſed cum modo, & Chriſtiane.

Neſcio, quanam faſcinatione factum ſit, ut in rebus omnibus, quæ vobis placent, modus deſideretur. Salvianus hoc exprobrabat ſæculo ſuo, & hoc ipſum noſtro poſſum exprobrare. Nonne turpe Chriſtianis eſt, ajebat ille, numquam eſſe contentos, niſi lædatur Deus; & pro nihilo habere id, quod citra ſcelus ſit? *An te non delectat gaudium ſimplex?* Felix eſſe non potes, niſi voluptas tua ad libidinem uſque procedat, & cœnarum earum ſumptus uſque ad mollitiem? Gaudete, fratres, addebat ille, non abnuo; hoc tantum cupio, quod in omnibus gaudiis veſtris nequaquam eos prætergrediamini terminos, quos lex vobis conſtituit. Hora, modus, menſura, finis, omnia chriſtiana ſint: *rideamus Chriſtiani, ſed chriſtiane. Pater Girouſt in Adventu ſerm. de ſuavitate cultus Dei.*

Quomodo S. Cyprianus loquatur de tragœdiis ejus ævi.

Converte hinc vultus ad diverſi ſpectaculi non minus pœnitenda contagia: in theatris quoque conſpicies, quod tibi dolori ſit, & pudori. Cothurnus eſt tragicus priſca facinora carmina recenſere. De parricidiis, & inceſtis horror antiquus expreſſa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne ſæculis tranſeuntibus exoleſcat, quod aliquando commiſſum eſt. Admonetur ætas omnis auditu fieri poſſe, quod factum eſt. Numquam ævi ſenio delicta moriuntur, numquam temporibus crimen obruitur, numquam ſcelus oblivione ſepelitur. Exempla ſunt, quæ eſſe jam facinora deſtiterant. Tunc delectat in mimis turpitudinum magiſterio, vel quid domi geſſerit recognoſcere, vel quid gerere poſſit audire. Adulterium diſcitur dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica. Itaque hujuſmodi repræſentationes evomunt ſenſus, palpant affectus, pudorem, & caſtitatem ex modeſtiſſimis, honeſtiſſimiſque cordibus proſcribunt. Dic poſthæc, ſi audes, te ſine crimine ſpectaculis poſſe intereſſe. *Ex Epiſt. S. Cyprian. ad Donatum.*

Quidquid in comœdiis auditur, & videtur eſt occaſio peccati.

Conſiderate, quid ſint hæc omnia profana ſpectacula, ubi adhibetur, quidquid cupiditatis ignem accendere poteſt: objecta ad ſeducendam idonea, ſcenæ jucundæ viſu, magnificæ decorationes, fulgidæ veſtes, amoris myſteria ſummo ingenio explicata, languentes moduli, narrationes affectu refertæ, actores ſuaviſſima amoris argumenta ad vivum repræſentantes, armonici concentus, acutæ voces, geſtus venenati, diabolicæ incantationes, funeſta dæmonum adinventa! Perpendite, quid vobis hæc omnia ſint, quam inde cor veſtrum impreſſionem recipiat, quomodo ſenſus veſtri tunc afficiantur! Ex præſenti, atque præterito judicium ferte, & ſi bonæ fidei fueritis, certo ſcio, quin aliorum rationem habeatis, vos dicturos, in his omnibus proximam, & perſonalem peccati occaſionem inveniri. *Pater Maſſillon de fuga occaſionum.*

Quomodo mortales probare velint choreas, comœdias, aliaque id genus ſpectacula.

Hæc præter propter eſt ratio; qua mundi ſectatores probare contendunt, choreas, ſaltationes, comœdias, aliaque id genus ſolatia. Hæc nullo ſunt in diſcrimine, inquiunt illi, nec bona, nec mala ſunt, atque tunc tantum peccata ſunt, cum iiſdem abutimur. Quæcumque enim ſit morum auſteritas, dici profecto nequit, quod audire auctores recitantes dramma, ubi ſcelus quidem pœna, virtus autem afficitur præmio, & ubi nonniſi de legitimo agitur amore, cujus finis ſacrum eſt vinculum; quantumvis ſevera ſit diſciplina, inquiunt illi, dici profecto nequit, hoc in ſeipſo eſſe peccatum. Hoc accidit choreis, aliiſque cœtibus, vel ſpectaculis, ubi nonniſi integerrimæ honeſtatis, & probitatis mortales intereſſe ſupponuntur. Si igitur hujuſmodi in occaſionibus peccatur, prava intentio ſingulorum, non autem ſpectaculum, quod natura ſua indifferens eſt, dici poteſt cauſa peccati; quandoquidem ſpectaculum fieri poteſt vel bonum, vel malum pro affectione eorum, qui eidem intereſſunt. Ita quidem mundus, non ita tamen ſancti viri loquuntur. Tobias nolebat audire eos, qui vel de ludis, vel de choreis ſermonem haberent: *numquam cum ludentibus miſcui me.* Tob. 3. & Jeremias propheta ſe numquam ejuſmodi ſocietatibus intereſuiſſe profitetur. Jerem. 15. Si hujuſmodi ſpectacula, & ſolatia nullo fuiſſent in diſcrimine, non ita ſane, o Propheta, locutus fuiſſes. *Specimen ſermonum tom. 4. pro vigeſima tertia Dominica poſt Pentecoſten.*

Pericula, quæ lune in ſpectaculis deſumpta ex iis, qui iiſdem interſunt.

S. Hieronymus de ſaltatoribus loquens ait, dæmonem in eorum perſona ſaltare, & illis tanquam miniſtris ſuis uti ad homines ſeducendos, atque fallendos: *His tripudiis diabolus ſaltat, his dæmonum miniſtris homines decipiuntur.* Et profecto, quidquid artis impendere voluptas poteſt, in ſaltationibus, choreis, comœdiiſque invenitur. Si matronam quampiam interrogo, quanam mente temet præparas choreis? nihil prætermittis, ut teipſam comes, & ornes, omnibus artibus uteris, & formæ, quam tibi natura largita eſt, omnem addere contendis nitorem; ſed quænam tua mens eſt? Sane, ut videaris, & placeas. Inde vero, quid accidit? Chriſtiana puella, quæ vitam modeſte duxit, exiſtimans licere aliquod præter ordinem ſolatium capere, ſuimet perdendi ſeſe periculo objicit. Hic primus eſt dæmonis gradus; per ornatum, quem ad choreas adfers, te incipit expugnare; & jam ſuperat cor tuum. Ubi vero in cœtu es, quid agit? Quidquid vales, ut feſtiva, & ſuavis ab omnibus cenſearis, utque in earum numero ſis, quibus tamquam viſibilibus numinibus certatim honores exhibentur. Nonne hoc eſt pudori turpem labem oſtendere? Omnia dicere non licet; ſed certum eſt, ubi integrum ſit, ibi quaſdam fieri amoris declarationes, quæ nemo alibi auderet; atque in infelici eo commercio nexus quidam efficiuntur, qui poſtmodum ſecreto foventur; quid autem inde? graviſſima familiis mala, &c. *Ibidem.*

S. Auguſtini exemplum oſtendit, quam periculoſa ſint theatrorum ſpectacula.

Fatalia ſpectacula! Auguſtini pudicitiæ quam funeſta fuiſtis, & quam funeſta adhuc eſtis quotidie continentiæ plurimorum fidelium! verum quidem eſt, illum quæſiviſſe ſocietatem eorum, qui ejuſdem ætatis, ac ſtatus eſſent in omnem licentiam effuſi; ſed flagitia eorum perhorruit magis, quam amavit. Eorum quædam & ipſe patravit, & ſatis fuit gloriari, quaſi reliqua perpetraſſet, ne apud illos jacturam faceret ejus exiſtimationis, quam per libidinem fuerat adeptus, & ne illis eo contemptibilior videretur, quo viſus fuiſſet caſtigatior. Sed in comœdia, theatriſque ſpectaculis & oculis, & auribus omne hauſit corruptionis venenum. Illic invenit, unde affectibus ſuis recentia alimenta præberet, illic unde cor ſuum induraret. Attamen hæc ſpectacula ſunt adhuc ſolatia honeſtorum virorum, & eorum etiam, qui virtutem, atque pietatem profitentur. Horrent flagitioſorum homi-

hominum ſodalitatem, illic enim jacturam faciunt exiſtimationis, cujus curam gerunt quam diligentiſſime; ſed comœdiæ cenſentur voluptates honeſtæ, quamvis nihil ſit periculoſius innocentiæ, quæ ibi ſemper patitur naufragium. Dic, quoad libuerit, illas principium religione, ac pietate fuiſſe coercitas, & actores conſueviſſe vitii horrorem ciere, virtutis laudem celebrare, ipſaſque rectificare affectiones. Ex eo modo, quo drammata conſcribuntur, & repræſentantur, nimis adhuc innocentiæ metuendum eſt. Dicis, hæc moralia eſſe monita ad adoleſcentulos formandos accommodata, nonniſi licitos affectus ibi repræſentari, qui eo tendunt, ut nectatur conjugium, quod legibus omnibus tanquam virtus probatur. Sed muta nomen, fateberis non doceri virtutem, niſi ut ſuavius vitium in animæ penitiores ſenſus inſluat, pudorem eidem reſiſtentem induci, ut edoceantur puellæ pati, ut vincantur, atque ut legitimi alicujus amoris narrationem audientes ſemper nefarios amores concipiant. Hoc tua te docuit experientia, Auguſtine; quoties, cum bibulis auribus exciperes innocuæ affectionis hiſtoriam, accidit, ut imaginationi tuæ inhoneſtum repræſentares affectum; tandem enim inde ſibi quiſque arripit, quod ſuam palpat cupiditatem, & quidquid illi adverſatur, relinquit; retinet, quod creaturæ amorem inſpirat, & abiicit, quidquid creatoris amorem inſpiraret. *Ex ſermonibus chriſtianis: Panegyrico S. Auguſtini.*

Sententia quorumdam Sanctorum Patrum de periculis quæ in ſpectaculis & comœdiis adſt.

Fatetur S. Auguſtinus, amorem, quo ipſe deperiit ſpectacula, maximam ſibi fuiſſe voluptatis illecebram, & nunquam inde æque pudicum egreſſum fuiſſe, ac fuerat ingreſſus; etenim quidquid ibi videtur, quidquid auditur, avocat a virtute ſenſus, mentem ſeducit, animumque corrumpit. Hac de cauſa S. Cyprianus ait, comœdiam eſſe impudicitiæ lycæum, & locum, ubi proſtat pudicitia. Salvianus Maſſilienſis Epiſcopus ait, ævo ſuo in baptiſmate peculiariter comœdiis etiam fuiſſe abrenunciatum. Eas tamquam publicam peſtem evitari jubet S. Chryſoſtomus; & Tertullianus in libro de ſpectaculis oſtendit, & probat chriſtianam religionem perhorreſcere hujuſmodi ſpectacula, eaque ferre non poſſe. Minutius Felix in apologia, quam pro fidelibus tuendis elucubratus eſt, contra periculoſa hujuſmodi ſolatia declamat. *Liber cui titulus: Inſtructio chriſtiana pro educatione puellarum Cantuarienſis Antiſtitis.* cap. 13.

Quam primi Chriſtiani abeſſent a profanis ſolatiis.

Ethnici nil aliud primis exprobrabant fidelibus, niſi quod a circo abhorrebant, fugiebantque theatra, & ſpectacula publica. Hæc enim præcipua erant crimina, quæ illis vitio vertebantur, nobiſque adhuc ſuperſunt diſertiſſimæ apologiæ, quas in vulgus edebant, ut glorioſe his accuſationibus reſponderent. Et ſane habemuſne eamdem fidem, audemuſne eumdem ſperare paradiſum, quem homines illi, quorum elogium texit Tertullianus in Apologetico ſuo, qui gloriantur ſe neſcire, quid ſit amphitheatrum, neque umquam prophanis his interfuiſſe ſolatiis, neque audere ne verbum quidem facere de illis, & ne pati quidem de illis ſibi verba fieri? Quodnam diſcrimen ajebat Arnobius quarto diſputationis ſuæ libro contra Gentiles; quod diſcrimen inter veſtros cœtus, ludoſque publicos, & eos conventus, quos nonnunquam nos ipſi inſtituimus lætabundi; hos conventus, inquam, ubi nihil videtur, ubi nihil auditur, quod virtutem non perſlet, ex quibus ſemper recedimus magis humani, pudici, modeſti, atque parati ad ultro, citroque nobis veræ charitatis teſtimonia præbenda: *In quibus aliud auditur nihil, niſi quod humanos faciat, niſi quod mites, verecundos, pudicos, caſtos,* & quæ ſequuntur, P. de la Colombiere ſerm. 49.

Quiſque ſibi perſuadere vult comœdiam eſſe ſolatium laudabile, atque honeſtum.

Olim qui theatrica deperibant ſpectacula, fatebantur ſaltem ſe in hoc non ſequi regulas religionis chriſtianæ: ſed ſæculi hujus character eſt conſociare velle ſimul ſpiritum pietatis, & ſpiritum mundi; non ſatis eſt ſequi vitium, illud etiam in honore habere volumus, neque coinquinari turpis vitii nomine patimur, quod ſemper paullatim perturbat eas voluptates, quibus fruimur, horrore, qui hoc nomen concomitatur. Facere igitur curamus, ita ut conſcientia ſeſe cum cupiditate conciliet, neque illa hanc importunis ſtimulis urgeat; & in hoc potiſſimum adniſi ſumus circa comœdiam: cum enim nullum ſolatium ſit mundi ſectatoribus hoc jucundius, atque ſuavius, illorum quam maxime intererat ſuavem, atque tranquillam fruitionem ſibi comparare. *Tractatus de comœdia in libro, cui titulus:* Les viſionnaires contre le Sieur Deſmarei.

Ultio in drammatibus ſæpe probatur.

Cupiditates excitantur objectis, atque fallacibus opinionibus, quæ mentem prævertunt; opinio, quod honoris chimæra tantum ſit bonum, ut vitæ ipſius ſumptibus conſervandam ſit, cauſa eſt, quæ brutalem nobilium Galliæ virorum rabiem producit. Si da illis, qui ſingulari certamine decertant, verba fierent, tamquam de inſipientibus, inſaniſque, ſi honoris phantaſma, quod illorum idolum eſt, non repræſentaretur niſi tanquam chimæra, & ſtultitia, ſi ultionis imaginem nobiſmet exhiberemus, tanquam turpe factum, & actionem ignaviæ pleniſſimam, toto cælo lentiores eſſent motus, quibus homo læſus afficeretur. *Idem.*

Solus mulierum in ſcenam prodeuntium adſpectus perniciosus gignit effectus.

Solus mulierum in ſcenam prodeuntium adſpectus cum omni immodeſtia, & nimis affectata geſtus concinnitate, nequaquam ſufficiet ad lethalem, ac pernicioſum ignem in corde inflammandum; addunt autem etiam vocis illecebras, quæ ſunt tamquam mortale virus altero veneno dilutum; & ſæpe hæc ſola, quæ ſua animant voce, in illis, qui eas audire gaudent, impudici amoris ignem accendunt. *Auctor Anonymus.*

Malum generatum quod pariunt ſpectacula theatrica.

Primum deſiderium, quod violentius rapuit Auguſtinum, fuit ſpectaculorum, quæ illi adeo pernicioſa fuere, & quæ hodierna die tamquam innocua cenſentur. Illic dæmon conflat ignita tela, quæ concupiſcentiam inflammant: illic mors per omnes ſenſus ingreditur: illic ſcelus videndo diſcitur, imago rerum, quæ exhibentur, malas efficiunt impreſſiones fere numquam delendas; amoris profani, ultionis, aut alterius cujuſpiam cupiditatis nodus ſcite repræſentatus in illud allicit vitium; infelix voluptas, quæ guſtatur videndo artes, quibus utitur peccatum, ejuſdem committendi fit invitamentum. *Flechiee in S. Auguſtini Panegyrico.*

Comœdia hujus temporis licet minus turpis quam olim, non eſt minus periculoſa.

Verum eſt comœdiam nunc temporis magis eſſe modeſtam, quam olim, ſed virus, quod ibi apotatur, occultius eſt, & pericoloſius. Vitium ibi ſpecioſorum nominum fuco contegitur; cupiditates a poetis exornatæ, atque ſuavitate quadam adſperſæ, virtutem imitantur; omnia circa amoris artes verſantur, & animæ hoc repræſentationum genere commoventur. Vix fieri poteſt, ne corda flectantur, ubi videtur actor perſonam ſuam callide ludens, atque eximie ſuam exprimens affectionem. Inde remanent impreſſiones non ita facile delendæ, & chriſtiana prudentia non ſinit, adoleſcentiam iis obiici ſpectandis, quæ illam corrumpere poſſunt, & nefarias in ea cogitationes excitare. Ad hæc amor illic cum honore prodit, cum gloria partitur cor heroum; ultio quoque illic tamquam heroicus ſanſus habetur, & ambitio magnarum animarum nobiliſſima affectio cenſetur. E contra vero chriſtiana patientia illic haberetur velati nota animæ timidæ, & inertis, & evangelica humilitas pro contemnenda dejectione haberetur. Ita ex quo auferatur ea turpitudo, quæ vitio adhæret, minus obnitimur, ne cedamus naturæ proclivitati; & quantacumque adhibeatur cura, ut a comœdia abſcindantur turpiſſimorum flagitiorum imagines, numquam tamen totum earum virus auferetur. Citra periculum videri non poteſt, quanta voluptas ſit amare, & amari; & mulieres hac vanitate replentur ad ſe viros attrahendi, ſeſe, ut ita dicam, cultus, & adorationis eorum objectum præbentes. Non ſufficit criminis manifeſtam nequitiam perhorreſcere;

referre; hæ ſententiæ, eo quod delicatiores ſunt, ac ſimulatæ, non ideo tamen cum exacta pietate ſimul eſſe poſſunt. *Sermo manuſcriptus.*

Plurimi ſunt, quibus ſpectacula, choreæ, comœdiæ &c. ſunt proximæ peccati occaſiones.

Quæritur, utrum peccatum ſit intereſſe profanis cœtibus, quos quibuſdam anni temporibus mundus colligit, adeſſe theatricis ſpectaculis, choreis, comœdiis; hæc omnia vetitane ſunt, & eſſe debent? Ne expectetis abſolutam ſententiam, quæ ad propoſitum non pertinet argumentum; oſtendere vobis poſſem omnem oppoſitionem, quæ inter prophanas repræſentationes, & verum Chriſtianiſmi ſpiritum intercedit; poſſem ob oculos veſtros obiicere tempus, quod illic teritur, ſumptus, qui neceſſario erogantur, pericula, quibus omnia moralium genera obiiciuntur; poſſem denique omnia referre anathemata, quibus eccleſia hoc ſolatiorum genus percuſſit; ſed his non immoror; hoc in loco rem dumtaxat intueor, quatenus ad meum refertur argumentum, & ajo, plures eſſe, pro quibus hi cœtus, hæc ſpectacula ſunt mortalia peccata æterna reprobatione digna; propius enim inſpecta cordium noſtrorum affectione plures ſunt, quibus hæc voluptatum genera ſunt proximæ peccati occaſiones: & hæc potiſſima regula eſt judicium de conſcientiæ ſtatu ferendum. *P. Maſſillon ſermone de fuga occaſionum.*

Mundi vanitas ſeſe prodit in ſpectaculis, choreis, ſaltationibus, ibique majori cum fulgore renidet. Non dico, hæc omnia per ſe mala eſſe, ne nimis exaggerare videar chriſtianas veritates; ſed cum Sancti Patres acerrime invecti ſint in hujuſmodi ſolatia, credendum eſt, ea ſaltem eſſe periculoſiſſima, & ſæpe etiam perniciuſiſſima propter peccandi occaſiones, quas præbent, præſertim vero in choreis, ubi nobiles ſimul in cœtum coeunt, & ubi mulieres eam præſeferunt nuditatem, quæ numquam ſatis eſt vituperanda. In choreis vero, ubi vulgo e plebe omnes ſaltant, occinuntur cantiones plenæ verbis æquivocis, quæ pravis cogitationibus locum præbent; & præterea licentia, quam diverſi ſexus perſonæ ultro, citroque illic ſibi arrogant, totidem ſunt criminum occaſiones. Hæc impulit cauſa plurima concilia, ut hujuſmodi ſolatia prohiberent, & præſertim Laodicenum canone 53. atque Conſtantinopolitanum tertium 62. Nemo vero inter Theologos eſt, qui temeritatis crimine non coarguat eos, qui ultro ſeſe obiiciunt occaſioni peccandi. *Baudan in Chriſtiano ignato.*

Spectaculis, & choreis excitantur tentationes quibus non adeo facile reſiſtitur.

Quorſum divinus magiſter adeo explicite nobis præcepit, ut dies, noctesque vigilaremus, ut ſenſuum noſtrorum januas clauderemus, ut noſmet ſejungeremus ab iis omnibus, quæ amore proſequimur; quandoquidem facile eſt integras horas ſine peccato traducere, tunc etiam cum non unum dumtaxat objectum, ac illud omni particulari nudatum illecebra, ſed ſexcenta, quæ certatim nos allicere conantur, ſollicitant, impellunt, oppugnant? Solitarii ab his voluptatibus procul ſepoſiti gemunt, graviſſima ſuſtinent prælia, & quidquid obnitantur, aliquando nihilominus labuntur, ac tentatione ſuperantur; vos autem inde puriores, atque tranquilliores egrediemini, quam illi in antris, & ſolitudinibus fuerint. Duo igitur diverſa ſunt Evangelia, duo diverſi Paradiſi, quos nobiſmet comparemus, duo Domini, quibus ſerviamus? Haud ita ſane: æquo igitur animo ferte, ſi divino adhærens verbo vos in hujuſmodi cœtibus reſpicio tamquam totidem veſtrarum voluptatum mancipia, ac victimas veſtrarum cupiditatum. *P. Stephanus Chamillard in manuſcripto ſermone de ſpectaculis.*

Hæc certum, & ſolatiorum genera adoleſcentibus ſunt perniciosa.

Quinam ſunt horum voluptatum cupidi, & non ſine furore quodam eas conſectantur? Nonne adoleſcentes? Hæc circumſtantia id confirmat, quod affirmavi: nam præterquamquod ætas hæc vividam habet imaginationem, ſpiritum diſſipatum, cor mobile, ſenſus apertos, & delicatos, ſtudio in vitium prona, ſine experientia, ſine timore, ſine diffidentia, ſine præcautione; propter experientiæ defectum omnia illi placent, omnia alliciunt, omnia trahunt; novitas vero præſertim quaſdam habet illecebras, quæ rapiunt, atque præſtringunt: propter timoris defectum ignoratur, quid ſit, ſui curſum habere, data occaſione ſubſiſtere, ac retrocedere; cum lætitia ſpectatur locus ille, ubi in præceps lapſurus es, immo interitum tuum quæris, propter diffidentiæ defectum, quin tibi caveas atque temet præpares propulſando ſalutis tuæ inimico, abiicis arma tua, tentationis pondus ſentis, atque par non es, qui te ipſum tuearis. Nihil niſi infirmitas eſt, niſi ignavia, tenebræ denſæ, conſilii incertitudo; neque extraordinariis ſulciris auxiliis, & ſingularibus gratiis, quæ tunc a Domino obtinemus, cum earum nos dignos præbemus. Quid hinc inferendum, niſi quod lapſus fere inevitabiles ſunt in hujuſmodi cœtibus, atque ſolatiis? *Idem.*

Fieri ne poteſt, ut homo his cœtibus interſit, niſi voluptatis alicujus guſtandæ cupiditate illuc impellatur? quomodo autem ita affectus eſſe poteſt citra animi ægritudinem? *Nemo ad voluptatem venit ſine affectu*, Tertullianus ait; *nemo affectum ſine caſibus ſuis patitur.* Voluptas ſupponit quamdam animi affectionem; quippe ſi rem nullo habes in diſcrimine, jam omni ſapore caret: *Ubi enim voluptas, ibi & ſtudium, per quod voluptas ſapit.* Affectio hæc poſt ſe trahit æmulationem; alioquin langueret, & boni hujus jactura, ac poſſeſſio pares eſſent: *Ubi ſtudium, ibi & æmulatio.* At enim ætas mea, ſtatus, dignitas cogunt me intra eos verecundiæ, & gravitatis terminos contineri, qui ab hujuſmodi defectibus ſatis me protegunt: eſto; at cor eſtne immotum, ac ſenſu carens, & ſpiritus eamdem ſemper tranquillitatem tuetur? Quid; artem nactus es cupiditatibus tuis ſilentium indicendi, ac profunda pace fruendi, tunc etiam cum iis rebus omnibus ſtipatus es, quæ illam magis perturbare, ac irritare poſſunt! *Idem.*

Vanitas regnat in hoc cœtuum genere.

Quinam ſpiritus in his cœtibus regnat? Vanitas tantum; cura enim eorum, qui componere debent ſocietates, eſt ſeſe tegere, non equidem dico immodeſte, & eo modo, qui pudorem dedecet, quamquam hoc cum ſummo chriſtianæ religionis dedecore accidat; ſed modo parum decenti, ac nimis ſumptuoſo, ac ornato; cum omnia ornatuum genera adhibeantur, & ibi pro ſe quiſque præ cæteris anteſcere ſtudeat: *In omni ſpectaculo nullum magis ſpectaculum occurrit, quam ipſe mulierum, ac virorum ornatior cultus.* Immo, ut aliquis ab hujuſmodi cœtibus ſe diſpenſaret, ſufficiens eſſet ratio illuc accedere non poſſe, niſi modeſto corporis ornatu; eorum enim, qui hujuſmodi cœtus componunt, cura eſt in ſe mundi totius ora, vultuſque convertere. Diſtingui volunt, conſiderari, approbari, neque putant ſe participes fuiſſe voluptatis, quæ illis præparata erat, niſi ipſi ejuſdem pars magna fuerint: *Nemo in ſpectaculo jucunda*, ſequitur idem Pater, *prius cogitat niſi videri*; & adoleſcentula hæc, quæ choreas, & ſaltationes tantopere deperit, eo numquam inferret pedem, ſi intelligeret, ſe negligi, & ignorari. *Idem.*

Hæc ſolatia, choreæ videlicet, atque comœdiæ nocuæ eſſe poſſunt, atque ut plurimum ſunt, fueruntque pluribus. Aliquidne ulterius requiritur, ut anima, cui aliquis ſalutis ſuæ zelus eſt, quid ſibi ſit faciendum intelligat? Hoc nimis crebro experimur; quantacumque utamur cura, & vigilantia, cedimus aliquando tamen victi, vel eo pondere, quo terram verſus trahimur, vel multitudine inimicorum, a quibus ad malum ſollicitamur. Fatali experientia docemur, quanta ſit hominis infirmitas, & nos ita ſumus temerarii, ut inquiramus, quid dico? ut ſponte nobiſmet novos ſcopulos efficiamus. *Idem.*

Hiſtriones, ac ſaltatores ſemper infames habiti ſunt.

Animadverti, antequam ipſum prædicaretur Evangelium inter populos minime barbaros, eos omnes, qui illicitis deſerviebant voluptatibus, ſemper infames habitos fuiſſe, hiſtriones, ſaltatores,

aliof-

aliosque omnes voluptatum miniſtros; qood manifeſtum eſt argumentum, popolis illis ſuiſſe perſuaſum, homines nequaqnam propter has voluptates natos ſuiſſe. Alioquin enim cur homines iſti notarentur infamia, ſi quod agont a rationis, & naturæ ordine non abhorreret? Illos immo ſecundum leges, & mores noſtros reſpicimus. Attamen illi hujuſmodi ſeſe addicunt exercitiis, quæ cenſentur infamis, ut voluptatibus noſtris deſerviant. Quomodo igitur adeuntes bæc loca, ubi hujuſmodi exbibentur ſpectacula, ſperatis vos tueri poſſe honorem, qui illis negatur? Niſi ad comœdism confluereris, S. Chryſoſtomus inquit, nulli eſſent hiſtriones: ergo vos ipſi aliquid peccato eorum conſertis, & vos quoque, Pater idem ait, com illis puniemini. *Du Tremblay tractatu de ludis*.

Choreæ, & ſaltationes in chriſtiana religione prohibitæ.

Choreæ in Chriſtianiſmo ſemper probibitæ fuere, tsnquam impuritatis exercitia; non de illa ſaltatione loquor, quæ privatim tradita corporis habitum exercet, & format; de bæc judicet Deus; de illa loquor, quæ in publico cœtu oſtentatur, & quæ efficit, ut temet præbeas oenlis attentis, & plerumque impuris ſpectaculum. Hoc ſaltationis genus S. Auguſtinus olim Hippone proſcripſit, tanquam ſcsndalo minime vacuum. Quid enim majus afferre ſcandalum poteſt, quam hi nocturni cætus, ubi ſexus uterque ſimul permixtus apparet, cum toto eo nitore, qnem ornamenta corporis habitui commodare poſſunt? Quæ enim tunc adhibentur artes, ut placeas, & plauſus aocuperis? Quænam vanitatis oſtentatio, quæ pompa impudicitiæ? Tunc omnia concupiſcentiam inflammant; tempus, nox videlicet victa funalibus tantum lucis præbentibus, quantum ſatis eſt ad pulchritudinis deſectus celandos, & ea commendands, quæ illam concomitantur; anima mulcetur, vel excitatur muſicarum fidium ſono; mollis, ac laſciva corporis agitatio, plauſus, qui recipiuntur, amatoria verba, quæ audiuntur, hæc omnia nonne ſunt proxima occaſio licentiæ? At enim omnia honeſte tranſiguntur, & cœtus reverentia audaciſſimum quemlibet cohibet. O Deus! quis animæ ſponſor erit, corpore caſto? Templum ipſum aliquando funeſtum eſt cordibus quibuſdam, licet omnia illic modeſtiam, & verecundiam ſusdeant: & credsm, ex choreis referri poſſe animum æque ſoſpitem, & integrum, qualis illuc allatus fuit? nullam noxiam cupiditatem in levi, ac imbecilla imaginatione illic excitari? ſaltem aliis nequaquam propinatum fuiſſe fatale virus, quamvis illud ipſe non hauſeris? Parum communis ſenſus, ſi vel modicum ſenſus pietatis accedat, ſatis eſt, ut ſaltatio damnetur. *Sermo mſ. P. Franciſci Catrou*.

Chriſtiani, cum plurimum de priſtino fervore remiſiſſent, infidelium ſolatiis oblectari incœperunt. Eorum ludis, atque theatris intererant; non abſtinebant ab idolorum ſolemnitatibus, conviviorum crapulam, & lautitiem imitabantur; & ipſi ſuas habebant oblectationes, quibus menſes quidam, variaque anni tempora diſtinguebantur. Triſtes effectus exempli, quod ipſorum cupiditates excitabat, & ſenſim, ac ſine ſenſu illos a ſeveris evangelii inſtitutis amovebat. Infideles interim abhorrebant ab iis, quæ in chriſtiana religione ſanctiſſima erant, atque auguſtiſſima. Utrorumque agendi ratio maximo dedecore afficiebat eccleſiam; filii ejus gloriæ illios labem offundebant, eo quod Ethnicorum licentiam imitabantur; illius vero inimici, quod virtutem horrebant; hi quidem ſibi permittendo flagitia, quæ ipſorum errore non improbabantur; illi vero ab iis abſtinentes, quæ veritas imperabat. Non deſunt fideles, qui hodierna die in eorum ſocietatem ingrediuntur; eorum agendi rationem imitantur, ac morum ſe præbent mancipia. Locum habent in eorum ſolatiis, atque ſpectaculis; eos in academiis, & locis ſcandalo deſtinatis ſequuntur. *Auctor Anonymus*.

Iis tangimur & movemur affectibus, qui ab Actoribus exhibentur in theatris.

Si immodeſtæ tabulæ paſſim in mentem vocant, quod exprimunt, ideoque earum damnatur uſus, quanto magis theatricæ movebunt actiones, ubi omnia vera videntur? ubi non mortua lineamenta, aridique colores agunt, ſed homines viventes, oculique veri aut ardentes, aut teneri, aut cupiditatibus variis ſuffuſi; veræ in actoribus lacrymæ veras ex intuentium oculis lacrymas elicientes, veri denique motus, qui toti caveæ ignem injiciunt. Ita quid agit, amabo vos, actor, ubi ad vivum aliqnem exprimere vult affectum, niſi quantum poteſt, eos revocat, quos expertus eſt; utque eos repræſentet, illos cum omnibus virulentis ipſorum illecebris, omnique fallaci dulcedine excitare conatur. At enim hæc omnia in theatris tanquam infirmitates prodeunt: eſto, ſed prodeunt tanquam infirmitates heroum; & demum veluti infirmitates tanta arte in virtutem converſæ, ut omnes eas in frena admirentur, & illis plaudant, utque in iis adeo eſſentialem publicarum voluptatum partem conſtituant, ut nullum ferri ſpectaculum poſſit, ubi illæ non ſolum deſint, verumetiam non regnent, totamque actionem non animent. *Boſſuet Meldenſis Epiſcopus in tractatu, cui titulus: Animadverſiones ſupra comœdiam*.

Hudierna comœdia non purificat impudicum amorem, hunc ad conjugium tanquam finem convertens.

Satis perſuaſum eſt omnibus, jucundarum affectionum repræſentationem ſuapte natura ad peccatum inducere; licet hoc fieret tantum fovendo, præmeditato conſilio, concupiſcentiam, quæ eſt earum principium. Reſpondent tamen ad prævertendum crimen, in theatris profanum amorem purificari; ſcenam eo in ſtatu, in quo hodierna die videtur, ſemper honeſtam huic auferre cupiditati, quidquid in ipſa illicitum eſt; ac tandem hanc innocuum eſſe pulchritudinis amorem ad conjugii nodum tendentem. Sed falluntur: licet enim in ſpeciem profano adimatur amori illicitum illud, cujus pudendum eſſet, hoc tamen a theatris omnino ſeparari non poteſt. Quocumque enim modo vertatur, hæc re ipſa, quidquid dicatur, ſemper erit carnis concupiſcentia, quam S. Joannes amabilem præberi vetat, quia illam vetat amari. Illicitum illud, quod auferunt, horrorem cieret, ſi oſtenderetur; ejuſque celandi dexteritas voluntates blandius allicit, neque id minori cum periculo, licet omne nefas abeſſe credatur. Creditiſne reipſa ſubtilem perieuloſi mali contagionem ſemper objectum palam turpe requirere, vel concupiſcentiam corrigi, vel coerceri idea conjugii, quam proponitis ob oculos heroum, heroidumque veſtrarum perdite amantium? *Idem*.

Hoc tantum ſæculo comœdia excuſari cœpta eſt.

Hoc tantum ſæculo comœdia cœpta eſt excuſari, atque probari tanquam ſolatium innocens, quod cum pietate ſimul valeat conciliari. Alii magis ſimplices erant in bono, & in malo. Qui pietatem profitebantur, factis, & verbis teſtabantur horrorem, quo profana hæc ſpectacula execrabantur; qui vero theatrica deperibant ſpectacula, fatebantur ſaltem, ſe in hoc a religionis chriſtianæ regulis abhorrere. Sed hoc ſæculo homines inventi ſunt, qui hac in re pietatem cum mundi ſpiritu ſe conciliare poſſe exiſtimaverunt. Non ſatis eſt ſequi vitium, volunt etiam in honore haberi, neque turpi vitii nomine fœdari, quod ſemper paululum perturbat eam, quæ percipitur, voluptatem horrore, quod nomen illud concomitatur. Ad id autem plurimum laboris, ac induſtriæ impenſum fuit, ut comœdiæ hæc turpitudinis nota auferetur. Etenim cum nullum ſit ſpectaculi genus in oculis mundi hoc acceptius, quam maxime intereſſet, illius ſibi comparare ulcem, pacatamque perfruitionem, ne quid voluptati deeſſet. *Eſſais de morale, tomo 3. traité de la comedie par Monſieur Nicole*.

Hiſtrionum ars infamis eſt, ac vetita, ideoque non licet comœdiis intereſſe.

Comœdia eſt ars, qua homines, & mulieres repræſentant affectus odii, iræ, ambitionis, ultionis, præſertim vero amoris. Hos autem ad vivum, quoad fieri poteſt, exprimant neceſſe eſt; quod præſtare nequeunt, niſi eos in ſemet quodammodo excitent. Illi ergo, qui amoris affectum repræſentant, eodem quodammodo flagrare debent, donec illum repræſentant. Ita comœdia ſuapte natura

ſchola

Digitized by Google

ſchola eſt, & exercitatio vitii; cogit enim neceſſario actores ſuos & in ſe, & in aliis vitioſos affectus excitare. Fatendum eſt ergo, hoc munus eſſe profanum, & homine chriſtiano indignum, relinquendum ab illis omnibus, qui illud exercent, quemadmodum omnia præcipiunt concilia; ideoque non licere aliis aliquid conferre, ut illi in ea perſeverent arte, quæ chriſtianæ religioni contraria eſt; vel præſentia ſua aliquam eis præbere auctoritatem. *Idem*.

Conjugium profecto regit concupiſcentiam, verum minime facit, ut recta ſit. Hæc retinet ſemper nonnihil illius turpitudinis, quæ ipſi propria eſt, & nonniſi vi continetur intra terminos, quos illi ratio præſcribit. At ubi comœdiis affectus iſte excitatur, nequaquam ſimul exprimitur amor ejus rei, qua regitur. Spectatores cupiditatis tantum impreſſionem percipiunt, parum vero, vel nihil ejus rei, qua ipſa cupiditas regitur. Auctor calami ductu in perſonis ſuis illam, ubi vult, cohibet, non item vero in illis, in quibus excitat illam. Legitimi, illegitimique amoris repræſentatio eumdem ferme gignit effectum; & ſæpe etiam repræſentatio illius affectionis, cui hoc honeſtatis velum obtenditur, eſt periculoſior; mens enim illam eo minori cum præcautione ſpectat, quo minori cum horrore excipitur, & cor minus eidem reſiſtit. *Idem*.

Tentationes, quas comœdia hoc in genere parit, ſunt magis periculoſæ, quam aliæ.

Inde vero periculum augetur, quia comœdia omnia ſummovet remedia, quæ pravam illius impreſſionem prohibere poſſunt. Cor voluptate molleſcit; mens tota exterioribus occupatur objectis, ac intus illis inebriatur nugis, quas repræſentari videt, ideoque ea caret vigilantia chriſtiana, quæ neceſſaria eſt, ut tentationibus reſiſtatur, atque ſimilis eſt calamo, qui quocumque ventorum genere concuti poteſt. Neſcio, utrum aliqui dicere poſſint, ſe precibus antea præparaſſe; quod licet verum eſſet, hæ nonniſi humanæ preces eſſe poſſent, a quibus Spiritus Dei prorſus abhorreret. Quippe Spiritus ſanctus potius auctor eſſet, ut precibus noxia hujuſmodi evitarentur ſpectacula, quam ut gratia expeteretur ſeſe præſervandi ab ea labe, quæ illic invenitur. *Idem*.

Quamvis hoc verum eſſet, comœdiam nullum in quibuſdam perſonis pravum gignere affectum, non ideo tamen aſſumi poſſet pro innoxio ſolatio, neque exiſtimari eum culpa vacare, qui eidem intereſt. Comœdia non uni luditur; ſpectaculum eſt, quod cuilibet perſonarum, ac ſpirituum generi patet, quorum plerique infirmi, corruptique ſunt, & quibus ideo maxime periculoſum eſt. At enim illi peccant, qui hoc in ſtatu comœdiis interſunt. Ita eſt, ſed & vos ipſi peccatis, qui & ipſi confertis aliquid, ut comœdia ab illis tanquam res nullo in diſcrimine poſita cenſeatur. Quo magis in aliis actionibus veſtris religioſi eſtis, eo audacius in hac vos imitantur. Cur, inquiunt illi, nobis religioni vertemus, intereſſe theatris, quandoquidem illis interſunt etiam, qui pietatem profitentur? Vos igitur peccati eorum eſtis participes, & ſi comœdia nulla per ſe vobis vulnera infligit, infligit tamen per ea, quæ alii veſtrum ſecuti exemplum recipiunt. *Idem*.

Comœdia non minus periculoſa eſt propter affectus ambitionis, & ultionis, atque alios, quos excitat.

Si ad examen revocentur eorum comœdiæ, qui majorem præ cæteris honeſtatis ſpeciem adfectarunt, liquebit, hos ideo evitaſſe, ne objecta prorſus inhoneſta exhiberent, ut alia æque noxia objicerent, & quæ non minorem afferrent contagionem. Omnia id genus opera non aliud ſunt, quam ad vivum expreſſæ repræſentationes ſuperbiæ, ambitionis, invidiæ, ultionis, ac præſertim Romanæ illius virtutis, quæ non aliud eſt, quam cæcus, ac furens amor ſui. Quo magis his vitiis inducere conantur colorem magnitudinis, & generoſitatis, eo magis efficiunt periculoſa, & facilia, quæ in bene natas ingrediantur animas; & harum affectionum imitatio ideo nobis placet, quia corruptio noſtra excitat ſimul motum omnino ſimile, qui nos quodammodo transformat, efficitque, ut illum induamus affectum, qui nobis exhibetur. *Idem*.

Ita verum eſt, comœdiam fere eſſe vitioſorum effectuum repræſentationem, ut pleræque chriſtianæ virtutes in ſcenam prodire nequeant. Silentium, patientia, moderatio, paupertas, pœnitentia non ſunt virtutes, quarum repræſentatio ſpectatoribus oblectationem valeat adferre; præſertim vero de humiliare, atque injuriarum patientia fere numquam illic auditur ſermo. Requiritur magnum aliquid, & elevatum ſecundum homines, vel ſaltem vividum aliquid, animatumque, quod in chriſtianis virtutibus non invenitur. Quapropter qui in ſcenam producere voluerunt Sanctos, & Sanctas, hos repræſentare debuerunt tanquam feroces, eique tribuere ſermones, qui magis Romæ veteris heroas, quam ſanctos, martyreſque decerent. *Idem*.

Comœdia haberi non poteſt pro ſolatio, & cur.

Comœdia in Chriſtianiſmo haberi non poteſt pro ſolatio, cum habere nequeat effectum, quem illic quærere licet. Chriſtianus enim quærere non debet niſi ſimplicem animi relaxationem, quæ illum aptiorem efficiat agendo, ut Chriſtianum decet, & ſecundum chriſtianas diſpoſitiones. Tantum autem abeſt, quod ad id aliquid conferre valeat comœdia, ut nihil ſit, quod animam reddat pejus diſpoſitam, non ſolum præcipuis chriſtianis operationibus, qualis oratio eſt, ſed vulgarioribus etiam actionibus, cum fiunt ea mente, quæ chriſtiano homine digna eſt, hoc eſt ea mente, quæ Deo uni vacet, & quæ, quantum fieri poteſt, in externis etiam actionibus ſervanda eſt. Ita quemadmodum comedendi neceſſitas non efficit, ut nobis iis veſci carnibus liceat, quæ corpus tantummodo infirmant; ita neceſſitas ſeſe recreandi excuſare non poteſt illos, qui ea inquirunt ſolatia, quibus mens illorum ineptior redditur chriſtiane operando. *Idem*.

In theatricis elucubrationibus finis non eſt amplius ut olim, docere.

In Poeticæ libris dumtaxat inſtructio eſt drammatum finis, ſed hoc non eſt amplius verum vel in poetarum, vel in ſpectatorum mente. Illi ducuntur voluptate placendi, ipſi vero voluptate videndi affectiones ſuis ſimiles exhibitas; etenim amor proprius ita delicatus eſt, ut non affectuum noſtrorum minus, quam vultuum imagines deſcriptas intueri gaudeamus. Eſt etiam ita irreprehenſibilis, ut mira perturbatione faciat, ut imagines illæ ſæpe fiant exemplaria, & comœdia aliorum affectiones deſcribens animam noſtram ita commoveat, ut affectus noſtros excitet, alat, foveat, & nunc etiam cum ſopiti ſunt, rurſus inflammet. *Ex tractatu de comœdia, & ſpectaculis edito a Principe Contiaci.*

Drammatis auctor non poteſt, ubi voluerit cohibere affectus, quos excitavit.

Illud hac in re magis deplorabile, quod poetæ habent quidem arbitrium earum affectionum, quas tractant, earum vero, quæ ita permoverunt, non habent. Certi ſunt ſe finem impoſituros heroum, heroidumque ſuarum affectionibus cum actu quinto, & hiſtriones non aliud acturos, niſi quod juſſi fuerint; ſed cor hac repræſentatione commotum non eoſdem habet cancellos, nullumque ſervat modum; ex quo objecto ſuo illectum eſt, ſeſe illi ſecundum omnem ſtudii ſui magnitudinem tradit; & ſæpe poſtquam decreverit affectibus ſuis eoſdem fines injicere, quos drammaticis perſonis, invenit tandem ſe ulterius, quam arbitrabatur, proceſſiſſe: cum enim ſpiritus aſſueverit modis omnibus artes amatorias pertractandi, ac plenus tantummodo ſit jucundis, mitiſque caſibus, verſibuſque teneris, delicatis, paeticiſque, efficit, ut cor omnibus ſenſibus ſuis devotum nullis amplius cancellis valeat contineri. *Idem*.

Quamquam affirment, theatra nihil niſi caſtum pati, & affectus illic ſumma cum honeſtate pertractari, aſſero illud non minus eſſe chriſtianæ religioni contrarium, & audeo dicere, hanc ipſam honeſtatis ſpeciem, atque immodeſtarum rerum carentiam efficere, ut multo magis ſit metuendum.

Qui

Qui enim inhoneſta ſpectarent drammata, ſoli eſſent impudici, eaque mulieres nobiles, & aliqua virtute prædita perhorreſcerent; cum e contra præſens comœdiæ ſtatus nullam inferat labem pudori, qui eum decet ſexum, mulieres ſibi non cavent ab eo veneno, quod magis periculoſum, & abditum eſt. *Idem*.

Quod pro comœdiis affertur, id jam probe non poteſt.

Qui comœdiæ ſolatium excuſare admituntur, dicunt, hanc jucundam eſſe docendi rationem, morum diſciplinam cum ſuavitate conjunctam, vitæ picturam, affectuum, vitiorumque eorumdem imaginem, virtutis apologiam, criminiſque damnationem; hoc enim ibi ſemper exprobratur, illa vero ſemper coronam aſſequitur. Hæc eſt theatri defenſio, immo etiam comœdiæ panegyricus. Verum ſi animis ab omni cupiditate vacuis judicium ferre voluerimus, fatebimur, illam, quo jucundior eſt, eo eſſe nocentiorem, & adderem, eo periculoſiorem eſſe, quo honeſtior hoc tempore facta videtur. Si nihil illicitum placeret hominibus, S. Auguſtinus inquit, nunquam peccarent, & niſi malum ſub ſpecie voluptatis obreperet, nunquam in animas eorum pervaderet, Comœdia jucundiſſimum ſolatium eſt, ibique aliis placere tantummodo quæritur; oculos ſimul, aureſque fallit, utque totum hominem rapiat, mentem illius ſeducere adnititur, poſtquam ſenſus ejuſdem faſcinavit; ſed cuinam ſatis virium eſt, ut omnibus illecebris ejuſdem reſiſtat? Quotuſquiſque ſibi cavere poteſt a noxiis cupiditatibus, quas exhibens excitat? *P. Senault presbyter oratorii in libro, cui titulus: Monarcha*.

Sequimur potius malum, quam bonum; quare in comœdiis ad vitiorem nos impellere poſſe videtur.

Homini poſt pietatem omnino perverſo mala exempla magis placent, quam bona, quia ingenio ſuo ſunt magis conformia, Cum igitur in theatro exhibetur vitium cum ſordibus ſuis, & virtus cum ſua pulchritudine, in illud longe magis pronus eſt, quam in hanc; cumque poetæ nequaquam ſint ab hac noxa immunes, melius violentas, quam moderatas exprimunt animi affectiones, & nocuas melius, quam innocuas, ita ut in comœdiis faveant peccato, quod evertere ſimulant, eique commodant arma ad profligandam virtutem, quam tueri ſe velle videatur. Quamobrem Chriſtiani a theatris deterrendi, hortandique, ut hunc vitent ſcopulum, qui cum magis periculoſus ſit, quam jucundus, ut plurimum triſte parit innocentiæ naufragium. *Idem*.

Eccleſiaſticæ poteſtates publico huic malo eam, quæ in illis erat, medicinam attulere. Teſtis eſt Salvianus neminem ad baptiſmi lavacrum excipi conſueviſſe, qui hujuſmodi ſolatiis æque, ac pompis diaboli non abrenunciaſſet. Sexta Conſtantinopolitana Synodus clericos quidem de gradu deturbat, laicos vero anathemate percurit hujuſmodi ſpectacula populo edentes. Duo Arelatenſia Concilia prohibent, ne actores ad pœnitentiam admittantur, ni eam abdicaverint profeſſionem, quæ ſceleribus tantum inſpirandis vacat, & quæ rea eſt malorum omnium, quæ facit, & quæ efficere poteſt, ut ab aliis fiant; ſed quia non omnia eccleſiæ fulmina cohibere poſſunt furorem, quo mortales hujuſmodi oblectamenta depereunt, quæ ab illa adeo nefaria cenſentur; poteſtates ſæculares excuſandæ non ſunt, niſi brachium, vireſque ſuas commodaverint eccleſiæ ad hos publicos bonorum morum hoſtes coercendos ..... Quid! Magiſtratus citra noxam pati poteſt, comœdias flagitioſiſſimas haberi; pudorem, pietatem, charitatem, aliaſque virtutes in ſcena, in ludibrium induci? Cur recipit ille enſem juſtitiæ, niſi eodem contra hos aperti ſſimos Dei, hominumque inimicos utatur? Impia venditabuntur placita, Dei, divinarumque legum contemptus inſpirabitur, & Magiſtratus ſe æque culpa vacare putabit, ac ſenſu vocat, atque medicinam afferre contemnet iis malis, quæ nonniſi ea auctoritate, qua a Deo donatus eſt, ſunt coaſtringenda? *P. Heliodorus Pariſienſis Capuccinus ſermone de comœdiis*.

Innocuæ comœdiæ ita raræ ſunt, ut Sancti Patres indiſcriminatim comœdias damnaverint, non quod neſcirent, nonnullas invenire poſſe culpa vacuas, ſed quod ſciebant, pleraſque religioni, boniſque moribus eſſe contrarias, & modicum bonorum numerum prohibere non poſſe, quo minus diceretur, comœdias nullius eſſe pretii, idque propter eamdem rationem, propter quam Propheta de ſæculo ſuo dixit, ne unum quidem fuiſſe, qui Dei legem ſervaret, quippe boni adeo erant infrequentes, ut Spiritus ſanctus coagueri poſſet, ne unum quidem univerſalem evaſiſſe corruptionem. Hoc enim in ſenſu explicanda ſunt Patrum, atque Conciliorum interdicta. *Idem*.

Sancti Patres indiſcriminatim comœdias omnes damnarunt.

Si comœdiæ Principis majeſtatem offenderent, ſi earum tanta eſſet inſolentia, ut Regum perſonas, ac facta perſtringere auderent, temeritas vero tanta, ut populos ad rebellionem excitarent, juſtas conciperetis iras contra hujuſmodi conatus, vos, in quorum manibus auctoritas eſt conſtituta. Animadvertendum profecto cenſeretis in auctores, actoreſque ſeditioſorum drammatum, idque muneris veſtri officium efflagitaret: immo neque ipſam populi caveam impunem abire pateremini ſi præſertim huic regiæ majeſtatis profanationi, & huic plauderet rebellioni. Nemo dubitat, quin jure zelum, omnemque auctoritatem veſtram impenderetis coercitioni, ac puniri impiam audaciam, necnon ulturi contumeliam majeſtati illatam, quam ſi opus eſſet, bonorum ipſorum, vitæque veſtræ ſumptibus tueremini. Vos autem procul dubio Deum tanquam ſupremum Dominum fatemini, & quanta impotentia hujuſmodi in ſpectaculis lædatur, noſtis; neque vos fugit, quam indigne illic leges, præcepta, ac mandata illius excipiantur. Ubi ergo eſt zelus veſter, ut cohibeatis, atque prævertatis conatus adeo nefarios, atque funeſtos? Conſiderate, quid ſupremo regum Regi debeatis, qui vobis auctoritatis ſuæ partem conferre dignatus eſt, ut pro illo uteremini. Conſiderate, quid debeatis innocentiæ, honori, incolumitati reipublicæ, & vos nequaquam poſſe ab his eximi curis, quin in una ex præcipuis obligationibus quas divina vobis injecit providentia, deficiatis. Ethnici Imperatores inſurgent in vos, illi, qui adeo ſeveras irrogavere leges contra hæc ſpectacula ad bonorum morum everſionem tendentia, & qui inflexibili firmitate fecerunt, ut decreta ſua ab omnibus adimplerentur. Illi ſane coram ſupremo Judice accuſabunt Magiſtratus, qui hac in re non ea, qua opus eſſet, vigilantia, atque fortitudine operantur. *Idem*.

Contra negligentiam magiſtratuum qui inhoneſtas tolerant comœdias.

Omnia magna oblectamenta chriſtianæ vitæ ſunt periculoſa; inter omnia vero, quæ mundus adinvenit, nullum ipſa comœdia magis eſt metuendum. Hæc eſt adeo naturalis, & delicata affectionum pictura, ut eas animet, & in cordibus noſtris pariat, præſertim vero amoris illae potiſſimum, cum tanquam caſtus, & admodum honeſtus exhibetur; etenim quo magis innocens videtur innocentibus, eo facilius iſti eodem commoveri poſſunt. Simul conſcientiam ſibi concinnant juxta horum ſenſuum honeſtatem, ac putant nihil puritati efficere, ſi amore adeo ſapienti adamentur. Ita a theatro diſcedunt mulieres de amoris hujus innocentia adeo certæ, ut jam diſpoſitæ ſint ad primas illius impreſſiones recipiendas, vel potius ad quærendam occaſionem efficiendi, ut illæ in alicujus corde naſcantur, ab illo eadem recepturæ ſacrificia, quæ adeo belle repræſentata conſpexerunt. *Auctor Anonymus*.

Comœdia omnium ſolatiorum hujus mundi periculoſiſſima.

Cum amoris perturbatio quotidie tot ferat mala in quovis mortalium genere, licetne poteſt eo proficiſci, ubi illa commendatur, excitatur, fovetur; & ubi non placeant drammata, niſi hic affectus tenere, callideque tractetur? Anima nonne illic inevitabilibus patet lapſibus? etenim inebriata voluptate non retinet amplius illum vigilantiæ ſtatum, qui neceſſarius eſt, ut tentationibus reſiſtatur, & nihil excuſare poteſt ea crimina,

miua, quorum cauſa ultro conquiſita fuit. Itaque noxiæ affectiones, quæ in theatris exhibentur, ſæpe eo periculóſiores ſunt, quo majorem honeſtatis ſpeciem præſeſerunt; tunc enim ſine repugnantia, immo cam voluptate guſtatur, quod ſi nimis palam detectum fuiſſet, horrorem potius ciere potuiſſet. *P. Le brun presbyter Oratoris in quodam ſermone de comœdia.*

Ullane comœdia eſt, quæ ad ambitionem, amorem mundi, & concupiſcentiam excitandam non tendat? Ullane eſt, ubi non adſiut ambigua verba, & ubi tanquam jócus, & ſolatium non proponantur amatoriæ nugæ, quæ lacrymas potius, quam cachinos deberent elicere? Et diune meditandum eſt, ut illicitæ, & nocuæ deleganțur locutiones, præſertim vero verba vana, & ſimilia, quæ ſingulari cum voluptate & dicuntur, & proferuntur? cum ſæpe etiam impie dicta eo modo proferantur, qui ſatis eloquens eſt, atque ad perſuadendum aptiſſimus, cumque ibi tradantur licentiæ præcepta, quæ libidinem probant, & in vitium impellunt; eo uſque, ut celeberrimos id genus drammatum auctores melius de officiis ſuis eruditi eadem conſcripſiſſe pœnituerit, eaque inter adoleſcentiæ ſuæ peccata adnumeraverint. *Idem.*

Quæ ſit eccleſiæ ſententia de periculoſis id genus oblectamentis.

Hoc pacto ſemper ſe geſſit eccleſia contra abuſus illos, quos abolere non potuit; lacrymis proſecuta nimium amorem, quem populi, & nonnunquam ipſi etiam magiſtratus præſeferunt damnabilem hanc depereuntes conſuetudinem, non audet ad extrema procedere, ſatiſque putat præcipere miniſtris ſuis, ut omni ſtudio, induſtriaque contendant errorem populis auferre, eiſque immittere horrorem noxiarum oblectationum, quibus faſcinantur. Hoc egit inſignis ille eccleſiaſticæ diſciplinæ reparator S. Carolus; cum enim non poſſet abolere ſpectacula, in tertio provinciali concilio præcepit, ut concionatores vehementer in publica hæc ſolatia, quæ homines prava decepti conſuetudine inter nugas recenſebant, quibus nil mali ineſt, invehererentur, & ſpectacula, ludos, theatricas ſcurrilitates, aliaque id genus oblectamenta execrarentur. *Idem.*

Concilia nondum ceſſarunt detonare contra ſpectacula, quamvis novem, aut decem abhinc ſæculis theatrum non ſit amplius, quale tribus prioribus erat. Mutatio tamen invecta ſatis non fuit, ut anathema prorſus auferretur. Hac in re ſemper uniformis fuit diſciplina, canones indeſinenter inſtaurati ſunt; & ſi mundi ſectatores, qui perdite ſpectacola diligunt, quærunt approbationes, meminerint, qui dixerit S. Paulus: *Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & a veritate quidem avertent, ad fabulas autem convertentur.* Adde illos obrutos eſſe hoc torrente locorum, conciliorum, & patrum, qui a primo ad noviſſimum damnarunt ſpectacula, atque zeli ſui fervorem, & eloquentiæ robur exercuerunt, ut fidelibus horum ludicrorum horrorem immitterent. *Idem.*

De choreis, & ſaltationibus.

Quamvis plures occaſiones ad incontinentiam impellant, nullas tamen aut vulgatiores, aut periculoſiores invenio, quam hujuſmodi cœtus ex utroque ſexu compoſitos, qui ad ſaltandum fiunt, & vulgo choreæ nuncupantur. Hæc eſt veluti publica quædam academia, ubi adoleſcentes impuritatem edocentur, eiſque traduntur miſeræ illius ſcientiæ præcepta, quæ ſatis, ſuperque per ſe diſcitur. Locus eſt, ubi juvenes aliquam ſibi cum virginibus licentiam vindicare incipiunt; ubi virgines, quæ ante ſapientes erant, atque modeſtæ, ſenſim pudorem, & modeſtiam, quæ ipſarum decet ſexum, amittere conſueſcunt; verbo, quo nemo ingreditur, qui innocentiæ amittendæ non ſubeat periculum. Patres omnes vehementer contra hujuſmodi ſolatia non ſecus, ac contra choreas invecti ſunt, quippe illic eadem ad morum corruptionem inveniunt pericula; ſed nemo majori vi, magiſque explicite locutus eſt contra choreas potiſſimum D. Ambroſio, qui in libro de officiis invehens contra noxiam hanc conſuetudinem utitur Ethnicorum auctoritate, quibus in hujuſmodi quæſtionibus ſæpe major ineſt auctoritas, & pondus, quam Sanctis Patribus, probaturus ſolatium hoc homine chriſtiano eſſe prorſus indignum: *Nemo ſobrius, ſaltat*, ait quidam ex illis, quos magnus hic Sanctus profert; ſed ebrius eſſe, vel de ſana mente dejectus dicendus eſt, qui ad hæc rationali ſpiritu indigna ſeſe demittit. *Pater La Jeune ſacerdos Oratoris ſermone hujus argumenti, nuper in meliorem formam redacto.*

Petrarchæ de choreis ſententias.

Saltatio, Petrarcha inquit, actio eſt honeſto homine indigna, & ex qua nonniſi pudore ſuffundi poſſumus. Hoc re ipſa ſpectaculum eſt æque turpe, ac inutile, conventus eſt intemperantiæ. Hæc manum, pedumque nutatio, hæc evagatio, & impudentia oculorum, omnes iſti geſtus æque indecentes, ac riſibiles oſtendunt in interiori parte latere aliquid exteriori perturbationi reſpondens. Profecto ſi hæc agendi ratio in morum noſtrorum natura non migraſſet, inſaniam diceremus id, quod urbanitatem vocamus. Jure in hus cœtus fidicines acceſſuntur, ne anima audiendo occupata oculi tanta irregularium motuum turpitudinem non offendantur. Hoc innuit, ſtultitia ſtultitiam celari. Sed oculos pauliſper aperite, neque res juxta conſuetudinem, ſed quales in ſe ipſis revera ſunt, intueamini. Nonne inſania eſt, eaque maxima, ſaltare, ſubſultim movere corpus, ſeſe circumagere, incedere, recedere, in utramque partem diſcurrere? Bona fide quæſo, ſi nihil unquam tale vidiſſetis, quid diceretis, ubi primum hoc oculis veſtris accideret? Nonne affirmaretis hos de ſana mente dejectos fuiſſe, vel numquam ſanæ mentis fuiſſe? Sed quia hæc videre conſueviſtis, non obſtupeſcitis. *Idem.*

Mala, quæ in ſaltationibus, & choreis committuntur.

Virgines eo conveniunt, ubi habentur choreæ, ut ſeſe tradant cognoſcendas, ſed re ipſa, ut ſe ipſas dedecorent, idem inquit Petrarcha; ibi enim oculi æque liberi ſunt, ac pedes, & manus; æquivoca verba illic diſtincte audiuntur, cœtus rumor, atque tumultus ſinit plurima dici, quæ alibi verecundia non pateretur: & quæ alibi neſas eſſe crederentur, ibi ſas eſſe videntur. Prætcrquamquod nox, quæ vulgo pro hujuſmodi cœtibus eligitur, quippe quæ pudoris eſt inimica, & ſcelerum familiariſſima, timidioribus etiam præbet audaciam, ut conſilia ſua magis pernicioſa adimplere conentur, & virgines tunc ſe perfectiores putant, cum bene ſaltate, quam cum bene vivere norunt. Hæc eſt magni hujus viri ſententia de choreis, quæ ævo ſuo fiebant, & quæ proculdubio illis, quæ hodierna die haberi conſueverunt, nihilo erant nocentiores, *Idem.*

In choreis puritas ſemper periclitatur.

Quamvis utriuſque ſexus juvenes ſibi ultro citroque ubique maximo ſint periculo, nihilominus in choreis præſertim periculum manifeſtum eſt, & fere inevitabile. In occaſionibus ſcandali, quibus mundus repletus eſt, nequaquam ſollicitamur ad malum ex omnibus ſimul locis, quibus vinci poſſumus; ſed, uti Salvianus animadvertit, vel animus tantum cogitationibus puritati contrariis laceſſitur, vel oculi inhoneſtis illiciuntur objectis, vel aures parum decoris ſermonibus tunduntur: ita ut ſi quis ex his ſenſibus ſe in peccatum pertrahi ſinit, alii ſimul culpa vacare poſſint, atque opem ferre animæ, ut ex hoc lapſu reſurgat; ſed in choreis, & ſaltationibus, voluptuariiſque cœtibus, qui modo nimis communes ſunt inter fideles, dæmon adoleſcentium cor per omnes aditus tentat, per quos vitium poteſt inſpirare. Diceres ipſum in uno, eodemque loco collegiſſe, quidquid ſenſuum voluptatibus locum præbere poteſt; auris concentibus mulcetur, oculis iis omnibus, quæ luxus, & vanitas invenire poſſunt; voluptas, quæ in odoribus etiam invenitur, illic unguentis excitatur. De-

nique

nique ibi fit quædam veluti conjuratio earum illecebrarum omnium, quas voluptas excogitare poteſt ad cor hominis molliendum, ejuſque palpandos affectus. His autem cœtibus illæ tantum invitantur, quæ placent, & quibus placere poſſis. Quæ invitantur, in id unum incumbunt, ut placeant; dies tradacunt integros inter ſpecula, & calamiſtros ſeſe comentes, ornanteſque, & quantam fieri poteſt, omnes faciei defectus tegentes: omnes adhibent artes, quæ fingi poſſunt, ut in ſe intuentium oculos figant, & fallant. *Idem.*

Immodeſtiæ, & ea, quæ in ſaltationibus ſibi licere putantur.

Quid dicam de licentia, quam ſibi vendicant juvenes ad examen ſingillatim vocandi eas, eaſque omnes, qui hujuſmodi cœtibus adſunt, illis adhærendi, quæ magis placeant, cum illis ſermones miſcendi, eas ad ſaltandum provocandi, atque ea ſibi cum illis licere putandi, quæ parentes eiſdem privata in domo permittere nefas ducerent? Ita proprie loquendo loci, ubi cœtus habentur, ſunt veluti fornices, ubi patres, matreſque proprias filias libidinoſiſſimæ proſtituunt juventuti, & hæ ipſæ filiæ propter immodeſtiam ornatuum, atque oculorum, geſtuum, totiuſque habitus corporis inverecundiam ſeſe proſtituunt oculis, ac deſideriis eorum omnium, qui ingrediuntur, & ſæpe modeſtiſſimo cuilibet ſenſus, & cogitationes inſpirant, quæ in turpiſſima degenerant facta. *Idem.*

Quot rei ſint peccatorum, quæ in choreis committuntur.

Si adeo pericoloſa res eſt ſaltatio, facile inferre potes, quænam ſit eorum conſcientia, qui ſaltandi academias aperiunt, & domos ſuas ului adeo pernicioſo locant; atque ideo, uti vides, unum, idemque crimen pluribus imputabitur, quorum ſingulis ratio erit reddenda. Exempli gratia prava cogitatio inter ſaltandum concepta imputabitur illi, qui illam conceperit, illi, quæ ob immodeſtiam ſuam eidem occaſionem præbuerit, puellæ hujus parentibus, qui illi ad choreas proficiſci permiſerint, illi, qui choreas celebraverit, & cui reddenda ratio eſt malorum omnium, quæ ibi contigerint, & Sanctus Carolus addit, magiſtratibus etiam, qui pro viribus publica hæc mala non prohibent, uti ſuum eſt. O Deus! S. Ambroſius exclamat: *Vide in uno crimine quanta ſint ſcelera. Idem.*

Utrum aliquando liceat choreis intereſſe.

Verum eſt, aliquas eſſe occaſiones, ubi difficile eſt, prohibere, quominus choreis interſis; exempli gratia, frater, vel ſoror illius, qui vel ducit uxorem, vel quæ nubit, ſi nuptiali interſit convivio, vix in communi familiæ ſuæ gaudio continere ſe poterit, ne & ipſe lætetur; & aliæ id genus inveniri poterunt occaſiones, ubi temet difficile expedias. Sed præterquamquod ſemper cum S. Franciſco Saleſio ſaltationes in hujuſmodi caſibus non improbante ſupponendum eſt, nullum eſſe manifeſtum peccandi periculum, alioquin liquido conſtat omnino abſtinendum eſſe; ſummus hic vir adeo ſanctas exigit diſpoſitiones, ut longe facilius ſit omnino a ſaltationibus abhorrere, quam ſeſe illis cum tot præcautionibus objicere. *Idem.*

Conſcientia ſatis nos docet, utrum choreis intereſſe peccatum ſit, necne.

Si aliquem ex mundo, qui nondum omnes pietatis, atque timoris judiciorum Dei ſenſus extinxit, ſed qui ægre fert ſibi dici non ſine nota bis ſaltationum, & chorearum cœtibus intereſſe poſſe, interrogo; nonne & ipſe interiorem ſentis exprobrationem ubi te colligis, dicentem te perperam agere, temet peccato objicere, ac metuendum eſſe, ne hæc ſit tui interitus cauſa? Utque id apertius evincam, nonne verum eſt, quod ex hoc cœtu egreſſus animam efflare nolles, licet certus eſſes te non aliud admiſiſſe nefas, niſi quod choreis interfueris? Hanc ipſam exprobrationem invenies in omnibus animabus, quibus aliquis ſupereſt timor Dei; & ſi omnes illas ſingillatim interrogare volueris, quæ olim in mundo fuerunt, & qui ab eo vel effectu, vel affectu dumtaxat receſſerunt, dicent illæ quidem, in generalibus confeſſionibus ſuis ſe pœnituiſſe, & pro noxa recenſuiſſe, quod olim choreis interfuerint. Interrogate ſaltatores in articulo mortis conſtitutos, quo tempore omnia perſpicua videntur, & non qualia nunc fallax cupiditatum noſtrarum lumen illa nobis oſtendit, utrum ipſos hujus pœniteat rei, ac vereantur, ne in Dei judicio ratio ſibi reddenda ſit: immo voſmet ipſi nonne ad ſacrum Pœnitentiæ tribunal hoc nomine vos accuſatis jugulare non valentes corripientis conſcientiæ exprobrationem? Videtis ergo palam ex vobiſmet ipſis, dummodo oculos aperire velitis, choreas nequaquam nullo in diſcrimine habendas eſſe; quoniam id, quod nullo eſt in diſcrimine, non confitemur, nec reformidamus ad Dei tribunal prodire poſt factum, quod malum non eſt, & quod omnino contra Dei legem non eſſe cenſemus. Noſtra igitur conſcientia hac in re noſter eſt judex; neque licet nobis incorruptibilem hunc judicem, fidumque teſtem rejicere, ubi de ſalute noſtra ſermo eſt. *Idem.*

Chorea eſt idololatriæ ſpecies.

Chorea, quæ priſcis temporibus omni prorſus arte carebat, qualis adhuc aliquando in ruſticolis videtur, deinceps ſexcentas adepta eſt ad voluptatem illecebras. Sunt enim motus ad numerum inſtituti, ſunt greſſus ad modos muſicos, ac teneras voces conformati, ubi quælibet manu apprehendit idolum ſuum; & ſi intus ea, quæ ibi fiunt, conſideremus, ibi non aliud eſt, quam idololatriæ mutatio. Olim ducebantur choreæ circum inanium deorum ſimulacra, atque hujuſmodi lætitiæ ſignificationibus nefaria illa colebantur numina, quibus non alius ferme honor adhibebatur. Cum Iſraelitæ aureum vitulum conſpexerunt, incœperunt ſaltare, ac ludere, ut inquit Scriptura, quaſi hujus iduli apotheoſin celebraturi, eique cultum uni Deo debitum delaturi. Ita Sanctus Baſilius ludum hunc, & hanc ſaltationem veram fuiſſe putat idololatriam, propter quam tanta Deus exarſit ira, ut flecti nequiverit, niſi cæde viginti trium millium, quos ſtatim in arena juſſit interfici. *Ex morali dictionario in animadverſionibus in bacchanalia.*

In comœdiis nihil eſt non molle, effœminatumque.

In comœdia animi perturbationes exhibentur cum eo, quod magis vividum, animatumque ineſt iiſdem: ſi illæ moderatæ, pacatæque eſſent, theatris aptæ non eſſent. Tener requiritur amor, effœminati cantus, corporis habitus illecebris pleni, ſuavia, molliaque verba, interciſa ſuſpiria, ſecreti congreſſus, amoris proteſtationes, conjugiorum nodi, vincula fracta, iterumque ſarta, voces cultum, ac divinitatem redolentes, lacrymæ, & querelæ. Raro accidit, ut ex his locis efferamus pedem æque caſti, ac illuc intulimus, & ut Salvianus inquit, vix fieri poteſt, ut non meminerimus eorum; quæ in comœdia vidimus, & audivimus, quin fatales, mortaleſque in corde noſtro impreſſiones ſentiamus. Totus homo illic commovetur, imaginatio, memoria, oculi, aures, ſpiritus, anima, tota illic penitus occupata eſt. *Idem.*

Spectatores theatri ac nicioſi nocentur.

Spectaculum non eſt amplius inanis, & iners occupatio; congeries eſt eorum omnium, quæ placere poſſunt, ad animos ſeducendos idonea, quæ eo ſpectat, ut animum, ſenſuſque ſexcentis illecebris fallat, & molliat cor per ea omnia, quæ in affectionibus noſtris maxime ſunt pericoloſa. Si hæc perjucunda ars deeſſet, theatrum omni ſuavitate careret. Spectaculo moveri, afficique volumus; languet ſcena, niſi aliquis irritetur affectus. Omnia ad animam fallendam, emolliendamque aliquid conferant; cor oculis, auribuſque ductum adhæret iis omnibus, quibus illicitur; ratio tot faſcinatoribus ſuſpenſa tacet; nihil ſapit, niſi quod ſenſus palpat, atque tot inter objecta, quæ placere poſſunt, & reipſa placent, anima ſui ipſius, votorumque ſuorum compos exiſtimabitur? Profana ſpectacula proprie loquendo non aliud ſunt, quam erudita omnium cupiditatum ſchola. Ibi non ſine pompa, & cum inſigni progreſſu palam traduntur præcepta amoris, verſutiæ, ultionis, ambitionis; ibi diſcitur, quomodo ſcite negotium aliquod ad finem perducatur, quomodo religioſa parentum vigilantia eludatur, ſexcentis fraudibus bona fides decipiatur;

nunquam in irritum innocentiæ ſtruantur inſidiæ; competitor prudenter ſemoveatur; de hoſte certo ictu ultio ſumatur, atque ex alienis detrimentis propria incrementa promoveantur. Cumque hujuſmodi præcepta blanda ſint, iiſque admirabile accedat momentum ex actorum calliditate, affectio ardens tanta arte immiſſa quid non agit in corde, ubi jam tantas invenit diſpoſitiones? Quidquid in theatris videtur, quidquid auditur, ad ſenſus tantum, & cupiditatem refertur; ornatus, decorationes, concentus, melos, cœtus, omnia pertentant, atque ea guſtando, quæ nos faſcinant, in laqueis ipſis reperimus illecebras, tentarique placet. Iis, quæ placent, facile conſueſcimus, quodcumque ibi periculum inveniatur. Veneni dulcedo efficit, ut funeſti exitus non recordemur; nihil amplius in cupiditatibus turpe videtur, ex quo in theatro aliam perſonam induere cœperunt, atque artis fuco exornatæ ſunt; eaſque admirantes, atque laudibus celebrantes omnem pudorem exuimus. *P. Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus.*

Evangelium damnat ſpectacula, & quomodo.

Vehementer errat, qui dicit, nullibi in evangelio, Bibliiſque profana hæc ſolatia damnari. Ea quidem nullibi ſingillatim prohibentur, quia prohibentur ubique: etenim quid aliud ſibi vult, quidquid Scriptura ſancta inquit de extrema cordis puritate, quæ eſt veluti vitæ chriſtianæ baſis, quidquid tradit de mortificatione ſenſuum, de ſpiritus levitate, de carnis infirmitate, de affectuum vi, de tentatoris nequitia, & dolis, de periculo ſeſe leviſſimis etiam tentationum periculis objiciendi; denique quidquid docet de attentione, & vigilantia, qua deſideria ipſa conſideranda ſunt, de voluptatum moderatione, de victoriis, quæ de corde noſtro referendæ ſunt, de perverſitate mundi voluptatum, & ſententiarum, ita ut totum ſimul evangelium manifeſta ſit ſpectaculorum damnatio. *Idem.*

Quam inſana per ſe ſit ſaltatio, niſi ob cauſam aliquam ſit rationabilis.

Nonne fateberis motus in ſaltationibus meras eſſe inſanias, niſi ratio aliqua excuſet eos, qui id ſibi vertunt oblectationi? Et ſane ſi quis non ante videre ſolitus choreas, forte hujuſmodi cœtibus intereſſet, quin ante ſciret, hanc non modicam eſſe partem voluptatum mundi, quid cogitare poſſet de his omnibus motibus, qui in nihilum deſinunt, niſi inſanos eos eſſe, qui in nihil agendo tantopere eſſent occupati? Videret homines ſimul procedere, ac recedere, modo graviter incedere, modo celeriter percurrere, extremis modo digitis innixos ſe attollere, in aera ſaltu micare, ſtatimque in terram deſcendere, a terra ſublimes crura ultro citroque decuſſare, ad dexteram gradum flectere, mox ad ſiniſtram eumdem retorquere, ire, redire, circumire, manum aliorum arripere, eam relinquere, modo iterum eamdem reſumere, iterumque dimittere. Qui de ſana mente dejectus eſſet, poſſetne majori eum inconſtantia, ac mobilitate agitari? Et ſi quis te coram eadem irregularitate moveret manus, nonne hunc deſipuiſſe judicares? Crederes motus hos adeo confuſos, nonniſi ex perturbato cerebro oriri poſſe, motus inutiles, ac temere editos non eſſe, niſi effectus animæ, quæ ſui compos non eſt. *P. Heliodorus Capuccinus ſermone ſeptimo de vulgaribus mundi vitiis.*

Quo in caſu excuſari, probarive poſſent choreæ.

Citra injuſtitiam damnare non poſſemus eum, qui ob inſolitam lætitiæ cauſam ſaltaret, ut qui in amicorum nuptiis ſaltant, vel cum inſignes victoriæ referuntur, vel cum domeſticæ, aut publicæ lætitiæ dies celebrantur; pueri, qui ſaltare diſcunt, ut morem gerant genitoribus ſuis; qui ſaltant, ut honeſti cœtus deſideriis obſequantur, ut animum recreent, hoc tamen poſito, quod nullus huic pravæ exercitationi finis ſubſit, & omnes decori, & urbanitatis regulæ ſerventur. Haud ægre fatebor hanc parentibus obedientiam, hoc erga amicos obſequium, hanc cum publica lætitia conformitatem, & urbanitatem, quæ non ſinit illos ſeſe diſpenſare, ne ſoli ſapere velle, immo etiam velle damnare penitus, quod aliquando, licet raro, culpa vacat, videantur; fatebor, inquam, has omnes cauſas efficere poſſe, ut in hujuſmodi caſibus liceat choreas inſtituere... Sed ſaltare, agitari temere, vel ubi libido, ac ſola voluptatis fert ratio, hoc nemo probare poteſt, ac multo minus id in habitum ſibi convertere. *Idem.*

Temporis jactura ſufficiens eſt ratio, ne conſueſcamus ea frequentare loca, ubi choreæ indulgentur.

Citra crimen choream, & ſaltationem nobis in conſuetudinem convertere non poſſumus, quod ſatis aperte probat ipſa temporis jactura. Vitæ pars impenditur ſaltandi artem diſcendo, incipitur fere ſtatim, ac pes proferri poteſt, & vix pueri certum gradum promovere didicerunt, cum illis hæc figitur crux, ut ad ſaltandum edoceantur. Mox pergitur, & nonnumquam ad eam uſque ætatem, quæ hujuſmodi ineptiarum pudore affici deberet: cumque levitas, vanitas, & lucri cupiditas novas excogitent ſaliendi rationes, mundus nequaquam quotidianos ritus ſequeretur, niſi illas calleret, & niſi multum prodigeret temporis recipiens, repetens, retinenſque id genus præcepta. Dies integri ſatis longi non ſunt, ut mulieres ad ſaltandum proceſſuræ ſeſe comant, & ornent. Noctes ſaltando, ac laſciviendo traducuntur, poſtquam in vanis ornamentis dies, ac in inſanis ſtudiis anni inſumpti fuerunt, atque ipſum vitæ dimidium, vel in ipſis chorearum præceptis, vel in choreis ipſis impenditur. Credere quidem poteſtis Deum non ideo vobis conceſſiſſe tempus, ut illud adeo turpiter prodigeretis in eam voluptatem, quæ, ubi judicium ad maturitatem pervenerit, contemnitur. *Idem.*

Choreas, & ſaltationes frequentare eſt ſcandali peccatum.

Si ſaltationem tibi in quotidianam occupationem vertis, Deo rationem reddes omnium animarum, quæ tuo exemplo interibunt. Non ignoras omnium hujuſmodi cœtuum licentiam; audiiſti, fortaſſe vidiſti, fortaſſe expertus ipſe didiciſti, nil aptius eſſe ad innocentiam labefactandam; quo animo perſuadere potes tot adoleſcentulis, ut ſeſe in manus tot hoſtium conjiciant? Verum id ipſe præſtas eo modo, qui efficacius, atque nocentius perſuadet. Exemplum tuum majori vi, ac licentia id repræſentat, quod lingua referre perhorreſceret. Quilibet ſcit, quilibet dicit, te ſaltationes amare, quandoquidem te illis frequentem adeſſe videt; quilibet igitur argumentatur, ſaltationem noxa vacare, atque inter ea, quæ nec bona, nec mala ſunt, eſſe reiiciendam, quoniam homo pietatis laude inſignis, qualem te ferunt, illis conſueſcere novit. *Idem.*

Quæcumque adhibeatur cura ad comœdiam purgandam, ſemper eſt periculoſa.

Quæcumque impendatur cura, & a comœdiis, fabuloſiſque narrationibus auferantur imagines turpium vitiorum, nunquam tamen vitium illis auferetur; illic enim ſemper videtur viva repræſentatio perditi amoris virorum erga mulieres, qui culpa vacare non poteſt, neque evincetur unquam, ne mulieres repleantur voluptate, qua ab aliis amari, & coli geſtiunt; quod illis nequaquam minus vel periculoſum, vel contagioſum eſt, quam viſibilium, & noxiorum vitiorum imagines. Quod oſtendit infinitas eſſe mulieres, quæ ſe innocuas ratæ, eo quod re ipſa ea perhorreſcunt crimina, quæ palam turpia ſunt, nihilominus coram Deo ſunt nocentiſſimæ, quippe non abnuunt in hominum corde illum obtinere locum, qui Deo uni debetur; non abnuunt, viros ſibi adhæreſcere, ac ab illis non æſtimari ſolum, ſed etiam amari; ac patiuntur haud ægre eos ſibi verba dare, & amorem teſtari profana ea lingua, quæ verborum blandimenta vocatur. *Ex tractatu de Comœdia Domini Nicole.*

Qui ludos, choreas, comœdiam, & ſpectaculi dile-

Mundani nequaquam libenter audiunt choreas, & ſpectacula improbari.

diligunt, ac ſæculi luxum, vanitatemque ſequuntur, audire nolunt eos, qui chriſtiano more hæc argumenta pertractant, ut liberius, ac ſine ulla animi cura peccent. Operam ludis, cum dicis illi ludos quoſdam, ſpectacula, cœtuſque periculoſos vetitos eſſe; te cachinnis excipiunt; oculos claudunt, & obſtruunt aures, ne videant, & ne audiant ſibi diſplicentia. Equidem ſcio cum S. Gregorio, non deeſſe licita quædam ſolatia, & quæ ſumi poſſunt non ſecus, ac ſumitur medicina ad corpus pravis humoribus purgandum, ac illud laboribus aptius reddendum. Sed hic de illicitis ſermo eſt oblectamentis, cujus generis ſunt choreæ, comœdiæ, aliaque id genus ſpectacula, quæ ſunt periculoſa, & bonos mores corrumpunt. *Epiſcopus Cameracenſis in libro cui titulus:* Inſtruction pour l'education des filles, *cap. 13.*

Saltare apud Romanos honeſto loco natos dedecebat: quapropter eloquentiſſimus inter oratores, qui apud eos floruere, dixit hanc ſpeciem eſſe ebrietatis illis, qui virtutem profitentur, prohibitæ; & hac mente eruditus quidam elapſi ſæculi ſcriptor eam vocat inſaniam a capite ad pedes uſque deſcendentem. Attamen non ſine pluſimarum chriſtianarum matrum dedecore dicere poſſumus, filias earum potius varios ſaltandi ritus, quam religionis ſuæ principia callere; tantæ curæ illis eſt, has mundo jucundas efficere. *Idem.*

Ridiculus nobilis matronæ ſeſe ad choream diſponentis apparatus.

Si cubiculum ingredereris matronæ hujus, quæ ſeſe exornat ad choreas profectura, illam ſpeculo aſſidentem intueberis, illud inceſſanter conſulentem ancillis circum undique ſtipatam laborantibus, ut caput ejus cincinnis, vittis, tæniiſque, alioque mundo muliebri decorent. Illa ſexcentas excogitat artes, ut cœtus totius oculos in ſe convertat, & utinam nequiora non foveat animo conſilia. Si quem habet naturalem defectum, huic ſtatim ſuppletur; pulveres crinium colorem mutant, fucus faciem lævigat, nulla negligitur ars ad vitia corporis, atque ſtaturæ deformitatem corrigendam. Corpus deinde vittis oneratur, quarum varii colores affectionum varietati reſpondent. Sexcenta deinde alia apponuntur ornamenta, quibus illa magis emicatura cenſetur. Non ſine affectatione ſtudet illa, quomodo incedere, oculos circumflectere, geſtus, vociſque tonum regere debeat, & generatim quidquid ſibi faciendum ſit, ut mundo placeat. *Idem.*

Ridiculus corporis habitus, & intentiones mundanæ puellæ ad ſaltandum euntis.

Exterior habitus puellæ ita exornatæ, ut ad choreas proficiſcatur, ſatis perſpicue patefacit diverſas animæ illius cogitationes. Ardenter placere cupit, quærit ad ſe eos pertrahere adoleſcentes, qui magis hilares, feſtivique ſunt, & qui venuſtiori corporis forma, morumque elegantia cæteris præſtant. Ipſa vero ſuperbiam affectat, & quamdam nobilitatis indignabundæ ſpeciem præfefert, qua ipſius formæ decor etiam, atque etiam commendetur. Nunquam domo pedem effert, niſi antea millies ſe ipſam reſpexerit, ac diligenter ad ſpeculum caſtigaverit: circum ſe quærit approbatores; hoc eſt, ut verbo me expediam, ſuperba, & indignabunda repleta eſt vanitate, ambitione, & ſuperbia. Videamus nunc in cœtu mundanam hanc adoleſcentulam; vix aliquo ſedet in loco, cum circum oculos agit alias viſura; & repente cor illius in alias quidem exardet invidia, in alias vero fovet contemptum: illæ, quæ plures habeat ſectatores, illius invidiam excitant; eas vero dedignatur, quas ſibi deſervientium numero ſuperat, &c. *Idem.*

Licentiæ, & immoderata familiaritates in choreis.

Conſiderate duos diverſi ſexus homines in frequenti cœtu ſaltantes: alter quidem in numerum vel procedit, vel recedit, alter ſequitur, uterque hinc inde varios edit corporis geſtus; anima tota ſeſe per oculos effundit. Uterque hoc in exercitio incaleſcit, ac ultro citroque admittit mutua ſibi præbere exiſtimationis, & amoris, quo jam ardent, teſtimonia. Quæſo, hæccine honeſta ſunt? ſuntne chriſtianæ modeſtiæ conformia? Auderetne aliquis tanquam culpa vacuum aſſerere exercitium, quod ſuperbiam tantummodo, ac impuritatem inſpirat? Familiaritates, quibus ſaltatio præbet occaſionem utriuſque ſexus commixtioni, nonne præbet juſtam metuendi occaſionem de pudicitia puellarum, quæ ſeſe illis mancipant? Quas enim ideas in animo hæc omnia imprimere putas commercia? Quas cogitationes hæc objecta excitare poſſunt in mente? Hæ vero cogitationes quos affectus gignent in corde? Illos animo mihi fingere pudet; & vos etiam pudere debet id cogitantes, quin videatis. *Idem.*

Quidquid in choreis videtur, vanitatem, & mundi amorem ſuadet.

Quid in choreis videtur? Cœtus perſonarum, quæ feſtivæ ſunt, quæ corporis habitu, ornatuque præſtant, quæ oblectari tantummodo quærunt, & aliquid ad commune oblectamentum conferre. Videntur mulieres, & puellæ, quæ nihil prætermittunt, ut in ſe omnium admirationem convertant, & placeant; videntur homines, qui nihil intentatum relinquunt, ut illis admirationem, amoremque ſuum teſtentur; videtur ſpectaculum, quod ſenſus allicit, quod mentem replet vanitate, quod muſicarum fidium ſono cor mollit. Ita mundi, & creatarum rerum amor ſenſim, ac ſine ſenſu obrepit in cor eorum, qui choreis interſunt. *Idem.*

Pericula, quæ innocentia ſubit in choreis, & cur licitæ non ſint.

Dic mundi ſectatoribus, choreas eſſe vetitas, quia plerumque ſunt ſcopulus innocentiæ, pudoris ſepulchrum, omnium mundanarum vanitatum theatrum, omniumque affectionum triumphus; dic, hanc eſſe congeriem omnium periculorum, quæ ſalus noſtra ſubire poteſt, atque tentationum omnium acerrimam, & vehementiſſimam, omnia ſcopulum eſſe, omnia virus, choreas, muſica inſtrumenta, objecta, colloquia, omnia conferre ad pietatis ſenſus extinguendos, ad mentem, animumque fallendum: nihil magis, quam ſaltationem adverſari chriſtianæ religionis ſpiritui; quo contemptu excipieris? Quot ſubſannationes in hunc ineptum reformatorem fient? Quot gloſſemata in hanc morum doctrinam nimis arctam, & auſteram? ... Veniet tempus cum adoleſcentes illi æquo liberiores cum indignatione, & quadam horroris ſpecie in ſe ipſis damnabunt hæc omnia profana ſolatia, at eritne tempus? .... Nunquam adeo ſero differtur ſolatii, quod parum adeo chriſtianum eſt, damnatio. Tumultus nequaquam æternum immittit ſtuporem, non deſunt quædam rationis intervalla; & quantumvis infirma in flagitioſo homine videatur, illi tamen ſemper oſtendit nequitiam rei illius, quæ ipſi placet, & virus illius rei, qua faſcinatur. *P. Croiſet.*

Profecto ſi profana ſpectacula vetita ſunt; ſi mundani cœtus ſunt parum Chriſtiani; ſi citra noxam periculo objici nequaquam poſſumus; ſi in ipſa ſolitudine ſanctitas tuta non eſt; ſi evangelium eſt regula morum; ſi pudicitia uno tantum intuitu detrimentum patitur, ſi unicum ſufficit deſiderium, ut animus corrumpatur; ſi chriſtiani heroes in ipſo etiam receſſu non ſine difficultate ſuam tuentur innocentiam: quis ſenſatus dicere auderet, fas eſſe choreis indulgere? Quis rationis compos chriſtianum ſervare ſpiritum poteſt, & hoc profanum ſolatium non damnare? *Idem.*

Celebris cujuſdam aulici ſententia de choreis.

Tibi dicam, me nunquam dubitaſſe, quominus periculoſiſſimæ eſſent choreæ. Hoc non ratio ſola me ducit, verum ipſa etiam experientia; quamquam patrum eccleſiæ teſtimonium maximæ ſit auctoritatis, teneo tamen illud aulici ſinceri majoris eſſe debere ponderis. Scio equidem in hujuſmodi locis alios aliis minus ſubire periculum; attamen frigidiſſima etiam temperamenta ibi incaleſcunt; & qui ita gelu adſtricti ſunt, ut non moveantur, nullam inde percipientes oblectationem, eo non accedunt. Ideoque neceſſe non eſt illis choreas interdicere, has quippe ſibimet ipſis interdicunt. Cum nulla percipitur oblectatio, ornatuum cura, & vigiliæ ſatis faſtidio ſunt; cum vero percipitur, certum eſt, magnum adeſſe Deum lædendi periculum. Cœtus hujuſmodi plerumque juvenibus conſtant,

qui in ipſa ſolitudine vix, & ne vix quidem tentationibus reſiſtunt; quomodo vero reſiſtent his in locis, ubi formoſa objecta, funalia, muſica inſtrumenta, & ſaltationis agitatio ipſos calefacerent anachoretas? Senes, qui choreis intereſſe poſſent, quin ullum paterentur detrimentum ipſorum conſcientia, ridendi eſſent, ſi illuc accederent; & juvenes, quibus hoc urbanitas permitteret, non poſſent hoc facere, quin ſeſe nimis magis periculis objicerent. Itaque ſentio, eum, qui Chriſtianus eſt, a ſaltationibus abeſſe debere; & munere ſuo fungerentur confeſſarii, ego credo, ſi eos, quorum conſcientiam moderantur, hujuſmodi cœtibus intereſſe prohiberent. *Deſumptum ex Epiſtola Domini de Buſſi Epiſcopi Auguſtodunenſis.*

S T U D I U M,

Scientia, eruditio; utilitas, rectuſque earum uſus efficiendus, ac finis in illis ſibi proponendus.

M O N I T U M.

NULLUS dubito, quominus primo ſtatim occurſu argumentum hoc ſuggeſtui minus idoneum videatur, de quo ea tantum agenda ſunt, quæ ad morum diſciplinam, non autem ad ſcientiam tradendam pertinent; præterquamquod bonus, qui fieri poteſt ſcientiæ uſus ad pauciſſimos poteſt eorum ſpectare, qui forte argumenti hujus audiunt concionem. Hoc tamen argumentum eſſe poteſt utiliſſimum in cœtu eccleſiaſticorum, in ſacerdotum conventu, in exhortatione peculiari apud illos ſuſtinenda, qui ſtudiis vacant; & quorum eſt alios erudire, atque edocere, & ad omnes, quos ſtatus, vel miniſterii ſui ratio poſtulat, ut ſint vario eruditionis genere exculti.

Finis, & ſcopus, quem ſibi proponere debent argumentum hoc pertractantes, eſt docere, ſcientiam, quamvis nullo in diſcrimine eſſe videatur ad ſalutem acquirendam, maxime tamen eſſe utilitatis ad ſemet ſanctificandos, & ad aliorum ſanctificationem procurandam, necnon præclarum eſſe inſtrumentum, quod virtus, devotio, pietas, zelus, & charitas in egregios uſus convertere poſſunt. Animadvertendum dumtaxat eſt, quamvis iſtic de ſcientia generatim dumtaxat loquamur, quin ad aliquam peculiariter deſcenſus fiat, eam tamen ſemper intelligendam eſſe, quæ eum decet ſtatum, quem ſumus ingreſſi, quæ reipublicæ utilis eſt, quæ prodeſſe poteſt, ut majoribus virtutibus decoremur, & quæ proprie in hoc poſita eſt, ut ad unguem ea calleamus omnia, quæ ad muneris noſtri officia rite, & cum laude obeunda ſunt neceſſaria. Ideo illæ omnes excluduntur, quarum finis eſt vana curioſitas, & quæ nullam habent cum ſalute noſtra, vel cum utilitate ſeu reipublicæ, ſeu illis vacantium rationem.

Quamvis ſimul loquamur de ſtudio, quod ad ſcientiam acquirendam via eſt, noſtri inſtituti, conſiliique non eſt ſtudendi methodum afferre, ſed eas tantum rationes depromere, quæ excitare poſſunt ad ſuſtinendum laborem, qui ab hujuſmodi exercitatione ſejungi non poteſt, ne quis occurrentibus difficultatibus deterreatur: ita tamen ut nulla ex parte omittatur virtutis exercitatio, quæ unicus eſt hac in re ſcopulus pertimeſcendus; ſed ut ſtudium, & ſcientia ſpectetur ſemper tanquam facilior ad ſanctitatem acquirendam viam.

P A R A G R A P H U S P R I M U S.

Variæ concionum hujus argumenti ſtructuræ.

1. DE ſtudio, & ſcientia in illis, qui proximorum ſaluti vacare debent, & qui futuri ſunt aliquando paſtores, confeſſarii, evangelici verbi præcones, &c. oſtendi poteſt: 1. ſi in eorum ſtudiis recta deſit intentio, nunquam illos adepturos neceſſariam magnis, ſanctiſque hiſce muneribus ſcientiam. 2. Quamvis hanc jugi labore ſibi compararent, eadem tamen nunquam vel pro ſua, vel pro aliena ſalute uſuros; quæ duæ ſunt concionis partes.

Pro priori, ajo, niſi bona adſit in ſtudiis intentio, qualis eſſet deſiderium ad majorem Dei gloriam adlaborandi, ſeſe proximo utilem efficiendi, ac ſaluti ſuæ proſpiciendi alienæ opem ferendo, neminem unquam tantis hiſce muneribus parem futurum, neque neceſſariam ad id ſcientiam comparaturum. 1. Quia ſine ope cœleſti omnis labor eorum erit inutilis. De fide eſt, nos hac ope indigere rebus in omnibus, & ſine hac fieri nequaquam poſſe, ut aliquid nobis e voto cedat, præſertim vero in ſcientiis, ubi magis indigemus, ut mens noſtra illuſtretur; ſi enim inter arma Dei præſidium flagitatur, antequam in aciem deſcendatur, periculum quippe eſt, Deum eſſe victoriæ arbitrum, & hanc illis non defuturam; qui ipſum precibus in partes ſuas compulerint, & ideo ille exercituum Deus appellatur; hic non minus eſt Deus ſcientiarum: *Deus ſcientiarum Dominus eſt*, Hanc autem adeo neceſſariam opem, ut in ſcientiis proficias, tibi conferet Deus, eadem uti non ad majorem ipſius gloriam cogitanti? Nunquid ille nobis miniſtrabit arma, ut contra ipſum certemus? Nunquid illis favebit conatibus, qui directe ſibi adverſantur? &c. 2. Dei, & illius, qui ob humanas tantummodo cauſas ſtudiis vacat, intereſt prohibere progreſſus, qui in illis fieri poſſent; pravus enim, quem nobis proponimus, finis in noſtram cedit perniciem, & eo ſpectat, ut Dei munere ad ejuſdem injuriam abutamur. Ita quantum ille gloriæ ſuæ, noſtræque ſtudet ſaluti, quam veluti proprium bonum ſuum reſpicit, tantum intereſt ſua reluctari, ne quem contendimus, ſtudiorum noſtrorum fructum percipiamus, cum ad id non deſint illi ſexcentæ rationes, quas ipſi alteri cuicumque cauſæ potius referemus acceptas. Potes tibi nominis gloriam, honoremque comparaturum hac ſcientia, tibi ad eccleſiaſticas dignitates aditum complanaturum,

atque

Digitized by Google

atque diſerti oratoris, prudentis confeſſarii, hominiſque in omni ſcientiarum genere conſummatiſſimi auram aucupaturum; ſed ſi ille tibi diuturnum morbum, vel habitualem infirmitatem immiſerit, jam omnibus ſtudiis tuis mora injecta eſt, omnia conſilia tua everſa. 3. Quia bona tantum, ſanctaque intenrio efficere poteſt, ut vacemus earum ſcientiarum ſtudiis, quæ ad ea rite obeunda conducunt munera, quæ a nobis illud exigit miniſterium; quod aggreſſori ſumus, eum aliæ quælibet cauſæ nequaquam ſufficiant ad obices infringendos, ſuperandaſque difficultates, quæ in quibuſdam ſtudiorum generibus inveniuntur. Ambitio, exempli gratia, efficiet, ut totum vitæ ſpatium profanis ſtudiis impendamus, & externis linguis addiſcendis, quin funditus illas edoceamur, quæ ad hæreticos quidem proterendos, eccleſiam vero propugnandam ſunt neceſſariæ. Si curioſitas ſtudiorum noſtrorum finis, & cauſa eſt, hæc nobis noſtri temporis hiſtoriam ſuppeditabit evolvendam, ac elegantiora veterum dicta percipienda tradet, ut in hominum cœtu niteſcere valeamus, quin Sanctis Patribus, Conciliis, Canonibus, & eccleſiaſticæ hiſtoriæ inſudemus. Utilitas vero majorem habere vim poteſt ad nos iis ſcientiis admovendos, quæ facilius aditum aperire poſſunt ad beneficia, eccleſiaſticaſque dignitates conſequendas, non diffiteor: verum cum homines de muneribus earum perfungendis non admodum laborent, atque prorſus alio mens eorum ſpectet, ſatis eſt ſcire, qua arte illas conſequi, ac in illis perſeverare valeant levi aliqua earum ſcientiarum cognitione imbuti, quibus non admodum ſe uti velle proponunt.

Pars altera. Secundo ajo, quod licet aliquis cum prava intentione aſſidua, & conſtanti cura fieri poſſet par adimplendo muneri, ad quod contendit, & acquirendæ ſcientiæ, quæ ad officia illi inhærentia rite obeunda neceſſaria eſt: 1. hanc ſcientiam proximorum ſaluti inutilem futuram. Quare? Quia quantumvis in ordine gratiæ, non ſecus ac naturæ utitur aliquando Deus rebus illis, quæ effectibus, quos producere vult, maxime adverſantur; attamen ſecundum communes providentiæ vias non utitur illis, qui propriam gloriam unice quærunt, ut per hos ſuæ gloriæ conſulat, neque utitur peccatorum opera, ut alios peccatores convortat. Nunquid inverteret providentiæ ſuæ ordinem, ut ſua exequatur conſilia, quæ ſunt ſuus quidem honor, & cultus, animarum vero ſalus, velificaturus avaritiæ, & ambitioni eorum, quibus eſt prorſus oppoſita mens, & qui ad illud obreperunt miniſterium, ad quod vocati non fuere? 2. Bonum exemplum, morumque ſanctitas magis, quam ſcientia, aliorum prodeſt ſanctificationi. Homines, qui pravis intentionibus ſeſe muneribus ſacris immiſcuere, & qui non melioribus eadem exercent, aptane ſunt inſtrumenta ad magnum fructum percipiendum, inſigneſque converſiones faciendas? 3. Scientia finibus adeo nequam acquiſita, ac venditata, non ſolum proximo utilis non erit, verum etiam cedet in perniciem illius, qui ad ambitionem abutitur; quoniam illam in judicio Dei criminoſam, atque inexcuſabilem reddit, eo quod ipſe non præſtat, quod faciendum alios docet, &c.

II. Pro concionis argumento aſſumi poteſt felix ſcientiæ cum virtute, atque ſanctitate concordia oſtendendo, 1. vitæ ſanctitatem mirum in modum ad doctrinam adipiſcendam prodeſſe, 2. Viciſſim ex doctrina plurimum opis ad ſanctitatis acquiſitionem hauriri.

Scio equidem vulgo doctos viros redargui, quod majorem curam, laboremque impendant mentem vario eruditionis genere, quam voluntatem ſolidis virtutibus, quæ ſolæ apud Deum ſunt in pretio, excolendo. Eſto, haud temere id objiciatur; id enim ipſa probat experientia, atque ſatis validis argumentis confirmatur: verum quantumvis hæ graves videantur, affirmo, non ſolum ſcientiam, & ſanctitatem ſimul eſſe non poſſe, vel præclaras has qualitates nequaquam ſibi pugnare, verum etiam ultro citroque ſibi manum ve-

luti tendere, mutuiſque auxiliis firmari, ut quilibet ad ſtatus ſui perfectionem perveniat. Utque initium ducat oratio ex iis, quæ ſcientiæ ſanctitas confert, ajo.

Prima pars: 1. Hanc optimam eſſe diſpoſitionem ad ſcientiam a Deo obtinendam; quoniam hoc donum eſt, quod ipſe orationi concedit, quemadmodum exemplo ſuo Sapiens cap. 7. confirmat; *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus: invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Quis autem ambigere poteſt, utrum ſanctitas morum, integritas vitæ, in Dei cultu fidelitas, optima ſit diſpoſitio ad locuples hoc munus obtinendum: & utrum Deus illud libentius amicis ſuis, quam peccatoribus nimis crebro eodem abutentibus elargiatur? 2. Sanctitas ſcientiam perficit corrigens ea, in quibus hæc ſuapte natura videtur deficere: videlicet ſuperbiam, ambitionem, invidiam, contentiones, aliorum contemptus, ac in proprio ſenſu pertinaciam. 3. Scientiam elevat; cumque ſuapte natura nullo ſit in diſcrimine, ſanctam facit; quandoquidem eadem utitur ad Dei gloriam, atque illam poſſidentem ſanctificat, efficiens, ut eandem præclaros in uſus impendat.

Pars altera. Secundo dico, ſcientiam viciſſim plurimum ſanctitati conferre. Etenim duo iſta licet ſint ordinis longe diverſi, neque dici queat abſolute, ſcientiam omnino eſſe neceſſariam, ut ſanctus fias; liquet tamen, eam, ubi cum virtute fœdus percuſſerit, mirum in modum prodeſſe, ut conjunctis earum ſubſidiis adjuti ſanctitatem conſequamur. 1. Quia prohibet, ne in errorem, atque illuſionem impingamus, quod quidem difficile evitare poteſt, qui doctrinæ expers eſt, vel qui doctorum conſilio non hæret: ita ut potiſſimum ſcientiæ erga ſanctitatem meritum hoc ſit, quod illam tuto regit, ac ducit, prohibens, ne in juſtitiæ via unquam deerret: *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei.* 2. Scientia ſanctitatem cæteroquin ſterilem fœcundam facit: videlicet ſanctus, qui doctrina vacuus eſt, ſibi tantum eſt ſanctus: ſed ubi ſanctitas eſt cum ſcientia conjuncta, ſeſe in proximos etiam effundit, & urbes, populoſque integros convertere poteſt, atque ſanctificare. 3. Adde tandem tertio, ſcientiam prodeſſe ad auctoritatem, ac exiſtimationem ſanctitati comparandam, ut ea omnia, quæ pro Dei gloria, eccleſiæque utilitate ſuſcipiuntur, proſpero eventu excipiantur, &c. Atque ad fructum ex hac concione percipiendum, inferendum eſt, non ſatis eſſe habere lumen ſcientiæ, niſi charitatis ardor habeatur; ſcientiam ſine ſanctitate nos coram Deo efficere nocentiores; quæ ſi cum virtute, & ſanctitate in hac vita conjuncta fuerit, efficiet, ut in gloria tanquam ſydera in perpetuam fulgeamus æternitatem. *Ex Panegyrico S. Thomæ Aquinatis, edito ab auctore ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta.*

Studium aliis quidem munus, & occupatio eſt, aliis vero ſolatium, & oblectatio, aliiſque tandem gravis labor, ac ſpecies ſupplicii, ubi oſtendendum eſt. III.

1. Studentibus, ut ſeſe occupent, ac tempus impendant, non ſatis eſſe otium ſtudio evitare; ſed ut chriſtiane ſtudeant, bonum ſibi finem eſſe proponendum, ut videlicet ſe pares ſtatus ſui muneribus obeundis exhibeant.

2. Studentibus oblectationis, & voluptatis gratia, ad id ut hæc voluptas liceat, & hæc oblectatio chriſtiano viro ſit digna, nequaquam curioſis tantum, inutilibus, vel etiam pernicioſis rebus, quas ignorare præſtaret, vacandum eſſe.

3. Iis autem, qui ſtudium oderunt, quaſi gravem aliquem laborem, & qui tamen ex neceſſitate ad illud incumbere tenentur, oſtendendum eſt, hoc eo majoris meriti eſſe, quo magis illud averſantur, majoremque in eo difficultatem inveniunt; immo viam eſſe, qua ſe ipſos ſanctificare poſſint, dummodo moleſtum hunc laborem, qui pœnitens vita appellari poteſt, non reformidet.

IV. Studium conſiderari poteſt, quatenus ad Deum, ad proximum, & ad noſmet ipſos refertur.

1. Quatenus refertur ad Deum; ut illi jucundum accidat, propter ſanctum finem ſuſcipiendum eſt, ut videlicet te idoneum præſtes, qui Deo ſervias, & ad majorem nominis ejus gloriam contendas.

2. Quatenus refertur ad proximum: ſcientiæ illæ addiſcendæ ſunt, quæ ad fructum faciendum, ad illum de officio erudiendum, ad bene, & ſancte vivendi rationem illi tradendam inſerviant.

3. Quoad noſmet ipſos pertinet: ſtudio comes accedere debet pietas, & devotio, ut nos meliores, magiſque virtute præditos præbeamus.

V. 1. Studium, & ſcientia, cui illæ inſint conditiones, quæ in Chriſtiano requiruntur, poteſt nos coram Deo ſanctos efficere per bonum uſum, qui de illa fieri poteſt.

2 Prodeſſe poteſt, ut nos magis honeſtos, ac officioſos efficiat in mundo, ubi perfectius muneribus noſtris tam publicis, quam privatis perfungamur.

3. Poteſt nos utiles efficere eccleſiæ, & religioni, idque pluribus modis.

VI. In hæc Sapientis verba: *Vani ſunt homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* Sap. 14.

1. Scientiam vanam eſſe, inutilem, ac ſæpe etiam pernicioſam, niſi objectum ejus ſit Deus, niſi ad gloriam hujus eadem uti contendimus, vel niſi eadem utimur, ut Deo arctius adhæreamus. Ideo homines vanos efficit, ſuperbos, nimios ſuimet ipſorum æſtimatores, & contemptores aliorum.

2. Sed ea ſcientia, quæ propter Deum quæritur, & cujus objectum ſunt perfectiones, & veritates, quas ipſe nobis revelavit, via eſt, qua de ipſo perquam optime mereri poſſumus, & ad illum impenſius diligendum impelli.

VII. In hæc Eccleſiaſtici verba cap. 1. *Fili concupiſcens ſapientiam, conſerva juſtitiam, & Deus præbebit illam tibi*, Juſtitiam, videlicet virtutem, & probitatem optimam eſſe ad ſcientiam acquirendam viam.

1. Quia Deus libenter ſe amicis, ſibique inſervientibus communicat, uti Scriptura teſtatur; ideoque eos efficit luminum ſuorum participes: *Accedite ad eum, & illuminamini.*

2. Quia Deus labori eorum benedicit, efficitque, ut illi in ſcientiis brevi magis proficiant, quam qui impenſius illis operam navant.

3. Quia Dominus, qui eſt ſcientiarum Deus, quemadmodum illum Scriptura vocat, has largitur illis, qui ſerviunt ipſi, & qui egregie iiſdem utuntur, quod tot ſancti viri præſtiterunt.

VIII. 1. Scientia una eſt ex præſtantioribus rationibus, quibus noſmet, alioſque ſanctificare poſſimus optimo ejuſdem uſu, verbi gratia, cœleſtis meditandi, ex creatarum rerum cognitione ad creatorem aſſurgendi, populum erudiendi, atque zelum ſuum exercendi, eccleſiamque propugnandi, &c.

2. Scientia eſt pernicies doctorum virorum, quos inflat, & qui eadem abutuntur, ut olim Angelorum Anteſignanus, vetereſque Philoſophi, de quibus loquitur Sanctus Paulus, omneſque omnium temporum hæretici, qui eadem ad alios in errorem conjiciendos uſi ſunt.

PARAGRAPHUS ALTER:

Fontes, auctoreſque, unde hauriri poteſt copia ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres. S. Auguſtinus *l. 4. Confeſſ. cap.* 16. amariſſimis proſequitur lacrymis pravum uſum, in quem ſpiritum ac ſcientiam ſuam impendit, & *l. 5. Confeſſ. cap.* 4. docet, nos ſola Dei cognitione fieri poſſe beatos.

Idem Prologo libri 4. de Trinitate oſtendit, ſui ipſius cognitionem reliquis ſcientiis eſſe præferendam.

Idem *ſermon. 53. de verbis Domini* docet, in quo, & quomodo ſcientia nobis utilis eſſe poſſit.

Idem *lib. 12. & 13. de Trinitate* explicat, quid ſapientiam inter, & ſcientiam interſit.

S. Ambroſius *lib. 2. de Abraham cap.* 10. ſub nomine ſapientiæ diſſerit de ſcientiæ extenſione, & utilitate.

S. Gregorius *lib. 1. Dialog. cap.* 1. præbet indicia, ex quibus intelligitur, utrum aliquis Spiritu ſancti ſcientiam poſſideat.

Idem *Homil. 18. in Ezech.* hæc explicans S. Pauli 1. ad Corinth. cap. 12. verba: *Alii datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ*, docet, quinam ſint, qui a Spiritu ſancto ſapientiæ, & ſcientiæ ſermonem acceperunt.

Idem in hæc verba Job: *Seram, & alius comedet*, docet Doctores, ac eruditos viros, quorum mores doctrinæ minime conſonant, aliis quidem, non autem ſibi ſerere.

Idem in hæc Jobi cap. 36. verba: *Qui aufert ſtillas pluviæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum*, docet, triplex eſſe doctorum hominum genus; quorum primi probitatem habent, & ſanctitatem, ſed non docent: ſecundi & bene vivunt, & alios bene vivere erudiunt; tertii male vivunt, & nihilominus alios ad bene vivendum inſtituunt.

S. Bernardus *ſerm. 36. in Cantic.* præ cæteris Patribus fuſius hoc tractat argumentum: docet, utilem eſſe ſcientiam, quamvis illi præferat charitatem: quæ bona eccleſiæ conferant Doctores; vitia, quæ in ſcientia metuenda ſunt; ac tandem explicat, quænam eſſe debeat Chriſtiani ſcientia, & quo ordine ab illo ſit acquirenda.

Hugo *lib. 5. Didaſc.* rationem adfert, propter quam ex tot, qui ſtudiis vacant, adeo pauci docti fiant.

Bloſius *Epiſtol.* 76. Eccleſiaſticum improbat, qui ſenio confectus profanis, inutilibus, atque ſtatu ſuo indignis ſcientiis vacabat.

S. Eucherius *Epiſt. paræn. ad Valerianum* huic auctor eſt, ut potius chriſtianæ morum diſciplinæ, quam Ethnicorum det operam Philoſophiæ, eique palam oſtendit, quanto illa præ hac ſit ad virtutem adipiſcendam utilior.

Granatenſis in tractatu de Oratione cap. 4. §. 10. loquitur de immoderata ſcientiæ, ſtudiique cupiditate, quam inter obices ſpiritus orationis recenſet. Aſcetici aliique.

P. Haineuve tomo altero reſponſionum quæſitis ad aſceticam vitam ſpectantibus tract. 18. de temperantia, de ſtudioſitatis virtute loquitur.

In ſpecimine Ethicorum volumine 2. tractatum habes de modo chriſtiane ſtudendi.

P. Chahu *libro de ſcientia ſalutis* tractatu de doni perquiſitione artic. 4. agit de doctrinæ Salvatoris præ aliorum omnium ſcientia præſtantia.

Hieronymus Platus parte 3. de bono ſtatus religioſi cap. 31. loquitur de gaudio, & voluptate, quæ in cognitione, ac litterarum ſtudio percipitur.

P. Senault in uſu affectuum, ubi loquitur de pravo uſu voluptatis, docet, quantumvis ſcientia præ aliis naturalibus bonis præſtet, non poſſe tamen hominem beatum efficere.

Idem in libro, cui titulus: *Homo peccator*, ſermone nono docet ſcientiæ incertitudinem, & caliginem ex originali peccato eſſe profectam.

Guillelmus Baldeſanus in libro, cui titulus: *Stimuli virtutum* lib. 3. cap. 25. docet ei, qui ſtudiis vacat, conjungendam eſſe cum aliis ſcientiis rerum ſanctarum doctrinam.

P. Theophilus Raynaldus tom. 4. operum ſuorum, *ubi de virtutibus, & vitiis lib. 6. ſect. 2. cap. 3.* fundius agit de amore ſtudendi, de ſcientia, de illius adquirendæ modis, ac de cauſis, quæ ad illum excitare nos poſſunt.

Raynerius de Piſis Titulo *Studium* duplici capite agit de iis, quæ ad hoc pertinent argumentum.

Antonius Poſſevinus in Bibliotheca Selecta, Ludovicus Vives; & alii permulti tractant de ſtudendi arte, & ratione.

Collectio Orationum Gallicæ Academiæ oblatarum anno 1673.

Oſu-

Concionatores veteres, ac recentes.

Oſorius tom. 5. concio habita ad Scholaſticos de ratione, & ordine ſtudendi.

Stapletonus *Dominic.* 12. *poſt Pentec. textu* 2. docet virtutem neceſſario cum ſcientia, & doctrina eſſe conjungendam.

Lambert in ſermonibus de eccleſiaſtica vita duos habet de ſcientia.

P. Duneau in ſermonibus in anni evangelia Domin. intra octav. Epiph. oſtendit doctrina, & ſcientia bene utendum eſſe, atque cavendam ab illis abuſibus, qui ejuſdem fieri conſueverunt.

De la Font in eccleſiaſticis alloquiis pro 6. Dominica poſt Paſcha loquitur de earum rerum ignorantia, quas ſcire tenemur, neque illam excuſat a peccato.

In ſpecimine panegyricorum tom. 1. & 2. in panegyricis SS. Auguſtini, & Thomæ plurima invenies de bono uſu ſcientiæ.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta tom. 3. argumentorum particularium ſermonem habet, ubi de ſancto uſu ſcientiæ loquitur.

Idem in S. Thomæ panegyrico oſtendit, ſanctitatem plurimum conferre, ut aliquis doctus fiat; & viciſſim quantæ utilitatis ſit ſcientia ad ſanctitatem acquirendam.

Qui collectanea ediderunt.

Granatenſis in locis communibus, *tit. Scientia.*
Buſæus in Panario, *tit. Sapientia.*
Spanner, Polianthea ſacra, *tit. Scientia.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Bibliorum huic argumento.

Docete, & ego tacebo, & ſi quid forte ignoravi, inſtruite me. Jobi 6.

Sapientiam, atque doctrinam ſtulti deſpiciunt: Proverb. 1.

Ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum. Proverb. 19.

Diſciplinam & ſcientiam doce me. Pſalm. 118.

Deus ſcientiarum Dominus eſt. 1. Reg. cap. 2.

Sapientes abſcondunt ſcientiam. Proverb. 10.

Imprudentes odibunt ſcientiam. Proverb. 1.

Labia ſapientis diſſeminabunt ſcientiam. Proverb. 15.

Vas pretioſum labia ſcientiæ. Proverb. 20.

Cor rectum inquirit ſcientiam. Proverb. 27.

Impius ignorat ſcientiam. Proverb. 29.

Cor ſapientis quærit doctrinam. Proverb. 15.

Qui evitat diſcere, incidet in mala. Prov. 17.

Quid neceſſe eſt homini majora ſe quærere, cum ignoret, quid conducat ſibi in vita ſua. Eccl. 7.

Cuncta tentavi in ſapientia. Dixi: Sapiens efficiar; & ipſa longius receſſit a me, multo magis quam erat: & alta profunditas, quis inveniet eam? Eccle. 7.

Propoſui in animo meo quærere & inveſtigare ſapienter de omnibus, quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. Eccle. cap. 1.

Qui addit ſcientiam, addit & laborem. Ibid.

Intellexi, quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt ſub ſole, & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat. Eccle. 8.

Quid mihi prodeſt, quod majorem ſapientiæ dedi operam? Locutuſque cum mente mea animadverti, quod hoc quoque eſſet vanitas. Eccle. 2.

Difficile æſtimamus quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis ſunt, quis inveſtigabit? Sapient. 9.

Eſto manſuetus ad audiendum verbum, ut intelligas, & cum ſapientia proferas reſponſum verum. Eccli. 5.

Vani ſunt homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Sapient. 13.

Ornamentum aureum prudenti doctrina. Eccli. 5.

Divitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia. Iſa. 33.

Scientiam eorum ſtultam facit. Iſaiæ 44.

Ego Dominus Deus tuus docens te utilia. Iſa. 48.

Non eſt ſcientia Dei in terra. Oſeæ 4.

Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam te; ne ſacerdotio fungaris mihi. Ibidem.

Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Daniel. 12.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus. Luc. 1.

Teſtimonium perhibeo illis, quod æmulationem Dei habeant, ſed non ſecundum ſcientiam. Ad Roman. 10.

Scientia inflat, charitas vero ædificat. 1. ad Corinth. 8.

Si habuero omnem ſcientiam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. 1. ad Corinth. cap. 13.

In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Ad Coloſſenſ. 2.

Circumferuntur omni vento doctrinæ. Ad Epheſ. 4.

Hoc oro, ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia & in omni ſenſu. Ad Philipp. 1.

Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes. 2. ad Timoth. 3.

Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi. Jacobi 4.

Scientia ſanctorum, prudentia. Proverb. 9.

Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo. Jacob. 1.

Requieſcit ſuper eum ſpiritus ſcientiæ, & pietatis. Iſaiæ 11.

Quam magnus, qui invenit ſapientiam, & ſcientiam! Eccli. 25.

Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. 1. ad Cor. c. 2.

Exempla ex utroque teſtamento deprompta.

De ſcientia Adæ, & ambitioſa ſciendi cupiditate, qua a Dæmone tentatus fuit.

PRimum hominis peccatum fuit ambitioſa, & inordinata ſciendi, ac per ſcientiam ſe Deo ſimilem efficiendi cupiditas juxta dæmonis conſilium: *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum.* Idcirco una ex præcipuis primi hujus ſceleris pœna fuit ignorantia, qua percuſſa fuit mens primi illius hominis, qui doctus fuerat, donec innocens. Deus enim, qui ad ſimilitudinem ſuam illum creaverat, & qui tanquam manuum ſuarum præclariſſimum opus effinxerat, animum ejus omnibus ornaverat naturalibus, atque ſupernaturalibus cognitionibus, quæ illum in terris beatum efficere, eumque ad divinarum perfectionum contemplationem attollere poterant: ſed ignorantia, quæ fuit peccati ipſius pœna cum ipſo peccato ad omnes illius poſteros migravit; & ſcientia, quæ ſine hoc peccato noſtræ naturæ propria fuiſſet, nonniſi diuturno ſtudio, gravique labore comparatur.

De veterum Prophetarum ſcientia.

Cum ignorantia, quæ una eſt inter peccati primi hominis pœnas, ſit etiam aliorum plurium peccatorum, immo graviſſimorum, quæ in terris acciderint, ac præſertim idololatriæ, cauſa; Deus qui hominibus remedium contulit, quo originalis culpæ labes elueretur, tradidit illis etiam modum, quo ignorantiam expellerent; qui ſcientia eſt, ſive infuſa illa ſit, qualem primis Patriarchis, legiſque antiquæ Prophetis elargitus fuit, ut reliquis hominibus oſtendere poſſent ipſorum officia; ſive acquiſita per non vulgarem ingenii felicitatem, quemadmodum David teſtatur ſe peculiari quodam numinis beneficio ipſis etiam inſtitutoribus ſuis factum fuiſſe doctiorem: *Super omnes docentes me intellexi.* Ita Prophetæ alii conſecuti ſunt donum ſcientiæ, ut populos erudirent; & Deo nihil antiquius erat, quam quod miniſtri ſui ſcientia imbuerentur, ita ut per os cujuſdam Prophetæ ſui illum repellat, qui ſcientiam ſibi ad ſacerdotalia munera obeunda neceſſariam contempſerit: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Oſeæ 4.

Salomonis ſcientia.

Scientiam inſigne, maximique pretii bonum eſſe argumento eſt, quod cum Deus optionem Salomoni feciſſet petendi, quod ardentius optaſſet, eique ſe

Illud conceſſurum pollicitus eſſet, vir iſte adeo perſpicax, qui ſola electione, ac petitione ſua Sapientis nomen eſt meritus, non opes, neque poteſtatem, & auctoritatem, non gloriam, neque voluptates, quas ejuſdem ætatis homines tantopere depereunt, petiit, ſed unice ſapientiam, hoc eſt ſcientiam, qua populo ſuo regundo par eſſet, & qua digne obiret munera ſupremæ hujus dignitatis, ad quem divina ipſum evexerat providentia. Quam jucunda acciderit Deo hæc petitio, nemo unus ignorat; Deus quippe poſtulata conceſſit, & præterea illa etiam adjecit, quæ ab illo non petebantur, tanquam adeo ſapientis optionis remunerationem. Obtinuit ergo a Dei liberalitate hanc ſapientiam, & ſcientiam, quæ præſtantiſſima eſt divinitatis participatio, ſed quo in gradu, & quænam illius fuit magnitudo? Superavit ſapientia, Scriptura inquit, eos omnes, qui illum præceſſerant; & nemo eorum, qui illum ſecuti ſunt, eumdem æquare potuit. Felix, ſi ſemper ob oculos Dei timorem habuiſſet, quem ipſe etiam Proverb. 1. & 9. fundamentum, & ſapientiæ principium appellat! Quod vero pertinet ad ſcientiam, quæ proprie eſt naturalium rerum cognitio, ſatis eſt ea legere, quæ afferuntur in Bibliis, ut de illius magnitudine judicium fiat; etenim præter tria parabolarum millia, quas ipſe compoſuit, præter opera poetica, quæ millenarium numerum exceſſerunt, de plantis omnibus ſermonem habuit ab altiſſimis Libani cedris ad hyſſopum, ac minimam omnium plantarum, deque animantibus omnibus ſecundum ſpeciei ipſarum varietatem. Ipſe etiam in libro Sapientiæ cap. 7. teſtatur, a Deo ſibi traditam fuiſſe cognitionem ordinis, atque diſpoſitionis univerſorum, virtutum, atque proprietatum elementorum, initii, ac durationis ſæculorum, viciſſitudinum temporum, curſus anni, motuum, ac influxuum ſyderum, naturæ animantium, feritatis brutorum, variarum cogitationum hominumque diſcriminis ſimplicium, virtutum radicum, & eorum omnium, quæ, ut metalla, terræ viſceribus continentur. Nunquam inter homines fuit, ſi hominem Salvatorem excipias, ſcientia hac major, neque magis late patens ſpiritus extenſio. Credendum eſt aliquandiu hac Salomonem uſum fuiſſe, ut ad contemplationem Creatoris rerum omnium ſe attolleret; ſaltem in ejus libris, qui ſuperſunt, confeſſus eſt, omnes haſce cognitiones ſine pietate, ac timore Dei ad ſalutem inutiles eſſe. Verum neque dubitari poteſt, quo minus infinitæ ſint utilitatis, ut nos attollant ad Deum, & ut officia, ac munera noſtra intelligamus: & ubi ſemel ſcientia cum virtute conjuncta fuerit, nihil magis ad noſtram ſanctificationem, & Dei gloriam procurandam conferre poteſt.

De ſcientia J. C.

Neceſſe non eſt verba facere de ſcientia JESU CHRISTI, quatenus Dei, æternique Verbi. Fides quippe, ac Theologia nos docent, ipſum increatam eſſe Sapientiam, terminum ſubſtantialem cognitionis, quam Pater æternus habet de ſe ipſo, deque omnibus entibus creatis, & poſſibilibus; ideoque nihil eum fallere poſſe. Sed agitur de ſcientia, quam habebat quatenus Verbum caro factum: & quin iſtic de theologica quæſtione agamus, ſcire ſufficit, ſcientiam hanc tantam fuiſſe, quanta eſſe debebat in homine Deo; quapropter Apoſtolus inquit omnes ſapientiæ, ac ſcientiæ theſauros in ipſo abſconditos fuiſſe: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*. Idque ex primo temporis momento, quo Verbum æternum propter amorem noſtrum carnem aſſumpſit. Quod ſi S. Lucas Evangeliſta dicit JESUM CHRISTUM, prout adoleſcebat ætate, ita ſapientia, & ſcientia creviſſe, hoc intelligendum eſt de ſcientia experimentali, quæ cum ætate in omnibus hominibus augetur, atque perficitur. Illud vero hac in re animadvertendum eſt, illum, qui omnia præterita, præſentia, & futura noverat, & qui intimos etiam cordium receſſus ſcrutabatur, & qui multo magis noverat omnia naturæ ſecreta; & quidquid in artibus omnibus utile, & in ſcientiis verum eſt; hic inquam nullum unquam ſermonem habuit, qui mentem noſtram mundi hujus rebus applicare poſſit; ſatis illi fuit hominibus tradere ſalutis ſcientiam, quæ erat miſſionis ſuæ finis, illis curam relinquens labore diſcendi ſcientias naturales, quatenus utiles eſſent ad hanc ſcientiam unice neceſſariam, quæ eſt ſcientia ſalutis.

Quid Spiritus homines docuerit.

Poſt Aſcenſionem Filii Dei Spiritus ſanctus in Apoſtolos deſcendit, ut illos veritatem omnem doceret, quemadmodum Salvator prædixerat, promiſeratque: *Cum venerit Spiritus ille veritatis docebit vos omnem veritatem*. Sed divinus hic Spiritus nequaquam illos profanam docuit Philoſophiam, quæ veritatis perquiſitio, ac ſapientiæ ſtudium vocatur, quamquam illos pares fecerit, qui ſapientes, Ethnicoſque philoſophos confunderent: qui eruditis viris falſa eorum auferrent præjudicia. Scientia, quam tradidit illis, toto cœlo præſtantior, ac certior erat, neque illi omnis ſapientum ſæculi ſcientia reſiſtere poterat. Hoc tamen argumento non eſt, humanas ſcientias, quæ ſtudio, atque labore quæruntur, inutiles eſſe: nam quemadmodum gratiam vulgo ſecundum naturæ diſpoſitiones operatur, rerum humanarum, ac naturalium veritatem ſcientia quam maxime utilis eſt ad divinas veritates cognoſcendas, & non minimo eſt ſubſidio, ut aliis eæ; quæ ad ſalutem ſunt neceſſariæ tradantur.

Quamquam Salvator mundi ad ſui ſequelam rudes, ignaraſque homines vocaverit, quales erant Apoſtoli, quorum opera uſus eſt, ut fidei, & evangelii lumen diffunderet, dici nequit aditum ad egregium hoc miniſterium illis omnibus interclulum voluiſſe, qui ſcientiarum rudimentis eſſent imbuti, quippe conſtat Sanctum Paulum in lege Moyſis verſatiſſimum fuiſſe, & ex Epiſtolis ejus liquet, illum nequaquam prorſus alienum fuiſſe ab humanis ſcientiis, quandoquidem opportune earumdem locos aliquos ſubinde profert. S. Lucas, qui medicam profeſſus fuerat artem, ad apoſtolatus miniſterium evocatus non oblitus fuerat eam ſcientiam, quæ longe plures ſupponit. Auctores quidam teſtantur, S. Philippum Apoſtolum ſcholas frequentaſſe, & unum ex omni filii Dei comitatu litteris imbutum fuiſſe, quarum alii erant omnino rudes; nec non inter Diſcipulos plures recenſentur, qui ſcientias excoluerant. Verum eſt tamen, ad ſtatuendam fidem Deum neque philoſophorum ſcientia, neque oratorum uſum fuiſſe eloquentia, ne prodigium hoc alteri acceptum referri poſſet cauſæ, quam uni poteſtati Dei. Nunc autem cum fides conſtituta ſit, & in omnem terrarum orbem latius diffuſa, Deus aliter agere velle videtur; etenim ad fidem ſervandam, propugnandam eccleſiam, hæreticos refutandos, ſanam doctrinam ſuſtinendam, confirmandoſque nutantes ſpiritus, quos error, & novitas ſeducere poſſet, viris eruditis, doctoribus, ac perſpicaciſſimis utitur ingeniis. Ita videmus, Græcæ, Latinæque Eccleſiæ doctores egregios fuiſſe paſtores, & eos, qui de fide melius meriti fuerunt, eos fuiſſe, qui præ cæteris doctrina excellerent; & actu ſacris ordinibus initiari neminem, niſi qui ſufficienti ſcientia ſit præditus: quemadmodum retroactis ſæculis nulla res magis relaxationem, impietatem, vitium, ac licentiam morum in chriſtianos homines invexit, quam ignorantia eccleſiaſticorum, & miniſtrorum verbi Dei.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Sapientia, & ſcientia conjungendæ ſunt, ut homo ſit magnus coram Deo.

QUam magnus, qui invenit ſapientiam, & ſcientiam! Eccli. 25. Hæc verba non abludunt ab illis, quæ Salvator dicit apud S. Matthæum cap. 4. Eum, qui benefecerit, & alios benefacere docuerit, hunc in regno cœlorum magnum futurum: ſapientia enim peculiariter præſtat,

ſtat, quod agatur, & ſancta, & virtute prædita vita ducatur, cum interim ſcientia ſubſiſtat in cognitione veritatum, quæ conceptæ fuerunt. Duarum autem rerum harum conjunctio hominem magnum efficit coram Deo, ac in terra; in terra, inquam, propter ea, quæ Deo præſtat officia, in cœlo autem propter peculiarem gloriæ gradum, quem poſſidet: Scriptura quippe teſtatur futurum, ut illi, a quibus alii in juſtitiæ via eruditi fuerint, ſyderum inſtar in omnem refulgeant æternitatem. Illud autem perſuaſum eſſe debet, ſapientia, quæ iſtic pro ſtudio virtutis, vel pro *ipſa virtute* accipitur, primum ſemper obtinere debere gradum, & ſine hac poſſe quidem per ſcientiam aliquem apud homines inclareſcere, atque ex turba emergere, non autem coram Deo, a quo illa ſemper reprobata fuit, & qui lætatur doctos ſuperbos confundere; atque illum tandem coram Deo ſimul, & hominibus magnum eſſe vocandum, qui ſapientiam, & ſcientiam adeptus eſt, & qui eadem utitur pro gloria illius, a quo utramque recepit, quoniam hæ duæ ſunt præſtantiſſimæ divinitatis participationes.

Oratione, ac cœleſti lumine pro ſcientia acquirenda indigemus. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Pſal. 33. Hæc etiam verba abnormia non ſunt ab illis S. Jacobi Apoſtoli c. 1. *Si quis veſtrum indiget ſapientia; poſtulet a Deo*; & dicere poſſumus juxta regi Prophetæ, & hujus Apoſtoli ſententiam, nullam eſſe actionem, in qua magis cœli lumine egeamus, quam ſtudium, & ſcientiarum, quæ nobis neceſſariæ ſunt, acquiſitio. Quamobrem inſignis error eſt ſtudium aliquod ſuſcipere, quin cor attollatur ad Deum, eique preces effundantur, ut laboribus noſtris benedicere dignetur. Si enim earum rerum ſcientia, quæ nobis neceſſariæ ſunt, vel utiles, ut muneribus noſtris perfungamur, Dei donum eſt, ad Deum igitur confugiendum eſt, ut illam obtineamus, neque ſperandum eſt ſine divina hac ope nos aliquid unquam poſſe proficere. Vehementer enim errat, qui putat, ſolam ſcientiæ acquirendæ rationem eſſe libros pervolvere, vel aſſidue docti alicujus præceptoris ſcholam frequentare. Magis proficiet, qui luminum patrem ardenti prece invocaverit; & qui Dei auxilio æquam addiderit diligentiam, hic melius votorum ſummam aſſequetur, quam qui ſolo labore ad ſcientiæ acquiſitionem contenderit.

Doctis, qui curioſis & inutilibus ſcientiis operam navant, & æternas addiſcere negligunt. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas.* Jerem. 2. Olim exprobrabat Deus populo ſuo, quod illi ſe aquæ vivæ fontem dereliquiſſent, ac interim ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, effodiſſent. Nonne hodierna die hoc ipſum illis exprobari poteſt, qui tempus, curas, ac ſtudium inanibus, curioſis, & inutilibus impendunt ſcientiis, quæ inſolentiæ ſunt aquæ, ſitis ardori extinguendo minime pares; & quas interim præferunt ſalutaribus aquis, quas haurire poſſent in proprio fonte minori cum difficultate, ac labore? Profecto videmus homines, quos diſcendi, ſciendique cupiditas tenet, vel potius hæc imperioſius dominatur, & qui ardentiſſima ſcientiæ ſiti laborantes, quin ad fontem ſe conferant, qui Deus ipſe eſt, & veritates ab ipſo nobis traditas, quandoquidem 1. Reg. c. 2. Deus ſcientiarum vocatur: *Deus ſcientiarum Dominus eſt*, cœlum ut ita dicam pro cœno relinquunt, & dominanti hac excæcati cupiditate obſtruunt aditum fœcundis gratiæ aquis, ut illum aperiant tenui cuipiam rivulo humanæ ſapientiæ, vel ſcientiæ profanæ, qui ſitim levare non poteſt; hæc cæcitas eſt nunquam ſatis deploranda.

Humanæ ſcientiæ cum labore, & ſumptu comparantur, & labor addiſcendas ſcientias ſæpe inutilis eſt. *Qui addit ſcientiam, addit laborem.* Eccle. 1. Natura, & ingenium hujus cupiditatis, qua ſcientias deperimus, nequeunt melius exprimi, quam per hæc ſapientiſſimi, doctiſſimique mortalium omnium verba. Tandem enim nihil verius eſt, quamquod hæc verba ſignificant, ſcientiam eſſe eruditorum ſupplicium. Hæc minus adhuc, quam ambitio, cancellis continetur; omnia illius vota inordinata ſunt; quo plura poſſidet bona, eo plura cupit; quo ditior eſt, eo ſe putat pauperiorem, ac nova ſemper concipiens deſideria Sapienti locum tradit dicendi, hanc peſſimam eſſe occupationem a Deo hominibus in pœnam tantummodo datam: eum, qui nova addit antiquis cognitionibus lumina, novos prioribus addere labores, & qui ſtudet ſe doctiorem efficere, in id incumbere, ut ſe reddat miſeriorem. Hoc tamen de naturalibus ſcientiis eſt intelligendum; cœleſtes enim, divinæque veritates minori ſumptu comparantur, & nos efficiunt beatiores.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

HÆc tota ſcientia hominis eſt, ſcire, quia ipſe nihil eſt per ſe, & quoniam quidquid eſt, ex Deo eſt, & propter Deum eſt. Auguſtinus in Pſalm. 70.

Qui ſe dicit ſcire, quod neſcit, temerarius eſt, qui ſe negat ſcire, quod ſcit, ingratus eſt. Idem, Serm. de Aſcenſ.

Hæc eſt ſapientiæ & ſcientiæ recta diſtinctio, ut ad ſapientiam pertineat rerum æternarum cognitio intellectualis, ad ſcientiam vero, temporalium rerum cognitio rationalis. Idem, lib. de Trinit.

Infelix homo, qui ſcit omnia, te autem Domine neſcit! Idem, lib. 5. Confeſſ. c. 9.

Quid eſt hoc? ſurgunt indocti, & cœlum rapiunt; & nos cum noſtris doctrinis demergimur in profundum. Idem, lib. 8. Confeſſ. c. 8.

Id, quod ſcire dicimus, nihil aliud eſt, quam ratione habere perceptum. Lib. 1. de lib. arb. c. 4.

Scientia eſt, cum res aliqua firma ratione percepta & cognita eſt. Id. de quantit. animæ c. 26.

Tanto magis poterit, Deo adjuvante, proficere, quanto ſtudioſius cœperit ſanctorum Patrum dicta requirere, & inventa frequentius atque attentius recenſere. Idem, Epiſt. ad Donatum Tribunum.

Cum aliquid ſcire volumus, abſit pervicacia contendendi, adſit diligentia requirendi, humilitas petendi, perſeverantia pulſandi. Idem, l. 4. de Geneſi.

Non parva ſcientia eſt ſcienti conjungi, ille habet oculos cognitionis, tu habeto credulitatis. Idem, in Pſalm. 36. Serm. 2.

Non eſt erubeſcendum homini confiteri ſe neſcire quod neſcit, ne dum ſe ſcire mentitur, nunquam ſcire mereatur. Idem, Epiſt. 157. ad Optatum.

Scientiam cœleſtium, terrenarumque rerum magni exiſtimare ſolet genus humanum, in quo profecto meliores ſunt, qui huic ſcientiæ præponunt noſſe ſemetipſos. Idem, in Prolog. lib. 4. de Trinit.

Sic adhibeatur ſcientia tanquam machina quædam, per quam ſtructura charitatis aſſurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum ſcientia deſtruetur. Idem. Epiſt. 119.

Ipſa ſcientia punitur conſcientia; ſic ergo diſcite ut faciatis. Idem, Serm. 145. de Reſurrect. Domini.

Amate ſcientiam, ſed anteponite charitatem. Idem, Serm. 53. de verb. Domini.

Scientia, ſi ſola ſit, inflat. Idem, ibidem.

Non eſt vera ſcientia boni, niſi ad hoc comprehendatur, ut agatur. Idem, lib. de varia innoc. c. 24.

Inutiliter meditatur legem Dei, qui laborat, ut memoria teneat, quod actione non implet. Idem, ibidem.

Qui didicerunt a Domino, eſſe humiles corde, plus cogitando & orando proficiunt, quam legendo & audiendo. Idem, Epiſt. ad Paulinum.

Primus diſcendi ardor, nobilitas magiſtri. Ambroſ. lib. 2. de virg.

Tunc ſcientia magna eſt, ſi charitate humiliatur, ut amplius creſcat: temperatur enim a dilectione, ut non ſatis mera ſit, ne inebriet ſcientem, & ſe extollat. Idem, in primam ad Corinth. c. 8.

Scien-

Scintillarum nedor nulla prorſus ætate extinguitur, imo ipſe magis ætate inflammatur, Hieronymus Epiſt. ad Demetriadem.

Quidam non quærunt in lectione ea, unde a virtutem erudiantur, ſed ea, unde ſingulariter eruditi videantur; atque ita immoderatis auſibus ſcientiam, quo plus appetunt, plus amittunt. Gregor. l. 20. Moral. c. 8.

Perfecta ſcientia eſt ſcire omnia, & tamen ſe eſſe ſcientem neſcire. Idem, in cap. 37. Jobi.

Qui ſe putat aliquid ſcire, nondum cognovit, qualiter oporteat eum ſcire. Idem, lib. 27. Moral.

Non eſt vera ſcientia boni, niſi ad hoc cognoſcatur, ut agatur. S. Proſper, in Pſalm. 118.

Plerique accepta ſcientia litterarum, non ad Dei gloriam, ſed ad ſuam laudem utantur, dum de ipſa extolluntur, & ibi peccant, ubi peccata emendare debuerant. Iſidorus, lib. 3. de ſummo bono.

Ad majoris culpæ cumulum pertinet, ſcire quemquam quod ſequi debeat, & ſequi nolle quod ſciat. Idem, ibidem.

Quanto majora ſunt litteraturæ ſtudia, tanto animus arrogantiæ faſtu, & inflatu majore intumeſcit jactantiæ. Idem, ibidem.

Scientia eſt Deum noſcere, & virtutem colere: in illo ſapientia, in hoc juſtitia continetur. Lactantius, l. 6. c. 5.

Quis ſcire contentus eſt, non expectans aliquem fructum ſcientiæ? Idem, l. 3. divin. inſtit.

Illud quidem inter omnes ſanæ mentis homines conſtare arbitror, eruditionem inter mundana bona primum locum tenere, Gregor. Naziann. orat. 31. in laudem Baſilii.

Utile eſt multa ſcire & recte vivere. Quod ſi utrumque non valemus, melius eſt, ut bene vivendi ſtudium, quam multa ſciendi ſequamur. Iſidorus, Sentent. l. 2. c. 1.

Qui ſeipſum non docuit, alium docere non poteſt. Origenes, Homil. 38 ſuper Levitic.

Præcedit ſcientia virtutis cultum; quia nemo poteſt appetere quod ignorat, & malum, niſi cognitum ſit, non timetur. S. Chryſologus.

Dicere & non facere, non ſolum lucri nihil, ſed damni plurimum confert; grandis enim condemnatio eſt compacenti quidem ſermonem ſuum, vitam vero ſuam atque operam negligenti. Chryſoſt. lib. de compunct. cordis.

Totius prudentiæ compendium in litteris continetur; ſi reſpublica regenda eſt, ſi prælia committenda ſunt &c. libri hæc omnia erudiant ad perfectum. Salvianus in Epiſt.

In litteris prudens invenit, unde ſapientior fiat ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur, nec aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna, quam litterarum non auget glorioſa notitia. Idem, ibidem.

Nihil aliud ſcientia noſtra quam culpa, qui ad hoc tantummodo legem novimus, ut majore offcaſione peccemus, quia quod lectione & corde novimus, libidine & deſpectione calcamus. Idem.

Noſter hic peculiariter reatus eſt, qui legem divinam legimus, & ſemper violamus, qui Deum noſſe nos dicimus, & juſſa illius & præſcripta calcamus. Idem.

O quam velox eſt ſermo ſapientiæ, & ubi Deus magiſter eſt, cito diſcitur quod docetur. S. Leo, Serm. 5. Pentec.

Qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit. Idem, Epiſt. 87.

Carioſitas eſt ſtudium perſcrutandi ea, quæ ſcire nullæ eſt utilitatis. Anſelm. lib. ſimilit. cap. 26.

Fruſtra in nobis divinæ cognitionis abundantia creſcit, niſi in nobis divinæ dilectionis flammam augeſcat. Hugo de vanit. mundi.

Scientia jucundam valde reddit vitam, & maximum in tribulatione præſtat conſolationem. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi poſſit.

SCientiæ nomen iſtic non uſurpatur in ſenſu, quo a philoſophis adhibetur pro certa, atque evidanti cognitiona naturalium effectuum per cauſas, vel cauſarum per effectus. Sed intelligimus earum rerum cognitionem, quas Chriſtianus ſcire, & exercere tenetur, ut obeat munera ſtatus, ac religionis ſuæ, ut perveniat ad finem, qui æterna eſt ipſius beatitudo. Hæc autem cognitio ſapientia vocatur, cum eſt earum veritatum, quas a primis, ſupremiſque cauſis accepimus; & ſcientia vocatur, cum acquiritur ex ſecundis, & naturalibus cauſis argumenta ducendo; & hujuſmodi cognitionum ſtudio, vel experientia quæſitarum ſupellex hominem proprie doctum conſtituit. Denique prudentia vocatur, cum dux eſt actionum noſtrarum, ac vitæ, moribuſque noſtris regundis inſervit. Hæc omnia complectimur ſub ſcientiæ nomine, quamvis in hoc dumtaxat tertio ſenſu in chriſtiano ſermone ſit intelligenda. Quid ſcientiæ nomine iſtic intelligatur.

Studium, quod via eſt neceſſaria, & communis ad ſcientiam acquirendam, neque enim de illa ſermo eſt, quam divinitus Sancti quidam obtinuera, fortis eſt, conſtans, & attenta applicatio, qua homo iis vacat cognitionibus, quæ illum formara poſſunt, atque officiis ſtatus ſui obeundis parem efficere. Applicatio hæc oriri debet non ſolum ex naturali cupiditate ſciendi, quam omnis habet homo; ſed ex libero, laudabili, honeſtoque deſiderio ſe erudiendi de iis omnibus, quæ neceſſaria ſunt, ut vir bonus fiat, & fideliter ſua munera adimpleat. Verum cum cupiditas eſt immoderata, & eſſe queat; & nimia ſtudendi ſedulitas, ut doctior evadas, eſſe poſſit nimis jugis, aut vehemens, immo ab aliis etiam officiis te avertera valeat, moralis tradit virtutem, quæ *ſtudioſitas* dicitur, & quam S. Thomas 2. 2. q. 166. art. 2. ſubjicit temperantiæ, ſeu quod proſcribit curioſitatem ſciendi ea, quæ ſunt inutilia, ſeu quod nimis violentum diſcendi, ſciendique appetitum moderatur. Operæ tamen pretium eſt animadvertera, quamvis proprius hujus virtutis effectus eſſe videatur potius ad ſtudium excitare, & inflammare, quam ſtudiendi cupiditatem compeſcere, vel regere attentionem in ſtudio adhibendam, cum plures ſint, qui ſatis non ſtudent, nimium ſtudentibus: uterque tamen effectus ad hanc virtutem pertinera dicendus eſt: ſed cum magis liqueat, vitium eſſe non ſtudere cum ſtudendum eſt, quam nimis ſtudio vacare, ſtudioſitatis virtus rationabilem, atque chriſtianum hominem utrobique regere debet. Quid de ſtudioſitate virtus ſtudioſitatis.

Quæri poteſt, undenam oriatur periculum nimis ſtudendi, cum ſtudio plerumque tantus labor accedat: at cauſa eſt vehementia cupiditatis ſciendi, quæ efficit, ut omnes ſuperentur difficultates, quæ in ſcientiæ acquiſitione inveniuntur, tunc potiſſimum, cum inde aliquis ſperatur honor, aut voluptas, aut utilitas non ſpernenda. Unde liquet, ad hoc ut *ſtudioſitas* ſtudii exceſſum corrigat, ſciendum eſſet, quid mali inveniri poſſit in fine, qui ſtudiis proponitur. Undenam oriatur periculum nimis ſtudendi, licet tantus ſit labor ſtudio conjunctus.

Ut chriſtiana ſtudeas, ſtudium nequaquam tibi ſpectandum eſt veluti indifferens quædam occupatio, ſed velut actio maximi momenti, quæ prout bene, vel perperam fiat, plurimum ad ſalutem, interitumve tuum poſſit conferre. Ideo hac in re illud præ cæteris obſervandum occurrit, ut ſtudiis tuis optimum finem proponas. Particulares fines, qui haberi poſſunt in hac exercitatione, qua potior vitæ pars occupatur, varii ſunt pro varietate ſingulorum, qui ſcientiæ acquirendæ adjiciunt animum. Quorum cum alii boni ſint, alii mali, ita ſtudium vel ſanctum, vel nefarium efficiunt. Boni porro fines, quos omnes ſibi ſingillatim propo- Finis quem ſibi proponere debet ſtudens, & mali fines evitandi.

nere

Digitized by Google

here debent, ut iiſdem conſequantur, hi ferme ſunt. 1. Dei gloria; quamvis enim hæc ratio communis eſſe, ac in omnibus actionibus noſtris locum habere debeat, ambigi nequit, quo minus ſcientia prorſus peculiaris ſit ratio majorem Dei gloriam quęrendi. 2. Fructus, quem a ſcientia percipere poſſumus ad virtutem per ſublimes eas cognitiones, quas ejuſdem adminiculo acquirimus de magnitudine Dei, de creaturarum nihilo, & de eo, quod neceſſarium eſt, ut chriſtiana vita ducatur. 3. Utilitas proximi, quem hac ope erudire de officiis ipſius, cui conſilia ſuppeditare, & ad bonum, virtutemque acquirendam calcar addere, faceſque ſubjicere poſſumus. Quod ſpectat ad peculiares fines, quos quilibet habere poteſt, niſi ad hos referantur, labor, qui in ſtudiis impenditur, coram Deo nullius eſt meriti; & ſi mali ſunt, ſtudium, ſcientiamque ipſam in perniciem convertunt.

Ut certo ſciamus bonum eſſe ſtudiorum noſtrorum finem, in vocare ſtudiis debemus, quo ſuum ope munera noſtra eſſi cia facilius obeamus.

Ut bonum in ſtudiis noſtris finem habeamus, pro Deo inſtituenda ſunt, eidem inſerviendi cupiditas nos ad ſtudendum impellere, & voluntas illius ſtudia noſtra debet moderari; ita ut ſi laboris ſuſcepti non aliud principium eſt, quam curioſitas, vanitas, vel alia quęlibet inanis cauſa, Deo acceptum eſſe, & nobis ad virtutem comparandam conferre minime poſſit. Quamobrem ut certi ſimus Deo inſerviendi deſiderium eſſe finem ſtudiorum noſtrorum, illa nobis eligenda ſunt, quibus uti ad munera noſtra obeunda valeamus: ſi enim inutilibus tantum rebus addiſcendis impendimus operam, patet nos neque Dei voluntate, neque eidem placendi deſiderio agi ad ſtudendum. Quę tamen regula non eſt eo uſque exaggeranda, ut religioni, & crimini vertamus ea omnia ſtudia, quę directe ad vitę noſtrę munera, & ad Deo illic ſerviendum in ſtatu, ad quem vocati ſumus, nequaquam referuntur. Nam dummodo tantum impendamus temporis, quantum opus eſt, ut ea, quę opus ſunt, addiſcamus, reliqui nobis aliqua conceditur copia, dummodo eo non abutamur; & modus non abutendi eodem eſt, ſtudium referre ad aliquod, quod per ſe utile ſit, & nobis prodeſſe poſſit, veluti ad hiſtoriam diſcendam, ad bene dicendi artem percipiendam; hæ quippe generales ſunt facultates, quę particulari muneri noſtro nequaquam adverſantur.

Non ſemper noxia voluptas eſt ex ſtudiis voluptatem percipere.

Putandum non eſt, malum eſſe ex ſtudiis ſuis voluptatem percipere, neque ex illis quodammodo mentis ſolatium petere; ſi enim ſtudia, quibus oblectamur, inter officia noſtra recenſentur, hęc oblectatio eſt, quam Deus noſtrę infirmitati concedit; & hac utamur opus eſt, ut in dies magis progrediamur; cum certe liqueat, ſtudia, quę cum voluptate ſuſcipiuntur, memorię altius inhęrere, quam illa, quibus nonniſi ęgre, & inviti vacamus. Quod ſpectat ad illa, quę meri ſolatii ſunt, hęc legitima eſſe poſſunt eo modo, quo ſolatia legitima ſunt: hoc eſt ad mentem ſeriis fatigatam ſtudiis ſubinde reficiendam, ad eamdem majori alacritate inſtaurandam, & ſpiritum occupandum, ubi aliis rebus vacare non poſſit. Neque ſemper perniciolum eſt aliquam ſibi animi laxationem permittere; certum quippe eſt in ſtudiis aliquando magis progredi, qui per intervalla quieſcit, quam qui diuturna laboris aſſiduitate mentem fatigat, & torquet.

Studia officiis ſuis ſunt accommodanda.

Studia ſecundum noſtra officia a quolibet inſtituenda ſunt; & niſi aliud munus habeamus, quam ſtudium, omnia collimare debent ad finem, quem ipſi nobis propoſuimus, tanquam nobis maxime congruum. Verum conſiderandum eſt nobis duplex eſſe officiorum genus, ideoque nobis duplex finium genus eſſe proponendum; alterum quidem particulare, quod a pluribus pendet circumſtantiis, & quod variare poteſt pro varietate eorum, qui ſtudiis operam navant; alterum vero generale, & commune omnibus, quod eſt animæ ſuæ eam eſcam præbere, quæ neceſſaria eſt, ut in via Dei ſubſiſtere valeat.

Reliquæ ſcientiæ tempus habent ſuum; eaſque relinquere fas eſt, cum ex illis tantum didiciſti quantum opus erat. Sed Ethicæ chriſtianæ ſtudium nunquam relinquendum eſt; cum ipſa vita producendum eſt, quin unquam dicere fas ſit, ſatis te didiciſſe, edoctumque fuiſſe; neque enim ſatis eſt has veritates theoretice callere, ſed animo noſtro ſemper præſentes eſſe debent, tunc cum exercendæ ſunt, ac in praxim redigendæ.

Scientia pluribus modis abuti poſſumus.

Scientia, & veritatis cognitio per ſe bona eſt; hęc tamen non prohibet, quominus per appetitus depravationem eadem poſſis abuti; nihil enim ita ſanctum eſt, quo abuti nequeat depravata voluntas. Ita Philoſophiæ ſtudium bonum eſt, & laude dignum; ſed quoniam aliqui eodem ad fidem impugnandam abutuntur, nos monet Apoſtolus, ut caveamus, ne quis doctrinis novis, ac philoſophicis ſophiſmatibus nos in errorem inducat. S. Thomas 2. 2. qu. 167. art. 1. autem docet, ſcientia, & cognitionibus ſex modis per vitioſam curioſitatem abuti nos poſſe. 1. Cum alicujus veritatis ſcientia, vel cognitio non quæritur, niſi ut gloriam aucuperis, & intumeſcas. 2. Cum hac uteris cognitione ad peccandum. 3. Cum ex Dæmone, ac per noxias magiæ vias ſcientiis perquiritur. 4. Cum rerum, quæ vel neceſſariæ, vel utiles ſunt, ſtudium, & cognitio negligitur, ut rebus nullius utilitatis opera navetur. 5. Cum perceptarum veritatum cognitio ad extremum finem non redigitur. 6. Cum ea quærimus, & ſcire conamur, quæ noſtram intelligendi vim ſuperant, & excedunt.

Modi reprimendi inanem curioſitatem, cum de ſcientia agitur.

Ratio cohibendi ſpiritum curioſitatis in ſcientiis, cui indulgere eſt maxime periculoſum, hæc eſt, 1. ſcire nolle ea, quæ ſupra nos ſunt, & quorum cognitionem Deus nobis negavit: ſed noſmet coarctare in cognitione earum rerum, de quibus nos erudiri vel juſſit, vel patitur. 2. Non ſinere, ut nobis immoderatus ſciendi dominetur ardor, qui ſæpe efficit, ut cætera negligamus. 3. Studio operam dare propter Deum, & ut mandatis illius obtemperemus. 4. Mandata hæc ad unguem adimplere, ſeu propter tempus ſtudio impendendum, ſeu propter cognitiones, ad quas acquirendas debemus contendere, ſeu propter ſcientiæ uſum, qui a nobis faciendus eſt.

Neceſſe eſt bene eligere ſtudii genus, cui vacemus.

Cum fieri nequeat, ut omnia ſciamus, ac plurima ſint, quorum cognitio vel inutilis eſt, vel etiam pernicioſa; jubet prudentia, neceſſaria reliquis anteferri, utiliora minus utilibus, & ab iis prorſus abſtineri, quæ majorem perniciem, quam fructum, allatura videntur. Hic in electione habenda inſtituendus eſt ordo; ſed maximum malum eſt, plurimorumque malorum cauſa, quod plerique oppoſitum faciunt, majorique ſtudio ſuam explere curioſitatem, quam propriam perſequi utilitatem contendunt. Profecto ſi non omnia ciborum genera indiſcriminatim ſumuntur, & ſedulo illi omnes evitantur, qui nocere poſſunt: ſi in agris non omnia ſeminum genera, ſed utilia tantum ſeruntur, quę diligentia adhibenda in iis rebus eſt, quæ ſunt mentis noſtrę alimenta, & ſemina cogitationum noſtrarum? Ea enim, quę hodie promiſcue condiſcimus, ubi occaſio feret, excitabuntur, ac ſuppeditabunt ne opinantibus quidem cogitationes, quæ cauſa erunt ſalutis noſtræ, vel reprobationis.

De earum rerum ignorantia, quas ſcire tenemur.

Cum Theologis notandum eſt, duplex eſſe genus ignorantiæ; quarum altera invicta eſt, quę excuſat a crimine, oritur enim potius a noſtrę mentis imbecillitate, quam a voluntatis nequitia; altera vero nefaria eſt, quę item in tria diſpeſcitur genera, videlicet in craſſam, affectatam, & pravam. Ignorantia craſſa eorum eſt, S. Bernardus ait, qui inutilium rerum ſtudio operam navant, interim negligentes rerum earum cognitionem, quę omnino ſunt neceſſarię, ut muneribus ſuis rite perſungantur: *Multi ſcienda neſciunt, aut ſciendi incuria, aut diſcendi deſidia, aut verecundia inquirendi*, Pater hic ait. Ignorantia hęc indirecte voluntaria eſt, inquit Theologis, quatenus homo ſtudere detrectat, neque ſuperare vult difficultatem, quam invenit in earum rerum cognitione, quę ſibi ſunt neceſſariæ ut ſua mune-

munera adimpleat; vel quatenus relinquere non vult operam, quam inutilibus, vaniſque rebus impendit, quod idem eſt, ac chriſtiani hominis officia velle ignorare. Id ignorantiæ genus reprobationis charactere notatur; quoniam Deus per os Prophetæ Oſeæ c. 4. profitetur, eum, qui ſcientiam repulerit, a Deo iri repulſum: *Quia repuliſti ſcientiam, repellam te*; non ſecus ac per os S. Pauli dicentis, eum, qui ignoraverit, iri ignoratum: *Si quis autem ignorat, ignorabitur*. Hic ſtatus eſt plerorumque fidelium nunquam ſete id ſcire quærentium, quod ſcire debent.

Docti cavere debent, ne illos inflet ſcientia.

Omnes aſceticæ vitæ magiſtri eos, qui ſcientiæ vacant acquirendæ, cujus indigent, ut ſua adimpleant officia, ſuoque munera perſangantur, etiam atque etiam monitos volunt, ut contra ſubtile ſuperbiæ vitus, a quo docti viri ſumma cum difficultate ſe ipſos præſervant, & quod Patres interiori comparant vermi ſpecioſiſſimos fructus corrumpenti, ſibi quam diligentiſſime caveant. Fulgidiora quælibet officia abſcondito hoc infecta veneno coram Deo nil aliud ſunt, quam abominatio: & miniſtros doctos quidem, ſed vanos, atque ſuperbos JESUS CHRISTUS ſimile putat dæmoni, qui licet invitus divinitati ejus teſtimonium perhibebat, & cui ſilentium induxit.

Oratio præſtantiſſimus modus eſt proficiendi in ſtudio, ſed utrumque conjungendum eſt.

Sanctorum omnium ſententia eſt, orationem plurimum poſſe ad eas acquirendas ſcientias, quę nobis ſunt neceſſarię; & S. Auguſtinus, qui duos huſce tradit modos ad ſcientiam perveniendi, ſtudium videlicet, & orationem, non meruit affirmare, longe majorem orationi vim ineſſe, quam ſtudio: verum ne putes orationem ſolam per ſe ſatis eſſe: ſtudium ſimul, & oratio conſocianda ſunt, atque veritas hęc bene intelligenda eſt ad utrumque extremum vitioſum evitandum. Non deſunt, qui nimis in ſtudio confidunt, & negligunt orationem; & ſunt, qui orationi penitus vacant, ſtudium vero omnino relinquunt. Priores illi vocandi ſunt docti ſuperbi, poſteriores vero aſcetici inſani, qui eo quod Deus hanc gratiam aliquibus ſanctis viris conceſſit, quorum opera ad gloriam ſuam uti, eoſque ſine ſtudio doctos efficere voluit, cujuſmodi fuere Apoſtoli, aliique nonnulli ſanctitate pęſtantes viri, ſperant ſibi a Deo gratiam eamdem large, effuſeque conceſſum iri, quin attendant, idem eſſe ac tentare Deum, naturalia, & communia relinquere ſubſidia, & ſupernaturalia, ac ſine ulla neceſſitate miracula pęſtolari. Ut igitur Deo inſervire valeamus in ſtatu, ac munere noſtro, Deus petit a nobis, ut ſępe ipſius imploremus opem, & interim nihil intentatum reliquamus, quo minus pro virili, ac ſerio ſtudiis vacemus.

P A R A G R A P H U S VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Unde oriatur naturale, quod omnibus ineſt, ſciendi deſiderium.

OMnes homines, Philoſophus inquit, natura ſua ſcire deſiderant, & hoc ſtudium a duobus oppoſitis oriri principiis reor, & effectum eſſe cujuſdam commixtionis luminis ſimul, & tenebrarum, quem in mentibus noſtris habemus. Cum altera quidem ex parte intellectus noſtri divinis manibus efformati fuerint, ac Deus illis intelligentiæ ſuæ radium, tanquam primum imaginis ſuæ characterem, communicaverit; illis aliquod ſemper remanet ſemen, & aliquis primorum eorum luminum ſenſus, qui per lutum, ac limum, quo involuti quodammodo ſunt, rationem noſtram ſollicitat, ut naturali hac utatur face, ejuſque fulgorem novis cognitionibus augeat, ut nos principio noſtro magis ſimiles faciat. Verum quia in ordine naturæ educti ſumus ex tenebris nihil, & huic addidimus nihilum morale peccati, omnes in ignorantiæ tenebris naſcimur, quam nobiſcum gerimus, tanquam nihili noſtri reliquias, & quam patimur tanquam pœnam ſcelerum noſtrorum. Quamobrem ſpiritus noſtri ſecretos exerunt conatus, ut huic ſuppleant defectui, paulatim hanc auferant cæcitatem, & haſce tenebras diſſipent. *Biroat in ſecundo ſermone Adventus.*

Quo præſtantiora in ſe ipſis ſunt res, eo majori earum cognoſcendarum deſiderio tenemur.

Quamvis mentes noſtræ imitentur oculos, qui in ea intenduntur omnia, quæ ſeſe illis repræſentant; experientia tamen docemur, in id potiſſimum incumbere, ut cognoſcant objecta, quæ ipſis præſtantiora videntur, & quæ non vulgarem in ſe habent perfectionem. Hæc curioſitate acti ſcrutamur, ut detegamus ſecreta, quæ continent, & quæ curis, ſtudiiſque noſtris digna cenſemus. Sed frequentius illic noſtram requirimus gloriam: cognoſcimus enim mentium noſtrarum perfectionem conſiſtere in perfectione, & præſtantia rerum earum, quæ cognoſcuntur, & quo hæc ampliora, ſublimiora, & præſtantiora ſunt, eo magis ornare, & commendare hanc noſtram metipſorum partem, quæ nos a reliquis creatis rebus diſtinguit. Ideo majori afficimur voluptate ex ſtudio ſcientiarum, quæ nobilius habent objectum, cujuſmodi ſunt motus cœlorum, res divinæ, ordo naturæ, & id genus alia, quarum cauſas, & effectus exploratus habere ſumma curioſitate contendimus. *Idem.*

Sciendi deſiderium non ſolum homini ingenitum eſt, ſed majorem vim habet, quam omnes aliæ cupiditates.

Sciendi deſiderium homini ingenitum eſt, & ſi minus illius eſt propugnaculum, ſaltem præcipua eſt inter proprietates illius. Bruta alios habent affectus cum nobis communes; quædam movet ambitio, & gloria, quædam invidia, zelotypia, & ultio; omnia deſiderium vitæ, quam ſummis viribus tueri, & ſervare conantur: ſed ſciendi cupiditas hominum propria eſt, qui nihil intentatum relinquunt, ut ſuam expleant curioſitatem. Terræ viſcera aperiunt, ut illius ſecreta inveſtigent, metalla conflant, ut eorum detegant eſſentiam, in maris abyſſus deſcendunt, ut illius explorent portenta, cumque cœlum penetrare nequeant, illuc tamen feruntur animo, ut ſyderum diſtantiam metiantur, ut eorum ſitum, influxus, & quidquid in ignotis, & inacceſſis regionibus illis agatur, intelligant. Hæc autem cupiditas mirum in modum percrebuit propter auctoritatem, ac famam, quam ſibi in terris comparavit; nihil enim majori habetur in honore, quam ſcientia. Maximæ quælibet dignitates fere ſemper doctioribus viris collatæ fuerunt, eo uſque ut extruerentur ædes, & dicarentur aræ eorum memoriæ, qui primi artes excogitarunt, atque perfecerunt ſcientias; ita ut promiſſio, quantumvis fallax, quam dæmon primo homini obtrudere conatus eſt, ad illum ſeducendum perſuadens futurum, ut ſcientia illum Deum efficeret, quodammodo fuerit adimpleta per eorum ſimplicitatem, qui doctos homines venerati ſunt. Mirum ergo eſſe non debet, ſi ambitio, & honoris cupiditas cum naturali curioſitate conjuncta ſciendi cupiditatem efficiant ardentiorem. *P. Senault in homine peccatore ſermone 9.*

Scientiæ acquirendæ difficultas deſiderium imminuit, & in pleriſque mortalibus prorſus extinguit.

Quamquam ſciendi cupiditas noſtram excitat curioſitatem, & ipſa ignorantia, qua obruti ſumus, nos impellit ad oblectationem aliquam in rerum mundi hujus cognitione quærendam, nec non ad aliquod ſolatium petendum ex perquiſitione ſecretorum naturæ; attamen difficultates, quæ ſcientiis inhærent, hoc in nobis deſiderium imminuunt, earumque ſuperandarum deſperatio pleroſque deterret homines, ne adeo ſalebroſum, arduumque ſtadium ingrediantur: ideoque malunt in ſua verſari ignorantia, quam illinc emergere conſtanti, aſſiduoque ſtudio, quod diuturno temporis ſpatio adhibendum eſt: neque animum appellere poſſunt ad ejus boni acquiſitionem, in quo labor gloriam excedit, & præmium labori impar eſſe videtur. *Idem in ſermone octavo.*

Scientia bonum eſt, quod homines nobis eripere nequeunt, ſed quod nos beatos non facit.

Scientia bonum quidem eſt, quod nobis eripi nequit. Tyranni, qui vitam auferunt, ſcientiam auferre non poſſunt, & calumnia, quæ nomini noſtro labem offundere poteſt, nequit cognitionibus noſtris offundere tenebras. Hoſtibus invitis docti ſumus; opes iſtæ pretioſæ nobiſcum in captivitatem

tem feruntur; exulant, nequa nos in ipſa morte deſtituunt. Eas gerimus, quocumque proficiſcimur, & fortuna, quæ victoribus honorem, & voluptuoſis affert voluptates, doctis doctrinam præripere nequit. Verum quantumvis hoc præ aliis præſtet bonis, hominis felicitatem conſtituere non poteſt, neque illi veram oblectationem afferre, quia nunquam deeſt aliqua ignorantiæ commixtio, quia lumina illius ſemper confuſa ſunt, quia majorem habet dubitationem, quam certitudinem, ac plures errores, quam veritates: & præterea ſæpe nobis inutiliſſima eſt, & ſere etiam noxia: niſi enim fuerit cum humilitate conjuncta, quod raro accidit, nos inflat; cumque alioquin non ſine ſummis laboribus comparetur, cum Sapiente fateri debemus, hanc peſſimam eſſe occupationem, quam dedit Deus hominibus, ut illos puniret. *Idem in uſu paſſionum, ſermone altera de mala uſu voluptatis.*

Præſtantia ſcientiæ, & voluptas, quæ inde percipitur.

Sciendi deſiderium, quod nobis ingenitum eſt, convaleſcit adhuc propter excitationis hujus dignitatem, & ſuavitatem, quæ illic reperitur; re enim vera vix fingi poteſt occupatio homine dignior, quam ſeſe totum impendere perficiendæ parti illi, quam in ſe habet nobiliſſimam, rationem videlicet, quæ in dies augetur, ac nova recipit lumina ex cognitionibus, quas illi ſcientiæ ſuppeditant. Voluptates vero, quæ illic guſtantur, tantæ ſunt, adeoque ſolidæ, & conſtantes, ut philoſophus quidam dixerit, ſe intelligere non poſſe, citra ſtudium aliquid in vita ſuave, & jucundum hominibus eſſe. Hæc affectio ſuapte natura ſatis potens novas adhuc vires acquirit per amorem propriæ dignitatis, quæ in nos miram obtinet poteſtatem. Conſtat enim, ſcientiam viam eſſe inter cæteras brevem, tutamque ad inſignem honoris gradum aſſequendum; & ſicuti amor, quo omnes homines dignitates appetunt, in eorum corde radices jecit, omnes fere ſumma cum aviditate hanc amplectuntur, per quam ſe ambitionem ſuam ſperant expleturos. Præſertim vero prætexunt pietatem, proximi utilitatem, & fructus, quos alii ex ipſorum ſtudiis, laboribuſque percipere poſſunt; quoniam hoc generale bonum eſt ab omnibus hominibus perquirendum. Hinc accidit, quod ſæpe ſub publicæ utilitatis prætextu particularibus velificamur affectibus, nobiſmet perſuadentes, propter Deum mere fieri a nobis, quod propter nos, & turpes, indignaſque nobiſmet ipſis conſiderationes perficimus. *Granatenſis in Tractatu de oratione, & meditatione.*

Variæ cauſæ, propter quas homines ſtudiis ſe addunt.

Plures ſunt cauſæ, S. Bernardus ait, quibus homines ad ſcientiam acquirendam ducuntur. Alii ſcire cupiunt hoc uno conſilio, ut ſciant, & hæc non probanda curioſitas eſt; alii, ut nominis famam aucupentur, & hæc inſana eſt vanitas; alii, ut ſcientiam ſuam vendant, ac per illam opes, & honores acquirant, & hoc eſt turpe commercium. Non deſunt e contra, qui ſcire velint, ut proximum ædificent, & hæc charitas eſt, & alii, ut in pietate, aliiſque virtutibus proficiant, quæ eſt vera prudentia. Quicumque ſcire cupiunt, aliquem ex his finibus habere poſſunt; ſed in hoc noſmet ipſos fallimus, non dignoſcentes perſpicue quænam ſit ratio vera, quæ nos ad ſtudendum impellat. Sed ex omnibus illis, qui ita ſtudiis, & ſcientiarum acquiſitioni operam navant, poſteriores dumtaxat duo non abutuntur iis cognitionibus, quas adipiſcuntur, quia nonniſi, ut Deo ſerviant, illas acquirunt. *Idem.*

Moderata in ſtudiis induſtria, & ſcientiarum cupiditas laude digna eſt, cum ordinem ſervat.

Si immodica ſtudendi cupiditas vituperanda eſt, fatendum ſane eſt, ubi ratio eam moderetur, nec non eorum imperia, qui in nos habent auctoritatem, regant illam, tantum abeſſe, quod ſit vitium, aut tentatio, ut potius ſit virtus, & exercitium laude dignum, & utile cuicumque mortalium generi, præſertim vero adoleſcentibus, quoniam hoc pacto tempus ſuum rebus ſeriis impendunt, evitant otium vitiorum omnium originem, & adoleſcentiæ ſcopulum periculoſiſſimum. Seſe a ſexcentis aliis cupiditatibus liberant, ac ſibi eam doctrinam comparant, qua aliis, & ſibi poſſunt prodeſſe. *Idem.*

Tenemur acquirere ſcientiam, quæ neceſſaria eſt, ut ſtatus noſtri officia peragamus.

Hoc ſaluberrimum eſt conſilium, quod illis tribui poſſit, qui ardenter ſtudere deſiderant, ut cogantur ſcientiarum acquiſitioni vacare propter proximi utilitatem, ut nunquam avertant oculos a proprio profectu, licet inde minor proximo ceſſura utilitas eſſet: quippe lex charitatis nequaquam jubet, nos ita alienæ ſtudere utilitati, ut propriæ meminerimus. Ulterius procedo, & facile probare poſſem, ſi id capiatur conſilii, tantum abeſſe, quod proximus illiac aliquod detrimenti patiatur, ut e contra ſummum illi bonum cedat: unica enim, ac vera alios ad perfectionem adducendi via eſt, ante cætera propriæ perfectioni ſtudere. Ita ſane; ad animas lucrandas, eaſque ad Deum convertendas bona eorum, qui erudiunt, & docent, vita majorem vim habet, quam omnis ſcientia, & diſertiſſimus quilibet ſermo. *Idem.*

Non ſemper legitima eſt coram Deo excuſatio ignorantiam prætexere, qua ea, quæ nobis facienda erant, minime explorata habebamus. E contra vero craſſa hæc, in qua ſumus, ignorantia earum rerum, quæ ſtatus noſtri ſunt propriæ, eique neceſſariæ, nos efficit nocentiores; etenim præter generales cognitiones, quas a nobis Chriſtiani nomen exquirit, nonne in civili vita quædam ſunt profeſſiones, quæ luminibus indigent, ſine quibus ſalutem ſuam operari impoſſibile eſt? Es promus condus theſaurorum eccleſiæ; ubi tibi lubet, aperis, & claudis ſacros rivulos, qui humanæ redemptionis continent pretium: ſcientiam non habes adeo periculoſæ diſpenſationi neceſſariam; indiſcriminatim in veros, falſoſque pœnitentes JESU CHRISTI cruorem effundis; vel te ſtatui tuo parem præbe, vel relinque munus Angelis ipſis metuendum. Tu es regiæ auctoritatis ſequeſter, ac ſaci populorum arbiter; minima verba, quæ excidunt tibi in terribili conſtituto tribunali, ubi de hominum bonis, honore, & vita judicas, ubi ſemel locutus fueris, irreparabiles gignunt effectus: & ſi hanc provinciam ingreſſus es, quin haberes ſcientias, quæ omnino ad illam recte procurandam ſunt neceſſariæ; ſi putas bonum hanc, quem te habere ſeutum aſſeris, locum habere poſſe perfectiſſimæ juris prudentiæ, quæ tibi neceſſaria eſt, nullus eſt prætextus, qui conſcientiam tuam valeat confirmare eo in ſtatu, in quo vix fieri poteſt, ut non ſis aliquando injuſtus, quin eſſe velis, & ſcias; ſcientia enim non eſt minus neceſſaria, quam virtus, ut digne obire poſſis ſocietatis æque, ac religionis officia. *Specimen panegyricorum tom. 1. in paneg. S. Thomæ Aquinatis.*

Plerumque fidelium negligentia in diſcendis iis, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria.

Æque noxia, ac frequens eſt plerorumque fidelium ignorantia, qui fere nunquam ſtudent, & qui perfunctorie tantum ea diſcunt, quæ vel ad ſalutem conſequendam, vel ad munera obeunda neceſſaria ſunt. Quid prodeſt illis eſſe in ſchola ſapientiæ Dei, ſi documentis illius aures obſtruunt, & ferie doctrinæ illius excipiendæ minime vacant? Cum dolore dicere poſſumus, quod olim S. Gregorius Nyſſenus dicebat, ex omnibus mundi artibus nullam oſcitantius diſci, nullamque magis ignorari, quam artem bene vivendi. Et profecto eorum pleriique, qui ſcientiam jactitant, & omnigenæ eruditionis famam aucupantur, nonne id exprobrari poſſet, quod olim S. Paulinus exculto neſcio cui litteratoque viro, ſed in iis, quæ ad ſalutem pertinent, rudi objecit: *Floribus poetarum ſpiras; fontibus oratorum inundas.* Ex poetarum operibus flores collegiſti, ex oratoribus ſuadam exprompſiſti, in philoſophorum ſcientia conſultiſſimus es, ac plurimos perpeſſus es labores, ut humanas ſcientias acquireres; ſed eas neglexiſti, quæ tibi ſunt magis ad ſalutem neceſſariæ. *P. Texier, ſerm. 8. Adventus.*

In iis rebus ſtudendum eſt, quæ a

Non deſunt quædam, quæ a nobis ſciri vult Deus; at hæc illa ſunt, quæ ignorare adfectamus;

alia

nobis cognoſci noluit Deus,

alia ſunt, quorum cognitionem nobis Deus abſcondere voluit, & hæc ipſi ſcrutari contendimus. Sapiens hanc nobis aperit veritatem, cum ait Eccli. 8.: *in ſuperfluis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus ejus non eris curioſus.* Hæc egregia eſt regula ad ea diſtinguenda, quæ nobis percipienda ſunt, ab illis, pro quorum cognitione nobis laborandum non eſt. Noſtrum igitur eſt ad examen ea vocare, quorum cognitio ſtatui noſtro eſt neceſſaria: ea videlicet, quæ a nobis cognoſci vult Deus, & in quibus cum fructu noſtram exercere poſſumus curioſitatem: nam pergit Sapiens: *Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* Qui ne ipſa quidem religionis novit rudimenta, vane tempus ſuum terit in earum rerum perquiſitione, quas vel tenere, vel neſcire nihil intereſt. Nonnunquam etiam mens humana repletur fallacibus opinionibus, incertis conjecturis, argumentationibus in officina patris mendacii conflatis: quod Eccleſiaſticus deplorat, cum addit: *Multos ſupplantavit ſuſpicio illorum; & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Quonam pacto inhiberi poteſt hic ſpiritus curioſitatis, quo decipi adeo facile eſt? Hoc videlicet, ne quæramus ea, quæ ſupra nos ſunt poſita; ut noſmet contineamus in earum rerum cognitione, de quibus nos erudiri jubet Deus; ne cupiditate omnia ſciendi nos trahi patiamur; ut propter Dei gloriam ſtudiis operam demus; ut ad unguem Dei præcepta ſequamur ſeu quoad tempus ſtudiis impendendum, ſeu quoad ea, quorum cognitio a nobis perquirenda eſt, ſeu denique quoad uſum ſcientiæ noſtræ faciendum. *Lambert in ſermonibus de vita eccleſiaſtica, ſermone undecimo.*

Studium hoc animo ſuſceptum, ut eccleſiaſticum ſtatum amplectatis, ſanctum eſſe poteſt, & vituperabile.

Aliud eſt ſtudere, ut eccleſiaſticarum dignitatum officiis perfungamur, cum ad illas legitime evocamur; aliud eſt ſtudere, ut ad eccleſiaſticas dignitates aditum nobis ſeceremus. Primum illud eſt in ordine Dei. Dignitatum eccleſiaſticarum pondus cognoſcitur, metuitur, formidatur, effugitur; ſed ſolum præſto ſumus, ut obediamus Deo, ſtatim ac ſuam nobis voluntatem aperuerit. Nos eccleſiaſticarum dignitatum fulgor non perſtringit; laborem quærimus, non gradum. Alterum vero e contra plenum eſt ſpiritu ſuperbiæ; veniunt, ut ſerviant JESU CHRISTO eo ſpiritu, qui omnino oppoſitus eſt ſpiritui JESU CHRISTI; magni eſſe volunt, & JESUS CHRISTUS profitetur parvulos tantum, & humiles a ſe amari, in pretio haberi, & in cœlo magnos eſſe. Attolli cupiunt, & JESUS CHRISTUS abjectionem jubet amari. Id quærunt, quod Sancti fugerunt; neque deterrentur eo, quod ſanctis omnibus viſum eſt pondus humanas vires exuperans. Nunquid magis damnabilis concipi temeritas poteſt? *Idem.*

De ſtudio vanitatis ergo ſuſcepto.

Quod plurimi faciunt, ut ſeipſos attollant, & ad dignitates perveniant, alii faciunt, ut gloriam acquirant, & nominis celebritatem conſequantur. Volunt in mundo æſtimari, niteſcere, ex turba emergere, ideoque plurimos perferunt labores, ut in ſcientiis proficiant; conſtat enim doctos viros præ aliis majori illic haberi in pretio. Velle in mundo æſtimari deſiderium eſt in homine chriſtiano improbandum, in eccleſiaſtico vero, qui propter characterem ſuum JESU CHRISTI ſpiritum propius ſequi tenetur, longe damnabilius eſt; ſed deſiderium ab hominibus æſtimandi cum JESU CHRISTI diſciplina poteſtne conciliari? *Idem.*

Vides homines, qui ſeſe deſtinant eccleſiæ, ſed qui ſciendi deſiderio flagrantes ſemper diſcere volunt, quin alicui ea, quæ ſciunt, velint communicare. Veras habent cognitiones, ſed earum neminem participem faciunt. Avari ſibimet ſervant, quidquid poſſident, & comparatas opes imminui putant, ſi has aliis communicent. Eruditiſſimi, ſi ita eos dicere mavis, ſed eccleſiæ inutiliſſimi; eccleſia enim quamvis plurimos habeat id genus doctiſſimos viros, ſi oppugnata fuerit, nullum habebit propugnatorem. Parvuli petent panem, nec erit, qui hunc illis frangat. *Idem.*

Eccleſiaſticus in ſtudiis proximi utilitatem privatæ oblectationi præferre debet.

Eccleſiaſticos in ſtudiis ingenium ſuum ſequi non debet, ſed quam diligentiſſime explorare, quid proximo proſit. Jucundius vobis eſſet, non diffiteor, rebus aliis vacare; ibi majorem, quam in ſanctorum librorum lectione oblectationem invenietis, ſed hæ prophanæ ſcientiæ veſtrum diſſipabunt ſpiritum, nihil inde haurietis, quod veſtram foveat pietatem, neque illam populi, quem ædificare veſtrum eſt; cum e contra ſanctorum librorum lectio vos repleret præceptis ad ſtatum veſtrum ſpectantibus; uberem vobis ſuppeditaret materiam, qua populo chriſtianarum virtutum praxin tradere poſſetis. Nunquid vel deliberandi locus eſt? quin immo nonne præ omnibus ſtudiis illud præferre debetis, ex quo majorem fructum recipere poteſtis, & quod vos aptiores efficiet officiis ſtatus veſtri rite obeundis? Altius menti veſtræ hæc veritas hæreat, vos eum ſtatum amplecti, qui exigit, ne ſitis amplius veſtri, ſed proximi, atque hinc facile cognoſcetis, ſtudiorum veſtrorum hunc finem eſſe debere, illos ædificare, quemadmodum in uſu ſcientiæ veſtræ vobis adlaborandum eſt, ut illos ædificetis. *Idem.*

Vix fieri poteſt, quid eccleſiaſticus ſcientia carens, & ſtudium non amans bene agat.

Cum infirmitas noſtra non ſinat, tempus omne in oratione, & precum exercitatione traduci; niſi eccleſiaſticus ſtudium amet, neque ſe parem præbeat, qui proximo proſit ſcientiis, & cognitionibus, quas adeptus non eſt, quanam in re ille tempus impendere debet? Status ejus non patitur, aliquam artem ab ipſo excoli, labor manuum illi vetitus quidem non eſt, ſed fidei conſonum non eſt, ipſum illi vacare unice, ut otium evitet. Ita videmus, eccleſiaſticum ſtudio, & ſcientia carentem hominem eſſe, qui vitam ducit ſtatui ſuo parum conformem, qui ultro, citroque recipit, redditque inutiles viſitationes, qui voluptuariis cœtibus intereſt, qui frequens adeſt in mundanis ſocietatibus, qui ſeſe negotiis immiſcet, & quæ de novo accidunt, ſumma curioſitate perquirit. Ille quidem flagitioſam vitam horreat, & ab omni ſcelere immunis ſit. Nunquid hoc eſt officium miniſtri Domini, quem alit eccleſia, ut habeat, qui in gravibus neceſſitatibus ſibi opituletur? *Idem.*

Neceſſe eſt iis non deterreri difficultatibus, quæ occurrunt in ſtudio, ſi ei deſtinamur muneri, in quo ſcientia, & doctrina omnino ſunt neceſſariæ. Ab hoc tamen plerique varios afferentes prætextus ſeſe diſpenſare contendunt. Hic ait, ſtudii aſſiduitatem ſuæ valetudini obfuturam; ille ingenue fatetur, ſe nequaquam natum eſſe ſcientiis addiſcendis, in quibus plurimum quidem laboris perferret, nullum vero fructum perciperet, cum nullum habeat pro ſtudiis ingenium, nullamque erga litteras propenſionem; alios tandem dicit, ſe ſibi vim inferre non poſſe, atque hanc exercitationem nimiam attentionem, & aſſiduitatem expoſcere. At ſi verum fateri volunt, ratio vera ea eſt, quam poſtremo memoravimus; illos libertatem amare, & nullo modo ſibi crucem figere, laboribuſque exercere velle: plurima enim fiunt, quæ multo magis valetudini officere poſſunt; & illis, qui credunt ſe laborando nihil aſſecuturos eſſe, reſpondere ſatis eſt, fieri nequaquam poſſe, ut conſtanter certum ſtudiis tempus impendentes ſatis magnum non referant fructum, ut officiis ſuis rite obeundis pares evadant; illi vero, qui nullum habent ingenium, nullam propenſionem, nullamque ſcientiis aptitudinem, religioni ſibi vertere debent, ſi illud arripiant munus, vel ſtatum, ubi ſcientia omnino neceſſaria eſt, ut perfungantur iis officiis, quæ eidem prorſus inhærent; quandoquidem certum eſt, ipſos ſalutem ſuam in diſcrimen adducere. *Idem ex parte.*

Vita, quæ in jugi, aſſiduoque ſtudio tranſigitur, moleſta eſt, & gravis.

Neque potes vitam hominis ſtudio mancipati facilem eſſe; qui hoc ſerio experientur, invenient e contra, vitam ſtudio prorſus addictam moleſtiſſimum eſſe vivendi genus, & aliam quamlibet moleſtam non eſſe, niſi quatenus ad hanc propius accedit. Et ratio conſtat; nihil enim eſt naturæ magis

gis

gis contrarium, quam uniformitas, & requies, quia nulla res magis locum nobis præbet, ut nobiſcum ſimus. Mutatio, exterioreſque applicationes nos extra nos rapiunt, nobiſque ſolatium afferunt efficientes, ut noſtrummet ipſorum obliviſcamur. Denique hic mortuorum ſermo ſemper mortuus eſt, nihilque in eo acriter amorem proprium, noſtraſque excitat cupiditates. Omni caret actione, motuque; languidas dumtaxat ingerit nobis ideas rerum earum, de quibus ſermo eſt; quia non accedit vocis tonus, geſtus, oris, corporiſque habitus, & alia, quæ mirum in modum prolunt ad hoc, ut vivæ fiant imagines, quæ per hominum converſationem in nos ingrediuntur. Quamobrem facilius vita activa, & tumultuoſa perſeretur, quam tranquilla, ac ſtudio intra privati cubiculi parietes abdita. Facilius eſt, ac naturæ magis conſentaneum militiam ſequi, mercaturam exercere, mari iter inſtituere, vitam in diſcrimen adducere, quam in ordinata ſolitudine vitam quietam traducere. Ubi ergo hoc vitæ genus delectum eſt, ſimul & hoc eſt capiendum conſilii, ut omnis languor, & inertia propulſetur: etenim amor proprius, qui cogi non patitur, hinc ſibi reſarciri cupit, quod inde deperit; cumque nequeat ea frui agitatione, quæ majorem ſibi oblectationem afferret, vult tamen frui laboris immunitate. *Eſſais de Morale*.

Non ſatis eſt eccleſiaſtico doctum eſſe, niſi ſermone aliis ſuam ſcientiam communicet.

Eccleſiaſtico, qui ſe Deo inſerviendo devovit, parum eſt doctum, & laboris amatorem eſſe, niſi extrinſecus ſuam producat ſcientiam, eaque bene utatur. Si enim olim ſacerdotum labia ſervabant ſcientiam, veluti depoſitum ſibi a Domino creditum, hodie illam tenentur depromere, ac effundere tanquam bonum, quod omnibus populis debent. Tunc veritas exiguum dumtaxat terræ angulum habuiſſe videtur, nondum lata fuerat lex, ut toti mundo prædicaretur; ideoque illi ſecretorum divinorum ſequeſtres non indigebant dono verbi, & ſermonis, ut illam annuntiarent. Hodie vero, cum totus terrarum orbis ad illam pertineat, ac altiſſimi numinis miniſtri jubeantur docere, & illuminare eos, quos Deus illis regendos commiſit, dimidium tantum eorum habent, quæ ipſis ſunt neceſſaria, ſi ſcientiam tantummodo, & cognitionem habeant ſine verbo. Pares non ſunt, qui perfecte ſerviant eccleſiæ, vel dignitati, ac miniſterio Apoſtolorum ejus ſuccedant, niſi Dei dona recipiant, qualia Apoſtolis collata ſunt; & niſi Spiritus ſanctus, qui deſcendit ſuper illos, ut eos omnem doceret veritatem, ſimul illis linguarum conſerat donum, ut alios erudiant. *In vita Cardinalis de Berule*, tom. 3. cap. 12.

Scientia prodeſſe poteſt ad majorem ſanctitatem, & perfectionem acquirendam.

Omnia ſpiritus lumina cor noſtrum perficere debent, & quo magis illuminati ſumus, eo magis ſancti eſſe debemus, & Deus plura ab illis petet, qui plura acceperunt. Hinc fit, quod fideles, quibus Deus omnes evangelicas veritates revelavit, proculdubio Judæis eſſe debent perfectiores, quibus Deus non niſi in ænigmate, ac per figuras locutus eſt: & inter Chriſtianos illi, quibus Deus uberius ſcientiæ ſuæ theſauros effundit, quibus clariores præbet divinarum ſuarum perfectionum ideas, quibus apertius religionis myſteria manifeſtat, hi, inquam, Deum impenſius amare, eique accuratius inſervire debent, quo melius ad id ſe teneri cognoſcunt, cumque ultro oculos claudunt, ne videant cœlum, quo illuminantur, quo plus luminis habent, eo ſiunt nocentiores. *Specimen panegyricorum, panegyrico S. Auguſtini*.

Varia ignorantiæ genera, quorum alia a peccato excuſant, alia non item.

Non deſunt, qui ſcire nolunt, quid ſibi faciendum ſit, tam minori ſe pœna mulctandos, ſi ignoraverint bonum, quod faciendum ſibi fuiſſet: ſed hic error eſt, & gravis illuſio: plurimum enim diſcriminis intercedit inter eos, qui ſimpliciter ſua ignorant officia, & eos, qui illa ignorare volunt. Qui illa cognoſcere conatur, nec poteſt, ſimplicem habet ignorantiam, qui vero rejicit occaſiones de illis erudiendi, qui illa ſcire formidat, qui obſtruit aures, ne veritatis vocem audiat, teſtatur contemptum contumelioſius voluntatis Domini ſui, atque nequiorem ſuæ ſalutis negligentiam, non admodum ſcire laborans, utrum vita, quam ſequitur, illuc adducat, an potius abducat. Ita prava hæc affectio, quæ efficit, ut cæci iſti voluntarii oculos claudant lumini veritatis, quin excuſet eos lapſus, in quos in tenebris ambulantes impingunt, e contra ſcelera eorum nequiora facit, & venia magis indigna. Nequicquam igitur ſibi blandiuntur rati ſe crimine vacare, ſibique nullam reddendam eſſe rationem officiorum, quibus perfuncti non ſunt, eo quod illa ignorarunt; judicabuntur, atque in ipſos animadvertetur æque, ac ſi illa perfecte cognoviſſent, quippe voluntaria eſt ignorantia ipſorum, & effectus corruptionis cordis eorum. Verum quidem eſt, ignorantiam officiorum ſuo ſtatui inhærentium ex negligentia, & incuria ſe erudiendi minus criminoſam eſſe, quam hæc adfectata ignorantia, non ideo tamen innocentes efficit coram Deo illos, qui prætermittunt aliquod ſtatus ſui munus obire, eo quod non adhibuere curam, & diligentiam, quæ ipſis adhibenda fuiſſet, ut edocerentur, vel ut adipiſcerentur ſcientias, quæ ad illud recte obeundum erant neceſſariæ; ignorantia quippe illorum voluntaria eſt, ac jure cenſentur ignorare voluiſſe id, de quo edoceri neglexerunt. Si Deus, S. Auguſtinus ait, tibi ſceleri minime vertit, quod per invictam ignorantiam, & quod modus illud ſciendi tibi deſuit, neſcis, minime injuriam tibi facit crimini vertens, quod per diſcendi negligentiam ignoras; *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras*. La Font in eccleſiaſticis diſcurſibus pro 6. Dominica poſt Paſcha.

Ex hoc principio vides, quot ſequantur illationes, quæ infinitis prope mortalibus detegunt craſſam illuſionem, qua ſe innocuos, neque probro dignos putant; cum per ignorantiam, vel ſufficientis ſcientiæ defectum ſuis deſunt officiis. Ita Medici, ne vobiſmet os ſublinatis, qui per ignorantiam ægrotis pharmacum propinatis, quod eorum mortem accelerat, quanquam illud animo eoſdem curandi præſcripſeritis; ſtuduiſſe oportuerat, ac noſſe vim, ac temperamentum hujus pharmaci, antequam eodem uteremini: ignorantia veſtra vos reos mortis eorum conſtituit. Judices ne nimis rectitudini cordis veſtri, ac incorruptæ æquitati veſtræ confidatis, ubi de re agitur, cujus jura vobis ſunt explorata; ſi injuſtam fertis ſententiam in cauſa aliqua, eo quod non ſatis diligenti examine illam excuſſiſtis, quamquam vobis animus fuit recte judicandi, rei eſtis, ac reparare debetis injuriam, ac detrimentum, quo affectus fuit ille, quem per ignorantiam ſeu juris, ſeu facti damnaſtis; alteram quidem eo quod ſufficientem ſcientiam non habuiſtis, alteram vero quod non ſatis veritatem, & æquitatem conſideraſtis. Confeſſarii, Directores, Concionatores, qui ad animarum regimen, curamque evocati eſtis, ne ita confidatis puritati intentionum veſtrarum, neque zelo, quo animarum lucrandarum vos agi putatis; quidquid in miniſteriorum adeo præſtantium exercitatione peccatis propter regularum ibi ſervandarum inſcitiam, vobis imputatur; opus non erat, ut hanc aggrederemini provinciam, cum eam vobis perſpiceretis deeſſe ſcientiam, quæ ad illius munera adimplenda neceſſaria eſſe intelligitis: rei eſtis omnium malorum conſiliorum, quæ pœnitentibus præbuiſtis; ac ratio vobis reddenda erit malorum, quæ inde proficiſcentur: cor enim ſpartam hanc adornandam ſuſcepiſtis, quin haberetis ſcientiam, atque doctrinam, quæ ad id requirebatur, & ſine qua voſmet in interitus periculum adduxiſtis? *Idem*.

Studium, & ſcientia non æque deſiderantur.

Nemo non ſcire deſiderat; verum qui ſtudere cupiant, pauciores ſunt; primum enim illud plus curioſitatis habet, laboris minus; hoc vero plus laboris, & tædii, minus voluptatis. Etenim cum homini nihil acerbius ſit, quam ſe ipſum pati, ſequitur, ſtudium, quod ab exterioribus nos amovet occupationibus, ac nobiſcum morari cogit; neque labore carere, nec faſtidio. Attamen Deus hominum mentes ita diſpoſuit, ut

ſtudium

ſtudium aliis quidam negotium ſit, aliis ſolatium; primis conſtantia opus eſt, ut laborem ſciant; his vero ſapientia, ut quodcumque tædium prohibeant. *Ex libro, cui titulus: La conduite du Sage.*

Mali ſtudioſi, quos aliqui in ſcientiis proponunt

Quidam ſtudent ſolum, ut ſtudeant, quin alium ſibi proponant finem, quam novas veteribus cognitiones addendi. Hæc quædam eſt ſpiritualis avaritia: quemadmodum enim avaritia in hoc poſita eſt, ut opes opibus aggeras, quin eas aliis communices; ita hujus avaritiæ proprium eſt ſcientias ſcientiis agglomerare ad propriam tantummodo voluptatem. Hoc ſtudii genus excuſari poteſt, ſi ad animi dumtaxat ſolatium ſumatur; verum cum id muneris eſt noſtri, officiique, cumque munus hoc ad alios referatur, id æque iniquum eſt, ac ſi os ſibi tantum, non autem cæteris membris vellet comedere. Alii vanitatis cauſa ſtudent, ut ſcientiam, ingeniumque oſtentent ſuum, quod ſtudium ſimile videtur dapibus quibuſdam, quæ magis inflant, quam nutriant, & quæ fumos dumtaxat ad cerebrum mittunt. Scientia, quæ per vanitatem tantum acquiritur, non niſi per vanitatem communicatur, atque hoc pacto communicata neque communicantis ſpiritum natrit, nec recipientis. Alios etiam videmus iis rebus operam dantes, quæ cum eo ſtatu, in quo ſunt, nullam habent rationem; hoc ſane eſt tempus impendere, ut illius jacturam facere diſcatur; laboribus exerceri, ut ſtudium inutile fiat, niſi eodem utaris, vel ſi utaris, ridiculum. *Idem.*

Chriſtianæ conſiderationes de ſcientiis, & ſtudio.

Mentem excolis tuam ſcientiarum diſciplina; verum quid proderit illam cognitionibus, luminibuſque replere, ſi animam tuam in tenebris, & errore reliqueris? Te doctum facere conaris, verum cui bono rerum naturalium ſcientiam conſectaris, ſi in ſalutis ſcientia nihil intelligis? Veterum auctorum lectione oblectaris, eorumque ſenſa intelligere geſtis; cur non potius audis omnium creatarum rerum vocem de Deo tibi loquentium? Multum didiciſti, ſi te ipſum vincere didiciſti; verum quid didiciſti, ſi nondum ferre, uti opus eſt, didiciſti? Quid percepiſti ex conſideratione cœlorum, elementorum, mixtorum, plantarum, animalium, ſi cordis tui qualitates percipere nequis? Difficiles enucleare quæſtiones noſti; at noſtin' tuam expedita conſcientiam, ac rationes Deo a te reddendas? Plurima de divinitate aſſecutus es, verum illamne in ſpiritu, & veritate, uti oportet, adorandi modum es aſſecutus? Sed quantumcumque temporis ſpatium ſtudiis inſumpſeris, veniet mors, quæ plura te uno docebit momento, quam toto vitæ ſpatio diſcere potueris; poſtremum enim momentum illud æque doctos facit, ac beatos, vel miſeros. *Idem.*

De uſu ſcientiæ.

Doctrinam acquirere, multum quidem eſt; ac doctrina bene uti multo majus. In ſcientia inquirenda ſemper adeſt curioſitas, & in eadem acquirenda labor: ſed in utendo ſapientia requiritur, & aliquis ſcientiæ acquirendæ modum invenire potuit, qui eadem opportune utendi rationem minime invenit; difficilius quippe eſt mentis ſuæ luminibus bene uti, quam eadem acquirere. Naturalia lumina, acquiſita, & infuſa doctos efficiunt, ſed rectus horum luminum uſus re ipſa ſapientes facit. Sapiens autem ſcientia utitur, vel ut ipſe eadem oblectetur, vel ut converſetur cum aliis, vel ut doceat. Si primum, quæ actio eſt ſpiritus a nemine pendentis, & qui ſemet habet ſtudiorum ſuorum arbitrum, & ſocium, opus eſt hunc ita ſecretis naturæ vacare, ut conſcientiæ quoque, & cordis ſui vacet ſecretis; cui enim bono ſemper inter alienigenas peregrinari, ac nunquam domi ſuæ permanere; hoc eſt, cui bono ſemper ſyderum, elementorum, plantarumque conſiderationibus inhærere, & nunquam animum revocare, ut te ipſum cogites? Cur inceſſanter aures adhibere, ut audias, quæ extra te fiunt, neque adhibeas, ut audias, quid in anima tua dicatur de te? Sin autem ut converſetur, evitet vanitatem ſpiritus, qui ſeſe oſtentare, & in cœtibus niteſcere cupit. Sin denique ut doceat, habeat opus eſt mentem fallacibus omnibus opinionibus expeditam; metuendum enim eſſet, ne eos, a quibus auditur, erroris ſui, potius quam veritatis participes faceret; cumque hominis curioſitas talis ſit, ut potius oculos figere velit in cometem radiatam, & ominoſam, quam tot ſydera per noctem fulgentia; tanta quoque illius infelicitas eſt, ut facilius capiatur errore, qui in docentis ore ultet, quam tot veritatibus, quæ in ſapientum libris emicant. *Idem.*

Veritates aliæ naturales ſunt, aliæ morales, aliæ chriſtianæ. Hic autem ordo eſt a Deo conſtitutus, quod primæ illæ mentem ſecundis, hæ vero tertiis diſponant, ut pote cum maximi momenti ſint, majores & in docente, & in diſcente diſpoſitiones requirunt. Itaque tantum abeſt, quod rerum naturalium cognitio, ars ratiocinandi, humanæque ſcientiæ habendæ ſint tanquam inutiles, ut ſpiritum excolentes illum illuminant; cumque ſpiritus magis illuminatus eſt, voluntas facilius inflammatur ad acquiſitionem boni, & exercitationem virtutis, quæ eſt adeo conſentanea rationi; ac tandem moralium veritatum cognitio apta eſt diſpoſitio ad chriſtianas veritates recipiendas, guſtandaſque, quarum melius cognoſcitur pretium, meliuſque neceſſitas intelligitur. Quamobrem naturalium ſcientiarum ſtudium non ſolum eſt honeſta occupatio, verum ad hæc honeſta quoque eſt ad virtutem diſpoſitio, quæ nobis aperit mentem, ut facilius veritates ad ſalutem neceſſarias comprehendamus. *Auctor Anonymus.* — Scientia ad virtutem eſſe quendam eſt utilis.

Pleraque eorum, quæ diſcimus, quid proſunt homini ad æternitatem facto? Quid nos docent humanæ ſcientiæ, ſi iis adhæſerimus cognitionibus, quas inde percipimus? verba, tempora, facta, quæ ad nos minime pertinent, & quæ oſtendunt ſolum nos illa ſcire; quæſtiones inanes, & ſæpe ridiculas, vel noxias, ſpeculationes ſine fine, infinitas fictiones, atque mendacia, & nihil fere quod utile ſit, & quo ali anima poſſit. Quomodo vero e contra hominum plerique res norunt modo ita perturbato, atque confuſo, ut aſſertæ hujuſmodi cognitiones illos dumtaxat in errorem inducant! Confuſas tantum rerum ideas, ac plurimum vanitatis habeat opus eſt, qui jugiter in errore verſatur, & certum eſt vulgatem litteraturam utriuſque rei cauſam eſſe. Illi ipſi, qui melius ſciunt, quod ſciunt, & qui attentæ meditationis diligentia depurare conſueverunt cognitiones eas, quæ confuſione ſua aliorum mentem impediunt, non alium ſtudiorum ſuorum fructum percipiunt, niſi quod tandem intelligunt, intra quos arctiſſimos fines hominum cognitiones contineantur. Se undequaque invios circumſeptos abyſſis inveniunt, pedem proferre nequeunt, quominus aliquam difficultatem reperiant: cognitionum, quas aſſecuti ſunt, numerus exiguus eſt, eæque prope infinitis præjudiciis, & erroribus, a quibus ſeparari oportet, involutæ ſunt. Illud vero miſerrimum eſt, quod licet illæ præ cæteris magis mentem illuſtrant, non ideo tamen cordi ſatisfacere poſſunt. *Abbadias in libro cui titulus: Ars ſe ipſum cognoſcendi.* — Inutilitas ſcientiarum quarum finis non eſt ſalus.

Cum ſcientia propter æternitatem utimur, dicere poſſumus, minimas quaslibet cognitiones ad adeo ſublimem finem directas conſecrari: in temporalia bona nequaquam impendi ea, quæ æternitati eſſe poſſunt utilia; cor non inflari ſcientia; ſed perfici ſcientiam, eo quod cum ſublimibus cordis motibus conſentit; ac lumen ejus, quin mundi requiem perturbet, illius bonum, pacemque procurare. *Idem.* — Conſecratur ſcientia, ubi æternitatis intuitu ſtudetur.

Ut intelligamus quam infirmæ, incertæque ſint hominis cognitiones, ſatis eſt inſpicere modicum fructum illum, & exiguam utilitatem, quæ ex labore, nec non illuſtrium ingeniorum meditatione per- — De humanarum ſcientiarum vanitate, & incertitudine.

percipitur. Cum tot ſæculis inſudaverint ad rerum omnium cauſas inveſtigandas, eo ventum eſt, ut nullius ferme rei afferre valeant rationem: adhuc in primis hærent lectionibus, de iis diſputant, quæ probata fuere, & quidquid docetur, in dubium accerſitur: vetera confirmantur errores, recenteſque roborantur; nihilque aliud eſt, quam circuitus, qui obruit, non erudit. *Auctor Anonymus.*

Quandoquidem Deus perfectum creavit hominem, eique ſciendi cupiditatem injecit, dicendum ſane eſt, ſcientiam aliquid eximium eſſe, ad cujus acquiſitionem ſit omnibus viribus contendendum. Si illius originem, effectuſque ſpectamus, radius eſt divini luminis, quod denſiſſima quælibet penetrans hæc talia detegit, qualia ſunt in intellectu; vel quod hominis facultatem organia impeditam attollens oſtendit illi ea, quæ ſub ſenſibus ejuſdem non accidunt. *Idem.*

Scientia in ſe aliquid eximium eſt.

Quod Sapiens Dei ſcientiam vocat, id propie pietas eſt, & religio innixa cognitioni, quæ de ſupremæ hujus majeſtatis magnitudine habetur. Hæc divina eſt in origine ſua, quia a Deo proficiſcitur; in fine, quia nos adducit ad Deum; in objecto, quia ibi de divinis agitur. Nequaquam ſimilis eſt aridis, ſterilibuſque cognitionibus, quæ mentem replent, & aiunt, quin ad cor uſque perveniant, ad quas nos curioſitas agit, vel trahit vanitas, aut ſpes mendacis exiſtimationis, quam apud mortales nos conſecuturos arbitramur. Principia illius ſolida ſunt, rationabilia, & quamvis ſublimitate ſua captum noſtrum excedant, ſemper tamen aliquam habent cum cordis noſtri affectionibus proportionem. Injurius eſſem illi, quam profiteor, facultati, ſi humanas litteras prorſus proſcribendas eſſe ſtatuerem; ſcio equidem hanc honeſtiſſimam eſſe exercitationem, atque pulcherrimum humanæ mentis ornatum. Verumtamen ubi nullum habeant cum Dei ſcientia vinculum, ubi divinis ſubjectæ non ſint veritatibus, ubi eo minime ſpectent, ut nos ad Dei cognitionem, amoremque minime adducant, fumo tantum mentem replere poſſunt, & efficere, ut hæc evaneſcat in cogitationibus ſuis, quemadmodum ſuperbis illis Philoſophis accidit, de quibus loquitur S. Paulus, quos funeſta ſcientia in deplorabilem cæcitatem, reprobumque ſenſum præcipites dedit. *Idem.*

Sæculi ſapientes ſcientia ſua abutuntur.

Damnandus eſt uſus, quem ſæculi ſapientes ſcientiæ ſuæ facere conſueverunt, in id unum intenti, quomodo mentem expleant inutili cognitionum mere humanarum congerie. Studia eorum non aliud ſunt, quam nugæ; Philoſophorum potius, quam Chriſtianorum more vivunt, & morales tantum virtutes habent in pretio. Bona fides, grati animi officia, aliaque honeſtatis principia ab illis integerrime ſervantur; ſed in eo morantur, quin ad chriſtianas virtutes exercendas gradum faciant. Religionem ſuis luminibus accommodant, quin lumina accommodent religioni, ac putent eruditi, honeſtique hominis vitam, ac mortem vitam eſſe, mortemque prædeſtinati. *Idem.*

Concordia ſcientiæ, & pietatis in S. Auguſtino.

Præ moroſa illa ariditate, quæ in hominibus adeo frequens eſt, novit D. Auguſtinus ſimul patheticam unctionem cum profunda eruditione, necnon teneriſſimos pietatis ſenſus cum ſolidiſſimis religionis principiis conjungere. In omnibus operibus ejus nitet doctrina ad praxin redacta, a mente ad cor ipſum migrans; ratio, quam gratia illuminat; vigiliæ, ac ſtudia meditatione, precibuſque roborata; ille demum character, qui adeo belle Dei ſcientiam ab hominis ſcientia diſtinguit. Spargit ille jacula Dei amore ſuccenſa non ſine fortiſſimis Theologiæ argumentis. Manu eadem, qua hæreſim proſternit, fidei ſtatuit fundamenta. Ab affectibus ad documenta, ab animadverſionibus ad probationes gradum facit. Præſertim vero ibi rerum emicat eloquentia, quæ iis alitur argumentis, quæ tractat, & quæ, quin illis hæreat præceptis, intra quæ hominum ſubſiſtunt ingenia, omnes opes ſuas ex quadam mentis ſublimitate, & ex eminenti pietate depromit. *Abbas du Jarri in Panegyrico S. Auguſtini.*

Scientia per ſe pietati non adverſatur.

S. Franciſcus Saleſius in admirabili, quam de divino amore edidit libro, docet, ſcientiam non eſſe per ſe oppoſitam pietati; ſed e contra illi utiliſſimam, ac ſi utraque ſimul conjungatur, mirum in modum ſibimet ultro, citroque opem ferre: quamvis ſæpe contingat, ut in noſtram perniciem ſcientia prohibeat, ne pietas oriatur; quippe ſcientia inflat, ac ſuperbiam inſpirat, quæ omnibus virtutibus contraria eſt, atque totale eſt devotionis excidium. Heu! Malum hoc nimis eſt commune, atque omnibus in ſcientiis viſa ſunt præſtantiſſima ingenia funeſtum pati naufragium. Mali hujus egregiam habet hypotipoſin Apoſtolus, ubi loquitur de Philoſophis, quorum ſuperbiam Deus punire vult: *Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis; propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Verum ne ignotis cauſis acceptum referamus hoc malum, quippe naturalis eſt effectus ſcientiæ, ac ſine Dei ſpiritu fieri nequit, ut qui aliis doctrina antecellit, ſimul habeat humilitatem. *Sermo manuſcriptus P. Stephani Chamillard.*

Scientia, quam habere debent Paſtores, & qui curam gerunt animarum.

Supponunt Doctores tanquam extra omnem dubitationis aleam poſitum, paſtori erudiendas eſſe animas ſuæ curæ concreditas, atque inde inferunt, paſtori ſciendas eſſe, atque diſtincte credendas quaſdam veritates, quas populus ignorare poteſt, illius enim docere intereſt, hujus doceri. At id ne doceri poteſt, quod ignoratur? Nubes, quæ humida non eſt, imbrem nequit emittere, Scriptura inquit, & qui ſcientiam non habet, hanc communicare non poteſt: *ſi repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent.* SS. Thomas, & Bonaventura latius de hac differunt obligatione, atque proferunt illa Oſeæ 4. verba, quæ Domini minas continent: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. P. Segneri de Parochorum officiis.*

Si Sacerdotes ſunt Dei viventis interpretes, ſi per os illorum explicat, & ſua promit oracula, facile eſt intelligere, quas turbas, & quod detrimentum in familia Domini inſcitia eorum parere poſſit. Fruſtra te Dominus vocabit, & de montium faſtigio, & de medio viarum, uti regum omnium Sapientiſſimus loquitur; fruſtra feret verbum ſuum, divinaque præcepta ſua in mundo; ſermo ejus myſteriis diffluens hominibus fere ignotus eſt; ſolum ſcientiarum lumen penetrare poteſt has umbras, hanc caliginem, hæc adorabilia ænigmata totam ſalutis noſtræ œconomiam complectentia: non igitur immerito Prophetæ, Apoſtoli, Patres, concilia, eccleſia, & ſynagoga rudes, ignavoſque homines aditu prohibent ſanctuarii: mirum tamen eſt, quod viri ſcientia præditi adeo parvo habeantur in pretio; num ergo Iſrael univerſus prophetat, quod Moyſes in deſerto cupiebat? Num mortales ultra doctrina, & eruditionis face non indigent? *Patru Oratione quarta.*

Præſtantia ſcientiæ Dei.

Loquor iſtic de ſcientia, quæ ædificat, & non inflat, quæ tantum voluntatem accendit, quantum intellectum illuminat; quæ praxi magis, quam ſtudio acquiritur; & quæ potius gratiæ, & operationis Dei, quam humani laboris eſt fructus. De ſcientia loquor, quam Scriptura vocat ſcientiam animæ, ſcientiam ſpiritus, ſcientiam ſanctorum, ſcientiam Domini, ſcientiam JESU CHRISTI, ſcientiam Dei, hoc eſt ſcientiam, cujus principium, objectum, & finis Deus eſt. *Pater Valeſius epiſtola ſecunda de receſſu.*

Quam nocentes ſint, qui ſcientiam hanc negligunt.

Si Apoſtolus antiquitatis ſapientes fatuos, & inſipientes appellat, ſi fulminea denotat eloquentia in eos, qui Deum non aliter, quam ex operibus ejus, ſoliſque rationis luminibus cognoſcere poterant; ſi ait illos inexcuſabiles eſſe, atque

ingratitudine, & voluntaria cæcitate ſua ſibi iræ, pœnarumque æternarum theſaurum congregaſſe, quibus uteretur vocabulis contra fideles, qui majori habent in pretio inanes, malaſque cognitiones, quam ſalutis ſcientiam, qui profanorum librorum lectionem ſacris anteferunt, & qui ſe majorem conſequi honorem putant, eo quod ſapientum horum diſcipuli ſunt, ac imitatores, quam ſi JESUM CHRISTUM imitarentur? *Ex collectione orationum Gallicæ academiæ oblatarum anno 1673.*

Scientiæ duabus potiſſimum rebus commendantur, utilitate, quæ illinc hauritur, & gloria, qua ideo nomen noſtrum decoratur. Utiles ſunt, & glorioſæ, vel quia proſunt, ut noſmet ipſos agnoſcamus, vel quia ea docent, quæ ad Dei, ac noſtrummet ipſorum cognitionem nos adducere poſſunt: cognitiones omnes, quæ nonſolum neutrum horum gignunt effectum, ſed prorſus oppoſitum pariunt, non merentur nomen ſcientiarum, & qui poſſident illas, immerito doctorum ſibi vendicant gloriam. Itaque cum nulla percipi valeat utilitas, vel gloria ex inani, pravaque cognitione, & ex vituperabili, vetitaque curioſitate; cumque cognitiones hæ pro objectu neque Deum, neque hominem habere poſſint; immo etiam advarſentur ſcientiæ ſalutis, quæ in eo poſita eſt, ut Deum, & noſmet ipſos agnoſcamus; nonne liquet, eos omnes, qui hujuſmodi ſtudiis vacant, viros doctos non eſſe? *Idem ſerm.* 4.

Sola futuræ noſtræ ſcientia munus noſtrum aſſiduum eſſe debet; quæ ad id non conferunt, ſunt inutiles.

Licet Chriſtiano eſſe oratorem, poetam, mathematicum, philoſophum; verum non licet illi totum vitæ ſpatium in epigrammatis acumine, in periodi ryrhmica numeroſitate, in geometrica ſcheda, formiſque ſubſtantialibus inhærere; quaſi ad id natus eſſet, ut pedibus certis ſententiam concluderet, ut diſerte loqueretur, ut lineas duceret. Poteſt ille quidem in omni ſciantiarum genere virium ſuarum, ingeniique periculum facere; verum in hoc totam collocare vitam non debet. Sola ſalutis ſcientia totum illum poſtulat; etenim per hanc unam fieri beatus poteſt, & ſine hac aliæ quælibet ſcientiæ eidem inutiles ſunt. *Idem.*

Quam inanes parumque ſolidæ ſint ſcientiæ prophanæ.

Poſt originale peccatum, quidquid homo didicit nil aliud fuit, quam confuſio, error, & tenebræ. Superbia, quæ lapſus ejuſdem fuit cauſa, fuit quoque ignorantiæ, & cæcitatis ejuſdem. Totis viribus adniſa eſt, ut hiſce cognitionibus ſublimem compararet exiſtimationem. Verum quotidie magis innoteſcit, licet magnus ſit ſcientiarum apparatus, illis tamen modicum ineſſe ſoliditatis. Ingentes Bibliothecæ, quæ undecumque congeruntur, humanæ imbecillitatis, & vanitatis ſunt argumenta; & qui omni cura ſepoſita, bonaque fide hæc opera ad examen revocant, quid ibi præter eorum, quæ dicta fuere, repetitiones, errorumque farraginem inveniunt? Materiæ ordo ſæpe immutatus eſt; at ſemper res eadem mutato nomine prodit. Quamvis ornatus ſit recens, inventio eſt vetuſtiſſima: veritas in fallacium principiorum ambagibus quæritur; conſtituuntur axiomata ſecum pugnantia, liquet omnem errori patere viam, & ne unam ferme, quæ directe tendat ad varitatem. Itaque poſt diuturnæ vitæ ſtudium, magnum habendum ſit, ſi permittat viris doctis hujus mundi ſuperbia, ut bona fide ſe nil penitus ſcire confiteantur. *Idem.*

Sciendi cupiditas homini inſita.

Deſiderium ſciendi ita ingenitum eſt homini, ut ſimulac voluntatis ſuæ uſum obtinuerit, doctus eſſe velit, idque in extremum uſque vitæ ſpatium perquirat. Ratio, quæ illum a brutis ſecernit, eum de cognitione in cognitionem adducit, perpetua illius curioſitati proponit objecta, efficit, ut nulli parcat labori id inquiſiturus, unde lumen aliquod, & ſcientiam valeat mutuari; ita ut cum homo ſit tantummodo, quia rationis eſt compos, ac ratione utatur, ut ſciat, homo eſſe videtur, ut doctus evadat. *Idem ſerm.* 6.

De ſalutis ſcientia, quæ vera ſcientia eſt.

Salutis ſcientia non aliud eſt, quam fundamentalium veritatum religionis, & cultus, quem Deo debemus, cognitio. Rationis iſta dux eſt, quæ illam in hoc deducit horrenti labyrintho, in quem errores noſtri hanc in ſingulas horas conjiciunt. Hæc quædam vocari poteſt cœlum inter, & terram communicationis via; rivus, per quem notiones divinæ in cor hominis fluunt; ſcala, per quam Deus in terram deſcendit, & homo aſcendit in cœlum. Verbo, ſalutis ſcientia, fides chriſtiana eſt. Qui crediderit ſalvus erit; hæc doctrina eſt, quam ſalutis auctor tradidit. *Idem.*

De ſcientiæ abuſu.

Operæ pretium non eſſet oſtendere, bona ſæpe in mala mutari, & uſum nonnunquam corrumpere potuiſſe, quidquid in eorum origine integerrimum, ac laude digniſſimum erat. Ita homo ſæpe propriis luminibus utitur, ut rationi ſuæ caliginem offundat, cognitiones, quibus mentem ſuam replevit, ad ea transfert, quæ naturæ ſuæ dedecent dignitatem. Hic ſcire quærit, ut ſuæ ſatisfaciat curioſitati, ille ut nominis gloriam acquirat; hic, ut ad honores obrepat, ille, ut opes congerat, tandem omnes fere, ut ſuam vanitatem, avaritiam, ambitionem expleant; & cum ſcientiam adepti ſunt, quot uſibus illam ſubjiciunt? Ita quemadmodum aquæ in ipſis fontibus ſaluberrimæ nonnunquam ex iis rivulis, qua defluunt, virus contrahunt; hæ cognitiones, quæ bonæ ſunt, ſi in ſe ipſis ſpectentur, malæ fiunt a poſſidentibus illas; qui iiſdem uti dumtaxat deberent, ut ſe facilius ad Dei cognitionem attollerent, ut adorabiles religionis veritates meditarentur, ut alios ad virtutem excitarent, ut ſe ipſos cognoſcerent, ut de officiis ſuis erudirentur, atque melius ſuſcepto munere, ac ſtatu, ad quem a Deo evocati ſunt, perfungerentur. *Idem.*

Mera inſania, & non ferenda temeritas eſt ſcire velle.

Ecce quomodo de ſe ipſo loquitur Eccleſiaſtes: Rex fui in Jeruſalem, animumque appuli, ut diligenter ea omnia, quæ ſub ſole fiunt, inquirerem. Moleſtum hoc opus eſt, & licet ſapientia eos omnes ſuperaverim, qui me præceſſerunt, atque funditus ſingula fuerim perſcrutatus, inveni tamen, nihil eſſe niſi laborem, & afflictionem ſpiritus. Etenim quo plura ſcis, eo magis indignaris longe plura ignorari, ac laboribus exerceris, licet ut plurimum irritis, ut ea diſcas, quæ neſcis. Inſignis ergo temeritas eſt putare, omnia ſciri poſſe, atque ad commentitiam Græcorum Encyclopediam contendere, quæ non aliud eſt, quam ſcientiarum ſimul veluti in orbe quodam concluſarum univerſitas. Non deſunt in terris, qui haberi volunt, tanquam omnia ſcirent, & qui nihil fere ſciunt, atque, quia nimis ſcire volunt, permanent ſemper in ignorantia ſua, primis dumtaxat rudimentis informati earum artium, quarum corticem potius inſpexerunt, quam intus, & in cute perceperint. *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*, ut S. Paulus Apoſtolus 2. ad Timot. 3. inquit. *P. Duneau.*

Scientia Dei, & ſalutis una omnium maxime neceſſaria eſt, & perfectiſſima.

Ex omnibus ſcientiis ea, quam Scriptura Dei ſcientiam vocat, ac ſcientiam ſalutis, una omnium maxime neceſſaria eſt, vel ut melius dicam, unica eſt, quæ ſit neceſſaria. Hæc illa eſt, quam Salvator in lege gratiæ docuit multo melius, quam Prophetæ in lege veteri, ac Patriarchæ in lege naturæ tradiderint. Voluit prima hujus ſcientiæ præcepta a S. Joanne Baptiſta præcurſore ſuo in deſerto, & ſecus Jordanem doceri; juxta Zachariæ patris ejuſdem vaticinium: *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus.* Luc. 1. Hoc ipſum toto deinceps prædicationis ſuæ tempore & ipſe docuit; & poſtquam in cœlum aſcendit, illinc Spiritum ſanctum ſuum miſit ad Apoſtolos, uti prædixerat, ab eodem de omni veritate erudiendos. *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Spiritus ſanctus Apoſtolis non prophanæ philoſophiæ, ſed cœli, æternæque ſalutis tradidit veritates. Hæc eadem ſcientia in Scripturis ſcientia Sanctorum vocatur, quam infudit Deus Patriarchæ Jacob, de quo in Sapientiæ libro ſcriptum eſt: *De-*

dit

dit illi ſcientiam ſanctorum, quia eos, qui illam diſcunt, eademque utuntur, ſanctificat. Fidelium omnium intereſt, ſcientiam hanc præ aliis omnibus aſſequi, quia reliquis neceſſitate, præſtantia, dignitate antecellit. Verum nonne deplorabilis infelicitas eſt, in terris homines videre ſublimi ingenio præditos, atque in ſæculi hujus negotiis tanta ſagacitate, ac induſtria donatos, in ſalutis ſcientia adeo rudes, & hoſpites eſſe? Non deſunt quidam univerſo terrarum orbi regundo pares, quibus exquiſitiſſimum eſt in politicis rebus acumen, qui impeditiſſima quæque facile expediunt, qui nihil conantur, quod illis e voto non cedat, & qui nihilominus vivunt in tenebris, quæ nihilo minores ſunt, quam Ægyptiæ illæ, in iis, quæ ad ſalutem, & bona, vel mala pertinent æternitatis. Hoc ipſum pro ratione de mundi ſapientibus dici poteſt, qui indeſinenter ſcientiarum ſtudiis vacant, & ea perquirunt omnia, quæ cœli ambitu continentur, ſed qui ſalutis, Sanctorum videlicet ſcientiam ignorant. Quæ in mundo fiunt, probe norunt; ſed juſtitiæ, & ſanctitatis vias, quæ Dei viæ ſunt, prorſus ignorant. Magis vero adhuc mirum eſt, alios videre, qui divinarum perfectionum, ac Theologiæ ſtudiis operam impendunt, & Dei vias ſcire volunt, ſimplici, ſterilique meditatione contenti, quin illud, uti opus eſt, quærant, quomodo in via ſalutis incedant. Sunt ex eorum numero, de quibus olim per Iſaiam Proph. c. 58. querebatur Deus: *Me de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt.* Singulis diebus quæſtiones de decretis, & providentia Dei proponunt; ſcire volunt, quomodo in mundi regimine, & erga prædeſtinatos, præſcitoſque ſe gerat; ſacratiſſimas docere ſcientias profitentur, quin fortaſſe didicerint unquam bene vivere, & ea, quæ docent, exercere. *Idem.*

Sapientes ſuperbi, & ſapientes humiles dum ſalutis ſcientiam inquirunt.

Vidiſtine unquam aliquem ex his ſuperbis ſapientibus? Hoc graviſſimum onus eſt, quod tellus ſuſtineat; ſemper ſuimet ipſorum pleni ſunt, intumeſcunt, gloriantur, ſibique rebus in omnibus plaudunt; cum interim verus ſapiens ſe ſe in propria cognitione humiliet. Hic de ſe nihil niſi mediocriter ſentit: publicæ exiſtimationis torrens, quo trahuntur, hunc ne concutit quidem. Dicit unicam ſcientiam illam ſalutis eſſe, reliqua inanes eſſe nugas: lumina hæc ad ſummum ſimilia eſſe igniculis, quos noctu micare vides, qui quin tibi præcipites greſſus oſtendant, in eoſdem te alliciunt, ſi mendacem illorum fulgorem ſequaris. Cur enim tanta efferamur ſuperbia ob leves aliquot cognitiones, quas nonniſi labore ſummo adepti ſumus, & quas nonniſi ſumma excolimus cura, quandoquidem nihil nobis proſunt; & cur ingratos imitamur agricolas, qui meſſium ubertatem laboribus dumtaxat ſuis referunt acceptam, quin cælum reſpiciant, quod omnes eorum agros coronat? Altius repetenda eſt harum ſcientiarum origo, ipſe videlicet Deus, qui eduxit illas de inexhauſtis theſauris ſapientiæ ſuæ nobis eas erogaturus, non ideo quidem, ut in adeo prophanos uſus impenderetur. Ingens nobis timoris aderit cauſa, ſi tot luminum ope adjuti ruemus in interitum. *Idem ſermo* 4.

Quotuſquiſque inter litteratos viros eſt, qui non appetat gloriam, quæ ſcientiam ſubſequitur, quin aliqua invidia vel aperta, vel latens eum urat, atque ad labem alienis offundendam meritis agat. Doctrinæ æqualitas, vel inæqualitas fere ſemper delicatæ ſagacitatis eſt cauſa; efficitque, ut intentos habeant oculos ad aliorum errores detegendos, eoſque ſibimet ultro citroque exprobrandos. Quemadmodum æmulatio non minima cauſa eſt, propter quam labor in ſtudiis ſuſtinetur, invidia ſe ſe immiſcet, ſi cui ex voto ceſſerit labor. Qui velit ingenio cedere, rarus erit. Ex quo litteris ſe ſe aliquis abdit, pudet illum fateri operam ludere, & qui uberem ex ſtudiis ſuis fructum ſperant aſſecuturos, vix ſe parem non retuliſſe meſſem fatebuntur. *Liber, cui titulus: Animadverſiones in quædam religionis, Ethicæque argumenta.*

Quamvis inſitum ſciendi deſiderium mortalibus omnibus commune eſt, non ideo tamen in ſingulis par eſt; certum enim eſt, alios aliis vehementius hac teneri cupiditate, cumque maxima ſit earum rerum, quæ cognoſci poſſunt, varietas, neque omnibus eadem ſint ſtudia, eademque via ingenii; hinc fit, ut alii libentius hujus, quam alterius ſcientiæ ſtudio vacent, non ſolum eo quod privata acti utilitate hanc aliis præferunt, verum etiam quod ſuapte natura magis proni, & apti ſunt huic, quam alteri cuipiam facultati. Anima noſtra, S. Auguſtinus *Tract. 36. in Joan.* ait, nihil ardentius, quam ipſam veritatem deſiderat: *Quid enim fortius deſiderat anima, quam veritatem?* Sed quia non omnes veritates æquales ſunt, & aliæ aliis præſtantiores ſunt, ideo aliæ aliis impenſius appetuntur, ac pluris fiunt. Dicere etiam poſſumus, ſicuti earum quædam nobis majori ſunt ad ſalutem aſſequendam auxilio, atque propius ad Dei pertinent cultum, ita inſigne eſſe Dei beneficium, ac prædeſtinationis indicium, cum ingenium noſtrum ultro in illas fertur, eas hac mente adipiſci conamur. *P. Daneau ſermone pro Dominica infra octavam Epiph.*

De ſcientiarum abuſu.

Hujus loci non eſt ſermonem de abuſu ſcientiarum habere; non deſunt integri hujus argumenti libri, qui ſcientiarum vanitatem oſtendunt eo modo, quo pertractantur a pleriſque eorum, qui de illis ſcripſerunt. Quidam mendacium pro veritate docuerunt, ac ſe ipſos deceperunt, antequam alios deciperent; eruditiſſimus quiſque ſe ipſum fallere poteſt, quoſcumque conatus exerat, ut omnem errorem effugiat. Non deſunt alii, qui nimis procedere cupientes corrumpunt, quidquid in ſcientiis optimum eſt, inani acumine, quod nihil habet ſolidum, ac mentibus dumtaxat crucem figere poteſt. Alii neque methodum habent in iis, quæ docent, neque facultatem ſenſus ſuos explicandi, qui tamen redargui non poſſunt, quaſi nequam, & improbi ſint, ſi bene operari putent, quoniam errores ipſorum ſunt tantum in intellectu, non autem in voluntate. *Idem.*

Scientiæ utilitas ad vitæ civilis munera obeunda.

Neceſſe eſt magnam adoleſcentibus ideam adſtruere ſtudiorum, quibus vacare debent; & ut impenſius illis operam navare cogantur, oſtendere opus eſt, hoc modo illos pares fieri poſſe iis obeundis muneribus, ad quæ ipſos ſuum genus, & nobilitas vocat, vel quæ aliquando vel opibus, vel meritis ſuis aſſequi poſſunt. Docendi ſunt, harum dignitatum, quæ illos manent, officia mentem requirere ſcientiis excultam; & fieri non poſſe, ut aliquis cum honore, & gloria ſolius naturalis luminis ope ſuum munus adimpleat; ſatis non eſſe honeſtum eſſe virum, piumque, ut digne eodem valeat perfungi; ſed opus eſſe, ut doctrinæ lumen accedat; quod ſi deſit, plurima committuntur errata, quæ inſignem reipublicæ afferunt injuriam, & quæ errantem bonorum virorum contemptui objiciunt. Denique cuicumque conditioni deſtinati ſint, ſcientias illis eſſe omnino neceſſarias, & nulli ferme rei utiles eſſe poſſe, niſi ſtudiis operam dederint. *Liber, cui titulus: De puerorum educatione, a Joan. Pico editus.*

Scientia eccleſiaſticis neceſſaria.

Qui eccleſiaſticum ſtatum amplectuntur, ſine ſcientiarum ope ne ad minimos quidem gradus, & dignitates illius contendere poſſunt. Eccleſiaſticus haberi debet tanquam inexhauſtus doctrinæ fons, cum fideles non magis exempla, quam conſilia ejus ſequi debeant; qui ſi erudiri, & edoceri non curat, nequit illis ea communicare lumina, quæ ab ipſo expectant. Denique ſi nihil quocumque in ſtatu poteſt eſſe turpius, quam illius munera ignorare, iiſque perperam fungi, eo quod ex ſcientiis nequaquam illa hauſerit lumina, quæ ſunt ad id neceſſaria; quid cogitari, & quænam concipi poteſt idea de eccleſiaſtico, cui nullum eſt ſtudium, nulla cognitio! Quomodonam ille digne obire poterit munera neceſſario huic ſtatui inhærentia? *Idem.*

Scientia ſine pietate pro 0:1

Eſto, aliquis ſit ſcientiæ pelagus, nihil eum fallat, divinarum Scripturarum intelligentiam

cultu nihil prodeſt. affecutus, loquatur, ſcribat eo modo, quo ille poteſt, qui omnes hujuſmodi cognitiones adeptus eſt. Nihilominus ſi cor ejus aridum, vacuumque fuerit, ac deſtitutum ea fide, quæ principium eſt virtutum omnium, omniumque ſanctarum qualitatum, arbor eſt, quæ nullum feret fructum, æque ac ſi eſſet mortua &c. *Abbas Trappenſis in moralibus animadverſionibus in S. Lucæ evangelium.*

Modus chriſtiane ſtudendi. Homo ſtudioſus ſcientiis vacabit, ac inde voluptatem percipiet, ſed nunquam inordinata aviditate ſeu in ſtudiorum electione, ſeu in tempore in eadem tranſmittendo modum excedet; paratus iis relinquendis, ſimul ac alio evocetur a Deo, vel alteri cuipiam ſtudiorum generi amplectendo, ſtatim ac ſperabit ſe poſſe aliquid uberius ad Dei gloriam collaturum. Nullum unquam vocabit ſtudium, quod in nugis, & ſimplici curioſitate conſiſtat, ac multo minus illud, quod mentem mollire, fœdare imaginationem, & animum corrumpere valeat. Neque ita illi inhærebit, ut omnia, Deumque ipſum negligat, vel ut reliqua oſcitanter, ac feſtinanter peragat eo celeriter reverſurus, quo novitas, vanitas, immodica ſciendi cupiditas, cui ſe mancipavit, eum trahunt. Verbo, divinæ voluntatis efficiendæ voluptas ipſam ſtudii voluptatem ſuperabit. Huc eſt chriſtiane ſtudere; aliud quodlibet ſtudium, ſin minus malum eſt, ſaltem imperfectum eſt. *P. Surin in dialogis ſpiritualibus tomo tertio.*

TEMPLA.

MATERIALES ECCLESIÆ.

Modeſtia, ac reverentia ibi ſervanda, Templorum dedicatio, &c.

MONITUM.

SAnctorum locorum profanatio, & modica illa reverentia, qua fidelium plerique Deum colunt in templis, peccatum eſt adeo enorme, ſimulque adeo vulgatum, ut concionatores umquam parem zelum afferre poſſint, ut morem hunc adeo nefarium evertant. Scriptura, ſancti Patres, Aſceticique omnes referti ſunt & invectivis, ut tantum hoc ſcelus, ſi fieri poteſt, convellant, & adhortationibus ad ſervandam modeſtiam, reverentiam, atque attentionem ſacris myſteriis, quæ celebrantur in templis. Quamobrem operoſum non erit hoc in argumento uberem rerum copiam invenire, atque in eo omnis curæ noſtra verſabitur, ut ea, quæ aptiſſima ſunt, eligamus.

Primum animadvertendum eſt, quemadmodum in eadem concione conjungenda eſt reverentia locis adeo venerabilibus debita cum eorumdem profanatione, & criminibus, quæ ibi patrantur, a nobis collecta fuiſſe ea omnia, quæ aptiora cenſuimus ad perſuadendum fidelibus cultum, atque pietatem, quam ibi quiſque præ ſe ferre debet, & ad ciendum horrorem illius irreverentiæ, quæ paſſim illic ab omnibus adhibetur.

Secundo quemadmodum in templorum dedicationibus, feſtiſque diebus, quibus auguſtæ hujus celebritatis ſolemnis inſtauratur memoria, hoc etiam attingatur argumentum reverentiæ deinceps in ſacris iis locis ſervandæ, nequaquam ſejungenda ratus ſum hæc duo argumenta doctrinam eamdem complectentia.

Tertio, cavendum eſt diligentiſſime, ne cum deſcribuntur mala, quæ in templis fiunt, dum interim ſacra celebrantur myſteria, aliquis adeo explicitis characteribus deſignetur, ita ut quæ dicuntur, ad alios quoque transferri poſſe minime videantur, ne, cum contra publicum vitium declamas, alicui peculiariter ſcandalum afferatur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex hujus argumenti concionum partitio, & ſtructura.

I. *CUm videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto &c.* Matth. 24. Hæc deſolationis abominatio viſa eſt in everſione, ac profanatione templi Jeroſolymitani, ſed quotidie videtur adhuc in illis abominationibus, quæ committuntur in templis, quæ loci ſunt ſancti; ubi inter myſteria, quæ celebrantur, quotidie offertur adorabile Dominici corporis, ſanguiniſque ſacrificium; ita ut eorum dignitas magis nequeat commendari, quam dicendo, hunc ſanctum eſſe locum, ubi diebus ſingulis Deo cœli, ac terræ ſacrificium offertur.

In religione autem chriſtiana tria ſacrificiorum genera offeruntur, quæ rationem habent cum illis, quæ olim in veteri lege offerebantur. Primum eſt laudis ſacrificium, quo debitus Deo honor defertur; alterum eſt ſacrificium propitiationis, per quod remiſſio peccatorum obtinebatur, quod hodie piaculare pœnitentiæ ſacrificium poteſt appellari; tertium ſacrificium impetrationis, quod ad beneficium aliquod a Deo impetrandum offerebatur. Templa vero loci ſunt, ubi hodie tria hæc offeruntur ſacrificia, vel illud ſaltem, quod hæc omnia complectitur, & eſt adorabile Dominici corporis ſacrificium: illud vero deplorandum eſt, quod Chriſtianorum plerique in eo faciant abominationem deſolationis propter eas, quas ibi committunt profanationes. Hoc autem in tribus hujus concionis partibus viſuri ſumus.

Pars Prima. Eccleſia locus eſt, ubi Domino laudis ſacrificium offertur, & ubi holocauſto omnium, quæ extiterant unquam, perfectiſſimo honoratur. In veteri lege non licebat quolibet in loco offerre Deo ſacrificia; & quanquam totus hic magnus terrarum orbis eſt veluti templum Dei, hic tamen peculiarem ſibi locum delegerat, quem tanquam domum, templumque ſuum reſpiciebat, & ubi magis manifeſta præſentiæ ſuæ præbebat argumenta. Locus autem, quem modo eligit, noſtra ſunt templa. Ibi ille adeſt, non per immenſitatem dumtaxat,

verum

verum etiam per realem corporis ſui præſentiam. Sed videre, quænam ibi committitur abominatio, quandoquidem fidelium plerique, quin illuc accedant Dei magnitudinem veneraturi, eo confluunt propriam oſtentaturi. Videte, quomodo aureis vecti curribus illuc accedant, magna cum pompa magnaque ſervorum caterva ſtipati, quomodo illic etiam gradus uliquis, primaque appetuntur ſubſellia. Nunquid illuc potius ſe conferunt homines honores percepturi, quam Deo delaturi? Videte, quo apparatu illuc ſa conferant matronæ, quo illic niteant ornatu comptæ, quin ſe ſe coram divina majeſtate proſternant; neque enim Dei magnitudinem aliter, quam ſubmiſſione noſtra veneramor. Nunquid mihi ob oculos veſtros hoc in loco obiicienda ſunt Ethnicorum, ac idololatrarum exempla, ut inde, quænam divinæ majeſtati debeatur reverentia, intelligatis? Quanam humilitate in fictorum numinum ſuorum delubris illi ſe ſe continebant? Heu! Si aliquis infidelium eorum, quibus fides noſtra annuntiatur, templu noſtra ingrederetur, & poſtquam chriſtianæ diſciplinæ ſanctitatem admiratus fuiſſet, videret, quo pacto noſmet gerimus cum illo, qui ejuſdem eſt auctor, & mala conſpiceret, quæ in templis committimus, nonne exclamaret: Hi Chriſtiani nobis illudunt, nihil eorum credunt, quæ dicunt; ac ſatis eſt videre actiones eorum, & modum, quo eum, quem nobis prædicant, venerantur. Eheu! cogitemus quomodo illum Angeli revereantur, & Seraphim alis ſuis ſibi contegant faciem &c.

Pars altera. Locus eſt, ubi offertur Deo ſacrificium propitiutionis, non aliud videlicet, niſi quod in aris immolatur, illud ipſum, quod in cruce immolatum eſt, cujus virtutem complectitur, & meritum applicat nobis. Hinc fit, quod ibi eadem cum reverentia adſtare debemus, iiſdemque doloris ſenſibus acti; quippe in templum venimus veniam impetraturi, & hanc eamdem propitiationis victimam oblaturi. Sed heu! quanam immodeſtia eidem adſiſtimus? Mortales huc confluunt, ut videant, & videantur; ibique non ſine ingenti ſcandalo nuditates quaſdam oſtentantur. Dicere audeam? Ad quid me cogis flagitioſiſſima ſæculi noſtri corruptio? Illuc afferuntur oculi adulterio pleni; undequaque, & in omnia objecta oculi circumferuntur; & ut verbo me expediam, illic, ubi noſtra expianda ſunt crimina, veteribus recentia adiicimus, & majora &c.

Tertia pars: ibi ſacrificium impetrationis offertur: eo noſmet conferimus a Deo gratias petituri, templum enim domus eſt precum, & orationis: *Domus mea domus orationis*. Matth. 21. & Marc. 11. Hoc autem in loco, qui huic miniſterio deſtinatus eſt, quanam attentione, quanam adſtamus reverentia? Quot mentis evagationes? Quo abeunt cogitationes, &c.

II. 1. Pietas efficit, ut conveniamus in templum Dominum adoraturi, ibique cultum Deo cœli, ac terræ adhibituri. Huc ergo pura mente veniendum eſt, non ex conſuetudine, neque ex curioſitate, ut ibi alios videas, ac temet aliis oſtendas.

2. Cum illuc ingreſſi ſumus, ibi ſumma cum reverentia, & modeſtia ad omne obſequium compoſiti debemus adſtare tamquam aulici regi ſuo famulantes; cum timore, velut rei, qui ad pœnam deprecandam acceſſerunt; cum humilitate, tanquam egeni gratiam, & beneficia petentes.

3. Illinc egrediendum eſt cum novo devotionis fervore, qui ab altari non hauriri non poteſt, cum recentibus pietatis ſenſibus, cum eruditione, quam ex Dei verbo percepimus, & cum certo ſanctius vivendi conſilio; hic quippe fructus eſt e templo domum referendus.

III. 1. Immodeſtia in templis ſcelus eſt longe majus, quam exiſtimetur. Hoc eſt debita reverentia divinam majeſtatem fraudare; Deum in propriu ipſius domo laceſſere; illi contumeliam afferre in eo ipſo loco, qui deſtinatus eſt, ut ibi honoretur, &c.

2. Crimen eſt cum ſcandalo conjunctum, quod occaſionem præbet hæreticis, & infidelibus judicandi, nobis perſuaſum non eſſe de veritate ſanctorum myſteriorum, quæ illis prædicamus; quod impiis occaſionem tribuit ſe ſe in licentia, & impietate ſua confirmandi, & ſanctiſſima quælibet myſteria noſtra, quæ a nobis per ſummam indignitatem contemni vident, in ludibrium vertendi; quod bonis malum præbet exemplum, & prohibet, ne eam præſtent attentionem, quam debent myſteriis, quæ in ſancto loco peraguntur.

1. Templu noſtra ſancta ſunt, quia cultui Dei deſtinata ſunt. Sancta ſunt propter ſacrificium corporis filii Dei, quod ibi offertur, propter ejuſdem corporis, quod interdiu, noctuque ibi aſſervatur, præſentiam. IV.

2. Hic locus eſt, ubi Chriſtiani ſe ipſos ſanctificare debent; ibi enim ſacramenta recipiunt, ibi Dei vocem audiunt, ibi miſſæ ſacrificio interſunt, ibi peculiaribus cœli gratiis cumulantur.

Tres rationes potiſſimum efficiunt templa noſtra digna ſingulari veneratione, quam pietate, & devotione teſtari debemus. V.

1. Sunt habitatio Patris æterni, ibi per majeſtatis ſuæ præſentiam inhabitantis modo magis peculiari, quam quo olim in Salomonis templum deſcendere viſus eſt.

2. Templa ſunt JESU CHRISTI, qui ſimul & ſacerdos eſt, & victima, & qui præterea per realem corporis ſui præſentiam ibi moratur.

3. Sunt ſanctuarium Spiritus ſancti, ibi copioſius, quam alibi, gratias, & dona ſua effundentis.

Deus in templis noſtris eſt modo prorſus particulari: hæc veritas eſt, de qua nemini licet ambigere; hoc rite conſiderandum eſt, ibi eſſe Deum, VI.

1. Quatenus Dominum, qui ibi domum, ſoliumque ſuum collocat; quæ res nos cogit, ut ibi ſumma cum reverentia adſtemus, tanquam aulici in principum aula, ubi ne leviſſima quælibet irreverentia eſſet impunis.

2. Quatenus judicem, qui damnat, vel abſolvit, qui miſeretur, vel punit, pro eo modo, quo noſmet ibi gerimus.

3. Quatenus Patrem, qui ibi ſui amoris, ac benevolentiæ præbet argumenta per ea beneficia, quæ nobis concedit; ſed ubi noſtrum illi teſtari debemus obſequium, amorem, officiumque. *Ex ſpecimine ſerm. tom. 2.*

Tria impenſiſſimi amoris Dei objecta mihi videntur; templa illius cultui dicata; myſteria, quæ ibi in honorem illius celebrantur; & animæ, quæ illuc accedunt, ut ſanctificentur. Deo autem nihil antiquius eſt, quam domus ſuæ ſanctitas, debita myſteriis ſuis veneratio, & fidelium animarum ſanctificatio. Attamen vobis oſtendam, neſariam impiorum in templis irreverentiam Deum offendere in tribus hiſce rebus, quas præ cæteris amat. VII.

1. Dedecorat ſanctitatem domus, quam pro cultu ſuo Deus elegit.

2. Violat reverentiam, quæ debetur magnitudini myſteriorum, quæ ibi celebrantur.

3. Obicem ſtatuit ſanctificationi fidelium animarum. *Ex eccleſiaſticis diſcurſibus de Font.*

1. Templa locus ſunt, quem eligit Deus, ut ibi a creaturis ſuis honoretur, & glorificetur; at ibi vulgo graviſſimis coinquinatur contumeliis a plerisque fidelium per eas profanationes, quas ibi committunt. VIII.

2. Locus eſt, ubi gratiis, & beneficiis cumulamur a Deo liberali, atque magnifico, qui ea petentibus large, effuſeque donare conſuevit; & ibi majorem homines teſtantur ingratitudinem earumdem gratiarum repulſa, vel abuſu.

3. Ibi Deus apertiſſima nobis præbet amoris, ac bonitatis argumenta; at ibi plurimi fideles eum magis crudeliter, & impune laceſſunt per ea crimina, quæ ibi committunt.

Templa colere, ac revereri debemus, ibique modeſte, ſancteque nos gerere. IX.

1. Quia domus Dei eſt; nam licet totus hic terrarum orbis ſit veluti templum illius, & loci om-

nes illius ſint, conſtat tamen ipſum templa noſtra elegiſſe, ut peculiari ratione ibi permaneret.

2. Quia domus eſt orationis: *Domus mea domus orationis vocabitur*. Matth. 21. Ibi ſumma cum humilitate, ac tum interiori, tum exteriori parte ad obſequium compoſita verſari opus eſt; & quænam indignitas ſit ibi diſſipata mente, ac indecora corporis habitu conſiſtere?

3. Locus eſt, ubi nobis Deus gratias, & beneficia confert pro magnitudine noſtræ pietatis, ac devotionis.

X. 1. In templum convenimus, ut Deo demus; convenimus enim, ut illi honorem, & cultum præbeamus; quo igitur reverentiæ, ac devotionis ſenſu coram hac Dei majeſtate ſtandum eſt?

2. Eo convenimus, ut ab eo gratias, peccatorum veniam, & ea, quæ petimus, recipiamus. Quo igitur animo eſſe nos oportet, ut noſmet iiſdem dignos præbeamus?

XI. Argumentum concionis pro templi dedicatione, *ſumptum ex Flechier tom. 2. orationum panegyricarum*.

1. Sanctitas, quam templum acquirit per exteriorem conſecrationem, quæ illam proprie Dei domum facit, unice cultui illius deſtinatam.

2. Sanctitas, quam ibi nos acquirere debemus per interiorem animarum noſtrarum conſecrationem.

XII. In Scripturis tres potiſſimum Dei qualitates invenio, propter quas homines templa ædificarunt Deo, & quæ a nobis eam exigunt reverentiam, quam homines præſtare poſſunt.

Prima eſt qualitas Monarchæ, & domini, quæ templa noſtra facit tanquam palatium ejus, & locum, quem modo prorſus ſingulari replet.

Altera eſt ſacerdotis, quam Salvator aſſumpſit; & in hac qualitate noſtra elegit templa pro loco ſacrificii, cujus ipſe victima eſt.

Tertia eſt protectoris, vel defenſoris populi ſui; quæ res effecit, ut ille templa hæc conſtrueret tot veluti aſyla, & locos refugii contra juſtitiam ſuam; ſed ubi æquum eſt, illum a nobis injuria minime affici. Hi tres ſunt tituli, qui efficere debent, ut conſideremus templa veluti locos ſanctos, ideoque ibi profundam adhibeamus reverentiam. *Ex auctore ſermonum in omnia chriſtianæ diſciplinæ argumenta. Sermone pro feria ſecunda poſt quartam quadrageſimæ Dominicam.*

XIII. Pro templi dedicatione aſſumi poſſunt hæc verba: *Terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli*. Genel. 28.

1. Templa hæc divinæ majeſtati ſacra, dicataque, aliis quidem ſunt terribile tribunal, ubi damnat, & punit in hac etiam ſæpe vita eorum nequitiam, qui polluunt ſanctum locum hunc immodeſtia ſua, & ſceleribus, quæ ibi coram eo committuntur.

2. Hæc eadem templa loca ſunt amabilia, quia pro nobis ſunt miſericordiæ perfugium, nobiſque aditum in cœlum aperiunt per gratias, quas ibi recipimus, cum non ſine veris pietatis ſenſibus illuc accedimus. *Idem tomo primo argumentorum particularium.*

XIV. De eadem dedicationis ſolemnitate. Mentes noſtræ attollendæ ſunt, atque ex hac exteriori templorum noſtrorum conſecratione ad alterius perfectionis, ſanctioriſque conſiderationem evehendæ ſunt, quæ videlicet fit in anima noſtra, quæ, ut S. Paulus loquitur, templum eſt Dei viventis. Ideo animadverto ſanctitatem, quæ propria eſt earum rerum omnium, quæ divino cultui deſtinata ſunt, duabus in rebus conſiſtere, quæ concionis hujus partitionem efficient.

Prima eſt ſeparatio ab omni uſu communi, quod ipſum nomen ſanctitatis ſignificat.

Altera eſt applicatio, & deſtinatio uſibus, qui omnino ſancti ſint. *Idem in tomo eodem.*

XV. Cum omnes loci per ſe indifferentes ſint, dignitatem, ac præſtantiam mutuantur ex uſibus, quibus deſtinati ſunt voluntate, atque electione eorum, quorum eoſdem intereſt applicare. Templa vero iis ibus deſtinata ſunt uſibus, quibus ſancta, omnique reverentia digna præbentur.

1. Ut noſtros reddamus honores majeſtati, quæ ibi ſe nobis offert.

2. Ut agamus de negotio, quo non alterum nobis antiquius eſſe debet in mundo, hoc eſt de ſalute noſtra.

3. Ut ibi ſanctiſſima religionis noſtræ myſteria celebremus.

1. In templis Chriſtiani religionis ſuæ manifeſta XVI. præbere debent indicia. Rationes patent, & invictæ ſunt.

2. In templis tamen Chriſtiani ſibi religionis minus eſſe oſtendunt, immo ſuam oſtendant impietatem. *Ex Manuſcripto ſermone P. Stephani Chamillard.*

1. Nihil ſanctius eſt templis noſtris propter eo- XVII. rum conſecrationem, vel dedicationem; propter myſteria, quæ ibi celebrantur, vel quibus deſtinantur; propter ſacramenta, ſacrificia, Dei laudes, quæ ibi recinuntur; propter gratias, & beneficia, quæ recipiuntur; propter Dei verbum, quod ibi auditur; propter veniam peccatorum, quæ ibi impetratur, &c.

2. Nihil magis impune, indigniuſque polluitur propter immodeſtias, quæ ibi videntur, ſermones, qui ibi fiunt, & ſcelera, quæ committuntur.

De templorum dedicatione. Oſtendi poteſt hæc XVIII. eſſe imago dedicationis animarum noſtrarum, quæ templa ſunt Spiritus ſancti; idque per applicationem eorum omnium, quæ in hac ſolemnitate efficere conſuevit eccleſia.

1. Conſecratio templorum nos admonet, quomodo noſmet ipſos Deo conſecrare, & devovere debeamus.

2. Myſteria, quæ in templis conſecratis celebrantur, media ſunt, quibus noſmet ſanctificare debeamus, ac reſpondere honori, quem habemus, quod Deo per baptiſmum, aliſque ſacramenta conſecrati ſumus.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, auctoreſque unde hauriri copia poteſt ad propoſita argumenta pertractanda.

SAnct. Auguſtinus *ſerm. 257. de tempore* docet, Sancti Patres. interius animæ templum, quam templa exteriora potiori cura eſſe exornandum.

Idem *tract. 10. in Joan.* nobis judicandum relinquit ex eo, quod Salvator contra Salomonici templi profanatores egit, quid in illos egiſſet, qui adeo indigne templa noſtra prophanant.

Idem ſermone 256. de quadam dedicatione oſtendit, quem in uſum deſtinata ſint templa.

Idem plures edidit de templorum dedicatione ſermones.

S. Hieronymus *ep. 48. ad Sabinianum* tota eloquentiæ ſuæ vi contra impium hunc ſacrilegum invehitur, qui auſus fuerat infame facinus in Bethleemitico ſpecu, ubi deipara virgo filium fuerat enixa.

Salvianus *l. 3. de gubernatione Dei* acriter invehitur in prophanationes, quæ committuntur in templis. S. Baſilius *Homil. 5. in Pſal. 28.* hæc explicans verba: *In templo ejus omnes dicent gloriam*, docet, in templis ab omni inani ſermone abſtinendum eſſe.

S. Chryſoſtomus *Homil. 33. in Matthæum* docet, manſionem in templis cæteris quibuſcumque eſſe præferendam.

Idem *Homil. 13. in Marcum* in hæc verba: *Domus mea domus orationis vocabitur*, docet, quantum nobis ciere dolorem deberet templorum noſtrorum prophanatio. Idem *Homil. 74. in Matth.* oſtendit impiorum impudentiam in templo in quævis objecta oculos circumferentium.

Idem *homil. 24. in Matth.* oſtendit enormitatem criminis, quod committitur ab iis, qui immodeſtia, & irreverentia templa prophanant, & quod meretur, ut Deus ſeveriſſimas pœnas depoſcat.

Idem *homil. 36. in ep. ad Corint.* longa enumeratione docet, in templis omnia, quæ in privatis domibus fieri.

Idem *homil. 9. in ep. 1. ad Timoth.* damnat licentiam, quam ſibi vendicant mulieres in templo colloquendi.

Idem *ſerm. 1. ex variis primi tomi* in eos invehitur; qui

Digitized by Google

qui reverentiam nos adhibent; dum ſancta myſteria celebrantur.

Idem *ſerm. de Oratione* loquitur de ſilentio, & reverentia in templo adhibenda.

Idem *homil. 33. in Matth.* docet, quo devotionis fervore in templum veniendum ſit, ibique immorandum.

S. Bernardus in libro, cui titulus, *doctrina Bernardi*, tradit, qua attentione, quove pietatis ſenſu templum ſit ingrediendum.

Idem *ſerm. 6. de dedic. eccleſiæ* in hæc verba Jacobi Gen. 28. *Quam terribilis eſt locus iſte!* oſtendit, quam terribile ſit re ipſa iſte locus, ac dignus, in quo ſumma reverentia immoremur.

Idem lib. meditationum cap. 6. & 8. fuſius hoc perſequitur argumentum.

S. Bonaventura *ſerm. 4. de dedic.* plures adſert rationes, propter quas templum dicitur domus orationis.

Hugo Cardinalis *in c. 4. Joan.* rationem adfert, cur templa orationi præ aliis quibuſcumque locis ſint aptiora.

Libri Aſcetici, aliique. P. Suffren in anno chriſtiano, ubi loquitur de converſationibus, & colloquiis.

P. Nepveu in Chriſtianis conſiderationibus to. 4.

Pean tom. 3. diſcurſu 12.

Liber cui titulus: *Bellum vitiis*, 17. prælio.

P. Croiſet tom. 1. conſiderationum chriſtianarum loquitur de templorum irreverentia.

Theophilus Raynaldus *de attributis Chriſti* ſe. 4. c. 4.

Creſolius *in myſtagogo part. 2. l. 3.* de præcipuis templi functionibus.

Concionatores noſtri. P. Delingendes *feria 2. Domin. 4. in Quadrag.*

P. Cauſſinus in adventu, cui titulus, *rubus ardens.*

P. la Jaune oratorii presbyter tom. 10. ſermonum.

Lanuza in *Quadrag. homil.* 28. §. 9.

Mathias Faber *Domin. 1. poſt Epiphan. conc.* 8.

Henricus Engelgrave *Domin. 9. poſt Pent.*

P. Texier ſerm. *pro feria 2. poſt 4. Quadr. Domin.*

Idem ſub finem tom. 2. Dominic. ſerm. habet de dedicat.

Biroat, ſermone *pro feria 2. poſt 4. Quadr. Domin.*

Joly in operibus mixtis, ſermon. habet de dedicat.

Breteville in ſpecimine ſermonum tres habet deinceps ſermones de templorum reverentia pro feria 2. poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ.

P. Duneau in eamdem feriam.

Auctor ſermon. chriſtianorum Domin. 9. poſt Pent.

Auctor ſermonum moralium.

Flechier tom. 2. Panegyricorum ſermonem habet de dedicatione.

Maimbourg ſermone pro feria 2. poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam.

De la Volpilliere tomo tertio ſermonum.

Auctor ſermonum in omnia diſciplinæ chriſtianæ argumenta duos habet de templi cujuſdam dedicatione ſermones.

Idem ſermone pro feria ſecunda hebdomadæ quartæ in Quadrageſima.

Abbas de Monmorel hom. in Dom. 9. Pentecoſten.

La Foot Dominica 24. poſt Pentec. tom. 4. eccleſiaſticorum diſcurſuum.

P. de la Colombiere in chriſtianis conſiderationibus tom. 5. operum ſuorum.

P. Hyacinthus le Feut religioſus recollectus tom. 1. ſerm. pro feria 3. poſt. 1. Dominicam Quadrageſimæ.

Qui collectanea ediderunt. P. la Peſſe tom. 6. ſermonum.

Labatha } Titulo *templum.*
Lohner }

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

VEre Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Genel. 28.

Quam terribilis eſt locus iſte! non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli. Ibidem.

Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. Exod. cap. 3.

Pavete ad Sanctuarium meum. Levit. 26.

Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter. Deut. 4.

Si cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi? 3. Reg. cap. 3.

Sanctificavi domum hanc, quam ædificaſti, ut ponerem nomen meum ibi in ſempiternum; & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. 3. Reg. cap. 9.

Oculi mei erunt aperti, & aures erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit. 2. Paralip. cap. 7.

Majeſtas Domini implevit totam domum. Ibid.

Sint oculi tui aperti ſuper domum hanc die ac nocte: ſuper domum, de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi, ut exaudias orationem, quam orat in loco iſto ad te ſervus tuus. 3. Reg. cap. 8.

Elegi, & ſanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. 2. Paral. 7.

Cave ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris: ſed in eo, quem elegerit Dominus. Deuter. 12.

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo. Pſalm. 5.

Adorate Dominum in atrio ſancto ejus. Pſalm. 28. & Pſalm. 95.

Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in templo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Pſalm. 26.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Pſalm. 25.

Suſcepimus, Domine, miſericordiam tuam, in medio templi tui. Pſalm. 47.

Introibo in domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea. Pſal. 65.

Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum. Pſalm. 64.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. Pſalm. 83.

Beati, qui habitant in domo tua Domine. Ibid.

Incenderunt igni Sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Pſalm. 73.

Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto! Ibid.

Ne quando dicant gentes, ubi eſt Deus eorum? Pſalm. 113.

Zelus domus tuæ comedit me. Pſalm. 68.

Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus. Pſalm. 131.

Si deprecati te fuerint in loco iſto, dimitte peccata ſervis tuis, & doce eos viam bonam per quam ingrediantur. 2. Paralip. cap 6.

Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei. Eccel. 4.

Domum tuam decet ſanctitudo in longitudinem dierum. Pſalm. 92.

In terra Sanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Domini. Iſaiæ 26.

Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Idem cap. 56.

Holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo: quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. Idem ibidem.

Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Jerem. 11.

Vide abominationes magnas, quas domus Iſrael facit. Ezech. 8.

Hoc fecerunt mihi: polluerunt Sanctuarium meum in die illa. Ezech. 23.

Dominus in templo ſancto ſuo. Habacuc cap. 2.

Domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis unuſquiſque in domum ſuam. Aggæi cap. 1.

Implebo domum iſtam gloria. Aggæi cap. 2.

Ut procul recedam a Sanctuario meo. Ezech. 8.

Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Matth. 21. & Luc. 19.

Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Joan. 2.

Neſcitis quia templum Dei eſtis, vos, & Spiritus Dei habitat in vobis? 1. ad Corinth. 3.

Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis? 1. ad Corinth. 11.

Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. 1. ad Corinth. cap. 3.

Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui. Ibidem cap. 14.

Vos eſtis templum Dei vivi. 2. ad Corinth. 6.

Templum Dei ſanctum eſt. 1. ad Corinth. 3.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deprompta.

Myſtica Jacobi viſio.

CUm in myſtico ſomno vidiſſet Jacob ſcalam, cujus ſumma pars ad Deum pertingere videbatur, & per quam Angeli aſcendebant, ac deſcendebant, metu captus, & reverentiæ percitus senſu, exclamavit: *Quam terribilis eſt locus iſte!* Gen. 28. Hæc figura eſt noſtrorum templorum, quibus fideles utuntur, ut aſcendant ad Deum. Nullum templum eſt, S. Gregorius inquit, quod ſcala non ſit, qua aſcendatur in cœlum: per ſcalam hanc preces noſtræ aſcendunt ad Deum, & divinæ miſericordiæ deſcendunt in homines: *Aſcendit precatio, deſcendit miſeratio.* Ita cum fideles templum ingrediuntur a Domino ſuo gratias petituri, fovere debent ſenſus profundæ humilitatis, metus cum reverentia conjuncti, ac perfectæ ſubmiſſionis mandatis illius. Illud vero in ſancti Patriarchæ hujus animo, ac mentem majorem peperit impreſſionem, quod vidit Deum ſcalæ hujus vertici incumbentem, eumque ſibi dicentem audiit: Ego ſum dominus Abraham patris tui, & Iſaac; tibi meam polliceor benedictionem, ac tribuam tibi terram, in qua requieſcis. Quæ verba, quamquam ſummæ conſolationis refertiſſima, tamen in anima Jacob ſanctum terrorem, ac reverentiam pepererunt: *Quam terribilis eſt locus iſte! hic domus Dei eſt, & porta cœli.*

Pœna filiorum Aaron.

Inter ſupplicia, quibus in veteri lege Deus ſacrarum rerum, & loci, ubi coli juſſit, profanationem punivit, inſignis eſt in filios Aaronis animadverſio; etenim quin ulla haberetur ratio dignitatis, qua pater ipſorum, & ipſi quoque fuerant decorati, igne de cœlo demiſſo fuerunt abſumpti, eo quod profanum ignem attulerant crematuri victimas, quæ Deo erant offerendæ. Ex adeo ſevero ſupplicio Moyſes occaſionem arripuit oſtendendi Aaroni, quomodo vellet Deus coli, atque, ut Scriptura inquit, ſanctificari ab illis, qui ad Sanctuarium accederent, ac nihil profanum intereſſe debere in ſacrificio, quod illi hoc in loco offerendum eſt. Ubi Auctores quidam animadvertunt, Deum non minora reſervare ſupplicia illis, qui, vel quæ in templo illius profanum impudicæ amoris ignem accendunt, vel alunt illum impuris obtutibus, ac deſideriis in eodem loco, ubi omnes flagrare deberent igne amoris Dei, qui propter omnium amorem ibi immolatur.

Alia ſupplicia, quæ exercuit Deus in eos, qui ſancta polluerunt.

Si ſcire cupis, quas popoſcerit Deus in lege veteri pœnas a rerum ſanctarum profanatoribus, vide quomodo Oza punitus fuerit, eo quod voluerit ſolum arcam attingere, ut illam jam jam labentem, & caſuram fulciret; in hac occaſione, ubi auxilium ejus neceſſarium videbatur, ſolus reverentiæ defectus deprehendi poteſt; conſidera, quomodo percuſſit Deus ultra quinquaginta Bethſamitarum millia, eo quod curioſius arcam eamdem reſpexiſſent. Ex Propheta Daniele quære, cur Balthaſſar regnum, & vitam amiſit. Vide in ſecundo Machabæorum libro, cur Heliodorus crudeliter virgis cæſus fuerit; & cur Antiochus Rex Syriæ vermibus exoſus, ac tabo confectus; & reſpondebunt, quia Dei templum polluerant. Quære ex Jeremia, cur Deus tanta ſeveritate in Judæos animadverterit, cur illos in omnes terrarum plagas diſperſerit, poſtquam urbem, ac templum eorum fœdiſſima cæde vaſtavit; atque prophetico afflatus ſpiritu reſpondebit id factum eo, quod populus hic, quem tantopere dilexerat, & cui adeo manifeſta præbuerat ſuæ protectionis argumenta, poſt tot inſignes gratias adhuc templum illius ſcelerum ſuorum enormitate fœdaverat: *Dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa.* Jerem. 1.

Qui zelo ſuccenſi ſunt propter Domini Templum, & qui in neceſſitatibus ſuis ad illud confugerunt.

Tabernaculum erat veluti templum Iſraelitarum, antequam templum ædificaretur. Cum prope fuit, ut Moyſes, & Aaron a rebelli populo de medio tollerentur, tabernaculum ingreſſi ſunt templum oraturi. Ezechias audita Sennacherib regis Aſſyrii minis in templum confugit, & ad aras ſe ſe proſtravit, ubi a Deo voti damnatus fuit. Daniel dum in Babylonica verſaretur captivitate, ter in ſingulos dies cubiculi ſui feneſtras, quæ Jeroſolymitanum templum ſpectabant, aperiebat, cumque illuc non poſſet corpore, ſpiritu ſaltem ſe ſe transferebat. David nihil impenſius optabat, quam in templi atriis verſari, & prope arcam fœderis ſe ſe recipere: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria tua.* Pſalm. 83. Cumque propter Abſalonis filii ſui defectionem Jeroſolyma excedere compulſus fuit, præcipuus illius dolor fuit videre ſe ab arca ſemotum, neque ullum dolori ſuo invenire poterat ſolatium, quam ſpem ſe ad eam rediturum. Jonas in ventre ceti recordatus eſt templi Dei, ac effudit preces ſuas, quaſi in eodem contineretur, *Cum anguſtiaretur in me anima mea ad templum ſanctum tuum.* Jonæ 2.

De Templo Jeroſolymitano.

Cum de templo ædificando actum eſt, David, & Salomon ſubditos ſuos initi a ſe conſilii plures annos ante certiores fecerant; in eo regni ſui felicitatem, ac decus conſtituerunt; omnem, qua apud finitimos, fœderatoſque populos auctoritate pollebant, adhibuerunt, ne quid operis magnificentiæ deeſſet; immenſas collegerunt opes; ac in ſingula momenta operi ſe manus admoturos pollicebantur. Quod autem erat horum principum conſilium, quæ ratio? Ut videlicet in Judæi populi corde ſublimes, & dignos Deo Iſrael excitarent affectus, atque, in hac natione ſpiritum religionis cieret, qui propter frequentes ejuſdem in idololatriam lapſus ferme erat extinctus. Tandem ne templum abſolutum eſt? Nunquam tot victimæ immolari viſæ ſunt; nimis exiguus erat ſacerdotum numerus: thus, quod adolctum eſt, cœlo caliginem offudit; aer circumundique perſonuit vocis, atque clamoribus, quos tot hominum in terram procumbentium millia effundebant. Ad ſpectaculum hoc tota convenit Judæa, quæ novo flagravit ardore impenſius ſervandi, quidquid lex in creatoris ſui honorem præcipiebat. Illud vero maxime mirum fuit, quod viſa eſt Dei majeſtas non dubiis indiciis templum iſtud replere. Hoc ſignum fuit præſentiæ Dei in hoc materiali templo non ſolum quatenus illuc ſuper aris peculiariter immoratur, verum etiam quatenus illud ſuæmet gloriæ dedicantis.

De abominationibus, quas Ezechiel Propheta mox in augusto eo templo conſpexit.

In noſtris templis Ezechielis prophetæ viſio adimpletur. Dominus, ait ille, cum me ad templi januam adduxiſſet, vidi eo in loco mulieres ſedentes, quæ plorabant Adonidem; cumque me in interius perduxiſſet atrium veſtibulum inter, & altare vidi ferme viginti quinque homines templo Domini terga vertentes, quorum facies in ortum converſa orientem Solem adorabant. Cum ejuſdem profanationis rei ſimus; quippe quæ tunc a Propheta viſa fuit abominatio, imago eorum eſt, quæ quotidie in noſtris accidunt templis:

verea-

Digitized by Google

vereamur, ne quod Deus per os prophetæ ſui Sophoniæ c. 2. minatus eſt, in caput noſtrum labatur: viſitabo illos in furore meo; videbit eos oculus meus, & non miſerebitur, cumque ad me elata voce clamaverint, eos non exaudiam &c.

Extra templum Jeroſolymitanum ſacrificari non poterat.

Judæis unum dumtaxat erat templum, ubi ſacra facere liceret, eratque templum Jeruſalem; ac ita ſapientiæ ſuæ effectu præceperat Dominus, cum enim Judæi ad idololatriam proni eſſent, non ſine periculo iiſdem licuiſſet pluribus in locis aras extruere... Hodie vero cum templa, & aræ in infinitum multiplicatæ ſint, devotio, & veneratio, quæ ſanctis hiſce locis debetur, imminuta eſt, ac eorum copia quemdam videtur peperiſſe contemptum.

Qua in veneratione Judæis olim Tabernaculum eſſet.

Tanta in veneratione apud Judæos erat locus, ubi Deus ſolum nebulæ cujuſdam immiſſione ſuam obſcuraverat majeſtatem, ut ſtatim ac Moyſes tabernaculum erigere juſſus fuit, mulieres omnes certatim confluerent in medium collaturæ, quidquid locupletiſſimum, & pretioſiſſimum poſſidebant, atque ita opifices muneribus ſuis recipiendis diſtinerent, ut illis conflandi tempus deficeret eo uſque, ut Moyſes edicto cavere debuerit, ne quid ulterius afferrent. Quis pudor fidelibus, qui magnificas habentes ædes, & coenacula pretioſiſſimis ornata periſtromatis, argentea vaſa, ac locupletiſſimam ſupellectilem, patiuntur templa rebus omnibus indigere, vel male ſarta, ſciſſaque adhiberi ornamenta! Nonne mirum eſt, hujuſmodi hominibus adeo parum pietatis, & religionis eſſe, ut non dedignentur vel minimum aliquid de ſuo luxu ſubtrahere ornaturi templa, ubi Deus ſuus adeo indecenter moratur?

Diverſæ templi Jeroſolymitani dedicationes.

Ex ſacris Bibliis docemur Jeroſolymæ templum ter dedicatum fuiſſe. Prima dedicatio a Salomone facta eſt; noſtis, quod de hac ſcriptum ſit tertio Regum libro, & quam magnificæ, ſanctæ, & ad omnem majeſtatem compoſitæ adhibitæ fuerint cæremoniæ. Altera peracta eſt a Zorobabel, poſtquam Iſraelitæ de captivitate, qua tamdiu in Perſide laborarunt, reverſi ſunt; & hanc Eſdras in libro primo deſcribit. Tertiam ſtrenuus Judas Machabæus effecit; & hujus quotannis ſolemnem celebrari voluit feſtivitatem, quæ res locum præbuit S. Gregorio Magno aliquid ſimile præcipiendi.

Zelus, quem teſtatus eſt Dei filius ejiciens vendentes.

Quamvis non alia nobis eſſet cauſa, ut ab omni irreverentia in templo patranda abſtineremus, præter eam, quam habemus in evangelio, ſatis eſſet, ut intelligeremus ex omnibus peccatis nullum eſſe, in quod ſeverius Deus animadvertat, quam quod in ejus domo committitur. Mirum enim profecto eſt, Salvatorem primo prædicationis ſuæ anno principium, extremo autem finem duabus ſimilibus actionibus impoſuiſſe, quæ ſane procul abhorrere videntur ab ea lenitate, quam Iſaias prophetavit. S. enim Joannes animadvertit aliquanto poſtquam ille baptizatus fuit, accedente Paſchatis ſolemnitate, cum Jeroſolymam veniſſet, ut illic primum ſe proderet, templum introiſſe, ibique nactum eos, qui boves, arietes, & columbas ſacrificiis deſtinatas vendebant, eos flagello percuſſos ejeciſſe, incipiendo prædicationem ſuam effectu zeli pro Patris ſui gloria flagrantiſſimi. Triennio poſt Jeroſolymam reverſum, ut ibi extremum Paſcha perageret, cum idem ſcelus deprehendiſſet, ſimiliter ementes, atque vendentes plagis affectos expuliſſe, quemadmodum S. Matthæus teſtatur. Sin autem vix intelligi poteſt, quomodo unus homo, ignotus, ſine auctoritate, ſine imperio, in templo, & qui nondum inſigni aliquo miraculo ſibi nomen fuerat adeptus, ejicere hoc pacto potuerit vendentes, & ementes, qui ſanctum locum illum polluebant, quin aliquis ne leviter quidem reluctaretur; teſtatur S. Hieronymus ex oculis illius niteatem ignem emicuiſſe, atque divinæ majeſtati ſuæ fulgorem in faciem illius eripuiſſe, quæ res populo univerſo metum, ac terrorem incuſſit.

Primi fideles meliorem diei partem in templo preces fundendo traducebant.

Secundo Actorum capite legimus, primos fideles, qui S. Petro prædicante, in JESU CHRISTI ſacra tranſierant, meliorem diei partem in templo tranſmittere conſueviſſe: *Erant quotidie perdurantes unanimiter in templo.* Nullum ex his verbis ſerio ponderandum non eſt: *Erant quotidie.* Non bis, vel ſemel in hebdomada, ſed ſingulis diebus indeſinenter; quod fidelibus omnibus faciendum eſſet, quotidie ſacrificio adorabili, quod in templis celebratur, adſtantibus: *Perdurantes*; neque illuc ingrediebantur ſtatim egreſſuri, ſed ibi diu morabantur. *Unanimiter.* Simul omnes, & conſentientes, ut eorum precibus major virium fieret acceſſio, ad cœli gratias obtinendas. *In templo.* Neque coibant omnes in aulas, alioſve profanos locos, ſed in templum, tanquam in locum ſacri Dei cultui dicatum.

De Templorum noſtrorum conſecratione.

Certum eſt in templorum dedicatione, & altarium conſecratione potiſſimum fideles ſpectare debere, ſeipſos eſſe Dei viventis templa, & altaria, & quod exterius in illis fit per purificationes legis Chriſti, in his interius per gratiæ operationes impleri. Nam quamvis hæc ædificia ſancta ſint, & accepta Deo, noſtra tamen corpora, & corda toto cœlo ſunt pretioſiora; illa enim opera ſunt hominum, hæc autem creatoris.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

De chriſtianis ſimul in templo congregatis.

A*Cervus lapidum teſtimonii*. Gen. 31. Dicimus, templa comparanda eſſe lapidibus Jacob, quos congregaſſe dicit, & ex illis *teſtimonii acervum* feciſſe. Templum hoc, in quo ſumus, & quo ſæpe convenitis, non aliud eſt, quam acervus lapidum ſimul conjunctorum; artificis opus eſt, ſed intrinſecus ſunt corda ſimul conjuncta, quæ Deo ſuam fidem, amoremque teſtantur; & quemadmodum in templo non deſunt lapides quidem, qui pretio, ac ſpecie ſua aliorum humilitatem commendant, ita in unione cordium in templo orantium non deſunt quædam, quæ ſanctitate, & virtute ſua aliorum tegant indignitates, eiſque ſua charitate eas obtinent gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut perfectiores evadant. *Biroat.*

Quamvis Deus ubique ſit, in Templo tamen peculiariter eſt.

Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Geneſ. 28. hoc ajebat Jacob, poſtquam myſticam viderat ſcalam extremis ſuis cœlum, terramque tangentem; hic templum extruere volo in ejus bonitatis, qua ſeſe mihi Deus communicare dignatus eſt, monumentum. Quid ais, o Patriarcha? an Deum eſſe ubique neſcis? Ubique eſſe, equidem ſcio; ſed iſthic illum ſentio, illum guſto, illum poſſideo. Credo illum eſſe ubique præſentem, ſed iſthic illius benedictionem recipio. Scio illum eſſe ubique; hic vero adeo efficaciter eſſe neſciebam: ideoque lapis, quem in meæ felicitatis monumentum conſtitui, æternum domus Dei nuncupabitur.

Deus frequentius preces noſtras in templis exaudit, quam alibi.

Erit cor meum ibi. 1. Reg. cap. 9. dixit Deus Salomoni. Ero in loco hoc, ut tuas audiam preces; propitiis intuebor oculis neceſſitates tuas, ac facile ibi tuis petitionibus adhærebo: *Erit cor meum ibi.* Verum eſt, in religione noſtra ubique preces effundi poſſe, ac Deum polliceri, ſe in quocumque loco orationibus noſtris aures adhibiturum, in agris æque, ac in urbibus, in deſertis æque, ac in domibus: attamen ſemper verum eſt dicere, illi gratiores eſſe preces, quæ in templo fiunt, quam quæ alibi; cum enim penes ipſum ſit ſuarum gratiarum arbitrium, cam, quam voluit, ſtatuere potuit conditionem, ut illas elargiretur, & illum, quem maluit, locum, ubi eas conferret, quemadmodum Salomoni locum indigitavit, ubi templum ædificandum erat, in quo coleretur. Itaque vult, templa eſſe deſtinatos locos, in quibus ſibi religionis cultus adhibeatur. *Biroat.*

Interior, & exterior devotio in templis adhibenda.

S. Auguſtinus animadvertit, quemadmodum in templo Salomonis duæ erant aræ, altera quidem exterior, ubi victimæ jugulabantur, interior altera, ubi thymiamata adolebantur: ita in nobis

Digitized by Google

bis etiam duo eſſe altaria, quorum alterum corpus eſt, cor autem alterum; in quorum altero per mortificationem, ac pœnitentiam omnia bonorum operum genera nobis offerenda ſunt; in altero vero flagrantia in cœlum mittenda ſunt thura bonorum cujuſcumque generis cogitationum; atque tunc tandem digne in templo adſtitutos, cum corpora, & corda noſtra coram divina majeſtate munda erunt, eam ignis altaris, ſanctus videlicet ſpiritus abſumpſerit, quidquid caro, & ſanguis producere poteſt in nobis oppoſitum puritati, quam petit a nobis, & ſanctitati templi hujus viventis, ac ſpiritualis, quod ſe in cordibus noſtris formaturum recepit. *Flechier*.

Quomodo ſumus templa viventia.

Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis, 1. Petr. cap. 2. Vos eſtis lapides vivi, & domus ſpiritualis, ait S. Petrus Apoſtolus, ut innuat, in nobis eſſe quoddam veluti corpus religionis, noſque ſimul eſſe templum, adoratores, ſacerdotes, & victimas, in nobis eſſe manſionem, ſecretamque Dei habitationem, cultum ſpiritus, & veritatis, & ſacrificium ſenſuum cordis noſtri, animæque noſtræ facultatum, ubi conjuncti ſumus JESU CHRISTO veræ juſtitiæ, veræque adorationis auctori. *Idem*.

Templa noſtra facta non ſunt, ut ibi adoremus idola.

Non habebis Deos alienos. Exod. c. 20. Dominus in templo ſuo ſolus vult adorari; ſecum Deos alienos coli vetat. Attamen quot illi Chriſtiani ſunt, qui in templum ingrediuntur idola veneraturi? Quilibet illuc idolum ſuum gerit, ſuam incompoſitam animi afferens cupiditatem. Mundana hæc matrona cum omnibus ornatibus ſuis adeo parum modeſtis, in qua luxum, & vanitatem regnare video, nonne teſtatur ſe thus adolere idolo formæ ſuæ, quam & ipſa adorat, & aliis adorandam proponit? Idololatra eſt, & idololatras facit eos omnes, qui intuentur illam.

Recedam de ſanctuario meo. Ezech. 8. Ezechiel Propheta admiratione perculſus, eo quod videt templum a Deo derelinqui, temperare non potest, quominus dicat illi: Quid, Domine, numquid obliviſceris promiſſionum tuarum? Itane deſeris locum, quem pro manſione tua delegiſti? Nimis, ait Dominus, nimis conviciis laceſſitus ſum, egrediar de ſanctuario meo, utque juſtam indignationis meæ tibi cauſam aperiam, perfode parietem, & quid intro fiat ſcrutare. Dicto paruit Propheta, viditque ſeniores populi humi provolutos inanibus diis ſacrificia offerentes. Procedit ulterius, videtque mulieres paſſis crinibus fœdiſſimi Adonidis mortem plorantes. Neque id ſatis, vidit etiam ſenes, qui terga aræ vertentes orientem Solem venerabantur. Tunc autem Deus; quid ais Propheta; poſſumne cum execrabilibus hiſce numinibus commorari, ac thus n ſacrilegis manibus recipere, quæ idolis inſerviunt? Haud ita; ſed *recedam de ſanctuario meo*.

Deum decoramus illic, ubi vult honorari.

Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto? Pſalm. 73. Quotuplici ſcelerum genere Deo, & JESU CHRISTO infertur contumelia eo in loco, quem illi ſibi elegerunt, ut ibi colerentur! Quot irreverentiæ, quot mentis evagationes, quot indignæ, atque terreſtres cogitationes, quot inſani, reconditique conceptus! *Quanta malignatus eſt*! Quot inepti ſermones, quot curioſi, & nocentes obtutus! Quanta malignitas eſt! Quot turpia deſideria, quot ad conveniendum indicta tempora, quot impietates, profanationes, enormia ſcelera Deo uni comperta? *Quanta malignatus eſt in ſancto?* utique in domo Dei, in illius ſanctuario, *in Sancto*! *P. Teuter*.

Quod ſcelus eſt Deum in domo ſua lædere.

Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Jerem. 11. Non extrema contumelia, qua affici poſſit honeſtus vir, & qua ſe maxime lædi putet, eſt cum propria laceſſitur in domo. Apud gentes omnes cujuſcumque domicilium locus eſt ſecuritatis, ac domi ſuæ ſe recipit homo, qui tutus eſſe vult. Ubi ſi quis cogitur, læditurque, hoc nonniſi contra omne jus, faſque contingit, & capitalis eſt noxa. Fierine poteſt, mortalibus ſatis non eſſe divinitatem in plateis, & compitis laceſſere, ut eo uſque impotentiæ evadere velint, ut illum in propria domo receptum audeant offendere! De hoc ille conqueritur: *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?*

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, atque ſententiæ hujus argumenti.

OMnes in idipſum ad orationem ſimul convenite, una deprecatio ſit communis, unus animus, una ſpes, dilectio immaculata, in fide CHRISTI JESU: *omnes adunati ad Templum Dei concurrite ſicut ad unum altare, ſicut ad unum* JESUM CHRISTUM *Pontificem*, S. Ignatius Martyr Epiſt. ad Magneſ.

Eccleſiam non ſecus ac cœlum frequenta, nihilque in ea aut loquere, aut age, quod terram ſapiat. S. Nilus.

Hoc faciunt qui male vivunt, quantum in eis eſt, domum Dei, ſpeluncam latronum facere volunt. Auguſt. in Pſalm. 130.

Movet me dolor magnus adverſus fratres noſtros Chriſtianos, qui ſic volunt intrare Eccleſiam, ut hic corpus habeant, & alibi cor. Auguſt. Serm. 6. de Verb. Domini.

Cum parvo peccato ad Eccleſiam veniunt, & cum peccatis multis ab Eccleſia recedunt. Ambroſ. Serm. 33.

Religionem noſtram paganam facere volunt. Hieronym. lib. 2. Epiſt. 4.

Coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Tertull. in Apolog. c. 39.

Tamquam portum in mari, ſic Eccleſias in urbibus fixit Deus. Joannes Damaſcenus.

Sub titulo religionis Deum ludimus, qui in rebus religionis peccavimus. Salvianus l. 3. de Gubernat.

Non in hoc ſolum Domini timoris officium eſt, ad domum Dei corporaliter convenire, & viſibiliter genuflectere; ſed animas ſupplicationis affectu, impetrationis fructu dignam facere, & ad cuorandum fide & operibus præparare. S. Eucherius in hæc verba, oportet ſemper orare.

Nolens Chriſtus in domo ſua terrenæ negotiationis opus, ne ejus quidem quæ honeſta putaretur, exhiberi, diſpulit negotiatores; quid ergo putamus faceret Dominus, ſi rixis diſſidentes, ſi fabulis vacantes, ſi riſu diſſolutos reperiret, qui hoſtias, quæ ſibi immolarentur, ementes in templo vidit, & eliminare feſtinavit? Beda in cap. 2. Joannis.

Terribilis plane locus, & dignus omni reverentia, quem fideles viri inhabitant, quem ſancti Angeli frequentant, quem ſua quoque præſentia Dominus ipſe dignatur. Bernard.

Eccleſia non eſt officina forenſis, ſed locus Angelorum, regia cœli, cœlum ipſum. Chryſoſt. in 1. ad Corinth.

Eccleſia cœlum eſt in anguſtum redactum. Idem.

Non mirum eſſet ſi fulmen dimitteretur: digna enim fulmine ſunt hæc, quæ in Eccleſia fiunt. Idem, Homil. 24. in Acta.

O audaciam! quomodo Deum placare poterimus, &c. Idem, ibidem.

Numquid theatrica ſunt hæc, quæ hic geruntur? Idem, ibidem.

Habes Eccleſiam, ſacrificium quod perficitur, Patrum orationes; habes Spiritus ſancti domum, Mar-

tyrum

Digitized by Google

tyrum memorias, Sanctorum congregationem, multaque alia, quæ poſſunt te a peccatis ad juſtitiam revocare. Id. tom. 1. hom. 69.

Tunc, primis Eccleſiæ temporibus, domus erant Eccleſiæ; nunc Eccleſia eſt domus, vel potius quavis domo deterior. Idem.

Quid facis homo! mulieris ſpeciem curioſus in Eccleſia perſcrutaris; nec horreſcis ſanctum templum Dei afficiens contumelia. Idem, Homil. 74. in Matthæum.

Dominus eſt in loco iſto, ubi non duo aut tres, ſed tam multi in ipſius congregati nomine perſeverant. Idem, ibidem.

Stat Sacerdos, Deo offerens orationem cunctorum; tu autem rides? nihil times? non contremiſcis? Chryſoſt. Homil. 15. in Epiſt. ad Hebræos.

In foro ſilentium, in Eccleſia clamor. Idem, Homil. de Baptiſmo Chriſti.

An quidquam indignius eſt quam oracula divina circumſtrepi, circumſonari ſacramenta confuſis vocibus, cum Gentiles idolis ſuis reverentiam tacendo deferunt. Ambroſ. lib. 3. de Virg.

In templa paſſim omnes ſordidi atque flagitioſi ſine ulla penitus reverentia irrumpunt; non quin non omnes ad exorandum Deum currere debeant, ſed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum. Salvianus lib. 3. de Gubernat. Dei.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hoc in argumento valeat hauriri.

Quid ſit templum.

TEmplum, vel eccleſia, ex S. Bonaventura *ſerm. 2. de delectat.* vocatur locus deſtinatus exercitiis religionis, orationibus, ſacrificiis, laudibus Dei, aliiſque pietatis officiis, quæ Deo, qui colitur, præbentur; quamobrem habentur velati ſancti loci, & vocantur eccleſiæ, propter convenientis ad Deum colendum populi multitudinem; templa, propter ſacrificium, quod illic offertur; & demum domus, vel palatium, ubi Deus adeſt, & peculiari quodam modo inhabitat. Ac dicere poſſumus ex hac idea, quam ipſi concipimus ejus loci, qui divinæ majeſtati ſacer eſt, omnes deduci rationes, & argumenta reverentiæ, ſilentii, ac modeſtiæ, quæ ibi ſervanda eſt.

Neceſſe eſt quoſdam eſſe locos deſtinatos, ubi debitus divinæ majeſtati cultus adhibeatur.

Quemadmodum omnis homo, qui ſanæ mentis eſt ex intuitu admirabilis ordinis, qui videtur in mundo, aſſurgere debet ad cognitionem primi principii, quod hæc omnia produxit, atque diſpoſuit; neceſſario opus eſt, eum agnoſcere religionem a Deo inſtitutam, quæ illi oſtendat, quinam ſit iſte Deus, & qua ſit ratione colendus. Cum igitur religio inſtituta ſit, ut ſolemniter eam profiteamur divinitatem, quam colimus, opus eſt, cultum eſſe communem, & publicum, ideoque locos eſſe quoſdam, in quibus congregari fideles publice fidem, ſuaque erga Deum profiteantur officia. Hoc autem vocamus eccleſias, vel templa, quæ Deus ſanctificavit eligens illa, ut ibi nomen ſuum, hoc eſt gloriam ſuam, ut loquitur Spiritus ſanctus, conſtituat: *Elegi, & ſanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum.* 2. Paral. 7.

Quamquam Deus ubique coli poſſit, voluit tamen quoſdam habere locos huic uſui ſacros.

Quamquam Deus eſſentialiter ubique ſit propter eſſentiæ ſuæ immenſitatem, atque ubique colendus ſit propter nominis ſui gloriam, & ſanctitatem, & denique quamquam univerſus terrarum orbis ad eum tanquam ſupremum rerum omnium Dominum, & Moderatorem pertineat: tamen cum ipſe quoſdam elegerit locos, ac dies, quos deſtinavit tamquam dies feſtos, ac ſolemnia tempora, quibus auctoritas, & magnitudo ſua eſſet in honore habenda, quoſdam etiam deſtinavit locos, qui eſſent throni gloriæ ſuæ, & ſupremæ ſuæ majeſtatis templa, ut facilius muneribus noſtris defungi liceret, atque ut ibi cultum noſtrum eidem deferre poſſemus. Ita in lege veteri aliquem ſemper delegit locum, ubi populi ſui cultum reciperet, ibique non vulgaria præſentiæ ſuæ documenta præberet. Non latet quid acciderit in dedicatione templi Jeroſolymitani, ubi viſa eſt Dei majeſtas palam totum replere templum, cujus rei hanc affert cauſam S. Auguſtinus ſerm. 130. de Temp. quia *immunda erat tunc univerſa terra fumo victimarum, & nidore.* In publica illa profanatione Deus exiguum hunc ſibi mundi reſervaverat angulum, quem tanquam ſacrum eſſe, & haberi voluit. Quod autem in veteri teſtamento fecit Deus, & in lege Gratiæ facere voluit peculiariter eligens templa, ut ibi ſolemniter, ac publice a fidelibus coleretur.

Cur neceſſe ſit templa materialia ædificari.

Si homo purus eſſet ſpiritus, ac ſimilis Angelis, imitaretur eorum adorationes Deum ſuum colens, atque eorum exemplum ſecutus a nullo penderet loco, ut inevitabili hoc munere perfungeretur; ſed homo eſt, hoc eſt ex anima ſimul, & corpore conſtans; ideoque tenetur ſupremum illud ens colere duplici cultus genere, quorum alter ſit interior, & par ſuperiori, ac ſublimi huic parti; exterior alter, qui aliquam habeat cum terreſtri hac, rudique materia rationem. Prior ille proculdubio ſolidior eſt, perfectior, præſtantior; ſed exterior viciſſim habet neſcio quid, quod magis nos movet, percellit, immoratur; & hæc neceſſitas hoc pacto Creatorem adorandi creaturæ hanc mentem injecit ſtatum, determinatumque ædificandi locum, quo ſimul conveniremus perfectius hoc officium obituri, & ubi omni tumultu ſemoto facilius Deo id, quod opus eſt, redderemus.

Æquum erat templa fieri, ut ibi Deus majori cum majeſtate coleretur.

Patet quidem ex iis, quæ S. Paulus docet, nos quocumque in loco preces effundere poſſe, atque in lege gratiæ veros adoratores Deum adorare in ſpiritu, & veritate, quæ ſpiritualis adoratio ſuapte natura nullis extrinſecis vel loci, vel temporis circumſtantiis inhæret: & Deum nequaquam in manufactis templis inhabitare, velut idola, quæ in delubris continentur, & ipſa etiam ſacramenta, per quæ gratias recipimus, alibi etiam nonnumquam recipi poſſe. Sed quoniam æquum eſt, ut divina myſteria cum multa veneratione, metu, ac reverentia peragantur, ac ſacra fiant cum myſtica quadam majeſtate, quæ infinitam denoter majeſtatem Domini, cui ſervitur, voluit ſibi quoſdam conſecrari locos huic uſui unice deſtinatos.

Deus peculiari ratione in templis inhabitat.

Si tuta, ac certiſſima præſentiæ cauſæ alicujus nota eſt illius actio & effectus, inde ſequitur, quod quo præſtantius agit in loco, eo verius præſens eſſe dicatur. Ita dicimus hominis intellectum, qui re ipſa ab animæ ſubſtantia diſtinctius non eſt, in capite potius, quam in reliquo corpore inveniri, quia ibi præſtantiores, magiſque pares naturæ ſuæ dignitati operationes exercet. Juxta hanc autem loquendi rationem Deus in cœlo, & in templis peculiari ratione adeſt juxta illud Pſalmiſtæ Pſalm. 10. verbum: *Dominus in templo ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus.* In cœlo quidem per effuſionem, atque manifeſtationem gloriæ ſuæ; in templis autem, quia hæc illi conſecrata ſunt, ut ſint locus, ubi vulgo omnes gratiæ in nos producit effectus. Hinc illa uſui prorſus ſacro devota ſunt, ut illum adoremus, ut illi preces fundamus, ut illi ſacrificemus, ut per Pœnitentiæ Sacramentum peccatorum noſtrorum expiationem recipiamus, ut divina audiamus oracula per verbum illius, quod ibi nobis nuntiatur, atque orationum noſtrarum interceſſione gratias, atque cœleſtia dona conſequamur.

Noſtrorum templorum præ Salomonico præſtantia.

Templa noſtra colenda ſunt propter infinitam illam præſtantiam, quam præ auguſto illo Salomonis templo obtinent; nam præterquamquod Deus ibi præſens eſt per eoſdem effectus, alioſque plurimos longe inſigniores, continent etiam re ipſa Deum hominem factum ibi corporaliter in adorabili Altaris Sacramento inhabitantem, atque de his dicere poſſumus, quod Apoſtolus ad Coloſſ. 2. de JESU CHRISTO: *in ipſo habitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Etenim

in

in Euchariſtia ipſum habent filii Dei corpus.

Templa noſtra ſuat loci ſancti, & propterea illa venerari debemus.

Templa noſtra ſancta eſſe debent; etenim aliqua eſſe debet proportio inter ea, quæ Dei cultum reſpiciunt, & ipſum Deum. Nil profanum, nil impurum ingredi debet ſanctuarium ejus. Spiritûs ſacerdotii, ac viventium miniſtrorum eſt ſanctitas actionis, quæ illos Deo conjungit, eoſque ab omni ſæculi corruptione ſeparat; ac ſtatus templorum manufactorum, ac miniſteriorum anima carentium ſanctitas eſt conſecrationis, & uſus, per quam religioni apta fiunt, neque poſſunt amplius in ſæculi uſus hominumque neceſſitates impendi. Ita ad Deum ex neceſſitate, & decoro pertinet eccleſia; & quemadmodum eccleſiæ Dominus ſanctus eſt, opus quoque eſt Domini domum ſanctam eſſe.

Templorum noſtrorum dignitas.

Templa a nobis colenda ſunt aliam ob cauſam, quia videlicet ſunt veluti centrum unitatis, & communionis precum chriſtianarum. Quemadmodum nullum præceptum eſt, quod nobis magis ſit commendatum, magiſque neceſſarium, quam præceptum charitatis erga Deum, & erga fratres noſtros; ita in chriſtiana religione nullus eſt vetuſtior uſus, neque probatior, quam cœtus, & convocatio fidelium in domibus orationis, quia ibi fatentes infirmitatem ſuam, ac generalem ſubmiſſionem ſuam Deo ſeſe ad illius amorem, & cultum ſancta æmulatione excitabant; & iiſdem indigentes gratiis, & ad Patrem eumdem confugientes in eodem ſpiritu congregabantur, ac in deſideriis, ac petitionibus ſuis ſibimet ultro citroque opem ferebant.

Quo ſenſu, modoque templa noſtra ſint ſancta.

Cum ſæpe de templorum ſanctitate incidat ſermo, omniaque ibi, parietes quoque, ſancta vocentur, hoc non intelligitur de interiori, formalique ſanctitate, quæ ad creaturas libertate, ac ratione præditas tantummodo pertinere docet S. Thomas 3. p. q. 35. art. 3. ſed de ſanctificatione exteriori, ſeu quod ſacra ſunt Deo, qui eſt Sanctus Sanctorum, ſeu quia qui ibi, ut opus eſt, preces fundunt, ibi quaſdam ſpeciales gratias inveniunt, quæ illos diſponunt vel ad acquirendam ſanctitatem, quam non habent, vel quam habent ſervandam, ſeu quia ibi Sanctorum reliquiæ aſſervantur. Nonne ipſi etiam templorum parietes cum S. Bernardo ſancti vocari poſſunt, quippe qui tot cæremoniis, ſacriſque Pontificum manibus conſecrati?

Hæretici quidam falſo crediderunt, Deum in templo non alia ratione quam alibi ubique adeſſe.

Si verum eſſet, Deum nullo pacto habitare in templis, quæ homines gloriæ ipſius ædificarunt, cur in lege naturæ, Noe, Abraham, & Jacob illi aras extruxiſſent? Cur in lege ſcripta Moyſi præcepiſſet, ut tabernaculum ædificaret? Cur illi graphidem, ac exemplar propoſuiſſet, & cur pollicitus eſſet, ſe in eo præſentem futurum, ſupplicumque preces exauditurum? Cur David toties cohortatus fuiſſet populos, ut manus ſuas ſanctuarium verſus attollerent, donec nox eos prohibebat, ne illuc ingrederentur? Cur Salomoni poſt templi, quod unquam extiterit, magnificentiſſimi ſubſtructionem dixiſſet; elegi locum hunc in habitationem mihi? Cur Judæi de veteri urbe ſua expulſi ſecus flumina Babylonis tot lacrymas offudiſſent, dum ſanctæ civitatis Sion recordarentur? Cur renuiſſent canere cantica Domini, & huic offerre ſacrificia in terra aliena? Denique cur Daniel in captivitate ter in die ſeſe Jeroſolymam, templumque verſus, quo ire non licebat, convertiſſet, ut inde implorare poſſet Domini miſericordiam, a quo tutius in ſanctuario ſe exauditum iri credebat? Deus ipſa in templis reſidet modo, qui magis nobilis eſt, atque magis ſuæ divinitati conformis. Univerſus terrarum orbis domus Dei eſt; attamen ipſe templum propriè ſuam domum appellat, quia quamvis æque ubique ſit, hic tamen ſe magis manifeſtat. Divinitas ejus non ibi quidem magis habitat, quam in agris; ſed miſericordia ipſius ibi potiſſimum nitet per magis liberalem ſuæ gratiæ effuſionem.

Oratio, & alii religionis actus Deo

Religionis actus in templo elicitus ex particulari migrat in publicum, & magis honorat Deum cum propter exemplum, quod aliis præbet, tum propterea quod ſpiritus, & corporis ſimul omnes actus conjungit. Ideo Dei filius Apoſtolis ait, ubicumque duo, aut tres ſimul congregati fuerint in nomine ipſius, ſe in medio eorum futurum, ut illos exaudiat. Præterquamquod eccleſia pro illis præſertim orat, qui adſunt, & ſi quando pro abſentibus quoque ſuas preces effundit, hoc tunc fit, poſtquam pro præſentibus eſt deprecata. Oratis, & vobiſcum orat eccleſia. S. Gregorius ait, & ex hoc cœtu fidelium, ſanctum exiſtit melos, quod ſuavitate ſua Dei cor movat, eique jucundiſſimam vim infert, qua cogitur ea nobis concedere, quæ precamur; & quamvis ipſe preces noſtras repellere poſſet, illas tamen propter eccleſiam pro nobis, & cum nobis orantem exaudit.

magis accepti ſunt in templo quam alibi.

Qualitas peccati, quod per immodeſtiam in templis committitur.

Dubitari primum minime poteſt, quo minus irreverentia, & immodeſtia in templis proprie ſit ſcandalum, quod illis præbetur, qui vident nos adeo parum reverentiæ teſtari Deo in loco adeo ſancto, & qui eidem dicatus eſt; ſcandalum inquam ex natura ſua, quia hæc publica eſt actio, quæ fit ob oculos fidelium congregatorum, qui ſæpe ſe continere nequeunt, quominus teſtentur, quantopere ſibi illud agendi genus diſplicet. Ad hæc actio iſta non alios ſolum in peccatum impellere poteſt, ſed ſe ipſa impellit; etenim hoc pacto excitantur, ut & ipſi illic verba faciant, eodem corporis habitu ſe gerant, ac facile ſibi perſuadent hoc non eſſe tandem tantum, quantum exiſtimatur, malum, quandoquidem illud adeo frequens, atque impune conſpiciunt; qua in re proprie ſcandali nequitia conſiſtit. Secundo loci ſancti circumſtantia peccatum efficit, quod citra noxam fieri poſſet in loco profano, cujuſmodi eſſet colloqui, ridere, caput, oculoſque circumferre. Cum vero ratio ex ſe mala eſt, circumſtantia loci ſancti, ac divini cultus dicati, eam ſacrilegam facit; id genus ſunt obtutus, cogitationes, & deſideria impudica, quæ ibi ſæpe concipiuntur, ita nullum unquam ſcelus fuit cum in veteri, tum in nova lege Deo ingratius, & quod ſeveriores pœnas meruerit.

De templorum dedicatione quid ſit, & ad quid obliget fideles.

Templi dedicatio exterior eſt actus religionis factus ab Epiſcopo, vel legitimam poteſtatem habente, actus per quem manufactum ædificium peculiari benedictione fit domus Dei, quo fideles confluere debent illum adhibituri honorem, qui adorabili ejus majeſtati debetur. Actum, dixi, religionis; nam ſicuti templa peculiari inſtitutione ſua divino cultui ſunt deſtinata, ubi debitus Deo honor deferendus eſt, horum templorum conſecratio pertinet ad religionem, ut illa fiant domus, atque palatium, ubi homines illi præſtent reverentiam, venerationem, atque adorationem, quæ ſupremo huic cœlorum, terrarumque Domino debetur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Quid ſit conſiderandum in templis.

NE figamus oculos in iis, quæ videntur, & quæ ſtatim occurrunt intuentibus templum; neque inſpiciamus ea, quæ natura, vel ars in hos locos invexit: ſed noſtra utamur fide, atque ratione, ut eorum intueamur conſecrationem, quæ illos ab humanis ſecrevit uſibus, ut divino cultui applicaret, quæ illos ex profano ſtatu eduxit, ut in ordinem adduceret ſupernaturalem. Hinc ſequitur, Deum illis duas veluti impreſſiones tribuiſſe, quorum altera præſtat, ut in ſanctarum rerum ordine habeantur, altera vero, ut ſingulariter pertineant ad Deum, & ad illius cultum, & gloriam ſint deſtinati. Utraque noſtram meretur reverentiam, non ſolum ex religionis ſenſu, verum etiam ex quadam ſpecie juſtitiæ, quæ Deo conferre debet,

bet; quod Dei eſt. Hic ſemper communis fuit religionis ſenſus omnium terrarum mortalibus, qui aliquod numen agnovere, huic aras, ac templa dicare; & propter dedicationem hanc delabra reverentia digna cenſuerunt, ibique modeſte, atque ad obſequium compoſiti ſeſe gerere conſueverunt. Arbitrati ſunt, nec ſine cauſa, res has ſtatum immuraſſe, & aliquem divinitatis radium quodammodo ſeſe in eas effudiſſe. In hoc autem noſtra excellit religio, quod templa, in quibus verum colimus Deum, non ab hominibus tantum illi applicata, dedicataque ſunt, ſed quod ille ipſe Deus huic præeſt conſecrationi, eaque per ſeipſum ſibi ſanctificat. *Biroat pro feria ſecunda poſt quartam Quadrag. Dominicam.*

Inſigne religionis noſtræ privilegium eſt habere J. C. ſemper in eccleſiis præſentem.

Maximum noſtræ religionis bonum eſt, habere ſemper Dei filium in altaribus noſtris præſentem; ibi enim non adeſt ſolum dum auguſtum Miſſæ peragitur ſacrificium; ſed in tabernaculis noſtris interdiu, noctuque aſſervatur, & dicere poſſumus, ipſam ſuæ bonitatis effectu locum hunc elegiſſe, ubi nobis occaſionem præbere poſſet ipſum quolibet momento adorandi. Hoc inſigne eſt Chriſtianis omnibus beneficium; quia immediate illi ſuas preces offerre, & cum eo loqui poſſunt; ſed quænam huic eidem Salvatori gloria, quandoquidem hoc pacto facilius cultum noſtrum ſibi poteſt conciliare? Noſtis, quinam Regibus adhibeatur honor, & quæ illis, cum adſunt, reverentia debeatur; attamen fatendum eſt ipſos quibuſdam in locis, & occaſionibus majorem ſibi populorum reverentiam promereri: veluti cum throno inſident ſuo cum omni dignitatis ſuæ apparatu, atque cum illuc aſcendunt, ut ſubditorum excipiant obſequia. Hic poteſtatis eorum apparatus novum gloriæ ipſorum titulum, novamque reliquis hominibus addit obſequii neceſſitatem. *Idem.*

Omnes hujus mundi loci per ſe nullo ſunt in diſcrimine; ſed inter ſe dignitate differunt pro uſuum, quibus deſtinantur, negotiorum, quæ ibi transiguntur, operum, quæ ibi fiunt, varietate. Regum ſubſellia coluntur, non ſolum donec illis Reges inſident; ſed quia hic locus eſt, ubi illi ſupremam ſuam exercent auctoritatem. Judicum ædes, ac tribunalia obſervantur; ibi enim jus dicitur, deque vita, & morte populorum legem prævaricantium decernitur. Quod ſi hos omnes reveremur locos, quo potiori jure non verebimur templa, quia loci ſunt præſtantioribus uſibus deſtinati? *Idem.*

Templa ſunt loci, quo confugere licet contra juſtitiam Dei.

Vetus quidam Pater templa mundi fundamenta appellavit; jampridem enim propter iniquitates, & ſcelera, quæ ibi committuntur, corruiſſet, niſi locos haberemus, ubi mundi Salvator Patri victima offertur juſtitiæ illius ſatisfacturus, atque nocentium cauſam peroraturus. Mundus ergo vigebit, donec templa ipſa ſtabunt immenſi hujus terrarum orbis fundamenta. Erunt fundamenta orbis. Ideo cum Deus juſtitiam ſuam in homines exercere, ac mundum evertere volet; *Auferent juge ſacrificium.* 1. Dan. 11. nulla erunt amplius templa, nullum amplius erit ſacrificium, & hoſtia noviſſima, ut creditur, afferetur in cœlum, non ut ibi ſacrificetur, ſed ut ultionem exerceat contra eos, qui illius gloriam contempſerint, eique honorem negaverint, quem a nobis in templis noſtris præſtolabatur. *Idem.*

Fidem ſibi deeſſe teſtatur, qui in templo indigne ſe gerit.

Ubi nunc fidelium fides? Credimuſne, reipſa in aris noſtris eſſe Deum, cum coram eodem hoc ſimus habitu corporis, & hos ſermones habeamus? Numquid coram aliquo ſpectabili viro proferre auderemus ea, quæ illo præſente dicimus? Et ſi Ethnicus aliquis templa noſtra ingrederetur, putaretne hanc Dei noſtri domum eſſe, poſtquam modum, quo ipſi nolmet hic gerimus, paulisper inſpexiſſet? Haud ita profecto: dicamus potius, Fideles, hos infidelium, ac idololatrarum, vel ſaltem inſolentium nomen mereri, quandoquidem ad ipſas uſque accedunt aras læſuri Deum, ad quem ibi adorandum illuc accedere debent. O Deus! Ubinam locorum jam tutus eris, & quodnam tibi certum eſſe poterit adverſus impiorum flagitia perfugium? Ædes tua, quæ tibi eſſe deberet tanquam aſylum contra impotentiam eorum, fit eorum inſolentiæ theatrum; & locus, quem elegiſti, ut ibi noſtras preces exciperes, ut olim quæſtus es, in ſpeluncam latronum convertitur. Quodnam unquam par eſſe poteſt ſupplicium puniendo ſceleri, quod in Regis aula patiatur? Verum ſi contra Regem ipſum patretur, quinam excogitari poteſt cruciatus tanto crimine dignus? Cum hodie vero non Rex mortalis, ſed ſummus cœli, terræque Dominus, & moderator ad ipſas uſque aras lædatur, quæ par pœna inveniri poterit ad expiandum hoc ſcelus; quod ſupplicium ad inſolentiam hanc ulciſcendam? *Idem.*

Templa ſunt loca, ubi fideles vota ſua offerant Deo.

Officia, quæ Deo præſtanda ſunt, nullibi melius, quam in templis præſtantur. Preces ibi facilius exaudiuntur propter hunc confluentium fidelium concurſum, qui illic congregantur, Tertullianus ait, vim Domino ſuis orationibus facturi. Ibi votis facilius damnamur propter promiſſionem hanc, qua JESUS CHRISTUS recepit ſe in medio noſtri futurum, ubi duo, aut tres in nomine ipſius congregati fuiſſemus. Gratiæ denique in nos per plures rivulos dimanant, S. Chryſoſtomus inquit; ibi noſtra offerimus ſacrificia, & hanc ob cauſam Templa appellantur: ibi preces noſtras effundimus, & ideo Domus orationis dicuntur; ibi Sanctorum reliquias invenimus, quorum memoria, & exempla ad pietatem nos excitant, & ideo Baſilicæ vocantur; ibi denique Dei vocem audimus, & ideo eccleſiæ nomine nuncupantur. *Joly in operibus mixtis.*

In templis Sacramenta omnia adminiſtrantur.

Quamquam ſacramenta noſtra fluant, velut aqua de fontibus, ubicumque chriſtiana religio colitur; nihilominus fons illorum in templis noſtris potiſſimum conſtitutus eſt. Illic confertur baptiſmus, ibi pœnitentiæ tribunal poſitum eſt, ibi fidei veritates annuntiantur, ibi Angelorum panis diſtribuitur. Ibi conſecrantur Epiſcopi, ſacerdotes ordinantur, conjuges benedicuntur, fideles reconciliantur, & ſanctificantur; ibi locupletiſſimis gratiæ ſuæ communicationibus Deus ſedem, ac præſentiam ſuam manifeſtat: *Elegit eam in habitationem ſibi.* Pſal. 131. *Pater Texier, ſermone de templi dedicatione ſub finem Dominicalis.*

Indignum eſt, tantam in templo adhiberi irreverentiam.

Quotuſquiſque eſt, qui Deum in domo ipſius, quod templum eſt, vereatur? Pudet dicere: ſoli Chriſtiani ſunt, qui inſolenter, & cum contemptu ſe gerant in domo Dei, quem venerantur, Turcæ in meſchitis, Idololatræ in delubris ſumma adſtant cum reverentia; Chriſtiani vero plerique templa ingredi videntur, ut Deum in ipſius domo laceſſant, atque ut ad aras ipſas ſeſe petulanti jactent audacia. Nonne poteſt nunc Deus chriſtiano populo exprobrare, quod olim per Jeremiam cap. 2. Iſraelitis: *Tranſite ad inſulas Cethim, & conſiderate ſi factum eſt hujuſcemodi; ſi mutavit gens Deos ſuos, & certe ipſi non ſunt Dii: populus vero meus mutavit gloriam ſuam in idolum. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer.* Tranſite Chriſtiani in extremas barbarorum gentium plagas: videte, utrum aliquid adſit infidelis populus, qui idola ſua eodem contemptu excipiat, quo vos Deum veſtrum. Ethnici, ſancto Juſtino Martyre teſte, nonniſi nudatis pedibus, & contremiſcentes fana ſua ingrediebantur: ſimulac illuc erant ingreſſi, videbant, S. Chryſoſtomus inquit, in parietibus depictam imaginem ſilentii; fideles vero nunc templum, quod domus Dei eſt, in nundinas, ac profanationis locum convertunt. O ſummum fidei noſtræ dedecus! Adorabilis majeſtas Omnipotentis ita contemnitur. Videntur ſæpe etiam, qui aliquam pietatis ſpeciem præſeferunt, in templis colloqui, & rixari, tunc etiam cum ibi divina celebrantur myſteria, vel cum ſanctiſſimum divini Corporis Sacramentum publicæ venerationi patet; videntur nobiles viri de iis, quæ recens accidunt, miſcere verba, ac de illis agere negotiis, de quibus ageretur in foro: *Numquid forum eſt eccleſia?* Quid igitur, S. Chryſoſtomus ait, templum

non

non eſt domus Dei? numquid forum eſt, vel nundinæ? Videntur mundanæ mulieres, quæ non ſine ingenti ſcandalo in templis nudos oſtentant ſinus, eumque vanitatis habitum gerunt, quem in theatris, atque choreis. *Idem.*

Templa ſanctificata ſunt Dominici corporis præſentia, quod offertur in ſacrificio.

Chriſtianorum templa eſſe debent ſanctificata, quia pura, & immaculata ibi victima aſſervatur. Illic JESUS CHRISTUS ſeſe pro nobis offert, noſque offert cum ipſo Patri ſuo, ſacerdos ſimul, & victima, ſacrificium, & ſacrificulus. Ibi populorum oculis, ac venerationi exponitur, & poſtquam fuit noſtræ redemptionis pretium, fit fidei noſtræ ſpectaculum, & objectum amoris, & gratitudinis. Illic ſe nobis præbet tanquam epulum cœleſte. Quæ igitur decet puritas, quidquid illum ſpectat, quidquid ad illum accedit, quidquid illum ſervat, & continet? Si tabernaculum, ubi requievit arca, & vaſa miniſterii expianda fuere pro conſecrationibus teſtamenti, ut loquitur S. Paulus, ſi hæ rerum cœleſtium imagines ita puræ eſſe debent, quid ipſa erunt cœleſtia? Si immolatarum victimarum cruor nonniſi in benedictam, ſanctamque terram fluere debebat; ſanguis Agni omni labe carentis, qui nos amavit, & lavit nos a criminibus noſtris, in locis vel profanis, vel minime ſacris erit offerendus? In lege veteri magnum fuiſſet piaculum extra ſanctos locos ſacra facere; qui honor, quæ puritas afferenda eſt in eos locos, ubi immolatur JESUS CHRISTUS finis omnium ſacrificiorum? *Flechier ſermone pro conſecratione templi S. Jacob, quod Pariſiis dicitur* du Haut Pas.

Rationes, propter quas templa noſtra ſunt ſancta.

Dicimus ergo, JESU CHRISTI templa ſacra eſſe debere. At enim hi parietes, hoc ædificii corpus, hoc opus manuum, & induſtriæ hominum ſancta ſunt? Utique, ſanctus Bernardus dicebat; cur ſanctos non appellem lapides, quos charitas, & religio tanto zelo congregarunt, quos Pontificum manus benedixit cæremoniis adeo ſanctis, adeoque ad animos noſtros promovendos accommodatis, qui reſultant laudibus Dei, & enarratione Scripturarum illius; ubi pretioſæ ſanctorum Martyrum aſſervantur exuviæ, ubi Apoſtolorum protectio percipitur, ubi Angeli inceſſanter tabernaculi cuſtodiæ invigilant, ubi chriſtianus populus congregatur, ubi orat fidelium devotio, & ubi ipſe JESUS CHRISTUS in altaribus reſidet. Ex hujuſmodi conſideratione oriri debet ſanctus ille terror, & profunda reverentia, qua affecti templa introire debemus. Tu, o Patriarcha a Deo benedicte, ac replete fide futurarum veritatum, quas adimpletas fuiſſe cognoſcimus in agro, ubi ſemel tibi in ſomnis apparuit Deus, exclamas: quam ſanctus, ac terribilis eſt locus iſte! Nos vero, quibus revelata fuere myſteria, & qui Deum noſtrum præſentem videmus, atque quodammodo in medio noſtri ad ſæculorum uſque conſummationem conſtitutum, in templo, in quo inhabitat, & in quo pro nobis immolatur, adeo modica cum reverentia adſtamus, quanta ſi verſaremur in agro. *Idem.*

Irreverentia, quæ in templis videtur.

Paſſim mortales ſine humilitate, ac verecundia templa ingrediuntur, currunt ad ſolemnitates propter ſpectaculum potius, quam propter religionem. Quin ea, quæ ibi vident, ſibi in pietatis exercitationem, morumque doctrinam convertant, ſibi ea vertunt in ludibrium, atque ſolatium. Licet graviſſimis fœdati flagitiis ſacrarum januarum limina calcant, ut loquitur Propheta, honoris, ac nobilitatis diſtinctos adfectant gradus ibi, ubi tota, quanta eſt, humana gloria ad nihilum redigitur. Seſe in confertam conjiciunt turbam cæremoniarum teſtes potius, quam cœleſtium gratiarum participes futuri. Sacris etiam cancellis vim inferunt, non ex ſollicito pietatis affectu, ſed ex vano impetu curioſitatis. Mundanum illuc afferunt cor, atque tunc etiam cum frigidæ, inaneſque preces Deo funduntur, ſecum quiſque vanitatum ſuarum fovet conſilia. Denique religioni ſibi vertunt, niſi illuc acceſſerint; non vertunt autem illuc ſuas trahere ſine ulla contritione, atque pænitentia iniquitates. *Idem.*

Impietates, quæ ibi committuntur.

Quid dicam de impietatibus, quæ ibi coram JESU CHRISTO, qui licet inviſibilis, non adeo minus adorabilis eſt, committuntur? Quid de profanis ſermonibus, qui ſancto, ac venerabili ſacrorum myſteriorum ſilentio obſtrepentes ſanctuarium ingrediuntur miniſtris aræ inſervientibus, & ſacerdoti ibi ſacra operanti impedimento ſunt? Quid de inquieto, & indecoro hoc habitu corporis, qui bonis ſcandalum adfert, & qui, ut JESUS CHRISTUS ait, eſt deſolatio ſanctorum locorum, ubi cum timore, ac tremore Angeli adſiſtunt? Quid de his adfectationibus, quibus mulieres videre, & videri volunt, in domo Dei impurorum obtutuum, ac turpium cogitationum mercaturam facientes? Videntur, nec ſine indignatione videri poſſunt Chriſtiani, ſi hoc nomine ſunt appellandi, qui vix alterum genu flectunt, cum JESUS CHRISTUS fidelibus adorandus proponitur, viſi cum eo de honore, qui illi debetur, contendere, atque propriæ reluctari conſcientiæ, ac religionis ſenſu, qui adhuc in illis reliquus eſt. Videntur mundanæ fœminæ aris ipſis ornatiores ſine pudore, & verecundia oſtentare luxum, ac ornamenta, quæ minime decent oculos JESU CHRISTI pauperis, & in Euchariſtico Sacramento humiliati. Videntur peccatores, qui cordi, oculiſque ſuis fræna laxantes affectus ſuos fovent, ac inflammant illis in locis, ubi eos extinguere, & ſuffocare deberent; ac recentia peccata committere in conſpectu eorum tribunalium, ubi illa confiteri, lacrymiſque tenerentur eluere. Hinc noſtræ ſalutis adminicula fiunt excidii noſtri inſtrumenta; templum, quod eſt noſtræ locus ſanctificationis, fit ſcelerum noſtrorum theatrum; orationes noſtræ convertuntur in ſcelera, ipſum JESU CHRISTI ſacrificium, quod eſt fons gratiarum, fit cauſa damnationis, & in judicio illius nulla res nos nocentiores efficiet, quam quod templum ejus ingreſſi fuerimus, ejus myſteriis adſtiterimus. *Idem Flechier.*

Alii ſanctorum locorum abuſus, & prophanationes.

Quot ſunt Chriſtiani, qui in templum ob quamdam urbanitatem conveniunt, ut aliquam bonæ exiſtimationis auram tueantur, ut ſibi fallacem pacem conſtituant, ut ſeſe mori humano, & conſuetudini accommodent, ne ſcandalum afferant aliis, qui, quantumvis flagitioſi ſint, adhuc aliquam virtutis ſpeciem præſeferunt, atque externum ſaltem religionis habitum requirunt? Quot ſunt, qui nullum norunt niſi exteriorem, prorſuſque humanum cultum, qui Deum quidem labiis colunt, ſed corde ab eodem recedunt; qui mentem ſuam voluntariis tradentes diſtractionibus loquantur, quin cogitent, orant, quin ſciant, & volunt a Domino exaudiri, cum ipſi ſemet non audiant, S. Cyprianus ait? Quot ſunt, qui pietatem ſibi in artem convertunt, qui ſe in templis frequentes adeſſe gloriantur, qui ſemper in ea templi parte conſiſtunt, ubi facilius conſpiciantur, & qui non accedunt ad Deum, niſi ut ab hominibus videantur? Quot ſunt, qui in templum inviti veniunt, quibus dies feſti graves ſunt, ac oneroſi, & qui jugum non ferendum putant neceſſitatem vel concionis audiendæ, vel miſſæ ſolemniter decantatæ interveniendi? Nonne hoc eſt rebus ſacris abuti? *Idem.*

Templum ingredi non debemus, niſi ut ſanctificemus.

Templum Dei ingredi non debemus, niſi ut coram illo noſmet ipſos ſanctificemus; videtur immo, quidquid ibi adeſt, nos ad hanc ſanctificationem invitare. Fontes ſacri nobis in mentem revocant originem fidei noſtræ, ac ſpiritualis regenerationis, & gratiæ, atque eorum, quæ in baptiſmo polliciti ſumus, excitant memoriam. Aræ nos docent nobis eſſe cor, ubi JESUS CHRISTUS vult requieſcere, & ubi tot offerre poſſumus ſacrificia, quot nobis circumſtant cupiditates. Hæc pœnitentiæ tribunalia nonne nos invitant, ut lacrymis ſcelera noſtra eluamos, & ut hos Ægyptios in Ærythræo mari, hoc eſt in JESU CHRISTI ſanguine ſubmergamus? Suggeſtus hic nonne & ipſe prædicat, novas nos eſſe creaturas verbo veritatis genitas; & hæc divina, atque adorabilis Eucha-

chariſtia nonne nos cogit, ut cum magna non ſolum intentionis, verum etiam morum puritate accedamus? *Idem*.

De ſanctorum locorum prophanatione.

Audite, Chriſtiani, vos, qui profanis ſermonibus veſtris ſanctum, ac venerabile ſacrorum myſteriorum ſilentium perturbantes obſtrepitis attentioni tum fidelium ſacrificio adſtantium, cum miniſtrorum ſacra peragentium: vos, qui ad aras uſque vanitatum, ac pomparum mundi hujus geritis apparatum: vos qui alterum vix flectentes genu, dum CHRISTUS populorum adorationi proponitur, indecoro corporis habitu dubitandi locum facitis, utrum illum non adorantes credatis, an illum credentes minime adoretis; vos denique, qui huc acceditis affectionibus veſtris ignem admoturi, ubi divina lege eas jubemini extinguere; ac nova patraturi ſcelera, ubi orandus eſt Deus, ut eorum, quæ jam patrata fuere, vobis veniam concedat. *Idem in Paneg. S. Sulpitii*.

Quanta indignitas eſt templa noſtra ob ipſis chriſtianis fœdari.

Heu! nonne horribile eſt, in Chriſtianiſmo dumtaxat evenire, quod templa polluantur ab ipſis Chriſtianis, & ab illis, qui ſe eccleſiæ filios appellant? Poſſunt quidem Ethnici, & Infideles templa religionis alienæ, & quam minime norunt, polluere, at in Deorum ſuorum delubris ſumma cum religione, ac modeſtia verſari videbuntur. Romani quidem Judæorum templum profanarunt, Ethnici, & Hæretici templa noſtra fœdarunt; ſed Hæretici, Ethnicique ſummum adhibent honorem, ac reverentiam templis ſuis, ubi nonniſi falſa ſacrificia, fictaſque habent cæremonias. Quæ cum ita ſint, quo redacti ſumus? Huc videlicet, ut veræ tantum religionis templa polluantur, dum interim Idololatrarum fana coluntur; & ſacrificiorum omnium auguſtiſſimum dedecoretur, dum interim infideles cum timore, ac tremore illis adſiſtant, quibus dæmoniis victimas offerunt. Eheu! me cauſa non latet: dæmon enim non turbat Ethnicos in ſacrificiis, quibus ſuis litant idolis, neque in precibus, quas iiſdem effundunt; illis in cæremoniis ipſorum non obſtrepit, neque a cultus ipſorum exercitatione diſtrahit; hic enim illi exhibetur, & damnabilis hujus religionis exercitium una erit ex cauſis, propter quas die judicii damnabuntur. Verum nihil intentatum relinquit, ut fidelibus auferat occaſionem ſeſe in templis ſanctificandi, ubi hoc utiliſſime præſtare poſſunt. *Ex ſermonibus editis ſub nomine P. Bourdalove, ſermone pro feria ſecunda poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam*.

Profanatorum templi pœna.

Cavete quam diligentiſſime, Chriſtiani, ne imitemini ſcelus filiorum Aaron, qui igne abſumpti ſunt, eo quod profanum attulerant ignem ad comburendas victimas, quas Deo erant oblaturi. Si eo tempore, quo eſtis in templo, & ſacris, quæ ibi fiunt, aſſiſtitis, creaturis, non Deo, placere quæritis; ſi alium fovetis ignem, quam cœleſtem, ſi aliis, quam Deo placere ſtudetis, inſtaurabitis ſcelus filiorum Aaron, atque in caput veſtrum magnum illud detrahetis ſupplicium, quod tantum facinus meretur. Sin autem de vobis non ita palam, & in oculis mortalium omnium repoſcetur pœna, ac de filiis Aaron, non ideo minus terribilis erit; & ſcitote, Deum non cohibere brachium ſuum, niſi ut gravius inferat vulnus. Gravius inquam vulnus, quia cum novæ legis profanatio a vobis peracta multo crimino ſior ſit veteris profanatione, cujus illi rei erant, æquum eſt, ut vos gravior, & ſeverior maneat pœna, licet minus ſit manifeſta. *Idem*.

De abominationibus, quæ committuntur in templis.

Videor mihi audire Deum, ut olim Ezechieli Prophetæ, dicentem: *Fili hominis fode parietem, & videbis abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic*. Ezec. 8. Videbis ſacerdotes, auſos profanis attrectare manibus, & impuris deoſculari labiis adorabile corpus JESU CHRISTI. Videbis convictos Chriſtianorum, Chriſtianarumque cœtus illuc euntium, ut videant, & videantur, & quæ ſeipſas ita comunt, atque concinnant, ut in intuentium cordibus inhoneſti amoris flammas ſuccendere poſſint. Videbis, ait Ezechiel, *mulieres plangentes Adonidem*. Videbis homines alios quidem coram idolis genua flectentes, alios vero terga vertentes aræ, alibi aliud numen inventuri. Chriſtiani ſunt, Dei crucifixi ſanguine regenerati, toties adorabili Dei viventis carne nutriti; at ubi ſunt chriſtianæ religionis indicia? Conſidera has mulieres, vide hilarem oris habitum, quo in templum prodeunt, immodeſtiam, errantes oculos, licentiam, quam ſibi arrogant, undique circumſpiciendi. Heu! quid eſt hoc, niſi dedecorare JESUM CHRISTUM eodem in loco, quo eumdem adoraturi, eique honorem adhibituri ſe conferunt, &c. *P. Texier ſerm. pro feria ſecunda poſt 4. Quadrageſ. Dominic.*

Nullus eſt locus templo ſanctior.

Quidquid ſanctitatis Bethleemitico præſepi JESU CHRISTI nativitas; quidquid illius ſanguis Calvario, ejuſque mortuum corpus ſepulchro communicavit, in Chriſtianorum templis invenitur; & ſi cum illuc ingredior, cum ad aras accedo, mihi per oſſa ima non currit ſanctus ille pavor, quo ad ſanctorum horum locorum acceſſum totis artubus contremiſco; niſi eodem ſenſu afficior, qui ſuaviſſimas elicit lacrymas ex oculis eorum, quibus felix obtigit ſors videndi ſtabulum, in quo Jeſus ortus eſt; ſi non eodem amoris, & lætitiæ impetu feror, qui nonnullos extulit, dum montem adorarent, in quo Deus cruci confixus fuit, vel dum veſtigia deoſcularentur, quæ ille in cœlum aſcendens impreſſa reliquit, hic vel fidei defectus eſt, vel attentionis. In templis noſtris, in hoc tabernaculo corpus Salvatoris quieſcit: in Mariæ ſinu novem dumtaxat menſibus fuit, quadraginta dumtaxat diebus in ſtabulo, tribus horis in cruce, diebus tribus in ſepulchro; in templo vero ſemper eſt. *P. de la Colombiere in chriſtianis conſiderationibus*.

Ethnici, & idololatræ aliquando hic in re Chriſtianos redarguent.

Infideles nos aliquando redarguent, atque extremi judicii die contra nos inſurgent nobis irreligionem noſtram exprobraturi. Quid, Domine, inquient, nos damnas, quia te non agnovimus, & miſereberis impiorum, qui cum te cognoſcerent, dedecore affecerunt? Conculcarunt illi quidem idola, at numquid majorem tibi reverentiam adhibuerunt? Si nobis crimini vertitur, quod aliquem falſis numinibus honorem detulimus; numquid verum contempſiſſe Deum levior eſt noxa? Creaturis quidem contulimus cultum, qui eiſdem non debebatur; ſed quam longe nocentiores ſunt Chriſtiani tui ob denegatam tibi reverentiam, quam ob ſexcentos titulos debebant? Si divinitatis tantum phantaſmata adoravimus, ſaltem vero fuimus adoratores, & nemo negare poteſt profanas cæremonias a nobis ſancte fuiſſe procuratas; hi vero ſanctiſſima habebant myſteria, & illa profanarunt. Utri ſeverius merentur ſupplicium, nos, qui impotentes veriti ſumus Deos, an illi, qui omnipotentiam tuam in ludibrium verterunt? Nos, qui cæcorum Dominorum præſentiam expavimus, an illi, qui te inſpectante ob oculos tuos peccare ſunt auſi? Nos denique, qui ad ſuperſtitionem uſque religioſi fuimus, an illi, qui ad ſacrilegium uſque impii fuerunt? Aliquid ne his probris æquius eſſe poterit? Quid huic comparationi reddere nobis licebit! *Idem*.

De Templorum ornatibus.

Mundanæ mulieres quomodonam audetis nitentibus indumentis, totoque muliebri mundo circumornatæ in ea templa prodire, ubi baptiſmum recepiſtis, ubi J. C. induiſtis, ubi ſolemniter promiſiſtis futurum, ut omnibus mundi vanitatibus abrenuntiaretis! Sed tantum abeſt, quod hoc ornatu illas in templum ingredi pudeat, ut immo pleraſque puderet, niſi hoc in ſtatu illuc ingredi poſſent; non convenirent in templa, niſi comptæ eſſent, & ornatæ; ad id calamiſtri, uniones, aurea expediuntur ornamenta; ita ut nullo pacto in templa ſe conferant, ubi illis ſeſe exornandi tempus defuerit. Quæ vobis cum hujuſmodi nuditatibus, ornatibuſque mens eſt? Nonne ſatis eſt, ſi cum illis in choreis, theatriſque effulgeatis? Quid ara ipſa perfugium eſſe non poterit

poterit

terit contra cædes, quas obtutibus, ac impuris vanitatibus veſtris patratis? *Idem.*

Non minorem ipſi in templis noſtris, quam olim in Salomonico reverentiam adhibere tenemur.

Templa noſtra, qua chriſtiana late patet religio, ſucceſſerunt templo Jeroſolymitano, ut ibi ageremus cum Deo eidem honorem precibus, votiſque adhibentes, ibique doctrinam per verbum ejus, & gratias per ſacramenta, quæ ibi adminiſtrantur, recipientes. Ibi re ipſa profecto non exercetur mercatura, neque nundinæ fiunt, ut olim a Judæis in Salomonico; non ideo tamen infrequentius profanatur; ab aliis quidem per interius cum propriis cogitationibus commercium, quas circa ſexcentas nugas evagari permittunt, dum unice divinis rebus vacare deberent; ab aliis per profana cum hominibus colloquia, & ſermones adeo parum modeſtos, & verecundos, ac ſi in liberrimo mortalium cœtu verſarentur; ab illis per oculorum commercium, ac varam curioſitatem, qua videre volunt, & videri; ab his modo magis nefario per execrabile commercium cum dæmone, per quaſdam ſacrilegas aſſignationes, aliiſque modis, qui tantum mortalibus ſcandalum adferunt, & contra quas Sancti Patres, præſertim vero S. Chryſoſtomus adeo frequenter ſumma vi, & eloquentia invecti ſunt. *Maimbourg ſermone pro feria ſecunda poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam.*

Injuria, quæ fit Deo dum læditur in templo.

Nemo fere unus eſt noſtrum, qui contumeliam ſibi illatam ſumma cum difficultate non perferat; quæ ſi inſolenter domi noſtræ nobis inferretur, illa prorſus non ferenda videretur. Quid ergo domi etiam meæ? Sexcentis modis in dies ſingulos per omnia flagitiorum genera Deo infertur injuria; eas tamen ſuffert, & incredibili eum patientia præſtolatur, donec ea adeo terribili ſorore noſmet colligamus. Verum ſi in domum uſque illius impudentia, & in ipſa Sanctuarii adyta, ac ad ipſas prope aras infertur determinata nequitia, quæ nullam invenire poteſt excuſationem ſeu in animi affectu, ſeu in naturæ infirmitate; illius irritatur patientia, atque ad extrema agitur quæque, ut in juſtam exardeat iracundiam; eique miniſtrantur fulmina, ut pœnas repoſcere cogatur. *Idem.*

Templa proprie ſunt domus orationis.

Domus mea domus orationis eſt, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Ita Prophetæ locuti ſunt de templo Jeroſolymitano, ſed hoc potiori jure de templis noſtris dicere poſſumus. Domus mea eſt domus orationis; nam quamvis advenerit tempus adorandi Dominum in ſpiritu, & veritate, quin ullus adſit locus, ubi orare non liceat, & licet Dei filius etiam, atque etiam hortatus fuerit, ut illum in abſcondito precaremur, dubitari nihilominus nequit, quominus Dominus peculiari modo in templis noſtris reſidens illic ſuas gratias uberius effundat, & quominus preces, quæ in communi fiunt, at ubi omnium animi conjuncti videntur, ut ano tantum ore loquantur, majorem habeant vim ad exorandum. Verum at vota, quæ Deo nuncupamus in templis, illi accidant gratiora, oportet nos coram illo accedere contrito corde, ac ſpiritu humiliato, nobiſmet invicem exemplum præbentes eo corporis habitu, qui divinam decet majeſtatem vere in ſancto eo loco præſentem. Heu! nonne funeſta docemur experientia, ibi ſæpius de quibuslibet agi negotiis! *Abbas de Monmorel Hom. in 9. Dom. poſt Pentec.*

Salviani ſenſus de templorum prophanatoribus.

Hoc, ait diſertiſſimus Maſſilienſis Epiſcopus, nequiſſimum eſt, & uſque uberibus lacrymis deflendum. Templum deſtinatum ad iram Dei mulcendam, locus eſt, ubi Deus maxime ad iracundiam provocatur: ſi enim ſanctas aliquot excipimus animas, quid de omnibus fere Chriſtianorum cœtibus dici poteſt, niſi vitiorum eſſe ſentinam? Qui illuc ingrediuntur peccata ſua deteſtaturi, inde recentia patraturi egrediuntur: immo eorumdem committendorum conſilium cepiſſe, dum ſacra fierent myſteria, videntur; etenim ex quo illa abſoluta ſunt, quivis ad cupiditatum ſuarum objecta revertitur; alii quidem ut expleant avaritiam ſuam, alii ut ambitioni ſuæ ſatisfaciant, alii ut intemperantiæ ſe tradant, alii turpi, nefariæque libidini; & ita domus Dei, quin ſit domus orationis, eſt latronum ſpelunca. *Idem.*

Dei filius teſtatus eſt, quantopere divina irritetur juſtitia peccatis, quæ in templis patrantur.

Salvator illos ejiciens, qui in templo negotiabantur, teſtatus eſt, quantopere diſplicent Deo injuriæ, quæ in locis cultui ipſius dicatis committuntur; ſi enim quod ex ſe licitum eſt, & fas, immo & ad finem religioſum pertinens, quale eſt vero Deo ſacra facere, ſevere adeo punitum fuit ab omnium mortalium ſuaviſſimo, & clementiſſimo, eo quod fiebat dumtaxat in atrio, quod nonniſi tanquam templi veſtibulum erat; quid tandem cogitandum nobis eſt de actionibus, quæ ex ſe quocunque tempore, & quovis in loco criminoſæ ſunt, ubi peragantur in templis, & prope aras? Si templum polluit, qui vendit animalia illic ſacrificanda; quid tandem ille, qui obſcænis cogitationibus, ſcandaliſque animam ſuam dæmoni vendit? Si Dei domum dedecorat, qui in negotiationis domum illam convertit; quid tandem, qui vertit illam in locum impudicitiæ, laſcivorum colloquiorum, & obtutuum, ac inhoneſtarum cogitationum? Si ſacrilegium eſt, ibi civile exercere commercium alioquin minime vetitum, quid erit ibi divina omnia, humanaque jura miſcere? Si in templis fieri nefas eſt, quod fas in nundinis; quid illic facere, quod nullibi fas eſt? *P. Duneau ſermone hujus argumenti.*

Quam enorme ſit crimen reverentiæ defectus in templis.

Oportet ſane, magnus inquit Auguſtinus, execrabile ſcelus eſſe reverentiæ defectum in templis; quandoquidem hoc ſolum peccatum auferre potuit JESU CHRISTO eam lenitatem, quam ſemper erga nocentiſſimum quemque prætulit; & hoc ſolum crimen eſt, ex quo ipſe per ſe pœnas depoſcere voluit, cum ad alia punienda creatarum rerum opera fuerit uſus. Peccat Adam, & Deus illi Angelum mittit, qui illum de Paradiſo ejiciat, Sodoma, & Gomorrha peccarunt, & mittit Angelos, qui ſulphuris flammarum imbres in illas demitterent. Mundus univerſus ſeſe carnis voluptatibus corrumperat, & miſit aquas diluvii, quæ illum ſubmergerent. Peccavit Pharao, & miſit Moyſem, qui Ægyptum omnibus iis plagis afficeret, quibus deſolata eſt. Peccavit David, & miſit prophetam Nathan, qui exprobraret illum, & Angelum, qui populum ejus exterminaret. Ut impios exturbaret ex templo, ipſe flagellum arripuit; miniſtrorum ejus zelus ſatis ardens non eſt ad profanationis hujus perſequendam ultionem. *Ex ſermonibus chriſtianis in dies Dominicas ſermone hujus argumenti.*

Deus magis peculiari modo in templis eſt noſtris, quam alibi.

Quamvis nullus ſit locus in terris, ubi Deus non ſit, & creaturis benefacere nequeat, eique non ſit difficilius in abyſſos gratias effundere, quam imbrem, ac ros in agros demittere; fatendum eſt tamen, omnibus mundi ætatibus voluiſſe quoſdam adeſſe locos, qui eſſent veluti ſuarum largitatum theatra, ac thronos ſuarum miſericordiarum; ubi ſeſe facilius communicaret, ubi ſe precibus noſtris attentionem præberet, ubi liberalius nos votis damnaret, & ubi ſemper magis malis noſtris affici videretur. Apage igitur omnes impii illi, qui perperam intelligentes hæc S. Pauli verba Act. 17. *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, non in manufactis templis habitat*, credunt, ædificanda non eſſe numini ejus templa, & inſignem inſuitæ huic magnitudini, quæ ubique eſt, & omnia continet, inferre contumeliam, illam intra manufacti ædificii parietes velle complecti. Apoſtolus, qui ſpiritu Dei loquitur, ſpiritui Dei non adverſatur: per hæc verba innuit ſolum, Deum fidelium, cum minime ſit corporeæ, finitæque ſubſtantiæ, ut Dii Gentium, non eſſe a nobis excipiendum eo modo, quo a gentibus aurea, argentea, ænea, & marmorea excipiebantur idola, quæ illi in delubris ſuis concludebant, ut illos ſibi præſentes eſſe, ſibique opem quam celerrime afferre poſſe exiſtimarent euſque, ut nonnunquam pretioſis eos vinculis alligarent, ne ubi ipſis graviſſima

urge-

urgerentur neceſſitatibus, a omnibus ſuis relinquerentur. *Idem*.

Deus ſe nobis magis benignum præbet in templis noſtris, quam in Salomonico.

Si Dei cor ſemper Judæis patebat in templo Salomonis, ubi myſteriorum ejus umbræ tantummodo erant; quanto magis patebit fidelibus in eccleſiis, quas in toto terrarum orbe fidelium pietas illi dedicavit? In templis, ubi non prædicatur amplius lex ſervitutis, ſed amoris; ubi non ſervatur amplius virga, cum qua Moyſes in Ægypto miracula operabatur, & cum qua rupes in deſerto percutiebat, ut inde aquarum fontes eliceret, ſed crux, in qua Dei filius mundum, atque peccatum vicit; ubi ſervatur non amplius manna, qua in deſerto Iſraelitæ nutriti fuerant, ſed corpus, & ſanguis Jeſu Chriſti, qui verus eſt panis Angelorum; ubi habemus non amplius Arcæ veteris reliquias, quæ ex ligno tantum erat aurea ſuper inducta lamina, ſed ſacra Jeſu Chriſti humanitas, Arca vivens novi teſtamenti; ubi diſtribuuntur non amplius infirma elementa, quæ gratiam tantum pollicebantur, & ſignificabant, ſed ſacramenta, quæ illam continent, & largiuntur; ubi tandem non amplius cruenta animantium ſacrificia, ſed adorabile, & ineffabile corporis, ſanguiniſque Domini ſacrificium offertur, quod quotidie non cruento modo inſtauratur. Nos ibi gratias aliorum myſteriorum vitæ ipſius guſtaremus, quorum per intervalla memoria inſtauratur, ſi miſericordiæ, quæ nobis Dei cor aperit, amori vicem rependentes, huic accederemus cor noſtrum per pietatem, ſanctaque deſideria aperituri, ſi gratum teſtantes animum bonitati illius, qui vinculis amoris ſui illic cor ſuum alligavit, & ipſi noſtra alligaremus ſedula attentione terribilibus myſteriis, quæ ibi celebrantur. *Idem*.

Fideliam plerique profanationibus ſuis templorum uſum pervertunt.

Ad templum accedis Deum ibi adoraturus, & eo videris accedere illi inſultaturus per iniquitates, quas coram ipſo committis; venis, ut illius iram mulceas, ſed eum magis, magiſque per irreverentiam irritas. Te miſerum fateris; venis, ut illi tuas neceſſitates aperias, eum obteſteris, ut tui miſereatur, & non ſine ſuperbiæ oſtentatione illuc accedis? Itane putas ſummum, ut illum exores, & miſericordiam obtineas? Gratias ab eo petis, ſimulque illam laceſſis injuria; & orationem ipſam, quæ præſtantiſſimus eſt religionis actus, in peccati materiam convertis. Diſtractio, quæ adeo prava eſt, ubi cum Deo loquitur, minimum eſt noſtræ orationis malum. Quomodo audes loqui cum Deo eo modo, & corporis habitu, quo principem aliquem virum alloqui non auderes? Deus ergo minoris faciendus eſt, quam terræ vermis? *P. Nepveu tomo ſecundo chriſtianorum conſiderationum*.

Templa noſtra Calvariam repræſentant.

Templa noſtra nobis Calvarium repræſentant; quo humilitatis, obſequii, & contritionis ſenſu ibi debemus adſiſtere? Idem ſacrificium, eadem victima in altaribus noſtris, æque ac in Calvario, immolatur, & ab eodem ſacerdore, videlicet Jeſu Chriſto, qui inviſibilis eſt ſacerdos, qui a viſibili repræſentatur, ſanguis idem ibi ob finem eumdem effunditur, eamdemque habet virtutem. Salvator ibi pro te effundit ſanguinem ſuum, tu autem hunc ibi tuis impietatibus conculcas. Mulcere nititur Patris ſui in te ſucceuſi iram, tu autem in id unum incumbis, ut illum magis, magiſque irrites; pro te magnum hoc offert ſacrificium, & tu eodem fortaſſe temporis momento immodeſtis obtutibus, impuriſque deſideriis impudicitiæ dæmoni ſacrificas. Si Calvarii ſacrificio adſtitiſſes, quinam tunc extitiſſent ſenſus tui? Nonne eoſdem fovere opus eſt in templo, cum ſacrificio Miſſæ interes; hoc enim idem eſt ſacrificium, quod ibi offertur? Num voluiſſes temet ſocium addere inimicis Salvatoris noſtri, ut illi inſultares, vel ejuſdem tortoribus, ut illum torqueres? at nonne hoc facis per immodeſtiam, & irreverentiam tuam, ſæpe etiam dum incruentum peragitur ſacrificium, inſtaurans opprobria Paſſionis Domini, cujus hoc eſt memoriale? *Idem*.

Reverentia templis debita propter ſacrificium quod illic offertur.

Sacrificium pro eſſentiali fine, ac proprio charactere eſt Dei cultus, & honor. Quæ cum ita ſint, S. Chryſoſtomus inquit, templorum noſtrorum ſanctitatem iniquis ſermonibus, impudicis oculorum conjectibus, & pravis colloquiis polluere, illuc accedere ob ſolatium aliquod, illinc egredi ſine ullo reverentiæ, & honoris erga Deum ſenſu, nonne hoc eſt velle ſacrificii finem abolere? Honor, qui Deo per ſacrificium adhibetur, conſiſtit in confeſſione, qua creatura actu ſeſe a Creatore ſuo pendere teſtatur, ita ut in profunda ſpiritus ſui ſubmiſſione ſeſe quantum fieri poteſt per humilem ſuæ infirmitatis, & egeſtatis confeſſionem ſubjiciat. Ecce quid ſit ex parte hominis ſacrificium, & ideo victima in ſacrificio conſumitur, ut intelligamus hominem coram Deo nihil eſſe. Sed ſacrificium non eſt particularis, ſed publica, atque juridica proteſtatio ſubmiſſionis creaturæ in loco, qui huic actui religionis deſtinatus eſt. Quænam igitur rerum omnium perturbatio eſt, cum in templo habemus non ſubmiſſionis noſtræ teſtes, ſed vanitatis ſpectatores, quibus ſcandalum afferimus, & quos fortaſſe a Dei ſinu avellere conamur? In hoc triumphant Hæretici, & illis juſtam præbemus dubitandi de fide noſtra occaſionem. *Deſumptum ex ſpecimine ſermonum pro feria ſecunda poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam*.

Reverentiæ defectus in templis magnum ſcelus eſt, quam vulgo exiſtimetur.

Crimen hoc eſt impietas manifeſta; etenim huc tendit, ut in domo Dei omnia evertat officia pietatis, religionis, modeſtiæ, & reverentiæ, quæ illi debeatur, quæ res efficit, uti ſacra templa in ſcandalorum theatra immutentur, prohibetque, ne Deus ibi colatur, oretur, adoretur. Vetat, ne illi offerantur ſacrificia cum ea reverentia, & devotione, quam auguſtæ illæ actiones merentur: & impietatem ſuam longius provehit, cum adorabilium myſteriorum celebrationi obſtrepit, & Deo ad ipſas uſque aras inſultat; cum in hiſce reverentiæ, ac ſilentii locis rumorem excitat, atque tumultum, atque piis hominibus attentionem aufert, qua ſuis alioquin precibus vacarent: cum domum Dei in profanum locum, in nundinas, plateamque convertit, & has orationis domos in theatrum, aulamque ſaltationum immutat, & cum indigne adeo hos ſanctitatis locos coinquinet, ipſi cenſete, quam deteſtabiles ſint hujuſmodi abominationes, & utrum profanatores iſti ſeveriſſima juſtitiæ divinæ ſupplicia mereantur? *Vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic. Ex libro, cui titulus: Bellum vitiis præliis 16.*

Templorum dignitas, & elogia.

Poſtquam Deus dignatus eſt in terram deſcendere, humanam, ut nos, naturam aſſumere, & cum nobis verſari, templa ejus facta ſunt nominis, & majeſtatis illius habitatio. Non Angelus Domini de propitiatorio ejus hominibus voluntates amplius annuntiat, ſed ipſe Jeſus Chriſtus, qui antequam revertatur in cœlum, unde pro ſalute noſtra deſcendit, nobis auguſtum reliquit teſtamentum, in quo, quidquid faciendum eſt, continetur. Victima, quæ ibi offertur, eſt Agnus Dei; panis, qui ibi conſecratur, fit hominum cibus; myſticum, quod ibi potamus, vinum ſuave poculum eſt, quo Sancti in cœleſti patria inebriantur; preces, quæ ibi effunduntur, cantica, quæ ibi recitantur, ſunt epinicia, quæ beati ſpiritus in cœleſti concinunt ſede: denique templa noſtra ſunt novum illud cœlum, quod Propheta hominibus pollicebatur. *Ex manuſcriptis ſermonibus*.

Templi aditus peccatoribus non eſt intercluſus.

Quanquam in templa ingredi debeamus cum puritate; non ideo tamen putandum eſt, eorum aditum peccatoribus eſſe interclusum: templum enim plus continet myſteriorum, & gratiarum, quam peccatores nequitiæ, ac improbitatis contineant. In ſancto hoc loco iræ Dei perfugium invenitur; ibi fons gratiarum vivificantium in Sacramentis, quæ ſola conſcientiam purificant, continetur; ibi ſacra poſita ſunt tribunalia, ubi nequiſſimi etiam peccatores ſcelerum ſuorum abſolutionem, ſalutiſque ſuæ principium inveniunt; ibi extructi ſunt chriſtiani ſuggeſtus, de quibus rudes in tenebris ſuis illuminantur, & contra infirmitates ſuas confirmantur; unde ignavorum tepor excu-

excutitur, atque juſtis inter afflictationes, quibus urgentur, ſolatium adfertur. Ita ſane; deſperatiſſimis quibuslibet morbis religio ſalutaria adfert remedia; iis tantum peccatoribus, qui affici gratiis poſſunt, earum ſinum offert eccleſia: ſola eorum contritio jus illis confert in templum prodeundi, & coram Domino adſtandi: & niſi, poſt quam ſeſe crimine fœdarunt, in templum afferunt ſinceræ ſenſus pœnitentiæ, templa illis fiunt inutilia, & quodam in ſenſu pro illis non eſſe poſſumus affirmare. *Idem*.

Indignatio, quam contra templorum profanatores Propheta teſtati ſunt.

Nunquid prudentia tua, Domine, pati poteſt, ut templa ſancta in pollutos convertantur locos, ac impuriores illis, ubi ſpectacula aguntur, & a quibus fideles ſeparat eccleſia? Nonne ſatis erat, Propheta inquit ad Judæos loquens, a vobis ejectum fuiſſe de domibus veſtris Dominum, quia illi etiam domi ipſius inſultaretis? Seſe in templo receperat, ut a veſtris ſceleribus, ſcandaliſque magis diſtaret, vos autem perfregiſtis cancellos, quos ipſe vobis ſtatuerat; obices ſuperaſtis, eumque domi ipſius contempſiſtis: *Evertiſti teſtamentum ſervi tui, & profanaſti in terra ſanctuarium ejus*. Pſal. 88. Illum in ipſius etiam Sanctuario audes irritare, nunquid eum cogere vis, ut inde egrediatur? Tibi ſuperbos omnes cedit locos, ubi ſpectacula ſuum virus effundunt, ubi inflammantur cupiditates, ubi voluptas a crimine ſejungi non poteſt: ibi profani auctores tot inſpirate affectiones, quot ibi varias perſonas inducitis; ibi mundanæ mulieres volmet oſtentate velut idola, quæ quiſque adorare geſtit, & quæ non niſi adoratores inquirunt; verum hos ſaltem ſacros reveremini locos, quos ſibimet Deus ipſe delegit. Viri nequam, & impii ad aras ſibi aſylum quæſivere; hodie vero Sanctus ſanctorum tutum ſibimet perfugium non invenit. Olim in templa, tanquam in locos pacis, mortales confugiebant, hodie vero periculum eſt, ne juſtus ibi ſuam innocentiam amittat: ſexcentæ ſtruuntur illic inſidiæ, & ne vulneremur venenatis jaculis, quæ ibi contorquentur, ab eorum aditu abſtinendum eſt. *Idem*.

Deus in Templis minus, quam Principes in ædibus ſuis, colitur.

Heu! dum recordamur, neminem in regis aulam ingredi poſſe, niſi poſtquam omnia diligenter inſpexerit, neque adeundi, ubi ille eſt, facultatem petere, niſi ſumma cum humilitate, & ad omne obſequii ſpeciem compoſitum; dum cogitamus, neminem ne oculos quidem attollere audere coram rege terræ hujus, & vel leviſſimam coram ipſo irreverentiam ſeveriſſimis pœnis eſſe coercendam; & mox templa noſtra ingreſſi, ubi Deus majeſtatis inhabitat, ubi miniſtri conſtituti ſunt, qui inceſſanter illius magnitudinem, & magnificentiam collaudent, ubi celebrantur myſteria, quæ ſancta vocamus, ibi videmus fideles auguſta hæc templa polluere, & ſancta hæc dedecorare myſteria eo corporis habitu, quo coram abjecta aliqua creatura ſtare minime auderent; videmus ibi fideles ſacrarum cæremoniarum pertæſos, ac impatientes ſacrificii finem præſtolantes ſibimet ſexcenta, quæ dictu ſunt turpia, permittere, oculis alia amoris objecta conquirere præter Deum, quem adorant; in id incumbere, ut in ſe aliorum obſequia uni Deo debita convertant; & minus religionis habent, quam Barbari, & infideles, de quibus ſæpe accidit ſermo. Hi Idola tantum venerantur, verum ſaltem in profanis delubris ſuis ſunt in omne obſequium compoſiti; nos vero in templis noſtris non niſi quandam diſſipationis, atque contemptus ſpeciem præferimus: illi ſaltem falſos, quos colunt, Deos reverentur, at hujuſce temporis Chriſtiani ullamne habent erga Dominum reverentiam? Hæccine illa ſunt ædificia, quæ ſancta vocamus, ubi homines vix genu flectunt, ubi ſexcentas committunt irreverentias, ad quæ non niſi ex more accedunt, & unde egrediuntur, quam ingreſſi fuerint, nocentiores? *Idem ſermo manuſcriptus*.

In templis eadem, quæ in ſpectaculis pompa præfertur, ibique quidquid maxime nitet, oſtentatur. Verum quem ad finem in hanc lacrymarum, & orationum domum convenitis? Venitis, ut ibi veſtram Deo exhibeatis egeſtatem; & hac pompa, hoc luxu, quem illuc affertis, cum eo de magnitudine, & magnificentia certare videmini. Venitis, ut gratias precibus conſequamini, & victores potius, atque benefactores videmini, quam ſupplices. Venitis, ut lacrymis peccata veſtra eluatis, & cum iis indumentis, quæ hilaritatem, & lætitiam redolent, acceditis; & pro cinere, ac cilicio, quo vosmet ipſos contegere deberetis accedentes ad pœnitentium animarum ſalutem obtinendam, cum iiſdem eo vosmet confertis ornatibus, quibus ad choreas, ac ſolatia feſtinatis. Templum ingredimini, ut ſuſpiria veſtra miſceatis triſtibus eccleſiæ cantibus, qui ad Dei miſericordiam ciendam adhibentur; & eum corporis habitum, eoſque geſtus præ vobis fertis, qui ſatis oſtendunt, quod lacrymis, & pœnitentiæ abrenuntietis. Illuc acceditis Dei legem meditaturi; & tantum abeſt, quod vosmet interius colligatis, ut alios etiam exemplo veſtro diſtrahatis. *Idem*.

Læditur Deus in loco, ubi ad illius implorandam miſericordiam venitur.

Templum domus eſt, quo ſe conferunt Chriſtiani ſuam teſtatum egeſtatem; ubi ſacerdos ſæpe manus attollit ad Deum, a quo gratias pro hominibus impetrat; ubi divinæ juſtitiæ flagella ſedantur, & ubi populus Domini benedictiones ſibi conciliat publicas deprecatus calamitates. Dum autem miniſter ad cœlum manus ſuſtollit, ut vobis gratias obtineat, cum enixis precibus familiarum veſtrarum pacem, egeſtatibus veſtris ſolamen, maliſque remedium petit; dum ille tandem pro vobis Deo nuncupat vota in templo, vos ne attentione quidem ſacra, quæ fiunt, dignamini; & vix ferre poteſtis melos canticorum, quæ ibi recinuntur: videlicet inanes efficitis ſupplicationes illius, negatis vera eſſe, quæ ille de vobis teſtatur Deo; videlicet vosmet ipſos reos facitis non ſolum novorum criminum, verum etiam eorum, quæ fratres veſtri committunt; etenim per profanationes, & irreverentias veſtras verbo Dei, & precibus ſacerdotum vim aufertis, qua illos a peccatis avertere, & ad frugem poſſent revocare. *Idem*.

Sacrificium quod in templis offertur a nobis reverentiam exquirit.

In templo Jeſus Chriſtus ſeſe patri offert indeſinenter, ibique per miniſtrorum ſuorum manus offertur: ibi immolatur tanquam victima, ibi ſe nobis tanquam mediatorem exhibet, ibi ſe totum in noſtros uſus impendit: *Totus in uſus meos expenſus*, ut loquitur S. Bernardus. Hic igitur ſentire debetis, quantus ſit horror criminis, quod per irreverentiam in templo committitis; quæſo enim, donec auguſta pro vobis celebrantur myſteria, donec ſupremus cœlorum Dominus in terram ad vota veſtra excipienda, ac vos ſanctificandos deſcendit, donec elevatur Hoſtia pro vobis debitum perſolutura; dum prope eſt, ut victima ſacrificetur, dum cœleſtes omnes huic attenti ſunt ſacrificio; eodem ipſo temporis puncto, quo miniſtrorum gravitas vobis reverentiam indicit, & pompa, & ſanctitas cæremoniarum attentionem veſtram expoſcunt, ne dignamini quidem oculum eo convertere, ubi adeo auguſta myſteria conſummantur. *Idem*.

Inanis dignitatum, ac prælationum apparatus nunquam ſeſe magis oſtentat, quam in ſanctis hisce locis, a quibus procul exulare deberet; ubi fulgor quilibet eclypſim pati, ſuperbia quælibet coram Domino proſterni debet; ubi non aliud, quam Chriſtiani nomen jactitare opus eſt, neque alia afferre ornamenta, quam chriſtianæ religionis virtutes, ibi vana creatura ſuas dignitates, ſuoſque titulos oſtentat. Ubi in id unum curas omnes tranſmittere debet, ut ſeſe abjiciat, ſibique ſepulchrum effodiat, ibi honoris inſignia petit, atque requirit; & homo, qui nudius tertius in populo a[illegible]teſcere cœpit, de gradu ſe dejectum putat, niſi diſtinguatur in templo, & niſi illi ſibi adhibeantur honores, quos ne ipſe quidem adhibet Deo. *Idem*.

Mulieres ſunt cauſæ potiſſima criminum, quæ committuntur in templis.

Haud equidem iſtic recenſeo immodeſtias, vel potius impietates, quæ quotidie committuntur in templis, indignos eos corporis habitus, vagos oculorum conjectus, libidinoſos, irreligioſoſque ſermones, quos illi, quibus aliquid pietatis ineſt, tantopere per-

perhorreſcunt: illud vero diſſimulare nullo modo poſſum, mundanas mulieres funeſtiſſimas eſſe horum omnium malorum cauſas per luxum, indumentorum nitorem, ornamenta, quibus ſe comunt, ut Deo ex ipſis uſque altaribus auferant adorationem, atque cultum, qui ipſi debetur. Miſeræ! Dæmonis imperium proferre vultis ultra eos fines, quos ille ſibi præſcripſit; vult ille jus in profanos dumtaxat locos habere; vos autem efficitis, ut in ſanctiſſimis etiam locis dominetur. An neſcitis vos per hoc templum incedentes tanta cum vanitate, ac ſuperbia, ambulare ſuper putrefacta ſexcentarum cadavera, quæ eamdem, ac vos, temeritatem habuere, ut velut idola in ſe mortalium adorationem converterent? Cineres, & oſſa illarum vos in ſingulos greſſus admonent, quam primum in ſtatum ipſarum eſſe redigendas, atque horroris ſpectaculum futuras. *Froment.*

Quo ſenſu in templo nos eſſe deceat.

Cum fidelis templum ingreditur, corpus ſimul, & cor ſuum debet ſacrificare, alterum quidem modeſtia, & humili corporis habitu, alterum vero ſincera cordis converſione. Se ipſum immolare debet, ut Deum Dominum ſuum veneretur, ut illi ob ea beneficia, quibus auctus eſt, gratias agat, ut juſtitiæ illius ſatisfaciat, utque gratiæ illius ſubſidium imploret. Qui, dum ſacra fiunt, ſe ipſum hoc pacto non ſacrificat; næ ille quidem ſacris, ut decet, non adſiſtit myſteriis. Sed, o Deus, quam pauci ſunt hodierna die veri Chriſtiani? eum enim juvenem, qui ad aras uſque laſcivos garit oculus, victimæ ſpiritum habere cenſebis? mundanam mulierem, quæ templum ingreditur, ut formæ ſuæ victimas, & adoratores conciliet, habere putabis ſenſus animæ chriſtianæ, quæ ſe ipſam debet immolare! *Auth. Anonym.*

In templum ingredi debemus ſolum, ut Deum laudemus.

Templum, regius inquit Propheta, non niſi ad Deum laudibus celebrandum ædificatum eſt; hos tantum illic ſermones haberi fas eſt: adſtant Angeli ſingula verba noſtra exſcripturi, ibique Deus ipſe adeſt, qui cordis noſtri affectiones, ſenſuſque ſcrutatur. Videt ille, & precum noſtrarum qualitatem cognoſcit; ſecernit eos, qui orant ex animo, & cœleſtia conquirunt, ab illis, qui orant perſunctorie, & labiis tenus, & quorum cor longe abeſt ab ipſo. *En ſpecimine ſermonum.*

Nemo eſſet, ſi quid fidei, & religionis nobis ſupereſſet, qui templum ingreſſus hæc ſecum non cogitaret: Eum locum ingredior, in quo ipſe Deus eſt, quem Angeli adorant in cœlo, & quem reges adoraverunt in ſtabulo: eum locum ingredior, ubi eadem hoſtia, quæ in calvariæ monte ſacrificata fuit, in ara immolatur: eum locum, ubi ſanguis idem, qui de cruce effluxit, adhuc quotidie in noſtris deſluit Sacramentis: eum locum, ubi Spiritus idem, qui olim viſibili ſpecie in Apoſtolos dilapſus eſt, inviſibili ratione in omnes fideles deſcendit: igitur huc accedendum eſt eadem cum humilitate, ac reverentia, qua reges illi; huic adſiſtendum eſt eadem pietate, ac devotione, qua piæ mulieres ſacrificio crucis adſtitere; fervore eodem, ac religione, qua Apoſtoli in cænaculo Spiritus ſancti deſcenſum præſtolabantur. *De S. Martino in Quadrageſima ſermone hujus argumenti.*

Zelus, quem habere debent Chriſtiani pro templorum honore.

Nunquam nobis in locum hunc ingrediendum eſt, quin divinæ illius majeſtatis, qua Dominus circumdatus eſt, radius nobis reverentiæ, ac timoris ſenſum immittat. Quod ſi aliquem habemus zelum pro gloria Salvatoris, & pro domus ejus honore, ingemiſcamus videntes profanationes, quæ ibi non ab infidelibus quidem, vel barbaris, ſed a domeſticis, filiis, & altarium miniſtris committuntur; quæ res cor divinum transfodit, & eam querelam extorquet: *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* Jerem. 1. Heu! ab ara, ubi me ipſum pro impiorum horum ſalute immolaveram, tribunal aſcendam, ubi illos juſtitiæ meæ ſacrificabo. Quænam calamitas eſt chriſtiano viro interitum ſuum invenire in fonte ſalutis ſuæ, & damnari eodem ipſo in loco, ubi Salvatoris cruor deſluit pro mortalium omnium juſtificatione. *Liber cui titulus: La vie reglee dans le mond.*

Salomonis templum, ubi Deus tantum exigebat reverentiæ, non erat adeo auguſtis conſecratum cæremoniis, uti hodierna die noſtra templa dedicantur, neque magna hæc ibi celebrabantur myſteria, quæ quotidie in aris noſtris offeruntur. Homo Deus ibi ſacerdotis officio non fungebatur, neque fiebat victima Patris ſui, nec vel proprium effundebat ſanguinem, ut noſtra peccata detergeret, vel propriam tradebat carnem, ut noſtras animas enutriret. Ibi ſacrificia quidem offerebantur, ſed non videbatur Deus Deo immolatus; neque cœlum deſcendebat in terram; neque infinita majeſtas Dei ſeſe ſub rotunda hoſtiæ ſpecie tegebat. *De la Volpilliere tom. 3. ſerm. hujus argumenti.*

Templa noſtra ſanctiora ſunt, magiſque veneranda, quam templum Salomonis.

Quid de mulieribus dicam, quæ tanta cura ſe comunt, & ornant, quotieſcumque templum ingreſſuræ ſunt, & quæ nonnunquam pluribus ornatibus corpus ſuum inſtruunt, quam altaria ipſa decorentur? Cur prodire volunt adeo ſuperbe exornatæ coram Jeſu Chriſto, qui pedibus conculcavit univerſum ſæculi faſtum, & qui ridiculam hanc humani ſpiritus vanitatem damnavit? Eorum conſilia non aſſequor, ſed agendi ratio adeo adfectata, & mundana locum mihi tribuit credendi, ab illis iſtic Deum minime quæri; nonne enim præſtaret illas in domibus ſuis permanere, quam luxum, vanitatem, nugaſque amatorias in hos auguſtos inferre locos, quo non niſi humilitatis, reverentiæ, ac timoris ſenſus eſſent afferendi? Si S. Chryſoſtomi ævo extitiſſent, hic illas in ipſo eccleſiæ veſtibulo remoratus fuiſſet, dixiſſetque illis: *Quo ſaltatura pergis?* Quo hoc corporis habitu, atque ornatu contendis? ad choreas ne, an ad eccleſiam? Nunquid eo in ſtatu es, ubi Deum crucifixum valeas adorare? Quænam conformitas eſt inter ornatus tuos, & crucem illius; inter luxum tuum, & ejuſdem nuditatem, inter mollitiem tuam, & ejus dolores? *Idem.*

De mulierum luxu in templis.

Ex univerſo terrarum orbe, quem Deus in noſtros condidit uſus, exiguum ſane locum ſibi inhabitandum reſervavit. Mare nobis propter mercaturam reliquit, terram pro incolatu, urbes pro ſocietate, agros pro meſſibus; ſibique exiguum retinuit ſpatium, quod nomini ſuo conſecravit, gloriæque ſuæ dedicavit. Hunc tamen illi invidemus, eumque polluimus, ut inde egrediatur. Non ſatis eſt nobis maria avaritia noſtra replere, terram impudicitia, urbes luxu, & agros injuſtitia, ſed hæc omnia peccata ſimul in illius domo committimus: *Replentes terram iniquitate converſi ſunt ad irritandum me.* Ezech. 8. *Idem.*

Nihil tentatum, & inauſum relinquitur, per Ezechielem Dominus ait, *ut procul recedam a ſanctuario meo.* Quomodo enim Deus permanere poteſt in loco omni ratione polluto! quomodo ſperare potes futurum, ut ille ibi ſuos theſauros aperiat, ibique ſuas gratias effundat? Ne mireris, ſi erga tot mortales ille ſupernaturales operationes ſuas non amplius oſtendit: quippe eum coegerunt profanationibus ſuis, ut inde recederet: *ut procul recedam a ſanctuario meo.* Ezech. 8. O Salvator! quo impoſterum tete recipere poteris, ut contra noſtras perſecutiones te ipſum tuearis? In principum aulis, in agris, in urbibus offenderis; ſi quis in mundo locus eſt, ubi in tuto eſſe poſſes, hic proculdubio domus tua eſt. Rex cœli quot afficeris injuriis in terra! quot contumeliis eo ipſo coinquinaris in loco, qui deſtinatus eſt, ut tibi honor adhibeatur! Quid iniquius, & inſolentius, quam te ipſum in ædibus tuis, tuæque gloriæ ſede laceſſere? Aliquid ne par in mundo invenitur? vos autem ita impotentes eſtis, ut Deum in templo, & ad aras uſque lædatis? Huc ingredi, & ad Tabernaculum accedere ob id unum videmini, ut propius Deum vulneretis, utque vulnera veſtra magis certa ſint, inevitabilia, contumelioſa. Quæ unquam gravior fingi iniquitas poteſt, quam quod templum aliis omnibus perfugium ſit, præterquam Domino ſuo? quod ſicarii, atque latrones in templo perfugium requirant, & hic nos Deum noſtrum perſequamur? *Idem.*

Cogitur quodam modo Deus templa deſerere propter profanationes quæ ibi committuntur.

Ezechieli dixit olim Deus: *Oſtende domui Iſrael*

templum, & confundantur. Ezech. 43. Simili ratione ſufficeret Chriſtianis, ut rubore ſuffunderentur, illis oſtendere, quin ullum adderetur verbum, templum illud, quod toties profanarunt, atque hanc aram, quam toties polluerunt. Contumeliæ, quæ hodie in templo inferuntur Deo, adeo communes ſunt, ut auſim dicere, paucos fidelium hac culpa vacare. Apoſtolus 1. ad Cor. 11. inquit, eum, qui indigne recipit corpus Domini, miſerum eſſe, quod illud a communibus eſcis nequaquam diſtinguit: *Non dijudicans corpus Domini.* Sed minus ne loqui poſſum de miſeris Chriſtianis eum profanantibus locum, ubi hoc adorabile corpus reſidet, quam ſi dicam, præſentiam illius ab ipſis non dijudicari? Quippe hoccine eſt dijudicare Jeſu Chriſti in templis noſtris præſentiam, ibi de rebus omnibus loqui tanquam domi ſuæ, ibique de omnibus agere negotiis velut in foro! Hoccine eſt ſecernere ſanctum hunc locum a pollutiſſimo quopiam, ibi tanquam in choreis, atque theatris nugis amatoriis vacare? *Non dijudicans templum Domini. Fromentieres tomo 2. Quadrageſimæ.*

S. Chryſoſtomi lemma de reverentia templis debita.

Quomodonam ſedare poterimus iram Dei, quoniam temporibus ad id maxime idoneis, locisque aptis, dum ſperamus fore, ut Deum precibus deliniamus, aliquos video, qui habitum pietatis, ad quem ſe compoſuere, faſtidientes importuna in ſermonibus ſuis ſolatia perquirunt, qui in cachinnis ſuis inſanientes publicis precibus obſtrepunt, & neque ſe tunc continent, (audaciam non ferendam!) cum ſacerdos ſacris operatur. An neſcitis vos tunc eſſe in medio Angelorum? vos cum illis Deo gratiarum actiones offerre, & nihilominus indecoro corporis habitu colloquendo, ac ridendo teritis tempus? Profecto miraculum non eſſet, ſi fulmen non in veſtrum dumtaxat, ſed in noſtrum quoque caput irrueret; hæc enim ſcelera ſunt tali digna ſupplicio. *Ex Homil. 24. S. Chryſoſtomi in Acta Apoſtolorum.*

Hæretici ſæpe furorem ſuum in templa noſtra exoneraverunt.

Hæretici, omneſque eccleſiæ inimici in templa ſævierе, neque rabiem ſuam explere potuerunt, niſi glorioſa hæc evertentes monumenta. Gallia, quam prope fuit, ut eamdem ſortem ſubires? Ullane ex provinciis noſtris eſt, quæ non plures adhuc ſanctas haſce murorum ruinas intuita, quorum altitudo inter ſqualorem, & confuſionem aliquid adhuc veneratione dignum retinet? Ex hiſce ruderibus conjicitur, quodnam periculum fides noſtra ſubiiſſet, niſi urbes aliquot infernalis aciei furorem cohibuiſſent: niſi majores noſtri ſanguine ſuo aras protexiſſent, quis affirmare poteſt, nos quoque vehementi eo torrente fuiſſe abripiendos? Ubinam ſacram nacti eſſemus menſam, ubi panem vitæ comederemus? ubi Agnum hunc ſine macula immolaſſemus? ubi hauſiſſemus gratias de uberrimis fontibus Sacramentorum. Templa igitur non ſunt tantum loci deſtinati, ubi religionem noſtram probemus; ſed religionis ipſius ferme ſunt baſis, & fundamentum. Cum de illis colendis, tuendis, ſervandiſque agitur, Deus ipſe colitur, protegitur, atque ſervatur. *Ex manuſcripto ſermone P. Stephani Chamillard.*

Templum locus eſt orationi deſtinatus.

Templum domus eſt orationis: *Domus mea domus orationis*; ideoque ibi peculiariter præeſt Spiritus ſanctus, quandoquidem ſine illo orare non poſſumus: *poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ad Rom. 8. Neque ideo putes nullibi præterquam in templo orari vel poſſe, vel oportere. David ſibi templum in deſerto, Manaſſes in carcere, Elias in monte, Daniel in leonum lacu, tres pueri in fornace conſtituerunt: verum enim vero templum locus eſt orationi deſtinatus, & Spiritus ſanctus ibi particularem efficit applicationem meritorum ſanguinis Jeſu Chriſti, qui ibi adhuc effunditur. Sed heu! In templum afferuntur animi affectiones Spiritui ſancto prorſus oppoſitæ. Illuc cum ſpiritu vanitatis, ambitionis, avaritiæ, calliditatis, & ſæpe etiam impudicitiæ mortales ingrediuntur, qui quidem ſpiritus cum omnino ſunt Spiritui ſancto contrarii, fit, ut ille gemat, non autem iis gemitibus, qui omnes nobis gratias obtineant: *gemitibus inenarrabilibus*, ſed gemitibus doloris, & iracundiæ; & quin illius favores, atque temporales ſimul, & ſpirituales benedictiones conſequamur, illius dumtaxat maledictionibus ſubjicimur. *Specimen ſermonum pro feria 5. poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam.*

Quantopere Deus perhorreat irreverentiam in templis.

Deus ita perhorreſcit irreverentiam, & immodeſtiam, quæ in templis adhibentur, ut illas abominationum nomine nuncupet, quæ illi adeo graves, & non ferendæ ſunt, ut propter illas Sanctuario ſuo excedere teneatur: *Vide ta, quid iſti faciunt abominationes magnas, quas domus Iſrael facit hic, ut procul recedam a Sanctuario meo.* Ezech. 8. Ingredere, Propheta, templum meum, ac intuere abominationes, quas coram me Iſraelitæ operantur; vide, quomodo alii quidem inſolenter caput attollant, atque oculos circumquaque circum agant viſuri ſimul, atque videndi; alios inſpicies uno tantum poplite in terram flexo impune invicem colloqui; alios invenies, qui illuc ingrediuntur dumtaxat, ut opperiantur idolum cordis ſui, & creaturam illam, cui ſeſe omnino manciparunt: alias intueberis frontis adeo perfrictæ, ut templa ingrediantur, ibique ſeſe tanta jactent impudentia, ut jure poſſint dici *paulo minus veſtitæ, quam nudæ. P. Hyacinthus le Fevre recollectus, ſermone pro feria 3. poſt primam Quadrageſimæ Dominicam.*

Immodeſtus corporis habitus, qui in templis geritur.

Quin iſtic attingam cordis affectiones, quæ nobis ſunt inexploratæ, quod judicium ferendum eſt de externo hoc habitu corporis, qui noſtris accidit oculis? Quiſnam intuitus hunc diſſipatum oris habitum, omnes haſce mundanas affectationes, quas in Domini templum adfertis, non diceret, vos potius ad profanum aliquod ſpectaculum, quam ad religionis actum convenire? Cum cernamus vos, huc venire, ut inanes mundanæ vanitatis ornatus in hac templi ſanctitate oſtentetis, nonne videmini huc accedere, ut profana theatrorum lingua loquamini, & illuc, ubi Domini ſacerdotes veniunt ad veſtram converſionem, vos ad infirmandas ſanctas veritates, quæ ibi annuntiantur, convenire? *Sermo manuſcriptus de verbo Dei, qui P. Maſſillon acceptus refertur.*

Myſteria, quæ in templis noſtris peraguntur, reverentiam noſtram conciliare debent.

Corpus, & ſanguis Redemptoris noſtri in altaribus, totaque majeſtas viventis Dei, ad quem adorandum in templa convenimus, nunquam ſufficiet, ut reverentiam ſibi conciliet? Nunquid alia indigemus religione, quam noſtra, ut cogamur præſtare Deo honores, quos meretur? Chriſtiana fides nonne ſatis nos inſtruit hac in re, quæ religionis eſt caput? Ratio noſtra laborat, cum in re hac noſtrum agendi modum cum fide conciliare conatur; nihilque magis infidelium avertit animos, quam cum audientes, quid de divinis myſteriis Chriſtiani credunt, vident, quid illis aſſiſtentes agant. Nullus in toto terrarum orbe locus eſt æque ſanctus, & venerabilis, ac templum; at ullus ne eſt, qui turpius, & flagitioſius polluatur? Dici poteſt tota divinitas ibi corporaliter inhabitare, illic enim ſuam in terris ſedem JESUS CHRISTUS ſibi conſtituit; verum præſentia illius multos ne ſibi adoratores conciliat? Tota Jeroſolymitani templi magnificentia non aliud erat, quam terribilis majeſtatis templorum noſtrorum figura. Deus hic, qui per immenſitatem ſuam adeſt ubique, hic ſeſe quodammodo ſenſibilem præbet per beneficia, quæ iſtic large, effuſeque diſtribuit, & per peculiarem cultum, quem depoſcit. Ex iis omnibus, quæ maxime pretioſa, & adorabilia in Calvario acciderunt, nihil in aris hiſce noſtris deſideratur. Ex iis, quæ in cœlo ſanctiſſima, & ſacratiſſima inveniuntur, nihil in templis non ſine maximo miraculo deeſt: thronus miſericordiarum Dei, theſaurus gratiarum illius, ſedes poteſtatis ejus ſemper beneficæ! O quanta reverentia dignum eſt templum! *P. Croiſet in Chriſtianis conſiderationibus.*

De tabulis, & ſimulacris pro...

Quot myſteriorum noſtrorum profanationes in iis locis, quos maxima ſanctitas decet, propter corporum

ſanis, vel parum honeſtis, quæ aliquando videntur in templis.

rum nuditates, parumque decoros ſitus in tabulis? Quot modeſtiam, pudoremque ipſum lædentia in aris ipſis oſtenduntur, ubi omnia metum, ac reverentiam afflare deberent? Quot Sancti, Sanctæque exhibitæ, tanquam homines e mundo, habitu corporis prorſus ſæculari, atque profano, atque cum iis nuditatibus, quæ rubore ſuffundunt eos, quibus aliqua timoris Dei ſupereſt particula? Quid horum locorum ſanctitate minus dignum? Quid ad myſteria ipſa dedecore afficienda magis idoneum? Quid magis oppoſitum admirabili verecundiæ, quæ in ſanctis omnibus maxime floruit? Quis citra indignationem videre poteſt in templis immodeſtas mulieres tanquam virtutum ſymbola propoſitas? Quis citra graviſſimam cordis amaritudinem audire poteſt mala, quæ hujuſmodi imagines pepererе? Hac de cauſa illas in eccleſiæ Mediolanenſis actis S. Carolus damnavit, ubi palam vetat, ne in templis proponantur aulæa, vel tabulæ, vel ſimulacra, quæ pravas ciere valeant cogitationes, cum illic omnia ad populorum devotionem ciendam debeant excitare. Difficile eſt, quod hæc monſtroſa commixtio profani cum ſacro, myſteriorum ſanctitatis cum myſteriis iniquitatis, JESU CHRISTI cum Belial, templi Dei cum delubris idolorum minime fiat plurimis petra ſcandali. Deus ſæculi, qui proculdubio rei hujus eſt auctor, certo ſcit, rem hanc ſibi præclare ceſſuram, quandoquidem artem nactus eſt inſidias in ipſis uſque aris, & in Sanctuario ſtruendi, ut thronus gratiæ, ad quem peccatores miſericordiam accedunt petituri, fiat illis thronus juſtitiæ, in quo judicium, ac damnationem ſuam invenient. *Auct. Anon.*

Tabulæ, & myſteriorum, ſanctorumque repræſentationes in templis plurimum proſunt pietati fidelium.

Eccleſia probavit, confirmavitque ſanctarum imaginum uſum in ſeptimo Generali Concilio; ejuſque finis fuit ædificandi, & erudiendi filios ſuos fideli repræſentatione hiſtoriarum biblicarum, ac vitæ, & martyrii ſanctorum, myſteriorum religionis noſtræ, & earum rerum omnium, quæ menti ſanctas ſuggerere poſſunt cogitationes, eamque liberare a phantaſmatibus vagis, & inutilibus, quibus nobis licet invitis imaginatio ſæpe occupatur. Tabulæ, & ſimulacra ad pietatem pertinentia auxilio nobis eſſe debent, ut ſanctos colamus, efficiendo, ut de illis cogitemus, noſque excitando, ut ad ipſorum interceſſionem confugiamus. Hæc eſt Dei, & eccleſiæ hac in re mens, atque intentio. Hinc igitur ſequitur, quod pictores, atque ſculptores huic conformare ſe debent, neque alias imagines, vel ſimulacra elaborare, niſi quæ aliquid eorum conſilio conferat; alioquin polluunt templa, ac redduntur Deo ſuæ rationem ſcandalorum omnium, quæ per hanc committuntur occaſionem. *Idem.*

Templa noſtra pro Jeroſolymitano ſanctiora ſunt, & in eos, qui profanaverint illa, ſeverius animadvertetur.

Intravit Jeſus in Templum, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes de Templo. Matth. 21. Si Dei filius tantam teſtatus eſt indignationem in illos, qui in templo antiquæ legis vendebant, & emebant: quibus pœnis eorum perſequetur temeritatem, qui templi novi fœderis ſanctitatem polluunt, negotiis, quæ ibi tranſigunt, conſiliis, quæ illic moliuntur, colloquiis, quæ illic inſtituunt, & flagitioſiſſimo hoc agendi modo, quem coram cœlo, terraque ibi ſervant? Primum illud nil aliud continebat, quam Arcam, tabulas legis, mannam, & id genus alia, neque ibi niſi mortales victimæ mactabantur. Alterum hoc autem Domini eſt habitatio: *Dominus in templo ſancto ſuo*. Hic hoſtia ſemper vivens, omnemque mortis neceſſitatem ignorans immolatur, hoc ille ſibi elegit Sanctuarium, ut ibi inter homines habitaret illic receptnrus ſacrificium precum ipſorum, & perennia fidei, atque religionis eorum argumenta. Attamen illic tot Chriſtianorum videtur impietas; illic nequiſſima præbent teſtimonia rebellis animi ſui, & contemptus, quo Dei nomen, ſanctamque legem illius flocci faciunt. *Abbas Trappenſis in moralibus conſiderationibus in evangelium S. Matthæi.*

Profanationes, quæ committuntur in templis, Deum, homineſque ad ultionem provocant, cur igitur hodierna die quæritur cauſa tot malorum, quibus affligimur? Cur flagitioſis his profanationibus non refertur accepta adeo univerſalis vaſtitas, qua mundus urgetur; hæc videlicet impietas, ac deteſtabilis licentia, quam ſibi vendicant mortales ibi colloquendi, & promiſcue de quovis negotiorum genere agendi, quaſi in compitis, plateiſque verſarentur? Cur autem, Domine, illi, qui ex numero ſunt ſervorum tuorum, & qui ardentiori pietate adhærent tibi, gemitibus, lacrymiſque ſuis efficere non conantur, ut immutes cor miſerorum horum, ne juſtitia tua mundum ad extremum uſque evertat, & deleat? *Idem.*

Templum Salomonis deletum fuit, idque permittente Deo propter profanationes, quæ ibi committebantur.

Templum Jeroſolymitanum, quod non pulchritudine, & magnificentia minus, quam ſanctitate orbis erat miraculum, quod ab extremis terrarum plagis evocabat homines, ut Domino honorem, & cultum adhiberent, atque illi omnia offerrent ſacrificia, quæ divinæ majeſtati offerri poſſunt: hoc denique templum, quod Dei omnipotentia tot ſæculorum ſpatio ſervavit, a Deo ipſo derelictum fuit, atque ita funditus fuit exciſum, ut ne lapis quidem ſuper lapidem ad illius memoriam perennandam remaneret. Ædificium hoc adeo nobile, & inſigne, extructum, erectumque propter imperium, quod Deus regum omnium maximo, ſapientiſſimoque tribuerat, & cujus excidium permiſeras, Domine, juſtiſſima providentia, in nullam reditus ſpem deſeruiſti, & nunquam ex ruderibus ſuis conſurget. Illud vero animadvertendum, altiuſque memoriæ infigendum eſt, quod illud tunc tandem reliquiſti, cum coactus fuiſti nequiſſimo, qui fiebat, abuſu ſanctæ domus tuæ, & modo, quo pollutus fuerat locus, qui adeo peculiari conſecratione ad te pertinebat, denique cum ad id coactus fuiſti profanatione adeo publica, & nefaria, propter quam ea protuliſti verba: *Scriptum eſt, domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Matth. 21. Heu Domine, quot fuere, & quot ſunt adhuc templa in eccleſia tua, quorum exitus fortaſſe non erit felicior? Pleraque hæc templa, Domine, quo nemini liceret ingredi, niſi ut ſuam tibi pietatem, religionem, cultumque probaret, ut tibi vota, & preces offerret, ut tecum de ſuis neceſſitatibus, & egeſtatibus colloqueretur, tibique ageret gratias, ut cum profundæ humilitatis ſenſu ſeſe ad tuos pedes proſterneret, ea metamorphoſi, quæ nullis unquam lacrymis ſatis defleri poteſt, facta ſunt loci, quo illi conveniunt, quibus prorſus oppoſitæ ſunt animi affectiones, & quorum cor plenum eſt perturbationibus, & cupiditatibus &c. *Idem.*

Chriſtiani in templa propter duos hoſce fines potiſſimum congregabantur; primum, ut Dei majeſtatem ibi adorarent; deinde ut illius flecterent iracundiam, atque fidem, timoremque ſuum exercerent. Fideles ſunt, qui accedunt, ut ſuam profiteantur ſubmiſſionem, & nihilum coram ſupremo ipſorum creatore; peccatores ſunt, qui ad judicis miſericordiam implorandam ingrediuntur. Hi autem fines duo debent etiam eſſe duo valida argumenta, ut utrique ſervare teneantur maximam reverentiam, ſummamque verecundiam in locis, qui adeo ſanctis uſibus ſunt deſtinati. *P. de la Peſſe tomo 5. ſermone hujus argumenti.*

TEMPUS.

Bonus, ac malus temporis uſus: temporis pretium, & jactura &c.

MONITUM.

De bono temporis uſu loquentes nequaquam ſub hoc titulo complectimur bona opera, in quibus illud eſt inſumendum, neque otium, quod eſt vulgatior cauſa temporis, quod amittitur, neque laborem ſtatus noſtri proprium, qui illius meliorem occupat partem; de quibus, ſi quid erit dicendum, conſuli poterunt tituli, in quibus hæc pertractavimus argumenta. Igitur generatim tantummodo verba faciemus de tempore, deque bono uſu, quem ejuſdem facere debemus, ut noſtræ ſaluti conſulamus.

Secundo. Cum tempus unice nobis fuerit conceſſum ad beatam promerendam, indipiſcendamque æternitatem; & ubi illud effluxerit, nobis ultra integrum non ſit vel merito acquirere, vel noſtram augere beatitudinem, inde judicium ferre poſſumus de pretio illius; jacturam ejus reparari non poſſe; quanti referat eodem bene uti; quanta ſit plerorumque mortalium illud prodigentium cæcitas; & demum qua tandem triſtitia conficiendi erimus, eo quod illud vel amiſerimus, vel perperam eodem uſi fuerimus.

Ceterum quamvis argumentum hoc nimis late patere videatur, nihilominus erit utile, locumque aperiet meditandæ rationem illam, quam aliquando reddituri ſumus de quolibet momento, ac uſu, quem ejuſdem fecerimus. Sancti Patres hoc maximi momenti argumentum eſſe cenſuerunt: quod ſi locum præbuit præſtantiſſimis Ethnicorum philoſophorum ſententiis de præterito, quod non revertitur amplius, de fluxa præſentis duratione, deque futuri incertitudine, multo aptius eſt ad excitandos fideles, ut pro æternitate acquirenda, præteritoque ſanctiori, ac ferventiori vita reparando præſens tempus impendant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia ſermonum hujus argumenti ſyſtemata.

I. Hoc poſito, nihil eſſe pretioſius tempore, nihilque eodem nobis eſſe debere jucundius; & nihilo ſecius nullam eſſe rem, quæ minori habeatur in pretio, & cujus jactura minus doleamus: pro concionis partitione, & argumento aſſumere poſſumus: 1. nihil eſſe, quod majori cura ſit impendendum: 2. quinam a nobis illius uſus faciendus ſit, & cur nobis datum fuerit tempus.

Pars prima. Nihil eſſe quod majori cura a nobis ſit impendendum: 1. hoc enim unicum eſt bonum, quod proprie ſit noſtrum, & cujus penes nos ſit arbitrium. Non igitur ferre debemus, illud eripi nobis, hoc in colloquiis, viſitationibus, & inutilibus occupationibus transfigendo, quæ nobis horas, dieſque auferant, ita ut ſub exitum vitæ illud integrum nos amiſiſſe intelligamus. Debemus illius quam diligentiſſimam habere rationem, non ſecus ac vitæ noſtræ, cujus ille menſura eſt. 2. Sollicitus eſſe debemus de bono temporis uſu, quia ne unum quidem momentum eſt, quo integræ beatitudinis æternitatem acquirere, in gratia, & charitate creſcere, ac totidem in cœlis coronas adipiſci nequeamus. Igitur vel quid noſtra interſit, ignoramus, vel cæci ſumus, ſi illud in inanibus ſolatiis, & inutilibus occupationibus impendimus. 3. Quia tempus adeo pretioſum raptim pervolat, ac ſenſim elabitur, quin illud retinere valeamus; cumque ſemel abierit, nobis integrum non eſt amplius illud revocare; nobiſque eſt, quaſi nunquam fuiſſet. Ullane igitur eſt negligentia par huic, qua illud nobis inutiliter præterire patimur? &c. 4. Adde his, tempus hoc adeo pretioſum, ac breve, quod adeo celeriter defluit, ſuapte natura revocari non poſſe; ideoque meritum, quod per hoc tempus acquirere potuiſſemus, nobis in nullam reditus ſpem interiit, & neſcimus, utrum aliud nobis futurum ſit tempus, quo ſalutem noſtram operari valeamus; unde inferendum eſt, quanti referat eodem bene uti, donec in noſtra ſitum eſt poteſtate.

Pars altera. Verum quiſnam hic bonus eſt uſus a nobis faciendus, & in quo neceſſario tempus impendendus eſt? Hoc difficile dictu eſt, cum enim nullus ſit inter Chriſtianos, qui neſciat, cur in mundo ipſe ſit, & proinde quanam in re totum vitæ ſuæ tempus debeat impendere, attamen cum nihil vulgo facilius oblivioni tradatur, ad memoriam revocandam ajo, Chriſtianum uti debere tempore ad eoſdem fines, propter quos Creator hoc illi conceſſit. 1. Liquet, nobis ideo conceſſum fuiſſe tempus, ut ſalutem noſtram operaremur; unde ſequitur omnia conſilia noſtra, conatus, actiones omnes, quæ ad finem hunc non referuntur, propter æternitatem inutiles eſſe, ideoque quodcumque facimus, niſi hoc animo facimus, tempus eſt pro nobis penitus amiſſum; ubi ſerio videre, & ad examen revocare poſſumus, qua in re tot vitæ noſtræ annos tranſegerimus, quid pro Deo, & cœlo fecerimus; quas virtutes fuerimus adepti, quænam bona opera exercuerimus. Heu! Quam pauca inveniemus a nobis pro ſalute noſtra facta, ideoque quam modicum temporis impenſum, uti eſt impendendum. 2. Hoc nobis perſuaſum eſſe debet, Deum, qui jure ſuo nobis futurum negare poterat tempus in pœnam præteriti, quod inutiliter paſſi ſumus, dies noſtros mera producere miſericordia, ac ſuæ bonitatis effectu, ut nobis præbeat tempus expiandi malum, quod tempore abutentes patravimus; ideoque tempus nobis eſſe conceſſum, ut præteriti pœnitentiam agamus: hic igitur uſus a nobis faciendus eſt ad ſalutis noſtræ negotium reparandum. 3. Quemadmodum æternam felicitatem, cui deſtinavit nos Deus, nonniſi per bona opera acquirimus; ea quippe merces eſt iſtis promiſſa; extra omnem dubitationis aleam ſitum eſt, merum eſſe bonitatis divinæ effectum, quod nobis concedantur eam promerendi tempus, gratiæ, & occaſiones. In hoc igitur tempus eſt impendendum; neque enim in hunc finem operari licet, niſi vitæ hujus tempore; quod ſi labi, ac fluere patimur, illud in omnem æter-

nita-

Digitized by Google

nitatem reparare non poſſumus. Dei vero erga nos liberalitas in hoc potiſſimum nitet, quod ſi temporis adeo pretioſi curam geſſerimus, ne unum quidem momentum nobis intereat; quia ne una quidem actio, quantumlibet humilis, & abjecta, in toto vitæ noſtræ decurſu erit, quam ſanctis intentionibus attollere nequeamus, & hoc pacto ſingulis momentis beatam hanc æternitatem acquirere.

II. De temporis jactura, quam homines flocci faciunt. 1. Jactura præteriti temporis a nobis ploranda eſt, nos illius deſiderio confici debemus reliquo vitæ ſpatio ſincera ducti pœnitentia, quia hac una ratione poteſt reparari. 2. Temporis jactura eos, qui nunc ejuſdem ſunt prodigi, in omnem æternitatem deſiderio, dolore, ac pœnitentia conficiet, ſed inutiliter, & ſine fructu.

III. De ejuſdem temporis jactura. 1. Temporis jactura præ cæteris nos minimo dolore conficit; arbitramur enim tempus nobis nunquam defuturum: quæ illuſio cauſa eſt, propter quam in dies differimus noſmet corrigere, convertere, vitæ rationem immutare, ac in iiſdem ſemper vitiis perſiſtimus. 2. Temporis jactura eſt omnium maxime nocua; etenim hoc pacto nihil propter animæ ſalutem operamur, neque ullum pro altera vita meritum acquirimus, & præterea per hanc omnium actionum noſtrarum inutilitatem amittimus omne jus ad beatam æternitatem, quæ illis tantum debetur, qui tempore bene uſi fuerint.

IV. 1. Præteritum tempus reparandum eſt; & ſi ſcire cupis quomodo: primo per ſincerum ejuſdem male impenſi deſiderium: hoc enim deſiderium, ſi verum eſt, facere nequit, quominus ex nobis pœnitentiam extorqueat: 2. per opera ſupererogationis. Non fecimus, quæ nobis erant facienda, & quæ tunc facere tenebamur. Meliuſne tempus hoc reparari poteſt, quam modo faciendo plus quam exigeretur a nobis, ſi bene tranſacto tempore uſi fuiſſemus? 3. ea, quæ facere tenemur majori cum fervore faciendo, atque majori cura, & ſollicitudine officia noſtra obeundo.

2. Opus eſt deinde futurum tempus bene inſtituere illud dividendo inter ea, quæ a nobis & Deo, & proximo, & nobiſmet ipſis præſtanda ſunt, tres has regulas ſervando; 1. nihil auferre temporis, quod Deo debemus: 2. non ita aliis tempus noſtrum impendere, quod nobiles viri faciunt, at non bonam ſervemus partem nobiſmet ipſis, ſalutique noſtræ vacaturi: 3. temporalibus, terreniſque negotiis noſtris illud tantum concedere tempus, quod neceſſarium eſt, non autem totum illis tribuere.

V. De futuri temporis uſu a nobis faciendo. 1. Propter præteritum; quod licet non ſit amplius in noſtra poteſtate poſitum, illud tamen redimere poſſumus, ac inde in futurum documenta percipere, & jacturam quam paſſi ſumus, reparare. 2. Propter præſens; inſumendum eſt in bono peragendo, & videndum, quid nobis deſit, & quid acquirere debeamus. 3. Propter futurum; illud prudenter prævidendum eſt, & utendum præcautione ad evitanda pericula in æternum pereundi.

VI. Tres hæ propoſitiones ſermonis partes poſſunt conſtituere.

Prima. Nihil nobis majori curæ eſſe debet, quam tempus: 1. nobis pretioſum eſſe debet æque, ac vita noſtra, cujus menſura eſt: 2. tanquam illud ſolum, quo permanente cœlum mereri poſſumus, & pro noſtra ſalute operari: 3. a nobis reſpiciendum eſt tanquam ſingulare beneficium miſericordiæ Dei, qui per hoc nobis viam aperit expiandi noſtra peccata, & cum divina majeſtate in gratiam redeundi (pœnitentia enim fieri non poteſt niſi vitæ tempore) ac præterea modum nova in ſingula momenta acquirendi merita, novaſque coronas ad Cœlum.

Secunda propoſitio. Nihil facilius amittitur, & nullius rei jactura, quam temporis, minori dolore nos afficit. 1. Amittitur nihil faciendo per criminoſam inertiam; 2. faciendo malum, ac majorem temporis partem in iniquitatibus, injuſtitiis, omnique vitiorum genere traducendo: 3. Nugis, inutilibuſque rebus vacando. 4. faciendo ea omnia, quæ facienda non ſunt &c.

Tertia. Nihil eſt, cujus jacturam majorem nobis afferre debeat dolorem, quam temporis. 1. Quia magna eſt per ſe; quia nos privat gratiis, & meritis, quæ poſſemus acquirere ſancte noſmet occupantes. 2. Irreparabilis eſt, quomodo; & in quo ſenſu. 3. Secum trahit æternam ſupremi boni jacturam efficiendo, ut beatam æternitatem amittamus.

VII. Quandoquidem inutile erit agnoſcere temporis utilitatem, cum illo carebimus, utamur eo, quod habemus, eo modo, ut ejuſdem, ubi præterierit, deſiderio conficiendi non ſimus. 1. Ad id conſideranda eſt præteritæ vitæ inutilitas; 2. vitæ præſentis brevitas; 3. vitæ futuræ incertitudo. *P. de la Rue in ſermonibus ſub ejus nomine impreſſis.*

VIII. 1. Ex omnibus mundi hujus bonis, tempus illud eſt, quod magis prodigimus, quamvis illud ſit, cujus diligentiſſimam habere curam referat noſtra. Impenditur ſolariis, terrenis negotiis, viſitationibus, inutilibuſque converſationibus &c. Et quantulum nobiſmet reſervemus, & impendamus unico negotio, pro quo ſumus in mundo? 2. Facile eſt tempore bene uti, cuilibet rei aſſignando ordinem, & neceſſarium diſtribuendo tempus triplici occupationum generi, quæ totam vitam partiuntur; illis videlicet, quæ ad vitæ ipſius neceſſitatem pertinent, puta victum, requiem, ſolatium &c., illis, quæ ad ſtatus noſtri officia publica, privataque negotia referuntur; ac tandem religionis officia. Tempus nequit melius inſumi, quam chriſtiano more hæc omnia munera obeundo.

IX. Vulgo dicitur, tempus præſtans eſſe magiſter, quo ad res agendas, ſed addo, ad ſalutem etiam operandam edocemur.

1. Præteritum nos docet, quanam in re defecerimus, ut noſmet corrigamus, & quod omiſerimus, ut vigilantiores efficiamur. 2. Præſens vero ſua pernicitate, ac brevitate docet, cogitationes iis eſſe rebus impendendas, quæ ſolidæ ſunt, certæ, ac æternæ.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, auctoreſque unde hauriri copia poteſt ad propoſita concionum argumenta exornanda.

S. Auguſtinus *lib. 11. Confeſſ. c. 14. & 15.* Philoſophice loquitur de natura temporis, ac par- Sancti Patres.
tium ejus, & conatur id exprimere, quod de illa concipit.

Idem *l. 11. de civit. cap. 6.* docet, quodnam ſit diſcrimen tempus inter, atque æternitatem.

Idem *in Pſal. 38.* docet, quam inconſtans ſit tempus, ac nunquam idem.

Idem *l. 50. Homil. Homil. 1. & 10.* explicat; quid ſit tempus redimere.

Idem *de verbis Apoſt. ſerm. 26.* docet, quo pacto redimendum ſit tempus.

S. Hieronymus *in Epiſtola ad Galatas* fuſius loquitur de bono temporis uſu faciendo.

Idem in Apoſtoli verba: *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*, docet, quomodo redimi poſſit.

S. Baſilius *in lib. moral. Sentent.* docet, poſt hanc vitam nullum fore tempus, quo bonæ actiones fieri poſſint, & pro præterito ſatisfieri.

S. Bernardus *Serm. de Tripl. cuſtod.* deplorat cæcitatem illorum, qui flocci faciunt unius horæ jacturam.

P. Haineuve parte ſecunda Ordinis ſerm. 6. Aſcetici aliique.
ſect. 5.

P. Chahu in libro cui titulus: *Scientia ſalutis*: in tractatu de boni perquiſitione art. 14. loquitur de vitæ hujus brevitate, & modico tempore, quo paſſuri ſumus.

P. Croiſet tomo 2, receſſuum pro die una in ſingulis menſibus.

Raynerius de Piſis, titulo *Tempus*.

Drexellius in *Aurifodina*.

P. Ludovicus Franciſcus de Argentano ex Capuccinorum familia, in libro, cui titulus; *Collationes Theologicæ de magnalibus Dei*, collatione 11. ubi agit de æternitate Dei, & ubi arripit occaſionem loquendi de tempore.

Liber cui titulus; *Vita bene inſtituta in mundo*, ubi in peculiari capite ſermo eſt de temporis pernicitate, & uſu, in quem a pleriſque impenditur.

P. Nepvea in libro, qui inſcribitur: *Præparatio ad mortem*, ſeptima veritate, ubi oſtendit nihil tempore vilius, ſimulque nihil eodem pretioſius ratione rerum terrenarum.

Idem in chriſtianis conſiderationibus pro ſingulis annis diebus tomo 3. & 4.

Petrarcha eximium habet dialogum de tempore, & æternitate.

Seneca pluribus in epiſtolis plurima, eaque præſtantiſſime dicit de tempore, quibus & ipſi Concionatores uti non dedignantur.

Concionatores recentiores. P. Delingendes in Quadrageſimo ſermone pro feria tertia in majoris hebdomadæ pulcherrimas, ſolidiſſimaſque habet conſiderationes de tempore præterito, præſenti, atque futuro.

Matthias Faber in feſtum S. Catherinæ diem ſermone ſexto per totum agit de tempore, & bono illius uſu.

Biroat inter quoſdam ſermones, quos in anni Dominicas edidit, unum habet de tempore.

P. Le Jeune ſermone 44. de bono temporis uſu,

Abbas de Montmorel in Homilia pro die Circumciſionis.

P. de la Rue in ſermonibus, qui ſub ejus nomine circumferuntur, duos habet hujus argumenti.

P. Grizel in Adventu, qui inſcribitur *Balthazar*, ſermone duodecimo loquitur de vitæ noſtræ brevitate, ac temporis pernicitate.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta ſermone pro feria 3. poſt 5. Quadrag. Domin. docet, tempus eſſe vitæ noſtræ menſuram, & quodammodo menſuram noſtræ æternitatis; ubi plures habet conſiderationes.

Ii omnes, qui de otio, & labore verba fecerunt, de tempore quoque locuti ſunt, eoſque in titulo de Otio memoravimus.

Qui collectanea ediderunt.
Buſæus } Titulo Otium.
Granatenſis }
Labatha Titulo *Tempus*, & *Otium*,
Lohner } Titulo *Tempus*.
Polianthea Sacra }

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

HOmo natus de muliere, brevi vivens tempore. Jobi 14.

Breves dies hominis ſunt. Ibidem.

Dies mei velociores curſore. Jobi 9.

Menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeravi mihi. Jobi 7.

Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præteriit, & cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Pſalm. 89.

Omnes dies noſtri defecerunt. Ibidem.

Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos. Pſal. 38.

Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies ejus ſicut umbra prætereunt. Pſalm. 143.

Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Pſalm. 54.

Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperventura pariat dies. Proverb. 27.

Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cœlo. Ecclef. 3.

Conſummatus in brevi explevit tempora multa. Sapient. 4.

Senectus venerabilis eſt, non diuturna; neque annorum numero computata. Ibidem.

Cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Ibidem.

Pertranſierunt (dies mei) quaſi naves poma portantes, ſicut aquila volans ad eſcam. Jobi 9.

Omni negotio tempus eſt, & opportunitas. Eccle. 8.

Umbræ tranſitus eſt tempus noſtrum. Sapient. 2.

Neſcit homo quod tempus præteriet, & mors appropinquet. Eccli. 11.

Non defrauderis a die bono, & particula boni doni non te prætereat. Eccli. 14.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Iſaiæ 38.

Vocabit adverſum me tempus. Thren. 1.

Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. Joann. 12.

Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Act. 1.

Tempus breve eſt: reliquum eſt, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. 1. ad Cor. 7.

Hoc ſcientes tempus: quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Ad Rom. 13.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. 2. ad Corinth. 6.

Dum tempus habemus, operemur bonum. Ad Galat. 6.

Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Ad Epheſ. 5.

Sufficit præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam. 1. Petri. 4.

Juravit per Deum viventem, quia tempus non erit amplius. Apocal. 10.

Per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Luc. 5.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſumpta.

NEmo unus neſcit futurum fuiſſe, ut, ſi primus homo in innocentiæ ſtatu permanſiſſet, in quo Deus illum creaverat, nequaquam legi mortis ſubjiceretur: *Deus creavit hominem inexterminabilem*. Sap. 2. Non quod illi propter naturæ conditionem deberetur, ſed ex privilegio, ſingularique beneficio bonitatis Domini, ut loquitur S. Auguſtinus. Ille cum tota poſteritate ſua in peccati pœnam hoc bono privatus fuit; & ſtatim Deus terminos conſtituit tempori vitæ ipſius, ac dierum multitudini. Itaque cum per peccatum mors ſit ingreſſa in mundum, S. Paulus inquit, ita propter primum illud peccatum numerus annorum vitæ numeratus, & conſtitutus fuit a Providentia, ita ut homini mortali integrum nequaquam ſit temporis hujus cancellos prætergredi: *Breves dies hominis ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt, conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*. Job. 14.

Primus homo immortalitate privatus fuit propter peccatum; & tempori vitæ illius termini conſtituti ſunt.

Homines primis temporibus hac in re nobis præſtiterunt, quod illi diutius vivebant, & vulgo octingentos, nongentoſque vitæ numerabant annos; cum hodierna die pauci ſint, qui ſæculum numerare poſſint. S. Hieronymus Ep. 21. ait, hominum peccata magnam illam hominum vitam ad paucos annos redegiſſe: *Humanæ vitæ brevitas damnatio delictorum eſt*. Ita videmus Deum poſt diluvium tempus illud ultra dimidium imminuiſſe; cumque ſæculorum decurſu idololatria in omnes ferme nationes ſeſe late effudiſſet, Deus quoque temporis hujus menſuram ita imminuit, ut dubitandi locus non adſit, quominus peccata hodierna quoque die imminuant eorum dierum, quibus poſſemus vivere, ſpatium: *Quod labentia in vitium ſæcula teſtantur*, ſanctus hic Doctor inquit.

Ratio, propter quam primis ſæculis homines diutius, quam hodierna die viverent.

Scriptura hominum ætatem ex meritis tantum, boniſque actionibus numerare videtur, & dividit tem-

Sancti exemplum oſtendit in Scriptura ætatem ex meritis, ac virtutibus tantum numerari.

temporis amiſſi, vel in criminibus inſumpti, quaſi abraſum, deletumque eſſet, vel quaſi nunquam fuiſſet: hinc puerum vocat eum, qui centeſimum jam natus annum ſenex erat capularis: *Puer centum annorum*. Qui enim male vixerunt, tanto annorum numero nil ſenectutis habent præter rugas, & infirmitates. Si profanus hiſtoricus regni Saul hiſtoriam ſcripſiſſet, nequaquam præteriiſſet illum annos quadraginta in Judæa regnaſſe; annos enim ex ſolo Solis ambitu numerans inveniſſet, illum tandiu regni habenas obtinuiſſe; at Spiritus ſanctus alia utitur regula, & menſura, nempe virtutum; voluitque duos tantum numerari regni ejuſdem annos, quia ille ſancte, ac ut bonum decet virum, biennio tantummodo vixerat.

Exemplum Job oſtendit Deum ſæpe bonis vitam producere.

Eliphaz unus ex amicis Job ſancto huic viro prædixit futurum, ut ille extrema ſenectute confectus ad plures abiret, dicens, illum tumulandum eſſe plenum dierum, meritiſque repletum, quemadmodum triticum, quod tempore ſuo metitur. *Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo*; Job. 5. Hæc procul dubio imago eſt beatæ juſtorum mortis, quibus vita in bonorum operum præmium producitur; videlicet, juxta Sanctorum Patrum interpretationem, Job, qui princeps erat juſtus, & inſignis Dei famulus, quo nomine in Scripturis vocatur, in ſepulchrum eſſe inferendum veluti ſegetes, quæ non ſucciduntur, cum adhuc herbeſcunt, ſed cum maturuerunt; quod innuebat, principem hunc tanta virtute præditum, Deoque adeo charum nequaquam præcoci morte ablatum iri; ſed tunc humanis deceſſurum, cum id opoſceret natura. Et profecto ſcriptum eſt, illum plures annos vixiſſe, & ut loquitur Scriptura, jam plenum dierum obiiſſe; cum e contra idem Eliphaz de impio principe verba faciens inquit Job. 15. illum, *antequam dies ejus impleantur*, periturum.

Funeſta mors Balthazar oſtendit Deum imminuere dies impiorum.

Sententia mortis contra Balthazar lata, & in aulæ pariete deſcripta continebat imminutionem dierum, quibus ille victurus, & regnaturus erat, in ſcelerum ſuorum pœnam: *Numeratum eſt, appenſum eſt*, Dan. 5. Exemplum, quod oſtendit propter quædam ſcelera a quibuſdam patrata, Deum vitam eorum breviorem facere, ac mortis horam prævertere, quin ullam habeat rationem generis, fortunæ, aut dignitatis. Exemplum, quo probatur id, quod regius Propheta multo ante dixerat: *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*: Pſal. 54. Exemplum denique, quo principes omnes admonendi ſunt, illos non ſemper futuros parvulos ſuper terram, & ſi modo ſua poteſtate abutuntur, Deum in illos uſurum ſua, illos ex hac vita ante tempus exturbando.

Exemplum Sedeciæ idem oſtendit.

Hoc ipſum præterpropter de Sedecia rege legimus, qui fuit unus ex nequioribus principibus, qui populo Dei præfuerint. Ezechiel propheta nuntiavit illi mortis ejuſdem horam jam adveniſſe, & addidit iniquitatem, & impietatem ipſius in cauſa fuiſſe, ut imminueretur numerus dierum ejus, & ſententia in eum proferretur. *Impie dux Iſrael, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita*. Ezechiel 21. Impie rex, acceſſit jam dies mortis tuæ, quam iniquitates, quibus cumulum addidiſti, maturarunt.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Explicantur hæc S. Pauli verba, dies mali ſunt.

R*Edimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*. Epheſ. 5. Cum taſtetur Apoſtolus, dies eſſe malos, nequaquam exiſtimes, illum innuere velle, dies hoſce per ſe malos eſſe; noverat enim Deum eſſe temporum omnium auctorem, ſeu conſideremus tempus tanquam durationem motus, ſeu tanquam menſuram eamdem motus Solis. S. Paulus neque dicere, neque credere poteſat, tempus per ſe malum eſſe, quia Deus nihil fecit, nihilque facere poteſt non optimum. S. Auguſtinus Serm. 24. de verbis Apoſt. ait dies malos fieri hominum miſeria, & nequitia: *Dies malos duæ res faciunt, miſeria hominum, & malitia*. Nos malos eſſe dies dicimus propter annonæ charitatem, propter morbos, vel bella; æger eos dies, quibus febri laborat, malos appellat, & viator imbribus fatigatus, malum eſſe tempus dolet. Sed malos hoſce dies, & mala tempora optima facere per patientiam, aliaſque virtutes noſtrum eſt; hæc tempora ipſa, dummodo illis bene utamur, nobis ad beatam æternitatem promerendam eſſe poſſunt utilia. Nequitia mortalium dies duplici pacto malos efficit; mali ſunt, ſi illos impendimus ea facientes, quæ a nobis facienda non ſunt; mali ſunt, niſi impendimus illos ea facientes, quæ ſunt facienda; utrobique nobis pereunt dies, & ad hæc ſiunt noſtri interitus cauſa; & hoc in ſenſu jubet Apoſtolus eos redimi a nobis, hoc eſt præteriti temporis jacturam bono illius, quod ſupereſt, uſu reparari.

Futurum nobis longum videtur, ubi vero præteritum eſt breve.

Mille anni tanquam dies heſterna, quæ præteriit. Pſal. 89. David mirum in modum ſuos de temporis brevitate ſenſus explicat. Mille anni, inquit ille, ubi præteriere, videntur non diu permanſiſſe, quam heſterna dies recens elapſa: *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*. Ita omnes vitæ noſtræ anni, quantumvis diuturna illa ſit, cum elapſi fuerint, nobis erunt, quaſi non fuiſſent. Itaque cum ad vitæ finem pervenerimus, atque oculos in totum annorum noſtrorum ſpatium rejiciemus, o quam breve nobis videbitur, quod nunc fortaſſe ſatis diuturnum videtur, quia illius finem minime conſpicimus! Et ratio conſtat: cum enim tempus elapſum eſt, illud ſimul totum videmus, initium, & finem, atque ſimplici intuitu duo hæc extrema conjungentes, non metimur intervallum illud, quod inter utrumque intercedit. Cum vero futurum conſideramus, annos ſibi ſuccedentes ſigillatim conſideramus, quin eorum finem videamus.

Hominis vita umbræ comparata.

Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies ejus ſicut umbra prætereunt. Pſal. 143. Vix magis idoneam, ac naturalem invenies ſimilitudinem ad indigitandam brevem vitæ noſtræ durationem, & vanitatem omnium bonorum, quæ illius commoda, ac delicias efformant. Umbra ſtatim ac lux accedit, diſſipatur, & evaneſcit; umbra ſequitur, & æquat motum corporis, quod ambulat, vel quod ſumma fertur pernicitate. Ita hominis vita eadem defluit celeritate, qua moventur ſydera, quæ efficiunt menſuram durationis dierum. Præterea vitæ dies ſicut umbra prætereunt, quæ nullum poſt ſe veſtigium relinquit in loco, per quem tranſiit: ſimiliter poſt vitæ finem nihil reliquum eſt homini ex omnibus conſiliis, quibus occupatus fuit; opes, dignitates, voluptates illius velut umbra prætereunt. Hoc teſtimonium in Sapientiæ libro perhibetur ab illis, qui hujus vitæ deliciis magis adhæſerunt, vel diutius gaviſi ſunt: *Tranſierunt omnia illa, tanquam umbra*. Nihil remanet præter pœnitentiam, quod tantum temporis inſumptum fuerit, quod tot exantlati fuerint labores propter ea, quæ adeo celeriter lapſa ſunt. Oportebat, ne nos pro bonis adeo fragilibus, fluxiſque adeo torqueri? Oportebat, ne nos tot laboribus confici, ut adeo modicum fructum perciperemus? Quam inſipientes fuimus gaudium, atque lætitiam noſtram iis in rebus conſtruentes, quæ cum vita relinquenda fuere!

Hoc maximum eſt opus ſapientiæ noſſe bene impendere tempus.

Videte quomodo caute ambuletis non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus. Ad Epheſ. 5. Ex his verbis ſecundum S. Pauli ſenſum videmus, inſipientes ſolos eſſe, qui de temporis jactura adeo parum ſolliciti ſunt; ſed eos, quibus majus judicium eſt, & qui ſunt ſapientiores, illius diligentius curam gerere. Et profecto nonne hoc graviſſimæ dementiæ argumentum eſt, hominem, qui hinc quidem ex fide ſcit minimum gloriæ gradum ſuperare, quidquid magni mens noſtra concipere poteſt, & qui alioquin certus eſt, nullum eſſe vitæ momentum, quo tantum lucrum facere nequeat, tamen tot præ-

claras

claras occaſiones contemnere, quibus fieri poteſt in omnem æternitatem dives, beatus, atque contentus, eo quod animum adjicere nequeat vel curæ, laborique perferendo, vel officio ſuo perfungendo, vel bona opera faciendo. O bone Deus! curnam ita tempus illud prodigimus, quo tanta acquirere poſſumus bona? cur tot merendi occaſiones nobis elabi ſinimus?

Præteritum tempus comparatur ſomno.

Dormierunt ſomnum viri divitiarum, & nihil invenerunt in manibus ſuis. Pſalm. 75. Non injuria regius Propheta præteritum tempus ſomno comparat, cum ait, divites obdormiſſe, ac tempus rapidi torrentis inſtar illis omnia abſtuliſſe bona, quæ ſe invenire putabant. Nam quamvis tempus ſolum bonum noſtrum eſſe videatur, hoc tamen cætera nobis eripit bona. 1. Nobis objecti illecebram adfert. 2. Ipſum nobis aufert objectum. Res deſinit eſſe jucunda; mox omnino eſſe deſinit, ac tandem in memoria quoque deſinit eſſe. Quod in his objectis nobis jucundiſſimum eſt, & quod in illis nos ſuaviſſime allicit, id etiam eſt, quod in ipſis eſt magis fluxum, & fragile. Voluptas eſſe ceſſat fere ſtatim, ac eſſe incipit, paulo poſt nil penitus eſt; & ſi illius memoria reſtat adhuc, quomodonam reſtat?

Futurum tempus incertum eſt, nobiſque omni no ignotum.

Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Act. 1. Fidendum non eſt tempori, quod incertum eſt, & quod cognoſcere noſtrum non eſt, dicebat Diſcipulis ſuis JESUS CHRISTUS. Craſtina dies ita parum pendet a me, ſicut dies nativitatis meæ. In mundum veni, ubi voluit Deus, nemo id noverat; inde egrediar, cum ille voluerit, nemo id novit; dies hæc in Dei mente præfinita eſt, ſed mihi eſt incerta. Mihi moriendum eſt, hæc certiſſima eſt ſententia; quandonam moriturus ſim, hoc ſcire nequeo. Ex eo autem, quod fortuitum eſt, legem ſibi facere, in eo, quod eſſe poteſt omnem æternæ fortunæ rationem conſtituere, hoc ſane eſt rationem, ſenſumque omnem amiſiſſe. Hoc nihilominus homines faciunt. Ibo, faciam, negotiabor, ædificabo; tota vita circa hæc conſilia verſitur, ac ſemper ſine ratione ulla præclara futuræ vitæ proponitur idea, & quod acerbiſſimum eſt, hoc paſſim etiam tunc accidit, cum agitur de ſalute. Cum me hujus mundi fuerit pertæſum, cum ætas provectior mihi vitæ voluptates interdixerit, tunc, inquiunt, agam pœnitentiam; ſed nunc agere pœnitentiam, id ne cogito quidem.

Ad vitæ noſtræ finem nullum pro nobis erit ultra tempus.

Juravit per Deum viventem, quia tempus non erit amplius. Apoc. 10. Quis dolor erit in morte videre Angelum Apocalypſeos altero quidem pede telluri, altero vero mari innixum per viventem Deum jurare, tempus ultra futurum non eſſe: *Et tempus non erit amplius.* Hoc accidet aliquando. O cogitationem miſeram! Quid? Nullum mihi amplius futurum eſt tempus? ad hanc fatalem æternitatis horam acceſſi, neque inde recedere licet! Quadraginta, & quinquaginta annos vixi; quantum præteriti, amiſſique temporis! Et ex toto hoc tempore nihil mihi ſupereſt. Abuſus ſum omnibus his momentis, & nihilominus nihil reparavi, nihil mihi reſervavi, nihil didici! Deo ſatisfacere deberem propter nefariam hanc negligentiam, nec mihi aliquod temporis ſpatium ſupereſt! Horrentem video æternitatem, quæ ſeſe mihi offert, & quæ mihi omnes objicit pœnas, quas impœnitentibus peccatoribus præparat; ſed hæc æternitas non eſt tempus aptum, quo debita noſtra diſſolvere poſſimus, ſed tempus eſt, quo pœna luitur temporis præteriti, quo ſumus abuſi.

In hac vita operandum eſt, deinde enim ſequetur nox, qua nihil licebit operari.

Venit nox, quando nemo poteſt operari. Joann. 9. Si tempus, quo nobis vivendum eſt, eſſet durationis immenſæ, ſinere fortaſſe liceret, ut aliqua ejus pars nobis otiantibus effluеret; ſed nimis celeriter pervolat, & alioquin poſt hoc tempus adeo fluxum, nullum amplius remanebit. *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Conſideratio hæc magnam efficere debet in mentibus, cordibuſque noſtris impreſſionem. Nam præterquamquod Dominus iis utitur verbis, quæ terrorem debent incutere; Angelus in Apocalypſi jubetur in ſæculorum fine annunciare, tempus ultra non futurum, ac per eum, qui univerſum terrarum orbem creavit, & in ſæcula ſæculorum vivit, jurare, non amplius ullum temporis ſpatium ſuperfuturum. Feſtinemus igitur, S. Hieronymus inquit, operari, donec dies eſt; a Deo gratiam petamus, donec miſericordiæ janua patet, æternaque mala prævertere poſſumus. Si animæ, quæ in cœlo ſunt, ubi bonarum actionum ſuarum mercedem recipiunt, & ubi laborum ſuorum fructu perfruuntur, aliquod fovere poſſent deſiderium, vellent, credo, majora pertuliſſe; & ſi felicitatis eorum ſtatus pateretur, pœnitentia conficerentur, eo quod pro Deo majora operatæ non fuerint: ſed *venit nox, quando nemo poteſt operari.*

Comparantes inutilibus exercentur laboribus noctu operantes.

Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Luc. 5. Quamvis in evangelio vitæ tempus vocetur dies labori deſtinatus, nox vero tempus quietis, quo tenebræ nos operari non ſinunt; tamen dicere poſſumus, plures, ſecundum hæc S. Lucæ verba, diem in noctem convertere; quia laborem ſuum inutilem faciunt, vel nonniſi opera tenebrarum operantur; vel ſaltem totum tempus amittunt, quia propter cœlum, atque æternitatem non operantur: ita ut ad vitæ ſuæ finem dicere poſſint, *per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Operati ſunt in ſtatu peccati, quod eſt tempus noctis; & addere poſſumus, illos non ſolum nihil lucratos eſſe, ſed plus amiſiſſe, quam ſi omnes ſimul mundi reges coronas, regnaque ſua perdidiſſent. Amiſerunt tempus, cum tempore vero quam jacturam paſſi non ſunt? Hoc tunc tandem intelligent, cum illius reparandi tempus non erit amplius.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum, aliorumque hujus argumenti.

QUid ergo eſt tempus? Si nemo ex me quærat, ſcio: ſi explicare velim quærenti, neſcio. Auguſtin. l. 11. Confeſſ. c. 1.

Deputentur tempora, deputentur horæ pro ſalute animæ. Idem, l. 6. Confeſſ. c. 11.

Exardeſcit animus ſcire implicatiſſimum ænigma. Idem, l. 1. Confeſſ. c. 22.

Inter æternum, & tempus, hoc diſtat; quia iſtud ſtabile eſt, tempus autem mutabile. Idem, l. 83. Quæſt. quæſt. 72.

Momentis tranſvolantibus cuncta rapiuntur, torrens rerum fluit. Idem, in Pſalm. 38.

Omnis ſpes, quæ tempori committitur, incerta eſt, quia tempus incertum eſt. Idem.

Modo dicamus fructuoſe, tranſeunt, (bona temporalia) ne tunc dicamus infructuoſe, tranſierunt. Idem.

Anni noſtri non veniunt, ut ſtent nobiſcum; ſed cum tranſeunt per nos, terunt nos. Idem, de verbis Domini.

Ne dicas, priora tempora meliora fuere, quam nunc ſunt, virtutes faciunt dies bonos, vitia malos. Hieronym. in cap. 4. Eccl.

Æternitati comparata brevis eſt omnium temporum longitudo. Idem, Epiſt. 139.

Tempus ſementis tempus eſt præſens, & vita quam currimus: in hac licet nobis quod volumus ſeminare; cum iſta vita tranſierit, operandi tempus aufertur. Idem, l. 3. comment.

Una hora totius vitæ portio eſt. Ambroſ. 3. Epiſtol. Epiſtol. 25.

Illo ſolo tempore nos vixiſſe gaudemus, quo innocenter & humiliter vivimus. Gregor. l. 5. lib. 1. in Reg. cap. 13.

Tempus redimimus, quando anteactam vitam, quam laſciviendo perdidimus, flendo reparamus. Idem, l. 5. Moral.

Vir

Vir bene Deo ſubditus ſcit inter tranſeuntia ſtare, ſcit inter lapſus decurrentium temporum mentis greſſum figere. Idem, l. 32.

Nihil pretioſius tempore; at heu! nihil hodie vilius reputatur. S. Bernardus ad Schol.

Tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat. Idem ibidem.

Nemo ſibi perire diem nunquam rediturum cauſaverit. Idem, ibidem.

Nemo veſtrum parvi æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis. Idem, ibidem.

Volat tempus irrevocabile, nec advertit inſipiens quid amittat. Idem, ibidem.

De mea miſera vita ſume, obſecro, reſiduum annorum meorum; pro iis vero, quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum & humiliatum ne deſpicias. Idem, Serm. 20. in Cant.

Tempus tantum valet quantum Deus; quippe in tempore bene conſumpto comparatur Deus. S. Bernardin. in quodam Sermone.

Omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidiſſe; omnis ſiquidem res aliena eſt a nobis, tempus autem tantum noſtrum eſt. Bernard. lib. Medit. c. 6.

Exiguum temporis perituri æternitatis eſt pretium. Hieronym. Epiſt. 6. ad Cypr.

Nulla jactura gravior eſt nobis, quam jactura temporis perditi. S. Bonaventura, Sermon. 37. in Septuag.

Melior eſt ſenectus morum quam annorum, meritorum quam temporum; perfecta eſt ætas, ubi perfecta virtus eſt. Hugo a S. Victore.

Quis mente aſſequatur, quam pretioſum ſit tempus? Norunt qui amiſerunt; ii enim grato animo erogarent opes, honores, delicias, & quidquid eſt voluptatis pro una horula. S. Laurentius Juſtinian. de vita ſolitar. cap. 10.

Non tam benignum ac liberale natura nobis tempus dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere. Senec. Epiſtol. 118.

Magna pars temporis elabitur nihil agentibus, maxima male agentibus, tota aliud agentibus. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ, & Philoſophiæ fontibus hoc in argumento poſſit depromi.

Quam pretioſum ſit tempus, & quid ſit.

NIhil tempore pretioſius eſt; quippe ne unum quidem momentum eſt, quod non valeat æternitatem, & beata æternitas eſt fructus gratiarum, quæ in tempore tantum conferuntur. Infinita hæc bonitas, hæc inæſtimabilis gloria, qua Beati fruuntur, hæc omnia merces eſt temporis bene inſumpti. Hoc nos docet Theologia. Quod autem ſpectat ad naturam temporis, & partes, quibus conſtat, non recedendum eſt a communi definitione, quam tradit Philoſophia: videlicet hanc eſſe menſuram motus, vel curſus Solis, vel alterius cujuſpiam ſyderis, qui per intervalla quædam rei cujuslibet durationem metitur. Hoc totum eſt illud, quod docent, qui diligentius naturam ſcrutati ſunt; & hoc ipſum non caret obſcuritate, eo uſque ut S. Auguſtinus, qui æquiorem, magiſque perſpicuam nobis tradere notionem temporis adniſus eſt, inquiat ſe ſcire, quid eſt, dummodo non interrogetur, quid ſit; ſed ſtatim ac id conatur exprimere, jam neſcire amplius, quid ſit, ſed hoc ſciendi ſe ſumma flagrare cupiditate. *Exardeſcit animus ſcire implicatiſſimum ænigma.* Quamobrem Philoſophis curam relinquamus definitionem hanc evolvendi.

Temporis diviſio in præteritum, præſens, & futurum.

Tempus dividitur in præteritum, præſens, & futurum; ſed ex triplici hac temporis differentia præſens tantummodo noſtrum eſt, & in noſtra poteſtate. Præteritum jam non eſt, & ex quo præterit jam aliquo modo annihilatum eſt, nequit amplius eſſe, nec erit unquam. Quid autem eſt præſens hoc tempus, quo fruimur, & quod ſolum in noſtra poteſtate ſitum eſt? Eſt, Philoſophus inquit, momentum prætereffluens, quod nec partes habet, nec dividi poteſt. A Boethio dicitur, *Tempus fluens, tempus currens*, & quod nulla unquam pernicitas æquare poteſt; & Sapiens Pariſienſis Epiſcopus addit, illud avolare, & tanta, ac tam præcipiti celeritate labi, ut illud morari in hominum poteſtate non ſit. *Irretenibiliter fluens*; adſectans barbarum hoc nomen ad exprimendam temporis fugam, quod non eſt amplius idem, tunc etiam cum hoc temporis nomen profertur, vel illud concipere cupis. De futuro autem nobis diſponere non licet; immo neque ſcire poſſumus, utrum pro nobis ullum futurum ſit.

Chriſtianæ conſiderationes de præterito.

Circa præteritum plures fieri poſſunt conſiderationes, quæ nobis, & pro præſenti, & pro futuro magnæ eſſe poſſunt utilitatis. 1. Ita præterit, ut neque in Dei ipſius poteſtate ſit efficere, quod minime fuerit; unde inferendum eſt, ſi quæ ipſi crimina commiſimus, quanquam illa per pœnitentiam expiavimus, ſemper verum fore dicere, illa a nobis fuiſſe patrata, nos Deo infideles fuiſſe, odium illius nobis conflaſſe, extremumque ſupplicium promeruiſſe. Dimitti quidem peccatum poteſt; ſed fieri non poteſt, quod patratum non fuerit; & hoc æternum nobis eſſe debet argumentum dolendi, ac Dei miſericordiam implorandi. 2. Altera conſideratio, ex D. Bernardo, eſt, licet tempus præterierit, & actio eo tempore facta cum tempore ipſo exceſſerit, adhuc tamen illam in Dei mente ſubſiſtere propter pœnam, vel præmium, quod illi debetur; quamobrem Pater hic inquit, ita præterit, ut non prætereat: *Tranſierunt a manu, ſed non a mente*. 3. Tertia conſideratio a nobis facienda eſt, quale fuit præteritum bene, vel ſecus impenſum, tale in omnem æternitatem permanſurum; tempus amiſſum, vel inutiliter impenſum in æternum erit amiſſum, & nullam unquam illius mercedem nos recepturos. 4. Præteritum tempus, ubi ſemel perperam inſumptum fuerit, propria reparari non poſſe; ad illud enim reparandum, alio opus eſſet tempore, quod illius locum teneret, & adnumeraretur ea in menſura, quæ nobis tradita fuit: nam nobis male inſumptum reparantibus jam non fieret id, quod eo faciendum eſſet tempore, quo reparamus amiſſum; & rurſus aliud requireretur temporis ſpatium, quo hoc præſens redimeretur; vel duo ſimul tempora eſſent ſimul compenetranda, quod omnino fieri non poteſt.

Chriſtianæ conſiderationes de præſenti.

1. Tales ſumus coram Deo, quales præſenti tempore ſumus; non autem tales, quales eramus tempore elapſo, niſi in eo ſtatu perſtitimus, in quo eramus. Ita quantumvis ſancti, perfectique tunc eſſemus, niſi tales ſumus hoc temporis momento, vel ſi mutati ſumus, Deus nos tales conſiderat, quales hic, & nunc intuetur. Quamobrem noſtrum eſt conſcientiam excutere, ac videre, utrum tales ſimus, quales eſſe vellemus, ſi nos hoc momento vocaret ad tribunal ipſius prodituros. 2. Sæpe animo recogitandum eſt, tempus præſens, quod adeo rapidum eſt, & quod nonniſi in ſingula momenta nobis tribuitur, ſolum tamen eſſe quod habemus, ut operemur, ut merita acquiramus, ut agamus pœnitentiam, denique ut ſalutem noſtram faciamus. Etenim ut ad eam animum advertamus, atque illi conſulamus, futurum expectare tempus, quod in noſtra poteſtate non eſt, & quod fortaſſe nunquam erit, hæc inſaniſſima temeritas eſt, quæ in Chriſtiano poſſit reperiri. 3. Quemadmodum in omnibus hujus mundi negotiis aliquod tempus eſt, quo facilius fluere poſſint ex ſententia, & quod nos acceptabile, & propitium vocamus, quod ſemel elapſum, periculum eſt ne revertatur uſquam; ita præſens tempus, Apoſtolus inquit, tempus eſt ſaluti noſtræ opportunum, non autem futurum, in quo confidendum non eſt: *Nunc ſunt dies ſalutis, nunc eſt tempus acceptabile*. 2. ad Corinth. 6.

Tem-

Chriſtianæ conſiderationes de futuro.

Tempus quoque futurum eſt utiliam conſiderationum argumentum. 1. De hujus temporis incertitudine; quis enim ſcire poteſt, utrum futurum ſit; vel quiſnam illud ſibi poteſt polliceri? Cum in Dei poteſtate ſit illud, prout ipſi placuerit brevius, aut longius facere, quin integrum alicui ſit illi unum addicere, vel auferre momentum. Quot homines morte ne cogitantes quidem intercipiuntur, tunc etiam cum ſibi longos vitæ annos pollicentur? 2. Licet etiam nobiſmet polliceri poſſemus aliquod temporis ſpatium, aliquibus acti ſignis, vel ſpecie, quæ nobis hanc ſpem facere poſſet, nequaquam cognoſcere poſſumus, quodnam futurum ſit hoc tempus, utrum conſiliis noſtris aptum, necne; quonam tunc animo futuri ſimus; quinam tunc nobis erunt ſuperandi inimici; quinam obices infringendi. Hæc omnia in hujus temporis incertitudine continentur. 3. Hoc etiam poſito, quod futurum tempus nobis defuturum non ſit; cum tot nobis ſint facienda, corrigenda, providenda, acquirenda, ſi incipere differimus, ſatin temporis habituri ſumus, quo omnia faciamus? 4. Quamvis reliqua ſint incerta, quippe a tempore pendent, cujus ſolam novimus incertitudinem; tria nihilominus ſunt, quæ certiſſime evenient, & de quibus ambigere nefas eſt, quæque evitare non poſſumus; mortem videlicet, quæ certa eſt, quamvis incertum ſit tempus, quo eſt eventura, & Deus nos illud celaverit, ut ſemper paratos haberet: *Latet ultimus dies, ut obſervetur omnis dies*. Non judicium particulare, & generale, in quod omnes prodituri ſumus aliquando: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hæc autem judicium*. Ad Hebr. 9. Denique beata, vel miſera æternitas, prout bene, vel male vixerimus. Hæc ſunt de futuro tempore a nobis conſideranda.

Quid ſit redimere tempus, quod ſuadet Apoſtolus, & quomodo ſit redimendum.

Cum S. Paulus ſaluberrimum hoc Epheſiis, ac in eorum perſona Chriſtianis omnibus monitum præbeat, tempus videlicet redimendi, cumque in hoc ipſum ſapientiæ caput conſtituere videatur, operæ pretium eſt ſcire, quid ad id ſit agendum, & quid his verbis Apoſtolus ſibi velit. Tempus redimere, S. Anſelmus ait, eſt reparare tempus male impenſum, & annos malæ vitæ per ſanctam pœnitentiam redeuntes in viam, a qua receſſeramus. Meretur peccator, ut Deus vitæ ipſius annos imminuat, quemadmodum per Prophetam veritas ipſa teſtatur. Qui autem bene vivunt, redimunt hoc tempus: merentur enim, ut Deus, quin vitam eorum intercidat, ſinat immo eos vivere totum illud tempus, quo naturaliter illis vivendum eſſet, ac ſæpe in virtutum præmium dies illorum producat. Vel, ut explicat S. Auguſtinus; tempus redimere eſt, ſanctis ſeſe occupare exercitiis, ac Deo tempus illud impendere, quod in ſæcularibus negotiis tranſmittendum fuiſſet: ita alterum datur, ut alterum obtineatur, quemadmodum numeratur pecunia, ut aliquod, quod opus eſt, comparetur. Vel, uti S. Hieronymus inquit, eſt tempus impendere in bonis operibus ad redimendam beatam æternitatem, cujus fecimus jacturam. Tempus, ut ita dicam, captivum eſt, cum eodem in malefactis abutimur; ſed in libertatem vindicatur, atque redimitur, cum in bonis, ſanctiſque actionibus impenditur. Nequitia, & improbitas illud, ut ita dicam, vendidit, vel oppignoravit; ſed pietas, & virtus redimit, vel liberat, efficitque, ut proprie noſtrum ſit, quia eſt pro bono, atque utilitate noſtra.

Deus impiorum tempus vel producit, vel imminuit ſecundum miſericordiæ aut juſtitiæ ſuæ regulas.

Cum inquit Scriptura, Deum numeraſſe dies vitæ noſtræ, ac illis terminos conſtituiſſe, quos hominibus prætergredi integrum non eſt; docet Theologia, hos terminos duplicis eſſe generis, alios quidem naturales juxta rerum curſum, alios extraordinarios, qui in impiis, vel a Dei miſericordia proficiſcuntur, ſi longi ſunt, ut illis adſit tempus ſeſe recipiendi, ac malum, quod fecerunt, reparandi, vel a juſtitia, ſi breves, ut illis auferatur ſpatium ulterius peccandi, atque ut illi ob peccata, quæ commiſerunt, puniantur. Hoc inferri poteſt ex verbis Prophetæ Ezechielis cap. 21. ubi loquens de Sedecia rege ait: *Cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita*. Videlicet, adveniſſe finem dierum ejus non quidem ſecundum curſum naturæ, ſed iniquitatis, quæ acceleravit hanc horam, quam natura non expectabat.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Quam ſolliciti eſſe debemus, ut tempus bene impendamus.

TEmpus aliquid eſt ita pretioſum, ut honores omnes, omniaque mundi bona minime comparanda ſint cum momenti unius pretio; & licet unicum impenſum fuiſſet momentum ad omnia mundi bona acquirenda, ſi nihil habes præterea, dicere poſſumus, coram Deo, qui ſanum de rebus omnibus fert judicium, hoc eſſe, temporis jacturam feciſſe. Nullus eſt in inferno reprobus, qui paratus non eſſet regnis omnibus, omnibuſque mundi bonis, ſi ea poſſideret, relinquendis, ut redimeret momentum illius temporis, quod in nugis impendit, & quod ipſi prodigimus, ac ſimiliter perdimus. Intelligamus, ſi fieri poteſt, quid ſit gratia; quid valeat poſſeſſio Dei. Tempus nobis datum fuit, ut ſingulis momentis in gratia creſceremus, atque divinæ gratiæ ſubſidio mereremur beatorum ſedem, ac Dei ipſius poſſeſſionem; & verum eſt dicere, ſingulis momentis, quæ propter Deum non impendimus, majorem a nobis jacturam factam fuiſſe, quam ſi mundum univerſum amiſiſſemus. Quod Sancti in cœlo facere non poterunt in omnem æternitatem omnibus perfectiſſimis amoris Dei actibus, videlicet novam gloriæ gradum mereri; id ego facere poſſum unico charitatis actu momento quolibet. Quod reprobi gemitibus ſuis, ac pœnitentia, terribiles cruciatus paſſi facere nequibunt, videlicet Dei flectere iracundiam, & obtinere veniam vel minimi e ſceleribus ſuis, id ego ſingulis momentis unico ſuſpiriolo, atque lacrymula præſtare poſſum: poſſum quovis momento unico perfectæ contritionis actu obtinere veniam omnium peccatorum meorum. Felix, vel infelix æternitas pendet a bono, vel malo temporis uſu. Noſtra ſalus nonniſi in tempore fieri poteſt, & inveniuntur, qui neſciunt, quid faciant, qui nugis tantum occupantur, qui ſuum otium faſtidiunt, qui tempus tantummodo fallere, ac terere quærunt, neque ſciunt, quomodo illud impendere poſſint. *P. Croiſet tomo 2. receſſus ſpiritualis pro una die in ſingulos menſes*.

Parum afficimur jactura rei adeo pretioſæ, qualis tempus eſt.

Qua cura a nobis habenda ratio eſt hujus temporis, cujus omnia momenta ſunt adeo pretioſa? Et quam ſubimus jacturam illius jacturam facientes? Attamen jactura hæc adeo levem nobis infert dolorem. Cum de temporalibus agitur negotiis, quamvis adeo exigui momenti ſint, ubi cum ſalutis negotio conferantur, omnia momenta in lucro ponimus; ſi aliquod nobis elabitur, maximo mœrore conficimur; & quamcumque diligentiam, & curam adhibeamus, metuimus ſemper ne tempus nobis deſit; cum vero agitur de æternitate, tempus nobis ſupereſſe invenimus; & cum de cœlo acquirendo ſermo eſt, ſatis ſemper, ſuperque temporis nobis futurum ſperamus. Heu! veniet tempus, quo ſanius de rebus iſtis ferentes judicium, alios ſenſus fovebimus. Veniet tempus, quo deſiderio conficiemur horum dierum, & annorum, quos adeo male impendimus; & hæc deſideria tunc erunt inutilia. Veniet tempus, quo omnia impenderemus redempturi aliquot ex illis momentis, quæ prodigimus, quæ amittimus, & quæ amittere volumus; atque ad deſperationem adigemur videntes momenta hæc a nobis amiſſa fuiſſe. *Idem*.

Tempus breve eſt, non enim durat, niſi donec vivimus: heu! vitæ meæ dimidium fortaſſe, & ultra abiit, & quomodonam hoc tempore uſus ſum?

Quid

Qüid mihi poſuere tot ann , qui eſſluxerunt ? Quantum remporis amiſi id faciens, quod mihi ſaciendum non erat, & id, quod ſaciendom erat, non faciens ? O Deus! quænam mihi ratio erit reddenda ? At ullam ne expectare debeo miſericordiam, niſi impoſterum melius tempore uſus ſuero, ſi ulterius diſtulero ſervire Deo, & ſalutem meam operari ? Qnapropter ſecundum Apoſtoli monitum, dum tempus babemus, operemur bonum; fortaſſe nonniſi exiguum mihi ad vivendum ſupereſt ſpatium; nolo igitur, ne unum quidem momentum differre, ut bene vivere incipiam. *Idem*.

Tempus, ubi amiſſum, vel male inſumptum fuerit, eſt irreparabile.

Bonus futuri temporis uſus educere nos poteſt quidem ex periculo, in quod ob præteriti jacturam lapſi ſumus; ſed efficere nequit, ne hanc ſecerimus jacturam, & ne tot horas, dies, & hebdomadas amittentes amiſerimus gratias omnes, quas Deo placuerat adnectere buno uſui earum horarum, dierum, hebdomadumque, & merita omnia, quæ poteramus adipiſci, iiſdem, uti eſt opus, utentes. O Deus, qualem jacturam! Numeremus, ſi fieri poteſt, omnia momenta, quæ male impendimus, ex quo rationis uſum ſurtiti ſumus: quot gratias amiſſas! quot amiſſa merita nunquam a nobis in æternum reparanda! Tempus videlicet traducimus, hoc nomine appellamus tempus, quod in inanibus nugis, noxiiſque oblectationibus terimus. O Deus, quam dedecet chriſtianum hominem hic ſermo! Tempus rraducimus; ſed tempus iſtud præteritum, tempus hoc miſere amiſſum non revertetur ultra, non ſecus ac gratiæ, quas mereri poteramus hoc tempore bene utentes. *Idem*.

Temporis jactura cauſa eſt, quod ſæpe nos tædet temporis.

Tempus eſt adeo pretioſum ſimul, & breve; & nihilominus nil tam cupide optamus, quam videre tempus hoc præterire. Statim ac ad aliquam anni tempeſtatem pervenimus, jam ad aliam perveniſſe vellemus. Undenam hæc inquietudo? Num quod nimis die vivimus? An quod nos vitæ noſtræ tædet? Neutrum ſane. Nemo hanc tædii ſpeciem magis ſentit, quam qui deliciis affluunt, & qui majoribus in vita voluptatibus perfunduntur. Potiſſima involuntariæ hujus ſollicitudinis cauſa eſt, quod tempore abutimur; hæc jactura, quam videmus, & ſentimus, profecto nos inquietos facit, & quietem noſtram perturbat: tempus amiſſum ſemper nimis diuturnum eſt; futurum incertum minus inquietos ſollicitat, quam præſens perperam inſumptum. *Idem*.

In morte cognoſcimus temporis pretium, & illud amiſiſſe pœnitet.

Cujus pretii nobis in morte videtur tempus illud, quod totum prætetfluit! Et cujus momenti tunc videtur irreparabilis jactura, quam fecimus? Moroſum otium quot theſauros fecisti, ut amitterem! Inutiles viſitationes, inania, ac turpia colloquia quanto mihi ſtatis pretio! O ſi haberem vel unam temporis hujus adeo male amiſſi horam, o Deus, quam præclare illa uterer! Sed has horas ipſe habui, & ſi tunc cognoviſſem, quemadmodum nunc cognoſco, horum momentorum pretium, quam beatus nunc eſſem! Sed nunquid hoc ſatis meditatus non fueram? Nunquid nun ſatis pretium temporis noram? Nunquid meæ tantum improbitati accepta referenda non eſt ea, quam feci, jactura? Ita morte impendente cogitabimus, ita ratiocinabimur; prævertamus hæc ſterilia deſideria, quæ ad deſperationem adducunt, donec hac vita fruimur. Cogitemus, quomodonam tempore tranſacto uſi fuerimus; præteriit, & ſi amiſſum eſt, quantam jacturam fecimus, & quomodo illam reparare poſſimus. Quam pulchri dies? quam pretioſa in illis diebus momenta! Si bene uſi fuiſſemus toto hoc tempore, quam ſuavi conſolatione nunc perfunderemur? Sed quis dolor, ſi illud amiſimus; & quis timor ad ſolam cogitationem rationis illius, quæ diſtricte a nobis erit reddenda. *Idem*.

Amiſſi temporis, cogitatio nos impellere.

Quid cogitandum eſt nobis de tempore, quod miſere in alea, ſpectaculis, inutilibus, noxiiſque colloquiis, mundaniſque cœtibus perdimus? Heu! Major vitæ pars periit, & tempus ipſum, quod non ita perperam inſumptum fuit, eget fortaſſe pœnitentia; quid nobis expectandum eſt? Utamur ſaltem eo, quod ſupereſt, tempore; vitæ noſtræ tempus finitum eſt, & in ſingula momenta ad finem illius properamus. Meminerimus fore tempus, quo non licebit amplius tempore uti, eo quod illud excipiet æternitas: *Et tempus non erit amplius*. Apocal. 10. Bene igitur utamur eo, quod reſtat adhuc, & impoſterum ne unum quidem momentum amittamus. *Ergo dum tempus babemus, operemur bonum*. Ad Galat. 6. *Idem*.

debet, eo, quod reliquum eſt, bene utamur.

Quis favor, o Deus! quæ gratia! ſi vel unum diem concederes damnato infelici, qui in inferno cruciatur, & gemit, vel illi, qui hoc momento in peccato decedit, quumodonam uterentur? At nonne eamdem mihi ipſi largiris gratiam? Mihi concedis adhuc hunc diem, fortaſſe etiam hunc menſem, hunc annum, & orior! & tempus amitto! & tanto bono non utor! Quantam in nobis efficere debet impreſſionem hæc cogitatio! cum mihi aliquot annos vitæ concedit, poſtquam inferno me dignum præbui tot peccatis, quot patravi, nonne idem eſt, ac ſi me de inferno eruiſſet, ut mihi pœnitentiæ faciendæ tempus præberet? Mihi igitur iidem fovendi ſunt ſenſus, quos ille conciperet, cui adeo inſignem gratiam conceſſiſſet. Haud ita Domine, hæc lumina, hæ conſiderationes non erunt inutiles. Agnoſco gratiam, quam mihi largiris pœnitentiæ agendæ mihi præbens tempus; illis reſpondere volo; & nulla unquam res efficiet, ut adeo pretioſi temporis ullum poſthac momentum amittam. *Idem*.

In morte agnoſcemus nimis cum tempore præteriit.

Ipſo mortis momento homo ſanum incipiet ferre judicium de temporis, cujus adeo prodigus fuit, pretio: dum occurret illi hæc cogitatio, tempus vitæ, quantumvis diuturna extiterit, præteriiſſe, ideoque hoc ipſius habita ratione idem eſſe, ac ſi nunquam fuiſſet. Quoniam cum quidquid præteriit, non ſit amplius, idem eſt, ac ſi nunquam fuiſſet: dum videbit, nihil ſibi niſi tempus præſens ſupereſſe, & hoc momentum celerrime labi, ac fortaſſe vitæ ſuæ poſtremum eſſe; ſimulque omnia creata, quæ adeo perdite amavit, omnia terrena, quæ efflictim deperiit, honores, voluptates, dignitates, opes, omnia hæc tranſitura umbræ inſtar evaneſcentis, dum illam amplecti exiſtimamus: *Tranſierunt omnia illa tanquam umbra*. Sap. 5. P. Nepveu in libro, cui titulus: *Modus ſeſe præparandi ad mortem*.

Quam pretioſum ſit tempus cum æternitate comparatum.

Si tempus reſpicimus cum beata, vel miſera æternitate, quæ illius merces eſt, vel pœna, collatum, nihil illo magis exiſtimationem noſtram meretur, etenim ne unum quidem eſt vitæ noſtræ momentum, quod ſi impendatur Deo, non poſſit nobis beatitudinis æternitatem promereri. Ita eſt, quodvis momentum integram valere poteſt æternitatem, quodnam illius ergo pretium eſt? Quanti faciendum eſt, quanta cura ratio illius eſt habenda! Hominum plerique hoc modo non intelligunt, ſed homo proximus morti hoc nimis intelligit. Heu? tunc omnium bonorum ſuorum jactura, ac plurimorum annorum pœnitentia unum redimere diem, unam horam temporis illius, quod perperam impendit.. Tunc voluptas erat, atque felicitas putabatur invenire temporis amittendi occaſiones, atqui non fieret, quid non impenderetur, ut illud poſſet reparari? Sed audietur terribilis divinæ juſtitiæ vox funeſtam hanc ſententiam proferentis: *Tempus non erit amplius*. Apocal. 10. Nullum tibi erit amplius tempus, ideoque nullus locus gratiis, pœnitentiæ, miſericordiæ, hæc omnia cum tempore deſitura ſunt: *Tempus non erit amplius*. Quodnam fulmineum telum huic miſero! Fac Domine, ut hujus ſententiæ timor me ita perterreat, ut nihil intentatum, inauſumque relinquam, ut illam effugiam. *Idem*.

Peccatoris in morte ſenſus.

Senſus, quem adſpectus, & cogitatio temporis amiſſi gignet in anima peccatoris morientis, erit pœnitentiæ ſimul, ac deſperationis; primum quod

adeo

ab tempo- ris a ſe omiſſu ju- ſtitiam.

adeo perperam adeo pretioſum tempus inſumpſerit, quod totidem, ut ita dicam, amiſerit æternitates, quot momenta male impenderit, quorum ſingulis æternæ gloriæ gradum poterat mereri: ſecundo, quod non poſſit præteritum revocare tempus, quomodo enim poſſet, quandoquidem neque ipſe Deus, licet omnipotens, id poteſt? *Idem.*

Conſiderationes [illegible] temporis.

Tempus reſpici debet tanquam rapidus torrens, omnia, ut S. Auguſtinus ait, trahens, noſque trahens ſecum, & ipſe curſus ſui pernicitate tractus: *Momentis tranſvolantibus cuncta rapiuntur, torrens rerum fluit.* Quis autem homo eſt, qui ſecus torrentem, vel in arena ponere velit ædificium? Numquid autem nos ſapientiores ſumus, qui ædificamus in ſolo adeo mobili, quale tempus eſt? Dicamus ſæpe nobiſmet ipſis, pergit S. Auguſtinus, modo cum id utiliter facere poſſumus: omnia prætereunt; ne aliquando ad id redigamur, ut inutiliter dicere debeamus, omnia præterierunt. Sæpe nobiſmet ipſis eum Seneca inter ipſas delicias, & voluptates dicamus; *hæc quandiu?* Quandiu iſta perſiſtent? Magna poſſideo bona, magnas dignitates, magnos honores, omni deliciarum genere perfruor: *Sed hæc quandiu?* Iſta cogitatio, addit ille, imbres lacrymarum elicuit ex potentiſſimis regibus inter ſuos triumphos, ac luxum, majori dolore affectis ex metu ea quamprimum bona amittendi, quam ex eadem poſſidendi voluptate. *Idem.*

Pretium unius horæ, & et temporis jacturam habere decet.

Si mercator eo eſſet in loco, ubi in ſingulas horas immenſam auri vim lucrari poſſet, perderetne horas has adeo pretioſas? Et ſi per negligentiam earum plures jam amiſiſſet, nonne ad deſperationem adductus eſſet? Et ſi aliquæ ſupereſſent, adhuc quanam diligentia illas impenderet jacturas ſuas reparaturus? Mercatoris hujus agendi ratio nonne ſimul eſt & negligentiæ noſtræ exprobratio, & documentum, ex quo omnes homines proficere debent? Tandem enim quanam in re hominum plerique ſuum tempus inſumunt? Alii quidem nihil faciendo, eaque lacrymabilis inertia eſt; alii quodcumque aliud faciendo præter ea, quæ ſibi facienda ſunt, ac vita eorum non aliud, quam vanitas eſt; alii vero oppoſitum faciendo eorum, quę ſunt facienda, eorumque vita non aliud eſt, quam jugis perturbatio. *Idem.*

Sub anni finem, videndum eſt, quantum in re fuerit impenſum.

Jam ad anni finem perveniſti, nunquid hic & infidelitatum, & ingratitudinum tuarum finis erit? Quomodonam hoc anno vixiſti? An potius vere ne vixiſti? Poteſne dicere ex toto hoc anno vel unum fuiſſe diem, quem Deo omnino devoveris? unicam actionem, quam pro illo unice operatus fueris? attamen quidquid propter Deum factum non eſt, tibi periit. Quæ jactura! Heu quot ſalutis adminicula neglecta! quot gratiæ contemptæ! quantum temporis amiſſi! Quomodonam hæc reparari poſſunt? Hoc facere non poſſumus, niſi magis ſolliciti fuerimus illo tempore, quod habemus, & quod ſupereſt nobis. Viator, qui in via gradum ſiſtit, ubi videt ſibi itineris multum, diei vero parum ſupereſſe, moras ſuas pedum celeritate, ac diligentia reparare conatur. Quid hactenus fuit vita noſtra, niſi jugis temporis jactura? Cur ergo non feſtinamus? cur non paremus Domini conſilio hortantis, ut donec dies eſt, ambulemus, ne nox ingruat, mors videlicet, quæ nihil nos agere ſinat? .... Si Dei verbis tibi nuntiaretur, te hoc anno moriturum, quid ageres? qua cura minimam etiam temporis particulam impenderes, te omnibus Dei gratiis fidelem præberes, omnia tua obires officia, in omnium bonorum operum exercitatione verſareris, & ageres pœnitentiam? Heu! cur modo non facis, quod tunc te feciſſe velles? *Idem tom. 4. chriſtianarum conſiderationum.*

Quidquid pro Deo factum non eſt tempo- ris jactura eſt.

Pro certo habendum eſt, quodcumque temporis propter Deum non impenditur, meram eſſe temporis jacturam; curas, laboreſque omnes ad finem hunc non tendentes vanos eſſe, & inutiles; ac denique operas omnes, quæ mundo impenduntur, vel propriæ voluptati, totidem eſſe furta, quę Deo fiunt; ita ut homo ſub vitæ finem, poſtquam ſe ipſum torquere non deſiit cupiditatibus ſuis ſatisfacturus, cum Salomone exclamare teneatur: Quem ex omnibus laboribus meis fructum percepi? *Quid habet amplius homo de univerſo labore ſuo?* Eccle. 1. *De la Font in eccleſiaſticis ſermonibus pro 4. poſt Pentecoſten Dominica.*

Niſi primos, melioreſque vitę noſtrę annos impendimus Deo, ſaltem id, quod ſupereſt, temporis impendamus; quandoquidem, quod elapſum eſt, eidem impendere non licet. Æquo, lubentique animo offeramus illi, quidquid ſupereſt tot evagationibus, atque diſſipationibus in mundi hujus negotia. Præſtat enim aliquantulum boni facere, quam nihil omnino. Præſtat etiam modicum illud tempus, quod vitæ nobis reliquum eſt, Dei ſervitio devovere, quam illud confundere cum tot annis, quos amiſimus, & quos ille in judicio proferet adverſum nos, niſi egerimus pœnitentiam. Utique, o Chriſtiani; adducet Deus contra nos omne tempus, quod amiſimus: *Vocabit adverſum te tempus.* Vocabit pueritiam hanc, quæ fuit adeo incorrigibilis; adoleſcentiam cupiditatibus adeo corruptam; virilem ætatem pro æternitate adeo inutiliter tranſactam: ſed ſi eo tempore, quod ſupereſt, melius uſi fuerimus, quamvis unus ſupereſſet annus, menſis unus, hebdomas, dies, omne illud tempus, quod amiſimus, nullo nos amplius rubore ſuffundet. Non reminiſcetur Deus peccatorum noſtrorum, niſi ut noſtræ pœnitentiæ meminerit, quæ diſſipatos, perperamque inſumptos revocans annos efficiet, ut pleni dierum moriamur, hoc eſt, juxta Scripturæ ſenſum, virtutum, bonorumque operum pleni. *Sermones chriſtiani, ſermone pro die Circumciſionis.*

Cum præſens tantum in noſtra ſit poteſtate, & alioquin futurum incertum ſit, differre non debemus ſervire Deo.

Ex omnibus vitæ noſtræ momentis, quibus noſmet convertere, ac Deo devovere poſſumus, præſens tantummodo in noſtra poteſtate ſitum eſt. Præteritum non eſt amplius; futurum incertum eſt; præſens tantum in manu noſtra eſt, & hoc præſens nihil aliud eſt, quam breve momentum, quod eſſe poteſt poſtremum, & quod plerumque extremum eſt, cum minus exiſtimatur. Igitur differendum ulterius non eſt; dilatio eſt periculoſa; eodem ipſo momento, in quo ſumus, noſmet adducere debemus eum in ſtatum, in quo eſſe vellemus eo momento, quo ad temporis exitum, atque æternitatis principium pervenerimus. Nunc cedere volo, o Deus; nolo amplius differre; ex hoc momento tuus ſuum. Accipe, Domine, motus omnes cordis mei, & momenta omnia vitæ meæ, quæ mihi ſuperſunt, ut expiem pravum illius temporis uſum, quod mundo hoſti infeſtiſſimo tuo deſerviens tranſegi. Heu! quam me pœnitet temporis male perditi? Et quam beatus eſſem, ſi illud poſſem reparare! *P. Nouet in receſſu pro præparatione ad mortem.*

Nobis habenda eſt temporis ratio, nobiſque tenendæ ſunt gratiæ, quæ cum tempore [illegible]ſeunt.

Si temporis naturam perpendimus, illius quam diligentiſſimam rationem habere debemus; quoniam præteritum non eſt amplius, neque revertitur unquam; futurum incertum eſt; & præſens nil aliud eſt præter momentum, quod eo ipſo, quo nominatur, prętervolat. Hæc autem momenta illa ſunt, a quorum bono, vel malo uſu noſtra pendet æternitas: *Momenta æternitatis gravida*, quemadmodum a Patre quodam vocantur. Hæc, inquam, momenta ſunt, quorum fugitiva pernicitas remoranda eſt retinendo gratias divinas, quæ cum illis prætereunt, & quæ ſæpe non revertuntur amplius, non ſecus ac fugacia momenta, a quibus rapiuntur. Divina Sapientia nobis futurum abſcondit, ut præſenti bene utamur; nos vero præſens amittimus, quia in futuro confidimus. *Specimen ſermonum pro Adventu.*

Nonne mirum eſt, audiri nonnumquam Chriſtianos qui ultro, citroque nonnumquam percontantur, quanam in re tempus traducturi ſint, & neſciunt.

Digitized by Google

neſciunt, quanem in re ſibi ſit traducendum. Peccetum habent in anima, in odio Dei ſunt, & quærunt, quid ſibi faciendum de tempore. Heu miſeri! tempus impendite agentes pœnitentiam, ut a Deo juſta ira ſucceuſo miſericordiam obtineatis. Heu! ſi reprobus in inferno illud haberet tempus, de quo neſcitis, quod vobis faciendum ſit, quam ille ageret pœnitentiam! Sunt alii, qui tempus terunt malum faciendo; quod ut nobis perſuaſum ſit, ſatis eſt morum ſæculi corruptionem, & plerorumque ſæcularium licentiem intueri. Heu! tempus hoc, quod eſt adeo breve, ut bonum faciatis, nimisetiam diuturnum eſt, ut feciatis malum. Denique plerique emittunt tempus, quia quodlibet elind ab eo, quod agendum illis eſſet, operantur; & hac in re illi etiam, qui pietatem profitentur, ſeſe debent excutere. Mulier, exempli gratia, cui familia regunde eſt, optimum ſecta arbitrabitur, tempus in eccleſia reducere: ſed fellitur; eliud facit ab eo, quod illi faciendum eſt, & hoc ſolum ſufficit exemplum, ut cognoſcamus, quid hac in re peccetur. Ut bene impendatur tempus, non ſatis eſt bonas actiones operari; bene faciendæ ſunt; utque bene fiant, faciendæ ſunt ſecundum ordinem, hoc eſt, in tempore, & ſecundum cujuslibet ſtatum, & officium; & niſi in hoc ordine fiant, & ſecundum has regulas, & circumſtantias, deſinunt eſſe bonæ, ec tempus, quod in illis faciendis inſumitur, amiſſum eſt. *Ibidem pro Quadrageſima.*

Magna temeritas eſt e futuro pendere in iis præſertim, quæ ad ſalutem pertinent.

Quænam temeritas eſt hominis de annis, viteque ſua diſponere, cum neque poteſtatem habeat de craſtina die diſponendi! quod jam pridem ſapiens quidam dixit: *Quam ſtultum eſt ætatem diſponere, ne craſtino quidem dominamur.* Nullus eſt futuri temporis dies, hora, momentum, quod vitæ noſtræ finis eſſe non poſſit, & ut S. Proſper ait, poſtquam mors per peccatum introducta fuit in mundum, poteſtatem ſuam in omnes vitæ noſtræ dies extendit: *Obnoxium ſibi omnem vitæ noſtræ fecit diem.* Ratio, fides, & experientia nos docent, nihil eſſe in mundo, non nobilitatem, non ſcientiam, non opes, non virtutem, quod nobis certum promittere poſſit in tempus futurum vitæ diem. Ergo ſecundum hoc principium argumentemini, & cum S. Auguſtino dicite: *Omnis ſpes, quæ tempori committitur, incerta eſt, quia tempus incertum eſt.* In hoc peccator palam oſtendit, ſe ſalutem ſuam contemnere, neque metuere illam in diſcrimen adducere, quandoquidem objicit illam rei, quæ æque incerta eſt, ac tempus. *P. Texier in Quadrageſima ſermone pro Dominica Paſſionis.*

Diſcrimen inter tempus, & æternitatem.

Tempus nos pertranſeundo viſitat, quin unquam remoretur, velut aqua fluminis ſemper prætterfluentis. Æternitas manet immobilis, & inconcuſſa, tanquam tellus fluvium ſinu ſuo geſtans. Tempus habet omnes partes ſuas ſeparatas, & quæ ſimul etiam eſſe non poſſunt; aliæ enim alias trudant, aliæ jam prætergierunt, aliæ adhuc venturæ ſunt, & nihil in tempore præſens eſt præter unicum momentum indiviſibile. Æternitas non habet partes; tota ſimul eſt, atque indiviſibilis; non habet præteritum, neque futurum. Tempus perituris tantum rebus adhæreſcit, eaſque ſenſim devorat, & abſumit: æternitas e contra entibus ſolidis, ac invariabilibus, & quæ perire nequeunt, adhæret. Demum id, quod tempus dicitur, non aliud eſt, quam ſucceſſiva rerum periturarum, quæ finem ſunt habituræ, duratio; æternitas vero eſt duratio conſtans, & invariabilis rerum, quæ nullum invenient finem. Ita nihil ſimile eſt tempus inter, & æternitatem; & tantum abeſt, quod alterum ex altero comparari poſſit, & alterum ſit alterius menſura, ut inter utrumque magna ſit oppoſitio. Non ſatis liquet nobis, quid ſit tempus, ut ſcire poſſimus, quid ſit æternitas; ita enim conſuevimus rel durationem concipere, veluti longam annorum ſeriem, qui defluunt, ac ſibi ſuccedunt; neque enim concipere poſſumus, eam alio pacto magnam habere poſſe durationem; & inde oritur, quod cum nobis exhibere volumus æternitatem, ſæculorum myriades inter ſe multiplicamus. *P. de Argentano Capuccinus: In colluſtrationibus de magnalibus Dei.*

Quid nobilmet ipſi exprobrare poſſimus circa temporis jacturam.

Admiror quotieſcumque apud S. Bernardum lego piam exprobrationem, qua ſe ipſum redarguit. Neſcio, inquit, quomodo horæ, hebdomadæque labantur, & ecce jam dies in occaſum inclinat. Tempus, quod adeo inutiliter abſumpſi, nunquam eſt reverſurum, & dicere neſcirem, quid fecerim propter Deum. Revertimini momenta, horæ emiſſæ, quæ me inertiæ accuſatis, revertimini, donec Creatori, atque Salvatori meo aliqua præbeam argumenta curæ, ac deſiderii, quo illi placere contendo. Cur ille me in mundo poſuit, ac tandiu illic me patitur, niſi ut operer? pro quo autem agam, niſi pro illo, cui omne ingenium, mentem, cor, omneſque vires meas debeo? *Lambert homil. pro duodecima poſt Pentecoſten Dominica.*

Querela ridicula eorum, quorum tædet temporis, ac neſciunt quanam in re illud inſumant.

Audiri ne poſſunt verba, quæ majorem indigitent inſaniam, quam hæc: *Occidamus tempus?* Nemo neſcit, nos a tempore occidi; ne unum quidem eſſe inter ea momenta, quibus conſtat, quo aliquod nobis vulnus non infligat, & mortem ipſam acceleret; & nihilominus illud occidere volumus. Nihil fingi poteſt huic inſaniæ par: vel enim hæc verba nihil ſignificant; vel ſi ſignificant, animum recreemus, tædio nos liberemus; ipſi nobis adverſamur; quandoquidem ſæpe dicimus, tempus perniciſſime ferri, dies, menſes, & annos nihil durare, hoc enim ex nobis ſæpiſſime auditur. Faciant, quodcunque voluerint homines, nunquam utiliter, ac jucunde tempus traducent, niſi illud diſtribuere noverint ſecundum pietatis, atque rationis regulas, quiſque inter ſuæ religionis, & profeſſionis officia, & inter innocua ſolacia, quibus ad animum recreandum opus eſt nobis. Hoc pacto tempus nunquam nos afficit tædio, quia nullum nobis unquam ſupereſt tempus. *Du Trembley in tractatu de ludis.*

De brevitate temporis cum æternitate comparata.

Primo ſtatim intuitu facere non poſſemus, quominus cum S. Auguſtino conciperemus, ea, quæcunque fines habent, diu permanere non poſſe: *Nihil eſt diuturnum, in quo reperitur aliquod extremum.* Ita licet omnia ſimul conjungeremus tempora; quæ mens ſibi fingere poſſet; hæc temporis magnitudo æternitati comparata ſuos haberet fines, & hæc immenſa ſpatia, quibus aliquid adeo vaſtum ineſſe videtur, ad ſummum breve eſſent momentum: *Omnia temporum ſpatia æternitati comparata, non exigua ſunt computanda, ſed nulla,* idem S. Doctor ait. Si hoc verum eſt de ſæculorum omnium extenſione, quid dicemus de hac exigua temporis parte, quæ intra vitæ noſtræ terminos continetur? Non dicemus hoc eſſe momentum, quod, quanquam adeo exiguum illud ſit, tot, tantaque nobis facienda ſunt, videlicet peccata expianda, affectus ſuperandi, acquirendæ virtutes, Paradiſus lucrandus, evitandus infernus? *P. de la Rue in ſermonibus ſub hoc nomine impreſſis, ſermone pro feria tertia poſt Paſſionis Dominicam.*

Tempus ſucceſſive tantum, & in ſingula momenta nobis datur.

Si tempus certum eſſet, ſi naturæ eorum bonorum, quæ tota ſimul poſſideri poſſunt, ſimile, partem illius poſſemus emittere ſperantes fore, ut bono reliqui temporis uſu prioris jacturam reparare integrum eſſet. Sed hoc ſperare non licet; tempus ſucceſſive tantum nobis præbetur, amittimus illud, cum eo fruimur, ejuſque pernicitas eodem momento id rapit, quod nobis largitur. *Iſti dies non ſunt,* dicebat olim S. Auguſtinus; *ante abeunt pene quam veniunt, & cum venerint, ſtare non poſſunt; junguat ſe, ſequuntur ſe, ſed non ſe tenent.* Vitæ noſtræ dies, proprie loquendo, non ſunt dies noſtri, & quos re ipſa exiſtere dicere valeamus, vix incipiunt, cum deſinunt, alii alios ſequuntur; ſed nunquam ſubſiſtunt, ut aliquid permanens, ac duraturum ſimul efficere poſſint. *Idem.*

Tempus ſolum eſt irreparabile; ſi bonam amiſimus valetudinem, aliquando convaleſcimus; ſi

Tempus eſt irreparabile, & nunquam revertitur.

adverſa jactati fortuna bonis exuimur, bona hæc iterum poſſunt acquiri. Omnia reparantur; tempus unum reparari non poteſt, quidquid prætetiit, jam rediturum non eſt. Flos adoleſcentiæ amoribus, hilaritati, & vitæ voluptati impenſus effluxit, itaut reparari non poſſit. Verum ne prætermittamus hac in re cum S. Bernardo animadvertere; ſi tempus tanta fertur celeritate, ut nequeat reverti, ea tamen, quæ hoc tempore fecimus, nihilominus vigebunt, itaut nulla re valeant unquam deleri. Non nego, ubi peccatum commiſſum fuerit, hoc ſinceri doloris lacrymis deleri poſſe; verum eſt tamen dicere, peccatum fuiſſe commiſſum, & quamvis expiatum ſit, non ideo tamen dici poſſe, quod minime fuerit: *Et ſi facere in tempore fuit, feciſſe in æternum manet. Idem.*

Omne ferme vitæ tempus amittitur.

Otium meliorem vitæ partem abſumit; hoc nemo negare poteſt. Profecto ſi de rebus judicium ferendum eſt, prout ſunt; utque initium ducamus a pulcherrima vitæ noſtræ parte, quanam in re illa inſumitur? Adoleſcentum negotium eſt, negotiis vacare; quod corporalibus denegant neceſſitatibus, hoc illi impendunt ludo, amori, ſexcentiſque rebus, quas referre pudet. Mortales hujuſmodi numerare incipient annos viginti, atque triginta, quin poſſint totidem numerare dies impenſos Deo, & ſalutis ſuæ negotio devotos. Cum ætate hac affectus ſint vehementiores, quilibet indulget voluptati, utque mira cæcitate ſibi perſuadet, opus eſſe, ut ſeſe illi totum abdat. Oporteret, ut hi rem maximi momenti conſiderarent, tempus videlicet vitæ illis concedi tantum, ut iis impendatur rebus, quæ ad ſalutem ſpectant; etenim, ut S. Thomas inquit, inter Angeli, & hominis tempus hoc diſcriminis intereſt, quod Angeli tempus breve eſt, nullumque inter creationem, & prædeſtinationem, aut reprobationem illius interjectum fuit ſpatium; ſed cum homine Deus ſeſe magis propitium præbuit; tantumque quippe illi conceſſit temporis, quantum ab illius nativitate ad mortem uſque intercedit, & hoc eidem conceſſit non in inutilibus rebus tranſmittendum, ſed religioſius in ſui ipſius ſanctificationem impendendum. *Idem.*

Quanam in re negotioſi homines ſuum tempus impendunt.

Ubi nos homines conſidero, vel togatos, vel negotiis tranſigendis intentos, video illos temporis admodum avaros eſſe, eo uſque ut eorum avaritia ipſis deneget ea, quæ vel vitæ vel ſolatiis ipſorum ſunt maxime neceſſaria. At cur id genus homines tanta avaritia temporis ſui curam habent? Heu! ut alienis vacent negotiis, ut plurimorum privatorum negotia tranſigant, quæ illi ſibi aſſumunt tranſigenda? Tot inter impedimenta, atque chirographorum, monumentorumque conſolationes nihil ſibimet temporis tribuunt, ac de nulla re minus, quam de æternitate ſua ſunt ſolliciti. Qui publicis deſtinetur negotiis, qui pro aliis curam, & ſollicitudinem gerit, inquit Seneca, ſeſe ipſum colligere nequit, nec ea cogitare, quæ ad ſe pertinent; tot enim aliena impedimenta eum diſſipant, eique negotium faceſſunt. Hanc ob rem ille miſeram putabat hominum conditionem, & ob eamdem ipſi potiori jure Chriſtianorum cæcitatem deflere debemus, qui alio ſpectare debent, atque æternitatem cogitare. *Idem.*

Vanæ, ac inutiles cogitationes hominum, qui temporis ſui jacturam faciunt.

Iſaias Propheta hominum opus comparat papyraceis oppidulis, quæ nonnunquam ludibundi ædificant pueri. Hæc illi ſumma extruunt cura, nos vero illorum conatus ridemus. Deus hoc ipſum cum hominibus agit, S. inquit Auguſtinus, maxima eorum negotia meræ ſunt nugæ: *Majorum nugæ negotia vocantur.* Nugæ iſtæ omne illud tempus exhauriunt, quod ſanctificationi eſſet impendendum, & poſt ſexcentarum occupationum æſtum, cum morti propiores ſumus, noſmet pauperes, nudos, rebuſque omnibus vacuos invenimus; quod Epiſcopo cuidam exprobrabat Angelus ille, de quo in Apocalypſi cap. 3. ſermo eſt: *Neſcis, quia miſer es, & miſerabilis, & pauper, & nudus.* Tu, qui in mundo aliquid eſſe videris, tu, qui haberis homo ſeriis negotiis intentus, quam alios fallis, ac temetipſum decipis! Neſcis enim, te ad turpiſſimam redactum eſſe egeſtatem, eo quod totum vitæ tuæ ſpatium in otio impendiſti, & nihil pro cœlo adeptus es. *Idem.*

Quid nobis cogitandum videntibus annos male inſumptos.

Per pœnitentiam redimendum eſt tempus præteritum, necnon bene utendum præſenti ad illud rite expiandum. Tot mihi effluxerunt anni, dicere debet Chriſtianus, & adeo paucæ ſunt horæ, quas pro mea ſalute impendi? Nihilominus divina miſericordia mihi adhuc medicinam reliquit, ut videlicet, Ezechiæ regis exemplo, amiſſos annos recogitem in amaritudine animæ meæ, & hoc pacto revocem illos. Hoc vos aliquando cogitaretis vellem. Conſiderate naturam rerum, in quibus tempus veſtrum prodegiſtis. Societates, viſitationes, ludos, convivia, ſpectacula, quid de his rebus omnibus factum eſt? Facile eſt in nihili abyſſo perire; dicam melius, hæc omnia in æternitatem alliſa periiſſe. Hoc ipſum accidet fallacibus conſolationibus, quas adhuc guſtatis, & ex iis, quæ præterierunt, edocendi eſtis uſum eorum, quæ ſuperſunt. Oportet vos de vanitate ejus temporis, quod effluxit, edocti diſcatis utiliter parcere illi, quod effluet adhuc; ac illud impendatis in chriſtiana opera, quæ feliciter in æternitatem deſinant, non autem in criminoſas, inutileſque actiones, quæ infelicem tantummodo pœnitentiam relinquunt. *Idem.*

Ne pretioſum hoc tempus amittas, in lucro pone momenta adeo pretioſa vitæ, quam tranſigis, veluti nunquam deſituram. Scias, hoc tempus unicum eſſe inter naturalia, quæ poſſides bona; illud tibi reſervaſſe naturam, & nihil homini viventi illud eripere poſſe: *Omnis ſiquidem res aliena eſt a nobis, quod noſtrum eſt, tempus eſt.* Verba ſunt Senecæ, ſed a S. Bernardo adoptata, atque conſecrata. Et ſane reliqua quæcumque bona temporis injuriæ ſunt obnoxia, & licet omnibus ſeu naturæ, ſeu fortunæ bonis exutus eſſem, me non admodum infelicem putarem, dummodo mihi tempus eſſet, & ſpes, duo calamitoſorum ſolatia. *Idem.*

Dolor in morte ob tempus omiſſum, ac male impenſum.

Quænam magis acerba impreſſio ea, quam parit recordatio temporis amiſſi cogitantibus, quid in ſingula momenta mereri potuiſſent? Heu! quot pretioſæ horæ male impenſæ! tempus, quod mihi fuerat conceſſum, ut ſalutem meam operarer, impendendum ne erat ludo, ſpectaculis, inanibus colloquiis, & nugis? Heu! cur non ſuperſunt adhuc mihi aliquæ ex horis illis, quibus mei pertæſus otii tempus tantummodo fallere, ac traducere adnitebar! Heu! quomodonam in præſentiarum momentis ita pretioſis uterer! Illa habui, & perdidi. Quid nunc non fieret, ſed tempus ultra non eſt. Quod ſenſuum, vitæque diſcrimen inter flagitioſum hominem bene valentem, & eumdem morti proximum circa ea, quæ ad tempus pertinent! Idem homo eſt, at idem ne ſenſus eſt, eadem audacia? *P. Croiſet tom. 2. receſſuum.*

Mundana hæc mulier aliquando mœrore conficietur, eo quod tantum temporis ſeſe comens inſumpſerit, quod omnium oblectationum cœtibus interfuerit, quod rem familiarem aleæ ſacrificaverit, quod profanis adſuerit ſpectaculis; verbo, quicumque male tempus impenderint, æterno tabeſcent dolore, quod illud prodegerint. Ne ſinas, Domine, me ex hoc eſſe numero; ſatis ſuperque mihi cauſa eſt, propterquam me temporis amiſſi pœniteat. Heu! quam funeſtam ego rei hujus experientiam facerem, ſi modo mihi eſſet moriendum! Adhuc mihi tempus præbes, Domine, ad malum hoc evitandum, infinita miſericordia tua non abutar. Non ignoro, quot jam reprobati fuere, eo quod in vita ſua ſimiles his conſiderationes fecerunt; ſed hoc ipſum efficit, ut conſilium capiam non ſequendi exemplum eorum, & ex illorum calamitate proficiendi. *Idem.*

Hoc tamquam principium ſtatuendum eſt, tem-

pora

Digitized by Google

De illis, qui de malis temporibus conqueruntur.

pora omnia æque eſſe bona; quippe auctor temporum æqualem habet in omni eorum diſcrimine bonitatem. Nos vero tempore perperam utimur; & in hoc, non ſecus ac in ſexcentis aliis mala noſtra iis rebus imputamus, quibus utimur male. Fac, homines omnes boni ſint, & tempus nunquam malum erit. Ne dicas amplius, hoc tempus diu permanere non poſſe, & alterum venturum, quod magis erit propitium. Nullum permanet tempus; omnia prætereunt, & non revertuntur. Illa virtute, induſtria, ſtudio retineri poſſunt; non, ne fugiant, ſed ne pereant. Nihil jucundius eſt temporis bene inſumpti memoria. Sed quomodo tempore, ut opus eſt, uti neſcimus, poſtquam eodem uſi ſumus in ſuperflua vita, vel jugi negligentia, culpam rejicimus in tempus, quod omnino culpa vacat; pueritiam in ludo, ætatis robur in negotiis, aut voluptatibus ſenium in quæſtubus, inutilique pœnitentia conſumimus... Sed quin meliora expectemus tempora, ſuadeo, ut præſenti potius utaris, quandoquidem in tua ſitum eſt poteſtate; & hæc ſola via eſt inquietum ſuffocandi deſiderium jucunda, utilique fruitione; tempus hoc impendendo in virtutum chriſtianarum exercitatione, quoniam melius impendi non poteſt. *Deſumptum ex Petrarchæ dialogo de tempore, & æternitate.*

Tempus nobis nonniſi in ſingula momenta conceditur.

Notandum eſt, Deum, qui cæteris in rebus adeo magnificus, & liberalis erga hominem viſus eſt, unius tantum temporis avarum viſum fuiſſe. Hoc, ut ita dicam, guttatim nobis concedit; nunquam bina nobis tribuit momenta, ſed ſingula, neque alterum concedit, niſi prius fuerit elapſum. Quantumvis diuturna ſit vita noſtra, ſemper tamen iis conſtat momentis, quæ ſibi invicem ſuccedunt, ac eadem fluunt celeritate, qua pernicißimus torrens, qui cohiberi nequit, & cujus ne una quidem gutta, ubi ſemel effluxerit, nunquam revertitur. Ecce quid temporis nomine vocetur, quod vulgo in tres partes dividitur, in præteritum, præſens, & futurum. Præteritum noſtrum non eſt, neque reverti poteſt; futurum nondum eſt, & fortaſſe nunquam erit; præſens tantum ad nos pertinet; ſed heu! vix illud habemus, cum fugit, quin illud retinere valeamus; eodem momento, quo exiſtere incipit, tranſit, vel potius tranſiit. Aliquid ne ultra requiritur, ut, quam prætioſum ſit tempus, intelligamus! *Abbas de Monmorel homilia pro die Circumciſionis.*

Tempus licet pretioſum, illud eſt, quod minus habetur in pretio.

Quis crederet, hoc tempus, cujus parciſſimos nos eſſe deceret, a nobis omnium maxime prodigi? Petitur, & datur, quaſi nihil eſſet; homines eodem impediti videntur, ac ſeſe eodem expedire, ac illud amittere dumtaxat quærunt. Amicitia illud largitur, avaritia vendit, voluptas diſſipat, ſcelus profanat, inertia prodigit, libido conſumit, ſed raro illud virtus impendit. Anni noſtri inanibus abſumuntur ſollicitudinibus, tanquam araneæ, inquit Propheta... Ne labamur in abuſum æque noxium, qualis eſt temporis jactura; antequam Dominus a nobis illius rationem repetat, ipſi ex nobis rationem debemus expetere, quomodo eodem uſi fuerimus, nam quamvis præteritum ſit irrevocabile, verum eſt tamen, illud bono præſentis uſu poſſe reparari. *Idem.*

Ratio a nobis reddenda Deo temporis a nobis impenſi.

Cæterum ne cogitetis, inertiam tantummodo inquiſitum iri in terribili ea ratione, quam Deus ex omnibus hominibus repetiturus eſt ejus temporis, quod illis concedit; multæ ſunt occupationes, in quas nihilo mitius agetur; quoniam ibi tempus non minus diſſipatur, quam in hujuſmodi nugis. Neque de illis tantum occupationibus loquor, quæ noxiæ ſunt, quippe nimis aperte ſunt malæ. Loquor de artifice, de mercatore, de homine plurimis implicito negotiis. Quamvis agricolæ frons a mane ad veſperam ſudore manet; quamvis mercator dies, noctesque ſuis invigilet rationariis, heu! inter varias haſce occupationes quantum amiſſi temporis invenitur! Illi poſt multos exantlatos labores meliores ne ſunt? Extolluntne cor ſuum ad Deum? cogitantne de æternitate? & offerunt Domino exiguos hoſce labores, ut illi placeant, ac ſibi meritis accenſeantur? *Idem.*

Vos ipſus hoc expertos teſtor, Auditores, quid vobis reliquum eſt earum voluptatum, quibus dies veſtros maxime florentes ſacrificaſtis? Quid vobis reſtat de illis honoribus, ac dignitatibus, quas tanto labore conquiſiviſtis? Eſto, hæc omnia votorum veſtrorum magnitudinem expleverint; ſed voluptas, quam inde percepiſtis, nonne evanuit, & ea, quam inde vos percepturos ſperatis, nonne evaneſcet? Decimus quintus, aut vigeſimus jam labitur annus, ex quos hac frueris voluptate, ſed nunquid ideo præſtas illis, qui nudius tertius eadem frui cœperunt? Omnia illi, æque ac tibi præterierunt, quod præterit, jam nihil eſt. Quid intereſſe putas inter eum honorem, qui re ipſa fuit, & eum, quo in ſomnis dumtaxat gaviſus es? Nonne æque uterque in nihilum evanuerunt? Realis videlicet ille honor, & honor hic imaginarius. *Idem.*

Scelus licet in tempore præteritum in conſcientia ſubſiſtit.

Tempus illud non eſt amplius, ſed fuit, voluptas illa fuit, non eſt amplius, ac ſcelus manet, æternumque manebit: *Facere in tempore fuit, ſed feciſſe in æternum manet*, S. Bernardus inquit. En quæ ſit noſtræ infelicitatis cauſa. Iniquitates noſtræ tranſierunt a manibus noſtris, ſed a mente noſtra non tranſierunt: *Tranſierunt a manu, ſed non a mente.* Malum committere præterit, ſed commiſiſſe illud non præterit unquam. Fratrem occidere voluptas eſt, quam Cain ultioni ſuæ non negavit; plurimi ex eo tempore effluxerunt anni, ſed patrata cædes malum eſt, quod in æternitatem excruciat. *Idem.*

Quod Tertullianus ait, nimis verum eſt, Chriſtianos deſtinatos eſſe juſtos temporis æſtimatores: *Nos deſtinati ſumus a Deo, ante mundi conſtitutionem judices temporum.* Sed plerique hoc nullo habent in diſcrimine. Quorſum hoc? Quia illis perſuaſum non eſt, id temporis ſibi conceſſum fuiſſe, ut inde quæſtum facerent. Non credunt fore, ut illud ipſi reparare nequeant, ubi illud ſemel amiſerint; & ſi ſcirent, quid amittunt, poſtquam amiſerunt illud, ſibique elabi paſſi ſunt occaſionem ſemper merendi, næ illi quidem operam diligentius navarent, ne quid ſibi temporis interiret. Heu! Si princeps ſuos tibi objiciens theſauros per horam integrum tibi faceret, quidquid velles, auferre, nunquid otiareris, nunquid dormitares? Manus tuas repleres iis rebus, quæ ſunt pretioſiſſimæ. Attamen hæc omnia peritura eſſent bona cum illis collata, quæ pro cœleſti gloria potes acquirere. *Ex collectione delectorum ſermonum P. Champigni ſermone de bonis operibus.*

Senſus reprobi in inferno de amiſſi temporis jactura.

Cum reprobus animo præteritæ vitæ ſuæ annos omnes recogitabit; cum recordabitur momentorum omnium, quæ ſibi a Deo conceſſa fuerunt, quibus in ipſius poteſtate ſitum erat agere pœnitentiam, & nihilominus ea omnia inutiliter perdidit, & fieri non poſſe, ut ne unum quidem revertatur, quam funeſtæ cogitationes illi circa tempus hoc oborientur? Sed quænam erit deſperatio ita rem adeo pretioſam perdidiſſe? Quadraginta, vel quinquaginta annos vixi; in his annis tot dies habui, & in his diebus tot horas, atque momenta, quibus pœnitentiam agere poteram, ac ſalutem meam operari; attamen quin ad id animum adverterem, ineptiis, nugiſque immoratus ſum, atque præclaras occaſiones mihi elabi ſum paſſus; irreparabilis eſt jactura mea. O momenta! o dies! o anni! o æternitas! Licet reprobus hic unicum dumtaxat habuiſſet momentum, & illius jacturam feciſſet, momentum hoc illius eſſet carnifex, eumque tantæ jacturæ memoria torqueret. Sed tot momenta, tot dies amiſiſſe, hi totidem erunt carnifices, totidemque argumenta deſperationis. Æternum dicet, ſed alio modo, quam a Propheta Iſaia capit. 38. dictum fuit: *Recogitabo annos meos in amaritudine animæ meæ.* Æternum triſti examine

omnes vitæ præteritæ annos excutiet; ſed memoria ſua repulans annos, qui non ſunt amplius, oculus conjicit in tempus, quod nos habemus; atque ideo ſexcenta ſovet inutilia deſideria, quæ illius augent ſupplicium, etenim, amabo vos, quodnam eſt ardentiſſimum reprobi in inferno deſiderium? eſt ſane unum habere ex illis diebus, atque momentis, quæ nos inutiliter perdimus. Heu! ſi habere ille poſſet unum eorum, quæ ipſi veſtris ſolatiis, & vanitatibus impenditis, pœnitentia ſua aperiret infernum, & cœli januas reſeraret. Sed ſi hæc deſideria, & vota illi ſunt inutilia, nobis tamen erudiendis prodeſſe poſſunt, & ex pretio, in quo ab illo tempus habetur, diſcere poſſumus, quanti ſit a nobis faciendum. *Biroat, ſermone hujus argumenti in Dominicali.*

Commendabilis eſt temporis avaritia licet alia qualibet ſit damnanda.

Sapiens quidam Ethnicus docet, avaritiam, quæ aliis quibuſcumque in bonis damnanda eſt, laudabilem eſſe in eo, quod ad temporis uſum ſpectat; cum enim ita breve ſit, maxime pretioſum eſt, Sed potiori jure Chriſtianus temporis avarus eſt, ejuſque momentorum rationem debet habere; hæc quippe totidem ſunt ſemina, quæ magnos fructus producere poſſunt. Chriſtianus ſingulis momentis Deum glorificare poteſt; ſingulis momentis poteſt acquirere æternitatem; ſingulis momentis recentia gloriæ incrementa poteſt adipiſci. Ratio deſumitur ex ſtatu gratiæ, in quo verus Chriſtianus paſſim vivit, & habituali charitate, quam poſſidet, & ex hoc permanenti propoſito inſerviendi Deo. O felicem hominis chriſtiani conditionem! quam pretioſum in manu illius tempus eſt! quam pretioſæ horæ, & momenta! *Idem.*

Parvus uſus, quem Chriſtiani tempo is faciunt.

Neſcio quid futurum ſit, ac prohibeat Deus; ne eventus exteriori rerum ſpeciei reſpondeat! Sed plerorumque Chriſtianorum vitam intuiti ex uſu temporis, quem faciunt, non ita fauſta ominari poſſumus quoad æternitatem, quam putant ſe conſecuturos. Video equidem inceſſanter in mundo laborari. Quot ærumnæ! quot ſudores! Sed ſi temporis noſtri ordinem ad examen revocaverimus, inveniemus ibi tempus rebus quibuſcumque impenſum, præterquam ſaluti, atque æternitati. Tot horæ ſomno addictæ, tot ſolatiis, tot labori, tot ſtudiis; & orationi, ac ſaluti vix horæ quadrans impenditur. Et nihilominus ad id nobis Deus tempus concedit: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Ad Galat. 6. Dum tempus eſt, eodem ad ſalutem noſtram utamur, veriti, ne ullum, nobis impoſterum futurum ſit tempus. Feſtinemus; *Venit nox, quando nemo poteſt operari,* Dei filius inquit Joann. 9. Donec poſſumus, & Deus nobis id faciendi præbet ſubſidia, faciamus, ita ut unus quidem nobis elabatur dies, quin ſuum conſtitutum habeat tempus, quo orationi, bonorum librorum lectioni, &c. vacemus. *Idem.*

Quid ſit redimere tempus & quomodo hoc fieri poſſit.

Tempus redimendum eſt, quoniam dies mali ſunt: hoc dicebat S. Paulus docens Epheſios, quomodo illis utendum eſſet tempore: *Redimentes tempus*; quod duplicem admittere poteſt explicationem, quæ duplicem, eumque varium chriſtianæ prudentiæ nobis uſum oſtendunt. Prior reſpicit tempus præteritum, ac in eo poſitus eſt, ut bonis operibus, & pœnitentia reparetur. Nam licet nullum ſit nobis jus in hoc tempus, quod e manibus noſtris evolaſſe videtur, neque amplius in noſtra eſſe poteſtate; ſanctitas nihilominus, quæ particeps eſt divinæ æternitatis in ipſum præteritum habet jus, atque per pœnitentiam quodammodo dies male inſumptos reformat, revocatque tempus amiſſum diligentia, qua, quod reliquum eſt, impendit: *Redimentes tempus.* S. Hieronymus hoc alia explicat ratione, quæ ad præſens refertur; videlicet cum illud impendimus, illud quodammodo redimimus, quoniam per primi hominis peccatum amiſeramus; vel bono illius uſu meremur, ut Deus menſuram illius augeat. *Idem.*

Qui diu vivunt, quin chriſtiane vivant, ſimiles ſunt navi procella vexatæ, quæ plurimas quidem patitur agitationes, & modicum itineris facit. Sed homo juſtus, qui totus ſaluti ſuæ, Deique ſervituti vacat, in brevi paucorum annorum ſpatio multum invenit temporis in precibus, pœnitentia, boniſque operibus tranſmittendi; quoniam momenta ſingula ponit in lucro, & omnia illi fiunt meriti occaſio; cum e contra qui ſalutis ſuæ negligit curam, & qui in id unum intentus eſt, quomodo inordinatus ſuis cupiditatibus ſatiſfaciat, plurimo eget tempore, quod impendat ludis, voluptatibus, ſolatiis, negotiis, ambitioni, vanitati; & quo adimpleat ſexcenta urbanitatis officia, quæ mundus quidem injuſte petit, Deus autem non quærit. Tot requirerentur vitæ, quot ſunt diverſæ occupationes, in quibus dividere debet vitam hanc brevem, unicam, & incertam, quam illi dedit Deus ad promerendam æternitatem. *Liber cui titulus: Paſſiones Domini Noſtri.*

Quanam in re hominum pleriqua tempus impendant.

Dicimus in fine temporis ferre judicium de temporis pretio; & ex temporis pretio judicare diſcimus de vita mundi, & noſtra; etenim quanam in re impenditur, & in qua illam impendimus hactenus? Alii eam in gravibus flagitiis tranſmittunt, in nugis alii, alii vero in chimericis ideis, inanibuſque laboribus. Alii autem neſciunt, quid agant, eamque tantummodo perdere quærunt. Traditur cuicumque, ſeſe primum obtulerit, rei; eam ſine querela nobis eripi ſinimus; eaque una res eſt, cujus prodigi ſumus. Conſiderandus eſt hic rapidus torrens, qui in nihilum rapit ea omnia, quæ ſunt tempori ſubjecta: *Momentis tranſvolantibus cuncta rapiuntur, torrens rerum fluit*, inquit S. Auguſtinus Pſalm. 38. Vel cum illis tranſimus, ſi illis major, quam nobis ſoliditas adeſt, vel illæ nobis tranſeunt, ſi ipſi præ illis diutius permanemus. Denique omnia fluunt, & nihil temporale ſubſiſtit. *Ex ſpecimine morali.*

De futuro ex præterito judicium ferendum eſt.

Cum præteritum ſit imago futuri, de eo, quod fuit, conjicite quid erit. Tempus fuit, quo præteritum nil fuit, niſi merum futurum; tempus erit, quo de futuro idem erit, ac de præterito, & quemadmodum præteritæ deliciæ, voluptates, honor, exiſtimatio, laudes præteritæ non ſunt amplius, ita erit de iis omnibus, quæ futurum nobis in hoc mundo pollicetur. Omnia erunt præterita, omnia auferentur oculis noſtris, omnia ex manibus noſtris elabentur. Quid vobis proderit tunc fuiſſe, quod eſſe voluiſtis, & id acquiſiviſſe, quod acquirere conamini? Liber, cui titulus: *La vie reglée dans le monde.*

Celeritas qua tempus deſluit.

Ex omnibus temporibus, quæ vitam noſtram componunt, præſens dumtaxat in noſtra ſitum eſt poteſtate; quod ipſum ita pernicirer tranſvolat, ut elabatur non ſentientibus nobis. Fulgur, quo nubes ſcinditur, telum, quo aer verberatur, navis, quæ vehementi acta aquilone miro impetu fluctus ſecat, ſtellæ firmamenti, quæ incredibili motus ſui rapiditate momento immenſa ſpatia percurrunt, leves ſunt imagines ejus celeritatis, qua tranſvolat præſens, quod non eſt amplius ſtatim ac incipit eſſe.... Attamen hoc illud tempus eſt, quod eſt ſaluti noſtræ propitium, ut Apoſtolus 2. ad Cor. 6. inquit: *Nunc eſt tempus acceptabile.* Commodum hoc tempus ad bonum operandum; tempus hoc aptum, ut ex peccati ſomno evigilemus; tempus hoc, quo facile Deum quærere, & invenire poſſumus, præſens eſt, quod flocci facimus, quod in nugis, vanitatibus, ſupervacuis ſermonibus, ineptis oblectationibus, inutilibuſque negotiis impendimus. *Idem.*

Mors, ut ita dicam, omnia vitæ noſtræ momenta ſibi oppignoravit; ne unum quidem eſt, quo illi obnoxii minime ſimus; ne unum quidem eſt, quod citra injuſtitiam nobis vindicare, vel citra præſumptionem nobis promittere valeamus; ne unum quidem eſt, de quo non diffidere, & a quo nobilmet non cavere debeamus; etenim ne unum quidem eſt, quod lethale vulnus nobis inferre non poſſit, & quemadmodum in præterito nul-

Digitized by Google

nullum fuit; quod extremum vitæ noſtræ eſſe nequiverit; ira in poſterum ne unum quidem eſt, quod primum eſſe non poſſit noſtræ æternitatis. *Idem.*

Eo in tempore, quod habemus, de æternitate cogitare debemus

Æternitas magnum illud eſt futurum, quod expectare, & cogitare debemus; & illud, quod invitis, & citius, quam putamus, ingruat. Regius Propheta ſemper in illud mentem intentam habebat; jugiter meditabatur longam hanc ſæculorum ſeriem, infinitam hanc annorum multitudinem, qui ſibimet jugiter invicem ſucceſſuri ſunt. Inceſſantet conſiderabar ingentem hanc ſine fine abyſſum, immenſum hunc bonorum malorumque oceanum, quæ bonorum præmium, malorumque pœna futura ſunt, quin ulla unquam vel in aliorum felicitate interruptio, vel in aliorum calamitate remiſſio inveniatur: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Pſalm. 76. *Idem.*

Quomodo tempus noſtrum eſt, & non eſt.

Nihil eſt, quod magis ſit noſtrum, ſimulque minus noſtrum, quam tempus; quoniam eodem uti poſſumus, ut libet, illudque in illud, quod arriſerit, exercitium impendere. Hoc nobis auferri nequit, niſi vita auferatur, atque tunc etiam cum anima noſtra ſit immortalis, quin temporis noſtri duratio fiat brevior, ſit æterna. Quod ſi nihil magis noſtrum eſt, magiſque in noſtra ſitum poteſtate, quam tempus, nihil ſimul eſt, quod ſit minus noſtrum, minuſque in noſtra poteſtate poſitum; quoniam ne de una quidem die diſponere poſſumus, &c. *Idem.*

En quid nobiſmet ipſis dicere debeamus. Tantum temporis eſt, ex quo reipublicæ ſervio, ex quo verſor in foro, dicere debet magiſtratus, & cauſidicus; atque tot inter labores, & curas pro amicis ſuſceptas, tot inter dies, quos illis impendi, quibuſcum nulla mihi erat affinitas, vel neceſſitudo, ullamne horam unquam impendi, qua meæ conſcientiæ conſulerem? Jam pridem inertem duco vitam, horas, menſes, dies, annos in ludis, deambulationibus, converſationibus, ſpectaculis, viſitationibus, dicere debet hæc mulier; atque inter has occupationes, & converſationes vel inutiles, vel noxias, ubinam tempus eſt, quod in chriſtianis operibus impendi! *In ſermon. moral. ſerm. de temp.*

Pleraque hominum negotia ſunt temporis jacturæ.

Negotioſi homines, qui totum vitæ ſuæ tempus inanibus terræ hujus curis impenderunt, quin aliquam illius partem reſervarint unico illi negotio, pro quo in mundo ſunt, ſaluti videlicet ſuæ, & quin ſingulis diebus aliquod momentum in Dei cultum tranſmiſerint; id genus homines, inquam, juxta Prophetæ Pſalm. 36. verbum, nonne mentem ſimul, & corpus inutilirer, ac ſine fructu attriverunt? *In vanum laboraverunt.* Ideo Spiritus S. illos comparat araneis, quæ omnem ſuam exhauriuntur ſubſtantiam miſeram texendo telam ad muſcas videlicet capiendas, pulveremque colligendum. Heu! eorum querela, ac pœnitentia in æternum erit inutilis. Nimis ſero poſt mortem id dicent, quod Sapiens ſimiles eorum loquentes inducit: Hæc omnia locupletandi conſilia nonniſi phantaſmata, & chimæræ fuerunt. Defatigati ſumus in via iniquitatis, quin ullam perciperemus utilitatem, neque voluimus illam ſequi viam, quam Dominus nobis oſtendit. *P. Dozenne in libro, cui titulus: Mundus a ſeipſo damnatus.*

Tempus labitur non reverſurum.

Mærore ſummo confecti nequicquam omnes eas evocabitis horas, quæ cum jucunditate lapſæ ſunt; aures non habent, ut vos audiant; neque ulla celeritas eorum celeritati par eſt: anni mei, dicere poſſumus cum Job, tanquam torrens effluxerunt, meque cum illis trahi video per eam viam, per quam nunquam mihi licebit reverti. Poterat Deus facile ſancto huic viro reddere domos, greges, amicos, & filios ejus, ſed præteritum illi tempus reddere non poterat. Tranſire, & perire, S. Proſper ait, cum de duratione ſermo eſt, unum eſt, & idem. Quod præſens eſt, ſaltem ſe obiter ſinit attingi; & quod futurum eſt, aliquam ſemper remittit ſpem. Sed tempori væ, quod elapſum eſt, ſatis eſt ſemel fuiſſe, ut nequeat amplius reverti. O pretioſa momenta, quibus in manibus meis

mea verſabatur fortuna! quibus ego felicitatis meæ dominus, & arbiter fui, nunquam redibitis! & fruſtra nunc veſtri deſiderio conficior. *Idem.*

Quomodo præteritum tempus reparandum ſit.

Credimuſne, a Deo nobis tempus concedi, ut eodem ad eum lædendum, & irritandum abutamur; an potius ut noſtra reparemus crimina, & iracundiam ejus flectamus? Viator, qui agnoſcit plurimum ſe amiſiſſe temporis vel in erroribus ſuis, vel in viarum diverticulis, vel in nugis, ſibique adhuc diei modicum, itineris vero plurimum ſupereſſe; nonne celerius graditur; nonne tempus reparare conatur? Nunquid ad id tunc expectare cogitamus, cum lata erit terribilis illa ſententia: *Tempus non erit amplius?* Apoc. 10. *P. Nepveu in chriſtianis conſider.*

O Deus! infelix damnatus ait, ſi voluiſſem eo tempore uti, quod habui! Si feciſſem, quod mihi faciendum erat, & quod facere non poſſum modo; eo tempore, quod ludendo, ridendo, inutilia loquendo, dormiendo conſumpſi; eo tempore, quo totam in manibus meis fortunam meam habui! Ego fui dominus, & arbiter felicitatis meæ; mihi integrum fuit 40. vel 50. annis in cælo mihi locupletiſſimam, ornatiſſimamque ſedem eligere, & ne animum quidem advertere dignatus ſum. O tempus pretioſum! Momenta brevia! non igitur ultra redibitis; atque mihi jam interiiſtis? *P. De la Colombiere.*

Si temporis curam haberemus infinita merita acquireremus.

Si temporis curam haberemus, quam brevi divites fieremus! quot gloriæ gradus, quot pro æternitate theſauros congereremus? Nulla ex actionibus noſtris virtus eſſet, nullum eſſet verbum, nulla cogitatio, geſtus, aut nutus, quod cœlum non mereretur. Nullum eſſet cordis noſtri ſuſpirium, quod pro Deo non eſſet quidam veluti charitatis actus, & ut verbo me expediam, nullum eſſet momentum, quod integram non valeret æternitatem. O quam pretioſa eſſet vita adeo ſancte traducta! Momenta ſingula pluribus annis præſtarent, & unus dies ſæculis integris. Hæc ratio eſt brevi ad ampliſſimam ſenectutem perveniendi, quandoquidem, ut Sapiens ait, non annorum, ſed bonorum operum numerus venerabilem præbet ætatem. Heu! undenam ergo fit, quod tempus ita prodigimus, ac illud ex manibus noſtris eripi ſinimus? Quare adeo modicis ſumptibus locupletari negligimus? *P. Haineuve in ſecunda parte Ordinis ſermone.*

Deus hominibus paucos vitæ annos conceſſit.

Deus hominem in mundo conſtituit brevi illic habitaturum: tempus, quod inſumit bibens, comedens, dormiens, ſuis neceſſitatibus conſulens, atque ſua negotia procurans, majorem illius ſurripit partem. Modicum vero, quod supereſt, illi hac de cauſa chariſſimum eſſe debet; etenim illius tantummodo rectus uſus efficere debet, ut æternam, pro qua natus eſt, mereatur æternitatem. Nonne igitur incredibilis inſania eſt quærere, quomodo illud in vanis, ineptiſque occupationibus prodigas? Profecto per difficile eſt, quomodo homo, cui tantum ſit luminis, vigilantiæ, ac facultatis in perquiſitione earum rerum, quæ negotiorum ſuorum utilitati conferre aliquid poſſunt, ita negligat hæc pretioſa momenta, ex quorum uſu illius pendet æternitas. Ille autem inſaniæ cumulus eſt, quod cum vel non invenit, vel amiſit occaſionem faciendi jacturam hanc irreparabilem, magno dolore conficitur, & cum ita miſer eſt, ut illam paſſus fuerit, ſummo gaudio afficiatur; ille, qui alioquin vel leviſſimum nequit referre quæſtum, neque vel leviſſimum lucrum reportare, quin lætitia afferatur, & vel minimum aliquid poteſt amittere, quin gravi mœrore tabeſcat. *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri dialogo 2.*

Hominum de vitæ brevitate querela.

Querela communis eſt, non vulgi ſolum, cujus ſenſus non ſemper admodum æqui ſunt, verum etiam eorum, qui virtute, ſapientiaque maxime præſtant, hominum vitam nimis eſſe brevem, ac dies ſuos nimium celeriter tranſvolare. Job hanc flori comparat, qui mane floreſcit, meridie ſeſe explicat, ac veſpere flacceſcit, una eademque die ortum, progreſſum, atque inte-

interitum habens: *Qui quaſi flos egreditur, & conteritur.* Job. 14. S. Jacobus illam vapori ſimilem dicit, qui ut evaneſcat, non alia opus eſt re, niſi quod Sol eoſdem adhibeat radios, quibus uſus eſt, ut illum ex luto educeret, atque attolleret in aera: *Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Jac. 4. Umbra eſt, inquiunt alii, quæ lumine accedente fugit, & diſſipatur; & impii, quos Salomon in Sapientiæ libro loquentes inducit, licet ex veriſſimo principio peſſimas argumentationes eliciant, tamen naturalem afferunt brevitatis vitæ characterem. eam ajunt, ſuam breviorem fuiſſe curſore lætum afferente nuncium, ac ne ab aliis prævertatur, metuente; ſimilem fuiſſe navi maris fluctus ſecanti, cujus ſemita dicto citius evaneſcit; ſimilem volucri per aerem volanti, cujus pennatum plauſum audis, quin intelligere valeas, qua tranſit; ſimilem denique ſagittæ, quæ in ſcopum ſuum tanta fertur celeritate, ut nihil eam remoretur, & nullum ejus in aere veſtigium permaneat. Hoc ipſum accidit nobis; vix nati ſumus, cum moriendum fuit; nullum fere interceſſit ſepulchrum inter, & incunabula ſpatium; ab his ad illam rapti fuimus, quin per tempus vitæ ſuavitatem nobis guſtare liceret. *P. Grizel in Adventu ſerm.* 12.

Impiis a peccato recedere nolentibus expedit ſibi a Deo vitam auferri.

Impio in improbitate ſua permanere volenti expedit, vitæ ſuæ dies a Deo minui, & neceſſitate, ut S. Bernardus ait, finem imponi abominationibus, quibus voluntas nullum moderationis genus voluit adhibere. Quid? Quin te de tuis corrigas vitiis, illa in dies auges? Semper nequitia creſcis, indeſinenter in eadem progrederis, ac Deus te diutius in ea vivere ſinet? Res etiam agitur tua, quod te tollat de medio; vita enim non prodeſt, niſi ut ſceleribus tuis cumulus accedat, atque in dies nocentior fias, ideoque gravioribus aliquando ſuppliciis afficiendus. Multiplicas debita tua, atque in alteram vitam tibi iræ theſaurum theſaurizas: latam amas viam, quæ ducit ad interitum; & ſi tibi integrum eſſet tantum illi præbere longitudinis, quantam latitudinis habet, tibi ſane non deeſſes: *Eouſque latam deligis viam, ut omnibus modis ſi poſſes, faceres longam*, S. Bernardus ait. *Idem.*

Properemus, quoad fieri poterit, ad terminum nobis præſtitutum; videlicet feſtinemus illam adeptari perfectionis, & ſanctitatis gradum, quem Deus expectat a nobis; cum tandiu ſubſtitimus, quantum noſtra nobis oſtendit conſcientia, ſatis liquet nobis plurimum itineris abſolvendum ſupereſſe. Curramus ergo indeſinenter ad finem ſtadii, quod ingreſſi ſumus, cœleſtis felicitatis bravium relaturi, cum certum ſit, illos, qui ſanctum hoc ingreſſi ſtadium curſum ſuum perfecti non ſunt, magno in periculo verſari tantum hoc amittendi premium, niſi inſuetos conatus exerant, atque extrema pernicitate decurrant. Curſus longiſſimus eſt, ac tempus nobis ad illum abſolvendum datum, eſt breviſſimum. Judicate igitur, utrum noſtra interſit, ſumma cura tempus hujus rationem habere, idque eo magis, quod nobis perſuaſum eſſe debet, illud nobis a Deo concedi, ut laboribus, lacrymiſque noſtris nosmet miſericordiis illius dignos præbere admitamur. O quam pretioſum nobis hoc eſſe tempus decet! Quibus impenſis nobis eſſent emenda inæſtimabilia hæc momenta, quæ adeo inutiliter labi patimur? Heu! quid nobis hac in re noſtra exprobrare non poteſt conſcientia? Quid reſpondebimus in judicio Dei cum repetet, quemadmodum repetiturum ſcimus, diſtrictam rationem annorum omnium, vel potius horarum, ac momentorum, quæ elabi paſſi fuerimus, quin illi inſerviremus, & de ſalute noſtra cogitaremus? *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri.*

Vere hujus tempus eſt tempus laboris.

Verum eſt, Deum conceptis dicere verbis in Exodo cap. 20. ſe permittere quidem, ut ſex dierum operi vacetur; ſed prohibere, ne die ſeptima quidquam operis fiat; nam ait ille, hic dies eſt Sabbathi, quem ſibi ſacrum voluit. Sex illi dies labori devoti exhibent vitæ tempus, quod nobis tradidit Deus, ut ſalutem noſtram operaremur; dies vero Sabbathi, quo quieſcendum, figura eſt temporis mortis, quo non eſt amplius integrum operari. Hoc non eſt amplius tempus, quod in noſtra ſitum ſit poteſtate, ſed in illius tantum poteſtate ſitum eſt, qui facit tempus. Ita dicere poſſumus, tempus vitæ eſſe *diem hominis*: mortis vero tempus eſſe *diem Domini*. Et bona fide quæſo, tempuſne eſt in vineam ad operandum exeundi cum veſpere facto laborem relinquant, ac ſeſe diſponunt ad recipiendum denarium, quem pacti ſunt pro labore diurno? Nonne ſtultum eſt, diſponere velle de eo tempore, cujus penes unum Deum eſt arbitrium? *Idem.*

Conſiderationes de tempore, & æternitate.

Omnia incredibili pernicitate prætereunt: *Tranſvolantibus momentis, rapiuntur cuncta*, S. Auguſtinus ait. Procedit æternitas, & pauca illa, quæ nobis ſuperſunt momenta jamjam in hanc adeo terribilem immenſitatem ſunt abitura. Sed hoc nobis ſolatio eſſe debet, quod ſcimus, declaraſſe J. C. ſe clementer judicaturum ſervum, quem vigilantem, & ſibi commiſſo operi vacantem invenerit. Quid cogitant homines? Omnia hoc in mundo mirabili rapiditate pertranſeunt; ac periculum eſt, ne quovis momento id amittamus, quod præ cæteris diligimus. Interim æternitas, ac tempus nullo in diſcrimine habentur, & deplorabili inverſione tempus eum obtinet locum, quem æternitas ſola habere deberet. Dicant, quodcumque libitum fuerit, omnia mira pernicitate prætervolant; una manet æternitas, quæ involvit omnia Mundi bona, quæ majorem habent illecebram, phantaſmata ſunt, quæ oculos perſtringunt, animumque fallunt, ac re ipſa nihil ſunt; & poſt illa nihil remanet, quam æterna pœnitentia, quod ea neglecta fuerint, quæ ſolida erant, & quæ ſola nos ad Deum adducere poterant, ut inanes umbras conſectaremur... Omnia prætereunt, & hominum vita licet diuturna in Dei æternitate abſconditur, ac perit non ſecus ac aquæ gutta in oceano, atque ex eorum cogitationibus, actionibus, atque conſiliis nihil remanet niſi ſola opera, quæ facere potuerunt ſine ulla propriæ utilitatis cogitatione. Quidquid pro Deo non eſt, erit aliquando quaſi nunquam fuiſſet, & maximus dolorum noſtrorum erit in ingrato ſolo ſeviſſe, tribulos tantum, ac ſpinas parituro. *Abbas Trappenſis tom. 2. chriſtianarum conſiderationum.*

Effluunt anni, pernicitas momentorum, quam nihil unquam cohibere valet, nos indeſinenter rapit in mortem; velimus, nolimus, ſequimur hunc rerum humanarum torrentem, qui nos ſecum præcipites agit in hanc abyſſum ſepulchri, ubi honores omnes, tituli, ac nomina pereunt, & confunduntur: & nos ipſi reperiemus, jam fatalem hunc terminum attigiſſe, quin aliquid pro Deo, ac cœlo aggreſſi fuerimus. Heu! Amittimus tempus merendi, quin meritum ullum acquiramus; abutimur patientia, & longanimitate Dei nos præſtolantis iræ theſaurum in diem ultionis theſaurizantes; omnes vitæ noſtræ dies in noxia inutilitate traducimus, quin cogitemus venturam noctem, qua non erit amplius integrum operari. *Abbas de Jarry ſermone de Annunciatione.*

Quemadmodum omnia ſuum tempus habent, ita & tempus eſt ſalutis operandæ.

Notatu dignum eſt in Scripturis ſeu veteris, ſeu novi teſtamenti, ubi de inſigni aliquo eventu ſermo eſt, addi, hoc eveniſſe eo tempore, quo a divina præſtitutum erat providentia, vel quod determinaverat Deus. Ita Verbum æternum caro factum eſt in terra eo tempore, quod aptiſſimum, atque peropportunum cenſuit; & S. Paulus in Areopago declaravit, a Deo prænotatum fuiſſe hoc tempus ad hominum ignorantiam, ac idololatriæ tenebras, quibus tot ſæculis obruti fuerant, diſſipandas. Quod ipſi occaſionem dicimus, in Scriptura tempus opportunum, & commodum appellatur: *In tempore opportuno.* Pſal. 144. Porro ſi teſtatur Sapiens, unicuique rei ſuum eſſe tempus, id multo magis dicendum eſt de ſalutis negotio, ad quod cætera quæcunque ſunt referenda. Ita Dei filius lacrymas effudit ſuper excidium urbis Jeruſalem, eo quod Salvatoris viſitatione,

& gra-

& gratia, quæ ab eo fuerat cumulata, nihil fructus percepiſſet: *Si cognoviſſes & tu, quæ ad pacem tibi &c.* Luc. 19. Sed tempus nunc præteriit; tempus illud, quod elegerat, ac decreverat ad ſalutem illius operandam. Ita nos Apoſtolus admonet, nunc tempus eſſe ſaluti noſtræ propitium, nunc hortatur, ut bonum operemur, donec tempus habemus. Tempus autem ad id deſtinatum, opportunum, acceptabile, eſt tempus præſens; neque enim in præterito confidere poſſumus, quod non eſt amplius, neque in futuro, quod pro nobis fortaſſe non erit unquam. *Auctor Recens.*

Noluit Dei filius Apoſtolos noſſe futurum, eumque hac in re curioſitatem repreſſit.

Cum Dei filius cum Apoſtolis ſuis, ac nobiſcum in perſona eorum locutus eſt, eos admonuit, ut ſemper eſſent parati ad migrandum ex hac vita, neque enim ſciebant, quandiu illic eſſent moraturi, & diem, atque horam, qua inde abeundum ipſis erat, ignorabant: *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.* Matth. 25. Immo eorum cognitioni ſubtraxit, quidquid ad futurum pertinet tempus, & ſicuti nullus eſt princeps, qui gloriari poſſit, ſe vel unum in poteſtate ſua habere diem, ita nemo tam perſpicax eſt, qui futuri tenebras valeat penetrare. Eo uſque ut Salvator idem aliquando diſcipulorum ſuorum curioſitatem repreſſerit inquirentium, quandonam illa ventura eſſet dies, de qua apud eos frequentem habuerat ſermonem; & alia vice, cum interrogarunt, utrum reſtituturus eſſet regnum Iſrael, & quandonam venturum eſſet beatum illud tempus, quod præſtolabantur: Veſtrum non eſt, ait illis jejune, noſſe tempora, & momenta, quæ pater meus poſuit in poteſtate ſua, & quorum arbitrium penes ipſum tantummodo eſt. *Idem.*

Dei filius in evangelio nos docuit, quomodo tempus bene poſſit impendi.

Quantum voluit Deus futurum tempus eſſe abſconditum, ignotumque omnibus hominibus, tantum ille qua parabolis, qua familiaribus exemplis illos erudire conatus eſt de eo, quod tempore præſenti faciendum erat: modo dicens, hoc tempus eſſe negotiandi, eiſque proponens exemplum patrisfamilias famulis ſuis pecuniam diſtribuentis in queſtu ponendam: *Negotiamini dum venio;* Luc. 19. Modo ob oculos eorum objiciens exemplum viatorum interdiu iter feſtinantium, ne nocturnis tenebris intercepti errore viarum fallantur: *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Modo denique opificum illis exemplum ſubjiciens, qui interdiu dumtaxat poſſunt operari; quia nox, hoc eſt alterius vitæ tempus, non labori, ſed quieti deſtinatum eſt: *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Joan. 9. Cum autem eos alibi ſatis docuiſſet, quid illis eſſet faciendum, & quanam in re tempus illis inſumendum eſſet; ita ſatis fuit indicare, illos præſenti dumtaxat tempore pro cœli acquiſitione operari poſſe, ambulare, & progredi in viam ſalutis; negotiari, & acquirere propter æternitatem. *Idem.*

Cur tempus nobis datum ſit, & quomodo in aliud quodlibet impendatur.

Tempus eſt pretium æternitatis. Tu nobis illud largiris, Domine, ſed ut illo legitime utamur ſecundum conſilia tua; videlicet ut tanta cum religione, ac fide utamur, ut ſi fieri poſſit, ne unum quidem momentum ſit, quod non referatur ad id, quod ipſe conſtituiſti. Hoc igitur nonniſi quibuſdam cum conditionibus habeo; quas niſi adimplevero, me indignum præbeo eo munere, quod mihi contuliſti. Homines illud nihili faciunt; plerique dies ſuos traducunt, quin tanti momenti veritatem recogitent; ac longe plurimi ſunt, quibus in hora mortis negaſti momentum, quod illis erat neceſſarium; eo quod tota eorum vita non aliud fuit, quam temporis illius diſſipatio, quod illis tribuiſti, tanquam medium ad æternam beatitudinem aſſequendam. *Abbas Trappenſis in moralibus conſiderat.*

SUPPLEMENTUM.

Ejus jactura, & uſus.

Quam pretioſum ſit.

TEmpus non eſt argento venale, nec auro; ſed æternitas bonorum operum pretio comparatur. Quid refert utrum vita ſit brevis, dummodo ſancta ſit, & quid prodeſt illam eſſe diuturnam, ſi nequior extiterit? In vitæ libro non recenſet Deus annos, quos in vitiis tranſigimus; hoc tempus pro æternitate amiſſum eſt. Si olim exprobravit pravis Angelis, momentum, vel ad ſummum horæ quadrantem, quem illis permiſerat ad gloriam promerendam, & quo abuſi ſunt in interitum: quam ex nobis exquiret rationem tot horarum, tot dierum, tot annorum, quibus in peccatis verſati ſumus. Unicum momentum in optimum uſum impenſum immarceſſibilem gloriæ coronam in Cœlo nobis promeruiſſet: quid vero proficere poteramus tot decies centenis momentorum millibus, quæ nobis Deus large, effuſeque donavit. Quos meritorum theſauros congerere licuiſſet! O momenta inutiliter perdita! Quid, filii ſæculi atque tenebrarum ardentius honoris auram, periturasque captabunt divitias, quam a nobis quæratur Deus, qui nos e nihilo eduxit, ut faceret ſuæ gloriæ participes; qui nos ſuo redemit ſanguine, cum omnino, & in nullam reditus ſpem actum eſſet de nobis. O homines inconſideratos! quandonam oculos aperietis, ut id intueamini, quod poſt tempora futurum ſit. Ut raſpiciatis gloriam vobis promiſſam per tot nubes, quæ oculis veſtris offundunt caliginem. *P. Novet in meditationibus.*

Uſus temporis a chriſtiano factus.

De Chriſtiano, qui novit rite ſuum tempus impendere, dicere poſſumus, quod Seneca in lib. de brevitate vitæ cap. 15. de ſapiente dictitabat; hunc penes eſſe temporum omnium arbitrium; præteriti quidem, nam illud memoria ſua revocat, præſentis, eodem quippe utitur egregie, futuri autem, nam illud ſua prævidentia anteverterit. Ita temporum omnium mixtione vita diuturna fit; nam quantumvis ſit brevis, ſemper ſatis longa eſt illam in optime vivendo impendenti. Quinam illi ſunt, quorum vita duratione admodum brevis eſt, & curis valde moleſta? Illi procul dubio, qui præteriti obliviſcuntur, qui negligunt præſens, & futurum nimis reformidant. Id genus ſunt peccatores omnes, qui mori timent, & bene vivere negligunt. Cave ne ſis ex horum cæcorum numero, qui ſemel dumtaxat amans. Sume tibi pro duce amorem Sapientiæ, & lumnaum ipſius ope revoca obſcura tempora, quibus in ſcelaribus vitam tranſegiſti, ut agas ſcelerum tuorum pœnitentiam. Rege tempus præſens, ut indeſinenter tuæ ſtudeas incolumitati, atque in anteceſſum cogites, animoque prævertas tempus mortis, ne te opprimat incautum. Morere nunc tibi: morere mundo, morere creaturis omnibus, & te in ſtatum adduc in quo, ut S. Paulus 1. Cor. 15., dicere poſſis: *quotidie morior.* Tunc verum erit dicere, te ſatis bene tempus impendiſſe, quoniam momenta ſingula poſueris in lucro ſalutem tuam operaturus. *P. Novet, & Recens.*

De tempore ejuſque natura.

Dicite mihi, quæſo, quid ſit tempus; hoc erit ne compoſitum quoddam ex ante præterito, & ante futuro ſimul in præſenti momento conjunctis? ſe quiſnam vidit umquam tale monſtrum, cujus ens ex duplici ente conflatum eſt, ex præterito, quod amplius non eſt, & ex futuro, quod nondum eſt? Quænam hæc eſt mira natura; haurire ortum ex morte, originem ex defectu, qui viget atque ſubſiſtit! Deficit enim, & moritur; pater & filius ſui ipſius, ſuimet principium, & deſtructio; quoniam non ſubſiſtit, niſi jugiter deficiens, ac ex continua ſui deſtructione coaleſcit. Ubinam eſt tempus futurum? involutum eſt tamquam filum in glomere; collectum, & congregatum velut aqua in abyſſo profunda. Præſens illud

revolvit, & fontis inſtar illud guttatim diſtillat. Ubinam eſt præteritum? num iterum revertitur, & redit in ſe ipſam? Si hoc verum eſſet, intelligerem quid ſit tempus. Sed falſo. Si enim præteritum, & futurum conſiſtunt, & manent, non ſunt amplius neque præteritum, neque futurum; utque ſemper ſint in eodem ſtatu, opus eſt, ut tempus compoſitum ſit ex duobus entibus, quorum alterum non eſt amplius, alterum vero ſemper eſſe debet. Ecce autem quid ſit tempus. Aſſerere autem quomodo in tempore momenta prætereant; quomodo hæc indiviſibilia ſe extendant, ut fiant magna ſpatia, & longa intervalla; & momenta nodis eſſe, non partibus ſimilia; tempus quidem eſt connectere, non autem componere: *Exardeſcit animus*, S. Auguſtinus ait, *ſcire illud implicatiſſimum ænigma. En libro cui titulus*; l' Eternità conſigliera.

Animo paulisper repetamus ſubſidia, quæ nobis oblata fuere ad operandam ſalutem noſtram hoc anno, quo vivimus. Revocemus in mentem gratias omnes, quas accepimus; quot ſanctos afflatus, quot monita ſalutaria, quot ſanctiſſima exempla; quot dies feſtos, quot ſalutis dies, quot efficiendorum bonorum operum occaſiones? Omnia urgebant, ut converteremur; & omnibus abuſi ſumus. Morbus admovebat nobis mortis adſpectum, & valetudo nobis fuerat conceſſa, ut pœnitentiam ageremus. Inopinata propinquorum, amicorumque mors noſmet noſtræ admonebat, nos autem vitæ rationem mutare neglevimus. Feſti dies a nobis profanati fuerunt pravo uſu temporis ſacri. Cupiditas atque voluptas noſtra omnia abſorbuerunt, & nos perdidimus omnia. Mundus, pro quo laboravimus, præteritæ voluptates noſtræ, quæ tanto nobis ſumptu ſtetere, nunc ſarciant jacturam, quam fecimus, & quæ quodammodo reparari non poteſt. Ne una quidem anni hujus dies nobis data non fuit, ut illam ſalutis noſtræ negotio non impenderemus; in quo autem tot dies, tot horas inſumpſimus? Quam acerbus eſt dolor, qui omni ſpe caret reparationis! Capiamus conſilium ejus temporis, quod reliquum eſt, bene inſumendi. Verum eſt, pœnitentiam noſtram non poſſe efficere, ut redeat tempus amiſſum, ſed vera contritio poteſt quodammodo jacturam hanc imminuere, vel ſaltem bono futuri temporis uſu compenſare. *P. Croiſet in exercit. aſceticis*.

Bona, & mala vitæ hujus nihil ſunt animæ nullo in diſcrimine habenti quod præteriit.

Bona, & mala, quibus ſinguli anni noſtri ut ita dicam ſati ſunt, adverſitates, funeſti caſus, bonorum jacturæ, tribulationes, calamitates, morbi, ſecunda, voluptates, omnia prætereunt. Quid horum ſub anni finem reliquum eſt? Idem præter propter, quod ad vitæ finem ſupereſt. Ob hæc conſolamur, alia nullo in diſcrimine habemus, & fortaſſe faſtidimus. Bona, & mala æque pertranſeunt, & quidquid præterit, non ſatis dignum eſt, quod cor dolore afficiat, vel gaudio, cui ſola æterna bona ſatisfacere poſſunt, & cui nonniſi peccatum, æternaque calamitas eſt metuenda. Qui vere virtute præditus eſt, & cui contigit, toto anni ſpatio evitare peccatum, vel qui, cum innocentiæ detrimentum fecerit, nullam abire paſſus eſt diem, quin eamdem receperit, poſt annum neſcio qua ſuavitate repletur, cujus pretium, ac meritum ſola oſtendere poteſt experientia. Quam oblectationem adfert hæc morum ſanctitudo, hæc tot occaſionum peccandi fuga, hæc pietatis exercitia animæ, quæ ſartam, tectamque ſuam tuetur innocentiam! Animæ autem mundanæ quid ſupereſt ex tot gaudiis, profanis feſtivitatibus, & ſpectaculis, niſi amara pœnitentia anni in tot nugis rationabili homine indigniſſimis tranſacti? Cum interim pia anima in Dei miſerationibus plene confidat, quæ illam ineffabili pace replet, quæ efficit, ut ſibi promittat anno etiam ſubſequenti in bono perſeveraturam. *Idem ibidem*.

Hanc quoque diem adjicit mihi Deus, ut ſaluti proſpiciam meæ, hæc noſtra eſſe debet cogitatio; & neſcio utrum craſtinam diem viſurus ſim; ſed hæc ipſa ſola dies, ſi eadem rite uſus fuero, felicitatem, & gloriam æternam mihi poteſt comparare. Si Deus hanc eamdem gratiam largiretur eorum alicui, qui curriculum ſuum jam abſolverunt; ſi anima pro una tantum die de inferno, vel purgatorio egreſſa expiare poſſet per pœnitentiam peccata ſua, & cœlum mereri, quid faceret? Ullum ne momentum temporis adeo brevis, & pretioſi vacuum relinqueret? Non ita ſane. Illi etiam, qui ſunt in gloria in ſummi beneficii loco ponerent, ſi adhuc iis daretur dies, ad novum aliquem ſanctitatis gradum acquirendum, qui illos Deo ſuo perfectius conjungeret. Nos vero cur aliter agamus? Huic igitur diei, quem poſſidemus adhuc, applicemus id, quod Sapiens Eccl. 14. inquit; *ne defraudaveris a die bono, & particula doni boni non te prætereat*. Attenti ſimus omnibus occaſionibus, quæ ſeſe nobis offerunt aliquid bene agendi. Audiamus, & ſequamur magna ſive vocem, afflatuſque Dei. Legem nobis irrogemus, ne quid a nobis fiat oſcitanter, ſed ſingula eo modo, qui præſtantiſſimus, & perfectiſſimus eſt, operemur. Hoc quoque Sapientis monitum eſt: Eccle. 33. *In omnibus operibus tuis præcellens eſto*. Nobis etiam hoc Eccleſiaſtes dictum arripiamus; ſtatim, in arena, ſine mora efficiamus, quodcumque bonum in noſtra poteſtate ſitum eſt, quippe in inferno, quo pravus temporis uſus magis vos paſſibus trahit, nullum erit bonum, quod facere valeatis; nulla ſapientia, aut ſcientia, quæ vos illud facere doceat. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Vita noſtra conſtat annorum numero, qui ſibimet alii aliis ſuccedentes, indeſinenter fluunt, ita ut ne unus eorum dies, vel hora umquam ſit reditura. Hæc multitudo annorum, menſium, dierum, quos nobis largitus eſt Deus, ut noſtram ſalutem operaremur, ſunt proprie illud talentum vel ſolum, vel multiplex ſecundum voluntatem Patrisfamilias nobis traditum, a nobis in lucro ponendum & de quo neceſſario nobis reddenda erit ratio. Vita noſtra licet futura eſſet quam diutiſſima, in annorum ſuorum numero unum habet, qui nobis poſtremus futurus eſt, & poſt quem nihil amplius temporis habituri ſumus. Ex quo in hanc lucis uſuram prodiimus, nullus abiit annus, qui quamplurimis non illuxerit poſtremus, qui tamen longe plures annos ſibi pollicebantur; & hic, qui vergit ad finem plurimorum adhuc vitæ finem injiciet, qui ſubſequentis diem primam viſuri non ſunt. Annus hic nobis non ſecus ac aliis omnibus deſinit: quantus mæror illis, qui omnes fortaſſe illius dies prodiderunt? Adeſt ne quidpiam, quod hac in re nobiſmet exprobremus. Quot ex tot dierum numero in magnum illud, unicamque ſalutis noſtræ negotium impendimus. Multum quidem pro mundo laboravimus; multum ne propter Cœlum lucrati ſumus? Quod ſi nihil propter æternitatem a nobis factum fuerit; ecce jam annus amiſſus eſt. Saltem utiliter impendamus parum illud temporis, quod reliquum eſt. *Idem ibidem*.

Examen faciendum ejus modi, quo præteritum annum abſolvimus.

In ſingulorum annorum exitu idem præter propter cogitandum eſt, quod in vitæ exitu. Hic dierum numerus, quibus uterque conſtat felicium, vel miſerorum, triſtium aut ridentium, omnino præterit, & impreſſio, quam utrique in anima pepererunt, æque delebitur. Ecce ad extremam anni diem ventum eſt, quæ plurimis fortaſſe extrema fuit: quam juſtus dolor ſi annum male impendimus, ſed quàm ſuave ſolatium, ſi dies omnes, & ſinguli nobis pleni fuerunt; ſi toto hoc temporis ſpatio bene uſi ſumus; ſi bonos, maloſque in lucro poſuimus; ſi mores noſtros reformavimus, ſi diligenter noſtram pietatis praxim ſervavimus, ſi quotidie ſanctorum vitas legimus, ejuſque virtutes imitati ſumus, quotidie aliquam pietatis praxim didicimus, & aliquem ſemper inde fructum percepimus; denique ſi cum per annum habuerimus tot ſanctas inſpirationes, tot pios motus, tot ſalutaria deſideria, tot exempla vel re-

jicien-

jicienda, vel imitanda; gratiæ fideles ſemper fuimus, & ſecernentes verum a falſo, id quod erat ſpecioſum ab eo, quod erat ſalutare, ſatis ſapientes fuimus, ut efficaciter ſaluti noſtræ cooperaremur. Vacemus hodie ſanctis hiſce cogitationibus, & quidquid ſit, ſaltem adeo ſancte diem hanc traducamus, ut veſpere hac frui poſſimus conſolatione, quod non totum integrum annum amiſerimus. *Idem ibidem.*

Videamus quæſo quænam eſt diligentia filiorum ſæculi in bonis temporalibus conquirendis; ne unum quidem momentum amittunt; omnes lucrandi occaſiones inquirunt, eaſque avide complectuntur. In nobis eſt indeſinenter incumbere in id opus magnum, quale eſt æternæ felicitatis noſtræ. Unde fit, ut alii nihil cogitent, alii adeo oſcitanter id agant, & ne minorem quidem temporis ſui partem impendant? Hinc, ſane quia non noverunt magnitudinem jacturæ, quam faciunt; alii quidem omnimoda incuria, alii vero modica vigilantia, qua uti negligunt occaſionibus infinitas opes colligendi. *Ex primo Tomo Epiſtolarum Patris Surin.*

Fatemini fideles; in puerilibus, inanibuſque nugis ſatis magnam vitæ hujus partem traducitis, cujus ſingula momenta in fœnore ponenda eſſent ad tempus amiſſum redimendum. Plerique eorum, qui me audiunt, ad undecimam diei horam pervenerunt, & ætatem provectiorem, quæ exiguum illis vitæ ſpatium relinquet in Domini vinea, & in uno eo, quod unice neceſſarium eſt, opere ſalutis ſuæ, & vitam ducunt prorſus inutilem, ne dicam crimînoſam. Et in recentibus flagitiis committendis, tempus inſumunt, quod Deus ad præterita expianda concedit. *Idem.*

Dici poteſt nihil magis noſtrum eſſe, ſimulque nihil minus eſſe noſtrum quam tempus.

Ex iis omnibus, quibus utimur, dicere poſſumus, nihil hinc quidem magis noſtrum eſſe, inde vero nihil minus noſtrum, quam tempus, quod nobis tribuit Deus pro laboribus, & ſtatus noſtri muneribus obeundis. Hoc bonum eſt, quod cum infinitis aliis partimur; verum nihilominus bonum eſt, quod, licet æque commune videatur, nobis tamen ita proprium eſt, ut nequeat a nobis auferri, niſi cum vita. Non omnes homines divites ſunt; non omnibus eadem eſt vis ingenii; non omnes in republica ampliſſimis honoribus decorantur, non omnes nobiles ſunt, neque cum principibus viris cognationis vinculo adſtricti. Sed divites, vel pauperes, litterati, vel rudes, nobiles vel ex plebe omnes habent tempus ſuum, tamquam bonum ipſis commune. Sol idem omnibus lucet; eadem terra illos ſuſtinet, idem ſyderum influxus eſt omnibus. Verbo, ſinguli ad arbitrium ſuo tempore utuntur. Attamen nihil minus eſt noſtrum, quam tempus. Quod præteriit, non ſitum amplius eſt in voluntate noſtra; quod expectamus, nondum noſtrum eſt; quod præſens eſt, elabitur, & in ſingula defluit momenta; & ubi præterierit, in immenſam æternitatis abyſſum decidet; ideoque nihil eſt, quod minus revocabile, atque reparabile videatur. Divitiarum jactura reparatur, cum aliæ acquiruntur; reparatur valetudo, cum ex morbo recreati reficimur; tempus autem nequit iterum reduci; quod factum infectum fieri non poteſt. *Abbas Boileau in delectis ſententiis.*

Quid ſit redimere tempus.

Tempus redimere, non eſt reminiſci peccatorum, quæ patrata fuerunt. Antiochus illorum meminit, cum violentis vexatus doloribus exclamavit: *recordor malorum, quæ feci in Jeruſalem*: non eſt gemere, & lacrymari; Agag quoque jam jam animum efflaturus Samuelis gladio tranſverberandus ait: *Siccine ſeparas amara mors?* 1. Reg. 5. Non eſt plorare Adonidem, quod faciebant illæ Judæorum mulieres, quas Deus oſtendit Prophetæ: non eſt deſiderio teneri adoleſcentiæ, quæ præteriit, formæ, quæ evanuit, amici, ac patroni, qui eſſe deſierunt. Hæc memoria, & dolor ſæpe noxius eſt, ſemper inutilis, qui tamen pœnitentiæ locum obtinere creditur. Tempus redimere eſt illud in operibus moleſtis impendere, quorum labor cujuſcumque profeſſioni inhærens, non minima pars eſt. Eſt reparare mala otioſæ ignaviæ; voluptatibus, gaudiis, intemperantiæ ſæculi abrenuntiare; frangere cum Magdalena vas, ubi erant thymiamata ad illa ſuper JESU CHRISTI pedes effundenda. *Idem ibid.*

Quanti momenti ſit tempus optime impendere.

Tempus eſt breve, ideoque pretii infiniti, & illud miſere perdimus ludentes, atque ridentes. Tempus eſt rapidus fluvius ſemper labens, ac nos vehens in æternitatem, quæ abyſſus eſt bonorum, atque malorum, eoque utimur in rebus inanibus, ac inutilibus, quin ne animum quidem advertamus. Quærite a mundi ſectatoribus, quonam omnia ambitioſa eorum tendant conſilia, inanes eorum cogitationes, futilia colloquia, & ſolatia ipſorum, quæ ipſi culpa carere dictitant. Norunt ne illi ſe tempore hoc male perdito ad miſeram adduci æternitatem? Ne cogitant quidem. *Libet confabulari, donec prætereat hora. S. Bern. de triplici cuſtod.* Quid donec prætereat hora! Hora quam divina vobis largitur miſericordia ad agendam pœnitentiam, ad peccatorum veſtrorum veniam obtinendam, ad acquirendam gratiam, & gloriam promerendam? Quid ad ludendum tempus illud, quod eſſet adhibendum, ut Deum ad miſerationem flecteretis, ut feſtinaretis ingredi in Angelorum ſocietatem, ut perditam hæreditatem reparare ſtuderetis, ut ad beatitudinem vobis promiſſam contenderetis? Quæ dementia! Quis ſtupor! adeo parum cogitare de ea re, quæ poſt ſe adeo terribiles effectus trahit. *P. Nouet in Meditat.*

Omne tempus, in quo non deſervimus virtutibus, ſed vitiis, perit: & quaſi non fuerit, in nihilum abit: ait D. Hieron. in c. 1. Aggæi. Tempus hoc adeo male impenſum nobis nonniſi dedecus, & conſcientiæ ſtimulos relinquit. *Dies mei tranſierunt*, Sanctus vir Job ait c. 17., *cogitationes meæ diſſipatæ ſunt torquentes cor meum.* Quænam vero nobis reddenda erit ratio Deo momentorum omnium, quæ nobis dedit Deus, ut ſerviremus illi? Quamprimum aderit dies Domini; & citius, quam cogitaverimus, noſmet præparare debebimus ad rationem reddendam. Quam deplorabilis tunc erit conditio mortalium, qui tempus ſuum in ludis, ac ſolatiis amittunt? Quaſnam afferre poterunt excuſationes, quibus reſpondeant huic Domino Judici, tempus adeo male perditum exprobranti? *P. Nouet in Meditat.*

Vera Chriſtiani ſapientia eſt uti tempore.

Sapientes homines, lucis filii, qui caute incedunt, ſibi perſuadent omni tempore dies eſſe malos; & videntes Apoſtolum in magna hac veritate ſtatuere præclarum illud monitum, quod præbet Epheſiis, tempus videlicet redimendi; *Videte, quomodo caute ambuletis .... redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*, hoc ipſum opere exercere contendunt. Verum quomodonam uti hoc poſſunt conſilio? Quid eſt hoc tempus, quod redimitur? Quodnam pretium perſolvitur? Tempus redimere eſt, ſibi cavere, quacumque ratione fieri poſſit, a dierum malorum nequitia: eſt omnia vitæ ſuæ momenta in bonis operibus impendere: Eſt ita ſeſe gerere, ut vacet Deo deſervire: Eſt animæ ſuæ quocumque pretio comparare tempus, & requiem, qua indiget, ut convaleſcat, roboretur, alatur. Nullum tempus amiſſum eſt, niſi quo vel lædimus Deum, vel periculum adimus ejus lædendi. Quidquid ergo fit ad peccatum, vel peccati occaſionem vitandam, hoc proprie pretium eſt temporis redimendi. Pretium autem differt pro varietate tentationum, vel circumſtantiarum, in quibus ſumus, evitantes, vel generoſe reſiſtentes iis rebus omnibus, quæ ſaluti noſtræ eſſe poſſunt detrimento. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo* xi.

Multiplex ratio redimendi tempus.

Primorum temporum fideles variis modis executi ſunt conſilium, quod Epheſiis tradidit Paulus, videlicet temporis redimendi. Illud nonnumquam redemerunt, vitam ſuam per martyrium Domino conſecrantes, nonnumquam æquo animo bonorum jacturam ſufferentes. Alii ut S. Paulus, S. Antonius, S. Hilarion illud in ſolitudine redemerunt; & conſ-

conſideratio! theſaurum, atque ſcandalorum mundi, videlicet dierum malorum, in corde ſervorum Dei parit deſiderium hoc modo redimendi tempus per fugam, & ſolitudinem. Alii illud pœnitentiæ lacrymis redemerunt; alii eleemoſynis. Alii, ut illud redimerent, in cœnobia optime inſtituta ingreſſi ſunt; & hi quidem alii erant innocentes, alii peccatores. Illi quia crediderunt ſe facilius ſartam tectam tueri poſſe innocentiam, alii quia plura ibi inveniunt ſubſidia ad illam ſolida pœnitentia reparandam. Sunt, qui injuriam patiuntur, vel terrenum deſerunt bonum, ob tempus redimendum, quod litem proſequentes perderent. Denum ſunt qui ſequuntur Evangelium, qui redimunt tempus, dantes alterutrum oculum, vel manum, vel pedem, videlicet rei maxime neceſſariæ fruitionem ſibi interdicentes. Hi omnes varii modi temporis redimendi hoc habent commune, quod Charitas eorum principium, & finis eſt. Ita redimitur tempus, ita dies mali mutantur in dies ſalutis, quos dies, æternum beatos ſubſequitur. *Idem ibidem.*

Cuinam rei comparari queat æternitas.

Re vera, S. Auguſtinus ait, *non ſunt inventuræ temporales ſimilitudines, quas æternitati poſſim comparare.* Videor mihi videre tumentibus velis navim ferri, ubi nulla ripa eſt, nulla ima pars ſicut olim Arca tempore diluvii. Nam quando hæc ratis in portum perveniret, ſi terra univerſa tecta eſſet aquis, & quindecim cubitos ſupra montium cacumina intumuiſſet? Fingo mihi gurgitem, qualis eſſet ſi terra dehiſceret, ejuſque hiatus per totam illius craſſitiem permearet; vel infinita illa ſpatia, quæ mens noſtra imaginatur ſupra cœlorum orbes, & quæ idcirco imaginaria vocantur: jam ut ad hæc temporis ſpatia replenda ſæcula ſæculis eſſent agglomeranda, quandonam hic gurges repletus eſſet, ſi nullum habet fundum? Quando nam hæc ſpatia repleta eſſent, ſi nullos habent terminos, aut cancellos. Finget ſibi quiſpiam flumen eſſe, quod præceps in mare fertur, & quod ſemper æque tumidum eſt, ac in eodem ſtatu, nam quantum aquarum vehit in Oceanum tantundem aliunde mutuatur. Hæ omnes ſunt craſſæ ſimilitudines. *Æternitas conſiliatrix.*

Præteritum abyſſus eſt fundo carens, omnia, quæ fluxa, & tranſitoria ſunt deglutiens: futurum eſt abyſſus alia nobis impenetrabilis. Harum altera in alteram jugiter deſinit; futurum ſe ſe exonerat in præteritum fluens per præſens. Ipſi ſiti ſumus inter utramque: ſentimus enim tranſitum futuri in præteritum; & tranſitus iſte conſtituit præſens, quemadmodum præſens totam vitam noſtram conſtituit. Quod tranſiit, non eſt amplius; & quod futurum eſt, nondum eſt. Hic ſtatus noſter eſt. Quid ergo nobis faciendum eſt? ea pars nobis ſumenda eſt, quam vult Deus a nobis præſenti tempore ſumi; & reſpiciendum eſt præteritum, atque futurum eo modo, quo vult reſpici a nobis. *Specimen Ethica.*

Ex uſu bono præſentis temporis pendet æternitas.

Quot amittimus momenta, tot, ut ita dicam, amittimus æternitates; quandoquidem ne unum quidem illorum eſt, quo æternam beatitudinem conſequi non poſſimus. Ab uſu temporis noſtra ſalus pendet; & de hoc erimus judicandi. Illud vero nos efficere debet in eodem utendo attentiores; quia nihil minus in noſtra poteſtate ſitum eſt tempore. Præteritum non eſt amplius; futurum non pendet a nobis, ac illud nobiſmet polliceri non poſſumus. Præſens quaſi ne cogitantibus quidem elabitur & ubi ſemel effluxit, nequit revocari. Si modo temporis jactura nos mœrore non afficit, inde fit, quia temporis pretium ignoramus. Hoc in morte cognoſcemus, at ſero, quia æternitatem ingreſſis nullum amplius nobis tempus erit. *Tempus non erit amplius.* Apocal. 10. *Chriſtiana conſiderationes.*

Quomodo hactenus uſi ſumus tempore? Numquid illud impendimus Deo, & ſalutis noſtræ negotio? Ad id unice illud nobis conceſſit Deus. Itaque perditum a nobis exiſtimandum eſt illud, quod impendimus voluptati, cupiditati, avaritiæ, rebuſque terrenis; non ſecus ac illud, quod tranſegimus in habitu peccati, & Dei odio; nullam enim in cœlo relaturi ſumus mercedem eorum, quæ hoc in ſtatu fecimus. Quid igitur nobis reliquum eſt temporis, quo viximus? In hoc enim fere vitam noſtram traduximus. Poſt adeo gravem temporis jacturam, quid nobis faciendum eſt, ut eam reparemus, ac meliori in uſu tempus inſumamus? Hæc unica ratio eſt tanto huic malo medendi! *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes redimentes tempus.* Epheſ. 5. Fieri non poſſet, ut jacturam hanc reſpiceretis tamquam nullius momenti? Heu! ſi nullius momenti eſt, cur damnati amariſſima quidem, ſed inutili pœnitentia laborant, quod abuſi ſint tempore, quod illis dederat Deus, ut ſuæ ſaluti proſpicerent? Si temporis hujus momentum habere poſſent, quod vos amittitis, inſignes fierent Sancti, nihilque non facerent, vel paterentur, ut illud obtinerent. Cur Deus adeo ſevere in eum animadvertit ſervum, qui creditum ſibi talentum in quæſtu non collocaverat? Non libidinoſus erat, non impius, non fur; domini ſui bona non obligurierat; immo illa ſervaverat. Tota illius culpa erat in otioſa vita omne tempus amiſiſſe. *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores.* Matth. 5. Ibidem.

Diſcamus æſtimare tempus, quod eſt infiniti pretii, quia inde noſtra pendet æternitas. Evitemus pravam hanc deſidiam, in qua hominum plerique vivunt, qui poſt hæc adhuc ſe innocuos putant coram Deo, & nihil eſſe, quod ſibi ſua exprobret conſcientia. Quis enim in Pœnitentiæ tribunali ſe jacturæ temporis inſimulat? Culpam hanc unquam ne confeſſi ſumus? Et nihilominus hac in re ſatis multa peccavimus; quia *nihil boni facere, hoc ipſum eſt malum facere,* ut inquit D. Chryſoſt. Præterquamquod hæc inertia, & jactura temporis fons eſt vitiorum omnium, & cauſa omnium tentationum noſtrarum; quibus adeo violenter laceſſimur, & ſæpe etiam ſuperamur. Ubi enim dæmon aliquem otiari cognoſcit, hac utitur occaſione ad illum perdendum. In ejus animo tamquam in tabula proponit imagines eorum, quæ alias fecit; & ſi unquam inhoneſte aliquid patravit, cum omni voluptatis illecebra, quæ alias eum ſuperavit, hoc illi exhibet, ut ſaltem aliquam ei extorqueat oblectationem ſcelerum tranſactorum, cum illum nequit in recentia pertrahere. Ratio unica noſmet a moleſtis hiſce cogitationibus liberandi, quibus torquemur, eſt ſemper eſſe occupatum. *Aliquid operis facito, ut te ſemper diabolus inveniat occupatum.* S. Hieron. ibidem.

Hoc ſecure poſſumus evitando deſidiam & exercendo bona opera ſtatus noſtri propria.

Recogitemus paullisper omne præteritæ vitæ noſtræ ſpatium. Quam temporis jacturam in illo inveniemus, cum majorem illius partem impenderimus vel in nihil faciendo, vel in faciendo malo, vel in alio faciendo ab eo, quod nobis erat faciendum? Hiccine erat uſus temporis a nobis faciendus, quod nobis dederat Deus, ut ſerviremus illi, & ſalutis noſtræ negotio vacaremus, & quod in eodem lædendo miſere perdidimus. Experti nimis agnoſcimus veritatem horum verborum Sapientis, otium, videlicet plurimorum eſſe peccatorum originem: *Multam malitiam docuit otioſitas.* Sap. 33. Cum momentum aliquod impendendum eſt æternarum veritatum cognitioni, tempus invenire non poſſumus; cum interim non deſit abunde noſtris voluptatibus, inutilibus colloquiis, nugis fere infinitis, quæ attentionem noſtram nequaquam merentur. Quid nobis erit reſpondendum, cum exiget Deus rationem illius, quod amiſimus? Quin Deum judicem præſtolemur, ſtatim in arena noſmet ipſos damnemus, & fateamur, nos meritos fuiſſe, ut nobiſcum tamquam cum inutili ſervo ageretur, qui in tenebras exteriores conjectus fuit, cum illo nocentiores ſimus; quippe qui pro unico talento, quod ille in lucro non poſuit, nos infinitis abuſi ſumus gratiis, quas per incuriam inutiles ipſi reddidimus. *Ibidem.*

Tem-

Tempore bene utendum eſt.

Tempus eſt non ſolum æternitatis pretium, ſed ſimul eſt munus, quod jugiter a Dei manu recipimus, & quod illi acceptum debemus, cui parem gratiam referre non poſſumus, niſi jugiter pro illo impendentes, quod ab illo indeſinenter accipimus. Denique debitum eſt, quod in ſingula momenta contrahimus; non enim hoc nobis tempus largitur, niſi ut bene utamur, ſibique reſervat jus ejuſdem rationem a nobis repetendi. Talentum eſt, atque depoſitum, quod nobis commitit; rationem exquiret uſus illius, in quem illud fuerit a nobis inſumptum: nec video quæ nobis reliqua ſit ſpes, fore ut ab illo benigne excipiamur, niſi aliam reddere licebit, quam dicere: Domine, hujus temporis, quod mihi ad ſalutem meam operandam tribuiſti, tantum in alea, tantum in deambulatione, tantum in profanorum auctorum lectione, tantum in ſpectaculis mundi a me fuit inſumptum; ſi enim hic ſermo jam vobis videtur ridiculus, ſperare ne poſſumus fore ut nos coram Deo, & Angelis ejus excuſet. *Ex Tractatu de modo chriſtiane ſtudendi.*

Tempus nos ad æternitatem adducit; verum ubi ſemel pertranſierit, ſi male fuerit inſumptum, nulla amplius ſperanda erit ſalus; & pœnitentia peccatoribus inutilis erit. Conemur ergo ita hoc tempore uti, ut ne minima quidem nobis excidat ſpes; unius quippe momenti jactura irreparabilis eſt, & numquam ſatis ploranda. Tanti faciendum eſt, quanti fieret occaſio inſignem victoriam referendi, vel acquirendi Provinciam, qua ſemel elapſa inutili deſiderio tabeſceremus. Hinc feratur judicium quanti momenti ſit illas omnes amplecti, quæ ſeſe nobis offerunt, lucrandi Cœlum; quarum unam plerumque ſatis eſt amiſiſſe, ut æterna pœnitentia torqueamur. Magnum, unicumque negotium noſtrum illud eſt ſalutis noſtræ, totum illud tempus, quod illi ſubtrahimus, amiſſum eſt; etenim hujus negotii ſucceſſus pendet ab uſu temporis, quod celerrime fluit non altra reverſurum. Oportet igitur indeſinenter attendere, ne pretioſum hoc tempus nobis pereat. Nihil æque æſtimabile eſt ac tempus, S. Bernardus ait; ſed heu! nihil hodierna die eſt, quod æſtimetur minoris. Dies deſtinati, ut ad animæ ſalutem potiſſimum incumbamus, ſenſim, & ſine ſenſu labuntur, neque ad id advertitur animus; nemo ſe ipſum monet, tempus præterire, & non reverti; nemo luget tempus, quod in inutilibus converſationibus prodigit. Alii aliis ſibi invicem edicant: poſſumus ſimul confabulari donec hora tranſeat. Quid autem? Numquid hæc hora nobis a Dei miſericordia data non eſt, ut eadem uteremur in agenda pœnitentia, in expiandis peccatis, in gratia cum Deo ſarcienda, in æterna vita bonis operibus acquirenda? Cogitate horam hanc, illam eſſe fortaſſe, quæ de æterna ſalute veſtra decidere debet. Ecce nunc tempus gratiæ, tempus opportunum quærendi Deum, tempus, quo quicumque illum quæſiverit, inveniet eum, dummodo quærat illum, ubi, & quomodo quærendus eſt. *Ex tractatu de diſcrimine inter tempus, atque æternitatem.*

Sumet Deus ſibi tempus judicandi nos, de uſu temporis.

Deus congruum nobis tempus ad bene agendum concedit: *dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret.* Apocal. 2. Sed cum effluxerit hoc tempus, cujus hodie nobis arbitrium eſt, *tempus non erit amplius.* Apocal. 10. Tunc Domini tempus venerit; tempus ſtatutum, ut quærat ex nobis, quem in uſum converterimus illud, quod nobis conceſſit. *Vocavit adverſum me tempus.* Thren. 1. Serio ad examen vocemus, quanam in re inſumpſerimus illud? Num in rebus utilibus an vanis? Deus nobis hoc tribuit tempus, ut eodem utamur, ſalutis noſtræ negotio vacaturi; ipſi vero illud amittimus, vel eodem utimur duntaxat in iis, quæ nos ad æternam perniciem adducunt. Quinam uſus boni illius, quod tanta cura, atque ſapientia eſſet impendendum! Tunc illius pretium cognoſcemus, cum ipſum effluere permiſerimus, & Domini tempus acceſſerit; & prope inſtat nobis hic terminus. *Prope eſt, ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur.* Iſai. 14. *P. Segneri.*

Quanam pernicitate dies, & anni nos fluunt! Beatus ille, qui omne tempus in lucro novit collocare! Beatus ille, quorum dies pleni ſunt! Dies noctesque currimus ad ſepulchrum, quin aliquid nos moretur, vel conſtitutum mortis noſtræ tempus differat. Ecce jam vitæ noſtræ annus ademptus eſt: annus hic præteriet, neque revertetur unquam. Numerati ſunt omnes dies noſtri, & hi dies nobis dati ſunt tantum, ut ſalutis noſtræ negotio illos impendamus. Quænam conſolatio illi, qui hos dies ſanctificare conatur! Errorem hunc tandem abjiciamus. Vitæ tempus nequaquam datum eſt nobis, ut congeramus bona, ut oblectemur, ut creſcamus. Nimis pretioſum eſt, neque adeo male inſumendum. Alium ob finem Deus certum nobis numerum annorum conſtituit, vult, uſum temporis adeo brevis beatam nobis æternitatem promereri: Quænam ratio nobis ſevero huic Judici erit reddenda tot horarum amiſſarum, tot dierum, tot occaſionum, quas habuimus per hunc annum Cœlum comparandi! Servi nequam, & inutiles dicet ille in iracundia ſua; quoniam adeo modicum mei nominis zelum habetis, cumque tot tantaque a me recepiſtis, adeo parum mihi redditis, auferam a vobis talentum, quod in manibus veſtris perit; auferam hoc tempus, quod perperam abutimini: *Et tempus non erit amplius.* Tunc optabimus, ſed fruſtra unicum ex his ſalutis noſtræ momentis, quorum olim miſere jacturam fecimus, revocare. Ponamus igitur in lucro ad æternitatem acquirendam totum illud tempus, quod deinceps ſitum erit in nobis. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Quomodo tempus amiſſum reparandum ſit.

Tempus præſens impendere non eſt ſatis ad præteritum tempus reparandum. Nequaquam. Hoc eſt præſentibus duntaxat officiis ſatisfacere; non autem id perſolvere quod debiti præteriti reliquum eſt. Præterea non ne vobis ſunt officia præſentia a vobis obeunda, & antiqui æris alieni reliqua perſolvenda? Utriſque tempore præſenti vobis eſt ſatisfaciendum. Simul jungendum eſt bonum, quod alias erat faciendum cum eo, quod in præſentiarum faciendum eſt; ſimulque & reliqua præteriti temporis, & recentia novi perſolvenda. Quomodo nam? Iterando bonorum operum fervorem. Alioquin ſi præſentibus tantum inhæretis, ſemper divinæ juſtitiæ præteritarum infidelitatum eritis debitores. Hæc una eſt via, S. Anſelmus in cap. 4. ep. ad Epheſ. ait, tempus amiſſum reparandi: *Si & bona, quæ facere olim neglexìmus, & ea, quæ facere debemus, faciamus. P. de la Rue in Quadrageſima.*

Vitæ hujus tempus nobis traditum eſt propter maximi momenti finem, ut videlicet ſalutis noſtræ negotium procuremus; & ſane tempus hoc breve eſt, ſi tantum opus ſpectetur; nam præter brevitatem, inſtabilitatem, & incertitudinem dierum noſtrorum, non minimam partem nobis aufert neceſſitas ſatisfaciendi ſexcentis corporis noſtri egeſtatibus, quibus ob ipſo primi parentis crimine ſumus obnoxii. Si dies noſtros ex hoc tantum loco conſideramus, non ne verum eſt dicere, *dies mali ſunt?* Epheſ. 5. Sed quid illos efficit deteriores? Abuſus reliqui temporis, in ſalutis noſtræ cura inſumendi. *Dies peregrinationis meæ parvi, & mali.* Geneſ. 4. Ad hæc Geneſeos verba iſtic alludit Apoſtolus; quis enim novit æſtimare tempus, quam breve ſit, & pretioſum? Plurimi illud in rebus noxiis inſumunt, omnes fere illud amittunt in nugis; pauciſſimi illud impendunt in eum finem, propter quem datum eſt nobis. Ecce igitur quid nobis commendet Apoſtolus, Commendat, ut modico tempore, quod nobis eſt, optime utamur, ut illud in lucro ponamus, ut bonis operibus omnia momenta repleamus. En vobis metipſis ſciſcitamini, qua in re illud inſumitis? An rei eſtis, quod eodem abutimini? *P. Segneri in Meditat.*

Quomodo tempus

Quomodonam redimere poterimus tempus, quod

Amiſſum reparare valeamus. quod præteriit, ac periit nobis? *Redimentes tempus*. Impendentes tempus, quod nobis reliquum eſt utilius, quam ſi nihil nobis periiſſet; plura efficientes bona opera iis, quæ faceremus, & quæ nobis eſſent facienda; multiplicantes eleemoſynas, preces, ſanctorum librorum lectiones; verbo omnia, & ſingula opera noſtra majori fervore, & ardentiori charitate animantes. Quid agit viator, qui ſecus viam inutiliter tempus amiſit, amiſſa momenta reparaturus? iterat greſſus, ac tandem ſuum finem aſſequitur. Quid artifex, quem dies aliquot ſolatii ab opere averterunt? Impenſius, atque majori cum aſſiduitate in opus incumbit, reparaturus dies, quibus ceſſavit ab opere. Quod autem ad leves jacturas reparandas homines faciunt, ad longe graviſſimam jacturam ſarciendam facere dubitabitis? Quid faceret damnatus, ſi liceret illi in vitam redire, ut tempus male inſumptum repararet? Num uti vos opibus acquirendis, voluptatibus guſtandis, tempori terendo vacaret? Quis e contra ſando valeat aſſequi, quibus curis, atque conatibus modico tempore priſtinorum annorum ſuorum abuſum penſare contenderet? Quod miſero illi inſigne eſſet beneficium, vobis nullum eſt. Tunc Dominus eduxiſſet illum ſemel ab inferis, vos autem toties inde præſervavit, quoties eſtis promeriti, ut vos illuc præcipites daret. Ne differte igitur tempus adeo pretioſum redimere, cujus pretio adeo parum cognoſcere didiciſtis, ut illud adeo male inſumpſeritis, vel illius adeo modicam curam geſſeritis. *Idem*.

Redimi poteſt tempus, cujus jacturæ ſæpe periclitamur. Non redimitur ſolum bonum, quod periit, verum illud etiam, quod periculum ſubit; ita homo vitam ſuam redimit, numerata pecunia ex interfectoris manu ſe ſubtrahens. In hoc quoque ſenſu nos admonet S. Paulus, ut tempus redimamus: *Redimentes tempus*. Vult rationibus omnibus, quæ excogitari poſſunt, nos tueri theſaurum hunc adverſus eos, qui illum nobis poſſunt eripere, quicumque enim nobis ſurripit tempus, non ne quodammodo haberi poteſt a nobis tamquam ſicarius, qui, ut ita dicam, vitæ partem aufert? Idcirco opus eſt Domine; ut Apoſtoli tui monito utens certum hodierna die capiam conſilium temporis, quod periit, redimendi. Hoc facere poſſum tua adjutus gratia, multiplicando numerum bonorum operum, & fervorem meum inſtaurando. *Idem*.

Omnibus rationibus, propter quas ſalutis negotio ſumus occupandi, Eccleſiaſtes hanc ſubjicit a temporis brevitate deſumptam. Hominum vita non ſeſe ad integra extendit ſæcula, ſed quodam dierum numero continetur, *numero dierum*, ac *tempore, quod velut umbra præterit*. Quomodo ergo tempus inſumimus indeſinenter quærendo id, quod nocet, vel ſaltem inutile eſt noſtro fini. Quæ communiſſima ſunt, fiunt per inopia chariſſima: Temporis tantum, cujus nullam gerimus curam, id accidet, quaſi eodem ſemper abundaremus? Arctatum eſt ad anguſtum numerum dierum, & Deus coarctavit illud: fruſtra ſperamus menſuram augendam eſſe; quippe dies noſtri numerati ſunt, & numerus eorum exiguus eſt, ne aliquem præterire patiamur, quin ſemper ac cœleſtem patriam progrediamur. Viator, cui brevis conſtitutus eſſet terminus revertendi poſtliminio domum ſuam, alioquin pingui hæreditate cariturо, ne momentum quidem amitteret; immo quæreret lucrari tempus, nihilque magis timeret, quam ne hoc ſibi deeſſet. Exemplum hoc jugiter ad oculos veſtros verſari debet. *P. Segneri*.

Tempus celeriter fluit; advertenti ſimus, ne illud amittamus in cœlo perventuri. Non ſufficit Eccleſiaſti vitæ noſtræ dies comparare illis viatoris, ut eorum numerum brevem ſignificet; ait etiam tempus hoc præterire celeriter, umbræ inſtar; *velut umbra præterit*. Eccl. 7. Quoniam igitur in periculo verſamur illius amittendi? Et quæ eſſe debet attentio noſtra illud impendendi in eum uſum, propter quem a Deo nobis datum eſt? Viator, dum urget illum tempus, nihili facit niſi quod adhuc ipſi reliquum eſt; decerpit partem ſomni, partem cœnæ, partemque quietis, & earum rerum omnium, quibus aliquod momentum detrahi poteſt. Niſi vos quoque in lucro ponitis quidquid ſupereſt temporis, ut ſalutem veſtram operemini, quid non periclitamini? Temporis veſtri jactura non minus gignit malum, quam æternam animæ veſtræ perniciem. Quænam ergo cæcitas mundanorum, qui dies ſuos terunt in inanibus fortunæ, & gloriæ meditamentis? Viator, quem Charitas Patriæ revocat, terit ne tempus in nugis? Quid ſunt locupletiſſimæ mundi fortunæ, & ampliſſimæ dignitates in terra, ſi cum beata æternitate conferantur, ad quam fidelis anhelat, niſi vere nugæ, ac mera temporis detrimenta. Dies mei, heu! numerati ſunt, & numerus eorum eſt exiguus; igitur ſedulam eorum curam geram, ut ad cœleſtem patriam procedam. Tutus ſum tempus mihi non defuturum ſi, uti opus eſt, illorum curam geſſero; verum ſi illos inutiliter alabi permiſero, temporis defectu fortaſſe illuc pervenire non potero. Denique tempus præterit ſicut umbra; difficile eſt, ne mihi ſine fructu elabatur, niſi operam navavero, ut ſingula ejus momenta in lucro ponam? Et ſane quantum ex his pretioſis momentis non amiſi! Verum tua opem ferente gratia, Domine redimam hanc jacturam ſancto uſu illius temporis, quod mihi ſupereſt. Fac quæſo, ut cogitatio, ac deſiderium felicites perveniendi in patriam meam, quæ cœlum eſt, me unice occupent; mihi ſufficiet habitatio, & victus, quem inveniam; merum mihi ſatis erit neceſſarium. Cœlum adipiſci per optimum temporis uſum hoc meum magnum unicumque negotium eſt. *Pater Segneri Meditat*.

Cum Rex Propheta recogitabat *dies antiquos*, poterat quidem illos calculo ſubjicere, dividere, addere. Contra vero cum *annos æternos in mente* habebat, hos nonniſi ſeorſim, atque per partes habere poterat. Poſſumus quidem *habere in mente annos æternos*, hoc eſt nobis fingere ſucceſſiones ſæculorum, quæ turſus incipient; ſed ipſam æternitatem habere non poſſumus. Infinitum finito intellectu capi nequit; Deus unus capit æternitatem, eamque integram intuetur. Habeamus igitur annos æternos in mente, ut olim Propheta, & in ſingula momenta nobiſmet repetamus: Poſtquam tot æternitatis ſæcula effluxerint, quot ſunt in arboribus frondes, aquæ guttæ in mari, atomi in aere, quantum de æternitate deceſſiſſe credendum eſt? ne unum quidem momentum. Integra permanebit adhuc, & totidem ſæcula adhuc revertentur, quin uno tantum momento fuerit imminuta. Quod objectum meditationibus meis proponendum! quænam veritas hac terribilior! Ad me pertinet, & oc cogito quidem. *Pater Segneri*.

Nihil in vita eſt, niſi præteritum, & futurum. In vita nihil eſt niſi præteritum, & futurum: præſens eſt neſcio quid ita exiguum, ut vix ore prolatum ſtatim præteriit. Nobis elabitur inſtar rapidi fluctus, qui noſtros fugit oculos, ſtatim ac illum conſpeximus. *Sicut aquæ dilabimur*. 2. Reg. 14. E contra æternitas nihil habet præteritum, nihil futurum. Omnia ibi præſentia ſunt, omnia ſicut Deus immutabilia: *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*. Hebr. 1. Quod præteritum, vel futurum dicimus in æternitate; non eſt æternitas ipſa; hoc eſt tempus quod fluit, æternitate ſemper in eodem ſtatu permanente. Tempus hoc erit noſtrum, ut eſt hodie; niſi quod tunc ſemper ſubſiſtet, cum modo aliqua duntaxat habeamus momenta. Hoc mihi cogitandum eſt, ut liqueat, utrum malim aliquot momenta vivere in gaudio, & per totam æternitatem ſuppliciis torqueri; vel aliquot momentis affligi gaviſurus in omnem æternitatem. *Idem*.

Quam

Quam celeriter effluxerunt hi dies, qui mei habita ratione tempus præteritum conſtituant! Quam celeriter etiam effluent futuri dies, qui reliquum vitæ meæ ſpatium debent componere! Æternitas una ſemper fluit, & numquam deficit. Utique decies centena annorum, & ſæculorum millia præteribunt, quin minuatur æternitas, ſemperque iterum decies centena ſæculorum millia inchoabunt. Æternitatis mala ſunt igitur vera bona. Numquam ergo excidant ab oculis meis dies antiqui, & anni æterni, tempus quod præterit, & æternitas, quæ non præterit, ut contemnam quidquid cum tempore præterit, & unicè adhæream iis, quæ non prætereunt, non ſecus ac æternitas. Quænam eſt cæcitas Chriſtiani, qui profeſſus credere æterna bona, quæ ſibi procurare in ipſo ſitum eſt, cumque non poſſit vitæ brevitatem non intueri, aliquot annos fallacis gaudii præfert certæ ſpei perfectæ, duraturæque felicitatis. Vitæ bona licet cordis noſtri captum replere poſſent, merentur ne vera appellari bona donec illorum perfruitio ad breve temporis ſpatium eſt coarctata, quod nihil eſt habita ratione æternitatis, quo tendit? *P. Segneri Meditat.*

Tempus nobis non eſt niſi præteritum & futurum.

Juxta modulum noſtrum imperfectum omnia concipiendi triſariam tempus partimur, in præſens, præteritum, & futurum. Sed in primo fallimur. Præſens proprie loquendo non ſubſiſtit; nam tunc quoque cum dicimus eſſe non eſt, ſed præteriit. Secus torrentem ſedentes oſtendimus aliquem ex fluctibus ejus certo in loco. Fallimur: fluctus hic non eſt amplius in loco, quem indigitavimus, ſed torrentis pernicitate rapius infra longe deſluxit. Ita tempus, & multo celerius adhuc labitur, & deſluit tempus, ita ut nihil ſit nobis fixum, & præſens. Præſens in Deo tantum eſt, apud quem non datur viciſſitudinis obumbratio. Quam ob rem Propheta non meminit niſi præteriti; & futuri: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Non cogitabat præſens, vel quia hoc nihil eſt, vel quod adeo parum eſt, ut ne cogitari quidem mereatur. Præſens purum nihil eſt aliud, quam inſtans, & punctum: *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Job. 20. Ad hoc Sanctus vir Job redigit vitum præſentem, atque delicias, quæ ibi guſtantur: *ad inſtar puncti.* Hac mente dicebat Eccleſiaſtes cap. 9. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare*, quia præteritum non eſt amplius tuum; & futurum fortaſſe non erit: *P. Segneri.*

David non cogitabat ſimpliciter futurum, ſed æternitatem: *& annos æternos in mente habui.* Noe ait unnos futuros; nam licet omnes anni, qui nobis erunt æterni, futuri ſint, nihilominus omnes anni nobis futuri, non ſunt æterni. Anni, quibus in hoc mundo ſuperſtites futuri ſumus, futuri quidem ſunt, & exiguo ſane temporis ſpatio continentur; anni, qui iſtis ſuccedent, ipſi quoque futuri ſunt, ſed eorum numerus eſt infinitus. De his cogitabat Propheta, cogitemus & nos, ut ille, cogitemus, ut ille præteritum, & ęternitatem. Pręteritum quidem, ut videamus quanam pernicitate effluxerit, ęternitatem vero, ut recordemur, annos numquam ceſſaturos, quo minus fluant. Cogitantes pleroſque dies noſtros jam effluxiſſe, ęſtimabimus unnos ęternos, qui nullum finem ſunt habituri; cogitantes vero annos ęternos, contemnemus noſtros hoſce dies, qui adeo celeriter prętereunt, ideoque & mundana hęc, quę prętreibunt univerſa. Sed duplicem hanc cogitationem nequaquam ſejungamus, ut nobis ęque proſint, ac Prophetæ: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Idem.*

Tempus quo vivere debemus nihil eſt in comparatione æternitatis.

Quamvis vivere deberem non unnos octuaginta, ſed mille, quid ſunt mille anni cum ęternitate collati? Nihil fere; *tamquam dies heſterna quę præterit*: Quomodo ergo pręferrem fluxa, & fragilia iis, quę nullum ſunt finem habitura? Volumus ne cognoſcere quanti nobis faciendum ſit id, quod eſt ęternum? Admoveamus hoc tempori, quod pręteriit, & nobis metipſis dicamus: Cum poſt obitum meum mille ſecula effluxerint, quid deinceps erit de me. Tunc alios mille oportebit incipiam; eademque ſemper redibit ratio, quin illius finem conſpicere valeam. Quomodo ergo negligam, quod ęternum eſt, ut adhęream illi, quod pręterit? Confer tempus, atque ęternitatem, utrumque ſimul, ac certiſſime utriuſque pretium cognoſces. Cogitans pręteritum, fluxa bona parvipendes; cogitans annos ęternos, bona futura conſectaberis; *P. Segneri in Meditat.*

Tempus nobis auſertur ab illis cum quibus vivere tenemur. Alii amici ſunt, & officiant, ut terramus tempus inanibus colloquiis, & nugis, quibus interdicendum eſt, etiam ſi iiſdem eſſemus diſpliciturì; alii ſunt inimici, nobiſque tempus ſurripiunt per occaſionem litium, ac jurgiorum, per ea, quę nobis negotia faceſſunt, atque per neceſſitatem, in quam nos adducunt injuriam propulſandi, eorumque ictibus reſiſtendi. Verum ad harum contentionum, quę nonnumquam in omne vitę ſpatium perſeverant, curſum inhibendum, ne dubitemus de juribus noſtris, bonis, exiſtimatione quoque aliquid deperire. *Perde aliquid*, S. Auguſtinus ait, *ut redimas tempus, quo vaces Deo.* Quam ſapiens hoc effatum eſt, ſed quotuſquiſque illud aſſequitur? Nullum eſt temporale bonum, quod pluris non fiat ipſo tempore, & nihilominus temporis pretium toto cœlo cętera quęcumque vitę bona excedit. Omnibus enim mundi bonis exutus adhuc ęternam mihi valeo comparare felicitatem, ſi tempus adſit, quod ſi defuerit, hoc facere nequeo. *P. Segneri.*

Si quid in gloria Beatis mœrorem afferre poſſet, dolerent ſane, ſe amiſiſſe ſexcentos beatitudinis gradus, quos perfectiori temporis uſu in hac vita fuiſſent adepti. Vos autem modo hoc tempus habetis, & hoc vobis aripi patiemini? Situs, in quo aſtis, audeo dicere, dignus eſt, cui ipſi invideant Beati; poteſtis enim ſemper meritorum copia creſcere, adeoque augere menſuram glorię, quę vobis in altera vita promittitur. *Dum tempus habemus, operemur bonum*, dicebat Apoſtolus ad Galatas *Galat. 6.*; *Fili, conſerva tempus*, addit Eccleſiaſticus, *Eccl. 4.* nam tempus perperam inſumens duplicem jacturam facis: Amittes quidem mercedem appoſitam ſancto temporis impendio, & mereberis pœnam malo temporis uſui debitam. Tempus vitę punctum eſt, ſi cum ęternitate conferatur; totum igitur vitę ſpatium modicum eſt mihi ad ęternam beatitudinem comparandam. Igitur ſum imprudens, & nequam eo, quod illud hactenus in tot inutilibus rebus prodegerim. Viator ſum, qui ſecus viam cunctatus ad terminum pervenire nequit, niſi quam maxima utatur peruicitate. Non ultra, Domine, vel unum momentum amittam eorum, quę mihi adhuc largiri dignaris ad cœleſtem Patriam adipiſcendum. *P. Segneri in Meditat.*

Tempus nimis pretioſum eſt, ut dies in pretio habendi non ſint. Propter abuſum temporis dumtaxat dies mali ſunt. Hoc nobis innuere voluit Apoſtolus per hęc verba: *redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Ineſtimabile temporis pretium cognoſcendum eſſet, ut intelligeremus quanta calamitas ſit eodem abuti. Tempus eſt neſcio quid adeo pretioſum, ut omnia mundi bona, honores omnes tanti non ſint, quanti momentum, & licet unum dumtaxat momentum inſumptum fuiſſet in omnibus terrarum opibus acquirendis; ſi pręterea nihil aliud lucratus fueris, dicere potes, ta coram Deo, qui ſanum de rebus omnibus fert judicium, tempus tuum amiſiſſe. Nullus in inferno reprobus eſt, qui omnia mundi regna, atque opes, ſi earum dominus eſſet, tribueret, redempturus momentum temporis illius, quod in nugis perdidit, & quod ipſi etiam perdimus. Concipiamus ſi fieri poteſt, quid ſit gratia, pretium

Quanta utilitatis ſit omnibus non abuti tempore.

ſan-

tio, pro qoo uno totum hoc tempus illis traditum eſt: *Non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*, ad Galat. 6. Si in bonorum operum praxi non defecerimus, ſcribebat idem ad Galatas, tempore ſuo laboris noſtri uberem fructum metemus: *Tempore enim ſuo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum*. Nullum bonum opus in gratia peractum, quantomvis exiguum ſit, licet ſit frigidæ calix in JESU CHRISTI nomine datum non præteribit, quin ille hoc remuneretur incremento quidem gratiæ in hac, gloriæ vero in altera vita. Hoc ille ipſe ore ſuo nobis teſtatur. Quot per noſtram incuriam hujuſmodi pretioſa momenta perdidimus, nobis ad immarceſcibilem gloriæ coronam acquirendam conceſſa? Non poſſumus ſatis confici deſiderio hujus temporis, nihilque deberet tantam hanc jacturam conſolari. Verum ullam ne afferre poterimus excuſationem, ſi cum tot annos jam amiſerimus, elabi patiemur eos, qui ſuperſunt, & quos adhue nobis largiri dignatur Deus, ot ſerio ſaluti noſtræ vacemus, idque eo magis cum ad illam promerendam tempus adeo ſit breve? Unicum reſtat conſilium eapiendum; illud videlicet, quod nobis ſuppeditat Apoſtolus, ut qui hoc mundo utitur, vivat quaſi non uteretur; ſcilicer ut eo per modum tranſeuntis otatur. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus*.

TENTATIONES.

Ratio eas ſuperandi; vigilantia ad eas prævert &, endas quidquid ad hoc pertinet argumentum.

MONITUM.

JEJUNIUM, ſolitudo, ac tentationes tria ſunt argumenta, quæ evangelio Dominicæ primæ in Quadrageſima poſſunt applicari. De primo, alteroque alibi jam verba fecimus; reſtat igitur, ut de tentationibus agamus. Quod argumentum eo utilius eſt, quod tota hominis vita prælium eſt, ac jugis tentatio, quemadmodum ipſa Biblia teſtatur. Quemadmodum vero ex ea vi, qua tentationibus obluctamur, & victoria, quam inde referimus, pendet noſtra ſalus, & corona, quam expectamus in cœlo, nil ultra quæritur, ut de hujus argumenti utilitate judicemus.

Cum hoc argumentum morale, practicumque ſit, debet ideo didaſcalicum eſſe, detegere verſutias, & dolos, quibus ad fallendos homines, eoſque in inſidias ſuas illiciendos dæmon utitur, tradere, quomodo illæ ſint evitandæ; quod ſi fieri nequeat, quomodo certandum erit, ne ab illis decipiamur. Neque omittendæ ſunt rationes, quibus ad hoc certamen ſumus excitandi, & bona, quæ victoriam hanc ſubſequentur, non ſecus ac ſubſidia, quæ ad vehementiſſimas quaslibet tentationes ſuperandas nobis ſuppeditat Deus: præſertim vero fuſius loquendum eſt de vigilantia ad eas occupandas impendenda.

Præterea plurimum intereſt aperire, quinam ſint inimici, qui a nobis metuendi ſunt; neque enim ſolum eſt dæmon, ſed mundus, nos ipſi, & omnes fere creaturæ, quæ totidem objecta ſunt, quæ nos tentare, atque ab officio noſtro nos amovere poſſunt. Ad hæc omnia copiam afferemus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia concionum hujus argumenti lineamenta.

1. JESUS CHRISTUS in deſertom adducitur, ut intelligamus, tentationes ſuperandas eſſe: ſed ubi tentatur in ſolitudine, proſternit hoſtem, ut diſcamus artem reſiſtendi tentationibus, ubi evitari non poſſint. Duæ conſiderationes, quæ ſermonis partitionem poſſunt efficere, & qoæ ad duas propoſitiones rediguntur; quarum prior eſt, generatim loquendo melius eſſe, tentationem prævertere, quam illi debere reſiſtere; altera eſt, illi reſiſtendum eſſe, eum præverti non poteſt.

Pars prima. Ad priorem veritatem probandam, conſiderate, omnes tentationes ad duo hæc genera redigi; primum eorum eſt, quæ extrinſecus ingruunt, exteriorumque objectorum præſentia excitat in nobis; alterum eorum eſt, quæ intrinſecus oriontur, & quorum fomitem in cordibus noſtris gerimus cum ea concupiſcentia, a qua excitantur. Ut autem utraſqoe prævertere nos doceat JESUS CHRISTUS, quid agit? 1. Seſe recipit in deſertum: *Ductus eſt in deſertum*: non quod in mundo aliquid illi funeſtum eſſe poſſet, vel quod metuendum eſſet, ne ulla innocentiæ ſuæ labes offunderetur; Deus erat, atque impeccabilitas æque neceſſario perſonæ illius adhærebat, atque divinitas. Ductus eſt ergo, ut admoneremur nobiſmet præcavere contra ea, quæ nos manent pericula, atque ne noſmet illis objiceremus, quin contra eorumdem inſidias præmuniremur. Ut ex hoc proficiamus exemplo, ſimul omnes colligendæ ſunt tentationes, quæ extrinſecus poſſunt ingruere: quoad impuritatem periculoſæ ſocietates, ſpectacula, affectiones, objecta, quæ nos allicere poſſunt; quoad avaritiam, cura per fas, & nefas locupletandi, ſimulata fœnora, doli, verſutiæ, quæ in mundo paſſim adhiberi conſueverunt; quoad ambitionem, atque ſuperbiam, videndum eſt, quomodo ad honores obrepere, competitores de ponte dejicere, aliorumque excidio creſcere quæratur, ita ut nullibi deeſſe poſſit tentatio: *Mundus totus in maligno poſitus eſt*. 1. Joan. Quonam autem in re reſiſtendi ſpem collocare poſſemus? Num in aliena experientia? an propria? an in Dei gratia? Ubi oſtendendum eſt, niſi fuga, & diligens præcautio adhibea-

hibeatur, ſemper adeſſe periculum, ne tentationibus ſuperemur. Ita optima, vel fere unica ſalutis expediendæ, tutoque vivendi ratio eſt ſolitudo, occaſionum fuga, & a mundi luce receſſus: *Ductus eſt Jeſus in deſertum*. 2. Quod ad internas attinet tentationes, docet Salvator, illas jejunio, & mortificatione eſſe prævertendas. Hæ porro ad duplicem rediguntur ſpeciem, quarum fomitem ipſi intra nos perimus; videlicet ad corporis, animique tentationes. Quod ſpectat ad carnis rebelliones nihil eas melius mulcet, quam jejunium, cujus rei afferendæ ſunt rationes; atque eſt illas fugere, ac prævertere, exercere abſtinentiam; atque ad id quadrageſimale jejunium inſtitutum eſt. Jejunium autem non minus efficax eſt ad mentis ſuperbiam infringendam, quæ alter fons eſt tentationum, quæ intrinſecus oboriuntur. Per hoc, inquit Scriptura, noſmet humiliamus, noſtramque Deo, & eccleſiæ, ſubmiſſionem teſtamur; ſimilique uſus præcepto Deus olim ex hominum protoparente confeſſionem extorſit ſubmiſſionis ſuæ, ut licet omnibus terris dominaretur, ſe ſubditum eſſe meminiſſet, atque propter ea bona, quibus a Creatore ſuo cumulatus fuerat, non intumeſceret.

Pars altera. Quamcumque ingrediamur viam ad tentationes evitandas, non ſemper noſmet iiſdem liberare poſſumus; ſeu quod illas nobis immittat Deus, ut virtus noſtra exerceatur, ſeu quod infelix primi hominis lapſus in eam nos adduxit neceſſitatem, ut toto hujus vitæ ſpatio nobis eſſet decertandum: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. Job. 7. Quamobrem JESU CHRISTI exemplum ſecuti præliari debemus, ac tentationem ſuperare, ubi evitari non poſſit. Ab illo igitur reſiſtendi artem diſcamus, poſtea quam artem fugiendi didicimus. Dæmon tria in J. C. tentationum genera ſuſcitavit, quas Dominus triplici armorum genere, quod earum ſingulis aptum erat, propulſavit. Prima craſſior fuit gulæ tentatio, illi perſuadere volens, ut lapides immutaret in panes; cui Dei filius reſtitit, dicens, animæ nutriendæ curam, quam corporis, eſſe debere potiorem. Hoc nobis faciendum eſt, ac ſerio cogitandum, nimiam corporis curam animæ officere. Altera fuit tentatio ſuperbiæ, perſuadendo illi, quem corporea voluptate ſuperare non potuerat, ut de ſummo templi vertice ſe in præceps demitteret ſuam apud Deum auctoritatem oſtentaturus. Periculoſa præſumptionis tentatio, quam vicit Salvator dicens, Deum inani confidentia nunquam eſſe tentandum; ſed expectandam, implorandamque opem illius in iis, quæ præcipit, & ſunt intra ordinem officiorum noſtrorum: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Matth. 4. Ultima denique tentatio ambitionis ſimul fuit, & avaritiæ; atque hujus Hominis Dei exemplo docemur, cor noſtrum dividendum non eſſe, ſed integrum Deo tribuendum &c.

II. Pro Concionis argumento, ac diviſione tres aſſumi poſſunt veritates, quæ facile probari, ſolideque tractari poſſunt.

1. Tentationes eſſe inevitabiles, & cum ipſe Dei filius tentari voluerit, fruſtra nos immunes a tentationibus eſſe vella, quocumque in ſtatu, & conditione ſimus; quamobrem ad eas oppugnandas & ſuperandas noſmet præparare debemus.

Altera eſt; tentationem nobis utilem eſſe; hæc enim noſtram oſtendit virtutem, atque viam aperit ad plurimorum meritorum acquiſitionem. Quamobrem hæc indicia ſunt amoris, quo nos proſequitur Deus, & curæ, quam noſtri gerit Providentia.

Tertia eſt: in noſtra poteſtate ſitum eſſe vincere tentationes, quacunque ex parte ingruant, divina opem ferente gratia; ideoque ſemper nos culpa noſtra ſuperari.

III. 1. Nulla virtus eſt, quæ ſupra tentationem ſit: videlicet quocumque ſumus in ſtatu, tentamur, ſeu a dæmone, ſeu ab externis objectis, ſeu denique ex nobiſmet ipſis tentationes oboriantur. Quamobrem tentatio ſemper eſt metuenda, & nunquam in viribus noſtris confidendum eſt. 2. Viciſſim nulla tentatio eſt, quæ ſit ſupra virtutem; hoc eſt, nulla tentatio cujuſcumque generis ita violenta eſt, quam ope gratiæ ſuperare nequeamus.

IV. 1. Tentationes, quamvis remotæ, & abſentes, a nobis ſunt metuendæ; cum enim infirmi, & imbecilles ſimus, periculum ſemper adeſt, ne vincamur; quamobrem de nobiſmet ipſis diffidere debemus, ac adniti, ut tentationes haſce vitemus, & fugiamus occaſiones, quæ ſunt illarum cauſa &c. 2. Metuendæ non ſunt, cum ſunt præſentes, ac iiſdem petimur, ſed generoſe propulſandæ ſunt, atque impugnandæ. Non deſunt nobis gratiæ, & ſubſidia ad eas vincendas neceſſaria.

V. 1. Nulla tam infima, leviſque tentatio eſt, cui cedere nequeamus, niſi jugi, & chriſtiana ſolertia nobiſmet invigilaverimus, atque in propriis viribus confidentiam conſtituerimus. 2. Nulla eſt tam fortis, atque violenta, quam Dei ope, atque iis armis, quæ S. Paulus ad id nobis miniſtrat, ſuperare nequeamus.

VI. Triplex eſt tentationum genus, quas ſuperare exemplo ſuo nos docuit Dei filius: eas videlicet, quæ a mundo, a nobis, a dæmone proficiſcuntur. 1. Contra mundi tentationes Dei filius utitur fuga: *Ductus eſt in deſertum a ſpiritu*. Mundus Dei gratias, & cœli lumina infirmat; nos ſuis pompis perſtringit, & laqueis plenus eſt: *Mundus totus in maligno poſitus eſt*. Efficit, ut in nobis Dei amor tepeſcat terrenorum bonorum amorem immittens. Ad hæc omnia evitanda receſſus, & fuga mundi omnino eſt neceſſaria. 2. Contra tentationes, quæ a nobiſmet ipſis oriuntur, & quarum principium eſt corpus, Dei filius, licet non eſſet obnoxius omnibus illis rebellionibus, quas ipſi experimur, & corpus ejus eſſet virtutum omnium inſtrumentum, noſtrum domare nos docet, quod proculdubio maximus nobis eſt, ac periculoſiſſimus inimicus; idque jejunio, & mortificatione, quæ omnes ſenſuum motus coercet. 3. Contra dæmonem, a quo ambitionis, impietatis, ac idololatriæ tentatur, adhibet verbum Dei, atque æternarum veritatum conſiderationem.

VII. Tentatio conſiderari poteſt tanquam prælium ſpirituale, ubi tria perpendenda ſunt. 1. Inimici, cum quibus nobis confligendum eſt, dæmon videlicet, caro, & mundus; quomodo illi nos laceſſant, videlicet modo fraudibus, ac dolis, modo vi aperta, & impetu facto, modo pactis, & conditionibus; ideoque nobis eſt conſulendum, præcavendum, nec non armis neceſſariis utendum. 2. Ad examen revocandæ ſunt vires, & ſubſidia, quæ habemus ad propulſandos pertinaces hos inimicos, quos ſuperare noſtrum eſt, ad quod obtinendum conſtantia tantum, certoque conſilio indigemus. 3. Conſiderandus hujus certaminis exitus, ſi victi, aut victores fuerimus, ut ad ſtrenue bellandum excitemur.

VIII. 1. Quid ante tentationem faciendum. Prævertenda eſt; omnes exerendi conatus ad eam evitandam; animuſque præparandus ad eam oppugnandam, ſuſtinendamque. 2. Quid faciendum in tentatione; ſtrenue oppugnanda eſt, Dei ſubſidium petendum, Deo fideliter adhærendum. 3. Quid faciendum poſt tentationem, atque relatam victoriam; victoria nequaquam propriis viribus accepta referenda eſt.

IX. Punctum 1. Permittit Deus juſtos plurimas ob cauſas tentari. 1. Ut mereantur cœlum, quod præmium eſt eorum, qui ſtrenue certarunt. 2. Ut ſeſe colligant, & ne dona, quibus a Deo cumulati fuerunt, ſint illis inanis gloriæ cauſa; *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ &c.* 2. ad Cor. 12. 3. Ut illos vehementius diligat illorum fidelitatem expertus: *Nunc cognovi, quod times Deum*. Gen. 22.

Punctum alterum. Deus illis opitulatur, qui tentantur, nec illos ſupra vires ſuas tentari ſinit; ſed præbet illis modum, quo ex ipſis proficiant tentationibus.

Tria

X. Tria poſſunt in teatationibus conſiderari, ex qoibus tres coneionis partes fieri poſſuot. 1. Neceſſitas tentationum, ſine quibus in hoc mundo vivere non poſſumus, ubi undequaque urgemor indefeſſis hoſtibus, qui nos quocunqoe ſequuntur, & quos ſemper nobiſcom gerimus. 2. Utilitas, quam nobis afferuot tentationes, & quam inde percipere poſſumus, videlicet humilitatem, diffidentiam noſtri, & coufidentiam in Deo. 3. Poteſtas, & adminicula, quæ nobis ſuppetont ad eas infringendas.

XI. 1. Ante teotutionem timeamus, fogiamus, nobiſmet invigilemus, caveamus; quia faciles ſumus, qui vincamur, infirmi, qui reſiſtamus, & a vigilanti inimico laceſſiti, qui opporrunum quæſit tempus, ac locum. 2. Cum uliquu laceſſiti ſumus tentatione, ac pugnare coacti, tuoe teſtari debemus fidem, conſtantium, amorem, quo proſeqoimur Deum.

XII. Triplici ex cauſa permittit Deus, ſervos ſoos, bonoſque homines ab humanæ ſalutis hoſtibus tentari. 1. Ut virtus eorum, quæ lateret, vel oriaretur, emicet in prælio, & unuſquiſqoe corum ſuam agnoſcat vim, atque imbecillitatem. 2. Ut virtus eorom exercita creſcat, atque augeatur, ac tentatio ſit illis meriti majoris occaſio. 3. Ut intelligatur gratiæ virtos, quæ efficit, ut infirma creatura, qualis homo eſt, de omoibus dæmonis conatibos triumphet.

XIII. In Evangelium Dominicæ primæ in Quadrageſima conſiderare poſſumus: 1. J. C. divino ſpiritu adductum in deſertum, ut ibi tentaretur a diabolo; unde diſceudum eſt, aobis expectandam eſſe tentationem; a Deo nos addoci in locum certaminis ad virtutem noſtrum probandam, exerceadamque, utqoe ibi nos a Dæmone tcotari, contra qoem pugnare debemus: 2. J. C. coutra dæmonem pugnantem; obi diſcimus, quibus artibus utatur dæmon ad illum teotandom, quæ eadem ſunt, ac illæ, quibus utitur contra nos; ac denique quibus armis utendum nobis ſit ad illum propulſandum, & exemplo filii Dei ſuperandom: 3. JESUM CHRISTUM dæmonis victorem; unde intelligemus, quam utile ſit vincere hunc hominum ioimicum; & quæ merces, & gloria victoriam hanc ſubſequatur. *Lambert Homilia in primam Quadrageſimæ Dominicam.*

XIV. Duo ſunt tentationom genera, ad quæ ſuperanda variis rutionibus utendum eſt.

Primæ nobis occurrunt non quæſitæ, naſcuntur in nobis, unumque principiom habeor ex corruptione noſtræ naturæ; ad quas ſuperandas nobis Deus ſemper neceſſaria ſobſidia miniſtrat: ſatis eſt ſolum, nos uti vigilantia ad eas prævertendas, nec non ad oppugnaodas conſtantia. 2. Aliæ ſoat, quas ipſi toquirimus, & quibus dedita opera oofmet objicimus in occaſione permaneutes. Hæ nobis ſemper fatalea ſunt, neque alia nobis ſuppetit ad eas ſuperandas via, quam fuga. *P. Bourdalove, aliique nonnulli.*

XV. Rationes, quæ fidelem excitare debent ad ſtrenue reſiſtendum, ſoot conſiderare: 1. illum duce infioita Dei ſapientia pugnare, quæ illum tentari patitur, ut ſoæ fidelitatis, & couſtantiæ præbeat indicia. 2. Illum pognare infinita Dei virtute defenſom, qoa invictus redditur, & cum qua ioutiles efficere poteſt omoes inimicorum conatus. 3. Pugnare ſub protectione iofinitæ bonitutis Dei, quæ nuoquam eum deſeret, donec ipſe in illa coofiderit. *P. Tenier in Dominicali.*

XVI. 1. Dæmon bonos præcipue tentat, quæ res illos in jugi timore, ac vigilautia cootinere debet. Hoc primum eſt documentum, quod ex hodierno evangelio percipere poſſumus, ubi videmus, ipſum Dei filium a dæmone tentari. 2. Documentum alrerum eſt, juſtos, ac bonos facile reſiſtere poſſe teotationibus dæmoois, quooiam Dei filius eos docet rationem, eiſque neceſſaria tribuit ſubſidia ad illos vincendos. *Ex ſpecimine ſermonum pro Dominicis tom. 4.*

XVII. De præliis, quæ nobis a ſalutis noſtræ inimicis per tentationes inferuntur, tres hæ veritates nobis regula eſſe poſſunt, quamvis totidem paradoxa videantur.

Prima eſt; noſmet ipſos infirmare, ut decertemus, idque jejuaiis, aliiſque mortificationibus.

Altera eſt; ſugere debere, ut vincamus. etenim com dedita opera noſmet periculo objicimus, jam victi ſumus. Tertia eſt; noſmet humiliare oportere, ut triumphemus; ſemper enim nobis diffidendum eſt de viribus noſtris; neque nobis acceptus referendus eſt honor victoriæ. *Ibidem.*

1. Deo duce pugnamus, hoc eſt ſob illius protectione, & providentia. 2. Cum Deo pugnamus, hoc eſt cum ſubſidio, & ope gratiarum ejus. 3. Pugnamus propter Deom, hoc eſt pro gloria, & honore illius; quæ tres ſunt rationes, quæ fortitudiuem noſtrum debeut excitare. *Ex Quadrageſima P. Biroat.* XVIII.

1. Artes, qoibos utitur Dæmon ad nos perdeados, ab eodem in J. C. tentatione detectæ, primum erunt punctum. 2. Modi has eludendi artes a J. C. traditi in ea victoria, quam de dæmone reportavit; hi erunt alterum. *Ex ſermonibus Abbatis de Gezenne.* XIX.

Tria ſunt mortalium genera, qui diſcere debent, quomodo in tentationibus ſeſe gerere debeant. 1. Sunt temerarii, qui cæce ſeſe periculo objiciuat; atque his oſtendemus ſugam tentationum, & chriſtianam vigilantiam maximam eſſe prudentiam, quæ ab illis valeat adhiberi. 2. Non deſunt imperiti quidam, & inexperti, qui in dæmonis laqueos incidunt, eiſque hujus dolos, & artes aperire conabimur. 3. Ignavi ſont, quibus ad reſiſtendum animus deficit; & hos filii Dei exemplo excitare contendemus. *Ex Quadrageſima Auctoris ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argum.* XX.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

S. Auguſtinus in hæc S. Pauli verba ad Galatas: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, docet, neminem eſſe a tentatiooibus immonem, & qood tuotum, qui ſemper vincuntur, nunquam ſe teatari credunt. Sancti Patres.

Idem in Pſalm. 127. oſtendit, nos undiqoe oppugnari ab inimicis, qoibus ſtipati ſumus.

Idem ſerm. 16. in Pſalm. *Qui habitat*, oſtendit tentationum neceſſitatem, & auxilium, quod a Deo in tentationibos expectandum eſt.

Idem in Pſal. 45. hæc explicans verba: *Deus refugium noſtrum, & virtus*, docet, in tentationibus ad Deum confugiendum eſſe.

Idem *l. 2. de ſerm. Domini in monte* plurima, eaque optima profert hæc explicans verba: *Et ne nos inducas in tentationem.*

Idem *ſerm. 3. de verbis Apoſt.* oſtendit tentatioonm utilitatem S. Pauli exemplo.

Idem in Pſalm. 106. loquitur de bonorum tentationibus, & quomodo illos liberet Deus.

Idem *l. 11. de Geneſi c. 4.* rationem reddit, propter qoam permiſit Deus, ut primos homo teotaretur, quamvis prævideret illum teotationi ceſſurum.

Idem *ſerm. 246. de tempore* oſtendit, nos non eſſe omoino immonea a tentatiooibus in hac vita. Hoc ipſum oſtendit in Pſal. 62.

Idem *l. de Paſtoribus c. 5.* loquitur de ſobſidio, quod nobis ſuppeditat Deus ad tentationes ſuperandas.

Idem *l. de vera relig. c. 38.* oſtendit, Salvatorem viciſſe tentationes omnes, quibus Dæmoo homines laceſſere conſueverat.

Idem *ſerm. 72. de tempore* oſtendit, quomodo, & cur permittat Deus hominea tentari.

Idem *ſerm. 197. de tempore* oſtendit, dæmonem, licet victus ſit, vinctuſque, nihilominus tentare homines.

Idem

Idem *tract.* 85. *in Joan.* oſtendit, a dæmone juſtos potius, quam malos tentari.

Idem, vel auctor quæſtionum in *vetus*, novumque teſtamentum refert varias tentationes, quibus homines tentari Deus permittit.

S. Gregorius *l.* 4. *moral.* oſtendit, nos, poſtquam majora ſuperavimus, levioribus cedere tentationibus.

Idem *lib.* 24. *moral. cap.* 7. fuſius loquitur de tentationibus, quæ accidunt illis, qui recens converſi ſunt, & Deo ſervire incipiunt.

Idem ibidem loquitur de conſolationibus, quæ ſuccedere conſueverunt ſuperatis tentationibus.

Idem *lib.* 27. *moral. cap.* 10. docet juſtorum tentationes celerrime pertranſire, ſed meritum victoriæ de illis relatæ diu permanere.

Idem *lib.* 33. *Job.* 22. oſtendit, dæmonem longe aliter Dei ſervos, ac mundi mancipia tentare.

Idem *l.* 29. *Job.* 12. oſtendit eum, qui perfectior eſt, vehementius tentari.

Idem *lib.* 5. *in reg.* rationes adfert, propter quas Deus vult homines tentari.

Idem in Præfatione moralium in Job cap. 3. & 4. explicat, quomodo permiſit Deus, ut Job tentaretur.

Idem lib. 8. moral. oſtendit hominis vitam ſuper terram perennem eſſe tentationem.

Idem *lib.* 23. *cap.* 16. reddit rationem, cur permittat Deus homines tentari.

Idem *lib.* 14. *moral. cap.* 7. *&* *lib.* 15. *cap.* 30. oſtendit a Dæmone quemque ſecundum ſua ſtudia tentari.

Idem *Hom.* 16. *in Evang.* more ſuo explicat evangelium, ubi de tentationibus Salvatoris ſermo eſt.

S. Hieronymus *Epiſt.* 22. *ad Euſtoch. de cuſtod. Virgin.* docet, ſtatim reſiſtendum eſſe tentationibus; neque permittendum, ut convaleſcant.

Idem *epiſt. ad Heliodorum* docet, neminem eſſe a tentatione immunem, & eos periculoſius tentari, qui ſe tentari non putant.

S. Ambroſius integrum habet ſermonem de tentationibus J.C. & noſtris; eſtque 30. *de tempore*, de qua re loquitur etiam ſerm. 37.

Idem *l.* 1. *de Pœnitent. c.* 13. oſtendit, Deum juſtos e tentationibus liberare, & efficere, ut inde utilitatem percipiant.

S. Chryſoſtomus *Homil.* 25. *ad popul. Antioch.* oſtendit, quomodo tenremur a Dæmone, qui non habet nocendi poteſtatem, niſi ipſi voluerimus.

Idem in cap. 3. S. Matthæi ſerm. 13. adhortationem habet, ubi oſtendit, quantopere nos nobiſmet ipſis invigilare debeamus, & contra dæmonem, a quo inceſſanter tentamur.

Idem vel auctor operis imperfecti in S. Matthæum, oſtendit, Deum moderari tentationes, nec permittere, ut a dæmone viribus omnibus oppugnemur.

Idem Hom. 87. in S. Matth. oſtendit, dæmonem ad animas fallendas ſub virtutis ſpecie vitium contegere.

S. Leo *ſerm.* 1. *in Quadrag.* oſtendit, quomodo noſmet præmunire debeamus contra tentationes, & ſerm. 2. oſtendit, neminem a tentationibus eſſe immunem.

Idem ſermone 4. explicat ordinem tentationum Salvatoris, & artes dæmonis.

S. Bernardus *ſerm.* 5. *Quadrag.* oſtendit, carnem noſtram nobis domeſticum eſſe inimicum, & fontem plurimarum tentationum.

S. Maximus *Homil.* 2. *de Quadrag.* deſcribit certamen initum inter Dei filium, & dæmonem, & quomodo inimicum hunc vincere debeamus, de qua re loquitur etiam in Homilia 4.

S. Chryſoſtomus ſermone 11. loquitur de nequitia, & artibus Dæmonis.

S. Bonaventura *tomo* 3. *ſermone de Temp.* docet, quomodo reſiſtendum ſit dæmoni, exemplo filii Dei.

Idem eodem tomo, ſed in alio ſermone, loquitur de triplici tentationum genere, & modo eas ſuperandi.

Hugo de S. Vict. *ſerm.* 54. *Monaſt. inſtitut.* refert prælia, quæ dæmon quidem animæ, anima vero dæmoni inſerant. Aſcetici, aliique.

Rodriguez par. 2. tractatu 4.

S. Franciſcus Saleſius Introductione ad vitam devotam par. 4. a cap. 1. ad 20. ubi varia tradit egregia ad hanc rem conſilia.

Thomas *a* Kempis *l.* 1. *de imitat. Chriſti c.* 13.

Humbertus *l.* 3. *de erud.* par. 1. 2. 3. 4.

Nicolaus Lancicius *opuſc.* 10. *cap.* 5. *&* *opuſc.* 1. *cap.* 16. *&* 17.

Bellarminus *de gemitu Columbæ* lib 2 c 12.

P. Ludovicus Camaret lib. de puro, perfectoque Chriſtianiſmo, obſtaculo 12. ubi loquitur de nequitia, & artibus dæmonis, ac de modo reſiſtendi tentationibus illius.

Liber cui titulus: Paſſiones Jeſu Chriſti; paſſione 16. tentatio in deſerto.

P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus tomo 3. pro die 12. Julii, & tomo 4. pro die 14. Novembris.

Moralis chriſtiana in *Pater* lib. 8. ſect. 1. fuſum habet, amplumque tractatum de tentationibus.

Dandini *Ethica Sac. lib.* 37. ubi pluribus articulis Patrum ſententiæ, ac plures hac de re animadverſ. afferuntur.

Drexellius *in palæſtra ſacra*.

Pean in dialogis ſpiritualibus, dialogo 3.

Catechiſmus Concilii Trident. in 6. petitionem *Pater*.

P. Delingendes duos habet deinceps ſermones de tentationibus, in quorum primo exponit aliquot chriſtianas veritates ad rem hanc pertinentes, in altero vero dæmonis artes, ac inſidias. Concionatores aliqui.

Biroat ſerm. pro 1. Quadrag. Dom. hoc tractat argum.

P. Texier in dominicali in idem Evangelium.

Joly Propoſitione pro 1. Quadrageſimæ Domin.

Specimen Ethicum in anni evangelia tomo 1.

Abbas de Monmorel Homil. & ſermone in evangelium de tentationibus.

Abbas de S. Martino in idem Evangelium.

P. Aurelianenſis in tom. 1. ſerm. unum habet de tentat.

Auctor ſerm. chriſtian. ſerm. pro Dom. 4. poſt Epiph.

Abbas Trappenſis collatione pro 1. Quadrageſ. Domin.

Abbas de Pezenne in ſermonum ipſius collectione.

Morales ſermones in Quadrageſima.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta pro Dominica 1. Quadrag.

In Specimine ſermonum pro Quadrageſima, & Dominicis plures ſunt hujus argumenti ſermones.

Granatenſis in locis Communibus.

Buſæus in Panario. Qui collectanea ediderunt.

Labatha in Theſauro

Berchorius

Lohner

Polianthea Sacra.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

T*Entavit Deus Abraham*. Geneſ. 22.

Nunc cognovi, quod times Deum. Ibid.

Tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat utrum diligatis eum. Deuter. 13.

Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe. Sapient. 3.

Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Sapient. 14.

Fili

Fili accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Eccl. 2.

Tentatio, vel militia eſt vita hominis ſuper terram. Job. 7.

Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te. Tob. 12.

Ductus eſt Jeſus in deſertum, ut tentaretur a diabolo. Matt. 4.

Et ne nos inducas in tentationem. Matt. 6.

Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Matt. 26.

Scriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. Matt. 4.

Anania, cur tentavit ſathanas cor tuum? Act. 5.

Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Ad Rom. 7.

Tentatio vos non apprehendat niſi humana. 1. ad Corinth. 10.

Ipſe ſathanas transfigurat ſe in Angelum lucis. 2. ad Corinth. 11.

In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Ad Epheſ. 6.

Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſathanæ, qui me colaphizet. 2. ad Corint. 12.

Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem. Ad Galat. 5.

Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli. Ad Epheſ. 6.

Ne forte tentaverit vos is, qui tentat, & inanis fiat labor noſter. 1. ad Theſſalon. 3.

In eo, in quo paſſus eſt Chriſtus & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari. Ad Hebr. 2.

Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Jacobi 1.

Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. Ibidem.

Sobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter, diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide. 1. Petri 5.

Novit Dominus pios de tentatione eripere. 2. Petri 2.

Hic eſt qui vocatur diabolus, & ſathanas, qui ſeduxit univerſum orbem. Apoc. 12.

Exempla ex veteri, novoque teſtamenta deſumpta.

Exemplum Adæ tentati, & cedentis tentationi.

PRimus hominum Dei manu factus adeo ſapiens, & felix neſcit ſuam agnoſcere felicitatem, neque illa frui, uti oportebat. Dęmon, qui nuper de ſuę beatitudinis gradu per ſuperbiam fuerat dejectus, ſtatuit illum ſuę infelicitatis habere conſortem; quod ut aſſequeretur, vidit, illum ſceleris ſui ſocium ſibi eſſe faciendum. Verum cum mentis illius vim, ac ſcientię magnitudinem noſſet, ratus eſt, dolo potius opus eſſe, quam vi; quamobrem ad ejus ſeſe convertit uxorem ſperans fore, ut hanc, quippe magis credulam, facilius deciperet. Seductor ſub ſerpentis imagine latens exortus eſt eam inſtituens quęſtionem, quę protecta videbatur ex ipſius voluntate videndi illam perfecta felicitate fruentem, interrogans, cur Deus neque illi, neque viro ejus licere voluiſſet, veſci fructu omnium arborum, quę erant in paradiſo terreſtri? Cui cum Eva reddidiſſet licere ſibi quidem comedere ex omnibus fructibus, qui in paradiſo erant, ſed Deum prohibuiſſe dumtaxat, ne ex ea, quę in medio paradiſi conſita erat, manducarent, ne ſtatim in arena morerentur: Non ita, callidus addidit, non ita moriemini; ſed ſcit Deus, vos ſtatim ac ex eo manducabitis, futurum, ut aperiantur oculi veſtri, & fiatis tanquam Dii, ſcientes bonum, & malum. Cum autem Evę fructus pulcher quidem videretur adſpectu; cumque promiſſio futurę cum Deo ſimilitudinis proprio ejuſdem amori adblandiretur, prębuit aures dolo ſub ſpecioſis verbis latenti, atque ita excęcata manum retendit ad fructum, atque ex illo comedit guſtui ſimul, & curi ſitati ſuę ſatisfactura. Nec ſatis fuit; improba mulier viro quoque fructum prębuit deguſtandum, qui, ut illi morem gereret, atque ut excuteret eam ſubmiſſionis notam, quam volebat Deus illum Domino ſuo pręſtare, comedit. Hoc primum fuit certamen, quo dæmon hominem laceſſivit; hæc prima victoria, quam de illo reportavit; hæc prima tentatio, & addi poteſt, fons, ac principium omnium tentationum: inde enim profecta eſt hæc in malum propenſio, & infelix concupiſcentia, quæ nos aliis omnibus tentationibus facit obnoxios, faciles, qui vincamur, & infirmos, qui malo reſiſtamus: triſtes, funeſtique peccati originalis effectus.

Non deſunt ſancti, quos Deus ipſe tentat, ſed longe alia ratione, ac mente prorſus alia ab ea, qua nos dæmon tentat: Dęmon enim tentat ut fallat, Deus autem, ut probet laboribus, aut imperiis moleſtis, atque ſtudiis eorum oppoſitis. Hoc S. Ambroſius animadvertit in ea ratione, qua Deus ſe geſſit cum S. Patriarcha Abraham, quem diu, ac diverſimode expertus eſt, antequam magnam adhiberet tentationem, qua illum filium ſuum ſacrificare juſſit: atque ita fieri oportebat, ne ſi primum ſtatim dure adeo illum tentaſſet, quin illius periculum feciſſet, terribili hoc imperio ita dejiceretur, ut pondus illius ſuſtinere non poſſet. Sed poſtquam magnus ille Patriarcha noviſſima hac tentatione probatus fuit: *nunc cognovi*, dixit illi Dominus, *quod times Deum*. Quid, S. Auguſtinus interrogat, nunquid antea cor, & amor famuli ſui Dominum latebat? Non ita ſane, ſed Abraham ignorabat adhuc, quouſque evaſurus eſſet amor, quo Deum diligebat; voluitque Deus, hunc ab illo ea in occaſione cognoſci. Cum autem iſtic non agamus de tentatione, quatenus eſt periculum virtutis noſtrę a Deo factum; ſed quatenus nos in crimen adducit, atque excitatur a dęmone, qui nobis, omnibuſque creaturis noſtris utitur, ut nos fallat, & perdat, non loquemur de tentationibus Jobi, Tobiæ, veterumque Patriarcharum, quorum fidem pluribus tribulationibus Deo placuit experiri.

Quomodo Deus tentat S. Patriarcham Abraham.

S. Patriarcha Joſeph procol dubio maximum eſt probatiſſimæ fidelitatis exemplar, quod in veteri teſtamento nobis occurrat. Neminem latet, quas illecebras, promiſſiones, minaſque miſcuerit Putipharis uxor, ut adoleſcentem in ſtuprum alliceret. Nulla unquam fuit hac periculoſior tentatio. Hinc quidem Joſeph erat adoleſcens, atque ea ætate, quæ pronior eſt in voluptatem, eratque in illo non ſecus ac in aliis hominibus hæc propenſio, & omnium tentationum principium, quod ipſi concupiſcentiam vocamus; inde vero a fratribus venditus ſe ipſum ad humilem mancipii conditionem redactum videbat; ubi omnia ſibi erant metuenda ab imperioſa fœmina, niſi illius voluntati obſecutus fuiſſet, quæ pollicebatur futurum, ut tanquam Dominus illius haberetur, atque libertate donaretur, adjectis ſecreti, impunitatis, maximarumque remunerationum promiſſionibus, iiſque omnibus, quæ mulier improba ad illius labefactandam fidem aptiora arbitrabatur. Sed adoleſcens, cui ſemper ob oculos Dei timor fuerat obverſatus, omnibus hiſce ſollicitationibus nil reddidit aliud, præter hæc verba: *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum.* Gen. 39. Non aliis uſus eſt armis, quam fuga, relinquens pallium ſuum in manibus impudicæ, illum detinere, ac ne elaberetur ſibi, prohibere adnitentis.

Exemplum S. Patriarchæ Joſeph a domina in ſtuprum illecti.

E contra humanæ infirmitatis exemplum habemus in perſona David. Hic vir ſecundum cor Dei, invictus, David poſt tot relatas victorias, atque Saulis perſecutiones exantlatas fortuito oculorum aciem imprudens conjecit in Bethſabeam, quam de regiæ domus ſolario in balneis proſpexit. Si oculos ab objecto amoviſſet, egiſſet triumphum de libidine, quæ maximos terrarum domitores proſtravit; ſed quod curioſius illam intueri commoratus

eſt, jam cecidit. Mulieris nomen quæſivit, eam acceſſivit, ac infami ſe polluit adulterio, quod cæde contegere adniſus eſt. Quot illi ſtetit lacrymis hic intuitus! quot mala non ſubſecuta ſunt tentationem, qua victus fuit? Quo facto docemur, nullam eſſe virtutem, nullam ſanctitatem, nullum conſtans propoſitum, quod tentationi reſiſtere poſſit, cum temeraria præſumptione eam quærimus, vel in illa quieſcimus.

De filios tentari voluit, ut nos doceret tentationes vincere.

Mirum profecto eſſe debet, videre dæmonem cum J. C. prælium ineuntem, atque fruſtra conantem de illo eam referre victoriam quam de omnium mortalium parente reportavit. Hac mente illum ſupra prealti cujuſdam montis cacumen tranſtulit; & iis illuſionibus, quæ neque in mentem, neque in imaginationem, immo neque in exteriores Salvatoris ſenſus cadere poterant, & in externis tantum objectis inveniebantur, oſtendit illi omnes omnium mundi imperiorum opes, atque divitias, earumque ſe illi perfruitionem conceſſurum pollicetur, ſi quem adorationis cultum ipſi vellet adhibere. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Matth. 4. Mirum ſane eſt, quod Dæmon Creatorem ſuum audeat laceſſere; quod ſceptra, coronaſque promittat illi, qui eas in Incarnatione contempſerat; quod ſuperbiæ nomine tentet illum, quem Patres antonomaſtice humilitatis prototypum vocant; avaritiæ illum, qui ſe ipſum exinaniverat, ut nos locupletes efficeret; gulæ illum, qui venerat, ut jejunia, & abſtinentiam nos doceret. Speratis poſt hæc, o Fideles, vos in hac vita a tentationibus immunes futuros? Quinimmo ex ipſo Salvatoris exemplo diſcite tentationes repellere, & ſuperare; ipſe enim ad id vobis gratias, & adminicula præbet.

Poſſumusne magis terribile exemplum habere lapſuum, in quos per dæmonis nequitiam, & conatus impingimus, niſi divina ope fulciamur, & roboremur, quam Apoſtolorum, qui poſtquam verbis ſatis conſtantiæ, ac fortitudinis præ ſe tulerant, aufugerunt, & in ipſo periculi occurſu Dominum reliquerunt? Sed longe mirabilius eſt S. Petri exemplum: videmus enim, poſtquam animi, amoriſque ſui erga J. C. præclara monumenta præbuerat, eique dixerat nimium viribus ſuis confidens; etiamſi *oportuerit me mori tecum, non te negabo*, mulierculæ unius verbo turbatum interpoſita jurisjurandi fide confirmaſſe, illum a ſe ignorari; quod palam innuit, ipſum nequaquam tantum habuiſſe virium, quantum arbitrabatur, cum magnifice illud Jeſu Chriſto pollicebatur.

Quomodo S. Paulus tentatus fuerit, & cur.

Magnus Apoſtolus S. Paulus tentatus fuit, ut in ſcelus, illudque turpiſſimum pertraheretur, ne, ut ait ille, magnitudine revelationum intumeſceret; eamque tentationem ipſe ſtimulum vocavit, quaſi ideo fuiſſet tentatus, ne ſenſim, ac ſine ſenſu tepeſceret, atque in negligentiam laberetur: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satbanæ, qui me colaphizet*? 2. ad Cor. 12. Contremiſcite hic peccatores, vos, qui, ut perhibetis, nullam experimini tentationem, & ignoratis, quid ſibi velit tentari. Ex omnibus ſtatibus, ad quos peccator redigi poteſt, hic deterrimus eſt, hoc quippe argumentum eſt, illum a Dæmone omnino victum profligatumque fuiſſe. Ad mortem æger eſt, qui ſuam non ſentit infirmitatem.

Magni veteris novæque legis ſancti tentati fuere.

Scriptura ſancta, & eccleſiaſtica hiſtoria abundant exemplis ſanctiſſimorum virorum, qui, licet ſibi met diligentiſſime caverent, tamen lapſi ſunt, vel victi vi, vel decepti fraude, ac inſidiis dæmonis. Ita Adam, David, Salomon, aliique ex utroque teſtamento plurimi infeliciter aut vim, aut dolos diaboli experti ſunt. Et ſane, quiſnam poſt tantorum virorum exempla, propriis tantum confidens viribus ſe in tuto eſſe arbitrabitur?

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Dæmon videtur noſtræ carni adhæreſcere ut nos tentet.

Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſathanæ, qui me colaphizet. 2. ad Cor. c. 12. Nonne mirum eſt, ab Apoſtolo carnem, cujus rebellionem experiebatur, Angelum ſathanæ appellari, quaſi a dæmone ad crimen ſollicitaretur. Diceres, dæmonem quodammodo nobis conjungi; & quemadmodum Verbum æternum ſe ſe naturæ noſtræ conjunxit, ut omnes homines ſalvos faceret, dæmonem ſimul ſingulis adhæreſcere hominibus, ut omnes illos vel perdat, vel ſaltem tentet; & quemadmodum adeſt communicatio quædam idiomatis inter ſanctam humanitatem, ac perſonam divinam, per quam dicimus Deum hominem eſſe, & hominem Deum, aliquid non abſimile carnem inter, & dæmonem inveniri: quapropter Apoſtolus carnem ſuam Angelum ſathanæ appellat; & S. Chryſoſtomus in eadem ſententia eum vocat, *dæmonem innatum, omnia prava ſuadentem*, dæmonem, qui nobiſcum natus eſt, & qui noſtrummet ipſorum partem conſtituit. Et reciproce Salvator de Juda loquens, ait, inter Apoſtolos ſuos dæmonem eſſe, quia unus ex illis nonniſi ex infeliciſſimi hujus ſpiritus conſilio operabatur.

Cur dæmon in evangelio dicitur homicida.

Idem homicida erat ab initio. Joan. 8. Dæmon a S. Joanne dicitur homicida, non ſolum, uti quidam ſancti Patres inquiunt, quia in ipſis mundi primordiis impulit Cain, ut fratrem ſuum occideret, eique corporis vitam auferret; verum etiam, ut inquiunt alii, quia primos parentes noſtros tentans abſtulit illis animæ vitam, quod eſt ſpirituale homicidium longe crudelius, ac nequius ipſa corporis cæde. Dicere poſſumus, dæmonem ad hanc quoque diem odioſum hoc retinere nomen, & eſſe peccatorum omnium homicidam; non quod illis vitam corporis auferat, quod non ita frequens illi permittit Deus, ſed quod animæ vitam eripiat, quod ſingulis accidit diebus: ita ut ſi minus effundit ſanguinem, qui naturalem vitam tuetur, inutilem certe efficiat ſanguinem Salvatoris, qui præbet animæ vitam, quæ gratia eſt; & prohibet, ne ſanguis, qui pro illis effuſus eſt, iiſdem ſupernaturalem, divinamque vitam communicet: *Ille homicida erat ab initio.*

Iſte bellum ſpirituum inter, & carnem.

Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c. ad Rom. 7. Si mihi apud Philoſophos eſſet ſermo, facile ex eorumdem principiis oſtenderem, homini neceſſario ſecum eſſe pugnandum. Satis eſſet illis oſtendere, nos ex duabus oppoſitis conſtare partibus ſemper diſſidentibus, ratione videlicet, & appetitu. Mirum fœdus! quo videtur Deus voluiſſe cœlum cum terra, gloriam cum ignominia, cum tenebris lumen confundere. Satis docet experientia duas haſce partes ultro citroque ſibimet prælium inferre, ſtatim ac ſimul adhærent; earum amor, & odium eodem tempore incipiunt; & ſi ægre invicem ſejunguntur, non minus ægre ſe ſe invicem tolerant. Liquet ergo, etiamſi ſapientum duntaxat hominum more loquamur, ferendam eſſe inevitabilem cum carne decertandi neceſſitatem: ſed ſi ſecundum Chriſtianiſmi lumina loquendum erit, fatebimur, vitam noſtram eſſe juge ſpiritus cum carne certamen.

Adverſarius noſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret. 1. Petri c. 5. Ut ſciamus, quomodo nos diabolus tentet, conſideranda ſunt duo nomina, quibus in Scripturis vocatur, & quæ duas præcipuas indigitant formas, ſub quibus ſe ſe exhibet nobis: modo enim loquuntur tanquam de terribili leone, modo tanquam de ſubdolo, ac veternoſo ſerpente, ut intelligamus illum duplici modo nobiſcum ſe gerere. Aliquando ſe ſe palam jactat, & vi laceſſit: aliquando vero ſtruit inſidias & per cuniculos agit. Primis eccleſiæ temporibus, S. Auguſtinus ait, ſe ſe tanquam leo gerebat, ſæviſſimas, crudeliſſimaſque adhibens perſecutio-

tiones; ſed pacis tempore ſerpentis more operatur, humi obrepere ſimulans, ſed ut melius ſuam tegat nequitiam, ſuoſque dolos diſſimulet.

Quibus armis utendum ad tentationes vincendas.

Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia in Deo. 2. ad Corint. 10. Quanquam corruptibili carne ſumus induti, tamen eo in bello, quod vitiis, & concupiſcentiæ carnis indiximus, carnalibus armis non utimur; ſed ut Apoſtolus inquit, *armis ſpiritualibus, ac potentibus in Deo* decertamus; videlicet plenis vi, ac robore Dei, nempe fide, mortificatione, jejunio, pœnitentia, & oratione. Arma hujuſmodi in ſpeciem quidem infirma ſunt, ſed nihilominus potentiſſima, & eo magis inimicis noſtris terribilia, quo magis gratiæ, & ſpiritus J. C. eas comitantur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ ſanctorum Patrum hujus argumenti.

Duplicem aciem producit mundus contra milites Chriſti: blanditur enim ut decipiat, terret ut frangat. Auguſt. in Serm. de ſancto Vincentio.

Tantum permittitur dæmon tentare, quantum tibi prodeſt ut exerceaeris, ut proberis, ut qui te neſciebas, a te ipſe invenieris. Idem, in Pſalm. 61.

Si nunquam tentaris, nunquam probaris: nam melius eſt tentari & probari, quam non tentatum reprobari? Idem in Pſalm. 144.

Deus tentat ut doceat, diabolus ut decipiat. Idem, Serm. 72. de Tempore.

Permittit Deus tentari, quia probatur & exercetur virtus, & eſt palma glorioſior non conſenſiſſe tentatum, quam non potuiſſe tentari. Idem, lib. 11. de Geneſi, cap. 6.

Magna laus non eſt, ſi homo non peccat, quia non tentatus eſt. Idem, in Dialog. ad Oroſium.

Magnum prælium nobis eſt, hoſtem non videre & vincere. Idem, in Pſalm. 142.

Ideo tentatus eſt Chriſtus, ut vincatur a tentatione Chriſtianus. Idem, in Pſalm. 90. Serm. 2.

Alligatus eſt diabolus, ne faciat quantum poteſt, ne faciat quantum vult; tantum tentare ſinitur, quantum expedit proficientibus. Idem, in Pſalm 63.

Ad menſuram permittitur tentare diabolus. Idem, in Pſalm. 90.

Luctamini, adjuvabo; vincite, coronabo. Idem, in Pſalm. 59.

Nemo ſibi innoteſcit niſi tentatus. Idem, in Pſalm. 60.

Niſi Chriſtus tentaretur, tibi tentando magiſterium vincendi non præberet. Idem, in Pſalm. 59.

Aliter tentator non vincitur, niſi contemnitur. Idem, Ser. 4. de Verb. Domini.

Aliter Deus, aliter diabolus tentat: nam diabolus tentat ut ſubruat, Deus ut coronet, & probet. Ambroſ. lib. de Abraham.

Si quando tentaris, cognoſce quia paratur corona. Idem, in Lucam, cap. 4.

Tibi contra diabolum dimicanti Deus parat æternitatis coronam. Idem, in quadam Epiſt.

Impoſſibile eſt humanam animam non tentari. Hieronym. lib. 4. in Matth. cap. 26.

Chriſtus tentari voluit, ut diabolum vinceret, & Diſcipulis conculcandum traderet. Idem, in cap. 4. Matth.

Cui nomina mille, mille nocendi artes. Idem.

Videte magnitudinem tentationis, videte magnitudinem virtutis. Idem. (Loquitur de ſancto Job.)

Diaboli tentationibus obviandum eſt, nec coluber foveri debet, donec in ſerpentem formetur. Cyprianus, Serm. de Jejun.

Nihil contra nos adverſarius poteſt, niſi Deus ante permiſerit. Idem, de Orat. Dominica.

Ipſe Chriſtus luctatur in nobis, ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri, & coronat pariter, & coronatur. Idem, Epiſt. 9.

Victoria dæmonis magis eſt expectanda de Sanctis. Hilarius, in cap. 4. Matth.

Humanum eſt in corde tentationem pati; dæmoniacum vero eſt in tentationis certamine, & operatione ſuperari. Gregorius, in Paſtoral.

Dæmon ſingulis hominibus vitiis convenientibus inſidiatur. Idem, 29. Moral.

Hæc tentatio ad probandam fidem, ad exercendam virtutem, ad augendum meritum mittitur. Chryſoſt. lib. 1. de Provid. Dei.

Hoc maximum ſit nobis indicium, quod Deus noſtri curam gerit. Idem, Homil. 32. in Geneſ.

Ne quis ultro tentationibus ſe offerre audeat. Idem, Hom. 13. in Matth.

Carnem habemus innatum dæmonem, omnia prava ſuadentem. Idem, in Matth.

Per tentamenta torpor excutitur, & ſanctus fervor immittitur. Chryſoſt. tract. de Pœnitent.

Ut gubernatorem navis tempeſtas, athletam ſtadium, militem acies, magnanimum calamitas, ſic Chriſtianum hominem tentatio probat. Baſil. orat. 11.

Nullum certius argumentum eſt, quod dæmones victi ſint a nobis, quam ſi nos acerrime oppugnant. Joannes Climac.

Si tentationi non ſeſtine reſiſtitur, eadem, qua nutritur, mora roboratur. Greg. 21. Moral. c. 8.

Magna contra diabolum arma ſunt, in ſuis viribus fiduciam non habere. Caſſiodorus, in Pſalm. 42.

Pervigil ille tentator eos acrioribus pulſat inſidiis, quos maxime videt abſtinere a peccatis. S. Leo in Serm.

Dæmoni aliquid audere permittitur, ut a Chriſti fidelibus majore Chriſti gratia vincatur. Idem, in quadam Epiſt.

Blandiente aura navim regit ultimus nauta; in confuſione ventorum primi quæritur ars magiſtri. Chryſolog. Serm. 6.

Tentationes non ſentire eſt Angelicum; tentationes ſentire, & vincere eſt Chriſtianum; tentationibus conſentire, & ex malitia delinquere, diabolicum eſt. Anſelm.

Poteſt inimicus excitare carnis motum, ſed in te eſt ſi volueris dare, vel negare conſenſum. Idem, Serm. 39.

Unum hoc bellum agnoſcamus, quod cum adverſariis poteſtatibus committitur. Gregor. Nyſſenus, Homil. in Pſalm.

Diabolus blanditur ut fallat, arridet ut noceat, allicit ut occidat. Cypr. lib. de hab. Virg.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento valeat depromi.

Quid ſit tentari, & quid tentatio.

Tentari, eo in ſenſu, in quo vulgo accipitur, atque hoc in loco intelligitur, eſt excitari, & ſollicitari ad peccatum fruitione, vel ſpe boni alicujus apparentis, quod nos deducere, & in vitium impellere poſſit. Ita tentatio eſt cogitatio, vel ſuggeſtio noxiæ alicujus cupiditatis profecta vel a dæmone, qui omnes exerit conatus ſuos, ut nos perdat, vel a concupiſcentia noſtra, qua erga ſenſibilia rapimur bona, vel a mundo, creaturis, exteriſque objectis, quæ nos alliciunt, faſcinant, ſeducunt.

Tentatio in propria ſignificatione duplex eſt.

Duo tentationum genera in Scripturis deprehendimus, quarum altera bona eſt, atque ad bonum, & utilitatem noſtram immiſſa, altera vero mala, quæ eo tendit, ut nos fallat, ac perdat. Prima ad Deum attinet, qui virtutis noſtræ periculum facit, non quod illam ignoret; ſed, ut S. Auguſtinus ait, ut hanc aliis præbeat cognoſcendam, ac in lucem adducat. Hoc conſilio tentavit Abraham, ac experiri voluit Jobi virtutem, atque fidelitatem; itaque, uti S. Thomas animadvertit, tentatio proprie periculum ſignificat. Quamvis autem improbus ſpiritus hac mente nos poſſit tentare, tunc quidem adverſis, exploraturus utrum ita adhæreamus Deo, ut labefactari ne-

queamus infortuniis; nunc vero proſperis, periculum facturus, utrum inſolentia afferamur, an voluptatibus indulgeamus; hoc tamen in ſenſu, & ſignificatione tentationem tunc tantum accipimus, cum tentamur a Deo. Alterum tentationis genus, quod eſt evitandum, ac impugnandum totis viribus, cum inviti laceſſimur, atque urgemur, ſemper mala quidem eſt in intentione dæmonis ſollicitantis, nobis vero ſemper eſt periculoſa, eaque vulgo ab auctore nomen deſumit, atque *tentatio dæmonis* appellatur; ſeu ille nos immediate per ſe, ſeu per carnem noſtram, ſeu per externa objecta ſollicitet. Nam licet tres hi ſalutis noſtræ inimici nos aliter oppugnent, & ſinguli peculiares habeant tentationes, hoc ſemper fit vel ſollicitatione, vel arte dæmonis, qui in Scripturis ſolus tentatoris nomine appellatur.

Subſidium & protectio, quam expectare debemus a Deo in tentationibus.

Cum ſæpe expediat homines tentari, ut illis merendi, & dæmones rubore ſuffundendi præbeatur occaſio, infeliciſſimis ſpiritibus permittit Deus, ut nos ſuis tentationibus urgeant; ſed in hoc illius emicat Providentia, quod non ſinit, nos ultra vires noſtras tentari, quemadmodum S. Paulus teſtatur; quod vim tentationum moderatur, eaſque hominum aptat infirmitati; ac demum quod nobis ſuppeditat vires, atque auxilia ad eas ſuperandas neceſſaria. Ita ut licet dæmones ſemper habeant obſtinatam nos perdendi voluntatem, Deus non ſemper illis nos tentare permittit; quia talis eſt hominum inconſtantia, & aliquando quibuſdam in occaſionibus, ac infidelibus diſpoſitionibus invenitur, ut ſi tunc tentaretur, certiſſime dæmonis incurſibus ſuperaretur. Hoc autem peculiare ſubſidium a Deo in dominica oratione petimus per ea verba: *Et ne nos inducas in tentationem*. Matth. 6. Petimus autem, ut ſi nos tentari permittit, non ideo nos tentationibus ſuperari permittat.

Vis inimicorum, cum quibus nobis pugnandum eſt, & pericula, quibus ſumus obnoxii.

Satis intelligemus, quantum cœleſti egeamus auxilio, ſi hinc quidem infirmitatem, atque ignorantiam noſtram perſpexerimus, ac illa Salvatoris meminerimus verba: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*; inde vero cogitaverimus vires, ac multitudinem inimicorum noſtrorum, qui in duas veluti acies diviſi ſunt; alii enim interiores ſunt, atque domeſtici, noſtræ videlicet affectiones, quæ ex cupiditate oriuntur, & quæ in nobiſmet ipſis robur habent ſuum; quam difficultatem ipſi experimur illis reſiſtentes, eas impugnantes, atque vincentes. Alii externi ſunt, quos S. Paulus ad Epheſ. 6. indigitavit, cum inquit, non eſſe nobis colluctandum *adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*, videlicet præter interiora affectuum noſtrorum certamina ſuſtinendos eſſe incurſus dæmonum ſubdulorum, terribiliumque inimicorum, qui nos exterius laceſſunt, & perferendas impreſſiones exteriorum imaginum, quibus imaginationem noſtram perturbant; nam modo palam vi facta nos petunt, modo clam & ſenſim, ac ſine ſenſu in animas noſtras irrepunt, ut vix nobiſmet ab eorum aſtu cavere poſſimus.

Sine gratiæ ſubſidio tentationibus reſiſtere non poſſumus.

De fide eſt contra Pelagium in Dioſpolitano Concilio in Palæſtina ſtatutum, nos ex nobiſmet ipſis, & ex arbitrii proprii viribus non poſſe reſiſtere tentationibus, ad quas ſuperandas indigemus actuali ſubſidio gratiæ, quam Dei filius nobis promeruit. Quamobrem in hac impotentiæ noſtræ confeſſione a nobis exercendum eſt ſaluberrimum illud monitum, quod Salvator Paſſionis ſuæ tempore Apoſtolis tradidit: *Orate, ut non intretis in tentationem*. Matth. 26.

Quid ſit tentationibus tradi, & quo in ſenſu Deus aliquem tentationi tradit.

Notandum eſt, tentationibus tradi non aliud eſſe quam illis cedere. Duplici autem modo cedimus tentationi: primam cum deſerentes bonum in malum labimur, in quod nos impellere conabatur ille, a quo tentabamur. Deus hoc pacto neminem tentat; neque enim eſſe poteſt cauſa peccati alicujus, & e contra odit eos omnes, qui operantur iniquitatem: quamobrem S. Jacobus c. 1. inquit: *Nemo cum tentatur, dicat; quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt*. Secundo ille cenſetur nos tradere tentationi, qui licet per ſeipſum nos minime tentet, non prohibet nihilominus, ne tentemur, & ne cedamus tentationi. Hoc pacto Deus aliquando viros bonos tradit tentationi; nam quemadmodum illos nunquam omnino deſerit, ſuiſque ſuſtinet gratiis, quæ ſemper ſatis ſunt ad prohibendum, ne cadant, ita nonnunquam illos ſibimetipſis derelinquit, ut illos humiliet, eorumque puniat audaciam, quod accidit S. Petro, cui gratia omnino non defuit, ſed cui defuit particulare ſubſidium, quod Deus peculiariter tradit, cum petitur.

Hæc certiſſima veritas eſt, vitam hanc ſine tentationibus traduci non poſſe, nam juxta Scripturæ ſententiam: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. Nos circumundique obſident hoſtes, intra, & extra nos; viſibiles, & inviſibiles; mundus, & exteriora objecta nobis jugiter ſuppeditant peccati occaſiones, ideoque etiam tentationes. Concupiſcentiæ perturbatio alius eſt fons tentationum; quinimmo indeſinenter rebellionibus ſuis contra ſpiritum nos ad peccatum ſollicitat, dæmon indeſinenter nos urget; & Deus ipſe more ſuo nos tentat, licet hic nos ad noſtram tentet utilitatem.

In tentatione tria notanda ſunt.

Cum nobis de malis tantum tentationibus loquendum ſit, de illis videlicet, quæ nos in malum, & ad Dei legem infringendam impellunt, in hujuſmodi tentationibus tria ſunt conſideranda; videlicet ſuggeſtio, voluptas, & conſenſus. Suggeſtio nihil eſt: immo fieri poteſt victoriæ noſtræ materia, eamque Deus ad noſtram utilitatem permittit. Voluptas eſt aliquid, & licet modicum in ea perſiſtamus, periculum eſt, ne ſit mortale peccatum. Sed conſenſus omnia facit; & quemadmodum non admodum vel a conſenſu voluptas, vel a voluptate diſtat ſuggeſtio, periculi evitandi ratio eſt, quam primum ſuggeſtionem hanc amovere, niſi queat evitari.

Dæmon nos tentaturus duplici procedit via.

Dæmon, ut nos ſeducat, & in peccatum impellat, duplici utitur via, perſuaſione videlicet, ac diſpoſitione. Perſuaſione utitur, cum interiores hominis facultates fallere admititur: 1. intellectum, cum æternarum veritatum loco fallaces illi imprimit opiniones, quæ cum ex pravis deductæ ſint principiis, nonniſi pernicioſas producere poſſunt illationes. Ita cum primos Parentes noſtros fefellit, ſeſe in lucis Angelum transformavit, eoſque ſub falſo, & ſpecioſo prætextu commentitiæ divinitatis illexit. Deinde voluntatem eorum vincit, amorem eis, qui Deo debetur, in creaturum rerum amorem confundens, oſtendit illis Deum tanquam remotum aliquod objectum, & in ejus locum creata bona ſubſtituit: efficit, ut ſupremum bonum in opum poſſeſſione, & voluptatum perfruitione conquirant: cumque objecta hæc ſint præſentia, æterna vero bona procul abſint, amovet cogitationem a futuris bonis, quæ ſunt inviſibilia, ut cor adhæreſcat præſentibus, quorum voluptate frui in illis eſt poſitum. Hæc miſera ſunt effata, quæ flagitioſis hominibus inſpirat, & perſuaſionis via, qua utitur eos tentaturus. 2. Diſpoſitionis viam ad eos tentandos ſequitur, cum homines ad iram, invidiam, odium, & ultionem provocaturus, eorum ſenſus perturbat, faſcinat oculos, corporis humores agitat, calefacit imaginationem, excitat, atque inflammat fomitem concupiſcentiæ, quem intra ſeipſos gerunt, totius hominis interioris, exteriorique œconomiam ſubvertit, ita ut niſi eorum voluntas ſibi caute invigilet, jam ſemivicta ſit, omniaqua ſint ad eam perdendam diſpoſita. Illa eo in ſtatu ſita eſt, ubi niſi confugiat ad Deum, ſæpe tentatione ſuperabitur, clademque ſuam evitare non poterit.

Vulgatiores dæmonis artes in tentationibus.

Præcipuum dæmonis tentantis robur in artibus ejus conſiſtit. Plures illæ quidem ſunt, ſed tres potiſſimum, quibus homines ſeducit. Prima eſt prohibere, ne proſpiciant, atque cognoſcant malum,

quod

Digitized by Google

quod eſt in ſcelere ab illis patrando: e contra vero illis ad vivum exhibet hinc quidem dulcedinem voluptatis peccati longe majorem, quam ſit; inde vero laborem, atque reſiſtendi difficultatem, quam illis maximam, & non ferendam repræſentat. Ars altera eſt, peccanti veniæ facilitatem proponere, ac perſuadere futurum, ut aliquando agat pœnitentiam, & ad id neque tempus, neque neceſſaria ſubſidia defutura. Tertio, ubi tentationibus victi occiderint, fallacem, miſeramque hanc illis mentem immittit, fieri non poſſe, ut a peccato abſtineant, ac reſiſtant iis tentationibus, quæ in illud impellunt.

Rationes, propter quas permittit Deus homines tentari.

Cum mirum videri poſſit, permittere Deum, ut homines tententur, quandoquidem tentationes paſſim cauſa ſunt eorum lapſus, atque interitus; perſuaſum hoc nobis eſſe debet, id nonniſi juſtas ob cauſas permitti; ac hujuſmodi tentationes utiles eſſe ſaltem in intentione Dei eas permittentis. 1. Ut periculum faciat virtutis noſtræ, eamque in lucem adducat; quod acceptus eras Deo, dixit Angelus Tobiæ, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te. 2. ut ipſi noſtram ſentiamus infirmitatem, & quomodo diffidere debeamus de nobiſmet ipſis, ac parum in virtute noſtra confidere. 3. ut ad illum confugere teneamur; experientia quippe noſtræ imbecillitatis, qua adeo potentibus inimicis reſiſtere non poſſumus, felicem nobis injicit neceſſitatem ad eum confugiendi, qui unus totum robur noſtrum conſtituit. 4. Ut nos purificet; nam Spiritus ſanctus teſtatur, quemadmodum aurifex emundat, ac probat aurum, ita hominem juſtum magis, magiſque emundari. 5. Ut nobis tribuat occaſionem exercendi, & acquirendi virtutes; neque enim acquiri poſſunt, niſi exerceantur, neque melius exerceri poſſunt, niſi in tentatione. 6. Ut nobis modum præbeat merendi coronam cœleſtem; neque enim mereri poſſumus illam, niſi pugnando, & ibi nulla pugna eſt, ubi nullus eſt hoſtis. 7. Ut nos eruat ex quadam ignavia, ac periculoſa ſecuritate, in qua nos detinet nimium diuturna pax, atque ut vigilantiam, fervoremque noſtrum excitet.

Ratio ineundo vincendi tentationes.

Ut tuto tentationem ſuperemus, oportet, 1. tentationi locum non dare, juxta Apoſtoli conſilium: 2. cum nos tentari cognoſcimus, nobiſmet perſuadere, illam a dæmone proficiſci; quod ſatis eſt, ut illam perhorreamus. 3. Tentationi aurem non præbere, ſed ſtatim eadem cum celeritate recedere, quaſi incauti candens ferrum fortuito attingeremus. 4. Non immorari animo revolventes tentationis ſubjectum, præſertim cum de impuritate agitur, ſub prætextu ad examen revocandi, utrum in eo immorati fuerimus. 5. Tentationes quædam repellendæ ſunt hoſti occurrendo, veluti cum iraſcimur, quædam vero fugiendo, veluti cum ad impuritatem provocamur. 6. Magna opus nobis eſt vigilantia, ac uti debemus cogitatione præſentiæ Dei, æternarumque veritatum.

Generaliter loquendo tentatio quærenda non eſt.

Quandoquidem dicimus, tentationem ſæpe utilem eſſe, ideoque Deum illam permittere, alicui videri poſſet, illam ergo cupiendam, & requirendam eſſe ob ea promerenda bona, quæ inde percipi poſſunt; ſed ex plurimorum Sanctorum Patrum ſententia hic error eſt, & S. Baſilius nobis tanquam diſciplinæ, & chriſtianæ pietatis regulam proponit fundamentum ſuum in evangelio habentem, nunquam noſmet tentationibus objici debere, ſed earum expectare tempus, atque noſmet contra illarum incurſus præmunire. Cum nequaquam certi ſimus victoriæ, ac ſemper de viribus noſtris diffidere debeamus, inſignis eſſet temeritas, ac præſumptio ſeſe tentationi exponere, ejuſque occaſiones conquirere.

Ratio, propter quam ſæpe tentationem ipſam non ſentimus.

Inde hac in re plurimi falluntur, quod minime ſentiunt pravas impreſſiones, quas periculoſa objecta faciunt in ipſis; unde arguunt hanc pro ſe tentationem non eſſe; ſed ignorant illi varios eſſe tentationum gradus, quorum primi ſenſum fallunt. Non ſtatim ad maximam mentis, & cordis corruptionem tranſitus fit, ac ſemper plurimum nocet animæ, ubi aſſueſcat ſine horrore periculoſa recipere abjecta, immo non ſine quadam oblectationis ſpecie illa intueri.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Dei filius tentari voluit, & cur.

VIx crederemus, Jeſum Chriſtum dæmoni permittere voluiſſe, ut ipſum tentaret, ſi neſciremus hunc Hominem Deum, cum noſtrum ſit caput, atque exemplar, voluiſſe noſmet in perſona ſua exhibere, ac oſtendere, cum ipſe etiam hunc inimici impetum ſuſtinuerit, nos, quocunque in ſtatu ſimus, a tentationibus immunes eſſe non poſſe. Mirum profecto eſt, eum, qui venit in mundum, ut adoraret Deum Patrem ſuum, cui in omnibus æqualis eſt, hodierna die idololatriæ numine tentari: eum, qui ſemper fuit pauper, & ne habuit quidem, ubi caput ſuum reclinaret, tentari avaritiæ: eum denique, qui venerat, ut vitam auſteram, & mortificatam duceret, gulæ tentari. Quanta hæc Deo fuit humiliatio? Sed nihil eſt, cui ſeſe ſubmittere recuſaverit, ut nobis eſſet exemplar, utque doceret, quomodo tentationes ſuperandæ ſunt. *Joly ſermone pro prima Quadrageſimæ Dominica.*

Qui converſionem meditantur, plerumque vehementius quam alii tentantur.

Nulla ars eſt, nulla vis, qua non utatur dæmon eam tentaturus animam, quæ ſerio converti cupit; etenim ſi non deterrita iis difficultatibus, quas illi propoſuit, ſuum exequitur conſilium, nova hæc vita inimici furorem irritat; & quemadmodum Pharao auxit labores Iſraelitarum, cum arbitratus eſt, illos dominationis ipſius jugum excutere velle, ita dæmon recentes proponit difficultates illis, qui eum relicturi ſunt, vel qui eum reipſa reliquerunt, eiſdem immittens tentationes & frequentiores, & vehementiores, quam ante. Statim ac anima ſeſe pœnitentiæ aquis abluit, dæmon ad illam accedit, quemadmodum acceſſit ad J. C. ubi a Jordane egreſſus eſt: *Acceſſit ad eum tentator.* Matth. 4. Hoc fuſius explicatur a S. Gregorio decimonono libro Moralium. *Idem.*

Explorat diabolus ſtudia eorum, quos tentare vult. Hilarine ſunt ingenio? palpat illos ſuggeſtione voluptatis, quæ vulgo comes eſt individua hilaritatis; & ab hac voluptate illos ad noxia impellit commercia. Suntne moroſi, ac triſtes? quemadmodum triſtitia hæc ſæpe in iram, & impatientiam degenerat, illos ad diſſenſionem, atque diſcordiam adducit. Timidine ſunt, & ob leviſſimas cauſas trepidant? eorum alitur pavore, ut augeat obices, quos in exercitatione virtutis inveniunt. Superbo ingenio ſunt? ſuſcitat adulatores, qui laudent illos; & ſi eas contemnere laudes ſimulant, quæ tribuuntur ſibi, efficit, ut illi ſe dignos ſaltem iiſdem eſſe perſuadeant. Etenim quid intereſt dæmonis, utrum in hæc, vel illa pertrahat ſcelera, dummodo eos alicujus criminis efficiat nocentes? Quid intereſt, quemnam illis tendat laqueum, dummodo in illum impingat? *Idem.*

Qualitates dæmonis tentantis.

Dæmon ſemper eſt metuendus in iis tentationibus, quibus nos laceſſit. Ille merus eſt ſpiritus, ideoque tentationes illius callidæ ſunt, ac delicatæ: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem; ſed ... contra ſpiritualia nequitiæ*, S. Paulus inquit, hoc eſt, contra ſpiritualem nequitiam, vel, ut nonnulli ajunt, contra ſpiritualitatem, nimiamque ſubtilitatem nequitiæ. Hic indefeſſus eſt hoſtis; alius quilibet inimicus prælii diuturnitate ſentit, & vires ſuas, & reſiſtentiam eorum, quos aggreditur, deficere; ſed hic nunquam fatigatur, vel infirmatur. Nos tentat interdiu, nos tentat noctu; in ſocietatibus, æque ac in ſolitudinibus, in negotiis æque, ac in quiete, ipſe vero nunquam fatigatur. Spiritus eſt pertinax, qui nunquam ceſſat. Ara hæc illi non cedit e ſententia?

Ad aliam ſeſe convertit. Hæc quoque in irritum cedit, tertiam meditatur, atque ita cum homine inducias paciſci nequit, uti nequit naturæ ſuæ improbitatem relinquere. Quam igitur ob hæc omnia metuendus eſt! Quam jure quærebat ergo Salvator, ut quotidie ex Patre ipſius peteremus gratiam, ne tentatione vinceremur, & ab hoc ſpiritu nequam liberaremur! *Idem*.

Dæmon primo ſtatim impetu nequaquam graviora nobis ſcelera proponit; atque hac arte cum ipſo Dei filio uſus eſt. Primum quidem ſuadet, ut famem levet ſuam miraculo: quid hoc innocentius; vel quid in ſpeciem hoc magis indifferens videri poteſt? Mox inanis gloriæ eum tentat; eique perſuadere conatur, ad magnam ſibi nominis celebritatem comparandam ſatis eſſe, ſi ſe de ſummo templi vertice deorſum præcipitem conjiciat ab Angelis ſuis ſuſtinendum; ac tandem illi maximum proponit facinus, quale eſt creaturum rerum omnium turpiſſimæ eum adhibere cultum, qui Creatori dumtaxat debetur. Quid hoc ſibi vult? niſi quod eamdem etiam cum hominibus adhibet artem. Vult ille, exempli gratia, aliquem fœneratorem, ac furem efficere? non ille quidem ſtatim perſuadet, ut utraque manu rapiat, & quocunque pretio diteſcat, ſed ob oculos ejus repræſentat filiorum numerum, conditionis, ac miſeriæ ejus duritiem. Tempus malum eſt, negotium intermiſſum; hæc opportuna res eſt, cui te immiſcere potes; alii plures, qui te pauperiores erant, ibi locupletati ſunt; eam aggredere, ne metuas, omnia ſine conſcientiæ tuæ labe tranſigentur. Hinc vero quid accidit? illud, quod Judæ. Primum quidem eas tantum colligebat eleemoſynas, quæ filio Dei tribuebantur; inde oborta eſt levis alicujus lucelli tentatio; demum vero ita miſere ceſſit tentationi, ut magiſtrum ſuum vendiderit, atque furto Deicidium adjecerit. *Idem*.

Dei filius tentari voluit, ut noſmet tentationi præpararemus.

Dei filius nulla tentatione poterat labefactari. Cur ergo dæmoni permittere voluit, ut tentaretur? niſi ut oſtenderet, tentationem a Chriſtiano evitari non poſſe, quemlibet eam expectare debere, ac ſeſe illi præparare, ac modum eidem reſiſtendi non eſſe opinari, ſe tentatum non iri, ſed a Jeſu Chriſto diſcere, quid faciendum ſit ad tentationes ſuperandas. Hoc jam nos palam docuerat Sapiens per hæc verba: *Fili accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*. Eccli. 2. Hæc eſt lex generalis, quam mortalibus omnibus proponit, atque inviolabile præceptum Dei, quod illis explicat, cujus voluntas eſt, ut pueris, qui ante rationis uſum decedunt, exceptis nemo niſi pugnando, atque de dæmone victoriam referendo ſalvetur. *Ex ſpecimine Ethicorum in Evangelium primæ Dominicæ in Quadrageſima*.

Jejunium ad tentationes ſuperandas neceſſarium.

Si jejunium non eſt explicitum, quod nobis Jeſus Chriſtus irrogaverit, præceptum, hoc paſſim neceſſarium eſt ad tentationes ſuperandas adminiculum; ac nullus ſperandi locus eſt futurum, ut aliter reſiſtas, quam hoc modo, cujus jejunio ſuo nobis Jeſus Chriſtus præbuit exemplum. Hac de cauſa illud nobis præcepit eccleſia, ut Chriſtianis locum præberet exercendi id, quod alioquin erat neceſſarium ad tentationum impetus infringendos. Ex modico eorum numero, qui vel generale, vel etiam particulare jejunium exercent, judicari poteſt de clade, quam in mundo diabolus parit, & quanta facilitate ab eo vincantur animæ, quæ ſaluberrimo hoc præſidio ſe munire contemnunt. *Idem*.

Tentatio efficit, ut noſtram ſentiamus infirmitatem.

Cum S. Auguſtino lib. 6. de Civit. cap. 32. dicere poſſumus, tentationem homini oſtendere infirmitatis illius magnitudinem. Ante prælium ne unus quidem miles eſt, qui ſe non putet intrepidum. Sentire ne vult imbecillitatem ſuam? inveniat ſatis eſt inimicum, qui vim faciat, & obluctetur: nonne ſtatim contremiſcit? nonne expalleſcit? & ſæpe etiam nonne fugit? Hoc ipſum nobis accidit, Pater idem ait; homo homini ignotus eſt; non cognoſcit, quid ſit in ſeipſo; ſed ingruit tentatio, quæ eſt tanquam vox, qua interrogatur, & quæ illi reſpondet non verbis quidem, ſed actionibus, & ſuimet ipſius experimento .... S. Paulus, magnus ille Apoſtolus, illud vas electionis, vir ille electus a Deo ad evangelium Gentibus prædicandum, Sanctus ille ad tertium uſque cœlum ſublatus nonne omnem habebat conſtantiam, omnemque vim, cui in hac vita pares ſumus? Non ambigitis, immo illud admiramini. Attamen ſi illi habemus fidem, voluntas ejus nihil eſt niſi miſeria, & imbecillitas in tentatione. Rebellat ne caro? Angelus ne ſathanæ illum perſequitur? Ægre dumtaxat operatur bonum; ad illud agendum extremam ſibi vim facere tenetur; malum vero e contra ipſi fit quodammodo naturale, & quodcunque conetur, ſeſe quodammodo trahi in illud ſentit. Audite gemitus, quos emittebat ob ſtatum miſerum, ad quem ſe redactum eſſe querebatur: *Invenio legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet: condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberavit de corpore mortis hujus?* ad Rom. 7. *Sermo manuſcriptus P. Stephani Chamillard*.

Exempla humanæ infirmitatis in tentationibus.

Donec mundus erit, ſemper loquentur homines de noxia obſequentia, qua Adam morem geſſit illi, quam Deus ſibi dederat ſociam; de adulterio, in quod ſanctiſſimus omnium regum Iſrael David lapſus eſt; de horribili Salomonis idololatria, qui ex mortalium omnium ſapientiſſimo factus eſt contemptibilis, ac inſipiens thura idolis offerens eadem manu, qua Domini templum ædificaverat; de inſana libidine, qua ad caſtæ Suſannæ conſpectum duo illi infames populi judices capti fuere; de execrabili Judæ avaritia, quæ euſque proceſſit, ut Dominorum omnium optimum, mitiſſimumque venderet; de miſera Petri infidelitate, hoc eſt illius, qui cœlitus electus fuerat, ut eſſet petra ſolida, ac ſtabilis, ſuper quam ædificanda erat eccleſia; ac de aliis infinitis lapſibus, de quibus toties verba fieri audiviſtis, & quorum moleſta vobis eſſet narratio. Loquentur, inquam, de turpibus hiſce cladibus, cum interim vix invenietur Joſeph victor; cujus etiam victoria argumentum erit imbecillitatis noſtræ in tentationibus; quoniam ille fuga ſibi conſulere debet, cum aliter conſtantiæ ſuæ certus eſſe non poſſit; quod liquido oſtendit, hominem in tentatione ipſiſſimam eſſe infirmitatem, illum de ſemet ipſo diffidere debere, ac nunquam propriis viribus inniti. *Idem*.

Licet noſtram infirmitatem experti non eſſemus, per culpam (?) ...

Bona fide quæſo, ſi ſemper victores fuiſſemus, ac nunquam fuiſſemus experti noſtram infirmitatem, aliterne ageremus? Adoleſcentula hæc faciliuſne, ac fidentius ſeſe in omnes mundi cœtus inferret, atque particularibus colloquiis ſeſe immiſceret? Majorine cura, ac ſtudio ſibi procuraret, quidquid exquiſitiſſimum, ac delicatiſſimum luxus, & vanitas excogitarunt? Majorine ſervitute tanquam idolum coleret corpus hoc, quo unice occupatur? nunquid frequentius omnibus voluptuariis cœtibus intereſſet? Mundanus ille cupidiuſne legeret pernicioſa volumina, quæ ſpiritus impuritatis dictavit, & magis pios, Deique ſpiritu repletos libros odiſſet! Nunquid magis nefarios ſermones haberet; nunquid liberiorem, commodioremque duceret vitam? Minori frequentia ſacris ſeſe reficeret myſteriis? &c.

Facere nequeo, quominus eorum deplorem ignaviam,

viam, qui olim ad crociatuum adſpectum miſeræ vitæ reliquias prætulerint coronæ gloriæ, quæ illos manebat. Crimen eorum inexcuſsbile eſt, equidem ſcio; ſed ſimulac in mentem revoco ſævos tyrannos, tortores immites, rotas, equuleos, infinitamque inſtrumeatorum copism, quæ effecit, ut poſtquam diu reſtitiſſent, expalleſcerent, illos infirmitatis non argno, niſi poſtquam in illis animi magnitudinem admiratus ſum; ſed in tentatione, flatus, obtutus, verbum, nihilum, quo perterremur, pomum eſt Evæ oblatum in rerum omnium affluentia; levis eſt interrogatio Petro temere facta: quæ imbecillitas! Hae vero in re nulla uti diligentia ad tentationem evitandam; ſe ſe illi data opera objicere, quæ temeritas eſt! *Idem*.

Mirum eſt, J. C. tentatum fuiſſe, quare hoc ille permiſerit.

Spiritus, qui Jeſum adduxit in deſertum, proculdubio eſt ſpiritus Dei; ſed mirum eſt, quod Dominus filio ſuo & calidiſſimum hoſtem, & vehementiſſimam tentationem excitaverit. Profecto, niſi Jeſu Chriſti vita nobis eſſet perpetuum exemplum, Deus ſolitarius, Deus tentatus inexplicabile mihi paradoxum videretur. Et ſane egebatne J. C. vel receſſu, ut ſuam tueretur innocentiam, vel tentatione, ut ſuam probaret fidelitatem? Haud ita ſane. Si in deſertum receſſit, ſi ibi violentam ſuſtinet tentationem, hoc accidit, ut ſimul eam fugere, eamque propulſare diſcamus; ad hoc enim tota redigitur ars chriſtianæ militiæ, æternique hujus belli contra ſalutis noſtræ inimicum a nobis gerendi. Jeſus Chriſtus agitur, ducitur, pellitur, ut cum Scriptura loquar, in deſertum, ut intelligamus, tentationem fuga eſſe evitandam; ſed cum in ſolitudine tentatur, cum hoſte decertat, ut diſcamus artem ſuperandi tentationem, quæ evitari non potuit. *Ex manuſcripto ſermone*.

Quo plus virtutis nobis adeſt, eo magis dæmon conatus iterat ſuos, ut nos de ſtatu perfectionis deturbet, ad quem nos Dei gratia provexit. Ita, S. Chryſoſtomus inquit, in terreſtri paradiſo aggreſſus eſt Adam, quia eam vidit ſanctitatem, in qua creatus fuerat; nihilque intentatum reliquit, ut ſanctum virum Job in crimen impelleret, iis irritatus laudibus, quibus Deus virtutem illius celebrabat. Etenim non ſecus ac, idem Pater inquit, fures expilare negligunt domum fœno, paleaque repletam, ſed omnes adhibent vires ea potituri, quæ opibus affluit; ita negligit dæmon ingredi in animam gratiæ bonis vacuam, nihilque reliquum facit occupaturus, quæ ſpiritualibus divitiis, hoc eſt meritis, & ſanctitate plena eſt. *Abbas de Monmorel homil. in Evangel. Dominicæ primæ in quadrageſima*.

Tentationes quærendæ non ſunt.

Si Salvator in deſertum ſeceſſit a dæmone tentandus, illuc a Dei ſpiritu ducitur; unde intelligimus, neminem debere ſeipſum tentationi objicere; expectandum eſſe, donec Deus nobis illas immittat, & quin illas optare debeamus, indeſinenter nobis illam effodendam eſſe Domino orationem, quam ab eodem docti fuimus: *Et ne nos inducas in tentationem*. Hæc enim ſui ipſius diffidentia infirmitatis propriæ cognitioni innixa, ea eſt diſpoſitio, quæ a chriſtiano viro ſemper habenda eſt. Igitur noſtrum non eſt quærere tentationem, ſed noſtrum eſt Salvatoris exemplo in deſertum concedere, ut noſmet eidem ibi præparemus, ut illam expectemus, ac ſtrenue propulſemus. *Idem*.

Quomodo tentetur Deus, & quid proprie ſit illum tentare.

Tentare Deum eſt velle ipſum noſtræ voluntati ſubjicere, quin ipſi voluntatem ejus ſequamur; eſt efficere, ut ille ad nos uſque deſcendat, quia ipſi ad eum uſque aſcendamus; velle ipſum nobis vincendi gratiam præbere, cum fugiendi gratiam nobis exhibeat; noſmet ipſos objicere tentationi, quamvis certi ſciamus, quod *qui amat periculum peribit in illo*; eſt velle, Deum pro nobis eadem operari miracula, quæ olim pro Daniel, & pro tribus pueris, quos præſenti periculo liberavit, ſed qui in eodem nonniſi Dei juſſu fuerunt; cum e contra ipſi noſmet objicimus furori leonum, & flammarum edacitati, frequenter illa obeuntes loca, ubi libido, ac licentia graſſantur; indeſinenter eam inviſentes perſonam, quæ nobis eſt proxima occaſio peccati, & fruſtra ſperantes futurum, ut Deus providentiæ ſuæ legibus vim faciat nos his periculis liberaturus. Deum autem in hiſce omnibus occaſionibus tentare eſt id facere, quod Jeſu Chriſto perſuadere diabolus adnitebatur, ut de templi vertice ſeſe præcipitem daret, ac ſperare fore, ut Deus ſuos Angelos mittat, qui ſuis nos manibus ſuſtinentes vindicent ab interitu. Hoc igitur eſt tentare Deum nimia confidentia, quæ temere in illius vel potentia, vel bonitate collocatur; eſt nolle humanis uti adminiculis, quæ nobis exhibet Providentia, & ad quæ confugiendum eſſe nobis ipſum rationis lumen nos docet, velut ille, qui temporalibus bonis omnino exutus nollet labore manuum ſibi victum comparare, & tranquille expectaret, a Deo ſibi Angelum mitti, qui eſcam afferret. *Idem*.

Si ad tempus Dæmon tentare nos ceſſat, non ideo ſe victum putat.

Credendum non eſt, quod ita facile victum ſe diabolus putet; ſi quas nobis præbet inducias, id agit, ut recentibus viribus rurſus nos adoriatur; variis ſtruit inſidias, ut ſi ex aliis fortaſſe evaſerimus, incidamus in alias. Sæpe, S. Gregorius ait, dæmon e prælio dilabitur, non ut finem ſuæ injiciat improbitati, ſed ut ex improviſo irruat in cor, quod ob hoſtis receſſum ſe tutum eſſe crediderat. Ita cum ille nunquam fatigetur, ſemperque vigilet nos perditurus, arma nequimus abjicere, quin periculum ſubeamus, ne deprehendamur. Neque enim de nobis triumphat, niſi cum dormitamus, ſeu putemus, hoſtem quoque noſtrum ſopore captum eſſe, ſeu elati victoria, quin humiliores ſimus, confidamus fore, ut impoſterum viribus noſtris impetum illius propulſare valeamus. *Idem*.

Cupiditatibus noſtris reſiſtendum eſt, ubi rebellant.

Quoniam cupiditates noſtræ ſunt arma, quibus noſtri utuntur adverſarii, illas jejunio infirmare oportet; omnia earum amovere objecta fuga; ab illis animum avertere, ut impreſſionem, quam in nobis facere poſſent, prohibeamus, & ut Deo per orationem vacemus. Illæ vobis dominari volunt, S. Auguſtinus inquit, illis dominamini; contra vos rebellant, contra illas rebellate; vos provocant, provocate illas; ſed præſertim conandum eſt, ut eam coerceatis affectionem, quæ majorem in vos habet poteſtatem. Voſmet in vanitatem pronos ſentitis; exercete humilitatis actus, fugite laudes, quærite abjectionem, deprimite ſpiritum, qui ſeſe attollere feſtinat. Nunquid vobis libido dominatur; mortificate corpora veſtra, ab illis, quæ vobis licere poſſent, abſtinere, & carni veſtræ negare, quidquid illi ſatisfacere poteſt. Hæc eximia eſt tentationum ſuperandarum ratio. *Idem*.

Quantumvis juſtus homo eſſe poſſit, ita in ſeipſo nequaquam confidat, ut hac in vita ſe in tuto eſſe arbitretur, ſed ſemper humilis ſibimet invigilet, & ad extremum uſque ſpiritum reformidet. Si princeps Apoſtolorum infirmus fuit, quiſnam ſibimet confidere debet? Quis non contremiſcet videns columnam hanc labefactari, Sanctus Bernardus ait? Inſignia Samſonis, Davidis, Salominis, Petri, Thomæ, aliorumque lucentium veteris, novique teſtamenti ſyderum, quæ quibuſdam laborarunt eclypſibus, exempla nos adigant, ut cum timore, ac tremore ſalutem noſtram operemur. Videntes enim terribile hoc JESU CHRISTI cum dæmone certamen non ſine formidine cogitare debemus, quid nobis ſuſtinendum ſit adverſus terribilem hunc inimicum, atque perpendere, quantum Salvatoris gratia indigeamus, quæ una victoriam nobis certam facere poteſt.... Verum ſi jugiter de nobiſmet ipſis diffidere debemus, in tentationis momento præcipue in Deo confidere oportet, omnemque vim adhibere, ne illi cedamus; ex eo quippe momento noſtra pendet vel clades, vel victoria. Tunc nobis confugiendum eſt ſancta confidentia ad Deum, & exponenda hæc re-

ginæ Eſther verba, quibus populi totius deprecabatur interitum: *Nos libera manu tua, & adjuva me nullum aliud auxilium habentem, niſi te. Idem.*

Dæmon per exteriora objecta nos tentat.

Spiritus improbus nos tentat, jucunda nobis objecta proponens, ob oculos objiciens ea, quæ placere poſſunt, atque mundi hujus bona ea ex parte nobis oſtendens, qua magis eniteſcunt, & omnes eorum latent defectus. Incipit ille potiri ſenſibus noſtris, ut illac in nos ingredi poſſit, & animam occupare, ſimilis hoſti, qui facile oppido aliquo potitur, cum clandeſtina fovet commercia cum illis, qui arcem tueri deberent; quippe ſenſus noſtri providentiæ ordine deſtinati ad exteriora objecta deregenda, ut animam certiorem faciant, ſunt exploratores, qui ſæpiſſime produnt; raro fideles, ſæpe corrupti adverſariis aditum aperiunt, ut intra nos ingrediantur. Noſtrum igitur eſt nobiſmet invigilare, ne ſcintilla, quæ oculis noſtris adhæreſcere poſſet, ſenſim inordinatis incaleſcens cupiditatibus in cordibus excitet flammam nullo negotio extinguendam. *Idem.*

Contra præſumptionem ac negligentiam evitandi tentationem.

At enim cur neceſſe eſt, has lapſuum occaſiones prævertere, antequam ſeſe offerant nobis? Sciam equidem illas, ubi obortæ fuerint, ſuperare, & quo vehementiores erunt, eo magis mihi cedent ad gloriam. Heu frater! cuinam principio innixus hæc gloriaris? Nunquid tuæ experientiæ? an alienæ? an vero gratiæ Dei tui? Experientiæ tuæ: te ipſum teſtor; nonne mundus adhuc tibi fatalis extitit? Cum agitur de infirmitatibus noſtris ſuco aliquo liniendis, & prætexenda aliqua excuſatione exprobrationibus, quibus mores tuos redarguimus, in mundo ſum, inquis; quomodo autem in mundo, atque inter tot perniciofas affectiones vitiis carere poſſum? Te tibi concilia, & laquei mundi, quos noſti, & quibus tanquam munitionibus te cingis, nonne ſunt ratio ſufficiens ad eos evitandos? Quanam igitur in re ſpem tuæ reſiſtentiæ conſtituis? Nunquid experientiæ alienæ? Heu! David te fortior erat, fidelius, quam tu, adhærebat Deo, cum propter vigilantiæ defectum lapſus eſt. Cæterum ne Dei tui jactes promiſſa. Aſſerere enim, quod qui ſe objicit periculo, periculum eſt, ne cadat; præcipere, ut eruatur oculus, qui ſcandalizat, abſcindatur manus, quæ ad peccandum impellit; nunquid hoc eſt auxilium pollicere illi, qui quæſita tentatione laboret? *Sermo manuſcriptus.*

S. Hieronymus in ſolitudine tentatus.

Jeſus Chriſtus fuit in deſerto tentatus, ut illos, qui in ſolitudine verſantur, doceret, animum deſpondendum non eſſe, ubi inopinatu ingruit tentatio; & poſt illum S. Hieronymus nobis documento eſt, corporis macerationem nequaquam nos ſemper a tentatione immunes efficere. Nemo unquam illo magis a mundo ſeparatus fuit; nulla cupiditatis ratio illum in deſertum perduxerat, ſed amor innocentiæ, ſtudiique eum in Bethleemitico ſpecu concluſerat. Profunda erat illius ſolitudo; applicatio ad preces, vel lectionem, aſſidua: attamen non ibi ſemper eam omnem pacem invenit, quam ibi quærebat. In deſertum conceſſerat, & id ſatis erat, ut tumultum, & cogitationem in ſemet ipſo experiretur. Imaginatio ſua, ut de ſe ille fatetur, eum in Romanarum Matronarum cœtus pertrahebat; traducebat maria, ac Romam in Bethleemitico ſpecu reperiebat. Affligit corpus ſuum, non ideo requiem acquirit ſuam; jejuniis abſumitur, & ſemper viget concupiſcentia. Armat dexteram ſilice, ſuumque pectus tundit; ſed non ideo illinc tumultum, quo agitatur, expellit. Denique tentationem effugere nequit; ſed Jeſu Chriſti ſecutus exemplum illam oppugnat, ac vincit. Adeo nullus eſt locus, ubi in tuto eſſe poſſimus, & ubi a pugna immunes eſſe valeamus. *Idem.*

De vigilantia chriſtiana contra tentationes.

Chriſtiana vigilantia tentationem ad ſingula, abſit verbo invidia, monimenta animæ retardare debet, ac prohibere, ne ad cor ipſum perveniat. Primum ex ſenſibus, qui ſunt omnium tentationum principia, originem illa habet in corpore; ideoque obtinendum eſt, ne illi per ſenſus tranſitus pateat. Ita prima mulier funeſtiſſimæ tentationum omnium ceſſit. Ea primum quidem ſimplex fuit curioſitas adeo communis ſexui, qui minus validus eſt, minuſque occupatus. Hæſerunt oculi ejus conſiderantes fructum viſu delectabilem, ſed ſolum, qui illi prohibitus fuerat. Hactenus nullum erat peccatum; equidem fateor; attamen primæ huic peccatrici S. Bernardus inquit: *Quid ſpectare libet, quod manducare non licet?* Ecto quidem tibi interdictum non eſt, fructum adſpicere, ſed idem eſt, ac tentationi locum præbere, in vetita objecta oculos circumferre. O Deus! quoties per ſenſus mors ingreſſa eſt corda noſtra! Omnia videre, omnia audire, omnia ſcire volumus; & curioſitas prima janua eſt, quæ tentationi ad cor aperiat viam. Vallum alterum; cum prohibere non licuit, ne per ſenſus ingrederetur tentatio, ſaltem prohibendum eſt, ne in imaginatione faciat impreſſionem; hoc caput eſt rei, & maximorum lapſuum cauſa. Periculoſum vidimus objectum; hoc nil eſt; ſed revocamus in mentem, quod vidimus, & in ipſa ſolitudine illius imaginem nobiſmet ipſis ſæpe exhibemus, eamque requirimus, ne illud evaneſcat phantaſma, quo afficimur gaudio. At enim peccatum opus non eſt imaginationis, ſed a voluntate perficitur. Quidquid ſit de hac ſententia, quam ſaltem juxta omnem verborum extenſionem eſſe intelligendam non aſſentior, hoc tertium vallum eſt; prohibendumque eſt, ne periculoſum objectum in ipſam uſque penetret voluntatem. Tandem enim licet ſenſus inexpectato obtutu alliciantur, licet imaginatio periculoſa impreſſione lædatur, quantumvis excitaretur concupiſcentia, ſpes adhuc ſupereſt aliqua; fidelis enim ſeſe in ſuperiori animæ parte munire poteſt, quin moveatur. Sed antequam huc redigatur, tutiſſimum eſt prohibere, ne objecta ullam in ſenſibus, & imaginatione vim faciant; illos quidem modeſtia claudere; hanc vero obſtruere, illam ſalutaribus Dei judiciis, æterniſque veritatibus replendo. Ecce quanam in re chriſtiana vigilantia conſiſtat, & quidquid libertas facere poſſit. Sed quam imbecillis eſt ſine gratia hæc libertas! *Sermo manuſcriptus.*

Si Dæmon tentavit J. C. reliquis hominibus non parcet.

Si Dæmon eo evaſit audaciæ, ut Jeſum Chriſtum adoriretur, quin mirabilis ejus abſtinentia, ac receſſus illum prohibuerit, & ſi audacia illius nequaquam coercita fuit inſigni hac diſpoſitione, ambigi ne poteſt, utrum illius diſcipulos, famuloſque ſit laceſſiturus, & utrum internecinum odium, quo perſequitur Dominum, agat eum ad illos tentandos, qui arctiſſimis vinculis, intimiſque nexibus illi adhæreſcunt? Hac de cauſa Spiritus ſanctus Eccli. 2. dixit, eos omnes, qui ad Dei ſervitutem accedunt, debere ſeipſos in pietate, atque juſtitia confirmare; ſimul etiam metuere, ac ſeſe ad ſubeundas tentationes præparare. Si ex me quæritis, quare dæmon tanta vi ſanctiſſimum quemque adoriatur, dicam equidem, invidiam, qua flagrat in J. C. efficere, ut tanta vi, atque pertinacia in illos inſurgat, qui majori zelo, ac fide illi deſerviunt. Videt, electorum ejus ſalutem in ejuſdem gloriam cedere; illum triumphum referre, e prælio victorem abire, & quotieſcunque eos ſalvos facit, tot honoris coronas reportare; hoc illius rabiem, & furorem irritat, quam omnino exerit ad illorum labefactandam fidem, ac prohibendum perſeverantiam. Quamobrem ſexcentas illis ſtruit inſidias, ſexcentiſque rationibus, ac dolis illos oppugnat, ne, quod incœperunt, ſtudium feliciter abſolvant prohibiturus. *Abbas Trappen. collatione pro 1. Quadrag. Domin.*

Quoſdam adoritur dæmon, quia illos parum ſibi cautos, & oſcitantes deprehendit: invenit illos palam aberrantes a neceſſario præcepto, quod J. C. omnibus hominibus tradit, cum eos jubet indeſinenter vigilare, & aſſidue precibus

ſun-

fundendis vacare. Ipſe quodammodo excitatur, atque provocatur ab ea diſpoſitione, quam in illis deprehendit, ad manus cum iis conferendas; & vere omnia favent cœptis illius; cum enim illos inermes, imparatoſque deprehendat, ita illos ſine reſiſtentia, & pugna debellat. Alii ſunt, qui ita de ſe ipſis præſumunt, tantamque virtutis ſuæ habent exiſtimationem, ut ſeſe omnibus dæmonum conatibus invios putent. Eorum ſuperbia, ut plurimum ipſos excæcat, ſed omnibus cedunt tentationibus, labuntur, & relabuntur, ac immedicabilibus vulneribus ſe confectos vident, cum perfecta valetudine ſe frui arbitrantur. *Idem.*

Dæmonis artes, quibus hominem tentat.

Dæmon utitur arte ad homines impellendos in laqueos, quos illis tendit. Nequaquam repente de virtute ad vitii cumulum illos traducere cupit; ſed paulatim longa modicarum noxarum catena ſenſim in periculoſas adigit occaſiones, efficit, ut creſcat affectus, quo illa complectimur objecta, quæ ſenſus noſtros palpant; novas illis præbet illecebras, cum illa incipere placere nobis agnoſcit. Noſtram fallit voluntatem fallaci virtutis imagine; & quemadmodum noſtra novit ſtudia ex corporum habitu, deſideria ex ingenio, cogitationes ex ſenſibus, interioreſque motus ex actionibus exterioribus, nos ſemper adoritur per ea ſtudia, eamque cupiditatem, quæ dominatur in nobis, alios quidem per odium, alios autem amore, quæ res efficit, ut vix detegi poſſint ejus doli, ipſo conſiliorum ſuorum crudelitatem formoſis ſpeciebus diſſimulante, ut nonniſi conſummata virtus illa valeat agnoſcere. *Ex chriſtianis ſermonibus, ſermone hujus argumenti.*

Propria docti experientia ſcimus, non deeſſe quoſdam dies, atque momenta, quibus leviſſima qualibet tentatione facile ſuperamur; ac nonnunquam ita eſſe diſpoſitos, ut verbum unicum nobis vehementiſſimos impetus extorqueat. Cupiditas, quæ dominatur in nobis, aliquando ita corde, ac mente noſtra potitur, ut vix noſtri compotes ſimus. Si violentæ ſunt tentationes, cordis noſtri dejectio erit in cauſa, ut illis reſiſtere nequeamus; ſin autem leves, eo facilius ſuperabimur, quo magis in negligentia noſtra de laqueis earum ſolliciti ſumus. *Ibidem*.

Deus nos tentari permittit.

Spiritus Dei Jeſum adducit in ſolitudinem ibi tentandum; poſt hæc dubitabimus adhuc, utrum nos tentari permittat Deus? Deus nos in vitæ hujus deſertum adducit, ut iſthic tentemur. Ne ita temerarii ſitis, ut aliquid improbare velitis in eo, qui nihil operatur, niſi quod ſua ipſi inſpirat ſapientia. Deus ſuperbiam noſtram infringere vult; niſi tentaremur, confidentiam noſtram in nobiſmetipſis, viribuſque noſtris conſtitueremus; & vana hæc, quam de nobis haberemus, opinio nos illius hoſtes efficeret, qui toties ſe ſuperborum inimicum profeſſus eſt .... Sed præſertim nos propter gloriam, atque utilitatem noſtram tentari vult Deus, ut mereamur coronam illis tantum promiſſam, qui fortiter dimicant, ac ſtrenue triumphant. *Lambert, homil. in primam Quadrageſimæ Dominicam.*

Sapientia Dei permittentis, ut homines tententur.

Deus apertiſſimum nobis ſapientiæ ſuæ præbuit argumentum, cum potentem nobis opponere voluit inimicum, qui tamen poteſt ſuperari. Si homo infirmis tantum laceſſitus fuiſſet præliis, in ſopore, ac oſcitantia ſua permanſiſſet; & ſi ignoraſſet, vim hoſtilem a ſe poſſe propulſari, videns ſe circumundique obſeſſum periculis in deſperationem incidiſſet. Sed omnia eum ſibimet invigilare jubent, cum valido ſe oppugnatum hoſte videt, & cum ſcit hoſtem a ſe vinci poſſe, ſi frequentibus illius incurſionibus jugem vigilantiam objecerit. Hujuſmodi dæmon eſt noſter inimicus; omnia poteſt adverſum eos, qui ſalutem ſuam negligunt, nihil poteſt contra eos, qui in JESU CHRISTI ſchola didicerunt, quomodo hoſtiles impetus infringere valeant, & propulſare. *Idem.*

Nos ſeducit Dæmon oſtendens

Oſtendit diabolus filio Dei omnia hujus mundi bona, omnemque pompam, & gloriam, quæ comitatur illa. Animadvertite ad hæc verba, *omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Ita nos dæmon fallit; inanem duntaxat fulgorem nobis oſtendit, qui in hujus mundi bonis invenitur. Non vult ille nobis fidelem exhibere pomparum mundi hujus imaginem; ſcit ille, opes mundi nimis iri contemptum, ſi eæ cogitabuntur curæ, quas exigunt, ſollicitudines, a quibus ſeparari non poſſunt, caducitas, quæ illis eſſentialis eſt; ſcit, omnia hæc conculcatum iri, ſi eorum pondus, ac pretium intelligatur. Quot æqua, & iniqua perferenda ſunt, ut eo perveniatur? quot rerum perturbationes accidunt quotidie, ex quibus intelligimus, quantum in terrenis hiſce rebus confidere debeamus? Dæmon hæc omnia celat, ut fallacem duntaxat nitorem oſtendat, quo decipiantur illi, qui externam duntaxat ſpeciem conſectantur; ſed conſiderate duram hanc conditionem, quam diabolus illis injicit, quos amor bonorum hujus mundi poſſidet: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me?* Terribilem conditionem! primus greſſus, qui proferendus eſt, ut ad opes conquirendas, & mundi bona adipiſcenda perveniamus, eſt dæmonem colere. Et profecto omnia ponderate conſilia, quæ ab ambitioſis, & avaris adhibentur, ut creſcant, & locupletentur; atque liquebit, omnem eorum vitam jugem eſſe adorationum ſeriem, quæ ab illis principi tenebrarum habentur. *Idem.*

Oratio ad obtinendam Dei opem in tentatione.

Tu, Domine, melius quam nos ea noſti pericula, quibus infirmitas noſtra obnoxia eſt; ne pedem quidem proferre poſſumus, quin inveniamus objecta, quæ nos diſſipant, vanitates, quæ nos perſtringunt, fluxa bona, quæ nos ſeducunt, tentatores, & miniſtros dæmonis, qui virus ſuum miſcent, ac nos adigunt, ut a te deficiamus. Inter tot pericula, quid nobis faciendum eſt, o bone Deus, niſi exilem vocem uſque ad gloriæ tuæ thronum extollamus tibi cum tuo Propheta dicturi: Salva nos, Domine, quia portio noſtra non aliud eſt, quam miſeria, & peccatum? Si vel momento ceſſas, neque reſpicis nos, jam in nihilum noſtrum revertimur, & undequaque læthalibus vulneribus conficimur; ſed ſi dux, & ſalus noſtra fueris, quid nobis erit metuendum? *Idem.*

Mens hominis ipſo creationis momento intelligentiæ lumine illuſtrata fuit, & voluntas ejus beatam accepit facilitatem bonum ſequendi: itaut veritatem cognoſcens, ac dirigens actiones ſuas ſecundum cognitionem, qua prædita erat, profunda pace intrinſecus perfruebatur in loco beatitudinis, ubi illum Deus collocaverat. Quemadmodum ſpiritus ejus Dei mandata haud ægre ſequebatur; corpus quoque ſpiritum ſequebatur ſine labore; ſed illo ex hoc ſtatu tranquillitatis, & pacis egreſſo peccatum concordiam illam perfregit. Sicuti ille contra Deum rebellavit, ſenſus quoque rebellarunt contra ſpiritum; atque Creatoris ſui detrectare volens imperium, factus eſt creaturarum mancipium, quæ ſaluti illius obſtaculo eſſe velle videntur. Nonne inde in nobiſmet ipſis profectæ ſunt contrarietates, ac perenne illud bellum, quod contra cupiditates noſtras ſuſtinere debemus? Modo cohibendus eſt inanis hic timor, quo turbamur, modo coercenda lætitia, qua rapimur, modo regendum violentum hoc deſiderium, quo ſollicitamur, modo abdicanda ſpes fallax, qua decipimur. Quotidie reſiſtendum naturalibus affectionibus, ac ſimultatibus; cuſtodiendum eſt cor ab affectibus, qui ſuboriuntur; iique evellendi ſunt, qui illic jam radices poſuere. Quam durus eſt hic ſtatus, & quam difficile ſecum inceſſanter pugnare, quin ſæpe vincamur! *Flechier, ſermone de Conceptione B. Virginis.*

De aſtu, vi, & nequitia dæmonis.

Inimicus non ceſſat extrinſecus laceſſere eos, quos intus non regit. Quam difficile eſt illius perſuaſionibus, ſuggeſtionibus, vi, dolis reſiſtere! Nulla potentia illi par eſſe poteſt in

terra,

terra, Job ait; non deeſt illi conſilium, vel intentio, & inexhauſta eſt improbitas illius. Nunquam tempore infirmatur, immortalis eſt; tentando non fatigatur, indefeſſus eſt; pœnitentia non cohibetur, incorrigibilis eſt; precibus non flectitur, aſpis eſt incantantium vocibus, & querelis ſurdus. Modo ſerpens eſt; modo leo; vi fraudem nectit, apertoque bello clandeſtinas inſidias. Omnibus utitur creaturis, ut nos aggrediatur; & ſi alia deſint inſtrumenta, nobiſmet ipſis ad nos perdendos utitur; noſtras commovet affectiones, humores ciet; ſpiritu carnem, & carne ſpiritum oppugnat, nos vitiis æquo, ac virtutibus tentat. Si negligentes ſumus, nos opprimit; ſi infirmi, noſtram irridet infirmitatem; ſi noſmet æque fortes putamus, ut cum illo decertare poſſimus, ſine prælio vincimur; & ſi ita felices ſumus, ut illum vincamus, metuendum eſt, ne ex ſua clade proficiat, & ex ipſa etiam victoria noſtra triumphet. *Idem in panegyrico S. Antonii.*

Tentatio, ubi negligitur, creſcit, ac paulatim roboratur.

Cum abſque timore, & præcautione ambulamus, affectiones noſtræ convaleſcunt, infirmæ rationi noſtræ fidimus, quaſi hæc illas continere poſſet intra eos fines, qui ipſis conveniunt, nobis invitis ſuborantur, ſeſe effundunt, ac nos ſuæ ditioni ſubjiciunt. Hæc ſtatim quidem inanis curioſitas eſt, quæ mox migrat in affectum, qui videtur honeſtus; mox aliqua ſeſe mundana immiſcet oblectatio, ſpiritus paulatim illi adhæreſcit, cor mollitur, placendi viæ requiruntur, eo creſcit inquieta animi perturbatio, quo frequentius viciſſim amoris objectum videtur, illius videndi creſcit deſiderium, nubilia, incertaque deſideria quædam, quæ re adhuc integra vix percipiuntur, efformantur in anima. Inde vero procedunt noxiæ conſpirationes, turpia commercia, juges animæ æſtus, omneſque effectus ejus cupiditatis, quæ fatalis æque eſt, ac inquieta, ſeu illa cedat ex ſententia, ſeu illi ſatisfacere nullo modo poſſis. *Idem in panegyrico S. Bernardi.*

Homines ſumus, ideoque tentationibus obnoxii.

En quod nobiſmet ipſis non ſtudemus, & noſmet non cognoſcimus, obſtupeſcimus interdum videntes bonorum lapſus. De lapſu David toties verba facta ſunt; atque mirati ſunt homines videntes prophetam, qui adeo celeriter ſui ipſius potuit oblviſci, ut homicidium ſimul, & adulterium committeret; ſed Davidem intus, & in cute inſpiciens, ibi video eadem infirmitatis principia, quæ in aliis hominibus adſunt, imaginationem, quæ facile poterat decipi, ſpiritum, qui levi negotio poterat falli, cupiditates, quæ celeriter poterant inflammari: cum S. Chryſoſtomo dico: David magnus erat propheta; ſed tandem propheta hic erat homo; mirumne eſt, hominem infirmum eſſe? *P. Aurelianenſis tomo 2. ſermone de Tentatione.*

De illis, qui dicunt, ſe in periculoſiſſimis occaſionibus non tentari.

Homines illi vel nobis, vel ſibi imponunt, cum perſuadere volunt, ſe nulla re affici in periculoſis occaſionibus, in quibus aſſidue verſantur. Aſſero autem, ſi ſinceri ſunt, & ſi cogitant, uti loquuntur, hunc effectum eſſe corruptionis eorum, argumentum, quod ipſam mali naturam induerunt, ac indicium, quod corde ipſorum potitus eſt dæmon, quoniam illis ne ſentientibus quidem ingreditur, tanquam fortis armatus in domum illam, quam in pace poſſidet: *in pace ſunt ea, quæ poſſidet.* Quantumvis parum illos adhuc puderet peccati; quantumvis modicum illis adhuc timoris Dei, ac deſiderii ſemet ſalvandi ſupereſſet; fieri nequaquam poſſet, ut vel mentem, vel memoriam eorum fallerent plurimæ actiones ſaltem interiores, quibus ſuam polluunt vel periculoſis imaginibus, vel ſenſibus impudicis conſcientiam. *Idem.*

En quid accidat in iis periculoſis neceſſitudinibus, quas ſedula virtus minime nectit. Ubi primum cupiditas fervet, conſcientia expergiſcitur, excitatur Dei timor, gratia illum ſuffocare cogit ignem, cujus principia magnum minitantur incendium. Confeſſarios, quin aliquid ſubodoretur, neceſſe eſt, hortetur, ut Deo fidelem te præbeas; ſapiens amicus, qui hoc intelligit, tibi eos repræſentat ſcopulos, in quos hæc principia ſolent impingere. Anima tot præſidiis munita aſſentitur quidem omnia removeri, quæ crimina appellari poſſunt: immo etiam, ut proprio conſulat numini, non abnuit quædam intermittere colloquia, & nimis aſſidua quædam officia. Verumtamen adhuc ſibi reſervat, unde eam alat animi affectionem, ad quam extinguendam ſatis virium non habet, aſpectum, recordationem, colloquium: putans futurum, ut eadem virtus, qua intra hos cancellos coarctatur, vim habeat eam in officio continendi, atque efficiendi, ut cupiditas in ſimplicem migret temporis ludificationem. *Idem.*

Tentationes ſæpe ſunt Divini erga nos amoris argumenta.

Tentatio, quam ipſi nobis vel præſumptione, vel imprudentia noſtra conflamus, tantum abeſt, quod ſit iræ ſignum, ut potius nota ſit amoris particularis, quo nos proſequitur Deus. Ita ille agere conſuevit cum maxime neceſſariis, ſibique amiciſſimis; ita cum proprio filio ſe geſſit; & legimus, cum Apoſtolus quidam, quem ſibi elegerat inter omnes, ut vas eſſet electionis, atque nomen ipſius Gentibus prædicaret, cum ter Dominum rogaſſet, ut finem dignaretur imponere iis præliis, quibus ab angelo Sathanæ jugiter provocabatur, non aliud retuliſſe reſponſum, niſi, quod cum ille ſatis validam accepiſſet gratiam, cujus ope victoriam poſſet reportare, quærendum ab illo non erat, ut eo liberaretur prælio, in quo infirmitas victrix virtutem ipſius efficiebat perfectiorem. Eadem adjuti gratia, eamdemque victoriam ſperantes, ac freti iis, quæ verus, ac fidelis Dominus nobis pollicitus eſt, ſe videlicet non permiſſurum, ut ultra vires, & ſine fructo tentemur, acquieſcamus judiciis illius, ejuſque nuſmet ſubjiciamus conſilio. Tentabimur; nuſmet tentationi præparare debemus. *Idem.*

Cum Ethnicorum perſecutiones ceſſaverint, alios æque periculoſos habemus inimicos, quos timeamus.

S. Auguſtinus fidelibus, qui ævo ſuo pace fruebantur ſub Imperatoribus, qui & ipſi fideles erant, dicebat, non eſſe cur ſibi perſuaderent, nullos ſupereſſe hoſtes ſibi, quibuſcum decertarent, quia in urbibus, quæ chriſtianæ erant, incolentes non erant amplius cum Ethnicis permixti. Ethnicæ ſuperſtitionis interitus, ac veſtra ab Ethnicis ſeparatio, dicebat illis ſanctus hic Doctor, efficiet profecto ne ultra baptiſmus veſter tamquam ſcelus vobis objiciatur, & ne amplius ſollicitemini, ut JESUM CHRISTUM abnegetis: verum ſi hæ vobis deerunt tentationes, certi eſtote non defuturas alias eo magis metuendas, quo magis occultas. Non invenietis quidem Ethnicos, qui vobis fidem conentur eripere, ſed malos invenietis Chriſtianos, qui mores veſtros corrumpere adnitentur. Nullos invenietis tyrannos, qui Idolis thura adolere vos jubeant; ſed flagitioſus invenietis homines, qui perſuadebunt, ut vuſmet ipſos impuriſſimis voluptatibus ſacrificetis. Nullos invenietis carnifices, qui veſtram exerceant patientiam, ſed fictos amicos, qui veſtram labefactare probitatem curabunt. Quotidie horum verborum veritatem experimur, ac intelligimus tantum abeſſe, quod a tentationibus tuti ſimus, quia in chriſtianis civitatibus verſamur, ut ſæpe multo paucioribus provocaremur, ſi apud idolorum cultores viveremus. *Idem.*

Sæpe in ſolitudine, & poſtquam mundum reliquimus, tentamur.

Sæpe mundum relinquimus, quin nos mundus relinquat: hic in ipſos uſque receſſus nos ſequitur, ubi dæmonis exemplo, qui Salvatori omnes in ſpeciem mundi coronas oſtendit, ſpecioſa nobis phantaſmata pro re ipſa proponens, nos fallit imagine earum rerum, quas reliquimus, noſtrumque ulciſcitur contemptum immittens nobis deſiderium eorum, quæ a nobis contempta fuere. Quoties inter abditarum, obſcurarumque harum viarum tenebras dæmon meridianus apparuit? Quoties in his ſepulchris, ubi mortui ſæculo quieſcunt, viſus eſt ambitionis ſpiritus jurgia, ac lites miſcere, ut quæreretur, quiſnam in cinere honoris locum obtineret? Felices adhuc ſi aliis eſſent cupiditatibus invii, & niſi hic idem cinis ſemper periculoſas ſcintillas contegeret. *Idem.*

Quo-

Quælibet ætas, ac ſtatus proprias habet tentationes.

Quocomque noſmet ipſos gerimus; & quod acerbius eſt, ubicumque iidem ſumus. Si ætas cupiditates extinguit, in earum locum alias ſubrogat; & provectioris ætatis affectiones nequaquam minus periculoſas, minuſque importunas gignunt tentationes ipſis vividioris ætatis cupiditatibus. Quis dicere poſſet, quot ex ſtatuum, conditionum, officiorumque varietate ſuboriantur? Quot ambitio in nobilibus, quot in infimis avaritia, quot in divitibus affluentia, quot in pauperibus egeſtas, quot in regibus poteſtas, quot in populis ſervitus, gloria in militibus, in judicibus favor, quot denique in pauperis, humiliſque Dei miniſtris cupiditas, & vanitas gignant? .... Ex hac inductione quid inferendum eſt, niſi quod cum Chriſtianus evitare nequeat, quominus tentetur, prudentiæ illius intereſt efficere, ut ſemper ſit tentationi ſuſtinendæ paratus. *Idem*.

Præmium poſt victoriam nob. præparatum enimare nos debet, ut tentationibus reſiſtamus.

Vigilate, in armis præſtolamini hoſtem, qui ſemper vigilans, ſemperque armatus explorat horam vos oppugnandi, ac per occaſionem vos opprimendi. Labor quidem magnus eſt, ſed corona ſpecioſa eſt; ac tandem labor præterit, corona vero manet in æternum. Quid non agunt homines, qui inanem honoris ſumum, qui, prout aſſurgit, evaneſcit, aucupantur fragilem illius fructum adepturi? Si illi quidem coronas acquirunt, illæ, ut S. Paulus inquit, corruptibiles ſunt coronæ; at nos ſperamus immortales. Cogitemus, cum noſter deficit animus, & conſtantia fatigatur, quot homines ſuam valetudinem atterunt, vitamque ſuam pro his peritoris coronis objiciunt; ac nobiſmet ipſi dicamus, quod olim Apoſtolus Chriſtianis ævi ſui, nondum vel unica nobis ſanguinis ſtetiſſe gutta, ut tueremur immortalem hanc coronam, quam dæmon nobis conatur eripere. Cogitemus, quanam aliquando perfundendi ſimus conſolatione, cum jamjam morituris cum S. Paulo dicere licebit: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex*. Idem.

In tentatione animus non ebjiciendus eſt.

Quantumvis infirmus ſis, ac potentes inimici tui, animos tamen ne deſpondeas. Deus præſens eſt certamini tuo, ſuum tibi offert auxilium, ut te ſuſtineat, ſuam tibi offert coronam, ut animet, pugnat in te, cum te, ac pro te: quid tibi metuendum eſt? Si Dominus eſt pro me, S. Paulus ajebat, quid poſſunt contra me omnes inimici mei? Victoriæ certus es, ſi tuo fungeris munere; in hoc prælio nemo, niſi qui vult, vincitur; donec pugnas, non vinceris, cum non vinceris, vincis, ac victoriæ pretium corona eſt immortalis. Quiſnam hoc propoſito præmio pugnam detrectabit? *P. Nepveu tom. 3. Chriſtianarum conſiderationum*.

De nobis diffidere debemus, ne tentatione vincamur.

Periculoſa illuſio eſt arbitrari, concupiſcentiam omnino mortuam eſſe in nobis, neque aliquid ultra ſupereſſe, quod timeamus; nihil amplius in corde noſtro reliquum eſſe illius corruptionis, quam a primis parentibus hæreditatis loco quodammodo accepimus, & in hoc etiam mundo poſſe nos perfecta pace frui, omnemque adimplere lætitiam. Quicunque vim hanc ſe habere putat, de ſe ipſo non diffidit, plenam immo fovet confidentiam, & quamprimum in maxima labitur flagitia, hoc in ambitionis, & præſumptionis ejuſdem pœnam Deo permittente. Nobis ſemper ſit de noſtra infirmitate, extremaque imbecillitate perſuaſum, atque cum timore, ac tremore ſalutem noſtram operemur. Nec obliviſcamur totum vitæ noſtræ curſum prælium eſſe, & ne diſſimulemus nobis inter nos hoſtem eſſe irreconciliabilem. Nobiſmet invigilemus, neque invocare ceſſemus opem Omnipotentis, ut nobis conferat victoriam, quam propriis viribus referre non poſſumus. *Auctor Anonymus*.

Corpus noſtrum eſt perennis fons tentationum.

S. Gregorius Nazianzenus perſpicue explicat, quomodo corpus noſtrum ſit perennis fons tentationum. Corpus hoc, inquit ille, ubi laute illud excipio, ac palpo, mihi crudele bellum indicit, cumque illud nimis caſtigo, me in languorem, mœroremque dejicit. Si illud pœnitentiæ ſeveritatibus domare conor, cedit, meque ipſum privat neceſſario ad virtutes chriſtianas exercendas inſtrumento; ſin illi parco, & blandior, tanta inſolentia in me ipſum rebellat, ut impotentiam illius vix valeam compeſcere; atque tunc me ipſum video in periculo fere inevitabili pereundi, atque a Deo recedendi. *Idem*.

De Salvatoris tentatione in deſerto.

Ad hoc ſpectaculum ſub Quadrageſimæ initium nos invitat eccleſia. At non decet vos ſimplices eſſe ſpectatores; vos quoque ſpectaculi ipſius pars eſſe debetis; namque pro nobis hæc pugna committitur; & qui illi interfuturi ſunt, magnam inde percepturi ſunt utilitatem. Spectaculum hoc eſt admirabile; ad hoc ergo omnes confluite, o Chriſtiani; pro vobis JESUS CHRISTUS dimicaturus eſt. Nam nunquid ille propter ſe in hoc certamen deſcendit? Nonne ſexcentas de temerario hoc hoſte victorias clam ille retulerat? Nunquid opus erat, ut ex poſtremo hoc triumpho nova lux eidem accederet, ut ſuam gloriam augeret? Haud ita profecto, o Fideles; ſed vos ipſos ille tueri vult, vos ipſos erudire. Quamobrem S. Auguſtinus aſſerere non dubitavit futurum fuiſſe, ut Jeſus non tentaretur, niſi prohibiturus fuiſſet, ne ultra vires ſuas homo tentaretur: *Ideo tentatus eſt Chriſtus, ne vincatur a tentatione Chriſtianus*. Ex manuſcripto ſermone.

Dæmon ſubdolus eſt, ut nos decipiat.

Plena laqueis terra eſt, o Deus; ſed quiſnam illos evitare poteſt, niſi hoc intellexerit; & quis intelligere poterit, niſi tu ipſe eos illi detexeris? Inimicus meus callidus eſt, verſutuſque; difficile deprehendi poſſunt ejus inſidiæ, aliis quidem hilarem, aliis vero ſeverum ſe præbet. Agnus eſt animabus fortibus; infirmis vero lupus rapiens: obrepit aliquando ſerpentis more, aliquando vero leonis ritu furit; non vitiis ſolum, ſed virtutibus etiam ſe immiſcet, ac ſub ſpecie virtutis efficit ſæpe, ut vitium ametur ... Non leve contra tentationem ſubſidium eſt, noſſe illam tentationem eſſe; quippe noſter inimicus nihil reliquum facit, ut lateat, & quod non timetur, ſæpe illud eſt, quod eſt maxime metuendum. Igitur ne veſtris fidem habeatis luminibus; ſed aperite cor veſtrum illis, qui Dei nomine vos dirigunt. *P. Dozenne in libro, cui titulus. Moralis JESU CHRISTI*.

Mirum ſane eſt, Deum, qui tanta charitate complectitur hominem, voluiſſe hunc a Dæmone tentari, cumque hominem de crudelis hujus inimici tyrannide liberaverit, & eripuerit, voluiſſe tamen infelici huic ſpiritui permittere, ut hominem tentare poſſet. Cum Deus perfecte & naturæ noſtræ infirmitatem, & inimici noſtri vim exploratam haberet, illum plane debebat in ſupplicii ejuſdem loco compeſcere, ut in carcere detentus nequitiam ſuam exercere non poſſet. Bone Deus! Ubinam igitur providentia tua eſt! Cur adeo validos hoſtes contra naturam adeo infirmam inſtruis? Fateor equidem, Fideles, ſi noſmet ſolos in hoc certamine ſpectamus, non deeſſe unde timeamus, & conqueramur; verum ſi placet Deo oculos nobis, ut olim famulo Eliſæi, aperire, ut videamus præſidium, quod nobis mittit, jure cum illo exclamabimus: *Plures ſunt pro nobis, quam contra nos*. 4. Reg. 6. Confidite ergo, Fideles, ne metuite hoſtes hos inſolentes; plus vobis ſuppetit virium ad eos ſuperandos, quam illis, ut vos aggrediantur. *Sermo manuſcriptus*.

Arma, quibus nobis eſt cum Dæmone in tentationibus decertandum.

Hæc arma ſunt, quibus nos uti vult S. Paulus ad tentationes infringendas. Fides, Dei verbum, Scripturarum meditatio, ac præ ceteris oratio ea ſunt, quorum uſum nobis enixius commendat. Fides prodeſt, ut inimici argumenta oppoſitis eludamus argumentis; atque æternæ ſententiæ, quas illa in noſtris cordibus imprimit, cum nobis præſentes ſunt, tutiſſima ſunt amuleta contra vividiſſimas impreſſiones, quas mundus in ſenſibus noſtris valeat efficere. Quantumvis eximiæ ſint ideæ, quibus ambitionem noſtram pertentat, nunquam tamen illis perſtringi patiemur, ſi nobis alte animo inſederit illud Jeſu Chriſti verbum: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ*

vero

vero ſuæ detrimentum patiatur? Matth. 16. Quantumvis jucunda ſit impreſſio, quam voluptatis adſpectus in corde facit, ſi ob oculos noſtros verſata fuerit judicii, & inferni imago, inflammatum hoc improbi ſpiritus telum contra hunc fidei clypeum, ut Apoſtoli verbis utar, retundetur, & extinguetur. *P. Aurelianenſis ſermone de tentatione.*

Tentationes a Deo profectæ.

Tentatio, ſi tanquam a Deo profecta conſideretur, bona, & utilis eſt, quia nos ille ad noſtram tentat utilitatem. Quamobrem ſi in tribulationibus, ærumniſque, quas fidelibus immittit, ut eorum periculum faciat, quidquam eſt, quod eos vel ad impatientiam, vel ad aliquid quodpiam crimen impellat, hoc Deo acceptum referendum non eſt. Hoc innuunt illa S. Jacobi cap. 1. verba: *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat.* Sed ex parte dæmonis tentatio ſemper eſt mala, non enim nos tentat, niſi ut fallat, & in peccatum impellat. *Auctor Anonymus.*

Negligentia noſtra efficit, ut tentationibus aſſentiamur licet non credamus.

Mortales non ſatis cogitant, voluntatem ſuam multifariam peccatis implicari poſſe, tunc etiam cum iis reſiſtit, quæ in tentatione turpiora ſunt. Hoc vero toties accidit, quoties oſcitantes, vel propriis confidentes viribus, peccati occaſiones minime vitant, ſinuntque, mentes ſuas quibuſdam occupari objectis, quæ pravis cogitationibus aditum præbere poſſunt. Cum igitur adeo parum nobiſmet ipſis invigilamus, ut imaginatio, ſenſuſque noſtri licet inviti pernicioſas recipiant tentationes, credimuſne, vacare nos culpa, quia dicimus non potuiſſe nos adeo funeſtos effectus prævidere? Putamuſne, nos innoxios eſſe malorum, quæ inimicus in corde noſtro parit contra intentionem noſtram, poſtquam iidem inordinato vivendi genere oſtium illi aperuimus? Nonne e contra eſt amare malum, illius cauſam amare? Hoc tamen quotidie in mundi ſectatoribus videmus accidere. Illi, quibus aliquis adhuc ſupereſt Dei timor, nollent quidam craſſiora peccata committere; ſed religioni minime ſibi vertunt vivere in otio, mollitie, crapula, quamvis hæc vita mollis ad libidinem via ſit. Interſunt iis cœtibus, ubi oblectationibus tantum indulgetur, in illis morantur, periculoſis ſermonibus vacant; eumque plurimum licentiæ tribuant oculis ſuis, auribus, ac labiis, ſeſe iis tradunt tentationibus, quæ illinc oriuntur. Denique non verentur medios per ignem incedere; & ſi ardent, quamvis ſe ardere nolle profiteantur, quis eos excuſabit? *Auctor Anonymus.*

Dæmon nos fallit, ac ſeducit.

S. Paulus dæmonem vocat principem tenebrarum, quia nonniſi tenebrarum, ac noctis favore tectus regnat. S. Auguſtinus inquit, illum illuſionis regnum exercere: *Æternum regnum fallaciæ;* & S. Chryſoſtomus illum fallacibus comparat tabulis, quæ opticis illuſionibus oculos noſtros decipiunt, exhibentes magna ea, quæ parva ſunt, & quæ magna parva, umbris ſuis; objecta deformant, nobiſque tanquam remotiſſima oſtendunt ea, quæ extremo digito attingimus. Hæc eſt fallacia tentationum dæmonis, & imago eorum, quæ faciunt, ut homines fallant. Illis exhibent tanquam æternum duraturas eas voluptates, quæ brevi pertranſeunt; & mortem, quæ triduo fortaſſe, vel quatriduo diſtat, procul ab oculis eorum abeſſe. Sed gratiæ lumen diſſipat has tenebras, & illuſiones ob oculos nobis æternas veritates objiciens. *Biroat, ſermone pro prima Quadrageſimæ Dominica.*

Vana hominum excuſatio, quod tentationi reſiſtere non potuerint.

Hæc vulgatiſſima eſt fidelium excuſatio, cum in aliquod crimen labuntur: tentavit nos Sathanas, vi, ac dolis illius reſiſtere non valuimus. Vos tentavit, fateor equidem; at vimne fecit libertati veſtræ? Nonne vobis integrum fuit illius ſollicitationes repellere, ejuſque incurſibus adverſari? Neſcitiſne, quod S. Auguſtinus lib. 50. homil. hom. 12. ait, illum non extorquere conſenſum noſtrum, ſed petere: *Non extorquet a nobis conſenſum, ſed petit.* Non dejicit ille de templi pinnaculo Salvatorem in præceps, illi proponit ſolum, ut ſe ipſum dejiciat: *Suadere enim, & ſollicitare poteſt, cogere omnino non poteſt.* Suadere poteſt tantummodo, ut voſmet præcipites detis, ipſe vero nunquam vos deturbabit; exſpectat veſtræ libertatis aſſenſum. Cur hunc illi dediſtis? in vobis quippe ſitum erat hunc illi renuere. Ita eſt; at ego infirmus ſum; dico equidem, te per te ipſum infirmum eſſe, ſi ſolus pugnas; ſed cum Dei ſubſidio, & gratiarum illius ope es omnipotens. Quod noluiſti uti hoc potenti auxilio, quod tibi dederat Deus, quod gratiam hanc contempſiſti, quam tibi conceſſerat, ut vim propulſares; ceſſiſti, & infirmitas tua ex ignavia tua proficiſcitur. *Idem.*

Non ſinit Deus nos ultra vires tentari.

Deus ſexcentos videt caſus, in quibus, ſi tentaremur, noſtra voluntas cederet, ideoque illos avertit: *Non patietur tentari vos ſupra id, quod poteſtis.* Novit etiam, quandiu impetum belli ſuſtinere poſſimus, & non ſinet, illud vel momentum proferri. Novit, ſi dæmones nobis hoc, vel illud exhiberent objectum, vel ſi illud tali modo proponerent, adeo vehementes in ſtudia, & ingenium noſtrum impreſſiones facturos, ut noſtra opprimeretur libertas, quapropter illos prohibet: *Non patietur tentari vos.* Verbo, S. Auguſtinus in Pſal. 90. inquit, omnia certamina, quibus nos provocant dæmones, Dei noſtri ſapientia metitur quoad tempus, quoad objecta, & quoad modum tentationis: *Ad menſuram permittitur tentare diabolus.* Terribiles iſti inimici a Deo quidem accipiunt poteſtatem nos tentandi, ſed non opprimendi nos præter vires noſtras tentando: *Accepit tentandi licentiam, ſed non copiam ſubruendi*, addit S. Ambroſius. *P. Texier 1. Quadrag. Domin.*

Si tentatione ſuperamur culpa ſemper noſtra eſt.

Dei Sapientia in tentationibus noſtris admirabilis videtur, novit enim gratiæ ſuæ ſubſidium cum libertate noſtra ita commiſcere, ut quamvis nihil ſine gratia poſſimus, & ab eadem omnes in hoc prælio ſuppetias recipiamus, dicere tamen poſſumus, gratiam non ſolam operari, ſed cum gratia noſtram quoque operari voluntatem. Hinc ſequitur, S. Bernardus inquit, ſi altera ex parte victoriæ noſtræ ſunt dona, ac munera Dei, ex altera noſtra eſſe merita; quoniam huic gratiæ cooperamur, & has gratias conſenſu noſtro replemus. Fateamur ergo peccatores, nos nequaquam deceptos fuiſſe tentatione, ſed vos, poſtquam toties infirmitatem veſtram eſtis experti, voſmet in tentationem conjeciſſe; vos contra lumina, quæ vobis cœlum impertiebatur, contra conſcientiæ ſtimulos accendiſſe ignem concupiſcentiæ veſtræ, quo conflagraſtis. *P. Texier in Dominicali pro prima Quadrageſimæ Dominica.*

Quam vim ad nos in peccatum pertrahendos habeat tentatio voluptatis.

Voluptatis, gloriæque tentatio maxime periculoſa eſt; tot enim ex locis hominem palpat, eumque vehementer adeo ſollicitat, ut plures inveniantur, qui mundanæ cupiditatis motu Deum abdicarunt, quam qui illum inter cruciatus, atque tormenta abnegarunt, ut inquit Tertullianus. Quod J. C. diabolus dixit: Omnia tibi dabo ſi cadens adoraveris me, maximam in hominum animos habet vim. Quid autem intentatum, ac inauſum relinquitur, ubi cupiditas adſit. Per hunc juſtitia proſtat, pudicitia tentatur, bona fides labefactatur, religio contemnitur, ſanctiſſimi etiam mores corrumpuntur; *Hæc omnia tibi dabo.* Matth. 4. Hoc nobis diabolus dicit, ut nos ab officio noſtro, & Dei ſervitute divellat, Tibi dabo; ſed quid dare poteſt; loquitur tanquam dominus; ſed quinam dominus? Poteſtne ille injuſſu Dei de re quapiam vel minima diſponere? Ne timeas, illum auferre tibi ea, quæ poſſides, neque credas, illum tibi ea largiri poſſe, quæ non habes. *Ex Dictionario morali ſermone 2. de amore Dei.*

Cur permittat Deus, juſtos tentari.

Deus juſtorum fidelitatem tentationibus experitur. Tu hoc permittis, Domine, non ſine admirabilis ſapientiæ tuæ conſilio, quæ nos in partem vocat certaminis tui, ut participes ſimus honoris victoriæ tuæ. Tu dæmonem viciſti, tu profligaſti monſtrum hoc, quod indomitum videbatur, tu illum cruci alligaſti, & in inferno catenis obſtrinxiſti; cur ergo non omnino deſtruxiſti? Ideo illum non deſtruxit, Tertullianus ait, quia confuſionem illam,

lam, qua ſuffuſi fueramus, eo quod nos in primo parente noſtro vicerat, reparari voluit gloria, ſi illum ipſi vinceremus, ex tentationibus, quibus nos laceſſit, victoriam referentes. *Specimen ſermonum pro prima Quadrageſimæ Dominica, argument.* 2.

De inſidiis, & prædibus dæmonis.

Diabolus multa ſæpiſſime pollicetur, non ut det, ſed ut potius accipiat: promittit plurima de rapinis, ut auferat regnum, atque juſtitiam, & quaſi quoſdam laqueos tendens, atque decipulas, theſauros pollicetur in terra, ut etiam nos & iſtis theſauris, & cœleſtibus ſpoliet. Vult, nos in hoc ſæculo ditari, ne divites ſimus in futuro. Et ſi non potuerit per divitias ab illa nos excludere beatitudine præmiorum, alia ad nos via, id eſt paupertatis, accedit .... Niſi noſmet per nos ſeducere poteſt, id facere conatur per amicos, & conſanguineos; ſed & ſi fratris, & ſi amici chariſſimi, & ſi conjugis, & ſi neceſſariorum cujuſlibet alterius perſonam indutus aliquid eorum, quæ non decent, loquatur, non illum, per quem loquitur, ſed illum, qui loquitur, averſari, & horrere debemus. Nam modo quoque plurima ſimilia horum facit, ac perſonam conſolantis, & compatientis ſibi ſumens, multa dicit, quæ ſpecie quidem commoda eſſe videntur, re vero lethifera ſunt: ſi quidem venenoſis omnibus nocentiora verba novit infundere. *Ex D. Chryſoſtomo homilia in cap. 4. Matthæi.*

De tentationibus delicatis, ubi magna opus eſt ſi delitate.

Non deſunt delicatæ quænam tentationes, quibus noſtrum oppoſitum eſt officium. Delicatas voco tentationes eas, quæ ſub præclara ſpecie ignotum crimen celare poſſunt. Delicatas tentationes voco, cum reſiſtendum eſt torrenti exiſtimationis, & gratiæ, ut rectam feras judicium; cum præ manibus non leve lucrum habetur, quod tibi procurare potes, ſi illi fictum colorem illinas; cum amico gratificari potes miſeri alicujus impendio, cum eo loco es, ubi malum valeas inferre, quin recipias; cum denique in vitium labi potes, & innocens videri, in omne flagitiorum genus ruere, quin ab hominibus corripiatis. Maxima tunc probitate opus eſt, ut ſis tuo officio fidelis. *P. Bourdalove.*

Tentationibus ſtatim reſiſtendum eſt.

Tentationes, ſtatim ac oboriuntur, impugnandæ ſunt, cum prodire incipiunt, & antequam per tempus in cordibus noſtris convaluerint. Cum enim per negligentiam noſtram convaluere, ſeſe mordicus tuentur, atque perſiſtunt. Dæmon, qui jam auctoritatem accepit, majorem habet vim ad reſiſtendum, iiſque nititur triumphis, quæ per noſtræ fidelitatis defectum acquirit. Quamobrem S. Gregorius ait, niſi adnitamur tentationi, ubi detegitur, obſiſtere, illam per ſingula momenta, quibus fovetur, roborari. *Abbas Trappenſis.*

Dæmon validius eos laceſſit, qui Deo ſeſe devovere incipiunt.

Fateamur oportet, dæmonis nequitiam, atque potentiam magnas eſſe. Millies audivimus victorias, atque triumphos, quos de humanis cordibus retulit; verum vim, ac poteſtatem ſuam in illos præſertim exercet, qui ex manibus ejus conantur effugere. Non ſecus ac Pharao jubebat, Iſraelitarum filios, ſtatim ac in lucem prodibant, interfici, ita dæmon ſuas inſtruit inſidias, ſuam exercet crudelitatem, ac illos interficere tentat, qui Dei filius eſſe incipiunt; qui ea ætate infirmiores ſunt, minus aſſueti dolis, ac faciles, qui decipiantur. Non ſecus ac Pharao videns populum Iſrael ab Ægypto fugientem omnes coegit militum copias, cumque ad rubri maris uſque litus perſecutus eſt, ut inde quidem ille potentiſſimo ſe urgeri ſentiens exercitu, hinc vero Erythræo mari videns concluſum, ubi mors inevitabilis videbatur, perterrefieret, deterritusque in priorem captivitatem, compedeſque reverteretur; ubi dæmon videt animam ſibi e manibus elabentem, objicit illi, quidquid maxime terribile eſt, poteſtatem illam perdendi, armatam juſtitiam, præaltas abyſſos, æternos ignes, nequiſſima peccata, quæ ad Dei tribunal forti, validaque accuſatione ſe producturum minitatur. Nihil ſpei reliquum eſſe videtur animæ ad fugam, tunc tutiſſimum illi ſupereſt conſilium potius ad illius imperium redeundi, quam in jugi, inutilique terrore vivendi. Sed populus Iſrael animum non deſpondit; clamoribus ſuis cœlum penetravit. Oſtendit Deus potentiam ſuam, & Iſrael in altera maris hora gratiarum actionis cantica cecinit. *Auctor Anonymus.*

Dæmon inceſſanter conatur nos fallere.

Circuit ille ſingulos, tanquam hoſtis, qui clauſos obſidens muros explorat, & tentat, an ſit pars aliqua murorum minus ſtabilis, & minus firma, qua facilius aditus ad interiora pateat. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, ut viſu deſtruat caſtitatem. Aures per canora muſica tentat, ut ſoni dulcioris auditu ſolvat, & molliat chriſtianum vigorem. Linguam convicio provocat, manum injuriis laceſſentibus ad petulantiam cædis inſtigat; ut fraudatorem faciat, lucra apponit injuſta; ut animam pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia; honores terrenos promittit, ut cœleſtes adimat; oſtentat falſa, ut vera ſurripiat; & cum latenter non poteſt fallere, exerte, atque aperte minatur terrorem turbidæ perſecutionis intentans, ad debellandos Dei ſervos inquietus ſemper, & ſemper infeſtus, in pace ſubdolus, in perſecutione violentus. *Ex S. Cypriano de zelo, & livore.*

Quomodo S. Antonius ſe contra tentationes armaverit.

S. Antonius in certamen cum tenebrarum poteſtatibus deſcendit non poſſeſſionibus tantum, verum etiam ſæculi deſideriis exutus; terræ adhærens carne, quam pœnitentia ad extremam redegerat maciem, & quæ virtutibus illius auxilio potius, quam obſtaculo eſſe poterat. Attamen nullam ſui oſtendit infirmiorem partem, qua illum oppugnare poſſit inimicus. Cilicio tanquam lorica tectus, quæ illum omnibus voluptatis telis invium facit, præcinctus gladio mortificationis, & crucis J. C. qui, cum per illum omnis diaboli poteſtas victa fuerit, illi terribilis eſt; hoc apparatu, qui toti Inferno terribilis eſt, hoſtem præſtolatur. Fortaſſe poſt S. Job, qui ſua patientia, ac fidelitate facta eſt æternum eorum omnium exemplar, qui tentantur, & qui propter juſtitiam perſecutionem patiuntur, nemo eſt, cui dæmon crudelius, atque pertinacius, quam huic ſolitario bellum indixerit. Puto, Deum huic tentatori dixiſſe. Permitto, ut virtutis ſervi mei periculum facias: eum totum tibi trado, veruntamen animam ejus ſerva; vitæ enim illius nullam te inferre noxam volo. Tentator hac obtenta facultate, veluti furens bellua, quæ ſua vincula fregit, omni furore irruit in prædam; omnibus Inferni dolis nititur, omnemque tentationum ſuarum apparatum contra fidelem hunc famulum inſtruit. Seſe uffert illi modo ſub horribilibus imaginibus, ut perterrefaciat, modo ſub jucundis ſpeciebus, ut fallat. Illum ſimul tanquam leo furens, ac blandus ſerpens aggreditur; vel ſeſe ſexcentis rationibus complicat, ut leniter in animam obrepat; vel violentas iterat oppugnationes, ut illum proſternat. *Abbas du Jarry, ſermone de S. Antonio.*

Tentationes aliquando nobis ſunt neceſſariæ.

Tentatio nobis eſt neceſſaria, quod ſine illa ſemper inertes, ac negligentes eſſemus; naturaliter enim amamus commoda noſtra, & mollitiem vitæ, quæ noſtram fovet inertiam; quod chriſtianæ vitę oppoſitum eſt, quę eſſe debet juge prælium, & bellum palam noſtris indictum cupiditatibus. *Idem.*

In tentatione ad Deum confugiendum eſt.

Vides, Domine, ſi dæmon auſus eſt, incomparabilem tentare ſanctitatem tuam, adverſus quam nullam habebat poteſtatem, & quę e contra plures ob cauſas illi erat formidanda; ſi infinitam innocentiam, robur invictum, conſummatamque virtutem laceſſere non dubitavit; ſi æternus adverſarius eſt conſiliis tuis, ut illa ſubverteret; quid non conabitur adverſus hominem infirmum, qualis ego ſum, natum in miſeria, immerſum in limo, corruptione repletum? Scis, rugientem hunc leonem nunquam dormire, quęrere, ut devoret me, nihil prætermittere, ut mihi noceat, quocunque obrepere, indeſinenter in malum impellere, ſemperque attentum eſſe, ut quacunque in occaſione mihi tendat inſidias. Nonnunquam formam induit Angeli lucis; deliteſcit ſub ipſa virtutis ſpecie, ſub propriis ſtudiis meis, immo etiam ſæpe ſub tuis beneficiis: me ubique, modiſque omnibus, intus, & extra laceſſit. Niſi gratia tua mihi opem

tule-

tulerit, quomodonam reſiſtere porro inimico adeo potenti, callido, & indefeſſo? Tua igitur intereſt, qui inimico huic præcepiſti, ut me tentaret, hanc mihi veniam concedere, ſine qua me ipſum tueri non poſſum. *Liber cui titulus: Paſſiones J.C.*

Miſeri ſumus, qui ſexcentis obnoxii tentationibus ſumus, & in perſeundi periculo.

Quid? Semperne dæmones nobis erunt oppugnandi, affectiones ſuffocandæ, tentationes vincendæ? Quid ſemper adeunda pericula? ne unum quidem ſecuritatis momentum; ubique laquei, & inſidiæ! Quid? me ipſum damnare, animamque meam, ac Deum meum perdere, quotieſcunque reſpiro! Unicus ſatis eſt oculorum conjectus, cogitatio unica, ut quinquaginta, vel ſexaginta annorum laborem, ac merita amittam? In me ipſo diviſus ſum, mihi cavendum eſt ab illis, quæ ſunt mihi chariſſima, quidquid mihi placet, me corrumpere poteſt, quidquid naturæ meæ conforme eſt, inimicum eſt virtutis meæ, omnes ſenſus mei rationem meam in errorem inducere quærunt. Ego ne voluntatis quidem meæ arbiter ſum, illa vult, quod ego nolo, amat, quod odi, me adigit ad id conſectandum, quod fugio. Quæ vita! quæ miſeria! quod ſupplicium! qualis infernus! *P. de la Colombiere.*

Modica hominum in tentationibus vigilantia.

Sæpe non cognuſcimus periculum, in quo verſamur amittendi bona ſpiritualia, atque naufragium miſere faciendi. Sæpe procella agitamur, atque malacia frui credimus; ſæpe uti Jonas in navis carina dormitamus, cum interim venti illam allidunt in ſcopulo, ac prope ſunt, ut eandem abſorbeant: ſæpe etiam putamus tempeſtatem nobis eſſe propitiam: inordinatus hic nobis placet effectus; cupiditas illa nobis æqua videtur; tantum abeſt, quod tentationi huic reſiſtamus, ut potius illi velificemur, ejuſque vires augeamus; ac interim ad interitum properamus, niſi celeriter confugimus ad opem, quam nonniſi a Deo poſſumus obtinere. *P. Nouet in meditationibus.*

Nulla nobis a dæmone ſperanda pax eſt.

Quandoquidem nobis res eſt cum dæmone, qui apertus eſt hoſtis, ex certaminis inter utramque partem inæqualitate judicare eſt, prælium hoc nequaquam diu permanſurum, ac hominem quam primum inimici impotentia ſuperatum iri, niſi pro ipſo cœlum militaret, & niſi illi opitularetur Spiritus idem, qui Salvatorem in deſertum adduxit, ut illius exemplo nobis aditum aperiret ad pugnam, atque victoriam, cui Chriſtianus quilibet præparare ſe debet, ut inquit Scriptura, ex eo momento, quo ſeſe Dei cultui devovet, quin toto vitæ ſuę tempore vel pacem ſperet, vel inducias; cum enim odium, quo illum proſequitur Sathanas, ſit immortale, ideo bellum, quod infert eidem, nullum habere poteſt finem; quamobrem Chriſtianus aſſidue ſibimet invigilare tenetur, & cuſtodire cor ſuum tanta cura, & præcautione, quanta ſi inter abyſſos, præruptaque incederet loca; omnia in mundo reformidans, oculorum conjectus, viſitationes, converſationes, negotia, ſolatia, voluptates, ac ſeipſum magis quam reliqua, ſuam nempe naturalem infirmitatem. *Abbas de S. Martino, ſermone hujus argumenti.*

Tentationum ſuperandarum ratio eſt illas evitare.

Magna plerarumque tentationum ſuperandarum ratio eſt illas evitare ab illis abhorrendo locis, & ſocietatibus, ubi tot contra charitatem, & honeſtatem fiunt, ab illis muneribus, & officiis, quorum exercitium adeo delicatum eſt, & ubi difficile eſt conſcientiam, ac Dei legem tueri. Sed heu! non ſolum non vitantur, ſed perquiruntur; amatur periculum; naturale ſtudium occaſioni, & cupiditas tentationi accedit, & neque in magiſtratibus ab iniquitate, neque a mala fide in negotiis, neque a detractione in cœtibus, neque ab intemperantia in conviviis, neque a pravis cogitationibus, ac turpi licentia in colloquiis, & viſitationibus ſibi quiſpiam cavet. Cor e contra omnibus patet, omnibus afficitur, & nihilominus in integra vivitur ſecuritate. *Idem.*

Salvatoris exemplo tentationes vincere debemus.

Omnia tentationi ſubjecta ſunt; ſanctiſſimę etiam animę nequaquam immunes fuere; mala, quę illa parere poteſt, infinita ſunt, obices, qui illi opponendi ſunt, non ſatis bene intelliguntur. Hoſtes, qui nos laceſſunt, terribiles ſunt, nec minus verſutię habent, quam roboris, quippe conſueverunt virtuti inſidias ſtruere; & quo plus ſanctitatis inveniunt, eo plus adhibent artis. Quod autem eſt nobis faciendum; hoc videlicet eſt, noſmet conſtantia, ac fortitudine ad omnes eorum conatus propulſandos armare. Vicimus in J. C. quantum in nobis eſt, contendamus, ut ille vincat in nobis, & illius exemplo vincamus. Membra capiti reddant ejus honoris partem, quam ab eo perceperunt, ac ſecundum S. Pauli verbum in ſe ipſis adimpleant ea, quę deſunt paſſionum divini hujus capitis. *Ex Abbate de Tręcenne, in ſermone hujus argumenti.*

Caro, & concupiſcentia noſtra ſecretum habent cum dæmone conſenſum.

Si dęmon eſſet ſolus adverſum nos, non admodum nobis eſſet metuendus; & niſi illi opitularemur, ut de nobis victoriam reportaret, non arduum eſſet ex eo victoriam referre. Arma, quibus vehementius contra nos utitur, ea ſunt, quę illi commodamus, & quę domi noſtrę naſciſcitur. Nonniſi noſtrę carnis ope potitur anima, ac noſtra concupiſcentia prodit cor noſtrum, efficitque, ut crudelis hic inimicus nobis dominetur. Hoc dixit S. Jacobus Apoſtolus cap. 1. unumquemque videlicet a ſua concupiſcentia tentari: *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus*; ut intelligamus, dęmonem periculoſum non eſſe, niſi quod caro cum illo ad excidium noſtrum conſpirat. *Specimen ſermonum pro Quadrageſima ſerm. 1.*

Non magna vi, magniſve dolis utitur dęmon, ut quoſdam ad peccandum impellat; ſatis eſt, ſi exiguum oſtendat lucellum, inanem gloriolam, perfunctoriam voluptatem; ſufficit ſolum, ſi illis hęc communia concupiſcentię oſtendat objecta: *Oſtendit ei regna mundi*, ut loquitur Evangelium Matth. 4. & Luc. 4. *Oſtendit*. Heu! quod probrum, quę turpitudo pro illis, qui chriſtiana profeſſione cenſentur! Satis eſt, ſi per oculus eorum traducat voluptatis umbram, phantaſma glorię, & prælationis, lucri, & utilitatis ſpeciem, ut ſexcenta capitum millia ad Sathanę pedes proſternat: *Oſtendit illi*. Fromentieres, ſermone pro prima Quadrageſimę Dominica.

Tentationis progreſſus.

Dęmum, callidus ille inimicus, incipit petens, ut ſibi aures adhibeantur; mox nos detinet in iis cogitationibus, quas nobis ſuggerit, efficitque, ut ibi voluptatem aliquam inveniamus. Deinde ęgrius recedimus ab occaſione, quę illas in nobis ciet; animę vires paulatim infirmantur, adſpectus, ac reverentia Dei pręſentis imminuitur, tandem voluntas omnino conſentit, & dęmon non ceſſat, niſi actio fuerit conſummata. Pręteritorum experientia efficit, ut ardenter actus deſiderentur, actus iterati habitum formant, quę illa funeſta catena eſt vix ſummo labore infringenda, qua dęmon utitur, ut nos detrahat in pręceps. Sed cum invenit voluntatem, quę illi mordicus obluctari conatur, quę primis illius ſuggeſtionibus aures obſtruit, quę illum ſtatim ſtrenue propulſat, ignavus hic inimicus illico cedit, & nunquam victoriam reportat. *Liber, cui titulus: Paſſiones Jeſu Chriſti.*

Tentationes in hac vita ſunt aſſiduæ.

Pręlium nobis contra mundum, contra noſmet ipſos, contra dęmonem ſuſtinendum nequaquam certum tantummodo tempus, certamque vitę noſtrę partem perſeverat; juge eſt; nobis res eſt cum hoſtibus, qui nunquam fatigantur, & nunquam poſſunt reconciliari. Si hoc tentationis genus minus illis cedit e ſententia, ad alterum ſe convertunt; ſi hac ex parte animam noſtram munitam inveniunt, ex altera illam oppugnant; interioribus exteriores addunt tentationes; ſi hunc effugimus laqueum, alios plures tendunt; & ſi ex aliqua tentatione victores abiimus, nos perdere conantur per tentationem inanis glorię, quam propter eamdem victoriam inſpirant. *Specimen Ethicum tom. 5.*

Quidquid in mundo eſt, tentare nos poteſt.

Quantumvis liberales ſint animi noſtri affectiones, ſemper tamen intra noſmet gerimus mortis reſponſum; vię omnes, quibus ſepti ſumus, ſcopuli ſunt, pręruptaque ſaxa, quę per noſmet evitare nequi-

quimos. Mundus ipſe, in quo vivimus, magna eſt, & aſſidua tentatio: ratio ipſa nos a via recta deducit, amor proprius excæcat, caro corrumpit, ſenſus decipiunt, negotia diſſipant, objecta ſeducunt, ſpectacula faſcinant, ſocietates in omnem libidinem pertrahunt, exempla trahunt, uſus confirmant, mandata deterrent, diſplicent conſilia, pœnitentia tædio afficit, inflat ſcientia, morbi proſternunt, & adverſa afficiunt, ut in queſtus, atque murmur erumpamus, &c. Denique omnia nobis ſcopulus ſunt, omnia lapſus occaſio, omnia, tentationis objectum. *P. Maſſillon, ſermone de oratione.*

Hoſtes, quibuſcum nobis pugnandum eſt in tentationibus. Vosmet colligite, atque conſiderate hanc deſideriorum, & cupiditatum farraginem, cum qua vobis eſt decertandum. Hi ſunt inimici eo periculoſiores, quo magis illos amatis, eo terribiliores quo jucundiores vobis ſunt ictus, quos inferunt, cum vos nunquam magis eos diligatis, quam cum vos occidunt. Jam maximum malum eſt ſinu ſuo complecti tot domeſticos inimicos, qui ſe amicos ſimulant; ſed non minus malum eſt tot circumundique habere tam viſibiles, quam inviſibiles; itaut quocunque noſmet convertimus, eorum tentationem evitare nequeamus. Creaturæ omnes, quæ pulchritudine, vi, ac uſu ſuo nos deberent ad Deum amandum attollere, totidem laquei ſunt, in quos impingimus. Dæmon ipſe, tanquam leo rugiens illud ſemper quærit momentum, quo nos imparatos inveniat, ut devoret. Denique ita periculis, atque tentationibus ſepti ſumus, ut quavis hora, quolibet momento, niſi potenti manu ſua nos Deus retineat, parati ſemper ſimus cedendo. *Liber cui titulus: Vera orationis idea.*

Dæmonis artificium nos in ſcelus protrahentis. Vix animo concipere poſſumus, quas illuſiones amor proprius gignat in animabus eorum, qui Deo volunt ſervire. Hoc innuit regius Propheta Pſalm. 139. cum ait: *Juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*: videlicet dæmonem metuentibus Deum nequaquam proponere, ut ea ſequantur, quæ palam mala ſunt, at illis oſtendere alteram viam, quæ non procul a Dei via abhorrere videtur. Eadem immo videtur eſſe; eadem ferme cuncta ibi fiunt, eademque illic pietatis exercitia excoluntur, ſed æque differt a priori, ac cœlum diſtat a terra; in altera quippe nos tegit lumine ſuo ſpiritus Dei; in altera vero ſpiritus hominis ſequitur ſe ipſum, & tenebras ſuas pro vero lumine ſequitur. Hæc eſt dæmonis ars, qui periculoſa tentatione aberrare nos facit, cumque volumus arctam ſequi viam, ut ſalutem noſtram operemur, nos inde avertit, non proponens aliam, quæ lata palam videatur, ſed eam, quæ eſt inter utramque, & quæ aliquam habet cum arcta via ſimilitudinem; ſed in qua videt nos interituros: *Liber cui titulus:* Inſtructiones Chrêtiennes.

Remedia contra tentationes. Remedia contra tentationes ſunt, de ſe ipſis diffidere, non confidere in victoriis, quæ olim relatæ fuerunt, ſibimet quam diligentiſſime invigilare, impuritatis peccatum fugiendo oppugnare, leviſſimas occaſiones, quæ ad illud viam aperiunt, evitare, non cedere dæmonis verſutiis, qui primum quidem in eas adducit neceſſitudines, quæ culpa vacare videntur inter diverſi ſexus perſonas, & quæ fortaſſe diu culpa vacant, ſed quæ nec opinantibus nobis repente Dei amicitiam eripiunt. Ad id omnes evitare familiaritates, & quodvis licentiæ genus, quamvis nullum admodum grave periculum adeſſe videatur, ac præſertim celeriter pravis cogitationibus adverſari. Cogitemus, quid facturi eſſemus, ſi ignita pruna in manus, aut veſtimenta noſtra deciderет; nunquid illam excutere, ac rejicere cunctaremur? Hoc ipſum faciendum eſt cum impuris cogitationibus; quæ totidem prunæ ſunt dæmonis flatu ſuccenſæ. *Bourdon in libro, cui titulus: Chriſtianus ignotus.*

In tentationibus conſenſus peccatum facit. Non injuria Sapiens nobis hoc præbet conſilium: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum.* In hoc omnis impendatur induſtria, ut cor tuum cuſtodias, ac prohibeas, ne quid in hanc animæ partem ingrediatur, quod illam corrumpere poſſit; & rationem addit: *Quia ex ipſo vita procedit.* Prov. 4. Cum inordinatum eſt cor, tunc reliqua inordinata non eſſe nequeunt; hactenus nihil eſt niſi tentatio. Objectum ſenſibus accidat, ſeſe oculis noſtris objiciat, mentem repleat, ac inde intellectum etiam ipſe ſollicitetur, noſtram non lædet conſcientiam, niſi illud voluntas receperit; ſi illa omnes has cogitationes, atque imaginationes rejecerit, ſemper hoc illi erit meriti argumentum. At voluntaſne ſuperari ſe paſſa eſt; ex illiciti objecti cogitatione ullane oblectatione perfuſa eſt? eor aſſenſumne præbuit? licet ad breve momentum præbuiſſet illum, ſatis eſt, jam culpa non vacat. *P. Gegon in libro, cui titulus: Uſus ſacramenti pœnitentiæ.*

Fugienda ſunt loca, & objecta ubi tentatio magis eſt metuenda. Si, qui in ſeceſſu, & procul a mundi luce vitam traducunt, magnas tamen in vita chriſtiana difficultates inveniunt, in penitioribus etiam aſceteriorum adytis; ſi cœnobitis ipſis aliqua aſſunditur macula ex mundi commerciis, tunc etiam cum vel charitas, vel neceſſitas eos in mundo verſari jubet, & cum ſibi quam diligentiſſime invigilant, ut reſiſtant; quænam eſſe poſſunt vulnera, & lapſus eorum, qui ſenſibus ſuis obſequentem ducentes vitam iis ſe objiciunt tentationibus, quibus fortiſſimus quique vix, & ne vix fortaſſe quidem reſiſtet? De his, ſi cum ſanctis hominibus eos contulerimus, dicere poterimus, quod Job inquit de homine illum cum Angelis comparans: *Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem: quanto magis hi, qui habitant domos luteas, conſumentur veluti a tinea?* Jobi 4. Si ſpiritus illi, qui Deo tanquam miniſtri deſerviunt, ſtabiles vix ſunt, & in Angelis ipſis deprehenduntur defectus, quanto magis animæ in corporibus, tanquam luteis domibus concluſæ, corruptioni, & peccato erunt obnoxiæ? *Ex ſpecimine Ethicorum, tractatu de Comœdia.*

Vigilantes eſſe, ac metuere tentationes oportet. Cum in hac vita perfectam, ſecuramque pacem, quæ in cœlo dumtaxat reperitur, ſperare non poſſimus, quandoquidem plurimum nobis metuendum eſt a corpore, quod gerimus, & quo circumdati ſumus; metuamus, quoniam inter prærupta incedimus loca, inter potentes inimicos, & extrema nobis infirmitas eſt ad eorum vim propulſandam; ſed timor ſapiens, ac prudens ſit, qui efficiat, ut nobiſmet ſemper invigilemus; ac iſte nos ab inimicorum inſidiis, & quolibet lapſu tuebitur. Metuamus, quia nos ex nobis nil poſſumus; ſed fiducia noſtra ſuperet metum, quoniam poſſumus omnia in JESU CHRISTO, & Deus, qui fidelis eſt, nos ſupra vires noſtras minime tentari patietur. *De S. Martha, tom. 1. tractatuum aſceticorum, tractatu de tumultibus ſpiritus cap. 34.*

Utinam frequenter id cogitaremus, & ſaluberrima hæc cogitatio ſæpe ſingulorum menti occurreret, cum nos tentat Sathanas, cum nos caro ſollicitat, vel allicit mundus. Peccatum, quod patraturus ſum, me coram Deo execrabilem faceret, & ab illo fortaſſe in æternum arcebit. Honor, qui oculos meos perſtringit, voluptas, quæ me palpat, vel utilitas, quæ me trahit, exiguum, ac leve quiddam eſt, quamvis illud mihi ingens, & magnum mea obtrudat cupiditas; ſed quanti illud mihi ſtatutum eſt in hora mortis! Eſca mihi ſuaviſſima, & jucundiſſima videtur, ſed quam crudelis, funeſtuſque eſt hamus, quam tegit! Denique ſi peccato aſſenſum præbeo, me in eum ſtatum adduco, ubi, niſi miſericordia ſua mecum utitur Deus, nulla mihi ſperanda ſalus eſt, nullaque vitæ ſpes reliqua eſt mihi. *Liber, cui titulus: Dialogi Joannis Abbatis, & Euſebii Preſbyteri.*

Calliditas dæmonis imminuentis noxam, cum patranda eſt, eamque amplificantis, cum patrata eſt. Hæc dæmonis eſt ars: efficit, ut graviſſima quælibet flagitia iis, quos ad peccandum adigit, levia dumtaxat videantur crimina; & ſcelera, quæ maxime nefaria ſunt, ad ſummum infirmitatis peccata cenſeantur; quapropter horrore, quo deterrebatur antea ille, quem ita fallit, paulatim excuſſo, ſenſim ſine metu his aſſueſcat monſtris, ad quorum conſpectum antea maxime trepidabat. Similiter

ſiter mors, judicium, ac infernos, quorum vel leviſſima idea olim graviſſimos ciebat tumultus, & quæ ſibi in ſingula momenta imminere arbitrabatur, jam ita longe ſepoſita videri incipiunt, ut nullo amplius metu afficiatur; vel ſi quam ſentit impreſſionem, hæc adeo levis, & infirma eſt, ut nullo pacto æquare poſſit voluptatem, lucrum, gloriam, quam illi proponit diabolus, ut eum in errorem inducat, & fallat. Sed poſtquam internecinus hic hominum hoſtis adeo pernicioſa verſutia illum in omnia, quæ voluit, præcipitem dedit flagitia, tunc eadem illi ita magna, & enormia repræſentat, ut miſer peccator priores corrigens ideas leviſſimas etiam noxas tanquam horribilia exiſtimet ſcelera, & lapſus, quos antea ſimplicia infirmitatis ſuæ argumenta pendebat, jam conſummatæ improbitatis effectus illi videantur. *Idem*.

Indeſinenter orandum, & contra tentationes vigilandum eſt.

Vigilate, & inceſſanter orate, Apoſtolis ſuis Salvator dicebat: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*. Si animæ integerrimæ, ſi diſcipuli, quibus maximus fervor eſt, ſemper timere, ac indeſinenter orare debent, ac vigilare, quoſnam ignavos, imperfectoſque Chriſtianos in tuto eſſe putabit? Mundani homines, qui ſemper hilares, lætique ſunt, & voluptatibus dediti, qui dies ſuos in otio, & mollitie traducunt, in tuto ne ſunt ab omnibus periculis, ita ut vigilare, orare, ac metuere non teneantur? Vita noſtra, Scriptura inquit, militia eſt, & jugis tentatio: ſemper igitur oportet vigilare. Sed tot inter pericula homines plerique nihil diffidunt: *Quid tu ſopore deprimeris?* Jonæ 1. Quinam in utramque aurem ſtertere potes tanto in periculo, & adeo vehementi procella agitatus? Nulli adeo eminens virtus eſt, cui de ſalute ſua non ſit trepidandum; nullus eſt ordo ita ſanctus, nullus locus ita remotus, nulla ita horrens ſolitudo, ubi prudenter voſmet diſpenſare poſſimus a jugi oratione, ac vigilantia, ne ab hoſte fallamur; nemo ſanctorum eſt, qui in ipſa auſteriſſimæ pœnitentiæ exercitatione periculum hoc non reformidaverit. *P. Croiſet tom. 2. conſiderationum*.

Quomodo tentationes metuendæ ſint.

Beatus vir, qui ſemper timet, Sapiens ait Prov. 28. Quæ temeritas! quæ ſtultitia! per hoſticum, per ſalebroſam, difficilemque viam, concubia nocte, ac inter caliginem ſine metu ambulare. Non quæritur inanis timor, qui tumultu ſuo periculum augeat: in periculis tranquillitate, ac patientia opus eſt, ita ut ad tentationis adſpectum animos non deſpondeas. Quæritur ſapiens, & chriſtianus timor, qui animam attentam efficit, quin illam perturbet, arcet illam a laqueis, quos illi nectunt inimici, eamque cogit ſibimet invigilare adverſus tentationem. *P. Croiſet tom. 2. conſiderat.*

Quam utilis ſit tentatio, & quam ad noſtram perfectionem conducat.

Dei filius Apoſtolorum ſuorum periculum facturus, eoſque in fide confirmaturus permiſit, ut ſe dormiente procella ſæviret. Tu nobis hoc exemplo oſtendis, Domine, quid ſæpe contingat in corde eorum, qui tibi ſerviunt, ac pie vivunt; nulli ſunt, in quibus non ſinas efformari tentationes, quæ ſunt veluti procellæ in animabus eorum inſurgentes, earumque ſerenitatem quodammodo perturbantes. Hoc tamen virtutem tuetur, roborat, auget. Tentatio eſt quædam veluti probatio fidei, ut Apoſtolus inquit, quæ patientiam operatur, patientia vero perficit opus. ita ut per illam acquiri poſſit ſtatus perfectionis, qui nullum patitur defectum. *Abbas Trappenſis in moralibus conſiderationibus*.

Sancti, ac pii homines credere non debent ſe ab omnibus tentationibus immunes futuros.

Non eſt, cur pii homines putent ſe ad Deum ituros per vias ſtratas, roſiſque conſitas; neque aliquid ſibi arduum futurum, ex quo mundum reliquerint, ac Dei manum depulſorem, quidquid poterit illis negotium faceſſere, ac perturbare tranquillitatem, quam in receſſu ſuo ſe inventuros ſperarunt. Sciant e contra opus eſt, tentationes ſibi nunquam defuturas, nullum eſſe locum, nullumque ſtatum, in quo immunes ab illis eſſe valeant ſecundum ea, quæ ſcripta ſunt: *Fili accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*. Eccli. 2. Pacem, quam Deus promittit, & largitur animabus ſibi ſervientibus, inter prælia, & ærumnas, non ſecus ac roſam inter ſpinas, oriri: Deum nunquam pollicitum fuiſſe ſe prohibiturum, ne tentaremur; ſed opem tantummodo collaturum, ne ſupra vires tentaremur, & immo ut ex tentationibus fructum perciperemus juxta illa Apoſtoli verba: *faciet etiam cum tentatione proventum*. 1. ad Corinth. 10. Verbo, tentationes purificant animas, eas muniunt, roborantque, illas ad perfectionem attollunt, provehunt in via virtutis, eaſque dignas ea beatitudine præbent, quæ ipſis a Deo præparatur. *Idem in conſiderationibus moralibus in S. Lucæ Evangelium*.

Dæmonis poteſtas.

Dæmon, poſtquam ſæpius homines in ſuos impulit laqueos, fit ſemper potentior; ejuſque poteſtas in hoc ſita eſt, quod non ſolum ſuggerit malum, verum etiam in illud vehementer impellit. Quamobrem a Deo *fortis armatus, & princeps hujus mundi vocatur*; atque cum ille de imperio dæmonum verba facit, eos poteſtates tenebrarum appellat. Tota eorum poteſtas noſtræ innititur concupiſcentiæ, & improbitati, necnon vi, quam ea pravis noſtris affectibus, habitibuſque mutuatur. Hinc illi tantum habent imperium, tot excitant tempeſtates, tot clades pariunt. Nulla in terris poteſtas eſt, quæ cum illius poteſtate ſit comparanda, dicebat Deus Job de Behemot dæmone loquens. Nullus eſt ita ſacer locus, nullus ſtatus ita ſanctus, quo ſpiritus nequam non ingrediatur cum poteſtate, & nonnunquam etiam triumphantis more, cum aditus illi aperitur. Si illic vitium, atque cupiditatem nanciſcitur, ibi ſedem figit, & nonnunquam ita certam ſibi manſionem facit, ut nullo pacto valeat depelli. Non alia ſuppetit ratio evitandi poteſtatem ejus, quam arcem illius evertere, vitium radicitus extirpando; quod ſuadet Apoſtolus ad Epheſios dicens: *Nolite locum dare diabolo*. *P. Surin tom. 2. dialogorum*.

Nulla vel perſona, vel conditio, vel ſtatus vitæ eſt, qui ſuis tentationibus careat; nequicquam eas fugis, & quæris modum illas depellendi, locum, ſitum, & vitæ rationem mutando; permittit Deus, ut nos ubique inveniant. Cum enim utiles ſint, ac animarum ſanctificationi proſint, cum iiſdem bene utimur, ita Deus illas ex mera miſericordiæ ſuæ diſpoſitione permittit. *Auctor Anonymus*.

Fallax excuſatio infirmitatis.

Quid vulgatius eſt, quam noſtras prætexere infirmitates, eaſque in loca, & tempora, quibus vivimus, rejicere? Nobiſmet perſuademus, ſi nequam ſumus, non culpa noſtra tales eſſe, ſed temporum, aliarumque circumſtantiarum, in quibus ſumus. Haud equidem vanitatem diligo, aut cor meum ambitione tumet, dicet aliquis; ſed quomodonam ab illis abhorrere liceat ea, in qua ſum, civitate? Magnos ſumptus non amo; verum quomodo illos evitare poſſum inter tot urgentes eorumdem erogandorum occaſiones? Mihi vitio vertendum non eſt, ſi vita mea frugi non eſt, mundi commercium tanti mali cauſa eſt, & mala exempla, quæ jugiter mihi verſantur ob oculos. Sed cur volmet ipſos fallitis? Malum haud extrinſecus quidem, ſed ex vobiſmet ipſis proficiſcitur. Mundus vos tentat; ſed volmet finitis tentatione ſuperari, cum illi reſiſtere, eamque ſuperare poſſitis. *Auctor Anonymus*.

Tentatio a nobis roboratur, non impugnatur.

Liquet, quemadmodum bellum, quod nobis adverſus dæmones gerendum eſt, nullas habet inducias, & nunquam remittitur, ita nos jugiter intentos eſſe debere ad confirmandas in nobis virtutes illas, quæ noſtra ſunt arma, atque incomprehenſibilem inſaniam eſſe, in hoc certamen ingredi inermem, hoc eſt virtutibus vacuum. Attamen hominum plerique in hanc incidunt ſtultitiam; & quod magis adhuc miſerum eſt, eam terribili augent acceſſione; quia e contra in id unum incumbunt, ut dæmoni animæ portas aperiant, et in cor ſuum aditum præbeant faciliorem, atque illius tentationes vividiores, & ardentiores efficiant. Hoc illi peragunt iis rebus vacantes, quibus ipſorum cupiditates irritantur; mentem ſuam vanitate replentes, ac deſerentes ea omnia præſidia, quæ dæmonis victoriam poſſent retardare. Quid ex hac agendi ratione ſperari poteſt, niſi lapſus infelix? Et

ita

ita vivere, nonne jam cecidiſſe eſt? *Specimina Ethica tom. 5.*

Tentationes metuendæ ſunt.

Si noſſes anima chriſtiana, quo in periculo verſaris, quonam animi fervore diceres: Domine ne nos inducas in tentationem? Tibi res eſt cum hoſte, qui longe fortior, vigilantior, bellicoſior te eſt, qui te inviſibilibus armis aggreditur, & qui ſæpe ſub amici imagine deliteſcit, ut fallat. Exteriores, interioreſque ſenſus, cupiditates, perverſa ſtudia, pravique habitus tui cum illo conſentiunt, & obſtupeſcis, S. Ambroſius inquit, ſi juſtus ipſe vix contra tot varias oppugnationes ſe ipſum tueatur, cum ipſe vix, ac ne vix quidem uni reſiſtere valeas? *P. Nouet tom. 5. meditationum.*

Hoc prælium contra mundum, ac dæmonem nequaquam ad certum uſque tempus perſeverat; perenne eſt. Nobis certamen eſt cum hoſtibus infatigabilibus, atque internecinis. Si hæc illis e ſententia non accidit tentatio, aliam uſurpant: ſi animam aliqua ex parte ſatis munitam inveniunt, illam adoriuntur ex altera: exteriores interioribus tentationibus addunt; ſi unum evitamus laqueum, longe plures objiciunt, & ſi ex una tentatione victoriam retulimus, nos perdere quærunt ea vanitate, quam propter hanc victoriam nobis inſpirant. *Specimen Ethicum tom. 5.*

Tentationes magis metuendæ ſunt in mundo.

O Deus! quam fortes! quam violentæ ſunt tentationes? Quomodo autem illis reſiſtere liceat, tunc præſertim cum in hujus mundi luce verſamur; vel ut æquius loquar, cum in perverſo, corruptoque hoc vivimus mundo, ubi jugiter, uti dilectus inquit Diſcipulus, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ agitamur? In mundo, ubi omnes obices, qui alibi in omnes hominum conditiones ſparſim diffuſi ſunt, majori vi colliguntur, & congregantur? In mundo, ubi pompæ omnes magnifice nitent, ubi voluptates in ſuo veluti centro ſunt, omneſque dignitates effulgent? In mundo, ubi cupiditates omnes ſolutas, occaſiones præſentes, exempla perniciosa eſſe dicere poſſumus? In mundo, ubi mors, uti S. Ambroſius ait, per ſenſus omnes ingreditur; ubi oculi aperiri nequeunt, quin recipiant imagines, quibus animus turbari poſſit, ubi aures nihil audire poſſunt, quod non ſit virus ſtatim ſeſe in cor ipſum infundens. Verbo, in mundo, qui nihil eſt niſi peccatum, & corruptio; ubi quilibet fortunæ, honoris, exiſtimationis gradus, quem ibi homo valeat adipiſci, novum ſuppeditat obicem ſaluti, novumque tentationis argumentum. *Sermo mſ.*

Dæmon nos per omnes creaturas tentat.

Dæmon non ſemper per ſeipſum nobis prælium intentat. Hoc multifariam exequitur, per eos, qui illi in mundo famulantur, & qui mundi ſpiritu aguntur; hoc exequitur optimatum minis, atque blanditiis, hoc pravo hominum corruptorum exemplo, quorum ſolus ſæpe adſpectus cor noſtrum inficit; hoc torrente conſuetudinis, quam pro lege in iis, quæ ad Deum pertinent, haberi vult; hoc amicorum, & cognatorum conſilus, qui ne opinantes quidem pernicioſiſſimi hoſtis rabiei velificantur. Hæc ſunt inviſibilia dæmonis prælia animas dumtaxat noſtras perdere cupientis. *Liber, cui titulus: Vitæ Prophetarum, in vita Ezechielis.*

SUPPLEMENTUM.

Homo inter tot tentationes, quibus petitur, adit periculum ſalutis ſuæ.

S. GRegorius egregie deſcribit mortales effectus ſtatus illius, in quo fidelis circum undique tentationibus laceſſitus nudus, inermis, pluribus confoſſus vulneribus, certam offert victoriam omnibus ſalutis ſuæ inimicis. Si illum ambitionis tentatio aggreditur, hac ſe trahi ſinit; ſi illum urget avaritia, flagrat ardenti libidine eidem ſatisfaciendi. Si eum tentat impudicitia, illegitima concipit deſideria. Si iraſcendi cauſam nanciſcitur, hic ignis accenditur, omnemque ejus lenitatem abſumit. Si periculoſa objecta illius excitant affectiones, eum agere intuemini, quaſi Religionis, & Fidei fuiſſet oblitus. Quid igitur erit, cum dæmones ſibi ad ferendam opem arceſſitis creaturis, irruent in illum erroribus, illecebris, mundi terroribus armati? Numquid fidei ſuæ luminibus vanas illuſiones filiorum hominum diſſipabit? Num eorum placita æque ſtulta, ac pernicioſa rejiciet? Heu! denſa nebularum caligo ejus intellectum obſcurat, quænam vero ſunt tenebræ, quas innumera peccatorum parit multitudo? *Sermo 2. Academiæ anni 1701.*

S. Paulus invictus ille vir, nec umquam hominum, dæmonumque conatibus fractus, timebat ne caderet, & hic timor effecit, ut nihil umquam contemneret ſive corpus ſuum mortificaturus, ſive ambitionis motum fracturus. Ter Dominum rogavit, ut liberaretur a violenta tentatione, qua verebatur, ſe iri ſuperatum. Sed timor ipſius ſalvum fecit illum, & ipſi hoc divinitus datum reſponſum promeruit: *Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur*. Nequaquam fretus viribus ſuis, gratiam precibus poſcit, & ad illum fulciendum ei gratia, quæ omnibus ſupplet, gratia ſufficiens promittitur. Fatetur imbecillitatem ſuam, & hinc fit fortis; virtus enim perficitur in imbecillitate, quam humiliter confitemur; & quidquid feceris, S. Auguſtinus ait, Deus illos tantum roborat, atque confirmat, qui cum humilitate ſuam fatentur infirmitatem. Qui e contra præſumunt in viribus ſuis, vincuntur, antequam in certamen deſcendant. Humiles ergo dumtaxat timent, ut cadant, de propriis viribus diffidunt, peccati occaſionem fugiunt, & ad preces confugiunt, quibus certo dicere poſſumus Deum fidelem futurum, neque permiſſurum, ut ſupra vires tententur, & fore ut non ſolum tentationes valeant ſuſtinere, verum etiam Deum iis gratiam largiatur inde eum fructu emergendi. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo 9.*

Tentatio laqueus eſt, quem dæmon nobis tendit.

Tentatio laqueus eſt, quem nobis diabolus tendit. Æque verſutus, & induſtrius ac nequam noſtrum quærit ingenium, naturam, & peculiarem illam propenſionem, qua illud fertur in malum, ac malum determinatum, videlicet cupiditatem in ſingulis prædominantem. Ex quo detexit ille partem arcis imbecilliorem, illic opera externa incipit demoliri, praxim pietatis, conſcientiæ religionem, accuratam vitæ ſanctimoniam, a quibuſdam objectis abſentiam, pias affectiones, verecundam modeſtiam, in minimis fidelitatem, levium noxarum metum, opera prominentia, munimenta quibus externa arcis propugnacula proteguntur. Ubi vero hæc opera corruerunt, non diu oppidum reſiſtit. Dæmon verſutus hoſtis tempori non deeſt; omnibuſque novit occaſionibus uti ad arcem capiendam. Semper in quadam bona voluntate confiditur, in antiquo gravium peccatorum horrore, & quilibet ſe ſtrenue pugnaturum pollicetur. Sed ubi debilitatum fuerit, quod valli inſtar torrenti adverſabatur, cum minutis criminibus initur familiaritas, & in majora irrumpitur ex improviſo. Diabolus eſt in inſidiis, ubi animam, ut ita dicam, inermem nanciſcitur. Expectat cujuſdam objecti præſentiam, cupiditatis impetum, cordis opportunum affectum. Tunc hoſtis in aciem deſcendit, nihil inauſum, atque intentatum relinquit, omnes exerit artes, & lethale vulnus infligit, antequam tibi caveas. O Deus, quot una die clades receptæ! quot perditi triumphi! Non deſunt quidem tumultuoſæ tentationes, & pernicioſæ; at hæ paucos fallunt. Sunt & mutæ non minus metuendæ. Sunt aliæ blandæ, & ut ita dicam, amicæ, & harum tela numquam in irritum abeunt. Vita hominum militia eſt ſuper terram; omnia plena ſunt laqueis, atque periculis. *P. Craiſet in Aſceticis Exercitationibus.*

Ipſi ſæpe ſumus nobis tentatores.

Cupiditates noſtræ nobis ſunt pernicioſiſſimi, ac potentiſſimi tentatores. Oblectamur alentes in nobis feras, quibus dilaniamur. Quoties noſtræ tranquillitatis pertæſi, funeſtas quærimus noſtrarum ſollicitudinum cauſas, & dæmoni mox acceptos refe-

rimus lapſus, quorum ipſi ſoli ſnimus auctores? Tentationem ipſam provocamus, & ultro ea laceſſimus periculorum invitamenta, quæ nobis poſita non erant. Sumptua erogantur, ut inveniantur pericula, a quibus per ætatem, & conditionem immunes eramus. Cum voluptate eos ſequimur cætus, ubi tentationes omnes collectæ ſunt; ultro, ac volentes illa quærimus ſpectacula, ubi ſcimus, omnes nequiſſimi inimici fraudes, ac dolos inveniri. Illis interſumus converſationibus, ubi ſcimus venenum eitra ſucum, ac diſſimulationem eporari. Data opera ſemiſopitus ignis excitatur, & poſt incendium in dæmonem illius cauſam rejicimua. Quænam ſatalia te urgebat neceſſitas, ut ad ſpectacula curreres, & biberes, ut ita dicam, & oculis, & auribus virus teterrimum? Na diabolum inſimules, ſed potius crudelem incuriam tuam, & nimis temerariam ſecuritatem. *Idem*.

Mortalis numquam caret tentatione. Adam hominum parens tentatua fuit; Abraham pater fidelium tentatus fuir; JESUS CHRISTUS pater prædeſtinatorum tentatus fuit, & mundus, qui per Serpentis tentationem incæpit, per Anti-Chriſti tentationem deſinet. Tentatus fuit Adam, ut inde trepidarent electi. Tentatus eſt Abraham, ut fieret obedientiæ illorum exemplar. Tentatus eſt JESUS CHRISTUS, ut eſſet victoriæ eorum principium; & fideles uſque in ſæculorum finem tentabuntur, ut coronam ſuam promereantur. Illud vero nos conſulari debet, quod numquam permittit Deus, ut ſupra vires noſtras tentemur. Job tentatua fuit moleſtiſſimis calamitatibus; ſed ſcriptura teſte, illi benedixerat Deus, præ omnibus, qui Orientales terrarum plagas incolebant. Deſtinavit Deus Moyſem ad ferendum totius Iſrael onus, ſed dederat illi mentem, quæ plurimorum ſimul ingenia ſuperabat: tantam ille gerit curam gratias ſuas viribus noſtris aptandi. *Abbas Boileau in delectis ſententiis*.

Cur permittit Deus nos tentari. Cur permittit Deus, ut Sathanas inſurgat in vos, juge bellum vobis inferat, vobis quidem, & omnibus, qui, ut Apoſtolus inquit, pie vivere volunt in Chriſto Jeſu! Ut probet cor veſtrum, ut amoris veſtri ſinceritatem cognoſcat, & periculum faciat, utrum fideliter, atque conſtanter ſitis eidem adhæſuri. Donec omnia vobis fluunt e ſententia, & omnia vos alliciunt, Deo dicitis, illum a vobis amari, eique intemeratam, æternamque fidem juratis; ſed quodnam illi vadimonium præſtare poteſtis, ut ille poſſit hujuſmodi promiſſionibus veſtris habere fidem? Num ſpondere vobis licet de earum ſinceritate, quandoquidem paullo poſt palinodiam canere videmini eum deſerentes? Leviſſima animi ægritudo, leviſſimum tædium, minimum neſcio quid repente vos in alios homines mutat. Videtat nequaquam diſplicuiſſe Deo, Sancti viri Job virtutem nullo in pretio haberi a dæmone, ſi huic illum permiſit tentare. Ne gloriemini ergo vos invictos eſſe, antequam inimicum videritis. Hominia vita juge debet eſſe bellum adverſus ſalutis inimicos: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. Job. 5. Voſmet ergo felices exiſtimate, eum Dominus vobis ſuggerit occaſionem vincendi, ſibique teſtatum faciendi amorem veſtrum. Ita Sancti omnes probati ſunt, vitamque ſuam tranſegerunt in pertinaci bello contra infernas poteſtates, & hoc pretio dumtaxat immortalitatis coronam obtinuerunt. *P. Segneri in Meditat.*

Varii modi, quibus dæmon hominem tentat. Cum vita Chriſtiani ſit jugis exercitatio tentationis, hæc ſemper illi reformidanda eſt, quoniam ab illa ubique, quocumque tempore, vi, & dolo laceſſitur. Totum terrarum orbem conſidera, nihil occurret tibi, quod non ſit tentationis materia, & neminem invenies, qui tentationem effugiat. Tentator callidus eſt, verſutuſque inimicus, qui varias præliandi rationes immutat pro ingeniorum, ſexuum, ætatum, conditionum varietate. Alios quidem impetu facto adoritur, alios per cuniculos. Hos evertit, illos concutit. Modo per animi ægritudinem, modo per gaudium obrepit. Adoleſcentiam voluptate, virilem ætatem ambitione, ſenium avaritia, & præteritarum voluptatum allicit recordatione. Arma illius ſunt mendacia, milites cupiditates, ſubditi vero mortales omnes. Nihil non ſervit illi; honor, contemptus, proſpera, & ſecunda fortuna, paupertas, opes, voluptates, dolores, doctrina, ignorantia, ſpes, deſperatio. Tentat oculos curioſitate, aures obſcænitate, linguam calumnia, detractione, contumelia; manus injuſtitia, cor amore ſimul, & odio. Denique omnia illi proſunt, omnia finibus ejus deſerviunt, omnia in æternum exitium noſtrum cedunt. *Boileau in delectis ſententiis*.

Angeli Sathanæ, qui ſuggeſtionibus ſuis nos perſequuntur, regnum ſuum conſtituunt in tenebris. Quorſum autem? quia nequaquam tales ſe oſtendant, quales ſunt. Lumen illos perſtringit; & illis affulgeat ſatis eſt, ut fugam capeſſant. Lumen autem, quod ſeductores iſti Spiritus tantopere reformidant, eſt ſapientis Directoris conſilium, cui fideliter aperis cor tuum ſine ulla exceptione; ſola tentationum tuarum confeſſio ad deſperationem adigit tentatorem. Hæc fuit plurimorum Sanctorum in dubitationibus ſuis praxis; licet ſumma præſtarent rerum aſceticarum peritia. Et vir Dei, qui dedit tibi conſilium, ipſe quidem illud ab altero viciſſim petere debet. Primum enim omnes obnoxii ſumus illuſioni in iis, quæ ad nos proprie pertinent. Secundo Salvator in iis, quæ ad nos pertinent, illuminat eos, quos in locum ſuum præficit conſcientiæ noſtræ regimini. Tertio benedicit illis, qui de propria virtute diffidunt, quod quidem faciunt ſuas infirmitates aliis aperiendo. Quarto imitamur Dei Filium, qui non dedignatus eſt aperire diſcipulis ſuis licet ignaris, ac rudibus, internas animi, quibus premebatur, anguſtias. Denique dæmon numquam nos periculoſius tentat, quam cum ſuadet, ut celemus vel per verecundiam, vel per negligentiam, vel per confidentiam in propriis luminibus, ſuggeſtiones ſuas; poſtmodum enim unus tantum ſupereſt gradus ad lapſus noſtros diſſimulandos. *P. Segneri in Meditat.*

Cur nos tentari patitur Deus. Niſi Deus coercet tentationes, quibus urgemini, id agit multiplices ob cauſas, quæ ſunt vobis perutiles. Primum enim vult, te experientia doctum fateri te factum fuiſſe fortiorem, & potentiorem inimico tuo; vult etiam hoc temperamento te tamquam in æquilibrio contineri, & mala tibi impendentia prohibere, ne propter gratiarum, quibus a Deo cumulatus es, magnitudinem intumeſcas. Permittit etiam te tentari, ut dæmon, qui dubitat adhuc, utrum ſincere abrenuntiaveris Deo, per patientiam tuam certus ſit abrenuntiationem ſuam fuiſſe veram; ad hæc Dei mens eſt, per tentationem roborari animam tuam, ac ferri inſtar rigeſcere. Denique ſinit Deus te ab hoſte oppugnari, ut inde intelligas, quantus, & quam pretioſus ſit ille theſaurus, quem credidit tibi. Quippe dæmon nequaquam te tanta vi adoriretur, niſi te ſublatum ad glorioſiorem ſtatum, quam antea, videret. Hoc illum olim irritavit contra Adam, ubi eum tanta in gloria niteſcere perſpexit, & hoc ipſum illum irritat contra Job, audientem tot laudibus illum a Domino celebrari. *D. Chryſoſtomus in Commentariis in Matthæum*.

Qui ſe temere objicit tentationi, facile ſuperatur. Samſon de hoſtibus ſuis in maximis etiam periculis victoriam reportavit, quoniam Dei juſſu illis occurrebat; ſed cupiditas, & amor inordinatus illum in eadem pericula dedit præcipitem. Samſon non eſt amplius idem, qui prius; miſer eſt, ignavus, opprobrium populi ſui, & inimicorum ludibrium. Unde nam factum eſt, quod magnis in tentationibus fortis, in levioribus nonnumquam ceſſiſti? Nonne quod priores illæ ab imperio Dei, poſteriores autem a tua cupiditate proficiſcebantur? quod illas quidem permiſerat Providentia, in hos autem te tua temeritas impulerat. *P. Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus*.

Mirum eſt, quod de ſemet narrat in Epiſtola quadam S. Hieronymus: pallidus, & jejuniis ad maciem

ciem redactus, humi cubans, non ceſſans tundere corpus ſuum, cujus oſſa vix ſibi invicem hærebant, in antro ſuo turbabatur imaginibus voluptatis, & cogebatur confugere ad gemitus, lacrymas, & clamores, ne blandis earum impreſſionibus vinceretur. Quid autem inde infert? hoc nempe. *Si autem hoc ſuſtinet, qui enecto corpore ſolis cogitationibus oppugnantur, quid patitur puella, quæ deliciis fruitur! P. la Peſſe Sermone de voluptatibus.*

Probitas noſtra magis, magiſque de ſe diffidere debet, contra illam irritatur Sathanas, & majores exerit conatus. Pietas ſublimis, vita frugi, anima ſincera ſunt indignationis & furoris ejuſdem objecta. Cum aliquem e vulgo in ſuos laqueos trahit, hanc victoriam nullo habet in pretio, & pauci hoc exemplo ſe corrumpi ſinunt; ut ſi ille præſtanti virtute virum deceperit, cujus merita omnes habent explorata, & comperta, tunc ille nequam gloriatur non ſolum, quod fortem profligaverit inimicum, ſed quia hæc victoria plurimos illi parit triumphos. *D. Chryſoſtomus in Homil. primu ad populum Antiochenum.*

In tentationibus fide utendum, ut inde vis acquiratur.

In tentationibus, quomodonam contra tot inimicorum conatus reſiſtere poterimus, contra tot, inquam, inimicorum conatus, adverſus quos nobis erit pugnandum, niſi fides nobis tulerit ſuppetias? Ad id nobis plura ſuggerit adminicula S. Paulus; illud vero, quod etiam atque etiam nobis commendat, inter cetera eſt, ut noſmet armis induamus *in omnibus ſumentes ſcutum fidei:* Epheſ. 6. Et profecto quantum fortis eſt, qui fidei auxilio ſtipatus eſt? Numquid ſenſuum voluptas nos ſollicitat? Quod frænum acerrimæ huic cupiditati cogitatio, voluptatem hanc brevi momento duraturam, numquam ceſſaturo ſupplicio puniturum iri? Numquid nobis dominatur avaritia? Heu quantum cupiditas noſtra infirmaretur, ſi cogitaremus Spiritum Sanctum fere numquam verba facere de divitiis, niſi ut nobis earum horrorem immittat, illas theſauros iniquitatis appellans, ac aſſerens Dominum væ ſuum in divites protuliſſe. Numquid nos agit ambitio, immoderatum creſcendi, ac dominandi deſiderium? Conſulamus iſtic fidem noſtram, & hæc docebit, humilitatem, & exinanitionem eſſe fundamentum dignitatis filiorum Dei. Numquid calumnia nos ad ultionem impellit? Hæc periculoſa quidem eſt tentatio; nullum enim altius, ac acerbius eſt vulnus, quam quod calumniator infligit; ſed quæ conſolatio, quod fortitudinis incrementum cogitantibus venturam diem, qua velum, quo tegitur veritas, ſcinderur, confundetur calumniator, & innocentia patebit? Numquid languoris morbus patientiam noſtram fatigat? legamus ſacras litteras, & diſcemus tribulationes non eſſe minus Dei donum, quam ad Chriſtianam Religionem vocatio; quæ conſolatio! Numquid mors nos perturbat? Morti nihil terribile ineſt intuenti illam tamquam tranſitum ad vitam meliorem; & fides poteſt efficere, ut illam ſub tali adſpectu intueamur. E contra omnis homo, qui fidem non habet, vel fide ignorat uti, ſemper infirmus eſt, & ignavus excipit omnia lethalia vulnera, quæ a ſalutis ſuæ inimicis ſibi infliguntur; adeo verum eſt in tentationibus utendum eſſe fide, ut inde fortiores evadamus. *Sermo manuſcriptus.*

Deus ideo permiſit Dæmoni tentare nos, ut nobis merendi occaſionem præberet, & dolos ejus irritos faceret. Jure de Deo conqueri poſſemus, ſi in noſtra poteſtate non eſſet reſiſtere tentationibus, & tentatoris propulſare nequitiam; verum ſi cedimus, ſi victas manus ſine prælio damus, noſtrum ſcelus eſt; num ideo privandi ſunt honore victoriæ, qui eidem reſiſtunt, atque triumphant? hæc non eſt legitima cauſa auferendi Sathanæ poteſtatem, quam illi permiſit Deus tentandi homines, quia plurimi verſutiis ejuſdem falluntur, cum multi etiam illis reſiſtant, quibus tentationes ipſæ ſunt materia triumphi. Sed æquum eſt in illos animadvertere, qui per meram ignaviam ſeſe dedunt, & præmiis afficere eos, qui ſtrenue præliantur. *Sanctus Chryſoſtomus in Opuſculis.*

Tentatio eſt occaſio merendi.

Tentationes animum noſtrum, noſtramque in Deo confidentiam confirmant; nam ubi noſmet vexatos conſpicimus ab hoſte, a quo nobis periculum imminet, feſtinamus confugere ſub illius præſidium, qui nos poteſt ab aggreſſoris tyrannide liberare. Cum pueri vident aliquid, quo perterreſiunt, inter ulnas parentum ſuarum ſeſe projiciunt: & ipſi quoque puerorum exempla ſequimur; cum ſpiritus nequam nos ſollicitat, ac terret, meliores evadimus, noſmet colligimus, multo cum fervore Dei opem imploramus. At ſi non permiſiſſet dæmoni Deus, ut homines tentaret, hi hujuſmodi merendi occaſionibus caruiſſent. *Idem.*

Si videre poſſemus prælia, & oppugnationes Dæmonum, non ægre fateremur, eos nos adducere in ſtatum calamitoſiorem illo, in quem teterrimum bellum corpora adducit; & ſi ad examen vocaremus methodum, quam hi maligni ſpiritus ſequuntur, ut nos ſeducant, fateremur, eam omnibus militaribus inſidiis verſutiorem eſſe, & periculoſiorem. Nemo adeo ſcitus, & callidus eſt, quam Dæmon in arte fallendi, ac dolos nectendi; internecino nos perſequitur odio, & jugiter ſine relaxatione infectatur. Sæviſſimorum hominum crudelitas ab illius crudelitate quam longiſſime diſtat. Prælia, quibus ſe ſe mutuo laceſſunt mortales, brevia ſunt; donec prælium ſævit, aliquot momenta ſpiritum licet capere; nox, requies, reficiendorum corporum intervalla aliquam permittunt laborum remiſſionem. Sed Sathanas nullas præbet inducias; ſi vulnerari non vis, tibimet caveas indeſinenter oportet; alterutrum eligendum eſt, vel perire, vel ſemper armatum incedere, quoniam inceſſanter nos urget; omnia momenta vigilat, ut nos fallat; ardentius nos perdere cupit, quam ipſi ſaluti noſtræ proſpicere adnitamur. Denique hoſtis eſt inviſibilis; nos adoritur, quin ſpatium det ad arma concurrendi; qui ſibi non cavent, laqueos illius nequeunt evitare. *Idem.*

Peccator injuria ſcelera ſua ſata cuipiam tribuit, quorum cauſa eſt ejuſdem ignavia.

Poſtquam alicui ceſſimus tentationi, fere hanc præteximus cauſam: non potui me tueri; mihi illecebris cedendum fuit. Sed quis dixit, non eſſe vobis reſiſtendi facultatem? Numquid experti eſtis, ut vim propulſaretis? Numquid ea in occaſione Deo cauſam veſtram commendaſtis? Opem illius imploraſtis? An ne meminiſtis quidem particulam illam Dominicæ Orationis: *Et ne nos inducas in tentationem?* Id ne cogitaſtis quidem; contra vos veſtram teſtor conſcientiam. Palam ergo falſum eſt, vos tunc pro viribus adniſos fuiſſe, quod facere poteratis ad tentationem hanc ope gratiæ ſuperandam. Nam licet non ſimus impeccabiles, immo etiam peccatis obnoxii, tamen ope gratiæ poſſumus non peccare, ſaltem mortaliter. Si vel modice Deum diligeretis, nonne ubi primum ad eum lædendum ſollicitaremini, haud hæſitanter diceretis: nolo Deum meum lædere. Sed ſi magnus eſſet veſter amor, per hujus ardorem vobis etiam videremini impares eidem lædendo, eoque in ſtatu verſaremini, in quo Joſeph pudicus, dicendi, ut ille impudicæ dominæ, ita & vos tentatori; nequaquam: Deum dominum meum offendere non valeo. Caſtiſſimo adoleſcenti ſatis non fuit dicere: nolo, non debeo facere, quod a me petis; ſed quomodo hoc facere poſſum? Hinc diſcamus, multitudinem, & magnitudinem beneficiorum, quibus a Deo cumulemur, debere non voluntatem ſolum, verum facultatem etiam adimere lædendi Deum optimum & beneficentiſſimum. *P. Antonius de S. Martino a Portu, in libro cui titulus:* Les conduites de la Grace.

Nonne poteſt nobis Deus id exprobrare, quod olim dilectæ nationi Iſrael? *Adverſatrix Iſrael, feciſti malum, & potuiſti.* Jerem. 3. Iſrael perfide! poſt tantum amorem, quo te proſecutus ſum, & cujus tot documenta recepiſti, potuiſti datam mihi fidem non præſtare? potuiſti per ſummam indi-

gnitatem me deſpicere? Idolis thus adolere potuiſti, & me tanta afficere contumelia? Adeo verum eſt, quod ingratus ille populus impotentiam invenire debebat Deum ſuum offendendi. Simili ratione cum Dæmon, caro, mundus nos ſollicitant, ut aliquid contra illius voluntatem faciamus, nos, qui gratias longe plures, majoreſque accepimus quam Iſraelitæ, omnes illorum conatus propulſare debemus, & dicere: quomodo fieri poteſt, ut laceſſam Deum, a quo tot beneficiis cumulatus ſum? Hoc facere nequeo; neque id unquam faciam. Deum meum ita diligo non ſolum, ſed amo, ut illi diſplicere non poſſim; ut illi valeam injuriam inferre, eumque tanta proſcindere contumelia, quanta eſt lethale peccatum. Conſulamus cor noſtrum: hæccine illius lingua eſt; hiccine ſenſus, & ſermo? Si ita eſt, certi eſſe poſſumus nos in dies recentibus beneficiis reſectum iri, noſque ab illo iri habitum tamquam delecti gregis ſui partem optimam, ac dilectiſſimam. *Idem*.

In tentationibus nobis confugiendum eſt ad Deum tam quam filiis ad patrem.

Caro domeſticus eſt inimicus, qui nos perdere quærit modo eo perionloſiori, quo voluptates ad id adhibitæ, nocentiores ſunt, & fallaciores. Mundus adeo potens eſt inimicus, ut vinci nequeat, niſi prius omnes divitiarum, & honorum illecebræ superentur. Dæmon inimicus eſt crudelis, & implacabilis, qui non aliud ſpirat, niſi noſtrum excidium; inimicus tantarum virium, vigilantiæ, experientiæ, calliditatis, nequitiæ, & qui eo magis nobis metuendus eſt, quo major eſt numerus animarum, quas perdit. Cum pueri, qui adhuc imbecilles ſunt, ſe ab illis oppugnari vident, quibus reſiſtere nequeunt, patris ſubſidium implorant, cum aliter emergere nequeant ex periculo, in quo reperiuntur. Illos in hoc imitari debemus, & indeſinenter clamare ad Deum: Pater ſanctiſſime, ne ſinas nos adeo potentium hoſtium viribus vinci. Tu qui nos ex nihilo eduxiſti, educ nos e periculo, in quo ſumus, & ne ſinas nos adeo frequentibus, vehementibuſque tentationibus ſuperari. *Modus recitandi Orationem Dominicam*.

Quantum nobis trepidandum eſt propter peccata a nobis olim commiſſa, tantum nobis metuendæ ſunt tentationes, quæ in poſterum efficere poſſunt, ut in recentia ſcelera incidamus. Propter hæc adeo frequentia pericula, in quibus verſamur, enixe, fidenterque Deum orare debemus, ut noſtras quidem vires augeat, inimicorum autem imminuat. Fides jubet nos credere, Deum non permiſſurum, ut ſupra vires tentemur. *Non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Ad Cor. 2. Non niſi per gratiam reſiſtere poſſumus, verum eſt; ſed hæc ſaltem ex parte Dei numquam nobis eſt defutura. Hæc nobis abunde concedetur; ſatis valida erit ad tentationem vincendam, & cum fructu vincendam, & ad inſignem inde, ſi voluerimus, quæſtum faciendum. *Faciet cum tentatione proventum*. Strenue igitur, & ſine relaxatione ſalutis noſtræ inimicis repugnemus, fortiterque illorum oppugnationibus reſiſtamus, ſcientes, ſi bene divinæ bonitatis ſubſidio uſi fuerimus, Deum nobis ſemper recentes gratias collaturum, quarum ope non ſolum animarum noſtrarum inimicos propulſabimus, ſed inſignem etiam ex illis victoriam referemus. *Ibidem*.

Confidentia in agnimento in peccatore lęviſſimis tentationibus laceſſito.

Proba me, Domine, per morbos, atque dolores; ad examen revoca omnes cordis mei motus; verum ne ſinas me ſuperari ab hoſte meo, qui tuus quoque eſt; neque permittas, ut umquam tentationibus ejus vincar. Nihil timere poſſum ab ejuſdem violentia, quippe audeo ſperare univerſa a miſericordia tua, quæ jugiter ob oculos meos obverſatur. In ipſo mortis ſinu non timebo, quoniam tu mecum es. Videbo quidem omnes meæ ſalutis inimicos adverſum me, ſed non contremiſcam; omnis quippe confidentia mea eſt in miſericordia tua; & licet me undique premant, ego tamen in umbra protectionis tuæ de illis victoriam me relaturum ſperabo. Cum Dominus mihi Salvatorem conſtituerit Unigenitum ſuum, deduxit me in arcem nullis inimicorum ictibus labefactandam, & me ſemper victorem efficiet. Sæviant ergo licet in me omnes inferorum tentationes, ſpero fore ut Dominus mihi guſtanda præbeat, & poſſidenda bona terræ viventium. Fruſtra ſperant inimici interitum meum; ſpero pro Salvatoris gloria, me in æternum in beata æternitate miſericordiæ ipſius miracula prædicaturum. *Idem*.

Non petimus tantum abs te, Domine, ut peccatorum noſtrorum remiſſionem nobis concedas; indigemus etiam gratia fortitudinis in tempus futurum, contra tentationes inimicorum ſalutis. Non petimus, ut omnino ab omni tentationis genere ſimus immunes; quidam enim ex fidelibus famulis tuis nos docet, quod *melius eſt tentari, & probari, quam non tentari*. Sed vides, Domine, magnam & imbecillitatem noſtram, & vim inimicorum noſtrorum. In hoc diſcrimine ad te confugimus; hac mente offerimus tibi adorabilem hanc victimam in ſancto Sacrificio, quæ ſe ipſam olim obtulit in Calvario. Adjuva nos Domine in adeo urgenti neceſſitate; da nobis robur, quo reſiſtere valeamus inimicis noſtris, & ne ſinas nos aliqua ipſorum tentatione ſuperari. Si providentiæ intereſt tuæ, ut inter prælia verſemur, fiat voluntas tua; verum ne permittas, ut hæc adeo terribilis inimicorum noſtrorum potentia referat de naturæ noſtræ imbecillitate triumpham, ne de nobis tandem victoriam reportent. *Idem*.

S. Auguſt. in Pſalm. 138.

Aſceticæ vitæ magiſtri egregium nobis præbent conſilium, ne dæmoni tentandi locum præbeamus; eſt autem mentem noſtram ſanctis cogitationibus replere. Verum eſt poſſe tentatorem in nos per ſenſus viam ſibi aperire; verum ſi anima invenit caute cuſtoditam, recedere tenetur, quin noceat. Ita ſtatim ubi primas periculoſi objecti impreſſiones ſentimus, mentem noſtram ad æternas veritates convertamus, quæ nos præ cæteris maxime permovere conſueverunt. Cogitemus nos quampnimum in tumulum eſſe inferendos; nobis quampnimum prodeundum eſſe ad terribile divinæ juſtitiæ tribunal. Cogitemus promiſſam juſtis mercedem, ſupplicia peccatoribus intentata. Cogitemus potiſſimum JESUM CHRISTUM pro nobis effudiſſe ſanguinem in Cruce, & dicamus illi: *Fiat*, Domine, *cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis, ut non confundar*, Pſal. 118. Ita omnia inimici tela evitabimus; ita immundo ſpiritui omnes aditus in cor noſtrum obſtruemus: *Non adjiciet ultra, ut pertranſeat per te immundus*. Iſai. 52. At enim difficile eſt, dicitis, hoc in praxim redigere. Sed hoc neceſſarium eſt ad ſalutem vel arcere dæmonem a corde veſtro, vel illi reſiſtere, ubi eum aditus occupare permiſeritis. Utrum vobis difficilius videtur? Hinc tentatio in ortu ipſo infirmior eſt, vos autem fortiores; inde vero tentatio temporis progreſſu fortior evadit, vos autem infirmiores. Num deliberandum eſt vobis? Non vultis aliquam vobis inferre vim, ut omnem tentationi aditum auferatis; poſt hæc autem oportet, ut extremam vobiſmet vim faciatis. Quænam hæc eſt cæcitas veſtra! Sequimini ergo conſilium Apoſtoli, & nolite locum dare diabolo. Hic proditor eſt, qui me conatur decipere; verbis illius aures obſtruam. Ubi longius illum perſpexero, fugiam; vel ſi oportuerit, occurram illi prohibiturus, ne ullum occupet aditum in cor meum. Verbo, non ſinam, ut progrediatur. Scio equidem, me ita omnia ſenſuum meorum oſtia tueri non poſſe, ut ſæpius in cor uſque non penetret; ſed ille cor iſtud inveniet ſanctarum cogitationum manu ita ſtipatum, ut ſatis tutum ſit contra tela ipſius. *Recens auctor*.

Noſmet ſanctis replere debemus cogitationibus animum dæmoni acceſſum ablaturi.

Nihil eſt tam difficile, quam reſiſtere dæmonibus, & ſe ſe communire contra tentationes, quibus nos laceſſunt. Nulla eſt poteſtas, quæ vi, aut aſtu poſſit cum illis comparari. *Non eſt poteſtas, quæ comparetur ei*. Job. 41. Terribiles ſunt inimici; tempore non infirmantur, ſunt immortales. Non cedunt propter imbecillitatem, vel ignorantiam.

tiam. Sunt Spiritus perſpicaces, & acutiſſimi. Numquam placantur, & irreconciliabiles ſunt inimici, æterno nos odio perſequuntur, eumque pertinaciter adhæreant peccato, fieri non poteſt, ut ſententiam, vel ingenium mutent. Terribilia ſunt prælia, quæ nobis inferunt. Agitant humores noſtros; inflammant cupiditates, quibus ſuggerunt objecta placentia. Quod vi facta nequeunt obtinere, id per calliditatem aſſequuntur. Si numquam in cor aliquod ingreſſi non ſunt, nullum non lapidem movent, ut ingrediantur. Si jam ingreſſi fuerunt, audaciſſime dicunt, quod aliquando unus ex eorum numero Filio Dei, *revertar in domum*, unde ejectus ſui; & ſi non adeo viribus pollet, *aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe*. Matth. 12. *Specimen Orationum Panegyricarum*.

Cura evitandi periculoſas occaſiones eſt neceſſaria, ut tentationibus ſuperemus.

Beatus vir, qui ſuffert tentationem, inquit Scriptura, ſed non beatus ille, qui ſeſe objicit tentationi. Mirum! Omnes ſentiunt, & fatentur, in mundo omnia laqueis plena eſſe; in ſingulos paſſus non deeſſe pericula; ſalutis noſtræ inimicum inceſſanter circuire arcem, ut omnes occaſiones in eam pervadendi arripiat. Liquet non deeſſe clandeſtina commercia, vireſque noſtras non ſatis validas eſſe. Noſtrum quilibet ait nos iter facere mari naufragiis infami; tamen quaſi nulla eſſent pericula, nullique inimici, quaſi peccandi occaſiones eſſent nullæ, quaſi infrequentes eſſent tentationes, ultro noſmet majoribus periculis objicimus. Mundani cœtus, converſationes delicatæ, profana ſpectacula, in quibus ars omnes illecebras cogit; omnia uſurpantur, ut homines ſibi virus propinent. Feſtinanter omnes ad illa feruntur, & ægre inde reverterentur, niſi ad tot fallentium objectorum adſpectum omni ſenſu carerent. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Qui Dei ſervitutem amplectitur debet ſe præparare tentationi.

Animæ, quæ magis in via ſalutis proceſſerunt, tentationibus immunes non ſunt; permittit JESUS CHRISTUS illas tentari, ut intelligamus, nemini ſperandum eſſe, te his probatum non iri. Tamen Eccleſiaſtici monitum potiſſimum iſtic ad illum dirigitur, qui recens ad Dei ſervitutem accedit: *Accedens ad ſervitutem Dei*. Eccl. 2. Dæmon enim irritatus, eo quod anima ſeſe illius imperio ſubtraxit, facere nequit, quominus graviora, & frequentiora in illam tela contorqueat: *Nuntiatum eſt Regi Ægyptiorum quod fugiſſet populus … Junxit ergo currum, & omnem populum ſuum aſſumpſit ſecum, tulitque ſexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit … & perſecutus eſt filios Iſrael*. Exod. 14. Cæterum loquitur Eccleſiaſticus de præparatione ad tentationem, quod multo magis convenit incipientibus, cum aliorum progreſſus, & uſus, quem adepti ſunt diuturnis tentationibus, ſatis oſtendat, illos jam ſatis eſſe eruditos, & ad certamen ineundum paratos. Denique addit Eccleſiaſticus: *Sta in juſtitia, & timore*; in juſtitia quidem, quia incipientes nondum ſatis conſtantes, firmique ſunt, in timore autem, quia experientiæ defectus illos gravioribus periculis objicit. *P. Segneri in meditationibus*.

Verba hæc; *Præpara animam tuam ad tentationem*: intelligenda ſunt de omnibus tentationum generibus. Credendum ne eſt, Dæmonem nullum non moturum lapidem, ut in ſua vincula retrahat eum, qui illa confregit, ut ſeſe Domino devoveret? Igitur ſi paulo ante hoc præſtitiſtis, vobis dicta putate Eccleſiaſtici verba: hæc ad vos præ cæteris pertinent. Cur, domine, infirma virtus mea tot præliis patet? Non tamen, o Deus, queror de neceſſitate, in quam me adducis præliandi, quoniam doces me dimicare, & ſi documenta hæc tua ſecutus fuero, certus ſum, me victoriam relaturum. Sed tanta eſt bonitas tua, ut mihi præliandi ſcientiam traditurus, tu ipſe præliari dignatus es, ac te euſque dimittere, ut in ſingulare certamen deſcenderes cum Dæmone. Heu! ne irritam faciam inſignem hanc bonitatem tuam; & ex pretioſis hiſce præceptionibus tuis uberem fructum capiam! Nullum Sathanas in me tenet imperium, niſi quatenus illum audire volo; verum quomodonam illum audire velim? Ille nil aliud ſua intereſſe putat, quam me in errorem inducere; oſtentabit mihi mundi gaudia, & auſteritatem pœnitentiæ; ego vero illum recedere jubebo, ac glorisbor non deeſſe mihi ducem ipſo fideliorem, ac magis perſpicacem. *P. Segneri in Meditat.*

Hoc pacto agere conſuevit Tentator adverſus eos, qui domino deſervire incipiunt in ſolitudine. Primum quidem illis ob oculos ſtatuit & naturæ eorum imbecillitatem, & ſtatus auſteritatem, in quo citra miraculum diu perſeverare non poſſunt, tamquam amicus, qui illorum vicem miſeratus ſuadeat aliquid de nimis ſevera virtute remittendum eſſe; quæ puſilli animi tentatio eſt. Si intellexerit dæmon, nos præ magno ſpiritus fervore pro nihilo habere omnes carnis cruciatus, tunc ſe in Angelum lucis immutat; ac abutens eodem fervore noſtro, ut perſuadeat, nos Deo juvante, quibuſcumque auſteritatibus futuros pares, ſuadet, ut immodicis noſmet torqueamus jejuniis, & mortificationibus vires noſtras ſuperantibus, omnibuſque pœnis, quas inordinatus fervor excogitare poteſt, ut ſuperemur pondere, quod nobiſcum partiri Deus non tenetur; eaque eſt præſumptionis tentatio. Denique ubi videt Sathanas primos donatus ſuos in irritum cedere, furere incipit, nec ultra deliteſcit. Objicit oculis noſtris univerſam Mundanorum felicitatem, voluptatem non alteri legi, quam licentiæ ſuæ obſequendi, illecebram gloriæ, qua perfruuntur, ſuavitatem vitæ ridentis, ac deliciarum plenæ, & quæ meretur, ut illam vitæ duræ, triſti, abjectæque, quam nobis elegimus, præferamus, & hæc eſt defectionis rebellio, qua impellimur, ut Domini ſervitutem deſeramus. *P. Segneri in Meditat.*

Alia tentatoris adverſaria eſt noſtram nobis ob oculos ſtatuere imbecillitatem, ut a virtutis praxi deterreat.

Nobis vero quid faciendum eſt, ut cognoſcamus contra quos ictus noſmet præparare debeamus? Nobis perſuaſum eſſe debet, Dæmonis ſcopum eſſe nos dare præcipites in nequiſſima ſcelera; & hanc illius eſſe methodum ſenſim, ac ſine ſenſu in eadem impellere. Primæ illius ſuggeſtiones imitantur imperatoris artes, qui arcis præfectum ad deditionem faciendam ſtudet illicere. Poſtremæ autem ſimiles ſunt clamoribus exercitus univerſi, qui diſtrictis enſibus ad oppidi ruit oppugnationem. Enitus noſmet præparemus ad prælium, & diligenter ſcrutemur, quonam ordine, & progreſſu eſt inferendum. *Idem*.

Animadvertendum nobis eſt, tentatorem, ut nos a Dei ſervitute divellat, bona quidem, non autem ſæculi mala nobis oſtendere; voluptates, non amaritudines; honores, non dedecora, roſas, non ſpinas. Ita ille jactat quidquid nos allicere poteſt, oculis vero, quidquid poteſt nos deterrere. Oſtendit Sathanas Jeſu Chriſto omnia mundi regna, omnemque illius gloriam, non autem ærumnas, atque miſerias. Multa promittit Sathanas ſed deeſt illi arbitrium eorum bonorum, quorum ſpem facit; ejuſque promiſſiones totidem ſunt mendacia, ipſo digniſſima. Non ergo aliud meretur reſponſum, quam hoc: *Vade retro Sathana*. *Idem*.

Modus quo dæmon tentavit Dominum, oſtendit dolos quibus utitur nos tentaturus.

Prima præparatio, qua tyrones uti debent in ſpiritualibus præliis, eſt edoceri vias, quas tentator ingreditur illos in peculiari ipſorum ſtatu oppugnaturus. Verum quæ ſchola melius hac de re nos erudire poteſt, quam illa deſerti, quam elegit Jeſus Chriſtus, ut ibi in aciem deſcenderet, ſi hoc uti verbo licet! Illic Dæmon tentare auſus eſt Salvatorem, ſciens hunc recentem eſſe Athletam, qui nuperrime fuerat ſecus Jordanis oram baptizatus, & quem primi pœnitentiæ fervores adduxerant in ſolitudinem. Spiritus ergo nequam erga hunc ſe geſſit eo pacto, quo contra tyrones omnes ſe gerit: videlicet illi re adhuc integra leve tantum propoſuit malum, mox gravius, deinde vero omnium peccatorum graviſſimum. Vidit Jeſum Chriſtum diuturno jejunio collecta fame laborantem; inde occaſionem arripuit hortandi, ut ſibi panem compararet, quæ levis noxa videtur: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant*. Matth. 4. Victus, ſuperatuſque dæmon hoc primo congreſſu, quo ſenſus tantummodo oppugnarat, Jeſum Chriſtum ad præſumptionis crimen conatur inducere, ſuadens ut de tem-

pli vertico ſe ipſum demittat io præceps de ſummo Templi faſtigio, hoc facto palam facturus, quantum in cœleſti ope confideret: *Si filius Dei es, mitte te deorſum.* Sathanas hoc quoque certamine propulſatus tandem perſonam abjicit, & vi facta Jeſum Chriſtum adoritur. Offert illi Mundi totius imperium, ſi procumbens coram ſe, ipſum tamquam numen adoraverit: *hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Idem.*

In tentatione Dæmon re adhuc integra ſe ſe gerit tamquam hominem alienorum malorum miſertum; mox ſe in lucis Angelum mutat, malum ſuadens non ſine ipſius Scripturæ auctoritate, quam perperam interpretatur. Denique fallaces luminis ejuſdem radii evaneſcunt, & aperit quid reapſe ille ſit. Malum, quod ſuadet, adeo manifeſtum eſt, ut Jeſus Chriſtus illum Sathanam vocet, & robore ſoffuſum recedere jubeat. Congreſſus primus fuit puſillanimitatis tentatio; quaſi deeſſet Salvatori ratio poſt diutinum jejunium panem ſibi comparandi, niſi lapides in panes converteret. Alter fuit præſumptionis tentatio, quaſi Dominus opem ſuam fuiſſet pollicitus iis, qui ſcientes, ac volentes in graviſſima ſe conjiciunt pericula. Tertius autem fuit nequiſſimæ rebellionis tentatio; quaſi regnaturo liceret omnia ſua, deque habere, divinas, humanaſque leges conculcare, & ad Sathanæ miniſterium confugere ad votorum ſummam aſſequendam. *P. Segaeri in Meditat.*

Verſutia dæmonis ſtruentis inſidias.

Dæmon ſuos laqueos abſcondit, & in omnibus locis nobis tendit illos, ut prævidere nequeamus, ubi nos præſtoletur. Sed quid inde nobis inferendum eſt? Vigilantiam noſtram jugem eſſe debere, & infatigabilem contra hoſtem, qui nunquam delaſſatur, & qui ubique invenitur; *Circuit quærens.* Quemadmodum imperator ſtatim arcem cognoſcere ſtudet, omniaque ſcrutatur opera externa, ut illam, qua infirmior eſt, aggrediatur; ita dæmon nos introſpicit, ut noſtram deprehendat infirmitatem, & illac vim faciat: *Obſervabit peccator juſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.* Pſal. 36. Hinc inferamus, quod ſi vigilare tenemur, & omnes cordis noſtri aditus tueri; diligentia noſtra duplo major eſſe debet, ubi major eſt infirmitas noſtra; nam illac præſertim nos perdere molitur inimicus: *Circuit quærens.* Denique tamquam ſicarius, qui deſperat ſe perfodere poſſe domum illius, cui cædem inferre meditatur, expectat momentum, quo ille domo pedem efferat, ut lethali vulnere illum confodiat; ita dæmon, ut e voto ſibi ſua cedat oppugnatio, tempus opperitur, quo ex temet egrediaris, quo te objectis exterioribus tradas, quo pietatis praxim deſeras, ut omni ſummoto obice & cuſtodiis ſuis, & tua utatur incuria, repente irruat in te, *ſicut leo paratus ad prædam.* Pſalm. 16. Hinc arguamus, quanam opus nobis ſit cura, ne aliquod pietatis prætermittamus officium, quod ſemel nobiſmet præſcripſerimus. Alioquin nequaquam elabemur ex manibus inimici, qui ſemper intentus eſt, ut ex minimis negligentiis noſtris proficiat. *Idem.*

Quomodo ſeſe gerere debeat Chriſtianus cum ſalutis inimico tentatur.

Si culpa tua, vel aliter acciderit, ut dæmon repente irruat in te, cave, ne te victum putes. Optimum, ut tutiſſimum quidem eſt illius impetum, furoremque prævertere; veruntamen cum ille nos aggreditur imparatos, adhuc tempus eſt illum feliciter propulſandi. Dæmon ſane nullam in nos habet poteſtatem, niſi hanc illi præbuerimus, & hoc innuit Princeps Apoſtolorum nos admonens, ut illum propulſaturi ad arma fidei confugiamus: *Cui reſiſtite fortes in fide.* Eo igitur temporis momento, quo te ab hoſte premi cognoſcis, in mentem revoca omnia fidei noſtræ placita, quæ doctus fuiſti. *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* 1. Joan. 5. Tunc memento veram in hoc mundo gloriam eſſe humilitatem; veram felicitatem eſſe adverſitatem, veras opes paupertatem, veram ſcientiam ſcire guſtare divina: nihil in terra utilius, vel magis neceſſarium eſſe, ſalute animæ tuæ. Verbo, ubi prælii tempus acceſſerit, arma te ipſum veritate, quæ magis opponitur tentationi, quæ te ſollicitum habet. Revoca te ipſum per fidem, ac minas, quæ intentatæ ſunt tibi, ſi victus fueris, nec non per remunerationem tibi promiſſam, ſi viceris. *P. Segaeri in Meditat.*

Primæ tentationes, quæ a nobis ſuperandæ ſunt, radicem ſuam habent in ipſa cupiditate, quæ nos a bono deflectere, & in malum pertrahere non ceſſat: *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus.* Jacob. 1. Aliæ vero originem habent in objectis exterioribus, quæ nobis exhibet mundus, qui cum ipſa conjurat cupiditate, ut nos a bono deterreat, & in vitium inducat. Concupiſcentia nos tentat illecebris ſuis, quemadmodum Samſonem Dalila. Mundus & illecebris, & injuriis nos tentat, uti Saul Davidem. Sed hi tentatores, quantumvis terribiles, minus eſſent metuendi, niſi infernus, ac Sathanas cum illis ſocia arma conjungerent. Hic in nos excitat concupiſcentiam, eique fert opem, ut mentem decipiat, ac fallat. Hic nobis mundi illecebras exaggerat, vel mundum animat ad magis torquendam virtutem, ut olim agitabat Saulem, ac inflammabat, ut Davidem perſequeretur. *Exagitabat eum Spiritus nequam* 1. Reg. *P. Segaeri in Meditat.*

Dæmon ſuſcitat carnem & mundum contra nos.

Tamen dæmon ex ſe, proprie loquendo nihil poteſt; hoc unum licet illi, nempe contra nos duos infeſtiſſimos saluti noſtræ inimicos, mundum, & carnem ſuſcitare. Itaque curarum noſtrarum prima eſſe debet, noſmet adverſus carnem tueri; bellum quippe quod in nos ciet, bellum eſt inteſtinum, cujus ſemina in nobis metipſis gerimus, bellum, quod non niſi per corporis, animæque ſeparationem poteſt deſinere. Deinde advertendum eſt, ut nobis met caveamus a mundo, quippe inimicus eſt, quo circum undique premimur. Quamcumque in partem noſmet convertamus, ſeſe nobis offert, in prælium vocat, petit, & in ipſa etiam ſolitudine, in deſerto, in iis locis, ubi cognoſcitur, ut omnes execrentur illum, nos ibi perſequitur. Si duorum horum inimicorum arma, & dolos evitare noverimus, facilem de dæmone triumphum referemus, qui omnes ab illis vires mutuatur, & qui eorum illiciis utitur. Foveo in corde meo cupiditatem, ſubdolum hoſtem, qui non niſi blandimentis me petit: Mundus circum undique ſuas jactat illecebras, ut me ſeducat; dæmon inceſſanter duos hoſce inimicos acuit, ab illis mutuatur arma, ut mihi bellum inferat, contra quem ex tribus hiſce inimicis vires meas convertere debeo? Dæmon non alias habet vires, niſi quas a mundo, & cupiditate mutuatur. Mundus ipſe ad me fallendum non alias habet illecebras præter eas, quas per cupiditatem mihi videor in illo invenire. Ergo contra hunc domeſticum inimicum conſtantius, atque diligentius bellum eſt inferendum. Mihi in præliis adeo pertinacibus, ac periculoſis opem fer Domine. Inimici mei ſimul aſtum, ac vim adhibent, qua præcautione utendum eſt mihi ad eorum evitandas inſidias? Qua animi firmitate, & conſtantia conatibus eorum obnitar? *P. Segneri in Medit.*

A tentationibus immunes eſſe non poſſumus.

Fieri nequaquam poteſt, ut in hoc mundo a quacumque tentatione ſimus immunes: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Jacob. a. Imo neque intereſt noſtra, omnino ab illa immunes eſſe; utiles quippe nobis ſunt tentationes noſtræ, modo iiſdem uti ſciamus: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Jacob. 1. Denique non eſt æquum, ut ipſi ab omni tentatione ſimus immunes; hoc enim eſſet coronari velle, quin antea vicerimus. *Hoc pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur.* Tob. 3. Ideoque cœleſtem Patrem oramus, non ne tentemur, ſed ne adeo violenter tentemur, ut tentationum vi reſiſtere nequeamus. *Et ne nos inducas in tentationem.* Neque ideo exiſtimandum eſt, quod Deus re ipſa violentis nos objiciat tentationibus, ſed ille permittere poteſt, ut nobis accidant, & ſinere poteſt, ut illæ in nobis eam efficiant impreſſionem, quam ſuapte natura poſſunt efficere. *In-*

Digitized by Google

duxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro: impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Pſalm. 65. Quæ omnia ſignificant, Iſraelitas, permittente Deo, tot malis obrutos fuiſſe, quæ vix, & ne vix quidem à natura poterant ſuperari. Quod ad nos pertinet, oratio, quam hic fundimus Domino, duo continet. Primum quidem generatim petimus vim, ne umquam tentationi præbeamus aſſenſum, & hoc pacto Deum oramus, ut nos ab omni malo præſervet. Secundo peculiariter rogamus, ne iis probemur tentationibus, quibus certiſſime ſemper vinceremur, & hac ratione non ſolum Deo noſtram fatemur infirmitatem, ſed etiam teſtamur ſincerum, in quo ſumus, deſiderium nequaquam in odium illius incurrendi. Non equidem abs te peto, Deus meus, ut omnes a me procul ſummoveas tentationes; non ſine miraculo ab omnibus immunis eſſe poſſem; immo utile eſt etiam homini Chriſtiano illis eſſe obnoxium; ad eam enim anhelat coronam, illis tantum promiſſam, qui legitime certaverint. Huc igitur rogo, ut in ea, in qua poſitus ſum pugnandi neceſſitate, non ſinas me vinci, ſed ita tentationes meæ imbecillitati, opem tuam numero, ac robori inimicorum meorum accommodes, ut ſemper e certamine victor diſcedam. *P. Segneri in Medit.*

Media ad tentationem evitandam. Apoſtolus nos hortatus, ut nolimus *locum dare diabolo*, ſatis oſtendit in noſtra poteſtate ſitum eſſe, hunc illi detrectare. Hinc videmus ad tentationem ſuperandam, ſatis eſſe velle, & dicere dæmoni: Tu quidem ingredi vis in cor meum; ego autem nolo. Quis adeo inſipiens eſt, qui patiatur, ſotem, leonem furentem, Draconem virus, tabemque exhalantem ingredi domum ſuam, cum illos poſſit ſummovere? Ad ſolum horum monſtrorum adſpectum, quis licet eminus illa proſpiceret, alienam opem non appellaret. Vos autem ultro dæmoni aditum præbebitis, qui unus longe terribilior eſt, quam omnia bruta ferociſſima, omneſque crudeliſſimi homines ſimul in veſtram perniciem collecti? *P. Segneri in Meditat.*

Quid proprie ſit dare locum diabolo. Quinam proprie illi ſunt, qui dant locum diabolo? Illine ſunt, qui omnes eidem aperiunt aditus, ut in cor ipſorum ingrediatur? Nequaquam; Peccatores id genus non ſolum omnibus inimici conſiliis favent; verum illum in arcem introducunt, & ejuſdem imperium ei conſervant. Dare locum diabolo eſt, illi infirmum aliquem locum relinquere, qua poſſit in cor noſtrum obrepere; ſibi non cavere ab inſidiis illius, ejuſque ſuggeſtionibus autem præbere. Ita agunt inertes homines, quos nulla re non occupatos omnia diſtinent; animæ diſſipatæ, quarum ſenſus ſemper patentes facile admittunt obvia quævis objecta; inquieti ſpiritus, quibus ſemper aliqua re perturbantur, ſemperque aliqua laborant indignatione, odio, ægritudine vel contra alios, vel contra ſe ipſos. Omnes iſtæ affectiones dæmoni favent; hoc illi opportunum tempus eſt, quo ad nos tentandos accedat. Tunc blandiri incipit illud probaturus ſtudium, quo proni ferimur in malum: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi?* Gen. 3. Neque enim ſperat futurum, ut re adhuc integra ſibi cor noſtrum aperiamus; aliquem dumtaxat aditum in illud ſibi aperire contendit. Væ nobis, ſi dæmoni parum illud, quod petit, permiſerimus; gradatim progreditur ea mente, ut poſtmodum penitus in cor ipſum viam ſibi faciat. Primum quidem illi ſcire ſatis eſt, cur Deus nobis hoc, vel illud præceperit: *Cur præcepit?* Mox hoc præceptum imminuit; deinde illud condemnat, ac tandem ad idem contemnendum inducit: *ingreditur blande, ſed in noviſſimo mordebit, ut coluber.* Prov. 23. *P. Segneri in Meditat.*

Tentationi ergo reſiſtite, eique reſiſtite ab initio, videlicet ſimul ac tentationem eſſe cognoſcitis. Neque enim ſatis eſt conſenſum negare tentatori, opus eſt etiam, ut Apoſtolus præcipit, nullum eidem acceſſum præbere: *Nolite locum dare diabolo.* Vobis metipſis invigilate, & fatebimini, ſi vos diabolus tentat, hoc ut plurimum culpa veſtra accidere, quippe incuria, & ignavia illi vos tentandi locum præbet. Quis magis irreconciliabilis, quis magis veteratus mihi inimicus eſt dæmone? Et nihilo ſecius opus mihi curtationibus eſt, ut mihi invigilem, ut caveam mihi! Hæc cæcitas eſt incredibilis, qua in eo, quod vere, & unice intereſt mea, nihil video. Spero fortaſſe, me prohibere poſſe, quominus corde meo potiatur. Et jure, dummodo illa præcaveam, quæ ad periculum evitandum ſunt neceſſaria, ſimulque nihil prætermittam, ut me ad vires hoſtium propulſandas diſponam. At id ne jure ſperem, cum per temeritatem omne periculum contempſero? *P. Segneri in Medit.*

Deus non concedit peculiaria gratias iis, qui ſe objiciunt tentationi. Quænam noſtra eſſet ſtultitia, ſi in inimicorum noſtrorum laqueos ultro incideremus, qui diligentiſſime nobis ſunt evitandi? *Numquid cadet avis in laqueum terræ abſque aucupe?* Amos 3. Hoc tamen ipſi ultro facimus, cum quin tentemur, & inimici nos in laqueos ſuos pellicere ſtudeant, noſmet in manus eorum projicimus. At ſciamus nos tunc fruſtra cœleſtem orare patrem his verbis: *Ne nos inducas in tentationem.* Nonne hoc eſt quodammodo inſultare Deo, cum ab eo petimus, ut nos ſervet, ſi tempore eodem ultro ad peccandum prolabimur? Oratio procul dubio nobis divinam procurat opem iis in occaſionibus, quæ præter voluntatem noſtram accidunt nobis, & quas evitare non licet, non autem in illis, in quas per curioſitatem, libidinem, ignaviam incidimus. Qui *immiſit in rete pedes ſuos ... tenebitur planta illius laqueo.* Job. 18. Qui provocat colubrum, ac leonem, nonne meretur, ut nemo illius miſereatur? *Quis miſerebitur incantatori a ſerpente percuſſo, & omnibus, qui appropiant beſtiis.* Ipſi inimicos provocamus, & volumus Deum miſertum noſtri ictus nobis intentatos avertere. Quandonam igitur Deus orationem noſtram exaudit, licet nos metipſos in periculoſam occaſionem ingeſſerimus? Tunc videlicet, cum ſtatus noſtri officia, obedientia ſuperiori debita, vel lex charitatis noſmet illi objicere jubent. Cum Judith zelo animata libertatis patriæ ſuæ convenit voluptuoſum Holophernem in illius tabernaculo, fidenter quidem dicere poteſt Domino: *Da mihi in animo conſtantiam, ut contemnam illum, & virtutem, ut evertam illum.* Judith 9. Præter id genus circumſtantias, ne ſperemus, Deum nobis opem laturum in periculis, quæ prævidimus, & conquiſivimus. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Eccl. 3. Hoc eſſet ab illo miracula flagitare hac una de cauſa, ut tuto nobis liceret cupiditatibus noſtris ſatisfacere, ut verbo dicam; hoc eſſet illum tentare, non autem orare, ne nos in tentationem inducat: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Matth. 4. Quamcumque curam adhibeamus tentationes noſtras ſuperandi, meminerimus inceſſanter dicere Domino. *Ne nos inducas in tentationem.* Niſi Cœleſtis Pater nobis opem ferret, quid omnes curæ noſtræ valerent? Quacumque utamur ſedulitate, periculum eſt, ut in ſingula momenta in nos ſexcentæ ſæviant procellæ æque inopinatæ, ac furentes. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Marc. 14. Vigilate, quia Deus ſine vobis ſalutem veſtram non operabitur: Orate, quia ſi deſit auxilium Dei, irrito conatu ſalutem veſtram operabimini. *P. Segneri in Medit.*

Quid ſit proprie tentatio, & in quo conſiſtat. Nos ex nobis adeo ſumus infirmi, ac tanta difficultate noſmet tueri poſſumus ab omnibus periculis, quæ ab hac vita ſeparari non poſſunt, ut extrema ſtultitia vocari poſſit temeritas noſtram objiciendi imbecillitatem tot caſibus, qui occurrunt, & adeo imprudenter impingendi in vaſa fragilia, quæ ad leviſſimum quemlibet ictum in ſexcenta fruſta diſſiliunt. Dei Filius præcipit, ut noſtrum eruamus oculum, ubi nobis ſcandali occaſionem præbuerit. Quid ſibi vult, oculum eruere? Jubemur ea abrenuntiare, quæ nobis ſunt chariſſima, cum nos in peccatum impellunt. Quid reſpondit Salvator dæmoni in deſerto tentanti? *Non tentabis*

TIMOR DEI;

JUSTITIÆ, JUDICIORUM EJUS, &c.

MONITUM.

MIRUM profecto eſt, adeo infrequenter de ſuggeſtu argumentum hoc pertractari, quamvis non aliud eſt, de quo ſæpius Biblia, Patreſque loquantur & alioquin aptiſſimum eſt ad vehementem in animis peccatorum impreſſionem efficiendam. Hoc inde fortaſſe contigit, quia nimis late patere creditum eſt, & quod quæcumque cauſa, quæ hunc nobis incutere timorem debet, peculiare eſſe poteſt concionis, vel exhortationis argumentum. Verum hoc ipſum dici poſſet de pœnitentia, de mortali peccato, de amore Dei, deque aliis pluribus id genus argumentis plures partes, vel plura habentibus membra, quod tamen non obeſt, quominus generatim poſſint conſiderari. Ita quamvis Dei timor eligi poſſit pro totius Adventus argumento, cauſas, effectus, & conditiones illius ſejungendo, ſinguliſque integræ concionis magnitudinem tribuendo; illum tamen in ſe ipſo iſtic conſiderabimus; cumque omnino ſeparari nequeat a cauſis illum cientibus, effectibuſque inde exiſtentibus, hæc tamen indigitare ſufficiet.

Animadvertendum dumtaxat eſt, cum Dei timor juſtis æque, & peccatoribus ſit neceſſarius, cavendum eſſe, ne eo procedamus, ut illi quidem de divina miſericordia diffidant, hi vero decidant in deſperationem. Quapropter aliquid ſemper divinæ bonitatis immiſcendum eſt graviſſimis effectibus juſtitiæ, quos oſtendere oportet veluti minas, quæ metuendæ ſunt, ut evitentur.

Quod ſpectat ad ordinem, modumque argumenti hujus pertractandi, operæ pretium eſt Dei probare providentiam in juſtitiæ ipſius ſeveritate, ac ſuppliciis, quæ in plurimos peccatores in hac vita exercet, & quæ in altera exercebit in reprobos; atque in hoc potiſſimum immorari, quod admonitus peccator habet adhuc modum, & otium ſibi proſpiciendi, atque ſuæ tantum ſuccenſere poteſt improbitati, ſi in caput ſuum tantum detrahat mali, quod parum adeo veritus eſt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti ſtructuræ.

I. TImor in humana vita cauſa eſt ſecuritatis: in politicis mater eſt prudentiæ; in Ethicis affectus eſt, qui bonos, maloſque gignere poteſt effectus, ſed in chriſtiana religione eſt initium Sapientiæ. Salvator ipſe docuit, quid metuendum ſit, dicens: *Ne terreamini ab iis, qui occidunt corpus, &c.* Matth. 10. *timete autem eum, qui poſt quam occiderit corpus, poteſt animam mittere in gehennam.* Luc. 12. Hinc arripi occaſio poteſt duplicem hanc pro concionis argumento propoſitionem ſtatuendi, quarum altera eſt, homines timendos non eſſe, ubi de bono operando agitur: altera vero Dei timorem ob oculos ſemper habendum, ne operemur malum.

Pro priori: ſequentes adferri poſſunt propoſitiones; quia 1. Deus noſtræ invigilat incolumitati, & in clientelam ſuam recipit, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: itaut nihil nobis officere valeat, niſi ille permittat, qui ubi nos affici contumeliis permittit, hoc ſemper ad majorem noſtram permittit utilitatem. 2. Quia quidquid nocere homines poſſunt, quacumque in nos rabie acti ſint, ad corpus tantum extenditur, quod quidquid paſſum fuerit, Deus illud reparabit, idque eo perfectius, quo graviora mala fuerit perpeſſum. 3. Quia Deo fidem interpoſito jurejurando polliciti ſumus, atque eidem operam, ac ſervitutem noſtram devovimus, quemcumque vitæ ſtatum ſimus amplexi. Unde ſequitur, quod ſicuti miles, qui præ hoſtium terrore loco cederet, & fugam corriperet, ignaviæ nota inurendus eſſet; ita cum, quatenus Chriſtiani, Dei mereamur ſtipendia, & ſub vexillis illius decertemus, nullus hominum timor efficere debet, ut ab illius ſervitute recedamus.

Pro altera: Deum metuere debemus, & hic timor altius in corde noſtro eſſe debet impreſſus; poſtquam enim animam a corpore avulſerit, poteſt corpus ſimul, animamque perdere, ac utraque in malorum abyſſum deturbare. Ita, & juſtitia mortalium quantumvis illa terribilis, atque ſevera ſit, tres ſemper habet defectus, qui ab illa ſeparari non poſſunt. 1. Non novit ſcelera omnia, quæ patrantur, & potior pars eam fallit, & fugit. 2. Nonnunquam noxam agnoſcit, ſed noxium ignorat; & ſæpe innocentes ſuppliciis afficit, cum interim nocentes eadem ſpectarent ſupplicia, judicumque ignorantiam irriderent. 3. Juſtitia hæc arctiſſimis circumſcripta cancellis eſt, ejuſque poteſtas longius ſe nequit extendere, quandoquidem regni fines minime prætergreditur, & nocens judicem eludere poteſt in principis alterius ſe ditionem recipiens. 4. Judices corrumpi poſſunt, & ſæpe aliqui pecunia legum ſeveritatem demulcent. Sed juſtitia Dei omnia novit, nihil eam latet: quocumque extenditur, & peccatorem, quacumque in terrarum plaga deliteſcat, perſequitur. *Quo ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? ... Si deſcendero in infernum, ades.* Pſalm. 138. Denique juſtitia divina corrumpi nequit, &c.

II. Tres perfectiones, quæ in Deo infinitæ ſunt, ſanctum illius timorem hominibus inſpirare debent, hoſque deterrere, ne eum lædant.

1. Altitudo majeſtatis ejus, quæ efficit, ut cœli columnæ contremiſcant, ut loquitur Scriptura, & Angelos, Beatos, Dæmoneſque formidine replet.

2. Profunditas judiciorum ejus, quæ nobis ignota ſunt, quin noverimus, quænam futura ſit ſors, ſtatumque noſtrum in omnem æternitatem.

3. Extenſio poteſtatis ejus, quæ regum poteſtatem toto ſuperat cœlo.

III. Pro argumento deſumi poteſt utilitas, quam Dei timor adfert. 2. Et hujus acquirendi rationes.

1. Utilitas ad tria potiſſimum capita redigitur. 1. Quod plures animas ſervat in innocentia, quam per baptiſmum obtinuerunt, illis peccati horrorem, ac metum inſpirans. 2. Quod felicem videtur peccatori vim facere illum vehementer urgens, ut ad Deum celeri, perfectaque redeat converſio-

verſiona. 3. Quod animus ſua augmentum circumſpectionis poſt ipſum inſpirat, ubi noſmet collegimus. Tunc periculum melius cognoſcitur, ac terror, qui perſeverat, efficit, ut nobiſmet diligentius invigilemus.

Modi illius acquirendi ſunt tres, qui peti poſſunt a S. Bernardo eos tamquam omnium efficaciſſimos ſuggerente. 1. Cognitio noſtrummet ipſorum, infirmitatis, noſtræque in bono inconſtantiæ. 2. Dei præſentia. 3. Seria noviſſimorum meditatio.

IV. Dei timor utilis eſt, & neceſſarius.

1. Ad præteritum bono, ſinceraque pœnitentia reparandum. Tot commiſſa peccata, tot in Dei ſervitute infidelitates, quæ nobis divinæ juſtitiæ timorem debeat incutere, efficere debent, ut illi ſatisfaciamus, dum tempus, & ratio ſuppetunt.

2. Ad præſens regendum metuentibus rationem aliquando a nobis de ſingulis actionibus reddendam.

3. Ad futurum proſpiciendum; ultoris quippe Dei timor efficit, ut juſtitiæ illius ſeveritatem, & pœnas criminibus noſtris debitas prævertamus.

V. Quæ a nobis potiſſimum timenda ſint.

1. Id, quod ſupra nos eſt, Deum videlicet inexorabilem judicem, juſtum vindicem, ſupremum, & omnipotentem; cujus ſola ſufficit voluntas, ut quæcumque vult exequatur, & cui nemo reſiſtere poteſt.

2. Quod ſub nobis eſt; infernum ſcilicet, pœnarum æternitatem, & abyſſum malorum, in quam ne ſingulis momentis præcipue ruamus, periclitamur.

3. Quod circa nos, & in nobis eſt, terribiles hoſtes; carnem, mundum, & dæmonem, qui indeſinenter nos in ſalutis diſcrimen adducunt.

VI. Oſtendi poteſt metuenti Deum nihil eſſe metuendum.

1. In hac vita, ubi in clientela Dei eſt, qui tuetur illum, & efficit, ut omnia ad majorem illius fluant utilitatem.

2. In morte, quia innocens anteacta vita mortem exarmat, qui ſolus eſt hoſtis præſens tum temporis metuendus, & qui pro illo nihil terroris habet.

3. Poſt mortem, quia ſemper filialem aluit timorem, huic nihil niſi remunerationes expectandæ ſunt.

VII. Pro diviſione aſſumi poteſt hic S. Chryſoſtomi locus ſermonis de S. Joanne Baptiſta: *Solus eſt Dei timor, qui fugat crimina, innocentiam ſervat, omnis boni tribuit facultatem.*

1. Nihil certius eſt, quam quod timor hic prohibet, ne in peccatum labamur.

2. Innocentiam tueatur.

3. Efficiatque ut omnia opera bona exerceamus.

VIII. 1. Divinæ juſtitiæ timor cum confidentia in miſericordia illius conjungendus eſt, ne aliqua præſumptione efferamur.

2. Confidentia hæc numquam ab eodem metu ſejungenda eſt, ne labamur in deſperationem.

IX. Dei timor peccatori propter tria neceſſarius eſt.

1. Ut ſalutem ſuam incipiat; hic enim præ cæteris efficit, ut peccatum relinquat.

2. Ut juſtificatus ſalutem ſuam proſequatur, eique impenſius proſpiciat: nihil enim melius nos admonet, urgetque, ut acceptæ gratiæ cooperemur, alioquin quamprimum lapſuri.

3. Ut illam per finalem perſeverantiam, cujus certiſſimum pignus eſt timor hic ſalutaris, perficiat.

X. Juſtis, & peccatoribus par adeſt metuendi cauſa.

Juſtis; neſciunt enim. 1. Utrum amore, an odio ſint digni, utrum in gratiæ, vel peccati ſtatu ſint. 2. Utrum opera ſua ſatis plena ſint ad cœli gloriam promerendam. 3. Utrum perſeveraturi ſint, & in ſtatu gratiæ morituri.

Peccatoribus, quia nihilo his de rebus certiores ſunt. 1. Utrum veram umquam fecerint, aut facturi ſint pœnitentiam. 2. Utrum ex eorum erint numero, qui propter infidelitatem indurantur, & deſeruntur a Deo, an jam fortaſſe indurati ſint. 3. Utrum tandem ſint reprobandi, & qua ratione id fiat. Hic unus juſtus, & rationabilis timor, propter quem viri boni contremiſcere debeat, efficere quoque debet, ut peccator ſibi proſpiciat.

1. Dei timor præſentiſſimum eſt contra mala omnia, peccata videlicet, antidotum. XI.

2. Bonorum omnium fons eſt pro hac, alteraque vita.

Quamquam Deus in nos magis miſericors fuerit, quam in alios plurimos, quibus gratias eaſdem minime largitus eſt; tantum abeſt, quod in hoc confidere, vel in futurum inde præſumere debeamus, ut potius juſtiſſimum inde timoris argumentum nobis hauriendum ſit. XII.

1. Quin major eſt infidelitas noſtra, ſi poſt hæc illum læſerimus.

2. Juſtitia illius magis erit inexorabilis.

3. Supplicia toto cœlo graviora.

1. Si metuendus eſt Deus propter manifeſta, & ſevera ſupplicia, quæ ſubinde in peccatores, urbes, integraſque nationes exercuit: non minus timendus eſt propter ſecreta ſupplicia, quæ in eos exercet quotidie ſubtractione gratiarum, protectionis, & beneficiorum ſuorum, quibus illos in hac ipſa vita privat. XIII.

2. Si metuendum eſt propter terribile judicium, quod aliquando habiturus eſt ſeu de peccatoribus omnibus generatim, ſeu de ſingulis particulariter: non minus timendus eſt propter occulta judicia, quæ de illorum adhuc viventium actionibus facit præcoci reprobatione, cujus effectus efficit, ut ia anteceſſum jam experiantur.

1. Deus amari non poteſt, uti opus eſt, & uti a nobis exigit, niſi eum timore filiali, qui proprius eſt filiorum Dei, metuamus. XIV.

2. Quicumque illum vere timet, licet minus perfecte, eumdem quamprimum amabit.

Juſtus in peccatum labitur modo propterea quod de ſe bene ſentit, quæ res illi quamdam ſtatus ſui certitudinem tribuit, modo propter teporem, qui effecit, ut vel minus caute peccatum evitaret, vel ſua officia negligeret. Sed Dei timor præſtat, ut uterque hic ſcopulus toto evitetur, quin efficaciſſimus eſt. XV.

1. Ad nos in humilitatis ſenſu continendos.

2. Ad nos in chriſtiana vigilantia exercendos.

Ex Abbate de Monmorel tom. 4. ſermone pro Dominica 24. poſt Pentecoſten.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, auctoreſque, unde hauriri poteſt copia ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

S. AUguſtinus in Pſal. 63. oſtendit, quinam ſit bonus timor, quinam malus. Sancti Patres.

Idem in Pſal. 127. oſtendit, quid intercedat diſcriminis inter ſervilem, & filialem timorem; quod ipſum docet tract. 9. in primam S. Joannis Epiſtol.

Idem in Pſal. 118. hæc explicans verba; *confige timore tuo carnes meas*, oſtendit Dei timorem neceſſarium eſſe ad affectus, incompoſitoſque appetitus cohibendos.

Idem in Pſal. 52. hæc explicans verba; *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*, docet, quid timendum ſit, quidve ſecus.

Idem *lib. de natura, & gratia* oſtendit, cum timore ſalutem noſtram eſſe operandam propter voluntatis noſtræ mobilitatem, atque nequitiam.

Idem *lib. 14. de Civit. cap.* 9. docet, quo in ſenſu intelligenda ſint hæc S. Joannis in Epiſt. c. 4. verba; *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem*, & in eodem libro hæc explicans Prophetæ verba; timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi, oſtendit, quinam ſit hic timor in ævum permanſurus.

Idem tract. 48. in S. Joannem rurſus oſtendit, quid filialis, ſerviliſque timor differant.

Idem in *Epiſt. 114. ad Anaſtaſium*, docet illum, qui

qui a peccatis abſtinet ex ſolo pœnæ timore, non juſtificari.

Idem loquitur de timore Dei alibi paſſim; veluti in Pſalmos 26. 149. 96. 63. &c.

S. Ambroſius in Pſalm 118. docet Dei timorem cum diſcretione eſſe conjungendum.

S. Gregorius lib. 8. moralium cap. 13. explicans hæc verba Job cap. 27. *Et mittet ſuper eum, & non parcet*, oſtendit, timendum eſſe Deum, qui patiens quidem, ſed juſtus eſt.

Idem hæc Jobi explicans verba: *Terrores Domini militant contra me*, lib. 7. moral. cap. 7. oſtendit juſtis non deeſſe cauſam timendi.

Idem in hæc Job: *Audite auditionem in terrore vocis ejus*, oſtendit, Deum primum quidem terribilibus vocibus metum animæ incutere, mox vero illam confirmare, & conſolari.

Idem in primum caput Job in ea verba, *Vir erat in terra Hus ... timens Deum, & recedens a malo*, docet, timorem, quo nequaquam excluditur peccati voluntas, inutilem eſſe, imo etiam malum; cum peccantes pœnam, atque ſupplicium peccati non verentur.

S. Baſilius in Pſalm. 33. oſtendit ad ſalutarem in ſe timorem excitandum, de inferno, ac noviſſimis eſſe cogitandum.

Idem homil. 55. in Pſalmi ejuſdem verba: *Timete Dominum omnes Sancti ejus*, docet, metum jacere ſanctæ vitæ fundamentum, & alioquin innocentiam ſervari non poſſe.

Idem homil. 8. in Pſal. 32. docet, pœnarum timorem brevi perfici per charitatem.

S. Chryſoſtomus *homil. 15. ad Pop. Antioch.* docet, a timente Deum quodvis bonorum operum genus exerceri.

Idem *homil. 8. in Epiſt. ad Philip.* docet, ex cogitatione præſentiæ Dei oriri timorem.

Idem *homil. 53. in Joan.* docet, animam in Dei timore fundatam tentationibus concuti nequaquam poſſe.

S. Bernardus *ſerm. 36. & 37. in Cant.*

Aſcetici, aliique. Alvarez de Paz tom. 2. l. 3. part. 2. c. 4.

Alphonſus Rodriguez part. 1. tom. 3. cap. 13. 14.

Granatenſis paſſim.

Salvianus ingens edidit volumen, ubi quidquid hac de re dici poteſt, congeſtum eſt.

Petrus Sanchez, de regno Dei part. 4. cap. 4.

Theophilus Bernardinus *de bona perſeverantia* l. 5. cap. 1. & ſeq.

Remundus Sebundius librum edidit *de timore Dei*.

P. Antonius a Porta Carmelita 3. p. tract. 6. c. 6. ubi docet, Dei timorem diſpoſitionem eſſe ad peccatoris converſionem.

Monita ſacra Adriani Mangotii *monit. 5.*

Recupitus de ſignis prædeſtinationis cap. 1.

Jacobus Marchantius *in horto Paſt. tract. 1. lect. 7. prop. 1. ſeqq.*

Concionatores nuperi. Matthias Faber *Conc. in Domin. 15. poſt Pent. & idem conc. 7. in Dom. 18. poſt Pentec.*

Reina *in Conc. 31. Quadrag. num. 23. & 24.*

Joly in operibus mixtis 1. part. ſermonum de Officiis populorum erga Deum, & regem.

In ſermonibus moralibus unum invenies de timore Dei.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta *tom. 4. Dominic.* ſermone pro Dominic. 5. quæ ſupereſt poſt Epiphaniam, ſermonem habet de reprobatione, ac timore Dei.

P. Texier in Dominic. ſerm. pro ultima poſt Pent. Dominica unice hoc tractat argumentum.

P. Duneau initio Adventus ſui quinque habet deinceps de timore Dei ſermones.

Ii omnes, qui communes edidere locos, puta Granatenſis, Peraldus, Labata, Buſæus, Lohner argumentum hoc prætermiſerunt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

F*Orſitan non eſt timor Dei in loco iſto, & interficient me*. Geneſ. 20.

In Dei timore permanſit. Tob. 2.

Fili, omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato conſentias. Tob. 4.

Dominum tuum timebis, & illi ſoli ſervies. Deuter. 6.

Noli timere fili. Pauperem quidem vitam gerimus: ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum. Tob. 4.

Præcepit nobis Dominus, ut timeamus Dominum Deum noſtrum, ut bene ſit nobis cunctis diebus vitæ noſtræ. Deuter. 6.

Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit a te; niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus? Deuter. 10.

Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia. Job. 28.

Vir timens Deum, & recedens a malo. Job. 1.

Columnæ cœli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus. Job. 26.

Non eſt timor Dei ante oculos eorum: Pſalm. 13.

Time Dominum, & recede a malo. Prov. 3.

Venite filii, audite me: timorem Dei docebo vos. Pſ. 33.

Voluntatem timentium ſe faciet, & ſalvos faciet eos. Pſalm. 144.

Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. Pſalm. 111.

Miſericordia Domini ab æterno, & in æternum, ſuper timentes eum. Pſalm. 102.

Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum. Pſal. 32.

Timor Domini, principium ſapientiæ. Prov. 1.

Timor Domini odit malum. Prov. 8.

Timor Domini apponet dies. Ibid. 10.

In timore Domini fiducia fortitudinis. Ibid. 14.

Timor Domini fons vitæ. Ibid.

Timor Domini diſciplina ſapientiæ. Ibid. 15.

Per timorem Domini declinat omnis a malo. Prov. 15.

In timore Domini eſto tota die, quia habebis ſpem in noviſſimo. Ibid. 23.

Sapiens timet, & declinat a malo. Ibid. 14.

Melius eſt parum cum timore Domini, quam theſauri magni & inſatiabiles. Ibid. 15.

Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timens Dominum ipſa laudabitur. Ibid. 31.

Qui timet Dominum, nihil negligit. Eccle. 7.

Deum time, & mandata ejus obſerva; hoc eſt enim omnis homo. Ibid. 12.

Initium ſapientiæ, timor Domini. Eccli. 1.

Corona ſapientiæ, timor Domini. Ibidem.

Timor Domini expellit peccatum. Ibidem.

Sapientia & diſciplina, timor Domini. Ibid.

Sta in juſtitia & timore. Ibid. cap. 2.

Da locum timori Altiſſimi. Ibid. 19.

Gloria illorum, timor Dei. Ibidem 25.

Timor Dei ſuper omnia. Ibidem.

Beatus homo cui donatum eſt habere timorem Dei! qui tenet illum, cui aſſimilabitur! Ibidem.

Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum. Eccli. 1.

Timenti Dominum bene erit in extremis. Ibid.

Radix ſapientiæ eſt timere Deum. Ibid.

In tota anima time Dominum. Ibidem 7.

Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. Ibidem 1.

Quam magnus qui invenit ſapientiam, & ſcientiam! ſed non eſt ſuper timentem Dominum. Ibid. cap. 25.

Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit; quoniam ipſe eſt ſpes ejus. Ibidem 34.

Timor Domini, ſicut paradiſus benedictionis. Eccli. 40.

Nihil melius eſt quam timor Dei, & nihil dulcius quam reſpicere in mandatis Domini. Eccli. 23.

Si non in timore Domini tenueris te, cito ſubvertetur domus tua. Ibid. 27.

Ti-

Timenti Dominum non occurrent mala. Ibid. 33.

Non eſt major illo, qui timet Deum. Ibid. 10.

Qui timet Deum, faciet bona. Ibid. 15.

Qui timent Dominum, invenient judicium juſtum. Ibidem 32.

Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus! Pſalm. 127.

Unus eſt altiſſimus, Creator omnium, omnipotens & metuendus nimis. Eccli. 1.

Quis non timebit te, o Rex gentium! Jerem. 10.

Timor Domini, ipſe eſt theſaurus ejus. Iſaiæ 33.

Dabo eis viam meam, ut timeant me univerſis diebus, & bene ſit eis. Jerem. 32.

Qui timent te, magni erunt per omnia. Judith. 16.

Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Iſaiæ 66.

Timor Dei initium dilectionis ejus. Eccli. 25.

Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus. Ibid. 32.

Si Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? Malach. 1.

Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant. Oſtendam autem vobis quem timeatis. Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. Luc. 12.

Perfecta charitas foras mittit timorem. 1. Joan. 4.

Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Ad Philip. cap. 2.

Salus erit timentibus nomen Domini. Michææ 6.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento depromptu.

Sodomitanum exemplum, qui contempſerunt Dei minas, quas Loth illis portendebat.

IGnium æternorum, quos Dei juſtitia in inferno ſuccendit, minæ, cogitatio magnæ illius diei, qua omnes a Deo ſunt judicandi, terribilium ſuppliciorum æternitas, hæc omnia in ludibrium vertuntur a quamplurimis, iiſque audaciſſimis adoleſcentibus, qui Sodomorum incolis ſimillimi ſunt, quorum deplorabilem exitum evitare non potuerunt. Sanctus vir Loth ab Angelo admonitus, totam urbem illam demiſſo cœlitus igne conflagraturam eſſe, per vicos, & compita clamabat omneſque obteſtabatur, ut Dei juſtitiam vel lenirent, vel evitarent recedentes a coinquinatiſſimo loco, quem Dominus oderat. Non defuere mortales adeo imperterriti, qui ſanctum contempſere virum, ejuſque minas ſibi in jocum verterunt: *Et viſus eſt eis, quaſi ludens loqui.* Gen. 19. Tranquille in civitate ſua permanſerunt, neque ab effuſiſſimis impudicitiis ceſſarunt; ſed paullo poſt flammis abſorpti fuere.

Ninivitarum exemplum, quos Dei timor ad pœnitentiam impulit.

Hæreſis eſt, credere infernarum pœnarum, divinorumque judiciorum metum malum eſſe, quandoquidem hunc Spiritus ſancti motum eſſe in Scripturis docemur. Ninivitæ ab ipſo JESU CHRISTO laudantur, eo quod egerint pœnitentiam Jona prædicante perterriti, qui Dei verbis totius civitatis excidium illis portendit. Timor hic ſalutaris fuit; per illum quippe ad pœnitentiam excitati ſunt, & pœnitentia hæc ex timoris cauſa ſuſcepta illis Dei miſericordiam promeruit. Cur enim Deus peccatoribus inferorum minitaretur ignem, niſi ut pœnarum metu illos a ſcelere deterreret? Nonne impium eſt cogitare, Deum, ut nos ad obſervantiam præceptorum ſuorum impellat, illud nobis proponere, quo citra noxam uti non liceat?

Inefficacis timoris exemplum in impio Antiocho.

Illi omnes, qui fallacis tranquillitatis ſuæ fundamenta in Atheiſmo, ac omnis religionis contemptu ſtatuere voluerunt, Babylonicas turres ædificarunt. Deus illos confundit: illorum quidem inſaniam in ipſorum confuſione, iram vero ſuam in ultionum ſeveritate palam oſtendens. Impius Antiochus nonne coactus fuit, licet adeo acrem, fortemque ſpiritum haberet, hanc fateri veritatem, cum inter flagella, quibus divina juſtitia illum percuſſerat, animam efflans clamavit: Agnoſco nunc æquum eſſe, ut homo ſeſe Deo ſubjiciat, eumque vereatur. Sed impius hic, qui divinæ inſultaverat juſtitiæ, non ideo miſericordiam obtinuit; quia illius timor, non ſecus ac dolor non aliud habebat objectum, quam ſuorum ſcelerum pœnam, quin a peccatis abſtinendi ſinceram voluntatem haberet.

Exemplum perfecti timoris Dei in Tobia.

Sanctus vir Tobias inter legis antiquæ viros, quorum ob oculos Dei timor verſabatur, enituit; etenim præter illius ſpecimina, quæ in omnibus ſermonibus, totaque vitæ ipſius ratione emicabant, cum ſe mori primum credidit, inter cætera, quæ filio ſuo tanquam pretioſiſſimam hæreditatem commendavit, hoc primum fuit, ut nunquam a Dei timore deflecteret. Novi equidem, ait illi, temporalium negotiorum noſtrorum neceſſitatem, & incommoda, ad quæ divinæ providentiæ conſilio redacti ſumus. Verum ne metuas fili, & pro certo habeas, non defutura nobis ad ſatietatem bona, quouſque Dei timor non defuerit. Hoc pulcherrimum teſtamentum eſt, quod factum unquam fuerit, ac locupletiſſimum patrimonium, quod filius pietate patri ſuo non ſecundus in omne vitæ ſpatium ſervavit.

Qui Deum in lege veteri timuerunt.

Elogium, quo Scripturam paſſim eos celebrat viros, quorum pietas in veteri lege enituit, illud eſt, quod in Dei timore vitam traduxerint. Hæc præcipua ſunt eorum exempla.

Abraham poſtquam præſto fuit, ut a Deo juſſus filium ſuum ſacrificaret, hoc ab ipſo Deo retulit elogium: *Nunc cognovi, quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Gen. 22.

Jobi meritum, ac virtutes iis continentur in verbis, quæ dæmoni dixit Deus: *Nunquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo.* Job. 1. & 2.

David proculdubio altius in corde gerebat impreſſum timorem hunc, quandoquidem de eo ſæpe loquitur, illum edocet, atque tot modis commendat; necnon pro ſe peculiariter, & enixius petit a Deo: *Confige timore tuo carnes meas.* Pſal. 118.

Joſaphat in omnibus regni Juda civitatibus conſtituens judices etiam, atque etiam illis Dei timorem commendabat, ut cum æquitate judicarent: *Sit timor Domini vobiſcum.* 2. Paral. 19.

Eleazari ſenis, cujus martyrium ſecundo Macchabæorum libro cap. 6. narratur, inſigne eſt exemplum; ſed ille ipſe palam oſtendit, quænam eſſet ſuæ fortitudinis cauſa, cum ait: *Libenter hæc patior propter timorem tuum.* 2. Macchab. 6.

Timor judiciorum Dei Ethnicos convertebat.

Timor ſeveritatis judiciorum Dei vulgatius erat argumentum, quod animarum Salvator Apoſtolis ſuis ad peccatorum converſionem tradiderat, quemadmodum S. Petrus inquit in Actis Apoſtolorum capite primo: *Præcepit nobis prædicare, quod conſtitutus eſſet judex vivorum, & mortuorum.* Præceptor noſter in cœlum aſcenſurus, tanquam potentiſſimum ad convertendas animas argumentum, nobis præcepit, ut extremum prædicaremus judicium, ejuſque timorem altius in audientium animis imprimeremus. Quare Ethnici, quorum verba Tertullianus lib. de Teſtim. Anim. c. 2. adfert, dicebant, metum, quem de magno hoc judicio concipiebant, effeciſſe, ut in hanc Sectam tranſirent: *Nos in hanc ſectam metu præjudicato judicii tranſvolamus.*

Timor, quo correptus fuit Felix, præſes, de quo in Actis Apoſtolorum eſt ſermo.

In Actis Apoſtolorum c. 24. legimus, cum S. Paulus, qui in carcere detinebatur, coram Felice Præſide de extremo Judicio diſſeruiſſet, hunc fuiſſe perterritum: *Diſputante Paulo de juſtitia, & caſtitate, & judicio futuro, tremefactus Felix reſpondit: audiemus te de hoc iterum.* Timor hic, propter quem totus arrabus contremiſcere viſus fuit, indifferens, ac naturalis extitit; neque enim legimus in judicis perſona bonum aliquem effectum peperiſſe; quandoquidem fidem amplexus non eſt, licet audiſſet Paulum de judicio, impiorumque pœnis diſſerentem, atque inde vehementer fuiſſet per-

ter-

Digitized by Google

territus. De hoc timore loquitur S. Auguſtinus cum ait: *Quid magnum eſt pœnam timere, quis enim non timet?* Fur furem eſſe non ceſſat, cum ſuffurari tantummodo quærens, idque tota die facere cupiens, non tamen abſtinet, niſi admonitus, & veritus, ne deprehendatur, atque mulctetur.

S. Pauli converſio ea metu inchoata.

Converſionis gratia cor immutare debet, eique jugem juſtarum, ac terribilium Domini ultionum terrorem immittere. Hac de cauſa S. Paulus initio converſionis ſuæ excæcatus in terram proſtratus fuit, metu, ac timore perterritus: *Tremens, ac ſtupens dixit: Domine quid me vis facere?* Unde intelligere eſt ad hoc ut vera fiat converſio, opus eſſe, ut peccator, qui Deum non metuebat, ſaluberrimo hoc timore repleatur, & ſemper ob oculos habeat, ac indeſinenter formidet juſtitiam, & judicia ſupremi illius oculi, quem nihil fallit, quemadmodum deinde S. Paulus facere conſueverat.

Applicationes quarundam Scripturæ locorum huic argumento.

Diſcrimen inter timorem ſterilem & efficacem.

Quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum. Job. 31. Sanctus hic vir non ait ſe metuere Deum tanquam tonitrui fragorem, ſed tanquam tempeſtatem. Tonitru quidem timetur, ſed inutile eſt quidquam facere ad illud evitandum. E contra vero cum procella agitamur, timor ſterilis non eſt; omnes agunt, in mare projicitur, quidquid in navi pretioſiſſimum eſt ad illam exonerandam; nihilque prætermittitur, ut ſaluti proſpiciatur. Talis eſſe debet noſter erga Deum timor: agendum eſt; omnia ſacrificanda, aggrediendaque ſunt, ut iram Dei effugiamus, utique noſtræ ſaluti conſulamus. Neceſſe eſt bona relinquere? ſeſe vobis offert occaſio, ubi Dei gloriam tueri vobis minime licet, quantum fideli ſervo faciendum eſt, niſi vitæ ipſius impendio? Eripuit Deus quidquid chariſſimum vobis erat? hæc omnia æquo, libentique animo facienda, ferendaque ſunt. Dum ſævit procella, omnes ad orationem confugiunt; timori ergo vita, preceſque addendæ ſunt &c. *Ex libro quodam Sermonum.*

Quomodo charitas perfecta timorem excludat.

Perfecta charitas foras mittit timorem. 1. Joan. 4. Quid oportebat dicere, *charitas perfecta?* non ne ſatis erat dicere ſimpliciter: *Charitas foras mittit timorem.* Nequaquam. Abſolute enim loquendo fieri poteſt, ut aliquis a peccatis abſtineat, & propter charitatem, ut placeat Deo, & propter metum pœnarum, cum inter duas haſce cauſas nulla ſit oppoſitio. Sed cum charitas perfecta eſt, in timoris cauſa nequaquam ſubſiſtit. Ita dicimus immodica lætitia expelli dolorem, qui ob aliquod malum oboriri poſſet: non ſecus ac e contra extremus dolor non permittit, ut lætemur ob illud bonum, quod longe minus eſt malo, quod patimur.

Timor Dei prohibet peccatum.

Confige timore tuo carnes meas. Pſal. 118. Si timor nequit immutare, & prorſus cor noſtrum convertere, prohibet ſaltem actionem peccati; concupiſcentiam infirmat, quæ ad peccatum impellit, prohibens, ne malos fructus extrinſecus ferat. Ita Regius Propheta a Deo petit, ut quandoquidem habet juſtum judiciorum ejus timorem, caro, & concupiſcentia carnis ſuæ configantur; videlicet alligentur, ita ut fructus peccati producere nequeant. Si timor acer efficit, ut æternos cruciatus ſuper omnia timeamus, timor hic erit veluti crux, cui affectiones noſtræ confixæ erunt, & alligatæ.

Qui Deum timet, reliqua non metuit.

Qui timet Dominum, nihil trepidabit. Eccli. 34. Nihil metuendum timenti Deum. Nonne hæc duo ſibi invicem pugnare videntur; timere Deum, & nihil timere? Sed os idem, quod hoc protulit oraculum, ejoſdem affert explicationem, & docet conſtantiam, & animi magnitudinem, quæ a nobis omnes tumultus, ac inanes terrores expellit, in Dei timore conſiſtere: *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Cur hoc? Quia Deus ſimulac timorem ſuum animæ inſpirat; communicat etiam illi ſpiritum generoſitatis, atque fortitudinis, qui illam in periculis imperterritam, in tumultibus inconcuſſam, invictam in tentationibus, & in omnibus oppugnationibus efficit inexpugnabilem. *Ex moralibus ſermonibus ſermone de timore Dei.*

Timor ſemper Dei Amorem præcedit.

Qui timet Dominum convertetur ad cor ſuum: Eccli. 21. Notatu dignum eſt, peccatoris converſionem ſemper a timore ducere initium. Deus enim animam tanquam inimicam ſuam adoritur; ita ut timor, non charitas, & amor viam ſternere debeat: amor non ingreditur, niſi a timore introducatur. Hoc docet S. Auguſtinus. Itaque ſi timor modicus, & infirmus eſt, & non magnam in corde efficit impreſſionem, amor, qui illum ſubſequi debet, vel non ingredietur, vel acquiſitionis ſuæ ſtabile jus non habebit; neque ibi vel ſatis tranquillum, vel ſatis violentum obtinebit imperium; & ſi nullus timor præceſſerit, nullus expectandus eſt amor; alter enim alterius norma eſſe debet, atque menſura.

Confige timore tuo carnes meas. Pſalm. 118. Vel juxta verſionem aliam: *Confige clavis timoris tui carnem meam.* Locus hic aliam a ſuperiori admittere poteſt explicationem, ſi dixerimus, quemadmodum qui cruci clavis confixus eſt, nullo modo ſe movere poteſt, quantumvis ad id magnos conatus exerat: ita Dei timorem taliter animam, & corpus configere Deo, ut peccator nequeat amplius ad peccandum redire, ſed morali quadam neceſſitatis ſpecie bono adhæreat; quod ipſa oſtendit experientia in pluribus Sanctis, qui ita ſua obibant officia, & Dei præcepta ſervabant, ut illa quodammodo non poſſent perſtringere: *Quomodo poſſum hoc malum facere?* ut olim S. Patriarcha Joſeph Gen. 39. dicebat. *Recupitus 1. prædeſtin. ſigno.*

Quam terribilis ſit Deus.

Thronus ejus flamma ignis, rota ejus ignis accenſus; fluvius igneus, rapiduſque egrediebatur a facie ejus. Daniel. 7. Hic eſt apparatus, cum quo Propheta nobis exhibet Deum. Ignis invenitur in iis omnibus, quæ circa Deum ſunt, ut intelligamus, S. Hieronymus inquit, quam terribilis ſit peccatoribus: *Omnia Dei flamma ſunt, ut peccatores tormentorum magnitudinem pertimeſcant. Idem.*

Quam timenda ſit Dei Juſtitia.

Gladius Domini exacutus eſt, & limatus. Ezechiel. 21. His vocibus utitur Scriptura, ut in nobis cieat divinorum judiciorum terrorem. Exacutus eſt, & limatus, ut victimam ſecet, & in fruſta concidat; quod dictum eſt ad indigitandas pœnas, quas hæc juſtitia ex criminibus noſtris depoſcit. Sed hic idem gladius politus eſt, & lævigatus, ut ſolus illius fulgor nos terreat; quemadmodum dici ſolet, ſatis eſſe, ſi gladius ob oculos pavidorum hominum fulgeat, ut terrore capti ſe ſe in fugam convertant. Effectum hunc in nobis gignere debent minæ divinæ juſtitiæ, ac terribilia exempla ſeveritatis, quæ nobis identidem tradit. Sed cum in Apocalypſi hic gladius acutus, & anceps vocetur: *Gladius ex utraque parte acutus*, intelligere per hæc verba debemus, quid interſit hominum juſtitiam, & eam, quam Deus ad peccatores deterrendos oſtendit; humanæ videlicet juſtitiæ gladium in corpus dumtaxat ſævire, fragilemque dumtaxat vitam auferre poſſe; hunc exacutum, ac limatum non eſſe, niſi altera tantum ex parte; gladium vero divinæ juſtitiæ ancipitem eſſe; namque, ut Dei filius inquit, poſtquam corpori vitam abſtulit, animam quoque æterna morte percutere poteſt.

Martyres nunquam extimuerunt tormenta, quia Deum timuerunt.

Principes perſecuti ſunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum. Pſal. 118. Egregia eſt S. Auguſtini in hunc locum conſideratio. Nequicquam, & fruſtra, inquit ille, tyranni Chriſtianos perſecuti ſunt? Ita ſane, addit; neque enim Martyrum conſtantiam labefactarunt; terribiles illis intentarunt minas, exquiſitiſſimis eos affecere cruciatibus, ignes, rotas, equuleos, cruces, & quidquid aptiſſimum ad eorum conſtantiam infringendam rati ſunt, expediverunt, ſed nihil horum eos fregit. Æquiorem enim habebant metum: at quinam hic

erat?

erat? *A verbis tuis trepidavit cor meum*; timor videlicet mortis æternæ, cujus æternam memoriam hæc Salvatoris impreſſerant verba: *Oſtendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Luc. 12.

Diſcendum eſt timere Deum.

Timorem Domini docebo vos. Pſal. 33. Mirum eſt, quod Propheta his verbis utatur. Timor enim non videtur ſenſus, qui diſci, docerive poſſit, natura quippe hunc omnibus hominibus, non ſecus ac aliis animantibus tribuit inſtinctum metuendi, fugiendique, quidquid illis nocere poteſt; atque inutile eſt tradere documenta ejus rei, quam ante ullum magiſtrum incolumitatis noſtræ nobiſcum nata cupiditas docet. Verum in hoc ars ſita eſt. Non vult docere Propheta illum timorem, quem ad adſpectum exemplorum juſtitiæ Dei, vel effectuum iræ ipſius, cujus generis ſunt ſubitæ mortes, & funeſti caſus, qui in ſcelerum noſtrorum pœnam contingere poſſent, quemadmodum aliis plurimis contigerunt, conciperemus: hic enim timor naturalis eſt, in quo edocendi non ſumus, & qui omni merito caret. Sed loquitur de ſupernaturali timore, qui effectus eſt amoris, quo Deum proſequimur, & quem lædere veremur; vel effectus eſt fidei, quam de iis, quæ ad alteram vitam ſpectant, habemus. De hoc timore ſumus edocendi: pauci enim, uti opus eſt, ſciunt cauſas, quæ illum gignere debeant, & effectus, quos illi in peccatoribus, & juſtis producere poſſit. Diſcere autem, ſtudere, & ſcire hanc Deum timendi ſcientiam illud eſt, quod alibi in Bibliis vocatur ſapientiæ initium, atque perfectio.

In quocumque die comederis, morte morieris. Geneſ. 2. Quorſum Deus hominum parenti mortem minitatus eodem fere momento, quo illum propriis manibus affinxit, ita ut videatur ſimul vitam, ac timorem ſui eidem inſpirare voluiſſe; niſi ut ob timorem illum cogeret ad legem, quam irrogabat, ſedulo obſervandam? Deum vero quovis tempore expetiiſſe, ut hic timor altius in hominum mentibus imprimeretur, inde liquet, S. Gregorius inquit, (quod interpretes nonnulli deinceps ſolide, ac prolixe probarunt) quod Deus Angelos, infernique flammas eodem momento creavit; ut Angeli, & mox homines ne ad breve quidem temporis intervallum ſine juſtitiæ ipſius timore permanerent.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Deus, quantum Patris pietate indulgens ſemper & bonus eſt, tantum Judicis majeſtate metuendus eſt. Cyprian. de Lapſis.

Timor Dei, innocentiæ cuſtos. Idem, Epiſt. ad Donatum.

Unuſquiſque conſideret, non quid alius paſſus ſit, ſed quid pati & ipſe mereatur; nec evaſiſſe ſe credat, ſi eum interim pœna diſtulerit, cum timere plus debeat, quem ſibi Dei judicis cenſura ſervavit. Idem, Serm. de Lapſis.

Mens noſtra tanto valentius terrores rerum temporalium deſpicit, quanto ſe authori earundem veracius per formidinem ſubdit. Greg. l. 2. Moral. c. 13.

Anchora cordis eſt pondus timoris. Idem, lib. 6. Moral. c. 24.

Prava mens, ſi non prius per timorem evertitur, ab aſſuetis vitiis non emendatur. Idem, Homil. 4. in Evang.

Omnipotentis juſtitia futurorum præſcia, ab ipſa mundi origine, gehennæ ignem creavit. Idem, l. 15. Moral. c. 17.

Tenendum eſt animam, Dei timore velut muro obſeptam, fortem eſſe, & quodammodo invictam. Cyrill. l. 2. in Iſaiam, c. 16.

Fundamentum fidei & ſpei eſt timor. Cyprian. ad Quirinum.

Timor fundamentum ſalutis eſt: timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus. Tertull. lib. de cultu fœmin.

Ubi Deus, ibi metus in Deum. Idem.

Timor hominis, honor Dei eſt. Idem.

Stulte, quem Dominum appellas, negas timendum; cum hoc nomen ſit poteſtatis etiam timendæ? At quomodo diligas, niſi timeas non diligere? Etiam patri competit amor propter pietatem, & timor propter poteſtatem. Idem, l. 1. adverſ. Marc.

Hoc unum timemus, ne quid magis quam Deum timeamus. Greg. Naz.

Timor Dei, clavus animæ fluctuantis. Ambroſ. lib. de Paradiſo.

Timor virtutum cuſtos eſt; ſecuritas ad lapſum facilis. Hieronym.

Timor Dei velut gladius anceps eſt, omnem concupiſcentiam pravam exſtindens. S. Ephræm. Serm. de Patient.

Amor ille, quo non amatur juſtitia, ſed timetur pœna, ſervilis eſt. Auguſt. in Pſal. 118.

Quis poteſt, niſi Deum timeat, ſervare juſtitiam? Auguſt. Ser. de Annunt.

Quando timore pœnæ, non amore juſtitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum. Idem, cont. Pelag. l. 2.

Diſcat timere, qui non vult timere; diſcat ad tempus eſſe ſollicitus, qui ſemper non vult eſſe ſollicitus: timentis Dominum beata eſt anima ejus. Idem, Serm. 214. de temp.

Sicut meliores ſunt quos dirigit amor, ita plures ſunt quos corrigit timor. Idem, Epiſt. 50. ad Bonif.

Time, ne timeas. Idem, in 1. Joan. c. 4.

Quod ſupra hominem eſt time, & homines te non terrebunt: mortem ſempiternam time, & præſentem non curabis. Idem, in Pſalm. 63.

Attendo quia bonus es, attendo quia juſtus es; amo bonum, timeo juſtum; amor & timor perducant me. Idem, in Pſalm. 32.

Cum timet gehennam, non audeo dicere, ne timeas, quia Dominus dicit: timete eum, qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam. *Plane time; nihil enim magis eſt timendum: ſed poſt formidinem mali, diſce dilectionem boni, caſtumque timorem.* Idem, Serm. 18. de verb. Apoſt. Item in Pſalm. 32.

Timor præſens ſecuritatem generat ſempiternam. Time Deum, qui ſuper omnes eſt; & hominem non formidabis. Idem.

Qui non vivit in timore, recte illum agere non eſt facile; ſicut qui viciſſim cum timore vivit, eum impoſſibile eſt peccare. Chryſoſt. Homil. 13. ad Popul. Antioch.

Timor Dei nihil eſt aliud quam murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis. Idem, ibid.

Facile deviat a juſtitia, qui non Deum, ſed homines pertimeſcit. Hic timor facultatem peccandi differre poteſt, voluntatem auferre non poteſt. Idem, in Serm. de Joan. Baptiſt.

Solus eſt Dei timor, qui mentem corrigit, fugat crimina, innocentiam ſervat, & omnis boni tribuit facultatem. Idem.

Sicut ignari luditis ante machinas bellicas: Deus tonat, & non ſurgitis, & non fugitis a ventura ira? Idem.

Niſi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem: initium ſapientiæ timor Domini. Incipit ergo a vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Idem, in Pſalm. 149.

Aliud eſt noſſe Deum, aliud timere; nec cognitio ſapientem facit, ſed timor. Bernard. Serm. 23. in Cant.

Prima gratia eſt timor Domini. Sine hac gratia prima gratiarum, nullum bonum pullulare, vel manare poteſt. Idem, in Tract. de donis Spirit. ſancti.

Initium ſalutis, timor Domini; & plenitudo legis eſt charitas. Idem, Serm. 37. in Cant.

Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo: *ergo ſi hoc eſt omnis homo, abſque hoc, nihil eſt homo.* Idem, Serm. 20. in Cant.

Timo-

Digitized by Google

Timore & amore affecta anima velut quibuſdam duobus brachiis comprehendit Deum, amplectitur, ſtringit, tenet. Idem, lib. 5. de Conſiderat.

Omne virtutum ædificium vergit in præcipitium, ſi hujus gratiæ (nempe timoris Dei) *amiſerit præſidium.* Idem, in Tract. de donis Spir. ſancti.

Noveris te, ut Deum timeas; noveris ipſum, ut æque ipſum diligas. Idem, Serm. 37. in Cant.

Quid tam timendum quam poteſtas, cui non potes reſiſtere; quam ſapientia, cui abſcondi non potes? Poterat minus timeri Deus alterutro carens: nunc autem perfecte oportet timeas illum, cui nec oculus deeſt omnia videns, nec manus potens omnia. Idem, l. 5. de Conſiderat.

Si nullam ob culpam, certe ob hanc unam gehenna digni ſumus, quod plus gehennam, quam ipſum Chriſtum timeamus. Chryſoſt. Homil. 5. in Epiſtol. ad Roman.

Tutiſſima res eſt nihil timere præter Deum. Laurent. Juſtin. de Lign. Vitæ, c. 1.

Timor hominum peccandi differt facultatem, & operationem; non tamen aufert, ſed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem. Idem, ibid. c. 2.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hauriri poſſit hoc in argumento.

Definitio timoris Dei. CUm Deus timeri poſſit ob diverſas cauſas, quæ totidem varias timoris ſpecies conſtituunt, difficile eſt ſatis accuratam timoris Dei generatim definitionem tribuere. Mihi tamen dici poſſe videtur virtus, qua veremur, ne Deum lædamus. Ita ejus naturam Tobias explicat illum filio commendans; habeto, ait ille, omnibus diebus vitæ tuæ Dei timorem ob oculos tuos, & cave, ne quod peccatum committas leges, & præcepta ab illo irrogata perfringens. Non loquimur de timore quatenus affectu, & naturali animæ motu, qui efficit, ut metuamus, & avitemus id, quod efficere, & aliquod nobis afferre poteſt detrimentum.

Quid ſit timere Deum, & quodnam ſit hujus timoris objectum. Hac in re aliquod occurrere poteſt æquivocum, eo quod Dei filius non dicit in evangelio, æternas inferni pœnas eſſe metuendas, ſed timendum illum eſſe, qui nos iiſdem adjudicare poteſt, atque in tormentorum abyſſum dare præcipires; ideoque videtur Deus unus eſſe debere noſtri timoris objectum, & ille a nobis lædendus non eſſe non propter metum pœnarum, ſed quia ille habet puniendi poteſtatem, quæ videtur cauſa præſtantior, atque ſublimior. Sed Sancti Thomæ doctrina hanc aufert difficultatem, quæ nihil habet præter ſpeciem difficultatis, cum Sanctus hic Doctor 2. 2. q. 19. art. 12. ait, timorem duplex objectum habere, malum videlicet, quod fugitur, & mali hujus auctorem. Deus autem eſſe nequit noſtri timoris objectum, tanquam malum, quod evitare conamur; nullum quippe in Deo eſſe poteſt malum: eſt igitur objectum timoris noſtri dumtaxat velut auctor mali, quod peccatoribus infligit, &, uti Sanctus hic Doctor inquit, quatenus juſtus peccatorum vindex ſeu per beatitudinis privationem, ſeu per æternas pœnas, quibus juſtitia illius in improbos animadvertit. Hoc igitur illud malum eſt, quod præcipue veremur; cumque præcipit Deus, ut timeamus illum, qui corpus, animamque ſimul poteſt mittere in gehennam, præcipit ſimul, ut noſtrum timeamus exitium, quod non aliud eſt, quam æterna damnatio.

De metu pœnarum infernl. Lutheri, atque Calvini hæreſis fuit afferere, metum pœnarum, propter quem ad Dei miſericordiam confugimus, atque a peccato abſtinemus, peccatum eſſe, & homines efficere nequiores. Tridentina Synodus ſeſs. 6. Can. 8. hos Hæreticos anathemate percuſſit his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit.* Poſt adeo explicitam, authenticamque ſententiam, mirum eſt, quod Doctores, qui Catholici haberi volunt, audeant aſſerere, vel docere, male facere, qui a peccatis propter hunc metum abſtinet, aliquot male explicatis S. Auguſtini locis innixi, quamvis alibi paſſim Sanctus idem Doctor oppoſitum dicat.

De attritione, vel dolore peccatorum ex timore pœnarum concepto. Eadem Tridentina Synodus ſeſſ. 14. c. 15. docet, imperfectam contritionem, valgo Attritionem nuncupatam, eum peccandi voluntatem excludit, non ſolum non efficere hominem hypocritam, vel ſequiorem; ſed e contra donum eſſe Dei, & motum Spiritus ſancti, qui nondum quidem adiit animæ poſſeſſionem per gratiam ſanctificantem, & charitatem, ſed qui ad illam recipiendam excitat, atque diſponit. Ex his Concilii verbis diſcimus primum, non deeſſe timorem pœnarum inferni, qui ſimul eſſe poteſt cum voluntate peccandi; alioquin fruſtra diceretur, timorem pœnarum, ubi peccandi voluntatem excludit, Dei donum eſſe, & motum Spiritus ſancti, ſi timor pœnarum numquam poteſtatem haberet excludendi perverſam hanc, criminoſamque voluntatem. At hanc habet poteſtatem, cum in corde noſtro non dicimus, quod ſi nullus eſſet infernus, peccata committeremus: quia tunc timor iſte vitioſus eſſet, neque peccatum excluderet, niſi in ſpeciem, & coram hominibus, non autem coram Deo. Sed cum abſolute dicimus nolle nos peccare, ne damnemur, ac nulla peccati retinetur affectio, illud excludere poteſt. Secundo ex his Concilii verbis intelligimus, timorem hunc donum eſſe Spiritus ſancti, ideoque ſanctum eſſe, utilem, & ſalutarem, & per hunc hominem non ſolum hypocritam, improbioremque non fieri, ſed ad juſtificationis gratiam diſponi, quemadmodum definitum eſt canone quinto ejuſdem ſeſſionis.

De ſervilibus timoribus ſervilibus. Dei timor ſervilis vocatur, cum oritur ex amore non eo, quo Deum, ſed quo noſmet ipſos diligimus: vel ut S. Auguſtinus in Pſal. 118. loquitur, cum non ex amore juſtitiæ, ſed ex metu ſupplicii proficiſcitur: *Amor iſte, quo non amatur juſtitia, ſed timetur pœna, ſervilis eſt.* Servilis autem dicitur ad ſimilitudinem ſervorum, quos pœnæ metus in officio coercet. Si hic peccati deſiderium, & voluntatem excludit, laudabilis eſt, & ſanctus, &, uti diximus, a Spiritu ſancto inſpiratus, ſeu timeamus, ne gloria, æternaque beatitudine privemur, quem nonnulli mercenarium timorem appellant; ſeu vereamur, ne æternis inferorum ignibus damnemur. Si timor hic mere ſervilis eſſet, ita ut in incœpto flagitiorum curriculo perſiſteremus, ſi nullus eſſet infernus, vel ſi certo ſciremus ſcelera noſtra a Deo punienda non eſſe: hic timor per ſe malus eſſet, malorumque ſervorum proprius a S. Auguſtino, omnibuſque Doctoribus reprobatus. Tertium adhuc ſupereſt ſervilis timoris genus, per quem revertimur ad Deum, & a peccatis abſtinemus metu pœnarum temporalium, non autem odio peccati. Talis fuit Pharaonis timor, qui oppreſſus flagellis, quibus Deus illius punit pertinaciam, crimen ſuum confitetur. Talis erat timor Judæorum Dominum quærentium, dum jam brachium extulerat, ut in eos fulmina contorqueret: *Cum occideret eos, quærebant eum.* Pſal. 77. Talis Simonis Magi minis perterriti, quas S. Petrus illi intentaverat; etenim Apoſtolum hunc obteſtatus eſt, ut pro ipſo intercederet, atque intentata mala a capite ipſius detorqueret: *Ut nihil veniat ſuper me horum, quæ dixiſtis.* Act. 8. Si timor hic omnino peccati voluntatem excluſiſſet, jam tanquam malus damnari non poſſet; ſed cum humana, & naturali ex cauſa fuerit conceptus, eſſe non poteſt Spiritus ſancti donum, neque diſpoſitio ad gratiam juſtificationis, nec demum meriti alicujus coram Deo. Sin autem per hunc timorem peccati voluntas, & deſiderium nequaquam relinquitur, timor hoc ſpectari debet tamquam extrema humani cordis corruptio, atque animi, judiciique depravatio, quemadmodum loquitur S. Auguſtinus.

Timor,

Digitized by Google

De metu filiali.

Timor, qui caſtus, & filialis vocatur, ille eſt, per quem metuimus, ne Deum lædamus, & legem illius violemus, veriti ne ejuſdem gratiæ, atque amicitiæ jacturam patiamur. Filialis dicitur; naſcitur quippe ex amore, non ſecus ac timor, quo filii patrem ſuum lædere verentur, quem amant, ſimulque timent, & cui diſplicuiſſe pudet, & pœnitet. Perfectus quoque vocatur hic timor, qui ex amore, & charitate procedit, & qui proprie ab eadem diſtinctus non eſt, ut docet S. Auguſtinus; dum timor, qui ex pœnarum timore proficiſcitur, inirialis vocatur, quo ita timetur Deus, ut illius ſupplicia, atque juſtitia majorem in nobis vim habeant, quam amor ipſius, ut nos a peccatis avertat. Appellari nihilominus poteſt timor filialis imperfectus, vel utriuſque ſimul ſervilis, atque filialis commixtio. Ita imperfectus hic timor ad perfectionem diſponit, illi viam ſternit, aditumque aperit, quemadmodum laudatus Doctor fuſius allato explicat loco.

Timoris objectum non pœna ſolum, ſed peccatum præſertim objectum eſſe debet.

Ut timor ſit bonus, & ſanctus, objectum illius non tam pœna eſſe debet, quam culpa, uti loquuntur Theologi: hoc eſt, non ſufficit æternam timere damnationem, ſed ipſa etiam damnationis cauſa timenda eſt, peccatum videlicet. Cum enim verba fieri audimus de inferno, de confuſione, quæ reproborum faciem cooperiet, de flammarum devorantium timore, de pœnarum æternitate, de rabie, ac deſperatione, qua damnati æternum cruciabuntur, ſi nihil præterea metuitur, timor hic ſimpliciter naturalis videtur, immo etiam non ſatis liber exiſtimatur. Quis enim, licet omnem ſalutis abjecerit ſpem, tantam non extimeſcat infelicitatem? Nullus eſt adeo execrabilis peccator, qui, ſi credit infernum, terribilia illius tormenta non reformidet. Sed quamvis hi terrores, qui nonnumquam impiorum mentes corripiunt, mali non ſint; ad ſummum nullo in diſcrimine ſunt, niſi ad peccati odium, & abominationem procedant.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

De timore generatim.

Timor eſt naturalis prudentia, quæ nos ſæpe a periculo liberat, efficiens, ut nobis ab illo caveamus; hic ſe ſe in omnes vitæ noſtræ actiones effundit, & non religioni minus, quam rei publicæ utilis eſt. Si Ethnicis quibuſdam fidem habemus, hic Deos facit; in qua ſententia, quamvis non deſit impietas, aliqua tamen veritatis umbra deprehenditur. Æternarum quippe timor pœnarum perſuaſit hominibus, irritatos Deos eſſe leniendos; hic ſacra docuit offerre, & adolere thura; hic juſtos in officio continet, eoſque poſt patratum facinus ad cœlum manus attollere, doloremque teſtari cogit. Quamquam in religione generoſitatem potius præ nobis ferre velimus, ac promiſſionibus potius allici, quam minis deterreri glorıemur, fatendum tamen eſt, longe plures metu, quam ſpe ſalvos factos fuiſſe. Ita in ſacris Bibliis initium vocatur ſapientiæ, hoc eſt virtutis præſidium, & pietatis fundamentum. *P. Senault in uſu affectuum.*

Timor peccati ſignum eſt divinitatis.

Crimen inſolens eſſet, niſi hoc affectu compeſceretur, legeſque omnes inutiles, niſi natura in nocentium animabus timorem impreſſiſſet, ubi inſculptus eſt iis characteribus, qui nullo unquam tempore deleri poſſunt. Secreti etiam ſceleris pœnam timent; & quamvis ſciant Judices eos tantum punire poſſe, quos norunt, inter amicos etiam contremiſcunt, & nonniſi cum trepidatione evigilant: atque hic fidelis divinæ juſtitiæ miniſter non ſinit, illos tutos eſſe vel in urbibus, vel in deſertis. Hoc argumento eſt, naturam non eſſe omnino corruptam, quandoquidem ſupereſt illi horror peccati, atque metus ſupplicii. Ubicunque enim peccator deliteſcat, timorem ſecum gerit, & incorruptibilis hic affectus illum docet, non deeſſe numen, quod in vita ſecretiſſima quoque videt flagitia, quæ punit poſt mortem. Sæpe flagitioſos homines etiam convertit, & incomprehenſibili miraculo illis perſuadet eas veritates, quas credere noluerant, ne illas metuere cogerentur. *Idem.*

Mala, quæ gignit timor mere naturalis.

Stoici illum nobis exhibent quaſi quoddam monſtrum; adeo terribile eſt. Dicunt illum ad noſtram infelicitatem induſtrium eſſe, impatientem naturæ ſuæ, neque præſtolari, donec malum acciderit, ut in anteceſſum illud ferre teneamur; improbam habere prævidentiam, & futurorum penetrare ſecreta, ut in illis noſtrum inveniamus ſupplicium: non ſatis illi mala eſſe præſentia, ſed ut omnis temporum varietas in noſtram calamitatem conflato quodam conſenſu conſpiret, præterita in mentem revocat, ob ea, quæ futura ſunt, nos ſollicitat, ſimulque conjungit eas pœnas, quas tyrannorum ſævitia ſimul inferre non poteſt. Addunt, quemadmodum mala ipſa prævertere quærit, oblectari etiam eadem augendo, neque illa unquam nobis ob animi oculos objicere, quin graviora faciat, ut nobis terrorem incutiat; quod ſi mortem nobis intentat, hanc proculdubio omnium eſſe teterrimam; & ſi quod minitatur incommodum, hoc eſſe acerbiſſimum. Itaque experientia docemur, timorem minus eſſe ferendum malo ipſo, quod prævidetur; atque ex omnibus cruciatibus illum, quem nobis metus infert, omnium eſſe graviſſimum: ideoque via unum reperies, qui non malit ſemel emori, quam in ſingula momenta mortem expaveſcere. *Idem.*

Inſimulatur, quod omnia ſemper in deteriorem partem interpretetur, ac mala, quam re ipſa ſunt, efficiat graviora. Similis eſt, ajunt, ignavis exploratoribus, quos miſit Moyſes ad Palæſtinam cognoſcendam, quorum infidele nuntium prope fuit, ut Judæorum populum a glorioſiſſimo conatu deterreret: atomos in montes convertit; bruta omnia monſtrorum portenta illi videntur; neque ullum cernit periculum, quod inevitabile nequaquam exiſtimet. Verum eſt, illum ſemper deteriorem partem amplecti, & ne decipiatur, malum cum omnibus extremis ejuſdem periculis ſibi fingere: ſed magis conformis eſt prudentiæ, quæ nunquam futura conſulit, quin ibi omnia prænoſcat pericula, quæ poſſunt contingere, vireſque comparet, quibus hoſtium, a quibus oppugnari poteſt, impetum propulſet. Non conſiderat ea ſolum, quæ fiunt, ſed quæ fieri poſſunt, atque ſe ipſam paulisper torquet, ut certam ſibi requiem procuret. *Idem.*

Elogium timoris Dei.

Quod primum docet Spiritus ſanctus iis omnibus, qui accedunt ad Deum, hoc eſt, quod videlicet illum vereantur; ſapientiæ myſteria Deum timentibus dumtaxat aperit: vulgatior loquendi ratio, qua utitur, ut ſanctos, juſtoſque homines indigitet, eſt illos Dei timore plenos vocare: *Vir juſtus, & timoratus. Vir timens Deum.* Vult, maxime commune apoſtolicæ prædicationis argumentum ex terribilibus judiciis ejus deſumi. Summi illi antiquæ legis viri, qui adeo familiariter cum Deo loquebantur, & quos Deus ipſe amicos, & homines ſecundum cor ſuum appellabat, quamquam hac neceſſitudine, & familiaritate gaudebant, tantum timoris erga illum concipiebant, ut inſolita loquendi ratione illum terrorem ſuum dicerent: atque inter eos titulos, quos numini deferebant, hunc etiam terribilis Dei recenſebant; & ubicumque de Deo, de timore quoque loquebantur: *Ubi Deus, ibi metus in Deum*, inquit Tertullianus. Propheta Iſajas c. 11. incomprehenſibiles deſcribens gratiarum theſauros, quos Meſſias poſſidere debebat, poſtquam dixit futurum, ut ſapientiæ, conſilii, pietatiſque ſpiritus ſuper eum requieſceret, ait etiam illum timore Dei eſſe replendum: *Replebit eum ſpiritus timoris Domini*; & in novo teſtamento ſtrenui illi, magnanimique viri, qui tyrannorum ſuperbiæ inſultabant, & carnificum ſævitiam irridebant, adeo verebantur, ne diſplicerent Deo, atque lædendi eum tanto metu angebantur, ut id unum timerent, ne quidquam magis, quam Deum ipſum timerent, quemadmo-

madmodum S. Gregorius Nazianzenus ait de Martyribus verba faciens : *Hoc unum timemus , ne quid magis , quam Deum timeamus . Texier in Dominicali .*

Quam rarus ſit inter homines timor Dei.

Ubinam hodie videtur hic inter homines timor? Nonne merito poſſumus nunc iterare illam regii Prophetæ querimoniam : *Omnes declinaverunt , ſimul inutiles facti ſunt , non eſt qui faciat bonum , non eſt uſque ad unum .* Heu ! Quænam eſt cauſa generalis hujus corruptionis hominum , atque depravationis morum , quæ in omnibus chriſtianæ religionis ſtatibus graſſatur ? Hæc eſt : *Non eſt timor Dei ante oculos eorum .* Nullus fere amplius eſt Dei timor in terris . Modo fideles omnia timent , præter Deum : timent paupertatem , timent malam valetudinem , timent dedecus , & ignominiam ; Deum unum non timent . Si princeps , ſi nobilis , ſi potens aliquis homo in nos irritatus eſſet , noſtrumque juraſſet excidium ; quis terror ? quæ ſollicitudo ? quæ cura , ut iram illius mulceremus ? Clamat fides , Deum in nos iratum eſſe : *Vidit Dominus , & ad iracundiam concitatus eſt .* Deuter. 32. Vidit ſecretum illud ſcelus , illam injuſtitiam , ultionem illam ; Sanctus Sanctorum irritatus eſt , ac per æternitatem ſuam juravit futurum , ut pœnas repoſceret , ac de inimicis ſuis ultionem expeteret : quis autem has audiens minas expaveſcit ? Quis hoc odium , hanc Omnipotentis iracundiam timet ? *Non eſt timor Dei ante oculos eorum . Idem .*

Quinam eſſe debeat timor noſter .

Tantum nobis timendum eſt , quantum opus eſt , ut certam faciamus ſalutem noſtram : in eo timore vivendum eſt , qui æque & ab infelici deſperatione , & nefaria diſtans præſumptione nos in hoc & confidentiæ in Deum , & diffidentiæ de nobis temperamento contineat , quod ad noſtram juſtificationem omnino neceſſarium eſt . Omnis ſalutis noſtræ cura non debet eſſe inquieta , ac tumultuoſa , quæ interiorem animæ pacem perturbet adeo neceſſariam ad vocem Domini audiendam , & gratiæ afflatus a naturæ ſuggeſtionibus dignoſcendos . Temet , quoad fieri poteſt , in ſumma ſpiritus tranquillitate contine , nec non in perfecta ſubmiſſione divinæ providentiæ conſiliis . Si altera ex parte ſalutis tuæ incertitudo te terret , te altera ex parte confirmet . Cum enim Deus humiles tantum ſalvos facere velit , nonne tibi non exiguum eſt conſolationis argumentum ignorare , quid de te ſit futurum , cum nulla res magis , quam hæc ignorantia humiliare te poſſit ? O ſummum Divinæ bonitatis opus ! quæ ſciens , nos Sanctos eſſe non poſſe , niſi vere humiles fuerimus ; neque perfecte humiles eſſe poſſe , ſi certi fuerimus , nos ſanctos futuros , juſſit noſtræ ſortis incertos eſſe , ut nos hæc incertitudo ſanctificaret . *Specimen ſermonum pro Dominicis , prima poſt Paſcha Dominica .*

Vult Deus nos cum timore ſalutem noſtram operari .

Deus , qui vult , nos in timore , ac tremore , ut inquit Apoſtolus , ſalutem noſtram operari , permittit ſæpe , ut ſanctiſſimus quiſque , ne innocentiſſimus ſit , vereatur ; ſimulque hos conſolatur , atque confirmat ſecretis teſtimoniis , quæ Dei ſpiritus perhibet intra ipſos , ſalutaribus ſollicitudinibus de incerto animæ ipſorum ſtatu illos humilians . Si gravibus emancipati fuerunt criminibus , ex quibus illos divina eduxit miſericordia , timent ſemper , ne ſatis auſteram egerint pœnitentiam ; & quo ſubhmiori in gradu Dei gratiam poſſident , eo magis divinum hoc lumen efficit , ut agnoſcant enormitatem ſcelerum , quæ patrarunt , ac infinitas Dei perfectiones , quem offenderunt . Ita ut hæc duo objecta menti eorum ſemper præſentia exaſperent , ut ita dicam , in ſingula momenta contritionis eorum dolorem , & indeſinenter pœnitentiæ ipſorum amaritudinem refricent . Sin autem Deus illos a gravioribus flagitiis præſervavit , timent , ne rei ſint ſpiritualium peccatorum , quæ in conſcientiæ occultioribus ſinibus deliteſcunt , & quæ eo magis periculoſa ſunt , quia poſt ſe minime relinquunt eam confuſionem , quam nota , graviaque ſcelera in inſignibus peccatoribus ciere conſueverunt . *Ibidem Sermone pro decima tertia poſt Pentecoſten Dominica .*

De impiorum , & flagitioſorum hominum conſtantia .

Nec deeſt imperterrita quædam , ſed funeſta conſtantia , impiorum propria : mundus enim hodierna die quampluriinis abundat viris , quos Deum timere puderet : *Non eſt timor Dei ante oculos eorum .* Pſal. 13. Omnes illæ præcipuæ veritates , propter quas olim ſanctiſſimi , doctiſſimique viri trepidabant , veluti phantaſmata habentur , & populorum terriculamenta ; nec non ſalutaris ille timor , qui efficiebat olim , ut celeberrimi illi chriſtianæ religionis Heroes contremiſcerent , nunc tanquam puſillanimitas , & animi anguſtia exiſtimatur : *Timens Deum deſpicitur .* Minæ ignium æternorum , quos divina juſtitia in inferno ſuccendit , cogitatio magnæ illius divinorum judiciorum diei , teterrimorum ſuppliciorum æternitas , hæc omnia fere in jocum traducta ſunt a quamplurimis temerariis adoleſcentibus , qui audaciſſimos Sodomorum cives imitantur , quorum miſerrimam ſortem evitare non poterunt . Concionator auditores ſuos admonet de terribilis juſtitiæ Dei ultoris effectibus , eiſque devorabiles inferni flammas minitatur , hic idoneus , qui populo hæc venditet , exiſtimatur . Impii terribiles haſce veritates irrident , pia commenta putant , vel ſpectra devotionis , quæ ad id unum prodeſſe poſſunt , ut videlicet rudes homines in officio contineant . Sed donec fatalis iſta conſtantia auſert illis ſenſum malorum ipſis impendentium , violenta mors , inopinatus caſus illos in omnem æternitatem præcipites agit in infernum . *Ibidem , Sermone pro quarta Dominica Adventus .*

Verus Dei timor ſervilis non eſt .

Cum S. Petrus Apoſtolus in Dei timore complexus eſt omnia hominis chriſtiani erga divinam Majeſtatem officia , neque inde excludere voluit fidem , pietatem , religionem , virtuteſque alias , quæ efficiunt , ut ſupremo huic animarum noſtrarum bono adhæreamus , neque ſatis eſſe dixit , ut vere Chriſtiani ſimus , in ſervili quodam juſtitiæ , atque judiciorum Dei metu vivere ; ſed ut hæc omnia ſimul complecteretur officia , hac uſus eſt virtute , velut illa , quam Prophetæ initium ſapientiæ , primumque annulum vocant in hac virtutum catena , quæ ſub JESU CHRISTI imperio noſtras voluntates captivat . Non loquitur igitur Apoſtolus de ſterili timore , qui ſolus ſit , & nihil in animabus noſtris producat ; loquitur de timore fœcundo , qualis erat timor Job , cum dicebat : ſemper vixi in timore Dei ; hic effecit , ut charitatem erga proximum exercerem , ut eſſem oculus cæco , pes claudo , atque de omnibus benemereri contenderem . *En chriſtianis ſermonibus in Dominica Tomo 4.*

Si Prophetæ adeo frequenter præcipiunt , ut Dei timorem habeamus , id faciunt , S. Bernardus ait , quia virtus hæc ſal eſt cæterarum . Hæc nos conſtantes efficit ſine temeritate , firmos ſine duritia , indulgentes ſine mollitia . Timor hic non aufert animos , quod impii dicunt , illos immo confirmat , atque ſupra mundum omnem attollit , illos ſubjiciens Deo . Omnes hiſtorias evolve , & videbis eos , in quorum anima altius Dei timor erat inſculptus , præ cæteris egregia facta edidiſſe : quicunque enim Deum timet , ſtudet nihil facere , quod diſpliceat Deo , & ea facit omnia , quæ Deo accepta eſſe cognoſcit . *Ibidem .*

Deum timere , & amare ſæpe unum eſt.

Putant nonnulli , aliud eſſe Deum timere , & aliud illum amare ; cum nihilominus alterum ſit alterius diſpoſitio , & ſæpe utraque ſimul confundantur . Quomodo iſtud ? Tria ſunt timoris genera , S. Bernardus ait : primi generis eſt timor ſuppliciorum inferni , quæ nobis intentata ſunt ; alterius timor eſt , ne fruamur Deo , ac in æternum ſupremo hoc bono privemur ; tertii vero timor eſt , ne divina deſtituamur gratia , ac ne Deum amemus , ſicuti illum amare & poſſumus , & debemus . Hoc poſito conſtat , extremam hanc timoris ſpeciem verum eſſe Dei amorem , & per illam veram ſanctitatem acquiri . Reliquæ duæ ſpecies bonæ ſunt , hominemque in officio conti-

nent: ſed tertia timor eſt perfectus, atque filialis. Ita Deum timere, vere eſt illum amare; eſt, S. Auguſtinus addit, vere adimplere illud S. Petri præceptum: *Deum timete*. 1. Pet. 2. Notandum quippe eſt, ſecundum Sancti hujus Doctoris principia, duas eſſe timoris ſpecies, quarum altera in charitate non eſt, ut loquitur S. Joannes in 1. ep. 4. *Timor non eſt in charitate*; altera vero aſt cum charitate conjuncta. Prior ille metus eſt ſervilis, per quem a malo abſtinemus, non quod juſtitiam diligamus, ſed quod ſupplicium perhorreſcimus. Poſterior eſt timor filialis, per quem metuimus, ne gratiam amittamus, & ne recedamus a Deo, quantumvis nullum eſſet vel ſupplicium timendum, vel præmium ſperandum; & hic timor ab amore proficiſcitur, vel ipſe verus amor eſt. *Joly in minutis operibus ſermone de Cleri cœtu*.

De metu, qui dicitur ſervilis: quandonam bonus, & ſanctus ſit.

Si Deum non times, niſi quod te punire poteſt, S. Auguſtinus ait, ut tu illum non amas. Fieri tamen poteſt, ut hic ſuppliciorum metus te in officio contineat; fieri poteſt, ut te eruditas, ac incipias optare bonum, quod te ab his eximat pœnis. Quam multi hac ratione converſi, & juſtificari ſunt? Quam multis gratia oculos aperuit, ut illis oſtenderet periculum, cui ſeſe objiciebant? Si eo in ſtatu morerer, actum de me in nullam ſpem reditus eſſet. Quam multi hoc timore perculſi dixerunt intra ſe: opus eſt, ut vitæ rationem immutem, & agam pœnitentiam. At hoc pacto loqui, & hos ſenſus fovere idem eſt, ac incipere veri boni deſiderio teneri; & hic timor licet in charitate non ſit, tamen introducit charitatem. *Idem*.

Timor hic laudabilis, & ſanctus eſt.

S. Auguſtinus hunc timorem commendat: *Ignem times, bene times*. O Dei juſtitia, quam metuenda es! æternæ flammæ, veſtri memoria ſatis, ſuperque apta eſt ad terrorem in conſtantiſſimas animas incutiendum! Si timor hic omnino immutare, & convertere cor noſtrum nequit, non ideo tamen inutilis eſt: peccati actum coercet, concupiſcentiam imminuit, prohibetque, ne extrinſecus malos offerat fructus. Hoc docet Scriptura, quæ ait futurum, ut nonquam peccemus, ſi mortis, atque eorum, quæ eam conſequuntur, ſemper meminerimus. David quoque videtur perfecte timoris Dei nobis effectus exhibere per hæc verba: *Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui*. Pſalm. 118. Propheta hic Deum orat, ut quandoquidem juſtum habet judiciorum ejus timorem, caro, & concupiſcentia illius alligatæ, atque confixæ permaneant; ita ut peccati fructus ferre non poſſint. Si timor efficit, ut ſuper cætera æternos timeamus cruciatus, timor hic erit veluti crux, cui affectiones noſtræ erunt crucifixæ; ut ſin minus mortuæ ſunt, illic tamen immobiles, & captivæ permaneant. *Idem*.

Mundi ſectatores ideo tot injuſtitias, & ſcelera committunt, quia in illis aliquid inveniunt, quod ſuis ſatisfacit votis, atque cupiditatibus; ſed Dei timor, cum fide animatur, omnes fallaces has oblectationes evertit. Hic nobis oculos aperit, ac oſtendit ſupplicia, deſperationem, æternamque mortem naturales eſſe peccati effectus; terribiles haſce pœnas peccatoribus debitas in hac etiam incipere vita, & eos omnes, qui creatis rebus per incompoſitas affectiones adhærent, neceſſario miſeros fieri, cæcos, ſervos, ſenſuque carentes. Ideo peccatores, qui jam ſe his malis obrutos vident, & qui deteriora adhuc verentur, dolere, ac gemere debent, ſeſe humiliare ac pœnitentiam agere criminum ſuorum veriti, ne in divinæ juſtitiæ decidant manus. *Idem*.

Quid Dei timor in hominibus præſtet.

Quid non efficit in improbis mortis timor? Ut vitæ ſuæ ſtudeant incolumitati, ſexcenta patiuntur tormenta morte ipſa deteriora: ſilentium ſervant; inter ſæviſſimos etiam cruciatus patientes ſunt, atque generoſi, utque diutius vivant, miſerrimam vitam ducere non detrectant. Quis ergo mirabitur, quod Dei timor eoſdem habeat effectus? Quod qui metuunt, ne animarum ſuarum morbi, atque peccata in infeliciſſimam deſinant mortem, ſe ſe intra ſolitudinem contineant, ac ſibi jugem mortificationem indicant; quod acerbiſſime corpus ſuum caſtigent, & carnem crucifigant, ut in ſemet peccatum, & peccati affectiones occidant? Haud æque intelligimus, Dei timorem gignere poſſe hos effectus ſibi adeo naturales; illud vero mirum eſt, quod tam pauci peccatores adſint, qui, uti opus eſt, Deum vereantur, quandoquidem adeo pauci ſunt, qui peccatorum ſuorum veram, ſolidamque faciant pœnitentiam. *Idem*.

Quid in hoc mundo nobis metuendum ſit.

Cum humanis tantum acti rationibus operamur, timemus ſexcenta, quæ nulla ratione timenda ſunt: timemus afflictiones, jacturas, humiliationes, contemptum, paupertatem, quæ fluxa mala ſunt, & ad breve tempus ſævientia. Sin autem Deum, uti opus eſt, vereamur, timor hic nos ab aliis quibuſcumque timoribus liberabit: nihil præter ſupremum judicem verebimur, qui non ſolum corpus noſtrum poteſt occidere morte, ab ipſa uſque nativitate, damnatum, ſed qui animam ſimul cum corpore in ignem æternum conjicere poteſt. Metuenda ſunt nobis ſcelera Deum contra nos irritantia; metuendum nobis eſt, ne in impœnitentia decedamus: metuendum nobis eſt corpus hoc corruptionis, quo ſumus induti; quandoquidem ſolus chriſtianus timor prohibere poteſt, ne jugiter nova peccata producat. *Idem*.

De timore inferni.

Infernum non cogitare, mira cæcitas eſt: illum cogitare, & non metuere, monſtroſus eſt furor; illum cogitare, timere, ac non omnes conatus exerere ad illum evitandum, deplorabilis eſt inſania. Fieri non poteſt, ut anima ſerio ignes æternos cogitans peccare velit. Hoc vallum eſt, quod illam cohibet; frænum, quod illam coercet; obex, quem illi objicit gratia, ne eo abeat, quo illam malus dæmon, & pravi affectus corripiunt. Inde fit humilior, cautior, ac ſibi metipſi attentior; dicere etiam audeo, cum D. Chryſoſt. hom. 55. ad Pop. Antioch. *Nemo eorum, qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet: nemo gehennam contemnentium gehennam effugiet*. Hic Domini timor, qui ſapientiæ initium eſt, via quædam eſt ad amorem illius: poſtquam illum veluti judicem timuimus, eum tanquam patrem amamus: in infinita miſericordia ejus confidimus, illi noſtras infirmitates, & miſerias exponimus, peccatorum veniam petimus, amicitiam ejus exquirimus, & conſilium capimus, quidquid accidat, illum in poſterum non lædendi. *Ex dictionario morali in conſiderationibus de Inferno*.

Timendum nobis eſt, propter incertitudinem ſtatus gratiæ.

Nihil nos magis humiliat, æquioremque tribuit metuendi cauſam, quam incertitudo, in qua verſamur, de gratiæ ſtatu. Nemo ſcit, inquit Spiritus ſanctus, utrum amore, an odio ſit dignus. O magnum timoris argumentum! O magnam humiliationis cauſam! Nunquam hunc metum mecum reputo, S. Bernardus ajebat, quin totis artubus contremiſcam. Si hujus characteris, & ſanctitatis vir trepidat, ubinam ſolatii cauſam nos inveniemus? Mortales omnes terribilis hujus incertitudinis conſortes ſunt, juſti æque, ac peccatores, ſed non eodem modo: peccatores quidem, quia credere debent ſe in gratiæ ſtatu inveniri; juſti vero, quia ſemper timere poſſunt, ne ſint. Quam terribilis, Domine, hæc eſt incertitudo! & quomodo hac opprimeremur, niſi ipſe nos confirmares! Sed quoniam ad ſuperbiam noſtram infringendam, noſque in humilitate continendos eſt neceſſaria, noſmet ei idem ſubjicere debemus, & nunquam juſtitiæ tuæ terrorem abjicere. *P. Nepveu tom. 2. conſiderationum*.

Timor potentiæ Dei.

Deum timeamus, qui efficit, ut ante ipſum præcedat mors, & qui ſolo oculorum obtutu facit, ut Gentes tanquam cera liqueſcant, & montes ſæculi in pulverem redigit, uti loquitur Propheta Habacuc. Eheu! S. Auguſt. Tract. 112. in Joan. ait, ſi ſola vox illius, qui hæc protulit verba, *Ego ſum*, ſine alia ope evertere potuit militum manum, qui magis terribiles erant propter odium, quo agebantur, quam propter arma, quibus ſepti erant; quid tandem efficiet hic Homo Deus, ubi venerit judicaturus,

cum

Digitized by Google

cum judicandus adeo potens extiterit? Quid poterit, cum venerit regnaturus, qui tantum potuit extremo ſupplicio afficiendus? *Abbas de Monmorel homilia de Paſſione.*

Timor divinæ Juſtitiæ.

Juſtitiæ acceptum referendum eſt, quidquid ferme boni ſit in mundo, & ſalus animarum; ſi enim non eſſet Deus, qui ſcelera noſtra puniret, quotuſquiſque bonum ſequeretur, & inter vitia, quæ modo graſſantur, quot nequiores adhuc abominationes viderentur in terris? Timor hic homines ſapientes facit, ac magnus eſt illis ſtimulus ad virtutem: adeo enim ignavi ſumus, ut ſine ullo ſuppliciorum timore præmiorum ſpe nequaquam afficeremur. Judicia tua, Deus, longe alia ſunt a judiciis hominum, & quemadmodum infinita miſericordia tua ſeſe in omnem vitam noſtram extendit ex eo temporis momento, in quo lucem prodivimus, opus eſt, ut momento eodem, quo ex hac vita migramus, infinite quoque juſtitiæ tuæ experiamur effectus: opus eſt, inquam, niſi ſapienti præcautione ſententiam tuam prævenimus, tuæque juſtitiæ ſatisfecimus. *P. Leſſius in tractatu de divinis perfectionibus.*

Ratio metuendi Deum ex illius majeſtate, ac potentia deſumpta.

Senote, regum majeſtatem in ſolis ſuis, ſolis nitorem in cælis fulminis nubes ſcindentis vim nihil habere, quod comparari valeat cum majeſtate, fulgore, ac vi Dei, quem adoramus, ajebat Job. Potentior eſt, quam omnes ſimul poteſtates, altior, quam omnes altitudines, ſapientior, quam omnes cœli, terræque ſapientes. Hic tanquam terræ fumus humanas diſſipat opes; hic regna ſubvertit, & de principum capite tiaras, & diademata dejicit: hic denique cum iratus eſt, in pulverem mutat omnem, quam mundus adorat, gloriam, quin hominum, vel Angelorum maximus jure ex illo exquirere poſſit: cur facis hoc? Quis ergo non timeat adeo potentem, atque incomprehenſibilis majeſtatis Deum, dummodo vel parum illum agnoſcat, & qui illum quarumcumque neceſſitudinum, humanarumque clientelarum jactura hunc ſibi amicum, atque patronum nolit adſciſcere? Quid timere poſſunt timentes Deum? illum vero non timentes quid timere non debent? *Pater du Sault libro quarto de confidentia in Deum capite quinto.*

Deum non timentibus timenda ſunt omnia.

Ajo, Deum non timenti neceſſario omnia, quæ extra *Deum* ſunt, eſſe timenda: nihil enim adeo infirmum, & miſerum eſt, quod illi nocere non poſſit, ubi ipſum non ſolum Dei præſidio deſtitutum, verum etiam odio ejuſdem oneratum inveniat. *Ecce ejicis me hodie*, infeliciſſimus Cain dicebat: *omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Gen. 4. ita ne igitur me deſeris, Creator; ita ne me a facie tua repellis? Quid inde fiet? niſi quod omnia a te creata inſurgent in me, ut me deleant, & perdant, ut me deglutiat tellus, me pelagus ſubmergat, me ſuffocet aer, ac in me fulmina ſua cœlum contorqueat? Quid aliud expectare a creatis rebus poſſum, cum me oderit creator? Hoc illud extremum eſt malum, ad quod redigis me, procul a tua facie rejiciens. *Idem.*

Si tibi nondum ſatis amoris eſt, ut Deum timeas eo modo, quo obſequens filius patrem ſuum veretur, ſaltem illum metue tanquam eum, qui futurus eſt judex tuus: metue tanquam illum, cujus incomprehenſibilia ſunt judicia; metue tanquam juſtum ſcelerum vindicem, & quia horribile eſt in ejus manus incidere: & quoniam hic metus Dei donum eſt, illum humiliter pete.

Inferni timor, quem S. Hieronymus habebat.

Videte S. Hieronymum, qui propter judiciorum Dei timorem, ut ipſe teſtatur, ſeſe inter ſpecus horrentis latebras clauſit pœnitentiam acturus: *Obgehenna metu tali me carcere damnaveram.* Homo ille ſublimi loco natus, & inter delicias innutritus, ultro in horridam ſeceſſit ſolitudinem, Solis ardoribus exuſtam: *In vaſta ſolitudine conſtitutus, & exuſta Solis ardoribus*; ille, qui primos annos in celeberrimis terrarum academiis verſatus eſt, qui familiariter cum ſummis Pontificibus, præſtantiſſimiſque totius mundi principibus egit, ſe ipſum ſcorpionum, ferarumque ſocietate damnavit. *Scorpionum tantum ſocius, & ferarum.* Domus illius obſcura caverna eſt rupibus circumſepta; indumentum illius diſſutus, tritusque ſaccus: *horrebant ſacco membra deformia.* Dies, noctesque in ſuſpiriis, gemitibuſque traducit: *Quotidie lacryma, quotidie gemitus.* Neque has ſatis eſſe putans auſteritates, manu ſilicem ſtringit, ut ſuum pectus percutiat. Pœnitens hic, quem vobis exhibeo Dei timore affectum, & juſtitiis ejuſdem perterritum, *ob gehennæ metum*, non utique eſt homo inanibus obnoxius illuſionibus, ſed celeberrimum ingenium, ac nulli ſecundum inter ea, quæ Chriſtiana religio produxit. *Texier in adventu, de impio infelici.*

Deſcriptio timoris generatim.

Nonne ratio, quaſi præſentia mala ſibi nequaquam ſatis eſſe videantur, ſtudet, ut futura ipſa ſcrutetur, atque animo ſuo formidabilem exhibeat imaginem malorum, quæ fortaſſe nunquam evenient? Illam nulla vel acerbiſſima mali circumſtantia fallit; atque in id omnem impendit operam, ut omnem mali magnitudine & ſentiamus; cumque dolore & conamur eludere, nos revocat, atque ſexcentis, tiſque moleſtis cogitationibus penſat eam voluptatem, qua ad breve tempus infelicitatis noſtræ obliviſci potuimus. *P. Cheminais ſermone de tribulationibus.*

Dei timor neceſſarius eſt, ut pœnitentiam agamus.

Terribilium Domini judiciorum timor neceſſarius eſt, ut peccator ad pœnitentiam revocetur. Sed amori timor accedat oportet, ut hæc pœnitentia perfecta fiat. In humano corde duæ partes aliquid conferre debere mihi videntur, ut integra, & perfecta ſit ejus converſio. *In toto corde veſtro.* Adeſt in corde pars inferior, quæ magis craſſa eſt, & rudis, quæ ſenſibilibus tantum rebus affici poteſt: timor in hac parte cordis eſſe debet; hic horribili imagine inferni, & naturalis horroris vitiorum humanum cor percellit, & a peccato deterret. Verum in corde eodem eſt altera pars ſuperior, atque cœleſtis, quæ vividioribus tantum gratiæ luminibus patet: partem hanc movet amor, & charitas Dei, quæ efficit, ut Deus propter Deum ipſum quæratur. Cordis converſio a timore quidem ducit initium, ſed per amorem perficitur. Ad Deum nonniſi propter timorem reverti, hoc ex parte dumtaxat, ut ita dicam, converti eſt: ut totum cor Deo ſerviat, amor cum timore debet conjungi. *Ex ſpecimine ſermonum Abbatis de Breteville.*

Non ſatis erat ergo. Fratres, S. Auguſtinus ajebat, amor Dei ut peccatum evitaremus? Opuſne erat, ut timor, ac maxime terribiles minæ pro fidelibus adhiberentur? *Timor in adjutorium amoris excitandus fuit.* Saltem ſi timor id faceret, quod amori faciendum eſſet, minus miſeri eſſemus; illud vero miſerrimum eſt, quod hodierna die eo uſque ſenſum omnem abjecimus, ut neque amore, neque metu afficiamur, & quæ maxime terribilia ſunt, nulla & in cordibus noſtris vim habeant. *Idem.*

Dei timor inter præſumptionem, & deſperationem contineri non debet.

Spes, atque timor duo ſunt velut libramenta, per quæ vult Deus homines in hac vita conſiſtere inter mala duo, quibus ſepti ſunt, præſumptionem videlicet, atque deſperationem. Utrumque ſua habet fundamenta ſolida, & inconcuſſa. Ut ſperemus, ſatis eſt ſcire, Dei miſericordiam infinite majorem eſſe noſtra infirmitate; noluiſſe Deum in hac vita ullum ſatis certum reprobationis cujuslibet præbere argumentum; ipſumque præſto eſſe, ut ſua gratia recipiat, quicumque contrito, & humiliato corde ad ipſum confugerit. Ut autem timeamus, ſatis eſt, penitiores cordis noſtri latebras nobis inexploratas eſſe, & neſcire, utrum amore, in odio digni ſimus; nobis eſſe compertum, finalis perſeverantiæ in gratia peculiare donum eſſe, quod Deus nemini debet; nullum eſſe juſtitiæ ſtatum, gradumve, ex quo decidere nequeamus, & homines ſibimet ipſis traditos in omne nefas poſſe proruere. *In continuatione Speciminum Ethicorum Tom. 2.*

Divinæ juſtitiæ cogitatio.

Quamcumque ſibi effingant homines de Dei bonitate, & miſericordia ideam, nonne illos juſtitiæ

ejuſdem perterreret adſpectus in univerſali mundi totius naufragio videntes, quantum illi diſpliceat peccatum, & quam parum divinam temperare poſſit ultionem ingens peccantium multitudo? Dicerent illi ne poſt hæc, ſi Deus omnia punire vellet peccata, omnes mortales eſſe puniendos, quandoquidem reliqui omnes, ut ipſi, peccant; ac ullum invenire poſſent ſolatium in magno eorum numero, quos imitantur, cum ibi oculis fidei contemplentur peccatores omnes univerſali diluvio deletos, quin ne unus quidem ultricem Domini manum effugiat? *Liber, cui titulus: Vitæ Sanctorum Patriarcharum veteris teſtamenti.*

Deus ſæpe in hoc mundo peccata punit, ut eorum timorem injiciat.

Hoc in Scripturis Deus; ſæpe minitatur. Efficiet aliquando, ut juſtiſſimos iræ ſuæ experiaris effectus; & gladius iſte, de quo loquitur Propheta, ſæviens in domum tuam non recedet ab ea, niſi prius illam omnino deleverit: *Non recedet de domo tua gladius in ſempiternum.* 2. Reg. 12. Tunc clamare audieris: *Mucro Domini, mucro Domini, uſquequo non quieſces?* Jerem. 42. Sed fortaſſe fruſtra clamabis; atque te clamante, quieſce, Deus viciſſim clamabit, percute: *Mucro, mucro evaginare quocunque eſt appetitus.* Ezech. 21. Percute mucro, ubique percute, amicos, fortunas, filios, valetudinem, exiſtimationem, honorem, nulli rei parcas, omnia dele. Quod ſi hoc non acciderit: ſi peccatur, quamvis impœnitens, nullo fuerit affectus ſupplicio; hoc ipſum impunem eſſe ſuppliciorum omnium eſt maximum, quæ Deus in hac vita poſſit immittere; manifeſtum quippe indicium eſt, peccatorem gravioribus divinæ ultionis effectibus in miſeram æternitatem reſervari. *P. Aurelianenſis.*

Divinæ juſtitiæ ſeveritas in eos, qui Dei gratiis abutuntur.

In Bibliis quædam occurrunt ſummæ ſeveritatis, quam Deus in illos exercuit, in quos largius ſuas gratias effudit, exempla, quorum pleni Prophetæ ſunt. Quid dicam de parabola ficus, quæ in evangelio igni adjudicatur, quia ſterilis eſt? Etenim, ut S. Cryſoſtomus inquit, quo majori cura olitor arborem colit, eo magis in hanc irritatur, cum, licet ſuis exculta laboribus, nullum fructum aufert. Quid dicam de pœna ſervi in tenebras exteriores projecti, eo quod creditum ſibi talentum in queſtu non collocaverit; ac de tot aliis figuris, quibus Dei filius utitur ad excitandam Chriſtianorum fidelitatem terrore indignationis ſuæ, & formidine pœnæ, quam præparat illis, qui, lumina ipſius contempſerunt? *P. Rapin, de fide primorum ſæculorum.*

Perſeverantiæ noſtræ incertitudo om in timore continere debet.

Ut nos humilitate, ac ſubmiſſione contineret Deus, cogeretque, ut cum timore, ac tremore ſalutem noſtram operaremur, noluit Deus finalem perſeverantiam commercio exponere humano, ſed illis ſibi jus reſervare, ita ut ſemper merus eſſet effectus ſuæ miſericordiæ. Promiſit ille quidem gratiæ ſanctificantis augmentum juſtis omnibus, qui exercebunt virtutem, non ſecus ac gloriæ coronam in omnibus, qui in gratiæ ſtatu deceſſerint; ideoque ille, qui ſta felix extiterit, ut moriens gratiam poſſideat, coronam hanc aſſequetur. Verum perſeverabit illene in gratia uſque ad mortem? Ita fortaſſe. At itane perſeverabit, ut nequeat Deus, quin juſtitiam, fidelitatemque ſuam lædat, illi gratiam negare, quæ illius efficere debet perſeverantiam? Non ita. Quare? quia omnes bonæ actiones noſtræ nullam habent neceſſarium nexum cum dono perſeverantiæ. Hæc non eſt illis debita remuneratio; non deeſt igitur juſta ſemper metuendi cauſa. *Ex Anonymo.*

O terribilis incertitudo noſtræ prædeſtinationis, & gratiæ, a qua perſeverantia, & ſalus noſtra pendet! Quam terribilis eſt in re tanti momenti! ſed quam ſimul nobis immittere debet humilitatem! Hoc unum ſcio, me ſine perſeverantia nunquam ſalvum fore: de fide eſt, me illam nec mereri, neque certam facere poſſe. In quo ergo confidam? Nunquid in voluntate Dei? Hæc me latet hac in re: *Quis cognovit ſenſum Domini?* inquit Apoſtolus ad Rom. 11. *Aut quis conſiliarius ejus fuit?* Si eam ignorabat S. Paulus, qui ad tertium uſque raptus fuerat cœlum, qui illam ſibi exploratam eſſe confidat? In voluntate mea? Cum adeo cæca ſit, infirma, corrupta, mobilis, ullamne illius rationem habeam? Nunquid in bonis operibus meis, Præterquamquod ut plurimum adeo abundant defectibus, quamvis eſſent præſtantiſſima, & perfectiſſima, non poſſent tamen certe gratiam perſeverantiæ mereri; ſemperque nobis occaſio eſſet timendi, ne illam unquam eſſemus aſſecuti. *P. Neuveu in ſpiritu Chriſtianiſmi.*

Judas in JESU CHRISTI ſocietate periit. Hæc prima conſideratio eſt. Donec in mundo ſumus, prædeſtinationis noſtræ ſatis certi non ſumus. Judas in ipſo Apoſtolatu damnatus eſt; ergo in ſanctiſſimo quovis, perfectiſſimoque munere damnari poſſumus; neque aliud conſilium, quod amplectamur, ſuppetit nobis, quam quod S. Paulus docet, ut videlicet de nobiſmet ipſis diffidamus, & obſequentiſſimam confidentiam in Domini gratia, & auxilio conſtituamus. Verum enim vero ſi Judas in JESU CHRISTI ſocietate periit, quomodo non contremiſcam ego, qui in mundo, & magnis mundi ſocietatibus irretitus ſum, ubi tot mihi ſcandali occurrunt argumenta? Nunquid in Dei gratia, quam mihi impertit, confidam? Eheu! id immo me terret; etenim JESUS CHRISTUS Judæ, quam mihi, majores, uberioreſque gratias largitus eſt. Quid ergo? num in familiaritate, quam cum Deo in precibus meis habere potuiſſem? Heu! Judas ad triennium gaviſus eſt filii Dei conſuetudine. Nunquid in pœnitentia mea? Judas quoque egit pœnitentiam, & nihilominus reprobatus eſt. Haud equidem Domine. Non confidam vel in gratiis, quibus me large, effuſeque donaſti, neque in mea pœnitentia; ſed omne præſidium, omnemque ſpem meam in tua miſericordia conſtituam, ſemper animo fovens timorem judiciorum tuorum; per hanc quippe video unicam eſſe rationem, per quam juſti conſiſtunt, & peccatores reſurgunt: *Poſuiſti firmamentum ejus formidinem*, ait Propheta Pſalm. 88. Unde inferendum eſt, ſalutem noſtram in mundo cum timore eſſe operandam, quandoquidem Apoſtoli ipſi in Dei ſocietate perverti potuerunt. Primus Angelorum in cælo perierat, ſed illius exemplo non ſatis afficiebamus; primus hominum perierat in paradiſo terreſtri, ſed ejus exemplum nimis adhuc a nobis aberat; nobiſque opus erat exemplo, quo edoceremur, in ſanctiſſima quoque mundi in ſocietate perire non poſſe: illud vero nobis in calamitoſiſſimi Judæ perſona præbuit Deus. Poſt hæc Dei Judicia metuenda non erunt? Poſt hæc inanem ſalutis veſtræ confidentiam temere fovebitis, ignaveque, & oſcitanter illam operabimini? Judæ reprobatio ita nobis utilis eſſe poteſt, ut Dei vereamur judicia; etenim gignet in nobis ſalutarem metum, quem Propheta a Domino expetebat: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Pſalm. 118. *Bourdalove in manuſcripta meditatione.*

Peccatorum converſio, ut plurimum initium ducit a timore.

Vulgares converſiones a metu incipiunt, & deſinunt in amorem. Timor judiciorum Dei introducit amorem perfectionum illius, acus inſtar, Sanctus Auguſtinus ait, filo viam aperiens. Carnem ſalutari terrore confugit, ut in animam charitatis perfectionem immittat. Idcirco Sapiens Prov. 14. Domini timorem vitæ fontem appellat: *Timor Domini fons vitæ:* Quemadmodum enim exigens fons in rupe cava, aut in terræ viſceribus deliteſcens extrinſecus proſiliens rivulum efficit, qui ſubinde creſcens, atque cum ingentium fluviorum aquis ſeſe conjungens, una cum illis fertur in oceanum: ita primi illi terrores, quos Dei brachium ſuper peccatorum caput ſublatum excitat in animabus eorum, ſunt veluti ſunt ſalutis adhuc latens, & in imo cordis ſepultus. Proſilit autem extrinſecus per quædam pœnitentiæ ſigna, & actus pietatis; creſcit affluentia gratiarum per Sacramentorum, ad quæ noxios adducit, rivulos manantium: & denique per perſeve-

ſeverantiam iu bonis operibus paullatim iu divini amoria fluvium convertitur, ac feliciter definit iu perfectiunem charitatis, omnem timorem foras expellentis: *Perfecta charitas foras mittit timorem*. 1. Joann. 4. *Abbas du Jary, ſermone de Sancta Magdalena*.

Deus ſæpe punit peccatorem per ipſa peccatorum ejuſdem inſtrumenta.

Peccator ſæpe per ea punitur, quæ iniquitatis ſuæ inſtrumenta ſuerunt. Eadem cæſarie, qua uſus fuerat Abſalon, ut corda Iſrael ſeduceret, uſus eſt Deus, ut funeſta necteret vincula, quæ mortis ejuſdem cauſa fuere. Ignis ultur, quo Levitæ illi abſumpti fuere, qui contra Moyſem, & Aaronem defecerunt, egreſſus eſt eu eadem acerra, quam ſacrilegis manibus deferebant. David uſus eſt gladio Goliath, ſuperbi hujus gigantis, qui Dei viventis exercitibus inſultabat, caput amputaturus: & ebrietas, qua impudicus Holophernes ſe proluit, illum inermem tradidit ſtrenuæ Judithæ, quæ abſtulit opprobrium populo Dei inimicos ejus operiens confuſione. Ita peccator decidit iu foveam, quam facit. *Idem*.

Utile eſt peccatori Dei juſtitiam timere.

Animadvertendum hic eſt, utilius eſſe ire ad Deum metu juſtitiæ, quam præcipiti ſpe miſericordiæ. Operæ pretium eſt, quod peccator ſibimet ultricem hanc repræſentet ultionem, quæ peccatum impune abire non patitur; neque ita periculoſum eſt, uti exiſtimatur, cogitatione ipſa in infernum deſcendere, ut pœnæ impii deſtinatæ illic ſpectentur. Ideæ, quæ animam replent formidine, ſuperbiam ejus infringunt, imminuunt præſumptionem, atque majori cum ardore Deum verſus impellunt. Cum funeſtos peccati effectus ſentimus, tunc magis ſincero illud odio perſequimur, & minus periculum eſt, ne iterum labamur. Denique dici nequit amplius, quod nobiſmet ipſis blandiamur; ambulavimus per viam, quam Deus nobis indigitavit, vidimus, quidquid horroris erat in ſcelere, ejus pœnarum partem luimus conſcientiæ ſtimulis agitati. Timor decidendi in manus Dei ultoris nos retinet in officio, ac illuſiones in pœnitentia adeo frequentes minus metuendæ ſunt. *Idem*.

Pœnæ, quas de peccatis Deus ſumpſit, efficere debent, ut illum timeamus.

Primorum temporum legantur hiſtoriæ, & innoteſcet, diluvio terram inundatam fuiſſe; quia alterum corruptionis diluvium præceſſerat, & quia ne unus quidem inveniebatur homo, qui bonum operaretur. Deo quidem curæ eſſe debebat pulchritudo operis ſui, quæ proculdubio hac aquarum eluvione detrimentum erat paſſura; & ſi unquam multitudo peccatorum divinam remorari debuiſſet juſtitiam; hoc illo quidem momento debebat accidere. Attamen ſolus Noe, qui juſtus erat, mortem effugit, quemadmodum generalis expers fuerat corruptionis. Poſt hæc te impune abiturum confide impiorum numero fretus. Mirum eſſet, ſi vitæ cura negligeretur, ſi venenum ebiberetur, eo quod frenetici multi hoc faciunt. *Idem*.

Utilitas timoris Dei.

Quomodonam impœnitens anima moveri poteſt, niſi per juſtitiæ ideas, quæ una ipſam flectere poteſt obdurationem, & cogere cor, ut ſe ſe dedat? Utile eſt etiam illis, qui nondum ſatis in Dei timore profecerunt, rationes ſervare, quæ illum excitare poſſunt, ne in peccati ſervitutem ingrediantur, ut ſaltem a nefariis actionibus abſtineant, niſi prorſus omnia eorum extinguere poſſunt deſideria. Præterea illos etiam præparat, ut virtutis illecebras ſentiant, & pietatis dulcedinem guſtent. Hic denique timor perficitur, vel potius in ejus locum ſuccedit charitas: proprium enim charitatis eſt timorem expellere. Itaque illum utilem eſſe, nemo ire poteſt inficias; & quin eodem uti nos pudeat, meminiſſe debemus, Sanctos omnes illum ſuadere, eumque reſpicere tanquam principium ſapientiæ, & viam, per quam ad perfectionem, & pacem aditus patet, *Idem*.

Regibus quoque timendus eſt Deus.

Vos, qui numinis veſtri terrorem injicere cupitis ſæviſſimis hoſtibus veſtris, timete Deum, ſi ab hominibus timeri vultis; & ſcitote, nulla re majorem contra mundum audaciam acquiri, quam per timorem Dei: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Hoc pacto loquebatur regius Propheta, qui omnem gloriam, roburque ſuum in Dei timore conſtituebat, eumque impenſius flagitabat, ut ipſius cor ſuo timore configeret: *Confige timore tuo carnes meas*. Hoc illud eſt monitum, atque conſilium, quod Joſue Iſraelitis legavit, antequam eu humanis decederet. Invictus ille bellator triumphis magis onuſtus, quam annis, cum prope eſſe videret, ut glorioſæ vitæ finem imponeret; Vixi, ait ille in militum ſuorum concione, & vici; triginta reges, & ultra, in vincula conjeci, adſpectu ſolo urbes fortiſſimas everti, ac victrices hoſtium copias fudi; & Solis curſus pernicitatem cohibente, ne inimicorum turpis fuga, & pudor nocturnis tenebris contegeretur, juſtæ iræ meæ frequentiſſimum, fortiſſimumque exercitum, qui mihi uſpiam fuerit adverſatus, immolavi. Verum licet fortiſſimus heros ſim, non ideo ſum immortalis: *Et ego ingredior viam univerſæ terræ*. Joſue 23. Veſtrum eſt gloriam a me vobis partam tueri. Vobis equidem illam tradam artem, qua fretus ſemper ex acie victor diſceſſi: *Nunc ergo timete Deum*. Deum timete, atque ſemper eritis invicti; ac certo ſciatis, hoc timore fortitudinem acquiri, ac veros fortes, ſtrenuoſque viros roborari. *De Breteville in libro de eccleſiaſtica eloquentia*.

De Atheorum, impiorumque intrepiditate.

Dicant ſane impii quidam, imbecilla, anguſtaque dumtaxat corda poſſe metuere ea, quæ Dei nomine nobis intentantur; vel potius ſuam fateantur infelicitatem, & ſciant, eum, qui magis timet Dominum, vere imperterritum eſſe, propterea quod qui Deum timet, nihil præter Deum timet, & qui Deum unum timet, nihil in terris poteſt timere. Timete Dominum, Sapiens Eccle. 12. ait, hæc enim tota eſt hominis fortitudo: *Deum time, hoc eſt enim omnis homo*; & vera gloria magis in hoc timore, quam in omnibus terræ opibus, honoribusque conſiſtit: *Melius eſt parum cum timore Dei, quam theſauri magni, & inſatiabiles*. *Idem*.

Deus ſemper eſt terribilis.

Deus, quantumvis ſeſe familiarem præbeat, ſemper terribilis eſt; licet non alia ſuppeteret ratio, quia ille per ſe inviſibilis eſt, & poteſtates omnes, quæ non videntur, ſecum ſemper afferunt terrorem. Quidquid ignotum eſt, vetus quidam ait, magnum habetur. Ita Sanctus Paulus nos ad prælium cohortaturus in tentationibus ait, prælium hoc terribile eſſe, & maximopere pertimeſcendum, quandoquidem ineundum eſt non cum corporibus, ſed cum ſpiritibus ab omni materia expeditis. Attamen quid omnium malorum Angelorum conatus, & vires eſſe poſſunt, ſi cum Deo vivente, cujus invicta potentia eſt, comparentur? Viri principes non ſemper omnem habent poteſtatem, quam cupiunt; eaque ſæpe locis, ac temporibus, circumſcripta eſt; & Deus unus eſt, qui efficere poſſit, quæcunque cupit. Univerſus orbis, Sapiens ait, armabitur ad ultionem inimicorum ejus. Ultio Dei in tonitruis murmurat, emicat in fulguribus, exundat in fluminibus, depopulatur in inundationibus, in exercitibus igni, ferroque vaſtat, & in mari deglutit. Heu! quomodonam Deus terribilis eſſe non poteſt, quandoquidem creata ipſa ſenſu carentia ſub pedibus Illius contremiſcunt? *Pater Cauſſinus in Rubo ardenti*.

Dei timor eſt ſalutaris.

Videmus arma veneno imbuta, ubi vulnus inferunt, certiſſimam inferre mortem; efficiunt enim, ut virus ſanguini commiſceatur, qui deinde fluens, & ad cor ipſum dilapſus ita vitæ fontem inficit, atque corrumpit. E contra vero ſagittæ, quas Deus in peccatorem contorquet, ſalutari imbutæ ſunt pharmaco; & ſtatim ac percuſſerunt, metumque cordi attulerunt, ubique medicam, vivificamque virtutem effundunt. Hinc Propheta Deum orat, ut carnes ipſius ſuo timore confodiat: *Confige timore tuo carnes meas*. Pſalm. 118. ita ut cœleſtis hujus

medici tanquam potiſſimus habeatur aphoriſmus: *Timor Domini expellit peccatum*. Eccli. 1. Sed hæc regula nequaquam inanibus nbnoxia eſt conjecturis &c. *Albizzus Italus concionator*.

Magna ſupplicia, quibus Deus in hac vita punit peccatores.

Malum, quod Jeroſolymæ poſt tot ſcelera, infidelitates, & , ut idem loquitur Propheta proſtitutiones, per Ezechielem Deus fuit minitatus, non eſt ejuſdem excidium, quemadmodum alias Ninivem ſe everſurum portenderat; ſed minitatus eſt effecturum ſe, ne illa ulterius indignationis, iræque ſuæ ſentiret effectus, quos ingrata civitas jure merita fuerat: *Auferetur zelus meus a te, quieſcam, & non iraſcar amplius*. Ezech. 16. Heu! Hæc maxima eſt iræ Dei juſte irritati nota, nullam iræ ſuæ in hac vita notam tribuere! Etenim ut Sanctus Hieronymus in hunc locum inquit: *Ex hoc perſpicimus grandem offenſam eſſe, nequaquam curæ haberi a Deo, ſed permitti hominem ſceleribus ſuis*. Hoc argumento eſt, Deum de correctione noſtra deſperare, quandoquidem nos corrigere negligit. Terribile malum, Fideles, & millies metuendum magis, quam ſeveriſſima quælibet divinæ juſtitiæ flagella, quæ aliquam ſaltem nobis ſpem miſericordiæ in altera vita relinquerent, & quæ in præſenti pœna deficerent, quæ quantacumque ſint, ſemper ſunt divinæ bonitatis effecta; quandoquidem ad id unum illa Deus nobis immittit, ut æternum poſſimus evitare ſupplicium. *Ex manuſcripto ſermone*.

Divinæ Juſtitiæ exempla impiis terrorem debent incutere.

Sanctas legamus hiſtorias, percurramus omnia magna, atque terribilia divinæ juſtitiæ exempla: nonne illa totidem voces ſunt, quibus admonentur impii, ea mala, quæ ſimilibus eorum contigere, illis quoque aliquando eventura? Etenim ubinam Dei eſſet juſtitia adeo ſevere alios punientis, atque ultionem ſuam uſque ad innocuos extendentis? Etenim in diluvio Deus octo dumtaxat ſervavit animas, & reliquum genus humanum immenſis fluctibus delevit. In Sodomæ incendio una Lothi familia ſalva facta eſt, reliquis igne de cœlo demiſſo conſumptis. In ſeditione Core, & conjuratorum ejus, quidquid mortalium in tabernaculis eorum verſabatur, dehiſcens abſorbuit tellus. Heu! quot innocentes & in diluvio, & in Sodomorum igne, & in rebellium tabernaculis una cum noxiis interierunt! Quænam igitur hæc eſſet juſtitia, in alios quidem adeo ſevere animadvertere, flammis abſumere, terra, fluctibuſque deglutire, & ultionem ad ipſos etiam culpa carentes extendere, alios vero tot ſceleribus coinquinatos impunes abire pati? Non deeſt igitur, cur metuant hujus effectus juſtitiæ, quæ eo magis ſevera futura eſt, quo magis ſera fuerit. *Ex chriſtianis ſermonibus tomo* 4.

Divinæ juſtitiæ ſupplicia non timentur, quia non creduntur.

Non loquimur quidem, ut impii; ſed non aliter vivimus, ac illi: ſermo quidem alius eſt, ſenſus vero iidem. Si enim divinæ juſtitiæ fidem haberemus, nonne & ejuſdem timorem haberemus? Hi duo ſenſus invicem non ſeparantur, neque in ipſis dæmonibus, qui credunt ſimul, & contremiſcunt. Si ergo tantumdem fidei nobis eſſet, quantum non Angelis, nec Sanctis, ſed quantum dæmonibus adeſt; næ nos quidem juſtitiam Dei metueremus: & cum hoc timore, quem omnes dæmones habent, præ illis innocentiam, vitæque probitatem haberemus. Nam quantum fides a timore, tantum timor a vitæ probitate ſeparari non poteſt. *Idem*.

Quam utilis ſit Dei timor.

Quidquid dicant impii, ut timorem Dei redarguant, verum eſt, Deum ipſum huic ſuam gloriam, gratiam huic victorias ſuas, religionem aras, virtutem merita, omneſque peccatores ſalutem, & converſionem debere; & ex Tertulliano liquet, Ethnicos nunquam magis converti conſueviſſe, quam cum de judiciis Dei verba fieri audiverant: *Nos in hanc diſciplinam metu præjudicati judicii tranſvolamus*. Ideo explicite metum hunc ſalutis baſim appellat, cum nulla res tot homines in Dei ſervitute contineat, neque tot flagitia cohibeat, quot juſtitiæ metus: juxta tritum illud axioma: *Plures timor intra legem cohibet, paucos voluntas*. Hic clypeus eſt, Sanctus Chryſoſtomus ait, propugnaculum, ara, vel ſi mavis tutelaris animæ chriſtianæ Angelus illi ſimilis, quem Deus præ foribus terreſtris paradiſi collocaverat terribilem enſem dextera criſpantem, ut peccatori aditum intercluderet. *Idem*.

Vult Deus nos juſtitiæ illius timore affectos eſſe.

Hoc tantum metu nos affici Dei filius jubet: Ne timeatis, ait ille, eos, qui corpori quidem veſtro mortem inferre poſſunt, & nihil præterea detrimenti afferre: ſed illum timete, qui animas veſtras una cum corpore perdere, & utrumque extremo ſupplicio poteſt afficere: *Ita dico vobis, hunc timete*. Homines quidem temporalem tantum mortem poſſunt infligere, Deus vero mortem æternam inferre poteſt, ideoque *hunc timete*. Mala omnia, quæ mundus afferre poteſt, illis tantum ſunt mala, qui eorumdem ſuperandorum patientiam non habent: ſed illa, quæ Deus afferre poteſt, hominum conſtantiam excedunt; itaque *hunc timete*. Quanquam conſilium inierint homines perdendi vos, hos adhuc lenire poteſtis; illi ſenſus immutare poſſunt: ſed verbum Dei nunquam mutatur; juſtitia illius vel æternum ſuſtinenda eſt, vel in hac vita prævertenda: *Hunc timete*. *Idem*.

Dei juſtitia, & ira metuenda eſt.

Juſtitia Dei adeo terribilis eſt, ut vix illius ideam ab idea iræ ejuſdem ſeparare poſſimus: ira tamen ipſius nihil eſt niſi juſtitia. Contra malos iraſcitur; ita paſſim ſacra Biblia loquuntur; ſed quantumvis iratus ſit, ſemper ſibi par eſt, nec unquam ullis affectibus perturbatur. Impios citra animi motum, & ægritudinem punit; tranquilla manu in illos ſuam ultionem exercet; ſua contorquet tela, & tonitrua: damnat, reprobat ſemper immutabilis.... Quomodo igitur explicari hæc poteſt Dei ultoris ira, quæ nobis eſt metuenda? Hæc ſævit in peccatorem, qui motus ejuſdem patitur. Ira agitat; peccator agitatur. Ubi ille peccavit, traditur curis, tumultibus, omnibuſque agitatæ conſcientiæ furoribus. Excæcat ira; peccator excæcatur: ejuſque ægritudo rationis, fideique ipſius lumina extinguit. Ira periculum tegit: peccator ſe ſe in graviſſima quælibet mala præcipitem agit... Deus contra peccatorem iraſcitur, hoc dicere quidem poſſumus, quandoquidem Spiritus ſanctus hoc dixit: ſed peccator in exitium ſuum armatur, & perit. *Liber, cui titulus: Animadverſiones in varia religionis, ethicæque argumenta tom.* 2.

Illis, qui in mundo effulgent, præ cæteris magis metuendus eſt Deus.

Quodnam ſpectaculum principibus viris exhibet immenſa pelagi maſſa, ubi illam minutis arenæ granulis coercitam vident! Ullumne corpus eſt indomitum magis, quam mare? ullumne magis contemnendum, infirmumque, quam arenæ granum? Et Oceanus irritatus, ſpumans, & furens ſine vi in littore ſubſidit, minuta, quæ illum ibi præſtolatur, arena victus, & fractus! Principes coram Deo toto cœlo minores ſunt, quam arenæ granum habita oceani ratione; quarum indiget virium, ut illos humiliet, atque proſternat; Quæſtioni reſpondere difficile eſſet: leviter veritatem exprimeret, ſi quis illum nulla re prorſus indigere affirmaret. Homines, quos humilis eorum conditio longe a nobilibus removet, & qui præ reverentia coram illis contremiſcunt, quam concipere poſſent ideam de divina potentia? Quomodo fieri poteſt, ab illis Deum adeo parum timeri, ut nihil omnino timeatur? Sed quot potentiam illius formidarent, ſi meminiſſent, principibus viris, qui ſubditis ſuis adeo terribiles ſunt, eaſdem, ac ſubditis eorum, eſſe ejuſdem timendæ rationes? *Idem*.

Dei timor conſtantiam noſtram roborat, non minuit.

Humani timoris naturalis effectus eſt conſtantiam noſtram extinguere, ſenſuumque noſtrorum nobilitatem ſuffocare. Dei timor nobis generoſitatem inſpirat, nobis vim tribuit, noſque ſupra noſtras infirmitates attollit. Omnis hominum potentia nihil aliud eſt, quam inane phantaſma, ſi illam cum Dei omnipotentia conferamus. Mala, quæ nos ſimiles efficere poſſunt, levia ſunt, fluxa, contemnenda.

Deus

Deus unus nos opprimere poteſt, ſuiſque plagis in nihilum redigere. Videtur ergo ſola adeo terribilis Domini idea nos turbare, terrere, & ad deſperationem adigere poſſe; & e contra quo magis illius minæ nos terrent, eo majorem confidentiam concipimus, eo majorem præ nobis ferimus fortitudinem.... Omnia terrorem incutiunt homini hominis alterius odium, iramque metuenti: contremiſcens ad ſingulos greſſus aliquod tutum perfugium requirit: aſyli, qui tutiſſimi habentur, apud illum ſuſpicione non vacant; metus illi ne momentum quidem quietis tranquillæ permittit. E contra vero omnia magnitudinem, magnanimitatem, ſublimitatem oſtendunt in eo, qui Dei judicia extimeſcit. Nulla re concuti poteſt: irridet, quidquid in creatis rebus terribile eſt, neſcit graviſſimis adverſitatibus vinci; caſus varii animum ejus non mutant. *Idem*.

Timor, quo percitus erat David.

Audite ſanctum regem David. Interdiu, noctuque agitabar, atque torquebar, nimiiſque fletibus jam jam lumen oculorum atterebatur, indeſinenter clamabam ad Deum: Quam terribilia judicia tua, Domine! Verum eo in oppreſſionis ſtatu, in quo ſum, hoc unum peto, ut me magis adhuc timore tuo repleas. Illum alte inſerere cordi, carnibus, ſenſibuſque meis, ut nunquam timere te deſinam: *Confige timore tuo carnes meas.* Pſalm. 118. Sed cur a Deo petit timorem, quandoquidem illum jam tantopere metuebat? Scio equidem, reſpondet ille, quid petam. Si id antea feciſſem, meliuſque feciſſem, næ ego quidem peccaſſem. In ipſo timore confido, ibique certum meæ ſalutis pignus invenio: *A judiciis enim tuis timui. Pater Girouſt in Adventu, ſermone de falſa pace.*

De ſe ſtus ... ſcientiæ ... fide ... & ... ſit cauſa.

Hæc Sancti Cypriani ſolida eſt argumentatio: *Æterna tormenta, conſcientia mala ſi crederet, metueret.* Si metueret, modum diligenter inquireret, quo hæc effugeret mala: *caveret*: & ſi hunc bona fide perquireret, eum ſane inveniret, neque ſe ſe, uti fit, in præceps conjiceret: *vitaret*. Sed labimur, quia ultro noſmet periculo objicimus; noſmet periculo objicimus, quia illud non timemus; neque illud timemus, quia minime credimus. *Idem ſermone de fide*.

Juſtitiæ divinæ theſauri infiniti ſunt, non ſecus ac miſericordiæ; ſed inter ultiones, quas in hac vita contra peccatores exercet Deus, nulla, audeo dicere, magis eſt funeſta, quam ſilentium ipſius, atque patientia, qua nos quieſcere ſinit. Tunc enim ſecreto magis mortiferos meditatur ictus, & ut Scripturæ vocibus utar, iræ ſuæ gladium exacuit. Percutere ceſſat, ut gravius percutiat, & quemadmodum furoris ſui diebus ſuæ non obliviſcitur bonitatis, vulgo etiam ſub bonitatis ſpecie maxime terribilia ſua celat judicia. In hac malacia, quæ ipſa tempeſtate periculoſior eſt, in Dei miſericordia confidimus; & quoniam nimis confidentiæ in eadem ſtatuimus, eam a nobis amovemus, quin mereamur. *Idem P. Girouſt, ſermone de falſa pace conſcientiæ*.

Timoris ſenſus, quos habere debet peccator.

Peccavi, dicere debet peccator; ſum igitur objectum iræ coram Deo, indignus ſum miſericordia illius, & in me fortaſſe quamprimum ejus juſtitia deſæviet. Demittat ille de cœlo ignem, quo abſumar; hoc ille poteſt: aperiat terræ ſinum, quæ me dehiſcens abſorbeat; hoc meritus ſum: mors ejuſdem imperiis obſequens repente vitæ meæ ſtamen ſuccidat, hoc retroactis ſæculis millies contigit, & noſtris quoque temporibus quotidie contingit; ego ne hoc ipſum ſupplicium feram? Nihil ſcio; hoc unum ſcio, id mihi jure eſſe timendum. Imminet capiti meo judex, qui me perſequitur; ſub pedibus meis jacet infernus, qui me præſtolatur; in corde meo gero damnationem meam, ac mihi ſexcenti circumſtant inimici, ut illam exequantur. Peccavi: unum dumtaxat peccatum animæ juges incutere debet terrores propter periculum, cui objicit illam; quid autem infinita peccatorum multitudo, quibus tota vita mea conſtat; quomodo illa univerſa reſpicere poſſum? Quo plura patravi, eo minus me pœnitet; attamen magis contremiſcere deberem. Numquid ad cumulum uſque menſura oppleta eſt? an quantumvis parum adjiciam, periculum eſt, ne illi cumulus accedat? *Idem*.

Timere debemus propter patrata ſcelera, & pro eis, quibus Deo non ſatisfecimus.

Prohibet Sapiens, ne timere ceſſemus peccatum illud, pro quo Deo ſatisfacere adniſi ſumus, & cujus veniam conſecuros nos fuiſſe putamus; quomodo ergo non reformidem tot a me patrata flagitia? Etenim quid hactenus egi, ut divinæ ſatisfacerem juſtitiæ? Tot annorum peccator, ubinam illud momentum eſt, quo pœnitens fui? Ubi lacrymæ, quas fudi? ubi preces, eleemoſynæ, jejunia? Si Deus me vocaverit, quid reſpondebo? Si a me rationem expetierit, quo confugiam? Mecum geſtabo iniquitates meas, & ſub hoc iræ theſauro obruar. *Idem*.

Timendum eſt ſemper, ne Dei gratiam amittamus.

Semper homines ſumus, ideoque ſemper fragiles, ſemper incerti eorum, quæ præterierunt, ſemper eorum, quæ futura ſunt, incerti; geſtantes, ut loquitur S. Paulus, pretioſum gratiæ theſaurum in vaſis fictilibus, quæ ſemper ad minimum quemlibet ictum confringi poſſunt. Sancti quoque trepidaverunt; eorumque exemplum potiſſimum vobis proponere volo, ne magis, quam illi, confidere velitis. Illi homines erant prorſus divina ſapientia repleti, & magis, quam nos, cœleſti lumine illuſtrati; & impii ſolum, quibus nullum eſt lumen, religio nulla, timores eorum inanes terrores vocare poſſunt? Homines erant conſummatæ virtutis, & qui ex fere certiſſimis indiciis centies in cordibus ſuis ſenſerant præſentiam ſpiritus Dei, qui habitabat in ipſis. Pœnitentes erant auſteritatibus attriti, Anachoretæ orationibus abditi, Apoſtuli zelo ſuccenſi, & laboribus fatigati. Attamen ſancti illi, quantumvis ſancti, adhuc de ſua ſorte poſt vitam ambigebant: & conſcientia ſua illis nunquam ſatis munda, atque integra videbatur. Ubi ſecum æterna reputabant ſupplicia, perturbabantur, atque ſtupore perculſi, artubuſque omnibus capti manebant. Oculis lacrymarum imbre madentibus, & pallenti facie ad divinam confugiebant miſericordiam impetraturi vel peccatorum, quæ ſe patraſſe putabant, veniam, vel gratiam contra illa, quæ poterant perpetrare. Martyres ipſi, quemadmodum Sancti Auguſtinus, & Cyprianus animadvertunt, in ipſis etiam equuleis timebant, cum circum ſe eos viderent, qui ſuppliciorum horrore commoti fidem abdicabant. Vos autem tot jam titulis damnandi, cum prope ſit, ut damnationi veſtræ cumulum adjiciatis, eam præ vobis fertis confidentiam, quam ſanctitas illis non præbet, qui magis ſperare deberent, & qui magis in meritis ſuis confidere poſſent. *Idem*.

Exiguus eorum qui ſalvi ſiunt numerus terrere nos debet.

Ex omnibus religionis noſtræ veritatibus, non alia magis terribilis eſt, quam quæ exiguum eſſe electorum numerum aſſerit. Attamen quotuſquiſque eadem afficitur? Quamvis hoc verum eſſet, ex decem mortalium millibus unum dumtaxat damnandum eſſe, deberem adhuc contremiſcere, & metuere, ne ego hic eſſem infelix. Heu! fieri poteſt, ut ex decem millibus vix unus ſalvus fiat, & non contremiſco? Sed non ne tanto major mihi timendi cauſa eſt, quo minus timeo? Mea hac in re ſecuritas nonniſi effectus eſſe poteſt erroris, & cæcitatis meæ, quæ celans periculum, in quo ſum, me in eum ſtatum adducit, in quo illud neque evitare, neque prævertere valeam. Si Dei filius dixiſſet mihi, omnes Chriſti fideles ſalvos futuros, dixiſſetque aperte, uti dixit, exiguum fore numerum electorum, nunquid in ſalutis noſtræ negotio magis ſecuri viveremus? Non negamus, omnia ſcopulis eſſe præpedita, nos in magno pereundi diſcrimine verſari: & nihilominus hac fruimur tranquillitate! Quis ſecuros nos facit? Nunquid minus timendum eſt nobis, ut minus nobiſmet ipſis invigilare debeamus? Et quia minus ſenſimus excidium no-

noſtrum, numquid minus erimus infelices? Heu! licet non alia nobis eſſet metuendi cauſa, quam hæc fatalis ſecuritas, & hæc mira ſtupiditas, in qua ſumus; nonne id ſatis eſſet, ſuperque, ut de ſorte noſtra trepidaremus? Undenam hæc ergo proficiſci poteſt aſſerta conſtantia; tanta hæc in tanto diſcrimine certitudo? *P. Croiſet tomo 1. receſſuum.*

Timor judiciorum Dei afficere debet, ut nobiſmet caveamus.

Si morbi alicujus contagio in urbe graſſatur, quilibet ſibi timet, & cavet. Quæ remedia! quænam amuleta! Sibi quilibet honeſtiſſimum quodvis ſolatium interdicit; ludi, cœtus non ſapiunt ultra; ab omni abſtinemus commercio, atque intra ſolitudinis horrorem noſmet continemus. Quorſum autem tot præcautiones! Quia mors timetur. Non timeamus autem æternam calamitatem, ſcientes pleroſque mortalium damnari? numquid æterna calamitas metuenda non eſt? Multitudo currit in interitum, unus fortaſſe in mea familia ſalvabitur, neque in id omnem operam, induſtriamque tranſmitto, ut ego iſte ſim felix prædeſtinatus: utque ſalutem meam certam faciam, id capere conſilii non poſſum, ut quædam pericula evitem, ut quibuſdam utar præcautionibus, ut mihi metipſi conſulam? Qui ſtupor! quæ inſania! *Idem.*

Timor, & diffidentia ſui neceſſaria Chriſtiano.

Optima ſententia eſt, quamvis primo ſtatim intuitu paulo difficilior videatur; tutius in cœlum trepidando, quam nimis confidendo perveniri. Deus illos præfert, qui ſuam ſentiunt infirmitatem, & qui humiliter ad ipſius gratiam confugiunt, illis, qui in ſua virtute confidunt. In gratia idem eſt ac in mundo; proceræ arbores fulmineis ictibus ſunt obnoxiæ: & illi, quibus benigna arridet fortuna, & qui ad altiſſimum magnitudinis faſtigium evecti videntur, ſæpe propiores ſunt excidio. Qui præ cæteris ſanctitatis laude nitescere videbantur, ſæpe funeſtos lapſus experti ſunt, & in graviſſima cecidere flagitia; cum interim imbecilles animæ, quæ ſemper timuerant, atque ploraverant, ſtrenue vehementiſſimis tentationum ictibus minime cederent. Virtus cedere neſcia, & ad ſtadii finem tuto perducens nonne eximia dicenda eſt? *Auctor Anonymus.*

Divina juſtitia fit magis terribilis per miſericordiæ contemptum.

Cum divina juſtitia diu noſtras iniquitates ſuſtinuit, & diu pœnas ex nobis repoſcere diſtulit, tantum abeſt, quod hæc nobis dilatio profuerit, ut immo augeat ſupplicium. Quo magis pœna differtur, eo ſeverior eſt; quo magis Dei brachium ſuper ſcelera noſtra ſublatum pependit, eo gravius vulnus infligit. Illius enim juſtitia, quæ nihil impune pati poteſt, non ſolum iniquitates noſtras juxta earum pondus, numerumque punit, verum etiam contemptam ulciſcitur miſericordiam: & hæc miſericordia, quæ pro nobis juſtitiæ obſtabat, contra nos in juſtitiæ partes concedit; & quæ differebat ſupplicia, recens cauſa fit, ut eorum ſeveritati acceſſio fiat. *Abbas de Aubignac in ſpecimine eloquentiæ.*

Peccatores Dei timorem amittunt.

Cum homo ſe ipſum amet, ideoque oderit, quidquid ſibi officere poſſit, opus non eſt, ut oraculis fidei doceatur timere Deum ultorem, certaque ſupplicia, cum hac in re natura locum obtineat religionis. Timor adeo altas in anima illius efficit impreſſiones, ut ſæpe eadem ibi relinquat veſtigia, eaſdemque cieat agitationes, quas malum ipſum. Attamen hic timor adeo naturalis, & efficax corruptionis propenſioni cedit, & quanquam homo in æternum infelix futurus ſit, ceſſare tamen non vult, quo minus ſeſe criminibus abdat. Nunquid opus eſt, ut peccatum deſtruat hominem deſtruens Chriſtianum, & ipſos naturæ ſuffocet motus, poſtquam gratiæ motus extinxit? *Ex orationibus Gallicæ academiæ oblatis anno* 1680.

Dei timor innocentiam noſtram tuetur.

Inter omnia auxilia, quæ hominem ſuſtinent, eumque in innocentia conſervant, omnium efficaciſſimus eſt timor Domini, & juſtitiæ ipſius recordatio. Timor, quem inſpirat natura, docet ratio, religio præcipit; qui malum evitare, & bonum exercere nos jubet, qui perfectionis & ſapientiæ principium eſt, qui greſſus noſtros figit in via virtutis, eoſque in vitii periculoſa proclivi retinet; qui iniquitatem in ipſo ſuffocat ortu, vel qui illam in ſuo progreſſu coercet; qui peccatori antequam ſcelus committat, minas intentat, & ubi illud commiſerit, eum punit; qui illum in ſua turbat requie, in ſomno terret, & in omnes voluptates ejus effundit amaritudinem. Timor, qui a Deo profectus nos etiam ad Deum feſtinat compellere, qui nos revocat, ac efficit, ut noſmet colligamus, ubi per affectuum impetus aberravimus; qui indeſinenter ad nos clamat, nos perſequitur, in locis omnibus adoritur, noſque metipſos nobis graves, & non ferendos facit. Avelle timorem hunc de hominis corde, quid ibi reliquum erit niſi corruptio, & nequitia? *Ex Eadem collectione.*

Cum Deus ſit infinite juſtus, infinitam illius juſtitiam timere debemus.

Neceſſario inter divina attributa ratio aliqua intereſſe debet; & infinitas perfectio eſt, quæ omnibus eſſe debet communis. Opus eſt ergo Deum infinite juſtum eſſe, ut ſit infinite perfectus: nam quemadmodum quidquid eſt in Deo, ipſe Deus eſt, ſi juſtitia illius ullis finibus coerceretur, ita & illius eſſentia finibus eſſet circumſcripta. Juſtum eſt ergo, peccatores pœna quodammodo infinita puniri, non ſecus ac in cœlo ſancti infinitam mercedem recipient. Sed cum homo par nequaquam ſit infinite vehementem pœnam ferendo, quia potentia infinita infinite agens in ens finitum, hoc in nihilum redigeret, quoniam hoc illius actionem ſuſtinere, ejuſque vi reſiſtere non poſſet, opus eſt pœnam in duratione ſua eſſe infinitam. Quis autem non vereatur juſtitiam hanc, quæ propter unum mortale ſcelus pœnæ æternitatem requirit? *Auctor Anonymus.*

Timendum ne æternis ignibus adjudicemur, & ſimus in numero reproborum.

Tot, tantaque de miſera æternitate dicuntur; verum intelligitur ne, quid ſibi velit in æternum damnari: & hoc, uti decet, timetur? Sæpe de hac æternitate ſermonem audientes, ſenſim aſſueſcimus huic voci, & rei, quæ per illam ſignificatur, & inde fit, quod adeo parum afficimur. Attamen nihil majorem nobis debet terrorem incutere. Poſt vitam hanc brevem, fragilemque, & ſingulis diebus labentem, altera adeſt ſemper duratura: & quodnam futurum ſit fatum meum, neſcio. Niſi æternum beatus fuero, æternum infelix ero: inter hæc duo extrema nihil eſt medium. Electorum numerus exiguus eſt. Nunquid ex numero hoc ero? Nihil ſcio. Hoc unum ſcio, me certe nondum aliquid feciſſe, propter quod in prædeſtinatorum numero adſcribi meritus fuerim: ideoque parem mihi felicitatem promittere nequeo, donec aliquid præterea non egero, ut illam merear: ac de me in nullam reditus ſpem actum putarem, ſi ab hoc momento mea penderet æternitas. Quæ igitur metuendi cauſa mihi eſt! *Pater Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus.*

Dei timor conjunctus eſſe debet cum confidentia.

Ingens ille timor, quo inſignis hic ſolitudinis cultor ſe teſtatur adfectum, quamvis diuturnam, ſeveramque adeo pœnitentiam exercuerit, nonne vos formidine replet? Sed mirabilis confidentia, quæ hunc librat timorem, & cujus vis illum ſuſtinet, nonne ſimul vos ex ea animi dejectione attollit, & recreat, in quam fortaſſe terror vos conjicere potuit? Invicta iſta conſtantia, quæ efficit, ut ille pro nihilo habeat omnes mortificationes, laboreſque ſuos, & quæ illum ſancte induſtrium facit, ut in ſingulos dies eorum numerum augeat, nonne ſecreto noſtram nobis exprobat mollitiem, atque languorem? Et timor, quo affectus eſt, nonne infringere debet audacem hanc confidentiam, quam in iis, quæ modice bona facimus, collocamus? *Auctor Anonymus.*

Fateor equidem fieri non poſſe, quo minus peccatorum noſtrorum adſpectus in nobis graviſſimum gignat terrorem; ſed verum non eſt, quod hic timor nos a throno gratiæ debeat amovere, & in nobis ciere poſſit deſperationem. Deus, ut noſti, per hunc adſpectum metum gignit in anima peccatoris: at quis citra impietatem putare poteſt, Deum in cor ſemen de-

ſpera-

ſperationis effundere? Haud ita. Cum nobis ſuum immittit timorem, hoc efficit quatenus pater; & filius quantumvis flagitioſus ille ſit, itane patrem timere poteſt, ut ſecretam in eo minime ſervet confidentiam, qui illum tamquam ſui ipſius partem conſiderans, non minus, quam ſe ipſum adamat? Timor ergo, quem inſpirat Deus illis, qui ut Apoſtolus Act. 17. inquit, filii ſunt, & genus illius, numquam vacuus eſt confidentia, quemadmodum confidentia hæc numquam a timore debet eſſe ſejuncta: alioquin hæc quidem audaces efficeret, ille deſperatos. Itaque timor, & confidentia ſunt veluti duo pedes, qui adducere debent peccatorem ad thronum gratiæ, ut ibi miſericordiam efflagitet. *Liber cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis & Euſebii Presbyteri.*

Timor unicus ad Deum via eſt.

Adeo mihi perſuaſum eſt, timorem certam eſſe, qua ad Deum tendamus, viam, ut alia quælibet ſuſpicione vacua mihi non videatur. Verum non eſt, quemadmodum ſibi plerique perſuadent, ſancto hoc divinorum judiciorum timore tolli confidentiam in æterno ejus amore a nobis habendam, cum liqueat hanc prorſus oppoſitum gignere effectum. Deum non diligimus, neque ab illo diligimur, niſi prout magis, minuſve illum metuimus, & pariter liquet, timoris hujus menſuram eſſe menſuram ſpei, quam in illius miſericordia habere debemus. Illum vereamur oportet, quia, Propheta inquit, eſt *terribilis in conſiliis ſuper filios hominum*. Plerumque vero ita cæci ſumus, ut quia fortaſſe in inſignia quædam peccata minime labimur, in quæ alios plures ruere conſpicimus, ſtatim noſmet ab aliis ſecernimus, quos veluti infelicia iniquitatis mancipia putamus, quod efficit, ut, quia timor unica via eſt, per quam ad Deum illi reverti poſſunt, hanc nequaquam noſtram eſſe cogitemus. Heu! itane ſuperbi eſſe poſſumus, ut nos innocentiam noſtram ſervaſſe putemus, vel itane præſumere poſſumus, ut eam nos jam reparaſſe exiſtimemus! *Idem.*

Incertitudo, utrum peccata occulta nobis fuerint dimiſſa, nos in timore continere debet.

Non immerito nos Spiritus Sanctus admonet: *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Eccli. 5. Fieri quidem poteſt, nos non ita infelices eſſe, ut communibus religionis officiis minime perfungamur: verum quamnam iſtinc concipere poſſumus confidentiam? In corde noſtro adeo terribiles incubant tenebræ, & machinamenta, quæ motum illi tribuunt, adeo ſecreta ſunt, ut illud dumtaxat lumen, quod afferet Dominus, cum judicaturus advenerit, tenebras illas diſſipare, & illa machinamenta detegere poſſit. Caveamus ergo hanc ullere confidentiam, quæ licet non adeo palam criminoſa ſit ac illa peccatorum obdurationum, aliquando minus funeſta non eſt. Eo magis timere debemus, quo ſcelerum mundi hujus, in quo verſamur, adſpectus aſſertæ innocentiæ noſtræ perículoſiorem tribuit ideam. *Idem.*

Timor judiciorum Dei neceſſarius eſt fidelibus omnibus quocumque in ſtatu ſint.

Timor judiciorum Dei chriſtianis omnibus omnino neceſſarius eſt initio converſionis eorum, etenim per hunc ille primos inſerit ſenſus ſalutis; neceſſarius quoque deinceps eſt, cum cordis eorum durities nondum ſatis mollita eſt, vel cum illi nimis fidenter incedunt. Sed in animabus etiam provectioribus, perfectioribuſque eſt neceſſarius, ut illis ſit quoddam veluti libramentum, ne propter nimiam ſecuritatem in negligentiam labantur. *Abbas Trappenſis tom. 1. chriſtianorum dogmatum.*

SUPPLEMENTUM.

Timor Dei illud primum eſt, quod efficit, ut peccatum vitemus.

SPiritus timoris, quem Iſaias omnium noviſſimum memorat, quoad præſtantiæ gradum, quoad ordinem operum primus eſt. Timor efficit, ut primum ad virtutem gradum faciamus. *In timore Domini declinatur a malo.* Prov. 16. & a Dei timore ad altiſſimum ſanctitatis apicem progredimur. Hic ſpiritus timoris nos adducit in noſtræ conſcientiæ ſecretum; efficit, ut hanc ſcrutemur, & ad examen vocemus; ne quodvis peccatum, quantumvis leviſſimum nos fallat. *P. Segneri in Meditat.*

Plerique mortales non ita debent Dei miſericordiam meditari, ut ſimul non conſiderent illius juſtitiam, & judiciorum ejus ſeveritatem. Et ut illius aliquem nobis conceptum adſtruamus, reſpiciendum eſt in hoc infinito mortalium numero, quos tradidit Deus in deſideriis cordis eorum, antequam filius ejus humanam carnem indueret: in integris nationibus illis, quæ numquam de Evangelio audierunt loqui, & quæ in tenebris, & umbra mortis ſepultæ fuerunt; in altero mundo nuperrime detecto, & qui ultra quinque annorum millia delituit in omnimoda ignorantia Dei; in hac Mahometanorum multitudine, qui adeo ingentem mundi partem occupant, & qui in ſexcentis brutalibus ſuperſtitionibus immerſi ſunt; in hac hæreticorum caterva, qui ſimul collecti longe Catholicorum numerum excedunt; in regionibus, quæ olim Epiſcopis, & fidelibus plenæ erant, ut Africa, ubi ne unus quidem ſere invenitur: in hoc immuni pravorum Chriſtianorum numero, qui ita uſquequaque repleot Eccleſiam, ut vix videantur, qui Chriſtiano nomine inſigniri mereantur. *Specimen Ethicorum.*

Dei timor oriri debet ab amore Dei.

In Dei miſericordia confidimus, non quidem ea confidentia, quæ a charitate oboriatur, ſed ſtupore quodam, qui ab amore proprio procedit. Quamobrem dici poteſt Scripturam ad nos loqui, cum monet; *ne dicas, miſericordia Dei magna eſt*: illa enim eſſet magna etiam ſi paſſa fuiſſet nos interire, & nos poſuiſſet in numero tot gentium, quas Dei juſtitia reliquit in tenebris, & in terribili eo Chriſtianorum numero, qui Dæmonum parent imperio. Ne arbitremur nos aliquid eſſe coram Deo: ſed ſi omnes homines terræ nil aliud ſunt in oculis illius quam aquæ gutta, aut pugillus pulveris, quem locum ipſi in hac aquæ gutta, & pulveris pugillo occupabimus? Si igitur juſtum eſt in illius miſericordia ſperare poſt tot effectus, quos experti ſumus; non minus juſtum eſt illius timere juſtitiam, quæ adeo terribilis eſt, cujus omnibus in mundi locis, omnibuſque temporibus effectus adeo terribiles conſpicimus. *Specimen Ethicorum.*

Timet Propheta, & nihilominus rogat Deum, ut ſuum augeat terrorem, non ſecus ac ille, qui dicebat, *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Marc. 9. Timoris principium, quod parit Deus in cordibus noſtris, nobis perſuadet, a nobis non ſatis timeri. Videmus Deum eſſe infinite terribilem, & a nobis parum metui, quæ res nos adigit, ut ab ipſo ſupplices petamus, ut timorem ſuum augeat in nobis, eoque carnes noſtras configat. Altera hujus petitionis ratio eſt, quod ſæpe menti perſuaſum eſt Deum eſſe timendum, ſed non ideo cor noſtrum eo timore permovetur. Tamen cordis timor, non mentis perſuaſio tentationes extinguit. Quapropter Prophetæ ſatis non eſt mente vereri Deum, *a Judiciis enim tuis timui*, Pſalm. 110. ſed vult carnem quoque ſuum hoc timore configi, *Confige timore tuo carnes meas.* Pſalm. 118. ut ſenſus acer, quo caro ipſa afficietur, jugulet in ipſa tentationes omnes, quæ ſenſus ejuſdem palpare poſſent. Caro clavis confixa voluptatum tentatione palpari non poteſt. Optat igitur, ut Dei timor hunc in ipſo gignat affectum, & ita ſit acer, & præſens animæ ſuæ, velut clavi, qui reipſa ſuam carnem configerent. *Ibidem.*

Cur nimis timeamus parva, & quæ graviora ſunt, non timeamus.

Quare optandus eſt timor, quandoquidem timor amoris proprii effectus eſſe videtur. Timemus enim malum, quod nobis accidere poteſt, quia noſmet ipſos amamus. Cur ergo dicitur, timor hic neceſſario petendus a Deo? Nonne ſatis amoris proprii nobis ineſt, ut vereamur, quod malorum omnium maximum nobis poteſt inferre? Inde hoc fit, quod licet magnus nobis ineſt timor noſtri; nihilominus cæcus eſt, ſenſus expers, ſtupidus, inſanus. Rebus minimis afficitur, maximis non movetur. Sine cauſa timet, & non timet ea, quæ multiplices ob cauſas eſſent timenda.

da. In motibus ſuis eſt exlex, & abnormis; minimum quodlibet illum occupat, replet, rapit, & & ſæpe quod in mundo maximum eſt, illum non afficit. Inſignis igitur Dei gratia eſt, eum efficit, ut ſentiamus res, quales ſunt; efficiens enim, ut acriter illa ſentiamus, quæ magna ſunt, nimis aciem minimorum ſenſum, qui nobis ineſt, mortificat. *Ibidem*.

Dei Timor utiliſſimum eſt animarum noſtrarum præſidium.

Inter omnia præſidia, quæ hominem in pietate, atque innocentia tuentur, non minimum eſt Dei timor, ejuſque juſtitiæ recordatio. Timor hic, quem natura inſpirat, quem ratio docet, quem nobis præcipit Religio, qui nos erudit evitare malum, & exercere bonum, qui eſt *initium Sapientiæ*, Pſalm. 110. *& corona ſapientiæ*, Eccli. 1. qui figit greſſus noſtros in ſemitis virtutis, & continet illos in proclivi, & lubrico vitiorum, qui ſemper vel jugulat in ortu ipſo iniquitatem, vel in progreſſu eam reprimit, qui minas intentat peccatori, antequam peccet, & eum punit, ſimulatque peccaverit, qui illum in ſua requie perturbat, in ſomnis perterret, omneſque ejuſdem voluptates ſpargit amaritudine. Timor, qui a Deo profectus, nos quoque ad eumdem perducere feſtinat. Timor, qui nos revocat, efficitque, ut ad nos redeamus, ſi quando per cupiditatem egreſſi ſumus, qui indeſinenter clamat poſt nos, qui nos perſequitur, nobiſque locis in omnibus præſtolatur, & efficit ubique nos nobis metipſis graves, & non ferendos. Timor hic ex hominis corde revellatur, quid ibi reliquum erit, niſi corruptio, & nequitia? *Ex tertio Sermone Academiæ anni* 1701.

Chriſtiani non habent fidem; ſine comparatione minus Deum, quam homines timent; ſcientes hos ſumere pœnas de iis, a quibus affecti ſunt contumelia, vel de illis ultionem repetere, quos oderunt; non enim ignorant tempus ſuum eſſe breve, & poteſtatem ſuam æque fragilem eſſe, ac vitam ſuam. Deus autem cum nullo tempori ſubjiciatur, integramque habeat æternitatem ad reparandas injurias, quibus laceſſitur, differt animadvertere in eos, a quibus læſus fuit, quia tempus illis permittit ſeſe colligendi, ut pœnitentiæ ſinceritate juſtam illius placent iracundiam. Hinc mira rerum inverſione fit, ut homines tanto minus Dei iram timeant, quo magis illam timere deberent; neque enim eam timent, quia Deus lentus eſt ad pœnam infligendam, & ideo tamen lentus eſt, ut diſcant, ſi ad eum non fuerint converſi eo tempore, quod illis in hac vita concedit, ut illos ad pœnitentiam trahat, in altera prolapſuros eſſe in judiciorum ejuſdem ſeveritatem, & in æternitatem pœnarum. *Auctor Anonymus*.

Chriſtianus iram Dei timere debet ſicut nautæ timent naufragium in tempeſtate.

Næ ille errat, qui putat, peccantium dumtaxat eſſe iram Divinam reformidare. Sis licet ſanctior Job tam in proſperis, quam in adverſis, tamen Deum time tamquam fluctus capiti tuo imminentes. Nullus timor eſt par timori nautarum in irato mari, cujus tumentes fluctus in ſingula momenta illis mortem intentant? Qui clamores! qui gemitus! quis tunc tumultus in navi! Ita ille timebat Dominum, non tamquam procellam, quæ poſſet coaleſcere, ſed tamquam tempeſtatem, quæ jam jam ipſum erat ſubmerſura. Timor ſalutaris: Timor, qui Sanctos etiam decet. Sanctitas conſiſtit in generali contemptu rerum omnium mortalium. At unde nam præſertim contemptus iſte progreditur? ex adſpectu Dei, qui ſupra nos poſitus ſimilis pendulis fluctibus videtur in ſingula momenta permittere, ut iræ ſuæ pondus in caput noſtrum prolabatur. Tunc in hoc mundo nullius rei, niſi ſalutis animæ ſuæ rationem habet quiſquam, ſicuti homines, qui proximum veriti naufragium, omnia tradunt oblivioni, omnia ſacrificant, & vitæ ſuæ incolumitati unica vacant. *P. Segneri in Medit.*

Hactenus temporalia bona conſectatus es? Hoc certo eſt argumento, te nondum reſpexiſſe Deum tuum, niſi tamquam tranquillum mare, a quo nihil tibi metuendum ſit. Sed illum hodie conſidera tamquam mare iratum, & videbis, utrum tibi liceat de alia re quapiam, quam de ſalute tua eſſe ſollicitum. Nautæ cum mortis adeſt periculum ſatis eſſe non putant pro incolumitate ſua Deo vota nuncupare; demittunt antemnarum capita, funes ſuccidunt, totis viribus remis æquora verrunt, & ut verbo dicam nihil prætermittunt, ut ſaluti ſuæ conſulant. Sanctus vir Job non gemitus tantum, preceſque fundebat, ſed precibus opera adjiciebat, hoc eſt omnia ſua munera obibat: non reprehendit me cor meum, dicebat cap. 27. in omni *vita mea*. Si ergo negligis orare Dominum, vel ſi ſatis eſſe ratus orare, credis te omnia feciſſe pro ſalute tua, nonne hoc certum eſt argumentum, te nondum ſcire quid ſit, iracundiam illius formidare? *Idem*.

Timor qui eſt initium ſapientiæ eſt timor filialis.

Nomine timoris Domini nequaquam intelligendus eſt hoc in loco timor, quem ſervilem vocamus; hic minus decet ſervantes Chriſtifideles, quam ſervos qui peccare ceſſant, quia certi ſunt, ſi peccaverint, ſe eſſe puniendos. Hic quidem timor bonus eſt in ſe, quia ſcriptum eſt: *Timor Domini expellit peccatum*. Eccli. 1. Hic tamen ille non eſt, de quo dicit Propheta: *Initium ſapientiæ timor Domini*. Patet enim David hoc in loco requirere timorem, qui ſit nobilior, & perfectior, qui meretur ſapientiæ nomen, & nihil habet ſervile, qui quidem eſt character timoris, quem filialem nuncupamus, timoris, qui *initium dilectionis eſt*. Timor hic efficit, ut juſti, cum illis perſuaſum ſit, Deum dignum eſſe, qui ab ipſis ametur, & habeatur in pretio, ſeſe omnino illi ſubjiciant, tamquam obſequentes Filii parenti, quem lædere mirum in modum reformidant. Volumus ne cognoſcere, utrum ſapientia in nobis agere incœperit? Timore filiorum Deum timemus. Ne timemus illum timore ſervorum. *P. Segneri in Medit.*

Et profecto quo magis anima in Dei timore progreditur, eo magis timet, ne ſibi quidpiam permittat, quod dilecto ſuo queat diſplicere. Spera futurum, ut numquam Dominum lædas: ſed nihilominus ſemper time, ut id facias, ad quemcumque perfectionis gradum evaſeris. Time etiam, ut æternum pereas, ſi cecideris, juſtum enim eſſet, ut propter unicum peccatum reprobareris. Cæterum ne timeas, ut mancipium, time ſicut filius, qui nil magis timet, quam ut exulet a patre, ac domo. Senſus hic ſimul eſſe poteſt cum timore caſto. *Idem*.

Quomodo, & cur timor Dei ſit initium ſapientiæ.

Quandoquidem caſtus timor ſemper in juſtorum anima permanet, & ibi ſemper in dies ſingulos augetur, quomodonam poteſt *initium ſapientiæ* vocari? Nonne potius dicendum eſſet cum Eccleſiaſtico timorem hunc ſimul eſſe initium, incrementum, & perfectionem ſapientiæ? *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis*, Eccli. 1. vel uti loquitur Sanctus Job c. 28. *Timor Domini ipſa eſt ſapientia?* Sed iſtic Regis Prophetæ ſenſum aſſequi conemur. Timor Domini eſt initium ſapientiæ; videlicet hic timor eſt tamquam radix, & fundamentum vitæ chriſtianæ, & ſanctæ, quæ jure vocari poteſt ſumma ſapientia. *Ecce* timor Domini ipſa eſt ſapientia. Radix arboris non ſolum illum erectum tenet, ſed alit, ſed illi dat incrementum, & uno verbo dicam, quidquid in illo eſt jucunditatis, atque utilitatis, ideoque illa ferme eſt arbor tota. Similiter timor Domini, qui radix eſt ſapientiæ, eſt etiam ſapientiæ plenitudo. Omnes igitur fructus vitæ chriſtianæ, & ſanctæ, proficiſcuntur a Dei timore, tamquam a radice. Si hæc defuerit, hæc fructuum genera deerunt quoque, non ſecus ac in arbore, cujus radix exaruit. *P. Segneri in Medit.*

Fruſtra conarer altius attollere ſpirituale meæ perfectionis ædificium, niſi ſanctus timor tuus Domine, illius eſſet fundamentum: tunc ædificarem in arena, & leviſſimus inimicorum meorum conatus omnem ſubſtructionem everteret. Da mihi, Domine, timorem hunc, qui eſt initium ſapientiæ. Non

rogo

rogo ſervilem timorem: hic utilis eſt, cum mihi amorem auſert peccati, ſed nimis imperfectus eſt. Peto abs te timorem obſequentis filii, qui magis adhuc Patrem lædere, quam ab eodem puniri reformidat. Timor ſalutaris, qui charitatem alit, & roborat, quemadmodum viciſſim charitate alitur, & roboratur. Ita eſt, Deus, quo magis te amo, eo magis tibi injurium eſſe reformido, & a præſentia tua rejici extimeſco, & quo magis vereor, ut te in æternum amittam, eo plura tibi præbeo amoris mei monumenta iis virtutibus, quas timor iſte jubet me exercere. *Idem*.

Inanis tantum præſumptio poteſt Chriſtianum tutum reddere.

Nobiſmet aliquando fingimus Dei iracundiam tamquam tempeſtatem quamdam, quæ brevi coaleſcit, & parata eſt, ut quamprimum detonet, ſed in quem? In alio omnes nobis exceptis. Poſthæc mirum ne eſt, ſi magna in ſecuritate vivimus? Sancti e contra trepidant, contremiſcunt, fremunt ſibi timentes, & exemplo Job dicunt: *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum*. Job 31. Quorſum hic terror? quia Sancti de ſemet humiliter tantum ſentientes, ſe Domino crederent inſultare, ſi ad iracundiæ ejuſdem adſpectum eſſent tranquilli. Humiles iſti viri tranquillitatem ſuam tamquam præſumptionem putabant a Deo impunem non relinquendam. Confidimus Deum, qui omnia videt ſcelera noſtra, in nos propter illa non animadvertere, non quod ſublimem de divina ipſius miſericordia conceptum foveamus, ſed quod de nobis metipſis optime ſentimus. Videmur nobis metipſis ornati virtutibus, talentis, ac privilegiis, quæ merentur, ut Dominus habeat rationem noſtri, & nobis magis, quam reliquis peccatoribus parcat. Quæ ſuperbia? Minimus humilitatis ſenſus nos timore repleret, ac noſmet digniſſimos arbitraremur præſentiſſima animadverſione, qua peccatum juſte puniri queat. Sanctus Job ad ſingulos actus ſuos trepidabat: *Verebar omnia opera mea*. Job 9. Nos vero, quibus vita ignava undique ob oculos ponit æquiſſimas timendi cauſas, adeo ſumus tranquilli, ac ſi Dei iracundia nihil haberet in ſe formidabile. *P. Segneri*.

Timor lædendi Deum, illi diſplicendi, illum dedecore afficiendi, non autem pœnarum timor efficit, ut Sancti minimas quaſcumque noxas perhorreſcant. Duo hæc differunt inter ſe, timere Dei ſupplicia, & timere Deum, qui poteſtatem habet puniendi, & qui jamjam puniturus eſt, quemadmodum tumentes fluctus præſto eſſent, ut irruerent in nos. Primus ille timor ſervorum eſt, alter pertinet ad filios, quos potentia, juſtitia, & ſeveritas Patris continent in officio. Parati ſunt, ut inde quidem manum, a qua percuterentur, oſculentur, hi autem, nihil prætermittunt, ne in caput ſuum juſtam illius provocent iracundiam. Hic timor non eſt ſervilis, ſed reverentialis, & Angeli quoque hoc pacto in cœlo timent: *Columnæ cœli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus*. Job 26. Ita metuunt Sancti. Legimus in Scripturis eos timere Dominum, ejus majeſtatem, potentiam, iram, juſtitiam, ſeveritatem reformidare: ſed nullibi dicuntur illius timere ſupplicia; niſi fortaſſe per humilitatem illis ſe dignos eſſe fateantur. Salvator nos docet: *Potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam*. Poſſe quoque dicere: timete infernum, quoniam timor iſte bonus eſt, & ſalutaris. ſed videtur iſtic voluiſſe nobis proponere perfectius noſtri timoris objectum eſſe debere poteſtatem, quæ illi eſt in nos animadvertendi, quam ipſas pœnas, atque ſupplicia, *P. Segneri in Meditat.*

Si Deum dilexerimus, ſentiemus illum mereri timorem filialem.

Deum ex toto corde diligamus, & cum voluptate ſentiemus ipſum mereri timorem omnem filialem, & reverentialem, qui in nobis eſſe poteſt. *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis*. Eccli. 1. Animæ ſanctæ ſolidam naneiſcuntur gloriam, ubi ſe humiliant, & exinaniunt, & numquam melius agunt, quam ſe ſe ſub oculis Dei ponunt, penes quem eſt exitus earum arbitrium, & qui in ictu oculi eas poteſt in nihilum redigere. *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui*. Quis tumultus, quæ perturbatio in navi, dum tempeſtas ſævit? Ita Domine timeo fluctus iræ tuæ. Naufragium, quod illi minitantur, numquid minus formidandum videtur illo, quod in irritato mari mihi immineret? Quænam in Nautis mobilitas, cum proximum omnia illis naufragium intentant! Orant, laborant, & fervor eorum niſi cum periculo ceſſat. Quæ mea eſſet inſania, ſi in periculo tuto cœlo majori conatus meos ardentioribus votis non conjungerem. Naufragii timor fortior amore bonorum, & opum efficit, ut locupletiſſimus theſauros ſacrificem. Timor iræ tuæ, Domine, nonne divellet me a bonis fragilibus, quæ me pereundi periculo objicit? Uſque, Domine, timori æternæ infelicitatis ſacrificabo univerſa? Quid enim me conſolaretur? Sanctiſſimi Anachoritæ non invenire potuerunt in ſua vel innocentia, vel pœnitentia quidpiam, quod eorum formidinem levaret. Præſumptio tantum atque amentia in tanto periculo otiari, & tranquillitate frui poſſunt. Confige, Domine, cor meum ſalutaribus timoris tui jaculis, ejus vero timoris præſertim filialis, qui fructus eſt charitatis. In te non ſeverum dumtaxat Judicem reformidare volo, ſed amabilem Patrem, cui æternum cavebo, ne diſpliceam. *P. Segneri in Medit.*

Timor quoque ſua habet pericula, quorum primum numerari poteſt deſperatio, in quam trahit eos, qui temere nimis ejuſdem impreſſionibus obſequuntur. A tumultu, atque agitatione ducitur initium; accedit amaritudo, & anima in mœrorem, atque dejectionem ruit, inde vero in deſperationem; non enim niſi unus, & hic quidem in lubrico, gradus intercedit. In hac dejectione difficillimum eſt reſiſtere tentationi, quæ urget, ut omnino deflectamus ab itinere, ubi nihil niſi horridum, niſi dumis, ſpiniſque conſertum occurrit. Et profecto quomodonam ferri poteſt ſimul ſenſuum vis, exactæ fidelitatis jugum, pœnitentiæ ſeveritas, duræ moleſtæque vitæ auſteritas cum tota amaritudine, totaque triſtitia, quam immodicus timor poteſt immittere. Homo ex D. Bernardo in terris vivere nequit ſine ſolatio, & niſi in virtute fulciatur aliqua ſuavitate, arduum eſt diu ſuſtinere vim, & niſus, quos virtus eadem ab illo requirit. Verum quidem eſt hos euſdem niſus, ipſaſque pœnitentiæ auſteritates nihil eſſe amanti, ſperanti, guſtanti omnem dulcedinem, quam vis amoris, benevolentiæ, & confidentiæ præbere poteſt, ſed quot lacrymis deplorandus ille eſt, cujus cor perterrefactum eſt, & cujus amor eſt pavidus! *P. Aurelianenſis in Sermone de Annuntiatione*.

Qui magis Deum timent minus hominum minas reformidant.

Animadvertit Ariſtoteles, religioſos homines, & præ cæteris Deum magis metuentes diverſis eventibus minime concuti, & in mundo beatiſſimos eſſe. Præfecto cuidam Valentis imperatoris, a quo urgebatur, ut ad Cæſaris juſſum cuidam articulo contra fidem Orthodoxam ſubſcriberet, reſpondit S. Baſilius. Ego quidem non niſi Deum timere poſſum. Cui cum præfectus reddidiſſet, ſe neminem umquam inveniſſe, qui hoc pacto ſibi loqueretur: tu fortaſſe, generoſa illa reſpondit anima, numquam Epiſcopum inveniſti. Quemadmodum arbor, quæ profundas egit radices, cum vehementius in vertice agitatur, firmius adhæret terræ, & ventus idem, qui illius faſtigium concutit, ſolidius ejuſdem pedes confirmat, ita, qui magis Deum timent, minus hominum minitationibus labefactantur. *P. Antonius de S. Martino a Porta*.

Filialis timor, quem caſtum etiam Patres appellant, & reverentialem reliquis omnibus meritis, & dignitate antecellit; eſtque unum ex præcipuis donis Spiritus Sancti. Illi, quibus hunc Spiritus Sanctus communicat, ita peccatum timent, ut quidlibet potius ſuſtinerent, quam læderent Deum; quem licet impune poſſent offendere, tamen abſtinerent. Filialis vocatur, quoniam proprius eſt filiorum, &

caſtus,

Digitized by Google

caſtus, quia pudicæ, fideliqne convenit Sponſæ; reverentialis etiam, nam ubi duo diverſæ conditionis amici inveniuntur, qui ordinis eſt inferioris, debet ſemper alteri adhibere reverentiam, quæ ſit cum aliquo timore conjuncta. Timor filialis pietatem non prævenit, ut timor ſervilis; eam comitatur, & ſemper cum illa conjunctus eſt, ac ſunt tamquam filii ejuſdem matris, perfectæ videlicet charitatis. Hinc in Scripturis Dei timor, & charitas ſynonima ſunt, & unum idemque ſignificantia. David illa confundit, cum ait: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*. Pſal. 111. Et ubi Iſajas ſecundum vulgatam memorat ſeptem Spiritus Sancti dona: Hebraicus textus ſex tantum numerat, vel ſaltem bis pietatis nomen uſurpat, ut oſtendat pietatem a timore nequaquam differre. *Cardinalis Bellarminus de gemitu columbæ*.

Nihil audacius, aut fidentius eſt, quam timor Dei. Qui Deum timet, nihil timet ultra; & qui timet, ut illi diſpliceat, ſanctumqne ejuſdem amorem amittat, omnia potius ferre, omnia perdere mavult, quam illius jacturam pati. Verum eſt, quod charitas ejicit timorem; ſed timorem vitioſum creaturarum, & ſervilem imperfectumque timorem, qui magis peccati pœnam, quam ipſum peccatum reformidat. Timere infernum vitium non eſt, ſed virtus eſt timere peccatum magis, quam infernum. Addo etiam; quædam ſunt tempora, quibus neceſſe eſt communire timorem peccati per timorem inferni, ut in Dei timore confirmemur; veluti cum violenta quapiam tentatione oppugnamur, ubi facile eſt cedere, niſi in virtutis hujus praxi optime verſati ſimus. Addamus ergo deinceps timorem amori; hi duo ſunt animæ tendentia ad Deum pedes; ſicuti pedes Dei venientis ad nos ſunt miſericordia atque juſtitia. Neutrum relinquamus, ſi recta incedere volumus in viis cæli, quin a perfectionis ſemita recedamus. Dicamus ſæpe cum humilitatis ſenſu hanc Eccleſiæ Orationem: *Nominis tui, Domine, timorem pariter, & amorem fac nos habere perpetuum. Pater Novet in Meditationibus Tom. 7.*

TRIBULATIO.

CRUX, ADVERSITAS, PATIENTIA CHRISTIANA.

MONITUM.

HOC in argumento conſiderandum occurrit, tribulationes, & cruces ſpectari poſſe vario pro variis rationibus, propter quas perferuntur. Illæ enim, quas patimur, & quas ultro pro peccatorum noſtrorum expiatione ſubimus, Pœnitentia *vocantur; cum autem ad corpus domandum, ne luxurietur, aſſumuntur,* Mortificationis *nomine appellantur; & demum cum a Deo immittuntur, vel ab hominum improbitate, & nequitia conſtantur, ſi patienter eas toleramus, & veluti a Dei manu inflictas recipimus,* Patientia *nuncupantur. Poſtremo hoc in ſenſu iſtic accipimus tribulationes, & adverſitates, quacunque ex parte nobis ingruant; cum de Pœnitentia, & mortificatione alibi ſatis fuſe locuti fuerimus.*

Neque abs re puto monere, argumentum hoc intra hos cancellos arctatum, & ad quamdam tribulationum ſpeciem redactum, adhuc nimis amplum eſſe, nimiſque late patere, ita ut cenſuerim iſtinc morbos, qui & ipſi tribulationibus a Deo immiſſis accenſendi ſunt, ſejungere; quippe illi ſatis uberem rerum ſuppeditant copiam, ita ut de illis ſeorſim in ſingulari titulo agi poſſit. Cæterum quamvis hoc de tribulationibus argumentum commune ſit, atque ampla ubique inveniatur ſupellex apud Aſceticos, atque eos, qui Sermones edidere; illud mihi nequaquam prætermittendum eſſe ratus ſum; ſed potius operam navandam cenſui, ut ex illis, quæ ad hanc rem undequaque collegeram, ea deligerem, quæ ad Chriſtianum ſermonem elucubrandum eſſent aptiora, atque ad auditores ad patientiam, cujus exercendæ occaſio non deeſt, excitandos majoris utilitatis, & ponderis videntur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti ſtructuræ.

I. TRibulationes, atque vitæ hujus calamitates a nobis ſpectandæ ſunt veluti valida ad noſtram ſanctificationem ſubſidia: cum enim ſanctitas in eo ſita ſit, ut animum a terrenis rebus avellamus, atque ut adhæreamus Deo, adverſa, & tribulationes utrumque certiſſime, ac validiſſime præſtant; quæ res concionis argumentum, ac diviſionem poteſt efficere.

Prior pars latiſſimum aperit Moralis diſciplinæ campum, ubi oſtendere poſſumus, quod vexatio dat intellectum, ut inquit Scriptura, nobiſque aperit vanitatem, atque inconſtantiam terrenarum rerum, quas miſere deperimus; nobiſque fallacem aufert ideam voluptatum, ac divitiarum, quam animo imbueramus; quod facile probari poteſt exemplis ex ſacrarum Scripturarum penu depromptis, & ex ipſa rerum magiſtra experientia, qua docemur, hac una fortaſſe ratione Deum nobis ſatietatem, & nauſeam immittere, atque deinde cor noſtrum ab affectu divellere, quo fallacia hæc bona conſectamur, ut hac nauſea, & ſatietate animum noſtrum a terrenis amoveat.

Ad hæc tribulationes, & adverſa nobis ea auferunt adminicula, per quæ facile in ea labimur ſcelera, in quæ proni ſumus; bonæ quippe valetudinis jactura prohibet, ne noxiis voluptatibus noſmet ingurgitemus; jactura bonorum, & adverſa fortuna luxum, inſanoſque ſumptus imminuit; exiſtimationis, & celebritatis jactura ambitionem noſtram coercet &c. ita ut nullum amplius in creatis rebus nacti ſubſidium, quadam neceſſitatis ſpecie, Deo unice adhæreamus.

Hoc

Hoc eſt partis alterius argumentum; atque tribulationum alter effectus eſt, nos Deo conjungere, ejuſque cultui impenſius addicere, poſtquam reliquorum dominorum infidelitatem fuerimus experti. 1. Quia Deus vulgo validiſſimas gratias ſuas tribulationibus adnectit; quæ hoc pacto corda noſtra a terrenis cupiditatibus avellentes, eadem cum illo conjungunt. 2. Nos illæ eo magis Deo propiores efficiunt, quo magis terrenarum rerum amor ab eodem nos efficit remotiores; ſæpe enim ſacer textus ait, Deum cum iis eſſe, qui tribulationibus agitati ſunt; atque tunc temporis hos ab illo benignius vocari, & admitti. 3. Arctius adhuc nos Deo conjungunt, quia in cruce Salvator invenitur, ibi in noſtrarum tribulationum partem aſcendit, nos conſolatur, atque eandem per crucem plura acquirimus merita, & ad ſublimiorem ſanctitatis apicem elevamur.

II. In Evangelium tertiæ Dominicæ poſt Paſcha, *Modicum, & videbitis me &c. Mundus gaudebit, vos vero contriſtabimini.* Joan. 6. Loci hi duo ex eodem Evangelio deſumpti nullum inter ſe nexum, nullamque rationem habere videntur, quaſi apoſtolis ſuis duo diverſa Jeſus annunciare voluerit. Utriuſque tamen conſenſus, & conciliatio præbere poteſt concionis argumentum, ubi oſtendatur, quidquid patimur, vel pati poſſumus in hac vita ſemper modicum eſſe, ſi ratio habeatur.

1. Eorum, quæ pati meremur propter patratorum criminum expiationem. Meriti ſumus infernum, æternamque pœnam, quam Deus noſtra dimittens ſcelera in temporalem convertit; quæ quidem inſignis eſt gratia, & miſericordia, qua nobiſcum eſt uſus. Facile autem eſt oſtendere ea omnia, quæ hac in vita pati poſſumus, ut divinæ juſtitiæ crudeliter adeo a nobis laceſſitæ ſatisfaciamus, ubi cum illis, quæ meriti ſumus, ſuppliciis conferantur, modicum aliquid eſſe exiſtimanda. *Modicum.*

2. *Modicum* eſt ratione eorum, quæ pro nobis paſſus eſt Deus, & quæ ipſi pati deberemus, ut illi ſimiles fieremus; quapropter fidelibus ſua ſemper crux eſſet deferenda, atque idem, qui vitæ, noſtræ quoque paſſionis terminus eſſe deberet. Sancti Patres præclaras hujus argumenti protulere ſententias, atque uberrimus hic aperitur eloquentiæ campus, ubi latius diſſeri poteſt de ea ſimilitudine, quam Chriſtianus hac in re cum Dei filio debet habere.

3. *Modicum* etiam eſt, ſi ea gloria, quam præſtolamur, & quam non niſi ferendo mereri poſſumus, reſpiciatur: *Momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. ad Cor. 4. Oſtendendum eſt, hunc oberem meriti, ideoque mox etiam gloriæ, pro nobis fontem eſſe; ac poſſe nos præclare tot occaſionibus uti, quæ ad cœli gloriam promerendam ſuppetunt nobis &c.

III. Tria nobis inſpirare poſſunt confidentiæ ſenſus in afflictionibus noſtris, & totidem ſermonis partes efficere. 1. Deus tribulationum noſtrarum teſtis eſt; 2. auctor, illas quippe nobis immittit, & 3. remunerator.

1. Tamquam teſtis agnoſcit, propter amorem, & ſæpe etiam gloriam ipſius nos pati; cordis noſtri affectiones intuetur; ſcit ea, quæ patimur; eaque in rationariis noſtris deſcribit.

2. Tamquam auctor has nobis tribulationes immittit, eas moderatur, noſtræque aptat virtuti; nos conſolatur, atque per illas ſuum nobis probat amorem.

3. Tamquam remunerator pro levi tribulatione immenſum gloriæ pondus nobis pollicetur, & præparat.

IV. Tribulationes, & adverſa tres varios habent effectus pro triplici eorum, qui patiuntur, diſcrimine, quod ſermonis partitionem poteſt efficere.

1. Præcox infernus ſunt peccatoribus, non bene utentibus iiſdem: tunc enim inanes, ſterileſque ſunt, neque ea perſolvunt, quæ ab illis divinæ juſtitiæ debentur. Nullum a Deo habent ſolatium, qui tunc punit peccatores non tamquam filios, ut corrigat, ſed tamquam inimicos rebelles, ut in hac etiam vita eos plectat: & quin illi his utantur adminiculis, ut cum Deo redeant in gratiam, abutuntur illis, ut recentibus ſceleribus eum magis irritent. Denique illi non ſecus ac reprobi eum impatientia, rabie, ac furenti deſperatione &c. patiuntur.

2. Præcox purgatorium pœnitentibus, qui hoc pacto commiſſa expiant crimina, modicoque ſumptu divinæ juſtitiæ ſatisfaciunt. Latius oſtendi poterit, hac in vita modicum ſufficere Deo, qui in altera omnia ad noviſſimum uſque quadrantem ſibi diſſolvi poſtulabit.

3. Præcox denique paradiſus juſtis, qui propter Deum patiuntur, & qui divinæ ſeſe voluntati ſubmittunt; propter moralem ſalutis certitudinem, quam illis adſtruunt adverſa; propter internas conſolationes, quibus perfruuntur; atque propter ſuavitatem, & gaudium, quod in ipſius tribulationibus nanciſcuntur. *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*, ut olim S. Paulus ajebat 2. ad Cor. 7.

Bona quoque ex tribulationibus noſtris manantia ſermonis argumentum, ac partitionem poſſunt efficere. V.

1. Efficiunt, ut noſtram ſalutem cogitemus, cum alioquin in proſpero rerum curſu, atque inter gaudia raro illi advertamus animum, & cogitatione hac parum moveamur.

2. Nobis ſubſidia præbent ſalutis operandæ, cum per illas peccata expiemus, & pro cœlo merita acquiramus.

3. Denique moralem ſalutis noſtræ certitudinem præbent: hoc enim non extremum eſt, quod in hac vita haberi poſſit, prædeſtinationis indicium. Patent argumenta.

En alia iterum bona, quæ uberem nobis elucubrandæ concionis copiam miniſtrant. 1. validum ſunt adjumentum ad innocentiam tuendam, peccati occaſionem amoventes, atque cor noſtrum a terrenarum rerum amore avellentes. 2. majori ſunt adhuc adjumento ad innocentiam eamdem reparandam, quoniam acceptari poſſunt in ſpiritu pœnitentiæ. VI.

De malo, qui a plurimis fit, uſu tribulationum. VII.

1. Qui tribulationibus ſuis non bene utuntur, illas graviores, & non ferendas efficiunt per impatientiam, ac triſtitiam, qua ideo conficiuntur.

2. Soli ſine merito, ſine ſolatio patiuntur; cum interim Deus juſtis opem ferat, ut ſuam gerant crucem, atque ſuper hanc gratiæ ſuæ unctionem effundat, quod efficit, ut numquam a ſuis tribulationibus liberari deſiderent.

3. Propter tribulationes ipſas nequiores fiunt, atque magis obdurantur, non ſecus ac illi, quos ſupplicia magis rebelles, atque pertinaces efficiunt; atque inde occaſionem arripiunt, non ſecus ac latro nequam, nomen Domini blaſphemandi.

Tribulationes certiſſima ſunt, quæ hac in terra haberi poſſint, prædeſtinationis indicia. Pro diviſione aſſumi poſſunt hæc S. Pauli ad Rom. 8. verba: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui. Quos prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, & hos juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Primum quod operatur Deus in illis, quos prædeſtinavit, eſt illos ad ſe vocare; hoc autem exequitur per tribulationes, quæ nos ex erroribus noſtris evocant, atque, ut Deo adhæreamus, efficiunt. Alterum eſt, nos juſtificare, & ſanctificare, quod peculiari modo præſtat per tribulationes, quibus mundamur, & quæ plurimum ad noſtram conferunt perfectionem. Tertium eſt, illis gloriam tribuere, quæ eo major erit, quo quiſque in hac vita propter Deum graviores pertulerit tribulationes. VIII.

Hæ quoque duæ aſſumi queunt veritates, quæ ſi bene enucleentur, optimus inde, ac utiliſſimus ſermo poteſt elaborari. 1. Iis omnibus, qui Deo IX.

ſervire

Digitized by Google

ſervire volunt, vel Apoſtolus ait, qui pie vivere cupiunt, hac in vita perſecutiones, cruces, tribulationes eſſe perferendas. Facile eſt invenire argumenta. 2. Bona, quæ juſti ex his tribulationibus hauriunt.

X. 1. Tribulationibus nos Deus erudit, hoc eſt per illas nobis cœleſtes tradit veritates, atque a nobis fallaces mundi ideas, & ſæculi ſenſus aufert.

2. Tribulationibus nos probat, ac perficit, præſtantiſſimarum virtutum patientiæ, humilitatis, mortificationis occaſionem ſuppeditans.

XI. In hæc Evangelii Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.*

Propoſitio prima. Crucis, & tribulationes tutiſſima ſunt ad gloriam via juxta illa Jeſu Chriſti verba: *Beati qui perſecutionem patiuntur, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Matth. 5.

Propoſitio altera. Hæc item breviſſima via eſt; hæc enim ratio eſt brevi tempore ingentia merita, & cumulatiſſimam coronam acquirendi: plus enim unica tribulationis meremur die, quam annis integris pacis, & tranquillitatis.

Propoſitio tertia, vel potius tertia veritas. Via eſt communiſſima: hanc quippe poſt Dei ipſius filium ſancti omnes ſecuti ſunt: neque alia eſt a nobis quærenda.

XII. 1. Numquam Deus majorem nobis teſtatur amorem, quam cum nos affligi permittit: tunc nobiſcum veluti cum amicis, filiis, & prædeſtinatis agit: tunc nos quoque filio ejus, in quo ille ſibi maxime complacet, magis ſimiles ſumus.

2. Numquam viciſſim majorem ipſi teſtamur amorem Deo, quam propter illum, & per occaſionem illius perferendo. *Abbas de S. Martino, & Auctor ſermonum in omnia Ethica chriſtiana argumenta, ſinguli more ſuo argumentum hoc pertractarunt.*

XIII. Vir bonus in adverſis, atque tribulationibus contentus eſt: 1. illum fulcit fides, ei Deum patientem, & morientem proponens. 2. Spes illum in tribulationibus conſolatur, illi æternam proponens felicitatem, quam per illas acquirit. 3. Illum animat charitas: cum enim aliquis amatur, libenter pro illius gloria, vel utilitate ſuffertur. *P. Nepven tom. 4. conſiderationum.*

XIV. De eadem chriſtiana patientia.

Primum quod ad præſens tempus, & hanc attinet vitam, quamplurimum ea lenit mala, quæ patimur.

Secundo quod ad alteram ſpectat, efficit, ut æternam felicitatem mereamur.

XV. Si cum puriſſimis fidei luminibus vitæ hujus adverſa conſideramus, ea cognoſcemus.

1. Præſentiſſima contra peccatum amuleta.

2. Certiſſima virtutis noſtræ experimenta, ſine quibus ſuſpicione illa vacare non debet.

3. Certum remunerationis, quam ſperamus, pignus.

XVI. Duæ ſunt virtutes, quas mundus fere ignorat, humilitas, & pœnitentia; ſed tribulatio efficit, ut mortales utramque illam tamquam neceſſaria ad ſalutem aſſequendam adminicula exerceant.

1. Tribulatio illos in ſeſe humiliandi neceſſitate conſtituit; quod palam docet experientia.

2. Tribulatio illis & occaſionem præbet, & modum pœnitentiam agendi.

XVII. 1. Tribulatio nos a noſtris erroribus evocat, & in quadam neceſſitate conſtituit redeundi ad Deum, nobis illius lædendi auferens modum.

2. Modum nobis tradit iræ ejuſdem leniendæ, & mulcendæ juſtitiæ, ex corpore, animoque noſtro victimam faciens.

XVIII. 1. Fidelis calamitates, & adverſa, quæ ſibi accidunt, reſpicere, debet tamquam crucem a Deo ſibi immiſſam, ac putare, tunc a Dei filio in crucis ſuæ partem vocari.

2. Cum fidelis patienter crucem hanc gerit, vere crucem Jeſu Chriſti gerit: *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam.*

1. Tribulatio plurimum valet; ut in futurum tempus convertamur ad Deum. XIX.

2. Tribulatio plurimum valet, ut pro præterito ſatisfaciamus Deo. *P. Cheminais 2. tomo ſermon.*

Nihil nobis majus afferre ſolatium poteſt, quam quod de tribulationibus fides, & evangelium nos docet. XX.

2. Nihil Deo majorem afferre gloriam poteſt, quam Chriſtiani patientis fides, & ſpes. *Idem ſermone ultimo.*

Viro bono tribulationes graves, ac intolerabiles videri non debent. XXI.

1. Quia Deus cum illo eſt: *Cum ipſo ſum in tribulatione:* Pſal. 90.

2. Neque nimis diuturnæ debent videri; Deus enim illinc eum quam primum eripiet. *Eripiam eum.*

3. Multo minus turpes illas cenſere debet; Deus enim illas in ejus gloriam convertet: *Et glorificabo eum.*

Tres hæ propoſitiones continent, quidquid hoc in argumento dici poteſt. XXII.

1. Tribulationes nemini timendæ ſunt, quacumque ex parte ingruant.

2. Neque ſolum timendæ non ſunt, verum etiam amandæ, & cupiendæ.

3. Alacriter recipiendæ ſunt, atque in lætitiæ, ac triumphi argumentum vertendæ. *P. Delingendes ſermone pro Dominica Palmarum.*

Tribulationes 1. patienter ferendæ ſunt: 2. fortiter ſuſtinendæ: 3. alacriter ſubeundæ. *De Fromentieres in Quadrageſima tomo 1.* XXIII.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructures exornandas.

S. AUguſtinus *lib. 1. de Civit. Dei cap. 8. &* Sancti Patres.
9. docet, Deum per tribulationes invitare peccatores ad pœnitentiam, non ſecus ac juſtos per patientiam erudit.

Idem *in Pſalm. 8. verſ. 5.* tribulationes præſentiſſimum vocat pharmacum, quo Deus animarum vulneribus medetur, & latius hanc eamdem ſententiam proſequitur in ſerm. 18. *de verbis Domini* & in Pſalm. 98. verſ. 1. In expoſitione Pſal. 21. tribulationem comparat fornaci, ubi Deus juſtos purificat, ac velut aurum probat. *In Pſal. 45.* docet, ad Deum in tribulatione confugiendum eſſe; *& in Pſalm. 90.* numquam cœleſtia deſperanda eſſe ſubſidia, quæcumque adverſitas ingruat. *In Pſal.* 49. oſtendit, quot tribulationum genera in hac vita perferenda ſint. *In Pſalm.* 85. *&* 137. vitam Chriſtiani jugem eſſe probat tribulationem; *& in Pſalm.* 144. hæc explicans verba: *Per ſingulos dies benedicam te*, oſtendit, omnibus in adverſis, quibus jactamur, Dominum eſſe benedicendum.

Idem *de agone chriſtiano* probat, tribulationes prodeſſe ad juſtorum virtutem perficiendam, eaſque hilari, & alacri animo ſubeundas eſſe. In ſermone 2. de *Litaniis* oſtendit, afflictionem utilem eſſe, ac exoptandam. In ſermone *de preſſuris hujus mundi* eos vituperat, qui conqueruntur, eo quod juſti magis, quam impii tribulationibus urgeantur. In ſerm. 9. *de verbis Domini* oſtendit id, quod nos pati jubet Deus ad cœli gloriam promerendam, minus eſſe, quam quod mundi amatores pro fluxa, fragilique voluptate patiuntur.

Idem *lib. 50. Homil. Homil.* 8. argumentis illam Scripturæ probat ſententiam: *quia per multas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei.* Act. 14. Et in 46. oſtendit tribulationibus & juſtos probari, & corrigi peccatores. In Epiſtola centeſima decima prima novæ editionis Victorianum conſolatur per ea, quæ in Bibliis fortiſſima inveniuntur. Et in Epiſtola ad Probam illi ſalutares tribulationum effectus recenſet.

Aliqui etiam paſſim de tribulationibus loquitur, veluti ſermone 3. *de tempore*, & in lib. *de Patientia* &c.

S. Hie-

S. Hieronymus *in Epiſt. ad Marcellam* matronam hanc hortatus, ut patienter ſibi a Deo immiſſas perferat tribulationes. In lib. 1. in 1. Jeremiæ caput oſtendit Deum uti miſericordia erga peccatores, cum illos in hoc mundo adverſitatibus punit. In cap. 9. Prophetæ Danielis hæc verba interpretatus: *ſtillavit ſuper nos maledictio*, oſtendit, Deum nequaquam juxta iræ, & juſtitiæ ſuæ apicem in peccatores animadvertere, ubi illos temporalibus punit ſuppliciis.

S. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 5. loquitus de magnis Dei conſiliis, ubi juſtos affligit; & cap. 7. docet tribulationes divina eſſe erga homines munera; lib. 13. eorumdem moralium oſtendit non deeſſe, qui ſub flagellis Dei magis obdurantur. In lib. 23. docet, rationem, propter quam permittit Deus, ut juſti hoc in mundo affligantur, hanc eſſe, ne huic hæreant mundo. In lib. 14. docet, vitæ hujus tempus, tempus eſſe afflictionis, alterius autem vitæ tempus eſſe lætitiæ.

S. Chryſoſtomus de hoc loquitur argumento in 9. & 10. primis Homiliis ad populum Antiochenum; in Homilia 40. in Geneſim, & in Homilia 63. in Homil. 5. de *patientia Jobi*; in Homilia 9. in cap. 5. Epiſtolæ ad Romanos; in Homil. 54. *in* S. Matth. in Homil. 16. in Acta Apoſtolorum; in Homil. 5. in cap. 2. Epiſt. 2. ad Corinth. in Homil. 26. in eamdem Epiſtolam; in Hom. 8. in Epiſt. ad Epheſios; in Hom. 33. in Epiſt. ad Hebræos, alibique paſſim: & jure affirmare poſſumus, illum hoc in argumento potiſſimum excelluiſſe.

S. Cyprianus multa, eaque egregia hujus habet argumenti in libro de patientia, in exhortatione ad Martyres, & in tractatu de mortalitate.

Tertullianus quoque librum edidit de patientia, ubi mira narrat de Sancto Job.

Origenes *Homil. 9. in c. 13. Jeremiæ*.

S. Baſilius *Homil. 9. in Pſalm. 33.*

S. Bernardus *Serm. 43. in Cant.* hæc explicans verba: *faſciculus myrrhæ dilectus meus*, docet, illis, qui vere Deum amant, tribulationes omnes, quas propter nominis ejuſdem gloriam patiuntur, faciles fieri, atque ſuaves.

Cum nullus ferme ex Sanctis Patribus extiterit, qui de hoc argumento verba non fecerit, integris opus eſſet voluminibus, ſi ea, quæ ab illis dicuntur, eſſent memoranda.

Granatenſis in duce peccatorum cap. 21.

Aſcetici, aliique. Recupitus *Tract. de ſignis prædeſtinationis, & reprobationis*.

P. S. Jure in libro de cognitione, & amore Domini noſtri.

P. Cauſſinus in aula ſancta lib. 3. artic. 3. puncto 3.

Lancicius *in* Opuſculo 9.

Moralis Chriſtiana *in Pater* lib. 29. art. 3. puncto 3.

Moralis Jeſu Chriſti a P. Dozeanes conſcripta, de *Patientia*.

P. *du Sault* in libro de confidentia in Deum paſſim de tribulationibus agit.

P. Croiſet in conſiderationibus tom. 1. loquitur de adverſitatibus, ac tribulationibus, quas viri boni in quolibet ſtatuum genere debent præſtolari.

Drexellius *in Gymnaſio patientiæ*. Idem in *Roſis*.

Dandinus in Ethicis Sacris *lib. 36. de Proſperis, & adverſis* plura habet hujus argumenti capita.

P. Novet in meditationibus de vita paſſibili Salvatoris.

P. Nepvea in libro, qui inſcribitur: Spiritus Jeſu Chriſti tract. 6.

Idem in chriſtianis conſiderationibus tom. 1. 2. 4.

Hi ſunt, qui ſatis ſuperque copiæ concionatori ſuppeditare poſſunt: ſuperſunt enim tot alii, quos referre, non longum eſſet, ſed impoſſibile.

Molinier myſterium crucis ſermone 7.

Concionatores. P. Delingendes ſermone pro Dominica Palmarum, ubi docet, quam glorioſum ſit pro Deo pati.

Matthias Faber ſerm. 5. de S. Jacobi feſtivitate, ubi omnes explodit excuſationes, quæ afferuntur ab hominibus, ne filii Dei calicem hauriant.

P. Reina ſerm. 1. Quadrageſimæ *num.* 20. ſermone 10. *num.* 22. & in ſecunda Paſcharis feria.

Araſius Concionator Italus integrum elucubratus eſt Adventum de tribulationibus; qui etiam in Latii linguam verſus eſt.

P. de la Colombiere tom. 4. ſermonum, unum habet de adverſis, & eſt 76. Idem in conſiderationibus de eodem loquitur argumento.

P. Cheminais duos edidit hujus argumenti ſermones, alterum de bonis, quæ nobis tribulationes procurant; qualia ſunt nos pro futuro tempore convertere, ac Deo ſatisfacere pro præterito; alterum vero de chriſtiana patientia.

Auctor ſermonum chriſtianorum, ſermone pro tertia Dominica poſt Paſcha de tribulationum agit utilitate.

Flechier tomo 2. oſtendit, nos tribulationibus erudiri, & probari.

Fromentieres Arienſis Epiſcopus ſermonem habet hujus argumenti.

Abbas de S. Martino.

De la Volpilliere.

P. la Peſſe tom. 4. ſermonum duos deinceps edidit hujus argumenti.

P. Texier *in* Adventu oſtendit impium in ſuis adverſitatibus infelicem.

In dictionario morali duo ſunt hujus argumenti ſermones, & alius ejuſdem auctoris in ſermonibus moralibus.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta duos habet in Dominicali, alterum pro ſecunda Adventus Dominica, alterum pro Dominica Palmarum.

Granatenſis in locis communibus. Qui collectanea ediderunt.

Summa Prædicantium; verbo *Tribulatio*.

Buſæus in Panario V. *Impatientia*.

Idem in Viridario V. *Patientia*.

Labatha in *Theſauro*.

Peraldus.

Lanuza in pluribus Homiliis.

Didacus de la Vega *cap. 7. de virt. & vitiis*.

Seneca lib. 9. Epiſtolarum ad Lucilium Epiſt. 67. & 68. optimas habet ſententias de patientia in adverſis; quibus uti chriſtianus concionator non debet refugere.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

CUm ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Pſalm. 90.

Multæ tribulationes Juſtorum. Pſalm. 33.

Juxta eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde. Pſalm. 33.

Sola vexatio dabit intellectum auditui. Iſai. 28.

Percuſſiſti eos, & non doluerunt; attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: induraverunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reverti. Jerem. 5.

Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt. Idem, cap. 2.

Caſtigaſti me, & eruditus ſum. Idem, 31.

De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me. Thren. 1.

Propter hoc ſepiam viam tuam ſpinis. Oſe. 2.

Erudire Jeruſalem (afflictionibus) *ne forte recedat anima mea abs te, ne forte ponam te deſertam, terram inhabitabilem.* Jerem. 6.

Corripe me Domine: verumtamen in judicio, & non in furore tuo; ne forte ad nihilum redigas me. Idem, cap. 10.

In paucis vexati, in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe. Sapient. 3.

In

In tribulatione ſua mane conſurgent ad me, venite, & revertamur ad Dominum. Oſeæ 6.

Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Pſalm. 77.

Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Pſalm. 82.

Peccavi, & vere deliqui, & ut eram dignus, non recepi. Job 33.

Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te. Tob. 12.

Quem diligit Dominus corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi. Proverb. 3.

Tentati ſunt patres noſtri, ut probarentur, ſi vere colerent Deum ſuum. Judith cap. 8.

Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis. Eccli. 27.

Si impius fuero, væ mihi eſt. & ſi juſtus, non levabo caput, ſaturatus afflictione & miſeria. Job 10.

Memores eſſe debent, quomodo pater noſter Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt. Judith 8.

Sic Iſaac, ſic Jacobus, ſic Moyſes, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles. Judith ibid.

Et nos ergo non ulciſcamur pro his, quæ patimur; ſed reputantes peccatis noſtris minora eſſe flagella Domini, quibus ſervi corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem noſtram eveniſſe credamus. Ibidem, cap. 8.

Obſecro eos, qui hunc librum lecturi ſunt, ne abhorreſcant propter adverſos caſus; ſed reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum, ſed ad correptionem eſſe generis noſtri. 2. Machab. cap. 6.

Ipſe caſtigavit nos propter iniquitates noſtras, & ipſe ſalvabit nos propter miſericordiam ſuam. Tob. 13.

Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me. Matth. 5.

Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Idem, cap. 10.

Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Idem, cap. 5.

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Luc. 24.

Nos quidem juſte, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali geſſit. Idem, cap. 23.

Rabbi, quis peccavit hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur? Reſpondit Jeſus, neque hic peccavit, neque parentes ejus; ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo. Joan. 9.

Non eſt ſervus major domino ſuo: ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Idem, cap 15.

Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Idem, ibidem.

In mundo preſſuram habebitis; ſed confidite, ego vici mundum. Idem, cap. 16.

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Idem, ibid.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Act. 14.

Ibant gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Ibid. cap. 5.

Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem. Ad Rom. 5.

Exiſtimo, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ibid. cap. 8.

Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra, ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis; ſcientes quod ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis. 2. ad Cor. 1.

In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; aporiamur, ſed non deſtituimur; dejicimur, ſed non perimus. Ibid. cap. 4.

In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros; in multa patientia, in tribulationibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in laboribus, in vigiliis. 2. ad Cor. 6.

Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis; non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Ibidem, cap. 4.

Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. Ibid. cap. 7.

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Ibid. cap. 12.

A Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. 1. ad Cor. c. 4.

Benedictus Deus, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. 2. ad Cor. c. 1.

Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ad Galat. 6.

Nemo moveatur in tribulationibus iſtis; ipſi enim ſcitis quod in hoc poſiti ſumus. 1. ad Theſſ. c. 3.

Donatum eſt vobis pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut & pro illo patiamini. Ad Philippenſ. 1.

Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur. 2. ad Timoth. 3.

Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem. Ad Hebr. 12.

Beatus homo, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Jacob. 1.

Omne gaudium exiſtimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes quod probatio veſtræ fidei patientiam operatur. Ibid.

Quem diligit Dominus, caſtigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Ad Hebr. 12.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. 1. Petri 2.

Hæc eſt gratia Dei, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſte. Ibid.

Deus omnis gratiæ modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque. Idem, cap. 5.

Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione ejus gaudeatis exultantes. Idem, cap. 4.

Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcit. Idem, ibidem.

Nemo veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; ſi autem ut Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine. Idem, ibid.

Modicum nunc oportet contriſtari, in variis tentationibus, ut probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in revelatione Jeſu Chriſti. 1. Petri, cap 1.

Ego quos amo, arguo & caſtigo. Apoc. 3.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſumpta.

PRæſtantiſſimum patientiæ exemplum eſt Sanctus vir Job, quem omnes ſatis noverunt, quin ſingillatim oporteat recenſere, quibus malis, permittente Deo, illius patientiæ periculum fecerit Sathanas, & quomodo ille benedixerit Deo in triſti loco, ad quem fuerat redactus, quin tot malorum pondere frangeretur. Exemplum Job.

Sanctus vir Tobias in Scripturis celebratur, ubi legimus permiſiſſe Deum caſum, quo ſenex ille oculis captus fuit, ut poſteris tamquam patientiæ proponeretur exemplum, quemadmodum ante ipſum Job propoſitus fuerat. *Lib. Tobiæ cap. 2.* Tob ei.

Machabæorum quoque mater aliud eſt inſigne con-

Mater Machabæorum.

conſtantiæ, & patientiæ exemplum in morte ſeptem filiorum, qui ipſa inſpectante ad mortem rapti, inauditiſque ſuppliciis affecti fuere. *Lib. 2. Mach. cap. 7.*

Eleazari patientia.

Eleazar quoque generoſam præ ſe tulit patientiam in mortis contemptu, atque in ſeveriſſimis ſuppliciis, quibus nonageſimum natus annum tortus fuit. *Lib. 2. Machab. cap. 6.*

Manaſſes.

Manaſſes ob impietates ſuas percuſſus, & Babylonem in captivitatem abductus, cum ad Deum confugiſſet inter malis, quibus obrutus erat, cumque ſincere ad Deum fuiſſet converſus, voti damnatus fuit, regnoque redditus, ubi veri Dei cultum, quem ipſe deleverat, reparavit. *Lib. 2. Paralip. cap. 33.*

Fratres Joſeph ſcelus ſuum in tribulatione confeſſi ſunt.

Fratres Joſeph in Ægypto detenti, ac cœli ultionem experti recordati ſunt ſceleris, quod patraverant, vendentes fratrem ſuum in Ægypto, atque agnoverunt manum Dei, quæ illos perſequebatur. Merito, exclamarunt, hæc patimur, quippe contra fratrem noſtrum peccavimus; &c. *Geneſ. cap. 42.*

Impius Achab a Deo pulſus fuit, neque ignorare potuit, propter peccata ſua in ipſum tot mala irruere: verum quin ſe reciperet, in impietate ſua perſeveravit. 2. *Paralip. cap.* 28.

Superbus Antiochus a Deo percuſſus fuit, & percutientis manum agnovit. Seſe humiliavit, ac malum quod fecerat, ſe reparaturum, veri Dei legem ſe amplexurum, ejuſque magnalia ubicumque ſe enarraturum ſpopondit; ſed hoc intuitu, ut præſenti, quo affligebatur, morbo liberaretur: at Deus, quem cordis penitiores receſſus non latent, preces illius repulit, neque cum illo uſus eſt miſericordia, quamvis hic ſpecioſiſſima vota nuncuparet. *Lib. 2. Machab. cap. 9.*

Deus ſemper illis opem tulit, qui in tribulationibus ad eum confugerunt.

Videmus in Geneſi Deum tandem remuneratum fuiſſe patientiam Jacob in diuturnis ejus laboribus *Geneſ. cap. 31.* miſertum fuiſſe mœroris, atque doloris *Liæ cap. 29.* necnon ploratus, gemituſque Agar audiviſſe. In Exodo dicit Deus ſe oculos aperuiſſe, ut populi ſui tribulationem, & ærumnam intueretur, ſe audiiſſe clamores, & querimoniam eorum propter duritiam, qua Pharao in illos ſæviebat; nec deſunt ſexcenta id genus in Scripturis exempla.

Patientia David.

Magnam quoque patientiæ præbuit exemplum David in perſecutionibus Saulis, in Abſalonis rebellione, & in iis, quæ adverſa contigerunt illi in patrati adulterii, ac cædis pœnam. Semper divinis fuit ſubmiſſus imperiis, & præſto, ut hilari, magnoque animo ea ſubiret ſupplicia, quæ ſe meritum fuiſſe putabat: *quoniam ego in flagella paratus ſum.* Pſalm. 37. Veterum Patriarcharum, & Prophetarum patientia a S. Paulo, immo ab ipſo Dei filio laudibus celebratur.

Quin vel de JESU CHRISTO, vel de ſancta ejuſdem matre loquamur, quæ perfectiſſima ſunt patientiæ exemplaria, de quibus ſingillatim, non ſecus ac de Martyrum omnium patientia verba facere hujus loci non eſt, ecce quid colligi ex novo poteſt teſtamento.

S. Pauli patientia in perſecutiones.

Ipſe Paulus ſuas narrat tribulationes, itinera, labores, perſecutiones, quas propter JESUM CHRISTUM paſſus eſt, Lege ſecundam ad Corinthios Epiſtolam c. 4.

Idem teſtatur, ſe paratum fuiſſe æquo, hilarique animo Jeroſolymæ perferendis ſuppliciis omnibus, quæ ſibi propter JESU CHRISTI fidem intentabantur.

Neque prætermittenda eſt primorum Diſcipulorum poſt obitum JESU CHRISTI patientia, cum ante judices, ac præſides rapiebantur, præclare quippe ſecum agi arbitrabantur, & præ gaudio exultabant, ubi contumeliis, ac ſuppliciis omnibus afficiebantur, eo quod Salvatoris nomen fuiſſent confeſſi, quemadmodum Apoſtolorum Actis narratur cap. 5.

Quorundam Scripturæ locorum applicationes.

Pulchrum ſpectaculum eſt videre hominem patientem propter Deum pati.

IN illa Exodi verba cap. 3. *Ibo, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Magnum ſpectaculum eſt videre hominem adverſa fortuna jactatum, atque tribulationibus, quas Scriptura ignem, & fornacem appellat, obrutum, quin abſumatur, quin ullum ultionis ſenſum concipiat in malorum ſuorum auctores, quin impatientia abripiatur, quin in querimoniam, & murmur erumpat. Immo ex Ethnici cujuſdam ſententia hoc ſpectaculum eſt Dei ipſius oculis dignum, *ſpectaculum Deo dignum homo fortis cum fortuna compoſitus*, inquit Seneca, patienter omnes contumelias, omneſque injurias ſuſtinens: *ibo, & videbo viſionem hanc magnam.* Ita nonnulli interpretes locum hunc applicant.

Gaudium nitur ex mœrore.

Fons parvus crevit in fluvium magnum, & in Solem converſus eſt. Hoc eſt ſomnium Mardochæi. Sol ex aqua egreditur, videlicet ex mœrore lætitia, & ex humiliatione gloria, quæ per hæc ſymbola exhibentur. *Eſth. cap. 10. Hæc eſt applicatio Cornelii a Lapide.*

In tribulatione dilataſti mihi. Pſalm. 4. Tribulatio cor arctat, & lætitia illum dilatat; ſed qui in tribulatione lætatur, triſtitiam in gaudium immutat; & tribulatio cor illius non in arctum cogit, ſed dilatat. *Bellarminus in hunc locum.*

Tribulationes propter Deum ſunt ſuaves.

Inundationem maris quaſi lac ſugent. Deuter. 33. Maris inundatio ſignificat ærumnarum, atque tribulationum copiam, quæ dulces videntur, & cum voluptate exuguntur. Hic ſenſus eſt allegoricus, qui hiſce verbis appingitur.

Dominus præcepit ei, ut malediceret David. 2. Reg. cap. 16. Imitari oportet S. Regem David, qui a Semei conviciis laceſſitus, ſe hanc pœnam meritum fuiſſe putabat; ideoque patienter ferebat injurias, quibus inſolenter ab illo proſcindebatur. *Hæc eſt S. Gregorii ſententia l. 31. moral.*

Dominici calicis participes eſſe debemus.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Matth. 20. Liquet, Salvatorem calicis nomine mortem, & paſſionem ſuam intellexiſſe; & Sancti Patres addunt, prædeſtinatos omnes participes eſſe debere calicis hujus, qui ſingulorum viribus, & captui aptatur, tanquam major, minorve menſura pro ſingulorum modulo; ſed qui ab omnibus eſt ebibendus.

Deus per tribulationes nos mundat.

Purgabit aream ſuam. Luc. 3. Cum fruges cribrantur, bonum triticum remanet, vel proprio pondere in terram decidit ad pedes cribrantis; paleas vero ventus aufert, atque diſpergit. Hoc accidit in tribulatione, qua Deus juſtos purificat: perſecutionum ventus illos, quibus ſolida virtus deeſt, tollit, cum interim Sancti perſiſtant, atque humilientur dumtaxat ſub illis, qui eos opprimunt, & perſequuntur. *Stella in hæc verba Evangelii.*

Tribulatio patientiam operatur. Ad Rom. 5. Per hæc verba S. Paulus innuit, patientiam eſſe tanquam agrum fertilem, quem tribulatio colit, & arat, inde uberem meritorum meſſem relatura. Hæc explicatio eſt Cornelii a Lapide illam acceptam referentis Hugoni Cardinali.

Patientiæ pretium coram Deo.

Ut probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro &c. 1. Petr. cap. 1. Merito Sanctorum patientia metallorum omnium principi comparatur: cum enim homines nihil majori habeant in pretio, quam aurum, ita nihil quoque eſt, quod Deus pluris faciat, quam in laboribus, ærumniſque patientiam. *Beda in hunc locum Epiſtolæ S. Petri.*

Perſeverantia in cruce.

Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Matth. 27. Si nemo ſalvabitur, niſi qui in finem uſque perſeveravit, quinam Dei filius Salvator & diceretur, & eſſet, niſi patienter in cruce perſeveraſſet? *S. Bonaventura, ſerm. 2. Domin. infra Octav. Nativ.*

Cum audiſſet Joannes in vinculis. Matth. 11. Angelus, qui S. Joannis Baptiſtæ nativitatem nun-

nuntiavit, prædixerat jam hunc magnum coram Deo futurum; qui nihilominus hodie inter compedes, atque in carceris ſqualore videtur, cum interim ſceleſtiſſimus Herodes in deliciis verſatur. Verum ille coram Deo vere magnus eſt, Sanctus Chryſoſtomus inquit *Homil. 3. in Matth.* qui pro amore illius, ejuſque nominis confeſſione magnos labores, magnaſque patitur perſecutiones; qui ſane cumulus fuit magnitudinis Dominici Præcurſoris.

Crux brevior eſt ad cœlum via.

Memento mei; cum veneris in regnum tuum: Hæc illa ſunt verba, quæ bonus latro protulit in cruce, dum ab illa una cum Dei filio moriturus penderet. Ille ad idem regnum, ad quod Salvator, breviſſima pervenit via; *vis noſſe quam compendioſa via*: S. Bernardus *ſermone in Ramis Palmarum*; interrogat, *eadem die meruit cum Domino eſſe in paradiſo*; eaque plurimorum Patrum ſententia eſt, crucem breviſſimam eſſe in cœlum viam.

Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Matth. 5. Nonnulli animadvertunt interpretes, in reliquis Beatitudinibus, de quibus in primo ſermone loquitur filius Dei, promiſſionem remunerationis futurum dumtaxat tempus reſpicere, illis vero, qui propter juſtitiam patiuntur, regni cœleſtis promiſſionem eſſe pro præſenti. Regnum hoc illorum eſt, & ex hoc tempore jam ſpectat ad illos: *ipſorum eſt regnum cœlorum.*

Tribulatio erudit, & mentem illuſtrat.

Caſtigaſti me, & eruditus ſum. Jerem. 3. Ubi me percuſſiſti, Domine, luminis oculos aperui; dum proſpero rerum curſu lætabar, alterius vitæ bona, Sanctorum felicitas, ac virtutis beatitudo me parum afficiebant: ſed poſtquam ſenſus mei per tribulationes errorem agnovere, fides in corde meo revixit, & virtus mihi amabilis viſa eſt. Toties audieram te dominorum omnium optimum, æquiſſimum, ac liberaliſſimum eſſe; at linguam hanc ignorabam, cum mundi illecebris decipiebar; ſed poſtquam illum perfidum, ingratumque ſenſi, intelligo jugum tuum ſolida ſuavitate eſſe refertum: hoc unum mihi ſubeundum eſſe; at doleo, & unice doleo, eo quod te non antea cognoverim: *Caſtigaſti me, & eruditus ſum.* Infelices, miſeroſque putabam eos, quos mundus deſpicit, & horret: ſed tuo illuſtratus lumine, detexi theſaurum in tribulationibus latentem; & video me a te, non tanquam a judice ſevero, ſed veluti ab amantiſſimo patre caſtigari.

Tribulationes efficiunt, ut hæreamus Deo.

Prope eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde. Pſalm. 33. Quantum adverſa nos a terrenis rebus debent avellere, tantum illa nos Deo conjungere debent; nam eo tempore, quo amici noſtri nos deſerunt, *Prope eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde*; immo cum illis in eadem tribulatione invenitur, *cum ipſo ſum in tribulatione* Pſalm. 90. Eo tempore, quo ſexcenta improbitatis ſuæ mortales nobis præbent argumenta, Deus bonitatis ſuæ ſexcenta itidem præſtat; cum eorum injuſtitia noſtris nos exuit bonis, ille nos replet ſuis; cum mundus veluti figura, nihil ſolidum habens, evaneſcit, Dominus nobis proponit regnum cœlorum tanquam mercedem illis deſtinatam, qui perſecutionem propter juſtitiam patiuntur. Si hæc ſolide cogitaremus, mala, adverſitates, tribulationes nos nequaquam proſternerent, affligerentque, atque amori fovendo, noſtræque erga Deum pietati roborandæ inſervirent.

Tribulationibus nos docet Deus ea, quæ diligimus, eſſe amore noſtro indigna.

Bonum mihi, quia humiliaſti me. Pſalm. 118. Fateor equidem, Domine, hac me calamitate eguiſſe, ut cordis mei idololatriam, & inordinatum hunc rerum creatarum amorem, quo a te ſejungebar, corrigerem. Daniel Babyloniorum idololatriam cupiens evertere, proſtravit idolum, quod adorabant; eumque illud confregiſſet, dixit illis: *ecce quem colebatis*; videte utrum cultum vera mereatur. Prædominans uniuſcujuſque affectus in ſingulorum cordibus idolum eſt; ideoque Deus zeloſus tribulationibus ſecreta hæc humani cordis idola confringit, cordibus domi-naturos. Mulieri huic, cujus decor per ætatem, vel morbos defloruit, inquit; ecce ſpecies illa, quam tanto habebas in pretio. Superbo hypocritæ, rubore, & confuſione ſuffuſo: ecce illa probitatis exiſtimatio, quam tot artibus tibi comparare, ac tueri ſtudueras, *bonum quia humiliaſti me*: operæ pretium erat, vos a Deo his affligi tentationibus, ut errorem veſtrum intelligeretis, ut voſmet colligeretis, utque, quam injuſta intumeſcendi vobis cauſa foret, agnoſceretis.

Conſolatio pro juſtis patientibus.

Dicite juſto quoniam bene. Iſaiæ 3. Juſti, quos premit tribulatio, vos alloquor; vos, inquam, qui ſub ærumnarum veſtrarum pondere gemitis, qui morientem ducitis vitam, qui iis, quæ maxime neceſſaria ſunt, indigetis, circum quos adhuc verſantur quædam ejus familiæ reliquiæ, quibus egeſtas, & fames, adhuc pepercit, ut vitam morte ipſa ſæviorem ducerent: reſpicitis fortaſſe felices ſæculi, pro quibus tantum terræ hujus bona creata fuiſſe videntur. Conſolamini, veniet tempus, quo aſſerti felices iſti ſorti veſtræ invidebunt. Modo inani felicitatis ſpecie decepti vos contemnunt, deſpiciunt, & ne oculos quidem in vos dignantur conjicere, cum dies Domini veniet, atque omnium oculis aperiet divitias patientiæ, quas hoc in ſtatu adepti fueritis.

Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt: Pſalm. 22. Qua animi ſubmiſſione vel potius alacritate, Chriſtianus, cui de fidei noſtræ inſtitutis perſuaſum eſt, recipit tribulationes? Has recipit tanquam munificæ manus munera, quæ percutiens conſolatur, ut loquitur Propheta, & hæc eſt conſolatio, futurum videlicet, ut aliquando malorum, quæ patitur, uberrimam referat mercedem. Utique; Deus in rationariis deſcribet injuriam hanc, quam patior, irriſionem, quam diſſimulo, dolorem, quem fero; hæc eſt piacularis criminum meorum pœna, hoc cœli pretium. Aliquid ne ulterius requiritur, ut omnes vitæ amaritudines dulcedine perfundantur? Humana ſolatia ad breve temporis intervallum dolorem mitigant; hoc vero ipſum etiam doloris fontem ſuavitate quadam adſpergit: & quamvis aliquem nobis malorum noſtrorum ſenſum relinquat, animam tamen interiori quadam replet lætitia, quæ efficit, ut cum Propheta dicamus, cor meum *in tribulatione dilataſti mihi*. Oppoſitum de illis ſentiendum eſt, qui patiuntur, ut noxiis indulgeant cupiditatibus: quod enim percipere ſolatium poſſunt? Si in Dei gratia eſſent, hæc illis uberem afferet conſolationem inter injurias, quibus ab hominibus afficiuntur; ſi ſecundum mundi ſententiam felices eſſent, eorum deliciæ, ac illecebræ quantumvis fallaces, inaneſque aliquam ſaltem perfunctoriam voluptatem, quæ felicitatis locum apud illos obtinere poſſet, tribuerent; verum cum & Deo ſimul, & hominibus ſint inviſi, graveſque, intus nefariæ conſcientiæ ſtimulis agitati, extra perſecutionibus, quæ illis accidunt, afflicti nequeant obſtinatum cor ſuum ad Deum, ut redeant, invitantem convertere, licet inviti ad fugientis, ingratique mundi bona anhelent, humanis etiam terreniſque conſolationibus vacui; nonne hoc quoddam eſt inferni principium!

Patientiæ meritum in ſuſpicionem adduci non poteſt.

Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem: Ad Rom. 5. Credere merito poſſumus, Deo acceptiſſimum eſſe chriſtianæ patientiæ meritum; quia vulgo hæc minime iis eſt obnoxia defectibus, qui alias virtutes in ſuſpicionem adducunt: illuſiones, & amor proprius non ita facile illam corrumpunt. Fidelis, qui patitur, quin conqueratur, hic procul dubio non patitur ex vanitate. Fidelis, qui peccata ſua doloribus, angoribuſque delere conatur, næ ille quidem ſe ipſum in malis ſuis minime quærit. Hinc meritum illius purum eſt, atque integerrimum, ac Deo non placere non poteſt.

PA-

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

PARAGRAPHUS IV.

Si ploras, pie plora, noli cum indignatione, noli cum typo ſuperbiæ, noli repellere flagellum, ſi non vis repelli ab hæreditate. Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 99.

Cogita medicinalem dolorem, futuram cogitans ſanitatem. Idem, in Pſalm. 102.

Non te ſine flagello ſperes futurum, niſi forte cogites exhæredari; flagellat omnem filium quem recipit. Itane omnem? ubi te volebas abſcondere? omnem; & nullus exceptus, nullus ſine flagello erit; quid eſt omnem? vis audire quem omnem? etiam unicus ſine peccato, non tamen ſine flagello. Idem in Pſalm. 32.

Unde plangis? quod pateris medicina eſt, non pœna; caſtigatio, non damnatio; noli repellere flagellum, ſi non vis repelli ab hæreditate. Idem, in Pſalm. 99.

Tu ſemper aderas miſericorditer ſæviens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas jucunditates meas. Idem, lib. Conf. 2.

Intelligat homo medicum eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem; ſub medicamento poſitus ureris, ſecaris, clamas; non audit medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem. Idem in Pſalm. 21.

Nullus ſervus Chriſti ſine tribulatione eſt: ſi putas te non habere perſecutiones, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus. Idem in Serm. & in Pſalm. 55.

Gaudeat Chriſtianus in adverſis; quia aut probatur, ſi juſtus eſt, aut ſi peccator eſt, emendatur. Idem, Serm. 20. in Append.

Peccator filius dedignatur flagellari, cum ſine peccato videat unicum flagellatum. Idem, in Pſalm. 88.

Non invenit locum ſapientia, ubi non eſt patientia. Idem, Serm. 4. de verb. Apoſt.

Doctrina viri per patientiam noſcitur, tanto ergo quiſque minus oſtenditur doctus, quanto convincitur minus patiens. S. Gregor. Homil. 35. in Evang.

Si mens forti intentione dirigitur, quidquid in hac vita amarum ſit, dulce æſtimat, omne quod affligit, requiem putat. Idem, in Moral.

In hoc mens juſta ab injuſta diſcernitur, quod juſta omnipotentis Dei laudem inter adverſa confitetur, quod non cum rebus frangitur, quod non cum caſu gloriæ exterioris cadit. Idem, in Ezech.

Ego virtutem patientiæ & ſignis, & miraculis majorem credo. Idem, in Dialog. l. 1.

Sine ferro & flamma Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo veraciter conſervamus. Idem, ibidem.

Nihil fortius iis, qui ferre omnia parati ſunt. Idem, l. 2. Moral.

Filii Iſrael premuntur a Pharaone, & a Moyſe invitantur, ut utroque modo velint exire, nempe ut dum amor provocat, cruciatus impellat. Idem, lib. 26. Moral. cap. 9.

Ego fidenter dico, quia minus pie vivis, ſi minus perſecutionem pateris. Idem, l. 6. Epiſt. 27.

Quis Sanctorum ſine certamine coronatus eſt? Abel juſtus occiditur, Abraham uxorem periclitatur amittere, quære, & invenies Sanctos omnes adverſa perpeſſos, ſolus Salomon in deliciis perpetuo fuit, & forſitan ideo corruit; quem enim diligit Dominus, caſtigat. Hieronymus.

Fundendo ſanguinem, & patiendo magis quam faciendo contumelias, Dei fundata eſt Eccleſia. Idem, Epiſt. 62. adverſ. Joan. Hieroſol.

Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubvertit, inanes paleæ tempeſtate jactantur, invalidæ arbores turbinis incurſione vertuntur. Cypr. de Simpl. Prælat.

Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem. Tertull. lib. de Patientia, cap. 15.

Abſtulit virtus crucis omnes aculeos mortis, in Dominici capitis patientia obtundens. Idem, de corona, cap. 14.

Nihil corpus ſentit in nervo, cum animus in cœlo eſt. Idem, lib. ad Martyr.

Non licet nobis una die ſine patientia manere. Idem, lib. de patientia.

In inſidiis, & calumniis injuriam non patimur, ſed illi qui faciunt. Chryſoſt. Homil. 68. ad Popul. Antioch.

Quando Deus dat alicui ut mortuos ſuſcitet, minus dat, quam cum dat donum patiendi; pro miraculis enim debitor ſum Deo, pro patientia debitorem habeo Chriſtum: O rem admirandam! & donat mihi, & ſuper hoc debet ipſe mihi. Idem, in Epiſtol. ad Philipp.

Vinctum eſſe propter Chriſtum præclarius eſt, quam eſſe Apoſtolum. Si quis amore Dei uritur, novit vim vinculorum, maluerit eſſe vinctus propter Chriſtum, quam habitare cœlos. Idem, Homil. 8. in Epiſtol. ad Epheſ.

Si quis mihi daret totum Cœlum, aut Pauli catenam, ego illam præferrem. Idem, ibidem.

Etiamſi pati nullam aliam haberet mercedem; hoc ſolum eſt magna merces, & ſufficiens remuneratio, gravia pati propter Deum, qui amatur. Idem, ibidem.

Gratia vere maxima, dignum cenſeri propter Chriſtum aliquid pati, & corona vere perfecta, & merces, futura retributione non minor. Idem, Homil. ſuper orat. Annæ.

Magna dignitas & multa, regno conſulatu, univerſiſque major, pro Chriſto ligari. Idem, in illud D. Pauli, obſecro vos ego vinctus in Domino, ubi agit fuſius de vinculis Pauli.

Nihil hac lingua ſanctius, quæ in adverſis Deo gratias agit; certe non inferior eſt lingua Martyrum, utraque pariter coronatur. Idem, Homil. 8. in Epiſt. ad Coloſſ.

Job ille pugil pietatis, Athleta orbis, ſicut adamas quidam omnes impetus ferre potuit. Idem, Homil. 23. in Geneſ.

Philoſophi omnem ſapientiæ oſtentationem de patientia præferunt. Tertull. lib. de patientia.

Job jacebat corpore in ſterquilinio, ſed animo habitabat in Cœlo; conſumebatur vermibus, qui ſpiritus ſuperabat immundo. Caſſiod. in Pſal. 37.

Tempora patiendi non poteſt prævenire felicitas regnandi. S. Leo, de Transfig. Domini.

Feliciter ſunt miſeri, quos conſtat non meruiſſe quæ perferunt. Hildebert. Epiſt. 39.

Vera patientia eſt pati vel agere contra quod libeat, ſed non contra quod liceat. Bernard. lib. 2. de Conſiderat.

Sunt alii mites, ſed quandiu dicitur vel agitur pro eorum arbitrio; ſed quam longe ſunt a patientia apparet, ſi levis oriatur occaſio. Idem, in quodam Sermon.

Quomodo ſtellæ in nocte lucent, in die latent; ſic vera virtus, quæ ſemper in proſperis non apparet, in adverſis eminet. Idem ſuper Cantic.

Sane Chriſtianus quodammodo eſſe deſinit, qui in hoc poſitus ut perferret, nihil perfert. Salvian. contra Gent.

Qui eſt magis patiens, magis eſt ſapiens. Sanctus Thomas, libr. de Condit. Principum, capit. 39.

Mirabilis res eſt patientia, quæ tanquam in tranquillo portu animum conſtituit, omnque & ab adverſis ventis, & fluctibus tempeſtatum liberum reddit. S. Chryſoſtom. Homil. 83. in Joann.

Non eſt verus patiens, qui non pati vult, niſi quantum ſibi viſum fuerit, & a quo ſibi placuerit. Libr. de Imitatione Chriſti, libr. 3. capit. 19.

Crux ſemper parata eſt, & ſemper te expectat, non potes effugere, quocumque eucurreris, quia quocumque ieris, teipſum tecum portas, & ſemper teipſum invenis; converte te ſupra, converte te infra, converte te extra, converte te intra, & omnibus invenies crucem. Idem, lib. 2. cap. 12.

Si pati non vis, recuſas coronari: ſi autem coronari deſideras, certa viriliter, ſuſtine patienter; ſine labore non pervenitur ad regnum. Ibidem.

Parum eſt quod tu pateri in comparatione eorum, qui tam multa paſſi ſunt; oportet te igitur aliorum graviora ad mentem reducere, ut levius feras tua minima. Ibidem.

Merito deberes libenter modicum pati pro Christo, cum multi majora patiantur pro mundo. Idem, lib. 2. cap. 12.

Crux Chriſti clavis eſt Paradiſi. Chryſoſtom. Homil. in Evang. Luc. de Divite.

Delicatus es miles, ſi vis gaudere cum ſaeculo, & poſtea regnare cum Chriſto. Sanctus Hieronym. Epiſt. ad Heliod.

Tolle Martyrum certamina, tuliſti coronas: tolle cruciatus, tuliſti beatitudines. S. Ambroſ. lib. 4. in Luc. cap. 4.

Vis deſideriorum facit tolerantiam laborum & dolorum: & nemo, niſi pro eo quod delectat, ſponte ſuſcipit ferre quod cruciat. Auguſtin. in lib. de Patientia.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu hoc in argumento depromi queat.

Patientiæ definitio. DOctores non unam aſſerunt patientiæ definitionem: alii quidem illius naturam, effectus alii, alii vero neceſſitatem conſiderantes. Virtus eſt, S. Thomas 2. 2. quæſt. 136. inquit, animam roborans contra motus triſtitiæ, quam præſens parit malum, eoſque reprimens, vel moderans, prohibendo, ne iiſdem anima obruatur, vel immodice de illis conqueratur, vel aliquid rationi oppoſitum faciat.

Philoſophi Ethnici, qui hanc nonniſi tanquam moralem virtutem agnovere, aliam aſſerunt definitionem, quæ paſſim a plurimis admittitur: virtus eſt, inquiunt, quæ efficit, ut non gravate, ac diu ea perferamus, quæ maxime difficilia, ac terribilia ſunt ob cauſam honeſtam, vel ob emanantem inde utilitatem: *Patientia eſt honeſtatis, aut utilitatis cauſa rerum arduarum, aut terribilium voluntaria, & diuturna perpeſſio;* inquit Cicero 2. Rhetoric. 1. Eſſe debet voluntaria, quia nequit alioquin virtus eſſe; quamobrem Princeps Apoſtolorum inquit, nos nequaquam pati debere reorum inſtar, qui licet inviti plectuntur. 2. Ferendum eſt ob honeſtam cauſam, pro patria, pro bono publico, pro fide, pro juſtitia. Additur etiam diuturnitas; etenim perfunctorium pati malum proprie patientiæ virtus eſt.

Virtus hæc ſubordinata eſt fortitudini, tanquam
Patientia fortitudini ſubordinata eſt. ſpecies, vel in ſocietatem ejus conjuncta veluti auxilium juxta S. Thomæ loco citato artic. 4. ſententiam, has rationes adſerentis. 1. Quia hominem ſui victorem facit; quamobrem Salomon dixit, patientem hominem forti præferendum eſſe, ac ſuis imperitantem affectibus meliorem eſſe urbium expugnatore. 2. Quia magnæ fortitudinis, & non vulgaris conſtantiæ actus eſt vi cœlum rapere, ut Salvator inquit apud S. Matth. 4. 3. Quia coercet iram, ubi ob illata nobis mala exardeſcat.

Undenam Patientiæ occaſiones proficiſcantur. Chriſtiana patientia, de qua hic agitur, conſiderari poteſt pro triplici paſſionum, vel laborum genere, qui in vita humana paſſim contingunt. Primæ illæ ſunt tribulationes, quas Deus ad virtutis noſtræ periculum faciendum, vel ad meritum augendum, ac deinde præmium quoque locupletiſſimum præparandum immittit; ſecundæ illæ, quas perſecutionibus ſuis in nos diabolus ſuſcitat, ad animum noſtrum infirmandum, atque murmur, & impatientiam ex nobis extorquendam; tertiæ denique ab hominibus proficiſcuntur, qui ſæpe de Deo optime ſe mereri putant, conſiliis noſtris adverſantes, ſuæque iræ, ac indignationis effectus in nos depromentes.

Patientia tot etiam diſtingui poteſt in ſpecies, quot genera ſunt malorum, quibus obruimur, & Quanam malis in mundo pati debeamus. quæ patienti, & quo animo a Chriſtiano ferenda ſunt, quacumque ex parte proficiſcantur. Prima eſt in bonis fortunæ, quorum jactura mœrorem nobis adfert; tunc autem pro murmure, & querela in ore noſtro verſari debent illa Sancti Jobi capit. 1. verba: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.* Altera eſt in malis corporis, ſeu morbis in ſiti, fame, doloribus, & moleſtiſſimis incommodis, propter quæ impatientia abrumpimur, quibus mediocris eſt virtus. Tertia in exiſtimationis jactura, calumniis, conviciis, quibus impetimur, vel in humiliationibus, quæ accidunt nobis. Quarta in malis animi, mœroribus, triſtitiis, ſolicitudinibus, timoribus, anguſtiis, &c. Quinta denique in malis, quæ iis eveniunt, quos diligimus; in conſanguineorum, amicorumque interitu, atque in eorum adverſis, quibus & nos ipſi dolore conficimur. Omnia iſthæc adverſa patientiæ objectum ſunt; atque illis noſmet præparare debemus, ut patientiæ virtutem acquiramus.

Præcipui actus patientiæ. Virtutis hujus actus ſunt, 1. Tacere, & ab omni temperare querela in iis tribulationibus, quæ accidunt nobis, & quantumvis moleſtæ, atque inopinatæ eſſe poſſint; hic Davidis mos erat: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti,* Pſalm. 38. 2. Peccatis noſtris acceptum referre, quidquid evenit adverſi, quod fratres Patriarchæ Joſeph fecerunt: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum.* Geneſ. 42. 3. Nullam in hujuſmodi occaſionibus excuſationem prætexere, neque in alium detorquere cauſam; cum hæc nobis deſertur. 4. Non cupere eo, quod patimur, malo defungi, niſi ubi Domino placuerit; vel ſi petimus, ut calix iſte a nobis tranſeat, hoc facere cum perfecta ſubmiſſione voluntati Dei, juxta JESU CHRISTI in Horto orantis exemplum. 5. In tribulationibus, quaſi de beneficio, ex quo non minima percipere poſſumus commoda, Deo gratias agere; quamobrem Sanctus Hieronymus in cap. 5. Epiſtol. ad Epheſ. inquit, Judæis quoque, atque Gentilibus hoc in more eſſe poſitum, ut pro bonis, quibus cumulantur, Deo, & hominibus gratias agant, ſed Chriſtianorum dumtaxat eſſe, gratias agere ob ea, quæ patiuntur, atque adverſa, quibus affligantur: *Pro calamitatibus, ac miſeriis ſoli Chriſtiani.* 6 Deum orare pro illis, qui nos perſequuntur, vel malorum noſtrorum ſunt cauſa; *orate pro perſequentibus vos.* Matth. 5.

Cum hæc virtus magis, minuſve perfecta ſit; Gradus hujus virtutis. tres potiſſimum gradus diſtinguuntur, qui efficiunt ut majori, minorive cum perfectione actus illius exerceantur. Primus eſt, ea quæ ingruunt, mala æquo animo, non ægre, aut gravate, & ſine querela pati, quæ nos invitos adverſis jactari ſignificet; ita ut ex eo, quo laboramus, malo per injuſtitiam aliquam nolimus emergere. Alter eſt integra, & perfecta Dei voluntati ſubmiſſio in iis omnibus, quæ eo jubente contingunt, ita ut omnia ab illius manu recipiamus. Tertius vero in eo poſitus eſt, quod hæc mala, funeſtos hos, moleſtoſque caſus non æquo ſolum, verum etiam alacri animo perferamus, illos non tanquam mala, ſed potius veluti vera bona conſiderantes; re enim vera talia fiunt per patientiam: hoc illud eſt conſilium, quod Sanctus Petrus Apoſtolus primis tradebat fidelibus, ut inter graviſſimas tribulationes gauderent: *Communicantes Chriſti Paſſionibus gaudete.* 1. Petri capit. 4.

Plu-

Digitized by Google

Rationes, propter quas patienter ferre debemus.

Plurimæ quoque ſunt rationes, propter quas pro Deo pati debemus; potiſſimas afferam, quæ pro tot argumentis, atque punctis concionis deſumi poſſunt. Prima eſt gloria, & merces nobis in cœlo præparata: *Beati qui perſecutionem patiuntur . . . . . . quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Matth. 5. Altera eſt, quia per hoc ſimiles evadimus ipſi Deo, qui patiens eſt, & beneficus erga illos, a quibus laceſſitur: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, ut ſitis filii patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos*. Tertia eſt exemplum JESU CHRISTI, qui, ut loquitur Tertullianus, ſaturari voluit voluptate patientiæ, atrociſſima quælibet tormenta, indigniſſimaſque contumelias perpeſſus. Quarta eſt peccatorum noſtrorum conſideratio, quæ longe graviora merita fuere ſupplicia; quis enim conqueri poteſt de aliquo malo, quantumcunque illud ſit, ubi ſe infernum, æternaſque pœnas meritum fuiſſe cogitet? Quinta, quod patientia noſmet ſanctificamus, & hæc præclara eſt occaſio amorem noſtrum Domino teſtandi, cum alia quælibet argumenta, vel æquivoca ſint, vel ſuſpicione non careant.

Tribulationes ſunt quædam prædeſtinationis pignora.

Sanctorum Patrum, Doctorumque ſententia eſt, tribulationes, quas Deus nobis immittit, & quas patienter ſuſtinemus, moralem eſſe noſtræ ſalutis arrham, earum omnium, quæ in hac vita haberi poſſunt, dummodo explicita excipiatur revelatio, certiſſimam. Rationes vero, quæ ab illis afferuntur, ſunt: 1. ſimilitudo, quam hoc in ſtatu habemus cum JESU CHRISTO, juxta illa S. Pauli verba: *quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui*. Ad Rom. 8. At nemo ſimilitudinis hujus melius expreſſa gerit lineamenta, quam qui illum patientem imitatur; quamobrem Tertullianus lib. de Patien. inquit, nos aliquo modo illo coæquari; *Coæquari paſſionibus Christi*. 2. Secunda ratio petitur ex divina erga prædeſtinatos providentia; cum enim voluerit Deus, hac potiſſimum via deſtinatam nobis gloriam mereri, hoc argumentari pacto poſſumus: certi ſumus ad propoſitum terminum perventuros, ubi ingreſſi fuerimus viam, quæ illuc adducit, & quam reliqui omnes ingreſſi ſunt, qui eo pervenerunt: ſed via hæc crux eſt, ac tribulatio; quia hanc ipſam Salvator, & poſt illum Sancti omnes ingreſſi ſunt. Tertio eſt, quia tribulationes ſunt quædam veluti conditio, qua propoſita gloriam ſuam Deus nobis pollicitus eſt: *Nemo coronabitur, niſi qui legitime certaverit. Si compatimur, ut & conglorificemur*. 2. ad Timoth. 2. Igitur quemadmodum niſi conditionem hanc expleverimus, inani conatu ad gloriam anhelamus, ita poſtquam adimplevimus illam, jure ad iſtam contendere poſſumus.

Varia mortalium genera, qui patiuntur.

Quatuor potiſſimum ſunt hominum genera, qui patiuntur; qui tamen non omnes eadem conſtantia patiuntur. Primi plurimum patiuntur, ſed ægre, & inviti, & qui in ipſa paſſione ignaviam magis, quam fortitudinem præſeferunt. Secundi ultro quidem, ſed per imprudentiam, vel pertinaciam, vel malam rationem patiuntur; quod quidem virium potius eſt, vel defectus virtutis, quam fortitudinis opus. Tertii patiuntur libenter propter bonam cauſam magnos labores cum patientia; & iſti vere & conſtantiam habent, & fortitudinem. Denique non deſunt, qui præſto ſunt graviſſimis, acerbiſſimiſque quibuslibet ærumnis perferendis, & qui nihilominus ubi occaſiones adſunt, parum, vel nihilum patiuntur; ſive ex magnitudine conſtantiæ eorum proveniat, quæ efficit, ut ne ſentiant quidem illas difficultates, quibus alii obruuntur; ſeu ex gratiarum, & conſolationum copia, quæ eorum adverſis quamdam ſuavitatem adſpergunt; & iſti omnium ſunt ſanctiſſimi, ac feliciſſimi; hic enim habitus eſt virtutis, atque patientiæ longe præſtantior.

S. Auguſtini argumentatio de tribulationibus.

S Auguſtini argumentatio ſolida eſt, atque ad tribulationes, quibus affligimur, leniendas aptiſſima: Quidquid adverſi in Dei cultu accidit vel pati potero, vel ſecus: *Quod patimur, aut vinci poteſt, aut vinci non poteſt*. Si primum, quo niſu victoriam referam? quam niſi referrem, quanto rubore ſuffunderer? *Si vinci poteſt, facile extinguitur*. Sin alterum, ac ærumnas, quibus obruor, ſuperare nullatenus poſſum, in illis moriar, ſed pretioſa hac morte fluxam, fragilemque vitam mihi auferente, immortalem, & glorioſiorem vitam naniſcar: *Si vinci non poteſt, vitam non adimit, ſed accelerat*.

Præcipuus fortitudinis actus in hoc ſitus eſt, ut patiaris.

Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 123. artic. 3. ac poſt illum Theologi ſentiunt, præcipuum fortitudinis actum eſſe pati; ad id enim majori opus eſt, quam ad agendum conſtantia, atque virtute. Et profecto S. hic Doctor ait, cum agimus, oſtendimus nos nequaquam metuere laborem, ſed noſmet exiſtimare fortiores hoſte, quem aggredimur; cum vero impetum ſuſtinemus, cum reſiſtimus, cum patimur, quin ſuperemur malo, quo obrueremur, niſi generoſam haberemus patientiam, tunc majori cum gloria triumphum reportamus iniquo, ut ita dicam, marte pugnantes; quamobrem teſtatur Apoſtolus, quod patientia præmium refert, atque triumphum meretur.

Nonniſi Providentiæ conſilio in hoc mundo patimur.

Fidei potius articulus eſt, quam theologica veritas, quidquid moleſtum, acerbumque accidit nobis, quacunque ingruat ex parte, Deo permittente contingere, ideoque evenire nihil, quod nolit, & neſciat, idque propter ea, quæ de nobis iniit conſilia, quæ quamvis, ut plurimum nos lateant, æquiſſima tamen ſunt ſemper; licet noſtri periculum dumtaxat fuere, vel virtutem noſtram in lucem proferre vellet, quod cum Job fecit; quamobrem Sanctus Auguſtinus ait; *quidquid in hac vita acciderit, noveris non eſſe niſi de voluntate ipſius, de ordine ipſius, de nutu ipſius*. Hac poſita veritate, quæ Spiritus ſancti teſtimonio paſſim in Scripturis probatur, duplicem inde conſolationis cauſam, eamque non mediocrem haurire poſſumus. Prior eſt, certum eſſe, Deum ſcire, & exploratas habere tribulationes noſtras, & rationes, propter quas patimur: *Scio tribulationem tuam*, inquit in Apocalypſi cap. 3. Hoc ſæpiſſime ignorant mortales, & ne quærunt quidem; ſed ſciens Deus melius, quam nos ipſi, qui patimur, ea quæ pro illo patimur, facere non poteſt, quo minus ea meritis noſtris adſcribat. Altera conſolationis ratio eſt ſcire ea, quæ nobis accidunt, Deo jubente evenire, qui probe ſcit ea, quibus indigemus, & quid nobis magis ſalutare futurum ſit; non quod probet malum, & contumelias, quibus afficimur, ſed quod illa ad noſtram utilitatem permittit; itaut ſuperior potius nobis ſpectanda ſit cauſa jubens, atque permittens, quam cauſa proxima, quæ malum infert, & qua utitur, ut æquiſſima, quæ de nobis concepit, conſilia exequatur.

Deus noſtras vires novit, & quouſque patientia noſtra procedere valeat.

Altera veritas, de qua non minus perſuaſum eſſe debet nobis, hæc eſt, noſſe Deum, quid poſſumus, & quibus rebus ferendis pares ſumus. Agnoſcis ille infirmitatem noſtram, mentis noſtræ captum, virium magnitudinem, iiſque crucem, quam numeris noſtris imponit, accommodat. Si nos fortiores videret, graviores imponeret; cumque ſciat quouſque patientia noſtra proferri valeat, ſi nos infirmiores agnoſceret, leviora a nobis exigeret. Quamobrem certi eſſe debemus, illum nequaquam paſſurum nos ultra vires noſtras tentari, ut Apoſtolus inquit, hoc eſt, nos obrui pondere tribulationis, vel doloris adeo gravis, ut illi ferendo pares non ſimus. Ita prout tribulationes creſcunt, atque augentur, confidentia quoque noſtra augeri deberet, nobiſque illa magni neſcio cujus ſanctitate viri oratio uſurpanda; *Domine auge dolorem, ſed auge patientiam*.

Nulla vera, & ſolida virtus eſt, cujus per tribu-

Satis vulgaris conſideratio eſt, non ideo tamen a nobis minus, quam a Sanctis Patribus, Doctoribuſque, ſerio animadvertenda, tribulationes, adverſa, acerboſque caſus in Scripturis Tentatio-

Tentationes periculum non fecerit Deus.

num nomine appellari. *Tentavit Deus Abraham.* Geneſ. 22. *Quia acceptus eras Deo, ideo neceſſe fuit, ut tentatio probaret te, &c.* Tob. 12. Quæ loquendi ratio in his locis ſignificat periculum, quod facere voluit Deus virtutis inſignium virorum Abrahæ, Jobi, ac Tobiæ. Hinc autem aſceticæ vitæ magiſtri arguunt, nullam ſolidam fuiſſe virtutem, quæ hoc tentamine probata non fuerit. Etenim præterquam, quod hoc infertur ex eo, quod Abrahæ hac ratione probato dixit Deus Geneſ. 22. *Nunc cognovi, quia times Deum*, & quod Deo Sathanas dixit illum ſollicitans, ut hoc pacto Jobi virtutem experiri vellet, dicere poſſumus, idque palam docet experientia, pleriſque fidelibus ſimulatam dumtaxat, inanemque virtutem eſſe; tribulationum vero periculo oſtendi, quid re ipſa ſit, quemadmodum aurum igni probatur, quæ ſimilitudo ab ipſo Spiritu ſancto adfertur. *Tanquam aurum in fornace probavit eos*, Sapien. 3.

Tribulatio magnos efficit Sanctos, magnaſque virtutes.

Affirmare quoque cum myſticis theologis poſſumus, tribulatione extrema duci virtutis, & ſanctitatis lineamenta; ita ut ſi veluti poſtrema cura, quam adhibet Deus perficiendæ imagini, ac ſimilitudini filii ſui, quam in nobis efformat. Ideo cum aliquem ad ſublimen ſanctitatis gradum cupit attollere; inde vulgo opus ſuum perficit. Primum quidem ſuaviter agit, mox vero graves illis tribulationes immittit, ac tandem illos ſæviſſimis perſecutionibus objicit. Quæ res hominum errorem auferre debet exiſtimantium, ex quo Deo famulari incipiunt, ab eo eruí debere ex omnibus hujus vitæ adverſis, & calamitatibus. Ideo, ex ſapientum animadverſione, perfectioribus tantum graviores tribulationes, & adverſa immittit Deus, *quia virtus in infirmitate perficitur*, 2. ad Cor. 12.

Per tribulationes, quas pro Deo patimur, firmam habemus ſpem, ac moralem certitudinem ſalutis noſtræ. 1. Quia tribulatio materies eſt patientiæ, quæ tutiſſima ad ſalutem via eſt. 2. Propter gratias peculiares, quas elargitur Deus illis, qui propter amorem ejus patiuntur. Hæc eſt eccleſiæ ſententia, non alia inquirentis argumenta ad ſacram apotheoſin eorum, qui pro fidei teſtimonio mortem ſubiere, vel qui diem obiere inter perſecutiones, & miſerias, quas propter Deum pertulere.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Omnes hujus vitæ tribulationes fieri poſſunt meritoriæ.

Vitæ hujus labores, & ærumnæ vera ſupplicia non ſunt; reus quippe ſibi debitas luens pœnas jure nullum præmium meretur. Sed filius Dei exilium hoc, quo damnati ſumus, in glorioſum nobis ſtadium convertere volens, ſupplicii nomini nomen certaminis ſubrogavit; quod ipſum & exemplo, & perſonæ ſuæ dignitate decoravit: ita ut qui magis, meliuſque patitur, coronam obtineat ſpecioſiorem. *Liber, cui titulus: Paſſiones Domini Noſtri.*

In homine duo ſunt, quibus creata quælibet indigna ſunt, & quæ uni Deo ſunt tribuenda; cor videlicet, & cruor; amare, & pati. Etenim JESUS CHRISTUS paſſionum pretium eo uſque protulit, ut non terræ tantum bonis, verum etiam inſignioribus cœli favoribus ſint præferendæ. Inſana cæcitas eſt pro mundo pati, atque rem adeo ſanctam in profanos uſus impendere, qui illius omnem nobis auferunt fructum, efficiuntque nos, plurimum, nocentiores. *Idem.*

Solatia in tribulationibus.

Sancti nunquam ſuaviori perfuſi fuerunt ſolatio, quam cum majora paſſi ſunt; pro JESU CHRISTO pati cumulus erat lætitiæ eorum, quemadmodum eſſe debebat gloriæ, Apoſtoli, & martyres obitus ſui diem triumphuo cenſuerunt: ignominiæ, & mala, quæ pro JESU CHRISTI nomine perferebant, illis honoris, & gaudii erat argumenta: *Ibant gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Actor. 5. Carceres, in quos trudebantur, nunquam ſatis obſcuri, tetrique erant; non ſatis acuti gladii, & ſecures; non ſatis graves compedes, & catenæ; nec ſatis ardentes prunæ, quæ incendebantur, ut illi in cinerem redigerentur. *Abbas Trappenſis in explicatione regulæ S. Benedicti.*

Tribulationes a Deo proficiſcuntur.

Afflixi te, dicebat olim populo ſuo Deus per Prophetam Nahum; quod ipſum hodie quoque dicere poteſt tot fidelibus, qui tribulatione premuntur. Ego te afflixi; ego permiſi mortem filii tui, quem nimis amabas; pravum illius temperamentum, medicique inſcitiam inſimulabas; ſed ipſe illum avulſi de manibus, tuis, atque manum clanculum abſcondit ita ut illam non videris: *Afflixit te.* Nahum 1. Ego te bonorum, prædiorumque jactura afflixi; cauſidicum, & malæ fidei, a quo lis tibi intentata fuit, ſuccenſebas, ſed errabas; ego illa operabar, & quidquid ille faciebat, me tantum permittente faciebat. *Joly tomo 2. Propoſitionum.*

Quid ſunt vitæ hujus adverſa? Si naturam, & affectum interrogo, dicent, illa quidem diuturna eſſe, acerba, non ferenda; verum ſi Deum, qui neque falli, neque fallere poteſt, percontor, nihilum eſſe reſpondebit: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te*, inquit per Iſaiam capit. 54. *Ad punctum*, hæc quantitas eſt; punctum hoc adeo exiguum eſt, ut nec videri, neque dividi poſſit. *In modico*, hæc qualitas; parum eſt, injuria, lis, morbus, quæ omnia, ſi cum æternitate conferantur, nihilum ſunt. Dereliqui te in re nullius momenti, & ad breviſſimum tempus; ſed levis hæc, breviſque derelictio quid feret? effuſionem, atque meæ in te miſericordiæ exundationem; tibi dare terga videbar, ſed cor meum aperiebam. *Idem.*

Tribulatio peccatorem vel convertit, vel indurat.

Cum te vel in valetudine, vel in bonis, vel in perſona, vel in filiis, vel in ſubſtantia, & bonore percutit Deus, niſi agnoſcis hanc præſentiſſimam rationem eſſe, qua ad ſe divina te evocat miſericordia, & ſi quo humili, & æquo animo hæc excipias mala, impotenter contra illius inſurgis imperia, nonne inferendum eſt, te vel jam obduratum eſſe, vel brevi obdurandum? Cur? quia opus eſt, Sanctus Gregorius inquit, alterutrum ex hiſce duobus effectibus gigni ab adverſitatibus, ut peccatorem vel convertat, vel induret; ut illum vel ſanctum efficiat, veluti Job, vel reprobum, veluti Antiochum. Præſentia te non corrigunt mala? te præveniunt. Non efficiunt, ut reverteris ad Deum? te ab eodem avertunt. Cor tuum non molliunt? illum indurant, omnemque illi auferunt ſenſum. *Idem.*

Adverſa nos a terrenis evellunt, efficiuntque ut horum nihilum agnoſcamus.

Quamvis nobis perſuaſum ſit de terrenorum bonorum nihilo, tribulationum intereſt, nos de eorum contemptu educere, omnem ex mente errorem auferre, & ab illis cor noſtrum expedire. Omnibus generatim perſuaſum eſt de mundi vanitate, & ſæpe videmus eos, qui omnium maxime illi adhærent, majori eloquentia bonorum horum vanitatem exponere. Si judicium de eorum cogitationibus ferendum eſſet ex verbis illorum, viviſque deſcriptionibus, quas nonnunquam exornant, crederes omnem ab illis errorem abeſſe; ſed rebus in proſperis paucos invenies, quorum placita menti ipſorum medeantur, & poſtquam ſinguli ubertim, ac diſerte de rerum humanarum fragilitate diſſeruerunt, præ illorum eloquentia magis pollet animi ægritudo. Tribulatio vero nobis perſonaliter generalis applicat principia; hæc nobis propria facit, & manifeſta experientia, quæ una cor avellere poteſt, efficit, ut has ſentiamus veritates, quæ alienæ quodam modo

modo a nobis videbantur. Nobis non dicitur amplius valetudinem bonum eſſe fragile, cui fidendum non eſt, robuſtiſſimum quodlibet temperamentorum leviſſimis ſæpe caſibus labefactari. Tunc inutile eſt dicere non ita a principum virorum nutu, ac ore pendere opus eſſe, ut in illis ſpem omnem, atque præſidium collocemus. Cum proſpero rerum curſu fruebamur, hæc omnia nos parum movebant; aliena calamitas nobis neque documentum, neque monitum eſt; videtur immo efficere, ut noſmet præ aliis beatiores, ac majoribus decoratos privilegiis cenſeamus; ſed frigiditas domini, qui ſuam nobis ſubtrahere incipit familiaritatem, favor aulici, qui recens in aulam advectus principis gratiam aſſequitur, inſigne infortunium, quod rerum faciem immutat, amici perfidia, cujus ope in ipſa neceſſitate fraudamur, hæc omnia nonne palam oſtendunt in hominibus confidendum non eſſe? Apoſtolus ſolus non eſt, a quo admoneamur, ne in divitiis, quæ ſemper incertæ ſunt, ſpem collocemus, cum omnia nobis e ſententia fluunt; ſperamus illas nunquam defuturas; ſed cum lite victi ſumus, cum magiſtratus nobis abrogatur, cum agri alioquin uberes ſpem noſtram fallunt, hæc omnia efficiunt, ut intelligamus, quam parvi facienda ſint hujus mundi bona, atque vox interior ſubinde nobis ea recinit Prophetæ verba; divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. *Ex ſpecimine ſermonum pro Adventu Dominica ſecunda.*

Reprobi ſub divinæ juſtitiæ flagellis indurantur, non convertuntur.

In Scripturis infelicem video Principem, qui cordis ſui affectione obduratorum peccatorum animum exhibet, quos Deus ſexcentis affligit ærumnis, ut terrenarum rerum faſtidium illis creet, atque ad ſui obſequium alliciat, ſed qui ſub divinæ juſtitiæ flagello indurantur. Rebellis hic divinæ voci princeps erat Pharao; totam in ſe armatam videbat naturam, ac circumundique capiti ſuo tonitrua, ac fulmina ſtrepere audiebat. Deus ex qualibet parte illi minitabatur; & mors infeliciſſimi regis ditionem populabatur. Attamen in tanta creatarum rerum perturbatione ille cor ſuum indurat, atque omnibus hiſce minis aures obſtruit. Nonne hæc infelix eſt tot obduratorum peccatorum diſpoſitio, qui contra Dei vocem per flagellum correctionis illos vocantis, ut Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 102. ait, indurantur? Nequicquam in illos procellas, ac tempeſtates excitat Deus, eoſque ærumnis, & calamitatibus angit: Sæviant in illos febres, & morbi, mors illis immineat, omnia illis bellum indicent; ſentiant illi quidem hæc mala, non ſecus ac Pharao grandinis, tonitruumque fragorem ſentiebat; verum nihilo magis, ac ille, ſentient vocem Dei, qui rebus hiſce omnibus utitur, ut illos vocet, atque convertat. *Ex collectione ſermonum a P. Champigni delectorum.*

Deus in tribulationibus nos conſolatur.

Si vobis perſuaſum fuerit, beatum eſſe pati, veritatis hujus perſuaſio in tribulationibus vobis erit ſolatio. Audite Apoſtolum, qui ipſa doctus experientia ita loquitur. Profecto, dicit ille ad Corinthios ſcribens, *in omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: dejicimur, ſed non perimus.* Apoſtolus hic perſecutionum ſuarum circumſtantias late deſcribens nonne reſtatur ſuaviſſimam earum conſolationum dulcedinem, quas in patientis cor effundit ille, pro quo patitur? *Si abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Specimen ſermonum pro Dominicis.*

Deus nos affligens amorem ſuum nobis teſtatur.

Deus amorem ſuum longe aliter, ac homines, teſtatur: hi amicos ſuos bonis, & honoribus cumulant; Deus e contra perſecutiones, ac tribulationes illis immittit. Unde hoc diſcrimen? Nunquid Deus minus liberalis, quam homines, eſt? Deo ſervimus, Apoſtolus inquit, qui a nemine liberalitate ſe patitur ſuperari. Nunquid ſibi complacet Deus crudeli modo filios hominum exercens? Deus meus es tu, inquit Propheta, ac mihi benefacere tantum quæris. Nunquid tandem inſervientibus ſibi nequit remunerari? Remunerari poteſt, actuque remuneratur, non autem nos ad terræ hujus dignitates attollens, vel caduca, & peritura nobis prodigens bona; hæ quippe remunerationes indignæ ſunt & liberalitate Dei, & ſervorum ejus fidelitate. Æterna nobis bona reſervat, deliciarum torrente nos inebriaturus. Quemadmodum autem paſſionum via tutiſſima eſt ad illorum poſſeſſionem promerendam, Deus electis ſuis tribulationes immittens certiſſima illis ſuppeditat adminicula, per quæ æterna hæc præmia conſequantur, & per eadem oſtendit, quanta nos dilectione proſequatur. *Ex manuſcripto ſermone.*

Tribulationes efficiunt, ut Juſti in via virtutis progrediantur.

Juſtus, ille videlicet, qui vel innocentiæ ſuæ detrimentum nunquam paſſus eſt, vel eandem ſincera converſione reparavit; Juſtus, inquam, ad quemcunque perfectionis gradum pervenerit, longe ſemper abeſt ab illo, ad quem Dei bonitas illum cupit attollere; quamcunque habeat virtutem, illam ſemper invenit longe inferiorem ea, quam ab eodem exigit; & quam plurimum illi adhuc deeſſe nancifcitur. Quid autem aptius ipſa tribulatione eſſe poteſt ad efficiendum, ut juſtus in via ſalutis incedat, ut in juſtitia ſua perſeveret, ut prohibeat, ne virtus elangueſcat, utque eamdem confirmet? Nunquid alte adeo in cor tuum radices egiſſet humilitas, niſi tibi hanc tribulationem immiſiſſet Deus? Qua de cauſa a terrenis bonis animum habes avulſum, niſi quod permiſit Deus, ut earum jacturam patereris? Cui debes invictam patientiam, niſi infirmitatibus, quibus te obnoxium eſſe Deus voluit? Nonne hujuſmodi Infirmitates mundi nauſeam tibi creant? Nonne illæ ſa iunt, ut adeo ſæpe confugias ad Deum, ut temet illius voluntati ſubmittas eodem tempore, quo brachium ſuum aggravat ſuper te? *Juſtus exercetur ad perfectionem*, S. Auguſtinus ait. *Idem.*

Tribulationum eſt nos in officio continere: hæ virtutes alunt, & roborant, incompoſitos affectus coercent, innocentiam tuentur, atque in oculis Dei nos jucundos efficiunt. Et profecto, Fideles, ſi ſacra conſuluerimus Biblia, inveniemus Deum minus pepercisse illis, quos impenſius dilexit. Nonne peculiari dilectione proſecutus eſt Patriarcham Joſeph, Prophetas Eliam, & Danielem, Præcurſorem ſuum S. Joannem Baptiſtam, S. Paulum Apoſtolum ſuum, dilectumque Diſcipulum S. Joannem? Attamen graviſſimis tribulationibus illos exercuit. Nonne amabat tot Martyres, quos tyrannorum furori tradidit? Nonne ſanctiſſimam Matrem ſuam mortalium omnium puriſſimam amabat; & nonne ſimul eamdem mœrore cumulavit? Deus tandem nonne Unigenitum ſuum diligebat, cum illum Judæorum calumniis, furori, & odio tradebat? Poſſumus poſt hæc de divina erga nos charitate dubitare, cum nos tribulationibus urgeri permittit? Poteſtne Deus melius ſuum erga nos amorem teſtari, quam nos efficiendo ſimiles filio ſuo, qui crucifixus eſt, ut aliquando nos filio eidem glorificato ſimiles faceret? *Idem ſermone manuſcripto.*

Tribulationes efficaciſſimi ſunt modi, quibus nos Deus ad ſe trahit.

Quibus validioribus Deus uti rationibus poteſt, ut ad ſe trahat peccatorem, illumque convertat? Illius ſancta inſpirabit deſideria? Quot divinos afflatus peccator contempſit? Efficiet, ut menti illius nova lumina affulgeant? Ille voluntarius eſt cæcus, oculos lumini claudens. Aliquemne Prophetarum mittet ad illum? Niſi huic necem intulerit, ut olim quidam Reges Iſrael, cum tamen tanquam importunum cenſorem procul amovebit. Nam aliquod in oculis ejus miraculum operabitur? contra ipſa miracula obdurabitur. Denique Deus, ut cor ejus commoveat, ſeſe illi in ſacramentis communicabit? utinam ad illa nunquam acceſſiſſet; mortem invenit ibi, unde alii vitam hauriunt; ſaluberrima pharmaca illi

facta ſunt præſtantiſſima venena. Qua igitur inſiſtet via peccatorem, quem amat, & ſalvare cupit, lucraturus? Hic vere agnoſco, Salvatar, quod non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat. Poſtquam ſuaviſſimum quoque adhibuiſti conſilium, ut obduratum commoveres peccatorem, randem vel invitum tribulatione cogis, quæ quidem eſt tanquam extremum remedium. *Idem.*

Exemplum filii Dei, qui primus paſſus eſt, nobis ſolatio eſſe debet in tribulationibus.

Si hoc in mundo patimur, meminerimus, Jeſum Chriſtum prius paſſum fuiſſe; unde ſequitur, 1. illum retudiſſe, & hebetaſſe tribulationum aciem, ac illis omnem amaritudinem abſtuliſſe; necnon quidquid in vitæ hujus malis, & ærumnis ſæviſſimum eſt, fuiſſe perpeſſum, ideoque effeciſſe, ut illa facile ferre poſſemus. Poſtquam ſacra admovit labia calici paſſionis ſuæ, ſuave reddidir, quidquid erat amarum, & abſynthium in dulcedinem convertit; atque mortuus in cruce abſtulit, quidquid huic ſupplicio turpitudinis ineat. Quamobrem ſi ad mortem rapior, meminiſſe debeo Salvatorem primum ad mortem raptum fuiſſe; ad majorem redigi nequeo paupertatem, neque ad eum ſtatum cogi, ubi majoribua contumeliis, & probris afficiar. Poſt Dei exemplum non deeſt mihi, unde conſoler, ideoque magno, alacrique animo hunc *calicem ſalutaris accipiam*. Pſalm. 115. ubi hunc ille mihi propinaverit. 2. Si quid patimur, nonniſi poſt hunc Deum Hominem patimur, ideoque minus, quam ille, patimur, quodcunque nobis accidat, ſemper illius veſtigia ſequemur. Licetne ergo nobia id detrectare, quod ille acceptavit? Nonne eximius nobis honor eſt eodem excipi pacto, quo ille, illius in doloribus ſocios eſſe, & bibere calicem illius? *P. Delingendes ſermone pro Dominica Palmarum.*

Tribulatio nos ſuo periculum, quod de nobis vult facere Deus.

Tribulatio dicitur quoque *tentatio*, quia per illam noſtri periculum fit, & efficit, ut a Deo, a nobiſmet ipſis, & ab hominibus agnoſcamur. Ita Deus tentavit Abrabam, & hæc maxima fuit tentatio, quæ ſancto huic viro accidere poterat. Cum a Deo juſſus fuiſſet unigenitum propriis ſacrificare manibus, hæc virtus, quæ, ut ita dicam, aurum erat mundum, in fornace poſita inventa eſt ſolida, & vera; ita ut illud Dei teſtimonium merita fuerit: *Nunc cognovi, quod times Deum, & non pepercisti unigenito tuo propter me.* Gen. 12. Tentatio Job nonne confundit calumniam dæmonis, qui accuſabat illum, quaſi Deo propter utilitatem, quam in illius ſervitute percipiebat, famularetur? Permiſit igitur huic ſpiritui nequam, ut illum tentaret, eumque, ut ita dicam, in tribulationum fornacem projiceret; atque tunc ſanctus ille vir oſtendit, quouſque hominis patientia procedere poſſet, quemadmodum ille ipſe teſtatur: *Ipſe vero probavit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit.* Job. 23. *Idem.*

Tribulatio efficit, ut noſmet agnoſcamus.

Si te ipſum cognoſcere cupis, ad Deum, ut David, teipſum converte: *Proba me, Domine, & tenta me*; & memento, quod ſi impatientia corripiaris, cum ita periculum tui facit Deus, te virtuti tuæ nequaquam confidere poſſe. Scias quoque Deum ad te omnibus, quæ accipunt, tribulationibus tentandum uti aſpero, moleſto, ac imperioſo eorum, cum quibus verſaris, ingenio; atque hoc pacto utplurimum te per tribulationis ignem traducere. Tentatio hæc aliis quoque virtutes, defectua, & vitia noſtra detegit. Et profecto non deteguntur niſi per patientiam, vel furorem, quem in iis, quæ nobis mala eveniunt, oſtendimus: eo uſque, ut dæmon hoc abuteretur prætextu, virtuti Jobi obtrectaturus, Deo dicens; *Numquid Job fruſtra timet Deum? Nonne tu vallaſti eum, ac domum ejus? &c.* Quam laudem meretur, ſi diligit te? ita illum opibus cumulaſti, ut nihil ei nocere poſſit; verum ſi manus tua tetigiſſet illum, laudes ſuas in blaſphemias converteret, atque palam oſtenderet, ſe ideo amare, quia plurimum inde recipit utilitatis. Liquet ergo, niſi tribulationibus tentemur, æquivocam eſſe virtutem noſtram, neque ſatis certum de eadem ferri poſſe judicium. *Idem.*

Amor, quo Deus proſequitur juſtos, ſimilis eſt amori patris erga filios.

Communis ſententia eſt, patrum, matrumque amorem differre; patris enim amor fortis eſt, & ſeverus; matris vero tener, ac nimis indulgens. Deus primo illo amore juſtos complectitur; laboribus ergo, doloribus, ærumniſque ſunt exercendi; ſi enim lenius cum illis ageret, vel ſi illis omnia poſtulata concederet, illi in infelicem laberentur languorem, atque impares fierent omnibus virtutum actibus, qui maxime neceſſarii ſunt in iis occaſionibus, quæ paſſim in vitæ decurſu contingunt: liquet enim, virtutem recentes acquirere vires in adverſis, quemadmodum labore induratur corpus, & cuicunque operi aptum efficitur. Quapropter ſi leves, aut nullas tibi Deus tribulationes immittit, argumento eſt, virtutem tuam ab illo flocci fieri; te ad nil magnum deſtinari, atque non ita diligi, ut eos, quos pro filiis habet, a quibus multum expectat, uti S. Paulus affirmat: *Omnem filium, quem diligit, Deus caſtigat.* Ad Hebr. 13. *Idem P. Delingendes.*

Patienter ferre inſignes calamitates heroicæ virtutis argumentum eſt.

Cum virtus in ſublimi gradu eſt, a philoſophis heroica nuncupatur. Ad hoc autem, ut actio dicatur heroica, tria poſtulantur; objectum videlicet illuſtre, & ſublime, quod nempe factum difficile ſit, & generoſum; deinde quod ad hunc finem peculiare a Deo obtineatur auxilium; tertio demum quod omnibus viribus adlaboretur. Qui conſtanter magnos patitur labores, hæc tria poſſidere dici poteſt; ut enim infirma, fragiliſque natura ſuperet, quidquid ſibi adverſatur, ut in tribulationibus, crucibuſque oblectetur, ut illas amet, eaſque ſe pati glorietur, ſuperno eget auxilio, & peculiari gratia roboranda eſt; nec non omnem ſpiritum, omneſque nervos debet impendere, ut id, quod difficile videtur adeo, perficiat. Virtus igitur nunquam magis heroica eſt, quam cum graviſſimæ calamitates, atque adverſa perferenda ſunt. *Idem.*

Pro Deo pati glorioſum eſt.

Ratio, propter quam in tribulationibus gloriari debemus, hæc eſt, quia nos JESU CHRISTO ſimiles efficiunt, quemadmodum per hæc verba teſtatur Apoſtolus: *Ad cognoſcendam ſocietatem paſſionum illius configuratus morti ejus.* Ad Phil. 3. Nulli imagini potior gloria deferri poteſt, quam quod prototypum quam maxime imitetur; ideoque cum vita noſtra non aliud eſſe debeat, quam imitatio vitæ JESU CHRISTI, qui magis patiuntur, propius ad perfectionem accedunt: *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Inde magnus ille proficiſcitur honos, quem Martyribus deferri vides; illis enim templa, araſque dedicamus, illis dies, ſolemneſque feſtivitates ſacramus, & quin ulla de vita eorum quæſtio habeatur, ſatis eſt, illos pro JESU CHRISTI nomine paſſos fuiſſe, ut in Sanctorum albo recenſeantur. Quamobrem S. Paulus palam profitetur ſe in hoc uno gloriam ſuam conſtituere, quod Domini ſui crucem ferre poſſit: *Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini.* Ad Galat. 6. Profecto cum nefaria vanitas ſit gloriam conſectari, atque res præclare geſtas jactitare, quantumvis illæ niteant, mirum eſt, quod S. Paulus, Apoſtolus ille adeo humilis, & qui metuebat, ne poſtquam aliis ſalutis viam tradidiſſet, reprobaretur, & non audebat enarrare revelationes, & ſingulares gratias, quas divinitus accepit, ne ſibi hominum exiſtimationem conciliaret; quod S. Paulus, inquam, de tribulationibus, ærumniſque ſuis glorietur, ſuas catenas in quoddam veluti trophæum erigat, atque ea, quæ pro Dei gloria paſſus eſt, jactet. Sed quamvis alia quælibet gloria vetita ſit, quia inanis, fragilis, & plerumque fallax; licet tamen gloriari de iis, quæ pro Deo paſſi fuimus, quia gloria hæc vera, & ſolida eſt, quæ nos re ipſa magnos, & coram Deo glorioſos conſtituit. Addere poſſumus etiam, non aliam eſſe gloriam, quæ cum illa valeat comparari. Etenim

Dei

Digitized by Google

Dei filius paulo ante paſſionem ſuam, cum æternum rogaſſet Patrem, ut ſibi eam redderet gloriam, qua, antequam mundus fieret, perfruebatur; gloria, quam illi Pater conceſſit, fuit mors, & ſæviſſimi quilibet cruciatus: etenim per hæc ſeſe omnibus tradidit cognoſcendum, atque hominum, & Angelorum adorationem promeruit. *Partim ex eodem.*

Facere non poſſumus, quominus ea patiamur mala, quæ humanæ naturæ, & conditioni ſunt inhærentia, quoniam ſunt inevitabilia. Sed gratiæ, atque chriſtianæ virtutis intereſt efficere, ut acceptatione noſtra voluntariæ fiant, quod ſecundum S. Petri in 1. Epiſt. cap. 4. adhortationem facere debent Chriſtiani: *Nemo veſtrum patiatur, ut homicida, aut fur*, &c. Nemo veſtrum ea, quæ ſibi accidunt, mala, vel perſecutiones, quæ in ipſum excitantur, ferat eo modo, quo fures, atque ſicarii; hoc eſt cum impatientia, & rabie, quæ ut plurimum a ſceleſtorum pœnis non diſſociantur; ſed patienter, eaque ſuavitate, quæ digna ſit qualitate Chriſtiani, quam gerit. Sed quomodonam tribuere poſſumus hunc characterem noſtris calamitatibus, & malis, niſi animos noſtros ad illa hoc pacto recipienda præparaverimus? *Biroat in Adventu ſermone quarto.*

Tribulationes ſunt cœli via.

Tribulationes ſunt cœli via, quam Salvator ipſe ſecutus eſt, quam proprio ſanguine indigitavit, nobiſque in ſuo evangelio deſcripſit, ita ut cum Apoſtolo quodam dicendum ſit: *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Act. 14. Ne credamus, cœli viam floribus ſtratam eſſe; immo tribulis, ſpinisque impedita eſt, ſaxis, foveiſque prærupta. Neceſſum eſt, ut per multas paſſiones traducamur, ad regnum Dei perventuri. Quamobrem S. Gregorius Nazianzenus, tribulationes regiam cœli viam appellat: *Regia ad cœlum via. Idem.*

Deus novit tribulationes noſtras.

Homo nil patitur, quod neſciat Deus. Ipſe profitetur noſtram agnoſcere paupertatem, noſtraſque tribulationes; quodcunque mali accidat, quæcunque adverſitas premat, quicunque labor urgeat, nihil illius effugit cognitionem, nihil ejus oculos fallit. Paſſim miſeri cupiunt exploratam, compertaque eſſe mala ſua, ut alii miſereantur; arbitrantur mala hæc imminui, niſi lateant; quærunt amicos, in quorum ſinum ſuas effundant lacrymas rati, dolorem ſuum hoc ſolatium levari poſſe, ſi ab omnibus agnoſcatur. Verum hæc fidelium in ſuis tribulationibus felicitas eſt, ſi illæ ab hominibus ignorantur, Deo tamen eſſe exploratas; quæ una conſideratio nonne illis conſolationem debet afferre? *Fromentiere in ſermone de tribulationibus.*

Tribulatio efficit, ut revertamur ad Deum.

Cum dico tribulationem efficere, ut revertamur ad Deum; *Domine in anguſtia requiſierunt te*, Iſaiæ 26. non loquor de coacto reditu, qui oritur ex indignatione, qui triſtitia animatur, qui deſperatione fovetur, & qui efficit, ut nonnulli Deo nonniſi per quamdam ultionis ſpeciem ſe mancipent, & noxias abdicent voluptates quodam converſionis prætextu, ut ſecreta hac voluptate fruantur, quod ipſi priores dereliquerint illas, a quibus metuunt, ne derelinquantur. Loquor de ſincera mundi, & peccati nauſea, quam parit tribulatio; loquor de reditu bonæ fidei, qui efficit, ut minus doleamus iis malis, quæ patimur, quam ſceleribus, quibus illa conflata fuerunt, & quæ cor a rebus creatis divellat, ut Deo unice vacet. *Idem ſermone pro ſecunda Adventus Dominica.*

Facile eſt pati propter neceſſitatem.

Quod virtutis ergo patimur, multo ſtat nobis impendio; quod rationis cauſa, minus difficile eſt; quod vero propter neceſſitatem, eſt admodum facile: ſeu quod homo tunc quamdam juſtitiæ ſpeciem ſecum exerceat, quæ efficit, ut eam, quam patitur, pœnam diligat, atque coactam neceſſitatem in voluntariam virtutem convertat; ſeu quod natura cor hominis fortunæ ipſius accommodet, eique tribuat ſtudia ab eo ſtatu, in quo eſt, non abnormia; ſeu denique tunc peculiares gratias impertiat, quæ tribulationibus illum auferunt horrorem, quem continent, & efficiunt, ut eam lenitate, atque patientia tolerentur. *Idem.*

JESU CHRISTI patientis exemplum nos in hanc mentem impellere debet, ut animo magno tribulationes perferamus: ut adeo præclaro eruditi exemplo, S. Auguſtinus ait, dicamus: ſi ille, qui ipſa ſanctitas erat, hæc paſſus eſt, quod mihi erit faciendum? *Ut his rebus communiter dicamus, ſi ille, quid ego?* Si ille, qui ipſa erat innocentia, tantum pertulit, ego, qui peccator ſum, quid ferre debeo? *Quid eſt JESUS CHRISTUS?* quid ego? Quid ille patitur? Quid ego patior? *Si ille, quid ego? De la Volpilliere, ſermone de patientia.*

Nos tanquam filii Calvariæ pati debemus.

S. Auguſtinus verbo complexus eſt, quidquid de fidelibus dici poteſt, cum eos *Filios Calvariæ* appellavit. Nomen hoc non ſolum magnificum eſt elogium, verum etiam genealogiæ ipſorum compendium eſt, atque præcipuum nobilitatis eorum argumentum. Tandem enim, Auditores, verum eſt; Calvarius patria noſtra eſt, & locus originis noſtræ; ibi omnes nati ſumus, inter Paſſionis ſuæ cancellos nos peperit Dominus, per vulnera illius ad gratiæ lumen pervenimus, omneſque ab illius morte vitam accepimus. Verum hæc ipſa Calvariæ filiorum qualitas nos jubet crucifixos eſſe, ac neceſſitatem injicit patiendi, quemadmodum pater noſter paſſus eſt, niſi degenerare velimus, & glorioſam illius abdicare hæreditatem: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Matth. 10. *Auctor recens, & Anonymus.*

Tribulationes ſint inſtrumenta gloriæ, cum eas Deum ...

Si fieri nequit, Deus, ut nonniſi per tribulationes fiam aptum gloriæ tuæ inſtrumentum; affige me, de doloribus in dolores me tradue, de tribulatione in tribulationem, tanquam per tot pericula virtutis meæ, ut nomini tuo ſanctificando idoneus evadam. Gloriæ meæ mihi aufer amorem, ut dignius tuæ inſerviam. Fac me mihimet ipſi per pœnitentiam, & mortificationem emori, ut tibi vivam; cor meum exhauri mei ipſius amore, ut amore tui repleatur; doce me ad gloriam tuam iis rebus uti, quibus ad Patris tui gloriam uſus es. Tribulationes, humiliationes, dolores, confuſiones, interiores, exterioreſque pœnæ, contradictiones, deſolationes eſtote para mea, quandoquidem pars JESU CHRISTI fuiſtis. Nullas ulterius rationes inquirere volo ad tribulationes amandas, ex quo JESUS CHRISTUS ſuprema ratio eas tantopere amavit... Afflictiones, pœnæ, tribulationes quam deſiderabiles eſtis cordi perfecte chriſtiano; quandoquidem per vos vere colitur Deus, & in gloriæ ejuſdem partem accedimus; & nihil melius, quam adverſitas chriſtianæ virtutis ſoliditatem oſtendit! *P. Rapin libro de chriſtianæ religionis perfectione.*

Tribulationes efficiunt, ut accedamus ad Deum, atque hæreamus.

Puer nunquam fortius matri ſuæ adhæreſcit, quam cum ſentit imbecillitatem ſuam, atque ſe in labendi periculo videt; nunquam ſtrictius ſinum complectitur, quam cum aliquid videt, quod ſibi timorem injiciat: nonnunquam etiam mater efficit, ut filio aliquod ſpectrum obtrudatur, quod illum in ſinum ſuum confugere cogat; gaudetque ipſum omnia præter ſe unam metuere, ut in ipſa ille confidentiam, ſalutemque omnem conſtituere teneatur. O Deum ſummæ charitatis, ac miſericordiæ! qui nos magis amas millies, quam mater unigenitum ſuum, quoties extra nos procellas excitas, ut in temetipſo tutum nobis portum aperias, ac nos, ut ad te confugiamus, conſtringas! Tui in proſperis, lætiſque rebus obliviſceremur; tu vero ſuaviter nos cogis, ut in adverſis de te cogitemus, & clamemus ad te. *Liber, cui titulus; Chriſtiani interioris exercitia.*

Quam glorioſus Deo ſit amor, quo in tribulationibus noſtris illum proſequimus.

In altiſſimæ annihilationis ſtatu, in quo Deus in cruce nobis apparet, & in quo certo ſcimus ipſum æque Deum eſſe, ac in cœlo; qui ad illum propius accedunt, illi ſunt, qui pulchrioribus paſſionum, & humiliationum ejus cha-

characteribus inſigniti ſunt, ſi hunc ſtatum patiantur ſpiritu chriſtiano, hac videlicet mente imitandi Jeſum Chriſtum.... Ego quidem illos admiror magis, quam Seraphim, qui ſunt in gloria: quod enim illi throno Dei adſiſtant, ut ibi ſancte amoris ſui ignibus flagrent, non admodum miror; ſed mordicus hærere Dei annihilati throno, nihil eo in ſtatu oſtendentis, quod natura non perhorreſcat, atque nihilominus mirabili quadam ſacri amoris vi velle felicitatem quidem ſuam in eo collocare, quod humana mens miſeriam vocat, gloriam vero in eo, quod in mundo vocatur opprobrium, nec non divitias in generali earum rerum contemptu, quas ſæculi ſapientia bona arbitratur; næ hic quidem triumphus amoris eſt, quem præ ſublimium Seraphim charitate admiror; & hic inſignis ille ſtatus eſt, ad quem vera Jeſu Chriſti imitatio animas evehit. *Idem*.

Salvatorem amare non eſt fugere tribulationes.

Miror equidem, quod adorare poſſimus Salvatorem tanquam Deum in crucis ejuſdem humiliatione, & nihilominus illum imitari horreamus. In ſpeciem quidem Illum infinite exiſtimamus, cum tanquam Deum noſtrum colimus; & nihilominus eum, in quo eſt, ſtatum contemnimus, cum nihil intentatum, inauſumque relinquimus, ut inde emergamus. Illum, ut dicimus, ex toto corde diligimus, cum eum Deum noſtrum vocamus; attamen reipſa illud odimus, quod eum amabilem efficit, humiliationes, dolores, cruces, quas propter amorem noſtrum non ſine bonitatis exceſſu amplexus eſt. *Idem*.

Per tribulationes evadimus in perfectam imaginem J. C.

Opus eſt, S. Chryſoſtomus inquit, Chriſtianum eſſe ſub manu Dei eadem præterpropter ratione, qua lapis, vel marmor ſub cælo ſculptoris, qui inde magni pretii ſimulacrum elaboraturus eſt. Sculptor hic marmor cædit, repetitis ictibus inde particulas abſcindit, iteratiſque mallei ductibus tundit illud, quaſi in eo quæſiturus imaginem, cujus animo graphidem tenet; & nonniſi poſtquam marmor ſectum, cæſumque fuit, imago, quam ibi latuiſſe dixiſſes, prodire incipit, ejuſque dignoſci incipiunt lineamenta... Chriſtianus autem homo inviſibilis eſt, & abſconditus, (S. Petrus ait) & ſecundum verba, quibus utitur eccleſia, lapis eſt vivens in manu Dei, qui illinc Filii ſui educere volens imaginem, quidquid ſuperfluum eſt, abſcindit; modo aufert bona propter litem adverſario adjudicatam, modo tranquillitatem imminuit pertinaci perſecutione, hodierna die illum morbo affligit, craſtina vero turpi obtrectatione honori ejus officiet. Verum cum homo ſeſe adeo gravibus ſubjicit ictibus, tunc politur, ac lævigatur, ac Jeſu Chriſti imaginem referre videtur. *Ex ſermonibus moralibus*.

Periculum, quod permiſit Deus ut dæmon de Jobo faceret.

Dæmoni quondam dixit Deus: Vidiſtine ſervum meum Job, cui ſimilis alter non eſt in terra vitæ integritate, & cordis rectitudine? Quomodo ille tibi non obtemperet? tunc ſpiritus nequam reſpondit: nunquid te fruſtra colit? nunquid ſine fructu, & utilitate te diligit? Extende pauliſper juſtitiæ tuæ manum ſuper eum; illum & in perſona, & in iis, quæ poſſidet, percute, & videbis, utrum tibi in faciem non reſiſtet... Dixiſſes, S. Gregorius ait, Job arbitrum eſſe quæſtionis, cum Deum inter, & improbum hunc ſpiritum eſſet contentio; ac potuiſſe efficere, ut victoria in alterutram, quam vellet partem, inclinaret. Si ergo malis obrutus in Deum evomuiſſet blaſphemias, ſi frequentibus his, diuturniſque perſecutionibus fatigatus murmuraſſet, atque deſperationi ſeſe tradidiſſet, penes dæmonem victoria fuiſſet. Nonne bene dixeram, objeciſſet ille Deo, futurum ut, ſi illum affligeres, tibi detrectaret obedientiam, atque reverentiam, quam adeo jactabas. Sed illum Deus oſtentavit, tanquam hominem, a quo amabatur. *Idem*.

Dolemus ob ea, propter quæ mœrore confici non deberemus.

O miram humani cordis duritiem! id flemus, quod flendum non eſſet; neque iis rebus dolemus, quæ juſta doloris noſtri cauſa eſſe deberent. Luges, cum lis, vel gravis aliqua jactura prohibet, ne tuæ ambitioni, & luxui veliſiceris; & quod hæc ambitio, & luxus hic tibi Dei inimicitiam conflavit, non luges? Mulier luget, quod morbus faciei ſuæ decus abſtulit, ita ut placere nequeat mundo, cujus ora in ſe convertere optabat, & quod peccatum omnem illi abſtulit gratiam, eamque Deo inviſam præbuit, non luget? *Ibidem*.

Deus nobiſcum eſt in afflictione noſtra.

Quemadmodum filius Dei poſt reſurrectionem vulnera ſua non reliquit, ita neque relinquit eos, a quibus propter amorem ſuum illa geruntur: *Cum ipſo ſum in tribulatione*. Cum illo ſum, qui in tribulatione ſua me diligit. At undenam ſcimus, S. Bernardus interrogat, Deum nobiſcum eſſe in noſtra tribulatione? Hoc ſcimus, quia in tribulatione ſumus; quis enim ſine illo eam ferre poſſet? quis in ea permanere, ac ſubſiſtere valeret? Veri amici adverſis probantur; plurimi ſunt amici, qui diligunt noſtra, tanquam mercurius, auro adhæreſcentes; verum ſi in ignem projiciatur aurum, foſſile illud velox ſtatim recedit, ac in fumum evaneſcit; hi ſunt *ſocii menſæ*, *non permanentes in die neceſſitatis*. At non idem de filio Dei dicendum eſt; hic fidelis eſt amicus, qui nunquam propius nobis adeſt, quam cum nos tribulationibus afflictari intuetur. *P. Novet meditationum tomo* 2.

In tribulationibus gloriari debemus.

Jure S. Paulus 2. ad Corinth. 12. dicebat; *propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto*. Cum nobiſcum ſit Deus in tribulationibus, quibuſnam in rebus me mihi placere putes? in infirmitatibus, & morbis, quibus valetudo mea atteritur; *in contumeliis*, in calumniis, quibus proſcindor, & in fictis rumoribus, qui paſſim feruntur, ut in me commune odium confletur; *in neceſſitatibus*, in egeſtate, cum male habito, male induor, male veſcor, atque noctu labori vacare cogor, ut meis neceſſitatibus conſulam; *in perſecutionibus*, *in anguſtiis pro Chriſto*, in exterioribus, interioribuſque pœnis, in tentationum mearum importunitate, in ſalutis meæ metu, in tribulationibus omnibus, quas pro Jeſu Chriſto patior: in his gloriam, honoremque meum ſtatuo; cur autem? *Ut inhabitet in me virtus Chriſti*; quo enim magis affligor, eo mihi propior eſt; & ſi mecum eſt in tribulatione, quid mihi timendum eſt? Nonne ſatis, ſuperque ſum felix? *Idem*.

Peccatum noſtrorum adverſitatum cauſa.

Inde liquet palam, adverſa omnia ex peccato tanquam ex origine ſua ducere initium; quod Deus paſſim juſtitiæ ſuæ inſtrumentum id adhibet, quod fuit peccati inſtrumentum. Corpus hoc, cui omnes voluptates tribuitis, aliquando fortaſſe crudelibus doloribus torquebitur, hæc ſpecies, quam tanta cura tueri ſatagitis, & quæ tot mala parit, quamprimum vos apud homines efficiet miſeros, quales jam in Dei oculis eſtis, filius hic, quem tanto amore proſequimini, veſtra crux erit; amittetis bona, quæ ſunt fructus iniquitatum veſtrarum; obtrectatio, & ultio veſtra in vos convertentur: *Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum ejus*. Iſai. 47. Illius originem inquiretis, eamque invenire non dabitur; illas putabitis extitiſſe cauſas, quæ ad ſummum divinæ Juſtitiæ inſtrumenta fuerunt; incuſabitis vel amicorum infidelitatem, vel odium inimicorum, ſæculi duritiam, & iniquitatem, malum rerum veſtrarum ſtatum, adverſam fortunam, ſed veram mali originem nunquam attingetis. *Abbas de S. Martino*.

Afflictio Dei gratia eſt, & in quo ſenſu.

Tribulationem Caſſianus tertiam Dei gratiam appellat, immo etiam tertiam rationem, qua utitur ille nos ad ſe revocaturus. Et ſane triplicem habet gratiam, interiorem inſpirationis, exteriorem divini verbi, & exempli, necnon gratiam tribulationis, quæ quidem reliquis nobilitate non præſtat, ſed quæ paſſim reliquas viſ ſuperat, cum nulla res hominem ad cor revocet, ac magis ad virtutem diſponat, quam tribulatio: quippe gratia hæc tria peragit in nobis, oculos aperit, ut cogitemus Deum, prava ſtudia no-

bis

Digitized by Google

bis aufert, & immittit bona. Hæc Manaſſem omnium regum Juda nequiſſimum, ac ſceleſtiſſimum convertit; idololatra erat, magus, homicida, omnibus impuris voluptatibus abditus, & crudelis; attamen ſtatim ac in captivitatem abductus fuit, e veſtigio extulit animam ſuam ad Deum. Adverſitas inquirit animam ſub tot abominationum, flagitiorumque pondere obrutam, ut ex ore ſimul, & corde hunc pœnitentiæ ſenſum exprimat: *Peccavi Domine, peccavi, & iniquitates meas agnoſco. Idem.*

Tribulatio plurimorum criminum remedium eſt.

Proſper rerum curſus omnes noſtras alit affectiones, quæ iden ſine illo non magis, quam extra ſolum plantæ vivere poſſunt. Hic luxum ſovet, ambitionem, vanitatem; hic impudicitiam, & voluptatem alit; inde convivia, crapula, ebrietas, ſolatia, voluptates emanant. Neceſſe igitur eſt, ut hæc omnia in adverſis moriantur. Miratis mulierem hanc, quæ olim adeo ſuperba erat, & vana, factam eſſe adeo modeſtam; hominem hunc, qui violentus erat, factum mitem; illum, qui in omne libidinis genus effuſus erat, modo frugi eſſe: ego quidem non miror: quomodo enim vis hos homines in peccato perſiſtere, peccati inſtrumenta non habentes? quomodo vis mulierem hanc profligatam tueri luxum, atque ſuperbiam, cum bonis illis deſtituta ſit, quibus illa nutritur? Sin autem cupiditatem, affectumque ſervas, hæc diu non vigebunt; ita ut quædam neceſſitatis ſpecies adſit, qua homo bonus eſſe cogitur in adverſis. Dolores, morbi, adverſa, irruite in ambitioſum cor, ut illud humilietis, cor impudicum, ut caſtum efficiatis, cor immite, ut illud chatitati aperiatis, cor impœnitens, ut inde lacrymas eliciatis: hic enim tribulationis effectus eſt delere peccatum, eique ſubrogare virtutes. *Idem.*

Tribulationes pœnitentiæ locum obtinere poſſunt.

Nonnumquam ignoramur, non equidem dicam, auſteritates, ſed ipſa etiam pœnitentiæ opera, quæ facillima ſunt. Quæro autem ex vobis (Fideles) ſi tantula vobis eſſet cura divinæ ſatisfaciendi juſtitiæ, nonne operæ pretium eſſet in hoc ſaltem ſtatu a Dei manu recipere tribulationes, quas vobis immittit, ut per has ſuppleatis pœnitentiæ, quam minime exercetis? Nonne æquum eſſet, vobiſmet diceretis; hæc nobis ingruit adverſitas, æquo illam excipiamus animo, hanc meriti ſumus: nihil in mundo facimus ad peccatorum noſtrorum expiationem, pœnitentia hæc noſtro convenit ſtatui. Noſmet ab eccleſiaſticis excuſamus jejuniis ob temperamenti gracilitatem; a meditandi cura ob modicam id genus precum conſuetudinem; quid reſpondere poterimus tribulationibus, quas nobis cœlum immittit? Quid nos excuſare poterit, ne illas patienter, & ſine querella patiamur? Nimis felices ſumus, quod Deus adeo graviter, & crebro læſus temporales a nobis pœnas dignetur excipere, ac velit in præſenti vita a nobis modico labore perſolvi, quod, ſi differret, æternis luendum eſſe ſuppliciis. *Pater Cheminais ſermone primo de tribulationibus.*

Patientia in tribulationibus pœnitentiæ eſt Deo accepta.

Nobis potiſſimum quærendum eſt, ut peccatorum noſtrorum ſatisfactio Deo ſit accepta; at id non aliunde melius intelligere poſſum, quam ſi memet ſubjiciam iis omnibus, quæ mihi Deus mittere placuerit. Tribulationes hujuſmodi optionis meæ non ſunt, non ſunt inſignia quædam pœnitentiæ, cui ſeſe amor proprius, vanitas, ingenium valeat immiſcere: hæ ſunt calamitates, quæ humiliant, quæ nullam in mundo glorioſæ auram aucupantur, & in quibus nullam partem habet natura. Sunt, ut ita dicam, Dei ſigno notatæ; ideoque mihi accidere debent jucundæ, ac me nimis felicem exiſtimare deben, ſi certus eſſe poſſim inexorabili juſtitiæ huic ſatisfacere, coram qua juſtiſſimus quilibet totis debet artubus contremiſcere. *Hic ure, hic ſeca, modo in æternum parcas.* Ure, Domine, ſeca, neque mihi parcas peccatori, qui nimis felix ero, ſi hanc, quam meritus ſum, pœnarum æternitatem valeam effugere. *Idem.*

Tribulationes efficiunt, ut meminerimus Domini noſtri in cruce mortui, eaſque in hujus perſona, ut ita dicam, conſecratas fuiſſe. Ad triſte hoc ſpectaculum obmuteſcere debet natura, pœnæ fiunt nobis ſuaves, & venerabiles; palam agnoſcimus, quam dedeceat, Chriſtianum in terris beatiorem eſſe velle, quam ille fuerit Deus, quem adorat. *Idem in ſermone de chriſtiana patientia.*

In tribulationibus voluptate invenire humanum non eſt.

S. Petrus princeps erat Apoſtolorum, primus divinitatis Jeſu Chriſti teſtis, Diſcipulorum omnium maxime ſtrenuus, & fervens, & nihilominus crucis ignominiam guſtare non poterat. Zelus illius nimis adhuc cæcus, quam cognoſcere poſſet ejus meritum, ubi de illa primum ſermonem haberi audiit, perhorruit; ſed avertere volens Dei filium a conſilio adeo glorioſo Dominum ſuum læſit, atque in ſe hanc ſeveritate plenam exprobrationem convertit: vade, recede, *non ſapis ea, quæ Dei ſunt.* Matth. 16. & hoc dicens te mihi inimicum oſtendis. Hinc jure dicere me poſſe reor, ut patiamur, ſatis eſſe homines eſſe, ſed ut paſſionis voluptatem guſtemus, eſſe debere pluſquam homines, ad id eos, ac ſpiritum Dei requiri. Patientiæ exercitium humanum eſt, guſtus vero divinus; pati communis eſt naturæ infirmitas, ſed cum voluptate pati virtutis miraculum eſt, cujus gloria Jeſu Chriſto debetur. *P. Nevet tomo primo meditationum de Sanctis.*

Ad chriſtianam religionem vocati ſumus, ut patiamur.

In hoc vocati eſtis; quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c. Vulgo nos ſatis ponderantur hæc S. Petri verba Chriſtianis omnem vocationis eorum extenſionem oſtendentia. Intelliguntur quidem ſe ad cœli regnum vocatos eſſe, ut ſint cohæredes filii Dei; ſed ſe pariter ad Jeſu Chriſti imitationem, paſſionem vero præſertim, avocatos eſſe non intelligunt. Vellent homines iſta duo ſeparare; in altera vita quidem cœleſti felicitate frui, in hac autem nullis malis affligi; ſed voluntatem hanc iniquam eſſe docet Apoſtolus. Vocati quidem ſumus ad cœli bona, verum ſimul etiam ad terræ mala vocati. Itaque vocatio noſtra duas habet partes eſſentiales, alteram, quod vocati ſumus in partem remunerationis Chriſti Jeſu, alteram vero, quod vocati ſumus, ut ejuſdem veſtigia ſequamur. Cœlum quidem nobis promittitur, at nonniſi ſub hac conditione: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur* ad Rom. 8. qui conditionem reſpuit, reſpuit quoque promiſſionem, & mirari non debet, ſi vocationis ſuæ fructu fraudatur, quandoquidem illius conditionem adimplere recuſat. *In ſpecimin. Ethic. to. 5.*

Adverſa non triſtitiæ, ſed gaudii potius argumenta ſunt.

Mala, quæ vobis immittit Providentia, nequaquam exiſtimanda ſunt mæroris, ſed potius lætitiæ argumenta. Chriſtianus inter honores, opeſque, & in proſpero terrenarum rerum curſu lugere debet, hæc omnia illum a Jeſu Chriſto diſſimilem faciunt; in tribulationibus vero credere debet ſe Jeſu Chriſti charactere diſtingui, & Deo gratias agere, quod occaſionem ſibi præbeat officiis vocationis ſuæ defungendi. Hic homo prædites eſt, inquiunt, in abyſſum projectus, unde nunquam emerget; jam everſa, & profligata eſt ejus fortuna. Verum quid hoc? Hoc innuit hominem hunc ſalvum eſſe, de maris imo eductum, & in viam ſalutis adductum; hæc hominum loquela eſt. *Idem.*

Patientia in bonis æque ac malis exercenda.

Neque ſolum ferenda ſunt mala, ferendi ſunt homines, qui gignunt illa, ferenda eorum ingenia, libidines, injuſtitiæ: & hæc omnia æquo animo ferenda ſunt. Immo neque alii tantum homines ſunt ferendi, ſed nuſmet ipſi nobis ferendi ſumus corporis noſtri mortalitas, morbi, infirmitates, ſpiritus noſtri tenebræ, ipſa demum peccata, quorum ferre debemus confuſionem, quin tamen animos deſpondeamus; ferendum eſt Dei de nobis conſilium, quodcumque capere velit; hoc non ſemper ſtudiis noſtris conforme eſt, Deus ſua habet tempora, ſuaſque moras, quæ non ſemper cum noſtra impatientia, & deſiderio conſentiunt ... Immo patientia, ſecundum Scripturæ præcepta, non exercetur ſolum in malis, verum etiam in bonis; difficile quippe eſt in illis perſeverare: ideoque Scri-

ptura

ptura in Ep. ad Roman. 2. *patientiam boni operis* nobis commendat. Moleſtum eſt in operibus bonis perſiſtere, cum nullus eorum fructus, nulla remuneratio videtur. *Idem*.

A Deo ſunt tribulationes, & ab illius manu recipiendæ ſunt.

Tribulationes a Deo procedunt, & redeunt ad Deum; hoc eſt Deus nobis tribulationes immittit, ut ad illum redeamus. Lactantius, ex primis Chriſtianis anctoribus unus Ethnicis inſultabat, quod Numinum ſuorum in adverſis tantum recordarentur: *Si neceſſitas preſſerit, Deorum recordantur*. Hoc ipſum dici poteſt de plurimis Chriſtianis, qui cum proſpero rerum curſu, & affluentiis fruuntur, Dei ſui non meminerunt, & confugiunt ad Deum, ubi premuntur adverſis. Pharao, cum felix erat, gloriæ ſibi vertebat verum Deum non agnoſcere; at ubi dolore confuſſus fuit, illum adoravit, confeſſus eſt, Moyſemque obteſtatus, ut pro ſe preces effunderet. *Ex Auctor Anonymo*.

Deus per tribulationes noſtri periculum facit.

Deus cor, amorem, fidemque noſtram in ſervitute ſua probaturus quadam ſeveritatis ſpecie incipit auferre nobis id, quod tanta cum liberalitate large, effuſeque donaverat; permittit, ut ſub inimicorum noſtrorum ictibus decidamus, ut omnibus eorum detractionibus, calumniis, contumeliis objiciamur; & velificans, ut ita dicam, hominum improbitati cumulum addit calamitatibus noſtris, acerbiſſimos, diutiſſimoſque morbos immittens: modo ille ipſe nos percutit, modo aliena utitur dextra, non ſecus ac olim uſus eſt labiis Semei, ut in David ingereret probra, manu Nabuchdonoſor, ut Iſraelitis percuteret. Cum igitur Deus fidelem reperit animam, ſi hæc ab illo afflictata non ſolum de providentia non conqueratur, neque ut olim Pharao ſub flagellorum pondere induretur, verum etiam nomen Domini laudet, ut olim Daniel, eique laudum cantica concinat, ut tres pueri in Babylonis fornace; poteſtne Deus dubitare ſe ab illa vere non diligi? Nihil facilius eſt, quam Deo dicere, ipſum a nobis amari, cum ab illo beneficiis augemur, cum nos cœleſti irrigat rore, qui e nobis lacrymas elicit terrenis omnibus voluptatibus jucundiores; ſed cum noſmet humiliamus ſub manu, qua percutimur, cum Deo gratias agimus, cum a deo ſevere in ſpeciem agit in nos, cum fideliter famulamur Deo, qui ſub ſevera tantum facie ſe nobis oſtendit, tum cum S. Petro dicere poſſumus: *Tu ſcis, quia amo te*. Joan. 21. Noſti Domine modo te a me amari non propter beneficia, & largitatem tuam, ſed propter te ipſum. Cum in me favores vel ſpirituales, vel corporales effundebas, atque inter exuberantes lætitiæ, gratique animi affectus dicebam, te a me amari poteras tunc quidem de amoris ſinceritate dubitare; ſed cum pridem me percutias, me malis obruas, & nihilominus tibi adhæreſcam, poteſne adhuc de amore meo ambigere? *Tu ſcis, quia amo te*. Haud ita, Fideles; Deus non ambigit amplius, nobiſque dicit, quod olim Abrahæ: nunc agnoſco, qualis ſit tuus amor erga me. *Ex manuſcripto ſermone*.

Patientiæ exemplar in S. Job.

Quod Job in rerum omnium affluentia divites agris, & pecoribus, filiorum corona ſtipatus, & bene valens Domino fidelis exiſtat; putat dæmon, hoc non ſatis magnum eſſe virtutis argumentum. Protegis, inquit ille Deo, homini hujus domum; mirumne eſt, ſi Domino adeo bene merenti fideliter hæreat? *Nunquid fruſtra Job timet Deum? Nonne tu vallaſti eum, & domum ejus*. Job. 1. ſed extende paulumper manum tuam, percute perſonam illius, ejuſque aufer divitias, & liquebit, utrum Job nomini tuo benedicat: *Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi*. Deus igitur ſervi ſui periculum facturus illum tentationi objicit, atque arbitrio dæmonis percutiendum tradit. E veſtigio immenſa malorum copia irruit in Jobum; ignis de cœlo demiſſus domos eis abſumit, ſub quarum ruderibus filii illius opprimuntur; hoſtes omnia ejuſdem rapiunt armenta, quæ mala omnia intra breve adeo temporis intervallum contigerunt, ut nuncio nuncius ſuperveniens vix tot calamitatum enarrandarum ſpatium relinqueret; quæ poſteriori loco nunciantur, prioribus ſemper acerbiora ſunt, & ex frequentiſſima illius familia jam nihil ſupereſt præter uxorem, quæ aculeatis irriſionibus viri augeat dolorem. Ipſe etiam turpi vulnere toto corpore percutitur, ita ut, qui paulo poſt mortalium omnium feliciſſimus dici poterat, brevi factus fuerit omnium miſerrimus. Job in ideo luctuoſo ſtatu poſitus, quam palam Domini erga nos probat providentiam? Nulla ab ipſo auditur querela, murmur nullum; & dolor nonniſi ab illo extorquet ea verba, quæ ejuſdem ſubmiſſionem divinis imperiis oſtendit. O vos, qui aſſentatiunculis veſtris ſolatium malis meis afferre contenditis, recedite; ſola Domini voluntas obertimum mihi ſolatium eſt. *Idem*.

Signum veri amor a erga Deum eſt; hunc licet nos affligentem a nobis amari.

Cum proſpero rerum curſu perfruimur, & niſi egregia, mediocri ſaltem fortuna gaudemus, ubi nullus conſiliis noſtri adverſetur competitor, non ægre Deo famulamur, atque ad agros provoluti intemerandam illi fidelitatem profitemur; dicimus nullis unquam re ab illo divelli nos poſſe, & demum credimus, præ rebus omnibus a nobis amari, immo ipſum unum amari: *Dixi in abundantia mea non movebor in æternum*. Sed heu quam facile noſmet ipſos palpamus? Quam facile palinodiam canimus! Arbitramur te a nobis amari, o Domine, ſed munera, & beneficia tua a nobis amantur. Credimus nos per verum amorem operari, cum interim propter propriam utilitatem operamur. *Idem*.

Perge, Domine, peccatorum hunc affligere, quandoquidem illum adhuc amas; deprime vanum hunc ſuperbum ſpiritum, qui ſeipſo plenus te non cognoſcit: *Alleva manum tuam ſuper gentes, ut cognoſcant potentiam tuam*. Accende in illum ignem iræ tuæ, vel potius fac, ut ex tribulationibus ipſum tibi ad hue charum eſſe ſentiat. Illi parcere, idem eſt ac perdere; felicem facere, idem ac ingratum habere; ſi pergis adhuc illum cumulate bonis, perget ille contra te tuis bonis abuti; ſi illum in gradu, quem tenet, tueris in dies ejus creſcet ambitio; ſed cum habituali morbo feceris, ut voluptatibus ſeſe ingurgitare nequeat amplius, cum illi ademeris, quod luxum ejus fovet, bonorum jactura, cum ejus conſilia, conatuſque calamitate aliqua ſubverteris, cum mundus illi ſeſe præbuerit immitem, ac ſævum, tunc ille nomen tuum invocabit: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum*. Pſ. 82. *Id. ſermo mſ.*

Peccator in tribulatione redit ad Deum.

Peccator ſeipſum videt in ſalutari neceſſitate ad Deum confugendi, cum videt ſe ab hominibus evitari, ac derelinqui; cum videt eos, qui ſibi erant amici, ſæviſſimos factos eſſe perſecutores, cum ſe videt calumniis, & contumeliis affectum; cum nulla ibi reliqua eſt apud homines miſericordia, tunc illam in Deo requirit: atque illis expeditus objectis, quæ faſcinant ipſum, mente ſua reputat cœleſtis Patris ſui largitatem. Tu autem Domine, qui nunquam a te animam repellis, & qui peccatorem ad te redeuntem, eo quod a mundo expellitur, recipere non dedignaris, qui illum ab omnibus derelictum inquiris, conſolaris, qui illum, ac ſuaviſſimam illi tuam faciem oſtendis, ne abutatur his ſalutis momentis, quæ illi procuraſti. Hoc tempore cor alioquin adeo durum flectitur: tunc mundi conſiderans infidelitatem, ac turpem amorem, quo ipſe illius pompas conſectatur, nec non terrenarum rerum vanitatem cum alterius vitæ bonorum ſoliditate comparatarum, atque miram facilitatem, qua tibi ſervire poteſt, præteritam vitæ ſuæ rationem improbat, atque ſe tibi fidelem futurum millies profitetur. *Idem*.

Tribulationes efficiunt ut noſtra expiemus peccata.

Peccator aurum, argentumque noxie adamavit, illiue fœnora illa vel manifeſta, vel occulta; verſutiæ ad injuſtitias patrandas, miſerorum oppreſſio; ac in pauperes ſævitia? Deus vero permittit, ut hæc bona tot ſcelerum fructus avaro huic auferantur; quo nihil aptius fingi poteſt ad hæc eadem crimina expianda. Peccator ſeſe mancipavit iis rebus omnibus, quas immodica ſuadebat ambitio: inde

illa

illis ampliorum dignitatum conſilia, invidiæ, ſuſpiciones, fraudes ad competitorem ſuum de ponte deturbandum, odia internecina contra eos, qui fortunæ ſuæ adverſabantur, indigni aliorum contemptus, ſenſus ſuperbi, ac tumidi: Deus vero calamitatem immittit illi, qui humilietur; Deus ſuſcitat perſecutores contra ambitioſum hunc, qui illum in nihilum ſuum redire cogant, præſentiſſimum ad tot malas medicinam afferendam conſilium. Denique peccator valetudine ſua abuſus eſt, ut ſe ſe turpiſſimis voluptatibus abderet; decidit in eam infirmitatem, quæ efficit, ut vitam trahat moleſtam, ac triſtem, & quæ paulatim vires ejus imminuens eum ad extremum vitæ ſpatium adducat. Quamcumque pœnitentiam facere poſſis, hæc illa eſt, quam expetit Deus, & quæ tibi ab illius manu procedit; juſtum enim eſt, ut ea ex parte, ubi peccaſti, mulcteris. *Idem*.

Tribulationes, quas immittit Deus, ſemper meritis noſtris minores ſunt.

Meminerimus, quid divinæ juſtitiæ debeamus, & liquebit, ſatisfactiones, quas a nobis hac in vita exigit, longe minores eſſe illis, quas ſcelera noſtra merentur; noſque ab hoc clementiſſimo Deo excipi non tamquam a Judice, qui nos perdere velit, ſed tanquam a patre, qui nos ſalvare deſiderat. Meminerimus a Deo ſemper afflictatos fuiſſe eos, quos amavit; ſi juſti fuere, ut abdita quædam crimina expiarent, vel ut illos a gravibus noxis præſervaret, vel ut eorum virtutem exerceret, vel ut uberiorem illis remunerationem tribueret; ſin autem peccatores, ut eos converteret, ac illi pœnarum, quas meriti ſunt, æternitatem evitarent. Utrumque palam oſtendit, tribulationes vera eſſe divini erga nos amoris argumenta: ſed noſtra in tribulationibus ſubmiſſio certum quoque eſt amoris noſtri erga miſericordem hunc Deum argumentum. *Idem ſermone manuſcripto*.

Ratio ſine fide nos in tribulationibus conſolari non poteſt.

Jampridem ratio ſuperba, ac jugum detrectans, inutiles conatus exerit, ut ſe ſupra vitæ hujus ærumnas attollat: tamen proprio acta pondere in triſtitiam, ac deſolationem relabitur. Proh Fidele? Quid ſine fide poteſt humana ratio, cujus illa eſſe debet præſidium? Nequicquam acutiſſima adhibentur argumenta; cum interim boni amiſſi jactura nulla re reparetur, nulla umquam ſupperit cauſa, propter quam conſolemur. *P. Cheminais ſermone de patientia chriſtiana*.

Tunc fides nitet eo in ſtatu, in quo ſenſus omnes faſtidium patiuntur; manus percutiens adoratur; probantur imperia in ſpeciem quidem ſevera; ſuffocatur naturæ vox, quæ in querimoniam erumpere vult; ſilentium indicitur rationi, quæ nanciſci ſtudet murmurandi argumenta; omnia præjudicia ſua quiſque ſacrificare cogitur; & Deo cultum adhibere, quem nonniſi per tenebras proſpicit. *Idem*.

In tribulationibus nihil præter Deum conſolari nos poteſt.

Quam in tribulatione ſua peccator invenire poteſt conſolationem, niſi confugiat ad Deum? Numquid ſeſe ille colliget, S. Auguſtinus inquit? *Non eſt qua intret, quia mala ſunt*. Quomodo vero illic ſe haberet, quandoquidem nihil invenit, niſi malum? *In conſcientia nullum ſolatium*. Nunquid aliquod in conſcientiæ ſuæ teſtimonio lenimentum inquiret? Eheu! hæc immo illum ſæviſſime torquet. Quocumque ſe vertat, nihil niſi tumultum, & confuſionem videt, nihil audit niſi exprobationes; nihil niſi crudeles ſtimulos ſentit; nihil niſi ſcelera intuetur, omnibus viduatus illecebris, & voluptatibus, quæ olim ipſi erant jucundiſſimæ, dum proſpero rerum curſu lætabatur, quarum nihil ſupereſt niſi triſtis memoria, inutilis confuſio, inefficax pœnitentia, & deſperatio funeſta. *P. Nepveu tome 4. chriſtianarum conſiderationum*.

Bona, quæ in tribulatione invenimus.

Tribulationes ſunt evangelii theſaurus; ſed theſaurus abſconditus, quem pauci invenerunt, quia pauci eodem uti ſciunt, quoniam illius pretium ignorant. In cruce, Sanctus quidem vir ait, invenitur ſalus, vita, protectio Dei, animæ fortitudo, virtutum compendium; perfectio ſanctitatis. Quantæ opes? ſed quotuſquiſque fidelium illis utitur, vel quia non abutitur illis? Crux eſt vita, & ſalus noſtra; ibi mortem, ac interitum noſtrum invenimus. Hæc nobis eſſe deberet fons conſolationum, & fit nobis occaſio triſtitiæ, & querimoniæ; eſſe deberet fortitudo, & lætitia noſtra, & efficit, ut animo deficiamus. *Idem*.

Quomodo velit Deus nos pati.

Salvator non dicit ſolum, Beati, qui patiuntur: *ſed qui patiuntur propter juſtitiam*. Hic univerſalis eſt Sanctorum character. Omnes paſſi ſunt propter juſtitiam, vel per tyrannorum perſecutionem, vel per gladium chriſtianæ mortificationis; omnes cœlum emerunt eodem pretio, quo caput ſuum JESUS CHRISTUS, qui per paſſionem ſibi aditum cœli reſeravit. Omnes efformati ſunt ſecundum exemplar Jeſu patientis, & crucifixi, antequam eſſent imagines Jeſu triumphantis, & glorificati. Idcirco nos Deus ad ſe cupiens attrahere in omnibus vitæ conditionibus pœnas, atque amaritudines ſerit, ut pertæſi fallacium, noxiarumque vitæ hujus deliciarum, alterius puras, & innocuas voluptates conſectaremur; alioquin enim, S. Auguſtinus ait, periculum erit, ne viam ſumamus pro termino; & viator ibi ſubſidens, qua tranſeundum eſt tantum, fluxas exilii conſolatione æternæ patriæ ſuæ felicitati præferret: *Huic vita male dulci miſcet Deus amaritudines, ut alia, quæ ſalubriter dulcis eſt requiratur, ne viator tendens in patriam, ſtabulum ſumat pro patria*, Abbas du Jarry; ſermone Omnium Sanctorum.

In mundo hoc tanquam in exilio ſumus; in Patriam nonniſi per tribulationes redire poſſumus.

Ut in veram redeamus patriam, poſtquam inde per peccatum exulavimus, via, quæ vere eo nos reducit, omnino alia eſt ab ea, per quam ab illa diſceſſimus; per voluptatum requiſitionem receſſimus ab illa, ſed nonniſi per tribulationum merita illuc, reditus patet. Exilium noſtrum pœna eſt voluptati divinæ legi contrariæ; reditus noſter eſt remuneratio patientiæ legis ejuſdem imperii ſubmiſſæ. Pro quam facile diſtingui poteſt lata hæc via, quæ ducit ad mortem ab arcta illa, quæ ducit ad vitam! Illa quidem floribus ſtrata ridet; hæc ſentibus, vepribuſque impedita eſt . . . In ea videmus turba impiorum felicium, atque florentium, manu venenata voluptatum phialam tenentium, quam illis Babylon porrigit; in hac vero beatam Juſtorum turbam linguam in calice Jeſu Chriſti per paſſionum illis communionem immergentium. In ſtatu veſtro invenitis adverſa, humiliationes, paupertatem; lætamini, hæc cœli via eſt; illam ex cruentis Salvatoris, & Sanctorum, qui illac tranſierunt, veſtigiis agnoſcite. *Idem*.

Tribulatio efficit, ut peccatores reſipiſcant.

In fratrum Joſeph hiſtoria videtur vix conſcientiæ ſuæ ſibi ſemper crimina exprobrantia, ſimul ac accidit aliquid præter ordinem, quod efficit, ut ſe ſe colligat peccator. Viginti jam, & ultra exceſſerant anni, ex quo fratres iſti Joſephum vendiderant, & ea, quæ illis accidit, adverſitas, repente in memoriam eorum revocat hoc ſcelus, & immites oculos, quibus innocentis illius lacrymas fuerant intuiti. Fatentur ſe juſtas luere pœna ſui criminis; non alium habent accuſatorem, quam ſeipſo; ſcelus ſuum illos excæcaverat, & ſupplicium, quod ex illis repoſcit Deus repente illorum oculos aperit. In hoc magnam tribulationum vim maxime admirari debemus: donec enim diuturna fruimur proſperitate, numquid ea, quæ male fecimus, recogitamus? ſed cum placet Deo fallacem hanc pacem perturbare, atque ſalubri uti tribulatione ad auferendam vitam, qua oculi noſtri tegebantur; tunc graviſſimos cruciatus patimur, fatemur juſtiſſima eſſe, quæ perferimus, & una juſtitia noſtra nos punit, magis quam omnia mundi hujus ſubſellia *Liber, cui titulus: Vita veterum Patriarcharum, Vita S. Joſeph*.

Patientia Jobi.

Sathanas adverſus ſanctum hunc virum ea uſus eſt poteſtate, quam a Domino acceperat, cum omni im-

pro-

Digitized by Google

probitate. Repente illum opprimere voluit ſubitis malis, ut ne reſpirandi quidem, vel ſeſe colligendi tempus reliqueret, quo Deo in re adeo improviſa eam, quam debebat, ſubmiſſionem exhiberet. Credidit, niſi illum primo impetu profligaſſet, &, quin illi ſpiritus ducendi tempus permitteret, ſtatim in impatientiam, & murmur impuliſſet, nequicquam ſperare poſſe deinceps ſe aliquid profecturum: ideoque tanta acrimonia illum adoritur, ut ſi fucata duntaxat, ſimulataque illius pietas fuiſſet, quod Deo Sathanas perſuadere adnitebatur, protinus illa ſeſe prodidiſſet. Eodem igitur temporis momento latronum opera armenta ejus diripuit, igne de cœlo demiſſo oves abſumpſit, atque hoſtes immiſit, a quibus cameli ejus abigerentur. Nuntiis hujuſmodi, nulla interpoſita mora, accedentibus heroica ejus in malis adeo gravibus conſtantia eadem ſemper perſiſtit: bona ſua amittit, quemadmodum poſſederat illa; ea reddit Deo, quemadmodum ab illo acceperat: eadem recipiens gratum teſtatus animum fuerat, & Deo benedixerat; ſed eadem amittens Deo pariter benedicit; ac ſemper Deum reſpicit tanquam principium, a quo bona, & mala omnia proveniunt. Excepit igitur tanta animi tranquillitate nuncios, ut illius in primis affectionibus patientia novum adhuc periculum de eadem fieri mereretur. *Idem in vita Job.*

Tunc igitur in uno ex maximis, quæ unquam extiterint exemplis, viſum fuit, quid & contra hominem dæmon, & in homine poſſit Deus. Anima hæc adeo valide tot malis extrinſecus agitata repente ſeſe collegit, ut in ſeſe Deum inveniret, quem dæmon inde nequibat avellere, atque illi fortiter adhæreret, illi humiliter reddidit, quod ab eo per partem tantum exceperat; ſeſe in terram proſtravit, Deo benedixit, & hæc protulit verba, quæ omnia deinceps ſæcula admirata ſunt: *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Job. 1. *Idem.*

Dolores non adeo moleſte perferuntur, cum ſibi per partes ſuccedunt, & ſigillatim dæſeviunt, ut priores quodammodo ſubſequentibus animum præparent; verum hæc oppreſſio, quæ repente in hominem irruit, & quæ nullam corporis partem dolore vacuam reliquit, nonne excedit, quodcunque homo ferre poſſe videtur? Talis, S. Auguſtinus ait, eſſe debet homo, quem Deus ipſe formabat, ut non ſolum omnes ſæculis omnibus admirarentur, ſed ut omnibus tanquam perfectum patientiæ exemplar proponeretur. Talis eſt ſtatus, ad quem redigendus erat homo vivens imago alterius viri dolorum, qui priorem ſubſecuturus erat, & qui non ſecus ac Job nullam in corpore partem habuit a planta pedis ad verticem capitis ſæviſſimis immunem cruciatibus. *Idem.*

Tribulationes, quas peccatoribus immittit Deus, ut illos convertat.

Docet Scriptura, Deum ad peccatores puniendos bonorum uti jactura, quæ illos redigat ad paupertatem, adverſa fortuna, quæ illos de gradu dejiciat, ærumnis, quæ illos impediant, diuturnis litibus, quæ illorum ſubſtantiam exſugant, incendiis, quæ eorum domos comburant, grandine, quæ illorum agros depopuletur, morbis, qui eorum corpora conficiant, malis tumoribus, qui eorum exiſtimationem deterant, inopioſis, ac ſæpe tragicis mortibus, quæ vitæ eorum triſtem finem imponant. Sed mala, quæ graviora ſunt, nequaquam ſunt illa, quæ præ cæteris apparent; non deſunt ſecreti dolores, occultæ conditiones, ægritudines, quæ prodire non audent, cupiditates, quas pudor quidem, vel utilitas prohibere poteſt, ne prodeant; at prohibere nunquam poteſt, ne ſentiantur; & eo acrius ſentiuntur, quo extrinſecus non erumpentes in querimoniis, neque amicorum auribus creditæ, qui fortaſſe aliquod afferre poſſent ſolatium, totam vim ſuam in cor ipſum exercent. *P. Aurelianenſis ſermone de temporalibus pœnis peccati.*

Tribulationes, & adverſa nos decent.

Surdo canis, ſi illi, qui proſpero rerum curſu lætatur, dicis, in principum virorum gratia ita confidendum non eſſe, ut providentiæ nulla ratio habeatur. Dum mortali in proſperitate verſantur, omnibus hujuſmodi documentis parum movetur. Quomodo enim error auferre poteſt homini ebrio fortuna, cui turgida dedit vela, qui principi charus eſt, qui ad nutum ſuum omnis contremiſcere videt? Quidquid mali accidat aliis, horum calamitate nequaquam edocetur; immo e contra magis intumeſcit, ac ſe in rerum affluentia tanquam communis caſus exortem arbitratur: *Dixi in abundantia mea non movebor in æternum.* Sed frigus heri familiaritatem ſubtrahere incipientis, aulici recens advenientis, qui principis gratiam aſſecutus eſt, favor, inſignis calamitas, quæ rerum faciem immutat, amicorum perfidia, qui in veſtris vos deſerunt neceſſitatibus, hæc omnia palam clamant, hominibus confidendum non eſſe; illos & vobis, & aliis pariter infideles, & maledictum eſſe illum, qui in carneo brachio confidit. *Tiberges in Receſſu die ſexta.*

non eſſe in hominibus confidendum.

Non ſolus eſt Apoſtolos, qui vos maneat, ne omnem ſpem veſtram in opibus, quæ ſemper incertæ ſunt, conſtituatis: *Divitibus hujus ſæculi præcipe non altum ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum.* 1. ad Tim. 6. Donec omnia vobis fluunt e ſententis, ſpectatis, nihil vobis unquam defuturum; ſed lis adverſario adjudicata, dignitas adempta, redituum ſterilitas, lapſa mercatorum fides, hæc omnia palam oſtendunt, quanti bona hæc temporalia facienda ſint. Interior vox ſæpe vobis hæc iterat Regis Prophetæ verba Pſ. 61. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Si ubertim nobis affluant divitiæ, multoque magis ſi elabantur, ſi auferantur nobis, nolite cor apponere. Gratia tunc nullum obicem nacta fortius agit, & efficacius, ut animos avellat ab eorum bonorum, quæ non poſſidentur, amore. *Idem.*

Adverſa nos a terræ bonis avellunt.

Hæc, Domine, artes ſunt, S. Auguſtinus inquit, quibus tua utitur providentia, ut nos a terrenis avellat, mei ſemper cupiditatibus oppoſitus eo modo, qui in ſpeciem quidem duriuſculus eſt, ſed re ipſa miſericors. Oblectatus es amaritudinem iis rebus omnibus immiſcere, quibus allici poteram: *Aderas, Domine, miſericorditer ſæviens.* Spinis ſtraviſtis vias omnes, per quas a te recedere poteram; mihique grave, & inviſum præbuiſti quidquid efficere poteras, ut terræ bona deperirem. Hanc erga me providentiam adoro; patris quippe eſt æque amantiſſimi, ac ſapientiſſimi; novi infirmitatem meam, eamque ſatis ſuperque expertus ſum. Haud ita Domine; nunquam infringere valuiſſem vincula mea, niſi mundus ſe mihi durum, & crudelem præbuiſſet. Qui illum ſuis cupiditatibus facilem, & obſequentem nanciſcitur, hic illius ſemper erit mancipium. *Idem.*

Qui habendi ſint ſenſus, cum a Deo affligimur, & requies noſtra turbatur.

Nulla res magis efficere poteſt, ut adhæreamus Deo, quam adverſitas. Cur hoc? quia tunc propriis neceſſitatibus excitamur, & ad illum, redire quodammodo cogimur: namque attendite (Fideles) quocunque in ſtatu homo ſit, felix eſſe vult, nunquam naturale hoc ſtudium amittit; ſi nullum in mundo inveniat ſolatium, hoc inquirit in Deo. Tribulationis autem eſt hominem in hoc mentis beato ſitu collocare, ubi æternitatis cogitatio in eo plurimum valeat. In proſpero rerum curſu magnæ fidei veritates, objecta, quæ illa proponit, alterius vitæ bona, dulcedo, quæ in Dei cultu percipitur, hæc omnia nos parum afficiunt. Sed cum ſemel ſenſibus error ablatus eſt, atque corporis, mentiſque afflictiones nos angunt, tunc facile in corde æterna dogmata reviviſcunt; jus ſuum recipit fides; quidquid carnalis homo intelligere non poterat de inæſtimabilibus alterius vitæ theſauris, ea in luce tunc videtur, quæ illum illuminat, & perſuadet. Virtus, quæ videbatur amara, amabilis eſt, & ſuavis. *Idem.*

Nulla res efficit, ut Deo magis hæreamus, quam adverſitas.

Interior gratia, quæ ſemper concomitatur conſiderationem, quæ in adverſis fiunt, ſæpe converſionem perficit peccatoris: Deus enim ſolus eſt, qui inter has ærumnas nobis manum tendat, & gaudet ſe nobis faciliorem præbere, ut perficiamus ex his ſalutaria noſtræ momentis, quæ ipſe nobis tanta cura providit. Pretioſo hoc tempore, quo hominem res ſua

Interior gratia majorem habent vim in adverſis, quam in proſperis.

cogit

Digitized by Google

cogit mundum perhorreſcere, Pater cœleſtis ſeſe illi ſuaviſſima facie oſtendit, effundit illi ſpei radium, in ſinu ſuo perfugium aperit, illum excitat, conſolatur, urget, ſollicitat tot illecebris, ut homo rubore ſuffuſus, eo quod ſe videt inquiri a Domino, cujus ipſe fuerat oblitus, & eo tempore, quo ab omnibus derelinquitur, adverſari minime valeat. *Idem.*

Deus per tribulationes prohibet, ne in ſcelera labamur.

Si vobis tantum boni dediſſet Deus, dicitis; quantum mortalibus quibuſdam, qui eodem abutuntur, nulli voſmet flagitio abderetis; quod illi in alea, & ſcortis inſumunt, pauperibus erogaretis; quod impendunt, ut ſeſe nocentes efficiant, id vos in Dei cultu adhiberetis. Ita ſane creditis, Auditores; ego vero reſpondeo, vos magis, quam cæteros fortaſſe illis eſſe abuſuros, & Deum, qui vos melius agnoſcit, quam voſmet ipſos novertitis, per tribulationes, quas vobis immittit, prohibere, ne damnemini. Si in inſigni poſiti eſſetis loco, periiſſetis; auctoritas vos duros, ſuperboſque effeciſſet; bona valetudo in effuſiorem vos libidinem conjeciſſet, ac ridans, & proſpera fortuna vos in otio immerſiſſet. Si, quantumvis parum boni poſſideatis, intemperantes eſtis, atque ſuperbi, quid tandem fieret, ſi rebus omnibus difflueretis? Si mutantr valetudine voluptatibus vacatis, quid fieret, niſi morbis afflictaremini? Si in mediocri, vel infima conditione æquales ferre non poteſtis, quid fieret, ſi ſuper eorum caput clari eſſetis, eiſque dominaremini? Deus igitur peccata veſtra corrcet vos percutiens; atque S. Paulini verbis utar, tribulationes ſunt obices, & valla, quæ illius miſericordia affectuum veſtrorum torrenti opponit: *Quoſdam obices opponit curſibus veſtris. In ſermone de tribulationibus, ſuppreſſo nomine auctoris, edito.*

Sæpe adverſis, & tribulationibus optimum quodlibet ingenium facile corrumpitur.

Quam multæ Deo agendæ ſunt a te gratiæ; cum per adverſa, ac tribulationes prohibet, ne in vitium labaris? Etenim nunquid illi Salomone fidelior eſſes, qui coram Idolis tunc genua flectere cœpit, cum ſe pacatum vidit magni poſſeſſorem imperii, & qui Domini oblitus non eſt, niſi poſtquam factus eſt Rex Iſrael? Quot favoribus illum divina prævetterat miſericordia? Qua prudentia in impeditiſſimis, difficillimiſque negotiis agnoſcendis, expediendiſque? quibuſnam diſpoſitionibus ad maximas virtutes indipiſcendas? Sed cum ſingularibus hiſce beneficiis illud tribulationum minime acceſſiſſet, mirum eſſe non debet, ſi proſperitas egregium hoc ingenium corruperit, cor veneno adſperſerit; & perſpicaciſſimis ejus luminibus tenebras, atque caliginem offuderit. In terribilem eam cæcitatem, de qua Scriptura loquitur; ideo lapſus eſt, quia non habitus eſt dignus, qui aliquam pateretur calamitatem, ut S. Hieronymus inquit. *Idem.*

Adverſitas eſt virtutis noſtræ experimentum.

Adverſitas, juxta Dei conceptum, fidele eſt noſtræ virtutis experimentum. S. Cyprianus populum ſuum in horribili, & generali mortalitate conſolatus: Vobis ſtuporem injicit, ajebat illis, ſeveritas, quam in vos divina exercet experientia. Veſtra querela eſt, quod Deus cum Ethnicis vos miſceat, atque eodem mortis genere involvit: ſed vehementer erratis; hoc enim ipſo vos ab illis diſtinguit; noſtis enim publicam hanc vaſtationem, & eundem periculum eſſe, quod ille facit veræ virtutis, ut illam a falſa ſecernat; *Hæc mortalitas ſingulorum mentes examinat*; non quod per ſe Deus hac indigeat perquiſitione, ſed ut quilibet fidelis ſe ipſum agnoſcere diſcat; neque in virtutibus ſuis, ultra quam par eſt, confidat, ſed earum imperfectiones, & defectus exploret. Etenim heu! quam facile eſt ſe virtute præditum exiſtimare, cum nulla ingruit calamitas! Ille, cujus non bona, non valetudo, non honor in diſcrimen adducuntur, ſed qui commoda perfruitur fortuna, qui omnia ſibi ex animo fluere intuetur, ac rem domeſticam augeri, veras ſibi putat virtutes ineſſe, eo quod aliquem pietatis, & religionis ſenſum fovet. Externus quidam devotionis habitus, quem bona indoles ſuſtit, illum ſimul alioſque fallit. Virtus igitur iſta probanda eſt; & nonniſi adverſitate probatur. *Idem.*

Omnia metuenda ſunt illis qui in hoc mundo ſunt felices.

Virtus, cui in terris proſpera fortuna comes accedit, ibi præmium ſuum nacta videtur, & contra vero, quæ adverſis angitur, cum illis remuneratio debeatur, hanc in altera vita eſt conſequutura. Hinc ſequitur, quamvis homo juſtus ſit, illi tamen eſſe metuendum, cum ſit in hoc mundo beatus; e contra vero magis certum eſſe debere ſalutis ſuæ, quo magis afflictus eſt, atque rebus adverſis agitatus. Quid juſtus felix non timeat? Scit, ſe nonniſi per meritum mortis, ſanguiniſque Dei ſalvum factum eſſe, qui in ſe ipſo innocens, ſed pro nocentibus cautio per omnia turpiſſima æque, ac graviſſima traducendus fuit ſupplicia; qui nunquam niſi de crucibus, & perſecutionibus locutus eſt, & qui hac propoſita conditione, hoc pretio Diſcipulis, famuliſque ſuis paradiſum ſe permiſſurum ſpopondit. Itaque nonne juſto tremendum eſt, ubi proſper rerum curſus, & affluentia ab illo procul amovent mala omnia, quæ ipſum poterunt ſanctificare? *Idem.*

De illis qui in tribulationibus impatientia obſtipiuntur.

Eheu! quantam meritorum jacturam facitis, ſi impatienter ſufferetis! Verum non ſatis eſt vobis ob oculos ponere, quanto vobis ſunt pretio voluptates, iracundiæ, libidines veſtræ, vobis ob oculos ſtatuenda ſunt illa ſupplicia, quæ impatientia veſtra meretur. Deum læditis, ſinentes voſmet violentis iis motibus rapi, qui dolorem veſtrum ſequuntur; nonne contra vos ille debet irritari, cum vos intuetur ſuis rebelles imperiis in illum ſuccenſere, ut ita dicam, propter omnia vitæ hujus mala? Optaret ille quidem tribulationibus vos convertere, & ſanctificare; vos autem illum afficitis contumelia. Nunquid non ſatis eſtis calamitoſi, quandoquidem pravo pœnarum veſtrarum uſu fieri vultis calamitoſiores? In altera vita patiemini, eo quod in hac paſſi fueritis; & ex fluxa, brevique calamitate in æternam protuetis. In veſtra quodammodo poſitum eſſet poteſtate in partem accedere meriti Martyrum, ſi hanc, ex. gr. paupertatem ferre velletis: quippe egeſtas, uti opus eſt, tolerata, ex S. Chryſoſtomi hom. de divit. ſententia, Martyres facit: *Habet paupertas martyrium ſuum, & egeſtas bene tolerata facit Martyrem.* Mœror, ac triſtitia veſtra parum æqua, & parum religioſa martyrii hujus vobis palmam auferet. Fidelis, qui ad ſupplicii locum traheretur invitus, & qui inter cruciatus non cogitaret Deum, eſſetne martyr? Si autem odium ſuum contra juſtitiæ miniſtros teſtaretur, illos perhorreſceret, injuriis atque conviciis impeteret, nonne ſe coram Deo nocentem præberet, quin tanquam martyr ob oculos ejus appareret? *P. De la Peſſe ſermone de fideli male patiente.*

Tria crucis genera, & tres patiendi modi.

S. Auguſtini ſententia eſt a pluribus ſæpe uſurpata, cruces omnes, quæ ferri, & omnes, qui crucem ferre poſſunt, in Calvario fuiſſe, ubi ſimul impius, pœnitens, & innocens cruci fuere confixi. Primus damnandus erat, alter abſolvendus, tertius vero damnaturus, & abſoluturus. Quid ſimilius tribus his crucibus? quid tribus hiſce crucifixis diſſimilius? Hi tres homines ſinguli ſuæ cruci ſuffixi nobis exhibent omnes ſtatus, qui complectuntur, quidquid hominum eſt in terra. Statum videlicet peccati, pœnitentiæ, & innocentiæ. Nullus a cruce immunis eſt; agitur ſolum, quomodo crux ſit illi ferenda. Pati non poteſtis, ut olim Jeſus Chriſtus: ille innocens erat, vos autem innocentiæ jacturam feciſtis. Pati non vultis, ut latro nequam, quia in peccato mori non vultis; reliquum igitur eſt, ut bonum imitemini latronem, qui ſua utitur cruce ad paradiſum promerendum. *Idem.*

Quodnam ſit Dei non niſi gratia conſilium.

Deus ſupremus Rex noſter, quamtumvis penes illum ſit ſupremum rerum omnium imperium, nobis tamen miſericordiæ ſuæ præbere ſtudet teſtimonia, cum de illius ſeveritate conquerimur; nolque cogere vult, ut de illo cogitemus, illum revereamur, illi ſerviamus.

Viſ-

Viſne illum tecum agere tanquam Dominum, nullamque tui coram gerere? Tecum aget, quemadmodum olim populo ſuo minitatus eſt; *auferetur zelus meus a te, ne iraſcar amplius.* Nunquam impoſterum teſtatam tibi faciam indignationem meam, non turbabo te effectibus iræ meæ. Avertat Deus terribile hoc malum. Miſer prodige Fili, niſi laborares fame, unquam ne ad patrem tuum reverteris? Æger hic nonne in deſperatis habendus eſſet, ſi nulla ipſi a medico pharmaca propinarentur; atque inconditis cupiditatibus ſuis traderetur? *Medicus ſi ceſſaverit curare, deſperas.* Deus tua cognoſcit vulnera; ſcit, animam tuam ulceribus eſſe fœdatam; nunquid illi ſuccenſere debes, ſi ad inciſiones devenerit, & quidquid cor tuum corrompere poteſt, ſecuerit? Severitas illius nonne certiſſimum eſt clementiæ ejuſdem argumentum? *Secaris, quia non deſperaris.* Tribus hiſce momentis, quibus tanto mærore conficeris, atque laboribus opprimeris a te ſubeundis, ut rei domeſticæ conſulas, paupertate coactus mollitiem mortificare, ac luxum imminuere, dic illi, tuum eſt, Domine, prout ſanctiſſimæ voluntati tuæ libitum fuerit, de rebus omnibus diſponere: ſum in manibus tuis veluti creatura tuis indigna favoribus; ſed quanta hæc gratia eſt, Domine, qua meæ ſtudes incolumitati, meque cogis, ut ſtudeam eidem? Adoro te, & benedico tibi in dolore meo, ac tribulatione. *Idem Pater la Peſſe.*

Adſpectus Crucifixi, & Dei patientiæ cogitatio noſtris tribulationibus ſolatium debent adferre.

Procul dubio non ibitis inficias, illum melius vitæ hujus mala paſſurum, qui Deum patientem cogitaverit; verum huic ne animus quidem advertitur; mæror, ac triſtitia nos occupant, neque oculos noſtros in Crucifixum conjicimus. Hoc ipſum vobis, Fideles, exprobraturus ſum; voluptates tantum, ac terræ bona, quæ amittitis, cogitatis; ac impatientia veſtra procul amovet ſolatium, quod Dei exemplum poteſt afferre. Ferte igitur ſine ſolatio; hoc meremini; injuſta, & violenta conſilia, quibus rem veſtram augere ſtagitis, furores, in quos hæc vos conjicit ægritudo, detractio, calumnia, odium, quod in lite perſequenda ſuvetis, vobis erunt ſolatio .... Haud equidem miror, quod male patientes multum, diuque patiamini. *Idem.*

Quam beati eſſemus, ſi in frequentibus caſibus, quibus opprimimur, in adverſis, quæ bonis hominibus accidunt, & efficiunt, ut fucato juſtitiæ zelo coram Deo lugeamus, quam beati eſſemus, ſi vitæ hujus calamitates non ſolum tanquam peccati effectus, aut veras nocentium pœnas, verum etiam tanquam ſecreta divinæ voluntatis conſilia, quæ inde ſuam elicere novit gloriam, conſideraremus. Fruſtra arbitramur, innocentiam, & tribulationes ſimul eſſe non poſſe. *Ex novis ſermonibus ſuppreſſo nomine auctoris editis, ſermone de tribulationibus pro feria 4. poſt 4. Quadrageſimæ Dominicam.*

Tribulationibus, & adverſis Deus periculum facit virtutis.

Facile eſt ſe virtute præditum putare, cum nulla ingruit calamitas. Qui neque bonorum, neque valetudinis, neque libertatis, neque honoris jacturam meruit, qui commodis fortunæ ſuavitatibus fruitur, qui conſilia ſua ex animo cedere videt, qui aliquem religionis, ac pietatis ſenſum habet, nec non externum oris habitum ad devotionem compoſitum, ac bona indole ſuffultum, ſe ipſum, & alios fallit. Quilibet, S. Auguſtinus inquit, *requieſcit in domo ſua, in prædiola ſua, in ædificio ſua*, nemini officit, ac ſemper tranquille iis fruitur, quæ poſſidet; ideoque veram ſe habere virtutem ſibi blanditur, ſed quoties fallitur? Hæc igitur probanda virtus eſt, & tribulatio illius periculum faciet; puta, ægritudo hæc, quam tibi immittet Deus, ſubvertet lectulum, in quo requieſcis: *Univerſum ſtratam ejus verſaſti in infirmitate ejus.* Pſalm. 40. Tunc innoteſcet, utrum veram habeas in malis tuis patientiam, humilem divinis imperiis ſubmiſſionem: diuturnus bonæ valetudinis uſus te tibi abſcondebat; morbus hic talem te prodet, qualis es. Lis, qua victus fuiſti, incendium, quo domus tua conflagravit, violenti uſurpatoris perſecutio te tibi detegent. Rerum affluentia, & quies tibi ſoporem immiſerant, teque faſcinaverant; ſed te ex lethargico hoc ſomno paupertas, & calamitas excitabunt. *Idem.*

Diſcrimen inter juſtorum, & improborum tribulationes.

Fidelium animarum via non magis immunis a tribulationibus, & calamitatibus eſt, quam impiorum, non diffiteor; ſed eorum tribulationes procul & natura, & effectibus, & diuturnitate differunt. Differunt natura; aliæ quippe ſunt monita, quæ miſericors Deus tribuit filiis tanquam amantiſſimus pater; aliæ vero ſunt damnationis ſententiæ, quam veluti irritatus judex exercet. Differunt effectibus: tribulationes enim impios proſternunt, indurant, & ad deſperationem adigunt; in bonis vero fidem confirmant, ſpem fovent, charitatem perficiunt. Differunt diuturnitate; in aliis quippe ſunt initia ſupplicii, inferniqne præludia, in aliis vero uberes conſolationum fontes, & ſemina gloriæ. *Auctor actionum chriſtianarum, ſermone de electione ſtatus.*

Pro juſtorum bono permittit Deus, ut illos impii perſequantur.

Ad virtutem depurandam, probandam, confirmandam, a ſæculi contagione præſervandam, in ſalutis portum deducendam, eamque immortalibus coronis dignam efficiendam, opus eſt, noſtis, certaminibus, difficultatibus, humiliationibus, calamitatibus, crucibus, perſecutionibus; opus eſt ergo perſecutoribus, ideoque etiam improbis, & improbis vim, & poteſtatem habentibus. Viri boni huic muneri impares eſſent: impiis ergo utitur Deus, quos, S. Auguſtinus ait, facit ſuæ iracundiæ inſtrumenta, ſuæque providentiæ miniſtros. Hos poteſtate replet, atque auctoritate; flagella ſunt in manu illius ad nequiores peccatores puniendos, vel ſaltem virgæ ad filios ſuos corrigendos: *Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt*, inquit Iſaias propheta c. 10. Aſſyrius licet impius, licet infidelis, virga eſt, & baculus furoris mei; verum dic, Domine, dic eſſe quoque tuæ miſericordiæ inſtrumentum. Si impiis uteris, ut bonos percutias, non uteris, ut in illos tuam iracundiam exerceas, ſed ut ſuper eos infinitas miſericordias extendas, eoſque melius ad beatam æternitatem diſponas. *Sermo pro 4. Quadrageſimæ Dominica ſine auctoris nomine editus.*

In omnibus conditionibus ſuſtendum eſt.

Nulla conditio eſt, quæ creaturarum infidelitatem non experiatur; nullus ſtatus a dolore, ac triſtitia immunis, nulla familia, quam inopinatus eventus ſerius, ocyus luctu non repleat, nullus homo, quem mæror non ſequatur, vel cui non occurrat. Denique terra, quæ tanta cum inæqualitate partitur, quidquid habere poteſt boni, ſuas ubique calamitates effundit, & ad plerorumque mortalium infelicitatem ſatis eſſet tanta hæc diſparitas eorum bonorum, quæ ſinguli eidem debere poſſunt. Verum enim vero quorſum acriter adeo invehimur contra inconſtantiam, paupertatem, & crudelitatem hujus mundi? Nunquid ſperare poſſumus, nos iſtic eſſe poſſe beatos? Nunquid mirum eſt, quod iſtic ſerie mala debeamus? Mundum debemus cognoſcere, & niſi cognoverimus illum, quomodo ſpes ulla ſuboriri nobis poteſt futurum, ut ibi diuturnam, tutamque tranquillitatem obtineamus? Quæcunque mundus contineat mala; quibuſcunque laboribus ſimus obnoxii, nulla profecto, ſi Chriſtiani eſſemus, nobis querela excideret. Terra hæc quantumvis triſtis eſt, nonne locus eſt, ubi æternam nobis felicitatem præparare debemus, ubi acquirere, & exercere debemus virtutes, quarum pretio cœlum comparemus? *Liber cui titulus: Animadverſiones in quædam religionis, Ethicæque argumenta.*

Qui in tribulationibus impatientia abripiuntur, Deum injuſtitiæ redarguunt.

Ut de aliquo conqueramur malo, credamus, opus eſt, nos illud injuſte pati. Non detrectamus calamitatem, quam meriti ſumus, vel quæ procedit ab auctoritate, contra quam obniti non licet. Chriſtianus nequit ambigere, vitæ hujus mala Deo vel permittente, vel jubente contingere; hæc ſi parum æqua viden-

videntur illi, ſequitur. Deum ab ipſo modicæ æquitatis inſimulari. Cur ait ille impatientia furens, cur tandiu pati cogor? Cur malum meum adeo diuturnum eſt? Cur tot alii ſunt me beatiores? Quaſi diceret, cur in me adeo injuſtus eſt Deus? Deus nihil injuſte facere poteſt; deberet ergo fidelis aliquanto plus habere patientiæ. Qui dicit injuſte patior, quod patior, illum iniquum facit, cujus judicio patitur. *Idem.*

Mirum eſſe non debet, quod Deus nos probaturus affligat.

Mirum nonne eſt, quod fidelis, quem probat Deus, ut magnum faciat, conqueratur, quod patitur, quin prævideat, quod ſperare poteſt? Princeps non parcit ſubdito, quem cupit anollere, immo illud difficillimia, impeditiſſimiſque impliceat negotiis; illum bellorum caſibus objicit; difficilia ei committit facinora, ubi ſuam requiem, bona, vitamque ipſam prodigere teneatur. Subditus vero proſpiciens honeſtam laborum ſuorum mercedem, magno, grato que animo obſequitur. Anima ignava! Magnæ fortunæ ſuntne pretium turpis otii, dubiæ fidelitatis, modici laboris? Deus rationem habet conſtantiæ tuæ, tibi non parcit, efficere vult, ut fulgeat virtus tua ac illius periculum facere cupit. Pateris, & die, multumque pateris, ita te Deus diſtinguere, atque anollere cupit; eum tibi præparat locum, ubi in æternum ejus largitatem celebrabis. *Idem.*

Ratio propter quam noſmet divinis ſubmittere debemus imperiis in tribulationibus.

Nihil nos magis divinis ſubmittere poteſt imperiis quam virtus, quæ eos nobis ſenſus inſpirat, quos ſupremæ illius auctoritati, juſtitiæ, & miſericordiæ debemus, Philoſophorum more pati idem eſt, ac noſmet ipſos fallere, & illudere Deo, qui ſaluti noſtræ, omnibuſque caſibus præſtet. Cum ſub illius flagello eum colimus, illi benedicimus; bonitas ſua eumdem nobis debitorem conſtituit. Nos in adverſis relinquens ſubmiſſionem, & amorem noſtrum probare volebat; niſi concuſſa fuit fidelitas noſtra, periculum fecit, ut palam noſtra erga voluntates ejus ſubmiſſio effulgeret; inde ſperare poſſumus ejus obedientiæ mercedem, quæ illius proficit gloriæ. Niſi tranquilla conſtantia noſtra Deo jucunda eſſet futura, ille nobis occaſionem oſtendendi eam non præberet. Certum eorum bonorum, quæ præparat nobis, indicium hoc eſt, quod nos illa mereri vult; ſi nihil haberet, quod largiretur, ſineret noſtra nos ſequi ſtudia? nihil expectaret a nobis, & non ab eo nihil expectare poſſemus. *Idem.*

Tribulatio inanes nobis interdicit nugas, efficitque, ut de Deo cogitemus.

Qui in bono confirmatus non eſt, vel qui prava habet ſtudia, libere, ac temere ſe ſe iis omnibus abdit, quæ illius cupiditatibus velificantur, cum vitæ commoda, & rerum affluentia ejus ſtudiis favent. Saltem facilius inutilibus immorabitur nugis, quæ illum magis, magiſque a ſalutis ſuæ removent cura; evagabitur, animo inepta dumtaxat verſabit objecta; cor ejus facile in quamcumque partem circumagetur. Nihil in actionibus ejus ſolidum erit, pauca pietatis opera, fructus pœnitentiæ nullus. Tribulatio eum revocat ad cor, illi inanes interdicit nugas, cogitationibus ejus virtutem impertit, voluntatem regit, & animat, ut ille ſua obeat officia. Hominis hujus ideæ, & motus ſunt tanquam anguſto in ſpatio coacti, ubi non aliud, quam quod ſua intereſt vere, intuetur: gratia in nullos obices invenit &c.

Diſcrimen inter bonorum, & impiorum tribulationes.

Sanctus Rex Propheta dicebat Deo: judica me, Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta: plurimus improbam ducentes vitam ipſi impii irrident, & perſequuntur; non tamen eadem ob cauſam, propter quam viros bonos. Virtute præditus, qui in ludibrium traducitur, ad Deum confugere poteſt, ac dicere illi, ut David, judica cauſam meam, Deus, & cogita, quod propter te impii me perſequuntur, Si in eorum partes concedere vellem, ſi in eorum artes, ac ſenſus tranſirem, ſi libidinum ſuarum me ſocium adderem, in pretio, & honore ab illis haberer, qui per ſummam indignitatem me probris, & conviciis afficiunt; cordatus homo, rectique ſenſus exiſtimarer, omniaque conſilia. & verba mea plauſibus exciperentur. Sed quoniam tibi me adhærere profiteor, ideo me contemnunt, perſequuntur, irrident &c. Sed magna gloria eſt, o Deus, pro gloria tua pati, & omne tuæ crucis opprobrium inani mundi hujus exiſtimationi cenſeo toto cœlo, eſſe anteferendum. *P. Craſſet, tomo 1. de fide victrici.*

Conſilium Deo in tribulationibus noſtris.

Deus, qui eos punit, quos in filiorum ſuorum numero excipit, in hominum vita, præſertim vero in vita fidelium bona malis commiſcet, & alia aliis temperat; ne illos proſpera attollat fortuna, ſi nimis conſtans extiterit, vel ne adverſa illos obruat, ſi nunquam ceſſaverit. Etenim, ut Sancti Patres animadvertunt, difficilius eſt proſperam ferre, quam adverſam, & illius nitorem alterius pondere eſſe magis periculoſum. Experientia docti ſæpe vidimus, eos, qui in tribulatione ſapientes viſi fuere, ubi Dei ope inde evaſerunt, ſapientes eſſe deſiiſſe, atque finem tribulationis eorum factum fuiſſe lapſus initium. *Liber, cui titulus: Vita Prophetarum.*

Tribulationes noſtrummet cognitionem nobis tradunt.

Hujuſmodi tentationes vere lydii lapides ſunt, per quos noſmet ipſos cognoſcere poſſumus; cumque vir bonus per illas fuerit traductus, Deo gratias agere debet inde quidem, quod ſibi adeo præclaram præbuerit occaſionem muneris ſui obeundi; hinc vero quod ſibi certanti tulerit opem. Adorandæ quoque ſunt viæ ſapientiæ, & providentiæ divinæ erga filios, eo quod validas haſce tentationes adhibeat ad magis, magiſque in animabus ipſorum electionis ſuæ confirmandam veritatem. Homines ſuos habent fines; Deus vero permittens illis, ut ſecundum intentionem ſuam operentur, eorum utitur miniſterio, ut prorſus oppoſitum ab eo, quod ipſi cogitant, eveniat. *Liber, cui titulus: Examen ſuimet ipſius.*

Adverſitas varios habet in mortalibus effectus.

Hominum pleri que in tribulationibus ſuis, ut plurimum, operantur vel ſecundum ingenium, vel ſecundum habitum ſuum. Si ferox eſt, ac furens hominis ingenium, illum tribulatio irritat; in Deum ſuccenſet, in homines furit, de providentia conqueritur; ſinn acerbiſſimi doloris ſenſus fovet, ultionem minitatur. Si paulo moderatus ingenium eſt, humana conſectatur auxilia, ut aliquod malo ſuo remedium inveniat, unice in id omnia prudentiæ ſuæ lumina impendit. Sin timidus eſt, triſtitia conficitur, & in quibus erumpit, atque in dolore, & lacrymis ſuam inquirit ſolatium. Si Stoicus, ferocem quandam præſefert duritiem, atque in ſeipſo quandam efformare ſtudet ſtupiditatem, itaut bonum, malum nullo habeat in diſcrimine. Si chriſtianæ religionis principia aliquam in illo vim obtinuere, ſe ſe ad orationem convertit, ſed illam urget, ut a præſenti periculo liberetur, non quod læſi numinis ipſum pœniteat, & doleat eo, quod hæc divinæ indignationis indicia meruerit. Hi minime ſunt veræ pietatis characteres. Fidelis enim in afflictionibus ſentiens malum, quo premitur, illud ſtatim conſiderat veluti manifeſtum divinæ in ſe iracundiæ argumentum; & mox animum advertens ad propria ſcelera, & cœleſtem gratiarum abuſum, dum illis perfrueretur, ſe ipſum damnat, ſupplicium hoc ſe meritum fuiſſe fatetur. *Idem.*

Viva requiritur fides, ut pati enter mala ſuſtineamus.

Viva, & firma fides illi neceſſaria eſt, qui ſuſtinet cum patientia: & ſane niſi evangelicas veritates conſtanter crederemus, nobiſne perſuadere poſſemus, beatos eſſe qui lugent, & qui perſecutionem patiuntur? Niſi in æternas veritates mentis aciem intenderemus, in humilitate, ac dolore gloriam, & voluptatem invenire poſſemus? Videmini profecto, Fideles, parum JESU CHRISTI præceptis imbuti, cum ignave ſub laborum veſtrorum pondere ceditis. Si plus fidei, plus quoque patientiæ haberetis. *P. la Peſſu ſermone de eorum, qui male patiuntur, jactura.*

At enim, non deſunt, quos tribulationes non ſolum non corrigunt, ſed indurant, & nequiores effi-

Aliqui tribulationibus abutuntur.

efficiunt. Hi, non ſecus ac latro nequam, blaſphemias evomunt, ibique ſuam reprobationem conſummant. Ad hæc autem quid reſpondeam, niſi eorum miſerrimam ſortem defleam, ut olim Carthaginenſium infelicitatem deflebat *Auguſtinus?* Amiſiſtis omnem calamitatum veſtrarum fructum, ajebat illis poſt provinciarum eorumdem deſolationem. Miſeri facti eſtis, & non ideo meliores evaſiſtis. Volebat Deus vos vere Chriſtianos efficere vos affligens; vos autem in peccato vosmet induraſtis. *P. Cheminais ſermone de tribulationibus.*

Exemplum, & amor, quo Salvator nos dilexit, nos cogunt, ut pro illo patiamur.

Nonne mirum eſt, amorem, quo JESUS CHRISTUS nos proſecutus eſt, effeciſſe, ut crucem, tribulationes, & humiliationes amplecteretur, quamquam illi opus non eſſet, quanquam illum deſeceret, atque magnum, & juge requireretur miraculum, ut iiſdem ſubeundis par fieret. Nonne mirum inquam eſt, amorem, quo JESUS CHRISTUS nos proſecutus eſt, eſt effeciſſe, ut hæc omnia peregerit; amorem vero, quem nos JESU CHRISTO debemus, non efficere, ut illius ſequamur exemplum, illi ſimiles evadamus, & ſi minus alacri, ut ille, æquo tamen animo amplectamur crucem, tribulationes, & humiliationes, quæ non utiles tantum, verum etiam nobis ſunt neceſſariæ? *P. Nepveu in ſpiritu Chriſtianiſmi.*

Fatendum eſt, ubi crucem prorſus ſolam intuemur, naturam perhorreſcere, deterreri ſenſus, rationem ipſam repugnare; ſed ubi cogitamus *J. C.* ante nos, & pro nobis crucem tuliſſe, nos vero poſt illum eam ferre; quantumvis parum diligamus illum, tunc natura, ſenſus, & ratio cedunt, immo in objectis, quæ antea tantum terroris incutiebant, illecebras, ac ſuavitatem invenimus. Cogitatio hæc Sanctos omnes in graviſſimis tribulationibus, cruciatibuſque ſuſtinuit; & eadem effecit, ut S. Andreas crucem ardentiſſime exoptaret &c. *Idem.*

Noſmet animi magnitudine in adverſis ſuſtinemus, patientia malorum amaritudinem dulcedine quadam adſpergimus; generoſi viri in ſe ipſis inveniunt, unde graviſſimis malis reſiſtant: verum ubi hæ vires deficiant, certiſſimum remedium eſt, noſmet divinis ſubmittere imperiis, & percutientis manum adorare. *Abbas de Bellegarde in verſione librorum Sapientialium.*

Dei juſtitia hac in vita nobis utilior eſt, quam ejus miſericordia.

Locus hic eſſet juſtitiæ Dei apologiam contexendi, & contra ea, quæ vulgo feruntur, illam ſupra ipſius miſericordiæ laudes extollendi. Scio equidem ab illis, qui ejuſdem deſcriptionem exornarunt, exhibitam fuiſſe prorſus terribilem; in manu ejus fulmina, in oculis fulgura, in labiis minas collocata fuiſſe; verum ſi rite ad examen factum revocare voluerimus, liquebit, hanc præ ipſa miſericordia in vita hac eſſe utiliorem; omnia quippe illius ſupplicia vincula ſunt, quæ a peccato quidem nos retrahunt, Deo autem conjungunt, & alligant. Miſericordia ſæpius in ſceleribus homines tenet: ideoque ut jure S. Auguſtinus ait, *eſt miſericordia ſæviens, & miſericordia parcens.* Verum quippe eſt pœnas omnes, quæ terribiles adeo videntur, totidem eſſe adminicula, quæ a divina juſtitia ad noſtram adhibentur utilitatem. Nihil morbo acerbius eſt; videte nihilominus, quomodo divina juſtitia eodem ad noſtram utilitatem utatur. Homo ille bene valens, ac robuſtus nec cogitabat quidem de Deo, voluptatibus ſuis additus: ſed illum hæc infirmitas excitat. *Auctor Anonymus, & recens.*

Tribulationes momentaneæ ſunt cælum cogitantibus.

Momentaneum & leve tribulationis. Hoc nomine S. Paulus vitæ hujus tribulationes appellat; ſed quomodo momentaneum vocas, quod menſes, integroſque annos perſeverat? Quomodo leve dicis, quod pondere ſuo robuſtiſſimum quemlibet obruit? Momentaneum vocabis flagellum, quod indeſinenter ſævit, quod tandiu ſine miſericordia percutit? Quid hæc pœna, & hæc tribulatio levia tibi videtur, quæ ſine modo urget, ac fuit, ut S. Paulus 2. ad Cor. 4. ait: *Super modum gravati ſumus!* Nunquid momentanea, & brevis durationis hæc eſt tribulatio, quæ in omne vitæ ſpatium perdurat? Et hæc prælia, atque certamina levia putabis, quæ ex ſtrenuiſſimorum athletarum, quos jactat eccleſia, corpore ſudorem elicuere? Attamen, Apoſtolus inquit, id omne momentaneum, & leve eſt, ſed quibus? *Contemplantibus nobis non quæ videntur, ſed quæ non videntur*; conſiderantibus æternitatem, & remunerationem, quæ has tribulationes ſubſequitur. *Reina.*

Tribulationes medentur malis, quæ proſperitas parit.

Ad medelam afferendum cæcitati, quæ vix, ac ne vix quidem a rebus proſperis ſeparari poteſt, ut olim cæci Tobiæ ocelli felle, & amaritudine liniendi ſunt; videlicet tribulationibus, & ærumnis eſt opus: tunc enim oculos veritati aperies. Cum violenta febris te ad oſſa uſque vorabit, atque in lectulo doloris te deficere intelliges, videbis corpus hoc, cui frequenter adeo animam ipſam ſacrificas, quod tanto luxu tegis, quod tot deliciis, & cupediis nutris, non aliud eſſe, quam fragile vas, quod ad leviſſimum caſum poteſt confringi, atque tandem ex ſe ipſo confringitur. Cum calumnia clanculum intentata, ac detractiones latenter latæ de eo te deturbabunt gradu, ad quem per ambitionem aſcenderas, & in quo per dolos, & fraudes perſeverat tandem humanarum dignitatum mobilitatem, nihilumque cognoſces. Cum ætas, vel caſus aliquis inopinatus formam illam fædaverit, quæ tot tibi admiratores conciliabat, & quam ipſa tu in corde tuo ante alios colebas, nihil aliud quam vanitatem fuiſſe fatebere. Cum vel a cerebroſo derelictus domino, vel ab ignavo, & infideli amico proditus graviſſimas ab illis patieris injurias, quorum præſidium, & protectionem ſperabas, agnoſces in carneo brachio fidendum non eſſe, & ne decipiaris unquam, in uno Deo confidentiam omnem eſſe conſtituendam. *Flechier ſermone de tribulationibus.*

Tribulationes magno ſunt adjumento, ut convertamur.

Tribulationes, & calamitates, quæ nobis accidunt, poſſunt ſimul eſſe inſtrumenta, & cauſæ noſtræ converſionis. Illæ nos excitant ad pœnitentiam; nobis oſtendunt, quam juſtus eſt Deus, ac ſunt primæ victimæ, quæ ad illum placandum offeruntur; nos permovent, cum non ſine naturali repugnantia illas ſentimus; nos ſanctificant, cum voluntaria ſubmiſſione illas percipimus: mala ſimul, & remedia, ex natura ſua pœnæ, per patientiam noſtram merita, cauſæ præliorum, & victoriarum, paſſionis, & actionis, cognitionis, & praxeos. Illæ igitur aptiſſimæ ſunt ad cor humanum redigendum, & quicunque reſiſtit, & non afficitur ſuppliciis, quæ Deus ad illum erudiendum, & convertendum immittit, vereor, ne mens illius invictis tenebris involuta ſit, contremiſco, & ſi audeo dicere, de illius ſalute deſpero. *Idem.*

Patientes ſoli noſtras cognoſcimus, & facimus voluntatem Dei.

Dei voluntas nobis pluribus in rebus ignota eſt; ſcimus potentia illius nos ſervari, providentia nutriri, liberalitate locupletari, juſtitia puniri; verum utrum voluntas ejus nos in viis noſtris deducat, neſcimus: in tribulationibus dumtaxat illam cognoſcere poſſumus. S. Paulus, illud gratiarum prodigium, timet, tunc etiam cum prædicat evangelium, gentesque convertit. Beneficia, quibus illum cumulat Deus, eum inquietum efficiunt; perſecutiones, quas patitur, & infirmitates, quas ſuſtinet, ſolæ ſunt, quæ illum confirment; non latet quippe eas a Dei voluntate profectas. Cum oramus, cum erogamus eleemoſynas, cum ad ſacramenta accedimus, ignoramus, utrum Dei voluntati pareamus, videlicet utrum Deus alia a nobis pietatis opera, quibus magis ſanctificandi ſimus, præſtoletur: ſed ubi patimur, omnis ambigendi, ac dubitandi nobis aufertur occaſio. Hic pro natura corrupta, & proprio amore ſtatus eſt violentus, cui, quidquid in nobis eſt, obluctatur: Deus unus in eo eſſe jubet. *Ex dictionario morali.*

Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti,

Google

Perſuaſum nobis eſſe debet tribulationes a Deo proficiſci.

ciſti, S. Rex David inquit. Conticui Domine, & ne hiſcere quidem auſus ſum, ut de malis, quibus angebar, conquererer, ſciens ea providentiæ tuæ nutu accidiſſe. Tu mihi amicum, tu filium, tu affinem eripuiſti, tu, quæ mihi dederas, abſtuliſti bona, a manu tua hunc morbum recipio, tu cor meum hoc telo tranſadegiſti, & quidquid a te proficiſcitur, ita mihi accidit perjucundum, ut gaudium, quo afficior hæc a manu tua recipiendi, doloris mihi ſenſum auferat, efficiatque, ut obliviſcar eorum omnium, quæ in tribulatione moleſta, & acerba ſunt, ut me prorſus adorabili tuæ voluntati ſubmittam. *P. du Sault lib. 3. de confidentia in Deum cap. 1.*

Fides in tribulationibus triumphat. Modo omne faſcinum aufert, atque in ictu oculi mundi hujus prætereuntem figuram nobis oſtendit: *Præterit figura hujus mundi:* 1. ad Cor. 7. Modo nobis objicit homines ſua ebrios felicitate deprobabili exitu pereuntes: modo cœlos aperit, nobiſque exhibet coronas pietati ſuſtinenti deſtinatas: modo ob oculos nobis ſtatuit Jeſum exagitatum, patientem, & ſub cruciatuum pondere expirantem, nobiſque oſtendit, quam indecorum eſſet, & turpe, quod Chriſtianus in hoc mundo eſſe vellet beatior ipſo Deo, quem adorat; docet etiam, ſi cum illo paſſi fuerimus, cum eodem in æternum eſſe regnaturos, & non ignominiæ ſolum, verum etiam gloriæ futuros conſortes. *Auctor Recens.*

Deo agendæ ſunt gratiæ in tribulationibus, quas nobis immittit.

Fovere debemus Tobiæ ſenſus: *Benedico te Deus Iſrael, quia tu caſtigaſti me, & tu ſalvaſti me.* Tob. 11. tribulationis auctor æque ac ſalutis meæ. Hæ duæ ſunt inſignes gratiæ, quas contuliſti mihi; ſine illis in enormia cecidiſſem crimina, at tu me præſervaſti; ſine illis inanes tantum fortaſſe virtutes haberem, ſine illis numquam fortaſſe felix fuiſſem: *Benedico te &c.* Vehementer igitur errat, qui vitæ hujus adverſa vera mala putat, quippe immo ſunt vera bona. *Sermo de tribulationibus editus ſine nomine Auctoris.*

Si hæc in te principia fidei ſecutus fueris, invenies duo; primum quidem, quod quantacunque ſint vitæ hujus mala, nihil ſunt, ubi conferantur cum malis, quæ patraſti, & quæ levia putas: alterum vero, cum minime ſis culpa vacuus, uti fortaſſe arbitrabaris, divinæ plurimum te debere juſtitiæ propter pœnas, quas propter tuam ſalutem infligit. *Non ſunt condignæ paſſiones ad futuram gloriam:* in quæ verba S. Bernardus ait; *non ſunt condignæ paſſiones ad præteritam culpam, quæ remittitur, ad præſentem conſolationis gratiam, quæ immittitur, ad futuram beatitudinis gloriam, quæ promittitur. Idem.*

Cum animo reputatis vitam, quam olim duxiſtis, eamque cum præſentibus tribulationibus comparatis, nihil aliud facere, vel dicere poteſtis, quam quod olim fratres Joſeph: *Merito hæc patimur, peccavimus enim in fratrem noſtrum.* Gen. 42. Non queruntur, quod iniquitas ſecum agatur; non ſuccenſent Deo, quod hoc pacto affligantur; quantumvis culpa vacent ea in re, de qua inſimulantur, non dolent ob injuſtitiam, quæ erga ipſos exercetur; recordantur ſe læſiſſe Deum in perſona fratris ſui, quem omnem humanitatis ſenſum abjicientes in ciſternam conjecerant, & mox Iſraelitis vendiderant; ac præcedentis ſævitiæ ſuæ recordatio has voces extorquet: *Merito hæc patimur; peccavimus enim in fratrem noſtrum. Idem.*

Per tribulationes Deus nos e mundo divellere vult.

Vult Deus tribulationibus mundi hujus contemptum nobis inſpirare. Mundum tunc etiam diligimus, cum ille nos odit, atque perſequitur; quid fieret, ſi large nobis delicias, & voluptates dumtaxat conferret? Scimus, Deum in illo cruces, curas, ſollicitudines, angoreſque poſuiſſe; & nihilominus ab illius amore non ceſſamus, atque illinc egredi nolumus; quid fieret, ſi illic ab omnibus malis immunitas, omniumque bonorum cumulus inveniretur? Aliquid magis efficax, quam theoretica malorum, quæ ibi continentur, cognitio requiritur, ad infringenda vincula, quibus eidem alligamur, & ad ſuperandam illecebram, quæ nos ſeducit. Nequicquam mundi vanitas nobis obtruditur; ipſi etiam de eadem diſertiſſimos ſermones concinnaremus: ſed interim mundum deperimus atque inſolubilibus vinculis eidem hæremus. Perſonalis afflictio majorem habet vim, quam omnes ſermones, atque argumentationes. Morbus doloribus ſuis ſingulis momentis nos docet, mundum pro nobis nil amplius eſſe, quantumvis dulcis aliis videatur. Viri principis, qui noſtrum erat præſidium, frigus; amici, qui, ubi illius opera egemus, nos deſerit, perfidia; inſignis bonorum jactura; dignitatis ablatio, nos a terrenis divellunt, & efficacius perſuadent omnia vanitatem eſſe, ac illuſionem. *Auctor Anonymus.*

Per tribulationes revertimur ad Deum.

Conſcientia in proſperis dormitat, ſed in adverſis expergiſcitur, ac malo ſuo quærit medicinam: & ideo accidit, ut inde ſæpe initium ducat pœnitentia. Huic ſane principio ſuam acceptam referet S. Auguſtinus: *aderas, Domine, miſericorditer ſæviens.* Cum homine terrenis impedito negotiis de animæ ariditate, deque divinæ gratiæ privatione ſermonem injuſte, non movebitur ille, neque afficietur, & fortaſſe chimeras arbitrabitur has omnes Spiritus ſancti dulcedines, atque ſolatia; ſed ubi Deus per tribulationes loquitur, nocens tacet, ſe humiliat, plorat, confugit ad Deum. Itaque cum novus homo ſpiritualibus dumtaxat malis afficiatur, homo vetus temporalibus tantum ærumnis afficitur, & inde ut plurimum converſio illius ducit exordium, hoc ſaltem pacto errorem abjicit inanium idearum magnitudinis, quæ nos tamdiu faſcinarunt. *Idem.*

Cogitandum eſt quo animo cruces a Deo immiſſæ recipiantur.

In tribulationibus noſmet ipſos diligenter excutere debemus, ut agnoſcamus, quænam ſint noſtræ affectiones, & ſubmiſſio erga Deum, cum nos in virga ferrea deducit, & explorare, utrum amemus cruces, quas nobis immittit; an tanti illas faciamus, quanti faciendæ ſunt; utrum illas cum ſubmiſſione, & gratiarum actione accipiemus citra murmur, ſine ullius finibus, cum alacritate, & ut Deo placeamus: utrum beatos nos cenſeamus, quod in nobis ſua adimpleat conſilia; an optemus illi voluntatem adeſſe nos conſolandi: utrum credamus ſtatum hunc nobis eſſe utiliſſimum; utrum de illius ſeveritate conqueramur; ac denique utrum ſerio adlaboremus inde eum, quem Deus præſtolatur, fructum percepturi. *Auctor Anonymus.*

Rationes, propter quas Deus juſtos affligit.

Tribulatio, S. Iſidorus inquit, ſpecies eſt conſecrationis, quæ nos efficit viventia JESU CHRISTI templa. Viventes hujus templi lapides cæſi eſſe debent, ſculpti, lævigati, ut in loco ſuo ſtatuantur: *Tunſionibus, & preſſuris expoliti lapides,* uti canit eccleſia. Tribulatio ſola chriſtianæ religionis ſpiritu acceptata prodigium hoc operatur, & cœlum juſti conſtantiam in adverſis reſpicit tanquam manifeſtum ſubmiſſionis, fidelitatis, & obedientiæ ejus argumentum. Sibi complacet Deus ex oculis eorum, quos diligit, lacrymas eliciens: cum voluptate eorum ſuſpiria, & gemitus audit; & ideo illos affligit, quidam Propheta inquit, quia zelotypus eſt. Poſſidere vult cor hominis, quantum eſt, diviſionem illius non patitur; cumque vix fieri poſſit, ut aliquis proſperis rebus fruatur, & creatis non adhæreat, quid interim Deus? adverſis utitur, ut olim Babylonicæ fornacis ignibus qui trium puerorum vincula quidem combuſſerunt, corporibus vero pepercerunt. Hoc ipſum tribulationes efficiunt; in hominis corde adeſt aliquod ſecretum vinculum, quo creaturis adhæret: oportet igitur, ut in ignem tribulationis conjiciatur, ubi hæc comburantur vincula, ut integram recipiat libertatem. *In ſpecimine ſermonum pro Domin. tom. 2. pro Dominic. poſt octavam Aſcenſionis.*

Bonorum tribulationes ſæpe occaſiones ſunt querelarum contra Dei providentiam.

Vulgatum eſt ſcandali argumentum hominibus contra Providentiam, videre hanc pati, ut improbos homines perſequantur. Quos ſunt virtute præditi viri quaſi ærumnarum omnium ſcopus? *Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam*. Videtis familiam hanc ob nefarii hominis improbitatem everſam? attamen ſancte vivit. Videtis miſerum hominem, qui per omnia tribunalia traducitur, ut ſumptibus conficiatur? Videtis mulierem opibus egenam, filiis onuſtam, cui, quæ ad victum neceſſaria ſunt, deſunt? Cur Deus non ſuſcitat illis patronos, ac protectores? Dei providentia ſopore capta videtur; attamen docet Propheta, eum, qui regit Iſrael, nunquam dormitare. Undenam igitur ſopor iſte? cur juſtus in adverſis derelinqui videtur? Ut mundetur, & a rebus creatis omnino ſeparetur. *Idem*.

Omnia, quæ in hoc mundo accidunt mala, ſunt peccatorum noſtrorum ſupplicia.

Omnia vitæ hujus mala, quocunque accidant modo, nihil aliud vulgo ſunt, quam peccatorum noſtrorum ſupplicia; ita ut dici queant per peccatum in mundo invecta fuiſſe. Alia quoque veritas eſt, illa peccato dumtaxat nutriri, & ſi peccatum ex mundo poſſet expelli, procul inde exularet potiſſima eorum malorum pars, quæ ibi ſuſtinemus. Verum quidem eſt, vitæ hujus ærumnas, & infortunia paſſim aliis accepta referri cauſis; & ea, quæ nobis accidunt cœlo, terræ, tempeſtatum importunitati, mobilitati fortunæ, hominum nequitiæ, & infidelitati deferri. Dicimus: jactura hæc per imprudentiam, vel inſcitiam accidit noſtram, morbus hic immodici laboris effectus eſt, vel motuum, quibus ſeſe ob hanc rem aliquis paulo nimis agitavit; ſed ex S. Chryſoſtomo diſcite, peccatum, ut plurimum, eſſe valetudinis, vitæque carnificem. Itaque omnes occaſiones, quas tanquam infortuniorum noſtrorum cauſas inſimulamus, ut ita dicam; nil aliud ſunt, quam manus, quibus utitur Deus, ut nobis tribulationes immittat in pœnam peccatorum noſtrorum, eorum etiam, quæ nobis remiſſa fuere, ſed quorum pœnitentiam peragere negleximus. Patitur quotidie Deus peccatores pertinaces, & qui in vitiis occalluerunt, quin ab illis pœnas repoſcat, quia integram habet æternitatem, Tertullianus ait, qua impiorum ſcelera puniat: *patiens eſt, quia æternus eſt*. Juſtos vero, qui peccatorum ſuorum veniam pœnitentiæ lacrimis obtinuerunt, conſuevit Deus in hac vita punire, ut illos expiet omnino. *P. Gegou in libro, qui inſcribitur, uſus Sacramenti pœnitentiæ*.

Ærumnæ mundum univerſum depopulantur, tribulationes, & infortunia familias replent, audiuntur gemitus, & querelæ, hic, & ille inſimulantur, inter creata propriis laboribus ſolatium, aut medicina aliqua inquiritur; neque videmus nuſquam ipſos eſſe malorum noſtrorum artifices, & cauſam illa in nobis gignentem in nobis eſſe, peccatum videlicet. Ita eſt, iterum dico, morbus hic, quo tandiu tot cum doloribus, mœroribuſque elanguiſtis, non aliud fortaſſe eſt, quam pœna libidinum, quarum pœnitentiam agere neglexiſtis; jactura hæc, quæ vos tanta afficit triſtitia, infortunium hoc, quod domum veſtram evertit, non aliud eſt, quam pœna injuſtitiæ, quam patraſtis, & incompoſiti affectus, quo terrena deperitis; mors filii, viri, uxoris, quæ dolore vos conficit, non aliud fuit, quam pœna amoris inordinati, quo illos potius, quam Deum ipſum proſequebamini. Deus ſubimet ſatisfecit manibus ſuis, quarum ictus, & vulnera majorem vobis attulere triſtitiam, quam pœnitentia, quam ad hæc expianda crimina ſuſcipere poteratis. *Idem*.

Non omnes magna propter Deum poſſunt operari, ſed hæc pati omnes ſunt.

At enim propter Deum magna conari non poſſumus: verum nonne propter amorem illius, quidquid vobis occurrit, pati poteſtis? Pro hoc impatientiæ, malique ingenii impetu, pro contumelioſis querimoniis nihil laborem, doloremque veſtrum imminuentibus, quis prohibet, ne Prophetæ conſilium ſecuti cor veſtrum penetrantes coram illo effundatis, & quin laborem veſtrum intercidatis, illi indeſinenter nuncupetis vota, atque dies integros coram illo traducatis, ſtatus veſtri obeuntes officia? *P. Croiſet in chriſtianis conſiderationibus*.

In familiis quid ferendum non eſt? Mobile, violentum, durumque libidinoſi conjugis ingenium, ſuperbia, indocilis, inconſtans vanæ uxoris indoles, filii male nati, invidentis, aut competitoris nequitia, contrarius litis exitus, negotia e ſententia minus fluentia cruces ſunt ſane graves, verum eſt: ſed cruces ſunt, & quare illas inutiles reddere vultis tanquam tales eas nequaquam intuiti? Moleſtiæ huic patientiæ veſtræ exercitationi perfectionem, & fortaſſe veſtram ſalutem attexuit Deus. Cur obluctamini? Alia quævis mortificationis, atque pietatis praxis vobis fortaſſe placeret, ſed parum ſalutaris eſſet; hæc, quæ in præſentiarum gravis adeo videtur vobis, & quam excutere velletis, eadem illa eſt, quam vobis Deus deſtinavit. *Idem*.

Væ illis, qui tribulationibus male obutuntur.

Mortales ita cæci videntur aliquando, ut cum aliqua calamitate, vel tribulatione afficiuntur, quin oculos attollant miſericordem manum, qua percutiuntur, intuituri, irritentur, atque exardeſcant in illos, quorum miniſterio Deus utitur ad eos puniendos. Sortem ſuam maledictis obruunt, atque in exceſſo furoris; quo repleti ſunt, in querimonias, atque blaſphemias erumpunt. Itaque tantum abeſt, quod propter paternam hanc correctionem pœnitentiæ, & contritionis ſenſus concipiant, ut modus, quo illam recipiunt, rabiei, & deſperationis ſenſus illis tantummodo inſpiret. Quod illos innocuos præſtare poteſt, efficit nocentiores, quod illis Dei miſericordiam promereri debebat, in illos magis irritat juſtitiam; & quod illis auxilium, & quaſi facta clavis ad cœlum aperiendum eſſe debebat, fit veluti inferni præludium. *Liber, cui titulus; Colloquia Abbatis Joannis, & Euſebii presbyteri*.

Cum ſerio peccator convertitur ad Deum, hic tribulationibus eum probare conſuevit.

Cum vult Deus in anima divinam operari mutationem veteris formæ in novam, graviſſimas adhibet tribulationes, quæ ipſum uſque vitæ fontem pertingunt, ad animam hanc expiandam, atque beata metamorphoſi transformandam. Ideo Pater cœleſtis non conſuevit leviter abluere animam, quam pretioſiſſimis donis vult locupletare, & in qua adeo egregiam mutationem gignere decrevit; ſed illam, ut ita dicam, immergit, & præcipitem dat in oceanum amaritudinem, quemadmodum olim in mare conjici juſſit Jonam prophetam, & quemadmodum de ſe ipſo David ait: *Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt*. Pſalm. 41. Dico igitur, quod potius permitteret Deus, ut centum millia hominum in aliquod diſcrimen adducerentur per occaſionem animæ hujus, quam ad gradum adeo inſignem extulit, & quam peculiari amoris ſui gratia delegit, quam illam huic gloriæ per tribulationes non præpararet; quod potius ad aliquod temporis intervallum tenebras, ac cæcitatem in ſanctos aliquot viros immitteret, ut temerariis, iniquiſque judiciis, quæ in hoc ignorantiæ ſtatu ab illis ferrentur, hoc vas electionis ſibi præpararent. *Ex Taulero capite undecimo Inſtitutionum*.

Spes remunerationis mulcet, quidquid pro Deo patimur.

Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. 2. ad Corinth. c. 7. Non miror, S. Auguſtinus ait, quod tot inter tribulationes adeo ſuavibus conſolationibus Paulus perfundatur: *Sciebat, pro quo pateretur*. Venite ergo, ſequitur idem Pater recenti repletus vi, ac novam in ſe fortitudinem oborti ſentiens: Venite, nos ignominia, & confuſione ſuffundite, torquete, corpora noſtra diſcerpite, & conculcate, illa comburite, & in cinerem redigite; *increpate, torquete, concremate*. Quidquid malorum nobis intuleritis, bonum, quod nobis reſervatum eſt, non exæquabit. In ſtatera hinc quidem quod ſpero, inde vero quid mihi ferendum eſt, ut ſperata conſequar, appendo:

Appen-

Appendo, quod expecto, contra id, quod patior. Simul hæc comparo, hinc quidem quod credo, inde vero quod ſentio; ac invenio ea, quæ mihi proponit fides, & quæ recepturus ſum, toto cœlo præſtare iis, quæ ſunt mihi facienda, aut ferenda. Hæc me cogitante omnia ſternuntur, omnia commoda ſunt, & facilia. *P. Giroust tomo 2. Quadrageſima ſermone de ſanctitate Chriſtiana.*

Si verum eſt, quomodo ambigere nefas, æternam felicitatem hac tantum conditione fuiſſe promiſſam, ut patiamur; & hæc eſt clauſula, quam Dei filius inſervit in inſigni eo fœdere, quod pro nobis icit, antequam de cruce expiraret; quibuſnam rebus inniti poteſt mortalium ſpes, qui nihil magis quam labores, ac tribulationes peroſi jure vocari poſſunt inimici crucis JESU CHRISTI? Quibus rebus innititur ſpes quamplurimorum, qui palam pietatem, virtutemque profitentur, & qui nihil intentatum relinquunt, ut ſe a patiendi neceſſitate diſpenſent? *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri.*

Qui nihil pati volunt, quo jure cœlum ſe putant aſſecuturos?

Quomodonam ignavi Chriſtiani crucifixi præceptoris diſcipuli cœlum acquirent, ſi ad illud lucrandum æternum ſenſibus ſuis inferre debent bellum, Domino in graviſſimis etiam hujus vitæ calamitatibus benedicere, perſecutionem, paupertatem, & mortem pati potius, quam innocentiæ jacturam facere, ſeſe acerrimis objicere doloribus, ſæviſſimiſque cruciatibus, ut fidem, & gratiam tueantur? Vim non habent leviſſimi incommodi perferendi, & patientis, atque mortificatione cœlum merebuntur? Patientia, quam a vobis chriſtiana poſcit religio, chriſtiani Auditores, efficere debet, ut de morbis, doloribus, contemptu, contumeliis, paupertate, honorum jactura, omnibuſque hujus vitæ calamitatibus victoriam referatis; vos autem ne leviſſimum quidem malum, ne momentaneum quidem dolorem ferre poteſtis? Unquamne Sanctorum numero accenſebimini, unquamne Beatorum gloriam aſſequemini? Animumque unquam advertiſtis ad ea verba: *Per multas tribulationes oportet vos intrare in regnum Dei?* Act. 14. *Pater de la Peſſe, ſermone de periculo eorum, qui nihil patiuntur.*

Crux! O crux divini mei præceptoris nunquamne cognoſceris? & omnes te horrebunt ſemper, atque averſabuntur? Attamen tu firmiſſimum es totius ſpei noſtræ præſidium, tibique omnia lumina, omneſque vires noſtras debemus: *Nulla pœna, quanta pœna!* S. Auguſtinus dicebat. Nullam in hoc mundo habere pœnam, proh Superi, quanta pœna eſt! Quæ paſſio nil pati! Neſcio, utrum horum verborum ſenſum aſſequamini; *Nulla pœna, quanta pœna!* Quod ſupplicium eſt, nihil habere, quod ſuſtineamus! Aliquidne ſimile menti veſtræ unquam occurrit? guſtaſtiſne ſenſum ſtudiis veſtris adeo contrarium? Ingens vero Chriſtiano tormentum eſt, ſine tribulatione vitam traducere. Animæ, quæ Dei timent judicia, & Deum vere diligunt, hoc pacto cogitant; hic eſt Sanctorum ſenſus; at hiccine veſter quoque eſt? Niſi vos per tribulationem excitat Deus, vos procul dubio contemnit, indignoſque cenſet gratiis, quas ſuis amicis concedit. Tribulationes perhorreſcitis, nihilque intentatum relinquitis, ut illas evitetis; fallacem ergo, ſuſpectamque dumtaxat virtutem habetis; ignoratis religionem veſtram, caput veſtrum, veſtram remunerationem; nullo igitur in diſcrimine habetis ſalutis veſtræ negotium; ac non intereſt veſtra in graviſſima flagitia prorumpere. *Idem.*

Paſſiones filii Dei ſolatio debent eſſe tribulationibus noſtris.

Patior, dicere debet Chriſtianus, ſed Deus ipſe me docuit pati; poſt Deum patior; Dei patientis exemplum, atque ſocietas ſatis non erunt ad lacrymas abſtergendas, & inhibenda ſuſpiria? Pauper ſum, Salvator quoque fuit pauper: contemptus ſum, derelictus, vexatus; Salvator quoque, & Deus meus hæc omnia pro me paſſus eſt. *Lan-Hendry Bibl.* Tom. IV. gueo in infirmitate; Salvator meus ſanguinem ſub flagellis, ac ſpinis effudit. Redactus ſum ad id, ut dies meos in obſcura caligine meo nomine, ac dignitate indigna traducam; at JESUS CHRISTUS nonne potiorem vitæ ſuæ partem in fabri taberna traduxit? Niſi indigni, & crudeles Salvatoris mei cruciatus meos labores leniunt, indignus ſum tanta conſolatione. *Idem.*

Tribulatio eſt vis magis efficax, qua utitur Deus ad peccatores convertendos.

Tribulatio malum eſt ſenſibile, perſonale, & præſens, ideoque efficacius alia qualibet re, qua ad peccatores convertendos utitur Deus. Hæc ſpiritum proſternit, & humiliat carne, & carnem ſpiritu; tanquam gladius acutus præcipua ſecat vincula, quæ nos alligant mundo, voluptatem videlicet, & vanitatem; in corde, ſenſibuſque noſtris ſtudia ipſa, quæ nobis ingenita ſunt, oppugnare contendit. Malum perſonale dico, quam enim inveneris vitam, quantumvis illa vobis beata videatur, cui deſint quædam afflictiones, quæ illam minus ſuavem efficientes eamdem magis chriſtianam poſſunt efficere. Singuli ſuam crucis ſpeciem habent, quam gerant, & quæ ſibi, quam aliis, gravior videtur. Miſerorum numerus non mulcet pœnas, quas ſinguli patiuntur, & unuſquiſque vel in ſe, vel in aliis ſatis uberem patiendi materiam nanciſcitur, ut ſe ipſum valeat ſanctificare, & mundi errorem abjicere. Itaque adverſa, & calamitates, quæ accidunt nobis, ſimul eſſe poſſunt converſionis noſtræ affectus, & cauſa. Excitant ad pœnitentiam, immo & pœnitentiæ materia ſunt; nobis oſtendunt, quam juſtus ſit Deus, ac primæ victimæ ſunt, quibus eidem litetur. Nos permovent, cum eas non ſine naturali repugnantia percipimus, nos ſanctificant, cum non ſine voluntaria ſubmiſſione illas ſubimus. Hæc igitur aptiſſima eſt humani cordis convertendi ratio. *Flechier, ſermone de tribulationibus.*

Noſter erga Deum amor nuſquam magis purus eſt, quam in tribulatione.

Nihil æque purum eſt, quam Deum ſuis, ut ita dicam, ſumptibus diligere; videlicet cum nos affligit, cum nos humiliat, cum nos in tenebris relinquit, cum divinis ſuis conſolationibus nos privat, cum nos amaritudine replet, cum nobis ſuum lumen abſcondit, cum nos ferme inceſſanter violentis permittit tentationibus oppugnari, quæ nos agitent, ac totam fere animæ noſtræ ſerenitatem perturbent, quamquam ut olim Apoſtoli, dicamus: *Salva nos Domine, perimus,* Matth. 8. Quid purius anima, quæ ſemper eſt in ſtatu ſacrificii, & quæ ne ſolatium quidem in malis, quæ patitur, quærit? *Auctor Anonymus.*

Quemadmodum ignavia noſtra, ut plurimum vetat, ne pœnas, & mortificationes inquiramus, Dominus per infinitam miſericordiam ſuam eas nobis immittit. Conſilium inire non poſſumus crucis ferendæ; ille hanc nobis imponit, eamque ut Simon Cyrenæus bajulare cogimur: verum inde ne, ut ille, merendi occaſionem aucupamur, illam ultro acceptantes, eamque ſine querela gerentes? Si animus nobis deeſt tribulationibus obviam eundi, eas ſaltem amemus, quæ a Deo nobis proveniunt; per illas enim, S. Bernardus ait, Dominus judicat, & in hoc mundo punit eos, quos neque judicare, neque punire vult in altero. Ex tribulationibus, & perſecutionibus, quæ accidunt nobis, fructum percipiamus, & quin conqueramur, hanc nobis perſuadere conemur utiliſſimam veritatem, quam ſapiens Judith Bethuliæ populo tradere admitebatur: Mala, quæ nobis immittit Deus, nequaquam habenda eſſe velut judicis ſupplicia, qui nos perdere velit, ſed Patris nos ad frugem revocare cupientis correptiones. *Abbas de Monmorel ſermone pro prima Adventus Dominica.*

Tribulationes, quæ nobis accidunt, habendæ ſunt tanquam Dei beneficia.

Nonne mira cæcitas eſt, tanquam grave malum reſpicere afflictiones, vel temporales calamitates vitæ hujus, perſecutiones, & contumelias, quas pro Deo, ejuſque juſtitiæ gloria patimur, quandoquidem hæ viæ ſunt a Deo conſtitutæ, ut nos ad veram felicitatem ducant? Nonne potius reſpi-

reſpiciendæ ſunt tanquam effectus miſericordiæ ſingularis, tanquam ampliſſima amoris argumenta, quæ ſuis in hoc mundo præbeat, tanquam certiſſimum noſtræ ad gloriam prædeſtinationis characterem, quia nos introducunt in viam, quæ tutius illuc adducit. *De la Fonte, ſermone pro ſecunda Adventus Dominica.*

SUPPLEMENTUM.

Deus non affligit juſtos niſi ut probet illos.

SI Deus in ſpeciem eum juſtis uti ſeveritate, eoſque vexare videtur, hoc agit, ut eorum periculum faciat. Id ille paſſim in Scripturis teſtatur, ubi conceptis verbis ſignificat hoc eſſe unum ex officiis providentiæ ſuæ; & hac de cauſa permittere flagella ſua incidere in eos, a quibus colitur, magis quam in alios, ita ut adverſitas, ac tribulatio in ſacro Textu vulgo tentatio vocatur, cum eodem in ſermone, quod Spiritus Sanctus tentationem appellat, nihil ſit aliud, quam tribulatio. Hoc pulchrum erat, ſolidumque reſponſum, quod diſertiſſimus quidam Chriſtianæ legis Patronus reddebat idololatris, & infidelibus, cum illi exprobrarent ſummam paupertatem, in qua populus fidelis verſabatur; unde arguere contendebant Deum quem colimus vel impotentem eſſe, vel immiſericordem. Erratis vehementer, dicebat illis Minutius Felix: *Deus ille noſter, quem colimus, nec non poteſt ſubvenire, nec deſpicit.* Verum quid agit? Nos ſingillatim ad examen vocat. Ad quid autem hoc examen redigitur? ut nos adverſis exploret. *Sed in adverſis unumquemque explorat.* Quaſi juſto diceret Deus: oſtende mihi quod ea. Donec felix in terris fuiſti, mihi quidem dixiſti, te velle meum eſſe; ſed tunc teſtimonio tuo fides non erat habenda; dum omnia tibi proſpere avenirent, tuto judicare non poteras, utrius eſſe malles, tui videlicet, an mei. Cum autem modo jacteris adverſis, potes mihi fidei tuæ artham præbere. Si igitur video te in cultu meo perſeverantem, ſi ad aræ meæ pedes te audio eodem fervore profitentem, te mihi fideliter ſemper adhæſurum, tibi credam, & habebo fidem; quia amor hac ratione probatus omni vacat ſuſpicione. *P. Bourdalove in Dominicali.*

Quorſum tot lacrymas, ſcribebat illuſtri Paulæ S. Hieronymus, quorſum tot dolores? Elige, atque ut confirmeris, alterutram harum animadverſionum tene: Vel bono conſcientiæ tuæ teſtimonio, & quin chriſtianæ officias humilitati, temet tamquam juſtam confideras; atque tunc conſolatio tua eſſe debet, quod Deus perficit virtutem tuam, quod exercet illam, eamque inceſſanter ad ſublimiores gradus attollit; vel prætteritorum lapſuum memoria, maxumque infirmitatum cognitio efficit, ut tamquam nocentem temet intueàris, & in hoc intuitu ad minuendam pœnam, eamque reddendam non ſolum tolerabilem, verum etiam ſuavem, ſibi cogitandum eſt, te corrigi a Deo; ab eoque ſibi præberi, unde illi modico ſumptu ſatisfacias: *Elige; aut ſancta es, & probaris; aut peccatrix, & emendaris.* Ita Sanctus iſte Doctor Paulam conſolabatur in magna, quam fecerat rerum ſuarum jactura; & in graviſſimo dolore, quo inde erat effecta: *Aut Sancta es, & probaris; aut peccatrix, & emendaris. Idem.*

Juſti confidentia terreri debet in adverſis.

Si Dei Filius in Evangelio dixiſſet, eos, qui ipſum ſequerentur, ejuſque fidem amplecterentur hoc in mundo immunes fore ab omni calamitate, opibus cumulatos, ac ſemper voluptatibus affluentes: tunc, non inficior, fides noſtra infirmari poſſet ad tot tribulationum, agerſtarum, humiliationum, dolorum adſpectum. Arduum tunc eſſet reſiſtere ſenſibus diffidentiæ, quæ in cordibus oborirentur. Quare? quia me ab ipſo JESU CHRISTO deceptum arbitrares, & experiter iis oppoſita, quæ mihi fuiſſet pollicitus. Verum ubi conſulo ſacra oracula, quæ ex ipſo Dei Salvatoris ore emanarunt, eaque ad unguem Providentiæ conſilio adimpleri cerno, cum audio adorabilem hunc Magiſtrum palam, & non ambigue dicentem diſcipulis ſuis Joan. 16. *Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini.* Cum illum conceptis verbis prædicentem audio, ipſos humanarum perſecutionum ſcopum futuros, ipſque numerantem cruces, atque contumelias ab illis perferendas, earumque circumſtantias indicantem, atque monendo inferentem, ſe in antecesſum hæc illis prænunciare, ne ſcandalizentur, ubi iſta contigerint: *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini*: & ut meminerint, ſe hæc omnia illis prædixiſſe: *Ut cum venerit hora eorum reminiſcamini, quia ego prædixi vobis*: Cum, inquam, hæc omnia fieri, factaque intueor, cumque mihi ob oculos verſentur apertiſſima, atque præſentiſſima harum rerum exempla, fieri ne poteſt, quominus confidentia mea inſtauretur, atque inde capiat recens omnino incrementum; Ita enim arguendum mihi eſt. Ille ipſe, qui eorum tribulationes, & adverſa portendit, pollicitus quoque eſt, ſe illis regnum ſuum, & in hoc cœleſti regno perfectam beatitudinem daturum. Ille utrobique certiſſimus auctor eſt; non minus certus, cum bonum prænunciat, quam cum malum portendit; quoniam ſemper æterna veritas eſt. Quemadmodum ergo indeſinenter eventus probavit, & probat quod ille de Electorum ſuorum tribulationibus vaticinatus eſt; æque verum erit, quod illi de gloria ſperandum proponit. Hinc magni Apoſtoli ſententiam ſecutus ajo; patior, & ſine querela patior; neque ideo inquietus, ac ſollicitus ſum; ſcio enim, in quo confido, & in quo ſpem meam pono: ſcio, & certus ſum, non ſolum eum mihi præſtare poſſe quidquid pollicitus eſt, ſed etiam id velle, & præſtiturum, quoniam pollicitus eſt. *P. Bourdalove in Dominicali.*

Infidelibus relinquamus prolixos, diutinoſque hoſce dolores, quibus Religio non moderatur. Cum eorum detrimenta nullo pacto reparari poſſint, triſtitia quoque illorum finibus carere poteſt; cumque nullam habeant ſpem, nullum habent ſolatium. Nos autem, quibus Deus dignatus eſt ſuas revelare veritates, legimus in Scripturis, eſſe tempus plorandi, & modum lacrymarum; ſolem non debere ſuper iram noſtram occidere, neque occidere ſæpius ſuper noſtram triſtitiam; & eamdem charitatem, propter quam fidelium mortem dolemus, nobis ſpem facere reſurrectionis eorum, ac invitare nos, ut de ipſorum felicitate lætemur. *Flechier Nemanſenſis Epiſcopus.*

Tribulationes comparari nequeunt cum mercede illis propoſita, qui eaſdem Chriſtiane ſuſtinent.

In terris patimur, verum eſt: ubique cruces germinant; hi ſunt fructus omnium anni temporum; ſub omni cœlo creſcunt; nullus ſtatus, conditio nulla iiſdem eſt vacua. Chriſtiana virtus, quæ ſola fons eſt meritorum, & quam, ut videtur, cruces revereri debent, eiſque parcare, has nutrit, & ſæpe etiam parit. Diceres, neminem illis carere poſſe: pauci ſancti potum ſuum lacrymis non diluerunt. Tribulationes, perſecutiones, humiliationes hæc eſt Sanctorum hæreditas. Hi omnes atri colores ad eorum imaginem exhibendam concurrunt; iiſque adde quidquid Martyres paſſi ſunt, Patibula, eculei, fornaces ardentes, ferræ ungulæ, *non ſunt condigna*, nullam habent cum propoſita mercede rationem, Neque enim ſolum futura gloria, Sanctorum beatitudo, gaudium Domini, quo poſt hanc vitam abſorbentur, quæ cum pretio, menſura, finibuſque careant, cum præſentis hujus temporis tribulationibus comparari non poſſunt; interior unctio, ſecreta dulcedo, ſpiritualis lætitia, quæ tribulationibus ineſt, & jugum Domini ſuave, & onus ejuſdem efficiunt leve; infiniti ſunt pretii; & minoris æſtimantur quæcumque ad ea promerenda poſſumus pati. *P. Croiſet in anno Chriſtiano.*

Tribula tio juſtum Deo ſimilem facit.

Verum eſt, (Frater mi) ſortem noſtram inter homines triſtem eſſe, atque moleſtam, ſed per hanc, ſi ita loqui fas eſt, quanam nota ſignaris? nonne illa, quam geſtare debent electi, quæ diſtinguit illos tamquam electos, illa Unigeniti Dei, qui

Electo-

Electorum omnium caput eſt, & exemplar? Hoc eſt fidei noſtræ principium, quod cum JESUS CHRISTUS ſit prototypus Prædeſtinatorum, ut cum illo glorificemur, cum eodem ſanctam habere debemus ſimilitudinem. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui.* At certum eſt JESUM CHRISTUM fuiſſe contemptum, & vexatum in terra. O altitudo divitiarum ſapientiæ Dei! Tiberius regnabat in ſolio, & Dei Filius ejuſdem parebat imperiis. Pilatus ſuprema erat præditus auctoritate; & Dei Filius tamquam nocens ad illius Tribunal rapiebatur. Ita Deus per JESUM CHRISTUM ſalutem hominum operabatur, & ita, mi auditor, operatur per te ipſum, ac perficit ſalutem tuam. Imprimit in te characteres filii ſui, in te illius lineamenta, & imaginem exprimit. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui. P. Bourdalove in Dominicali.*

Tribulatio experimentum eſt,

S. Cyprianus conſolaturus fideles in teterrima lue, quæ ipſius ævo omnem ferme vaſtavit Aſiam: ecquid, dixit illis, de Providentiæ auſteritate conquerimini? Miramini, quod vos Deus cum Ethnicis confundit, quod filios, & inimicos iiſdem afficit plagis? Hoc ille agit, ut veros ſuos filios dignoſcat. Publica deſolatio iſta, publica eſt conquiſitio; & neceſſarium examen ad veram virtutem ſecernendam, & ſcrutandum ſingulorum fidelium animum: *Explorat juſtitiam ſingulorum, mentes humani generis examinat.* Non quod egeat Deus hoc examine; videt enim cordis latebras, & cognoſcit, qui ſui ſunt. Sed ut ſinguli fideles ſemet cognoſcere diſcant; nec quiſpiam decipiatur in ſtatu ſuo, neque in virtute ſua magis, quam opus eſt, confidat, ut ſuas intelligat infirmitates, iiſque curandis det operam: nam heu! quam facile eſt, Auditores mei, ſe ipſum virtute præditum credere in pace, & affluentia! homo nullis impeditus negotiis, ſine dignitatibus, ſine impedimentis, cum uni ſibi vacare debeat, procul ab occaſionibus & cupiditatum ætate, anima tranquilla, bona ſatis opulenta, domus commoda, & præſertim oris habitus ad pietatem compoſitus, atque ipſo naturæ ſubſidio ſuffultus facile aliquem optimum eſſe perſuadent. Cum his naturæ adjumentis, atque fortunæ commodis nihil adeo commune eſt, quam in ſtatu ſuo ſibi complacere, virtuti ſuæ plaudere, & in cubili delicato, ut S. Auguſtinus ait, requieſcere. Sed adverſitatem expectemus; hæc periculum faciet. Improviſa amaritudo omnibus veſtris deliciis permixta, eventus infelix, morbus evertit hunc lectulum, in quo requieſcitis; & hoc eſt opus manus Dei, inquit Doctor idem in ea Prophetæ verba: *Univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.* Pſal. 40. Tunc quid videtur in animabus adeo tranquillis? ſumma ſenſibilitas in dolore, inaudita in honore, & contemptu ſenſus acrimonia, improviſa in difficultatibus animi dejectio. Hæc vitia omnia, aliaque multo majora latebant in corde, quod ſe fidele arbitrabatur: proſperitas hæc tegebat, quæ nunc aperit tribulatio. Hæc ſinus explicat, hæc oſtendit, quid revera ſimus, hæc tamquam ignis metallorum mixturam reſolvit: aurum niteſcere facit, paleam abſumit, ceram liquefacit, indurat limum, fidelem publicæ exponit admirationi, & objicit hypocritam contemptui, & irriſioni. *P. de la Rue in Adventu.*

Exemplaria ſenſuum in adverſis habendorum.

Quam ſapientes, atque beati ſunt illi, qui ſcientes Dei voluntatem numquam melius adimpleri, quam cum de manu illius ſumitur calix amaritudinis, quem præparat ſuis, dicunt illi, cum humili, pioque David, ipſum Deum eſſe, ac Dominum! *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Pſal. 56. Tales quovis tempore ſenſus fuerunt inſignium illorum virorum, quorum tribulationes nobis egregia reliquerunt exempla rectitudinis, & magnitudinis cordis ipſorum. Amittebant bona ſua? Dominus dedit, Dominus abſtulit: ita Sanctus Vir Job loquebatur. Conviciis, & maledictis petebantur? Semei contumelioſa verba non moror; Dei voluntatem ſpecto, qui hoc illi permiſit; ita David ajebat. Arma eorum non ſatis felices exitus obtinebant? Non hoſtes copias has occidione deleverunt, ſed Deus me voluit humiliare; ita cogitabat Joſue. Calumniis licet inſontes afficiebantur? Deus permiſit, ut ſenes iſti contra me falſa dicerent teſtimonia. Ita ſe ipſam conſolabatur Suſanna. *Abbas Boileau in Quadrageſima.*

Hoc non intelligebas, peccator, neque hoc tibi dici patiebaris, cum florentibus bonis fruebare. Procul erat a cogitatione tua Deus hic, qui te bonis cumulabat. Nunc, cum ea tibi ademit, incipis agnoſcere, illum unicum fuiſſe illorum auctorem; præteritam felicitatem tuam inde obortam eſſe, quia illi adhærebas, præſens vero infortunium inde profectum, quia ab eo receſſiſti: *Scito, & vide.* Tamen licet tu illius fueris oblitus, ille tui oblitus non eſt; hi idem ictus, quibus te percutit, argumenta ſunt memoriæ illius, & bonitatis ejuſdem effectus: *Recordatus ſum tui miſerans.* Jerem. 30. Ita recordabatur populi ſui tempore crudelis Antiochi, cum permiſit, ut impius ille tyrannus Judæam univerſam terrore, cædibuſque repleret. O Fratres mei, dicebat Auctor libri ſecundi Machabæorum, ne vos deterreat lectio tot malorum, quibus placuit Deo nos obruere: hic peculiaris eſt ſuæ erga nos clementiæ effectus. Hanc ipſam gratiam infidelibus populis non concedit. Illos impunes, atque tranquillos in ſuis flagitiis relinquit: non habet virgam, qua in illos animadvertat, eos enim æternis ſuppliciis reſervat. Nobis vero miſericordia ipſius, noſtræ attenta ſaluti in vita non parcit, ut requie dignos efficiat in æternitate. *P. de la Rue in Quadrageſima.*

Vitæ hujus mala longe alium habent uſum in lege veteri, ac nova. Deus in veteri illa minitabatur, ut peccatores deterreret: JESUS CHRISTUS in nova illa promittit, ut famulis ſuis gratificetur. Beati eritis, inquit, cum perſecuti vos fuerint homines, voſque calumniis proſciderint. Ad hanc beatitudinis ſpeciem conabantur Apoſtoli mentes fidelium erigere. S. Petrus in ep. ſecunda c. 2. dicebat illis; *Hæc eſt gratia Dei, ſi propter conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias.* S. Paulus ad Philip. 1. docebat: *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum, ut in illum credatis; ſed etiam ut pro illo patiamini.* Primævi fideles horum verborum vi excitati citra ſtuporem intuebantur ſuarum fortunarum excidium, ſuorumque bonorum jacturam, *expectantes beatam ſpem, & adventum magni Dei.* Tit. 2. Alios habebant oculos, quam nos, oculos videlicet Chriſtianos, non prophanos. Cum hiſce chriſtianis oculis inſpicientes tribulationes, in his videbant, primo antidotum certiſſimum contra vitæ mala, ſecundo non ambiguum veræ virtutis experimentum, tertio indubium pignus remunerationis æternæ. Malum, quod tot bona producet, nonne bonum exiſtimandum eſt? *P. de la Rue in adventu.*

Tribulatio eſt materia gloriæ noſtræ ac meritorum.

Certiſſimum æternæ felicitatis pignus eſt ſemet in terra hac innocuum ſimul, ac tribulationibus affectum intueri. Principium a S. Chryſoſtomo peculiari cura inſtitutum cum Antiocheni publicis malis opprimerentur. Juſti eſtis, dicebat ille, & vexati eſtis, & ploratis: lætamini potius, & gaudete Fratres: innocentia veſtra mercede vacua, vobis eſt ſublimioris mercedis argumentum. Principium, quod innititur immutabili juſtitiæ Dei, quæ nullum bonum ſine mercede relinquit; & quæ ideo in altera vita remunerabit, quod præmiis non afficit in præſenti, unde ſequitur, juſto conſtanti proſperitate gaudenti timendum eſſe ſaluti ſuæ; juſto autem adverſa fortuna exagitato nihil eſſe trepidandum. Quid enim non timeant juſti ſemper felices? Norunt nonniſi per ſanguinem ſe a JESU CHRISTO ſalvatos eſſe, ab illo diſcipulis ſuis nullam in terris requiem fuiſſe promiſſam; illum numquam niſi de cruce, ac tribulationibus fuiſſe locu-

rum. Nullam in vitæ ſuæ curriculo crucem videns, nihil, quod ſuis votis adverſetur, prolixam ſeriem eventuum, qui ſua vota exuperant. Ubinam ergo eſt hæc tribulatio, & crux hæc neceſſaria? ubi eſt? Quando erumpet? Si in hac vita minime prodit, ergo prodibit in altera. *Idem.*

Impiorum infernus in hac vita videtur incipere propter ærumnas, quibus in ſuis flagitiis premuntur.

Impiorum crux æterna eſt; ſed jam nunc graviſſima illis videtur, quamobrem Sapiens damnatos triſtitia hæc verba proferentes inducit: *Laſſati ſumus in via iniquitatis; & per vias duras ambulavimus*. Et ſane ambitionis, impudicitiæ, & avaritiæ viæ nonne duræ ſunt, ac difficiles? Quid unquam durius eſt invidia, odio, diſſenſionibus, quæ neceſſario vitia illa concomitatur? Quid funeſtius fingi poteſt proditionibus, calumniis, rixis, & cœdibus, quæ illa vulgo conſequuntur? Profecto ubi hæc cupiditates rationi dominari cœperunt, eo uſque proceditur, ut qui iiſdem obſequuntur, intuiti omnia conſilia ſua ruere, ac ſuam ſpem in irritum labi, ſe ſe tradant deſperationi, ſibi necem conſiſcant, & cupientes leve malum evitare, in æternam incidant calamitatem. Sed quam utilitatem nefariis hominibus cruces afferre poſſunt. Hæ illis omnino inutiles ſunt; & licet eorum amaritudinem ſentiant, nullum tamen inde fructum percipiunt. Salvatoris jugum omnem ſecum adfert pacem, & tranquillitatem; quid ergo Sathanæ jugum afferre poteſt præter turbam, atque tumultum? Crux Salvatoris ad ſalutem adducit; crux Dæmonis quo, niſi ad damnationem adducet? *Cardin. Bellarminus de ſeptem verbis Jeſu in Cruce.*

Docet fides nos numquam magis eſſe Dei, neque Deum noſtri, quam cum omni humana conſolatione deſtituimur. Deus nobis manum tendit, prout mundus nobis terga vertit; & cum mundus ſua mobilitate, atque injuſtitia evicit, ut nobiſmet perſuaderemus, nihil nobis ultra in eo eſſe confidendum; jam nihil eſt, quod prohibere poſſit, quominus integre, videlicet, ſine ulla diviſione, & exceptione Deo famulemur. *Abbas Trappenſis in Effatis Chriſtianis.*

Cum anima deſolata eſt, præſtantiſſimum mali huic remedium eſt oratio.

Quid agit fidelis anima, cum tribulationibus, & deſolatione obruta, videtur a Deo, & ab hominibus derelicta? Mundi Salvatorem imitatur, cum corde ipſius amaritudine ſubmerſo confugit ad Patrem: ad orationem ſe ſe convertit; terrena non quærit ſolatia; confugit ad Deum, illi ſua nuncupat vota, ac ſemet illius ſubjicit voluntati. Oratio hujuſmodi numquam non exauditur. Si Deus petitam negat opem, ſaltem vim tribuit ferendi negationem. Si non vult calicem tranſire, dat ſaltem robur ad illum hauriendum. Nos quidem latet, quid in horto olivarum Dei Filio Angelus dixerit, ſcimus tamen quid Angeli terreni, hoc eſt Miniſtri Domini dicere debeant tribulatis animabus, eas conſolaturi, & confirmaturi. Illis ob oculos debent ſtatuere perferendi neceſſitatem, tentationis utilitatem, mercedem, quæ prælium eſt ſubſecutura, quod fidei conſonum eſt Salvatori Angelum repræſentaſſe; nec non gloriam acquirendam, & hominum ſalutem ab illo per mortem ſuam comparandam. *Recens Auctor.*

Guſtate primum fructus Crucis, & mox judicium feretis, utrum cortici ſit inhærendum; videbitis, utrum verum ſit adverſis ineſſe tantum amaritudinem, utrum qui tribulatur, doloribus, mæroribuſque mancipetur. Qui eos guſtaverunt, felici experimento edocti ſciunt, quam ſuavibus conſolationibus aſperæ hujuſmodi amaritudines condiantur. Verum quidem eſt ſenſus tædio affici, naturæ vim inferri, amorem proprium graviſſimo torqueri ſupplicio; & nullo ne habetur in pretio virtus omnipotens, & unctio gratiæ, quæ efficit, ut exquiſita percipiatur voluptas in iis, quæ amorem proprium, & ſenſus averunt? Nihili ſit ſuavis conſolatio deferendi JESU CHRISTI inſignia, & quod tamquam filius, non autem ſervus haberis? Flocci ducitur certitudo moriendi cum gaudio, & hilaritate, ſi vixeris in tribulatione, atque ærumnas, cruceſque tuas ſanctificare ſtuduetis? *P. Croiſet in Exercitat. Aſceticis.*

Deus mulcet pœnas illorum qui propter illius amorem patiuntur.

Dicere poſſumus in tribulationibus aliquid accidere ſimile illi, quod eveniebat in martyrio Chriſtianorum Heroum, quorum memoriam pia veneratione recolimus. Creditis ne illos expertos fuiſſe omnem doloris acerbitatem, omnem cruciatuum rigorem, omnem judicum crudelitatem? Quiſnam ferre potuiſſet multiplicitatem tormentorum, quæ infernus ad Chriſtianos torquendos excogitavit? Deus, qui permittebat, ut fideles, & ſervi ſui adeo crudeliter plagis afficerentur, noverat illorum ſarcire damna, cruciatuſque mulcere. Videbantur virgines teneræ, delicatæ, provocare tormenta, & inter ſupplicia exultare gaudio. Videbantur mulieres, & ſenes efferri lætitia, & intrinſecus ea affici conſolatione, quæ leniebat ſuppliciorum, quibus corpora eorum torquebantur, acrimonia. Ethnici quoque hoc ignorantes myſterium obſtupeſcebant, & arti magicæ referebant acceptum id, quod effectus erat gloriæ Redemptoris, & divinæ omnipotentiæ. Verum eſt; habet gratia illecebras ſuas longe alias ab iis, quibus utitur Sathanas. Hoc præter propter iis accidit, qui inter cruces vivunt. Novit Deus earum pondus, & dolores minuere. Dicere poſſumus tribulationes in Chriſtianiſmo in locum perſecutionum, quæ a tyrannis exercebantur, ſucceſſiſſe. Vita crucem geſtantium martyrii ſpecies eſt; ſed non minora in his miracula Deus operatur. Adverſitates non minorem naturæ ſenſibus horrorem cient, quam ignes, & equulei. Sed Deus modo non minorem gerit curam mærentium, & afflictorum, quam olim Martyrum. Amemus cruces, & cruces nobis fient ſuaviſſimæ. *Idem.*

Fides ſuſtinet juſtum inter adverſa.

Vir bonus in tribulationibus voti compos eſt, quia illum ſuſtinet fides. Hæc autem illum ſuſtinet aſpectu Dei morientis in cruce. Docet fides illum prædeſtinatum eſſe non poſſe, niſi JESU CRISTO crucifixo ſimilis fuerit. Homini deerat animus adnitendi, ut hanc ſibi ſimilitudinem compararet. In tribulatione, & per tribulationem videt, Deum ipſum operari, ut per tribulationes in ipſo filii ſui crucifixi imaginem formet. Quid hoc majori eſſe poteſt ſolatio? Illum ſuſtinet fides intuitu Dei juſti; ſcit illius juſtitiæ ſatisfaciendum eſſe: beatum ſe putat in occaſione, quam illi præbet Deus brevibus, levibuſque pœnis redimendi pœnas ſeveritate, ac diuturnitate infinitas, quæ illis fuiſſent alioquin ſubeundæ. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Utilitas, quam nobis tribulationes procurant.

Quidquid agas; proſpera in terris cœli adſpectum eripiunt: quod ſi quando illius reminiſcimur, hoc nonniſi aliquo cum tumultu contingit. Ubi vero adverſa has omnes illecebras, quibus mundo huic inhæremus, expulerunt, cum noſmet in Mundo miſeros intuemur, cum in caliginis ſqualore verſamur, cum creata nos oblivioni dederunt, nos quoque facile creatorum obliviſcimur, ut creatoris tantummodo reminiſcamur, & in eo ſpem omnem, & confidentiam conſtituamus, & ecce in quo ſita ſit noſtra requies, atque felicitas. Cruces quidem oneroſæ ſunt, atque terribiles etiam mundi aſſeclæ, viro autem bono ſunt fons ſuaviſſimarum conſolationum; ejuſque fructus ſunt exquiſitæ ſuavitatis. Hinc illa proficiſcitur immutabilis tranquillitas, illa etiam lætitia, quam in Sanctis omnibus admiramur. Nemo eſt, qui in cruce non fuerit; nemo, qui in tribulatione non vixerat, pauci, qui toto ferme vitæ ſuæ curriculo in graviſſimis infirmitatibus non elanguerint. Quot viſi ſunt dies ſuos acutis doloribus confoſſi traducere, quot contempti, contumeliis vexati, humiliati, opprobriis ſaturati. In hoc ſtatu doloribus refertiſſimo vel unus repertus eſt, qui ſe miſerum exiſtimaverit? immo nullus, qui graviora perpeti non concupierit. O quam verum eſt, non deeſſe Deo artem dulcedine quadam adſpergendi omnes adverſitates, & in amariſſimis tribulationibus nobis infinitam voluptatem præbendi! *Guſtate, & videte*, inquit Propheta Pſ. 33.

Non

Non ait, videte, & guſtate. Si enim cruces videre inceperis, invenies objectum, quod te averteret; ſed primum guſta: experire felicitatem tribulationum, quæ propter Domini amorem ſuſtinentur, & mox, quamdiu tibi placuerit reſpice externam hanc ſpeciem, quæ terret. *Guſtate, & videte.* Guſtui potius, quam oculis fides habenda eſt. *Idem.*

Nihil prodeſt in otiore, & affluentia natum eſſe: nihil prodeſt eſſe nobilem, & beatum, & vulgi ſententia. Vita crucibus conſita eſt: nemo a tribulationibus immunis eſt: hominis via ſuper terram altioribus, admiſſioribuſque loci plena eſt. Proſperitas eclypſim plena etiam die patitur; nemo mortalis diu fuit beatus. Adverſitates, moroſitates, pœnæ quibuſcumque in ſtatibus, conditionibus, ætatibus ſuboriuntur. Velle illis immunem eſſe, hoc eſt phantaſma conſectari. Beatiſſimus in terra non eſt ille, qui tribulationibus caret; ſed qui ex illis majorem fructum novit percipere. Intereſt igitur hanc ſcientiam obtinere; artem hanc diſce. Quicumque es, ne putes tibi nihil eſſet perferendum: ſed in id incumbe, ut perferas ſicuti Chriſtianum decet virum, & ex omnibus tribulationibus aliquid proficias: illæ, quæ in ſtatu, quem ſumus amplexi, in conditione, in qua vivimus, oboriuntur, ſunt utilitate uberiores. Fortunæ jacula inſignem præſtant Chriſtianæ patientiæ materiam. In adverſis Deo benedic, ut olim Job. Negotium illud tibi non accidit e ſententia; judicio victus diſceſſiſti; mors tibi abſtulit filium, conſanguineum, amicum, dic cum Job: *Dominus dedit, Dominus abſtulit;* evenit mihi, quod illi placuit. *Sit nomen Domini benedictum. P. Croiſet ut ſupra.*

Nos JESUS CHRISTUS commonuit fore, ut in mundo mortales nos perſequantur; qui inſiſtens principio S. Paulus ait, omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto JESU, magnas paſſuros eſſe non ab hominibus tantum, verum etiam a dæmonibus perſecutiones. Per emphaſim dicebat Job, totam mundi hujus vitam jugem eſſe nexum perſecutionum: cum ergo doles, ſi tribulationibus urgeris eo tempore, quod totum tribulationibus deſtinatum eſt? Gemendum, lugendumque tibi eſſet, ſi tibi eveniſſet, ut in deliciis, & voluptatibus tranſigeres tempus, quod JESUS CHRISTUS dolori, mœrori, & mortificationibus deſtinavit. Si iners es, ſi ignavus, ſi languidus, cum arma ſunt ſtringenda, cum opus eſt fortitudine, cum ſtrenue dimicandum eſt; ſi in lata obambulas via, dum anguſtam ſequi juberis, quam flenda eſt ſors tua! quid tibi timendum eſt! Profer enim mihi quæſo unum eorum exemplum, qui poſt vitam inertem, mollem, otioſam participes fuerint præmiorum, quæ Deus ſuis electis reſervat. Standum eſt igitur verbis Filii Dei; arctam eſſe vitæ portam, anguſtam eſſe viam, quæ illuc adducit, & hanc a paucis inveniri. Liquido patet eum, qui in arcta ſemita eſt, eſſe non poſſe in latitudine. *Ex D. Chryſoſtomo.*

Tribulatio prædeſtinationis indicium.

Vitæ hujus tribulationes ſecum geſtant characterem prædeſtinationis; quam ob rem S. Gregorius Nazianzenus eas *regiam ad cœlum viam* vocat. Quid aptius tribulatione ad convertendum peccatorem, & juſtum in perfectionis viam promovendum? ad illum in officio continendum, prohibendumque, ne virtus langueat, & ad eum communiendum? Errorem abjiciamus. Proſperitas emollit animam, ſenſibuſque ſubjicit. Nihil tam fovet cupiditates, quam ſecundus rerum omnium curſus, & abundantia: hæ palpant quidem, ſed tandem enervant, & virtutem extinguunt. Num humilitas profundas egiſſet radices in corde tuo, niſi Deus tibi calamitatem hanc immiſiſſet? Cuinam debes hunc terrenorum bonorum contemptum, niſi Deo, qui permiſit, ut hanc, vel illam faceres jacturam? Cui inſuperabilem invictamque patientiam, niſi infirmitatibus, quæ tibi mundi faſtidium creant?

Si ſuperbia, ſi cupiditas, ſi amor proprius adhuc vigent inter graviſſimas tribulationes, quid tandem fieret, ſi tibi omnia arriderent? *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Patiendo certam facimus ſalutem noſtram.

Patiendo certam facimus ſalutem noſtram. Regnare cum JESU CHRISTO non poteſt, qui cum eodem non patitur. Per crucem, ac tribulationes pervenitur ad gloriam. Hæc placita rata ſunt, neque in dubium revocanda. Cum autem operoſum ſit illa in Chriſtiani corde inſculpere, Dei Filius illa ſæpe iteravit, & perſpicua, ſolidaque ratione docuit. Hæ veritates rite intellectæ in vobis ciere deberent ſenſus lætitiæ, cum vos urit tribulatio. Tunc lætamini, & replemini gaudio. Verum ſi vobis tantum animi deeſt, ut cum voluptate in via tribulationum incedere nequeatis, ſi vobis ſaltem tantum fidelitatis, atque conſtantiæ, ut Dei mandatis voſmet ſubjiciatis, nec muſſitetis, cum Pater veſter miſertus veſtri per tribulationes incipit jacere ſalutis æternæ veſtræ fundamenta. Quod minimum facere poteſtis eſt acceptare crucem, & omnem abrumpere querimoniam, ac murmur; voſmet exercete ferendo ſi minus alacriter, ſaltem patienter; teſtati vos non eſſe rebelles filios, ſed dicto parentes, paratoſque ad æqui bonique faciendæ quæcumque ſibi imperantur a Patre; alioquin dicere non poteſtis vos ſequi JESUM CHRISTUM, ideoque vos eſſe e numero diſcipulorum illius. *Lambert in Homiliis.*

Nihil prætermittit Deus, ut peccatorum revocet ad officium; invitationes, pollicitationes, probra, minitationes, & cum hæc gratiarum genera hominis duritiem non flectunt, alia validiora adhibet, quæ altiorem in illo impreſſionem efficiunt. Propheta Pſalm. 37. eas vocat ſagittas, quibus illum Deus confixerat: *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.* Sagittæ autem ſunt tribulationes, quas cœlitus immiſerat illi, ut eum in Regem pœnitentem mutaret, mors filii, qui ſui criminis fructus erat, ſtuprum filiæ illatum ab uno filiorum ſuorum, ſuæ etiam mulieres ab inceſto Abſalone dedecore affectæ, ſubditorum defectio, quos ſanguis ſuus contra ipſum ad rebellionem vocat, jugis malorum ſeries, inter quæ David adorat manum, quæ aggravata eſt ſuper ipſum. *Confirmaſti ſuper me manum tuam.* Ita Princeps hic cœlo adeo charus omnibus ex locis, ubi dolor acerbior eſt, percutitur. Dicendum eſt igitur peccatoris curationem rem eſſe difficillimam. Quanta eſt, Domine, mali ejus magnitudo, ad quod curandum adeo acerba adhibes pharmaca! Heu! tu id noſti. Nobis hoc noſtra cæcitas abſcondit: immo etiam nos proſpera frui credimus valetudine: & hac de cauſa ſumus infirmi, de quorum ſalute actum eſt, niſi vulneribus noſtris admoveatur ferrum, & ignis tribulationum, ut illa ſentiamus. *P. Segneri in Medit.*

Manus Domini nos debet perterrere. Illæſit, quæ tela nos ad ipſum reducere poſſunt

Cum Deus hominem in hac vita non ideo affligat, ut puniat, ſed ut convertat, plagas, quas infligit, metitur pro modulo ingenii noſtri, ac ſenſus, qui fortaſſe vagis, & generalibus ſuppliciis non afficeretur. Per infirmiorem animi noſtri partem nos aggreditur, quin ullam habeat rationem alterius cujuſcumque pœnæ, quam optaremus præ illa, quas in nos animadvertit. Hæc illius manus eſt, non autem noſtra; manus illius miſericordi ſapientia ducta ſe ſe extendit in nos, ut nos in erroribus noſtris cohibeat. *Confirmaſti ſuper me manum tuam.* Pſalm. 37. Adhibet autem illam juxta noſtram neceſſitatem. Ambitioni, ſuperbiæ, vanitati, confidentiæ in nobis metipſis præparat humiliationes; mollitiei, & carnis immortificationi deſtinat mala corporis, morbos, infirmitates, tædia vitæ, ac voluptatum. Cæci mortales, poſt hæc muſſitatis contra providentiam intentam, ut vos ſecundum malorum veſtrorum naturam excipiat; vos autem, tamquam mortale virus rejicitis calicem, qui ſalutem veſtram operaturus eſt. Heu! certus eſſet interitus veſter, niſi Dei bonitas ſpe-

ctaret

Digitized by Google

ſtaret tamquam inſipientes, qui neque de morbo, neque de ratione illum curandi conſulendi ſunt. *Idem ibidem.*

Quem effectum obtinuit tribulatio Nabuchodonoſor? Confer utrumque Regis hujus ſtatum in dignitate, & in dejectione. Primum quidem impius eſt, arrogans, crudelis; jubet ſimulacrum ſuum coli, & id facere detrectantes conjici in fornacem ignis ardentis. Ecce peccatorem fortunæ ſuæ fulgore excæcatum. Expectate paulisper ictum de cœlo advenientem. In terram ſternitur, obſtupeſcit, ad brutorum conditionem, pabulumque redigitur. Elapſis inauditi hujus furoris annis ſeptem, ſeſe colligit, ac ad ſenſum revertitur; quo quinam utitur? Statim ſeſe convertit ad Deum ſincera confeſſione ſupremi ejuſdem imperii. Utique, exclamat, Domine tu es *Poteſtas ſempiterna, omnes habitatores terræ in nihilum reputati ſunt* coram te, *nec eſt qui reſiſtat manui tuæ.* Dan. 4. Ecce peccatorem ſubmiſſum, & per humilem hanc ſubmiſſionem reverſum in ſe, & ad ſenſum optimum, rectum, & hominis proprium. *In ipſo tempore ſenſus meus reverſus eſt ad me. P. de la Rue in Quadrageſima.*

Deus quidem peccatori præcipit tribulationis remedium, quod mox a creaturis adhibetur. Non ſemper Medicus per ſe ægrotanti applicat remedia; immo vero hoc perquam raro accidit, cumque illi præcepiſſe ſufficiat, aliis manibus paſſim eum curandum relinquit. Hoc pacto Deus tecum operatur: judicat tribulationem eſſe neceſſariam, ut animæ tuæ malis medeatur; ſed vulgo non ipſe per ſe hanc applicat medicinam, & ut plurimum utitur creaturarum miniſterio. Ita igitur cum tibi aliqua ingruit calamitas, eam debes accipere tamquam a Deo profectam, qui præcepit illam, & per hanc procurare vult valetudinem tuam; neque tibi cogitandum eſt, qua manu ille uſus fuerit, ut hoc tibi pharmacum propinaret. Fieri quidem poteſt, ut medici juſſa nonnumquam perperam intelligantur, & perficiantur: ideoque non inutilis cura eſt videre, quibuſnam demandata ſit iſta provincia. Sed quod ad animæ noſtræ curationem præcipit Deus, ad litteram adimpletur, & noſtrarum tribulationum menſura illa ſemper eſt, quam Deus inſtituit, & ægritudinibus noſtris aptavit. *P. Segneri in Medit.*

Reſervat electis ſuis Deus tribulationes, ut eas in ſanctum uſum convertat, & ut inde illi divinam acquiſant ſimilitudinem, qua Sancti fiant. Tribulationes ergo, quas nobis immittit Deus, certiſſima ſunt prædeſtinationis noſtræ argumenta. Generatim docet Apoſtolus, debere nos conformes eſſe imagini JESU CHRISTI, ideoque tradit nobis ſine ulla exceptione omnes artes, ac nervos adhibendos, ut ad hanc perveniamus conformitatem; probationes ex parte Dei, contradictiones ab hominibus, & prælia, quæ nobis inferunt Angeli tenebrarum. Conſtanter has tribulationes ſuſtineamus: præbuit nobis J. C. exemplum, noſtrum eſt illud imitari. *Idem.*

Tribulationes ſunt conducta ad gloriam via. Non poterat Deus vulgatiorem nobis ad cœlum acquirendum viam proponere præ tribulationibus. In ſingula occurrunt momenta occaſiones perferendi in vita hac; cruces, ut ita dicam nobis ſunt obviæ, quin illas conquirere ſit opus. Magis poſitum eſt in poteſtate noſtra pauperes eſſe, quam locupletari, humiles eſſe, quam honoribus ornari, ſubeſſe, quam præeſſe, mala hujus vitæ perferre, quam illis carere. Conformitas ergo, quam cum patiente JESU a nobis requirit Deus, nobis alia quapiam aptior eſt via, ut cœli gloriam acquiramus. Cæterum ſi felices hujus ſæculi eſſent cum JESU CHRISTO regnaturi, hic non eſſet amplius *primogenitus in multis fratribus*, quam enim cum illo ſimilitudinem homines haberent? Ergo non ſimiles eritis illi gloria, niſi eidem ſimiles in humiliatione fueritis. *Si extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes.* Hebr. 12. non eritis hæreditatis primogeniti participes. *P. Segneri Medit.*

Vulgatiſſimum in Oratione noſtra exercitium eſſe deberet, manu JESU CHRISTI crucifixi imaginem capere. Hanc illa nobis reliquit, ut in ſingula momenta reminiſceremur, hoc eſſe exemplum nobis ad imitandum propoſitum. Eam igitur contemplemur, & videamus, utrum illi ſimus conformes. JESUS CHRISTUS nudus in cruce, nos vero ſuperbe, aut ſaltem commode induti. JESUS CHRISTUS in doloribus, nos vero in deliciis. JESUS CHRISTUS ab omnibus derelictus, nos vero ab omnibus conquiri, omnibuſque mundanis ſocietatibus intereſſe cupientes. JESUS CHRISTUS in opprobriis, nos autem in honoribus. Quodnam diſcrimen! ubi eſt noſtra cum exemplari conformitas. Si minus audeamus nobis metipſis procurare tribulationes, ut illum imitemur; oremus ſaltem, & obteſtemur illum, ut eas nobis immittat. Quid enim eſt petere, ut cum illo regnemus in cœlo? petere eſt, ut ſicut ille, & nos patiamur in terra. *Idem.*

Tribulationes ſunt pignus noſtræ prædeſtinationis. Quinam fons conſolationis & pacis tribulatio eſt, inter anguſtias pignus habere quodammodo certum ſuæ prædeſtinationis! Sed quænam formidandi cauſa Chriſtianis, qui rerum omnium opulentia gaudent, & vitæ hujus pœnas ignorare videntur? Adoptabit ne Deus ſibi in filios effeminatum hoc hominum genus, qui ſua ſiui ſtudent affluentia, ac in deliciis verſari, nullum cum proprio ejus filio ſimilitudinis lineamentum habentes. *Idem.*

Hic autem immorabimur conſiderantes cum S. Petro Apoſtolo exemplum, quod nobis reliquit Salvator in paſſionibus ſuis: nam licet illuminati, ac redempti, numquam ſalvabimur extra viam, quam JESUS CHRISTUS nobis oſtendit: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Petri 2. In hac via ambulandum eſt, ut ille ambulavit. Cur quatuor Evangeliſtæ tanta cura collegerunt omnia lineamenta vitæ patientis CHRISTI JESU? hac proculdubio de cauſa, ut meditatio exemplorum illius eoſdem in nobis gigneret effectus, quos in Apoſtolis, qui eorum teſtes fuerunt. Sed quid prodeſt divini hujus prototypi lineamenta nobis ad unguem proponi, ſi in ea aciem dedignamur intendere? Quin in ſacris libris erudiamur de omnibus circumſtantiis vitæ Salvatoris, ut eam noſtræ regulam conſtituamus, terimus tempus in prophanis lectionibus, quæ nobis vel placita, ſenſuſque contrarios inſpirant, vel ad ſummum inanes, inutileſque nobis tribuunt cognitiones. Si igitur JESU CHRISTI exemplum non ſequimur, ignaviæ tantum noſtræ ſuccenſere debemus. Exemplum illius nobis eſt via ſalutis; ipſe illud nobis reliquit; illud ob oculos noſtros verſatur: noſtrum ſcelus eſt, ſi ab illo diſcedimus. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum. Idem.*

Nobis ſequendum eſt exemplo J. C. Quamvis longe plura paſſus fuerit Salvator, tamen deterrere non debet nos exempli ejuſdem ſequendi neceſſitas. Tertullianus nimia ſeveritate, quæ illum ad ſchiſma, hæreſimque rapiebat, aſſerebat Fidelium tribulationes exæquare debere illas CHRISTI JESU, ſed ne recedamus ab hac re a verbis Apoſtoli: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Non ait, *ut aſſequamini*, ut æqueris gradus illius, quod contendebat Tertullianus; nemo id exequi poſſet; ſed nemo diſpenſatur, quominus Salvatorem ſequatur, *ut ſequamini veſtigia ejus.* Id ne facis Chriſtiane, an non potius viam ſequeris prorſus oppoſitam illi, quam tibi ſtravit JESUS CHRISTUS? Sequeris ne ejus veſtigia? Doles fortaſſe, quod tibi vires deſint JESUM CHRISTUM ſecuturo? Quam injuſta hæc querela eſt! infirmitas tua probat, te aſſequi non poſſe JESUM CHRISTUM, qui tamquam Gigas in via tribulationum cucurrit; non probat autem, tibi deeſſe vires, ut illum ſequaris. Hoc unum agitur, ut quantum in te eſt, obſecundes auxiliis, quæ JESU CHRISTI gratia tibi

ſibi promeruit, & quæ tibi in ſingulos greſſus offert. Non igitur infirmitas, ſed ignavia tua prohibet, ne ſequaris illum. Saltem eminus eum ſequere, ut olim Petrus imbecillus ille, timiduſque diſcipulus, qui pridie Paſſionis ejus ipſum *ſequebatur a longe. P. Segneri Tomo 5. Meditat.*

In Orationis fervore facile eſt conſilium capere ſacrificandi vitam ſuam pro JESU CHRISTO. Tunc neque feræ, neque ferrum, neque ignis videntur ſatis habere virium ad nos deterrendos, & nihilominus levis injuria, quæ infertur, non ferenda videtur nobis. Non eſt, cur velimus mori cum JESU CHRISTO in cruce, quin velimus antea crucem noſtram bajulare, ut ille ſuam uſque ad ſupplicii locum geſtavit! Ponderemus hæc verba: *Tollat crucem ſuam quotidie.* Luc. 23. Indignum eſt diſcipulo Salvatoris trahere, ut ita dicam crucem ſuam. Tollere debet illam, amplecti, alacriter deferre, neque præſtolari donec per vim eadem oneretur, quemadmodum Simon Cyreneus coactus fuit JESU CHRISTI crucem bajulare. Crucis nomine hic quodvis tribulationis genus continetur; ſed utitur hoc nomine Salvator, non autem laborum, tribulationum, adverſitatum, ut omnes haſce pœnas dulcedine quadam perfundat, eas memorans, quas JESUS CHRISTUS in cruce propter amorem noſtrum ſuſtinuit. *Idem.*

Patientes ferendæ ſunt pœnæ ſtatui noſtro inhærentes. Crux a Salvatoris diſcipulo ferenda, ſua eſt: *Crucem ſuam.* Videmur tamen parati ad quaſcumque pœnas perferendas, præter eas, quas actu patimur, & quæ noſtro inhærent ſtatui. Meritum nequaquam in eo ſitum eſt, ut ferre cupiamus tribulationes a noſtra profeſſione alienas, ſed eas, quæ ab illa ſeparari non poſſunt; videlicet quidquid in officiis noſtris obeundis difficile, & moleſtum occurrit. Religioſi ſtatus crux eſt ſolitudo, ſilentium, paupertas, obedientia. Crux ſtatus eccleſiaſtici eſt cum aſſiduitate, & zelo miniſterii ſui curis perfungi. Crux ſtatus ſecularis eſt ſexcentis ſæcularibus vacare negotiis, liberorum inſtitutioni, domeſticæ curæ. Debet quivis crucem geſtare ſuam in hac conditionum varietate, quin alienam quærat, vel invideat alienæ: *Tollat crucem ſuam. Idem.*

Sed quandonam crux iſta ferenda eſt? Quotidie. Neque enim eſt ex illis pietatis operibus, quæ ad certum numerum vicium in ſingulos annos, vel menſes, vel hebdomadas coarctata ſunt. Hoc opus eſt pro ſingulis diebus neceſſarium, quoniam quotidie in obeundis noſtri ſtatus officiis nobis occurrunt difficultates. Quomodo vero quotidie crucem ſuam geris? ſi ferventer, & alacriter hinc infera, te non ſolum præſto eſſe, ut JESUM CHRISTUM in ſemitis minus arduis ſequaris, ſed etiam ut tamquam perfectus diſcipulus illum comitere ad Calvarium uſque, & ad mortem. *P. Segneri Meditat.*

Quænam ſint variæ tribulationum utilitates. Lætitiam non niſi bonum præſens gignere poteſt. Ecce autem bona, quæ nobis afferunt tribulationes, & quæ nobis cauſa eſſe debent, ut has tamquam perfecti gaudii argumenta ſpectare debeamus. Tribulationes nos ſimiles faciunt Salvatori. Nonne Chriſtiano viro glorioſum eſt, ſimilem eſſe Domino ſuo, & poſſe dicere cum Apoſtolo ſe indutum eſſe inſignibus JESU CHRISTI, & portare in corpore ſuo ſtigmata, quibus ſervi illius ſecernuntur? Patientes in hac vita ſatisfacimus debitæ peccatis noſtri pœnæ, quæ alioquin nobis eſſet piacularibus flammis expianda. O quam utilis nobis eſt hæc permutatio, & quantum intercedit diſcrimen inter pretium earum, quas hic ſuſtinemus, & earum, quas poſt mortem paſſuri ſumus! Tribulationes efficiunt, ut nobiſmet ipſis, omnibuſque creatis objectis moriamur. Creaturæ tunc nos contemnentes, & non ſinentes, ut in ſe nihil niſi amaritudinem inveniamus, nos ab ipſarum amore deterrent, noſque, ut ita dicam, propellunt ad Deum. Tribulationes mentem noſtram illuſtrant, & faciunt, ut aſſequamur dura illa Evangelii placita, quæ beati hujus ſæculi nunquam aſſequuntur. Ita legis antiquæ Tabernaculum interdiu nube denſa tegebatur, quo tempore proſperitas ſignificatur; noctu vero, quod tempus tribulationem ſignificat, ſeptum erat quadam ignis ſpecies, quo refulgebat. Tribulationes efficiunt, ut auſteriſſimas etiam virtutes exerceamus. Ita vitis non uberes fert fructus, niſi putata fuerit; tribulationes excipiant animam, eamque diſponunt ad perfectam cum Deo conjunctionem. Ita Jacob poſtquam cum Angelo colluctatus fuit, Jacob vocatus fuit, cum antea vocaretur Iſrael, hoc eſt, videns Deum. Tribulationes ſunt characteres prædeſtinatorum, quæ apertiſſimum ſunt amoris argumentum, quo nos proſequitur Deus, & quia non poſſemus apertius illi amorem noſtrum teſtari, niſi propter illum patientes. Denique tribulationes ſunt quidem arrhæ, & menſura cœleſtium gaudiorum; verum in hac quoque vita quo majores ſunt tribulationes noſtræ, eo accuratius CHRISTUS JESUS eas mulcet affluentia conſolationum: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*, quemadmodum Apoſtolus 2. Cor. 1. loquitur. *Idem.*

Vult S. Petrus, illum, qui quatenus Chriſtianus patitur, non ſolum non erubeſcat, verum etiam *glorificet Deum in die viſitationis.* 1. Petri 2. 12. Evangelica leges jubemur pro illis orare, qui nos perſequuntur, illis benedicere, illos amare, eis benefacere. Hoc agere eſt glorificare Deum. Cum propter juſtitiam ſuſtinemus, ſi iraſcimur in eos, qui nos perſequuntur, ſi illos odimus, ſi illis mala imprecamur, ſi Deum obſecramus, ut in illos animadvertat, numquid tamquam Chriſtiani ſuſtinemus? Numquid in viſitatione noſtra Deum glorificamus? Non ita perfecte; numquam enim majorem a ſervis ſuis gloriam poteſt recipere, quam cum illos videt amare humiliantes, lædentes, opprimentes ſe propter ipſum. Sancti Martyres omnes Dominum glorificaverunt; tamen aliqui eorum magis, quam cæteri hoc præſtiterunt; hi autem ſunt, qui inter ipſa tormenta pro tortoribus ſuis deprecati ſunt, qui pro illis miracula impetraverunt, qui illos bonorum ſuorum hæredes reliquerunt, uti S. Cyprianus barbarum illum, qui diſtricto gladio ad caput ipſius amputandum properabat. *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.* Rom. 12. Tunc non ſolum glorificabitis Deum, quod quilibet Chriſtianus facere tenetur, non erubeſcentes, quatenus tales patiti; ſed illum longe præſtantiori modo glorificabitis, de iis etiam benemerentes, a quibus vobis infertur dolor, & contumelia. *P. Segneri.*

Bene patiendi ratio eſt orare Deum ut tribulationes noſtras ſanctificet. Verus Chriſtianus gloriatur, Domine, neque erubeſcit videri diſcipulus tuus, neque pudet illum ignominiam pati; ac timet, ne illam pati mereatur. Cur non contingit mihi memet ex his lineamentis cognoſcere? Numquid Chriſtianus iſte ſenſu caret injuriarum? non ita: noſti Domine, imbecillitatem noſtram, neque a nobis exigit, ut opprobria minime ſentiamus. Hoc unum a me petis, ut ſentiam opprobria, quin tamen ſuccenſeam, quin erubeſcam, quin conquerar. Cur autem erubeſcam ob mundi cæci, & injuſti contemptum? Quid magis inane, quam mundi gloria? Alioquin vero contemptus iſti, quos quatenus Chriſtianus patior, nonne mihi ſunt fons gloriæ immenſæ, ac duraturæ? Præterea? Domine, docuiſti nos, gloriam illam tibi eſſe jucundiorem, quæ tibi cedit ex tribulationibus, atque humiliationibus ſervorum ſuorum. Quæ mihi lætitia, quæ conſolatio in hoc ſtatu in hoc meam nanciſcor gloriam, ſimulque te perfectiori ratione glorifico. Multo quidem labore mihi ſtat, te hoc pacto glorificare, & ferre contemptum ſine acrimonia, ſine ſenſu, bona illis procurandi, a quibus afficior contumelia. Per gratiam tuam, Domine, nullo habeam in diſcrimine omnes tribulationes, cum hoc agitur, ut amorem meum tibi teſtatum faciam. *P. Segneri Medit.*

Tribulatio inſtrumentum eſt, quo utitur Deus, ut reformet in nobis imaginem ſuam ſceleribus noſtris deformatam. Tunc nos Deus erudit in manu potenti, quemadmodum loquitur per Iſaiam. Profecto calamitas, morbus, humiliatio aptiſſima ſunt

ad

ad nos premovendos, ad Deum revocandos, ab noſtrummet amore, qui eſt omnium malorum, quæ facimus, radix, divellendos ſubſidia. *Caſtigaſti me, & eruditus ſum*, inquit Ieremias c. 31. Sinamus ergo Dominum operari in his ſalutis momentis, quin de illius plagis conqueramur, quin per ſuperbiam, vel impatientiam ex illius manibus elabi conemur. Illas de benemerenti manu illius excipiamus. Hæc illius amore ducitur; alioquin periculum ſubimus, ne miſericors Deus ſubducat ſuam manum a nobis, & ſinat cor noſtrum obdureſcere, Eheu! Si intelligeremus, quanta nobis ſit gratia inſigni modo humiliari! Hoc fortaſſe intelligemus aliquando, nos ſine hac adverſitate, ſine hac bonorum jactura, ſine hac tribulatione, quæ modo non ferendæ nobis videntur, numquam futurum fuiſſe, ut converteremur. Nonne probaremus Paſtorem, qui videns ovem jam jum in præcipiti ſtantem illam percuteret tuto a periculo illam ſervaturus? Nos percutit Deus ob finem eumdem; propter ſalutem noſtram nos angit, & per miſericordiam ſuam nos erudit percutiens, velut Paſtor oves ſuas: *Qui miſericordiam habet, erudit quaſi Paſtor gregem ſuum*. Eccl. 18. Loqueris Domine peccatori per tribulationem, morbum, adverſam fortunam; & ille, quia bene amoris tui linguam intelligat, putat hunc odii, & iracundiæ ſermonem eſſe. Queritur, muſſitat, manum ſalutarem repellit, quæ non pulſat, niſi ut corrigat. Quænam ſtultitia eſt ultro lectionibus tuis aures obſtruere, tuiſque conatibus reſiſtere. *P. Segneri in Meditationibus.*

Inter vitæ hujus tribulationes, & vitæ futuræ gloriam nulla eſt comparatio.

Comparo ea, quæ patior, cum iis, quæ ſpero, ac invenio mearum tribulationum pondus longe levius pondere illius gloriæ, quam vel unicum tribulationis mihi affert momentum. Requies, quæ labores meos eſt ſubſecutura, æterna erit, quale ſupplicium eſſet, id quod deſinerent omnes voluptates, quas in hac vita guſtaſſem. Ita loquebatur S. Auguſtinus, S. vero Paulus nonne ait: *Exiſtimo, quod non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Hæc eſt felix illecebra, quæ in lætitiæ lacrymas mutat eas, quas dolor elicuit. Apoſtolus, qui tot paſſus fuerat labores, qui ad tertium uſque cœlum raptus beatitudinem prælibaverat, melius, quam alius quilibet nobis perſuadere poſſet nullam dari comparationem inter vitæ hujus paſſiones, & futuri temporis gloriam. Hic in terris nonniſi guttatim amara tribulationis aqua potatur, in cœlo ex torrente voluptatis numquam exhauriendo potabimus. *Morales animadverſiones cum notis in Epiſtola S. Pauli ad Romanos.*

Quos prævidit Deus per optimum gratiæ ſuæ uſum ſanctitatem eſſe adepturos, ad quam illos evocavit, prædeſtinavit etiam, ut eſſent ſimiles filio ſuo per participationem paſſionum ejus in terra, ejuſque gloriæ in cœlo. Conqueri ne poſſunt, ſi eodem loco habeat filios adoptionis, in quo habuit Unigenitum ſuum? Si poſſidendæ fuiſſent opes, atque honores ad hanc cum JESU CHRISTO acquirendam conformitatem, & ad Electorum characterem excipiendum, tunc querelæ noſtræ videri potuiſſent æquiſſimæ. At ferendum eſt dumtaxat: quia umquam mortalium a Principe ad bubulcum hoc facere non poteſt. *Ibidem.*

Cruces, ac tribulationes amandæ ſunt.

Mirum eſt non amari cruces, poſtquam nos docuit JESUS CHRISTUS, quantæ ſint in tribulationibus utilitates. Dici poteſt, hanc eſſe pretioſam margaritam, ad quam ſibi comparandam, qui illius norunt pretium, vendunt omnia, quæ habent. Hic ille eſt theſaurus abſconditus, qui felices nos facit, a quibus invenitur; Beati qui adverſis jactati dies ſuos tranſigunt; beati, qui perſecutionem patiuntur, Mundi Salvator inquit. Dei Filius numquam lapſus eſt hæc nobis tradens documenta, & hæc pronuncians Oracula. Evangelium diffluit hiſce veritatibus. Omnia nobis prædicant pretium, neceſſitatem, jucunditatem tribulationum. Præter JESU CHRISTI exemplum, non deſunt nobis alia Sanctorum, ex quibus nemo non amavit cruces; & plurimi omnia bona ſua reliquerunt, ut emerent agrum hunc tribulis, ac ſpinis uberrimum. Viſi ſunt etiam, qui a Deo petierunt aut pati, aut mori, potiuſquam ſine tribulationibus vitam traducerent. Denique non defuerunt, qui rogaverunt Deum, ut omnes tribulationes eorum acerbiſſimis condiret humiliationibus. *P. Croiſet.*

In Deo ſitum erat nos ad ſupremam adducere felicitatem per aliam viam; quam tribulationum; idque primum divinæ providentiæ conſilium fuiſſe videtur. Sed cum homo prævaricator hunc everteri ordinem, non alium nactus eſt aditum, ut rediret in viam, a qua per peccatum receſſerat, quam patienter ferre pœnas, quas ſibi ipſe peccando conflavit. Nimis erat fragilis, ut in nullam reditus ſpem poſt primum lapſum perderetur; nimis erat nocens, ut ſceleris veniam obtineret, quin facti pœnas lueret. Deus æque juſtus ac miſericors non minorem habuit rationem fragilitatis illius, quam peccati. Huic reliquit viam, qua beatus fieri poſſit; ſed non vult illum ad felicitatem pervenire poſſe niſi patiendo. Propter ejus infirmitatem gloriam tribulationibus adnectit; & in memoriam ejuſdem inobedientiæ cum gloria tribulationes conjungit. *Abbas de Jarry.*

Exules a patria in hoc mundo propter peccatum ſimiles ſumus viatoribus iter arduum ingreſſis, donec ad verum terminum, qui cœlum eſt, perveniamus. Quid autem aptius eſt ad excitandos viatores, ut ſuum iter abſolvant, niſi labores, jugeſque tribulationes, quas patiuntur in via? Fingine poteſt iter moleſtius, immo etiam periculoſius itinere vitæ hujus, ubi omnia inſidiis, laqueis, crucibus, pœnis, & obicibus ſalutis noſtræ plena inveniuntur? Quid facit Deus! ſimul ac nobis juges immittit ærumnas in hoc mundo, facit, ut ope fidei quaſi per caliginem videamus perfectam felicitatem, quam nobis in altera vita pollicetur, ut in nobis creet ardens deſiderium redeundi in patriam noſtram pertæſis pœnarum, quas nobis obtrudit in exilio, & ut nos excitet ad exilii hujus pœnas citra murmur perferendas. *Idem.*

Cœli ſpes efficit, ut patienter ſuſtineamus vitæ hujus tribulationes.

Nullus in anima afflicta motus eſt magis naturæ conſonus, quam ſe ſe in cœlum convertere. Si quod ſolatium inter creaturas quærimus, hoc nobis turbas, doloremque ciet. Cæce amplectimur primum, quod oculis noſtris ſe ſe exhibet, ſubſidium; & quin temporis ullam particulam impendamus revocatari ad examen imbecillitatem, & impotentiam, præferimus ſenſibiles, præſenteſque conſolationes illis, quas eorum longinquitas, & modica fides noſtra ſæpe faciunt, ut commentitiæ videantur. Sed quam primum intelligimus, ægros ſe ſe mutuo invicem impedire, ut S. Auguſtinus ait, quin ſibi ferant opem, & cognoſcentes, quod hæ eædem creaturæ, a quibus ſolatium in noſtris tribulationibus, ærumniſque perquirimus, nonnumquam æque ac nos ſolatio indigere, tenemur ad illum confugere, qui clamat ad nos: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Matth. 11. *Abbas de Jarry.*

Si vitæ hujus tribulationes deeſſent, numquam cœlum cogitaremus.

Hortamini Aulicum Principis gratia gaudentem, ut ab aula recedat, ne audiet quidem. Cum repletus ſit inanibus cogitationibus, quas ſibi propoſuit, & fatua ſpe, quam concepit, omnes ſermones veſtros chimæras, ac ſomnia eſſe putabit. Urget mundanam mulierem adhuc adoleſcentiæ flore vernantem, ut mundo nuntium mittat, ſua vincula infringat, luxum reformet, & amplectatur vitæ rationem ſexus ſui modeſtiæ magis conformem, nihil obtinebitis; donec ejus cor plenum erit ſolatiis, atque voluptatibus, ne putetis illam veſtris ceſſuram conſiliis. Formæ ſuæ opinio, mundi muliebris cura, placendi deſiderium, mentis evagatio, voluptatum illecebra, vanitas ſpectaculorum, laudum virus, hæc in minimis incommodis ſenſus acrimonia, hæc jugis viſitationum ultro citroque acceptarum, redditarumque reciprocatio, blanda hæc, & imperceptibilis agitatio, quæ in mundo profano

com-

Digitized by Google

commercio dominatur; hæc omnia ita mentem illius occupant, ut nullus ultra ſuperſit locus cogitationibus æternitatis. Sed præſtolamini, donec aliqua fortunæ viciſſitudo, quæ crebro in aula ſolet contingere, horum ambitioſorum conſilia eafufflaverit, donec ætas, & morbi illicia mundanæ hujus mulieris abſtulerint, videbitis utrumque ſenſum, ſermonemque immutaturos eſſe. *Abbas du Jarry.*

Prout vincula, quibus terræ huic adhærebamus, laxantur, & infirmantur, alia coaleſcunt, quibus adhæremus Deo. Gratia, quæ nullam ſibi elabi ſinit occaſionem, quæ conſiliis ſuis ſuffragetur, ſeſe nobis offert his momentis amaritudinis, ac mœroris; ac invenientes corda noſtra ad conſilia ſua amplectenda diſpoſita, hinc quidem nobis oſtendit pœnas, quas patimur, inde vero delicias, quæ nobis deſtinatæ ſunt. Heu! quid, inquit illas nobis, felicitas iſta, quæ vos manet, non ne meretur, ut propter illam abrenuntietis omni ſpei, quæ vos fallere poſſet? Dicet ne quiſpiam, ſedem hujus mundi, quæ vobis tanto eſt faſtidio, ac dolori, pariri deſideria veſtra, & affectus? aliquas voluptates in ipſo earum fonte veneno infectas propter ſtimulos, quos importuna conſcientia vobis invitis excitat, comparari poſſe cum æternis gaudiis, puriſque deliciis ſine ulla amaritudinis commixtione, quæ vobis promiſſæ ſunt? Oportet ne, ut dignitates tot viciſſitudinibus obnoxiæ, opes tot caſibus patentes, bona adeo infirma & fragilia, oblectationes adeo breves, & fluxæ in cordibus veſtris Dei ipſius felicitatem exæquent? His omnibus quam celerrime abrenuntiate? Deum unum inquirite; unam cogitate æternitatem. Hi nos afflatus movent, motomque iterat gratia; noviſque oppugnationibus laceſſens corda jam commota, hæc penitus a mundo divellit, ut ea Dei cultui devoveat. *Abbas du Jarry*

Tribulationes ſæpe nos revocant ad Deum. Pſal. 77. Populus Iſrael, qui obliviſcebatur Dei, cum ab illo benedictionibus cumularetur, revertebatur ad illum, cum hic aliquem ex principibus defectionis mulcabat. *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur.* Quot Sancti nunc gloria fruuntur, qui dati fuiſſent præcipites in infernum, niſi proficere didiciſſent ex tribulationibus, quas in mundo perpeſſi ſunt? Benedicent in æternum felici momento, quo cor ſuum ſalutari amaritudine ſubmerſum vere incepit mundum faſtidire. Adverſitas inopinata, quæ omnem illorum ſpem temporalem evertens, longe ſolidiorem illis peperit; Paupertas, quæ illis eripiens facultatem ſeſe attolendi in mundo, illis prorſus ſanctam ambitionem inſpiravit; Infirmitas, quæ inceſſanter oculis eorum proximam mortem ſubjiciens prohibuit, ne in vita confiderent, cujus exitus prope jam inſtare videbatur; eorum æterna beatitudo quodammodo a perfunctoriis hiſce pendebat ærumnis. Hæc omnia, quæ in ſpeciem mala videbantur, & quæ vulgares vitæ humanæ caſus cenſebantur, conſtituta erant, S. Auguſtinus ait, in æternis prædeſtinationis eorum decretis; eaque elegerat Deus tamquam aptiſſima adminicula, per quæ illos ad glorioſum finem illis deſtinatum adduceret. *Idem.*

Percuſſiſti eos, Domine, inquit Jeremias c. 5. *& non doluerunt: attriviſti eos & noluerunt accipere diſciplinam.* Cor eorum induratum eſt ſicut lapis, & ad te redire detrectarunt. In proſperis nocentes erant propter ſuperbiam ſuam, faſtum, impudentiam, mollitiem, libidinem, intemperantiam; nocentiores adhuc permanent in tribulatione propter murmura, blaſphemias, furores, & pertinaciam in peccato. Antequam benigna manus tua illos percuteret, aliqua ſaltem ſpes converſionis illis ſupererat. Erant infirmi, qui nondum experti erant remedia; ſed poſt inutiles conatus, quos edidimus illos ad frugem revocaturi, quid ſupereſt ſpei? Quænam curationibus ſpecies pro illis, cum præſentiſſima quæque pharmaca ſibi in virus convertunt? Hujuſmodi in occaſionibus medici ægrotos deſerunt: hoc ipſum facit Deus cum id genus peccatoribus; tradit eos inordinatis cupiditatibus ſuis, & hic cumulus eſt extremæ illorum infelicitatis. *Auctor Recens.*

Tribulationes noſtræ ſæpe inutiles ſunt quia illis abutimur. Quænam infelicitas eſt indeſinenter pati, & omnem paſſionum ſuarum fructum amittere! Hæc eorum omnium ſors eſt, qui crucibus uti neſciunt, caſque ignorant excipere eo animo, quo Deus illas immittit. Non ſolum illarum fructum amittunt, ſed augent quoque pondus; tota percipitur tribulationum amaritudo, cum ægre, & impatienter perferuntur. Si adverſitates eſſent vera mala, JESUS CHRISTUS ſummus ille medicus, beneficus Dominus, & Pater optimus nequaquam adeo affluenter in viis omnibus illas effudiſſet. In hoc nil mali eſt præter pravam diſpoſitionem, qua illæ excipiuntur. Diſpoſitionem hanc pravam auferte, omnis ceſſat amaritudo. Humorum intemperies efficit, ut ſuaviſſimæ dapes amaræ inveniantur. Cruces, de quibus vos conqueriminі, argumenta fuere oblectationis Sanctorum. Nemo illorum eſt, qui morbos, bonorum detrimenta, ærumnas, ac vitæ hujus adverſitates non reſpexerit tamquam prædeſtinationis indicia; & talia in illis omnibus extiterunt, qui iiſdem præclare uſi ſunt. In vobis poſitum eſt, ut talia vobis quoque ſint: ſunt etiam uberrimus fons meritorum: quam primum cœleſtibus diteſcit opibus, qui omnia in quæſtu ponere didicit. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit. Tomo 3.*

Conqueruntur in mundo paſſim mortales de hac tribulationum copia, de crucibus adeo multis, quæ in omni ſtatu ſuboriuntur, de ærumnis, quæ tantam effundunt amaritudinem in omnibus ætatibus, omnibuſque vitæ conditionibus. Si nobis caput eſſet in mundi proſperitatibus ac deliciis innutritum, honoribus & gloria ſecundum mundi ſpiritum ſaturatum, queri fortaſſe poſſemus de noſtræ conditionis acerbitate; ſed cum intuemur ſupremum Dominum noſtrum, Regem, Deumque, prototypum noſtrum obſcuro loco, & in graviſſima paupertate natum, humiliationibus innutritum, opprobriis ſaturatum, eſtne locus nobis conquerendi? Et ſi oportuit, ut Dominus, Unigenitus, hæres gloriæ pateretur, ut intraret in gloriam ſuam, nos vilia mancipia in alienam eodem pretio intrare ægre, gravateque feremus? *Idem Tomo 4.*

O vos, qui in tribulatione verſamini, putatisne, ut ſitis JESU CHRISTO conformes, malis veſtris adjiciendam eſſe alacritatem illa ſuſtinendi, vel ſaltem patientiam, ac lenitatem, quæ murmura, & querimoniam cohibeat, efficiatque, ut hilari, lubentique animo tribulationes has excipiatis? Si Deus divitibus ſolum deſtinaſſet cœlum, quot mortales jure quererentur? Sed quid vulgarius eſt, quid magis in noſtra poſitum poteſtate, quam pati? Quis in hac vita eſt, cui neceſſario tribulationes ferendæ non ſint, quas offerat Deo propter cœlum, vel qui nequeat ultro ſibi cruces invenire, quæ illum magis adhuc prædeſtinatorum capiti ſimilem efficiant? Quodnam ergo impoſterum futurum eſt ſtudium noſtrum, in oratione vero potiſſimum? Hoc erit oculos figere in JESUM CHRISTUM crucifixum, & videre uſquequo eidem ſimiles ſimus; dicemuſque nobis nos juxta hoc exemplar ad examen eſſe vocandos, ut digni habeamur hæreditate filiorum. *P. Segneri Meditat.*

Multi ſunt per tribulationes ſalvi facti, qui alioquin in improborum numero fuiſſent. Quot ſunt, qui propria eruditi experientia veritatem hanc profiteri poſſunt, niſi Deus illos tribulationibus a mundo divulſiſſet, niſi objectis cupiditatum ſuarum Deus ſalutarem amaritudinem adſpergere curaſſet, niſi viam ambitionis, aut voluptatum ſpinis ſeminaſſet, ut harum ipſis tædium immitteret, ſe ad extremum uſque adhæſuros fuiſſe noxiis objectis, quibus retinebantur? Quot qui tunc Chriſtiani eſſe incœperunt, cum tribulationibus vexati incœperunt? Qui oculos aperuerunt veritatibus fidei, ubi illos aperuerunt malis, quibus circum undique ſepti erant, & qui pœnitentiæ lacrymas non effuderunt, niſi poſtquam illis detrimenta ſua, tribulationes, & infirmitates

pro-

proſecuti ſunt? Quot niſi in Principis indignationem incidiſſent, vel fortunarum ſuarum jacturam feciſſent, numquam veros chriſtianæ humilitatis ſenſus induiſſent? Inani devotionis phantaſmate illuſi nutriebant amorem proprium neſcio quibus exiguis operibus bonis, quorum cum oblectatione reminiſcebantur; & clanculum ſibimet plaudebant in corde ob aſſertam ſuam ſanctitatem. Tamen a Deo longius aberant per ſuperbiam, quam alii ſexcenti per ſcelus. Acceſſit tempus converſionis, & ſalutis eorum, effecit Deus, ut illi ſuam vocem audirent; & quomodo? Inſignibus calamitatibus humiliati ſunt; & humilitas adeo ad ſalutem neceſſaria per humiliationum, ac tribulationum aditum eor eorum ingreſſa eſt. *Auctor Recens*.

Inutile eſſet probare, eos, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, eſſe prædeſtinatos. Status, in quo hi Chriſtianæ Religionis Heroes inveniuntur, ſupponit praxim, & meritum virtutum, de quibus Salvator locutus eſt in Sermone in monte; ideoque ſecum adfert etiam mercedem. Neque ideo dixerim plures idolorum cultores momento ab infidelitate ad honorem Martyrii non evaſiſſe, & non pertuliſſe, atque ſuperaſſe quidquid maxime terribile eſt in perſecutione. Sed hæc miracula ſunt in ordine gratiæ, æque ac eſſet miraculum in ordine naturæ, ſi Pygmeus in Gigantem transformaretur. Ad ſuſtinendam igitur patienter magnam aliquam perſecutionem ſecundum conſuetum ordinem opus eſt diu exercitum fuiſſe in omnibus virtutibus, quæ a Salvatore beatitudines appellantur, & quæ ſunt veluti Sanctitatis compendium. Ad ſuſtinendum inquam patienter, hic enim ſenſus eſt verborum illorum: *Beati qui perſecutionem patiuntur*. Agitur iſtic de tribulationibus non coactis, ſed voluntariis, quales ſunt martyrium. *P. Segneri Meditat.*

Supponunt in patientibus virtutes omnes quæ Sanctos efficiunt.

His autem tribulationibus promiſſum eſt cœlum iiſdem verbis, quibus paupertati ſpiritus, quæ primam beatitudinem conſtituit. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*. Ubi Salvator nobis oſtendit proportionem, quæ eſſe debet meritum inter, & remunerationem. Et profecto idea regni generatim complectitur duo, opulentiam videlicet, & gloriam. Regnum cœlorum pauperibus deſtinatum eſt tamquam regnum opulentiæ, perſecutionem vero ſuſtinentibus tamquam gloriæ domicilium. Niſi cum aliquibus Sanctis Doctoribus malimus pauperes ſpiritu eodem in loco habere, quo martyres, & dicere eamdem ob cauſam regnum cœlorum utriuſque deberi. *Ipſorum eſt regnum cœlorum*. Matth. 5. Ipſorum eſt; ipſi enim in hac præſenti vita ad illud jus habent præſens, reale, certiſſimum. Qui pro CHRISTO JESU pauper eſt, qui propter JESUM CHRISTUM ſuſtinet perſecutionem, hujus cœlum eſt; tamquam Regnum Victoris, qui eodem potitus quidem eſt, nondum autem illius adiit poſſeſſionem. Igitur debemuſne paupertatem, atque perſecutionem tantopere perhorreſcere? *P. Segneri in Meditat.*

Sequiminis filium prodigum ad inanium ſuorum votorum arbitrium errantem in regionibus, quas honor, & virtus non novit. Nemine indiget; in bonis ſuis habere ſe putat inexhauſtos fontes felicitatis, & voluptatis. Si fontes hi ſemper fluxerint, peccatum illius ſemper manebit, & de ſalute ejus actum jam eſt. Sed hos delitiarum fontes exhauri, Domine; ſine ad bona illius diripienda confluere aleam, muſicem, intemperantiam, luxum, prodigalitatem, aliaſque juventutis hirundines; trade illum zelotypiæ, invidiæ, fictorum amicorum proditionibus, fortunæ adverſitatibus, ſterilitati, paupertati; videbitis illum quam celerrime revocantem memoriam paternæ domus, & innocentium deliciarum, quibus illic perfruebatur. Non eſt amplius ille, qui nullo in diſcrimine patriam domum habebat, qui patrem aſpernabatur, qui ejuſdem auxilio ſe facile carere poſſe arbitrabatur. Sentit jam omnia ſibi deeſſe, nullamque niſi in eo ſibi ſpem, præſidiumque ſupereſſe. Non eſt amplius temerarius ille, qui longinqui itineris, alienæque regionis pericula collata cum voluptate recedendi a patre, nihili ducebat. Videt ſe recedentem nonniſi miſerum futurum. Inſtantes ſibi ærumnas meditatus trepidat. Nuditatem, ſervitutem, eſuriem tamquam flagella conſiderat, quibus brevi conterendus eſt. Quid inde argumentatur? id quod tribulatio a quolibet extorquet peccatore, qui nondum occalluit. Ergo ex hoc ſtatu emergendum eſt, redeundum ad patrem, confugiendum ad Deum. Hoc mihi ſupremum bonum eſt, & hoc carere non poſſum. Hic ſupremus eſt Dominus meus, & illum nequeo evitare. *Surgam, & ibo ad patrem*. *P. Raans in Quadrag.*

Exemplum viri fortis, atque in adverſitatibus inconcuſſi quantæ omnibus eſt utilitatis? Damnat inſanum in avaro divitiarum amorem: Pauperem in egeſtate conſolatur: illius ambitionem infringit, hujus mollitiem confundit. Oſtendit, ſi quidquid proſperitatem componit, aliquid confert, ut omnia benevertant: virtutem, quæ expiatur adverſis, ſatis ſuperque omnibus hiſce bonis ſupplere. Vir iſte in tuto eſt, dum ſævit procella, in tugurio congeſto e viridi ceſpite, cum interim qui ſuperbas incolunt ædes, ægritudinibus, & adverſis fortunæ telis torquentur, quæ omnem illis adimunt requiem. Adeo verum eſt, quo minus honoribus, & ſæculi bonis onuſtus es, eo magis te eſſe tranquillum, & ſuavius vitam traducere. *Sermo Academiæ Anni* 1705.

Conſtantia in adverſis maximæ utilitatis eſt cuilibet.

Texenda hic eſſet divinæ juſtitiæ apologia, eaque contra ea, quæ vulgo dicuntur, miſericordiæ anteferenda. Scio, qui illam nobis deſcripſerunt, nihil terribilem nobis repræſentaſſe: in manus illius fulmina, minas in ore, & in oculis fulgura collocarunt. At profecto in hac vita, ſi rite intelligatur, nobis utilior eſt ipſa miſericordia: hæc enim omnia ſupplicia ſunt adminicula ad nos a ſcelere retrahendos, cum Deo conjungendos, & cum Salvatoris ipſius paſſionibus conſociandos, cum miſericordia ſæpius homines in ſceleribus teneat. Hanc ob cauſam S. Auguſtinus animadvertit, non deeſſe *miſericordiam ſævientem, & juſtitiam parcentem*: nam verum eſt omnes vitæ præſentis ærumnas, tribulationes omnes, quæ aliquando nobis adeo terribiles videntur, eſſe tamen media, quibus utique juſtitia in noſtram utilitatem. Nihil moleſtius eſt morbis: videte nihilominus quomodo illis utatur Deus, ut nobis proſit. Homo hic de Deo non cogitabat, cum optima fruebatur valetudine; totus in eo erat, ut gauderet, voluptatibus ſe mancipabat. Morbus hic effecit, ut cogitationes ſuas partem prorſus oppoſitam converteret. Mentem ſuam convertit ad Deum, eſt de ſua ſalute ſollicitus. Nonne magna utilitas eſt homini ægritudo? *P. Antonius de S. Martino a Porta*.

Juſtus Job bonis omnibus exutus, a conſanguineis derelictus, ad ſterquilinium redactus tamquam omnium miſerrimus, irriſus etiam ab illis, quos Deus illi in auxilium dederat, & ſocietatem: in hac malorum caterva, quam Scriptura mari comparat, oſtendit ſe ſuarum cupiditatum Dominum, de inferni poteſtatibus agit triumphum, ac fit ſpectaculum, quod homines, Angeli, & Deus admirentur. Verum eſt illum in proſperis æque commendabilem fuiſſe. Non opes, non dignitates terræ virtuti illius labem offundere valuerunt. In altiori fortunæ gradu novit uti proſperitate ſua, aliorum exiſtimationem ſibi conciliare, aliiſque prodeſſe; ita ut ſimilis ei non eſſet in terris. Juſtus ergo de hoſte triumphum retulit cum in proſpera, tum in adverſa fortuna, omnia enim iis, qui fideles ſunt, cooperantur in bonum: cum hoc tamen diſcrimine, quod in adverſa Principi tenebrarum factus eſt terribilior? nam poſtquam eidem omnia ademit arma, coegit etiam, ut in æternum eva-

Job nobis ſuo oſtendit exemplo quam utilis ſit adverſitas.

Digitized by Google

evaneſceret, & capeſſeret fugam. *Sermo Academiæ Anno* 1705.

Nulla conditio tribulationibus immunis eſt.

Qui crucem non habeat ſuam, eſt nemo. Spinæ ubique germinant; omnium ſunt temporum, in omnibus locis adoleſcunt, & in ipſo etiam ſolio oboriuntur. Nulla conditio, nullus ſtatus crucibus caret. Viri Principes ſuas habent, neque ſæpe ſunt leviores aliis, licet minus videantur. Inſania eſt quærere tegmen contra ventos omnes, atque tempeſtates. Quæ ætas ſuas non habet ægritudines, quæ fortuna ſuas adverſitates, quæ conditio ſua tædia, quod officium onera ſua? Sunt cruces domeſticæ, ſunt & alienæ, & utriſque deficientibus noſtra indoles, ſpiritus, mens, cor plurimarum tribulationum fundi ſunt ubertimi. Vide hodie, quænam te magis ſollicitat, & inde conſilium arripe illam in meritorum argumentum convertendi. Hanc leviorem efficere vis? ama illam. Quo magis illam excutere conaberis, eo tibi gravior fiet. Etiamſi artem calleres illam abjiciendi, hac avulſa non deerit altera, quæ te reddat ſollicitiorem. Vis illam mulcere, hoc monitum cape. Hilari, lubentique animo excipe cruces, quas Deo tibi placuerit immittere. *P. Craiſet in Aſceticis exercitationibus.*

Ideo quantum in nobis eſt, omnia a nobis ſummovemus incommoda, omneſque tribulationes, quia illorum meritum, & fructus, quos inde percipere poſſumus, nos latent. Tribulatio bonum eſt; id nos docet Propheta, cum ait: *Bonum mihi, quia humiliaſti me.* Pſalm. 110. Tribulatio donum eſt, quod dilectis ſuis impertit Deus; id nos docet Apoſtolus, cum ait ad Philip. 1. *vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.* Tribulatio nos emundat, dignos efficit, qui vocemur amici JESU CHRISTI; efficit, ut cælum mereamur, quod obtinere non poſſumus niſi per tribulationes. Hinc S. Paulus docet, ſupplicium non eſſe conſiderandum in ſe, quia videtur amarum, & cauſa triſtitiæ; ſed illius effectus, fructuſque eſſe perpendendos. Quæ conſolatio eſt, ut ejuſdem Apoſtolis verbis utar; poſtquam exercitus fueris, fructus laborum tuorum in pace, colligere! Quæ conſolatio, poſtquam ſeminaveris in lacrymis, metere in gaudio! Quæ conſolatio, quod leviſſimarum pœnarum momentum vim habeat nobis in omnem æternitatem ſummam, & incomparabilem gloriam promerendi! Hoc pacto Dei Filius nobis oſtendit, vitam hanc odio habendam eſſe, & æquo, hilarique animo excipiendas eſſe pœnas omnes, quas Deus nobis immittit. *Lambert in Anno Evangelio, Tom. 6.*

Crux proprius eſt character diſcipulorum Salvatoris.

Cum JESUS crucem in gloriæ ſuæ ſolium converterit, tene, illum numquam, niſi per crucem regnaturum in corde tuo, & te illi ſubditum non eſſe, niſi diligas crucem. In tribulationibus, & adverſis fatemur, ipſum in noſtra bona, vitamque dominationem habere; in tribulationibus Chriſtianam Religionem profitemur, credimus magnum Redemptionis noſtræ myſterium, participes evadimus meritorum, ac paſſionum illius, noſmet ejuſdem imperio ſubmittimus, illi voluntates noſtras ſacrificamus, & ſumus victimæ gloriæ ipſius. Amplectamur ergo anima Chriſtiana Crucem JESU; humeris tuis hoc onus ſub; defer illam alacriter, vel ſaltem patienter, tamquam ſignum ſalutis, & redemptionis tuæ, & ſi vis Dei Filium in æternum regnare in corde tuo, quod eſt domus Jacob, temet illius Providentiæ ſubmitte, tuaque patientia oſtende te ſubditum eſſe, diſcipulum, ac filium Dei crucifixi. *P. Craſſet.*

Hoc ipſius JESU CHRISTI verbum eſt? *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*; videlicet quod officium ſuum impleverunt; quoniam *ipſorum eſt regnum cælorum.* Matth. 5. Animadvertendum tamen eſt Dei Filium nequaquam omni paſſionum generi hanc tribuere beatitudinem: opus, eſt, ut qui patitur, propter juſtitiam patiatur. Supplicium, S. Auguſtinus inquit, non facit martyrem, ſed cauſa, propter quam fertur. Tamen ſanctificare poſſumus pœnas, quæ propter peccata noſtra patimur; offerentes eas Deo, & a Dei manu illas acceptantes, tamquam piaculare ſcelerum noſtrorum remedium: confitemur judiciorum ejus juſtitiam, & vitæ noſtræ injuſtitiam damnamus. Incipimus autem eſſe juſti, ex quo noſmet accuſamus injuſtos fuiſſe, & ſincere ab injuſtitia volumus ceſſare. Tunc propter juſtitiam patimur, nam licet verum ſit, nos propter noſtram iniquitatem vapulare, verum quoque eſt nos mala noſtra patienter pati, quia abrenuntiavimus iniquitati, & æquo animo, lubentique volumus divinæ noſmet juſtitiæ ſubmittere, ex hoc temporis articulo perferentes omnes tribulationes, & pœnas, quas illi placuerit conſtituere. Chriſtiano igitur timendum non eſt, quominus propter juſtitiam patiatur; quippe Salvator teſtatur, nos hac via ad regnum cælorum perventuros. Igitur magis proprie in tribulationibus, quam in aliis quibuſcumque rebus vere tota ſita eſt Chriſtiana juſtitia; quæ nobis cæleſtem acquirit hæreditatem, efficitque cohæredes Unigeniti Dei ipſius. *Tourneux in anno Chriſtiano Tom. 8.*

Peccata quæ committimus, ſunt cauſa noſtrarum tribulationum.

Multifariam nos punit Deus; alii morbis, alii injuriis premuntur, alii paupertate: hi amicis privantur, vel filiis, quos mors ex inſidiis adurit, illi contemnuntur, & ineptiſſimi judicantur, eorum deformes fiunt deſcriptiones, licet nihil illis exprobret conſcientia; denique ſumus obnoxii omnibus calamitatum generibus, quæ ſingula memorari non poſſunt. Credisne te mortalium omnium eſſe miſerrimum, & quod alii patiuntur, nequaquam cum iis, quæ ipſe pateris, eſſe comparandum? Si alia expertus mala fuiſſet, alius, eſſet ſermo tuus, & diceres tecum agi clementiſſime; ſed ſi aliis parcitur, non ideo tamen animus eſt tibi abjiciendus, quo majora ſuſtines, eo majorem mercedem nanciſceris. Tribulationes frangunt ſuperbiam, & humanam ambitionem ſubjiciunt; inertiam extrudunt, & nos diligentiores, ac religioſiores efficiunt. Cum propius intuemur, videmus eos, qui Deo gratiores fuerunt, pluribus majoribuſque affectos fuiſſe contumeliis, & numquam vacuos fuiſſe tribulationibus, licet eas ignoremus. *Ex Opuſculis S. Chryſoſtomi.*

Quis ſtrenue non ſuſtinebit, quandoquidem tribulationes ſunt noſtræ virtutis experimentum? Quis non alacriter ſuſtinebit, quandoquidem per tribulationes evadimus participes paſſionum CHRISTI JESU, ejuſque gloriæ eſſe ſperemus conſortes? Quis reverenter non ſuſtinebit, quandoquidem paterna manus nos percutit, ut corrigat? Quis humiliter non ſuſtinebit, quandoquidem per ſcelus noſtrum plura iis meremur, quæ patimur, & ea, quæ patimur; eſt neceſſarium ad vulnera noſtra curanda amuletum. Omnes hæ veritates in corde noſtro imprimendæ ſunt, & cum humilitate, reverentia, gaudio, conſtantia conjungendæ, cum quibus omnes hujus vitæ tribulationes poſſumus ſuſtinere, ut alterius felicitate dignos noſmet præbeamus. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo 8.*

Utile eſt pati in tempore, ut gloriam conſequamur in æternitate.

Propter Deum ferendum eſt, ut quod fertur ſit nobis gloriæ cauſa, & ſperare poſſimus coronam noſtræ patientiæ promiſſam. Propter Deum ſuſtinemus non ſolum perſecutiones, quæ in nos excitantur, quia ſui ſumus, ſed cætera etiam mala, quæ accidere poſſunt, licet ea culpa noſtra evenirent, cum Deo benedicimus inter ipſas tribulationes, quas a paterna illius manu recipimus, tamquam amoris ſui quidem indicia, noſtri vero experimenta; & cum noſmet peccatores eſſe confitentes ad criminum noſtrorum adſpectum humiliamur, & adoramus miſericordem illius juſtitiam, qui nos plectit in tempore, ut parcat in æternitate. Quicumque amat tribulationem, quam Deus immittit, quia ab ipſo amatur Deus, eo quod hæc tribulatio illum emundat, ac Deo dignum præbet, poteſt proculdubio ſpem concipere, quam nobis proponit Apoſtolus tamquam tribulationis prolatæ fructuum. Si cum

filiis

filius Dei plecteris, & ſuſtines eum patientia, & amore filiorum, cur & filiorum gloriam non ſperes? *Idem ibidem*.

S. Auguſtinus Com. in Pſal. 106. ait, eſſe, quos tribulatio invenit, & qui tribulationem inveniunt. De primis loquitur David Pſal 114. cum ait: *Dolores mortis invenerunt me*; de ſecundis, ubi inquit: *Tribulationem, & dolorem inveni; & nomen Domini invocavi*. Nos tribulationes invenimus S. hic Pater ait, cum nos affligente Deo in animi dejectionem incidimus; invenimus autem tribulationem, cum in ſpeciem boni, conamur vitæ hujus nihilum detegere, ut nobiſmet perſuadeamus, non aliud reipſa nos eſſe, quam miſeras creaturas. Cum tribulatio repente irruit in vos, cum tumultus ex inopinato veſtræ negotia ſuſdeque miſcet, animum deſponſteris; ſollicitudines, curæ, murmura corde veſtro potiuntur; tunc dolores inferni vos inveniunt. *Idem*.

Deus juſtos adverſitatibus probat.

Plerumque vos probaturus Deus vobis immittit tribulationes. Princeps, ut in ditione ſuæ alienigenos nummos in uſum recipi ſinat, nequaquam illi ſatis eſt, nitentem illorum formam intueri, in fuſoriam fornaculam illos conjicit, & illinc brevi de illorum legitimo pretio fertur judicium. Simili pacto Deo non ſufficiunt præclaræ illæ ſpecies, quas in hominibus videt, & antequam illas in regnum ſuum admittat, earum periculum facit per tribulationes, quemadmodum aurum, & argentum igni probatur: *Quoniam in igne probatur aurum, & argentum; homines vero receptabiles in camino humiliationis*. Eccli. 2. Qui te videret, audiret, verbo, de te judicium ferre vellet ex ſpecie exteriori, crederet te eſſe Chriſtianum fidelem, ſubmiſſum Deo, humilem, pietate, ſolidaque devotione repletum; ſed hæc nonniſi exterior ſpecies eſt; & in tribulatione videndus es, ut liqueat quinam ſis. Si enim tunc animos deſpondens, ſi impatiens mærore conficeris, ſi muſſitas contra Deum, ſi ejuſdem voluntati te non ſubmittis, fictitiam dumtaxat virtutem habes, & in cælum non es admittendus. *P. Segneri in Meditat.*

Tribulationes ſunt divini erga nos amoris argumentum.

Deus, qui nos amat, & a quo illum amare jubemus ſinit vitam noſtram tribulationibus agitari. Quemadmodum ille novit melius quam nos, quid nos deceat, nequaquam agit nobiſcum juxta vota noſtra. Sumus inſipientes; volumus excidium noſtrum, & ea vitamus, quæ ſaluti noſtræ eſſent profutura. Divinæ bonitatis effectus eſt nobis auferre, quod funeſtum eſt, & id largiri, quod eſt ſaluberrimum. Hoc ſpiritu, ac ſenſu Deus ſemper neceſſitatibus noſtris intentus hanc perturbat tranquillitatem, quæ nobis affert perniciem, & efficit, ut mundi hujus bonis inhærentes illius obliviſcamur, qui eadem nobis credidit. Voluntas noſtra eſſet nihil pati: ſed cum nihil nobis pernicioſius ſit hac voluntate, hanc mortificare, & inceſſanter impugnare debemus, humiliter, ac obſequenter a benignæ Dei manu recipientes omnia ſupplicia, quibus in nos animadvertere neceſſe ducit. Quicumque ita affectus non eſt, tranſgreditur quidquid potiſſimum eſt in præcepto, quod nobis Dei Filius irrogat, ut videlicet vitam noſtram oderimus. *Lambert in anno Evangelico Tomo 6.*

SUPPLEMENTUM ALTERUM.

Quantum differat Chriſtiana patientia a Stoica.

IMpatientia in adverſis, atque vitæ hujus tribulationibus vitium eſt, in quod ipſa natura vulgatius, ac vehementius ferimur; & nulla virtus eſt, ad quam Ethicorum Philoſophis magis contenderit, quam patientia: proculdubio, quia nulla eſt infelici hominum conditioni magis neceſſaria, neque magis idonea ad illis gloriam promerendam, qui illam aſſequi valuiſſent. Hæc impatientia naturæ curata fuit, & detecta fallax Philoſophorum patientia in extrema hac mundi inſtauratione per Salvatoris Redemptionem peracta; atque tunc vera patientia, patientia Chriſtiana hactenus in terris ignota utriuſque locum ingreſſa eſt ad Redemptoris gloriam, humaniſque generis felicitatem. *Primus Academiæ ſermo. Anno* 1687.

Abſit a Chriſtiana Religione error naturæ ſenſibus adeo oppoſitus, & ſuperbia indigna perſpicaci ratione Philoſophorum Stoicorum, qui ſe nullis adverſis, & tribulationibus labefactatum iri gloriabantur. Chriſtianorum patientia nequaquam in eo ſita eſt, quod ſe doloribus quibuſcumque ſuperiores jactitent. Patiuntur, & ſe pati confitentur, ſed obedientia illi, qui ipſos pati jubet, ſed pretium eorum tribulationibus propoſitum, pariſbans conſtantiam, hanc tranquillitatem, & gaudium, quæ ſæpe ex ipſorum perſecutoribus admirationem, ac reverentiam extorquere ſunt viſa. Non retinent queſtus, gemituſque ſuos propter metum, ne ſecta, quam profeſſi ſunt, afficiatur dedecore, ſed Sancta Religio, quam ſequuntur, in illis prævertit querimoniam, ac lacrymas, mentes eorum ſanctis replendo cogitationibus. Tales ſunt intus, quales extra vix videbantur Stoici; pacati, tranquili, victores doloris, quem ſuſtinent. Id ſunt, quod tota Philoſophia ſatis admirari non potuit. Æque obnoxii ac alii ad humanas miſerias ſentiendas; nihilominus inter graviſſimas pœnas hilariores, quam ſi eſſent mortalium omnium feliciſſimi. *Sermo primus Academiæ anni* 1687.

Chriſtiani e contra omnia patiuntur mala patienter, quia Dei voluntati ſunt obſequentes.

Tranquilla firmitate ſuſtinere mala; tuta conſtantia illos, qui mala nobis minitantur, intueri; ultro ac recipere, quæ nobis evenire poſſunt, animo ſincero, & obſequenti; ea ſunt, quæ a nobis patientia Chriſtiana requirit. Fateor equidem permagnas difficultates in hujus virtutis praxi inveniri; ſed potentes etiam ſunt cauſæ, quæ nos agunt ad eas perferendas, ut facile ſit multas, & graves ſuperare. Et ſane poſſumus ne non affici gloria ſummorum virorum, ac illuſtrium Martyrum, quorum ſanctitas omnibus ſæculis a nobis in honore habita, ad hunc ſublimitatis gradum pervenit, quem reveretur invidis, qui rerum humanarum viciſſitudini obnoxius non eſt, qui temporum lapſu magis magiſque confirmatur? Per patientiam gloriam hanc ſunt adepti. Nonne hæc eadem virtus non format amplius hujuſmodi homines admirabiles, quos teterrimæ comminationes non deterrent, quos funeſtiſſimi caſus non objiciunt, qui in omnes fortunæ eventus parati ſunt, & qui inter maxima pericula tuentur omnem ſui characteris dignitatem, & ſummo cum imperio, ut Dei Filius loquitur poſſident animas ſua? *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, Luc. 21. *Secundus ſermo Academ. anni* 1687.

Si quod Religionis ſupereſſet nobis, nonne terrorem cierent in nobis anathemata, quæ Scriptura in impatientes contorquet? *Væ his, qui perdiderunt ſuſtinentiam*. Eccli. 2. Si nobis perſuaſum eſſet de rigore ſuppliciorum æternorum, numquid concideremus ad ſolum initium fluxarum tribulationum, & cederemus levibus doloribus, ut noſmet pœnis infinitis objiceremus? E contra nonne beatos noſmet duceremus videntes per patientiam nos poſſe utilitatem percipere ex vitæ caſibus, qui evitari minime poſſunt; & noſtræ infelicitatis originem in inexhauſtum meritorum fontem convertere? Veri Chriſtiani patientia eum in graviſſimis neceſſitatibus ſuſtinet, efficitque, ut glorioſe de omnibus malis triumphet. Quæ enim vis, & violentia concutere poſſet virum patientia roboratum? Hic neque perſonæ periculo, neque fortunæ ſuæ everſionem, neque caſus omnes publicos, aut privatos reformidat. Ille non minas, non tormenta, non ipſam mortem timet. *Idem*.

Chriſtiana patientia de Tyrannorum carnificumque minis & ſuppliciis non formidat.

Par Deo dignum vir Chriſtianus virtute patientiæ roboratus cum Tyranno compoſitus! Sæviſſimi dolores, quos hic excogitare poteſt, nullos extorquere poteſt ex ore illius queſtus, neque aliquem in ejus corde ſenſum parere, licet omni ſit deſtitutus auxilio, ac propugnaculo. Sola virtute ſua armatus, & reliquis omnibus exutus, videtur terri-

Google

certiſſima ſuſtinere ſupplicia eo conſtantiæ charactere, qui eum reddit imperterritum citra arrogantiam, tranquillum citra affectationem, immo in crudeli hoc ſtatu contentum. Delaſſat perſecutorum ſuorum furorem patientia, & animi magnitudine eorum ſuperbiam adigit ad deſperationem. Tandem opprimi quidem poteſt vi cruciatuum; atque ſuppliciorum vehementia vita illi eripi poteſt; ſed de ejus conſtantia triumphari non poteſt. Animæ ipſius fortitudo in ipſo corporis excidio dominatur; & Tyrannus propriæ imbecillitatis rubore ſuffuſus, invictus admiratur virtutem, quam perſequitur in triſti victoria recens rabiei, furoriſque argumentum nanciſcitur. *Idem*.

Quam deplorabilis eſt ſtatus hominis ſine patientia in hujus vitæ curſu, ubi tribulationes ſunt adeo frequentes? Semper pertæſus dolorum, quos patitur, vel excitatus iis, quos reformidat, turbatur, ſollicitus eſt, furit, omnes fatigat importuna ſuorum malorum narratione, ejuſque ærumnarum pœnam luere tenentur illi, qui accedunt ad eum, propter pravum ingenium. Minimus caſus illum laceſſit; omnia eum lædunt, omnia eum vulnerant, ita ut ſibimet ipſi ſiat gravis, factus ut ita dicam præda ſuarum ægritudinum, tædiorumque, quibus abſumitur, atque conficitur. Experitur, quietimoniam ſuam ſibi nequaquam reſtituere animi quietem; quam adimit aliis ſuarum miſeriarum enumeratione; impatientiam ſuam novum eſſe ſupplicium, quod ſuis addit doloribus; malorumque omnium maximum eſſe, quod nullum ferre poteſt. Poſt hæc quis non patientiam laudibus extollat; quandoquidem mala inevitabilia ſunt, ac in præſenti naturæ ſtatu, nemo illis immunis eſſe poteſt. *Idem*.

Cum primorum parentum nos malis oppreſſerit; patientia unum eſt, ac rerum eorum remedium.

Nihil hominis in hoc mundo felicitatem æquaſſet, niſi ille Dei mandatis rebellis fuiſſet. Poſſediſſet bona defæcatiſſima ſine ulla commixtione malorum; iiſque gavisus fuiſſet citra oppoſitionem, citra tumultum, citra timorem. Cum nullum eſſet illi ſcelus expiandum, nulla illi ferenda fuiſſet calamitas. Patientia numquam virtus fuiſſet, eamque ita parum cognoviſſemus, ac mala, quæ illam exercent. Sed heu! peccatum beatum hunc ſtatum evertit, & omnia bona, quæ noſtram in terris felicitatem ſtatuere debebant, cum protoparentis noſtri innocentia fecere naufragium. Ejus inobedientia effecit, ut in nos terribilis malorum multitudo deſcenderet. Nihilominus dici nequit, quod Deus in hoc ſtatu hominem penitus dereliquerit; illi enim reliquit patientiam, quæ, cum ſit malorum, quæ remedio carent, remedium, prodeſt ad ſæviſſimas ærumnas mulcendas, & ad intolerabilium calamitatum pondus minuendum. *Sermo alter Academia habita anno 1687.*

Nihil adeo timemus, quam pati; & ſeu propter exceſſum mollitiei, & naturalem noſtræ conſervationis amorem, ſeu propter aliquem ſupremæ voluptatis, ad quam facti ſumus, ſenſum adeo perhorreſcimus dolores, vel minimo accedente malo infrendimus; amor proprius excitatur, rebellat, omneſque colligit vires ſuas ad eam propulſandum. Nihilominus quæcumque adhibeatur præcautio, omnia malorum genera omnino evitare non poſſumus. Alia ſunt neceſſaria noſtrarum conditionum officia; alia ſunt vulgata naturæ noſtræ effecta. Sunt etiam quædam propriis perſonis ita inhærentia, ut omnino ſeparari non poſſint. Ita quantumvis natura pati repugnet, hæc tamen omnibus hominibus neceſſitas eſt ineluctabilis. O nos beatos, ſi tribulationibus uti ſciremus, & generalem hanc neceſſitatem in peculiare meritum convertere! Hoc admirabile eſt Chriſtianæ patientiæ ſecretum. *Idem*.

Chriſtiana patientia ſuum bonum, & neceſſitatem trahit ex conformitate, quam habere debet cum Salvatore.

Neceſſe non eſt immorari, ut oſtendamus Patientiam eſſe homini perutilem; quandoquidem oſtendere poſſumus, hanc Chriſtiano eſſe omnino neceſſariam. Hæc autem ineluctabilis neceſſitas innititur neceſſitati, qua fieri debemus conformes JESU CHRISTO, ut juſtificemur, quia in hac conformitate omnis juſtitia noſtra conſtituta eſt. Quomodo vero quin patiamur, eſſe poſſumus conformes Filio Dei, illi, qui non venit in mundum, niſi ut per paſſionem ſuam omnia ſcelera noſtra expiaret? Illi, cujus tota vita, jugis fuit ſeries perſecutionum, & malorum, quæ tandem per cruentam, ſæviſſimamque mortem deſiere? Hæc vera eſt Chriſtianæ patientiæ cauſa. Niſi mundi Salvator paſſus fuiſſet, in malis patientiam adhibere debuiſſemus, ut obſequeremur providentiæ, quæ eorum diſpenſatrix facta eſt. Sed ex quo Dei Filius humanam induit carnem, ac ferre voluit omnes illius miſerias, ut eidem conformes ſiamus, ferre debemus patienter omnia, quæ nobis accidunt mala. Ecce in quo ſita ſit chriſtianæ patientiæ præſtantia. Cauſa hæc adeo nobilis, & defæcata eſt, ut hanc virtutem attollat ſuper omnes virtutes, quæ umquam apud Ethnicos floruerint. *Ibidem*.

Inficias ire non poſſumus, quoſdam Philoſophos ſæviſſima pertuliſſe ſupplicia cum quadam conſtantiæ ſpecie, quæ via abeſſet a miraculo. Sed cor illorum ſcrutemur, & liquebit, hoc factum, quia cupidiores erant plauſuum, quam adverſorum inimici; quia in cruciatibus amorem proprium ambitioni immolabant, & vincebantur a ſuperbia, cum de dolore triumphum referre videbantur. Unus Dei Filius dedit hominibus exemplum patientiæ, quæ humilitati innitebatur. Quis propter inanem gloriam pateretur, opprobrium, & ignominia fuere pars ſupplicii, quod ſibi elegit. Verum eſt, Philoſophos nonnumquam inane conſtantiæ ſuæ phantaſma ad exteras uſque mortis ſuæ umbras pertuliſſe, ſed vanitas ſemper illos ex aliqua parte prodebat. In imo mortario, ubi eorum tundebantur corpora, ſuperbis, audacibuſque verbis utebantur, ut Tyrannos ſuos exprobaret; & in eo ſtatu, in quo ex intuentium oculis elicebant lacrymas, adhuc illorum admirationem ciere meditabantur. E contra JESU CHRISTI diſcipuli patientiam ſuam in ſuis cruciatibus oſtenderunt; ex quibus non ſolum nullum haurire poterant jactantiæ argumentum, ſed quos non ſine pudore, & confuſione poterant ſuſtinere. Chriſtiani dumtaxat patientiam ad hunc perfectionis apicem perduxerunt, ut mala perquirerent, quæ coram hominibus pati, turpe eſt. Paſſi ſunt, ſe infamiæ nota aſpergi, ſe contumeliis affici, ſibi gloriam, & nominis exiſtimationem auferri, idque non ægre, verum etiam cum gaudio, & voluptate: *ibant gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Act. 5. Idem*.

Si quæris, quot mala nos pati chriſtiana jubeat patientia, nos cogit omnia malorum, tribulationum, pœnarum genera ſuſtinere, quia nobis patientibus hic finis eſt, ut reddamur JESU CHRISTO conformes; cum enim infiniti ſint dolores, quos paſſus eſt, quicumque ſit numerus eorum, quos ipſi paſſi ſumus, longe plures ſemper invenientur, quibus augeri poterit ratio glorioſæ hujus conformitatis, quam quærimus. Perfecto igitur Fidelis ſatis eſſe non debet patienter ferre mala, quæ accidunt, ſed occurrat, opus eſt, ſtrenue imminentibus, & fugientia quoque conquirat. Hac mentem Sancti Martyres tanto ardore ferebantur ad cruciatus, tanta cura ſeſe offerebant ignibus, crucibus, feris, ac tantam præ ſe ferebant conſtantiam ſuſtinentes tormenta, quæ ſuaviſſima excogitaverat barbaries, ac diu producta iis artibus, quas dæmon ſolus perſecutores illorum docere poterat. Fervor eorum magis erat induſtrius, quam tortorum nequitia. Illis hic nova ſuppliciorum detegebant genera, quæ horum excogitationem fefellerant. Illi hic ſævitiæ documenta præbebant in ſe met ipſos exercenda; & perferendi cupiditas in illis horum torquendi cupiditatem ſuperabat. *Idem*.

Chriſtiana patientia jubet nos pati mala & innumera, & omnium generis, & omni tempore.

Nemo unquam fuit præter JESUM CHRISTUM ejuſque diſcipulos, qui inter cruciatus heroicam præ ſe tulerit conſtantiam, quæ numquam intepuerit, defecerit, aliqua vanitatis cauſa corrupta fuerit, neque humana ratione aliqua fuerit fulſulta. Unus

JESUS CHRISTUS hominibus tradidit verum ipſorum calamitatis principium, & patientia ſua docuit, quinam uſus faciendus ſit. Sed hic quid ex divinis illius admonitionibus proficimus? Nonne minima tribulatio efficit, ut animos deſpondeamus, & mœrore conficiamur? Cum per corporis morbos vult Deus ad ſe animam noſtram evocare, nonne incidimus in turpes ſubmiſſionis &, murmuris vices; ubi alternis fides, & infidelitas intermoriuntur, & reviviſcunt perpetua viciſſitudine obſequii, & rebellionis? Nonne ſæpe eo uſque procedimus, ut in impetus prorſus Ethnicæ impatientiæ erumpamus? *Idem.*

Nullus ſtatus, nulla dignitas tribulationibus vacua eſt.

Quo titulo contendimus immunes eſſe a tribulationibus. Numquid ſublimis aliqua dignitas, quantumvis præclara, & eminens, colori eſſe poteſt impatientiæ hoc tempore, quo vidimus Reges ipſos naturæ queſtus ea jugulare patientia, quæ æternum confundet eorum ignaviam, qui ſibi blandiuntur, conditionem, ac naturam ſuam excuſare poſſe illorum furores, & murmura? Fatemini ergo patientiam eſſe inevitabilis neceſſitatis in Chriſti fideli cujuſcumque tandem ordinis ſit. Denique nobis non niſi in hac vita perferendum eſt; hæc porro momentum eſt, quod celerrime prætervolat; nihilominus momentum hoc tam velox, & præceps operatur in nobis ex ipſius S. Pauli ſententia pondus gloriæ permanentis, atque æternæ, cum non deeſt nobis in tribulationibus patientia. Paſſionum quidem via moleſta eſt; ſed cum per illam incedimus, comes nobis adeſt Deus. Ille nos hinc ſe ſe liberaturum eſſe pollicetur, noſtraſque miſerias in felicitatis noſtræ inſtrumentum converſurum. Nonne hoc ſatis eſt, ut non patienter ſolum, verum etiam ut hilariter ſuſtineamus? *Idem.*

Mundus univerſus ſatis ſcit, plurimos profanæ Antiquitatis philoſophos omnem ſapientiam ſuam collocaſſe in quadam animæ firmitate, quam non duriſſima adverſæ fortunæ tela, non acerbiſſimæ jactiones, non dolores acutiſſimi poterant labefactare; verum neque ſubmiſſionem, neque humilitatem norant, quæ Chriſtianæ patientiæ comites accedere debent; & ſola vanitas anima erat admirabilium operum, quæ nos cogunt eorum admirari conſtantiam, dum illorum ignorantiam ploramus. Tunc ad aliorum admirationem plauſuſque aucupandos ſatis erat ea facere, quæ naturæ vires excedere viderentur: quidquid præter morem erat, hoc heroicum habebatur? virtus non niſi ex illius fulgore agnoſcebatur, & quamvis corruptum eſſet cor, ſatis erat ſpecies exterior ad glorioſum ſapientis nomen acquirendum. Sed apage conſtantiam hanc fallaci nitore fucatam, quo veteres oculos ſuos perſtringi ſinebant. Apage hanc fortitudinis firmitatem amoris proprii, & vanitatis filiam, quæ efficiebat, ut ſeſe falſi honoris placitis immolarent. Patientia, cujus præſtantiſſima nobis præcepta daturus Dei filius in terras deſcendit, agit ex nobiliori principio, & propter finem longe ſubliminrem, Hæc hominum æſtimationem plauſuſque contemnit, in quibus fallax horum Philoſophorum moderatio movebatur. Hæc horum vanitatem humiliate, amorem proprium charitate inpugnat, & ut verbo me expediam, Deus unus illius principium eſt, quemadmodum eſt etiam finis extremus. *Tertius Sermo Academiæ anno* 1687.

Deliciæ, & pax cordis patientis exprimi nequeunt.

Numquid exprimi poſſet torrens dulcedinis, quibus patientis hominis cor inebriatur? Nonne hoc illud manhu eſt abſconditum, quod effudit Dominus in cor omnium Sanctorum, & quod effundit adhuc in cor Prædeſtinatorum, tamquam pretioſum pignus æternæ felicitatis? Nonne hoc in omnes pœnitentiæ labores ſanctam effundit unctionem? Nonne hoc illud eſt, quo S. Job quaſi ſuffitu quodam muliebat, ſi dicere fas eſt, putorem ulcerum ſuorum, ac ſterquilinii? Nonne hac firmitate quamplurimi Martyres confundebant Tyrannos ſuos, eorumque exarmabant lictores ſancta gaviſi tranquillitate inter cruciatus aſperrimos? Confitendum eſt igitur, patientiam virtutem eſſe pretioſiſſimam, atque præſtantiſſimam coram Deo; quandoquidem propter illam vult in anteceſſum nobis deguſtandas præbere voluptates æternitatis per interius gaudium, quo fruitur vir patiens virtutem hanc in hoc mundo etiam remuneraturus. Non equidem miror, ſi Jacobus Apoſtolus in epiſt. ſua dixit hanc eſſe omnium operum perfectionem, & vere dicere poſſumus hanc eſſe poſitivam eorum perfectionem, quoniam in ſe complectitur ceterarum virtutum praxim; ſed animadvertendum quoque eſt, hanc eorum & negativam eſſe perfectionem, quoniam vitiis omnibus eſt oppoſita, quorum ne unum quidem eſt, quod, Tertulliano teſte, non ſit impatientiæ tribuendum. Eſſe impudicum, magnus hic vir ait, eſſe in caſtitate impatientem; eſſe nequam eſt impatientem eſſe in bonitate; eſſe impium, in pietate, eſſe furentem, in lenitate, ac tranquillitate. *Idem.*

Hic loco fatendum eſt, nos aliquando patientes eſſe, & nonnumquam dolorem, atque contemptum ſuſtinere, & non ſemper ultionem repoſcere; ſed verum quoque eſt noſtram patientiam fere infectam eſſe labe aliqua ſuperbiæ, vel avaritiæ. Quam potens, exempli gratia, cauſa eſt, quæ nobis perſuadeat pati, magnæ alicujus fortunæ ſpes? Quantum facilitatis invenimus in laboribus, qui nobis ad dignitatem aperiant viam? Quam difficultatem reperimus in humiliationibus, quæ nobis ſummos honores procurant? Quas pœnas, quas contumelias non patimur, ut noſtra triumphet ambitio? Satis eſt, nos ſcire glorioſum eſſe injuriam condonare, ne illam propulſemus. Ultroneis voluptatem facile ſacrificamus illecebris vanitatis. Si valetudinis noſtræ ratio alicui dolori nos objicit; ſatis eſt cogitare impatientia noſtra morbum exaſperatum iri, ut leviſſimas etiam querimonias jugulemus. Quantumvis naturæ moleſtæ ſint tribulationes, ex amore proprio ſemper nobis ſuppetit ſufficiens ad eaſdem perferendas ſubſidium: Nulli ſunt obices, qui non ſuperentur, nullæ difficultates, quæ non vincantur. Quæ tamen corruptio eſt vitium non niſi altero vitio excludere! Quinam abuſus eſt, vanitati impendere, quod ſubtrahimus iracundiæ, & impatientiæ? Haccine appellari poteſt Chriſtiana patientia? *Ibidem.*

Præſentiſſimum impatientiæ remedium eſt conſiderare exemplum filii Dei.

Ad ſuperbam impatientiam noſtram confundendam conſiderandum nobis eſt dumtaxat exemplum, quod Dei Filius tradidit nobis, cum adhuc in terris verſaretur, quandoquidem ſi ſalvi eſſe volumus, illi debemus eſſe conformes, Apoſtolo teſte. Cum ille nil quæreret, niſi ut Patris ſui voluntas adimpleretur, quandonam reſtitit voluntati inimicorum ſuorum? Num eos propulſavit, a quibus contumeliis proſcindebatur? Num aſperam dedit reſponſionem illis, a quibus injuriis cumulabatur? Num, non dico, malum concupivit illis, qui ipſum perſequebantur, ſed ullum ne verbum excidit illi inter cruciatus, quibus torquebatur? Num ulla in doloribus ſuis querela? Quod lenitatis, & charitatis portentum! Quin contra ſuos perſecutores inſurgat, eorum miſeratur cæcitatem; quin adverſus illos Patris ultionem ſollicitet, non diſcit quidem, niſi ut pro iis deprecetur. Quomodo hoc exemplar noſtram ſuperbiam, & impatientiam confundit! Si ſeſe ſubmittit Omnipotens, creatura parcere detrectabit? Si ipſa innocentia ſe ad mortem trahi ſinit, nocens audebit conqueri de ſupplicio? *Idem.*

Necquidquam, Salvator adorabilis, tanto hoc exemplo patientiæ afficeremur; necquidquam nobis eſſet de hujus virtutis neceſſitate perſuaſum, niſi validis hiſce rationibus adderes ſanctos impulſus, ſine quibus de naturæ noſtræ improbitate triumphum referre non poſſumus. Excita nos, Domine, divino igne, quo olim Apoſtolos tuos replevisti. Effunde in corda noſtra unctionem gratiarum tuarum, quæ fidem tuam liberet leniendo jugum mandatorum tuorum, Fac, ut ſentiamus interna ſubſidia, ut ſemper

per

per victores efficiamur; ut perfecta cum ſubmiſſione recipientes, quidquid adorabili Providentiæ tuæ nobis immittere placuerit, ſimus imitatores tuarum perfectionum, ſicuti tu es paternarum, & numquam ex hoc ſubmiſſionis ſtatu egrediamur, quem omnia creata ſervare debent erga ſua Creatoris mandata. *Sermo idem*.

Patientia in tribulationibus oſtendit quouſque Deum diligamus.

Deus hominum periculum facit per tentationes, non quidem ut illos cognoſcat, ſed ut illi cognoſcant ſemet ipſos. Ut ſciamus, quo uſque Deum amamus, & noſmet odimus, probandum eſt quid propter ipſum perdere poſſumus, & pati. Chriſtiana fides non eſt ignava, neque iners; agere, & pati debet. Poſtquam per actiones probata fuit, reliquum eſt, ut paſſionibus probetur. Hæc eſt ſuſoria fornacula, qua Deus juxta Scripturæ verba eos probat, qui ſui ſunt. Ignis non ſolum probat, ſed etiam emundat aurum, & illud defæcatius, ac nitidius facit. Hoc ipſum accidit fidei, S. Petro teſte in 1. ep. Permittit Deus, ut pluribus malis vexemini, ut veſtra fides ita probata eum longe pretioſior ſit auro, quod per ignem probatur, digna inveniatur laude, honore, & gloria tempore glorioſæ manifeſtationis CHRISTI JESU. Quandoquidem igitur tribulationes ſunt neceſſariæ, ut perveniamus ad Regnum Dei; & patientia neceſſaria eſt; ac tandem quandoquidem Deus probat, & punit eos, quos recipit in numero filiorum ſuorum; cum tribulationibus premimur, & eas patienter ſuſtinemus, habemus locum ſperandi illius hæreditatem; & hæc ſpes tantum abeſt, ut vana ſit, & nobis cedat in confuſionem, ut immo gignat in nobis per Spiritum ſanctum amorem Dei, neque ſolum amorem eum, quo Deus nos amat, ſed illum etiam, quo ipſi amamus illum, Spiritu Sancto nobis primum promittente, alterum vero in cordibus noſtris inflammante. *Auctores recentes*.

Operæ pretium eſt animadvertere, non omnem tribulationem producere ſpem futurorum bonorum; namque ſuſtinendum eſt propter Deum, ut quod patimur, ſit cauſa gloriæ efficiendo, ut ſperemus coronam, quæ eſt promiſſa patientiæ. Propter Deum patimur non ſolum perſecutiones, quæ in nos ſuſcitatæ ſunt, quoniam ſumus illius: verum etiam alia quæcumque mala nobis poſſunt accidere, etiam ſi noſtra culpa evenirent; cum inter noſtras tribulationes benedicimus Deo, cum illas ex paterna illius dextera accipimus tamquam indicia amoris ſui erga nos, & noſtri erga ipſum experimenta; cum noſmet fatemur peccatores, atque omnium ſcelerum noſtrorum intuitu noſmet humiliamus, & miſericordem juſtitiam adoramus illius, qui nos punit in tempore, ut parcat in æternitate. Quicumque amat tribulationem ſibi a Deo immiſſam, quia amat Deum, eo quod hæc tribulatio illum emundat, & dignum efficit Deo, poteſt ſane concipere ſpem, quam S. Paulus proponit, tamquam fructum probatæ patientiæ. Si dicis; pœnam mereor: ego tibi reſpondeo: ſi plecteris cum filiis Dei, & ſuſtines cum obſequio, & amore filium, cur non ſperas gloriam filiorum? *Recens quidam*.

Spes eorum, qui tales ſuſtinent tribulationes, fallax non eſt.

Non omnis ſpes certa eſt: adeſt quædam ſpes fallax, vel potius temeraria præſumptio, per quam putas te ad Regnum Dei perventurum, quin facias, & patiaris, quæ facienda, & ſuſtinenda ſunt. Spes, de qua Apoſtolus loquitur, illorum eſt, qui juſtificantur per fidem; qui cum Deo pacem ſervant, qui cum gaudio propter ipſum patiuntur; qui gloriam ſuam in tribulationibus ſuis nanciſcuntur, & qui invicta conſtantia, qua ſuſtinent tribulationes, probant, ſe amari a Deo, & a ſe amari Deum; & ſe habere ſpiritum adoptionis filiorum. Hi etiam juſti ſpe pleni non ceſſant, quominus trepident ſua inſpecta infirmitate. Certi ſunt ſe amari a Deo, licet non admodum certi ſint, utrum ament Deum, quamvis hoc credant, neque temere credant: quæ res fovet in eorum corde metum filialem, ac ſalutarem, qui ſemper ſocius eſt amoris divini, qui in illis eſt. His addamus, quod licet hujus rei integram haberent certitudinem, quinam ſciunt, utrum ſemper Deum ſint amaturi, & ſibi gloriæ verſuri propter eumdem pati? Patientia, & amor illorum ſunt Dei dona, & quemadmodum non potuerunt ipſi, ea ſibi donare, ita neque horum donorum perſeverantiam ſibi donare poſſunt. In Deo igitur lætantur, ſed, ut olim David, cum timore. Sperant in Deo, ſed de ipſis diffidunt. Fortes ſunt, ſed ſunt humiles, eorum quippe fortitudo non eſt ex ipſis. Verbo, ſi Spiritus ſanctus illis perhibet teſtimonium, quod ſunt filii Dei per humilem, ſubmiſſamque patientiam, qua vitæ hujus tribulationes ſuſtinent, illis perhibet quoque teſtimonium, illos effici poſſe hoc nomine indignos; eoſque per profundam dumtaxat humilitatem ſervaturos virtutem hanc, quam mere obtinent a miſericordia illos amantis, qui verus eſt character filiorum Dei, ac tutior via ad æternam hæreditatem, quam illi ante tempora præparavit. *Auctores recentes*.

Da nobis, Domine, panem illi ſimilem, quem Eliæ Prophetæ dediſti, panem, qui nos illuminans, omnibuſque vitæ noſtræ diebus confirmans deducat nos ad beatum finem, quo tendunt tribulationes omnes cum patientia ſublatæ, ad montem Dei; panem gratiæ, & luminis, qui efficiat, ut præſentes miſerias, atque adverſitates intueamur tamquam momentum leve tribulationis, quod immenſum gloriæ pondus operatur in cœlis: panem gratiæ, & luminis, cujus ope nobis innoteſcat magnum illud diſcrimen inter ea, quæ meriti ſumus pati in inferno, & ea, quæ in terris patimur; & quia ea nobis extorqueat verba, quæ proferebat olim vir vexatus tribulationibus: anima, quæ de flammis inferni educeretur, ſi eſſet in ſtatu meo, numquid muſſitaret? E contra inter tribulationes meas ſe nonne beatiſſimam prædicaret? Da nobis igitur panem luminis, & gratiæ, quo palam videamus, quid ſit peccatum, quod ea nobis conflat mala, quæ patimur; qui efficiat, ut minus liberari poſtulemus a tribulationibus noſtris, quam omnis nobis peccata dimitti, tibique inceſſanter dicamus, non ſicut hucuſque fecimus; averte Domine a nobis tribulationes, quibus premimur; ſed everte in nobis cauſas adverſitatum noſtrarum; dele in nobis peccatum, ſi noſtræ ſaluti non prodeſt, nos iis liberari malis, quæ noſtra nobis ſcelera pepererunt, & divinæ intereſt gloriæ, nos pati. Petamus ab eo fortitudinem, & gratiam patienter ſuſtinendi, & ne permittat, nos cedere tentationi, qua vulgo angi ſolent, qui maxime laborant; qui reſpiciunt manum, quæ illos percutit, tamquam inimicam, cum illam reſpicere deberent, tamquam amiciſſimam, quæ ideo percutit ut altiorem in cœlo ſedem mereantur, vel ut illos eaciret ea lethali ſapore, in quem illos peccatum conjecit, ita illos puniens in tempore, ut iis parcat in æternitate. *Modus recitandi orationem Dominicam*.

Patientia aptiſſima virtus, eſt ad gloriam merendam.

Si Regnum cœlorum acquiri non poſſet, niſi plurima agendo, & præclaras res gerendo, robur, & optima valetudo nobis eſſent omnino neceſſaria, ut eo perveniremus; alioquin ad illud nemo poſſet pervenire. Patiendo enim illud facilius, utilius, tutiuſque poſſumus promereri; quia illud merendo per tribulationes, & adverſitates, noſtra magis frangitur ſuperbia, patientia noſtra magis exercetur, ideoque & anima ipſa magis humiliatur, quod pluſimum confert ad illam cœlo digniorem efficiendam. Adde his, cum tædia, amaritudines & faſtidia morborum imparem animam reddant guſtandis deliciis, & voluptatibus, hæc ipſa in eadem diſcindere vincula omnia, quibus terrenis rebus poterat adhærere... Morbis longe utilius Regnum cœleſte promeremur, quam bona valetudine; illi enim ſæpius, quam hæc, præbent occaſionem exercendi ſolidiſſimas virtutes, fidem, Dei voluntatibus obſequium, humilitatem, ſui diffidentiam, confidentiam in Deo; & alioquin Chriſtianæ patientiæ opus eſt abſolutiſſimæ perfectionis; *Patientia opus*

perfectam habet. Jacob. 2. Verum eſt morbis per ſe nihil ineſſe niſi moleſtum oculis naturæ, & mundanis hominibus inviſum; ſed in oculis veri fidelis, animæque humilis pretioſi videntur propter facilitatem, quam præbent ingentia comparandi merita coram Deo, & propter copiam theſaurorum gratiæ, quos accumulandi nobis præbent occaſionem. Re ipſa aliud ne requiritur, quam integrum providentiæ mandatis obſequium, & perfecta divinæ voluntati obedientia, ut cœlo digni efficiamur? *Ibidem*.

Mortalis infirmitatibus obrutus, & nihilominus divinæ voluntati perfecte ſubmiſſus, ita affectus, accedentibus quibuſcumque conatibus, quibus eo in ſtatu par eſt, regnum cœlorum vi capit, ejuſque adit poſſeſſionem. Itaque licet jacens in lectulo, & propter morbi acerbitatem viribus exhauſtus, rapit vi regnum Dei, eoque potitur; quoniam per obſequium, atque patientiam ſe ſe conjungit cum Salvatore, cujus omnipotenti ope ſibi aperit cœli portas, illuc ingreditur, ibique regnat cum illo. Nobis per os Apoſtoli tui pollicitus es, dicere debet Chriſtianus ægrotans, ſi tuarum paſſionum in terra conſortes fuerimus, futuros quoque tui gaudij in cœlo participes. Fiat in nobis voluntas tua per tribulationes, doloreſque morborum in terra, ut tua quoque voluntas in nobis fiat per cœleſtis gloriæ tuæ perfruitionem. Lectulus, in quo me jacentem tenet infirmitas, crux eſt, cui inhærentem me tenet adorabilis providentia tua. Si vult me ex hoc morbo conſurgere, fiat voluntas ſua. Si non vult me ex hac cruce deſcendere, ut in ſepulchrum deſcendam, hæc adorabilis voluntas ſua æque fiat, & compleatur. *Idem*.

In temporalibus negotiis ſemper bonum certum, quod pertinet ad nos, incerto præfetimus, quod ſpectat ad alios. Si ſimiliter ageremus in ſalutis noſtræ negotiis, ſtatim fateremur conſilium ſe ſe conquerendi in iis malis, quæ patimur, falſum eſſe, & a ratione damnari. Quia noſmet conquerendo, nobiſmet certe non prodeſſumus; & admodum incertum eſt, utrum conquerendo proximo proſimus. Cur ergo noſmet privamus patientiæ bono, cauſam prætexentes aliis procurandi bonum correctionis? Saltem magna ſpes eſſe deberet hanc nobis a ſententia eventuram: alioquin hoc eſt agere contra veram rationem propter incertam ſpem abrenuntiare certo bono, quod nobis affert tribulatio humilis, & tranquilla. *Ex tractatu de mediis ſervanda pacis*.

Utile eſt gemitus continere in contumeliis quibus afficimur.

Nihil utilius eſt, quam continere gemitus etiam, & querimoniam. Hæc via eſt obtinendi a Deo, ut nobiſcum non agat ſecundum juſtitiæ ſuæ ſeveritatem, &, ut inquit Scriptura, non intret cum nobis in judicium. Hæc tutiſſima ratio eſt ſopiendi lites in ipſo ortu, ac prohibendi, ne exaſperentur. Hæc charitas eſt, quam nobiſmet exercemus, procurantes nobis patientiæ bona, & avertentes a nobis famam hominis delicati, & cavillatoris, & dolorem, quod percipimus, cum hominum verſutia in diluendis criminibus efficiat, ut damnemur in iis, in quibus omni culpa vacare arbitramur. Charitas hæc aliis fiat, cum illos in ipſorum imbecillitatibus ſuſtinemus, & parcimus eorum verecundiæ, qui meriti ſunt confundi, & recentibus noxis, in quas ceciderent ſe ſe excuſantes, & iterum onerantes eos, quibus conquerendi occaſionem præbuemur. Denique hæc melior eſt via illos lucrandi, cum patientiæ noſtræ exemplum longe aptios ſit ad immutandum cor erga nos, quam noſtra querimonia; querimonia quippe ad ſummum efficere poteſt, ut exteriorem corrigant ſpeciem, quod parum eſt, & augeant potius interius odium, quod ea patiunt, de quibus querimur. *Idem*.

Quid detrimenti patiemur conſilium ineuntes non conquerendi? Nihil omnino, dico etiam in hoc mundo. Nonne magis nobis obtrectabitur? E contra, ſtatim ac noſtram audient modeſtiam, minus propenſi erunt ad obloquendum de illa. Nos majori erimus in pretio. Omnia redigentur ad inurbanitates aliquot, vel injuſtos ſermones, quibus querendo numquam medebimur. Maligna hæc oblectatio, quam ipſi percipimus noſtram offenſionem aliis communicantes, tanti ne valet, quanti dolor noſmet privandi theſauro, quem per humilitatem, atque patientiam acquirere poſſumus? *Idem*.

Morbi reſpiciendi ſunt tamquam rectiſſima via ad cœleſtem gloriam perveniendi.

Quantuslibet futurus ſit numerus dierum tribulationis, quem nobis deſtinat Deus toto noſtrarum infirmitatum curriculo; quantumvis grave, ac difficile ſit ad ſuſtinendum pondus dolorum noſtrorum; quantacumque eſſe debeat noſtrarum tribulationum menſura; quantuſcumque debeat eſſe calix amaritudinis, quem nobis præparat Deus: nobis accipiendus eſt tamquam calix ſalutis, nobis Patris Cœleſtis manu oblatus. Nobis ſufficere debet, quod ille numeraverit pœnas, quas ſubituri ſumus hujus ægritudinis tempore, & omnes amaritudines, quæ illam ſunt comitaturæ. Nobis ſatis eſſe debet cognoſcere ab ipſo hæc omnia dirigi; certi quippe ſumus, ipſum nihil præcipere, niſi ut morbus, quem nobis immittit, nobis opituletur ad expianda in hoc mundo peccata, quæ nobis eſſent in altero expianda. In hac certitudine nobis ſed fidenter dicendum eſt? Eheu Domine, largire nobis invictam patientiam neceſſariam ad perferendos ſine murmure, & cum conſtantia dolores omnes, qui nobis erunt perferendi in morbis, quo nobis tibi placet immittere, ut in hac vita ſcelerum noſtrorum expiationem abſolvamus. Ultro, ac libenter aſſentimur tribulationum noſtrarum incremento, quantumvis intolerabiles ſint, ut quamprimum eo in ſtatu ſimus, ut quamcitius ingredi valeamus ad fruitionem illius beatitudinis, quam tandiu, & tantopere concupiſcimus. *Modus recitandi Orationem Dominicalem*.

Quin animos deſpondeamus, & in queſtus erumpamus, lætandum eſt nobis in doloribus noſtris, quantumvis ſævi ſint, atque vehementes. Orandus etiam Deus eſt, ut augeat illos, & cum amore illi dicendum eſt: Ure, Domine, ſeca, & in hac vita ne parcas, ut nobis parcas in altera. Æquiſſimum eſt, ut qui miſere ſua abuſus eſt valetudine, eamque non impendit, ut opus erat, in Dei ſervitute: æquiſſimum eſt inquam, ut ea privetur; & poſtquam vetitas, ſibi voluptates deguſtavit, ſaltem in ſuorum peccatorum pœnam doloribus afficiatur. Ingrati ægrotantes, qui inceſſanter murmuratis de malo, quod ſuſtinetis; æquius eſſet, ut Deo gratias ageretis, quod ab eo vos liberaverit, quod vobis erat in inferis perferendum. Heu! Si vellet Deus aliquid de ſua juſtitia remittere erga damnatum, ejuſque pœnas commutare cum illis, quas hodie impatienter adeo ſeſtinetis, infelix hæc anima eas leviſſimas eſſe fateretur collatas cum ſuis, quamvis illæ vobis non ferendæ viderentur. Mala mea, diceret illa, nihil ſunt, ſi conferantur cum teterrimis ſuppliciis, a quibus Dei miſericordia me liberavit. *Idem*.

Perſuaſum nobis eſſe debet eas pœnas quas patimur, nihilum eſſe, ſi cum iis, quas meremur, conferamus.

Vulgaræ tentationis illis, qui violentis laborant infirmitatibus, quam modicæ viderentur, ſi attentius conſiderarent terribilia ſupplicia, quæ alioquin illis in altero mundo eſſent perferenda. Quam patientiam, & firmitatem in acutiſſimis doloribus ſuis non præſeferrent, quam ſuavitatem non invenirent inter amaritudinem, ac faſtidia rerum omnium, quæ infirmitatem concomitantur! Quæ gaudia inter tentationes triſtitiæ, tædii, dejectionis! Quod ſilentium inter tentationes murmuris, & querimoniæ, iræ, & furoris; ſeu contra illos, quibus eorum cura demandata eſt, ſeu contra medicos, qui operam dant, ut eos relevent morbo! Da mihi, inceſſanter dicerent, Da mihi Deus ſpiritum fortitudinis contra omnes infirmitates, in quas vulgo incidunt ægri; da ſpiritum moderationis contra impetum quemcumque, ſpiritum ſuavitatis contra omnem acrimoniam, & amaritudinem cordis, ſpiritum ſubmiſſionis imperiis divinæ Providentiæ tuæ, ut quantumvis ſevera nobis videantur, agnoſcamus

illa

illis ſemper talia, qualia ſunt erga nos, eaque jugiter recipiamus cum ſpiritu fidei, gratitudinis, & conformitatis conſiliis ſuis de nobis in infirmitatibus noſtris; ſpiritum ſapientiæ, qui efficiat, ut inde hauriamus fructus, quoſcumque poſſumus ad ſalutem noſtram, tuique Sancti amoris incrementum: denique ſpiritum gratiæ, qui nobis opituletur adverſus omnia tentationum genera, quæ tuis de nobis conſiliis adverſantur. *Ex Tractatu de modo recitandi Orationem Dominicam.*

Memoria cruciatuum, ac Paſſionis filii Dei nobis inſpirare debet patientiam in tribulationibus noſtris, ac ex nobis extorquere hæc verba: Mundi Salvator, qui non peccavit, paſſus eſt, neque ulla ex eo audita fuit querimonia: nos vero patimur, quia peccavimus, & queremur? Dei filius paſſus eſt, ut Paternæ ſatisfaceret juſtitiæ pro peccatis noſtris; amavit cruciatus ſuos, iiſque ſe obtulit: nos vero ita erimus ignavi, ut ferre nolimus, & exemplum illius ſequi detrectemus? Divinus Dominus meus, & magiſter in paſſione, & morte ſua ſexcentas paſſus eſt contumelias, atque tormenta, quin conquereretur, & moſtraret; ego ejus exemplum debeo imitari. Noluit ille deſcendere de Cruce ſua; non ergo cupiam deſcendere de mea. Ita eſt, Deus meus, cor meum numquam fovebit hoc deſiderium. *Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Patientia, quæ facit, ut quiſque poſſideat animam ſuam in patientia, præferenda eſt fortitudini quæ facit ut tribulationibus occurramus.

Sapiens patientem eum vocat virum, qui conſtanter malum ſuum ſuſtinet; fortem vero illum, qui eidem occurrit malo. Alter hic primo ſtatim intuitu videtur priori antecellere, ſed aliter judicat Spiritus ſanctus, & priorem poſteriori præcedere judicat: *Melior eſt patiens viro forti*. Prov. 16. Et ſane qui impetitur, ac laceſſitur, natura conſtitutum eſt, ut ſe tamquam inferiorem putet viribus, qui vero alterum petit laceſſitque, hic viribus ſuperior habetur. At glorioſius eſt reſiſtere, cum te putas infirmiorem, quam alium aggredi, cum te fortiorem credis. Secunda, cum reſiſtis, malum jam præſens eſt, ejuſque vim ſentis; e contra cum pati quæris, malum adhuc abeſt; nondum illud experimur, neque eodem infirmati ſumus. Denique patientia in gravi aliquo morbo perferendo complectitur ſemper plurimos actus, qui ſupponunt, vel potius dant nobis hujus virtutis habitum; cum e contra patiendi deſiderium in ſe mere nil aliud eſt, quam actus perſunctorius, & poteſt etiam ſæpe principii loco habere fervorem imprudentem, vel nimiam amoris proprii ſubtilitatem. Cupiamus igitur cruces, voluntarias nobiſmet infligamus pœnas, uti faciunt homines mundo huic crucifixi: ſed ante omnia illorum imitemur patientiam in malis, quæ nos anteverterunt. Alioquin timendum eſt maxime, ut cum omnibus pœnitentiis noſtris victimæ ſimus amoris noſtri: *In die judicii veſtri invenitur voluntas veſtra*. Iſa. 58. *P. Segneri in Meditat.*

JESUS CHRISTUS nequaquam ſuam promiſit remunerationem illis, qui ſeſe periculo objecerint, ac illud provocarint, ſed qui patienter, & conſtanter vitæ hujus tribulationes, & adverſitates pertulerint. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Luc. 21. Raro evenit, ut malo obviam ire teneamur: ſed quemadmodum occaſiones perferendi ſeſe in ſingulas horas offerunt nobis, miles JESU CHRISTI ſemper armatus eſſe debet, ad ſtrenue reſiſtendum paratus. Ita videmus eos, qui præ ceteris ſanctitate floruerunt, quod tentationis fortiter obſtiterint, & vix unum invenias, qui eo glorietur, quod hoſtem in aciem evocaverit. *Placeo mihi*, Apoſtolus inquit, *in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto*. 2. Cor. 12. Quodnam erat fundamentum nobilis hujus confidentiæ, quam hic jactat Apoſtolus? Hoc nempe, quod ex iis omnibus, quæ patiebatur, nihil erat optionis ſuæ, & certus erat, ſe nonniſi Dei ſui facere voluntatem. Diſcamus hinc in pretio habere cruces, quas nobis immittit Providentia, & multo minus confidere in meritis earum mortificationum, quas nobis met ipſis procuramus: *Melior eſt patiens viro forti, ſapiens ait. Idem.*

Patientiæ bona.

Colimus, ut ita dicam, ingratum agrum. Omnia dumis plena ſunt, ſpinæ ſub pedibus oboriuntur; necquiquam illas convellis, iterum renaſcuntur, & in omnibus conditionibus, in ipſo etiam regni ſolio lancinant. Si deſit patientiæ ſubſidium, aculei non pungunt ſolum, ſed ſcindunt; patientia una illas hebetat, obtunditque; in patientia poſſidemus animas noſtras, videlicet hac virtute admirabili noſtras ſubigimus cupiditates. Tranquillitas, & pax animæ primus eſt fructus illius. Nihil patientia melius cordis tumultus, & agitationes mulcet: ſedat hæc impetus ætatis, vel naturæ nimis fervidis, omnibus ſollicitudinibus medetur. Hæc ſola eſt ad vitam beatam ducendam via. Quot ipſi nobis curas, quot peccata evitaremus, ſi aliquid plus nobis adeſſet patientiæ? Impatientia noſtra eſt nobis origo fœcunda curarum, vel ſaltem totius amaritudinis, quam in adverſitatibus, & crucibus noſtris nanciſcimus. Si patientia noſtris inimicis arma non aufert, niſi diluit fel, quo tument adverſus nos, niſi eorum extinguit odia, ſaltem conatus eorum irritos facit. Patientia magnarum animarum virtus eſt; hæc communis eſt omnium Sanctorum virtus, cur autem non erit noſtra? *P. Croiſet in anno Chriſtiano.*

Impatientia unum ex vitiis eſt, a quibus minus nobiſmet cavemus, quamvis pauca ſint, quorum exitus nobis ſint magis formidandi. Homo nimis acer, homo impatiens fere non utitur libertate ſua, neque ultra dominus eſt ſuorum judiciorum, & voluntatum. Non eſt dominus ſuorum judiciorum, nam quin auſcultet, & ſequatur rationem, nonniſi per impetum, & præceps ingenium ſuum operatur. Quæcumque habeat lumina, ignis, quo rapitur, efficit, ut deterius capiat conſilium, cum interim vir patiens lumine mediocri in moderatione ſua inveniat, quidquid ipſi deeſt aliunde. Impatiens neque voluntatis ſuæ Dominus eſt; hæc enim fit ludibrium tot motuum, quot varia ſunt objecta, quibus turbatur, & irritatur. *Pater Segneri in Meditat.*

Impatientia non ſolum impedimento eſt, ne homo ſit compos ſui, ſed illum tot ſubjicit dominis, quot ii ſunt, cum quibus verſari tenetur. Verbum, geſtus, motus, omnia in illo impetum faciunt, illum turbant, & numquam fere in ſitu ſuo manet. Illud vero acerbius eſt, quod in ſingulas horas dæmonis inſultibus patet. Hic ſalutis noſtræ inimicus inceſſanter circuit, ut nobis inſidias ſtruat, & occaſionem nos deturbandi exploret: ſed opus non eſt, ut ullo utatur ſtratagemate contra impatientem; locus, ut ita dicam, ſemper caret propugnaculo, & vulgo illum primo impetu capit. Hinc diſcamus, quantæ utilitatis nobis ſit Salvatoris præceptum, ut per chriſtianam patientiam animam noſtram poſſideamus. *In Patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Luc. 21. *Idem.*

Patientia jugi mortificationis exercitatione comparatur.

Scriptura non inquit, tribulationes ſtatim conferre patientiam, ſed hanc operari, & efficere ut illam adipiſcamur. *Patientiam operatur*. Jacob. 1. Et profecto virtus hæc non niſi paulatim, & diuturna exercitatione poteſt acquiri. Primum ſtatim horremus, quidquid naturæ noſtræ mollitiem lædit, leviſſimæ tribulationes a nobis ſuſpirium extorquent, & quamvis tandem ſuperetur hæc repugnantia, quanti hoc nobis ſtat, quot nobis ſuſtinenda ſunt prælia, ut hoc aſſequamur! Fruſtra quærerentur in libris ſanſæ hujus patientiæ: fruſtra contenderemus in ſpiritus, animique ſuperioritate invenire, quomodo in inopinatis tribulationibus ſulciremur; omnia Philoſophorum placita in praxi fierent irrita, & hæc animæ magnitudo, in qua confideremus, ubi eſſet opus, deficeret. Jugis mortificationis uſus ſolus eſt patientiæ magiſter. Numquid ſperare poſſumus, nos gratiam hanc aſſecutuтos titulo

minus oneroſo, quam illam Salvator ipſe poſſederit? Quamvis Dei Filius eſſet, *didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam*. Ad Hebr. 5. Non ignorabat Paulus, Dei Filium ſemper virtutes omnes in eminentiori gradu poſſidere; ſed notat etiam, illum in perſona ſua nobis exemplar proponere voluiſſe. Quam ob rem Apoſtolus iſte non dubitat aſſerere, Salvatoris obedientiam, videlicet patientiam, & obſequium ſuum auſteris Patris ſui mandatis fuiſſe tamquam pretium, ac remunerationem paſſionum illius. Speremus ipſi poſt hæc, ſine ullo experimento patientiam eſſe adepturos? Sed quænam eſt noſtra vivendi ratio? Quin quæramus tribulationes, in eo ſumus occupati, ut eas cane pejus, & angue fugiamus; & quin ſaltem illas æqui, bonique faciamus, cum ſe ſe offerunt nobis, ſumma diligentia evitamus, quidquid vel minimum nobis negotium faceſſere poteſt, & quotidie omnia nobis vitæ commoda procuramus. Inane glorioſum militum JESU CHRISTI titulum mereri contendimus? Quinam dux otioſus, & iners artem didicit militarem? Hac in re Principes quoque a lege communi immunes non ſunt; diu arma illos geſtare opus eſt, antequam parva ſint copiis in aciem deducendis. Numquid ignoramus hominis vitam eſſe juge prælium, & in acie, enſe diſtricto hominem Chriſtianum digladiari debere? Nemo intrepidus ſit, niſi qui nihil hæſitans ſe in hoſtes conjecerit, qua pugna fervet, & ſtrenue graviſſimos inimicorum ictus ſuſtinuerit. *Probatio fidei veſtra patientiam operatur. P. Segneri in Meditationibus.*

Optime inſumptum rere, quidquid tibi ſteterit acquiſitio patientiæ; hæc enim additura eſt perfectionis cumulum iis omnibus, quæ feceris bona: *Patientia opus perfectum habet*. Maximus obex in virtutis via a nobis ſuperandus procedit ex inconſtantia noſtra, & ingenita levitate. Vix operi bono manum admovemus, cum tædium ſecretum ſtatim corde noſtro potitur; & ſi minus efficit, ut illud prorſus relinquamus, omne ſaltem meritum aufert. Patientia unicum remedium eſt huic morborum generi. Poſſumus quidem in aliis virtutibus invenire cauſas, ut maxima quæque aggrediamur; ſed ſola patientia efficere poteſt, ut illa exequamur, ac nos ad finem uſque poteſt ſuſtinere. Hujus eſt nobis coronam capiti imponere; ſine hac virtus mera libido eſt, ignavia, & fervor perfunctorius. Verum ſi patientia eſt inevitabilis neceſſitatis, ut perſeveremus in praxi bonorum operum ſigillatim, illa quam non habet cum finali perſeverantia affinitatem? Quis enim revera, quamvis patiens in finem ſtadii ſui, dicere poterit cum Filio Dei, *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam*, Joa. 17. Si heroicarum virtutum actus inconcuſſa patientia nequaquam fulciuntur, cujuſnam pretii erunt in oculis Dei? Ardentior charitas, obſequentior obedientia, ſublimior contemplatio pro nihilo habebuntur, niſi patientia illas conſtantes effecerit. Ita Scriptura nobis repræſentat Sanctorum beatitudinem tamquam pretium patientiæ, qua in finem uſque Domini legem compleverunt. *Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei*. Apoc. 14. *P. Segneri in Meditationibus.*

[illegible] Chriſtiana perfectio in virtute patientiæ continetur.

Vir patiens, S. Jacobus c. 3. ait, *vir perfectus eſt*. Et ſane tribulationes exercent, probant, & omnes virtutes illuſtrant. Sine tribulationibus virtutes ſunt vel dubiæ, vel imperfectæ, vel infirmæ; ſed tribulationes virtutes omnes certas, perfectaſque reddunt. Quomodo non emicat in tribulationibus Fides; cum jubet credere, nos a Deo amari cum nos plectit; illum per bonitatem ſuam in nos animadvertere; ad noſtram utilitatem deſævire; ut nos humiles, & obſequentes efficiat, ut nos probet, & a mundo divellat, ſibique conjungat, ut imprimat in nobis imaginem Filii ſui crucifixi, ſimulque noſtræ prædeſtinationis characterem, denique ut nobis tutam faciat augeatque coronam? Quænam requiritur fides ad hæc omnia, licet obſtent naturæ & humanæ rationis lumina omnium cupiditatum conſenſu, & omnium fere mortalium præjudicio probata?

In eo tres continentur virtutes Theologicæ.

Quid magis commendat ſpem, quam intueri hominem, qui ſe videt afflictum, obtutum, opprobriis tumulatum, redactum; ut ita dicam, ad nihilum, & in eum ſtatum, ubi nulla ſpei lux illi effulget illinc emergendi; intueri inquam hominem hunc ſperantem *contra ſpem in ſpem*, omnem confidentiam ſuam in Deo conſtituentem, qui non ſolum eum dereliquiſſe, verum etiam cum inimicis illius ſocia videtur arma junxiſſe, ut illum perſequatur, & nihilominus cum Job c. 13. dicentem: *Etiam ſi me occideris, ſperabo in te*, Jonitat ſeveræ huic dexteræ, quæ mihi vulnus mortis infligit. Quid admirabilius eſt, quam videre hominem firmum rupis inſtar inter fluctus; quibus fluctibus circum undique obſidetur, quin labefiat! Solum rationis lumen ſatis eſt, ut in tanta fortitudine, atque confidentia magnum aliquid fulgeat; quod cauſa fuit, ut Ethnicus neſcio quis affirmaret, ſpectaculum Deo dignum eſſe virum fortem cum adverſa fortuna compoſitum, quin ſuperetur. Sed quanam charitate accenſi eſſe debemus, ut Deum amemus, cum videtur nos perſequi? ut illum tamquam Patrem reſpiciamus, ac in illum filiorum viſcera geramus, cum ille nobiſcum videatur agere tamquam cum inimicis; ut non colamus ſolum, verum etiam amemus Providentiæ conſilia; ut non tantum revereamur, verum etiam deoſculemur manum, a qua vapulamus? Qua opus non eſt obedientia, ut tamquam alter Iſaac in pyrha locari ſinamus non ſolum quin repugnemus, & quin murmuremus, verum etiam quin conqueramur? atque ut dicamus cum David: Percute me Domine, quoniam in flagella paratus ſum: ſcio, quod tot ſuam manum ſuam dirigit; vel cum Job: voluntas tua eſt me pati, mea autem pati, quoniam tu via. Multa patior, verum eſt, natura horret tribulationes, nihil magis ſenſibus illius, & guſtui adverſatur: ſed ſatis eſt me juſſu tuo pati; tunc enim dulcea mihi ſunt tribulationes. Semper pati natura, ſenſus, ratio ipſa repugnant; ſed hoc vult Deus; hoc unum ſufficit verbum, ut in anima Chriſtiana pax ſtatuatur. Ita loquitur vir Chriſtianus, qui patitur, ita etiam agit, & operatur. Numquid Dei voluntas perfectius in cœlum adimpletur? Beati quidem in cœlo jucundius Dei mandata faceſſunt, verum illa ne generoſius exequuntur? *P. Nepveu in Chriſtianis animadverſionibus.*

O nos beatos! ſi corda noſtra cruci ſuffigeremus: namque nonniſi illam amando ſecerni poſſumus ab infidelibus, qui oderunt illam. Cur autem non amemus id, quod nobis tanta procurat bona; quandoquidem in una cruce invenire poſſumus noſtram vim, ſolatium, & ſpem; & per illam deletum fuit peccatum, victus infernus, mors jugulata. Crux hæc a tot Prophetis prænuntiata, tot ſæcula a Martyribus perlata, & gloriſicata, ab ipſo JESU CHRISTO conſecrata: hæc inquam crux noſtra eſſe debet gloria, & corona. Hæc pacem ſancivit terram inter & Cœlum, ne illam muſſitationibus, atque inobedientiis frangamus. Patienter hominum injuſtitiam non ſuſtinere, idem eſt ac divinæ adverſari juſtitiæ, ac amore Dei ſe indignum præbere, cujus ille certiſſima nobis præbet argumenta nobis præparans cruces. Morbi, bonorum jacturæ, conſanguineorum obitus, moleſtiæ, quas ab iis patimur, cum quibus verſari tenemur, acria temperamenta, ſpiritus difficiles; contradictiones; lites, proditiones, aliaque id genus ſexcenta, ſunt cruces nobis præparatæ. Recipiamus illas tamquam pignus amoris, quo nos complectitur Deus, tamquam mercedem, quam illius nobis juſtitia concedit, ſi juſti ſumus, vel tamquam pœnam, quam nobis infligit, ſi peccatores. Non ita cæci ſumus, ut injuſtitiam, & crudelitatem hominum præcipuam faciamus noſtrarum tribulationum cauſam; ſed per

Cruces amandæ ſunt.

fidem

fidem noſmet ſupra rationem attollentes quærimus in Deo, & in nobis met ipſis rationem earum rerum omnium, quæ nobis accidunt permoleſtæ. *Abbas Anſelmus*.

Tempus tribulationis eſt tempus probationis.

Aliorum virtutis periculum facimus, ut eam agnoſcamus; Deus hoc ipſum nobiſcum præſtat. Perſecutio, quæ in vos injuſte excitatur, contumelia, quæ vobis infertur, morbus, qui vobis habituales relinquit infirmitates, tribulatio cujuſcumque generis ſit, oſtendunt illi, quid revera ſitis. Si vobis patientia, & ſubmiſſio fuerit in criticis his occaſionibus, eſtis ex numero fidelium ſervorum, de quibus ſcriptum eſt: *Deus tentavit illos, & invenit eos dignos ſe*, Sap. 3. Sed e contra ſi conqueſti fueritis de Providentia, quæ vos affligit, ſi minus fideles extiteritis crucibus veſtris; *Jeſus Chriſtus* reprobat vos his verbis. *Et qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*. Matth. 10. Ne confidatis ergo neque in virtute veſtra, neque in conſiliis veſtris, antequam traducti fueritis per ignem tribulationis: ſine hoc experimento, homo neſcit, quid ſit. *P. Segneri*.

Quamplurimi vivunt in tribulationibus, quin tamen dici queat, illos JESUM CHRISTUM imitari. Patiuntur quidem, ſed inviti, & cum ſumma animi repugnantia patiuntur. Hoc non eſt ſequi Salvatoris exemplum. Ut veſtigia illius legamus, tribulationes noſtræ ferendæ ſunt a nobis eodem ſpiritu, quo ille tot varia mala perpeſſus eſt cum humilitate, lenitate, patientia, tranquillitate, perſeverantia, & ſi fieri poteſt etiam lætitia. Hoc vere eſt ſequi Salvatoris exemplum, ac patienter ſuſtinere. Quinam eſſet tribulationum veſtrarum fructus, ſi muſſitaveritis, cum illas vobis Salvator immittit? vel ſi patientes non eritis, cum optionis veſtræ illæ ſunt! Vobis met infligitis jejunia, & alias voluntarias auſteritates; & minima criminum veſtrorum objurgatio vos exaſperat, & vobis ferenda non eſt? Ut militer, & ſine querela patiamini, mementote, quam æquum ſit, vos pati, & crebra vobis met ipſis dicite: JESUS CHRISTUS pro me paſſus eſt. Gloriæ Dominus paſſus eſt pro terræ verme: Dominus pro ſervo, Princeps pro ſubdito, Deus pro homine. *Chriſtus pro nobis?* Cur ego non patiar pro JESU CHRISTO? nonne alacriter mihi patiendum eſt? *P. Segneri in Meditat.*

Nonniſi tua legens veſtigia, & tua ſequens exempla tuæ beatitudinis conſors fieri poſſum Domine; igitur per viam tribulationum dumtaxat pervenire poſſum ad gloriam. Arduа via eſt per ſe, terminus autem eſt finis, & cumulus omnium deſideriorum, quæ mortalis concipere poteſt. Via crucis in ſe aſpera eſt, ſed cum oculos figo in veſtigia Dei, qui mihi præceſſit, poteſtne illa mihi videri intolerabilis? Nonne ibi invenire poſſum ſuavitatem? Me præceſſiſti Salvator in via Crucis, & hoc ipſo illam mihi ſtraviſti, nulliuſque rei indigeo niſi gratiæ tuæ, & modicæ patientiæ. Aſſumpſiſti in te omnem ſeveritatem crucis: & nunc illam cum voluptate geſtare debeo; tandem enim quod intercedit diſcrimen ponderis tuam inter, & meam. Juſſiſti me legere veſtigia tua, non autem paribus gradibus tecum incedere. Verum ſufficit ne pati, Domine, ut tua ſequamur veſtigia? Peccator patitur, ſed te non imitatur. Impoſterum patiar non ſolum tecum, ſed ſicut tu, cum lenitate, patientia, & ſi mihi licebit, cum gaudio. *P. Segneri in Meditationibus*.

Perſecutio tutiſſimum eſt virtutis experimentum.

Sæpe virtuti id accidit, quod auro, quod defæcatum videtur, & adulteratum invenitur, poſtquam in fornaculam fuſoriam conjectum eſt. Quot fictitiæ virtutes in illis ipſis, quos ſpirituales, ac interiores vocamus! Hi nobis vere virtute præditi videntur, & tales eſſe perhibentur, quoniam moleſta perſecutio illos nondum probavit. Ne miremur ergo, quod ſeptem beatitudinibus, quæ videbantur hominem ad ſummum perfectionis gradum evexiſſe, JESUS CHRISTUS adjecerit: beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: tunc enim ex eorum conſtantia innoteſcit, utrum virtutes eorum optimæ notæ eſſent, an ſequioris? Igitur JESUS CHRISTUS hic non recentem nobis proponit beatitudinem, ſed reliquarum omnium probationem. Perfectionis enim cumulus non eſt facere omne illud bonum, quod in præcedentibus beatitudinibus continetur, ſed illud facere quicumque obices adverſentur. Ecce probatio, virtutis fornacula: *Si bene facientes ſuſtinetis: hæc eſt gratia apud Deum*. 1. Petri 2. Quam beati eſſemus, ſi nobis met perſuadere poſſemus, majorem beatitudinem noſtram eſſe pati perſecutionem propter juſtitiam, irrideri, calumniis peti, ad extremum ſupplicium trahi, eo quod fideles ſuimus JESU CHRISTI diſcipuli! Sed non aſſequimur veritatem adeo ſublimem, & nos beatos ducimus, cum praxis virtutis aliquam nobis affert utilitatem. Hinc ſunt ſenſus Salvatoris. Vult etiam, nos exiſtimare beatos, cum quidquid boni facimus cauſa eſt, ut nos homines perſequantur, cum propter opera noſtra bona intentatur nobis jactura omnium bonorum, exſtimationis, vitæque ipſius. Vult Salvator, ut inter has tribulationes firmi, & immobiles maneamus in operibus juſtitiæ, alioquin nulla virtus eſt vera. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non inventa eſt in me iniquitas*. Pſal. 16. Beati quod patiuntur! Quodnam effatum eſt hoc? Tu unus, Domine, id hominibus poteras perſuadere. Sed heu! fortaſſe exempla, & præcepta tua, Deus, nondum perfecte hoc mihi perſuadere potuerunt. *Pater Segneri Tomo 5. Meditationum*.

Cum a Deo petimus, ut nos a vitæ hujus malis liberet, ne credemus nos omnimodum liberationem aſſecuturos. Impaſſibilitas non eſt pro terra, ſed pro cœlo reſervata eſt: *ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri*. Rom. 8. Itaque ne petamus a Domino, ne quid hic in terra patiamur, ubi lucrari debemus cœlum per tribulationes; ſed petamus dumtaxat ab illis præſervari malis, a quibus ſapienti illius providentiæ placuerit, nos liberare. Neque ideo credamus nobis eſſe petendum a Deo, ut a nobis mala ſummoveat, Si non judicat operæ pretium noſmet omnino liberare, poteſt illa mulcere internis conſolationibus, quibus nobis tolerabilia reddantur, quemadmodum ſolidis promiſſionibus ſuſtinuit Jacob ſub Eſau perſecutione gementem. Poteſt ſimul mala noſtra cum benefactis conferre, quemadmodum Danielis captivitatem compenſavit efficiens, ut inveniret gratiam apud Principem, a quo in compedibus detinebatur. Poteſt denique mutare malum in bonum majus; ita infortunium Joſeph venditi factum eſt illi fons boni, quod infimæ ipſius conditioni præſtabat. Non debemus omnino petere a Domino, ut curſum inhibeat malorum noſtrorum; ignoramus enim, quid nobis profuturum ſit; ſolum orare debemus, ut conſulat tribulationibus noſtris eo modo, quem gloriæ ſuæ magis conformem judicaverit. Si nos liberaverit a malo, quod patimur, bonitati illius gratias agamus. Si nobis opem tulerit aliquo ex iis modo, quem explicuimus, gratias agamus & bonitati, & ſapientiæ illius, cujus admirabilia conſilia ſunt. Si etiam nos in tribulationibus noſtris relinqueret, adoremus juſtitiam ejus punientis noſtram iniquitatem. Neque enim de tribulatione tantum agitur, cum dicimus, *libera nos a malo*. Plerumque nobis utilius eſt illam experiri, quam eadem immunes eſſe. Unice igitur petendum eſt, ut liberemur a malo, hoc eſt ab eo, quod nobis poſſet obeſſe: aliter enim facere eſt bonum cum malo, & cum bono malum confundere. Verum malum, a quo liberari cupiendum eſt nobis, eſt impatientia in vitæ hujus tribulationibus, quibus probamur. Hæc omnium malorum noſtrorum origo eſt. O nos bea-

tos, ſi a Patre cœleſti obtinemus patientiam, cujus tantopere indigemus, & quam fortaſſe numquam ab illo petimus! Hoc unum poſſidentes bonum dicere poterimus nos quodammodo ab omni malo liberatos eſſe. *P. Segneri*.

Ullum ne eſt vitæ hujus malum, quod pati non merear, poſtquam per ſummam infelicitatem læſi te, Deus meus? Audeo tamen a te illud deprecari, quandoquidem dignatis hoc precibus, lacrymiſque noſtris largiri. Sed nimis agnoſco humanæ conditionis miſeriam, ut ſperem me immunem futurum ab omnibus vitæ hujus malis. Hoc igitur unum peto, ut mulceas mala, quæ patior, æque preſto ad gratias tuæ bonitati agendas, ſi me recreas; & ad colendam juſtitiam tuam, ſi me in tribulatione relinquis. Imo nimis etiam cognoſco neceſſitates meas, nec cupio omnino carere ſuppliciis. Tribulatio mihi eſſet pretioſiſſimum bonorum, ſi illam amare poſſem. Impatientia, ac murmuratio in tribulatione mala ſunt mihi timenda, & hæc ea mala ſunt, a quibus liberari flagito. In nomine filii tui confugio ad te, juſſu illius tibi omnia vota mea nuncupo; in illius meritis unice confido. Igitur finem facienti orationis hujus inſtaurandus mihi eſt fervor meus, & revocanda omnis, cui par ſum, attentio ad rata facienda vota, quæ obtuli tibi, teſtandumque deſiderium, quod mihi eſt, ut adimpleantur. Hoc autem facio dicens: Amen. *P. Segneri in Meditationibus*.

Patientia tanti meriti eſt apud Deum, ut Judæi potuerint agnoſcere Filium Dei pro Meſſia ex hac una virtute.

Patientia tanti meriti eſt apud Deum, ut in Salvatore fuerit, Tertullianus in lib. de Patient. ait, probabile divinitatis ejuſdem argumentum. Homo ita patiens, qualis erat Meſſias, o Phariſæi, vobis videri debebat aliquid amplius homine. *Hinc vel maxime, o Phariſei! Dominum agneſcere debuiſtis: patientiam hujuſmodi nemo hominum perpetraret*. Chriſtiana patientia ſecum fert meritum, quod mulcet omnem divinæ juſtitiæ ſeveritatem. Negare non poſſumus, nobis omnes ſubeundas eſſe pœnas, ut divinæ juſtitiæ ſatiamus ſatis propter ſcelera noſtra; & ipſa opera bona, quæ poſſumus exercere, non minuunt neceſſitatem patiendi, ut eadem reparemus. Igitur Dei juſtitia jus habet exigendi, ut ſolvamus pro injuſtitiis, quibus illam contempſimus; inter ſolutionem, ac debitum requiritur aliqua ratio; & per virtutem patientiæ hoc a nobis conflatum debitum diſſolvendum eſt. Ita ſarcimus damnum, quod intulimus ſupremo Dei Dominio per ſpiritum inobedientiæ, & quia per iniquitates noſtras jugum illius ferre detrectavimus. *P. la Peſſe Tomo quarto*.

Semper nobis eſt cauſa credendi, Deum tanto libentius acceptare patientiam, quanto minus obnoxia eſt quibuſdam vitiis, quæ virtutes reliquas poſſunt in ſuſpicionem adducere. Illuſio, & amor proprius non ita facile eam corrumpunt. Fidelis, qui ſine querela patitur, proculdubio non patitur cauſa vanitatis. Fidelis qui hilari, & obſequenti animo ea ſubit ſupplicia, quibus illum afflictari Deus jubet, quam perfunctoriam utilitatem ſibi proponere poteſt, ſeſe illis ſubjiciens? Fidelis, qui ſua delere cogitat crimina per tribulationes, atque dolores, longe abeſt, ut ſe ipſum in ſuis malis quærat: & pro certo haberi poteſt, meritum illius omni cupiditate vacuum eſſe, & Deo non placere non poſſe. Sacrificium, quod illi per patientiam noſtram offerimus inter vitæ hujus tribulationes, illi ſemper acceptum eſt; quia hoc minus, quam cæteris, patet imperfectionibus, quæ paſſim in omnibus ſanctis operibus noſtris inveniuntur. Poſſumus etiam aſſerere, Chriſtianam patientiam Deo æque jucundam eſſe, ac ſacrificium, quod illi obtulit Noe, poſtquam aquæ receſſerunt a facie terræ, de quo Scriptura ita ait: *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis*. Gen. 8. *Idem ibidem*.

Chriſtiana patientia emundat, & perficit charitatem. Nonne illa hujus rutior probatio eſt? Poſſet ne quis pro Deo pati, quin illum amaret? Charitas, quæ nullo nobis ſtat pretio, ſuſpicione non caret; in verbis conſiſtere nequit; ſed charitas, quæ jubet nos pati, neceſſe eſt, ut ſit in corde. Dicimus, nos amare velle Deum, & amare: vel facultatem mundo tribuamus non credendi nobis, vel pro Deo patimur. Senſuum noſtrorum ſinceritas, S. Cyprianus inquit, apparere debet in ea fortitudine, quam præ nobis ferimus in ſuſtinendis adverſis. *Conflictatio in adverſis, probatio eſt veritatis*. Cur Sancti tanto ſtudio tribulationes conquæſiverunt? Quia ſe beatos putabant, ſi hoc pacto a ſe illum amari teſtarentur. Chriſtianam ergo patientiam charitas comitatur; nec ſatis magna quoque fides ei comes accedit; nam bene credamus oportet, ut multa patiamur, & firma, & conſtans fides neceſſaria eſt tranquille patienti: *Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur*. Ad Hebr. 11. Abraham credidit, ac ſtatim conſilium cepit filium ſuum ſacrificandi. Poſſumus quoque audacter aſſerere, chriſtianam patientiam ſemper innixam eſſe ſpei firmæ ingrediendi tandem aliquando in cœleſtis hæreditatis poſſeſſionem. Spes autem hæc adeo fortis eſt, ut olim vix Confeſſoribus, atque Martyribus tantum relinqueret ſenſum, ut paterentur. Speratur, S. Chryſoſtomus hom. in c. 5. ad Rom. inquit, quia ſuſtinetur; & ſuſtinetur, quia ſperatur. *Viciſſim altera parit alteram; tolerantia ſpem, ſpes tolerantiam*. Facile eſt ex his rationibus intelligere, cujus meriti ſit chriſtiana patientia, quia tres Theologicæ virtutes eam ſemper comitantur. *P. la Peſſe Tom.* 4.

Chriſtiana patientia ſemper eſt cum tribus Theologicis virtutibus conjuncta.

Si eſſemus digni Filii Dei famuli, non ſolum patientiam habere deberemus nullis umquam adverſis labefactandam, verum etiam gaudium, & lætitiam ad quod aliquid nobis pro illo ſit tolerandum; & nihilominus conſilium capere non poſſumus aliquam in nobis ſubmiſſionem oſtendendi. Tantum abeſt, ut ibi aliquam guſtemus dulcedinem, ut animæ noſtræ amaritudo ſe ſe extrinſecus prodat per ſexcentos impetus divinæ legi contrarios. Non quærremus proculdubio in hoc ſtatu occaſiones aliquid propter Deum patiendi: has inventuri nequaquam laborabimus; at ſaltem ut chriſtianum decet, patiamur, cum Deus illas nobis ſummo beneficio procuret. *P. la Peſſe Tom.* 4.

Nemo a tribulationibus immunis eſt; hoc agitur ſolum, ut quæramus, quomodo illæ ſint ſuſtinendæ. Suſtinere, ut JESUS CHRISTUS paſſus eſt, minime poſſumus: hic innocens erat, nos innocentiæ noſtræ jacturam fecimus. Nolumus proculdubio pati, ut Latro malus. Nocentes ſumus, ut ille, ſed in ſceleribus noſtris mori nolumus. Igitur imitandus nobis eſt Latro bonus, qui ſua uſus eſt cruce, ut ageret pœnitentiam, & Filii Dei gratiam mereretur. Ne quæſo nobis reddamus inutiles per impatientiam noſtram pœnas, quas evitare non poſſumus, & quandoquidem velimus, nolimus, crucifixi eſſe debemus; non inviti ſimus, ad criminum noſtrorum veniam obtinendam. Quæ noſtra calamitas eſſet, ſi nobiſmet cœlum clauderemus eadem clavi, quæ ſola illud nobis reſerare poteſt? Meremur quidem noſtram geſtare crucem, quoniam nocentes ſumus. Num illi ſuffigemur, ad noſtrum interitum in ſocietate Redemptoris noſtri, qui nos vult ſalvos facere; aut in illa aliorum, qui nocentes fuere æque, ac nos, & qui ſalvantur? *Idem ibidem*.

In tribulationibus noſtris imitari debemus bonum latronem, qui ſua uſus eſt cruce ad pœnitentiam agendam.

Nullo ſane in diſcrimine habeat oportet ſalutem ſuam, qui nihil pati vult, & illam omnino negligat opus eſt, qui male patitur. Querelæ gemituſque noſtri exaſperant noſtras paſſiones, & hæ pro nihilo cenſentur coram Deo; cum impatienter ſuſtinentur; ſed dicam amplius; hæ nos efficiunt etiam dignos ultionibus ſuis, cum impatienter feruntur. Tu es, Domine, ſupremus vitæ noſtræ Dominus. Tuum eſt de hac ſecundum beneplacitum tuum diſponere. Quodcumque ſit id,

quod

quod tibi præcipere placeat, noſtrum eſt tua capeſſere imperia, quin obliviſcamur tuæ magnitudinis, & obſequii noſtri. Sed Domine quandoquidem agitur, ut te mereamur intueri, nullam habe affectionum, ac timorum noſtrorum rationem, ſuſtine gratia tua noſtram imbecillitatem; neque nobis parcas. Sine, ut eamdem tibi orationem fundamus, quam olim ſervus tuus Auguſtinus. *Hic ure, hic ſeca; modo in æternam parcas. Idem ibidem.*

Exemplum patientiæ, quam oſtendit Job in adverſitatibus.

Vitæ Sanctimonia, quam duxit Job, cum dives erat, perfectaque valetudine fruebatur, magnam illi nominis celebritatem, ac laudem comparavit; ſed ſatbanas, ut Sanctus Chryſoſtomus animadvertit, non teſtabatur aliquo in pretio ſe illius habere virtutem, quia videbat illum proſpero rerum curſu gaudentem; cumque illum omnibus ſuis bonis ſpoliaverat, nequaquam admiratus eſt graviſſima ejuſdem heroicæ patientiæ in paupertate exempla, nam licet pauper, nihil adhuc patiebatur in corpore. Sed enim permittente Deo, acerrimis doloribus affectus fuit, & a pedibus ad verticem horribilibus ulceribus tectus, quin vel minimum quidem ejus labefactaretur conſtantia, dæmon ne verbum addidit quidem, ſe victum credidit, neque auſus eſt amplius laceſſere virum, cujus virtus æque firma in adverſis viſa eſt, atque in proſperis. *Ex Operibus Aſceticis Bloſii, & a Ponte.*

Quænam ſunt effeminatorum fidelium Impatientiæ! quas in familia turbas non cient? Minimum quid eos laceſſit, illis ſcandalum adfert, eis negotium faceſſit. Inceſſanter ſtudendum eſt, quid ſit in illis jucundius, eorum ingenio accomodari debemus, alioquin querelæ, ac gemitus ſine fine totam domum ſurſque deque miſcent. Homo hic nimis delicatus ſæviet contra filios, & ſervos, quantulumcumque ipſi afferatur incommodum. Mulier hæc quodammodo in mollitie inſepulta erit ingenio moroſo, ac non ferendo; ejus voluptas, ac genius divinandus erit, & quidquid adnitaris, ut illi placeas, nihil illi arridebit. Id genus mortales ſemper multa patiuntur, quantumvis illis parum patiendum ſit; naturalis quippe eorum impatientia auget minimos dolores ultra fidem, & ſimilis parvulis machinis, in quibus ars tot minutis indiget curis, ut accidant e ſententia: ſi minima pars extra locum exilit, ſi non ſatis accurate attrectentur, jamjam inordinatæ ſunt, non moventur amplius, ac brevi, nec ſine rumore, diſſolvuntur. *P. la Peſſe Tomo 4.*

Chriſtianus patienter ſuſtinere debet omnia mala cum vitæ, tum mortis.

Procul abſit a famulo Filii Dei hæc indigna reprehenſionis cauſa, amittere in levibus, inutilibuſque curis patientiam, quæ mala etiam graviſſima debitor ſuſtinere. Quomodonam inermes hi ſervi Domini crucifixi cœlum lucrarentur, ſi ad illud lucrandum opus eſt violentia? Si mortale bellum ſenſibus omnibus eſt inferendum? Si caro ipſa cum ſuis concupiſcentiis eſt crucifigenda? Si Domino obſequendum eſt in teterrimis omnibus vitæ calamitatibus? Si ferendæ ſunt perſecutiones, paupertas, mors ipſa, potiuſquam innocentiæ detrimentum faciendum? Si noſmet objicere debemus ſæviſſimis doloribus, atque tormentis ad fidem, & gratiam ſartam tectam tuendam? Patientia, quam a nobis exigit Chriſtianiſmus, efficere debet, ut victoriam referamus de morbis, doloribus, contemptu, injuriis, contumeliis, paupertate, jactura bonorum honorum, dignitatum, verbo de omnibus maledictæ terræ hujus calamitatibus. Mirum! non poſſumus citra impatientiam leve malum pati, malum momenti nullius, acus punctura nobis faceſſit negotium. Unquam ne Sancti erimus, Unquamne ad Beatorum ſedem perveniemus, cum in levibus tribulationibus adeo ſimus impatientes? Juge noſtrarum voluptatum ſtudium, ac timor earum amittendarum nos ad Impatientiam adducit. Quo minus patimur, eo delicatiores evadimus, quo minus volumus, eo minus poſſumus pati. *P. la Peſſe Tomo 4.*

Impatientem eſſe eſt oſtendere imbecillitatem ſuam, ac modicam rationem.

Quam jacturam non facit fidelis, qui impatientia laborat in tribulationibus ſuis. Amittit ille ſolatium, quod eas mulcere poſſet; amittit meritum, quod illas poſſet remunerari. Auget etiam dolorem ſuum, ac ſe privat fructibus omnibus, quos inde percipere poſſet. Ægritudo, quæ Chriſtianiſmi ſpiritum ſauciat, efficit, ut dolor ſit ardentior, & ſimul inutilis. Patientia virtus eſt, quæ animam confirmat contra dolorem, licet non auferat nobis ſenſum malorum noſtrorum. Febris, injuria, fortunæ inverſio ſentitur, tota licet adverſetur ſapientia, & vis humanæ rationis; ſed nullum eſt malum, quod patientia non mulceat, ſeu quod nobis hanc ſervat præſentiam ſpiritus, quæ neceſſaria eſt ad prudentes animadverſiones faciendas, ſeu quod dolorem ſuſtinentes nos quodammodo indurat. Philoſophia etiam Ethnica in patientia nanciſcitur ſuorum malorum ſolatium; quamvis naturalis fortitudo, & inanis gloria ſola ſint arma, quibus utitur ad reſidendum. Admiramur Ethnicum, qui ſine querela patitur; cum nobis perſuaſum ſit, ipſum conſtantiæ ſuæ doloris ſui remedium debere. *P. la Peſſe Tomo 4.*

Quin vobis proponam validas omnes rationes, quas nobis ob oculos ponit Evangelium, ex ſolo naturæ lumine cognoſcere poſſumus, omnem hominem, qui in vitæ laboribus, & adverſis rapitur impatientia, exacerbare malum ſuum, & impatientiam nil amplius efficere niſi, ut magis patiatur, ac ſuam crucem eo graviorem inveniat, quo iniquiori animo eam geſtat. Quid proſunt, amabo vos, hæ querelæ, hæ amaræ lacrymæ, hi geſtus? motuſque incompoſiti? Aliud ne ſunt, quam recenti doloris cauſæ, aut effectus? Dolor quin omnibus hiſce infirmitatis indiciis minuatur, magis, magiſque augetur, & præter malum, propter quod impatientia corripimur, inviti pati etiam debemus malum impatientiæ. Nequaquam ſarcies damnum, quod accepiſti, in impatientiam erumpens. Nequaquam efficies, ut vir tuus, uxor, filius aliam vivendi rationem ſequatur. Anni temporum curſum non immutabis; non inſpirabis ſpiritum lenitatis inimico, de quo tanta tibi eſt conquerendi cauſa, ſi obſecutus fueris dolori, quem ille tibi peperit, & cogeris etiam pati moleſtas, violentaſque ſenſus hujus impreſſione. Non objicio vobis rationes vel a Fide, vel a ratione depromptas; rationem dumtaxat poſco, quæ vos invicta muniat patientia, & vos in omnibus vitæ hujus pœnis ſuſtineat. *Idem ibidem.*

Quæ conſolatio fideli per regiam Crucis viam incedenti dicere poſſe: patior, ſed Deus me docuit pati; patior cum Deo patiente. Exemplum, & ſocietas Salvatoris patientis, non ne lacrymas noſtras deberent abſtergere, cum patimur? Nonne ſuſpiria noſtra cohibere deberent? Pauper ſum, & Salvator meus fuit pauper, dicendum eſſe Fideli in tribulationibus ſuis. Contemptus, derelictus, exagitatus ſum. Filius quoque Dei hæc eſt perpeſſus. In diutina infirmitate langueo; Salvator meus ſub flagellis, & ſpinis totum effudit ſanguinem. Redactus ſum ad id, ut dies meos tranſigam in obſcuritate meo nomine indigna, & avis meis: Salvator meus non ne mortuus eſt in patibulo, ipſo meridie, & inſpectante natione Judæorum, quæ tunc ad proximum paſcha celebrandum convenerat? O Salvator crucifixe! Si hoc infame ſupplicium, quod pati voluiſti, non mulcet pœnas noſtras, nullum meremur ſolatium, qualibet conſolatione ſumus indigni. Scitiſne Chriſtiani, Sanctus Auguſtinus in lib. 2. de fide ait, cur Redemptor veſter ploraverit, cur tot injurias paſſus fuerit? ut vos minus ploretis, & injuriæ, quas fertis, medico vos afficerent dolore. Servus, qui videret dominum ſuum catenis onuſtum, quin quereretur, compedes ſuos exiſtimare poſſet nimis gra-

graves? Subdito, qui iiſdem ſuppliciis afficeretur, quibus Rex, nunquid jure conqueri poſſet. *P. la Peſſe Tom. 4.*

Ratio patienter ſuſferendi eſt oculos figere in Filium Dei patientem.

Fatendum eſt magis, ut Chriſtianum hominem decet, vitæ hujus mala ſuſtineremus, ſi Deum patientem cogitaremus. Sed id minime cogitamus; nos triſtitia; & mæror occupat, neque figimus oculos in Crucifixum. Hoc ipſum nobiſmet ipſis exprobrare debemus. Nos vero voluptatibus tantum vacamus, & terræ bonis, quæ amittimus, atque impatientiæ noſtræ a nobis amovent ſolatium, quod exemplum Dei nobis offert. Patiamur ergo, ſine conſolatione patiamur; ita merentur injuſta, & violenta conſilia, quæ ſequimur, domum noſtram a paupertate, ſordibuſque revocaturi; impatientia, in quam noſtra nos conjicit infirmitas; Detractio, calumnia, odium, quæ nos ad litem perſequendam impellunt, nobis ſolatio non erunt. Non mirum eſt, ſi nobis cum hæc impatientia patientibus noſtræ tribulationes augentur. *Idem ibidem.*

Propter Dei imperium, poſt Deum, cum Deo patimur. Hoc ſatis eſſet ſuperque ad malum noſtrum imminuendum, ſi Chriſtiani eſſemus, & rationis participes. Poſſumus etiam, & debemus pro Deo pati. Conſideratio hæc deberet auferre, quidquid amaritudinis malis noſtris ineſt. Cætera prætermittamus, quæ ad patientiam nobis procurandam ſunt idonea. Bonorum, malorumque commixtio in hoc mundo neceſſaria eſt, ergo inevitabilis eſt. Subſiſteret ne rerum natura, ſi dies ſudi ſemper riderent. Ipſis etiam procellis, & tempeſtatibus indigemus. Nulla eſſet inter homines ſocietas, ſi nihil eſſet, quod ſinguli cuperent. Igitur ſelices eſſe oportet, & infelices. In terra ſumus tamquam in mari. Quid fieret, ſi nobis idem perflaret ventus? Numquam e porto ſolvere, neque in portum reverti, neque aliam tenere viam poſſemus. Divina Providentia numquam tribulationes permitteret, ſi vires noſtras excederent. Hæc mortalis hujus vitæ pœnas diſtribuit ſecondum ea, quæ neceſſario pati debemus, ut ſalutem aſſequamur. Sed mihi fortaſſis inquies, incipiebam fortunas meas conſtituere, cum hoc mihi accidit malum; ſed plura bona opera faciebam, cum optima fruebar valetudine; ſed antequam nominis fideique jacturam feciſſem, eo in ſtatu verſabar, ac majorem Deo gloriam conferre poteram. Ne tot rationes in medium proferamus contra Providentiæ mandata, Hæc non agit more andabatarum. Scit Deus, quid agit, cum vos affligit, ac neminem a cruce ferenda diſpenſat. Juſti, injuſti omnes pati debent. Si boni tantum paterentur, quamplurimis virtus non ſatis videretur amabilis. Si mali tantum perferrent, quamplurimi virtutem ob fluxa, fragiliaque bona tantum amarent. Tribulatio illos perficit, hos corrigit; omneſque ſimul ſub manu Dei omnipotentis humiliat. *P. la Peſſe Tomo quarto.*

Ut Deo placeamus non opus eſt, ut inſignia facta operemur ſatis eſt patienter tribulationes ſuſtinere.

Fatendum eſt homines longe aliter a Deo ſentire de meritorum veritate. Ut operemur aliquid, quod inſigne, ac præclarum ſit in oculis hominum, plurima facienda ſunt, eaque cum fulgore quodam, qui oculos perſtringat; opus eſt, ut numerus ſpectatorum, plauſuum tumore, felicitas etiam, quæ conſequitur, mortalium excitent æſtimationem. Si hic deeſſet apparatus, hæc pompa, non ſatis æquum ferretur judicium de præſtantiſſimis factis: hæc in oblivione permanerent, niſi vanæ circumſtantiæ illa inde eriperent. Ad meritum aliquod coram Deo acquirendum, ad radios divinorum oculorum in noſmet convertendos ſatis eſt ſcire patienter ſuſtinere vitæ hujus labores, & adverſitates. Pauciſſimi ſunt, qui nequeant per tribulationes Dei ſui gratiam promereri; immo dicere poſſumus, hanc tutiſſimam eſſe rationem placendi illi; quandoque, quo magis aliquis patitur, & majori cum patientia patitur, eo magis eſt exemplo Filii Dei patientis conformis. Mortalis obſcuro loco natus, pauper derelictus, qui in conditionis ſuæ caligine conſtanter ſuſtinet pœnas, quas illi evenire Providentia permittit, hic proculdubio a Deo pluris habetur; omnes iſtæ fallaces humanarum actionum ſpecies nequaquam eas divino obtutu dignas facit. *Idem ibidem.*

JESUS CHRISTUS fuit objectum ſpei, & amoris noſtri in malis, quæ in hoc exilio pertulimus; acerriſſime objectum erit noſtræ felicitatis in patria cœleſti. Hæc nos munit ſpes, & in hujus vitæ tribulationibus ſuſtinet inter mortalium obices, & corrupti ſæculi nequitiam, ubi omnes veri ſervi Dei tot adverſitatibus patent. *In hoc duramus, in hoc perſeveramus, in tanta malignitate hujus ſæculi:* ait D. Auguſtinus. Hæc noſtra eſt conſolatio, & fortitudo, donec in cœlo patientiæ noſtræ fructibus perfruamur. Quis hoc auderet ſperare, ſi veritas ipſa, quæ id pollicita eſt; hoc ipſum non teſtaretur? *Abbas du Jarry in Sermone quodam de Magnalibus CHRISTI JESU.*

Occaſiones quas in variis mundi conditionibus habemus Chriſtianam exercendi patientiam.

Arduum eſſet ſignificare, quibus conſolationibus in vitæ ſuæ fine replebuntur Chriſti Fideles, qui patienter ſuſtulerint pœnas ſtatui ſuo inhærentes. Bonus ille Faber, qui ſine querela vigilias, ſudores, ipſam etiam paupertatem labori ſuo adnexam patiebatur, quo cumulabitur gaudio videns ſe ſumma cum ſuavitate a Salvatore ſuo recipi? Verecundus ille pauper, qui ſemper æquali oris habitu, ſemperque decorum ſervans, omnes irreprehenſibilis miſeriæ ſenſus jugulabat, ut placeret Deo, quam beatum ſeſe putabit, cum per tot mundi Principes, qui rerum omnium opulentia fruebantur, pertranſibit honoribus, opibuſque cumulandus? Miniſter ille, qui gratia, atque patrocinio deſtitutus, ſæpe optime perfunctus fuit muneribus ſuis, cum alter ob domini ſui favorem referebat lucrum; quibus gratiarum actionibus non celebrabit Dei Filium, cui uni ſuas tribulationes, ſuamque fortunam commiſit? Sponſus hic, qui ſilens perpeſſus eſt ſecretam domeſtici alicujus rabiem, morum acerbitatem, libidinem, faſtidia, contumelioſos furores, negotia ſpinoſa, fortunæ ſubverſionem, jacturas, calamitates, frequentia mala, quin umquam ſuo obſequio permittat conqueri de ſtatus ſui adverſitatibus, quin umquam niſi ad altarium pedes conquirat aliquod dolori ſuo lenimentum, quo non afficietur gaudio habens ſuæ fidelitatis, conſtantiæque teſtem Deum ipſum, qui ejuſdem futurus eſt remunerator? Nulla in terris conditio eſt, ubi ſublimis hæc Chriſtianæ patientiæ conditio egregie non poſſit exerceri. Tot nobis ob oculos hujus rei obverſantur exempla, ut ſe ipſum excæcare debeat, qui hæc nolit intueri. *P. la Peſſe Tome 4.*

Quid ſit patientia, & in quo ſita ſit.

Patientia virtus eſt ſimplex, & ſine fulgore, ſubdita ſub profundæ humilitatis integumentis, genita, vel ſuffulta ſpe, in charitatis ſinu inutrita, & ſemper occupata in perquirenda gloria, quam mundus ignorat, quam ſuperbi contemnunt, & quam Deus coronat. Hæc efficit, ut animam noſtram poſſideamus, ut loquitur Evangelium. Hæc una procurat tranquillitatem, fovet ſpiritus manſuetudinem, paceemque inter homines tuetur. Ita tantis hiſce bonis ornata, adeo utilis mundo, adeo pretioſa cum ſit, nihilominus homo nequit ſeſe legibus illius ſubmittere, nihilque difficilius eſt, quam illum ad virtutis hujus praxim inducere. Omnia ſtatim primo intuitu conſpirata videntur ad illum deterrendum. Naturales illius affectiones nonniſi ſuperbiam inſpirant; cumque ejus natura intus, & in cute non aliud ſit quam infirmitas, ſemper in jugi ſollicitudine, & agitatione verſatur. Denique ſeu per ſuperbiam, ſeu per imbecillitatem, homo nequit ſe ſuis ſubjicere

tri-

tribulationibus; omnia illi creant impatientiam, & leviſſima etiam mala illi non ferenda videntur. Quomodo igitur loquamur ſermonem, qui non poteſt intelligi? Quomodo virtutem, adeo parum cognitam repræſentemus? Et quomodo illam amabilem exhibeamus, quæ ſeſe non oſtendit niſi ex iis locis, quos fere ſemper horremus, ac faſtidimus. *Sermo quartus Academiæ Anno 1687.*

Quemadmodum Dei Filius præſtantiſſimum nobis eſt exemplar patientiæ, & cujus pro virili parte ſequi debemus exempla, videamus quæſo, quænam fuerit illius ſuavitas, atque tranquillitas in omnibus paſſionibus ejus. Nonne ad illius patientiam probandam omnia adhibita ſunt, quæ Judæorum nequitia, & Dæmonum rabies excogitare potuit? Amaris irriſionibus illuſus fuit; teterrimis calumniis petitus fuit, quæſitum fuit illum fictis teſtibus opprimere, & ille obmuteſcens has omnes audit irriſiones. Has audit, quin hiſceret, nihil fallacibus teſtibus objiciens niſi ſuam innocentiam, ſiluit, nil protulit, *quaſi agnus coram tondente ſe, obmutuit*. Iſaj. 52. Denique ductus fuit ad mortem tamquam ovis, quæ mactatur, quin verbum proferat, quin conqueratur, quin prætergrediatur hunc ſuavitatis & tranquillitatis characterem, qui in omnibus vitæ ſuæ actionibus enituerat. Ecce quænam fuerint Salvatoris Mundi paſſiones. Ecce quæ illius fuit patientia. Ecce ſcientiam Sanctorum, & viam unicam, in qua incedere debent omnes illi, quos prædeſtinavit Deus, ut ſint conformes imagini filii ſui, quemadmodum loquitur Apoſtolus ad Rom. 8. *Sermo Idem.*

Licet nobis ſit perſuaſum de tribulationum neceſſitate, nihil prætermittimus ut illos evitemus.

Quamvis omnino nobis perſuaſum ſit, tribulationes in hac vita inevitabiles eſſe, tamen in praxi quos obices non invenimus? Indeſinenter conamur excutere jugum Domini; nullum non movemus lapidem, ut fictam pacem nobis procuremus; omnibus nitimur artibus, ut citra ſcrupulum in mollitie, & otio vivamus, & tandem nobis accidit, ut evitare valeamus quidquid nobis incommodat, noſmet non redigimus ad perferendas ærumnas, ac tribulationes, quæ accidant nobis, niſi cum Impatientia, quæ efficit, ut miſeriores, nocentioreſque evadamus. Hoccine eſt in praxim redigere hanc ſaluberrimam Crucis ſcientiam? Hoccine eſt vere credere, Dei Filium pro nobis paſſum fuiſſe, relinquentem exemplum, ut ejus veſtigia ſequamur? Crucem deferre, & illam ſine amore deferre eſt ne veri Chriſtiani character: Et nihilo ſecius fieri nequit, ut ad æternorum bonorum poſſeſſionem perveniamus, niſi antea potenter ſuſtinuerimus vitæ hujus mala, niſi antea in corde noſtro jugulaverimus omnes ſenſus vitii, quod huic virtuti adverſatur. Coronam immortalitatis iis tantum largietur, qui propriam voluntatem ſuam noverit ſuperare, ut in omnibus divinæ tantum Providentiæ mandata ſequantur. *Sermo quartus Academiæ anni 1687.*

Viſi ſunt quidam pauperes, & divites, nobiles, & ignobiles, omnium ætatum, ſexuumque mortales animo forti perſecutiones ſuſtinere, conſtanter tentationibus reſiſtere; injurias cum humilitate pati, & ubicumque oſtendere, ſe vera charitate ſuccenſos, quæ non æmulatur, non irritatur, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, quidquid adnitantur inimici, quibus ſepta eſt. Quid egit Sanctus vir Job, ne vinceretur ab hoſte in excuſſu malorum ſuorum? Quomodo hic homo Dei perpeſſus eſt jacturam maximarum bonorum, quæ poſſidebat? Quomodo excepit triſte nuntium mortis omnium filiorum ſuorum, pernicioſa uxoris conſilia, amicorum irriſiones, horribilem plagam, qua permiſit Deus, ut a Sathana percuteretur? Inconcuſſa firmitate ſervavit hanc ſimplicitatem, rectitudinem, animæ æqualitatem, quæ in oculis Dei fecit illum digniſſimum, in quo ille ſibi complaceret, & quoniam habuit patientiam numeris omnibus abſolutiſſimam, recepit perfectam valetudinem, ac duplum eorum bonorum, quæ amiſerat. Quibus adminiculis uſus eſt David, ut adeo conſtans eſſet in contumeliis, & inſidiis, quas vitæ ſuæ tendebantur a Rege Saul, nolens de hoc pœnas ſumere, licet in manus ſuas incidiſſet? Qua animi moderatione uſus eſt erga Semei, cujus facile punire poterat impotentiam, idque ſumma cum æquitate? Per ſublimem hanc patientiæ virtutem, ſemper æqualiter ſe ipſum ſervavit, & triumphum egit inter eos naturæ motus, qui plerumque in anima cient naturale deſiderium ultionem ab inimicis repoſcendi. *Ex eodem ſermone.*

Chriſtiani officium eſt patienter omnes vitæ tribulationes ſuſtinere,

Chriſtiani hominis patientia reſiſtere debet omnibus tribulationibus, laboribus, & vitæ calamitatibus. Mirum eſt, quod ſuperare nequeamus naturalem antipathiam, quod omnis fortitudo, & Religio noſtra excidat, ubi nobis ingruat faſtidium aliquod male conceptum, libido quædam ex mera imaginatione perfecta, negotium aliquod nullius momenti. Quid? malumus noſmet objicere teterrimis ultionibus Dei, quam pati contemptum, in quo ſumus; impetum, quo conantur fortunam noſtram labefactare, humiliationem, leve incommodum? Adeo delicati ſumus, ac faciles, ut cuicumque cedamus adverſitati, ut non modicum nobis faceſſeret negotium, ſi juberemur dicere, quid noſtram irritet iracundiam; & eadem vanitas, qua odium noſtrum excitatur, efficeret proculdubio, ut noſtræ ægritudinis cauſam taceremus. Quoties aliena merita, & felicitas nobis impatientiam, ac tumultum pepererunt? Quoties contra fratres noſtros exarſimus, eo quod a nobis exigebant, quo illis debebatur? Nonne in illos inſurreximus, quia illis honorem adhibere cogebamur? Cum honori noſtro labes eſſet inuſta, familiæ noſtræ fama ignominiæ punctis ſuffixa, omnia bona noſtra erepta, tamen ſi Chriſtiani ſumus, ſi legem evangelicam obſervare volumus, omnia patienter ſuſtinere debemus, & in omnibus tueri divinam hanc virtutem, ſi adhæremus Deo, ſi in illius cultu vivere, & mori volumus. *P. la Peſſe Tom. 4.*

Chriſtiani infirmi, pauperes, derelicti, qui ſemper eſtis ſcopus omnium infortuniorum, & eſſe videmini toti mundo contemptui, cogitate eum, qui hoc pacto veſtram exercet patientiam, Deum eſſe infinite ſapientem, qui omnia videt mala veſtra interna licet, & ſecreta, cui eorum cauſæ, ac remedia comperta ſunt, qui novit quidquid virium vobis ineſt, & quid ille nobis gratia ſua valeat conferre, quem denique nihil latet. Vobis perſuaſum ſit, illum numquam vos tentatum iri, quin ſciat, quomodo inde poſſitis proficere. Semper ille tribulationes viribus veſtris aptabit, neque umquam deerit vobis corporis valetudinem largiri, cum bona valetudo vobis erit morbo utilior. Omnipotens eſt; nulla igitur mala ſunt, a quibus vos nequeat preſervare; & ſi quod eorum vobis accidere permiſerit, non deerit, quominus vos inde eripiat. Infinite bonus eſt: amat eos, qui ſui ſunt pluſquam de ſeipſos ament illi; ejuſque ſcopus unus eſt, nos ſanctificare quocumque in ſtatu ſimus. *Ex Operibus Aſceticis Bloſii, & a Ponte.*

Dei Filios nemini am carum ſuorum calicem ſuum propinat ſine aliqua dulcedini commixtione.

Cum infirmitas corporis eo uſque augetur, ut ſpiritum abjicias, fit nonnumquam adeo intolerabilis, ut cum Davide exclamare teneamur: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam.* Pſal. 68. Tunc aquæ iſtæ amaræ tribulationum non corpus ſolum inundarunt, ſed anima ipſa naufragium feciſſe videtur. Cient timores, ſollicitudines, tædia, curas ſine numero. Si quando igitur accidit, ut in hoc ſtatu inveniamur, noſmet conſolemur hac cogitatione, nos haurire calicem, quem nobis offert Deus, nos illum merum bibere, quin quidpiam admiſceamus, quod illius temperet amaritudinem; nos denique illum eodem pacto bibere, quo Salvator

vator ipſe illum exhauſit non ſolum ad noſtram eruditionem, verum etiam ad criminum noſtrorum ſatisfactionem. Quid nobis majorem afferre poteſt conſolationem, quam videre, nos ſimiles eſſe Filio Dei unigenito, & nos cum illo cruci eidem eſſe ſuffixos. Omnem immo locum habemus ſperandi, quod ſi voluerimus ſerio eidem ſimiles fieri, ipſum nomquam deſuturum, ac labores noſtros ita ſublevaturum, ut leviſſimi nobis videantur. Quia licet hauſerit oblatum calicem, quin vellet ei quidpiam commiſceri, quo dulcorari poſſet, amicis ſuis non ſine quadam dulcedinis mixtione propinare conſuevit. *Ibidem*.

Sumus ne omnibus infortuniis obnoxii? Premimur ne egeſtate, & horribili inopia omnium præſentis vitæ bonorum? Laboramus ne diutina ægritudine, jamdiu in lectulo jacentes? Fingamus nos eſſe ad Salvatoris latus crucifixos. Fateamur, quod ille facit, eſſe juſtiſſimum, & nos id mereri, quod patimur. Adoremus Dei juſtitiam, & præ nobis feramus integram mandatis illius obedientiam. Proculdubio tunc in imo corde nobis dicet verbum conſolationis, quod nobis eſſe poterit velut arrha, quod, cum crucifixi ſimus cum dilectiſſimo ejus filio, nos quoque glorificatum iri cum illo juxta Sancti Apoſtoli verba; *ſi compatimur, & conglorificabimur*. Crux illius lignum eſt miraculoſum, quod amaras aquas convertit in dulces. Si mente recogitaverimus Paſſionem Filii Dei, Sanctus Gregorius ait, nihil eſt adeo moleſtum, quod non patienter, imo etiam hilariter toleremus. Maris aquæ omnem amaritudinem ſuam amittent, & dulces fient tamquam lac, ubi cum cruore Agni fuerint permixtæ. *Ibidem*.

Præſtans animæ ad patientiam nobis ſuadendum eſt cœli poſſeſſio, quæ illius pretium eſt.

Quæ præſtantior homini Chriſtiano ſalutem ſuam operari cupienti ratio, quam noſſe eam remunerationem, quam præparat Deus illis, qui inter vitæ hujus ærumnas, laboreſque patientes extiterint? Quid enim deſiderabilius accidere poteſt homini, qui ſecundum Salvatoris mandatum poſſedit animam ſuam in patientia. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*: Luc. 21. Quid inquam huic deſiderabilius eſt poſſeſſione cœli cum omnibus opibus, & deliciis ejus; poſſeſſione Dei ipſius Creatoris divinarum illarum ſedium; jucunda ſocietate cæleſtium ſpirituum, & omnium beatorum. Macti ergo eſtote hac animi præſtantia fideles, qui ſuſtinetis, qui circum undique pœnis laboribuſque ſepti eſtis. Poſſidere animas veſtras in patientia, & opus eſt perfectum, Sanctus Jacobus ait; *Patientia opus perfectum habet*. Jacob. 1. Vitæ hujus tribulationes patienter ſublatæ nobis promereri debent æternum gloriæ pondus. Tribulationes, ærumnæ, adverſitates uno tantum momento duraturæ ſunt; ſed inde per patientiam noſtram recepturi ſumus bonum nomquam deſiturum. Patientia hæc nobis excellentiæ & beatitudinis gradum præter omnem menſuram acquiret. Ceſſabunt labores noſtri, ſed ſi eos patienter pertulerimus, bonum, quod recipiemus, numquam ceſſabit. *P. da Peſſe Tom*. 4.

Dicere poſſumus cum illuſtri patiente Job: *Hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore non parcas*. Job. 6. Hujus exemplum ſecuti cupiamus, quæramus hanc conſolationem, ut tribulationibus urgeamur in terra cœlum lucraturi. Deum exoremus, ut nobis non parcat, ut nos ſine lenitate percutiat; ut poſtquam nobis non ſecus ac Patriarchæ huic omnia ademerit bona, bonam quoque adimat valetudinem; ut tribulationibus addat contumeliam; modicum nobis ſupereſt hic tempus vivendi, atque æternum in gloria vivemus. Dolores corporis, animæ triſtitia, tædia violenta, invidi perſecutores, ſuperbi, furenteſque mariti, uxores luxui, & voluptatibus deditæ, filii humanitatis expertes, terra ingrata, ac ſterilis, mala publica, fortunarum, domorumque everſiones, curæ, ægritudines, miſeriæ, quæ nos circum undique premunt, vos non ultra metuimus, neque enim conſtantiam noſtram labefactabitis. Feſtinate, irruite, poſt aliquot momenta non eritis amplius; neque turbabitis unquam pacem, ad quam nos perducitis. *Idem ibidem*.

Ratio patienter ſuſtinendi eſt cogitare Dei Filium pro nobis paſſum fuiſſe.

Recogitate, inquit Apoſtolus, illum, qui tot contumeliis, & injuriis affectus fuit a peccatoribus, ne animum abjiciatis, cum vobis incidunt mala. Cogitemus ſane, & videbimus, nos in illius comparatione modicum pati. Patiamur, ut ille paſſus eſt, utque nos magis ad patientiam ipſius imitandam inflammemur; fingamus, cum ægrotantes in lectulo jacemus, cubile noſtrum eſſe crucem, pharmaca eſſe fel, & acetum; phlebotomias vulnera in manibus pedibuſque; capitis dolorem ſpinarum coronam, & ſic de aliis infirmitatibus quas patimur; & certi ſimus, nos prout participes erimus paſſionum Chriſti, hunc nobis gratias collaturum, quarum ope malum noſtrum non ſolum ſine mærore, verum etiam cum gaudio ſuſtineamus. *Ex Aſceticis Operibus Bloſii, & a Ponte*.

Exceſſus Charitatis Salvatoris noſtri omnino admirabilis eſt. Nullam a quoquam opem, aut ſolatium recipiebat; imo ſe ita derelictum videbat, ut per Prophetam conqueſtus fuerit, *Quæſivi .... qui ſimul contriſtaretur, & non fuit*. Pſal. 68. Ipſe etiam Matris Santiſſimæ, amicorumque conſpectus illius dolorem augebat. Itaque procul aberat, ut ſibi aliquid ſolarii vellet adferri. Aviditas, qua pati cupiebat, effecerat, ut ipſe, S. Laurentio Juſtiniano teſte lib. de ſpir. Chr. agone, omnes ſubiret infirmitates, omnes dolores, omnes Electorum ſuorum tribulationes. Illas ſenſit in horto eadem vi, & acrimonia, qua ſuas, & ut gratia ſua juſtos infirmos afflictoſque confirmaret, ex eo tempore illis paſſionis ſuæ meritum applicuit. Eorum paſſiones conjunxit cum ſuis, ut per ſanctam unionem hanc Patri ſuo fierent gratiores. O bonitas ſine modo! O miſericordia ſine fine! Satis multa ſunt tibi ſuſtinenda Domine, quin tuis alienæ etiam accedant pœnæ; ſed charitas tua inſtar ignis eſt omnia devorantis, & numquam dicit ſatis. Quid ergo nobis faciendum eſt in grati animi argumentum pro tanta hac dilectione, niſi ut proprias & ipſi efficiamus paſſiones tuas? *Ibidem*.

Nulla virtus eſt, quam exercere non poſſimus etiam cum ægrotamus.

Operæ pretium eſt conſiderare, mortificationes, quæ ab infirmitatibus, & morbis omnino ſeparari non poſſunt, apud nos eumdem obtinere locum, quas dum optima fruimur valetudine exercemus. Cogitemus ergo diuturnas, quæ nobis præſcribuntur, diætas æquipollere jejuniis, quæ bene valentes ſervant; vehementes, quibus angimur, dolores ſupplere ciliciis, atque flagellis, quæ robuſtos homines, vigenteſque decent. Ita æquo ſuſtinentes animo pœnas, quas evitare in noſtra poteſtate ſitum non eſt, eaſque voluntarias efficientes libera acceptatione, certi erimus nos inde non mediocrem fructum eſſe percepturos. Debemus etiam in recipiendis amicorum viſitationibus ita nos gerere, ut morbus non ſit prætextus aliquis de proximo obloquendi, vel permittendi, ut nobis coram aliquid fiat perperam, ſi illud prohibere valeamus. Conſtat igitur nos in cubili jacentes infirmitatum noſtrarum cauſa exercere poſſe omnes illas virtutes, quas, qui valent, exercere poſſunt. In hoc rerum ſitu ipſam etiam eleemoſynam, & charitatem in praxim redigere poſſumus; & hac de cauſa videtur Dei noſtri bonitas conſueviſſe illos morbis afficere, quorum cor durum eſt, & proximi miſeriis non frangitur, ut in hunc redacti ſtatum, ubi aliorum indigent charitate, diſcant aliorum miſereri; quod ita certum eſt ut S. Paulus ad Hebr. 4. de ipſo Salvatore non dubitaverit aſſerere, JESUM CHRISTUM, ut poſſet compati infirmitatibus noſtris, per omnia tentatum fuiſſe, omniaque mortalium mala fuiſſe expertum. Ex his rationibus perſpicue argumentamur, nullam eſſe virtutem, quam in praxim redigere non poſſi-

poſſimus iis etiam in ſtatibus, in quibus nullam carere poſſe videmur. *Ex Operibus Aſcetiſcis Bloſij, & a Ponte.*

Patientia tot meritis, tantoque fulgore coruſcat, ut non ſolum Sancti Martyres illi omnes debeant triumphos ſuos, verum etiam illis, qui patienter ſuſtinent mala, tribulationes, & vitæ hujus infirmitates, glorioſum Martyrum nomen acquirat. Nam, ut S. Chryſoſtomus affirmat, non eſt mediocris virtutis effectus, quod homo doloribus obrutus impatientiæ, & blaſphemiæ tentatus, ita ſe ipſum moderari ſciat, ut numquam illi excidat verbum, aut factum Chriſtiano minime dignum. Ecce quid Martyres faciat. Hoc pacto S. Job Martyris nomen adeptus eſt; & ideo Scriptura nobis proponit ejus patientiam cum illa Regis Martyrum tamquam exemplar noſtræ. Hinc quoque fit, quod virtus hæc inſignes victorias referat de potentiſſimis hoſtibus, cum quibus nobis eſt dimicandum; nam juxta S. Gregorii animadverſionem, plus obtinet, quam gentium domitores, qui nonniſi homines ſibi ſimiles vincere poſſunt; illa vero efficit, ut ille, qui par eſt aliis, ſeipſum domet; ſubjiciat affectus ſuos rationi, & rationem gratiæ: victoria, quam Salomon judicat glorioſiorem, quam arces ad deditionem cogere, & urbes expugnare. *Ex Operibus Bloſii, & a Ponte.*

Chriſtianus qui pati non vult non agnoſcit J. C. Dominum ſuum.

Dei Filius paſſus eſt non ſolum ut peccata noſtra expiaret, & nos reconciliaret Patri, ſed etiam ut nobis præberet exemplum patienter ſuſtinendi omnia mala, quæ nobis in hac vita poſſent evenire. Ergo omnium paſſionum meritum amittit, qui Salvatorem non imitatur; quoniam una ex rationibus, propter quas paſſus eſt, fuit, ut illum imitaremur. Nihil majori conſolationi eſt Chriſtiano in tribulationibus ſuis; nihil illi minus murmurandi facultatem reliquit, quam aſpectus dolorum, quos J. C. ipſe perpeſſus eſt. Nos diſcipuli ſumus, ille magiſter; nos ſumus homines, ille Deus; nos nocentes, ille innocens; ipſi pro nobis patimur, & non pro ipſo. Poſſumus quidem carere culpa erga homines, neque eas meruiſſe contumelias, quas accepimus; ſed numquam omnino juſti ſumus coram Deo, & ſi eſſemus, quæ nobis eſſet cauſa conquerendi, ſi oculos in Salvatoris crucem conjiciamus? de quo Spiritus Sanctus teſtatur, nullum ab eo commiſſum fuiſſe peccatum, & in ore illius nullum inventum fuiſſe mendacium? *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo* 4.

Apoſtoli ab omnibus contemnebantur tamquam hominum noviſſimi, ac miſerrimi, & permittebat Deus ut hoc in loco haberentur, ut illorum patientiam magis in ipſorum tribulationibus eluceſceret. Magnum eſt ſpectaculum juſtus pro Dei cauſa patiens. Hic patet oculis hominum, & Angelorum tum bonorum, cum nequam. Dæmonum furor oblectatur malis, quorum pondere ille obrutus eſt; impii illum irrident, ejuſque virtutem inſaniam vocant, cum interim objectum ſit admirationis illis, qui boni ſunt. Philoſophus quidam olim dixit, par Deo dignum eſſe, virum fortem cum fortuna compoſitum. Dicam melius. Victria patientiæ Chriſtiani æque contemnentis mundi minas, & illecebras, qui nullis tribulationibus, & fortunæ adverſitatibus flectitur, Deo ſpectaculum eſt eo jucundius, quia non ſolum ſpectator eſt triumphi hujus fidelis; ſed quia ille ipſe dat vim dimicandi, ipſe auctor eſt victoriæ, & corona victoris. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo* 8.

Ut ſit Salvatoris diſcipulus, præſertim imitari debes patientiam illius.

Dei Filius debet humeris ſuis geſtare crucem, in qua debet mori, & in hoc vult, ut qui volunt ſui eſſe diſcipuli ipſum imitentur. Hoc autem facimus patienter ſuſtinendo, & obſequenter acceptando omnes hujus vitæ tribulationes, perferendo perſecutiones propter juſtitiam; parati ad vitam pro JESU CHRISTO impendendam, & ad ſubeunda, ſi opus fuerit contumelioſiſſima ſupplicia, cujus generis illud crucis erat apud Judæos. Igitur ut Salvatorem ſequamur, non ſolum neceſſe eſt doctrinam ejus accipere, legemque illius obſervare, verum etiam imitari omnium virtutum exempla, quæ nobis reliquit, præſertim vero patientiæ, ſine qua vere ad illum pertinere non poſſumus. Non poſſumus eſſe de Salvatoris grege ſine conſtanti virtutis hujus praxi, quoniam ore proprio dixit ſequentibus ſe deferendam eſſe crucem ſuam; quia numquam deſunt tribulationes, pœnæ, labores, adverſitates. Invenimus in ſingulos greſſus occaſiones exercendi patientiam, & in hac virtute non ſolum cæteras contineri, ſed in hac comprehendi etiam omnem Chriſtianam perfectionem juxta ea, quæ dicta ſunt a S. Jacobo Apoſtolo. *Patientia opus perfectum habet. Tourneux in anno Chriſtiano Tomo* 9.

VER-

Digitized by Google

VERBUM DEI,

CONCIONES, CONCIONATORES, &c.

MONITUM.

CUM omnes concionatores rem agant ſuam, ubi de verbo Dei, cujus miniſtri ſunt, verba faciunt, paucos invenies, qui argumentum hoc non pertractaverint. Chriſtianorum quoque non minus intereſt ad illud audiendum confluere, quandoquidem ipſorum ſalus agitur: quamobrem argumentum hoc nequaquam prætermittendum eſſe arbitratus ſum. Duo tantum vel tria iſtic occurrunt animadvertenda.

Primum eſt, nomine verbi Dei non ſacra tantum intelligi Biblia, quibus hoc nomen proprie debetur; verum etiam juxta vulgatam loquendi rationem, conciones, ſermoneſque omnes, qui de Chriſtianis ſuggeſtibus recitantur ad fideles evangelicis veritatibus, ac myſteriis, quæ Deus in Scripturis revelavit, imbuendos. Hoc in ſenſu a nobis iſtic accipitur, & de eodem omnes Sancti Patres locuti ſunt.

Alterum, quod monendum mihi videtur, eſt, utilius eſſe, quod argumentum hoc pertractantes latius de auditorum negligentia loquantur infrequenter ad divinum hoc audiendum verbum convenientium, de modico fructu, quem inde illi percipiunt, de modica attentione, quam afferunt, deque aliis audientium defectibus, quam de defectibus concionatorum, qui illam vel nimis calamiſtrata oratione, vel pravo exemplo, quo ſæpe id evertunt, quod dicunt, & verbi hujus virtutem prohibent, corrumpunt. Meminiſſe concionator debet, ſe irrito labore concionatores alios, qui minime adſunt, ideoque nec proficere poſſunt, cenſoria nota perſtringere, ſed ſe in eorum corona dicere, qui ab ipſo erudiendi ſunt.

Tertium denique, nihil in hoc argumento utilius accidere poſſe, quam oſtendere quanti referat ſæpe Dei verbum audire ex ore concionatorum; hoc enim illud eſt adminiculum vulgatiſſimum, & efficaciſſimum ad peccatores convertendos, ad pietatem in Chriſtianis fovendam, & ad fideles de officiis ſuis erudiendos, quod Deus eccleſiæ reliquerit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus argumenti ſtructura.

I. TOtum hoc argumentum redigi poteſt ad duas veritates, vel propoſitiones, quæ complectuntur, quidquid hac in re utilius eſſe poteſt, & ad mores informandos accommodatius. Prima eſt, verbum, quod prædicamus, eſſe vere Dei verbum, cujus ſequeſtres ſunt ejuſdem miniſtri. Altera eſt, hoc Dei verbum ad homines dirigi, ut de officiis ſuis erudiantur; cumque antea oſtenſa fuerit illius vis, inſtitutio, ac virtus, inferendæ ſunt concluſiones utriuſque partis propriæ.

Quod ad primam pertinet, ſi hoc Dei verbum eſt, qua de re ambigi nefas eſt poſt Sacrorum Bibliorum explicitum teſtimonium, inde tria debent inferri. 1. Audiendum eſſe animo proficiendi, non autem ex officioſitate quadam, ſocietate, vel occaſione, neque ex curioſitate, ut concio ad unguem elaborata audiatur, non animo cenſorio, neque ut concionatori plauſus, & exiſtimatio concilietur. Sanctum miniſterium! Dei verbum! ad quid redactum eſt? Qua vi prophetæ in hunc abuſum, atque propbanationem invecti non ſunt? Quomodo validiſſimum noſtræ ſanctificationis adminiculum in damnationis noſtræ argumentum convertimus? 2. Audiendum eſſe cum reverentia, & attentione, quia Deus per os concionatoris nobis loquitur, qui illius leges, & veritates nos docet, & cui hoc onus commiſſum eſt. Deinde latius diſſeri poteſt de contemptu, quo Dei verbum a pleriſque accipitur, quin advertant ſe pati hoc pacto, ut elabantur ſibi tot ſalutis ſubſidia, & occaſiones. 3. In praxin redigendas eſſe veritates, quæ illic traduntur, quin illud ſpectetur, utrum ab ipſo concionatore exerceantur, & utrum vita ejus cum ſermone conſentiat. Nos quidem ſancti non ſumus, deque hac re Deo rationem ſumus reddituri; ſed intereſt veſtra facere, quæ dicimus, non imitari, quæ facimus. Sancti non ſumus, ſed veritates, quas prædicamus, ideone minus ſanctæ ſunt, & minus veræ? Sancti non ſumus; at nonne prædicamus Evangelium, ſanctiſſima dogmata, charitatem, injuriarum veniam, ac terrenarum rerum contemptum? Sancti non ſumus; verum indene inferendum eſt, neque vos ſanctos eſſe debere, & verbum hoc in cordibus veſtris fructum facere debere, quin ulla ſatoris ratio habeatur?

Pro altera veritate, vel propoſitione: hoc videlicet verbum hominibus dirigi, ut de officiis ſuis erudiantur: hæc duplex fieri poteſt conſideratio. 1. Singillatim ſibi quemque applicare debere, quod generatim dicitur a concionatore, & credere ſingulis dici, quod olim Propheta Nathan Davidi: *Tu es ille vir.* 2. Reg. 12. Tu ultionis cupidus es, ut jampridem cum agnato tuo foves ſimultatem, & inimicitias. Cum loquitur concionator de homine, qui luxum, atque mollitiem adamat, nonne tibi dicere poſſet: *Tu es ille vir?* Hoc tamen tu ipſe tibi dicere debes, ac reſpondere, ut olim Salvatoris Diſcipuli, poſtquam edixit illis futurum, ut ab uno illorum proderetur, & dixerunt omnes: *Numquid ego ſum?* Matth. 26. Concionator ait, numquam futurum, ut avarus, ut fænerator, voluptuoſus cœli regnum poſſideant: *Numquid ego ſum?* Numquid ille de me locutus eſt? Hæc ſibimet quiſque dicere deberet, quin contumelioſe hoc ipſum ad abſentes transferrent: o utinam hic, vel illa hic adeſſent, næ illi quidem hæc de ſe dicta cognoſcerent! Hic illorum character eſt, &c. 2. Neque ſatis eſt tibi applicare verbum hoc, illud retinere oportet, meditari, atque ſedulo conſervare, ne ſimilis illi fias, qui obiter tantum ſe ipſum intuetur in ſpeculo, neque ad id amplius advertens animum obliviſcitur ſtatim, qualis erat, & qualem ſe vidit, cui S. Jacobus Apoſtolus cap. 1. loquitur: Hæc potiſſima cauſa eſt modici fructus, qui ex Dei verbo percipitur; ſtatim ac auditum

eſt,

eſt traditur oblivioni. Credunt, quemadmodum concionator munere ſuo defunctus eſt concionando, ſimiliter & auditorem ſuo fuiſſe defunctum audiendo. Finis fieri poteſt per hæc S. Pauli verba, pathetice illa efferendo, atque orationem ad auditores convertendo: *Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis*. Ad Galat. 4. Heu quanta mihi pro verbis metuendi adeſt cauſa, ne irriti fuerint labores mei. Ego præcipuas chriſtianæ religionis veritates tradidi vobis, nil aliud ſpectavi, quam ſalutem veſtram; in eo omnes induſtriæ, ingeniique vires collocavi, ut animas veſtras ædificarem; attamen vereor, ne oleum, operamque perdiderim. Verum num & mihimet ipſi metuere debeo, ne meo defuerim officio? Nunquam magis ſenſi pondus officii mei &c.

II. Quæri poteſt, cur adeo modicus Divini verbi fructus videatur, cum illud olim adeo potens, & efficax fuerit. Duæ rationes ſermonis hujus partitionem efficient. Altera quidem ex auditorum mente depromitur, illud non ſatis æſtimantium, neque ſatis dignum de eodem conceptum habentium. Altera ex corde illorum veritates, quas docti fuerunt, exercere detrectantium.

Quoad priorem, ut Dei verbum tanti fiat, quanti opus eſt, conſiderari poteſt, 1. Auctor illius, qui Deus eſt, & cujus hoc verbum eſt: *Non nos ipſi loquimur, ſed Deus, qui loquitur in nobis*. Ita licet minus bene morati, ac eruditi ſint concionatores, hoc nequaquam ſpectandum eſt, neque cogitandum, per quos hoc verbum nobis annuntietur, ſed fons unde fluit, nempe Deus; quæ res omnes aufert prætextus, quos afferre poſſunt Auditores, ut ſuum Divini verbi contemptum excuſent. 2. Conſiderari poſſunt veritates, quæ ab illo docentur. Hæc magna ſunt myſteria, evangelicæ veritates, ſublimia præcepta, quæ ad eminentem ſanctitatem nos poſſunt attollere. 3. Inſignes etiam effectus, quos peperit, mundi converſio, idololatriæ excidium, & omnia naturæ, & gratiæ miracula.

Quod ad alteram ſpectat partem modici fructus, qui ex Dei verbo percipitur, hæc ex corde auditoris deſumitur: inde omnes obices proficiſcuntur. Illud minime guſtat eas veritates, quæ ſtudiis ſuis adverſantur; alicui obnoxium eſt cupiditati, quam abdicare detrectat; ægre ſe ipſum vincit, ac torquet, ubi id flagitant occaſiones; qui totidem obices ſunt effectibus verbi Dei.

III. De verbo concionatorum ore enato id dici poteſt, quod Incarnatum Verbum, quod Verbum erat æternum, dicit de ſe ipſo: *Ego ſum via, veritas, & vita*. Joan. 14. 1. Dei verbum eſt via ſalutis: illud hanc nos docet, ad hanc nos deducit, & unum eſt ex adminiculis illis, quæ inſtituit Deus, ut ad ſupremam felicitatem perveniremus. 2. Veritas eſt; nihil enim prædicatur, niſi quod Deus, veritas ipſa, revelavit; myſteria videlicet, & dogmata noſtræ religionis. 3. Vita eſt, per illud enim vitæ gratiam recipimus, eamque ſervamus.

Poſtquam quæſitæ fuerint rationes, propter quas Dei verbum non eſt amplius æque, ut olim efficax, atque dubitatio inſtituta fuerit, utrum hoc ex auditoribus, an ex divini verbi præconibus proficiſcatur, dicere poſſumus, hoc ex duplici cauſa oriri, quæ ſermonis partitionem poſſunt ſuppeditare. Prima eſt negligentia eorum, qui ad illud audiendum confluunt; altera eorum reſiſtentia impreſſionibus, ſanctiſque conſiliis, quæ ſuggerit.

IV. Quod ad priorem: *Juſtus ex fide vivit*, inquit Scriptura ad Hebr. 10. Hæc autem divina, & ſupernaturalis vita per fidem incipit, alitur, & ſervatur: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*. Ad Roman. 10. Unde inferendum eſt, illos, qui Dei negligunt verbum, vitam hanc habere, ac ſervare non poſſe. Ipſa autem duplici re obtinetur, atque ſervatur, quarum utrique Dei verbum inhæret, ſcilicet luminibus, quæ mentem illuſtrant, & unctionem, quam ipſum effundit in corda. Negligentia autem, qua divinum hoc excipitur verbum efficit, ut minime audiatur, & ne animus quidem illi advertatur; auditur enim, perinde ac profanus ſermo recitaretur.

Altera modici hujus fructus cauſa eſt, quod illi pluribus modis reſiſtunt, &, ne in nobis agat, prohibetur. 1. Divinum hoc ſemen opprimitur, & ſuffocatur, ac ſequi detrectamus ſanctos motus, quos excitat in corde noſtro. 2. Contemnitur, atque rejicitur; non putatur verbum eſſe Dei loquentis, ſed concionatoris rem nimium exaggerantis ſententia. 3. Converſionis cogitatio, quam nobis inſpirat, avertitur, ac in tempus aliud rejicitur. 4. Palam illi reſiſtitur, ac dicitur, quod olim Rex Agrippa Sancto Paulo; *In modico ſuades me Chriſtianum fieri*. Act. 26. Parum adeſt, quominus victas demus manus. Heu! toto cælo abeſt; quandoquidem ſemper reſiſtit.

V. 1. Utilitas, quæ ex Dei verbo percipitur, & magni effectus, quos habere poteſt in anima, quæ illi recipiendo præparata eſt. 2. Modus illud cum fructu audiendi. 3. Mala, quibus ſe ſubjicit, qui illud audire negligit, vel, quod ab eodem docetur, minime exercet.

VI. Cur adeo modicus ex Dei verbo fructus percipitur? 1. Prædicatur, & non auditur, & plerique illud audire negligunt. 2. Auditur, ſed non intelligitur, & plerique ſenſum illius non aſſequuntur. 3. Intelligitur, ſed non adimpletur.

VII. 1. Dei verbum ſerendo eccleſiæ ager fertilis factus eſt. 2. Divinum hoc verbum in anima noſtra ſerendo, gratia nobis pro bonis operibus tribuit fæcunditatem. 3. Per divinum hoc ſemen Salvatoris providentia providit, providetque animarum noſtrarum alimoniæ.

VIII. 1. Pauci ſunt divini verbi miniſtri, qui illud, uti opus eſt, prædicent. 2. Pauci ſunt fideles auditores, qui illud, uti opus eſt, audiant. Hæ duæ ſunt cauſæ modici fructus, quem illud in animabus noſtris producit.

IX. 1. Quanti refert Dei verbum bene audire. 2. Quid agendum, ut bene, & cum fructu audiatur.

X. Ut Dei verbum beatum efficiat hominem, quod Salvator ipſe de illud audientibus ait, hoc agat opus eſt in mente, corde, & manibus ejus. 1. In mente, ut illam illuſtret, ac erudiat: 2. In corde, ut illud purificet, excitet, & inflammet. 3. In manibus tandem, ut audientem ad bona opera impellat. Huc jam Dei ipſius nobis verba prædixerat: *Ponite hæc verba in cordibus veſtris, & in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus*. Deuter. 11. *Ex Specimine ſermonum pro tertia Quadrageſima Dominica*.

XI. Cum Dei verbum in Scripturis vocetur panis, & cibus, ut vere noſtras animas nutriat, excipiendum eſt cum iis diſpoſitionibus, quæ ad eſcam in ſuccum, ſanguinemque vertendam ſunt neceſſariæ, quæ cum appetitu accipienda eſt, comedenda, ac digerenda, ut in noſtram migret ſubſtantiam. Ita ut ex verbo divino utilitatem percipiamus, 1. Magnum habendum eſt deſiderium, & fames cognoſcendi, atque diſcendi veritates ſalutis. 2. Accipiendum, & devorandum eſt, ut inquit Scriptura. 3. Digerendum eſt, atque quidquid audivimus, & didicimus intra noſmet ipſos meditandum eſt. *Ibidem*.

XII. Prædicamus, S. Paulus ait, Dei nomine, coram Deo, & veluti in JESU CHRISTO exiſtentes: *Sicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur*. Cum Dei verbum auditur, hæc tria ſeparanda non ſunt: quamobrem ex illis fieri poteſt concionis partitio. *Ex Deo*. Qui loquitur homo eſt a Deo miſſus, & legatus ejus, qui leges, & voluntates ejus indicit. 2. *Coram Deo*. Voſmet coram hoc concionatore conſiderate, tanquam coram ipſo Deo, eamdem adhibete reverentiam, attentionem, ac interiorem recollectionem, perinde

ac

Google

ac ſi aſſeris, veluti olim Magdalena, ad Jeſu Chriſti pedes illius verbum audientes. 3. Ne reſpiciatis hominem hunc, tamquam aliquem de populo. in *Chriſto loquimur*; ſed in illo Jeſum Chriſtum cogitare. Quapropter Tertullianus ait, hominem, qui Dei verbum annuntiat, perſonam eſſe ex Deo, & homine compoſitam: *Homo Deus mixtus*; cum e contra volgo habeatur tamquam excellens ingenium, diſertus orator, & utinam de eodem indignior etiam exiſtimatio non habeatur.

XIII. Sermo in partes duas dividi poteſt: in quarum altera quæra, cur eorum plerique, qui Dei verbum audiunt, eodem minime moveantur.

In altera vero cur aliqui eorum, qui eodem moventur, non ideo tamen vitæ rationem immutent. Priorum ſenſus carentia, & tarditas; poſteriorum ignavia. *P. de la Colombiere*.

XIV. 1. Dei verbum audiendum eſt; omnes enim Chriſtiani ſunt vel in ſtatu peccati, vel in ſtatu ignorantiæ, vel in ſtatu teporis, vel in ſtatu fervoris, & ſanctitatis. Quicumque autem hic ſtatus ſit, quam maxime intereſt Dei verbum audire. 2. Quomodo audiendum eſt, hoc eſt cum attentione, reverentia, docilitate. *P. Girouſt*.

XV. 1. Dei verbum ſæpe eſt inutile, illud enim non recipimus tamquam verbum Dei. 2. Cum autem ſit inutile, nobis ſit noſtræ damnationis principium.

XVI. 1. Diſpoſitiones requiſitæ, ut Dei verbum audiatur utiliter. 2. Uſus de eodem faciendus. 3. Bona, quæ inde procedunt. Hæc diviſio in his filii Dei verbis continetur: *Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. *Auctor ſermonum chriſtianorum*.

XVII. 1. Obligatio audiendi verbum Dei eorum damnat incuriam, qui illud contemnunt, vel negligunt. 2. Obligatio audiendi verbum Dei eorum damnat inertiam, vel indocilitatem, qui illud opere exercere detrectant. Fruſtra ſalvum ſe fore ſperat, qui illud non audit. Fruſtra illud audit, qui non adimplet, quod audit. *Dictionarium morale*.

XVIII. 1. Ejus dignitas, 2. & utilitas duæ ſunt rationes, quæ exigunt, ut illud cum reverentia audiamus, & excipiamus cum pietate ex ore illorum, a quibus prædicatur. *Idem*.

XIX. 1. Divinum hoc verbum adeo pretioſum a pleriſque fidelibus negligitur, atque contemnitur. 2. Verbum hoc adeo fœcundum factum eſt ſterile, & ſine effectu. 3. Verbum hoc vitæ ſuffocatum, atque deletum eſt. *P. Texier in Dominicali*.

XX. Ad chriſtianam perfectionem acquirendam tria neceſſaria ſunt. 1. Intellectus vivis luminibus illuſtratus. 2. Voluntas ſanctis affectionibus flagrans, 3. Amor efficax, qui in omnigena virtutis exercitatione ſe prodat. Dei autem verbum ſua communicat lumina; voluntatem inflammat, & per bonorum operum exercitationem nos ad ſanctitatem adducit. *Idem in Adventu*.

XXI. 1. Cum Dei verbum, uti opus eſt, recipitur, atque auditur, prædeſtinationem noſtram operatur. 2. Cum rejicitur, & contemnitur, cauſa eſt noſtræ reprobationis.

XXII. Petitum in quo Dei verbum habendum eſt. 2. Fructus inde percipiendus. *Auctor ſermonum in omnia Ethica chriſtiana argumenta*.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, & auctores, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

S. AUguſtinus *in ſermon. comm. ſerm.* 13. oſtendit, quam jucundum nobis eſſe debeat Dei verbum, velut eſca, quæ mundi totius guſtus ſatisfacere poteſt.

Idem *ſermon.* 3. *de verbis Domin.* oſtendit concionatori ſimul, & auditori parem adeſſe obligationem exercendi veritates, quas Dei verbum continet.

Idem *ſerm.* 37. *de communibus* oſtendit, concionatorem non facientem, quæ docet, in ſe ipſum damnationis ſententiam proferre.

Idem *lib.* 3. *de Doctrina Chriſtiana* oſtendit, concionatorem Deo adhærere debere per orationem, ut quæ dicit in mente, & corde auditorum imprimat.

Idem *lib. de catechizandis rudibus* oſtendit, concionatorem ſeſe auditorum captui ſubmittere debere.

Idem *tom.* 10. *hom.* 26. docet, Dei verbum eſſe audiendum.

Idem *in Pſalm* 7. hæc Prophetæ verba, *Arcum ſuum tetendit, & paravit illum*, Dei applicat verbo, & oſtendit, qua vi hoc operatum ſit, & quotidie adhuc operetur.

Idem in hæc verba Pſalm. 37. *ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi*, docet, quid agat Dei verbum in cordibus eorum, qui, uti opus eſt, audiunt illud.

Idem *Conc.* 1. in Pſalm. 88. loquitur de mirabilibus, quæ Divinum verbum operatur.

Idem alibi paſſim loquitur de evangelici verbi præconibus, atque auditoribus, deque iis, quæ in utriſque requiruntur, conditionibus velut ea, quæ habet in Pſalmos 57. & 142. & in lib. 2. de quæſtionibus evangelicis, &c.

S. Hieronymus *Epiſt.* 1. *ad Damaſum* oſtendit, Dei verbum ignitam eſſe prunam illam, quam Seraphin de Altari ſumpſit, & qua Iſajæ Prophetæ labia tetigit.

Idem *lib.* 14. *in Ezechielem* de Dei verbo loquens ad plures Scripturæ figuras alludit.

Idem *lib.* 2. *in cap.* 3. *Habacuc*, docet, quam vim habeat Dei verbum ad omnia vitia conterenda.

Idem in hæc verba cap. 38. Job: *Qui dedit vehementiſſimo imbri curſum*, oſtendit, Jeſu Chriſti legem per hoc verbum in univerſo mundo promulgatam fuiſſe.

S. Gregorius *lib.* 11. *moral. cap.* 6. in hæc verba cap. 12. Job: *ſi contineri t aquas, omnia ſiccabuntur*, oſtendit mala, quæ accideren t in mundo, ſi Deus divinum ſuum verbum retraheret, ac ne prædicaretur permitteret.

Idem *lib.* 20. *moral. cap.* 2. *in* hæc verba Job: *Super illos ſtillabit eloquium meum*, oſtendit, quid præſtet hoc ipſum verbum in eos, qui illud bene diſpoſito corde recipiunt.

S. Cyprianus *Epiſt.* 1. *ad Donatum* docet, quid inter ſacrum, profanumque oratorem debeat intereſſe.

S. Chryſoſtomus *homil in Pſ l.* 93. Dei verbum comparat puteis, quos veteres effodiebant Patriarchæ, ut pecoribus ſuis potum præberent.

Idem, vel auctor operis imperfecti in S. Matthæum *homil.* 20. illud affluenti comparat pluviæ omnem terram irriganti, eamque omni fructuum genere uberem efficienti.

Idem *hom.* 10. in hæc Epiſtolæ ad Hebræos verba: *Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem*; fuſius hanc eamdem comparationem perſequitur.

Idem hom. 41. operis imperfecti in cap. 22. S. Matthæi docet, Dei verbum ſimile eſſe convivio magnifico omnigenis epulis ad delicias inſtructo.

Origenes *hom.* 7. *in Exod*, prolixam habet Divini verbi cum manna comparationem.

Idem *hom.* 26 *in cap.* 22. *lib. Joſue* docet Dei verbum ſimile eſſe gladio circumciſionis ad omnia animæ vitia ſecanda.

Idem *hom.* 1. *in cap.* 1. *Jerem.* hæc explicans verba: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna, ut evelles, & deſtruas, &c.* docet, quam habeat Dei verbum poteſtatem ad omnia vitia eradicanda.

S. Baſilius *homil.* 5. *in Pſalm.* 28. in hæc verba: *Et revelavit condenſa, &c.* Divini verbi effectus explicat.

Idem

Idem *homil.* 11. *in Pſalm.* 44. *ſagittæ tuæ potentes &c.* eamdem oſtendit poteſtatem.

Idem *homil.* 1. *de Baptiſm.* oſtendit divino hoc verbo in homine peccatore ſimilitudinem reparari, quam habebat cum Deo, quemadmodum ſcitus artifex ſimulacri attriti, ac ſemiruti lineamenta reparat, & imaginem.

S. Bernardus ſermonem edidit *de multiplici utilitate verbi Dei*, ubi recenſet fructus, & affectus verbi hujus divini.

Idem *ſerm.* 1. *de ſeptuageſima* docet prædeſtinationis ſignum eſſe Dei verbum audire.

Idem *ſerm. de verbis Habacuc Prophetæ*, *ſuper cuſtodiam meam ſtabo*, *&c.* fuſius loquitur de bonis, quæ Dei verbum nobis procurat.

S. Thomas *Opuſc.* 14.

Libri Aſcetici, aliique. Dionyſius Carthuſianus, *in operibus minor. tom.* 1.

Caniſius *antiq. lect. tom.* 4. *part.* 2.

P. Suffren 2. volum. primi tomi cap. 10. prolixum edidit tractatum de prædicatione, & concionatoris qualitate.

P. d'Argentan Capuccinus in collationibus de magnalibus J. C. *collat.* 21. *art.* 5. docet, quomodo verbum Dei utiliter ſit audiendum.

P. Antonius de S. Martino a Porta Carmelita in libro, cui titulus: *Les conduites de la grace*, tractatu 5. loquitur de iis omnibus, quæ ad hoc pertinent argumentum.

Moralis chriſtiana in *Pater lib.* 6. *ſect.* 2. *artic.* 6. docet fidelem ſeſe alere debere Jeſu Chriſto per verbum Dei.

Pædagogus Chriſtianus cap. 22.

Eſſais de morale tomo 5.

P. Nepveu tomo 4. chriſtianarum conſiderationum pro die 20. Octobris.

P. Antonius Sirmondus in libro, cui titulus: Divini verbi auditor.

Concionatores qui hujus argumenti conciones ediderunt, Matthias Faber *Dominic. ſexageſ. Conc.* 1. 5. *&* 6. *& Dominic. poſt Epiphan. Conc.* 6. *& Dominic.* 3. *poſt Pentec. Conc.* 7. *& Dominic.* 4. *poſt Pentec. Conc.* 2. *&* 4.

P. Delingendes in hæc verba evangelii Dominicæ Paſſionis: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

Biroat ſermone pro prima Quadrageſimæ Dominica.

Idem ſerm. pro feria ſecunda poſt quintam Quadrageſimæ Dominicam.

P. Texier 1. *ſerm. Adventus* de qualitatibus, quæ in fideli verbi Dei auditore quæruntur.

Idem in Dominicali ſermone pro Dominica Septuageſimæ; & in Quadrageſima feria tertia poſt quartam Dominicam.

Molinier in prima Quadrageſimæ concione de concionatoris, & auditoris officio loquitur.

De la Volpilliere duos habet hujus argumenti ſermones.

Abbas de S. Martino in Quadrageſima.

Dictionarium morale tomo 4. duos habet deinceps ſermones, quorum alter eſt explicatio ſeminis evangelici. Idem plures habet etiam hujus argumenti conſiderationes.

P. de la Colombiere ſermone 76.

P. Aurelianenſis 1. ſermone, de amore veritatis.

P. Maſſillon ſermone in 1. Quadrageſimæ Dominicam.

P. Bourdalove in ſermonibus ſub illius nomine editis ſerm. pro feria 4. poſt 5. Dominicam.

P. Giroult ſermone pro Dominic. 3. Quadrageſimæ.

P. de la Rue in ſermonibus ſub ejus nomine impreſſis ſerm. pro ſecunda Quadrag. Dominic.

P. Duneau ſermone pro feria tertia poſt quartam Dominicam de concionatoris, & auditorum officiis loquitur.

Idem in Dominicali ſermone pro Dominica ſexageſimæ evangelicam ſeminis parabolam explicat.

Auctor ſermonum chriſtianorum ſermone pro Dominica Sexageſimæ.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta. Tomo 1. Adventus.

Idem in Dominicali ſermone pro Dominica Sexageſimæ.

P. Maſſon ſermone ſecundo Adventus.

Lambert in ſermonibus de vita eccleſiaſtica ſermone vigeſimo primo.

Auctor ſermonum moralium tomo primo ſermone Sexageſimæ.

Specimen ſermonum pro Quadrageſima ſermone pro Dominica 3. argumento 2.

Ibidem argumento ſecundo pro feria tertia poſt Dominicam ſecundam.

Ibidem in Dominicali argumento 2. & 3. pro Dominica Sexageſimæ.

Ludovicus Granatenſis in locis communibus. Titulo *Prædicator*. Qui collectanea ediderunt

Buſæi Viridarium. Titulo *Catecheſis Chriſtiana*.

Lohner, Titulo *Verbum Dei*.

Labatha in theſauro. Titulo *Verbum Dei*.

Summa prædicantium. Titulo *Verbum Dei*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Bibliorum huic argumento.

Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate. Deuter. 11.

Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum. Num. 11.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis . . . . . . Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Pſalm. 118.

Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa. Pſalm. 97.

Ignitum eloquium tuum vehementer. Pſalm. 118.

Juſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis pravum quid, neque perverſum; recti ſunt intelligentibus, & æqui invenientibus ſcientiam. Proverb. 8.

Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe; ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniariſque mendax. Proverb. 30.

Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Pſalm. 94.

Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Pſalm. 49.

Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum. Iſaiæ 55.

Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Iſaiæ 49.

Filii nolentes audire legem Dei. Iſaiæ 30.

Domine, quis credidit auditui noſtro? Iſaiæ 53.

Poſui verba mea in ore tuo. Iſaiæ 51.

Loquimini nobis placentia. Iſaiæ 30.

Væ mihi, quia tacui. Iſaiæ 6.

Induraverunt cervicem ſuam, ut non audirent ſermones meos. Jerem. 19.

Ecce verbum Domini factum eſt eis opprobrium, & non ſuſcipient illud. Jerem. 6.

Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petram. Jerem. 23.

Falſo Prophetæ vaticinantur in nomine meo, non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos. Jerem. 14.

Factum eſt mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei. Jerem. 15.

Viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini. Jerem. 23.

Spiritus Domini ſuper me, evangelizare pauperibus miſit me. Luc. 4. & Iſaiæ 61.

Dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo. Ezech. 3.

Si annuntiaveris impio, & ille non fuerit converſus ab impietate ſua, & a via ſua impia, ipſe in impietate ſua morietur. Ezech. 3.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram: non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini. Amos 8.

Aperuit Deus cor Lydiæ intendere his, quæ dicebantur a Paulo. Act. 16.

Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient, ſine prædicante? Ad Rom. 10.

Miniſterium meum honorificabo, ſi quomodo ſalvos faciam aliquos ex illis. Ad Rom. 11.

Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. 1. ad Corinth. 4.

Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. 2. ad Corinth. 5.

Miſit me (Chriſtus) evangelizare, non in ſapientia verbi, ut non evacuetur Crux Chriſti. 1. ad Corinth. 1.

Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Ibidem.

Loquimur non in doctis ſapientiæ humanæ verbis, ſed in doctrina Spiritus. ad Corinth. 2.

Nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. Act. 6.

Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat; ſed, qui incrementum dat, Deus. 1. ad Corinth. 3.

Væ mihi, ſi non evangelizavero. 1. ad Corinth. 9.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Ad Galat. 4.

Non ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate loquimur. 2. ad Corinth. c. 2.

Cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed (ſicut eſt vere) verbum Dei. 1. ad Theſſal. 2.

Ita loquimur non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. 1. ad Theſſal. 2.

Fili hominis ſpeculatorem dedi te domini Iſrael, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Ezech. 3.

Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Matth. 5.

Non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Matth. 10.

Omnis qui audit verba mea, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram. Matth. 7.

Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Matth. 4.

Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Luc. 2.

Maria ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius. Luc. 10.

Semen eſt verbum Dei, &c. Luc. 8.

Erat docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi. Matth. 7.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Joan. 8.

Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Luc. 11.

Non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. Ad Rom. 2.

Evangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti. Ad Roman. 1.

Non fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis, neque in occaſione avaritiæ: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. 1. ad Theſſal. 2.

Inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. 2. ad Timoth. 4.

Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Ibidem.

Tu vero opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Ibidem.

Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras. Jobi 1.

Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo, quem locutus ſum, ille judicabit illum in noviſſimo die. Joan. 12.

Sermo meus non capit in vobis. Joan. 8.

Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt. Joan. 10.

Exempla ex utroque teſtamento deſumpta.

Manna Iſraelitis data figura eſt verbi Dei.

PLurimorum Sanctorum Patrum, ac inter ceteros S. Chryſoſtomi ſententia eſt, mannam, quæ Iſraelitis in deſerto data fuit, extitiſſe figuram verbi Dei, quo hodierna die fideles in eccleſia nutriuntur. Duplex hoc cibi genus tot ex locis ſimile eſt, ut illi etiam, qui minori pollent mentis acumine, ſimilitudinem, quæ inter utrumque intercedit, facile aſſequantur. Illud vero mirum eſt, quod myſtica illa eſca, quæ omnem in ſe guſtum habebat pro ſingulorum voluptate, deinde facta fuerit adeo inſipida, ac non ferenda populo, ut illam faſtidiret: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo.* Num. 21. Nunquid ſuaviſſimus ille cibus nullum pro illis ſaporem habebat? Cur illi nullam in eo dulcedinem experiebantur? Quia, Sanctus Chryſoſtomus inquit, illi non amplius, ut antea mannam hanc recipiebant. Cum incœpit Deus illis liquorum hunc depluere, tunc illum recipiebant Iſraelitæ tanquam Dei donum, atque tunc ille omnium exquiſitiſſimarum epularum guſtum habebat. Sed ex quo illum non reſpexerunt amplius veluti cœli donum, nullum amplius pro illis guſtum habuit, ideoque dixerunt: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo.* Ecce, o Fideles, quid vobis in hoc Dei verbo audiendo contingat. Cum olim audiebatis illud non ſine ſanctis animi affectionibus, & Deus vos alloquebatur per os concionatorum, vobis quidem jucundiſſimum erat, & non ſecus ac manna omnibus guſtibus veſtris ſeſe accommodabat; ſed cum facti ſitis in ſermonibus audiendis delicati, verbum hoc vobis inutile factum eſt, quandoquidem illud tanquam hominis verbum dumtaxat auditis.

Obduratio Pharaonis verbo Domini.

Quid intentatum reliquit infinita Dei bonitas, ut Pharaonem converteret? Poſuit, ut ipſe inquit, diſertiſſimam eloquentiam ſuam in labiis inſignium legatorum ſuorum, Moyſis videlicet, & Aaronis, ut loqui poſſent ea majeſtate, ac vi, quæ maxime ad mentem perſuadendam, ac triumphum de improbo corde reluctante referendum valeret: *Ego ero in ore tuo, & in ore illius.* Exod. 4. Poſtquam per os duorum horum virorum locutus eſt, per Moyſis manus ea operatus eſt miracula, quæ neminem latent. Attamen fructus omnia, quem ex ſermonibus, miraculiſque ſuis perceperunt, non aliud fuit, quam inutilis ſtupor, & admiratio. *Parentes horrende, & cum admiratione nimia perturbati.* Sapien. 17.

Exemplum conſtantiæ, qua concionator veritatem debet aſſerere.

In Michææ Prophetæ perſona ſuppetit nobis exemplum roboris ejus, quod concionator præferre debet veritatem affirmans, quin nobilius viris aſſentiatur, ac illis diſplicere formidet. Cum perfidus Achab rex Iſrael copias ſuas cum exercitu Joſaphat regis Juda conjunxiſſet urbem quandam obſeſſurus, atque communes hoſtes perſecuturus, quadringenti Pſeudoprophetæ abſolutiſſimam Achabo victoriam ſpoponderunt: ſed Joſaphat nullam illis adhibens fidem petiit, ut conſuleretur Michæas, qui habebatur tanquam Propheta veri Dei, & quem Achab ferre non poterat, quia libere ei dicebat veritatem, quam infelix ille princeps audire nolebat. Mittitur ad illum inquirendum, miſſuſque illi perſuadere fruſtra conatur, ne aliorum prophetarum dictis adverſetur,

atque

Digitized by Google

atque ſe mitiorem præbeat ea in occaſione, ne regem illi jam ſubiratum magis irritaret. Sed vivit Deus, exclamat Propheta, regis domini tui conſideratio, & minus adhuc mi non prohibebit, ne dicam ea, quæ mihi afflaverit Deus, & ne veritatem annuntiem illi; ad id enim Dominus miſit me. Et ſane veritatem protulit, & hæc licentia impium regem impulit, ut illum plagis affectum in carcerem traderet, ne unquam coram ipſo prodiret. At infelix belli exitus, & ipſius Achabi cædes probarunt ea, quæ Propheta portenderat, & ultionem ſumpſiſſe de contemptu, quo rex Dei verbum exceperat.

Exitus prædicationis Jonæ populo Ninivitarum.

Jonæ prædicatio recenſenda eſt inter celeberrimas, quæ in Scripturis habeantur, propter ſubitam, inſperatamque mutationem, quam in tota, ac tam grandi urbe peperit, qualis erat Ninive. Propheta a Deo miſſus illuc ingreſſus eſt fatalem divinæ ultionis ſententiam annuntiaturus, qua totius urbis portendebatur excidium: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*. Jonæ 3. Neminem ſingillatim allocutus eſt, attamen nemo fuit, qui ſibi intentatas non applicaret minas. Rex, magiſtratus, populus, omnes denique ſibi ea dici putarunt, ac celerem, ſeveramque pœnitentiam egerunt. Hoc facere debent auditores. Concionator generatim loquitur, ſed auditor, quæcunque ab illo dicuntur, ſibi potiſſimum dicta putare debet. Attamen prorſus oppoſitum accidit; quin ſibi applicet ea, quæ jure a concionatore exprobrantur, in eo omnem collocat induſtriam, ut eadem applicet aliis. Hæc illi optima quadrant: cur mulier illa non adeſt? Nihil vobis dictum putatis, ideoque nunquam agitis pœnitentiam.

Qui Dei verbum annuntiant buccinæ in Scripturis vocantur.

Concionatores in Scripturis tubæ dicuntur, ſeu quod tanquam præcones ſupremi cœlorum, terrarumque Domini ſenſus, & juſſa pronuntiant, ſeu quod veluti in acie contra vitium decertare quærunt; unde accidit ſæpe, ut quemadmodum Sacerdotes olim tubis clangentes Jerichuntis mœnia everterunt, ita concionatores terribili vocis ſono evertant, ac diruant, quidquid in dæmonis fortiſſimum eſt, atque rebelles animas, obdurataque corda ad deditionem compellant.

Quam parvi a Judæis fieret Dei verbum ſibi a propheta Ezechiele annunciatum.

Dei verbum hodierna die excipitur, ut olim a Judæorum populo, cum ab Ezechiele Propheta ipſi nuntiabatur. Ipſe etiam Propheta teſtatur, populum illum ne minimum quidem fuiſſe commotum malis, quæ Ipſe illi Dei nomine portendebat. Attamen ultro citroque ſibimet illi dicebant: Eamus ad audiendum Prophetam, mirabilia ipſe nobis enarrat, portenta operatur; verum quid inde? Heu! dicit Deus Prophetæ eidem, quid feciſti Ezechiel? Verbum meum huic populo prædicaſti, verum noſtin, quid tua prædicatio peperit? De te in compitis, triviiſque loquuntur, atque abſolutiſſimis te laudibus cumulant. *Adveniunt ad te, quaſi ad ſpectaculum*. Ad te audiendum, quaſi ad theatrum, vel choream confluunt, tuumque verbum tanquam ſuave aliquod, & jucundum melos excipiunt. Attamen nihil eorum faciunt, quæ doces. Nonne hoc illud eſt, quod hodie concionatoribus accidit? Omnia ad inanes plauſus tendunt; quibus excipiuntur; omnia in ſterili eloquentiæ ipſorum admiratione ſubſiſtunt.

De attentione, qua populus audiit Eſdram legem Dei annuntiantem.

Legere non poſſumus, quin pudore ſuffundamur, admirabilem attentionem Judæorum, qui ab Artaxerſe in patriam terram dimiſſi, ſtatim ac Eſdras os aperuit, ut legeret illis Dei legem in libro, qui in templo repertus fuit, *incurvati ſunt, & adoraverunt proni in terram*. Ubi Sanctus ille Propheta primum protulit verbum, omnia audientium effuſa ſunt corda, omneſque oculi imbribus maduerunt: *Flebat omnis populus*. Gemitus eorum tales erant, ut Levitæ illis ſilentium indicere cogerentur. Quæ igitur erat cauſa, propter quam illi adeo religioſam adhiberent attentionem? Eſdras erat Dei miniſter, qui eos Dei verbis alloquebatur, & quem tanquam Deum venerabantur.

Dei filius eloquentiis ſuæ populum pertrahebat.

Narrat S. Matthæus, mundi Salvatorem ad ſui ſequelam, atque in admirationem pertraxiſſe populum ea dicendi, agendique ratione, quæ erat cum auctoritate conjuncta. Admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus: *erat enim docens eos ſicut auctoritatem habens*. Matth. 7. Auctoritas hæc illum a Scribis, & Phariſæis diſtinguebat. At undenam illa proficiſcebatur? Num quia in imo corde gratiæ ſuæ voce loquebatur, dum interim verbo in auribus eorum prædicaret? Num quia miris prodigiis ea, quæ docebat, identidem confirmabat? Num denique, quia cum æternum eſſet verbum, jure utebatur, quod ipſi ſua præbebat origo ſupremum exercendi imperium in corda, ut ea, quocunque vellet, inflecteret? Haud ita ſane, ſi Divo Chryſoſtomo credimus; ſed quia & voce ſimul, & exemplo prædicabat, quia vitæ innocentia ſermonibus ipſius congruebat, quia vitæ ratio ab ipſius lege abnormis non erat, & quia ipſe primus eas exercebat virtutes, quas docebat. E contra vero Synagogæ Sacerdotes primos adſectabant accubitus, inter cæteros eniteſcere quærebant, turpes fovebant cupiditates, tunc etiam cum populum ad pœnitentiam adhortabantur. Adeo verum eſt ad animos commovendos majorem ineſſe vim exemplis, quam verbis.

Herodes ferre non potuit veritatem, quam illi Joannes Baptiſta annuntiabat.

Sanctus Joannes Baptiſta coram Herode prædicat. Hunc de regno Dei diſſerentem Rex haud ægre audiebat, immo ad illius conſilium multa bona facere non detrectabat. *Libenter eum audiebat, & audito eo multa faciebat*. Marc. 6. S. Joannes tunc cum voluptate audiebatur, atque veluti magnus Propheta habebatur. Verum ubi inceſtuoſos regis amores increpare cœpit, audacterque dicere: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*; tunc illum ultra Rex pati non potuit, quippe inferentem bellum cupiditati, quæ cordi illius dominabatur, & peccato, a quo recedere nolebat; atque ut importunum amoveret cenſorem, a quo ſcelus ſuum objurgabatur, aſſenſum præbuit morti Prophetæ illius, qui Dei nomine ipſum alloquebatur.

Salvator mirum in modum concionatoris munus obiit.

Viſne videre Dei filium concionatoris munus exercentem? Conſidera illum in monte infinita populi ſeptum corona, maxime eſſentialia religionis ſuæ præcepta ferentem, atque præcipuo miniſterii ſui officio vacantem. Populus ſollicite divinum illius verbum, ut ita dicam, devorat; auditores ejus lætitia exultantes, ſuique obliti corporis, quia animam abunde ſaturatam habent, deſerti interiora petunt, ac ſeſe objiciunt periculo, ne fame pereant. Animæ voluptas tanta eſt, ut de corporis ſui neceſſitatibus nullam amplius habeant ſollicitudinem. Hi ſunt mirabiles effectus, atque inſignes mutationes, quas prædicatio Salvatoris mundi operabatur.

Cum die quadam mulier Dei filium prædicantem audiviſſet, tanta admiratione capta fuit, ut in ea eruperit verba; Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti. At Salvator ſtatim reddidit. Quin immo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud; quæ res palam oſtendit, quantum debeamus Deo, qui efficit, ut nobis divinum hoc verbum adminiſtretur, & quanta ſit felicitas noſtra, qui adeo frequenter illud audire poſſumus.

Judæi ſæpe admirabantur Dei filium concionantem, quin aliquem fructum perciperent.

Concionatores, qui ſincera mente miniſterii ſui perfunguntur officiis, ſemet conſolari debent exemplo filii Dei, cum vident ſe ex concionibus ſuis majorem referre laudem, ac plauſum, quam fructum, cumque audiunt de ſe quidem ſumma cum laude homines loqui, ſed nihil fieri ſentiunt eorum, quæ ab ipſis docentur. Etenim S. Lucas refert, omnes admiratos fuiſſe vim, atque eloquentiam, quibus Jeſus Chriſtus loquebatur, quin meminerit unquam converſionum, quæ eſſe debebant fructus adeo admirabilium prædicationum: *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus*. Luc. 4. Non miror eorum admirationem, ſed admirationem hanc fructu caruiſſe

miror; quamobrem S. Auguſtinus ait: *Mirabantur, ſed non convertebantur*.

Prædicatio S. Petri [illegible] de Cœnaculo

Ut judicium feratur de vi, atque efficacia verbi hujus, cum Dei ſpiritu animatum eſt, ſatis eſt conſiderare primum ejuſdem effectum in ore Principis Apoſtolorum, cum de Cœnaculo egreſſus eſt, poſtquam illic Spiritus ſanctus in ipſum, alioſque Apoſtolos deſcendiſſet. O Deus! quænam & concionatoris, & auditorum ſimul mutatio! Ex Petro antea trepidante, ac magiſtrum ſuum negante ad improbæ Ancillæ vocem redarguentis illum, quod eſſet ex numero diſcipulorum Jeſu Nazareni, factus eſt Petrus audacter prædicans nomen ejuſdem Jeſu Chriſti, quin vel Pontificum minæ, vel mortis metus eum deterrerent. Quænam vero immutatio in cordibus illis, quæ obduratiſſima erant? *Indociles, & rebelles*. Etenim ſtatim ac Petrus os aperuit divinum hoc verbum illis annuntiaturus, atque Jeſum Chriſtum prædicaturus, tria circiter capitum millia convertit.

Apoſtoli omnia abdicarunt negotia, ut divini verbi miniſterio unice vacarent.

Apoſtoli prædicationum ſuarum fructum, ac peculiarem conſiderantes neceſſitatem, qua ſancto hoc munere ſæpius perfungi debebant, ſapiens hoc ceperunt conſilium alia quælibet minus neceſſaria munera relinquendi, ut liberius vacare poſſent ei, quod ipſis majoris momenti videbatur. Nos quidem, dixerunt illi, precibus, atque divini verbi miniſterio curam omnem, tempuſque impendemus. Ambigi ne poteſt, quominus Apoſtoli duobus hiſce dumtaxat muneribus operam dantes hæc tanquam evangelici miniſterii ſui potiſſima exiſtimaverint? Munera, quæ nunquam ſeparanda ſunt; alterum enim alteri vim præbent, atque utrumque mutuis firmatur auxiliis.

Primi fideles aſſidue Apoſtolorum doctrinam audiebant

In Actis Apoſtolorum narratur, primos fideles ſimul congregati conſueviſſe, atque in cœtibus ſuis in id potiſſimum incubuiſſe, ut Apoſtolorum doctrinam audirent, hoc eſt doctrinam, quam a Jeſu Chriſto Apoſtoli receperant, & quam Apoſtoli prædicabant. Verum eſt, Apoſtolos eo majori cum difficultate fuiſſe locutos, quo frequentius doctrina eorum a Judæis, atque Ethnicis impugnabatur, & quod crebro ejiciebantur, & de urbibus egredientes, ſecundum Domini oraculum, cogebantur excutere pulverem pedum ſuorum, ægre videntes futurum, ut noviſſimi judicii die in nefarias eas civitates acerbius, quam in Sodomam, & Gomorrham, animadverteretur. Verum nullæ unquam difficultates Apoſtolorum zelum retardarunt; quo majores obices nanciſcebantur, eo majores exerebant niſus, ut evangelicas veritates annuntiarent, edocerentque.

Divini verbi progreſſus in Eccleſiæ primordiis.

Quanto ſolatio afficimur miros audientes progreſſus, quos Dei verbum primis eccleſiæ ſæculis tulit! Sub ipſis ferme chriſtianæ religionis initiis, ſecundum S. Irenæi, Tertulliani, & S. Cypriani teſtimonium, eccleſia hæc latius Romano patebat imperio, quod in univerſum terrarum orbem ſe late dominari gloriabatur. Verbum hoc proceram evertit ethnicæ impietatis arborem, cujus rami ultra nubes aſſurgebant, & ſub cujus umbra terræ animalia paſcebantur. Hæc abſcondita ſcintilla fuit, quæ tanta peperit incendia, hoc illud ſinapis granum, S. Ambroſius inquit, quod, cum aliorum minimum eſſet, ad immanem excrevit magnitudinem.

S. Pauli prædicationes.

Quiſnam recenſere poſſet locos omnes, ubi Sanctus Paulus prædicationis miniſterium exercuit? dicitur hic evangelium a Jeroſolyma in Illyricum uſque pertuliſſe. Quanta eſt hæc regionis extenſio! Difficile eſt etiam mente aſſequi, quomodo unus homo tot loca luſtrare potuerit, omneſque progreſſus efficere, qui infatigabiles magni hujus Apoſtoli labores ſubſecuti ſunt. Tunc etiam cum obrutus eſſet catenis, & conjectus in carcerem ab evangelica prædicatione non ceſſabat; quamobrem Timotheum diſcipulum ſuum alloquens: *Memor eſto Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis ex ſemine David ſecundum evangelium meum, in quo laboro uſque ad vincula quaſi male operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum*: Videlicet Sanctus Paulus omnibus in locis eumdem ſemper habebat zelum, eamdemque miniſterii ſui adimplendi ſollicitudinem. Poterant quidem inimici eum intra carcerem continere, ſed zelum ejus cohibere non poterant; donec illi integrum eſt loqui, non ceſſat oſtendere, quam pretioſum ſit ſanctum miniſterium, quod ſibi creditum fuerat exercere.

Quid acciderit Felici Syriæ Præſidi poſt S. Pauli prædicationem.

Quid acciderit Felici Syriæ Præſidi neminem latet. Sanctus Paulus in viri hujus corde verbum Dei adeo feliciter ſevit, ut illi noviſſimi judicii horrorem exhibens tantum terrorem, formidinemque incuſſerit, *tremefactus Felix*, ut illum jamjam ad pœnitentiam diſponeret. Sed vix ſemen germinaverat, cum ſpinæ, hoc eſt, ſecundum filii Dei loquendi modum, divitiarum deſideria ſuffocaverunt illud; expectabat quippe, ſacer textus ait, ſibi a Paulo pecuniam numerari. Hic totus eſt fructus timoris, atque tremoris ipſius; perterritus quippe veritatibus, quas magnus ille prædicabat Apoſtolus, illi ſilentium indixit, ac reliquam ſermonis partem in diem aliam rejecit; ſed mora hæc omne illi converſionis deſiderium, & cum deſiderio gratiam abſtulit. Hoc accidit illis omnibus, qui Dei verbum, uti oportet, non audiunt.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Dei Verbum lucerna eſt nos illuminans, & fovens.

H*Abemus propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucerna lucenti in caliginoſo loco*. 2. Petri 1. Hæc ſunt verba principis Apoſtolorum propheticos ſermones, hoc eſt Dei verbum, comparantis lucernæ noctu lucenti. Etenim vero divinum hoc verbum lumine ſuo diſſipat umbras, quæ nos excæcabant; ſed addi etiam poteſt, hac face nos minus cor calefit, quam mens illuſtretur. Fax iſta ardore ſuo ſuo liquefacit, abſit verbo invidia, glaciem, qua adſtricti torpemus, & quæ in Dei ſervitute nos adeo lentos, ac inertes facit: etenim nonne hoc verbum nos excitat, atque animat, cum novitius fervor tepeſcit, vel cum charitas noſtra penitus extinguitur? Cum in animata quapiam tabula nobis exhibetur vel tota Dei juſtitia, vel tota ejuſdem miſericordia, atque inde periculum agnoſcimus, in quo ſalus noſtra verſatur; cum nobis ob oculos omnia Dei beneficia, mors illius, ſanguis, crux, & veritates, quæ majorem vim habent, ut noſmet ipſos colligamus, ſtatuuntur; non ſolum vivis hiſce luminibus illuſtramur, verum etiam recenti ardore inflammamur; hic duplex eſt divini verbi effectus, non minus cordibus noſtris calorem, quam mentibus lumen afferentis.

Quomodo veritas detineatur captiva.

Veritatem in injuſtitia detinent. Ad Roman. 1. Ecce, o peccator, quodnam ſit ſcelus tuum: veritas per prædicationem ingreſſa eſt in mentem tuam; hoc ſatis non eſt, niſi in cor ipſum migret, & a corde ad praxin deducatur. Cor poſſidet fortaſſe veritatem; ſed quia injuſtum eſt, eam retinet in injuſtitia prohibens, ne agat, eique ſilentium indicens, ne conſcientiam juſto metu concutiat, illius virtutem reprimens, atque vim agendi coercens. Veritas hæc, quam per Dei verbum cognoſcimus, captiva eſt vinculis conſtricta, ac detenta, eo quod pudet, illam in uſum, cui deſtinata eſt, impendere: *In injuſtitia detinent*. Huic gravis, & injuſta injicitur ſervitus, cum capitur conſilium in ſcelere perſeverandi; quid enim iniquius eſt, quam ſuis edoceri de officiis, eaque negligere; Dei verbum audire, eique obedientiam detrectare; veritatem cognoſcere, eique victas manus non dare? Hoc eſt eſſe rebellem lumini, & intelligere, nolle, ne bene agere tenearis: *Ipſi fuerunt rebelles lumini*. Job. 24. *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Pſalm. 35. Hæc illa graviſſima eſt injuſtitia, cujus nomine Sanctus Paulus illos accuſat, qui opere non complent, quod illos Dei verbum edocuit.

Dei Verbum Nu-

Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Matth. 4. Ex hac Salvato-

tis

chariſtiæ comparatum.

ris reſponſione liquet, Dei verbum eſſe animæ cibum non ſecus, ac Euchariſtiam, quæ res S. Auguſtino occaſione præbuit duplicem hunc cibum ſimul conferendi, dicendique divinum hoc verbum non minus eſſe beneficium, quam ipſum Jeſu Chriſti corpus, quod in auguſtiſſimo recipimus ſacramento. Non immorabor iſtic explicaturus, quinam ſenſus his verbis tribuendus ſit, quæ hyperbolen ſapiunt; hoc autem verum, & ſolidum eſt utrumque vocari panem vitæ, quo alimus, atque pro cujuſque modulo vivificamur. Alterum quidem aure, ore alterum recipitur: ſed quemadmodum cum ad aras vitæ panem recepimus, illo nutriri debemus; ita cum de chriſtiano ſuggeſtu vitæ verbum audimus, illud guſtare, ex eo debemus vivere, ali, ſaginarique, ac per corruptorum morum mutationem, vel perſeverantiam in bono oſtendere, quid fuerit operatum in nobis. Liceat mihi per vos aliis adhuc vocibus id explicare. Quamvis poſt receptum Altaris ſacramentum ſacramentales ſpecies abſumantur, vitæ ſpiritus remanet in anima eorum, qui non indigne vitæ auctorem perceperunt; ſpiritus, qui efficit, ut in Jeſu Chriſto maneant, quemadmodum ille manet in ipſis modo ſpirituali, & ſanctificante, tunc etiam cum ibi realiter, & in corporis ſui veritate amplius non eſt, Nonne dici quoque poteſt non ſine aliqua proportione, poſtquam ſonus verborum evangelicorum præconom evanuit, quoddam vitæ veluti ſemen in animabus bonis ſupereſſe, qui neceſſariis cum diſpoſitionibus illa audiverunt?

Quæ requiratur diſpoſitio ad Dei Verbum audiendum.

Loquere Domine, quia audit ſervus tuus. 1. Reg. cap. 3. Dei verbum audiendum eſt eo ſenſu, quo a Samuele auditum fuis, cum ter a Deo vocatus reſpondit illi: Loquere Domine, quoniam *audit ſervus tuus*. Non ſatis eſt dicere; adſum, attentus ſum imperiis tuis, ſed paratus quoque ſum, ut illa faceſſam, ideoque illa ſcire volo. Venio quidem illa auditurus, ut de illis edocear; non ita tamen ut iſtic immorer, ſed ut deinde faciam, quæ debeo, utque meo munere perfungar: *Loquere*. Scis, me paratum eſſe, ut tuam exequar voluntatem, illam dumtaxat cognoſcere inquiro, ideoque audio verbum tuum, quæ via eſt ad eam percipiendam.

Quid ſit manere in Sermone Dei.

Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis. Joan. 8. Eſſe diſcipulos filii Dei, & eam habere libertatem, qua filii Dei perfruuntur, duplex hoc eſt, & inſigne bonum. Verum cuinam rei inhærens? Non quidem audiendo obiter verbum Dei, neque confitendo in eo aliquid magnum, ac divinum ineſſe: mundus licet corruptiſſimus honori ſibi verteret hoc illi teſtimonium perhibere. Eſſe Jeſu Chriſti diſcipulum, hoc eſt *manere in ſermone ejus*, quemadmodum explicat Sanctus Auguſtinus, videlicet ſanctum illius verbum ſervare, quotcunque obices mundus, & amor proprius opponat; non eſt vagis quibuſdam acquieſcere deſideriis, quæ nihil operantur, ſed re ipſa operi admovere manum ad omnia Domini mandata adimplenda. *Manere in ſermone* ejus eſt, certum hoc capere conſilium, volo quocunque pretio me ſalvare, utque utiliter meæ conſulam ſaluti, memet ſubjicere volo iis omnibus, quæ divinum hoc verbum mihi præcipiet. Hoc in *ſermone Dei manere*, & vere diſcipulum ejus eſſe, vocatur; hoc dicitur veritatem cognoſcere, cum de eadem eruditi quærimus, nobiſque tanquam potiſſimum injungimus officium eam rebus in omnibus adimplendi, ut de peccati ſervitute elabamur, & beata filiorum Dei libertate fruamur.

Concionatores loquuti ſunt filii Dei, ejuſque nomine loquuntur.

Pro Chriſto legatione fungimur. 2. ad Corinth. 5. Verum eſt, hominem loqui, ſed homo eſt, quem eo in munere, quo fungitur, tueri ita intereſt Dei, ut illius verba contemnere nequeas, quin ſimul ipſum Jeſum Chriſtum contemnas: *Pro Chriſto legatione fungimur*. Verum eſt hominem loqui, & ſi mavis, mortalium omnium indigniſſimum, attamen per te mihi liceat cum Tertulliano dicere, non ſemper a laniſtis gladiatores ad prælium confirmari, ſed infirmorum quoque vocem illos exhortantium ſæpiſſime audiri: *ſed etiam idiotæ adhortantur de longinquo*. Ita me ipſum triſti, ac funeſta experientia cognoſcens dicere poſſum, non ſemper Sanctos eſſe, qui prædicant, & ad virtutem hortantur, ſed indignitatem, atque prævaricationem meam verbo Dei injuriam afferre non poſſe. Si indignus ſum, qui ad vos loquar, me Deus damnabit, & non ideo vos juſtificabimini. Dei verbum ex peccatoris ore egrediens in ſe minus ſanctum non eſt, quam quod ex ore innocentis egreditur.

Placuit Deo per ſtultitiam prædicationibus ſalvos facere credentes, 1. ad Corinth. 1. Deus ſalvos vult facere homines non falſa hominum ſapientia, ſed ſapienti prædicationis ſtultitia, & ſimplicitate verbi ſui, cui hanc vim, & virtutem attribuit. Quid? putaſne futurum, ut Deus miraculum operetur te concionum elegantia, & ſermonis venuſtate ſalvum facturus? Non utique faciet; verum noſtin, quid faciet? tibi id relinquet, quod quæris, & tanti facis; relinquet tibi ſcitas animadverſiones, elegantes partitiones, eximios eloquentiæ ductus; ſed verbi ſui effectus, ſanctos motus, internos afflatus, optima vitæ immutandæ conſilia nequaquam percipies. Secerne igitur Dei verbum a verbi hominum: *Separate pretioſum a vili*; ne alterum cum altero confundas, neque ea, quæ ab homine fluunt, pro illis accipias, quæ a Deo proficiſcuntur.

Dei Verbum jacere debet radices in corda noſtra.

Sermo meus non capit in vobis, dicit Verbum Divinum apud S. Joannem cap. 8. Verbum meum intra vos radices non figit, nullus enim pro illo locus eſt, ac vos affectibus veſtris, atque cordis veſtri idolis penitus eſtis mancipati. Nequicquam vobiſcum de cœlo habetur ſermo, nimis terræ huic adhæretis; neque ſatis magnus eſt ſpiritus veſter, ut ſimul complecti poſſit ea, quæ adeo intra ſe diſtant, ac ſibi oppoſita ſunt. Inter duo hæc non ſolum diſcrimen, ſed oppoſitio intercedit. Itaque Dei verbum non ingredietur; non operabitur; non jaciet radices in corde, quod aliis additum eſt affectionibus. Haud ita; concionator, quantumvis ardens ſit zelus tuus, ac potens vox tua, ut peccatores convertas, hi ita pravis habitibus ſuis inſepulti ſunt, ut te minime audiant: ita pertinaces ſunt contra quoſcunque motus, quos in illis ciere conaris, ut nullam in mente eorum impreſſionem, nullamque in corde mutationem efficias. Fruſtra illis exhibes beneficia, promiſſiones, & minas Dei, hæc omnia in animos eorum non ingrediuntur, vel ingreſſa non ſatis altas jaciunt radices: *Sermo meus non capit in vobis*. Antea mentes iſtæ, & corda evacuanda ſunt iis rebus, quibus replentur, & occupantur.

Vis divini verbi in obduratiſſima corda.

Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea, flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ. Pſal. 147. Verba hæc facta videntur ad innuendam vim, & effectum verbi Dei in cor peccatorum. Hæc ſunt corda peccato indurata, æque frigida, ſenſuque carentia, ac gelu: Templum ingrediuntur; Deus per os concionatoris loquitur ad illa, & ſimul Spiritus ſanctus intus in corde perflat: *flavit ſpiritus ejus*. Spiritus hic, qui ſub ignearum linguarum ſpecie in Apoſtolos dilapſus eſt, inviſibiliter in cor iſtud deſcedit, & afflatuum ſuorum copia efficit, ut illius obduratio liqueſcens in pœnitentiæ lacrymas diffluat: *Et fluent aquæ*.

Quinam ſint verbi divini ſcortatores.

Adulterantes verbum Dei. 2. ad Cor. 2. Dei Verbum adulterantes Sanctus Paulus eos vocat concionatores, qui huic muneri deſtinati Dei cauſam, & miniſterii ſui ſanctitatem produnt; & qui cum evangelium Jeſu Chriſti prædicare debeant, prædicant ſe ipſos, atque ex vanitate, & cupiditate ſua alterum ſibi evangelium concinnant. Infame hoc nomen illis quadrat, quia, Sanctus Gregorius inquit, quin Deo tribuant fructus, vel legitimos gratiæ ipſius filios, vanitatis ſuæ voluptatem, & fictitios inanis gloriæ ſuæ fructus conſectantur. Alia verſio habet: *Cauponantes verbum Dei*. Adulterantes verbum Dei ſuam

ſuam cupiditatem cum evangelio commiſcent: quæ ratio eſt quærendi non amplius Dei gloriam, ſed gloriam loquentis.

Spiritus ſanctus loquitur per os concionatorum.

Spiritus ſanctus loquitur in vobis. Matth. 10. & Luc. 12. Cum evangelium concionatores annunciant, tunc loquitur Spiritus ſanctus, atque mirabile fit temperamentum, atque, ut ita dicam, duarum vocum diverſarum concentus, hominis videlicet, & Dei, quæ ſimul conſociantur, ut eodem tempore aurem ſimul, animumque vellant. Id ipſum accidit, quod in Sacramentis, ubi aliquid eſt naturale, & ſenſibile, aliquid ſpirituale, & divinum. In Euchariſtia, exempli gratia, externa adeſt ſpecies, quæ noſtros afficit ſenſus; ſed ſub ſenſibili, exteriorique integumento, quod latet, divinum eſt, nempe adorabile corpus Chriſti Jeſu. Hoc ipſum in evangelio, ubi annunciatur, uſuvenit, eaque eſt S. Auguſtini ſententia. Loquitur de verbo Dei, de verbo evangelico, quod de chriſtianis ſuggeſtibus reſonat, tanquam de ſubſtantiali Verbo Dei, de incarnato Verbo, quod in ara quotidie immolatur. In concionibus ergo aliquid naturale eſt, & aliquid divinum, ac ſupernaturale; ſpirituale adeſt, & ſenſibile. Deus loquitur, & loquitur homo; ſed homo non aliud eſt, quam organum, per quod Dei vox profertur; & divina hæc illa vox eſt, quæ præ ceteris audienda eſt, & quæ minime auditur. In exteriori cortice hæremus, humanam ſequimur vocem, ſermonis elegantiam, ſententiarumque acumen, atque amplitudinem, verbo, humanam, & adfectatam conſectamur eloquentiam, quæ aures palpat, ſed ad cor ipſum minime permeat. Eheu! quænam corruptio!

Cur hodierna de tam modicus ſit in hominum cordibus Divini verbi effectus.

Non in ſublimitate ſermonis, aut Sapientiæ: non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis. 1. ad Corinth. 2. Mirantur homines videntes hoc verbum, quod olim philoſophos, ac ſapientes mundi confudit, necnon de maximis poteſtatibus triumphum reportavit, & pertinaciſſimos, maximeque indociles ſpiritus vicit; mirantur, inquam, hodie omni ferme carere effectu, & adeo modicas converſiones efficere. Undenam illud? quia ex S. Chryroſtomi ſententia ſalus, & particularis cujuslibet peccatoris converſio ſeſe conformare debet ad generalem mundi totius converſionem. Modus autem quomodonam converſus fuit? Quid illum Jeſu Chriſto peperit, evangeliſque legibus ſubjecit? Nunquid humana ſapientia, & eloquentia? Nunquid orationis ornatus, & elegantia? Haud ita ſane, ſed ſola virtus, & impreſſio interior vocis, & verbi Dei in cordibus hominum. Duodecim rudes piſcatores omni carentes eloquentia, omni arte deſtituti, indocti, illiterati, facti ſunt mundi totius Doctores, atque magiſtri, eorumque fidei, & Jeſu Chriſti legi ſubjecerunt. In concionibus eorum Dei vox, non humana audiebatur eloquentia. Hoc pacto facta eſt generalis mundi converſio, & eodem particularis fit converſio peccatorum. Miſera ingenia, quæ hominum aures palpare ſtudent, & prohibent fructum verbi Dei.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententia Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Chriſtus docet, audiamus, timeamus, faciamus. Auguſt. l. de Diſcipl. Chriſti, cap. 4.

Cathedram habet in cælo, ſchola ipſius terra eſt. Idem ibidem.

Cathedram in cælo habet, qui docet intus. Idem, lib. de magiſt.

Qui verbum divinum libenter audit, in aures animæ de patria Paradiſi tranſmiſſas ſe ſuſcepiſſe litteras non dubites. Idem, Homil. 26. & 50.

Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur; lacrymæ auditorum laudes tuæ ſint. Hieronymus.

Non confundant opera tua ſermonem tuum; ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet tibi reſpondeat, cur ergo quæ dicis ipſe non facis? Idem, in Epiſtol.

Increpatio generalis non eſt injuria unius perſonæ particularis. Idem in Pſalm. 17.

Quiſquis verbo Chriſti paſcitur, terrenum pabulum non requirit. Ambroſ. Serm. 40.

Quomodo poſſunt verba Dei dulcia eſſe in faucibus ſuis, in quibus eſt amaritudo nequitiæ? Idem, in Pſalm. 118.

Quantumlibet quiſque profecerit, nemo eſt qui doceri non indigeat. Idem, l. 1. Offic. c. 1.

Prædicator non in verborum ſplendore, ſed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat. S. Proſper. lib. 1. de vit. contempl.

O quam velox eſt ſermo ſapientiæ! & ubi Deus magiſter eſt, quam cito diſcitur quod docetur. S. Leo, Serm. 5. Pentec.

Verborum floſculos non quærimus. Chryſolog. Sermone 18.

Vita puritatem & diligentiam nihil ſic efficit, ut alacre ad audiendum verbum Dei ſtudium. Chryſoſt. contra Anomeos.

Quemadmodum eſurire, corporis bonam valetudinem declarat; ſic ſermones appetere ſpirituales, animæ ſanitatem arguit. Idem, Homil. 2. in Iſaiam.

Ex concione aliquid ſemper animæ tuæ reportæ domum. Idem, Homil. 6. ad Popul. Antioch.

Cibus mentis eſt ſermo Dei, Gregor. Homil. 15. in Evang.

Arcus eſt Scriptura, de qua ad corda hominum, ſicut ferientes ſagittæ, ſic terrentes ſententiæ veniunt. Idem, lib. 19. Moral. c. 28.

Niſi Spiritus Sanctus adſit cordi audientis, otioſus eſt ſermo Doctoris. Idem, Homil. 30. in Evang.

Ille loqui veraciter novit, qui prius benefacere didicit. Idem, Homil. 12. in Ezechiel.

Ad prædicandum plus conſcientia ſancti amoris ædificat, quam exercitatio ſermonis, Idem Homil. 10. in eundem.

Si negligis implere quod doces, aliis meſſem ſeminas. Idem in Paſt.

Cujus vita deſpicitur, neceſſe eſt, ut ejus prædicatio contemnatur. Idem.

Mutum eſt os omne quod loquitur, ſi Deus in corde non clamat, qui etiam inſpirat quæ audiuntur. Idem, lib. 7. Moral. cap. 5.

Cum imperio docetur, quod prius agitur quam dicatur. Idem, lib. 23. Moral. cap. 11.

Chriſtus potens erat in ſermone, quia talis in opere. Idem.

Verbum Dei non eſt ſonans, ſed penetrans, non loquax, ſed efficax, non obſtrepens auribus, ſed affectibus blandiens. Bernardus, Sermon. 30. ſuper Cantic.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia ad hoc afferri poſſit argumentum.

Quid ſit Dei verbum, & ejus definitio.

Sola nomina ſine ulla explicatione ſatis diſtinctam, ac perſpicuam nobis tribuunt notionem verbi; per illa quippe generatim intelligitur, quidquid Deus dixit, & protulit. Increatum verbum eſt Verbum Divinum, Sapientia infinita, quatenus eſt terminus cognitionis ejus, verbum, quo expreſſit omnia, omnia comprehendit, omnia produxit. Sed verbum creatum, de quo hic quæſtio eſt, illud eſt, quod proficiſcitur a Deo; ſeu immediate, veluti cum ipſe per ſe locutus eſt ad Sanctos veteris legis Patriarchas, ſeu mediate, veluti cum ad populum ſuum locutus eſt per os Prophetarum, & ad primos fideles per os Apoſtolorum; & hoc illud verbum eſt, quod ad nos uſque perve-

pervenit, & quod hodierna adhuc die in eccleſia per os miniſtrorum ejus annunciatur.

Recipere debemus, & audire verbum, quod concionatores annunciant tanquam Dei verbum.

Apertiſſima veritas eſt, & communis fidelium ſententia, Scripturis, Conciliis, Sanctorumque Patrum auctoritate ſuffulta, verbum hoc, quod populis ab evangelicis prædicatur miniſtris, quod illos inſtruit, quod vitia corripit, quod chriſtianas docet veritates, verbum eſſe Dei ſaltem explicitum, cui eadem bona, quæ Deus in Scripturis ſuo tribuit verbo, conjuncta ſunt, ubi recipitur eo modo, quo Dei verbum recipiendum eſt; ita ut ex quo concionator miſſionem ſuam accepit, ac probatus eſt, ſtatim habendus ſit tanquam organum ſpiritus Dei, atque audiendus perinde ac Dei ipſius nomine loqueretur. Hoc ipſe Dei filius teſtatur Matth. 10. *Non eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris mei, qui loquitur in vobis.* Nec prodeſt communi huic adverſari ſententiæ dicendo, concionatores ſæpe proprios venditare ſenſus, errores etiam aliquando proferre, atque crebro profanæ eloquentiæ immixtione divinum hoc verbum corrumpere: etenim ſicuti error, atque mendacium aliquam eſſe veritatem ſupponunt, & pſeudo Prophetæ legis antiquæ minime prohibuerant, quominus veri eſſent audiendi; ita crimen quorumdam miniſtrorum Dei verbo abutentium probat, eodem veros Dei miniſtros uti debere, & eos, qui abutuntur, nequaquam vere illud prædicare verbum, quod effectum ſuum habet, cum prædicatur, & auditur, uti prædicandum, atque audiendum eſt. Præſulum, atque paſtorum intereſt cognoſcere ſanam eorum doctrinam, a quibus Dei verbum annunciatur; ſed quamvis omnem illi zelum, & vigilantiam impendant, Deus aliquando vanam puniturus audientium curioſitatem, ac modicam utilitatem, quam percipiunt ex iis veritatibus, quas docentur, eorumque negligentiam, qua ad verbum Dei audiendum accedunt, & illud contemnunt, permittit, ut pſeudo Prophetæ illos palpent, atque ſeducant, & non evangelicas veritates, ſed inutiles curioſitates tradant, quemadmodum S. Paulus primos fideles admonuit.

Quinam ſit finis Verbi Dei.

Sancti Verbi hujus finis eſt everſio peccati, & erroris in audientibus illud, peccatoris converſio, divini nominis gloria, incrementum regni Jeſu Chriſti, electorum ſanctificatio; unde inferendum eſt, illud omni attentione noſtra dignum, ſumma cum docilitate audiendum eſſe, a ſummam mentis noſtræ attentionem mereri.

De hoc loquentibus argumento quoddam veluti principium ſupponendum eſt; Divinum hoc verbum in nobis non operari, niſi quatenus ibi recipitur, atque in hoc conforme eſſe naturalibus cauſis, quæ non operantur, niſi juxta modum illum, quo applicatæ ſunt; unde ſequitur, ſi audieris concionatoris verbum, tanquam verbum Dei, illud in te operaturum tanquam verbum Dei, & quemadmodum nihil inutilius eſt, quam hominis verbum, hoc in te nihil operaturum, ſi tanquam hominis verbum illud receperis. Hinc S. Paulus, magnus ille divini Verbi miniſter, qui Illius meritum agnoſcebat, dicebat, ſe gratias agere Deo, quod Theſſalonicenſes nequaquam verbum ejus audiſſent tanquam Pauli verbum, ſed Dei ipſius, & eam fuiſſe cauſam, propter quam Deus Theſſalonicenſem Eccleſiam tot gratiis, & benedictionibus cumulaverat: *gratias agimus, fratres, quod verbum Dei non accepiſtis tanquam verbum hominis, ſed ut verbum Dei* 1. ad Theſſal. 2. Et ſane Dei verbum, ut hominis verbum auditum, ad ſummum hominum dumtaxat plauſos ſibi conciliare poteſt, qui vulgatus eſt ejuſdem effectus; ſed ſi auditur tanquam verbum Dei, effectus habet prorſus divinos, qui omnes naturæ vires excedunt, & quos nulla alia producere poteſt eloquentia.

Divini Verbi prædicatio divinæ eſt inſtitutionis.

Quin fidei principia abnegentur, negari nequit, prædicationem divinæ eſſe inſtitutionis, quandoquidem Dei filius Apoſtolis, & in eorum perſona ſucceſſoribus illorum, omnibuſque vices eorum gerentibus, atque officiis ipſorum perfungendi provinciam ingreſſis hoc primum præcepit, ut evangelium ſuum annunciarent, populos erudirent, ac docerent veritates, quas ut hominibus aperiret, ipſe in terras deſcendit; quod paſſim in Scripturis adeo palam connotatum eſt, ut ne minima quidem ambigendi ratio ſuperſit. Ita credere debemus, hunc Deum veritatis, qui in lege veteri per Prophetas ſuos, & in nova per filium ſuum, ac deinde per Apoſtolos ejus locutus eſt, loqui etiam per eos, quibus eccleſiæ auctoritas ſacrum hoc miniſterium committit, & qui Jeſu Chriſti locum tenent: *Qui vos audit .....tanquam Deo exhortante per nos.* 2. ad Cor. 5. Hi ſunt, quibus Deus divinum hoc credidit ſemen, ſine quo, Iſaias dicit, æque impii, & nefarii eſſemus, ac Sodoma, & Gomorrha; ita ut quemadmodum per divinum hoc verbum Jeſus Chriſtus ſuam inſtituit eccleſiam, ita per illud ipſum eam in fide, morumque puritate conſervat.

Divini verbi neceſſitas.

S. Paulus divini verbi prædicationis neceſſitatem validiſſimo probat argumento. Sine fide, Apoſtolus inquit, nemo Deo placere poteſt; fides enim eſt virtutum omnium principium, quæ nos Divinæ Majeſtati acceptos efficiunt. At fides Dei verbo innititur. & verbum hoc extrinſecus per evangelicam prædicationem nobis revelatur: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti; quomodo autem audiens ſine prædicante?* Ad Rom. 10. Igitur per auditum fidem recipientes virtutis initium recipimus; ita ut ex Theologorum ſententia JESU CHRISTI fides quamprimum defectura ſit, ſi Dei verbum deficiat: *Si deficeret verbum Dei, deficeret tandem fides Chriſti;* inquit S. Bernardus ſermon. 10. Ratio autem, quam afferunt, eſt, nos Dei verbo edoceri, & inde omnes pendere cognitiones, quæ ad ſalutem aſſequendam ſunt neceſſariæ. Quamobrem idem S. Paulus Apoſtolus inquit, eum, qui erudiri non vult, & qui Dei verbum vult ignorare, a Deo ipſo ignorandum: *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* 1. ad Corinth. 4. Et non ſolum neceſſarium eſt ad habendam fidem, quæ eſt Chriſtianæ vitæ principium, ſed etiam ad recipiendum incrementum, & perfectionem, etenim quemadmodum ipſe teſtatur Apoſtolus, inſtitutum eſt ad erudiendum, redarguendum, & corrigendum, verbo, ad hominem perfectum efficiendum ſecundum cor Dei, eumque ad omnia bonorum operum genera diſponendum. *Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* 2. ad. Timoth. 3.

Divinæ intererat ſapientiæ homines de ſalutis veritatibus per hoc externum verbum erudire.

Divina Sapientia hanc ingredi voluit viam hominum erudiendorum, docendorumque, tanquam unam omnium aptiſſimam, ut eos ſalvos faceret, atque conditioni ipſorum maxime conformem. Poterat quidem ſingulos ſeorſim intrinſecus, & immediate alloqui per ſe, vel Angelorum, Prophetarum, & Patriarcharum, ut in veteri lege, miniſterio. Sed operæ pretium non cenſuit hac miraculoſa uti ratione, quæ nullum fidei exercitationi locum reliquiſſet: maluitque homines aliorum hominum opera edocere: ideoque videmus Salvatorem, ut eccleſiam ſuam conſtitueret, atque tueretur, operis hujus exordium duxiſse ex prædicationibus ſuis; & mox in ore Apoſtolorum collocaſſe hoc ipſum verbum, quod ille annunciaverat, atque poſt illos ſupernaturale hoc munus ſequeretur peccatores convertere, ſanctoſque efficere, poſuiſſe verbum idem in ore concionatorum, qui ideo vocati ſunt legati, præcones, & Jeſu Chriſti Vicarii.

Obligatio, qua Chriſtiani Dei verbum audire tenentur.

Vulgo neceſse eſt Chriſtianum hominem Dei verbum audire, ut ſalvus fiat; noſtrum non eſt alias inire vias ad ſalutem conſequendam; illas ſequi debemus, quas nobis ſtravit Deus, ut providentiæ ſuæ ordine nos ad optatum finem adduceret. Via autem, quam Deus vulgatiſſimam ad hoc eſse voluit, prædicatio eſt verbi ipſius. Fateor equidem, poſse Deum peculiares inire vias, quibus defectui prædicationis ſuppleat, exempli gratia inſpirationes,

ſanctaſque lectiones; verum quemadmodum vult in eccleſia ſua membra omnia invicem eſſe ſubordinata, atque mutuis ſubſiſtere auxiliis, non ſecus ac in natura, ita prædicatoribus uti vult ad annunciandum verbum ſuum, ac præparandos aliorum hominum animos, ut eam recipiant gratiam, quam illis conferre deſiderat.

Quo in ſenſu Dei verbum nunquam ſuo careat effectu.

Cum Deus Iſaiæ 55. aſſeruerit verbum ſuum nunquam effectu cariturum: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum:* oraculum hoc probaturus D. Thomas docet, Deo duplicem eſſe voluntatem, quarum altera alteri ita ſubſtituta eſt, ut ſi prior ſuo careat effectu, poſterior illum certiſſime conſequatur. Hoc eſt, vult Deus, verbum hoc ſalutem, converſionem, & ſanctificationem noſtram operari; hunc ille effectum cupit, hæc prima eſt Dei voluntas; quæ: ſi ſuo fruſtretur effectu, qui eidem naturalis eſt, & qui primum ob oculos Dei verſatur, hoc ipſum verbum reprobationem noſtram operatur, ita ut non ſit in hominis poteſtate prohibere, ne Dei voluntas alterutro hoc viduetur effectu. Facere quidem poſſumus, ne verbum Dei primum obtineat, hoc eſt, ne operetur gratiam, quippe illud irritum efficere poſſumus: ſed prohibere non poſſumus, quominus noſtræ conferat damnationi, quæ pœna erit contemptus, quo illud audire, & inde fructum percipere negligimus. Hic eſt alter illius effectus, qui eidem eſt cum gratia communis.

Negligentia audiendi verbum Dei parit cordis obdurationem.

Quemadmodum divinum hoc verbum ſemper plotimæ comitantur gratiæ, certiſſime inde infertur, cor, quod uti non vult luminibus, & monitis ejus, obdurari; etenim per gratiarum ſubtractionem, atque carentiam ſenſum amittit; itaut qui harum gratiarum ope minimis etiam veritatibus fuiſſemus affecti, atque noſtræ ſalutis opus expleviſſemus, earum ſubtractione maximis etiam, potiſſimiſque chriſtianæ religionis veritatibus non afficimur; qua in re cor illud lapideum conſiſtit, de quo tam crebro loquitur Scriptura.

Sapientia in Eccleſiæ inſtitutione per Verbum Dei.

In ipſa eccleſiæ inſtitutione concionatores rudes erant, & indocti, ſed donum miraculorum habebant. Deus ita faciendum ratus eſt, ut oſtenderet eccleſiam ſine ullis humanæ ſapientiæ ſubſidiis inſtitutam fuiſſe, ſola crucis Chriſti virtute, ut loquitur Sanctus Paulus: *Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ut non evacuetur crux Chriſti*. Sed in eccleſiæ progreſſu Doctoribus, eruditiſque viris opus fuit, quorum doctrina miraculis ſucceſſit; & quemadmodum miracula fiebant ad probandam, & oſtendendam Dei potentiam in potentia eorum, quos ipſe elegerat ad eccleſiæ ſuæ fundamenta jacienda, verbum, atque doctrina ſubſecuta ſunt ad erudiendum, atque perſuadendum. Diſcriminis autem hujus ratio, quod in ipſa eccleſia viſum eſt, quæ per primorum concionatorum ignorantiam incœpit, atque per doctrinam profecit, hæc eſt, quod chriſtiana religio ſupra quamcunque rationem eſt poſita, atque in ipſius inſtitutione judicium fuit arripiendum, ideoque miraculis opus fuit; ſed etiam, quia hæc eadem religio non eſt rationi contraria, neque in eccleſiæ progreſſu opus fuit amplius judicium occupare; ſed perſuadere, & impellere ad praxim earum veritatum, quas theoretice novit, in concionatoribus opus fuit ſcientia, & eloquentia, ut animos evincerent, eoſque Dei verbo dociles facerent.

Interior Dei vox exteriori concionatoris voci conjungitur ad cor Auditorum movendum.

In Dei verbo duæ voces audiuntur: altera quidem concionatoris, quæ afficit aurem, altera Dei, qua cor afficitur. Exterior concionatoris vox eſt veluti corpus, ſed vox interior gratiæ eſt veluti ſpiritus agens, quo illud animatur; & hoc eſt proprie loqui, ut decet Deum. Hominum verba ſenſus tantum efficiunt, & per ſenſus indirecte ad animam perveniunt. Concionatoris eloquentia nihil ultra poteſt efficere, quam rationes ſuas efficaciter ſpiritui proponere, ut illi, quod contendit, perſuadeat, atque ſenſibilibus objectorum imaginibus animæ affectus accendat; quod parum non eſt: ſed Deus, qui animæ ſimul, & corporis dominus eſt, hominis utitur voce ob finem utrumque. Eo jure, quod in noſtra obtinet corda, hæc immediate per ipſum movet, illa erudit, illuminat, eiſque præbet adminicula ad ea facienda, quæ jubet. Itaque, ut proprie loquamur, dicendum eſt ex interiori Dei, exteriorique concionatores voce unam dumtaxat coaleſcere, quam Dei verbum nuncupamus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti, ex Aſceticis, recentibuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Diſpoſitio qua Dei verbum audiendum eſt.

DIſpoſitio præcipua, quam ad verbi ſui ſanctitatem exigit Jeſus Chriſtus, diſpoſitio eſt orationis, & recollectionis. Antequam ad templum accedatis, confugiendum eſt ad patrem luminum, & ab eo petendum, ut vobis tribuat eas cordis aures, per quas, uti opus eſt, veritates, quæ vobis annunciantur iſthic, audiatis; ac orandum, ut infringere velit crudelem hanc cordis duritiem, quæ non ſinit, ut animo eas intelligatis veritates, quas aure auditis; ut in vobis confirmet momentaneos illos affectus, qui millies fortaſſe effecerunt, ut optima voſmet convertendi conſilia caperetis, quæ nihilominus ſemper in irritum ceſſerunt; ut ſermonibus noſtris eam tribuat vim, atque unctionem, quæ converſioni noſtræ eſt utiliſſima; ut nobis dignitatem largiatur miniſterii noſtri ſanctitati parem: ut in labores noſtros uberem benedictionem effundat; ut nobis ſpiritus ſui particulam, & charitatem communicet, quæ ad perſuadendum validiſſima eſt, & quæ nunquam fruſtra operatur. Verbo, ad ejus pedes animam veſtram colligere, ac voſmet ipſos recipere debetis, omnes humanorum negotiorum, terrenarum voluptatum, mundanarumque rerum cogitationes expellere, omneſque ſuperare obices, qui hactenus effecerunt, ut ſanctum hoc verbum ſine fructu audieritis. *Pater Maſſillon ſermone pro prima Quadrageſimæ Dominica*.

Dolor, quod hactenus adeo parum utilitatis ex Dei verbo perceperimus.

In mentem veſtram revocate tot doloris, & contritionis argumenta, quæ ſanctum Dei verbum vi, & unctione ſua cordibus veſtris ſuggeſſit, & quæ nihilominus omni caruerunt effectu; tot pia conſilia in his ſanctis locis inita, quæ videbantur factura eſſe, ut nullam unquam cum ſcelere gratiam reſarciretis, & quæ vobis illinc egreſſis, ut prima ſe ſe obtulit occaſio, evanuerunt. Cum divinæ veritates in cordibus veſtris inanes dumtaxat impreſſiones perfecerint, totidem nobis factæ ſunt cauſæ reprobationis; & quotieſcunque cor veſtrum non commoverunt, neque ad pœnitentiam compulerunt, toties illud ipſum indurarunt, & niſi ex templo majori cum pœnitentiæ ſenſu pedem extuliſtis, illinc exiiſtis nocentiores; primis enim ſceleribus ſancti verbi contemptum addidiſtis. Hæc in vobis dolorem, & contritionem ciere debent, atque ea, quæ præterierunt, animo reputantes ex vobiſmet ipſis quærere debetis: Quod igitur? accedebam ad illud audiendum verbum, quod cum me educere poſſet de abyſſo, in qua tandiu volutabar, non potuit tamen vel affectuum meorum infirmare vires, vel me de ſcelerum meorum volutabro educere? Ullumne pedem protuli inde evaſurus, cum tot annos divinum hoc verbum audiverim ...... Nunquid adlaboravi, ut pœnitentiam amplecterer? Ullumne ultro lapidem movi? Proh Deus! nonne fatigaberis aliquando mihi adeo ſalutaria converſionis adjumenta ſuppeditans, iſthæc a me contemni cognoſcens? Nonne iraſceris in me videns cor aliis quibuſcumque rebus patens, præterquam veritatibus, quibus unice eſſet afficiendum? Nonne ſeveriſſimis pœnis perſequeris contemptum hunc, quem præ me tuli erga eas gratias, quibus uſus es, ut me de ſcelerum abyſſo educeres, & ad te ipſum revocares? Denique ſanctum verbum tuum, quod contempſi, quin me flectat, nonne me in æternum magis, magiſque indurabit? *Idem*.

Ita

Digitized by Google

Quo pacto primi fideles ad audiendum Dei verbum convenirent.

Ita primi eccleſiæ filii ſanctæ prædicationi, & venerabilibus religionis noſtræ myſteriis adſtabant, cinere, ac ciliciis tecti in templum, tanquam ſontes capite damnati prodibant, ſimiles pœnitentibus peccata ſua plorantibus, triſtes, atque contritione pleni ſalutis veritates audiebant veluti exprobrationes, quæ illos ſalutari confuſione ſuffundebant, efficiebantque, ut ſe ipſos tanquam ſceleſtos, ac miſeratione indignos putarent, cum e contra voſtemeraria confidentia repleti eum tranquillitate auditis, quin moveamini, tanquam juſti, quos nullius noxæ ſua conſcientia redarguit. Verum hoc ſatis non eſt; quin ad ſanctum hoc verbum audiendum eas afferatis diſpoſitiones, quæ neceſſariæ ſunt, ut inde fructum percipiatis; quin gemitus affundatis propter ſævam affectuum tyrannidem, ut eorum jugum excutere vobis liceat, nonne huc e contra confluitis, ut aliis ipſi affectiones inſpiretis, & ut ab aliis recipiatis! Quin huc accedatis animo etudiendi in ſpiritu adorationis, & reverentiæ, nonne venitis, ut alio ab hoc fine avertatis, atque in voſmet convertatis attentionem verbo Dei deſtinatam? *Idem.*

Fidelium felicitas, quod ſæpe Dei verbum audire poſſunt.

Teterrimum, quod olim indocili, ingratoque populo Deus minabatur, ſupplicium hoc erat, ſe videlicet facturum, ut verbum ſuum rarum eſſet, atque pretioſum. Quærent, ajebat, ab oriente ad occidentem, ab una ad alteram terrarum plagam, qui meum verbum annunciet, neque invenient; pſeudo prophetas dumtaxat habebunt, qui non vitæ, ſed mortis verbum ipſis annunciabunt? & ſane rem probavit eventus. Nunc vero nonne peculiari Dei miſericordia factum eſt, quod licet tot obruti ſimus iniquitatibus, quæ nos magis adhuc indignos præbere videntur verbo Dei, quam antiquum rebellem populum ejus, adhuc nobis concionatores concedat, qui ferme inceſſanter ſanctas veritates annuncient: quod non permiſerit, ut ſub erroris tyrannide gematis, uti tot populi tenebris involuti; quod vos feliciter eripuerit ex eo cataclyſmo, in quo provinciæ nobis finitimæ triſte fecerunt naufragium? Hæc inſignis eſt gratia, quam nobis conceſſit Deus, qui nos a tot cæcis nationibus diſtinxit, quæ cum lacte errorem bibetunt, atque venenum, quin illud cognoſcerent, epotarunt; & qui nobis veritatem; quam integris abſcondit populis, oſtendere dignatus eſt. Quo calamitoſi peculiari gratia ex errore educti nunc in chriſtianis ſuggeſtibus lumen, & veritatem inveniunt, unde majores eorum mendacii, & vanitatis audiverant documenta? Quot infelices ab eccleſiæ unitate ſecreti enixe panem verbi flagitant, nec, qui ſibi illum frangat, inveniunt? *Idem.*

Chriſtiani ſuggeſtus adhuc undequaque verbo Dei reſonant, & Domini miſericordia nobis adhuc iſta ſalutis ſubſidia relinquit. Quinam autem eſt animi grati ſenſus ob adeo inſigne beneficium? Dei verbum, quod vobis adeo frequenter annunciatum eſt, non videtur vobis favor veſtra gratitudine dignus? Attamen ad illud audiendum non niſi cum nauſea quadam, mira inſipientia, carnalibus cogitationibus, ac inanis gloriæ ſenſibus acceditis? Non metuitis ergo, quod Deus, qui vos tot favoribus cumulavit, vobis ſubtrahat ſancti verbi ſui auxilium, atque hoc pacto ob injuſtum ejuſdem contemptum in vos animadvertat? Non metuitis, quin ad populos barbaros hoc transferat beneficium, ex quo illi uberiorem referre poſſent fructum, ac vos tanquam ingratos rejiciat, ex calamitoſis nationibus novos ſibi efficiens hæredes? *Idem.*

Deus verbi ſui contemptum ulciſcitur mittens concionatores, qui illud vitient, atque corrumpant.

Terribili ſane pacto ulciſcitur Deus ſui verbi contemptum; ſæpe enim non aufert nobis Apoſtolos, & Prophetas ſanctæ legi ſuæ prædicandæ deſtinatos, ſed aufert miniſtris vim verbi ſui permittens, ut illud adſcititiis ornatibus enerve reddant, ac illud fucatis humanæ eloquentiæ lenociniis deforment, quæ illud quidem auribus jucundius efficiunt, ſed inutile; necnon amabilem illius ſimplicitatem perosi aſſequi nequeunt ea, quæ ſancti viri obtinebant, qui ſtatim ac os aperiebant, magnos æque, ac parvos, principes, populoſque attrahebant. Quam grave malum eſt, quod Apoſtolicis hiſce viris ſuccedamus, quin participes ſimus affectuum, quos operabantur! *Idem.*

Permittit Deus, ut concionatores fructum aliquem faciant in urbibus.

Quid dicam de ea ratione, quas Deus agit in illos, qui ipſius verbum contemnunt? Relinquit illis adhuc miniſtros, qui divinum hoc prædicant verbum, ſed fructum in eos convertit, qui in agris morantur, a principum aulis, ubibuſque concionatores non amovet; ſed hi non ſunt amplius, quam æs ſonans, & cymbalum tinniens, aures quidem, non autem cor ipſum afficiens. Hei! Undenam factum eſt, quod divinum hoc verbum, quod olim urbes, atque provincias convertebat, nunc adeo infirmum, invalidumque in illorum labiis factum? Conqueri poſſumus, ut olim S. Paulus ad ſermones noſtros audiendos curioſos tantum homines confluere, quemadmodum ad illum audiendum Athenis confluebant, ipſo cupiente ab illis audiri, qui auribus legis explicationem excipientes in lacrymas ſolverentur. Nobilium virorum, & eorum, qui magnas incolunt urbes, curioſitatem paſcimus, cum interim miniſtri vero ſuccenſi zelo Jeſu Chriſti imperium ſatius in agris extendunt. Quid his addam? Vobis puriſſimas fidei veritates annunciamus, vos autem non niſi cum contemptu, & oſcitanter nos concionantes auditis. *Idem.*

Concionatores Dei verbum annunciant.

Verbum, quod vobis annunciamus, fratres, noſtrum non eſt, ſed illius, qui nos miſit. Ex quo nos ille ſuos miniſtros conſtituit, non debetis amplius nos intueri niſi velut organa ipſius, noſque audire veluti nuncios ejus ad id deſtinatos, ut ſanctam vobis voluntatem oſtenderemus, & ut exilem vocem illi ad verbum ipſius prædicandum commodaremus. Pretioſum hunc theſaurum in vaſis fictilibus geſtamus, ſed illud nihil ſuæ majeſtatis amittit. Divinum verbum ſimili Gedeonis gladio nihil niſi terrenum, humanumque habere videtur, ut ab homine mortali feratur; ſed propter virtutem ſuam nihilominus de cœlo dilapſum eſt, & nihilominus ad infideles animas exagitandas deſtinatus eſt. *Idem.*

O miram ſtultitiam! Quot homines inanem rationis vim jactantes ad concionem accedunt parati, ut cenſoris nota concionatoris ſermones perſtringant, atque ſanctum, quod ſibi annunciatur, verbum impugnent? Quot miniſtri minus zelum, quam meditata eloquentiæ ſchemata ſpectant? Quod confluunt, ut felicis admirentur acumina, ſententias, amplificationum locos, ſermonis elegantiam? Quot ad ſuſpiciunt, quæ energetice, vel pathetice dicta ſunt tanquam dicendi modos plus æquo exaggerantes, & fervidæ potius imaginationis, quam ſimplicis veritatis effectus? Quot exiſtimant Jeſu Chriſti diſciplinam, quæ illis explicatur, Sanctorum ſententias, doctrinam Patrum, exempla Apoſtolorum, ac tot alia noſtræ religionis argumenta eſſe objecta, quæ nimis augentur, quia non niſi eminus conſpiciuntur? Quot demum ad concionem audiendam accedunt, ut inani ſuffragentur eloquentiæ, vel ut mendacii partes contra veritatem, quæ ibi nunciatur, tueantur? *Idem.*

Pauci ſibi perſuadent ſibi, dici quæ audiunt.

Zelo ſucceoſi concionatores nihil fere dicunt, quod a nobis propellere non ſtudeamus; nihil fere exprobrant, cujus nos participes eſſe putemus; nulla eſt difficultas, cui reſponſum non inveniamus: & inde oritur modicus ille fructus, quem ſacri evangelii præcones percipiunt? nemo enim ad ſe pertinere putat eas veritates, quæ omnibus dicuntur. Videntur illi concionatori fictitia ſibi proponere phantaſmata, ut eadem impugnantes ingenii ſui flumen oſtendant. Impudicus ſuam non agnoſcit imaginem in libidinibus, quæ redarguuntur; avarus oculos claudit, ne videat artis coloribus imbutam tabulam, qua ſordes illius exhibentur: mundanus, voluptuoſus, ſuperbus, detractor non putant quidquam ad ſe pertinere ex ſinceris deſcriptionibus, quæ fiunt periculorum mundi, inconſtantiæ voluptatum, injuſtitiæ, ambitionis: denique unuſquiſque eam intuetur partem, quæ ſibi ſuffragatur: comminiſcitur ſemper quaſ-

dam

dam ambages, atque interpretationes, quæ ſceleri perſonam induunt, maxime eſſentiales illius circumſtantiis immutantes: ſubmiſſa voce dicit, næ ego quidem ille ſum, quem concionator indigitat, & dum vitia tua deteguntur, hæc in alios rejicis, ac te ab illis penitus immunem exiſtimas. *Idem*.

Quantumvis eruditus, & perſpicax ſis, negligendum tamen non eſt ſanctarum inſtructionum auxilium: quantumvis magna ſint lumina tua, errare poteſt; quantumcunque ſcientiæ, & cognitionis habeas, aliquid ſemper doceri potes Dei verbum audiens. Si mens tua nihil novum addiſcit, diſcet ſaltem cor tuum, te nihil ſcire, niſi Jeſum Chriſtum crucifixum ſcias. Si peccator es, quid melius te ad officium revocare poteſt, quam vox miniſtri a Deo miſſi, ut revoceris? Sin autem juſtus, quæ ſuavior tibi accidere poteſt conſolatio, quam audienti explicationem earum veritatum, quas diligis, quas exerces, & quæ ſalubres ſiunt, prout audiuntur? Verbi ſui miniſterio Dominus ea adnectere voluit ſubſidia, quæ alibi non inveniuntur; ſteritates magis communes in ore concinatorum vim habent, & unctionem, quæ ſola obduratiſſimum quodlibet cor movere, & convertere poteſt. *Idem*.

Omnes ex Dei verbo fructum percipere poſſunt,

Quo animo, qua mente plerique ad Dei verbum audiendum accedunt? Videlicet ut de evangelicis præconis merito, vel inſcitia judicium ferant, & ut inter plures concionatores iniquam comparationem inſtituant. Se ſe difficiles præbere geſtiunt, ut naris emunctæ videantur; ſine ulla attentione elabi ſinunt ſimplices enarrationes, quæ ad illos movendos eſſent aptiſſimæ, & fructus omnis, qui ex chriſtiano ſermone percipitur, eſt illius defectus, & vitia oculatiſſime adnotaſſe .... Illum audituri confluunt mortales, ut inanem cenſuram exerceant, & aliquid inveniant, quod damnent, & in jocum traducant. *Idem*.

Quid poſt auditam concionem faciendum ſit.

Putant aliqui acta, tranſactaque eſſe omnia, cum concionatoris voce commoti fuerunt, cum tamen dici queat, nihil adhuc eſſe actum. Acta quidem, tranſactaque, ſunt omnia ex parte Dei, qui vos vocavit, vobiſque ſuam obtulit gratiam, at ex parte veſtra nihil eſt actum. Veſtra tunc intereſt ſequi paſtorem, cujus vox audita eſt, ac ea uti talento, quod dominus veſter vobis commendavit. Ergo poſt prædicationem colligenda eſſet hæc ignis ſcintilla, quæ cecidit in animam veſtram, fovenda eſſet meditatione, & alenda aſcetici alicujus libri lectione, quin ſtatim ſpiritus veſter ad terrena tra ductus negotia evagaretur. Cogitandum vobis eſſet, hanc cœli gratiam eſſe non temere vobis conceſſam, cujus aliquando rationem eſtis reddituri ... *P. la Colombiere tomo 4. ſerm. 76.*

Attentio Dei verbo afferenda.

Eodem tempore, quo evangelii præcones divinum vobis verbum annunciant, Deus mentibus veſtris adeſt, omneſque earum cogitationes cognoſcit. Quid autem ille cogitat videns mentem pro libidine hac illac evagantem, inquietam, quam præcipuarum veritatum aſpectus figere nequit, & quæ jugi tumultu agitata id unum quærit, quomodo hanc attentionem excutiat, quæ ipſi eaux aliqua, & ſervitus non ferenda videtur; mentem omnia nullo in diſcrimine habentem, omniaque, ut ita dicam, intelligentem, quin intelligat aliquid; omnia comprehendentem, quin aliquid comprehendat; quæ nulli rei vacat, ac ſatis ſibi eſſe putat levem cognitionem, quæ momento imprimitur, & rurſus momento deletur; mentem voluntario ſomno alligatam, quo ſenſus omnes alte capiuntur, cum interim Dei vox aerem verberet, & in irritum abeat. Quid dico? mentem rerum profanarum memoriam occupatam, nequiſſimis ideis replatam, quæ ex ſexcentis corruptoribus objectis collectæ fuerunt, vel peculiariter turpiſſimæ ſuæ cupiditati mancipatam. Tunc merito inſtaurare poteſt Deus querimoniam, quam olim per Iſajam c. 29. effundebat. appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me; cor autem ejus longe eſt a me. *P. Giroust in Quadrageſima ſermone de verbo Dei.*

Quomodonam intrinſecus vos Deus commovere poteſt, ſi intrinſecus nequaquam verſus illum convertimini? Cum vos in templa, & ad conciones confluere videt non alio conſilio, niſi ut inanem curioſitatem veſtram, qua acti eſtis, expleatis, ut multitudinem, quæ vos allicit, ſequamini, ut ſatis faciatis cuidam conſuetudini, quæ illic vos trahit, quin palam ſciatis vel modum, vel cauſam; cum videt vos confluere non alio conſilio, quam ſtatum temporis ſpatium traducendi, quod alioquin vos tædio afficeret, concionatorem loquentem perſtringendi, vel ſtylum, argumenta, figuraſque orationis agnoſcendi, & corrigendi; cum videt vos non aliis, quam humanis rationibus actos huc pedem inferre, cum videt vos aliquando etiam obfirmato, certoque animo ingredi reluctandi ſanctis impreſſionibus, quas in vobis efficere poſſunt veritates, quarum libenter memoriam abjicitis, & quas non niſi ægre, & graviter recogitatis? Nihil dico de intentionibus aliis, quæ multo nequiores ſunt: omnia hæc iniquitatis myſteria tenebris involuta relinquo, ac utinam ibi in æternum obruta jaceant. Poſt hæc nil mirum eſt, ſi Dei verbum in nobis inutile ſit; nil mirum, ſi alimentum hoc ſaluberrimum nobis perniciosiſſimum virus fiat, & verbum ipſum, quod noſtræ conferre debet juſtificationi, noſtræ conferat calamitati. *Idem*.

Niſi ex Dei verbo proficimus, ſumus nocentiores.

Dei verbum gratia eſt; & gratiis Dei hoc proprium ineſt, quod nos efficiunt nocentiores, niſi meliores efficiant; tunc enim omni caremus excuſationes, atque nobis integrum eſt, noſmet colligere, atque ſanctificare. Proh Deus! nunquid toties ſacrum hunc conſcendi ſuggeſtum, ut aliquid conferrem ad earum animarum excidium, quas opera mea ſalvas fieri exoptabas: Nunquid ego populo tuo lapis offenſionis extiterim; & quod in in ſacris Bibliis dixiſti, in illis, qui me audiverint, adimpleatur: peccatores videlicet devoraſſe verbum tuum, & verbo hoc viſcera eorum diſcerpta fuiſſe? .... Quænam vobis erit, Auditores, confuſio, quis dolor, quæ deſperatio, cum ex vobis repeler Deus rationem tot documentorum, quæ vobis tradita fuere, & ex quibus nullum fructum percepiſtis? Cum dicet: vobis indigitata via fuit, quam ingredi debebatis, nunquid illam ingreſſi fuiſtis? Monita vobis data fuerunt, nunquid illa amplexati eſtis? Centies declamatum fuit contra furores, ultiones, injuſtitias, impudicitias veſtras; centies vocati, ſollicitati, coacti fuiſtis, ut pœnitentiam amplecteremini; verum quomodonam hæc excepiſtis? quid reddidiſtis? Nunquid minus iracundi, minus violenti, minus cupidi, minus voluptatibus dediti fuiſtis? Ullum ne pedem protuliſtis, ut in vias meas, ut ad me reverteremini? &c. *Idem*.

Rationes, propter quas Dei verbum pluribus eſt inutile.

Quæritur, cur Dei verbum pleriſque fidelium ſit inutile? Heu! Quinam illis utile ſit, quandoquidem plerique hoc verbum audiunt non tanquam Dei, ſed tanquam hominis verbum. Alii hoc audire volunt tanquam ad tempus fallendum: alii per occaſionem illi adhibent aures, alii ſpiritu curioſitatis, & ut aliquam inde oblectationem percipiant. Non loquor de illis, qui ad illud audiendum cenſorio accedunt ſupercilio, quomodo Phariſæi Jeſum Chriſtum audiebant; *ut caperent eum in ſermone*. Matth. 22. Illum audiebant quidem, ſed animo, ut ne verbum quidem minus prudenter prolatum elabi ſinerent; immo conſilium ceperant illi errores, ac nefarias profanationes imputandi, ſed hoc hominum genus rarum, & infrequens eſt .... Non deſunt alii, qui per conſuetudinem Dei verbum audiunt: ad illud accedunt conſilio ejus audiendi, nec alium referendi fructum, quam quod illud audiverint: ſeu quod cum ſuapte natura ſint rudes, ac imperiti non ſatis habent ingenii, ut inde proficiant; ſeu quod cum ſatis ſint per ſe perſpicaces, verbum hoc nullo habent in diſcrimine, neque illud tanquam Dei verbum recipiunt. Alii quaſi ad ſolatium aliquod confluunt: hi ad concionem tanquam ad comœdiam accedunt; at quomodonam inde recedunt? niſi ma-

jori

jori cum nauſea, atque faſtidio, quod quidem apertum eſt reprobationis illorum indicium. *P. Bourdalove ſermone hujus argumenti*.

Dei verbum niſi ſalutem poſſiamj operatur, noſtram operatur damnationem.

Multa ſunt, quæ inutilia eſſe poſſunt, quin noceant: at quædam ſunt, quæ ubi non proſunt, non obeſſe non poſſunt. Id genus remedia ſunt, & alimenta, ex quibus niſi ſtomachus utilitatem, detrimentum ſane percipiat oportet, & pharmacum ſtatim in virus convertitur, ubi ægrotanti non medeatur. Hoc ipſum Dei verbo accidit, S. Bernardus inquit; cibus non eſt, neque medicina animæ indifferens: ſtatutum eſt, ut vel vitam operetur, vel mortem, quarum niſi priorem, poſteriorem neceſſario operatur. Quamobrem idem Pater ait, Dei verbum in Bibliis modo gladius, modo cibus vocatur; utilis eſt gladius, cibus eſt ſalutaris; ſed quemadmodum gladius ſcite arrectantem tuetur, ac vulnerat furentem, qui illum in ſe ipſum convertit; quemadmodum cibus roborat ſtomachum, a quo facile digeritur, crudum vero, ac male digerentem enecat, ita Dei verbum, quacunque ex parte accipiatur, ſuum ſemper parit effectum: *Sic erit verbum, quod procedit de ore meo, non revertetur ad me vacuum*. Iſai. 55. *Idem*.

Mirum eſt, quod hodierna die adeo exiguus ſit divini Verbi fructus.

Unde nam ſit, quod Dei verbum, quod olim in ore Apoſtolorum adeo mirabiles edidit effectus, in noſtro ſit adeo ſterile? Quodcunque in ſolum divinum hoc decidat ſemen, in incultis, barbariſque regionibus, terras ſatis bene paratas invenit, ubi centuplum reddit fructum, & in eccleſiæ ſinu, in terra benedictionis toties Jeſu Chriſti irrigata ſanguine, ubi vitæ fontes, & ſanctæ ſacramentorum ſcaturigines ubique fluunt, ubi evangelicorum oratorum nubes indeſinenter uberes ſermonum ſuorum imbres effundunt, ubi omnes domini miniſtri ſudores, ac vigilias conjungunt, pretioſum hoc ſemen terras ſilicibus conſitas, & humore carentes invenit, ubi germen illius vix ortum exareſcit, publicas vias, ubi prætereuntium pedibus teritur, tribulos, ac ſpinas infelices, quibus ſuffocatur ... Hic Spiritus ſanctus, qui cum vult, & ubi vult, ſpirat, non animat amplius eccleſiam in hiſce regnis, ubi tot abhinc ſæculis ſuum conſtituit imperium, & ubi nullum ferme extat adhuc divinarum operationum ejus veſtigium? Heu! Dei brachium abbreviatum non eſt, & gratia ipſius ſemper eſt æque potens, cum hominis infidelitas nullum obicem ſtatuit. Undenam ergo, dicam iterum, provenit ingratæ vineæ ſterilitas in tanta opificum, a quibus excolitur, copia? Nunquid concionatores, an vero auditores cauſa ſunt earum maledictionum, quibus illa perculſa videtur? Nunquid hoc acceptum referendum eſt manibus, quæ ſemen effundunt, an agris, qui illud recipiunt? *Abbas du Jarry ſermone Sancti Franciſci Xaverii*.

Dei verbum audire non poſſumus, & quare.

Evangelicæ veritates aures quidem noſtras afficiunt, corda vero non item; audiuntur ab omnibus, non autem recipiuntur, intelliguntur, ſed raro probantur. Dei eſſe opus eſt, ut divini verbi ſermones bene intelligantur: ejus filius eſſe opus eſt, ut paterna illius documenta æqui bonique fiant. Deus illa nobis dicit per os incarnati Verbi ſui; nos poſt hunc illa palam iteramus. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: attamen nos nonniſi inviti illis aſſentiri poſſumus, iiſque ſemper ſexcentas funeſtas contradictiones immiſcemus. Nobis placere non poteſt, Deum in ſe ipſo loqui, quin audiatur, inſanæ quippe curioſitates noſtræ latius facultate noſtra extenduntur: neque pati poſſumus, quod ille palam nobis ad bene vivendum leges irrogavit; quia ſanctitas earum cum morum noſtrorum corruptione conciliari non poteſt. Cogitationes noſtræ, quarum nimia imbecillitas eſt, & nimis magna irreverentia, dolent, eo quod aſſequi nequeunt hujus increati, & inauditi verbi miracula: ſenſuſque noſtri nimis carnales irritantur contra evangelica verba, quia nobis viam oſtendunt, quam ſequi detrectamus. *Ex ſpecimine eloquentiæ Abbatis de Aubignac ſermone de Incarnatione*.

Perpendite quæſo delicatum hujus ſeculi ingenium. Evangelium audire cupimus ſecundum omnem ſeveritatis ejuſdem magnitudinem, volumus diſciplinam ejus ſecundum omnem auſteritatem exponi,

Audire cupimus concionatores ſeveros, ſed exercere nolumus, quod dicunt.

ſeveriſſimi quæruntur concionatores, cupimus illos contra vitia generatim detonantes audire, neque gravate ferimus eos ad peculiaria deſcendere argumenta, atque in illa invehi ſcelera, quæ non amantur. At aliquando ne declamant contra affectum illum, qui nobis dominatur, contra ambitionem, luxum, intemperantiam, avaritiam, aliaque plura id genus ſcelera? Tunc ſtatim ſermo convertitur; tunc exigitur, ut concionator vivere norit. Qui genere excellunt, ſed opibus non admodum abundant, geſtiunt illos audire, qui contra ſubitas opes invehuntur; audire gaudent, generis dignitatem præ divitiis magis eſſe ſpectabilem, atque tunc cum voluptate aures adhibent concionatori evangelicas veritates non imminuenti. Verum ubi vel leviter attinguntur, illico reddunt, nimis dici, & hanc non eſſe temporum noſtrorum veritatem. Libenter nos contra mundi ornamenta diſſerentes auditis vos, quos ætas, & devotio ab hac obtrectatione tuetur, ſed ſi aſſertis hujuſmodi devotis hominibus dixerimus, modeſtas veſtes cum charitate debere eſſe conjunctas, monitum hoc ſatyram putant. Si contra ſpectacula invehimur, a vobis probamur, atque niſi hoc faceremus, nobis ſuccenſeretis, quandoquidem vos theatra non movent; at ſi oſtenderimus avaritiæ ſpiritum chriſtianæ religionis ſpiritui adverſari, illico non ſine querela receditis. *P. de la Rue ſermone hujus argumenti*.

Refellimus veritates, quas concionator pronuntiat, ubi diſplicent nobis.

Si peccatori peccatum ipſius ob oculos ſtatuo, ſi illi, quid ſit in corde, repræſento, ſi oſtendo ſcandalum, quod præbet, peccato ipſo majus eſſe, quia ſibi mortem conſciendo hanc aliis etiam infert, dicet ille hos eſſe ſermones, quos pro libidine ipſe confingo. Si Dei iram illi portendo, atque probo infinitos propemodum peccatores, qui, ut ipſe, ſperabant futurum, ut aliquando peccatorum ſuorum agerent pœnitentiam, morte fuiſſe præceptus, quin per tempus ipſi de pœnitentia ne cogitare quidem licuerit, magnis hiſce, ac terribilibus veritatibus quid reſpondebit? Dicet proculdubio divinæ miſericordiæ theſauros ſemper patere. O pravas peccatorum artes, qui non ſolum ipſi ſibi ſe diſſimulare, ac propria abſcondere ſtudent peccata, ſed hæc ſibi ab aliis etiam tegi deſiderant! Hæc amplius non ſunt Iſajæ Prophetæ tempora, quibus verba dari ſibi peccatores cupiebant: *loquimini nobis placentia*. Iſai. 30. Hodie prorſus oppoſitum dicitur: Neminem palpate, libenter inquiunt, ſed mihi blandiminor, vel ſaltem ſcelus meum excuſate. *Idem*.

Negligentia, qua Dei verbum auditur.

Quam negligenter, & oſcitanter Dei verbum auditur? Concionis locus nonne ille eſt, quo minori cum animi diſpoſitione convenimus? Quonam ardore? Heu fideles! Quonam ardore ad publicos mundi hujus cœtus confluitis? Nonne ibi mira cum attentione tragicum aliquod opus bibulis auribus excipitis? Nonne comœdiis ſumma cum voluptate, ac ſine ullo tædio aſſidetis? Locorum, ubi hæc peraguntur ſpectacula, aditus luſtrate, nonne ibi ducentas, & ultra rhedas ultro citroque ſibi inhærentes, impeditaſque videbitis? Illic horæ non numerantur, cogitatio, mens, cor, omnia ibi impenduntur; cogitationes, quæ illinc domum reſciuntur, interdum, noctuque recurrunt, ac animo volutantur: animuſque noxiis paſcitur amoribus, qui illic contrahuntur. Quonam me adigit, Domine, ſæculi noſtri calamitas! Num evangelicarum veritatum ſuggeſtus cum mundanis theatrorum ſolatiis conferendus eſt? Cur fatali neceſſitate cogor auditores meos orare, ut eadem attentione, feſtinatione, & cura in templum verbum tuum, Domine, accedant audituri, qua in hæc ſcelerum, & ſcandalorum loca concurrunt. Nonne hæc erat Sancti regis David querela, cum dicebat: Perplacet impiis audire fabulas, legem autem tuam perhorreſcunt; *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua*. Pſal. 118. *Idem*.

Quid

Concionatores judicii die accuſabunt, & damnabunt auditores ſuos

Quid in judicio ad damnationem veſtram requiretur? ſermones mei (lectiſſimi Auditores) & illi concionatorum omnium, quos audiviſtis, ſed cum adeo modico fructu. Quid! Egone magna illa die veſter ero accuſator; ego, qui impenſius vos & diligo, & colo? ego, qui libenter pro vobis totum meum cruorem effunderem? Quid intereſt? ſecreto dicitis, vitæ rationem immutare nolo: ego igitur magna illa die inſurgam in vos, & licet nequaquam vos damnaturus inſurgerem, pro me verba mea vos damnarent, & quamvis tacerent, graviſſima hæc exprobratio clamaret ex ſe: ſalutem tuam facere potuiſti, nec feciſti, hac re nocentior es. Heu! veriſſimum eſt, vobis rationem magis terribilem reddendam eſſe, quam ſi nunquam Dei verbum audiviſſetis: ego igitur ſupplicium veſtrum magis atrox, interitumque veſtrum magis miſerum effecero! Ne hoc permittas, o bone Deus! Si vox mea nimis infirma eſt, ego quidem ſilebo; fac Domine, ut loquatur ſanguis tuus, ut agat gratia tua, ut peccatores oderint peccata ſua, & ad pœnitentiam convertantur. *Idem*.

Obligatio audiendi verbum Dei.

Obligatio Dei verbum audiendi ex hujus miniſterii natura deſumitur. Hoc ſi ignoras, audi S. Paulum docentem: *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*. 2. ad Cor. 5. Nos Jeſu Chriſti legati ſumus apud vos: atque propter hunc characterem nos audire debetis, quemadmodum ipſum audiretis Deum; hic enim ipſe eſt, qui nos labiis noſtris hortatur. Verum ſi propter hunc characterem nos cum docilitate, ac reverentia debetis audire, propter eumdem & ipſi cum vi, ac libertate loqui tenemur. *P. Aurelianenſis ſermone de amore veritatis*.

Dei verbum non debet humili modo annunciari.

Dei magnitudinis, & majeſtatis intereſt, voluntates ejus auctoritate toto, qui ſupremam illius indigitat poteſtatem, pronunciari. Non ideo dixerim tamen prohiberi, ne concionatores arte, atque eloquentia utantur? hoc illis ſane permittit; eccleſia quippe, quæ ſemper Spiritus ſancti luminibus regitur, vulgo eos eligit, qui hac arte pollent, ut illis evangelici verbi miniſterium committat. Sed ajo, eccleſiam permittentem hoc velle ita eos uti, ut Dei verbo nihil auferant imperii, & dignitatis, quæ illud a ſupremo rerum Domino profectum oſtendit. Itaque a divino hoc verbo apage omnem diſſimulationem, omnem aſſentationem; apage omnes affectatos ornatus. Indignum eſt, S. Hieronymus inquit, videre magnum hunc populorum dominum prodire, quod accidit aliquando in quorumdam concionatorum ore, omnibus profanæ rhetoricæ lenociniis ornatum, ac inanibus thuribus excipiendis, quam bonis documentis tradendis aptiorem. *Idem*.

Deus in miniſtris ſuis conſtantiam, & fidelitatem requirit.

Si libertas, quam ſibi vindicant concionatores in ſcelera invehendi, eos lædit, qui iiſdem obnoxii ſunt, illi, quibus hæc gravis eſt, orandi ſunt, ut illos miniſtros eſſe cogitent ejus Domini, qui ab illis omnem exigit fidelitatem, & apud quem hæc conſtantia cæterorum talentorum obtinet locum. Deus, ubi vult, noſtra non indiget eloquentia, neque exigit, ut diſerte loquamur. Cum miſit Jeremiam, ut ad populum Iſrael prædicaret, Propheta hic ſe ægre loqui cauſatus eſt. Excuſationem hanc non admiſit Deus, quemadmodum olim Moyſis excuſationem rejecit: *Noli dicere*, ait illi, *puer ſum*, ea in te, cui te præficio, nullum mihi opus eſt eloquentia tua: *Surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi; ne formides a facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum*. Acquieſce, ac ſine, me iis, quæ tibi deſunt, ſupplere. Hoc igitur caput eſt ejus miniſterii, quod exercemus; hoc maxime neceſſarium eſt noſtræ legationis opus, hoc potiſſimum nobis onus incumbit. *Idem*.

Ratio, propter quam multi ad verbum divinum audiendum non veniunt.

Plurimi ad Dei verbum audiendum non veniunt eam ob cauſam, quam ipſe Jeſus Chriſtus memorat in evangelio: *Omnis, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*. Veritas, quam ſecum gerit Dei verbum, lumen eſt, quod in animam peccatoris jam pridem in voluptatibus alto obruti ſomno effuſum illi omnem ſcelerum ejus horrorem oſtendit. Adſpectus iſte illius requiem perturbat, & hæc perturbatio efficit, ut in ipſo veritatis odium oriatur. Triſte, ac importunum lumen, quod illi ob oculos objicit, quod nunquam videre voluiſſet: odium veritatis, quæ timetur, prohibet, ne multi ad Domini vocem audiendam concurrant. *Idem*.

Patimur concionatores in vitia quædam invehi, in alia vero non item.

Donec zelus noſter in adulteros tantum detonabit, donec in alienæ rei uſurpatores dumtaxat declamabimus, donec in injuſtas, ac populorum ſanguine cæmentatas fortunas invehemur, auditores dociles & audient, & hæc nos exprobrantes laudibus cumulabunt: quippe cum ſint his criminibus vacui, hæc talia eſſe judicant, qualia ſunt. Verum ſi quamdam mollem, inertemque vitam perſtringere incœperimus, qualem hodierna die ducunt voluptuarii homines illam, quam, dicimus pulchriorem mundi partem, conſtituentes; ſi ſingillatim eas perſequimur occupationes, quibus contexta eſt; ſi diſceptamus de ludis, quibus ibi luditur, de commerciis, quæ ibi nectuntur, de conſuetudinibus, quæ ibi dominantur, de ſolatiis, quæ illic uſurpantur; ſi hæc omnia ad ſanctuarii trutinam appendimus, ſi libere ea, quæ ſentimus, ſecundum evangelii, & chriſtianæ morum diſciplinæ normam loquimur; ſi pronunciamus ludum hunc, ubi luditur alea pernox, & in periculum conjicitur tantum temporis, auri que, magnum eſſe peccatum contra amorem familiæ, & contra neceſſitatem pauperibus opem ferendi; ſi dicimus, quaſdam aſſiduas ſervitutes, quas adeo facile patiuntur mulieres, populo quidem eſſe ſcandalo, ipſarum vero pudicitiæ ſcopulos; ſi cum Tertulliano, vana earum ornamenta vocamus animarum cædes, atque venena; ſi confeſſariis auctores ſumus, ne illas abſolvant, quæ recenti hoc indumentorum ritu immodeſte quaſdam nuditates oſtentant; ſi dicimus, hanc placendi libidinem raro eſſe leve peccatum: ſi noſtram de ſpectaculis mentem aperimus, nobis id, quod olim Jeremiæ, ſuccinent, *quid clamas?* Jerem. 25. Cur tanto clamore perſtrepis ob res adeo leves, cum ſcateat mundus tot aliis ſceleribus, in quæ utilius tuum zelum exerceas! Proh Deus! Quomodonam vultis me temperare, ne clamem, cum videam vos circumundique faces, ac malleolos Domini domui admoventes? Heu! quid tandem intereſt, utrum inſignes, an mediocres peccatores ad illam conflagrandam tædas, & ignem applicent? Peccata hæc, quæ levia videntur, omnem Chriſtianiſmi faciem late populantur. Peccata hæc, quæ levia videntur, efficiunt, ut ibi voluptas regnet, & mollem hanc vitam Epicuri ſchola, quam Jeſu Chriſti diſciplina digniorem invexerunt. Prohibetis, ne clamem; at Spiritus ſanctus e contra urget uſque, ne clamare ceſſem; *Clama ne ceſſes*. Iſai. 58. *Idem*.

Poteſtas, & vis Verbi Dei.

Meminiſtis proculdubio earum laudum, quibus regius Propheta ea admiratus prodigia, quæ divinum hoc verbum operatum fuerat, illud concelebrat, ejus virtutem, ac poteſtatem tonitrui comparans homines magis intrepidos perterrefacienti: *Vox Domini ſuper aquas, Deus majeſtatis intonuit*. Pſal. 28. furenti vento obvium quodlibet confringenti, atque evertenti, ac proceras libani cedros evellenti: *Vox Domini confringentis cedros*; igni ita devoranti, ut nihil vim ejus effugere valeat: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*. Velut ſine figurarum integumento loquamur; noſtiſne illum prædicere nobis venturam aliquando diem, qua potentiſſimi terrarum principes, celeberrima ingenia verbi hujus vi cogentur ſeſe evangelico jugo ſubjicere, barbaros, indocileſque populos illecebris illius aſſuetos, ut ſanctis tantummodo præceptis aures adhibeant, ac ſe in ſublimiorum virtutum praxi perficiant: rudes, infirmos, illiteratoſque homines producturos coram tyrannis tanta animæ magnitudine, atque conſtantia, ut ſimul Domini inimicis admirationem, & confuſionem immittant. Enimvero mundus hic ex idolorum cultore Chriſtianus factus, crux in capitolio, & regum diademate poſita, templa ædificata, aræ iiſdem in lo-

locis extructæ, ubi patres dæmoniis proprios immolaverant filios, vaſta deſerta tot illuſtrium eremitarum ſudoribus, & ſanguine irrigata, mirabilis martyrum numerus, qui exquiſitiſſima tormenta ſunt paſſi pro iis tuendis veritatibus, quas divinum hoc verbum illos edocuit, nimis manifeſta ſunt virtutis ejuſdem argumenta, ita ut nullus dubitandi locus ſuperſit. *Sermo manuſcriptus P. Stephani Chamillard.*

A concionatoribus ille poteſt eligi, qui in corde noſtro majorem efficit impreſſionem. Cum chriſtianus invenitur orator, quem ars, & natura diſertiſſimum effecerunt, nullus ſupereſt electioni locus pleriſque fidelium. Voluptas audiendi ſermonem meditatum, caſtigatumque, cujus omnes ſententiæ ſublimes ſint, locutio perſpicua, & elegans, ars exquiſita, partium diſpoſitio apte connexa: ubi omnia feliciter ordinata ſunt, ubi egregium ubique renidet ingenium, ubi nihil moleſtum accidit, ubi plurimi, uberesque eloquentiæ loci inveniunt, ubi vivax, ac induſtrium oratoris acumen ubique deprehenditur: præſertim vero ſi eo mea accedat opportunus corporis habitus, vocis tonus diſtinctus, ac penetrans, geſtus inflexus, ſed ſimplex; promptus, & alacer ſpiritus, & neſcio quid, quo fit, ut quæcumque dicuntur, maxime placeant; voluptas, inquam, hujuſmodi ſermonem audiendi ſuavis eſt adeo, ut eadem ſe quilibet capi patiantur. Quin autem conſuetudinem hanc adeo univerſalem, atque hoc adeo commune in mundo ſtudium improbemus, reor etiam ſecundum Deum, prudentius agi non poſſe; ſupremus enim hic Dominus, qui ſemper ad finem ſuum tendit, hoc eſt ad ſuam quidem gloriam, noſtram vero ſalutem; qui gratias ſuas non diſtribuit, niſi quatenus referuntur ad ea, quæ ipſe in fatis æternis decrevit, probabiliter magna hæc talenta iis ſolum concedit, quos elegit tanquam apta inſtrumenta, ut ex divino verbo uberem fructum percipiat. Illum ſua bonitas noſtris infirmitatibus indulgere jubet: cognoſcit præcepta ſua, quanquam divina, tamen hoc naturali indigere ſubſidio, ut facilius in corda noſtra ingrediantur; nam quamvis eorum ſit Dominus, gratia plerumque ſe ſe naturæ ſtudiis accommodat, atque mortalium ingenio, atque naturæ ſubmittit. *Idem.*

De concionatoribus plauſum quærentibus. Quot hodierna die concionatores inveniuntur, qui obliti auream hanc S. Hieronymi ſententiam, opus videlicet eſſe, concionatorem auditorum lacrymis, & ejulatibus commendari: *Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur: lacrymæ auditorum laudes tuæ ſint:* Quot, inquam, prorſus oppoſiti inveniuntur ingenii, qui templa in theatra, & cœtus noſtros in vera ſpectacula convertunt? Totidem actores ſunt in ſcenam prodeuntes. Operis eorum finis erit, ſexcentis turpiſſimorum ſcelerum ad vivum expreſſis imaginibus auditorum curioſitati feciſſe ſatis, publicaſque laudes fuiſſe promeritos. Infelices evangelii prævaricatores, bonum ſibi creditum ſemen corrumpunt, ac Dei verbum adulterant. *Adulterantes verbum Dei.* 1. ad Cor. 2. Sermones iſti, ad quos invitamus, ad quos ambitu veluti quodam compellimur, poſt quos officiis laudum, gratiarumque certa cogimur; elegantes iſti, florenteſque ſermones mihi ſuſpicione non carent. Concionatores, qui in arduo hoc munere humanis tantum laudibus aluntur, qui illud exercere ceſſant, ubi populi rumor illis non favet amplius, & qui non niſi in delecta auditorum corona loqui volunt, quam indigni ſunt hoc miniſterio! In his apoſtolicum zelum deſidero. Fugite, Fideles, hoc concionatorum genus; quærite, quomodo voſmet convertatis, non autem quomodo indignorum horum evangelii præconum ambitionem, & vanitatem alatis. *Idem.*

Peculiaris eſt gratia Dei ſanctus concionator. Inter magis apertas peculiaris Dei erga populum aliquem providentiæ gratias ea eſt, illis ſanctum mittere concionatorem. Hoc unum eſt ex ſubſidiis exterioribus, quibus utitur ad cordium noſtrorum duritiem leniter molliendam, eoſque divinis ejus luminibus ſenſibiles efficiendos. Quot urbes, quot provinciæ, quot regna id experta ſunt, quod dico! Si religio ibi adhuc integerrima floret, ſi virtus ibi in honore habetur, ac pretio, ſi vitium illinc exulat, ſi omnia ibi evangelica ſimplicitate peraguntur, hi effectus ſunt verbi cœleſtis, quod ſancti Dei viventis miniſtri ibi prædicarunt. Sed hoc donum, hæc gratia, hoc beneficium ejuſdem eſt naturæ, ac aliæ gratiæ, quas nobis Deus aufert, cum primis ejuſdem perquiſitionibus ingratum animum profitemur. *Idem.*

Divini verbi gratia noſtram expetit cooperationem. Quid! Sedulo expetentes, ut evangelii miniſtri ſe ſe ea, qua fieri poteſt, ſollicitudine, ac diligentia præparent, non ſemel ea, quæ ſibi dicenda ſunt, meditentur, prudenter eligant argumenta, quæ vobis conveniunt, eaque perſpicuo ordine, & ſermonis elegantia pertractent (ille enim, cui hodierna die horum aliquid deeſſet, in ſe omnium contemptum, & ludibria converteret) ſedulo, inquam, in evangelicis miniſtris hæc exquirentes vos tranquilli eſtis, & negligitis fructum, quem uberrimum ex ſalutari hoc verbo haurire poteſtis? Omnia igitur in nobis, noſtroque miniſterio ſita ſunt? Vobis autem ſatis eſt in templum veniſſe? Haud ita profecto. Veniſtis, ut dominici verbi participes fieretis, ad vos iſtud dirigitur? conamini ergo pro viribus proficere, & eum, quem decet, fructum inde percipere. *Idem.*

Quid auditoribus faciendum, ubi concionem audiverunt. Statim ac concioni finis impoſitus eſt, quid agunt auditores? Ipſorum profecto eſſet ſigillatim comparare ingens illud diſcrimen, quod intereſt inter eam, quam ducunt vitam, & eam, quæ ſibi nuper ſecundum evangelii, ac fidei, quam profitentur, regulas præſcripta fuit: animo ſuo altius imprimere terribiles veritates, quæ ſibi annuntiatæ fuerunt, & quæ obduratiſſimo cuique timorem poſſunt incutere, & corda ſua ab illis divellere objectis, quibus ad furorem uſque faſcinantur; inter tot generalia præcepta, quibus vulgo immoramur, ea ſecernere, quæ ad ſe proprius ſpectant, ſibique ſunt propria; ex ſe eas diluere dubitationes, quas animus ſenſibilium rerum atque occupatus tunc temporis ſibi propoſuit; ſubinde repetere valida argumenta, patheticoſque motus, qui in ipſis bonos ſenſus excitarunt; memoria repetere inita conſilia virtutis amplectendæ, ac relinquendæ occaſionis peccati illius, unde cætera animæ ſuæ mala dimanant, moderandi actiones ſuas, aliquos chriſtianæ mortificationis rigores experiendi; verbo, agendi ſecundum ea, quæ ſibi prædicata fuerunt. Sed non ita. Ita ſeſe gerunt, quaſi verbum hoc nullum haberet effectum, quam cum noſtros afficit ſenſus, dum prædicatur; ad priſtinam redeunt negotiorum turbam; eaſdem conſectantur voluptates, obliviſcuntur eorum, quæ ſibi dicta fuere, & ne minimam quidem illorum ſpeciem reſervant. *Idem.*

Chriſtiani ſæpe audire debent Dei verbum. In mundi creatione Deus ſæpe locutus eſt. Primum; quod protulit verbum, cœlum, & elementa creavit, ſed confuſe, & indiſcriminatim. Sequentia illis ordinem, pulchritudinem, ornatuſque præbuerunt. Dei vox prima ſtatim diejecit ſemina, rerumque omnium principia, ſed perfectionem ſexta tandem recepere. Hoc ipſum accidit gratiæ. Sæpe loquitur Deus noſtræ ſalutis opus conſummaturus. Primum in baptiſmo per os miniſtri ſacramentum hoc conferentis; deinde paſſim in toto vitæ decurſu miniſterio concionatorum, a quibus erudimur. Primum quidem ut nos in Jeſu Chriſto regeneret, deinde vero ut nos formet in Jeſu Chriſto. In baptiſmo omnis ſalutis principia recipimus, fidem, ſpem, & charitatem, ſed omnes hæ virtutes roborantur in nobis, ſuamque perfectionem recipiunt per miniſterium verbi, quod animæ defectus corrigit, eique tribuit gratias, & ornamenta, quæ deſunt. Itaque miniſterium hoc ars eſt, cujus objectum eſt hominum ſanctificatio; ſed proh quam longe ab aliis ars iſta differt? In aliis artifex non tenetur ſemper ad ſuum opus incumbere; poſtquam dies aliquot in eodem inſumpſit, illud ad tempus relinquere poteſt, atque ubi placuerit, eidem admovere manum, & quocumque in ſtatu illud reliquerit, certus eſt ſe illum in eodem eſſe inventurum. Oppoſitum prorſus Dei accidit

Digitized by Google

cidit verbo. Cum indigramus, quod nobis in ſingula fere momenta loquatur Deus, ita perpetuam habemus verbi hujus vel audiendi, vel meditandi neceſſitatem. *Auctor ſermonum chriſtianorum ſermonis pro Dominica Sexageſima.*

Pluſimi Dei verbum audire nolunt ne illud exercere teneantur.

Quamplurimi ſunt, qui terribiles chriſtianæ religionis veritates audire nolunt, & qui iis tantum adhibent aures, quæ ſibi accidunt perjucunda: *Filii nolentes audire legem Dei*; Iſai. 30. Homines ſunt, qui prædicatoribus dicunt, quod olim Iſaiæ Prophetæ auditores, ne obtrudatis nobis triſtia has, moleſtaſque veritates; dicite ea ſolum, quæ aures, & cor noſtrum palpare poſſunt: *Loquimini nobis placentia.* Fallere nos potius, quam mœrore afferre velitis. Nos a via hac aſpera, & difficili avertite? *Auferte a me viam, declinate a me ſemitam.* Sed væ ignavis hiſce concionatoribus, qui hujuſmodi mortalibus placere ſtudent, eos vero corrigere non audent. Hoc eſt Auditores ipſos prodere, eiſque venenum pro eſca præbere. *Specimen ſermonum pro die Pentecoſtes.*

Sibi quiſque ſingillatim applicare debet ea, quæ generatim a concionatore dicuntur.

Cogitare debemus, Deum per os concionatoris nos alloqui. Lapſus fuerat David in ſcelus, quod longe plura complectebatur, & cujus enormitas obduratiſſimum quemlibet movere poterat: attamen quid opus fuit, ut ille ſuum ſcelus agnoſceret? Hoc ille non ita pridem patraverat, ac illius ita jam fuerat oblitus, ut frigide graviſſimas audiret exprobrationes, quibus illorum Propheta increpabat, quin cogitaret, hunc de ſe loqui, & donec ſibi dictum non fuit, *Tu es ille vir:* ille nunquam ſe ſe collegit, aut facinus ſuum intelligeret. Hoc pleriſque peccatoribus accidit: admonentur ſcelerum ſuorum, & eorum crimina ante oculos ipſorum ſtatuuntur: ipſi vero ne ſibi quidem verba fieri cogitant, Concionator Dei nomine deteſtatur luxum, & mundanarum mulierum vanitatem? illæ, quarum præcipue res agitur, de aliis quibuslibet ſermonem eſſe putant. Illis exhibetur horror libidinum ſuarum, eiſque oſtenditur periculum ejus commercii, quod morum elegantia vocatur, & quæ hoc ſcelere magis imbutæ ſunt, hæc ſibi nequaquam dici arbitrantur. Si hominibus verſuræ deteguntur injuſtæ, quibus diteſcere quærunt ſumptibus eorum, qui egeni ſunt, atque in neceſſitate verſantur; illi ipſi, qui fœnore, vel rapto vivunt, ne animum quidem ſeviſſimis ſuis injuſtitiis advertunt. Ut ex verbo Dei fructum percipiamus, credendum eſt, Deum nobis loqui per os concionatoris, nobiſque applicanda ſunt ea, quæ dicuntur, non autem in alios rejicienda. *Ibidem in Dominicali ſermone de cæcitate.*

Dei verbum accipiendum eſt, quin ulla habeatur ratio concionatoris.

Dei verbum panis eſt, ex quo vivitis: fame laborantes, S. Auguſtinus inquit, dedignaremini panem ab homine charitate quidem prædito, ſed parum eleganti forma recipere? Dei verbum eleemoſyna eſt, quam erogat; dedignaremini ſumma egeſtate confecti eleemoſynam recipere, quia offerentis manus lepra eſſet imbuta? Quantumvis indignus, & nocens ſit concionator, dummodo probata ſit, & orthodoxa ejus doctrina, ſemper Dei prædicat verbum, verbum, quod ille quidem dedecorat, ſed verbum, quod per ſe ab illius bonitate, ſeu nequitia non pendet, verbum, quod vos accuſabit, quod vos judicabit, quod vos damnabit, ſi reſtitueritis illi, & ſi illud diſtribuentis indignitatem in miſeram flagitiorum veſtrorum excuſationem converteritis. *Formentiere ſermone Sancti Dominici.*

Dei filius producitur per verbum ubicumque ſit.

Mirum eſt, quod ubicunque Dei filius invenitur, per verbum ſemper producatur. Cum in Mariæ ſinu productum fuit, voluit Deus, verbum aſſentientis ad temporalem illius productionem concurrere, & fides nobis illum in ara adorandum proponens nos credere jubet, hoc ipſum myſterium Sacerdotum verbo deberi. Ita quocunque in ſtatu Dei filium conſideremus, ſemper verum eſt, ipſum verbo produci. Miraculum hoc, quod Angeli, homineſque ſtupent, alterius miraculi fundamentum eſt, quod non minori dignum eſt admiratione: quia quemadmodum Jeſus Chriſtus ſuam ſemper nativitatem ex verbo recipit, ita nullam niſi per verbum poſteritatem reliquit. Apoſtoli omnes filii ſunt verbi: vox illis fuit ſacrum germen, quod ipſis contulit vitam, & quemadmodum productio eorum ſpiritualis erat omnino, ſatis fuit, Jeſum Chriſtum loqui, ut eorum pater exiſteret. *Idem ſermone S. Andreæ.*

Deus paſſim per prædicationem ad ſe nos trahit.

Deus ſecundum providentiæ ſuæ ordinem ad ſe non trahit homines, niſi per prædicationem. Et profecto hæc præſtantiſſima, & efficaciſſima ratio eſt, qua utitur, ut nos ſuis illuſtret luminibus, de noſtris officiis erudiat, vanitatum noſtrarum errorem nobis auferat, nos a peccato removeat, ad pœnitentiam adducat, atque animos addat ad eas ſuperandas difficultates, quæ in praxi virtutis occurrunt. *Auctor Anonymus.*

Omnia obediunt verbo Dei præter hominem; qui ſæpe eodem rebellis eſt.

Satis non eſt Dei verbum meditari, adimplendum eſt. Dei verbum lex eſt, legis exercitium eſt facere, quod illa jubet: Dei verbum ſemen eſt; ſeminis uſus eſt, illum excolere, & efficere, ut fructum ſuum afferat. Talentum eſt: igitur in quæſtu, & commercio ponendum eſt. Ita Dei verbum meditari, neque id, quod nobis præſcribit, exequi, hoc nequaquam eſt illud ſervare; Deus enim ideo nos illud meditari jubet; ut noſmet ad præcepta ſua audienda magis dociles, alacreſque præbeamus. *Auctor Sermonum chriſtianorum.*

Divini verbi victoriæ, atque triumphi.

In mundi creatione Deus ad nihilum loquitur, ac verbum illius in hanc abyſſum perlatum illinc creaturas educit. Ad terram loquitur, & hæc plantas, & animantia producit. Loquitur ad cœlum, ac ſtatim fulget pictum ſyderibus, ad vocem Dei repente ex abyſſorum ſuarum ſinu prodeuntibus. Denique ad hominem loquitur Deus, & ex illis opera bona, & ſalutis fructus expoſcit; ſed per ſummum nefas homo ideo in terris poſitus, ut ſit creaturis omnibus exemplum, inter creaturas omnes ſolus eſt, qui Deo ſuam deneget obedientiam; nihilum eſt voci illius non reſpondens, terra eſt ſuffocans benedictiones ejus. *Idem.*

Quis dicendo enumerare poſſit divini verbi victorias, atque triumphos; quandoquidem hoc tantum uſi ſunt armorum genere Apoſtoli, ut univerſum terrarum orbem converterent, ut dæmones de imperio ipſorum deturbarent, ut eorum aras everterent & eas, quas in delubris extruxerant, & eas, quas in hominum cordibus collocaverant? Et quin longius abeam, nonne hoc ipſum verbum eſt, quod eoſdem triumphos omnibus perennat ſæculis in peccatorum converſione, & everſione idolorum? Nonne per hæc arma Sancti in omni bellorum genere vicerunt; Antonii in deſertis, Agnetes, & Catherinæ in toris, Ludovici in ſoliis? O admirabilem divini verbi providentiam! O triumphantem gratiarum, quæ illud ſubſequuntur, virtutem! Sed quotieſcunque illius trophæa prædico, noſtram deploro calamitatem, videns, nos turpiter ab hoſtibus noſtræ ſalutis ſuperati, præ manibus eadem habentes arma, quibus Sancti illos toties debellarunt. Nunquid aliud hodie prædicatur evangelium ab eo, quo Apoſtoli omnem terrarum orbem converterunt? Aliudne habemus Dei verbum ab eo, quod olim tot Martyres, & glorioſos peperit Confeſſores? Undenam ergo poſt tot ſermones hodie tot vitia inveniuntur, & in Catholicis urbibus, ubi tot conciones audiuntur, divinum hoc verbum minorem vim habet, quam in deſertiſſimis locis, atque in idololatrarum regionibus? *Biroat Sermone pro prima Quadrageſima Dominica.*

Magnitudo & præſtantia miniſterii prædicandi verbum Dei.

Iſtic illi, quibus honor eſt Dei verbum prædicandi, parumper miniſterium ſuum perpendere debent, vel ut illius noſcantur dignitatem, vel ut illius neceſſitatem intelligant, ne eorum vitio Dei verbum inutile fiat. Magnum profecto munus eſt homini fieri Dei nuncium, ut hominibus nunciet pacem; &, ut S. Hilarius inquit, ex eorum eſſe numero, qui jaciunt ſemina æternitatis in cor; vel, ut S. Gregorius Nazianzenus ait, qui Angelorum perfungi debent miniſterio, ut dæmonibus adverſentur, ſuiſque verbis evertant, quod noſtræ ſalutis inimici in cor-

Digitized by Google

cordibus noſtris ſuggeſtionibus ſuis ædificarunt. Sed heu! quam periculoſum hoc eſt officium, ſi concionatoris vitio hæc arma fiant inutilia, ſi illi exprobrari poteſt animarum, quas non erudiit, interitus; ſi non ſatis impios homines redarguit, ſi vel unus ex reprobis de illius ſilentio conqueri poſſit, &c. *Idem*.

Modus efficiendi ut divinum hoc verbum proſit noſtris animabus.

Ut ex hoc Dei verbo animæ noſtræ proficiant, illud meditemur, ac ſæpe nobiſcum animo reputemus oportet; alioquin quomodonam veritates, quæ in eo continentur, in animabus noſtris effectum parere poſſunt, niſi illic aliquandiu immorentur? Quomodonam infernus, & paradiſus, beata, & infelix æternitas ullam in vobis efficere poſſunt impreſſionem, ſi obiter tantum audiatur; ſi hæ cogitationes eumdem cum concionibus finem habent, & tanquam nocturna ſomnia prætervolant? Semina ſunt, quæ æternos producere fructus poſſunt; ſed quomodonam illos ferent, ſi ſtatim abripiuntur, quin tempus illis permittantur cœleſtis influxus, & terræ humorem recipiendi? Ignis eſt, qui lumine ſuo ignorantiæ tenebras diſſipare poteſt, & ardore ſuo animorum noſtrorum frigus caleſacere; ſed quomodo agere poteſt, niſi aliquantiſper immoretur, vel ſi ſtatim primæ etiam illius ſcintillæ extinguantur? Panis denique eſt, qui corroborat; ſed quomodo alere nos poteſt, niſi in ſtomacho noſtro permaneat ibi caloris naturalis actionem percepturus, & mox vim, vigoremque membris omnibus diſtributurus? Proficiendi igitur ratio eſt, remorari verbum hoc, quod prætervolat; aditum in animas noſtras præbete his vocibus, quibus aures percelluntur? domi, & per otium meditari ea, quæ in templo audita fuerunt; exequi, & in praxin redigere veritates, quas illic accepimus, & bona deſideria, quæ illæ nobis afflarunt. *Idem*.

Virtus verbi Dei deſumitur ex fine, quem habuit Deus illud in concionatorum labris collocans.

Hanc Divini verbi virtutem ex eodem illam populis diſtribuendi, annuntiandique miniſterio deſumo. Quodnam eſt verbi miniſterium, & quem ad finem Deus in mundum mittit concionatores? Quid agunt illi, dum ſuo perfunguntur officio? Mittuntur tanquam legati Dei, & dicere poſſunt cum Apoſtolo: 2. ad Cor. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur, reconciliamini Deo*. Opus eſt ergo, Dei verbum, quod nunciant, in ore illorum eam habere vim, virtutemque, quam miniſterii ſui poſtulat finis ... Cum miſit illud Deus in os Apoſtolorum, ut Ethnicos converteret, voluit hanc illi ineſſe virtutem ad infidelium corda movenda: igitur ex hac eadem cauſa, cum illud mittit in os concionatorum ad peccatores convertendos, opus eſt, hos cum applicatione gratiæ diſponat ad eorum converſionem, atque ſalutem cooperandam; ipſe per os eorum loquens impreſſionem efficiat in corda eorum, quibus loquitur: illis legatorum dignitatem impertiens, iiſdem ſuam communicet poteſtatem, atque auctoritatem. Agitur de peccatore convertendo, peccato illius evertendo, ac vitiorum fonte in eodem exhauriendo. Multo labore opus eſt, magnis conatibus, magniſque præliis: quid interim Deus? Adhibet evangelii prædicationem ſua animatam gratia per os peccatorum, tanquam arma ad victoriam in hujuſmodi certaminibus ferendis validiſſima. Verbum hoc eſt gladius anceps, qui imam cordis penetrabit partem, extremamque vitiorum originem ſcrutabitur, ac inveſtigabit, quidquid noxium, ac malum eſt, ut illud abſcindat: qui delebit, quidquid in affectibus ejus fortiſſimum eſt, & magis indomitum in voluntate; ita ut peccator concionatoris rationibus, & Dei gratiis, quæ ſocia cum illis jungunt arma, pellitur, & urgetur, ut ſeſe convertere teneatur. *Idem ſermone in feriam ſecundam poſt quintam Quadrageſima Dominicam*.

Magnum homini munus eſt, eſſe, ut S. Chryſologus inquit, vas legis Dei, aliquid aliorum hominum ſaluti, ac prædeſtinationi conferre, illis ſuggerendo adminicula, quæ ad eamdem certam faciendam divina providentia conſtituit. Hæ lucernæ ſunt ardentes alios illuminantes in virtutis via ſuis ſermonibus; & ſunt veluti præcurſores Dei ad conferendam illis, a quibus audiuntur, ſanctitatem. Sed quo majus hoc munus eſt, eo majori cura obeundum eſt, atque adnitendum, ut illud Apoſtoli præceptum adimpleantur. *Miniſterium tuum imple*. 2. ad Tim. 4. Heu! quo potiori jure concionatori, quam olim D. Paulo, metuendum eſt, ne poſtquam alios ſalvos fecerit, ipſe reprobus efficiatur. A ſe ipſo igitur initium ducat oportet, atque ſe ipſum ſanctificet, antequam alios ſanctificare aggrediatur. *Idem*.

Prava intentio, qua plerique ad Dei verbum audiendum accedunt.

Vide qua mente plerique ad evangelium audiendum accedant: alii ex ſimplici curioſitate, quæ ſatis criminoſa eſt, quia concionis fructum aufert; alii ob ſolatium, & tanquam ad locum, ubi alios, cum quibus verſetur, inveniat. Diceres concionem factam eſſe quandam veluti comœdiam, ac templum in theatri locum migraſſe. Alii, ut obvia conſiderent objecta, & in cordibus ſuis impudicas concipiant cogitationes: alii denique, ut concionatoris verbis adverſentur, ſuum oſtentent ingenium, & aliquam illum corrigendi occaſionem inquirant; ſed quotuſquiſque, ut verbum hoc audiat hac mente illius exercendi, ac eodem ad ſalutem utendi tanquam vulgatiſſimo ſubſidio, quo nobis ad prædeſtinationem noſtram ſuppeditet Deus? *Idem*.

Sermonem audiviſſe non ſufficit: illum animo rursus recogitare debemus. Quid autem Chriſtianus? Id agit, quod S. Jacobus ait de evangelii auditoribus; illos comparat homini, qui pertranſiens faciem ſuam videt in ſpeculo, & qui oblitus macularum, quas illic deprehendit, illas abſtergere non laborat: *Comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo*. Jacob. 1. Heu! plures videntur peccatores, qui ad concionem audiendam confluunt, & qui eo temporis momento concionatoris verbo moventur; ſed ſtatim ac inde egreſſi ſunt, non recordantur amplius; iiſdem ſe ſe illaqueant ſocietatibus; obliviſcuntur affectuum, quos Dei verbum in cordibus ſuis excivit, ac fiunt tanquam ſterilis, ingrataque tellus, quoniam minime cooperati ſunt rori cœleſti, ut inde animæ ſuæ uberem fructum perciperent. *Idem*.

Dei filius Apoſtolos, & concionatores ſibi ſubſtituit, qui verbum ipſius annunciarent.

Divinum verbum, quod verbum eſt ſubſiſtens, ideo videtur in Incarnatione ſuæ vocis organum accepiſſe, ut ipſe nobis ſuum annuntiaret evangelium, ſuam prædicaret morum diſciplinam, ſua nobis inſtituta perſuaderet, ac ſenſim æternas veritates nobis imprimeret. Neque ſatis eidem fuit hoc obire munus, dum viveret; ſed ut illud etiam poſt mortem exerceret, ac illud in eccleſia perennaret, in locum ſuum Apoſtolos, & concionatores ſuffecit, eiſque ſuam tradidit miſſionem, ſuamque contulit auctoritatem, atque verbum ſuum in labiis eorum collocans autem invenit illud in omnibus terrarum plagis, totoque ſæculorum omnium decurſu late effundendi: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Hoc maxime neceſſarium eſt eccleſiæ miniſterium; hoc unicum eſt, quod in ſæculi corruptione nobis ſuperſit remedium, & ſi nobis divinum hoc defuiſſet ſubſidium, nihil eſſet, quod in morum corruptione animarum interitum prohiberet. *De la Volpilliere Sermone hujus argumenti*.

Explicatio eorum evangelii verborum, ubi dicitur ſemen inter lapides cecidiſſe.

Dei filius evangelii parabolam explicare pergens, addit partem ſeminis inter lapides cecidiſſe, & ſtatim ac germinavit, exaruiſſe, eo quod illi humor defecit. Quod illos indigitat, qui Dei verbum hilariter excipiunt, ſed qui radicem non habent; qui ad breve tempus credunt, ſed ſtatim ac advenit tentatio, deficiunt. Hoc vulgo accidit. Dei verbum laudamus, illius præſtantiam admiramur, eodem etiam afficimur; ſed, cum illud adimplendum eſt, quoniam radicem non habet in cordibus noſtris, ea omnia egregie dicta, quæ noſtram ſibi admirationem conciliaverant, quam primum evaneſcunt, & ſimiles evadimus imprudenti illi viro, de quo loquitur S. Jacobus Apoſtolus, qui remoratur faciem ſuam, quam in ſpeculo videt, conſideraturus, & qui poſtquam illuc conjecit oculus, abit ſtatim, quis erat, oblitus. Audimus divitum ſævitiam exprobrari, illam ferendam non eſſe fatemur, & contemptum, quo ab illis pauperes

exci-

excipiunt , ultionem expoſcere ; opes tanquam virtutum ſcrupulos reſpicimus ; ſed ſanctum illud verbum , quod has parit conſiderationes , radiceſne figit in corde? Facile patet judicium ex iis , quæ deinceps eveniunt . *Specimen ſermonum pro Sexageſima Dominica.*

Intentio, qua Dei verbum audiendum eſt,

Prima, quæ in chriſtiano auditore diſpoſitio requiritur, eſt pura, ſanctaque intentio. Intentio auditorum, S. Ambroſius inquit, eadem eſſe debet ac Jeſu Chriſti, ubi loquitur per os concionatorum. At Jeſus Chriſtus nil aliud ſpectat , quam patris ſui gloriam, hominumque ſalutem: hæc unica ratio evangelicos agit concionatores, & hæc quoque una chriſtianos auditores in templum compellere debet. Accedo ad Dei verbum audiendum, ut diſcam in illum credere, illi ſervire, eique ſerviendo ſalutem meam operari. Hei! quam raro chriſtiana invenitur intentio in frequentibus hiſce populi cœtibus, quos favor cogit, quos prævenţio, & ambitus attrahunt , & ubi ſalutis zelus minimam habet particulam. Curioſitas, complacendi ſtudium, otium, nonne eæ plerumque ſunt rationes , quæ fidelium pleroſque ad concionem audiendam adducunt? *Idem.*

Bonus, maluſque Divini verbi uſus.

Evangelicarum veritatum cognitio, quæ a Deo proficiſcitur, inæſtimabile donum eſt; ſed quam terribile eſt periculum, cui ſe ſe objicit, ſi quis eadem nequaquam bene uſus fuerit! Etenim quemadmodum auguſtiſſimum Eucharistiæ ſacramentum, quod vere corpus, ſanguinemque Jeſu Chriſti complectitur , nobis eſt maximum inter omnia Dei dona, & nihilominus ſi illud indigne receperimus; execrabile ſacrilegium patramus: ita Dei verbum, qui panis eſt filiorum Dei, non ſecus ac pretioſum Jeſu Chriſti corpus, eſt animæ pabulum, ſi uti opus eſt, cordis aure, atque conſilio inde ad ſalutem proficiendi audiatur; ſed judicium eſt, atque damnatio eorum, qui illud indigne, hoc eſt cum contemptu recipiunt ; qui illud negligunt, neque ſibi in alimoniam convertunt . Hæc divini verbi cum ſacro Jeſu Chriſti corpore comparatio eſt S. Auguſtini. *Ex morali chriſtiana* in Pater.

Negligentia, qua ad verbum audiendum convenitur.

Nunquam plures fuere concionatores ; & nunquam boni chriſtiani auditores fuere pauciores. Quomodo generatim fideles divini verbi prædicationem faſtidiunt! Hoc noſtis: ac ſi Dei gloria vobis cordi eſt, etiam doletis. Mortalibus conſuetudo eſt ter , ad ſummum quater concionibus , idque ad oculos tantum populi fallendos , intereſſe . Omnes illi, qui magnis detinentur occupationibus , atque ſæcularibus vacant negotiis , tempus hoc invenire non poſſunt. Nonne verum eſt millibus chriſtianam religionem profitentibus vix inveniri duos , qui Dei verbum, uti par eſt, velint audire? Quantumvis in frequentiſſima auditorum corona loquamur, hæc tamen infrequens eſt , ſi cum innumera eorum conferatur multitudine, qui ad ſpectacula confluunt. O fidei noſtræ probrum ! Chriſtiani non ſumus, niſi credimus æternam ſapientiam attollere vocem ſuam in templis, atque per organum concionatorum loqui, & nobiſcum de maxime neceſſariis noſtræ ſalutis negotii agere velle ; & nihilominus ne minimum quidem negotiolum relinquere, neque breve ſolatiorum tempus deteri cupimus, ut illam audiamus. *Ibidem.*

Inordinatum placendi, micandique deſiderium efficit nonnunquam, ut id contemnamus, quod ad animas movendas, & convertendas eſſet utilis ; ſed heu! Cui bono tantum doctrinæ, ſi homines ſalutis ſuæ viam minime doceantur? Cui hæc eloquentia, niſi animæ ad Deum revocentur? Cui omnes iſti meditati, ornatique ſermones , qui deroſos ſapiunt ungues, ſi aures dumtaxat alliciant, cum interim cordibus dominetur iniquitas? Cui tota hæc verborum pompa, ſi nihilominus, vitio noſtro , Jeſus Chriſtus amittit animas, quas redemit . *Molinier, ſermone primo Quadrageſimæ.*

S. Jacobi Apoſtoli ſententia de illis , qui Dei vocem audiunt, quin illam adimpleant.

S. Jacobi Apoſtoli ſententia eſt a S. Thoma explicata, eum, qui Dei verbum audit, quin illud adimpleat, ſimilem eſſe viro faciem ſuam in ſpeculo conſideranti , ac poſtmodum abeunti , quin, qualem ſe viderit , reminiſcatur. Hæc mira eſſet illuſio , S. Thomas inquit, ſi illic crederet reale objectum intueri loco imaginis ſuæ, cum ſe ipſum in ſpeculo conſideraret; vel ſi contentus in lucenti vitro faciei ſuæ maculas conſideraſſe, eaſdem detergere contemneret . Noſtra vero adhuc minus eſt ferenda: tandem enim niſi Dei verbum ſervamus in cordibus noſtris , & ubi adſit occaſio, eodem utamur ; ſi recedimus poſtquam aliquot ſuperficiales de animæ noſtræ ſtatu conſiderationes fecerimus perfunctorii luminis beneficio; ſi in praxin redigere negligimus id, quod docti ſumus, nonne ipſi noſmet primi ſeducimus? Nonne intelligimus nobis ſolam eſſe verborum noſtrorum umbram, non autem operis corpus? & ſimiles fontibus objectorum imaginem recipientibus , quæ ſtatim obliteratur , illico ideam ſtatus noſtri deponere? *Morales ſermones, ſermone pro Sexageſima Dominica.*

Ex eo momento, quo ſpiritus ſolus agit, & cor iners quieſcit, frigide tantum Dei verbum auditur , quin guſtetur; ſatis eſſe putamus, illud reſpicere tanquam verbum veritatis, & vitæ, quin moveri ſentiamus, ut certo , & obfirmato animo illi tanquam neceſſario, utilique bono hæreamus . Dic avaro , exempli gratia, ipſum eſſe pauperum oeconomum; viduam, & pupillum curæ illius traditos eſſe ; illum ſalutis ſuæ conſulere non poſſe, niſi egeſtate laborantes in partem vocet bonorum , quæ providentia large, effuſeque illi donavit ; immodicam hanc cupiditatem, qua bona ſua congregat , idololatriæ ſpeciem eſſe, ac validum æternæ ipſius felicitati impedimentum; veritatem hanc audit , eamque fortaſſe intelligit, & probat: ſed cognitio iſta in illius remanet intellectu, ſatis valida, ut illi chriſtianæ miſericordiæ neceſſitatem oſtendat ; ſed ſatis infirma , ut illum ad eam amplectendam, atque exercendam impellat; adeo cor ejus mancipatum eſt avaritiæ, quæ illi eſt oppoſita. Hoc ipſum de ambitioſo, & libidinoſo dici poteſt: ambitio, & voluptas prohibent, ſeſe dedant verbo Dei , quantumvis perſuaſum illis ſit de veritate, quæ prædicatur. *Idem.*

Corde verbum Dei recipiendum eſt.

Loquimini ad cor Jeruſalem. Iſaiæ 40. Si aures tantum affertis. & corda veſtra relinquitis domi, negotiis, aut ſolatiis veſtris abdita, irrito labore loquemur. Si agricola ſemen ſuum in aquis , vel aere, aut inter lapides ſereret, illud nunquam radices jaceret. Opus eſt, ut terra bene exculta Dei verbum recipiat, ut ſemen germinare , ac ſe multiplicare valeat; ſi enim in aures tantum ceciderit, ſterilis erit, omnique fructu carebit. Cor ager eſt, ubi divinum hoc ſemen jaciendum eſt, & cor iſtud bene præparatum eſſe debet , ut illud recipiat; illud vero deinceps ſedulo ſervare debet regii Prophetæ exemplum ſecutus: *In corde meo abſcondi eloquentia tua.* Pſal. 118. & quomodo Evangeliſta ait Sancta Virgine; quæ diligenter ſervabat ea, quæ de filio ſuo dici audiebat: videlicet ea meditabatur, in mentem ſuam revocabat, ac ſerio ſecum reputabat. *Molinier primo ſermone quadrageſimæ.*

De illis qui ad concionem audiendam accedunt, ut concionatorem corripiant.

Illis, qui ad Dei verbum audiendum concurrunt, ut vel concionem , vel concionatorem cenſoria nota perſtringant, addici poſſet, quod olim Joſeph Patriarcha ſuis fratribus dixit, qui, cum ſæva ſterilitas paſſim graſſaretur, in Ægyptum fruges acceſſerunt coempturi: *Exploratores vos eſtis , ut videatis infirmiora terræ.* Cum ad conciones audiendas venitis, non ideo venitis, ut divini verbi panem colligatis, neque ut de moribus veſtris erudiamini , neque ut illa ad memoriam revocetis , neque ut illuminemini iis in difficultatibus, quæ in myſteriis, vel veritatibus religionis vobis ſuboriri poſſent ; ſed ut improbam exerceatis cenſuram, ut, ubi deficimus, intelligatis, ut noſtram imbecillitatem deprehendatis : *Exploratores vos eſtis.* *Sermo manuſcriptus.*

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Joan. 8. eaque in optimum uſum convertit, Dei filius ait; quæ res S. Bernardum conſolabatur, efficiebatque , ut diſcipulos ſuos tanquam totidem prædeſtinatos reſpiceret: *In vobis , fratres, vere invenio aures audiendi , cum in emendatione veſtra appareat fructus verbi .* Grandis

pro-

profecto conſolatio ſancto inſtitutori; quæ tamen efficit, ut pro vobis admodum extimeſcam: quia enim ſibi hoc perhibere poſſet teſtimonium, quod intra decem, aut viginti annos ex uno tantum ſermone aliquem fructum perceperit? Verum, Domine, propitios in auditores meos oculos converte; nemo forraſſe eorum, qui me audiunt, reus non eſt graviſſimæ hujus negligentiæ; verumne ideo ceſſes ad eos loqui, & illos urgere &c. *Idem*.

Concionator ea, quæ dicit, exemplo, ac vitæ ſanctitate probare debet,

Ut efficax Dei verbum fiat, eidem comes accedat, opus eſt, ſanctitas illud annuntiantis, vel ut melius dicam, hæc illud animet, opus eſt; quod mea quidem ſententia innuere vult Apoſtolus, cum ait 1. ad Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*. Ut ergo Dei verbum ſit efficax, illud, ut ita dicam, ex ore Dei deſumendum eſt: *Audies*, ait ille Ezech. 3. *de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me*. Quomodo autem ex hoc fonte haurire poſſis, ſi inde procul abſis per peccatum? Et licet etiam hoc fieri poſſet, nonne ſe ipſum terribili tumentem præſumptione probat, qui ſermonibus ſuis perſuadere vult ea eſſe facienda, de quibus tibi nequaquam perſuaſum eſſe flagitioſo vitæ genere oſtendit? Tandem enim hoc non inauditæ ſolum præſumptionis ſignum eſt, ſed etiam graviſſimæ dementiæ argumentum, indeſinenter adlaborare, quin ullum ſperandi locum habeas te felicem laborum tuorum exitum conſecuturum; cum liqueat, uti S. Proſper l. 1. de vita contempl. c. 15. ait, ac ipſa probet experientia, nulla re magis minui, vel everti auctoritatem, quæ ad erudiendum eſt neceſſaria, quam diſcrimine illo, quod inter docentis mores, & præcepta deprehenditur. *Liber, cui titulus; Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri*.

Homines, qui quadam cum religione ſe vivere profitentur, tres in claſſes dividi poſſunt. Alii, Domine, audiunt verbum tuum, quaſi non audirent illud. Hoc neque mentem, neque cor illorum efficit; cumque illud ſine attentione audiant, dæmon hoc illis aufert; neque majorem habet effectum, quam ſemen, quod cecidit ſecus viam, atque in excultum agrum ingreſſum non eſt. Hoc illis accidit, qui externam dumtaxat pietatis ſpeciem habent.... Alii tuum quidam & cum alacritate verbum recipiunt; ſed cum virtus eorum ſuperficialis tantummodo ſit, neque radices poſuerit, nihil producit; minimæ quælibet ærumnæ, & leviſſimæ, quæ illis accidunt, tentationes illud diſſipant, ac prorſus inutile efficiunt, quaſi inter lapides, & ſaxa decideret. Alii illud tanquam inter ſpinas recipiunt; videlicet nullum inde fructum, & utilitatem percipiunt, quia terrenarum rerum cura, divitiarum, & voluptatum amor, ac honorum omnium, omniumque terræ vanitatum conquiſitio efficiunt, ut verba tua fructu careant, eoſque ea privant benedictione, quam inde recipere poſſent. Illi ſuperſunt, Domine, quorum pietas ſincera eſt, eoſque his verbis deſignas: *In terram bonam*. Matth. 13. Hi illi ſunt, qui verbum tuum reſpiciunt tanquam ros divinum, in quo ſuum inveniunt ſolatium, vim, vitam, lumen, atque conſolationem: & quamvis hoc non in omnibus parem habeat fœcunditatem, in illis tamen cum ubertate, & benedictione fructus producit; & licet virtus hæc ſit inæqualis, nihilominus animabus illam recipientibus vitam tribuit, tuetur, atque confirmat. *Abbas Trappenſis in moralibus conſiderationibus in S. Matthæi evangelium*.

Modicus effectus, quem Dei verbum in aliquorum flagitioſorum hominum cordibus habet.

Ignium eternorum, quos divina juſtitia in inferno ſuccendit, minæ, cogitatio magni judicii diei, terribilium ſuppliciorum æternitas, hæc omnia fere in ludibrium vertuntur ab infinitis propemodum temerariis adoleſcentibus, cum ſibi a verbi divini miniſteris annunciantur; eiſque hodierna die accidit, quod olim ſancto Loth, qui admonitus ab Angelo Sodomorum, civitatem igne de cœlo demiſſo conflagraturam, per trivia, & compita clamabat, omneſque precabatur, ut divinam flecterent juſtitiam, vel ſaltem illam evitaret egrediens de loco, quem Dominus oderat. Non enim defuerunt imperterriti mortales, qui ſanctum virum contempſerunt, cujuſque minas ſibi in ludibrium vertentur: *Et viſus eſt eis quaſi ludens loqui*. Geneſ. 19. Tranquille in urbe permanſerunt, atque ſolatiis ſuis indulgere pertexerunt; ſed non multo poſt flammis abſorpti ſunt. Ita concionator admonet auditores de terribilibus juſtitiæ Dei ultoris effectibus; eiſque devorantia inferni flammas minitatur. Flagitioſi homines haſce terribiles veritates contemnunt, eaſque inania putant terriculamenta, pia commenta, & ſpectra devotionis, quæ nonniſi ad rudes homines in officio continendos inſerviunt: *Et viſus eſt eis, quaſi ludens loqui*. Sed donec hæc fatalis fortitudo omnem illis aufert ſenſum malorum ipſis impendentium, violenta mors, caſus inopinus illos in infernum æternum præcipites agit. *Specimen ſermonum pro quarta poſt Adventum Dominica*.

Nunquid autem nefas eſt concionatori, quidquid habet eloquentiæ, depromere, ut ſuum extollat argumentum, atque chriſtianas veritates pertractet? Mirum ſane eſſet, S. Auguſtinus ait, mendacio rhetoricis abutente ſchematibus contra ipſam veritatem iiſdem uti non poſſe ad mendacii vim propulſandam? Opuſne eſt, eos, qui falſa perſuadere cupiunt, auditorum ſuorum attentionem ſibi comparandi artem noſſe, eamdem vero præcones veritatis ignorare? illos didiciſſe, quo pacto induſtriæ errores ſuos commendent, eiſque fucatam veritatis allinant ſpeciem, hos vero de maxime neceſſariis ad ſalutem actionibus jejunos, rudi, & incompta ratione ſermonem habere? Illos terrorem, formidinemque incutere in animos, quos callide fallaci arte ſibi conciliare dicerunt; hos vero ad id redactos eſſe, ut veritatem eo frigore tueantur, quod audientibus ſoporem, nauſeamque valeat afferre? Cum diſerte loquendi facultas impendi ex æquo valeat cum in bonos, tum in malos uſus, cum ad ea, quæ vera ſunt, tum ad ea, quæ falſa, perſuadenda: cur evangelici miniſtri illam addiſcere toto pectore non adnitantur, eadem ad veritatem propugnandam uſuri; quandoquidem improbi tantum inde virium mutuantur ad obtinenda ea, quæ injuſtæ ipſorum expetunt cupiditates? *Ex dictionario morali in conſiderationibus de verbo Dei*.

Hoc Dei verbum eſt: o ſummum præſtantiæ, & dignitatis characterem! Si enim majeſtatis characterem in regum, acuminis in politicorum, auctoritatis in legiſlatorum, eruditionis in doctorum, bonitatis in patrum, æquitatis in judicum, ſinceritatis, & benevolentiæ in amicorum verbis deprehendimus; varii id genus characteres, quibus illa nobis adeo chara, ac venerabilia fiunt, evaneſcunt, atque diſſipantur, ubi cum verbo tuo, Domine, conferuntur, coram quo politicorum acumen error eſt, auctoritas legiſlatorum infirmitas, litteratorum eruditio ignorantia, parentum bonitas cæcus amor, ſinceritas amicorum venalitas, æquitas judicum tenuis tuæ participatio, regum majeſtas exiguus nitor e magnitudinis tuæ infinitæ ſinu dilapſus. Fideles populi, qui aliquam Deo reverentiam vobis eſſe profitemini, venite ergo ad illius verbum audiendum; increata, & incarnata Sapientia eſſentiales ſaluti veſtræ veritates revelat: illas pia docilitate, bibuliſque auribus audite. *Idem ſermone primo hujus argumenti*.

Dignitas verbi Dei, & quanti a nobis faciendum ſit.

Cum aliquando S. Auguſtinus ad Hipponenſem populum haberet concionem, forte in ipſo ſermonis decurſu ingentibus auditorum gemitibus, ſuſpiriis, iteratiſque clamoribus interruptus, cur ita ploratis, & gemitis, ait illis? Quidnam vobis dixi, quod vos adeo vehementer commovit? Divinæ miſericordiæ immortales habeantur gratiæ, ſi ad corda veſtra penetrarunt ea, quæ dixi auribus veſtris. O quam beatum me exiſtimarem, addidit ille, ſi Deus adeo imbecilli uſus fuiſſet miniſtro, qualis ego ſum, ut miniſterium ſuum honoraret, ſuumque ſanctificaret evan-

Qua conſolatione officiatur concionator videns divini verbi fructum ſuo miniſterio receptum.

evangelium! Hoc unum vobis, dilectiſſimi Auditores, dicere poſſum, gaudium meum perfectum futurum, nihilque majorem mihi illaturum conſolationem, quam ſi viderem, vos ſollicitos ad virtutes, quæ vobis deſunt, comparandas animum appellere, eumque amovere a viis pravis, quæ vos in malorum omnium abyſſum impuliſſent. Et ſane quænam concionatori conſolatio eſt, & quænam in anteceſſum felicitas auditoribus ſumma fide obſervantibus, quod illis per organum illius Deus inſpiravit? Dociles veritatibus, quas didicerunt, eaſque in optimum uſum convertere cupientes, non ſunt amplius iracundi, avari, voluptuoſi, ultores. O Dei verbum! hoc in noſtris animabus efficis, cum divina præveniente, & adjuvante gratia tibi noſtras mentes, & corda aperimus. Tu nos erudis, nos corripis, nos moves; ſed ipſi non ſanctificamur, niſi cum ex luminibus tuis fructum percipientes ſerio ſalutis noſtræ negotio vacamus. *Idem.*

Attentio, cum qua Dei verbum audiendum eſt.

Pudore ſuffundor, ubi lego, ſapientem Ethnicum neſcio quem pati non potuiſſe; ut aliquis ad philoſophum, vel oratorem audiendum accederet mente diſſipata, eumque otioſis auditoribus exprobraſſe, illos ad tempus videlicet traducendum illuc accedere inſcios, quanam in re illud inſumerent. Diverſorium otii eſt! Proh Deus! quid autem non dixiſſet, ſi illi perſuaſum fuiſſet, prædicationem ex maxime ſeriis, & neceſſariis evangelici miniſterii actionibus eſſe, & vidiſſet, catervatim omnium generum homines ad concionem audiendam confluere, eique adeſſe eo modo, quo in theatris comœdiæ intereſſe conſuevit? Quid non dixiſſet, ſi illos vidiſſet unice pendere a geſtu, verborum ordine, caſtigatis locutionibus, diſertiſque figuris, necnon opportuno in moralem diſciplinam excurſu, quin ne minimum quidem immorentur ſtatui conſcientiæ ſuæ, quin ab iis diſtractionibus, in quas ultro dilapſi ſunt, unquam ſe colligant, atque iis affici videantur veritatibus, quas audiverunt? Alii alios ultro citroque ad hanc actionem invitant tanquam ad ſpectacula; congregantur in templis tanquam in publicis plateis, inquit S. Chryſoſtomus. *Idem.*

Concionatores, qui eos ſalvos faciunt, quibus prædicant, illorum damnationi occaſio ſunt.

Quemadmodum littera occidit eos, quos ſpiritus non vivificat, jure inferri poteſt, cum adeo pauci Dei verbo vivificentur, concionatores, quin auditoribus ſuis aliquam vitæ ſcintillam communicent, eos magis, magiſque ad mortem impellere. Aſſueſcunt audire ſine ſenſu, & oſcitanter veritates maxime terribiles, & inde quodammodo impares fiunt, qui moveantur. Ita concionatores non ſolum non ſunt divinarum miſericordiarum inſtrumenta, ſed nil aliud ferme ſunt, quam divinæ juſtitiæ miniſtri. Hoc tamen non accidit concionatorum vitio, ſi ſumma officii fide munere ſuo perfunguntur; ſi nihil intentatum relinquant, ut cordium duritiem infringant, miniſterium ipſorum ſemper glorioſum eſt, & evangelicum: neque imputabit illis Deus mortem tot rebellium animarum, eoſque remunerabitur propter exiguum obedientium animarum numerum, quæ ex eorum dictis profecerint. Verum enim vero ſi miniſtri culpa miniſterium vi, ac virtute deſtituatur, ſi ille vitæ ſuæ flagitiis verbi effectum prohibuerit, niſi verba ſua illa obleverit unctione, quæ ex cordis ſui diſpoſitione emanare deberet, niſi precibus ſuis Dei benedictionem attraxerit ſuper veritates, quas annuntiat, ſi humanas immiſcuerit affectiones, ſi verba non cordis ſui effuſiones, ſed productiones mentis extiterint; dici poteſt ille ſe eo dimittere magis, quo majus eſt miniſterium ſuum, ſe ſe dedecorare magis, quo dignius honore munus ipſius eſt; ac ſe nocentem præbere magis, quo ſanctius, atque ſanctificantius eſt ejus officium. Si enim evangelicum miniſterium eſt adeo efficax, quodnam ſcelus eſt hanc prohibere efficaciam, & divinum ignem cordibus inflammandis deſtinatum extinguere? Si vitæ miniſterium eſt, quid eſt illud in mortis miniſterium convertere? Si animabus expiandis deſtinatum eſt, quid eſt illi vitia immiſcere ad eas corrumpendas? Si illius finis eſt animas ad veritatem, atque charitatem traducere, quid eſt eodem abuti ad vanitatis, affectuum, & ſæpe etiam errorum noſtrorum ideam illis imprimendam? *Eſſais de morale tome quinta.*

Dei verbum audiendum opere adimplendum eſt.

Quid eſt faciendarum rerum cognitio ab actionibus ſeparata, niſi eorum, a quibus non fiunt, condemnatio? Quæ vero eſſe poteſt utilitas veritatis, quæ nos damnat?.., Quamobrem S. Jacobus Apoſtolus nos admonendos eſſe arbitratus eſt, ut factores ſimus verbi Dei, & non auditores tantum: quælibet virtus cognita, & non exercita auditores tantum nos facit; illam nos poſſidere putamus, quia aliquo ejuſdem amore tenemur; ſed illam re ipſa nequaquam diligimus. Hæ virtutum, quas nunquam exercuimus, illecebræ nihil aliud ſunt, quam ſuperficiales impreſſiones, quæ, cum in actum redigendæ ſunt, evaneſcunt ... Hic idem Apoſtolus magis ad vivum nobis probaturus, quam inutile ſit Dei verbum audire, niſi adimpleatur, utitur ſimilitudine, quam enucleare operæ pretium eſt, Ait, illum, qui ſatis eſſe putat Dei verbum audire, quin exerceat illud, ſimilem eſſe viro ad breve temporis momentum faciem ſuam in ſpeculo conſideranti, qui inde ſtatim recedens obliviſcitur imaginis, quam illic deprehenderat. Dei verbum ſpeculum eſt: hoc unum poteſt noſmet ipſos nobis repræſentare quales ſumus; nos de vitiis noſtris admonet, eorumque cognoſcendorum locum præbet: verum ut cognitio hæc ſit diuturna, & non deleatur, ad praxim eſt redigenda, atque eadem cor affici debet; alioquin dilabitur, diſſipatur, neque melius cognoſcitur, quam ſi nunquam illi animum advertiſſemus ..... Non deſunt, qui in hoc ſpeculo alienos dumtaxat conſiderent nævos, quin videant ſuos. Hic Scripturæ locus, ajunt illi, optime iſtis quadrat, & illis. Concionator ibi non videt, niſi quomodo in ſermonibus ſuis uti poſſit. Vir doctus modum inveniet ſolertis, acutique hominis nomen ſibi comparandi. Ita veritates has ad eos transferentes uſus, qui ſunt extra nos, nunquam illas nobiſmet ipſis applicare conſueſcimus. *Ibidem.*

Deus divinum hoc verbum aufert illis, qui negligunt illud exercere.

Dei verbum neglexiſtis, Deus a vobis verbum hoc auferet; hoc ille populo ſuo per Prophetam minitatus eſt, Populi mei flocci faciunt, quod illis dico, oracula mea in ludibrium vertunt, ex monitis meis fructum nullum percipiunt, neque proficiunt ex veritatibus, quæ ipſis juſſu, & nomine meo nunciantur: non audient amplius vocem meam: *Mandabo nubibus meis, ne pluant.* Iſai. 5. Nubes meas claudam, præconibus meis ſilentium indicam, ac prohibebo, ne ſuper illos gratiarum mearum rores effundant: *Mandabo nubibus meis, ne pluant.* Irritatus Deus nihil hoc gravius populo ſuo poterat minitari; quid enim expectari poteſt ab agro ſicco, & arenti, in quem neque ros decidit, neque imber, niſi quod Solis ardoribus exuſtus nihil unquam ferat, atque in ſua ſterilitate permaneat? Hoc certiſſime accidet animæ, cui Dei verbum auferatur. Cum non loquentur amplius concionatores, neque amplius audientur, tellus erit in omni bonorum operum genere ſterilis &c. Poſset ne Deus ſeveriores ob verbum ſuum neglectum pœnas repoſcere? *Sermo manuſcriptus.*

De modico fructu, qui ex Dei verbo percipitur.

Divini verbi ſemen nunquam copioſius effuſum fuit, nunquam vel plures, vel eloquentiores fuere præcones, qui verbum hoc de ſuggeſtu annunciarent. Hoc in omnibus reſonat templis, neque deſunt unquam auditores, qui ad illud audiendum concurrant; & ſæpe catervatim confluunt, cum nominis celebritate miniſter evangelicus floret. Sed quonam cum fructu? Heu! Nunquid morales ideo minus ſuperbi ſunt, avari, voluptuoſi? Nunquid minor luxus, pauciores libidines, odia, ſimultates, diſſenſiones in civitatibus inter chriſtianum populum ſunt infrequentiores? Nunquid minus vitioſi, magiſve in pietatem proni ſunt homines? Nunquid minus aleis, profaniſque ſolatiis indulgent? Divinum quidem hoc ſemen nunquam uberius fuit, verum nunquam ſterilius fuiſſe jure poteſt affirmari. *Sermo manuſcriptus.*

Cum

Cum concionatoris eloquentia non aliud ſit, quam medium, quo Dei verbum facilius perſuadeatur, & quoddam veluti remedium contra humanæ mentis infirmitatem, quæ veritatem guſtare nequit, niſi eo ſapore conditam, qui guſtum ejus afficiat, excitet attentionem, & parumper curioſitatem cieat: auditor illi numquam acquieſcere debet, neque Dei verbum, tamquam verbum hominis conſiderare, ſed tanquam verbum Dei, quod in naturali etiam ſimplicitate ſua majorem vim habet, majeſtatem, jucunditatem, & pulchritudinem, quam magnifica quælibet, florenſque eloquentia. *Abbas de Sancto Martino in Quadrageſima.*

Nunc modicus ex verbo Dei fructus percipitur.

Dei verbum olim potentius non erat, quam hodie, quoniam eodem ſemper ſpiritu eſt animatum; immo neque adeo commune, & vulgatum erat propter perſecutiones: attamen quamvis hoc verbum non eſſet potentius, quamvis concionatorum numerus magis eſſet exiguus, & ad ſupplicia conquiſitus, illi tamen tanto cum fructu prædicarunt, ut gentes omnes converterint: hodie vero videns homines, quotidie hoc ipſum verbum audientes, qui illud plures integras audivere Quadrageſimas, & qui nihilominus ne ex una quidem concione fructum retulere. Hi concionatorum omnium vobis deſcribent imagines, ac ſingulorum characterem indigitabunt; immo etiam locorum magis nitentium reminiſcentur; ſed paucos invenietis, qui ea, quæ audiverint, ad vitæ ſuæ conformationem tranſtulerint. Verbum hoc in eorum mente, ac memoria ſubſtitit, ſed ad cor ipſum nequaquam deſcendit... Cui bono toties ſanctum audire verbum, ut coram Deo ſimus nocentiores? Etenim ex S. Petri Apoſtoli ſententia præſtaret, numquam hoc lumine illuſtratos fuiſſe, quam juſtitiam, legemque Dei cognoſcere, & eam non ſervare. Verbum, quod ſanctus hic Apoſtolus numquam protuliſſet, S. Auguſtinus inquit, niſi a JESU CHRISTO didiciſſet, cognitionem divinæ legis, ubi illam infringimus, peccatum noſtrum augere, ac non infidelibus ipſis efficere deteriores. *Idem.*

Sunt, qui non Dei verbum, ſed concionatoris eloquentiam inquirunt, qui non pietatis, ſed curioſitatis ſpiritu ad concionem audiendam concurrunt, ut detectos audiant terminos, nova acumina, elaboratum ſermonem, qui auribus, ac menti placeat, non autem verba, quæ cor moveant, quæ corrigant affectus, ac ad vitæ rationem immutandam impellant. S. Paulus ævi ſui fideles laudabat, eo quod receperant verbum quod illis prædicaverat non tanquam verbum hominum, ſed Dei; quid porro dixiſſet, ſi vidiſſet Dei verbum audiri, non tanquam Dei, ſed tanquam hominis verbum? Næ ille quidem ſeculi ſui calamitatem deploraſſet, ſicut nos noſtri; re enim vera hic inter maximos, & perniciosiſſimos recenſendus eſt abuſus, qui hodierna die in eccleſia inoleverint; hoc enim eſt irritam facere validiſſimam rationem fovendæ pietatis, atque peccatorum ad officium ſuum revocandorum.

Nolumus diſcere veritatem, quæ Dei verbo nunciatur.

Hominum plerique ſimiles ſunt Pilato ex Salvatore ſciſcitanti, quid eſt, veritas, & prope ſe eamdem habenti veritatem, neque eam intelligenti. Hoc illius malum fuit, hoc noſtrum quoque eſt. Veritatem, ob oculos habemus, neque videmus illam; catervatim ad Dei verbum audiendum confluimus, ſed ubi veritas nobis oſtenditur, quilibet caput demittit, illamque ad proxime adſtantem migrare ſinit. Eam reſpicimus tanquam fulgur, oculos claudentes, ac præ timore contremiſcentes. Cur illam non audimus? Quia nos minime palpat, quia defectus noſtros non diſſimulat, neque abſcondit, quia nos ſuis redargutionibus pudore ſuffundit, minas terret, propriis humiliat, & nonniſi de pœnitentia verba facit. *P. Nouet in meditationibus ſuis, introductione ad paſſionem.*

Concionator cum S. Hieronymo dicere poſſit, opus eſt; *Neminem ſpeciatim ſermo meus pulſavit, generaliter de vitiis diſputatum eſt.* Sermo meus neminem læſit, de vitio generatim dumtaxat ſermonem inſtitui; dicta nemini applicui, cuilibet ea ſibi applicandi locum reliqui. In id labor, & induſtria collocanda eſt, ut auditorem corrigas, & ædifices, non ut illum rubore ſuffundas. Concionatoris verba ad omnes ſpectare debent, non ſingulis vel præſentibus, vel abſentibus immorari; neminem deſignare debent, niſi ille communem inſtructionem, quæ ad omnes pertinere debet, in detractionis argumentum, & occaſionem velit convertere. *Auctor Anonymus.*

Quo pacto hominum plerique Dei verbum audiant.

Spiritus ſanctus nos admonet, quomodo homines Dei verbum audiant per hæc verba, quæ Prophetæ Ezechieli dixit: *Venite, & audiamus quis ſit ſermo egrediens a domino: veniunt ad te quaſi ſi ingrediatur populus.* Ezech. 33. Catervatim in templum ingrediuntur, quaſi ingrederentur, ſed illuc ſerio non ingrediuntur, locum capiunt in populi coronam, ſed o Prophetæ ne putes illos ibi eſſe; ſi illos blandis vocibus detinere vis, ibi ſunt ſpiritu, ſin vis convertere, non adſunt corde. Hæc verba perpendite: *Veniunt, quaſi ingrediantur:* hoc in templum ingrediuntur, at in ſpeciem dumtaxat adſtant concioni; ibi ſunt corpore, vel ad ſummum etiam ſpiritu: Sed corde ſunt in negotiis ſuis, in rerum ſuarum impedimentis, in ſuarum cupiditatum objectis. Quamobrem Prophetæ eidem loquens Dominus ſequitur: *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos:* audiunt illi quidem ea, quæ nomine meo dicis illis, ſed non ideo aliquid agunt; & hæc ratio eſt, Spiritus ſanctus concludit: *quia in canticum oris ſui vertunt illos, & avaritiam ſuam ſequitur cor eorum;* quia veritates æternas, ac religionis myſteria audiunt, quaſi canticum audierent; concioni adſtant, quaſi feriæ adſtarent comœdiæ, vel profanæ alicui declamationi; & quemadmodum, poſtquam tragœdiam aliquam ſcenicam repræſentari conſpexerunt, atque laudaverunt, & etiam fortaſſe lacrymulas aliquot commentitiis Heroum, de quibus fabula narrabatur, calamitatibus tribuerunt, abeunt cogitantes acta, tranſactaque omnia, quia illic adſtitere ſolum, ut oblectarentur: ita, poſtquam concionatoris verba audiverunt, illinc abeunt, quin aliquid ultra ſibi faciendum eſſe arbitrentur. *P. Texier in Adventu de impio infelice.*

Veritates, quas concionator populo annunciare debet.

Audite in Ezechiele Propheta, quomodo Deus ad concionatorem loquatur. Niſi audacter dixeris impio, quod ex ore meo didiciſti; quid autem? Numquid divinitatis inſignalia, atque altiſſima Theologiæ myſteria? Haud ita ſane; hæc a te docenda non ſunt, neque enim ex ore meo hæc didiciſti; ſed viam, quam populus ſequitur, viam eſſe, quæ illum ad æternam mortem adducit, & niſi illum urgere perrexeris, ut ſerio convertatur, pars tua erit infernus: *Si dicente me ad impium morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via ſua impia, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 3. Niſi hoc pacto prædicaveris, impius quidem morietur, & damnabitur, tu vero, concionator, muneris tui functus non eris. Scias futurum, ut ego tibi ſuccenſeam, & ex te rationem exquiram ſanguinis ejus, & ſalutis animæ illius. *Idem.*

Concionatores jure contra ſæculi vitia invehuntur.

Cur hæc audiunt de zelo concionatorum querelæ? Quomodo tacere poſſunt ea videntes ſcelera, quæ committuntur in mundo? O Deus! quid hoc eſt? Nonne omnia veteris religionis veſtigia fere deleta, & obliterata videmus: nonne corruptionem dumtaxat intuemur in familiis, intemperantiam in adoleſcentia, infidelitatem in mercatura, dolos, & ambages in foro, in popello vero libidinem, effrænemque licentiam? Impietas ipſa, atque morum licentia tanquam vis ſpiritus traducitur, perjuria, & blaſphemiæ tanquam ſermonis ornamenta; jugia aleæ furor honeſta occupatio; perſonata ſimonia, ac profanatio bonorum JESU CHRISTI legitima poſſeſſio: verbo, nequiſſima flagitia virtutis pallio teguntur, & poſt hæc cum Propheta quæri: *Quid clamas?* Ubique videmus Deum contemptum, & leſum

ſum a creaturis ſuis, Salvatoris ſanguinem conculcatum: videmus animas chriſtianas catervatim in perditionis viam feſtinare, ac ſe ſe in infernum præcipites date; poſt hæc mirum eſſe debet, ſi clamamus, ſi invehimur? *Quid clamas?* Zelum habere poſſumus, & tacere? *Idem*.

Contra audiotores, qui poſt nequeunt evangelicas veritates prædicari.

Loquor de illis, quos Apoſtolus ad Timotheum 1. c. 4. prædixerat futurum, ut ſanam ferre non poſſent doctrinam, neque morum diſciplinam evangelicæ innixam ſeveritati: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt*. De illis, qui volunt ſibi ſubtilia, & curioſa narrari, qui fabulas audire malunt eleganti ſermone exornatas, quam ipſas puras putas evangelicas veritates: *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertent*. Corruptionum horum auditorum intentio contraria eſt ideæ, quam de verbo Dei habemus, hæc Deo contumelioſa eſt, concionatori turpis, & auditori periculoſa.

Dei verbum ſervandum eſt, ac inde fructus percipiendus.

Divinum hoc verbum beatæ Virginis exemplo ſervandum eſt: *Maria conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*; quæ ita in hoc poſita eſt ut intrinſecus illud mediteris, ac temet eodem nutrias, non per inanes, ſterileſque ſpeculationes, ſed per ſenſus, & affectiones cordis. Cum meos tantummodo veritati vacat, quamprimum fatigatur; ſtatim mutare velut objectum, & prima objecta facile ſubſequentibus obliterantur. Sed cum impreſſio, quam veritas fecit in corde, animam applicat illi, hæc haud ægre eidem inhæret. Impreſſio hæc non ſinit, illam inde divelli; hæc eamdem centies ſine tædio, ac nauſea ſecum reputat, ſemper enim lætitia afficitur id cogitans, quod amat: *Conferens in corde ſuo*. . . Male recepit verbum, qui huic aditum quidem præbet in aures, & mentem, ſed excludit a corde, ſive illud abſolute excludat, ſive illi abſolute neget imperium ſinens ſibi dominari dæmonis verbum; hoc eſt, objecta, quæ ille proponit. Æquum profecto eſt, cum Deus incomparabili hoc nos honore dignetur in nos verbo ſuo ingredi volens, nos efficere, ut regnet in nobis, & verbo hoc nobis ſit lex, regula, & lumen. Hoc autem non accidit, ubi cor dominanti aliquo affectu occupatur, ac alteri cuipiam inhæret objecto, quod præfert Deo. *Eſſais de morale tom. 5.*

Quomodo verbum Dei male recipiatur.

Divinum hoc verbum male recipitur, cum poſtquam illud recepimus in corde noſtro creſcere ſinimus turbam curarum, atque ſpinarum, quæ impedimento ſunt, ne illud creſcet, atque fructum adferat, ſed illud paulatim exſiccant, & ſuffocant. Potiſſimum vero male recipitur, cum eodem abutimur, & quadam mercaturæ ſpecie prorſus terribili, illud ad propriam gloriam, atque utilitatem referimus .... Homo nequaquam nutritur, cum nutrimentum in ſtomacho immoratur, ſed tunc cum omnibus corporis partibus unitur, commiſcetur .... Dei verbum animam non nutrit, niſi illius motibus, actionibuſque omnibus conjungitur, earumque regula, & lumen eſt, quemadmodum actionum Davidis erat. Illud cum manſuetudine recipiendum eſt, S. Jacobus c. 1. inquit: *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum*; hoc eſt, ſine oppoſitione, ſine renitentia, & cum perfecta docilitate. Tunc enim nos alit; ſpiritualem vitam fovet, nobiſque vires confert, quibus noſmet regere; ac tueri valeamus. *Ibidem*.

De concionatoribus qui pravo ſunt exemplo.

Is genus homines Phariſæis, veteriſque legis doctoribus ſimiles ſunt. Si religionis veritates in mentibus eorum vigent, atque ſubſunt, non vigent pro illis, ſed pro aliquibus electis, qui eorum opera erudiendi ſunt, & qui eſſe debent Fidei, non vitæ illorum imitatores. Similes ſunt æquis baptiſmi, quæ animas ab earum ſordibus eluunt, corporum corruptionem contrahentes; veritatem harum ſequeſtres ſunt pro aliena quidem ſalute; propria vero reprobatione. Homines ſunt, qui eam retinent ſententiam, qua æternis adjudicandi erunt ſuppliciis, & tantum abeſt, quod hæ veritates illi auxilium, opemque afferant, eorumque converſionem faciliorem efficiant, ut propter abuſum earum, qui ab illis ſit, ejuſdem fiant impedimenta. Veritates, quæ alios maxime afficere poſſunt, in illis modicum virtutis habent & virium, & quodammodo æruginem induerunt: cor illorum per conſuetudinem ſenſum omnem amiſit, vel potius ipſi eas prædicantes ſuo ſe ore judicant, & damnant. *Idem*.

Concionatoris verbum mentem illuminare debet, & inflammare cor.

Concionatoris verbum non intellectum dumtaxat illuſtrare debet, ſed divini etiam amoris ignem in cordibus accedere, ad illa expianda juxta ea regii Pſaltis verba: *Eloquium domini inflammavit eum*. Pſalm. 104. Divinum hoc eloquium, idem addit Propheta, in corde peccatoris abſumit, quidquid ibi carnale, & corruptum eſt, ac illud divellit ab eo, quod illic terrenum eſt, ut unice adhæreat Deo: *Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſervus tuus dilexit illud*. Pſalm. 118. Qui Dei verbum annuntiat, Propheta Jeremias inquit, ſimul ac mentes erudit, ignem etiam in omnia corda effudit. Ideoque Spiritus ſanctus in Apoſtolus deſcendit ſub ignearum linguarum ſpecie, ut intelligerent, S. Bernardus ait, corda ab illis eſſe inflammanda. *Specimen ſermonum*.

Conſiderationis defectus cauſa eſt modici fructus, qui ex Dei verbo percipitur.

Hæc vera cauſa eſt modici fructus, quem divinum hoc reſerunt verbum. Gratia, quæ illud comitatur, ſemen eſt virtutis, & converſionis peccator illam recipit, ejuſque ſentit impreſſionem, verum eſt; ſed illi tempus non permittit radices jacendi, atque cordis poſſeſſionem adeundi. Ubi concio abſoluta eſt, jam vertatur officiis, jam ad peaſana colloquia reditur. Ubi ex exemplo pes fuerit elatus, jam ſe ſe quilibet ſocietatibus immiſcet, jam ultro citroque viſitationes recepit, ac reddit, ad conſueta ſolaria, vel negotia revertitur; affectus, ad concionis vi ſemiſopitus, fuerat, ad objecti ſui adſpectum expergiſcitur, Ita concio, & motus omnes? quos illa in anima pepererat, quin aliquem effectum adferant, evaneſcunt. Hæc potiſſima cauſa eſt; propter quam Dei verbum ſit inutile. Si peccator divinum hoc ſemel recipiens ſe ſe non objeciſſet tot obſtaculi, & impedimentis, ſeſe collegiſſet, ſi a mundo ſeceſſiſſet, facile illecebras, motuſque illius ſecutus ſuiſſet: ſerio vitæ ſuæ rationem ad examen vocaſſet; ac deplorabilem conſcientiæ ſuæ ſtatum excuſſiſſet; iniiſſet conſilia hominibus ſuis congrua; rationem excogitaſſet; qua eadem efficacia efficere poſſet, & hoc pacto gratias cordis illius dominationem obtinuiſſet, potuiſſetque ejus converſionem perſcere. *P. Gegon, libro de receſſu*.

Quem fructum Dei verbum ferre valeat.

Cum increatum verbum præcipua ſit cauſa eorum omnium, quæ in ordine naturæ facta ſunt, verbum prædicationis eſt cauſa inſtrumentalis eorum, quæ ſiunt in ordine gratiæ. Quot pravæ conſuetudines per illud delctæ ſunt; Quot uſus pernicioſi ſublati? Quot populis illud fidem inſpiravit? Quot corda extulit ad æterna bona nauſea, ac ſincero contemptu eorum quæ fluxa ſunt, & peritura? Si hodierna die eaſdem non operatur converſiones, non igitur dicendum eſt, vires illi deeſſe, ſed immo potius, uti opus eſt, non audiri. *Ex morali dictionario in conſiderationibus de verbo Dei*.

Ille eligendus eſt concionator, qui nos magis moveat.

Prædicationibus idem accidit, quod eſcis, quibus veſcimur. Cibus generalium bonus eſt, ſed hic uni erit utilis, qui alteri noxius; ſcumque Deus vobis guſtum conceſſerit, vobis etiam integram reliquit ciborum optionem: & ſimulac videtis aliqud alimenti genui in vobis neque colorem, neque ſuccum producere, ſtatim vobis ſalutare nequaquam eſſe intelligitis. Hoc ipſum de concionatoribus dicendum eſt; attendite, quinam vos magis moveat, atque hunc ex aliorum numero eligite. ... Si ſecundum Deum judicium ferre velletis, eos tantum eligeretis, quos ſaluti veſtræ utiles cognoſceretis; tandem enim velle opus eſt res pro iis finibus, pro quibus inſtitutæ fuerunt. Sed verbum Dei factum eſt, ut vos ſanctificaret; inſignis ergo eſſet imprudentiæ illud propter alium aliquem finem eligere. Si medicum eligerem, quia diſertus, & eloquens eſt, me omnes exſibilatent: ille mihi eligendus eſt, quem

ſcio-

ſcio præ reliquis melius meum noſſe temperamentum, & quem in arte conſultiſſimum cenſeo. Si igitur concionatorem invenio in me conſcientiæ ſtimulos excitantem, & de corde meo vitium auferentem, hic ille eſt, quem mihi Dominus miſit, hic meus eſt Ananias, licet Alioquin nullas habeat veneres, nullam vocis, aut geſtus elegantiam, huic hærebo, neque illum dimittam. Alius tamen mihi magis placeret. Si huic movendi virtus eſt; eſto, fac quod lubet, hunc elige; verum ſi alius majorem habet vim, ut te moveat, hic tibi eligendus; & qui ſecus fecerit, de ſanæ mentis uſu dejectus omnem ſalutis ſuæ curam abjeciſſe exiſtimandus eſt. *In ſermonibus, qui Patri Bourdaloue attribuuntur.*

Divini verbi ſterilitas ex ipſo non oritur, ſed ex vitio illud audientium.

Quæro, unde nam hæc oriri poſſit divini verbi ſterilitas? Nunquid ex ipſo Dei verbo? an ex concionatoribus illud prædicantibus? an denique ex illud audientibus? Omnino enim opus eſt, uni ex tribus hiſce cauſis hoc vitium referri. Dei ipſius verbum inſimulare eſſet injuſtitia; neque enim hodie minus potens eſt, quam fuerit olim tempore Apoſtolorum. Idem prædicamus evangelium, quo S. Petrus uno in ſermone tria auditorum millia convertit; & cum Spiritus ſanctus viſibili ſpecie dilapſus eſt ſuper eos, qui Dei verbum audiebant, quemadmodum narrat S. Lucas, illud profecto non aliud erat verbum ab eo, quod prædicamus. Quid igitur? Nunquid concionatores hujus mali ſunt cauſa? Scio equidem, S. Paulus ait, Dei veritatem in injuſtitia detineri poſſe: ſcio, ex S. Cryſoſtomi ſententia, in captivitate etiam poſſe teneri, cum e contra primis eccleſiæ ſæculis libera eſſet, cum ipſi concionatores in vincula detrudebantur. Scio, non deeſſe, qui pravo exemplo Dei verbum dedecorant: ſed tandem aliquando errorem hunc abjiciamus, Auditores: Divini verbi fructus concionatorum meritis, & ſanctitati non adhæret, hoc operatur per ſe, non ſecus ac legis gratiæ ſacramenta; immo ræ ſacramentis hac in re præſtat, quod, ut illa, a miniſtrorum intentione non pendet. Poſſunt quidem concionatores concinnando ſe ipſos prævertere, ſed ſemel prævertentes non ideo minus alios convertunt. *Idem.*

Theologicum principium eſt, cum Deus fidelibus exteriora præbet ſuæ ſalutis ſubſidia vel generatim, vel particulariter, illis ſimul interiores ſuppeditare gratias exterioribus hiſce adminiculis reſpondentes, quæ illos animent, & confirment, niſi earum effectus ab hominibus prohibeatur. Ex illis autem auxiliis, quæ Deus extrinſecus tradit hominibus, ut ſalutem ſuam operari, & pœnitentiam agere poſſint, eſt verbi ſui prædicatio; ſed eodem tempore, quo illis hoc exterius præbet adminiculum, intrinſecus etiam ſecretis afflatibus concionatoris voci reſpondentibus eos movet: ita ut ſi hic in auditorum auribus loquitur, illi in eorum mentibus, animiſque ejus imprimant dicta; & ut loquitur S. Auguſtinus, ſi qui extrinſecus vitia reprehendit, ſuum habet in templo ſuggeſtum, ille, qui cor movet, in cœlis habet ſuum: *Cathedram habet in cœlo, qui corda movet.* Ubi ergo concionem audis, duplicem tibi finge concionatorem tecum, licet diverſo modo, loquentem; alterum quidem viſibilem cujus vox tuas aures percellit, inviſibilem alterum, qui loquitur ad cor. Hinc ſequitur, prædicationis tempus acceptabilem eſſe occaſionem ad Dei gratias, & auxilia promerenda; ille enim præſto eſt, ut hæc illis concedat, qui communibus utuntur adminiculis, quæ ipſius adhibet providentia, ut hominum converſionem, & ſalutem operetur: prætereaquamquod reverentia, & obſequium, quod fidelis Dei adhibet verbo, meretur, quod Deus hoc in ipſo potens, & efficax reddat. *Idem.*

Cum aſſiduitate, & fructu Dei verbũ audire nota eſt prædeſtinationis.

Dei verbum audire, atque inde fructum percipere ſignum eſt, & character prædeſtinationis, quemadmodum docent Theologi his Salvatoris verbis innixi: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Joan. 8. Ratio eſt, quia noſtra gratiæ cooperatio proculdubio tutiſſima, & unica via eſt, qua ipſi, quantum in nobis eſt, ad prædeſtinationem pervenire valeamus. Homo autem nunquam magis ad cooperandum gratiæ, ac ſe ſe dignum, qui illam recipiat, præbendum excitatur, quam cum Dei verbum audit: Deus enim interiorem vocem ſuam cum exteriori concionatoris voce conjungit, quæ illum urget, ac ſollicitat, ut ſe ſe dedat, & ex duabus hiſce vocibus, ut ita dicam, totale ſit, abſolutumque ſuæ converſionis adminiculum. Sed e contra inde etiam inferendum eſt, probationis eſſe notam non audire Dei verbum, vel illud oſcitanter, & ſine reverentia audire, hoc enim pacto noſmet indignos præbemus iis gratiis, quas in hujuſmodi occaſionibus tribuit Deus, neque utimur medio omnium vulgatiſſimo, quod ad hominum ſalutem Deus ipſe conſtituit. Contra hujuſmodi negligentes chriſtianos adhibenda ſunt evangelii verba: *Vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Deus nobis loqui vult, ut vel minis nos terreat, vel promiſſis alliciat; ſi vocem illius audire non vultis, neque metus inerit vobis judiciorum ejus, nec voluntas legibus illius ſatisfaciendo: quomodo igitur hoc in ſtatu ſalutem veſtram operabimini? & quæ ratio vobis perſuadere poterit, vos in prædeſtinatorum albo recenſeri? *Idem.*

Unde divini verbi vis, & virtus oriatur.

Cum Dei verbum ita ſit efficax, ut in Bibliis modo ſagittæ acutæ, modo gladio ancipiti, modo igni ardenti, ac brevi comburenti comparetur: quærunt Theologi, undenam hæc vis, & virtus oriatur: atque triplici ex cauſa oriri reſpondent; 1. ex actualibus gratiis, quæ illam comitantur, & ex Spiritu ſancti auxilio, quoniam eodem tempore, quo exterior concionatoris vox aurem corporis pulſat, non deeſt altera interior vox cordis, & hæc illa eſt, quæ ipſas Libani cedros poteſt confringere. 2. Vis hæc, & efficacia procedit ex ipſa verbi hujus natura, quod validas continet rationes, quæ fortiſſima etiam perrumpere poteſt vincula, quibus terrenis bonis adhæremus, necnon ſæviſſima corda flectere. Enim vero nobis ob oculos ponit maxime terribiles veritates, quæ in nobis impreſſionem efficere poſſunt, & promiſſiones, quæ cor noſtrum poſſunt allicere, atque palpare: judicium, infernum, paradiſum &c. 3. Ex Dei conſilio, qui evangelii ſui prædicationem inſtituit, ut homines ad ſuam pertraheret ſervitutem, & qui illam tanquam aptum huic fini inſtrumentum propoſuit. *Idem.*

Divini verbi fructus, & utilitas.

S. Paulus in epiſtola ad Timotheum quatuor præcipue diſtinguit divini verbi utilitates, ac totidem bona, quæ inde recipimus, cum ait, ſcripturam omnem, quæ a Deo inſpirata fuit, & quæ debet annunciari, utilem eſſe. 1. *ad docendum*; 2. *ad arguendum, & corrigendum* vitia; 3. ad erudiendum in *Juſtitia*, hoc eſt ad animam ad pietatem, juſtitiamque formandam, utilem demum ad hominem perficiendum, atque ad omnibus bonorum operum generibus diſponendum: *Ut ſit homo Dei perfectus, & ad omne opus bonum inſtructus. Idem.*

Qui in hominibus per verbum ſuum Deus operetur.

Ut nos ſalvos faceret, verbum æternum caro factum eſt; ſed per verbum tempora e ſalutem noſtram operatum eſt: *Verba mea*, inquit ille Act. 13. *Spiritus, & vita ſunt.* Ita & S. Paulus Dei verbum, *Verbum ſalutis* appellat. Venit Jeſus Chriſtus, ut mediatoris munere fungeretur, noſque Patri reconciliaret; ſed nos per verbum ſuum reconciliat; ideoque S. Paulus idem illud verbum vocat reconciliationis. Sine fide ſalvi eſſe non poſſumus; ſed per verbum Dei fides oritur in cordibus noſtris. Gratia neceſſarium eſt ad ſalutem inſtrumentum, ſed ſecundum communem providentiæ rationem Deus huic verbo gratiam juſtificationis adnectit. Verbum interius, quod gratia eſt, ut plurimum exterius verbum concomitatur. Niſi Magdalena JESU CHRISTI verbum audiviſſet, in ſcelere ſuo conſenuiſſe. Deus Auguſtini converſionem Ambroſii prædicationi alligaverat; veſtra alligatane huic ſermoni, quem negligitis? *P. Nepveu tomo 4. chriſtianarum conſiderationum.*

Ex Dei verbo fructus percipiendus eſt.

Non ſatis eſt Dei verbum bene audire, ex eo proficere opus eſt: divinum hoc ſemen ipſe Dei filius effundit in cordibus noſtris, ut centuplum ferat. Væ laxis viis, hoc eſt, diſſipatis animabus, in quibus ſemen non germinat. Væ aridis agris humorem non habentibus, hoc eſt mobilibus cordibus, quæ dies eadem videt bona abjicere conſilia, quæ Dei verbum in illis formaverat! Væ agris ſentibus, ſpiniſque repletis, quæ ſemen patris familias ſuffocant, hoc eſt cordibus nimia terræ hujus bonis adhæreſcentibus, vel ſexcentis ineptiis impeditis, propter quas ſalutis negotium negligunt. Verbum hoc vos judicabit, niſi fructum inde perceperitis. *Idem*.

Licet aliquando ſeſe variis auditorum guſtibus aptare.

Hos actes, violentoſque motus, vehementeſque invectivas contra mundi flagitia auctoritas evangelici miniſterii concionatoribus non permittit; hæc magnifica ſchemata, nitidique ſermones, qui paſſim hominum admirationem conciliant, converſiones non operantur. In hominum ingeniis diverſa ſunt lumina, aditus diverſi, diverſique guſtus, quod in illis infinitam judiciorum diverſitatem producit; quamobrem infinita rationum varietate ducti vel alliciuntur, vel rejiciuntur. Utrum in hoc plus ſit imaginationis, quam rationis, nihil intereſt; rationis, & charitatis eſt ſe ſe hominem ingeniis accommodare, & aliquid tribuere huic imbecillitati, cui nulla eſſe poteſt medicina. *Eſſais de morale tomo 5.*

Apoſtoli, poſtquam Spiritum ſanctum receperunt, in publicum prodiere; hi non erant homines, qui ſuos tantum conceptus enunciarent; ſed Deus ipſe has veritates annunciabat per miniſtros, eorumque verba manifeſtis potentiæ ſuæ comitabatur indiciis. Cœleſtes erant homines terrenarum rerum omnium affectionibus expediti, quorum vita æque ſancta erat, ac doctrina. Non deſunt plurimi, qui illa ipſa prædicent, quæ illi, ſed longe diſpari eventu, quoniam prædicationem horum Dei ſpiritus non comitatur. Horum concionatorum mores, & affectus cognoſcuntur, & mundus de illis nihil niſi humanum loquitur, & quod redoleat cupiditatem: nihil, quod terram non ſapiat, & quod carnem, & ſanguinem non præſeferat: patet, quid velint, & cupiant, & rumor hic, qui illos præcedit, nequaquam homines ad vitam prorſus immutandam diſponit. *Ibidem*.

De linguis igneis, quæ per Apoſtolos apparuerunt.

Aliud quoque fuit viſibile ſignum Spiritus ſancti in Apoſtolos deſcendentis, igneæ videlicet linguæ, quæ ſuper eorum ſingulos quieverunt, qui erant congregati, & quæ illos interno repleverunt ardore, qui in cor, linguam, & verba illorum ſe effudit. Corda iſta flagrantia nonniſi inflammata habebant verba, aptiſſima ad ignem in aliis cordibus accendendum, quæ a Deo intrinſecus præparabantur, ut illum reciperent. Ad ignem quippe accendendum duo paſſim requiruntur, materia ad ignem concipiendum apta, & ignis, qui illam accendat. Deus quidem præparat corda, ſed vulgo utitur inflammato concionatorum verbo, ut palam illis applicet ignem. Hæc communis eſt via converſionis animarum, & hinc liquet etiam, cur nunc temporis adeo infrequentes converſiones videantur; quia videlicet paucæ ſunt igneæ linguæ inflammandis cordibus aptæ: pleræque enim frigidæ ſunt, quæ hominibus nonniſi eloquentiæ prorſus humanæ inania ornamenta præſentant ſine calore, & ſine vi: lumina ſunt ſine ardore: neque enim credendum eſt, eos concionatores, qui magis violenti ſunt, & qui præ reliquis magis agitantur, hos eſſe ad corda inflammanda magis accommodatos. *Ibidem*.

Fidelium, aliqui Dei verbū faſtidiunt.

Conciones, quæ habentur ad explananda, & elucidanda religionis noſtræ myſteria non placent: eaſque faſtidiunt homines, ubi ſimplicem tantum evangelii audiunt enarrationem. Nonne videtur etiam Chriſtiani aures offendere, qui de myſterio ea die recurrente loqui velit? Inde ignava hæc miniſtrorum indulgentia populorum guſtui ſe ſe accommodantium; inde fulgida illa ornamenta, quæ evangelium deformant potius, quam explicent, & miſera invectiones hiſce diebus videmus, quo magis auditorem tædet audire ſermonem incomptum, ac ſimplicem, eo magis miniſtrum ſibimet exprobrare ignorantiam, quod non ſatis eleganter concionem fuerit elucubratus, ut laudes, plauſuſque mereretur. Sed ignava hæc indulgentia turpi cum confuſione debet ſuffundere; nam cum dicendum eſſet, qualis miniſter, talis eſt populus, nunc dicitur, qualis populus, talis miniſter. *Sermo manuſcriptus de magnalibus Jeſu*.

Concionator aduri debet, ut moveat auditores.

Accidit crebro, ut donec auditoris mens voluptate uſque ad admirationem profunditur, cor illius exareſcat: unde hoc? Quia concionator ad cor non loquitur; loquitur ſolum rationi, totuſque eſt in explanandis, explicandis, atque in varios ſenſus offerendis, atque ex omni facie oſtendendis iiſdem argumentis. Hæc quidem bona ſunt omnia, ſed cordis nulla habetur ratio; & mirum eſt, ſi non moveatur? . . . . . Sermo expreſſio eſt ſenſuum æque, ac cogitationum; cogitationibus ſermone explicitis ex oratoris mente in mentem auditoris migrantibus, ſenſus, qui in concionatoris corde inveniuntur, ſimiliter in cor audientium non tranſibunt? concionator totam poteſtatem ſuam ignorat, immo potiſſimam illius partem ignorat, cum putat ſe docere tantum poſſe; imprimere poteſt in corde ſenſus, quos vult; hoc poteſt, ſaltem id conari debet . . . . Non verborum tantum ornatus, quam affectuum vis magnam, ſublimemque eloquentiam diſtinguit: hæc proprio veluti impetu fertur, & uti S. Auguſtinus inquit, ſi in rapido ejus curſu ornatus aliquos invenit, hos ſecum trahit potius vi rerum illarum, quas dicit, quam cura ſe ſe iiſdem ornandi. Verba ſua non curioſæ, & exquiſitæ debet electioni, ſed ardori, atque igni, quo rapitur. *Liber, cui titulus: Bonus eloquentiæ chriſtianæ guſtus*:

Diſerti, eruditique concionatores quæruntur, & qui chriſtianas veritates prædicat, relinquuntur.

Inter Chriſtianos videmus, ſi diſertus aliquis, eruditusque concionator inveniatur, qui vividos habeat conceptus, magnificos loquendi modos, ſublimes ſententias, qui, quod dicit, eleganti verborum efferat circuitu, & qui eloquentiæ ſuæ illecebris animos allicit, omnes hunc ſequi, & illi plaudere. Verum ſi vir Apoſtolicus magnas religionis noſtræ veritates prædicet, ſi de inferno, ejuſque ſuppliciis loquatur, deque diſtricto judicio, quo ad trutinam tota vitæ noſtræ ratio erit vocanda, diſceptet; ſi vitia corripiat, ſi contra magnatum impietatem invehatur, ſi contra judicium corruptionem, contra eos, qui opprimunt pauperes, contra divitum ſuperbiam, atque mollitiem declamet; ſi mulierum luxum, atque immodeſtiam damnet, ſi ſpectacula, ludos, ac periculoſas ſocietates improbet; ſi æternam minitetur damnationem illis, qui tepidam, mollem, inutilemque vitam traducunt, qui ſibi licere volunt fanda, infandaque omnia; ſi inveniatur, inquam, concionator, qui magna vi, & zelo contra ſæculi flagitia, & mundi inſtituta prædicet, contemnitur, derelinquitur, non auditur. Hic priſci temporis, ajunt, concionator eſt; homo violentus, ac furens; rebus in omnibus vim facit veritati, eamdem plus æquo amplificans. *P. Craſſet tomo primo de fide victrici*.

Dei verbum communis eſt ratio, qua ad ſalvandos homines utitur Deus.

Divinum hoc verbum ratio eſt, qua vulgo ad ſalvandos homines Deus utitur. Si huic aditum in corda noſtra intercludimus, periculum eſt, ne per aliam partem non ingrediatur. Dico etiam a fide abhorrere, quod qui Dei verbum audire detrectat, vel qui illud, uti decet, non audit, hac via ſe ipſum non ſalvans alia quapiam ſalvari poſſit. Evangelicus dives in terras redire petit fratres ad pœnitentiam cruciatuum ſuorum exemplo cohortaturus. Quam potens eſt ſalutis occaſio videre hominem damnatum de inferni ſuppliciis agentem! Veruntamen rationem hanc adhiberi Deus vetat: *Habent Moyſem, & Prophetas, audiant illos*. Luc. 16. Ita illos ad verbum ſuum remittit; ſed addit, ſi illi voces has non audiverint, manifeſto eſſe indicio eos, licet mortuos reſurgere, vel da-

damna-

Digitized by Google

mortuos ab inferno reverti viderent, his miraculis non credituros. Ita, Chriſtiani, Dei verbum audire debemus, ut illud hac mente audire, ut inde fructum percipiamus: hoc medium eſt, quod Deus ad prædeſtinationem, ſalutemque noſtram inſtituit. *Biroat in ſermonibus, quos ſeorſim edidit pro aliquibus anni dominicis.*

Quid concionatores hodie modicum referant fructum.

Quid duodecim egeni piſcatores facere non potuerunt? Mundum omnem converterunt, cum interim tantus concionatorum, doctorum, & eloquentium numerus in tot terræ locis adeo exiguum ſermonibus ſuis afferant fructum; & ratio ſane eſt, quia plures quidem concionatores nimis humanis confidunt ſubſidiis, auditores vero nimis naturales eorum qualitates ſuſpiciunt. Si de concionatores ſermo eſt, ejus ſermonis puritas, ſtyli elegantia, ſenſuum majeſtas laudatur; hæc habentur in pretio, pauci conſiderant, utrum Dei ſpiritu loquantur, utrum concionatores bene imbuti ſint J. C. præceptis, & utrum eidem adhæreant, ſæcularibus quidem curis expediti, divinarum vero virtutum ejus amore ſuccenſi. In ſermonibus, qui audiuntur, homo tantum perpenditur; ſancta illius doctrina non recipitur tanquam a Deo profecta, vel ab hominibus Dei ſpiritu impulſis, uti illam Theſſalonicenſes Chriſtiani receperant, quibus ſcribit Apoſtolus: Inceſſanter gratias agimus Deo, quod cum audieritis Dei verbum, quod prædicavimus vobis, nequaquam recepiſtis illud tamquam verbum hominum, ſed tamquam verbum Dei, quale re ipſa eſt. Hoc homines non meditantur, neque ſervant in cordibus ſuis. *Bourdon in libro, cui titulus*, Le Chretien inconnu.

Dei verbum nullam in divitum cordibus efficit impreſſionem.

Divitum corda ſimilia ſunt ſtratis viis, lapidoſis locis, agris ſpinarum turba impeditis, ubi divini verbi ſemen nullum poteſt fructum afferre: etenim in via, quæ indeſinenter prætereuntium pedibus teritur, viatores ſemen, quod jacitur, calcant; hoc inter lapides radicem figere nequit; atque brevi inter ſpinas ſuffocatur. Si quando accidit, hominem mundi opibus, & negotiis impeditum audire verbum Dei, hoc ſemper ſine fructu accidit. Cum in mente illius infinitæ abeant, redeantque, non ſecus ac per ſtratam viam, cogitationes; illæ, quæ pertinent ad Deum, quibus nunquam advertit animum, ſtatim delentur. Hæ locum non inveniunt in corde, quod jam adeo repletum eſt, ideoque patent avibus cœli, hoc eſt dæmonibus, qui ex anima noſtra auferunt omne bonum, quod ſerio meditari, & ſedulo exercere detrectamus. *De Sancta Martha tomo ſecundo tractatuum aſceticorum, tractatu de eleemoſyna eroganda obligatione.*

Quænam qualitas conſideranda ſit in concionatoribus Dei verbum nunciantibus.

Concionator quid aliud eſt, quam vox de cœlo demiſſa, quam apoſtolicæ miſſionis ordo reſonare facit in templis, atque in ipſas populorum aures infert ad converſionem illorum? Id illi ſunt omnes, qui in miniſterio adeo auguſto exercentur; & auditores nonniſi hoc ſpiritu illis intacti deberent, qui in aliis majorem elegantiam, in aliis eloquentiam, in his eruditionem, in illis ſimplicitatem requirerent. Heu! quid ad te, dummodo evangelium tibi nuncietur? Nunquid prædicamus, atque audimur, ut totus laborum noſtrorum fructus, vel in laudes inanes, vel in improbas abeat cenſuras? Ratio vobis reddenda erit Deo concionum omnium, quas auditis, quemadmodum nobis de illis, quas habemus; atque utrique totis artubus contremiſcere debemus ſub pondere verbi Dei, quod ſine fructu pronunciatur, & auditur. Infirma oraculorum æternorum, quæ nobis concredita ſunt, inſtrumenta eorum ſanctitatem ſemper imminuimus, dum ea per os noſtrum traducuntur: cum grave nobis incumbat onus vos vitæ noſtræ exemplo ædificandi, dum verbis docemus, in ſingulas horas tanti miſterii pondus ſentimus; cum ſciamus, mediocria etiam ingenia ſecum ferre neceſſitatem aliquando tandem terribilem in judicio Dei rationem reddendi, majorem noſmet humiliandi, quam nobiſmet ob Dei dona plaudendi nanciſcimur occaſionem, jugiter metuentes, ne ſimus ex calamitoſorum opificum numero, qui mercedem ſuam, ut JESUS CHRISTUS inquit, in hoc modo recipiant. *Abbas du Jarry, ſermone de annunciatione.*

Divini verbi elogium, ejuſque effectus.

O Domine! Divinum verbum tuum te incipit in animabus formare. Verbo creationis noſtræ opus perfeciſti; & verbo eodem noſtræ redemptionis opus abſolviſti. Hoc illud verbum eſt, quod pretioſum continet ſemen, & germen divinæ generationis noſtræ, ad quam deſtinati ſumus. Fac igitur, Domine, ut ſanctum hoc verbum in nobis terras præparatas inveniens ferat fructus, quos optas. Imaginem tuam incœpiſti nos creans, illam reparaſti, cum nos redimens peccatum deleſti: perfice opus tuum nos ſanctificans, nobiſque gratiam largire illud tecum, ac per te adimplendi .... Extremam adhibe curam, manumque admove his incarnati verbi imaginibus, quas ipſe in limo delineat. *Idem.*

De concionatoribus, qui Dei verbum corrumpunt.

Equidem ſcio, ubi Dei verbum alia mente nunciatur, quam ſalutis animarum, & gloriæ Dei, hoc vitium eſſe concionatorum, in quos animadvertet Deus propter ſui verbi abuſum, quibus eas dirigit minas, quas ſuo intentat Propheta, & ex quibus rationem exiget ſanguinis, & ſalutis auditorum, qui converſi non fuerint, eo quod hoc verbum illis male fuerit nuntiatum: *Sanguinem eorum de manibus tuis requiram.* Ezech. 3. Verum Deus ſæpe utitur prædicatorum peccatis, ut peccata puniat auditorum. Vos abuſi eſtis verbo meo, cum a fidelibus miniſtris meis nunciaretur, patiar hoc poni in ore infidelium prædicatorum, & tanquam mortuum, languidumque ad aures veſtras pervenire. Audiſtis verbum meum tanquam verbum hominis ex curioſitate, vel alia qualibet ex cauſa, quam ut ad ſalutem veſtram inde fructum perciperetis: cum ad Dei verbum audiendum acceſſeritis, hominis tantum verbum audietis. Enim vero quemadmodum bona auditorum diſpoſitio gratias ipſi etiam concionatori promeretur, ut digne munere ſuo perfungatur, & annunciet evangelium, ut loquitur Origenes, quod pro ipſo non eſt, ſed pro audientibus illum; ita reor, Deum pravas populorum diſpoſitiones pravis concionatoribus punire. *Biroat ex volumine, quod aliquot pro anni dominicis ſermones continet.*

Sibi metere debet concionator niſi exemplo magis, quam verbo prædicaverit.

Qui præpoſiti ſunt, ut alios illuminent, illi etiam periclitantur in multis deficere, donec aliis rectam oſtendunt viam. Chriſtianus orator moribus potius, quam rationibus probare debet. Vanitas, inaneſque plauſus timendi illi quidem ſunt, ſed majus periculum, a quo ſibi cavere debent, illud eſt, de quo loquitur JESUS CHRISTUS in evangelio: loqui tanquam Apoſtolum, & vivere tanquam imperfectum Chriſtianum. Non ignorantia, neque propriorum officiorum oblivio illum excuſare poſſunt, qui adeo ſalutaria monita ſuggerit aliis. Quodnam propriæ illius ſaluti magis manifeſtum imminet periculum, quam eloquenter dicere, quod faciendum eſt, & nihil facere eorum, quæ ab ipſo dicuntur? *Ex ore tuo te judice, ſerve nequam.* Luc. decimo nono. Cuinam magis metuenda eſt gravis hæc exprobratio, quam illi, qui præclara tradit ſpiritus documenta; qui tanto zelo contra morum nequitiam invehitur, qui tanta cum unctione de virtute loquitur, & qui imperfectiſſimam vitam ducit? Mirum eſt, hominem, qui tanta vi, atque eloquentia loquitur, in animum ſibi inducere poſſe, ut aliter loquatur ab eo modo, quo vivit; ut aliter vivat ab eo modo, quo loquitur. *P. Croiſet tomo 2. conſiderationum ſuarum.*

Auditorum guſtus circa ſermones varius eſt.

Fatendum eſt, difficultatem bene adimplendi hoc prædicationis munus minorum non eſſe ejuſdem dignitate. Sacri miniſtri, quos ad hoc miniſterium obeundum vocat providentia, fere nunquam omnem fidelium expectationem replent, vel raro variis eorum deſideriis reſpondent. Alii enim ea etiam, quæ magis ſacra ſunt, ornamenta peroſi ſer-

Digitized by Google

mones in diſſertationes, & exercheſes immutare vellent, & cum Apoſtolo omnes fere concionatores inſimulant ſpiritualis hujus adulterii, quod committunt, ubi corrumpitur puritas hujus verbi, quod purius eſſe debet argento ſepties per ignem probato. Alii ea illecti curioſitate, quæ efficit, ut ſæpe paucis fructus amittant, vellent omnia floribus inſpergi, & exornari; ita ut fere impoſſibile ſit aliorum ruſticæ auſteritati ſimul, ac profanæ aliorum voluptati ſatisfacere. Væ nobis, ſi hunc ſuggeſtum conſcendimus hac mente hominibus placendi inani verborum pompa, vel doctorum hominum exiſtimationem promerendi periculoſa oſtentatione ſcientiarum. Verum quoniam jubet Apoſtolus omnes admitti, ut proximo placeamus illud ædificanti: *Unuſquiſque placeat proximo ſuo ad ædificationem*, Ad Roman. 15. omnes conatus debemus exercere, ut utrumque hunc ſcopulum ex æquo metuendum evitemus. *Abbas du Jarry, Panegyrico Sancti Dominici.*

Deus punit ſui verbi contemptum. Heu! cavete, Fideles, ne Deus ſevere puniat ſui verbi contemptum. Ingrata hæc vinea nullos fert fructus, Dominus inquit; omnis cura, quam adhibui, ut illam fœcundam efficerem, in irritum abiit; nubibus imperabo, ne ſuper illam pluant. Non deerunt vobis unquam concionatores, nunquam enim deerunt eccleſiæ: ſed concionatores erunt unctione carentes, quia eſtis auditores ſine contritione. Nubes erunt aridæ, de quibus loquitur Sanctus Judas Apoſtolus, quæ, quin in animas veſtras ſalutarem rorem effundant, vobis radios veritatis dumtaxat abſcondent. Verbum meum, dicit Prophetæ ſuo Deus, decidit in opprobrium, quia contempſerunt illud; verum ut ulciſcar, in ore tuo dabo verbum iſtud tanquam ignem devorantem, & populos, qui audient illud, tanquam arida ligna, quæ eodem abſumentur. Scio, Deum ex concionatoribus diſtrictam expetiturum rationem tot ſermonum, quos de cathedra veritatis pronunciant; ſed auditores etiam rationem reddituri ſunt eorum omnium, quos audiverunt: & Dei verbum, quod Zachariæ 7. vocatur onus, *Onus verbi Domini*, opprimet Chriſtianos illud ſine fructu audientes, non ſecus ac miniſtros ſine qualitatibus neceſſariis illud pronunciantes. *Idem.*

Potentia, & virtus verbi Dei. Quidquid unquam Deus fecit, per verbum ſuum facere voluit: & verbum hoc adeo celerem habet fecunditatem, ut ſtatim ac pronunciatum fuit, omnia ſint facta: *Ipſe dixit, & facta ſunt.* Pſalm. 32. Hinc Tertullianus Dei verbum *vocem imperialem* appellat, imperioſam vocem, cui omnia parent. Neque ſolum verbum hoc potens eſt in ſe ipſe, ſed cum Deus illud in ore hominum ponat, ipſum ſuam efficaciam, & virtutem conſervat, & celerem quoque habet activitatem, ac ſimili celeritate, quidquid cupit, producit. Sacerdos enim, qui Dei miniſter eſt hæc proferens verba: *Ego te baptizo &c.* nonne ſimul vitam Chriſtiano tribuit; nonne novam illi tribuit eſſentiam, & ex hominis filio Dei filium facit? Quomodo autem patet, poſtquam filio vitam tribuit, eumdem alere tenetur, Dei verbum hoc ipſum operatur &c. *P. Maſſon Presbyter Oratorii Sermone 2. Adventus.*

Quælibet planta ſuum fert ſemen, ut ſimiles ſibi plantas producat, & ſemina hæc, ubi in terram jacta ſunt, ſenſim transformantur in plantas, ita illi, unde prodiere, ſimiles, ut vix poſſint dignoſci. Dei verbum dicitur ſemen, & ſemen Dei; quia genitum in corde Dei, de Dei ore egrediens, & in hominum cor decidens illis per participationem communicat eamdem immortalitatem, eamdemque felicitatem divinæ illius plantæ, a qua productum fuit juxta ſcitum illud Sapientia dictum aſſerentis, quod ſcire juſtitiam idem eſt, ac immortalitatis radicem poſſidere: *Scire juſtitiam radix eſt immortalitatis.* Sap. 15. Dicamus aliquid amplius: divinum hoc ſemen, quod Pater æternus per filium ſuum, filius per Apoſtolos. Apoſtoli per ſucceſſores ſuos. Apoſtolorumque ſucceſſores ad hanc quoque diem per omnes ſerunt concionatores, qui miſſionem receperunt, ſtatim ac in cor hominum ingreſſum eſt per attentionem ab illis adhibitam, ſi ibi fert fructum, neceſſario faciat opus eſt filios Dei, & ut melius loquar, Deos ipſos, non per naturam, ſed per adoptionem. Hoc dilectus Diſcipulus in ipſo evangelii ſui exordio nobis confirmat dicens, JESUM CHRISTUM dediſſe poteſtatem filios Dei fieri illis omnibus, qui crediderint verbo, quod nomine ſuo pronunciabitur. *Auctor ſermonum Chriſtianorum.*

Divini verbi miniſtri audiendi ſunt tanquam ipſe J. C. Ac ne quis verbum Dei prolatum ab eccleſiæ miniſtris, tanquam verbum hominum, ſed ſicut vere eſt, verbum Chriſti acciperet, iſte ipſe Salvator noſter tantam auctoritatem eorum magiſterio tribuendam eſſe ſtatuit, ut diceret: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit:* quod quidem non de iis tantum, quibuſcum ſermo habebatur, intelligi voluit, verum de omnibus etiam, qui legitima ſucceſſione docendi munus obirent, quibus ſe omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi adfuturum eſſe pollicitus eſt. *Ex præfatione Catechiſmi Concilii Tridentini.*

Quanti a nobis faciendum ſit Dei verbum. Vobis autem, qui divinum hoc audire verbum negligitis, & qui illud fortaſſe contemnitis, dicere guſſem, quod olim Samaritanæ mulieri Dei filius: *Si ſcires donum Dei.* Satiſne cogitaſtis, quam vobis gratiam contulit Deus, audiendi verbum illius vobis tribuens occaſionem? *Si ſcires.* Si intelligeres, quam pretioſum ſit hoc donum, & quam inæſtimabile hoc beneficium, numquid, ut facis, illud contemneres? Heu! quot vaſtæ regiones ſunt, ubi veritates, quas tibi miniſtrorum ſuorum opera tradit, ignorantur? Quot mortalium in idololatrarum terris myriades nunquam de myſteriis noſtris verbum ſibi fieri audiverunt? Quænam res Deum impellere potuit, ut tibi adeo liberaliter id largiretur, quod aliis negavit? Cur illos in fatali cæcitate, in qua ſunt, relinquit, dum oculis tuis totum lumen ſuum vult elucere? *Si ſcires donum Dei.* Si agnoſceres pretium, & magnitudinem ejus boni, quod tibi offert, ſi bene intelligeres, divinum hoc verbum fortaſſe ſalutis tuæ eſſe principium, primam amicitiæ tuæ perquiſitionem, quam exigit Deus, ſignum prædilectionis, qua te ab æterno proſecutus eſt, & fortaſſe extremum miſericordiæ ejuſdem effectum, numquid hoc ſalutis verbum, beneficium adeo ſingulare, & occaſionem adeo acceptabilem negligeres? *Sermo manuſcriptus.*

Quid dici poteſt ad mentem perſuadendam, movendumque cor, quod divinum hoc verbum in anima illud audientium non exprimat? Sed quænam in hominibus ſperari correctio poteſt, ſi Dei verbum in corde eorum non operetur amplius, & ſi in flagitiis ſuis uſque perſeverent? Num latet, cordis converſionem gratiam eſſe ſecundum ordinem providentiæ prædicationis verbo tantum inhærentem, ideoque expectandum non eſſe ab illis, qui hac via non convertuntur, niſi finalem impœnitentiam, æternamque ipſorum calamitatem? *De la Volpilliere.*

De inſignibus Divini verbi effectibus. Vocis hujus rumor in remotiſſimis etiam regionibus exauditus eſt, feros, barbaroſque domuit populos, agreſtes immutavit mores, & horrentem ſolitudinem in florentem eccleſiam convertit. Primis chriſtianæ religionis temporibus viſi ſunt homines, poſt auditum Dei verbum, delicias contemnere, inter cruciatus feſtinare, atque tyrannorum, carnificumque ſævitiam in admirationem convertere; & quotidie videmus adhuc plures divini hujus verbi virtute adactos difficillima quæque conari. *Idem.*

Dei verbum nunquam melius, quam hodierna die fuit annunciatum: non coloquiuntur amplius theoreticæ veritates, atque ingenioſa acumina, quæ inani labore mentes dumtaxat detinebant, nullumque in cordibus gignebant effectum. Modo utilitas quæritur; morum diſciplina tractatur; facilis, ac

popu-

popularis eloquentia laudatur, pietas pro viribus animabus inſeritur, humanarum actionum in ſtatibus omnibus hipotypoſis proponitur, ut quilibet tamquam in ſpeculo ſuam conſpiciens imaginem illic ſua intueatur vitia, eorumque remedia perquirat .... Undenam ergo hoc ipſum verbum in tot præſtantium oratorum ore, atque tanto etiam zelo prædicatum minorem, quam unquam, efficit impreſſionem? Inde profecto, quod ea non adhibetur, quæ adhibenda eſſet, intentio, & quod, quin animus iis applicetur, quæ prædicantur, aliis quibuſcumque rebus diſtinetur. Hic opus ſuum cogitat, alius litem ſuam. Univerſa terra, inquit Propheta, deſolata eſt, quia mortales ſexcentis impediti curis eas nequeunt aſſequi veritates, quæ ipſis nunciantur: attamen illas meditari opus eſt, atque omni diligentia, cujus mens noſtra capax eſt, perſcrutari, ut illinc fructum percipere valeamus. Verum quomodonam avarus, qui diteſcere tantummodo ſtudet; ambitioſus, quin in id unum incumbit, ut vel cum proximi ſui detrimento creſcat; ultionis cupidus, qui vindictæ ſpiritum fovet; voluptuoſus, qui ſuis tantum voluptatibus vacat; mundanus, qui in amatoriis nugis, ornatibus, recentibuſque veſtium ritibus totus eſt; quomodonam, inquam, iſti ſeſe colligere, poſſunt, ut Dei verbum audiant, ut illud ſerio conſiderent, ut inde fructum percipiant? *Idem*.

Aliquando reddenda nobis erit ratio verbi Dei, quod audivimus, quin inde proficeremus.

Veniet dies, qua juſto Dei ſupplicio ſuggeſtus hic, de quo verbum Dei vobis annunciatum fuit, in tribunal convertetur, ut damnemini. Auditores omnes, cum quibus illud audiviſtis, totidem erunt teſtes contra vos producti, & illi ipſi, qui illud vobis prædicarunt vero ſalutis veſtræ deſiderio, ſemel adhuc loqui cogentur nunciaturi, nullam vobis ultra ſalutis ſpem ſupereſſe ... Illud vero maximum eſt doloris noſtri incrementum, quod, quin illis prodeſſe valeamus animabus, pro quibus laboramus, eiſdem nocere debebimus: contra illas loquemur, & eadem voce, qua modo loquimur pro earum ſalute, tunc damnationis earum ſententiam proferemus. *Idem*.

Diſtracto, & diſſipato ſpiritu Dei verbum auditur.

Ad concionem audiendam diſſipatus, diſtractuſque ſpiritus affertur; ſpiritus ſexcentis impeditus curis, quæ gratiæ aditum intercludunt, & quæ attentionem Dei verbo debitam prorſus auferunt. E contra ſpiritus afferendus eſt vacuus, liber, ab omni importuna cogitatione expeditus, ab omni incompoſito affectu immunis, nullique obnoxius præoccupationi contra veritatem, de qua ſermo eſt audiendus .... Verum quid cogitatur, cum divinum hoc verbum auditur? *Ubi ſum, ſi ibi non ſum*, vetus quidam ajebat. Mens non adeſt concioni; ſolatio adeſt, operi, negotio, ambitioni, voluptuario carnali, libidini; hæc vos diſtinent; illis potius adeſtis, quam ſermoni. Nam quamvis & corpore ſimul, & ſpiritu conſtetis, præſentia veſtra non eſt, ubi præſens eſt corpus veſtrum; ſed illic propriè, ubi ſpiritus veſter. *Idem*.

SUPPLIMENTUM.

Concionatores ſunt interpretes Dei ipſius.

FRatres, vobis loquitur Deus per os Concionatorum. Ipſi vobis Dei verbum annunciant, & ex quo legitimam habent ab eccleſia miſſionem, illi non amplius tamquam homines audendi ſunt, ſed vobis fiunt organa, & interpretes Dei ipſius, ejuſque Spiritus Sancti. Hoc mundi Salvator Apoſtolis ſui, dicebat inquiens Matth. 10. *Non eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Ad id mittebantur Apoſtoli, eamdemque ob cauſam vos electi fuiſtis: Dei, inquam, imperio, & eccleſiæ nos, Auditores lectiſſimi, cathedram veritatis aſcendimus, ut vos erudiamus. *P. Bourdoloue in Dominicis*.

Admirabiles effectus verbi Dei.

Ex omnibus ſalutis, & ſanctificationis noſtræ adminiculis potentiſſimum, vel ſaltem inter ea, quæ potiſſimum præſtant, procuIdubio recenſendum eſt Dei verbum. Hoc totum mundum convertit; videlicet convertit regna, & imperia, eduxit populos idolatras de caligine infidelitatis eorum; illos emergere juſſit de teterrima vitiorum abyſſo; illos ad heroicarum virtutum praxim evexit; in Chriſtiana religione peperit ordines celeberrimos pœnitentium, anachoretarum, cenobitarum. Quid autem, ſi vobis tot alios memorarem admirabiles effectus, quorum illud principium fuit? Obſtupeſceretis, atque tot præclara intuiti miracula cum Sapiente cap. 18. exclamaretis; *Omnipotens Sermo tuus*! Domine, quid eſt adeo difficile in ordine gratiæ æque ac naturæ, quod verbi tui non cedat omnipotentiæ, & ab hoc non ſuperetur? *Idem*.

Vulgo creditur, omnia jam eſſe acta, tranſactaque, ubi nos Dei tetigit ſermo, verumtamen dicere poſſumus adhuc plurima ſupereſſe efficiendu. Omnia facta ſunt ex parte Dei vocantis, & gratiam ſuam offerentis, ſed nihil a vobis actum eſt. Veſtrum eſt ſequi Paſtorem, qui vobis vocem ſuam audiendam præbuit; veſtrum eſt in lucem ponere talentum, a Domino veſtro creditum. Sermone igitur audito vobis curæ ſit colligere hanc igneam ſcintillam, quæ cecidit in animam veſtram: favore hanc meditatione, hanc alite pia aſcetici alicujus libri lectione, quin ſtatim abeatis ad ſpiritum veſtrum in mundi negotiis diſſipandum. *Par. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Si ex Dei verbo non proficimus, culpa noſtra eſt.

Numquam Dei verbum frequentius in Chriſtianiſmo fuit annuntiatum, quam his temporibus, ſed æque verum eſt optimum hoc ſemen in agro eccleſiæ ſatum numquam ſterilius fuiſſe, & Chriſtianos numquam minorem fructum percepiſſe. Undenam tanta hæc inutilitas verbi Dei profecta eſt, & cuinam cauſæ acceptam referendam putamus? Num ipſi verbo Dei? Num concionatoribus illud prædicantibus? Num Chriſtianis audientibus? Velle ipſum Dei verbum inſimulare eſſet injuſtum; neque enim minus potens eſt hodie, quam Apoſtolicis fuerit temporibus, cum unicus S. Petri ſermo tria auditorum millia convertit. Numquid Præcones Evangelici mali hujus ſunt cauſa? Eſſe poſſunt, ut teſtatur Apoſtolus, qui illud captivum detineant, alii, qui illud non ſine pacta mercede venditent, & qui ut ita dicam negotiantur, ad neſcioquam oratoriam laudem captandam. Mores fortaſſe aliquorum diſciplinæ, quam prædicant, adverſantur; facta fortaſſe dictis eorum repugnant. Eſto, verum tamen eſt Deum nequaquam adnectere concionatorum meritis, & ſanctitatis vim verbi ſui. Hoc propria virtute operatur, etiam independenter ab intentione miniſtri. Illi quidem illud profanant, ſemetipſos prævertunt, ſed ſemet prævertentes alios tamen ſanctificant. Modo terra bene præparata, & exculta fuerit, ſeminantis peritia parum prodeſt fertilitati. Si igitur Dei verbum in nobis modicum proficit, ſi in iiſdem malis inſepulti jacemus, nobis metipſis inaſcendum eſt; hoc oritur ex prava terræ natura, non autem ex illam excolentis inſcitia. Sed ex hac ſterilitate, quid nobis inferendum eſt? Divinum hoc verbum pertinaciſſimis, & corruptiſſimis Ethnicis prædicatum fuit, & converſi ſunt. Prædicatur adhuc quotidie populis, qui maxime rudes, & barbari habentur, & convertuntur. Prædicantur nobis, eædem fidei veritates nobis prædicantur, num apud nos accidit frequens numerus converſionum? Cum menti perſuaſum eſt, cor ſtatim reformatur, & morum mutatio ſemper eſt neceſſarius effectus hujus reformationis. Dicendum eſt igitur ſpiritum noſtrum eſſe parum docilem; dicendum eſt nihil eorum, quæ prædicantur, a nobis credi, quandoquidem adeo parum noſmet corrigimus. Si vero non credimus; numquid fideles ſumus? *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Ero, cum veniſſem ad vos, dicebat S. Paulus 2. ad Corinthios 2. *veni non in ſublimitate ſermonis*. Quod ſcandalum! Quæ contradictio! Si Miniſtri Evangelici meditatis, oleumque redolentibus ſermonibus plauſum quærerent eo tempore,

quo

quo prædicant humilitatem, & Dei pauperis, & humiliati exinanitionem. Tunc divinum verbum, quod fulminis inſtar terrorem inijcere, & percutere debet, inutiliter tantum eluceſceret inſtar fulguris, & auditores tranquillos detineret. Hoc illud eſt, quod Apoſtolus idem 2. Cor. 2. appellat adulterare verbum Dei. Indiget ne Dei verbum fuco, & lenociniis, ut perſuadeat? Virtus illius pendet ne a noſtra eloquentia? Duodecim pauperes piſcatores ignari, idiotæ, rudes erantne ſatis diſerti, & dicendi arte expoliti? Quanam in ſchola didicerant flores, & figuras rhetoricas? Concionatores iſti cum admirabili ſimplicitate prædicaverunt incomprenſibiles noſtræ religionis veritates, hanc duram, aſperamque morum diſciplinam, eaſque prædicarunt apud Græcos, qui ſapientiam prorſus humanam & ſcientiam ſolis rationis luminibus innixam admirabantur; nec non prædicaverunt illas Romanis ſuperbis, ac populis omnibus maxime barbaris. Græci iſti, Romani, & barbari rationem ſuam, affectamque ſapientiam, omniaque lumina ſua fidei veritatibus ſubmiſerunt. Mundus univerſus converſus eſt. Primus S. Petri ſermo in ipſa Jeruſalem ultra quatuor mortalium millia convertit. Numquid elegantiæ locutionum, oratorum præſtigiis, ſententiarum acumini, fucatæ Evangelicorum Præconum eloquentiæ admirabiles iſti triumphi accepti ſunt referendi? An hæc ars mare humana obtundit aciem magnarum harum veritatum, earumque robur imminuit? Concionatorum nubes, quorum vocibus omnes reſonant ſuggeſtus, in decem annos ſingulos peccatores convertit? Attamen eædem prædicantur. Undenam ergo tanta ejuſdem ſeminis ſterilitas? Quia apparatus, qui plerumque adhibetur, omnem illi adimunt virtutem. Non eſt amplius divinum verbum concio, ſed eſt verbum prorſus humanum. Num mirum eſſe debet, ſi adeo exiguus inde fructus referatur. Beatus, qui omnia neſcit præter JESUM CHRISTUM, & hunc crucifixum. Mundani, homines immortificati, ſenſibus deſervientes, voluptatibus dediti hanc habent ſcientiam? Heu! ſolus Filii Dei adſpectus in cruce nobis detegit veritates. Ibi amoris prodigium, terribile juſtitiæ exemplum, prototypum pœnitentiæ ad perſuadendum aptiſſimum intueor. Cætera obliviſcamur, ut altius in cordibus noſtris adeo neceſſaria documenta inſculpamus. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Dei verbum non eſſe debet nobis in nullo diſcrimine neque inutile.

Verbum Dei plerique nullo habent in diſcrimine, vel inutile putant. Sunt qui credunt illo inaudito ſe poſſe converti, & non deſunt, qui audiant illud, quin convertantur. Quid utriſque dicetur? Prioribus dicemus nullam ipſis eſſe rationem, quæ legitime poſſit illos diſpenſare ab audiendo verbum Dei, hoc numquam illi eſſe poſſe in nullo diſcrimine, licet etiam nullum inde fructum perciperent. Poſterioribus vero dicemus, graviſſimum pro illis eſſe damnum, ſi illud audientes ſine diſpoſitionibus neceſſariis nullum referunt fructum, divinum hoc verbum numquam eſſe inutile, quandoquidem neutrum eſſe non poteſt. *Abbas Boileau in delectis ſententiis.*

Unum inter præcipua religionis exercitia eſt verbum divinum audire. Suggeſtus locus eſt, ubi veritas quodammodo in cordibus noſtris incarnatur, ſicuti altare aſt Calvarium, ubi veritas eadem ad noſtram ſalutem immolatur. Hic locus eſt, quo illa confugit, & ubi integram recipit vocis ſuæ libertatem. Ibi magna cum majeſtate loquitur vitiis ſummis æque ac imis, dominis æque ac ſervis, doctis æque ac ignaris, nobilibus æque ac plebeis, divitibus æque ac pauperibus, Principibus æque ac ſubditis. Ibi triumphat Evangelium, huc accedunt Reges, & mundi Principes audituri Magiſtrum ſuum, & collecturi Sapientiæ Oracula, quibus indigent ad ſemet erudiendos, & regendos populos, ſub cujus poteſtate ſunt. Si de pœnitentia ſermo eſt, hoc ad illos pertinet; ſi de humilitate, hoc ad illos pertinet; ſi de interiori hujus mundi amore, hoc ad illos pertinet, licet ſint domini. Illuc omnes proficiſci tenentur ad audiendum, quid Deus omnibus aſſignet hominibus, & ſuggeſtus locus eſt, quem elegit, ut meliorem ibi operis ſui partem abſolveret, quæ eſt eorum inſtructio, & cognitio veritatis. Per prædicationem convertit univerſum. Crederetis ne non communes miſericordiæ ſuæ actus totidem eſſe privilegia, quæ vobis reſervavit? E re cenſuit non alio uti adminiculo, quam verbo ſuo ad nationes convertendas. Vin' illi rrogare legem, & eum cogere ad operanda prodigia, ut te tangat? Numquid expectas, ut recedat mare, ut olim, pro uno te? In tenebris jaces; offertur tibi lumen, quo tibi monſtretur via; viſne igneam columnam olim populo Judæorum conceſſam? Non ſufficit tibi panis Filiis Dei communis, expectas ne, ut de cœlo pluat manna, quo tuo guſtui fiat ſatis? *Idem.*

Sanctum, inquiunt, eſſe decet, qui prædicare velit. Multine hujus characteris inveniuntur? Prætextus non ſolum a ratione abhorrens, verum etiam irriſorius ad excuſandam ſuam in audiendo verbo Dei negligentiam. Concionator Sanctus eſſe debet; hoc ad illum pertinet, non autem vos excuſat. Vult Deus fortaſſe, ut converſionem veſtram debeatis homini indigno, qui ſuam obtineat, ut agnoſcatis, cui illam debetis, & nihil in partem accedere poſſe gloriæ cum gratia. Hæc lampas eſt, quæ vobis oſtendit viam, quam ſequi debetis, quantumvis hanc vobis oſtendens ipſa abſumatur. Quia Architecti, qui Noeticam ædificarunt arcam, in illam ingreſſi non ſunt, ſed ipſis quoque fluctibus abſorpti perierunt, voluiſſetis ne eorum exemplum ſequi, & fugere diluvium in navi ab illis extructa, & quæ iiſdem non profuit? Stella eſt cadens, ut Scripturæ verbis utar; lumini illius debeo, ejuſque lapſum admiror. Vox quidem vox Jacob eſt, manus autem ſunt Eſau: Equidem ſcio, non eſſe illius per os ſuum Domini teſtamentum aſſumere, qui de illius conqueritur audacia, ſi hoc facit, ſemper tamen hoc eſt teſtamentum ſuum. Deus gratiam ſuam tribuit cuicumque ille operæ pretium cenſuerit. Ambigitur, utrum Salomon egerit pœnitentiam: quot ſunt, quibus ſcripta illius pœnitentiam ſuaſerint? Dubitatur, utrum Origenes fuerit hæreticus? nonne obſtitit, ne multi fierent tales? Non liquet, an Tertullianus obierit Catholicus. Volumina illius nonne in cauſa fuerunt, ut eruditi complures in eccleſiæ ſinu permanſerint, vel in illam fuerint ingreſſi? Sexcenta alia prætermittuntur exempla. At enim homo eſt, qui factis ſuis non concors eſt cum verbis ſuis: verum eſto, ſit ille tantum nequam, quantum tibi placuerit. Reciperes ne Baptiſmum de manu illius, niſi recepiſſes illum, & ſi illum non recipiens in urgentis periculo ſitus eſſes? Igitur ex ſententia tua, non debet Heros in naufragio ſuo manum dare nautæ? Non decet illum rependi debere vitam, quam periculo liberavit? Rudis argumentatio, error bipalmaris, ut ita dicam, velle potius perire, quam quidpiam debere homini, qui infra nos poſitum arbitramur. Eſt Abrahæ nos de Ethnica religione erudire, tamen ipſe quoque fuit Ethnicus. Eſt Davidis nos contra divinæ legis violatores erudire, ipſe tamen illam perfregit. Eſt Petri in illos declamare, qui JESU CRISTO abrenuntiant; Ille tamen hunc negavit. Paulus nonne fuit perſecutor? Auguſtinus nonne fuit Manichæus? Inde ne ſequitur eorum documenta a nobis eſſe rejicienda? *Abbas Boileau.*

Quamvis prædicatores nequiter viventes, divinum verbum ab illis Pulpito cum ſeveritate debe-remus.

Inquiet fortaſſe aliquis, ſe ſatis eſſe Evangelicis imbutum veritatibus, ſe eas ſcire, quæ ſatis ſunt, ſe non indigere ſermonibus. Non agitur ſemper, ut erudiatur Chriſtianus, qui omnia penitus ignoraverit; hoc agitur, ut quiſque ſerio animum advertat ad ea, quæ non ignorat. Nathan fit primus Concionator Davidis. Rex hic melius norat peccatum a ſe commiſſum, quam Prophetam: tamen nihilo ſecius eguit, ut Nathan induſtri parabola

bola ei diceret: tu ille vir es, quem punire vis. Sciebat Herodes inceſtum legibus omnibus vetitum eſſe, tamen Joannes Baptiſta dicit illi: Quod facis, tibi non licet. Cognoſcebant Phariſæi nequitiam, hypocriſim, & cordium ſuorum corruptionem; nihilominus Dei filius, ut melius illis aperiret iniquitatem ipſorum, dixit: Væ vobis ſepulchra dealbata &c. *Idem*.

Quomodo S. Paulus auditus fuerit ab aliquibus terræ Principibus.

Quid eſt Prædicatio? Eſt miniſterium JESU CHRISTI loquentis cum hominibus; ipſe eſt JESUS CHRISTUS illos monens, illis ſuas voluntate ſignificans, illis minas intentans illos conſolans, illis viam rectam indigitans, illos erudiens. Concionatores vero illius ſunt organa, ſed ſæpe ſeſe cum illis gerit, ſicuti olim cum Sancto Paulo. Hic quater apud terræ principes locutus eſt. Primum in Areopagitarum Senatu, iterum coram inſigni magiſtratu, tertio coram præſtantiſſimo Prætore Provinciæ, quarto demum coram Rege Agrippa. In Areopago cum voluptate exceptus fuit; cupiebant Athenienſes aliquid novi ſemper audire: ſed ex quo de extremo judicio, & mortuorum reſurrectione mentionem attigit, irridentes conclamarunt, quid ſibi vult narrator hic fabularum? Eum Feſtus audiit, ſed animo cenſorio. Vix dixit Paulus tempus futurum, quo univerſus terrarum orbis faciem mutabit, cum Præſes ille inſipientem hunc judicavit: *Inſanis, Paule, multa te littera ad inſaniam convertunt*. Act. 26. Felix audiit illum cum oblectatione, immo etiam commotus fuit; idea divinæ majeſtatis illum perterruit, ſed ſtatim ſurrexit, ac dicentem interpellavit: *vade, tempore autem opportuno accerſam te*. Rex tandem Agrippa illum non irriſit, non cenſoria nota perſtrinxit, non interpellavit; totum illius ſermonem audivit, eodem commotus fuit; verum ſatis ei fuit triſtem hanc eidem gloriam tribuere: *In modico ſuades me Chriſtianum fieri*. *Idem ibi*.

Eſdras ſanctum librum manu tenens medius inter Sacerdotes, & Levitas vix os aperuit Legem interpretaturus, cujus ſermonem fere obliti fuerant, cum populus in terram procidit Deum adorans, eique benedicens. *Incurvati ſunt, & adoraverunt Deum proni in terram*. 2. Eſd. 8. Omnium corda pietas tanta pervaſerat, omnium oculi manabant lacrymis, & qui ſeptuaginta ante eam diem annos non niſi præ mœrore ac dolore plorare conſueverant, tunc primum didicerunt, quid eſſet flere præ lætitia: *Flebat omnis populus*. Nullus inter illos rumor niſi ſuſpiria; talis tamen tantuſque erat, ut publicam attentionem turbaret, & Levitæ in omnem cætum effuſi tenerentur ſilentium indicere, & gemitus lacrymaſque inhibere. *Levitæ ſilentium faciebant dicentes. Tacete nolite flere*. Quodnam erat objectum attentionis adeo vividæ, & religioſæ? Eſdras Dei Interpres, quem tamquam Deum ipſum audiebant. Libri Moyſis, quos tamquam ipſum Dei verbum reverebantur. Moyſes autem nequaquam mortuus erat, ut verbo ſuo accederet auctoritas. Hoc non ſubjecerat idololatras populos religionis jugo. Nos autem audientes lectiſſimi habemus Evangelium ſignatum ſanguine Dei victoris gentium infidelium, & barbarorum. Hæ nobis effectu, quod in illis obtinuit, nobis oſtenderunt, quem effectum in nobis obtinere debeat, cum nobis coram ſacris altaribus prædicatur. Attamen ubi ſunt lacrymæ, quas fundimus, contritio, quæ cor noſtrum pervadit, fructus ipſe, quem referimus. *P. de la Rue in Quadrag.*

Deus quovis tempore ſuſcitavit concionatores veré Evangelicos.

Sæculi omnibus ſuſcitavit Dominus homines ſuo repletos Spiritu, qui ab Evangelicis ſermonibus proſcribentes oſtentationem ſcientiæ ſterilis; & inanis unice vacant reformandis moribus, & qui admirabili ſtudio explicuerunt omnia vitia ſecreta, in cordibus humanis latentia, quæ amor proprius tot aperit integumentis, ut illos agnoſcentes erubeſcant, eoſque impugnare teneantur. Sed hi clam gemebant, eum videbant, Auditores ſuos plaudere manibus, cum pectus ſuum tundere debebant in templis, quæ prorſus prophanis acclamationibus reſonabant, dum ſingultibus pœnitentiæ tinnire debuerant. Amor proprius, qui non aliud quærit, quam ſemet occupari, oblectatus eſt ſeipſum agnoſcere, & conſiderare in fidelibus ſpeculis præſtigiorum ſuorum, & imaginis ſuæ pulchritudinem admirari. Sed illum numquam puduit vitiorum. Cavete, Fideles, ne Deus diſtricte puniat ſui verbi contemptum. *Abbas du Jarry*.

De utilitate verbi Dei.

Non poſſet Deus religionem in puritate ſua ſartam, tectamque tueri, quin omnem prædicationis virtutem ſervaret; duo enim inconcuſſa fundamenta, per quæ religio ſubſiſtit, ſunt veritates, quas nobis revelavit, & leges, quas nobis præſcripſit. Quemadmodum autem impoſſibile eſt, ut Dei providentia deſerat eccleſiam, quin illis tribuat homines ſuo illuſtratos ſpiritu ad illam purgandam ab erroribus, quorum ignorantia, & humani ſpiritus ſuperbia puritatem doctrinæ illius adulterare poſſunt, ita hæc eadem providentia non minus tenetur eccleſiæ ſuppeditare homines plenos zelo legis, ut ſe opponant morum corruptioni, ut vitia ſæculi impugnent, ut omnes reforment abuſus; qui committuntur contra diſciplinæ regulam, ut inter tot veritatis præjudicia legiſque inobſervantias, ſemper certiſſimum habeant Canonem eorum, quæ ſunt a nobis credenda, & facienda, ut ſi minus hanc regulam omnes ſequuntur, poſſit tamen ſemper agnoſci, & ut religio vera, quæ in eo ſita eſt, ut ad unguem credamus, quod Deus revelavit, & diligenter obſervemus, quod juſſit, nulla in ſe labem patiatur. *Abbas du Jarry*.

Verbum, quod olim Apoſtoli Barbaris, ac Ethnicis prædicarunt, illud idem eſt, quod ex Concionatorum labiis auditur, quod invenit Idolorum cultores, & illos in cultores Dei veri convertit, quod peccatores perſtringit, eoſque contritos efficit, quod, ut verbo me expediam, atheos, & nefarios homines in prædeſtinatos, & Dei Filios immutat. Quemadmodum vero verbum divinum eſt lumen eſſentiale, producens amorem æternum; hoc Dei verbum in ſecretiori ſpiritus parte patit illuſtrationes, accendit flammas, & ciet validas ſacraſque emotiones in pectoribus noſtris, quibus hæc excitantur ad amorem divinum, ex quo filiatio adoptiva procedit. Sicuti miſericordiarum Pater proferens verbum ſuum genuit filium ſuum, quod eſt verbum; ita hoc verbum caro factum per verbi ſui prædicationem genuit filios Dei per adoptionem. Præterea quemadmodum per verbum divinum omnia facta ſunt, quod quidem eſt eſſentiale verbum Patris Æterni, ſicuti natura univerſa conſtituta fuit in jure ſuo, & inſignibus ornata prærogativis per verbum carnem factum, ita hoc ſenſibile verbum, quod a nobis Dei verbum vocatur, cum ſit viva imago verbi æterni, potentiſſimum eſt medium, quo uti vult ſuprema Sapientia, ut nos ſtatuat in ſtatu prorſus divino, qui eſt gratia Ipſius. *P. Antonius de S. Martino in libro, qui inſcribitur*, *Les Conduites de la Grace*.

Tria admirabilia dedit Deus per J. C. hominibus Spiritum, corpus & verbum ſuum.

Tria nos rapere debent in altiſſimam admirationem cogitationum, & conſiliorum divinæ erga nos bonitatis. Primum eſt, quod per JESUM CHRISTUM tradidit nobis ſpiritum ſuum, a quo corda noſtra diriguntur: *Per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Alterum eſt, quod Salvator ipſe nobis dedit corpus ſuum, quo animæ noſtræ nutriantur. *Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum*. Tertium eſt proprium Dei verbum, quod cum increatum ſit in ſinu Patris, & incarnatum in Humanitate, quam aſſumpſit in ſinu Virginis, cumque nobis eſſe voluerit ſimul Sacramentum, & ſacrificium in ara, voluit etiam ſe ipſum quotidie ſtatuere in ore Concionatorum, deferri ſe auribus noſtris, aditum invenire in corda noſtra, ibi poſiturus verba vitæ, germen adoptionis, ſemen Dei ad filios Dei producendos. *Idem*.

Sicut eccleſia in ortu ſuo fuit pauper ad extremum, & nihiloſecius in ſumma hac paupertate

coli.

Google

coli debuit, quod permiſit Deus, ne illius inſtitutio humano conſilio, opibuſque referretur accepta. Ita temporis decurſu locupletata non minus in altero hoc ſtatu colenda eſt, quam in priore, quandoquidem alioquin omni careret auctoritate, ac vi. Hoc ipſum accidit prædicandi ſcientiæ. Initio enim Concionatores rudes erant homines, ſed miraculorum donum habentes, quod illis conceſſit Deus, ut oſtenderet eccleſiam non eſſe conſtitutam effectu humanæ ſapientiæ, ſed ſola virtute Dominicæ crucis, ut S. Paulus inquit: *Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ut non evacuetur crux Chriſti*. Sed in eccleſiæ progreſſu opus fuit doctoribus; vel diſertis oratoribus, quorum ſcientia miraculorum locum obtineret. Et ſicuti miraculis erat opus ad perſuadendam, & ad celebrandam Dei Dei crucifixi potentiam, in eorum infirmitate, quos elegerat ad jacienda eccleſiæ fundamenta; verbum, & eloquentia ſucceſſit, ut erudiret, & perſuaderet; & hujus diſcriminis ratio inter eccleſiam, & eccleſiam, quæ initium duxit per ignorantiam, & incrementum obtinuit per doctrinam, eſt, quod religio Chriſtiana ſuperat rationem, & in eccleſiæ progreſſu non agitur de judicio de eadem ferendo, ſed de illa exercenda, & per perſuaſionem inſerenda. Requirimus ergo in Concionatoribus eloquentiam, & ſcientiam, quæ valeat mentes noſtras lucrari, eaſque Dei verbo dociles reddere. *P. Ant. de S. Mart. a Porta.*

Prodigium quod Dei verbum quotidie operatur, & ejus efficacia.

Quemadmodum, ex S. Auguſtino, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, ita hoc ipſum verbum accedit ad impura corda, & homines pudicos efficit; accedit ad corda impia, & homines Sanctos facit. Hos invenit in peccato, eoſque convertit ad Deum. Quemadmodum in Sacramentorum omnium auguſtiſſimo, verba hæc: *Hoc eſt corpus meum*, efficiunt panis in corpus, & vini in Sanguinem Filii Dei tranſubſtantiationem, quia non Sacerdotis, ſed JESU CHRISTI verba ſunt, per Sacerdotem tamen prolata: ita Concionatores faciunt morales tranſubſtantiationes, ſed admirabiles, & antiquos peccatores in novos Dei ſervos convertunt. Quæ miracula verbum hoc non operatur! Cadit in cor David adulteri, & Regem efficit pœnitentem. Cadit in cor Magdalenæ, ibique idolum inveniens peccati in pœnitentiæ exemplar convertit. Cadit in Matthæum, & ex publicano facit Evangeliſtam. Vides in Templum ingredi animam mundum, & vanitatem adſpirantem; ſed templum ingreſſa, attentam aurem præſtat verbo Dei, ac ſtatim penetratur cœleſti lumine, quod efficit, ut agnoſcat ſtatum miſerum, in quo eſt. In hac agnitione videt turpitudinem ſuam: turpitudo gignit læſi numinis dolorem, dolor vero parit vitæ mutandæ conſilium. Quæ autem cauſa eſt hujus miraculi, niſi Dei Verbum? *Idem.*

Vis, & energia verbi Dei tanta eſt, ut jure omnipotens valeat nuncupari. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia*. In ipſo nihilo invenit aures, quæ paratæ ſunt ad illud audiendum: *Vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt*. Subegit univerſum, evertit cultum Idolorum, integras nationes convertit. Subjecit Reges, Sapientes, legiſlatores Evangelio: dicam amplius ſubjecit fidei noſtræ mundum univerſum; populi barbari, & feroces commoti ſunt, & conturbati, Denique divino huic verbo debemus mundi totius converſionem, & Idololatriæ everſionem: quæ omnia non ſinunt nos de illius potentia dubitare. *Idem.*

Quænam ſit cauſa fructus modici quem hoc divinum ſemen adfert.

Undenam fit, ut Dei verbum, quod eſt adeo potens, quod modo adeo vulgatum eſt, & cognitum, ut plurimæ fiant in oppidis, & in agris prædicationes, undenam inquam fit, ut inde modicus fructus percipiatur? Olim retibus capiebantur animæ: *Laxate retia veſtra in capturam*; hodierna autem die diceretis Evangelicos Piſcatores hamo tantum uti. Quidquid toto Adventus, vel etiam quadrageſimæ tempore acquirere Concionator poteſt, erit animas duas, vel tres, & fortaſſe nimia dixi. Poſt tot, tamque diſertos Sermones adeo modicus fructus, & tot videntur ſcelera, ut hoc mirum videatur. An prædicatio hodierno die eo pervaſit, ut quidem tantum ſit curioſitatis in auditoribus, quam in concionatoribus vanitatis? Verum ſi Concionatores hac in re nocentes ſunt, auditores ſane ſunt nocentiores, nam horum curioſitas cauſa eſt vanitatis eorum. Pro cauſa aſſerri poſſe videtur, homines nolle ſibi duplicis generis veritates prædicari, quarum aliæ quidem docent, aliæ vero corrigunt: Veritates, quæ docent, animatæ ſunt, & perquiruntur, ſed quæ corrigunt, non videntur tolerabiles, & ſæculi hujus mortalibus non placent, ſicuti videmus in novo Teſtamento cum S. Joannes Baptiſta Herodem doceat licet nequam, hunc tamen illi aures libenter præbere: *libenter eum audiebat*. Marc. 6. At ubi Præcurſor illi inceſtum exprobrat: non licet *tibi habere uxorem fratris tui*, hanc correctionis veritatem ferre non poteſt, & hæc illa quidem eſt, quæ mundo non ſapit. Similiter cum Evangelicus præco detonat contra libidinem, libidinoſus illum non æquo patitur animo. Hoc igitur audientium vitium eſt, qui neceſſarias non afferunt diſpoſitiones ad audiendum Dei verbum. *Id.*

Audiendum, & ponderandum eſt Dei verbum, atque inde proficiendum: *Si quis habet audiendi aures, audiat*. Matt, 13. Divini hujus, humanorumque verborum diſcrimen patet. Quid auditis in foro, vel ante judicum ſubſellia, vel de cathedris, ubi de humanis ſcientiis diſſeritur? Hic ad vos non habetur ſermo de meraro agello, de vinea, de uſufructu, hypotheca, Contractu, Teſtamento, ut coram judicibus agunt Cauſidici; non de pactis conventis, de fœdere, de connubio, aut de pace, ut Regum legati. Annuntiantur vobis æternæ veritates, de ſalute animarum veſtrarum, de pace cum Deo, & proximo, & vobis metipſis habenda, de myſteriis Redemptionis veſtræ, de Fide, & regno cœlorum, quo tendere debent omnes actiones veſtræ, & deſideria. *P. Antonius de S. Martino a Porta; & recens quidam.*

Concionatoris officium munus tantum eſt, ac tam ſublime, ut ſicuti nihil eſt in eccleſia adeo ſublime, ac Sacerdotium, ita nihil æque præſtans inveniatur, ac Concionatoris officium. Sacerdotes Dei Filium producunt in ara: Concionatores producunt illum in cordibus noſtris. Illi propter ſanctiſſimum munus ſuum conjuncti eſſe debent cum J. C. & quodammodo cum illius perſona confuſi: hi hoc ipſum eſſe debent, & nos audire, ac revereri debemus Chriſtum Dominum in eorum perſonis loquentem: *Tamquam Chriſto exhortante per nos*. 2. Corint. 5. Et ſicut aliqua intercedit ratio Sacerdotes inter, & Concionatores, ita quoque intercedit inter eos, qui corpus, & ſanguinem Filii Dei conſecrant, vel qui verbum ejus evulgant, & eos, qui illud audiunt, & quibus evulgatur. *Idem.*

Prædicatoris officium æque ſublime eſt, ac illud Sacerdotis.

Non minores afferendæ ſunt diſpoſitiones ad audiendum Dei verbum, quam ad recipiendum ſacrum corpus Salvatoris in ſancta Synaxi: *Ad Evangelium, tamquam ad Chriſti corpus confugio*; ait S. Ignatius in epiſt. ad Philadelph. Sed ſi opus eſt ſe rite præparare ad audiendum divinum verbum, in ipſa concione aures, menteſque intendendæ ſunt ad divinum hoc ſemen cum fructu recipiendum: quælibet enim prædicatio præparatio eſt, atque principium magnorum conſiliorum, quæ ab æterno cepit Deus, ut animas noſtras ad beatam perduceret æternitatem, & ſicut ſemen in ſeminali virtute ſua totam complectitur meſſem, ita concio una plerumque eſt ſemen magnarum illarum virtutum, quæ Sanctos fecerunt. Negligere igitur divinum verbum ex ore Concionatorum prolatum, hoc eſt adire periculum amittendi fructum propriæ ſalutis; quoniam juxta divinæ providentiæ conſilium divinum hoc ſemen nexum habet cum ordine, quem conſtituit Deus pro ſalute noſtra, ut ſi illi requi-

ſitam

ſuam mentis attentionem negemus, noſmet privemus gratiis, quas ad nos ſalvos faciendos Deus deſtinavit. *Idem*.

Una ex rationibus, propter quas modicum percipimus fructum ex Concionibus, Deique verbo, hæc eſt, quod menti noſtræ ſatis eſt ſimplex, ſterilisque meditatio rerum generalium, quin has nobiſmet ipſi applicemus, quod nobis eſſet faciendum. Ad hunc reditum, & noſtri mali ad noſmet ipſos applicationem nos invitat Scriptura verbis iſtis: *Revertimini ad cor: Scito, & vide, quia amarum eſt, te dereliquiſſe Dominum*. Jerem. 2. Noverat quidem David ſe duo magna commiſiſſe peccata, Uriæ cædem, & adulterium cum Berſabea, ſed illa non noverat niſi in propoſitione generica, & confuſa, & ibi morabatur. Quamobrem Nathan ſciens magna ſibi opus eſſe prudentia, ut magno Regi illius ob oculos delicta poneret, uſus eſt ea parabola, quam nemo non didicit; cumque illi repræſentaſſet hominis inhumanitatem, qui non voti compos, eo quod alteri ovem unicam, quam tamquam ſeipſum diligebat, eripuerat, vitam quoque eidem abſtulit, ita callide ſuum conſilium, ſermonemque inſtituit, ut eo redegerit David, ut mortis ſententiam contra illum proferret, & diceret, *homo ille reus eſt mortis*. Hic loci illum præſtolabatur Propheta, eidem ſententiam ipſius applicaturus, eiſque dicturus, *Tu es ille vir*; tu in caput tuum hanc mortis ſententiam tuliſti. Quæ ubi facta fuit applicatio, Rex ait: *Peccavi Domino*. 2. Reg. 12. In hoc ſitu plerumque ſumus. Concionatorum redargutiones tamquam parabolas accipimus, vel tamquam pulchras imagines, ſed quis eſt ille, qui ea ſemet ipſo quærat; num ego ſum mortis reus? Duplex eſt veritatum genus, S. Auguſtinus inquit; alia veritas lumen eſt, quod illuminat, alia ignis eſt, qui comburit. Alia docet, alia redarguit. Unuſquiſque facile doctrinam recipit, ſed velut evitare correptionem, & probrum, ad quod avertendum correctionem ſibi tenuit applicare. *Idem*.

Dei verbū ad animam nutriendam non eſt minus neceſſarium, quam panis materialis ad corpus nutriendum.

Panis verbi Evangelici cognitio eſt veritatum religionis Chriſtianæ fidea eſt doctrinæ illius, & inſtitutorum ejus. Magna hæc inſtituta ex Concionatorum ore audire, ea in ſanctis libri legere, eſt illa manducare. Ea ſibi repræſentare, jugiterque meditari, eſt ſeſe illis alere, ac roborare; eſt, ut ita dicam, in propriam ſubſtantiam convertere; & hæc omnia facere, via eſt ad habendum cor purum, & ſanctum, & charitate plenum in omnibus affectionibus ſuis: uſus enim hujus panis ſpiritualis, myſtici non minus neceſſarius eſt ad fovendam in nobis ſpiritualem animæ vitam, qualis uſus eſt panis materialis, quo quotidie veſcimur ad vitam corporis in nobis tuendam. Modicus uſus hujus ſpiritualis alimoniæ nos adeo infirmos efficit, ubi bellum indicendum eſt noſtris cupiditatibus, ac triumphus de inviſibilibus hoſtibus referendus: Modicus cœleſtis hujus pabuli uſus non reddit imbecillos, & languidos, ubi reſidendum eſt validis cupiditatum noſtrarum oppugnationibus; & in cauſa eſt, ut in ipſo ſtatim belli principio ſuperati, victique cadamus. *Modus recitandi Dominicam Orationem, & recens Auctor*.

Semper in eccleſia Dei plurimi viſi ſunt fungi munere prædicationis. Quis hodie numerare poſſet omnes adhortationes, ac Sermones, qui fiunt in magnis urbibus una tantum in Quadrageſima? Quadrageſima vero abſoluta quam pauci videntur peccatores agere pœnitentiam? Nulla ferme videtur morum emendatio; eadem vitia ubique graſſantur; eamdem ſemper peccata committuntur, nemo minus irreligioſus eſt, minus, quam ante impudicus. Unde hoc malum? Inde proculdubio, quod licet diſerti ſint ſermones, florentes, eruditione uberes, & nulla in re deficientes, tamen non ſunt charitate animati, neque amplius in illis invenitur divinus hic ardor, qui verbo dat efficientiam, & audientes inflammat. Neque ideo dixerim, Concionatores non incaleſcere, & de ſuggeſtu non detonare; ſed illis deeſt, quod deſideratur ad permovendo animos, & id præ ſe ferendum verum zelum honoris Dei, & ſalutis proximi. S. Petrus numquam didicerat artem eloquentiæ; norat ſolum piſcari, & ſarcire retia, nihilominus cum requievit ſuper illum Spiritus Domini in ſpeciem linguæ igneæ, tanto ardore, auctoritate, & vi cœpit prædicare, ut uno tantum Sermone tria animarum millia converterit; quin tamen certa ordinem declamaret, ſeque agitaret. Undenam fit, ut S. Franciſcus Aſſiſias, S. Vincentius Ferrerius S. Bernardinus, S. Antonius Patavinus quamplurimos peccatores converterint? niſi quod licet Sermones eorum ſimplices eſſent & ſine fuco; eorum tamen corda divini amoris igne æſtuabant. *Card. Bellarminus in Opuſculis*.

Verbum Dei eſt verbum vitæ.

Dei verbum ſimile eſt plantis ſalutaribus, quarum virtutes non omnes agnoſcunt. Duo in prato deambulant; alter quidem promiſcue calcat herbam pedibus ſubſtratam, & nihil de eaſdem cogitat; alter vero inter calcatas herbas detegens quaſdam in medicinæ uſum peropportunas, has diligenter colligit, & auſert in morbis depellendis adhibendas. Ita ex duobus hominibus audientibus, vel legentibus verbum divinum alter pertranſit, quin ad lecta, audiraque animadvertat, cum interim alter attente ſingula conſiderat eaque ſuis neceſſitatibus applicat. Hoc autem illinc oritur; quod prior ille divini verbi pretium ignorat, poſterior autem agnoſcit omnes utilitates illi inhærentes, & inter cetera immortalis vitæ donum illud ſervantibus promiſſum: *Si quis ſermonem meum ſervaverit mortem non videbit in æternum*. Joan. 9. Quanta cura non ſervaretur herba, cujus uſus conferret ſolum centum vitæ annos? Quanti ergo a nobis faciendum eſt JESU CHRISTI verbum? Qua cura, & ſedulitate colligendum eſt? Quandoquidem uſus illius nobis æternam vitam certiſſime pollicetur. *Mortem non videbit in æternum. P. Segneri Tomo 3. Meditat*.

Cum JESUS CHRISTUS promittit eos, qui verbum ſuum audierint, & ſervaverint; nequaquam morituros eſſe, non loquitur de fluxa hac, & perfunctiora morte, qua damnati ſimus, & quam ille ipſe pertulit. Promittit enim vitam novam poſt hanc, vitam beatam, vitam perfectam, & numquam defuturam, Evangelii ſui prævaricatores non hac vita vivent. Reſurgent quidem, ſed ut in ſingula monumenta in inferno ſæviſſimis torqueantur doloribus, quorum ſimiles mors eadem non parit. Secundo qui divini verbi pane nutritur, quodammodo ex hoc ipſo tempore æterna vita fruetur: inde enim haurit vim invictam, quæ animam ipſius reddit tamquam invulnerabilem telis peccatis. *Fili mi ſerva mandata, & vives*. Prov. 7. Serva legem CHRISTI JESU, & numquam ſupernaturalem gratiæ vitam amittes. Sed enim mors corporis proficiſci valeat vel ab infirmitate naturæ, vel fortuito, vel hoſtis vi, mors etiam animi ex ſimilibus principiis oriri poteſt. *Idem*.

Fructus quos recipit anima ex Div. bo.

Malam quædam affectio in vobis interiorem hominem debilitat? Hunc ſæpius nutrit verbo JESU CHRISTI, & vos ſolidabit. In repentino verſaris periculo? In mentem revoca verbum JESU CHRISTI, & hoc te ſuſtinebit. Tentator te laceſſit Spiritus? Præcinge te verbo JESU CHRISTI, & hoc omnes illius conatus irritos facies. O quam efficax eſt verbum Dei! quam jucundum tibi eſſe debet! *Fili mi auſculta Sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam; ne recedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui: vita enim ſunt invenientibus ea* ... Prov. 4. *Idem*.

Ut ex divino verbo omnes percipiamus commoda illi inhærentia, illud in corde gerendum eſt, faciendum eſt ſermonum noſtrorum argumentum noſtriſque bonis operibus ſuſtinendum eſt. Primum cum Dei verbum altius cor noſtrum pervaſit, ſpiritus illud haud ægre meditatur; ubi opus ſit, memoria

Digitized by Google

veritatis, quam timemus, ſæpe prohibet, ne aſſidue concionibus adſimus. Alias plures rationes adferimus; ſed hæc vera eſt. Ille ſibi plura eſſe inquit negotia; hæc tamen vera cauſa non eſt, ſed quia nimis multas exercuit injuſtitias, ac timet, ut ſibi audienda ſit concio de reſtitutione. Iſte ait, paucos a ſe inveniri Concionatores, qui ſibi placeant, quod non innuit a ſe inveniri non poſſe id genus oratores: ſed timent, ut inveniat eos, qui illum excitent ex ſopore ſuo, & cieant ſtimulos, quos ægre jugulavit. Sed quinam eſt hujus facti ratio! Quid inde intendimus! Si nobis eſt intentio claudendi oculos, ut audacius noſmes in periculum conjiciamus, morituri uti vivimus, indurati, & impœnitentes, conſequenter agimus, cumque mors noſtra eſſe nequeat niſi echo infamis vitæ noſtræ, ſequitur finem noſtrum non niſi calamitoſiſſimum eſſe poſſe. Quid in hoc efficere poteſt Concionator, niſi lacrymis proſequi deſperationem adeo damnabilem? Sed ſi quæ ſuperſunt adhuc ſalutis cogitationes, ſi quod nobis adhuc ſupereſt deſiderium, niſi illi abrenuntiavimus, fatendum eſt ex ſubmiſſione noſtra divino huic verbo, quod fugimus, quod timemus, cui oculos claudimus, pendere ſalutem, quam ſperamus. Libenter ergo audiamus verbum divinum, ut vim faciat in mente noſtra, & in corde; inde enim noſtra pendet converſio. Hoc pacto fieri debet in nobis hæc mutatio noſtrum metipſorum erga Deum, quæ una efficere poteſt, ut ille ſententiam mutet prolatam adverſum divini ſui luminis inimicos. *Sermones, & inſtructiones P. Aurelianenſis Tomo 1.*

VESTES.

Luxus, & immodeſtia veſtium, indumentorum, ornatum, &c.

MONITUM.

EXCESSUS, quo nunc temporis luxus, atque veſtium, ornatuumque preditus amor, ac ſumptus evaſere, exigunt procaldubie, ut concionatores tanto huic occurrant malo, ſimulque illis uberem ſuppeditant locum una zelum, & eloquentiam ſuam exprimendi: immo affirmare etiam poſſum, nullum eſſe argumentum, quod ampliorem tribuere poſſit rerum, verborumque copiam eleganti ſimul, utilique concioni, & in quo plures Sancti Patres, veluti S. Cyprianus, S. Chryſoſtomus, ac Tertullianus majori facundia triumpharint.

Quamobrem arbitratus ſum mihi de veſtimentorum luxu peculiariter agendum eſſe, quin illum ſub titulo luxus complecterer, ſub quo menſa, familia, ſupellectilium, &c. luxus continentur, de quibus nonniſi obiter aliis in ſermonibus verba fieri poſſunt. Non ita tamen de ornatuum, indumentorumque luxu ſtrictim adeo verba facienda ſunt, ut ſermo non incidat de immodeſtia, quæ plerumque comes accedere conſuevit recentibus hiſce veſtium ritibus, quæ verecundiam ſimul, atque decorum laceſſunt. Verum animadvertendum eſt, quamvis generis luxus ſit utrique ſexui communis, in muliebri tamen quavis ætate potiſſimum viguiſſe, & ad extremum uſque proceſſiſſe: quapropter mirum eſſe non debet, ſi ea fere omnia, quæ afferentur a nobis, ad mulieres præſertim referri videantur.

Concionatori ſolum cavendum eſt, ne per hypotheſim nimie peculiariter deſcendat ad ornatuum ritus non ita pridem invectos, & ne quadam calanticarum, reticulorum, aliarumque id genus nugarum vocabula proferat, quæ aptiſſima quidem ſunt ad mundanarum mulierum vanitatem in jocum traducendam, ſed quæ parum decent ſuggeſtus gravitatem, & quæ riſum ab auditoribus elicerent, non autem illis eam inſpirarent indignationem, quam concipere debent contra tantum hoc malum, quod paſſim ubique graſſatur, & quod eſt tot ſcelerum cauſa.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti ſyſtemata.

1\. DUplex affectus, quem homine diligentius mortalium oculis abſcondere satagunt, & quem nihilominus frequentiſſime ſibi dominari permittunt, eſt amor inanis gloriæ, ac impuritatis. Vaniſſimus quiſque, laudumque cupidiſſimus adfectatæ modeſtiæ fuco illas aſpernari velle ſimulat; & illos, quorum cor libidinis æſtu corruptiſſimum eſt, pudet, ſi in apricum profetantur obſcœnæ cogitationes, ac turpia deſideria, quæ clanculum fovent. Hi tamen ſunt affectus duo, duoque vitia, quæ palam detegere non erubeſcimus, atque mortalibus omnibus aperire, alterum quidem per luxum, & pompam, alterum vero per immodeſtiam veſtimentorum. Hoc eſt concionis argumentum, atque partitio.

Pars prior. Cum Deus, homineſque ſuperbiam oderint, cumque oſtentatio vanum hominem mortalibus contemptibilem præbeat, mirum eſſe non debet, ſi qui vanitatem conſectatur, nihil relinquit intentatum, ut hunc animi celet affectum, ita ut non agnoſcatur ab illis, a quibus contemneretur, ſi intelligerent illum: unde patet eos, qui perdite inanem gloriam adamant, atque ſeipſos pluirimi faciunt, ſeſe humilitatis integumento ſæpius involvere, ut aliorum exiſtimationem, plauſuſque ſibi concilient, abnuentes eas, quæ ſibi deferuntur, laudes, ac ſe illas mereri negantes. Verum hoc idem vitium, hunc eumdem affectum, qui altius in cordibus eorum radices jecit, palam profetunt, atque mortalium omnium oculis objiciunt per luxum magnificentum indumentorum ſuorum, in quibus oſtendunt 1. iniquiſſimam, indigniſſimam, ineptiſſimamque vanitatem; cum enim pœna ſint,

ne

ac nota peccati primi parentis, & quædam veluti deturbatio ab eo ſtatus glorioſi gradu, in quo Deus ipſum creaverat; indigna vanitas eſt ſuæ ignominiæ, atque confuſionis argumentum ſibi in gloriam convertere. 2. Vanitas eſt, atque ridicula oſtentatio non ex meritis, virtutibus, & animi ornamentis, quæ hominem ultra genus, vel conditionem ſuam poſſunt attollere, gloriam inquirere, ſed illam ex rebus externis, quæ neque meliorem, neque perfectiorem faciunt, & quæ cum nequiſſimo quoque illi communes eſſe poſſunt, mutuari, & emendicare. 3. Hæc vanitas irrationabilis eſt, quæ oſtendit ſpiritus imbecillitatem ornari iis rebus cupientis, quæ ſunt viles, objectæ, atque toto cœlo infra ipſum poſitæ; videlicet animantium exuviis, & bombycum excrementis, quibus hominum opinio pretium adjecit. Videre igitur hominem de his rebus gloriari, & per hæc in ſe hominum ora, vultuſque convertere, exiſtimationem, auctoritatemque aucupari, næ hæc maxima eſt humanæ mentis infirmitas, atque integra rationi perturbatio, &c.

Pars altera. Cum impuritas, & inhoneſtus amor non majorem injiciat maculam, & confuſionem homini, quam vanitas, & oſtentatio, ubi turpis hic affectus ex aliqua nota interniteſcat, & natura mulieribus præſertim pudorem inſpiraverit, ſine quo ſumma videretur impudentia, & generalis confuſio: reor, illas nulla re magis deterreri poſſe ab affectione illa, qua ornatus, muliebremque mundum deperennt, quam ſi oſtenderimus, ipſas hoc pacto eam prodere cupiditatem, quæ una omnium illis turpiſſima eſt, & quæ præ cæteris eiſdem dedecus afferre poteſt. Hoc autem indumentorum efficit immodeſtia. 1. Quia hoc pacto ſe ipſas ornant, & comunt, ut placeant, ac venuſtiores accidant illis, qui in eas oculos conjiciunt. Nam quidquid effutiant, & quaſcumque alias rationes afferant, hi prætextus inanes ſunt, ut mentis nequitiam abſcondant. Mulier autem, quæ placere geſtit, ac in ſe amorem virorum convertere, oſtendit, per ſe non ſtare, quominus amorem concipiat; neque ſatis pudica eſt, ubi ſeſe periculo objicit, ne capiatur illecebris, aſſentationibus, blanditiiſque eorum, quibus placere contendit. 2. Quia veſtimentorum immodeſtia, hi recentes indumentorum ritus, a quibus ſcandalum non abeſt, hæ, quas adſectant, nuditates manifeſta ſunt corruptionis cordis earum argumenta. 3. Cum hominibus ſcandalo ſint, illis imputanda ſunt omnia crimina, quæ illi hac in re committunt. Præterquamquod ſi cordi earum eſſet virtus ea, quæ ſexus ipſarum decus eſt; & gloria, nulla eſſet conditio, vel ſtatus, vel conſuetudo, vel alia ratio aliqua, quæ illas cogere poſſet, ut ſuum proderent officium, ſuamque conſcientiam. Concioni finis injiciendus eſt hortando puellas, ut hac in re earum, quæ magis modeſtæ ſunt, ſequantur exemplum, & ſi ætati earum aliquis ornatus permittitur, effugiendam ſemper illis eſſe immodeſtiam, quæ cum ſcandalo conjuncta eſt, & hanc nimis adſectatam, exquiſitamque indumentorum munditiam.

II. 1. Veſtium luxus vanitas eſt ridicula, atque crudelis, cum interim pauperibus deſit, unde ſe ipſos tegant, & alant. 2. Manifeſta eſt tranſgreſſio eorum, quæ in baptiſmate polliciti ſumus. 3. Nota eſt modicæ verecundiæ; triplici verbo, luxus, atque indumentorum immodeſtia chriſtianæ humilitati, chriſtianæ religioni, chriſtianæ modeſtiæ adverſatur.

III. 1. Per luxum, veſtimentorumque immodeſtiam obſiſtimus voluntati Dei in indumentorum inſtitutione, quam ipſe primo parenti poſt peccatum impoſuit. 2. Sæpe animam proximi perdimus per ſcandalum, quod illi tribuimus. 3. Oſtendimus noſmet ipſos animam peccato mancipaſſe, & cor noſtrum corruptum eſſe.

IV. 1. Magna cura, qua corpus ornamus, plerumque argumentum eſt immodicæ curæ, quam animæ noſtræ gerimus. 2. Argumentum eſt modicæ curæ, quam chriſtianæ mulieres gerunt exiſtimationis ſuæ, virtutiſque ejus, qua nihil illis eſſe deberet antiquius. 3. Argumentum eſt modicæ religionis, quam habemus in corde, quia palam, & impune violamus ea, quæ chriſtianæ fidei nomen dantes promiſimus.

V. Quæritur, quodnam peccatum ſit luxus veſtium, contra quem concionatores ſæpe invehuntur; vel quænam lex violatur ab illis, qui nimiam veſtimentorum lautitiem exquirunt, & reſpondeo.

1. Hanc publicam eſſe abnegationem chriſtianæ religionis, quam ſumus amplexi, & quam amplectentes polliciti ſumus, noſmet pompis, & vanitatibus mundi eſſe abrenuntiaturos. 2. Peccatum eſſe impudicitiæ, quæ in ſemet, ac in aliis excitat mulier per immodeſtiam, ac parum decentes indumentorum modos. 3. Peccatum eſſe ſcandali, quod per pravum hoc exemplum aliis præbetur.

VI. Veſtium luxus vanitas eſt turpis, atque ridicula; veſtimenta enim, quæ gerimus, notæ ſunt noſtri peccati, noſtræque in communi hominum parente rebellionis. 2. Noxia eſt ſuperfluitas; ſumptus enim, quos in hæc impendimus ornamenta, in pauperibus induendis eſſent erogandi. 3. Pernicioſum eſt ſcandalum, quod proximo tribuitur.

VII. 1. Magnificæ veſtes, & mundana ornamenta illis ſuperaddita magnum crimen eſt propter finem, quem ſibi proponunt mulieres aliis placendi, ac ſe gratiores præbendi, cujus rei facile redargui poſſunt illæ, quæ hoc indumentorum genere utuntur, quia cum ſolæ ſunt, vel cum palam prodituræ non ſunt, ſe minime comunt, & ornant. 2. Peccatum eſt propter immodicos ſumptus, qui ſæpe rei familiari detrimentum afferunt, æs alienum conflant, deinceps non ita facile diſſolvendum. 3. Propter ſuperbiam, aliaque vitia, quæ in nobis, aliiſque excitant.

VIII. Cum veſtes, & ornatus, qui illis accedere conſueverunt, ex ſe nullo ſint in diſcrimine, atque ipſa etiam morum diſciplina in virtutum albo deſcribat munditiam, & urbanitatem illam, qua tecti in publicum prodire, & in cœtibus converſari debemus, indumentis, ornatibuſque tres potiſſimum ſervandæ ſunt regulæ.

Prima eſt, quod citra ſcandalum, artem, luxumque ſint.

Altera, quod ſingulorum conditionem, ætatem, & mores, qui vigent, maxime deceant.

Tertia, quod his comites adſint ornatus alii, a quibus alium fulgorem mutuentur, & qui illas ſanctificent, cujuſmodi ſunt pudor, modeſtia, verecundia.

IX. 1. Luxus, & immodica ornamentorum cura argumentum eſt tenuis ingenii, quod in nugis immoratur, & quod in illis totum eſt: unde fit, quod hoc eſt mulierum ingenium. 2. Argumentum eſt mulieris parum frugi, ac in vitium pronæ.

X. 1. Malum, quod mulieres potiſſimum criminoſa hac vanitate committunt. 2. Malum, quod efficiunt, ut ab aliis committatur, & cujus deinde coram Deo illis ratio erit reddenda.

XI. 1. Veſtium luxus ſumptus eſt ſuperfluus, & noxius publicis calamitatibus, cum interim tot pauperes extrema neceſſitate confecti gemant. 2. Otium eſt laborioſum, ac moleſtum; non deſunt quippe mulieres, quæ dimidium diei in ſeſe ornandis, comendiſque tranſmittunt, alterum vero dimidium in viſitationibus reddendi, recipiendiſque, & ſunt, quæ totam ancillarum, famulorumque cohortem in veſtibus, ornatibuſque præparandis ſollicitam habent. 3. Elegantia eſt parum decens propter indecoras nuditates, quæ facere non poſſunt, quominus omnibus inſpectantibus ſcandalum afferant.

XII. 1. Luxus, indumentorum vero præſertim, peſtis eſt, & corruptio rerum publicarum, quæ per hoc a generoſitate ſua degenerant, atque eas leges contemnere incæperunt, quæ illas florentes effecerunt.

2. Exci-

2. Excidium eſt domorum, familiarumque propter immodicos ſumptus, qui ad luxum hunc nutriendum erogandi ſunt. 3. Fons eſt iniquitatum, ut ſuppetat, unde nutriatur, & aliorum plurimorum ſcelerum cauſa.

XIII. Quidquid de luxu dictum eſt ad tria verba redigi poteſt.

1. Argumentum eſt vanitatis; 2. modicæ religionis; 3. modicæque pietatis.

XIV. 1. Veſtium luxus non æſtimationem, neque approbationem, ſed contemptum mortalium meretur. Rationes patent. 2. Paſſim Dei in ſe detrahit ſupplicia, uti videmus in Scripturis. Deus illum punit bonorum jactura in hac vita, graviſſimiſque pœnis in altera, quemadmodum mali divitis exemplo docemur.

XV. Luxus efficit, ut obliviſcamur, 1. Deum homini veſtimenta didiſſe, ut illum humiliaret; quandoquidem ea ſibi in vanitatis argumentum homo convertit. 2. Efficit, ut obliviſcamur verborum Apoſtoli præcipientis, ut induamur Jeſum Chriſtum. Explicandum eſt, quid hæc ſibi velint verba, & in quo veſtium luxus illis adverſetur.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres. S. CYprianus eximium edidit tractatum *de habitu Virginum*, ubi invenietur, quidquid curioſius, aptiuſque in hoc dici valeat argumento.

S. Ambroſius *lib. 1. de Virginibus* oſtendit, inſignem eſſe ſtultitiam velle mutare opus Dei faciem fuco liniendo, ac pretioſis veſtibus membra exornando.

Idem hoc ipſum tractat argumentum *lib. 6. cap. 8. Hexaemeron*.

Idem *lib. de Nabuthe Iſraelitica* oſtendit, crudelitatem eſſe locupletibus indui veſtimentis, cum interim pauperes fame pereunt, nec habent quomodo induantur.

Idem *in commentario in cap. 2. prioris Epiſt. ad Timoth.* oſtendit vanitatem, & inutilitatem ornamentorum.

Idem *lib. 2. de pœnitentia* mulierum ævi ſui luxum deſcribit.

S. Gregorius Nazianzenus ad mulieres ambitioſius ſe ornantes elegantem ejuſdem rei habet hypotipoſin.

Origenes *tom. 3. hom. 4.* in hæc S. Matthæi verba: *exterminant facies ſuas*, acriter invehitur in fœminas, quæ fuco, ſtibioque utuntur, &c.

Tertullianus integrum edidit librum *de cultu mulierum*, ubi totum hoc exauſiſſe videtur argumentum; ſatis ibi illius genius, ac ſtylus deprehenditur.

Idem *lib. de velandis virginibus* plurimos habet locos ad hoc argumentum ſpectantes.

Clemens Alexandrinus paſſim, præſertim vero *lib. 3. Pædag. cap. 2.* æque deſcribit ingenium & curam mulierum circa indumenta, ſuique capitis cultum.

S. Hieronymus *Epiſt. ad Furiam* vehementer invehitur in luxum, fucum, pictaſque veſtes mulierum.

Idem *Epiſt. ad Lætam* refert terribile Prætextatæ ſupplicium. *Et Epiſt. ad Euſtochium*.

Idem *in regula monach. ad Euſtochium* de ornamentorum vanitate verba facit.

Idem *l. 2. in cap. 3. Iſaiæ*, oſtendit Deus aliquando in noxiam hanc vanitatem animadverſum.

S. Gregorius Nazianzenus præter memoratum locum in oratione, quam habuit de laudibus Sanctæ Gorgoniæ, affert Sanctæ hujus mulieris de fœmineorum ornatuum vanitate ſententiam.

Idem *in exhortatione ad virgines* docet, quam præferenda ſit luxui indumentorum modeſtia.

S. Auguſtinus *ſerm. 247. de tempore* oſtendit, veſtium luxum in viris æque, ac mulieribus eſſe vitioſum.

Idem *Epiſt. 73. ad Poſſid.* ornamentorum vanitatem oſtendit.

Idem *l. 4. de Doctr. Chriſti* de eodem loquitur argumento.

Idem *lib. 2. de ſermon. Domini in monte* immodicam oſtendit mulierum ſeſe comendi curam.

S. Paulinus in Epiſtola ad Celantiam.

S. Chryſoſtomus *homil. 18. in Geneſ.* primam veſtium repetit inſtitutionem, ac ſatis prolixum habet ſermonem de luxo, & magnificentia, quam homines invexere.

Idem *homil. 37. & 41.* in eumdem Geneſeos librum oſtendit, quam indignum ſit ſuperbis veſtibus tegi.

Idem *homil. 50. in S. Matth.* oſtendit criminis hujus magnitudinem, & mala, quæ hic parit abuſus.

Idem in primam S. Pauli ad Timotheum Epiſtolam docet, quam ridiculum ut gloriari de brutorum exuviis, & bombycum opificiis.

Idem *in homil. 4. in eamdem Epiſt.* oſtendit, Dei opus vitiari atque corrumpi ab iis, quæ fuco ſuam illinunt faciem.

Idem *homil. 8. in eamdem Epiſt.* invehitur contra vana hæc ornamenta, & contra impudentiam mulierum, quæ in templum veniunt, ut in minime decoro ſtatu videantur.

Idem *homil. 10. in Epiſt. ad Coloſſ. & hom. 38. in Epiſt. ad Hebr.* oſtendit nobis ſatis eſſe debere honeſtis veſtibus uti.

Idem *homil. 2. ad Popul. Antioch.* oſtendit falli mulieres, cum venuſtiores videri volunt ope ornatuum ſuorum.

Idem *homil. 3. in 2. ad Theſſal.* loquitur de mulieribus, quæ minus verecundo cultu prodeunt in templum.

Idem *homil. 60. in S. Joan.* oſtendit induſtriam, qua mulieres ſeſe ornant, viris earum diſplicere, & illis modeſtiam reique domeſticæ curam eſſe gratiorem.

Idem *hom. 25. in Acta* docet, curam, qua corpora ſua illæ ornare quærunt, argumento eſſe, animam ipſarum virtutibus eſſe vacuam.

Idem *hom. 30. in Epiſt. ad Rom.* oſtendit, pudicam mulierem omnes hujuſmodi cultus negligere.

Idem *hom. 18. in Epiſt. ad Corinth.* docet, dum corpora ornantur, difficile eſſe, quod anima ſit ornata virtutibus, & *homil. 29. in Epiſt. ad Hebræos*.

Idem *hom. 17. in S. Matthæum* oſtendit, quantum ſit mulierum ſcelus ſeſe comentium, ut viros in peccatum illiciant.

S. Bernardus *Epiſtol. 113. ad Sophiam virginem* oſtendit vanitatem earum, qui bombycum opificio induuntur, & mulierum ætatis ſuæ ornamenta deſcribit.

S. Pacianus *in Parœneſi ad pœnitentiam* docet, magnificas veſtes, & vana ornamenta in fidelium pœnitentia eſſe relinquenda. Aſcetici, aliique.

S. Franciſcus Saleſius *introduct. ad vitam devotam* docet, quid hac in re modeſtia, & decor permittere poſſint.

Cambolas in exemplari vitæ chriſtianæ tract. 2, c. 2. duodecim articulis agit de veſtium modeſtia.

Dandinus in Ethicis ſacris lib. 16. tractat. habet undecim capita habentem; *de cultu mulierum*.

P. Cordier *tomo 2. familia ſancta cap. 8.* agit de indumentorum regula paragraphis octo, in quibus collegit, quidquid hoc in argumento deſiderari poteſt.

Dominus de Grenaille in libro, qui inſcribitur: Mulierum Bibliotheca.

Idem in tractatu de modeſtia fuſius verba facit de veſtimentis, ex quibus hæc virtus præſertim deprehenditur.

Piper Presbyter librum edidit, cui titulus: *In-*

ſtructions chretiennes de luxu, & vanitate fœminarum.

Tractatus contra ornamentorum capitis luxum.

Inſtitutiones pro adoleſcentulis editæ a Marquos Doctore.

Liber, cui titulus: Excerpta ex operibus plurium Sanctorum eccleſiæ Patrum: Tractatu 4. de luxu.

Libellus, qui inſcribitur: *L'abus de la nudité des gorges, &c.* loquitur etiam de ornamentorum, recentiumque cultus rituum immodeſtia.

Liber inſcriptus; *Inſtruction pour l'education des filles* cap. 10. egregium habet ſermonem de contemptu ornamcotorum, ac luxus veſtium, in chriſtianis virginibus requirendo.

Concionatores. Matthias Faber *Domin. 2. Advent. Conc.* 8. plures adfert rationes, propter quas veſtium luxus fugiendus eſt, ac deteſtandus.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ, argumenta integrum habet hujus argumenti ſermonem. Tomo 2. ſermonum particularium.

In tomo 2. ſermonum P. la Peſſe ſermo eſt de luxu generatim, ubi multa de veſtium luxu.

In moralibus etiam ſermonibus unus eſt; atque inter ſermones manuſcriptos alter diſertiſſimus, qui Patri Ruæo acceptus refertur.

Qui collectanea ediderunt.

Ludovicus Granatenſis.) Titulo *Ornatus*.
Buſæus.)
Drexellius *de cultu corporis*.
Labata) Titulo *Ornatus*,
Summa prædicantium)

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

N*On induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœminea; abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc*. Deuter. 22.

Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Pſalm. 21.

In veſtitu ne glorieris umquam, nec in die honoris tui extollaris. Eccli. cap. 11.

Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo. Eccli. 19.

Averte faciem tuam a muliere compta. Eccli. 9.

Fortitudo & decor indumentum ejus. Proverb. 31.

Poſui veſtimentum meum cilicium. Pſalm. 68.

Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ, ut ſimilitudo templi. Pſalm. 143.

Ecce iſte coopertus eſt auro & argento, & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus ejus. Habacuc. 2.

Ornamentum monilium ſuorum in ſuperbiam poſuerunt. Ezech. 7.

De veſtimento, quid ſolliciti eſtis. Matth. 6.

Conſiderate lilia agri... Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis. Ibidem.

Qui exiſtis in deſertum videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Matth. 11.

Ipſe autem Joannes habebat veſtimenta de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos. Ibidem, cap. 3.

Diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes. Ibid. cap. 27.

Ecce qui in veſte pretioſa ſunt & deliciis, in domibus regum ſunt. Luc. 7.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpura, & byſſo. Luc. 16.

Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba. Ibid. cap. 23.

Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Ad Galat. 3.

Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. 1. ad Timoth. 6.

Volo mulieres orare in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, & auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa, 1. ad Timoth. cap. 2.

Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. Ad Hebr. 11.

Mulieres, quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus. 1. Petri, cap. 3.

Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis ... Veſtimenta veſtra a tineis comeſta ſunt. Jacobi 5.

Veteris, novique teſtamenti exempla.

Exemplum Primorum Patrum in Paradiſo terreſtri. HOmo ſe nudum ſentiens in paradiſo terreſtri, & minacem audiens vocem Dei ſibi inobedientiam exprobrantis, ſeipſum, ut potuit, foliis ejus arboris, ſub qua delituerat, contexit, & mox illi Deus ex brutorum coriis conſuit indumentum. Itaque nonniſi propter neceſſitatem ſeſe induit homo; ſed mox ut ſuum eleret luxum, ſuperbiam, ac mollitiem iis uſus eſt indumentis, quibus egebat, ut ſuæ infirmitati, ac miſeriæ ſubveniret. Igitur veſtimentorum neceſſitas pœna eſt, & eorum luxus, atque magnificentia effectus peccati.

Eliæ Prophetæ ſanctitas ex ejuſdem veſtimentis cognita. Capite primo quarti Regum libri dicitur rex Ochozias Eliæ ſanctitatem cognoviſſe ex ejus indumento, quod virtute ipſius, & nominis celebritate, quam Propheta ille ſibi comparaverat, dignus erat. Etenim cum homines illi, quos princeps hic miſerat ad idolorum opem implorandam eo in mortis periculo, in quo erat, in ſanctum hunc Prophetam incidiſſent, atque ab eodem juſſi fuiſſent ad regem reverti, eique dicere, ipſum eo morbo moriturum, neque ſurrecturum e ſtatu, in quo jacebat in ſuæ prævaricationis pœnam; illico quæſivit Ochozias, quænam eſſet hujus hominis forma, quæ facies, quod genus veſtium. Cum vero reſpondiſſent, illum villoſum, & renes coriacea ſuccinctum zona fuiſſe: heu. Elias eſt proculdubio, rex addidit, non alio opus eſt argumento. Adeo verum eſt, quod in Eccleſiaſtico cap. 19. dicit Spiritus ſanctus, ex veſtium genere hominum qualitatem cognoſci: *Amictus hominis annuntiat de eo*, & quod deinde Tertullianus ait, ex veſtibus philoſophum, hoc eſt ſapientem deprehendi: *Etſi eloquium ſileat, ipſe tamen habitus ſonat*.

Exemplum puellarum Moabitarum. Mulieres, & virgines, quæ negant veſtium ſuarum immodeſtiam, & ornamenta, quibus ſe inſtruunt, eſſe occaſionem ſcandali hominibus, & cauſam tot malorum, cogitent ſatis eſt, quid Moabitarum filiæ in Iſraelitarum cordibus excitaverint. Statim ac populus Dei in illas, quæ de induſtria ſeſe mundo muliebri adornaverant, conjecit oculos, oblitus decoris ſui, ſuæque religionis, ac propriæ ſalutis, ſtatim tanto cupiditatis ardore incenſus fuit, ut ſeſe in turpiſſimæ proſtitutionis ſcelus præcipitem dederit. O funeſta adinventa, o nefarios indumentorum ritus! Cultos execrabiles, qui potuere populum ſanctiſſimum corrumpere, atque a veri Dei ad idolorum aras transferre.

Exemplum mulieris fortis. Una ferme, eademque patrumfamilias obligatio eſt domeſticis ſuis & veſtes, & victum comparare: quæ in re deeſſe non poſſunt, quin non poſtremo officiorum ſuorum deſint. Mulier fortis, de qua loquitur Salomon, hoc ſua intereſſe cognoſcens, ſumma cum laude munus iſtud explevit; nemo enim in ipſius domo erat, qui duplex non haberet veſtimentum, alterum quidem æſtivum, alterum hyemale. Plurimi hodierna die tunc tandem animum adjiciunt famulis induendis, cum verentur, ne ſua ſibi avaritia exprobretur; charitas numquam illos ad miſericordiam flecteret, niſi vanitas ibi honorem ipſorum agi ſuaderet. Verum non deſunt, qui in alterum incidant extremum, quos vanitas cogit, non ſolum ut ipſi magnifice induantur, verum eos etiam, quibus ſtipari conſueverunt, ornatiſſimis tegant indumentis, ac ſuperbos currus, equoſque phaleratos habeant; quippe luxus, ac ambitio eorum, cum intra perſonas ipſorum nequeant conti-

Digitized by Google

contineri, ſeſe in ea omnia, quæ ad ipſos pertinent, effundunt.

Exemplum Reginæ Eſther.

Equidem ſcio, veſtium pompam a Deo nequaquam omnino prohiberi, nonnulloſque eſſe dies, cæremonias, & occaſiones, in quibus ſuſtinere licet dignitatis, & generis ſui nitorem, vel in partem accedere publicæ lætitiæ, ac propriam etiam teſtari veſtimenti genere elegantiore, vel etiam ſi lubet ornatiore, ac nitidiore. Ita Principes, Reges, Magiſtratus, & qui propius principibus aſſident, præ cæteris eniteſcere decet majori veſtium munditie, & ornatu, quæ locorum, temporumque omnium fuit conſuetudo; nec deſunt obligationes quædam, quibus obluctari non licet, & quæ præcipiunt, ut noſmet conformemus legibus, moribus, & voluntatibus eorum, qui in nos habent poteſtatem; ſed tunc fidelis ſemper cordis humilitatem tueri, ac reginam Eſther debet imitari. Religioſa hæc regina inter infidelis, magnificæque aulæ pompam, quin ob ſuperbos ornatus, quibus ſæpe induta prodire tenebatur, intumeſceret, intrinſecus ſemet humiliabat, atque in cordis ſui amaritudine dicebat Deo: Noſti, Domine, quo in ſtatu ſim, & utrum, cum magnificis redimita veſtibus fulgeo, ſuperba gloriæ meæ deteſter inſignia. Noſti a me tamquam rerum omnium immundiſſimam haberi inanem hunc, qui circum me nitet, fulgorem, atque ſilentii mei diebus a me prorſus contemni; atque poſtquam ad hoc ſolii faſtigium evecta ſui, me ancillam tuam in uno te lætatam fuiſſe.

Exemplum Judith.

Cum generoſum Judithæ facinus magis admirandum ſit, quam imitandum, exemplum ejus mulieribus proponendum non eſt, ut ſeſe ſimiles ornent ob cauſas: ſæpe enim ſeſe magnifice ornantes, ut fortis hæc virago, vulnera infligunt, ac triumphos referunt victis æque ac victricibus funeſtos, neque enim vel Dei juſſu, vel ob patriæ, vel ob propriam ſalutem hoc faciunt. Immo e contra hoc illis quam diligentiſſime cavendum eſt, atque evitandum. Verum enim vero generoſam illam mulierem imitari poſſunt in contemptu ſæculi, quod ætatis flore, ſummaque otia elegantia prædita aſpernata eſt, in veſtium modeſtia, verecundia, ſepoſitaque vita, quam in viduitate ſua duxit, in pietate, pudore, Dei metu, ac optimo exemplo virtutum, quæ ſexum illum maxime decent, & in quibus prætulit facem, quæ res nominis celebritatem, atque mortalium omnium exiſtimationem illi conciliaverat: *Erat in omnibus famoſiſſima*, ut loquitur Scriptura, Judith. 8.

S. Joannis Baptiſtæ exemplum.

Nonne mirum eſt, hominum omnium maximum videre ita indutum, perinde ac eſſet pauperrimus, atque miſerrimus; mortalium omnium ſanctiſſimum pœnitentiæ concilio tectum; præcurſorem Meſſiæ, & gloriæ ejuſdem præconem nullis dignitatis, & præclariſſimi miniſterii ſui inſignibus decoratum? Si ex contemptibili ejus externa facie de merito illius judicium ferendum fuiſſet, quis eum, qualis erat, exiſtimaſſet? Nil minus mirum eſt, quod ipſe Dei filius tanti viri elogium prolaturus, ubi de vitæ ejuſdem auſteritate, innocentia, zelo, totque aliis virtutibus locuturus erat, incomparabilem virum hunc ex ſolis veſtibus deſignare velle videatur, videlicet ex eo, quod unam maxime efficere poterat, ne cognoſceretur. Ad id Sancti Patres reſpondent, cum S. Joannes veniſſet Deum pauperem annuntiaturus, cumque Deus ipſe veniret docturus homines contemptum pomparum, nitoris, & magnificentiæ, talis Meſſiæ præcurſori gerendum fuiſſe indumenti genus muneri, pro quo miſſus fuerat, congruum, & accommodatum: cæterum Meſſiam, qui viciſſim præcurſoris ſui ſanctitati perhibuit teſtimonium, quo nullum glorioſius homini perhibitum fuit ſuper terram, non poſſe melius veram illius denotare magnitudinem, quam per ea, per quæ a mundi principibus, qui in regum aulis videntur, diſtinguebatur, hoc eſt per indumenti genus abjectum, atque rude, cum cetera uni tantum Deo ſint explorata.

Hendry Bibl. Tom. IV.

Magdalenæ pœnitentis exemplum.

Magdalena ad pœnitentiam converſa nos docet, ſinceram cordis contritionem, ſtatim ac intrinſecus peccatorem immutavit, extrinſecus etiam in veſtibus pœnitentiæ ejuſdem argumenta præbere. Hoc in Magdalena viſum eſt, quæ, ſtatim ac peccatorum ſuorum acri dolore acta fuit, pictas, auratasque veſtes, & exquiſita ornamenta, flagitioſæ, libidinoſæque vitæ ſuæ notas reliquit, cum non poſſet apertius oſtendere, ſe omnibus ſæculi vanitatibus, pompiſque abrenuntiare, quam modeſto veſtium genere, incompto, ſine cincinnis, ornatibuſque, qui effecerant, ut tota in urbe peccatrix & haberetur, & vocaretur. Neque enim cenſuit ſe melius reparare poſſe ſcandalum, quod toti præbuerat populo, & expiare crimina, quorum per luxum, ac veſtium immodeſtiam extiterat cauſa, quam ſemet cinere adſpergens, ac induens cilicio. Ita immutatio, vel reformatio indumentorum ſemper indicium fuit vitæ vel magis chriſtianæ, vel pœnitentis, quod veteres ſolitarii facere conſueverunt, & quod hodierna quoque die in omnibus cœnobiis fieri ſolet, ubi religioſæ vitæ initium ducitur ex abdicatione veſtium, & ornamentorum, quæ oſtentabantur in mundo, qua re omnium mundi vanitatum abdicatio ſignificatur.

Exemplum Herodis Agrippæ.

Herodis Agrippæ, de quo ſermo eſt *cap.* 12. *Actor. Apoſtol.* exemplum oſtendit, veſtium magnificentiam inſpirare poſſe ſuperbiam, atque ambitionem. Factum Joſeph hiſtoricus paulo fuſius, quam hiſtoricus Sacer ita narrat. Cum Agrippa, inquit ille, veniſſet Cæſaream Palæſtinæ, plurium dierum ſpatio publicos celebrari juſſit ludus pro Imperatoris incolumitate eo apparatu, atque magnificentia, qua non aliam ſibi fingere poterat ſumptuoſiorem. Altero hujus celebritatis die & ipſe palam prodire voluit, atque pulpitum, vel theatrum aſcendens populum allocuturus, illic effulſit argentea in veſte mira arte contexta, & quæ Solis repercuſſa radiis indigentem emittebat nitorem. Magnifica hæc, & fulgida veſtis non eam ſolum ipſi conciliavit venerationem, quæ regiam dignitatem decebat, qua in re nemo illi obtrectare potuiſſet; verum etiam tamquam numini adorationem; populus etiam exclamavit, hanc Dei potius, quam hominis eſſe vocem, quod & procero corporis habitu, & indumentorum fulgore probabatur. Principi hæ blandæ voces, atque plauſus ſingularem attulere voluptatem, & Sacer hiſtoricus addit, illum ſtatim in arena lethali vulnere affectum fuiſſe, ac non multo poſt vermibus, in ſuperbiæ pœnam, deroſum, & exoſum animam exhalaſſe.

Quorumdam locorum applicationes.

Dei opus corrumpit, qui faciem ſuam fuco illinit.

F*Aciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Geneſ. 1. Quem in locum Sanctus Cyprianus *Epiſt.* 83. nuptas, innuptaſque allocutus ait, mulierem, quæ Dei opus eſt, non debere faciem deformare ſuam, neque fuco, aliove quopiam colore uti. Faciamus hominem ad imaginem noſtram, inquit Deus; homo vero poſt hæc ita erit audax, ut immutare velit, quod fecit Deus? Hoc eſt manum attollere in Deum, reformare velle, quod ab illo factum eſt, quidquid enim naſcitur, opus eſt Dei, & quidquid ibi mutatur, eſt opus dæmonis. Si poſtquam egregius pictor aliquam pinxit imaginem, alter tamquam peritior manum tabulæ admoveret, ut illam corrigeret; diceres profecto, hunc illi injuriam afferre, & priori non deeſſe æquiſſimam conquerendi cauſam: putas tamen te manum admovere poſſe imagini, quam finxit Deus, qui ob adeo improbam temeritatem in te animadvertat? Colores iſti, quibus uteris, opus Dei deſtruunt, & naturæ veritatem, atque ſimplicitatem corrumpunt.

Cur fecerit Deus primi pa-

Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos. Geneſ. 3. Deus,

 ut

ut in Geneſi ſcriptum eſt, Adæ, uxorique ejus fecit veſtes ex animantium coriis, & induit eos.

pentibus tunicas pelliceas.

Hac re docet ſimplicitatem, atque modeſtiam eſſe debere opifices veſtium reliquorum mortalium; atque ex hoc veluti exemplari normam, formamque deſumendam eſſe, ut conformes ſint legibus, & inſtitutis primi hujus artificis. Satis fuit illi primis parentibus ſuppeditare, unde tegerentur, ac ſimul in illis excitare mortis, quæ juſta erat peccati ipſorum pœna, memoriam. Et ſane cum eadem facilitate magnificas illis conſuere veſtes poſſet, pelliceas tradidit, quæ & eorum pudori, & temporum injuriæ conſulere poſſet, ut inde intelligerent, quo in ſtatu, atque ſimplicitate exilii ſui dies traducere poſſent.

Quanta, & quam ridicula ſit veſtimentorum vanitas.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Eccl. 1. Verba hæc non melius applicari poſſunt, quam luxui indumentorum, quorum corruptio generalis eſt, & latiſſime patet. Hæc vero vanitas eſt vanitatum, hoc eſt maxima vanitatum omnium, humanæ mentis infirmitatem oſtendens, cum externæ tantum innitatur ſpeciei, nitidiſque indumentis, quæ quantumvis magnifica, tamen ſemper ſunt turpia peccati noſtri indicia, & quibus mulieres tantum affici poſſe videbantur, propter ſexus ſui imbecillitatem. Sed malum hodie ad viros uſque pervaſit, qui per hoc omnino effœminati facti ſunt. Heu! Si S. Paulus ævi ſui mulieribus tanta vi ornatus prohibet, cujus criminis ſimulandos cenſuiſſet mares, qui ita vani, ac imbecilles ſunt, ut eadem ornamenta perquirant?

Luxus, & mollities non in principum tantum domibus invenitur.

Ecce qui in veſte pretioſa ſunt, & in deliciis, in domibus Regum ſunt. Luc. 7. Mollities, & luxus, quæ apud principes dumtaxat viros inveniri fas eſſet, ſeſe in mediocres etiam ſtatus late effuderunt; quippe per te, Domine, dicere nobis liceat, non eſſe nunc opus, ut regum ædes adeamus eos viſuri, qui magnificis induti ſunt veſtibus, & qui inter delicias verſantur. Quam nuper humili, abjectoque loco natum diſciebamus, modo indumentorum ſumptibus nitet, externa, fulgidaque ſpecie conatus populi oculos perſtringere, & originis ſuæ dedecus, atque humilitatem celare. Verum cur ſingillatim loquimur de vitio, quod adeo commune eſt, & generale? Omnes homines, ſi aliquot ſanctas animas excipiemus, ut in luxum impingunt, quin in exceſſu hoc illos vel religio, vel conditio ſua moderentur, unice bonorum ſuorum facultatem, ſuæque cupiditatis magnitudinem conſulentes.

Induimini Dominum Jeſum Chriſtum. Ad Rom. 13. Hæc Apoſtoli verba ex nonnullorum auctorum ſententia ſignificant opus eſſe, ut induamur quodammodo Jeſum Chriſtum, ſicuti veſtem induimur; & non ſatis eſſe intrinſecus ſpiritu illius animari, niſi exterioris corporis habitu ad modeſtiam, & verecundiam compoſito illum profiteamur; ita ut ex illius ſchola deprehendamur, qui illius gerimus inſignia, modeſtiam videlicet, pudorem, totamque externam ſpeciem, quæ *habitus* nuncupatur. Hinc Tertullianus ait, Chriſtianum olim ex hujuſmodi notis in Idolatrarum turba cognoſci conſueviſſe, ac veſtem illius teſtimonium perhibuiſſe, cujuſnam eſſe religionis. Quapropter Sanctus Cyprianus ait, mulierem, aut virginem mundano ritu exornatam indui non poſſe Jeſum Chriſtum, ſine quo nemo ingredietur in gloriam, & addit, propter exteriorum ornatuum pulchritudinem, & decorem ſæpe interiorem animæ cultum perire. Hinc facile inferri poteſt, eum, qui extrinſecus indutus non eſt Jeſum Chriſtum, neque intrinſecus eumdem habere, ac ſimilem eſſe ſervo, qui hero ſuo famulatus herilia inſignia, coloreſque geſtare dedignaretur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac ſententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Verus ornatus Chriſtianorum, mores boni ſunt, Auguſt. Epiſt. 73.

Habitus impudicus corporis, nuncius eſt adulterini cordis. Idem, Serm. 247 de Tempore.

Plerumque ubi corpus ſi nitet, ſqualet animus. Idem, in Pſalm. 44.

Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. Idem, Epiſt. 109

Ignis juvenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia, veſtes pretioſa. Hieronym. Epiſt. ad Furiam.

Ad ſpeculum pingitur, & in contumeliam artificis, conatur pulchrior eſſe quam nata. Idem, l. adverſus Helvid.

Tenera res eſt in fœminis fama pudicitiæ. Idem, Epiſt. ad Salvin. de ſervanda viduitate.

Ornatus & ſordes pari modo fugienda ſunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Idem, Epiſt. ad Nepotianum.

Munditia corporis atque veſtitus, animæ eſt immunditia. Dictum Sanctæ Paulæ. Idem, Epiſt. 27. ad Euſtochium.

Si vir vel mulier ſe ornaverit, & vultus hominum ad ſe provocaverit, etſi nullum inde ſequatur damnum, judicium tamen patitur, quia venenum attulit, ſi fuiſſet, qui biberet. Idem, Epiſtol. ad Nepotianum.

Spernat bombicum telas, veſtimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora nudentur. Idem, Epiſt. ad Lætam.

Neglecta decoris cura plus placet, & hoc ipſum, quod nos non ornamus, ornatus eſt. Ambroſ. lib. de Virginibus.

Mulier ornata, eſt domus omnium dæmonum infernalium. Idem, ibid.

Quod pro ſola inani gloria veſtimentum pretioſius quæritur, res ipſa teſtatur, unde nemo velit pretioſis veſtibus indui, ubi ab aliis non poſſit videri. Gregor. Homil. ultim. in Evang.

Nemo veſtimenta pretioſa niſi ad inanem gloriam quærit, ut honorabilior cæteris videatur. Idem, Homil. 40. in Evang.

Sordida veſtes candida mentis indicia ſint, vilis tunica contemptum ſæculi probet, ita dumtaxat ne animus tumeat, & habitus ſermoque diſſentiant. Hieron. ad Ruſtic. Monach.

Eximiæ & ſplendida veſtes iis demum conveniunt, quibus nullus vitæ ſplendor, nullum virtutis decus ſuppeteret. Gregor. Nazianzen. in parœneſi ad Olymp.

Quidquid in virorum gratiam comminiſceris, corporis libidinem prodit. Idem.

Hæc artificia (nempe mulierum ornamenta) non pudicitiæ ſunt, ſed laſciviæ ac libidinis. Idem.

Qui amicta pretioſo venuſtant corpora ſua, ut placeant hominibus, Deo placere non poſſunt. Athanaſius, lib. de Virginit.

Illicium diaboli (ita S. Antonius mulieres comptas appellabat. Ut habetur in ejus vita.

Non illa ornamenta, ſed crimina ſunt; lenocinia formæ, non præcepta virtutis. Ambroſ. l. 3. de Virginibus.

Fugiant caſtæ virgines, & mulieres pudicæ, inceſtarum cultus, habitus impudicarum. Cyprian. de habitu Virginum.

Quid ex talibus expectandum, qui comas aut veſtes ſupervacuas curant, niſi ut laſcivius illo ornatus fœminas prætereuntes invitet. Idem.

Quis non id execretur & fugiat, quod aliis fuerit exitio? Quis id appetat, & ſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit & telo? Idem.

Arguit te cultus impudicus, quod mente caſta non ſis. Idem.

Solli-

Digitized by Google

Sollicitudo de pulchritudine, mala mentis indicium, & deformitatis animæ ſignum. Idem, de bono Pudicit.

Non eſt pudica, quæ affectat animum alterius movere, etiam ſalva corporis caſtitate. Idem, ibidem.

Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio eſt iſta divini operis, prævaricatio veritatis. Idem, de habitu Virg.

Non de integra conſcientia venit ſtudium placendi hominibus per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus. Tertull. l. de cultu mulier. c. 2.

Totam iis (nempe ornamentis) circumferunt mulieritatem. Idem.

Quod naſcitur, opus Dei eſt, ergo quod fingitur, diaboli negotium eſt. Idem, de cultu mulier. c. 5.

Proficiamus ornamenta terrena, ſi cæleſtia optamus. Idem, cap. 13.

Pudicitia Chriſtiana ſatis non eſt, eſſe caſtum; verum & videri: tanta enim debet eſſe plenitudo ejus, ut emanet ab animo in habitum. Idem, ibidem.

Veſtite vos ſericos probitatis, purpura pudicitiæ: taliter pigmentati Deum habitis amatorem. Idem.

Propter mutuum videre ac videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut ut luxuria negotietur, aut gloria inſoleſcat. Idem, cap. 11.

Apud barbaros, quia vernaculum eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtulo habent: & divitiis malos onorant. Idem.

Grande pallii beneficium eſt, ſub cujus recogitatu improbi mores vel erubeſcunt. Idem, de pallio, cap. 6.

Tegendo homini neceſſitas præceſſit, de hinc ornando ambitio ſucceſſit. Tertull. de pallio.

Veſtium cultus aut ambitionem aut proſtitutionem ſapit. Idem, de habitu mulier.

Quæ rerum ſecularium curam habet, neque virgo, neque honeſta eſt. Chryſoſtom. Homil. 19. in 2. ad Corinth.

Difficile eſt, fortaſſe etiam impoſſibile, corpore in hunc modum ornato, ſimul ornari animam. Idem, Homil. 18. in eandem Epiſt.

In alienis animabus luditis, & ex alienis animabus voluptatem propriam conſtituitis. Idem, Serm. regulares fœminæ viris cohabitent.

Eo inſania homines pervenere, ut aurum veſtibus intexant, imprimis autem mulieres huic mollitiei deditæ ſunt. Idem, Hom. 18. in Geneſim.

Audiant opulenti, & qui luxuriant in vermium operibus, & veſtiuntur ſericis, diſcant quomodo ab initio humanam naturam miſericors Dominus docuerit. Idem, Homil. 18. in Geneſ.

Non cogitas, quod pro magno ſupplicio propter traſgreſſionem tegmen eſt excogitatum. Idem, ibidem.

A corporis cultu innumera fiunt mala, arrogantia quæ intus naſcitur, deſpectus proximi, faſtus ſpiritus, animæ corruptio voluptatum illicitarum comes. Idem, Hom. 41 in Geneſ.

Acceſſiſti ad templum, ut Deum pro peccatis tuis depreceris, ut cum gemitu & lachrymis veniam petas; quid teipſam ornare improbo & intempeſtivo ſtudio contendis? Idem, in cap. 2. 1. ad Timoth.

Vis ornare faciem? non margaritis orna, ſed modeſtia & honeſtate, Idem, Homil. 21. ad Popul. Antioch.

Quam excuſationem habebis, quando te Dominus accuſabit de margaritis iſtis, & pauperes fame preditos in medium aget? Idem. Homil. 21. ad Popul.

Modeſtia ornatus omnem improbam ſuſpicionem expellit; omni autem vinculo firmius conjugium conciliat. Idem, ibid.

Etſi parva hæc peccata videantur, ac ideo negliguntur, majorum tamen delictorum cauſas nobis præbent. Idem, Homil. 50. in Matth.

Veſtium curioſitas deformitatis mentium ac morum indicium eſt. Bernard. lib. 3. de Conſiderat.

Mollia indumenta animi indicant mollitiem; non enim tanto ſtudio curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens virtutibus exculta. Idem, in Apolog. ad Guill. Abbat.

Exterior ſuperfluitas interioris vanitatis indicium eſt, Idem, ibidem.

Nullum majus ſcandalum occurrit, quam ille ipſe virorum ac mulierum accuratior cultus. Tertull. lib. de ſpect. cap. 25. & de cult. mul. cap. 5.

Serica, & purpura, & tincturarum fucus decorem habent, ſed non præbent. Bernar. Epiſtol. 113. ad Sophiam Virgin.

Incentiva vitiorum. Ambroſ. lib. 1. de Virginibus.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hoc in argumento poſſit hauriri.

Quid luxus & veſtium immodeſtia, & in quo utrumque conſiſtat.

INutile hic eſſe reor, luxus, & immodeſtiæ veſtium definitionem afferre, & in quo utrumque conſiſtat, ſtatuere, hoc enim ſatis, ſuperque liquet, & a nemine ignoratur. Dicere ſatis eſt, in hoc pluribus modis peccari poſſe; 1. in veſtium materia, cum nimis rara eſt, nimiique pretii; ita ut ſtatum, & conditionem noſtram minime deceat; 2. in forma earumdem, ac ornatibus ſuperfluis, qui ingentes ſumptus requirunt; 3. in earum multitudine, cum pro variis anni temporibus variæ mutatoriæ veſtes habentur, quibus & in urbe, & ruri, & in variis cœtibus, ac locis, quo tibi prodeundum, utaris, quod proprie luxus appellatur. Verum cum ad hæc recentes indumentorum ſectaris ritus inventos potius, ut non ſine ingenti ſcandalo nuditates quæquam pateant, quam ut membra tegantur, atque exornentur, hæc veſtium immodeſtia vocatur.

Ornatus per ſe indifferentes virtuti ſimul, & vitio poſſunt inſervire.

S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 169. docet generatim loquendo virtutem æque, ac vitium inveniri poſſe in externis ornatibus, ac indumentorum ritibus. Virtus eſt, ait ille ex S. Ambroſio, cujus affert auctoritatem, quia ibi quædam honeſtas, & urbanitas eſt in veſtibus, cæterisque ornamentis requiſita, quæ ſimplex eſſe debet, naturalis, & minime affectata; & honeſtas hæc pertinet ad virtutem, vel ipſa potius eſt virtus. Cæterum hæc ornamenta, quæ per ſe nullo ſunt in diſcrimine, vitioſa fieri poſſunt per uſum eorum, cum nimis perdite conquiruntur, cum nimis excedunt, cum neque ſtatui noſtro, neque conditioni, neque locorum conſuetudini ſunt conformia, vel cum nimia, & affectata ſollicitudine ambiuntur. Hic autem exceſſus ex immoderata ambitione, aut vana oſtentatione procedit, cum aliquis honorem, atque exiſtimationem ſibi conciliare contendit nitore pretioſarum veſtium; vel ex libidine, cum per has molles delicias in iis, quæ neceſſitati dumtaxat inſervire debet, voluptas perquiritur; ac tandem, cum in ſeſe ornando nimium curæ, temporiſque tranſmittitur. Peccari quoque poteſt, licet hoc accidat infrequentius, per defectum, quemadmodum per exceſſum peccatur: videlicet cum nimia adhibetur in veſtibus negligentia, cumque alia inanis gloriæ ſpecie abjectæ, ſordidæque veſtes affectantur, quod olim Cynici facere conſueverant, quibus exprobrabatur, quod per eorum ſcruta, centoneſque ipſorum ſuperbis interniteſceret.

Quando mulierum ornatus culpa vacent, vel ſecus.

Quoad muliebres ornatus, de quibus hic potiſſimum quæſtio eſt, conſiderari poſſunt, quatenus referuntur vel ad urbanitatem conſuetudine comprobatam, vel ad conſilium, quo ſeſe hoc pacto ornant, & comunt. Conſtat profecto, quod ſeſe ornare, ut cæteræ ſolent, & prout ſingularum ſtatum, & conditionem decet, nulli obnoxium eſſe poteſt cenſuræ, dummodo exceſſus abſit, quem invexit licentia, & qui ipſam lædit urbanitatem. Verum certiſſimum quoque eſt, ornatus, qui pravo conſilio induuntur, nefarios eſſe, ac ejuſdem naturæ, cujus peccatum illud, quod menti obverſatur, ſeu vanitatis illud ſit, ſeu impudicitiæ.

Fucos, quo ad pingendam faciem utuntur, ſi hic res ſubſiſterit, peccatum eſt vanitatis, ſed grave ex SS. Cypriani, atque Chryſoſtomi ſententia; hæc enim eſt naturæ ipſius deformatio ad corrigendum opus Dei, qui agnitur, quaſi illud ex ſuo, non autem noſtro arbitrio efformaverit: niſi tamen hoc fieret ad celandum vitium aliquod naturale, quod avertere poſſet eos, quibuſcum vivimus, agimuſque; tunc enim peccati nomine damnari non poſſet.

Nullus eſt Theologus, qui non fateatur, grave, ac mortiferum peccati genus eſſe corpus ſuum exornare animo capiendi oculos, & corrumpendi cor eorum, qui nos hoc in ſtatu intuentur; hoc enim eſt illis inſidias ſtruere, eiſque occaſionem præbere ſcandali, & lapſus in crimen impudicitiæ. Prætérquamquod, licet etiam non eſſemus animo ita pravo, hoc ſaltem eſt pernicioſum præbere exemplum illis, qui ejuſdem ſunt ordinis, & conditionis, ut & ipſi ſimiles faciant ſumptus, quin æs alienum diſſolvant, vel eleemoſynas erogent, uti tenentur, cum habent ea, quæ in ſuperfluis ornamentis inſumant.

In ſolo magnificarum veſtium amore culpa non ſtaſit.

Præterea ſolus amor, quo veſtes nimium magnificas, habita ſtatus, & conditionis noſtræ ratione, deperimus, ex D. Gregorio peccatum eſt, quod nobis æternam parere poteſt perniciem; etenim, ut magnus hic Pontifex inquiunt, ſi ibi peccatum non eſſet, Salvator nequaquam illum retuliſſet veluti unam ex cauſis, propter quas malus dives damnatus fuit, quod videlicet induebatur purpura, & byſſo; neque celebraſſet S. Joannem, eo quod ſimplici, rudique ritu induceretur, Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. nequaquam interdixiſſet mulieribus aureorum ornamentorum, unionum, & magnificarum veſtium uſum; neque omnibus ſæculis SS. Patres declamaſſent contra luxum indumentorum, cultuſque ſuperfluos, ſi eorumdem amor crimine caruiſſet.

Cuinam rei innitatur obligatio fugiendi luxum inde pretioſorum.

Si ſcire cupis, cuinam rei innitatur prohibitio luxus, & ornatuum nimis pretioſorum, & exquiſitorum, quibus utuntur mundani, ajo, præceptum ex ipſa deſumi chriſtianæ religionis eſſentia, quæ in hoc poſita eſt, ut totum præſtes fidem, quæ in baptiſmo pollicitus es, ideoque pompis, ac vanitatibus ſæculi abrenunties. Sancti Patres hoc votum eſſe dicunt, & S. Hieronymus illud maximum, quæ unquam fieri poſſint, votorum appellat. Itaque cum in baptiſmo chriſtianam religionem ſumus amplexi, ſolemniter abdicavimus veſtium luxum, qui potiorem conſtituit pompæ, fulgoris, vanitatis, & ut S. Paulus ait, nitentis figuræ hujus mundi partem, qui præſtigiator eſt, & fallax, atque infeſtiſſimus dogmatum Salvatoris inimicus. Promiſimus, nos filii Dei crucem perlaturos eſſe, & ſecundum evangelicas leges, atque inſtituta mores eſſe conformaturos: igitur, cum veſtium luxus, curioſa ornamenta, magnificuſque cultus omnino chriſtianæ humilitati, paupertati ſpiritus, mortificationi, atque terrenarum rerum abdicationi, quæ totidem præcepta ſunt, ſint prorſus oppoſita, quærere ubinam Deus luxum prohibuerit, nonne idem eſt ac quærere, utrum Chriſtiani ſimus, & quibuſnam rebus in baptiſmo abrenuntiaverimus?

Mulieres, quæ ſeſe curioſius, & cum affectatione comunt, ut plurimum finibus parum innocuis aguntur.

Ex mulieribus, quæ tam ſedula cura, & faſtu ſe ipſas comunt, libenter quærerem, utrum innocuos ſemper fines, ac intentiones ſatis puras habeant? Affirmare id ab illis fieri, ut placeant Deo, blaſphemia eſt, aſſerere, oblectari Deum hujuſmodi vanitatibus, quæ illius excitant indignationem, ut ipſe per Prophetam ſuum inquit, idem eſt ac illudere Deo. Ut hominibus ergo placeant, ſe ipſas comunt; & hoc ſcelus eſt, ut propter quod minatur Deus ſe æterna confuſione puniturum eas, quæ hac in re peccaverint, quia in hujuſmodi occaſionibus placere non poſſunt, quin ad peccandum alliciant eos, quibus placent. Sin autem reſpondeant, hoc a ſe fieri, ut ſibi placeant, atque ut ipſæ inde oblectationem percipiant; hæc ipſa oblectatio non recedit a natura illius, quæ lapſus principis Angelorum fuit cauſa, qui cum immoratus fuiſſet cogitans pretioſa gratiæ, atque naturæ ornamenta, quibus præditus erat, in illis placuit ſibi, in hac cogitatione quievit, ideoque de cœlo, ac paradiſo dejectus fuit, illuc non ultra reverſurus. Sed diſcrimen attende; Deus enim Angelo ſuperbo hæc ornamenta largitus fuerat; mulieres vero ſua invito Deo ſibi concinnant. Cum belle corpus exornarunt ſuum, ſecreta cum voluptate ſibi blandiuntur; ſibimet ipſis ſexcentis complacent modis, ſe ita venuſtas, formoſaſque nactæ ſe magis amant, & hunc ſui amorem Dei amori anteponunt. Sed ratio hæc intentionem in ſolo ſui jucundo aſpectu circumſcribendi ſæpius inanis eſt excuſatio, & contradictio manifeſta, quippe cum ſolæ ſunt, arbitriſque remotis, hæc abjiciunt ornamenta, tunc ſolum reſumenda, cum palam, & in cœtus prodituræ ſunt.

De fine, propter quem veſtes inditæ ſunt.

Unumquodque ex fine ſuo regendum eſt; illinc norma agendi deſumenda eſt, quia illinc præcipua deſumitur utilitas; quamobrem media non aliam habent bonitatem præter eam, quam a fine ſuo accipiunt: hoc eſt quatenus ad hunc referuntur, & apta ſunt, ut ad eumdem perveniant. Quæ autem res hominem agere potuit, ut veſtibus uteretur, niſi ſola neceſſitas? Etenim cum omnem oderit vim, ac ſervitutem, minus, quam fieri poteſt, ſeſe ſubjicit illi; neque unquam adeo duram, gravemque ſibi legem injeciſſet, niſi illum neceſſitas, quæ lex eſt inevitabilis, coegiſſet. Hæc immo duplex neceſſitas fuit; altera quidem ut ſuæ valetudini, vitæque conſuleret, arcens hoc pacto aeris injurias, atque temporum rigorem; altera vero ut urbanitati conſuleret, ſuis, aliorumque oculis tegens corporis nuditatem, cujus ut nos puderet, peccatum fuit cauſa. Hinc ſequitur veſtes utiles non eſſe, niſi quatenus conformes ſunt duobus hiſce finibus, qui illas, ut ita dicam, inſtituerunt. Verum nonne liquet, luxum utique ſuperfluum eſſe, & magnifica indumenta non ſolum neceſſaria non eſſe, verum etiam fini, atque inſtitutioni veſtium adverſari? Hic igitur noxius eſt ſuperbiæ, & vanitatis abuſus; atque tot veſtium ritus, & ornamenta veſtibus ipſis ſuperaddita, ut plurimum, decorem ipſum lædunt, atque modeſtiam.

Veſtium inſtitutio ex peccato profecta.

De fide eſt, primam veſtium inſtitutionem ex primorum parentum peccato profectam eſſe, qui cum ſeſe hoc inquinaſſent Dei mandata perfringentes, pudore ſuffuſi propter inordinatam, quam in corporibus ſuis experiebantur, affectionem ſibi folia ficus conſuerunt; & Deus, qui eorum infelicitatis, ac ſtatus miſertus eſt, in quem ſua illos inobedientia perduxerat, pelliceas illis veſtes concinnavit. Veſtes itaque nota ſunt, ac teſtimonium peccati, ſimulque lapſus, quo homo dejectus fuit de gradu, qui in innocentiæ ſtatu nullis egebat operimentis. Et in ſtatu, in quo creatus fuit homo, nobilis erat; in ſtatu peccati; in quo naſcimur, veſtes ſigna ſunt noſtræ paupertatis, vel potius ſervitutis: unde ſequitur, non ferendam eſſe ſuperbiam ex veſtibus ipſis gloriam aucupari, quæ licet nitidæ, ac magnificæ, ſunt tamen noſtræ infirmitatis indicia, & cauſæ pudoris.

Vana ornamenta puritati oppoſita.

Virtus, quæ corpus noſtrum honore aliquo dignum efficiat, pudicitia eſt; ſed mundanitas illud hoc exuit bono, & vana ornamenta ipſum reddunt infame, quippe ipſum in incontinentiæ ſuſpicionem accerſunt: quamobrem Tertullianus ait, caſtitatem, ut perfectam habeat pulchritudinem, non quærere ornatus; ipſamque eamdem eſſe pulchritudinem, quæ nonquam Deo placeat magis; quam cum vitioſis hominibus diſplicet.

Chriſtiana veritas eſt, ac ſenſus ſtatui, & conditioni, in qua in hac vita ſumus, conformis, noſmet ipſos a nobis habendos eſſe veluti reos, quibus, ſimul ac vitam accepimus, prolata fuit mortis ſententia, & quibus in ſingula momenta ſententiæ hujus executio expectanda eſt. Reum autem

mor-

morte damnatum quis ornat ? hoc tamen quotidie pleræque mulieres, ac virgines faciunt: quippe ornant corpus morte damnatum, quia corpus eſt peccati, ut loquitur S. Paulus. Illud palpant, locupletiſſimis ornatibus inſtruunt, & interim illud ipſum mortificare, atque, ut cum eodem Apoſtolo ad Galat. 5. loquar, crucifigere tenentur: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.*

Feſtorum dierum prætextus luxum, vestiumque pompam non probat.

Non deſunt, quæ luxui, vanitatiſque ſuæ prætexunt eam, quam habent, cupiditatem dies feſtos colendi, atque hoc pacto aliquid eorum celebritati conferendi. Licet profecto diebus hiſce nitidius indui, & ut cum Scriptura loquar, feſtivitatum, ac lætitiæ veſtes aſſumere; verum ſemper non ſine ea modeſtia, & decore, quem ſtatus, & conditio ſingularum requirit. Etenim non ſacrificium, cui intereſſe tenentur, non Dei verbum, non divinum officium, quæ præcipuæ ſunt horum dierum cæremoniæ, vanum hunc exiguut apparatum, qui potius turbare poteſt feſtivitatem, & ſanctam requiem, propter quam dies illi inſtituti ſunt. Hoc quippe idem eſt, ac in ſanctis locis exponere idola, quæ in ſe oculos adſtantium convertant, eoſque avertant ab aris, & prohibeant, ne verbo Dei, ſacriſque myſteriis ea, quæ opus eſt, adhibeatur attentio. Ita ara contra aram ſtatuitur, ut ibi animæ dæmoni immolentur, inanibus ornamentis, & exquiſitis veſtium elegantiis, quæ, ut S. Cyprianus inquit, ſunt totidem gladii mortis vulnus inferentes animabus, quæ in ſanctos hoſce locos ad vitam gratiæ percipiendam venere.

Regula in veſtibus adhibenda.

Potiſſima, quæ hac in re tradi poſſit, regula ex ſtatu ſingulorum deſumenda primum eſt. Cum enim profeſſio noſtra ab electione cujuſque pendeat, nemo jure conqueri poteſt ? quaſi cogatur vitam inſtituere ſecundum eam conditionem, cui ex propria adhæſit voluntate. Hinc potiſſimum modus petendus eſt, & non ſecus; ac corporis magnitudo regula eſt magnitudinis indumentorum, ita ſtatus, conditio, & gradus ſingulorum norma eſſe debet pretii, & qualitatis eorumdem. Hoc ita inſtituere humana debuit politia: ſicuti enim ſocietas, quæ vitæ civili eſt neceſſaria, exigebat, ut variæ eſſent artes, variique mortalium ſtatus, ut neceſſitatibus, quæ illic occurrunt, ſatisfieret, jure eos cogere potuit, ut quiſque profeſſionis ſuæ geſtarent inſignia. Hoc autem ſapientiſſime inſtitutum eſt; quippe in hac ſocietate omnino neceſſarium eſt, ut ſinguli intelligant, quicum res ſibi ſit: cumque cognitio hæc hauriri non poſſit ex facie, neque ex aliis corporis noſtri lineamentis, ex veſtibus deſumenda fuit, quod primum eſt, quod oculis accidat, objectum. Quod vero magis nos de regulæ hujus æquitate perſuadet, ea eſt perturbatio, quæ hodierna die in mundo gliſcit, ex quo lex, vel regula iſta perperam obſervatur. Attamen non hoc unum illud eſt, cujus ratio habenda ſit diligenter: etenim in quolibet ſtatu, ac profeſſione conſideranda quoque eſt ætas perſonarum; ornamenta quippe, quæ decent adoleſcentiam, provectiorem dedecent ætatem. Præterquamquod hac in re non modicam ſibi partem vendicat conſuetudo; nam veſtis, quæ olim in more erat poſita, nunc temporis obſoluta eſt, Sequi igitur licet; quod fieri conſuevit; verum ſemper intra ſtatus ſui, ſuæque conditionis modeſtiam.

Qualitas, vel conditio perſonarum prætexere non poteſt luxum, vel immodeſtiam.

Quod attinet ad veſtium, ornatuumque pretium, fatentur omnes, hos accommodari poſſe opibus, generi, & conditioni ſingulorum: ſed etiam æque certum eſt, nullam eſſe conditionem, genus, opes, quæ luxum permittant, hoc eſt ſuperfluam profuſionem, quæ minimum confert, ut deprehendatur conditio noſtræ, quæ magis nitebit ex modeſtia, ſapientique agendi ratione, quæ hac in re ſervabitur. Multo igitur minus qualitas iſta, vel conditio facultatem præbere poteſt, vel jus immodeſto veſtium genere utendi, eaque parum honeſta ratione, quæ pudorem, & chriſtianam lædat modeſtia. E contra vero cum qualitas, & conditio eos, qui aliqua nitent auctoritate, jubeat ſatem præferre, & præbere exemplum aliis, qui eorum facta, moreſque ſequuntur, jubet quoque abſtinere, ne veſtibus parum modeſtis, nimiſque magnificis luxum, & immodeſtiam invehere videantur.

Puritatis cura in mulieribus, & puellis externum cultum regere debet.

Hoc etiam certiſſimum axioma eſt, externum corporis cultum in fœminis, virginibuſque cura, & amore puritatis eſſe regendum; neque enim decipiamini putantes caſtitatem in ſola corporis integritate conſiſtere, ejuſque obligationem, quæ omnibus hominibus pro ſtatus ſui conditione inevitabilis eſt, nequaquam uſque ad exterioris indumenti regulam extendi. Quicumque amabilem hanc diligit virtutem, bonum etiam illius odorem habet in pretio, nihilque vel in ſe, vel in aliis pati poteſt, quod vel leviſſimam illi nebulam valeat offundere; ideoque vitium illi oppoſitum odit, & ne minima quidem illius ferre poteſt indicia, qualia proculdubio ſunt veſtium immodeſtia, & hi recentes indumentorum ritus, qui honeſtati, atque verecundiæ officiunt; verbo, quidquid vel minimæ locum præbere poteſt ſuſpicioni. S. Cyprianus de chriſtianis virginibus ait, cum illæ ſint membra Filii Dei, ut S. Paulus Apoſtolus inquit, cumque ſimul omnes corpus Jeſu Chriſti componant, Jeſu Chriſti more, non autem mundi, qui illius eſt infeſtiſſimus hoſtis, eſſe induendas. Chriſtianæ virgines ſunt etiam templum Spiritus Sancti; ideoque parentibus, qui cuſtodes earum ſunt, cavendum eſt quam diligentiſſime, ne earum ſanctitatem corrumpant, ne illis inhabitans Deus loco cedere teneatur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Veſtium luxus non extrema eſt ſæculi vanitas.

NE quid dicam de criminibus aliis, quibus improbitas luxum, veſtiumque magnificentiam inſervire facit, citra hyperbolem, & quin veritati aliquid ſuperadſtruatur, dicere poſſumus, ſeſe ornandi curam vaniſſimam eſſe omnium occupationum, quæ umquam extiterint. Quænam indumentorum, ornatuumque præſertim vero in mulieribus ſuperflua cura! Tanta eſt eorum multitudo, atque varietas, ut veteres ad illam innuendam aptius vocabulum invenire non potuerint, quam *mundum* vocantes; ſeu quod omnium elementorum exuviæ adhibentur, ſeu quidquid petrarum, ac pretioſiſſimum omnibus in terris invenitur, ad earum exornandas veſtes impenditur. Quomodocumque ſit, conſtat univerſum hunc apparatum a vanitate excogitatum fuiſſe, atque tot minutis operibus meliorem artificum partem exerceri, qui nonniſi ad luxum, & vanitatem alendam operantur. Tandem enim opera denticulata, vitæ, amenta, abyſſinæ, ſericæque veſtes, laciniæ, ac indumentorum ritus, qui recenter quotidie ſubinferunt, & qui ad aciem oculorum oblectandam, luxumque alendum excogitantur, plures exercent manus, & brachia, quam res illæ, quæ humano victui magis utiles ſunt, & neceſſariæ; ideoque dici poteſt hæc maxime omnium manifeſta vanitas eſſe, quam paſſim ubique populi, & nationes omnes excipiunt, & exprobrant: nam quæcumque leges rogatæ fuerint ad illius curſum inhibendum, hominum hac in re obſtinata voluntas efficiet, ut ſemper dominetur,

Veſtium ſumptus mera vanitas eſt.

Nihil magis inane eſt, quam de re illa gloriari, quæ noſtra non eſt. Videri velle divitem ſub aliena, mutuatæque veſte, & modicum illud naturalis formæ, quod habemus, commendare velle fuco, & arte, vel aliquot lapillorum beneficio, quæ ſummo pretio comparantur. Nihil nobis honorificum eſſe poteſt, niſi quod pendet a nobis, atque ipſi opifices eſſe debemus ejus exiſtimationis,

quam acquirere volumus. Quo magis alienis indigeas rebus, ut te exornes, eò magis tuam oſtendis paupertatem: ille enim ditior eſt, qui minus eget. Nemo enim totam ornatuum ſupellectilem jactare poteſt, quin ſuam oſtendat egeſtatem. Verum enim vero ratio illa philoſophum ſapit; atque hæc Senecæ argumentatio parum apta eſt, quæ adeo generali malo medeatur. Attamen ſi homo rationi aurem adhibere vellet, fateretur hanc fatuam eſſe, putidamque vanitatem, exiſtimationem ſibi conciliare velle exteriori hoc cultu, qui vel pauperis artificis opus eſt, vel captivi alicujus animantis exuviæ, vel terræ fructus, qui ars nitorem adjecit. Forma quippe veſtis, quæ induitur, & phrygium opus, quo pannus ipſe exornatur, non aliud eſt, quam opus hominis, cui aliquando oſſa deeſt ad vivendum. Aurum iſtud, quod nitet, nihil eſt, quam parum terræ ſolaribus radiis excoctæ, atque igni deputatæ: uniones non aliud ſunt, quam fluens concharum ſaliva: ſericum non aliud, quam bombicum ſpuma, & excrementum: molliſſima vellera, non aliud, quam ovium exuviæ, & laciniæ, & opera denticulata, non aliud, quam egenorum labor, quos fames ſæpe coegit, ut novniſi in ſervitute vitam ducere poſſent. Hæc omnia coemuntur, & nihil horum ex noſtro penu eſt. Mera igitur vanitas eſt, & putida oſtentatio ex judicio ejus, cui vel modicus rationis, ac ſanæ mentis ſit uſus. *Idem*.

Veſtes nobis erubeſcendi potius, quam ſuperbiendi cauſa eſſe debent.

Ut magis chriſtiane loquamur, nonne vanitas eſt non ferenda, in honore eſſe velle propter id, quod ruborem nobis deberet offundere, atque ſuperbiæ cauſam ex noſtræ ignominiæ nota deſumere? Ut de vero honore æquum judicium feramus, origo illius inquirenda eſt, ac videndum, quid illum pepererit. Quænam autem eſt cauſa magnifici hujus veſtium apparatus, quem poſt ſe vanitas trahit? Non alia ſane præter primi hominis peccatum; veſtium neceſſitas eſt prima veluti inobedientiæ, atque rebellionis ejus pœna. Donec in innocentia ſua perſtitit Adam, nullum fuit veſtibus opus, & hoc infame eſt noſtræ prævaricationis indicium. Hoc ferre tenemur, ut univerſæ naturæ teſtemur nos eſſe poſteros infelicis illius viri, qui propter infidelitatem ſuam de terreſtri paradiſo ejectus fuit. Quomodo ergo citra noxiam vanitatem fieri poteſt, ut infamiæ noſtræ characteribus utamur ad hoc, ut habeamur in pretio, & honeſti viri habeamur? *Idem*.

Sæpe ſe contemptibilem facit, qui veſtium pompa allicere quærit.

Aliquidne magis vanum, & ridiculum eſt, quam inſignes erogare ſumptus in veſtes, ac ſemet ſubjicere varietati rituum ſemper recentium, atque mobilium, ut nobis contemptum conflemus apud eos, qui virtute ſunt prædiri, & ſanæ mentis habentur? Nonne hoc juſta eſt inſanæ vanitatis eorum pœna, videre in hac veſtium magnificentia, illum minoris fieri, qui iiſdem ornatur; atque veſtes quidem commendari, eum vero, qui illis induitur, contemni? Si homines iſti audire poſſent, quid de ſe dicatur, ſi digito ſe oſtentari cognoſcerent, ſi ludibrium, in quod ipſorum vertitur magnificentia, & judicia, quæ fiunt, & quæ plerumque validis innituntur rationibus, ſcirent: ſi exploratæ illis eſſent improbæ animadverſiones, quæ in ipſorum genus, mores, vitamque inſtituuntur, ferrene poſſent cenſuras, contemptus, irriſiones, probra, & parum æqua judicia, quibus juſtiſſimam præbent occaſionem? Hunc illi fructum, hanc mercedem percipiunt ex toto laboribus, ac moribus, quibus ſe ipſos torquent: hoc illud thus eſt, quod hiſce vanitatis idolis adoletur; hic honor ille, quem ſibi conciliant tot mulieres, ac puellæ, quæ ſibi perſuadent veluti numina quædam coli, ſtatim ac auro, lapilliſque pretioſis ornatæ ſunt. *Idem*.

Libenter equidem ex his perſonis, quæ tanta cura, ac tot ſumptibus ſe ipſas exornare ſatagunt, percontarer, cuinam placere ſtudeant inani hoc apparatu, & cujuſnam exiſtimationem, & approbationem perquirant? Numquid ſtultorum hominum, ac ſana mente carentium, an ſapientium, & cordatorum? Si primum, curæ earum non omnino inutiles ſunt, qui eidem addicti ſunt vanitati, eas admirabuntur, eaſque fortaſſe imitari contendent. Sed ſanæ mentis homines, qui eam, quam de ſingulis habent, exiſtimationem ab uniuſcujuſque ſpiritu, virtute, prudentia, factiſque metiuntur, quid judicare poſſunt de hiſce mundanis mulieribus, quarum mens tota corporis cultui occupata, nugis tantummodo, ornatibus, recentibuſque veſtium ritibus intenta eſt? Homines, inquam, ſanæ mentis, quin temere judicent, aliudne cogitare poſſunt, niſi quod hæc magnifica operimenta, hi exquiſiti ornatus ſigna ſint vanæ mentis, animæ mundanæ, exilis ingenii, quod ſeriis, & alicujus momenti rebus eſt impar. Profecto neſcio, utrum hic ſubſiſtent videntes, quod omnes Sancti Patres inde infeliciſſimum hauriunt omen, & longe iniquiorem ſuſpicionem de earum vitæ ratione, integritate, innocentia, exiſtimatione. Sed hic immoremur, neque progrediamur ulterius. *Idem*.

Fideine conſonum eſt, eam mulierem, quæ credi vult ſibi cordi eſſe honeſtatem, ac ſe perhorreſcere cane pejus, & angue, quidquid pudorem lædere poteſt, pari poſſe affectatos ornatus, quo libido, atque licentia pro illis tantum excogitavit, quarum proſtat pudicitia? Nequaquam libenter geruntur ejus domini inſignia, cui famulari detrectamus. Si impudicitiam horres, & execraris, cur illius notas gerere nec piget, nec pudet? Cur illas appetis illecebras, ex quibus ejus cupiditas poteſt ſuboriri? Si ab impuritate abhorres, cur eo in ſtatu prodis, qui illius ſuſpicionem ſaltem poteſt ingerere? Eſto quidem innocens, & ne improbiſſima quidem calumnia aliquam nomini tuo labem poſſit offundere; eſto etiam, quod vix aliquis ſibi perſuaſerit, nullo tenearis amore nugarum, quas aliæ depereant, & quidquid agis, a te fiat, ut te conſuetudini accommodes, ne inter cæteras digitos obtertis. Illud mihi negotium faceſſis, quod audio te adeo intentam eſſe, ut conſuetudini pareas, & ut omnibus, qui de novo prodeunt, ornatuum ritibus ſtudeas, teque hac in re eſſe adeo difficilem, ut nihil ſibi ſatisfacere valeat, ac ſi quid minus callide comptum, ornatumque eſt, iraſcaris, omneſque domeſtici indignationis tuæ experiantur effectus. Hoccine argumento eſt, te rebus hiſce parum inhærere, vel potius ab illis penitus animo divulſam, eſſe quemadmodum te cogit Evangelium, atque religio? *Idem*.

Veſtes' nimis mundanæ ſunt indicium animæ parum caſtæ

Profiteris tibi cum omnibus his ornamentis nullum pravum eſſe conſilium, nullam noxiam intentionem, atque conſcientiam tuam hac in re nihil tibi exprobrare; verum cogitaſne, quam difficile ſit amorem afflare, quin flagres eodem? Diffiteri nequis, omnia hæc ornamenta, quæ amorem redolent, adhiberi, ut ſpectaris, ut in te intuentium oculos convertas, verbo, ut videaris venuſtior. Vi ergo placere, atque obtutu tuo eorum, qui te ſpectabunt, amorem illicere? Vis ergo ignem admovere, & uri non vis? Et in tuto conſcientiam tuam putas? Te innocuam arbitraris, dum nocentes facis? Et quia in illud non ruis præcipitium, in quod alios impellis, te noxa vacuam putas? Scias apud Deum non differre eum, qui peccatum committit, ab eo, qui ad peccandum ſollicitat; Sanctos Patres docere quemadmodum inter duo hæc verba luxum, & luxuriam, unius tantum ſyllabæ diſcrimen intercedit, ita ab uno ad aliud crimen unum tantummodo gradum intereſſe; & eas, quæ tantam adhibent curam, ut amentur, fidem adſtruere, ab ipſis etiam plurimum amari. *Idem*.

Difficile eſt, cum hac placendi cura innocentiam tuer.

Quomodo amare poſſunt Deum illæ, quæ ſibi totum, corporiſque ſui curæ vacant? Quænam virtus inveniri poteſt in muliere, quæ meliores diei horas ſeſe calamiſtris exornando conſumit? Ullane virtus eſt, quæ fuci, nævorumque ope fulgidior

Qui in luxu vivunt, vitam ducunt parum chriſtianam.

gidior videatur? Mortales adeo molles aguntur pœnitentiam ſub holoſericis, aureiſque indumentis? Equidem ſcio, me nunquam vidiſſe cilicia ex ſerico, auroque contexta, quamvis Tridentinum Concilium affirmet opus eſſe, veri Chriſtiani vitam jugem eſſe debere pœnitentiam; & conſtat veſtem, quam Scriptura, & Sancti Patres attribuunt pœnitentiæ, ab ea prorſus differre, quam mundanæ mulieres, & deliciis effœminati viri ut plurimum gerunt. Nunquid illæ bona opera exercent? Immo illæ quadam ex parte miſeros faciunt; veſtium ſuarum ſinus, ut loquitur Propheta, pleni ſunt ſanguine pauperum. Nunquid eleemoſynas erogant? Uberrimi reditus vix ſufficiunt ſumptibus, quos in pretioſis indumentis, atque ornatibus impendunt. *Idem*.

Aliena exempla, & conſuetudo non ſunt legitimæ excuſationes.

Cauſa, quæ vulgo prætexitur, ut hoc malum probetur, conſuetudo eſt, & alienum exemplum. Omnes ejuſdem gradus, & nobilitatis mulieres hoc modo inducuntur, & memet earum contemptui, & cachinnis objicerem, ſi veſte obſoleta, magiſque frugi ab illis vellem diſtingui. Hæc eſt conſuetudo, ais; verum licetne ex abuſu argumentum deſumere, ut alius propugnetur abuſus? Aliæ peccant, & ſi facis, quod illæ faciunt, peccatum addis peccato. Si illæ, cujus exempla ſectaris, peccare non poſſent, earum agendi ratio tuam probare poſſet: verum cum illæ æque, ac tu vitioſe agant, vitium earum te vitioſiorem efficit, dum vis auctoritatem accedere luxui ex hoc exemplo, quod alteri, citroque vobis præbetis. Noxia conſuetudo malum auget, non minuit; & vitium quo vulgatius, eo majus eſt. Accidit nonnunquam, ut ſceleſtorum numerus eos contra humanam juſtitiam tueatur, & protegat; non ita tamen coram divina, quæ in pœnis exigendis eo ſeverior eſt, quo nocentium numerus, & qualitas eſt gravior. *Idem*.

Juventutis prætextus.

Aliquæ prætextum adferunt, qui profecto facilius admitti poſſe videtur, ſed qui tamen hac in re vitium excuſare non poteſt; ajunt, juventutem, qua fruuntur, mereri, ut aliqua ſibi permittatur gratia, & aliquid de ſeveritate, qua cum aliis agitur, remittatur. Non abnuo: aliquod eſſe debet veſtium diſcrimen inter ætates, non ſecus ac inter conditiones. Illis, quæ ætate provectiores ſunt, ſatis eſt, ſi mundæ ſint, adoleſcentioribus aliquid amplius conceditur, ut ſint ornatæ; verum non ſine eo decore, quem ipſarum petit conditio. Nequit ergo virginibus aliquod negari ornamenti genus, quod in nuptis probari non poteſt. Eo in ſtatu ſunt, qui eaſdem diſpenſat ab ea ſeveritate, quæ intra meram ſeſe continere debet neceſſitatem. Illis negotium peragendum eſt, ubi plurimum poteſt venuſtas: ſed hoc non prohibet, quominus urbanitatis, chriſtianæque modeſtiæ regulæ ſervandæ ſint in ipſis etiam ornamentis; atque ſemper vitio verteretur levitas, & immodeſtia earum, quæ ob nimis exquiſitam cultus ſui elegantiam contemptibiles fiunt, & locum ſuſpicionibus præbent, quæ omnes viros ab illis ducendis deterrent. *Idem*.

Prætextus divitiarum.

Dicunt aliæ ſe locupletes eſſe, & ſi quid in ornatus, muliebremque mundum impendunt, ſe nemini damnum, & injuriam inferre, ſibique licere ſuis bonis uti. His, quid reſpondeam, non habeo, niſi quod exceſſus nulla in re probari poteſt. Verum eſt, inter diverſos conditionum gradus æquum eſſe, ut quilibet juxta ſuum vivat; atque politiam potiſſimum indumentorum varietatem inſtituiſſe ad ſtatuum, conditionum, & qualitatum varietatem indigitandam. Sed leges quoque cancellos luxui circumſcripſerunt, eumque ſemper in quovis perſonarum genere damnarunt; & niſi ſuperbia, & vanitas fines hos ſupergreſſa fuiſſet, nihil illis æquius, nihilque ſapientius eſſet conſtitutum. Addo ſolum, mortales utriuſque ſexus nobili natos loco ſemper magis in pretio haberi propter virtutem, ingenium, aliaſque dotes, quæ ſunt veluti nobilitatis ipſorum propriæ, quam propter veſtium magnificentiam, quam luxus, & ſæculi hujus libido omnibus ferme conditionibus communem fecit. Quod vero ad cæteros vulgo pertinet, hi ſemper quoquomodo magis modeſtia, quam luxu, & pompa proficient, quæ majorem ſemper ambitionem, & vanitatem, quam fortunæ bona deſignat. *Idem*.

Immodicus in veſtibus ſumptus coram Deo culpa non vacat, quantumvis locuples ſis.

Cogitas te nemini injuriam facere, eo quod mercatoribus pactam pro pannis pecuniam perſolvis, & opificibus locatam in magnificis faciendis veſtibus operam large rependis; ſed putaſne, Deum, quem tanquam bonorum omnium auctorem fateri debes, erga te liberalem extitiſſe, ut prodigus fueres? Perſuaderene tibi potes, integrum eſſe in quemcumque, tibi placuerit, uſum opes impendere? Si in agro tuo juberet ille thus naſci, putareſne, fas eſſe tibi illud idolo cuipiam adolere? Divitias habes, illas tibi divina contulit largitas, eaſque patrum tuorum induſtria, & frugalitas congeſſerunt, eaſque in bonum uſum teneris impendere; ſin autem in illa, quæ ſuperflua, & noxia ſunt, impenderis, Deo rationem es redditurus. Si liberalis es, uti eſſe potes, fac, pauperes potius, quam phrygiones id ſentiant; id ingentibus potius oſtende eleemoſynis, quam hac inutili in veſtibus, aliiſque id genus vanitatibus profuſione. *Idem*.

Contra id, quod vulgo dicitur, virtuti nil eſſe cum tunica.

Hactenus quarumdam excuſationes peculiariter attulimus, quas ſuis prætexunt ornatibus, & luxui; at generalis omnium mulierum prætextus, & excuſatio eſt, tunicæ nihil eſſe cum virtute: colores omnes, omneſque ornatus nullo apud hanc eſſe in diſcrimine: innocentiam, & ſanctitatem æque ſub aurato, ac ſub pannoſo integumento vigere; interiorem partem Deo inſervire poſſe, quamvis exterior, & corpus mundo obſequatur; cor mundum eſſe poſſe, quamvis externus corporis habitus mundi vanitatem redoleat. Non defuiſſe ſpectatiſſimas opibus, & genere matronas, inſigneſque reginas, quæ virtutis nitorem cum magnificentiſſimarum veſtium fulgore conjungerent; ſe in mundi luce vitam ducere coactos, debere quidem coram Deo innocuam vitam ducere; attamen hoc non prohibere, quominus aliquid etiam hominum oculis tribuant. Quæcumque veritas ſub hoc adeo ſpecioſo prætextu latere poſſit tot illuſtribus exemplis probata, ſemper tamen prætextus eſt, quem amor proprius invenit, naturali ſtudio, & ſecretæ vanitati velificaturus. Harum intereſt ſe ipſas coram Deo in adeo delicata re excuſare, neque ingenium ſuum ambitioſum excuſare exemplis earum, quæ Domino fideles permanſerunt ea in neceſſitate, in qua erant, mundo licet invitæ, ac gementes præbendi magnificam ornamentorum ſpeciem, quorum per dignitatis, generiſque ſui officia, quibus nullo deeſſe pacto licebat, divinæ majeſtati ſacrificium offerre non poterant. Huic autem adeo belle colorato prætextui reſpondeo, virtutem quidem in omni conditione inveniri poſſe; atque concedendum eſſe id genus perſonis, honeſtam veſtium mediocritatem ab illis, quæ in mundi luce verſantur, nimiæ negligentiæ eſſe anteferendam. Quemadmodum hac in re per exceſſum peccatur, ita peccatur etiam per defectum; & in hoc prudentia, exemplum earum, quæ ſunt ſpectatæ virtutis, ſapientum virorum conſilium, & obedientia, quæ debetur illis, quibus ſubjectæ ſunt, norma ipſis eſſe debent, earumque conſcientiæ tribuere tranquillitatem. *Idem*.

Utrum devotio cum ornatibus ſimul eſſe queat.

Conſtat, pietatem non eſſe omnium ornamentorum inimicam, neque promiſcue ea omnia rejicere, quæ placent, & ornant. Hinc quidem ſqualor, immunditia, & ſcruta nunquam fuere virtutis inſignia, nullumque in evangelio, vel decalogo præceptum adeſt, quo illa jubeantur. Inde vero munditia, urbanus cultus, honeſtum indumenti genus nunquam vitiorum indicia extiterunt, & nullam vel in veteri, vel in novo teſtamento, vel Scripturam, vel traditionem invenio, qua illa damnentur. Hæc omnia ſuapte natura forma, & colore carent, atque in neutram partem inclinant;

bonus,

Digitized by Google

bonus, maluſve color illis accedit ex corde, & ſine, ad quem cor illa convertit; & quemadmodum ibi eſſe poteſt ambitioſa ſimplicitas, ibi quoque inveniri poteſt magnificentia cum ſpiritus paupertate, & ornamenta cum modeſtia conjuncta. Et ſane cur ſimul eſſe non poſſint modeſtia, & munditia; vis, & gratia; pudor, & ornamenta, quandoquidem hęc ſimul conſenſiſſe tot exemplis docemur; quorum quædam in ipſis etiam Scripturis occurrunt, ubi videmus Abigailem humilem, quidem, verumtamen ornatam ſine curioſitate, & ſine pompa: Judicham jucundo quidem, ſed virili ornatu comptam; & Eſther, quæ in infidelis aulæ licentia pietatem ſimul & pudorem tuetur, & cui regiis ornatibus utenti diadematis margaritæ pro cinere ſunt, regiaque chlamys pro animi ipſius cilicio, potuſquam corporis ornamento. *Ex Autore recenti.*

Veſtium vanitas ridicula eſt

Quædam ſunt vanitates, quas fatuas appello, cujuſmodi ut plurimum ſunt matronarum hujus mundi vanitates. Non deeſt fatuitas quædam, ac imbecillitas mentis in vanitatis earum fundamento; erenim leviſſimas ob cauſas ſuperbiunt, ob fragilis formæ, quam habere credunt, umbram, ob exiguum aliquod bonum, quod poſſident. Sed fatuitas etiam, & imbecillitas mentis eſt in hujus vanitatis effectibus, quoniam ſe per veſtium pompam producit, quaſi hæc auri, lapillorumque ſplendore delere poſſet vel generis humilitatem, vel mentis, animique defectus. *Biroat in adventu ſermone de humilitate.*

Abrenunciatio religioſæ virginis,

Nullus ornatus præter ſimplicitatem, cultus nullus præter modeſtiam, hac vice tantum ſeſe mundo protulit, ſed ut annunciaret illi, ſe vanitatibus ejus nuncium miſiſſe. Etenim quiſnam error eſt in chriſtiana muliere id ornare, quod contemnendum eſt; pingere, atque decorare idolum mundi, & quodammodo per vim, ſexcentiſque artibus, quæ indignæ pariter, ac inutiles ſunt, has retinere gratias, quæ cum tempore aufugiunt, luxumque indumentorum, mundique muliebris alere, qui non obſcure innuit, tacite religionem abdicari, cum chriſtiana modeſtia abdicatur. *Sermo manuſcriptus.*

Hæc exteriorum ornatuum cupiditas in hoc ſexu tanta eſt, ut magna animi vis requiratur ad hoc, ut mulier id deſerat, quod conditioni ſuæ penitus inhærere videtur. Et ſane ſi in aliqua vanitatis hujus moderatio, vel immutatio deprehenditur, hoc certiſſimum ducitur teſtimonium, ab illa non veſtium dumtaxat, ſed vitæ genus immutatum fuiſſe, atque exteriorem hanc cultus reformationem ad ipſum uſque cor, habituſque malos pervadere. *Idem.*

De veſtium immodeſtia a mulieribus evitanda.

Non patiebantur olim mulieres aperto capite in templum prodire; hodierna vero die per S. Pauli, & eccleſiæ contemptum, aliquæ huc ſeminudæ accedunt, nihilque diſcriminis atam inter, ac theatrum, miſſam, & comœdiam intereſſe arbitrantur ... Ornatus omni arte carere debent, ideoque immodicæ curæ, & adfectatæ eorum conquiſitiones damnandæ ſunt. Rejiciendæ ſunt eæ veſtium formæ, in quibus nimis elegantiæ; ſtudiique invenitur; iique relinquendi ornatuum ritus, qui novitate, vel inſolentia commendantur, qui nondum temporis præſcriptionem aſſecuti ſunt, qui non probantur conſuetudine earum, quas ſequi poſſumus, quin a virtute recedamus, & quin nomini noſtro labes offundatur. *Auctor Anonymus.*

Nunquid parentis mei peccatis, & damnationis ejus materia exornor? Nunquid hæ margaritæ pauperum lacrymæ ſunt? Hæc aurea, & holoſerica indumenta ſatiſne munda ſunt pupillorum ſanguine? In hac coccinea, argenteave palla aliquidne eſt ex pauperum ſudore, populique ſubſtantia? Quis pro certo affirmabit a me non ornari victimam divinæ juſtitiæ ignibus præparatam? Quot modo illis cremantur flammis, quæ ſæculi ſui idola fuerunt, & quæ reges, victoreſque duces in triumphum egerunt? Quid ſcio, utrum ad eumdem finem eadem via ſim perventura? Quid, utrum lapilli, unioneſque futuræ aliquando ſint prunæ, & carbones? utrum argenteæ, aureæque veſtes futuræ ſint ardentes tunicæ, quæ me in æternum cremabunt? Quid Deo reddam exprobranti mihi fucatam faciem, quam gratiam illius fuiſſe cariorem; ac minorem de conſcientiæ meæ tumultu geſſiſſe curam, quam de cincinnorum, capillorumque perturbatione? *Idem.*

De ornatuum adfectatione.

Adfectatio, ut ita dicam, luxus eſt ſocia. Hæc eſt immodica, & inordinata cura, vel nimia adfectata, ac ſpecioſa curioſitas in perquiſitione ornatuum, rituum, elegantiarum; & hanc luxus ſociam appello: cum enim veſtis propria ſit luxus materia, & ornamenta veſti ſuperaddita proprium adfectationis objectum, inde æqua illatione conſequitur, affectationem quodam ſocietatis vinculo cum luxu eſſe conjunctam. Novorum induendi rituum inſolentiæ alia addenda eſt, quæ vulgo eam comitatur, & quæ eo dementior videtur, quo ad majorem juvencularum numerum ſe extendit. De cyprio crinibus adſperſo pulvere loquor: ad quid enim iſta duorum extremorum tam longe diſſitorum commixtio, & confuſio hæc duarum adeo oppoſitarum ætatum? Cur ita flos annorum deletur? cur cana juventus, & inſana adfectatur ſenectus? Cur invita natura nix ſimul, ignisque miſcentur? *P. le Moine in tractatu de modeſtia.*

Vulgo mulieres elegantius ornatæ non bene oodinnur.

Fruſtra mulier ſeſe unionibus, lapilliſque exornaret; fruſtra, ut veteris cujuſdam ſcriptoris vocabulo utar, collo, capiti, digitis, auribuſque Indias omnes circumferret; nunquam ſatis eſſet ornata, niſi bona exiſtimatio omnibus hiſce opibus, atque ornamentis accederet. Fruſtra ſeſe iis omnibus inungeret unguentis, quæ vel natura profert, vel ars etiam componit; niſi bene audiat, male ſemper redolebit. *Idem.*

Veſtium luxus conditiones omnes confundit, & alit avaritiam.

Quidquid principem ſecernit a ſubdito, nobilemque ab ignobili, veſtium pompa confunditur. Eos omnes, quos natura, genus, dignitas ſeparat, luxus permiſcet; nemo amplius dignoſcitur; mercator ſumptuoſius induitur, quam magiſtratus, & miniſter, quam princeps, & vix famulum ab hero diſtinguis... Nolo hoc in loco eas omnes rationes adferre, quas univerſalis hæc vanitas habet cum avaritia: neque enim vos error decipiat, Auditores, prodigalitas ſępe fovet avaritiam. Ita eſt; id ſerio affirmare non vereor; ſordidiſſima quævis avaritia ſæpe cum elegantiſſimo luxu invenitur; & addo, nihil hoc luxu pernicioſius eſſe, ubi reperiatur in illis, quibus deſit, unde quoſdam erogent ſumptus. Quid enim non audeor? quæ enim avaritiæ ſordes turpiores excogitari poſſunt illis, quas in corde ſuo fovent? Ubi eorum fulgere luxum vides, ita ſane non judicas. Vides ſpectaculi venuſtatem, ſed artem, qua peragitur, non vides. In his magnificis veſtibus, in hac ſervorum caterva, in hoc apparatu non vides lacrymas creditoris, ſudorem opificis, & ſanguinem pauperis. *Ex ſermone, qui P. Maſſillon acceptus refertur.*

Fœminarum luxus ex placendi cupiditate profectus.

Affectus, qui paſſim in mulieribus dominatur, eſt placendi cupiditas; ſapientiſſima quælibet ſemper cum voluptate pulchritudinis ſuæ intuetur effectus; ornatuum cura ex hoc effectu veluti principio procedit. Porro omnes Sancti Patres ornatuum immodeſtiam, faſtumque condemnant, hæc quippe ſpectatoribus occaſio lapſus, & ſcandalum eſt. Illa, quæ in ſe intuentium oculos allicit, ſalutem eorum in diſcrimen vocat, ac rationem redditura eſt ſenſuum inordinatorum, quos in eorum cordibus ciet. Sed religioſa virtus hanc adfectationem non patitur, quæ noxia tantum accendere poteſt deſideria? & cogitationes pudori contrarias excitare. Ideoque Patres vehementer contra immodicos ornatus declamaverunt, quia æque funeſti ſunt & gerentibus, & ſpectantibus illos. Laquei ſunt, & tentationes. Fruſtra dicis, S. Cyprianus ajebat, cor tuum caſtum eſſe; in luxu tuo neſcio quænam improbitas adeſt, & corda, quæ incen-

Digitized by Google

cendis, quadam impudicitiæ ſpecie te inſimulant. Indumentorum tuorum pompa, & omnis hæc adeo exquiſita ornamentorum ſupellex eo tendit dumtaxat, ut homines perdat, & eorum cupiditatem irritet. *Ex libro, cui titulus: Tractatus de conſcientia.*

Mundani ornatus Chriſtiano viro ſunt minus digni.

Loquens Tertullianus de inepto hoc mulierum cultu, de immodeſtis ornatibus, deque hiſce placendi affectationibus, per quas aliorum cordibus virus conantur adſpergere, ait hoc eſſe chriſtiano nomine indignum: etenim nonne inſolens eſt, inquit ille, quod chriſtianæ mulieres eo uſque luxum, & faſtum audeant producere, quo ethnicæ nollent, quæ non ſolum inſignibus hiſce titibus non conformarent, verum etiam illos odiſſent, atque execrarentur. Scitote, inquit ille, has ſeveriſſime luxum veſtium eſſe accuſaturas; atque hac de cauſa vos in reproborum numero eſſe adſcribendas. Et ſane, nonne turpe eſt, vos illa audere, quæ ethnicæ non audent mulieres, quamvis juſtitiæ viam ingredi teneamini? Iniquius agitis, quam illæ, quæ idololatriam profitentur, voſmet tanquam idola aliis colenda proponentes. Quid! in chriſtiana religione vobis id fas eſſe ducitis, quod Areopagi fœminæ ſibi nunquam licere cenſuiſſent? Quid in templo oſtentare audetis illecebras illis nocentiores, quæ exhibentur in theatris ſpectatoribus ſolatium allaturæ? *P. Bourdaloue in ſermone de falſa conſcientia.*

Mulieres nimis ornatæ contemptum potius, quam exiſtimationem mortalium ſibi concilient.

Cujuſnam exiſtimationem mundanæ mulieres hac arte, & his phaleris vanitatis, quam illis ſuadet ſuperbia, conciliare ſibi poſſe arbitrantur? Nunquid piorum hominum? Hi horrent, & execrantur illas, quippe vident ab illis lædi Jeſum Chriſtum, & religionem ejus everti. Num eorum, qui ingenio pollent? Hi illas indignantur, quippe vident eas vanis artibus animos, & corda ipſorum velle corrumpere. Nunquid tandem hominum flagitioſorum? Horum exiſtimatio profecto fugienda magis eſt, quam inquirenda. Si enim ſcirent, quo pacto iſti de illis loquantur, & quomodo eas in ludibrium traducant, næ illas quidem tantum puderet, quantum ſuperbiunt. *Ex S. Chryſoſtomo in primam ad Corinthios.*

Palam proditis, o mundanæ mulieres, hoc vanitatis apparatu; neque ipſi Dei viventis parcitis templo, cujus ſanctitas luxu veſtro temeranda non eſt; neque enim templum ædificatum eſt, ut ibi vanitatem veſtram oſtentetis; illuc divites quidem accedere oportet, ſed gratia, & virtutibus, non autem auro, lapilliſque pretioſis. Attamen vos illuc acceſſuræ voſmet comitis, & exornatis perinde, ac ad choreas pergeretis; vel quaſi in theatrum, ac in ſcenam aliquas comœdiæ partes acturæ conſcenderetis, ſumma adlaboratis ope, ut omnia in vos intuentium oculos attrahant, vel potius eorum vos irriſionibus, atque ludibriis objiciant. Cum ſanctus ille cœtus diſsolvitur, & quilibet domum ſuam revertuntur, de vanitate, ac ſtultitia veſtra ſermonem habent: obliviſcuntur præcepta, quæ ex S. Paulo, & Prophetis recitata ſunt; neque de re alia, niſi de veſtium veſtrarum pretio, & elegantia, deque lapillorum veſtrorum nitore loquuntur. *Idem S. Chryſoſtomus.*

De mulierum vanitate in ornatibus ſuis.

Dicite, quæſo, o mulieres, S. Chryſoſtomus interrogat, quam ex tanti pretii lapillis, & ex adeo magnificis indumentis, poteſtis percipere utilitatem? Dicitis, in illis animum veſtrum conquieſcere, atque ex hac magnificentia affici voluptate. Sed heu! ex vobis quæro, quam ex vanitatibus veſtris haurire poteritis utilitatem, & ea tantum mihi recitatis mala, quæ inde fluunt. Nihil magis deplorabile eſt, quam ſibimet in inanibus hujuſmodi ornatibus placere, quam illis oblectari, eiſque adhærere; quæ ſervitus adeo turpis, ac ſordida ſordidior fit, cum inde voluptas percipitur. Quomodonam mulier chriſtiana poterit, ut debet, ſolidæ pietatis exercitiis vacare, & ſæculi ſtultitias contemnere, cum in ſeſe ornanda afficitur voluptate? Hæc profecto omnia pietatis opera ita faſtidiet, ut ne eorum nomen quidem ferre poterit. At enim fortaſſe reſpondebitis, vos in admirationem rapere, quicumque vos ſpectant. At nonne hoc aliud eſt malum, quod videlicet magnifici ornatus veſtri veſtram alant ſuperbiam? *Idem S. Chryſoſtomus.*

Malum quod mulieribus adfert immoderata hæc ornatuum cura.

Nonne graviſſimum malum eſt vanis, & inquietis hujuſmodi curis additam eſſe; animæ ſuæ pulchritudinem, ſalutiſque ſuæ amorem negligere; ſuperbia, vanitate, & inſania intumeſcere; ſæculi amore quodammodo inebriari, ultro abjicere ſanctas alas, quæ vos attollunt ad Deum, quin animæ veſtræ dignitatem proſtituere, eamque rebus abjectiſſimis, indigniſſimiſque ſubjicere vereamini? *Ex eodem.*

At enim fortaſſe reſpondebis: ſtatim ac in compita, plateaſque, vel cœtus prodeo, omnium in me ora, oculique vertuntur. Hac immo de cauſa ornatus iſti abjiciendi eſſent, ne ita mortalium omnium oculis, atque obtrectationi pateres. Nemo eorum, qui te intuentur, te uti putas, approbat, omnes tibi irrident, de te obloquuntur tanquam de muliere vana, & ambirioſa, quæ videri cupit, & quæ amori, & vanitatis ſæculi penitus eſt mancipata. *Idem.*

Gravius malum eſt cum his ornatibus in templum venire.

Si ſemper malum eſt ſeſe tanta cura, & arte exornare, longe gravius eſt malum, cum ita exornata mulier templum ingreditur, atque hoc in ſtatu inter tot pauperum turbam pertranſis. Si tibi mens eſſet in re ipſam mortalea omnes ciendi, non poſſes profecto aptius invenire conſilium, quam hoc pacto crudeli luxus tui voluptati ea ſacrificare bona, quæ a Deo recepiſti. Cogita hanc pauperum turbam, per quos gradieris. Illos fame laborantes tua irritat, & devorat magnificentia; eorumque nuditas ultionem expetit contra hos ſuperbos ornatus, & diabolicum apparatum. Nonne ſatius eſſet panem non habentibus miniſtrare, quam aurem perfodere, ex qua pendeat eſca pauperum, & quam plurimorum miſerorum vita? *Idem.*

De mulieribus fucatis.

Non metuis, oro, quæ talis es, ne cum reſurrectionis dies venerit, artifex tuus ſe non recognoſcat, ad ſua præmia, & promiſſa venientem removeat, & excludat, increpans rigore cenſoris, & judicis dicat: Opus hoc meum non eſt, nec imago noſtra eſt. Cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adultero colore mutaſti, expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt. Deum videre non poteris, quando oculi tui non ſunt, quos Deus fecit, ſed quos diabolus infecit. Illum tu ſectata es; rutilos, atque depictos ſerpentis oculos imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter & arſura. *S. Cyprianus de habitu Virginum.*

Pœna quam ſumet Deus de iis, quæ ſe curioſius ornant.

Iſaias Propheta poſtquam narravit luxum, atque ornatus filiarum Sion: audite, inquit, quid cogitet Deus de mundanis his filiabus, quomodo in illas animadvertet. Poſtquam juſtitia ejus omnem hanc illis exteriorem magnificentiam abſtulerit, fictitii earum crines projicientur in ignea, qui vero proprii illarum erant, radicitus uſque evellentur. Uniones, lapilli, reliquuſque muliebris mundus eripietur illis; & pro unguentis, quæ tantopere depetibant, circum illas aderit horribilis fœtor, a quo nunquam poterunt liberari. Ita Propheta mundanas haſce filias deſcribit, quæ luxum ſuum cohibere, ac præ metu, ac terrore contremiſcere deberent judicium adeo ſeverum, atque terribile præſtolantes. Hæc non eſt amplificatio ad arbitrium concinnata, ſed veritas eſt, de qua dubitare non licet. *Ex libro, cui titulus, Inſtitutio Puellarum.*

Nonne verum eſt (mundanæ puellæ) ideo matutinas horas a vobis inter calamiſtros traduci, ut majori cum venuſtate in cœtus prodeatis, ibique gratiores habeamini; attamen ecce quid accidit vobis, Deus ſibi factum hoc diſplicere profitetur,

atque

Digitized by Google

atque cum indignatione a vobis detorquens oculos hominibus quoque præcipit, ut avertant ſuos, explicite prohibens, ne vos hoc in ſtatu reſpiciant. Hinc infero, quotieſcumque laborem, curamque veſtram impenditis, ut voſmet exornetis hoc mente, ut videamini, idem eſſe, ac ſi diceretis, prohibet Deus, ne me homines videant; ego autem e contra efficiam, ut illi me cum voluptate intueantur. Hoc veſtrum primum ſcelus eſt, reliqua vero, quibus eſtis obnoxiæ, dinumerare quis poterit? *Idem*.

De mulieribus, quæ calamiſtratæ veniunt in Templum.

Væ vobis mulieres, virgineſque inſipientes, quæ Dei domum tanquam in ſolatii, & voluptuarii cœtus locum ingredimini, Deus inquit per Prophetam Amos cap. 6. Templum locus eſt ita terribilis, ut Spiritus ſanctus Levit, 26. jubeat, fideles omnes ad ſanctuarium accedentes fremere: vos autem illuc acceditis ridentes, lætantes, oculos circumquaque ferentes ſexcentis ornatibus ad omnem venuſtatem compoſitæ? Credite mihi, ne progrediamini; ſed domum redeuntes contrito corde, uti olim converſa, ac pœnitens Magdalena, omnem hunc inanem cultum abjicite, atque modeſtis induimini veſtibus; ab altero abhorrentes extremo, neque eas imitantes, quæ feſtis diebus ad ſacram Synaxim neglecta, inculíaque veſte recipiendam ſe conferunt. *Idem*.

Veſtes, ut plurimum inſpirant ſenſus ſuæ qualitati conformes.

Quotidiana docemur experientia, veſtes virtutis, vitiique ſenſus inſpirare, eorumque etiam, ut ita loquar, notam, & vexillum eſſe. Simplex, ac modeſtum indumenti genus miram habet vim ac ciendam in corde modeſtiæ, atque humilitatis virtutum; religioſa tunica efficit, ut qui eadem indutus eſt, ſuæ meminerit profeſſionis. E contra vero magnifica, atque ſuperba veſtis neſcio quem ſuperbiæ, ac exiſtimationis noſtrum met ipſorum ſenſum inſpirat, ut pudeat nos dimittere ad ea, quæ nobis indigna videntur. Hos autem ſenſus veſtis non in illius tantum excitat animo, qui eam gerit, verum etiam illius, qui gerentem intuetur. Ita loquens Tertullianus de pallio, quod Chriſtiani ſuper reliquas veſtes ferebant, ait, illud ipſas cogitationes, & deſideria vitioſa in illis ſuffocaſſe, qui eos reſpiciebant: *Grande pallii beneficium eſt, ſub cujus recogitatu improbi mores erubeſcant; vitia ex occurſu meo ſuffundo*. Pudebat homines vitioſos eſſe, ubi videbant pallium, quod gerentis ipſum virtutem, ac probitatem oſtendebat. Ita modeſta tunica in gerente æque, ac in vidente modeſtiam, & humilitatem producit; e contra vero vanitatem, atque licentiam inſpirat, cum illius, qui eadem induunt, mollitiem, atque immodeſtiam oſtendit. *Auctor Anonymus*.

Quid ſignificent veſtium luxus, & pompa.

Pompas, & luxus veſtium (Tertullianus ait) proſtitutionem, aut vanitatem redolent, quarum utraque ſcelus eſt religioni contrarium; & chriſtianæ mulieres, quæ æque humiles eſſe debent, & caſtæ, contemnere debent ornamenta, quæ duabus hiſce virtutibus adverſantur. Conditionum diſcrimen ars eſt ab amore proprio adinventa ad ea probanda, quæ extra ordinem fiunt. Prima qualitas noſtra peccatorum eſt; peccatores ſumus, antequam principes: Adæ peccatum animam noſtram fœdaverat, antequam purpura corpus noſtrum tegeret; & omnes tituli, quos nobis largitur adſentatio, illum peccatoris delere non poſſunt. Hic noſtram prævenit nativitatem, vitamque concomitatur, ita ut ab ipſis incunabulis uſque ad ſandapilam modeſtia noſter eſſe debeat cultus, & indumenta noſtra pœnitentiam potius redolere debeant, quam vanitatem. *P. Senault libro de homine criminoſo, ſermo 7. ubi oſtendit indumenta eſſe peccati ſignu*.

Mulierum, & virginum vanitas excuſari non poteſt.

Inſolens, atque temeraria ſecuritas, in qua virgines inter luxum, atque vanitatem vivunt, nota eſt, pene dixerim, certiſſima reprobationis earum. Et ſane mulier, & puella chriſtiana ſeſe ornare poſſunt nitidis, pretioſiſque pannis, prout recentes ſæculi ritus fuerunt, iiſque laciniis, & denticulata opera acu phrygio ex auro, argento, ſericoque depictis ſuperaddere? Eorumne videri poteſt caput pulveribus adſperſum, unguentis, aliiſque odoramentis delibutum, cincinnis, vittis, armentis, aliiſque decoratum ornamentis vanitatis, quibus in mundo ſe ipſas comere ſolent; & hoc in ſtatu ſperare poſſunt, ſe ſuæ ſaluti conſulere? Hoc illæ ſerio cogitare deberent. *Liber cui titulus: Puellarum inſtitutio*.

Inter tot præcepta evangelica judicium ferte; utrum mulier, vel puella pretioſis induta veſtibus, collo, humeriſque detectis, lacertis denudatis, & capite cincinnato cum omni vanitatis apparatu, tantaque operum denticulatorum, quibus undequaque per varios ambitus circumdata eſt, confuſione; ferte, inquam, judicium, utrum hæc mulier, aut virgo crucem ſuam gerat juxta Chriſti Jeſu præceptum, atque utrum gerat illam ea animi affectione, qua Jeſus Chriſtus ſuam geſſit? Utrum pœnitentia in corde illius ſit, utrum animum habeat propter peccata ſua triſtitia, & contritione confectum; utrum magnificus hic apparatus opus ſit humilitatis, & mortificationis, nec non perfecta ſui ipſius abnegatio? Si dicitis, nihil tale in ipſa inveniri, quod verum eſt, dicitis ſimul illam chriſtianam non eſſe, & figuram dumtaxat, exterioremque ſpeciem chriſtianitatis habere; ideoque ſpem, quam illa de ſalute ſua concipit, meram eſſe illuſionem. *Idem*.

Veſtium luxus hodierna die omnes conditiones confundit.

Sæculi, moris humani, conſuetudinis, communiſque uſus corruptio tanta eſt, ut nullus ſit amplius ordo, modus nullus, nulla diſtinctio. Quilibet multum ſibi arrogat; infimi ſummos imitari volunt, & quod reginæ erat ornamentum, per corruptionem, & vanitatem factus eſt communis, vulgariſque cultus earum omnium, quæ in urbe immorantur. Fruſtra vehementi hujus torrentis furori præcipuorum eccleſiæ Patrum doctrinam, evangelii præcepta, atque inſtituta, perſonarum omnium, quæ ſanctitatem profeſſæ ſunt, exemplum objicis; hæc in re ſexus nunquam ſuum errorem abjiciet. Corruptio nimis percrebuit, facta eſt generalis, & nequicquam ſemper contra torrentem hunc reluctacia. *Idem*.

Veſtes quoque, ut corpora, ſuam habent caſtitatem, S. Cyprianus ait; neque ſatis eſt carnis puritatem habere, niſi ſimul & veſtimentorum habeatur. Chriſtiana virtus utramque exigit, ut virgo vere caſta ſit coram Deo. Non ſatis eſt mulieri cor purum habere; opus eſt etiam, ut puritas hæc in indumentis quoque eluceſcat, & ut ex modeſtia ipſius de ejuſdem innocentia ferri poſſit judicium. Virtus, quæ corpus noſtrum honore aliquo dignum efficiat, pudicitia eſt; luxus hoc illi pretium aufert, & vana ornamenta informe reddunt virginis chriſtianæ corpus. Caſtitas, Tertullianus ait, non quærit ornatus, ut perfectum habeat decorem: ipſa ſuus decor eſt, qui nunquam magis Deo placat, quam cum improbis diſpliceat. *Idem*.

Veſtium luxus Chriſtianæ mortificationi oppoſitus.

Nos monet Apoſtolus, eos omnes, qui Jeſu Chriſti eſſe volunt, atque amicitiæ ejuſdem honorem appetunt, debere carnem, & omnia deſideria ſua crucifigere. Et ſane reus capite damnatus non exornatur. Hoc tamen faciunt ſingulis diebus pleræque mulieres, & virgines; ornant enim corpus morte damnatum; quippe corpus eſt peccati, ut loquitur S. Paulus. Seſe pretioſis decorant ornamentis, quamvis teneantur cruci adhærere; quæ obligatio a baptiſmate ad mortem uſque illas manet. Nulla eſt ætatis, adoleſcentiæ, ſexus, conditionis diſpenſatio: ita poſt Scripturas loquitur S. Auguſtinus.

Inanis excuſatio conſuetudinis, & uſus.

At enim proculdubio mundanæ mulieres reſpondebitis, ubi voſmet exornatis, & comitis, nil mali cogitare; nullum vobis eſſe pravum conſilium, aut deſiderium: vos communem eorum ſequi conſuetudinem, qui vivere norunt, & mundum vident; recentes indumentorum modus a vobis non invehi; optare quidem aliter fieri, ſed, niſi inter

clau-

clauſtram confugiendum ſit, ita eſſe vivendum, quoniam eſtis in mundo. Primum autem utrum aliquid cogitetis mali, admodum dubito, vos nil tale cogitare putatis; ſed fortaſſe videt Deus, vos cogitare, & certiſſime pleræque ita cogitant. Deinde vos admonet S. Paulus, ne aliarum imitemini exempla. Nolite conformari, ait, huic ſæculo, & uſibus ejus; S. Joannes teſtatur, ſi huic ſæculo adhæſeritis, vos Dei amicos nunquam futuros. Biblia univerſa referta ſunt ſenſibus odii, quo Deus mundum inſectatur, hoc eſt, ut explicat S. Auguſtinus, mundi amatores, qui ſecundum ſæculi corrupti conſuetudinem vivunt. O quanta calamitas eſt, eſſe hujus mundi! quandoquidem contra hunc jam prolata eſt æterna damnatio. Hoc ſatis, ſuperque eſſe debet, ut inde omnes chriſtianæ virgines corripiant fugam, non quidem, ut inter aſceterii parietes ſeſe concludant; non enim hoc petit Apoſtolus; ſed ut in mundo vivant, quaſi ibi non ſint, omnes illius perosæ ritus, mores, agendi modos, & omnia genera vanitatum; quod quidem non ſolum conſilium eſt, ſed præceptum, & abſoluta neceſſitas. *Idem*.

Qualitatis, & conditionis prætextus.

Cauſantur quidam ſe nobiles eſſe, & conditionis ſuæ intereſſe hoc pacto indui: ſibi divitias divinitus conceſſas fuiſſe, neque a quopiam ſibi vitio verti poſſe, ſi ſuis bonis utantur, quin cuiquam faciant injuriam; verum enim vero in hoc etiam eos falli docet S. Cyprianus. Plurimi immodicis, ac ſuperfluis veſtium, ac magnificæ ſupellectilis ſumptibus ſpecioſe ſuam prætexunt conditionem. Conditio tua eſt, te eſſe Chriſtianum. Quot mortalis ſeſe hodierna die jactitant? qui ſibi arrogant nobilitatem, quam plus æquo commendant, & qui ex ea egreſſi conditione, in qua Deus illos oriri voluit, ut aliam ſibi, ſublimioremque concinnent, qualem ipſorum illis vanitas inſpirat? Quot humili nati loco, ac mediocri uſi fortuna, cupiditatis acti ſpiritu inſanos ſumptus erogant, & in luxu, atque ſuperfluitate vitam traducunt? evangelii regula, religionis noſtræ ſpiritus in hoc poſitus eſt, ut rationabiliter utantur eo, quod juſtum eſt, uti decet eum ſtatum, ad quem nos evocavit, non illum, quem ipſi nobis comparavimus, ſemper citra mollitiem, luxum, & vanitatem. *Idem*.

Divitiarum prætextus.

Si divites ſe dicunt, hac ratione coram Deo ſe ipſos probare non poſſunt; vehementer quippe fallitur, qui neſcit, Deum, qui large hæc nobis bona donavit, eorum etiam nobis uſum perſcripſiſſe; illis utendum eſt juxta Dei voluntatem; utendum eſt, S. Auguſtinus ait, utentis modeſtia, non fruentis cupiditate. Hoc autem, ait ille per Apoſtolum ſuum 1. ad Timoth. 2. mulieribus præcipio; cupio illas modeſtis ornantibus uti, atque earum indumenta nihil niſi honeſtatem, atque pudicitiam redolere. Obiter animadvertite; qui dicit, hic mos eſt hoc pacto ſeſe ornandi, non ſatis ſcire, morem chriſtianorum eſſe modeſtiam, de qua Apoſtolus loquitur; hunc nunquam mutatum fuiſſe, neque mutatum iri unquam. *Idem*.

Apoſtoli jubent mulieres modeſtis veſtibus atque ornatibus uti.

Mulieres, S. Paulus ait, non gerant criſpatos calamiſtro capillos, non aureos ornatus, non uniones, magnificaſque tunicas, ſed ita induantur, ut decet mulieres, quæ pietatem profitentur, & quæ eam actionibus, operibuſque ſuis debent præ ſe ferre. Hæc S. Paulus. S. Petrus vero in 1. Epiſtol. cap. 3. Mulieres pudibundæ ſint, atque modeſtæ; earum ornamenta non illa quidem ſint, quæ externa ſunt in capillorum cincinnis, vel aureis indumentis, aut veſtium pretio, & nitore poſita, ſed interna, animæ videlicet, quæ poſita ſunt in inviſibili, atque interiori pulchritudine in corde latente, & in puritate ſpiritus ſuavis, & mitis, quod quidem in oculis Dei locuples eſt, magnificumque ornamentum. Has regulas magni illi Apoſtolorum Principes innuptis, nuptiſque etiam tradidere, quæ ut plurimum cauſantur, quod viris ſuis morem gerere debent. Potiori vero jure virgo, quæ nulli adhuc placere tenetur, ſervare debet modeſtiam hanc, quam Sancti Petrus, & Paulus in epiſtolis ſuis docuere. *Idem*.

Ornamenta nimis exquiſita culpa non vacant.

Si te adeo exquiſita ratione, tantaque arte comis, ut oculi, & effectus eorum, qui te intuentur, graviſſimas tentationes patiantur, hoc in caſu, S. Cyprianus ait, coram Deo culpa non vacas, ac ſcias, poſtquam aliorum puritatem labefactaveris, in te illum eſſe animadverſurum, perinde ac & tua fuiſſet labefactata. Indumentorum nitor, idem pergit Sanctus Cyprianus, ut plurimum eſt color impudicitiæ; & docet experientia, eas, quæ mundanis oblectantur phaleris, modeſtia, & pudicitia carere. Hoc ita verum eſt, quod Scriptura tanquam impudicitiæ plurimarum mulierum, quarum deplorata fama, & ſalus eſt, cauſam affert veſtium pompam, mundum muliebrem, oris habitum ſolutiorem, qui adeo familiari eſt ſexui fœmineo, ubi Dei, hominumque metu minime coerceatur. *Idem*.

De fuco, quem faciei ſuæ allinunt mulieres.

Evita pigmenta, quæ faciem illinunt, quæ crines inficiunt, & quæ funeſtam eam pariunt metamorphoſin, per quam creaturam divinis efficiam manibus in honoris idolum convertunt. Ferendum non eſt, ea lineamenta, quæ ad imaginem ſuam Deus efformavit, deleri; alioquin te ille non agnoſcet ultra terribilis judicii die, cum opus ſuum deformatum inveniet. Cujus eſt hæc imago? inquiet ille! Cujus eſt? ego quidem illam neſcio, ac prorſus execror. O funeſtum exitum! O calamitoſiſſimam reprobationem, quæ non ſatis intelligitur! *Idem*.

De mundanis ornatibus, quibus in templum quoque mulieres decorant.

Dic mihi, quæſo, quid ſentis de mulieribus illis, quæ magnificis indutæ veſtibus, erecto capite, ſuperbo inceſſu, caudatis tunicis, quas trahunt, vel quæ majori cum pompa a famulis deferuntur, non ſine faſtus, ſuperbiæ, & vanitatis ſpiritu veniunt in templum, ut immodeſtiam ſuam potius, quam pietatem oſtendant; quæ eo ſe conferunt, ut videant, & videantur: ut magnificentiam veſtimentorum audacter, & ſine ullo metu ad altarium gradus oſtentent, donec ibi celebrantur myſteria ipſis etiam Angelis, qui coram Dei ibi præſentis majeſtate contremiſcunt, terribilia; licet id explicite Concilia interdixerint? Attamen in hac loci tanta ſanctitate, & amplitudine mulieres, virgineſque mundanæ ornatuum ſuorum in luce coruſcare videntur, & quandoque etiam popliti ſuppoſitis pulvinaribus imprudenter inſultare paupertati JESU CHRISTI, ejuſque exprobrare humilitatem: idque cum ingenti fidelium ſcandalo, & cum chriſtianæ religionis dedecore.

Cur tot labores, & ſumptus, ut ornamenta vobis comparetis? Qua mente, quo conſilio id agitis? Dicere non auderetis, ut vobiſmet placeatis; hæc enim ſuperbia eſt, quæ vos cutam hominibus in ludibrium traduceret, ac Dei ipſius vobis indignationem conflaret. Si, ut pleræque, dicitis, veſtrum hoc ſtudium, ingeniumque non eſſe, ſed conſuetudinem ſequendam eſſe; alias id facere, quod ipſæ facitis; & id vos quoque facere velle, ne ſingularitatis nota inuramini; cum Tertulliano reſpondeo, JESUM CHRISTUM dixiſſe non conſuetudinem, ſed veritatem nulli eſſe obnoxiam immutationi.... Quamobrem S. Cyprianus inquit, conſuetudinem proprie loquendo non aliud eſſe quam antiquum errorem; & Sanctus Chryſoſtomus ait, illam veram eſſe corruptionem, quæ noſtræ favet cupiditati, & quam cauſamur, ut affectibus, & cordis noſtri cupiditatibus obſequamur. Hoc S. Gregorius terribile malum appellat, quod efficit, ut vitium pro virtute temporis hujus propria habeatur, & quo utuntur peccatores tanquam invicto argumento, ut ſua ſcelera probent. *Idem*.

Sancti omnes veſtium luxum damnarunt.

Præter ea, quæ ex duobus Apoſtolorum Principibus ſuperius allata ſunt Petro, & Paulo, Prophetæ diffluunt minis contra nimium ornatas mulieres, & nunquam alias quam contra hoc vitium,

Sancti

Digitized by Google

Sancti Patres uberius eloquentes fuere. Si fides noſtra æque viva in terris eſſet, ac magna merces eſt, quam expectamus in cœlo, nemo veſtrum, o mulieres, ex quo Deum viventem, & fœmineam conditionem agnoviſtis, ſeſe inanibus ornamentis inſtruere voluiſſet. Immo rudibus, pannoſis, neglectiſque veſtibus operiri maluiſſetis, ut exhiberetis in vobis Evam plorantem, ac pœnitentem, utque melius hoc pœnitentiæ integumento malum expiaretis, quod ex primæ mulieris lapſu percepiſtis; videlicet primi criminis ignominiam, & turpe facinus, quo mortalium omnium excidium peractum eſt. Scelus idem, quod vos morte dignas præſtitit, filii Dei mortem pepetit. Vos autem ſuperbas gerere vultis tunicas, ſcientes primam matrem veſtram poſt crimen, cui obnoxiæ in lucem prodiiſtis, pelliceis tantummodo uſam fuiſse integumentis. *Specimen ſermonum pro prima poſt Epiphaniam Dominica.*

Fruſtra mundana mulier ex quibus ornatibus placere ſtudet.

Cuinam quæſo, Auditores, placere ſtudet mulier, quæ tanta affectatione ſe comit, & quæ in vias, cœtuſque omnes prodit, tanquam in ſcenam actricis partes luſura? Nunquid ſcitis, cordatiſque viris ſe placere poſse arbitratur? Fallitur vehementer; ſciunt enim virginis, vel nuptæ exiſtimationem præſertim ab illius verecundia, & modeſtia pendere; ſtupent, quod mundana mulier temere ſuam exiſtimationem in diſcrimen adducat, cum illam conatur acquirere, & multo magis illius imprudentiam, quam pulchritudinem admirantur. Nunquid protervis hominibus placere geſtit? quamvis hoc illi cederet e ſententia, nonne rubore ſuffundi deberes, eo quod ab iis celebraretur, quos omnes perhorreſcunt, & quorum laudes vera ſunt probra? verum apud hos nequaquam magis proſpere, quam apud alios res e voto illi contingit. Procaces homines primi omnium illam in ludibrium vertunt, atque obtrectationi fræna laxantes aculeatis irriſionibus nomen ejus proſcindunt; quorum dicteria, ſi ad illius aures pervenirent, erubeſceret illa quidem ſanda, infandaque audiens omnia, dum laudibus ſe celebratum iri putaret ..... Ergo piiſne viris placere quærit? Immo indignatione in illam flagrant, eamque odiſse, & execrari tenentur propter ea facta, quæ ratio improbat, pietas deteſtatur, Chriſtianiſmus horret, & quæ ipſa etiam morum protervia traducit. E contra vero ſi chriſtianam alit modeſtiam ſecundum conditionem ſuam, cordati, devoti homines, immo etiam, qui æquo ſolutiores ſunt, eam in pretio, & honore habendam eſse cenſebunt. *Ibidem*.

In quo ſita ſit hæc immodeſtia adeo vituperabilis in mulieribus.

Nemo quærat ex me, quonam in re ſita ſit hæc immodeſtia adeo indigna muliere, & muliere chriſtiana. Vos id melius, quam omnes ſimul concionatores, tenetis: alii contra veſtium luxum declamant, alii zelo ſuccenſi contra morem invehuntur, qui efficit, ut præter veſtium magnificentiam aliquid adſit præterea, quod vel nimis ſæculi licentiam foveat. Utrique jure; verum non ideo minus illæ prætereunt ſuæ conditionis officia, & conſuetudinem, quam plurimi honeſti viri ſequuntur. Tandem quantumvis magnum ſit hoc malum, non ideo tamen eſt maximum: omne virus poſitum eſt in neſcio quo oris habitu, arte, elegantia, venuſtate, quam illæ ſatis norunt, & cui potiſſimum ſtudent. Ita illæ & ſe ipſas, & alios damnant; cui malo neque conſuetudinem, neque dignitatem ſuam prætexere poſſunt; & hæc infelix illa eſt ars, qua in manifeſtum damnationis æternæ periculum adducuntur. *Ibidem*.

De munditie, & modeſtis ornatibus.

Equidem ſcio corporis munditiem argumentum eſſe puritatis animæ; & primi fideles feſtis diebus conſueverant modeſto ornatu peculiarem cordis ſui venerationem oſtendere. Ita in veteri lege conſueverat Sanctus Patriarcha Jacob, qui jamjam Domino ſacra facturus præcepit, ut ſinguli ex familia ſua veſtes mutarent, ac nitidioribus induerentur: *Mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra*. Gen. 35. Sed quantum modeſtus ornatus noſtrum erga Deum obſequium, atque venerationem ſignificat, tantum luxus, utque exterior vanitas denotat interiorem ſuperbiam, quæ religionem, ac pietatem prorſus evertit. Eſto quidem, chriſtianæ ſeſe ornent mulieres, ſed tanquam victimas, quæ ad aras accedunt Domino ſacrificandæ, ut palam teſtentur, ſe illi, quidquid pretioſiſſimum habent, velle immolare: ſeſe ornent veluti altaria, quæ reverentiam tantum, & pietatem inſpirant; ita ut ſolo oris habitu impietatem, ac flagitioſorum hominum irreligionem confundant. *Ibidem*.

Amor, quo mulieres ſua deperent ornamenta.

Cum ſæpe accidat, ut, quæ minima ſunt, majori ſtudio conſectemur, docet experientia, non deeſſe in mundo mulieres, quæ æquiori animo ferrent conſcientiam ſuam, quam indumenta commaculari; quæ rempublicam potius, quam elegantiam ſuam mallent perturbari, & quibus minus faceſſeret negotium macula exiſtimationi, quam tunicæ affuſa. Vide, quomodo meliorem diei partem inſumant ſeſe comentes, pro viribus oris maculas tegentes, ut in cœtibus niteant, & ne olli diſpliceant; quomodo omnes ornatus, omnemque muliebrem mundum adhibeant, ut corpus ſuum venuſtius, & gratioſius efficiant, atque aliorum oculos in ſe convertant, & fallant. Amor proprius novas menti ſuggerit artes, ut quod minus ſpecioſum eſt, contegant, atque illis majorem addant nitorem, quæ efficere poſſunt, ut majori habeantur in pretio. *Auctor Anonymus*.

Per veſtium luxum chriſtianæ fidei quodammodo abrenunciatur.

Pomparum mundi abrenunciatio Sanctis Patribus ita neceſſaria viſa eſt, ut Tertullianus Chriſtianiſmi ſpiritum, & Chriſtiani hominis profeſſionem duplici verbo complecti cupiens, *habitum renunciativum* appellet, alludens tunicæ, qua indutus fuit, cum chriſtianæ militiæ nomen dedit. Attendite pauliſper quæſo, o mulieres: veſtis, quam geritis, eſt ne habitus pomparum mundi renunciativus? An potius eſt habitus renunciativus evangelii? Si in baptiſmo pollicitæ fuiſſetis vos mundo adhæſuras, atque JESU CHRISTO abrenunciaturas eſſe, poſsetiſne melius præſtare fidem? meliuſne mundo placere poſsetis? Hunc a vobis amari, vanitates, ornatuſque illius vobis accepriſſimos eſse, meliuſne poſsetis oſtendere? O maximum religionis ſcandalum! Poſt hæc vos eſse Chriſtianas, vos mundo abrenunciaſse gloriamini? *Joly tom. 2. propoſitionum*.

Difficile eſt ornatus cum virtute conſociare.

Arduum eſt cogitare, eam, quæ tanta ſeſe comit induſtria, ornatuum amorem cum amore virtutis conjungere poſse: placendi deſiderium, & deſiderium ſeſe ſanctificandi ſimul conſociari nequaquam poſse videntur illis, qui aliquam habent chriſtianæ ſanctitatis ideam. Debere fragilem tutari innocentiam, atque difficiles virtutes acquirere, ſimulque omnem conatum exerere, ut in ſe aliorum oculi convertantur iis ornamentis, quæ ad voluptatem ciendam aptiſſima ſunt: inter hæc duo manifeſta patet oppoſitio; eaque ſimul velle conjungere, hoc eſset illudere evangelio, vel Chriſtiano, qui ſcit, quid eſt evangelium. Quin zelus longius nimis provehatur, ac veritas exaggeretur, aſſerere poſsumus omnino impoſſibile eſse, eam, quam decet, animæ ſuæ curam gerere, ſi tantum temporis, atque induſtriæ in exteriorem cultum impenditur. Mollis hæc vanitas neceſsario omnem extinguit ardorem, quo ferri poſsumus ad progreſſum aliquem in Dei vita efficiendum: hæc animam diſtrahit, occupat, inquietam, moroſamque facit, in nugis detinet, omnemque illi boni guſtum, & ſenſum aufert. *Liber, cui titulus: Animadverſiones in varia religionis, Ethicæque argumenta*.

Si huic vera eſt virtutis idea, quomodo fieri poteſt, ut adeo levem habeat ideam humilitatis? ut conſcientiam ſuam cum ea reconciliet, quæ palam adverſatur evangelio? ut tanto amore depereat ornatus, ac pompam, quæ mentem occupat, pietatem exſiccat, mollitiem alit, & gratiam amovet, & extinguit? Minus adhuc fieri poteſt, quod oculus, & judicia reformidet eorum, qui fortaſse Deum

non

non timent, & graviſſimis fortaſſe vitiis ſcatent; quod eorum pertimeſcat cenſuram, iiſque nolit diſplicere. Virtus nequaquam permitteret, ut ſcandalum illis præberet, qui religionis præceptis imbuti nugas contemnere didicerunt; ut ſuam in diſcrimen ſalutem daret, immorans in periculo nunquam cœleſtia guſtandi: etenim quaſnam ſalubres alere poteſt cogitationes ſub horum ornamentorum integumento? Si hæc ſerio, & chriſtiane cogitaret, prima etiam cogitatio efficeret, ut ſuum luxum damnaret, atque abrenuntiaret inanibus hiſce ornamentis, quæ modeſtiæ, & chriſtianæ humilitati ſunt prorſus oppoſita. *Idem*.

Quæ tanta ſe ornat cura, nullam habet ſalutis ſuæ curam.

Zelus damnare, atque in odium traducere luxum conatur; utitur argumentis, evangelicis principiis, propriæ etiam utilitatis rationibus, ut illius horrorem inſpiret. Hæc omnia inutilia ſunt, neque eum afficiunt, qui ſalutem ſuam negligit: licet nil ultra requireretur, ut ſincere interitum ſuum metuenti modeſtiæ cura injiceretur. Luxus illius ſatis eſſe poteſt ad probandum, non poſſe illum eas omnes agitare curas, quæ ad ſanctificationem ſuam ſunt neceſſariæ. Cum videntur nitidiſſimi hi cultus, magnifica ornamenta, exquiſita eorum, qui ſubinde vigent, rituum elegantia; totus hic apparatus adeo ſedulus, dives, ac pretioſus, qui longius excedit, quidquid propriam decet conditionem, ac ſtatum, inferri poteſt, quin veritati vis inferatur, fidelem hujuſmodi pompas depereuntem chriſtianas omnes virtutes nullo in diſcrimine habere. Hæc una eſt ex primis conſiderationibus, quæ ultro occurrunt animo ſapienti, & religioſo: luxus enim per ſe gerit imaginem virii, quo omne ſanctitatis deſiderium extinguitur. *Idem*.

Veſtium luxus principiis chriſtianæ religionis oppoſitus eſt.

Chriſtianæ religionis principia nos docent, quid de ornatuum exceſſu, & immodeſtia ſentiendum ſit? Patet, illos Chriſtianiſmo dedecus afferre, Deumque lædere, ſi cum idololatriæ, ac vitii licentia conſentiunt, ſi ſcandalum afferunt, ſi conciliari nequeunt cum verecundia, quæ virtutis eſt propugnaculum; ſi mentem diſſipant, atque ad ſalutis contemptum, & oblivionem adducunt; ſi eos, a quibus geruntur, cum illis, a quibus mundus diligitur, miſcent; ſi legibus obſtant, quæ irrogatæ ſunt conſcientiæ, ut contra criminis illecebras ſe ipſam communiat. Chriſtianæ mulieres, quæ recentes indumentorum, ornatuumque ritus conſectari ſtudent, quin eos ad ſui baptiſmatis characterem, ac pietatis ſuæ referant officia, cogitantne ſe idololatris mulieribus ſimiles fieri? Quæ cura, ut ne ſe ipſis hanc jugulent ingenitam religionem, ut ſuæ exiſtimationi, vanitatique conſulant? Non timent illæ caſtis oculis afferre ſcandalum: in ornatuum ſuorum ſtudio illam amittunt ſollicitudinem, quæ ſexum ſuum maxime decet, & quam ſine graviſſimo animi cruciatu nequeunt violare: ſeſe probris objiciunt, quæ nunquam mereri vellent; ſi verum eſt, ipſas non eſſe, quales videntur, cur licere ſibi volunt, tales videri, quales non ſunt? *Idem*.

Luxus, & immodeſtia veſtium impuritatem ſuadent.

Solus veſtium veſtrarum, mulieres, ſuperfluus ornatus lacrymas ex omnibus ſanctis viri elicuit, qui eiuſdem teſtes fuere; quid igitur nunc dicerent videntes, univerſum hunc apparatum non ſolum eo tendere, ut veſtram palpet vanitatem, atque ſuperbiam, ſed etiam ut faveat impudicitiæ, atque illis, qui vos intuentur, illicita deſideria, impuraſque cogitationes immittat? Nunquid tanta auri, argentique vis eſt inſumenda, ut corpus tegatur, & nihilominus ſeminudum relinquatur? Non miror, mundo hoc malum placere, quandoquidem illius auctor eſt; ſed intelligere nequeo, quinam viri boni ſileant, & hanc ſuſtineant abominationem, quin loquantur, & in queſtus erumpant, quaſi voce, & pietate carerent. Nonne diceres publicum larum fuiſſe interdictum, ne quis minus decentia hæc immitus objecta ſcandali occaſionem arriperet? Non paucæ ex his mundanis mulieribus ajunt, ipſas ſe ſatis noſſe, ut nihil ab hujuſmodi nuditatibus ſibi metuendum ſit: ſed illis reſpondere poſſumus, hanc ipſam, quam in virtute ſua habent, confidentiam magnam eſſe diſpoſitionem, ut quamprimum hoc virtutis excidant gradu. Quæ non meruit ſuæ integritatis jacturam, minus ſibi cavet, ne illam patiatur; quo minus cavet, eo majus ſubit periculum; & quo magis periculum negligit, minus par eſt, quæ inde evadat incolumis. Hæ igitur nuptæ, innuptæque ſciant, ſi homines imbecilles ſunt, ipſas quoque tales eſſe: & eodem tempore, quo homines tentant, ſe ſe objicere, ut ab hominibus tententur. Ipſæ illos nuditatum ſuarum ſcandalis tentant; & periculum adeunt, ne ipſæ ab illis amatoriis nugis, officiiſque tententur. Ipſæ illis noxium, & inhoneſtum perflant amorem; illi vero amoris, quo flagrant, magnitudinem exprimunt. Ipſæ illos per oculos illexerunt, illi eas per aures illiciunt; eiſque eum, quem hauſerant, amorem reddunt. *Ex libro, cui titulus: De abuſu denudati pectoris*.

Heu! ſatis ſuperque verum eſt, mundum, ac dæmonem ſuos habere martyres, & ſatis patet, mundanas haſce mulieres hoc ſubire martyrium propter cruciatus, & cruces, quas illis inferunt tot recentes ornatuum ritus, quin rheumata, morboſque vereantur, qui vulgari ſunt parum decentis nuditatis ipſarum effectus. Conſtanter temporum omnium rigorem perferunt, ut hanc percipiant voluptatem ab aliis videndi, & ſpe aliis placendi nutriantur. Nonne jure illis cum magno Angliæ Cancellario dicere poſſumus, quod Deus illis injuriam afferret, ſi illis infernum obſtrueret, quandoquidem tot laboribus torquentur, ut illum mereantur. Non ſine ſumma cum juſtitia, inſignis ille vir ſequitur, adeo funeſta merces tribuitur laboribus, qui adeo irrationabiles ſunt, & neſarii; ſed ſumma cum injuſtitia mulieres iſtæ ſe ipſas torquent, & excruciant, ut damnentur, cum ne minimum quid pati velint, ut ſaluti ſuæ conſulant. *Idem*.

De veſtium immodeſtia

Si Dei timor finis eſt modeſtiæ, ut docet Scriptura; hoc eſt, ſi exterior modeſtia Dei timorem parit in anima, vel illum ibi tuetur, aut auget; fatendum eſt etiam veſtium immodeſtiam, & turpes has nuditates argumento eſſe, Deum ab his mulieribus non timeri, ab his ſalutis ſuæ jacturam negligi, vel non metui. Si enim modeſtia Dei timorem ſuadet, illum nobis auſert immodeſtia; ſi modeſtia diſpoſitio eſt ad vitam ritu chriſtiano ducendam, immodeſtia maximum ad id eſt impedimentum; nec videtur injuria ſententiæ ſuæ Tertullianus Scripturæ verba applicuiſſe, Dei filias eas vocans mulieres, quæ modeſtis veſtibus utebantur; filias autem hominum eas, quæ membra ſua detegere, faciemque fuco illinere adfectarent. *Idem*.

Veſtium immodeſtia in muliere duplex eſt crimen.

Si verum eſt, quod Scriptura dicit, mulierem modeſtis ornatam veſtibus, ac per pudorem ſanctitatis ſuæ præbentem argumenta, gratiam eſſe ſuper gratiam: *gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata*; certiſſimum eſt, mulierem mundano exornatam ritu, & nuditatum ſuarum ſcandalo in dubium vocantem innocentiam ſuam, crimen eſſe ſuper crimen. Crimen quidem eſt, quia contra pudorem peccat, crimen vero crimini ſuperadditum, quia facit, ut alii peccent contra puritatem, & ſimulac ſe nocentem præbet, adnititur cum dæmone, ut alios nocentes faciat. *Idem*.

Maximum mulierum eſt ſeſe exornare.

Præcipuum muliebris ſexus negotium nonne eſt ſedula curioſitate omnes aliarum, quæ ſuperioris ſunt ordinis, ornamenta ſcrutari; omnibus, qui recens invehuntur, cultus ritibus capi, cupere, & perquirere, quidquid novitate aliqua commendatur; cumque ad exoptatum hunc ornatus gradum pervenerint, num ſe ſe illis comparant, quas veluti exemplaria ſibi propoſuerunt? & nonne putant, eamdem externi cultus ſpeciem ſibi eamdem conciliare debere exiſtimationem? . . . Quod inſtitutum fuerat, ut ſecernerentur conditiones, nunc illas confundit: varium indumenti genus illa deberet

Digitized by Google

beret diſtinguere; verus nitor a falſo ſeparari non poteſt, quippe omnia æque undique nitent. Urbs, & aula; qui in dignitate conſtituti ſunt, & qui privatam ducunt vitam, nihil differunt, & ſi quid ſupereſt adhuc in importuna hac imitatione, unde alii ab aliis, valeant dignoſci, hoc aliud profecto non eſt, quam intra modeſtiæ, & ſimplicitatis cancellus ſeſe continere. *Ex manuſcripto ſermone de luxi veſtimentorum.*

Apparatus ornatuum, & immodeſtia veſtium in fœminis.

Totum hunc mulierum ſtuporem ædificare noverunt, Tertullianus ait: ſuperbiam vocare univerſum hunc vanitatis apparatum eſt preparam explicare, energeticum patris hujus vocabulum: *Mulierum ſtuporem*, pertinaciam hanc, hoc phantaſiæ prodigium, hunc muliebrem mundum impeditiſſimum, qui mulierem in jugi ſtupore, ac perenni ſui ipſius admiratione tenet: *Totam mulierum ſtuporem ædificare noverunt*. Hoc illud eſt ædificium, quod aliorum negligentia, aliorum imbecillitas, prodigalitas, intemperantia, impunitas plurimorum quotidie ſuper multarum familiarum ruinis extollunt. . . . Inverecundæ nuditates, pulchritudo nimis negligenter expoſita, indomenta pudori parum fidelia, velamina ejus levitatis, quæ ne minimæ quidem auræ reſiſtit, & ejus ſubtilitatis, & nullum obtutui obicem ſtatuit: *Quibus veſtita corpora nudantur*, S. Hieronymus inquit. Novus hic lubricitatis apparatus fere ignotus flagitioſiſſimis ſæculis; hæ veſtes ita apertæ, ut ab aliis videaris, quin rubore ſuffundi tenearis, omnes hi laquei, quorum non nomina iſtic inquirenda ſunt, ſed ſcelera confitenda, cum gratia, & ſalute omnino eſſe non poſſunt. *Idem.*

Nil mali cogitas, inquis; heus tu cogitaſne aliis placere? Velle autem placere, nonne malorum omnium origo eſt? Velle placere non quidem ſexus ejuſdem perſonis, quippe earum potius in te conflas invidiam, atque indignationem; ſed illis placere velles, qui ſuopte ingenio proni ſunt, ut tibi complaceant, & quibus minus verecundiæ eſt, minuſque pudoris . . . . Quot inde exiſtunt mala, cum huic cupiditati moderari non ſtudes! At huic ne rei ſtudes, an ſtudebis, an ſtudere poteritis? Sciſne quouſque in alienis cordibus cupiditas iſta progrediatur? Notaſtine quouſque, non autem ultra, placere velis? Cum hoc periculo pertinaciter placere velle, nonne eſt affectio vel cordis parum caſti, vel cordis enormiſſimæ, nequiſſimæque vanitatis referti? O rem incredibilem! Quidquid abominationum, ac flagitiorum ad imputationem ſpectantium in terris accidit, inde fluit, quod homines nimis ultro citroque ſibi placent, & placere velle innocuam putas eſſe voluntatem? Neque reſpondeas, me mihi fingere phantaſmata, & nihil horum animo tuo volvi: ſincerius morti propior reſpondebis. Modo ſanctis omnibus reſponde: *Excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis, & pudica: redarguit te cultus impudicus*, S. Cyprianus ait. *Idem.*

Fruſtra prætexitur conſuetudo.

Conſuetudinem cauſaris. Poſtquam Jeſu Chriſti lex omnes mundi leges abrogavit, profana mundi conſuetudo numquid profanam mundi conſuetudinem delevit? Statim ac mundus nunc aliquam invehit conſuetudinem, nemone teneri ſe putat eidem adverſari propter evangelii gloriam, & jura virtutis? Metus ab aliis irridendi ſatiſne valida ratio eſt, ut tuam excuſes ignaviam? Inane artificium imaginationis ſpiritu mundi corruptæ! Maximum, quod tibi accidere poſſit, malum in maxima cultus tui ſeveritate, hoc ſane eſt, quod earum adſcribaris numero, quas naturæ vitia modeſtas eſſe jubent, & quæ prudentiæ æque, ac pietatis hortatu ſe contegunt. Videſne has irrideri? Nonne illæ faciei ſuæ labem celantes ex modeſtia ſua honorem percipere norunt? Cur autem nequeas formam, venuſtatemque tuam contegens ex vera modeſtia ex ſanctæ religionis obſervantia, & ex mundi contemptu verum honorem capeſſere? *Idem.*

De eccleſiaſticis, qui ſuperbis utuntur veſtibus.

Præſertim vero ea indignatione ſuccenſus, quam jure domus Dei zelus excitare poteſt, loquor, quibus autem? Profanatoribus hiſce nominis, ſanctuarii, & hæreditatis Dei, qui altarium miniſterio conſecrati, ex altaris reditibus viventes, & ut verbo me expediam, bonis atque proventibus eccleſiæ perfruentes hæc in mollitiei, faſtus, ſuperbiæque materiam convertunt. Nunquid non audiſtis, hac in re S. Bernardus exclamat, templorum parietes illa Sancti Pauli verba recinentes: *Non in veſte pretioſa*. Apage hinc pretioſa indumenta. At enim mulieres alloquebatur Apoſtolus; cur non igitur Sacerdotes, non eos, qui eccleſiaſticis beneficiis locupletati ſunt; non eos, qui omnibus mundi pompis abrenuntiarunt, ut in ſola JESU CHRISTI hæreditate conquieſceret? Apage hinc magnificas veſtes, dicebat Apoſtolus, ubinam ergo veſtes delicatæ? ubinam mollis, & ignava munditiés? ubi effœminatus corporis cultus? *Idem.*

Veſtes inobedientiæ, & rebellionis noſtræ ſigna.

Veſtium neceſſitas nota eſt rebellionis, atque inobedientiæ hominis: quantumcumque hic nihil inauſum, intentatumque relinquat, ut pœnam hanc in ornatum convertat, fateri tenetur, ſe corpus ſuum ad dolorem, pudoremque avertendum contegere . . . . Si in eo permanſiſſet officio, quod debebat Deo, corpus illius nequaquam ſpiritui ipſius rebellaſſet, & niſi particularem hanc rebellionem altera generalis ſubſecuta fuiſſet, nulla res coegiſſet illum, ut quæreret, undenam ſe ipſum contra temporum inclementiam tutaretur. Videt ergo in veſtibus ſuis ſcelus ſuum; hæc manifeſta ſunt inobedientiæ ejus indicia: & ſi ratione uti vellet, quantum corpus ſuum tegit, tantum illud ipſum puniret. Attamen velle videmur divinæ obluctari juſtitiæ, judicia illius in ludibrium traducere, ex ejus ſuppliciis vanitatis argumenta deſumere, atque in gloriam noſtram id, quod nobis probro eſſe deberet, convertere . . . . Adam nunquam magis erubuit, quam cum veſtibus ſe ſe contegere debuit. Coria, quæ gerebat, pœnitentis erant operimentum, & antequam vanitas artem illa exornandi excogitaſſet, hæc ex oculis lacrymas, & ex pectore ſuſpiria eliciebant. Nunquam induebatur, quominus innocentiæ deſiderio conficeretur; cumque frigore cogebatur conſuetis alia addere indumenta, cogitabat temporum perturbationem eſſe ſui peccati ſupplicium. *Ex P. Senault in homine crimino ſo.*

Intentiones ſeſe exornantium ut plurimum nefariæ ſunt.

Qui ſe ornant magis, quam induunt, & qui neceſſitati voluptatem adjiciunt, duplici tantum plerumque aguntur cauſa, quarum utraque injuſta eſt. Prima eſt ſibimet indulgendi, ac faciendi ſatis amori proprio corporum ſuorum cura, miſeriam quidem ſuam diſſimulando, ambitionem vero palpando. Altera cauſa eſt placendi illis, a quibus videntur, atque animas in laqueos ſuos pertrahendi. Altera hæc vulgatior eſt, atque periculoſior; vulgatior quidem, vanitas quippe theatrum poſcit, & amor proprius non ſecus, ac ambitio habere vult ſpectatores. Et profecto mulieres, ubi ſolæ fuerint, nunquam ſe exornant: ſolitudo luxus eſt inimica; atque ornatus abjicit, quæ prodire detrectat. Tædium, ac labor, quæ ferenda ſunt, ut ſe mulier calamiſtris comat, atque ornet, efficit, ut hac voluptate non afficiatur; ſuaque negligit ornamenta, cum nemo ſit, qui illa admiretur. *Idem.*

Mundana ornamenta nunquam probata fuere.

Libenter doceri vellem, ubinam conſuetudo iſta probetur. In ſacra Scriptura haud profecto: etenim S. Petrus Apoſtolus explicite chriſtianis mulieribus aurum, & criſpatos calamiſtro crines interdicit. In Sanctis Patribus, ne ita quidem; nunquam enim acrius invehuntur, quam cum contra luxum, & veſtium pompam declamant. Indeſinenter vanitatem hanc inſectantur, & docent nos legibus charitatis teneri, ut hæc ſuperflua erogemus egenis indumenta, miſeris opem, & eccleſiæ præſidium præſtantes. Immo volunt veſtium ſimplicitatem ſignum eſſe pietatis, atque abrenunciationis mundi.

His

His autem nil aliud reſpondent, niſi quod non decet ab aliorum cultu diſcrepare, & non ſine quadam ſingularitatis notâ differre. Quid hoc? Numquid torrentem ſequi oportet? Quia malum commune eſt, non ideo laborandum eſt, ut illinc evadamus? non audes emergere e turba eorum, qui in certum interitum abeunt? Immo e contra reor opus eſſe ab aliis diſcrepare, ſi tibi ſatis animi, viriumque eſt, ut id facias. Scire vellem, utrum in veſtibus, non ſecus ac in aliis quibuſcumque rebus modeſtia bona ſit, & laude digna? Si bona, illius exempla præbere, poteſtne malum eſſe? E contra nonne glorioſum eſt, primum in viam virtutis incedere, & hanc aliis aperire? *Auctor Anonymus*.

Sæculi hujus luxus ad exceſſum pervaſit.

Equidem ſcio ſemper veſtes pro conditionum diſcrimina varias fuiſſe. Primum tamen animadvertendum eſt hoc in ſæculo neminem eſſe, qui magnificentiam ultra ſuam provehat conditionem. Ad hæc, olim conditiones non ita accurate, ut hodierna die, diſtinguebantur: ſatis magnum, ac manifeſtum diſcrimen intereſſe oportebat, ut liceret alios ab aliis veſtium nitore diſtingui. Non ſatis erat eſſe locupletem, & eo genere natum, quod parum ſupra cæteros antecelleret. Hodierna die ſi cuilibet permittitur indui, ac ſumptus facere ſecundum conditionem ſuam, ſuperbia, & vanitas, quæ diſtinguunt conditiones, compellent ad extrema quæque mortales. *Idem*.

Fruſtra dicitis; intentiones veſtras culpa vacare; hoc mihi perſuadere nullo modo poſſum. Sed licet vacarent, quomodonam ea, quæ earum effectus ſunt, vacare poſſent? Nullum enim virus eſt, quod citius ſe communicet, quam hæc damnanda mundanæ induſtriæ adinventa, ac totum regnum intra aliquot menſes hac ornatuum, ac periculoſarum novitatum corruptione inficitur, ubi nullus ſervatur modus, & corda, ut S. Jacobus c. 5. inquit, ſexcentis cogitationibus, impuriſque cupiditatibus aluntur: *In luxuriis enutriſtis corda*. Quot animas hac re perdidiſtis? Et ſane nequaquam ſenſu caremus, non lapidei, neque ænei ſumus. Malum de uno in alterum ſe ſe effundit, perennat, ac brevi immedicabile fit, quia migrat in conſuetudinem. *P. Giroust in Adventu ſuo, tomo primo ſermone de conſuetudine*.

Mundanæ mulieres ſemper ſunt in ſtatu peccati, donec immodeſtis ornatibus ſuis ſunt ſcandali cauſa.

Eſto quidem in cultu, ornatuque ſuo nullam habeant pravam intentionem mulieres, atque id unum inquirant, quomodo ſibimet ſatisfaciant, atque non diſtinguantur ab aliis ejuſdem qualitatis, & ſexus mulieribus adfectata negligentia, vel alio peculiari; dico tamen, ſi hujuſmodi ornatus intuentibus peccandi præbent occaſionem, ipſas etiam peccare, atque teneri ad ſcandali hujus confeſſionem, ac debere impoſterum hanc omittere curam ſe ſe comendi, & ornandi. Mutent, oportet, ornatus, cultuſque ſuos, atque ſua indumenta caſtigent; alioquin ſemper erunt in mortali peccato, ac nullam unquam, niſi fallacem, agent pœnitentiam. Illud etiam addo, quamvis in omnibus hiſce ornatibus nihil eſſet, quod in ipſo malum, pravumque haberetur, ad id ut eos relinquere teneantur, ſatis eſſe, ſi illis tanquam illecebris peccati, ac innocentiæ laqueis abutantur. Neque prodeſt aſſerere, vos non eſſe deterioris conditionis, quam cæteras; vobis eſſe divitias, atque in hoc jure uti veſtro. Etenim ea conſcientiis, & obedientia, quam Deo, nec non charitate, quam proximo debetis, tenemini ea omnia relinquere, quæ huic ſcandalum poſſunt afferre: hi ornatus, recenteſque veſtium ritus, hæ nuditates, quæ per hæc velamina adfectata, & improba videntur, illi ſcandalum afferunt, eumque in ſcelus impellere poſſunt. Tenemini argo huic cultui abrenuntiare. *P. Gegou in libro, cui titulus: Uſus Sacramenti Pœnitentiæ*.

Scandalum quod mulieres immodeſtis ornatibus ſuis gignunt.

Non conſpicis impudice, ſed conſpiceris. Verba hæc ſunt S. Cypriani, ac Tertulliani. Fortaſſe laſcivos oculos non circumfers, ſed in te ab aliis feruntur. Nulla inhoneſtæ voluptatis labe pollueris, ſed te ipſam ea polluit voluptas, quam aliis præbes. Quis non deteſtetur, quod tot aliis funeſtum eſt? Quis uti velit eo, quod mortem intulit illis, qui eodem uſi ſunt? Si quis poſt epotum pharmacum, aut cibum aliquem deglutitum, repente e vivis decederet, profecto nequaquam dubitares, utrum pharmacum, vel cibus veneno fuerint imbuti, atque diligentiſſime caveres, ne quid tale labiis tuis admoveretur. Hæc autem ornamenta, hi calamiſtri, & artes, quibus ſpeciei tuæ decorem addere conaris, & quibus aliorum oculis te commendare putas, quamplurimos e mundo perdiderunt, hodieque perdunt; tu vero non pereas per ea, per quæ tot alii periere? Falleris, atque tibimet ipſi blandiris freta virtute, ac ſapientia tua, & rata nihil in animo tuo, niſi honeſtiſſimos ſenſus foveri. *Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus*, Tertullianus inquit. Ornatus iſte, adfectatus hic cultus, qui cum mundanis mulieribus tibi communis eſt, falſum id probant, quod inquis, atque te condemnant. Non ſatis eſt, ut in honeſtarum ſeminarum albo recenſearis, talem intus eſſe, niſi talis etiam extrinſecus videaris: ita ut qui te vident, non dubitent, quænam vere ſis. Honeſtas, & virtus ſe ſe extrinſecus promere debent modeſto corporis habitu, & cultu. Virtutes quoque ſuos habent ornatus, uti vitia ſuos. *Idem*.

Unica placendi voluptas ſuadere poteſt mulieribus ornamenta.

Si jure Patres aſſerunt, in chriſtianarum mulierum albo eas recenſeri non poſſe, quę ita ſe comunt, ut placere poſſint, heu! quam modicus hodierna die eſt mulierum chriſtianarum numerus? Dicent illę quidem, ſe id minime quærere, ut videlicet placeant: eſto: verum illas nequaquam puderet, vel pigeret, ſi ad id ſe non ſatis belle comptas, ornataſque arbitrarentur; alioquin cur tandiu ſpeculum conſulerent? Cur tot artes inquirerent ad oris labes tegendas, utque eæ videantur, quæ minima ſunt? Mirum! Tertullianus ait, prohibet Deus ore, ac verbo mentiri, quia injuſtum eſt proximum fallere; hæ vero arbitrantur licere ſibi mentiri, & fallere proximum omnibus corporis partibus, oculis, capillis, oris colore, corporis habitu, inceſſu, fidem adſtruere cupientes ſe id eſſe, quod non ſunt, & quod ſunt, non eſſe. *Idem*.

Juxta Apoſtoli doctrinam qui, & quæ ſacro ſunt baptiſmate abluti, indui debent Jeſum Chriſtum. Cum hoc ſacramentum receperant, ſæculi pompis, & vanitatibus abrenunciarunt. At nonne eſt ſe ſe illis implicare rebus, quibus abrenunciatum eſt, dum magnificæ veſtes, ſuperbaque vanitatis ornamenta perquiruntur? Nonne hæc publica profeſſio eſt, negari ea, quæ palam promiſſa fuere, dum ea, quæ objecta fuerant, reſumuntur? Atque ſi anima vere chriſtiana circumferre debet Jeſu Chriſti mortificationem in omnibus corporis ſui partibus, omnia hæc vanitatis inſtrumenta cum evangelii ſenſibus conciliare. *Idem*.

Circumſtantiæ, quæ nocentem efficiunt luxum veſtiumque immodeſtiam.

Fateor equidem, abſolute loquendo, nihil mali eſſe, ſi re ipſam pretioſis veſtibus ornes, at nihilne mali eſt immodici pretii ornamenta deferre; æs alienum conflare, ut niteas; atque mercatoribus pactam differre pecuniam, ut luxum tuum nutrias? Nihilne mali eſt, o matronæ, ſingulis vitæ diebus plurimum impendere temporis calamiſtris criſpantes comam, ac voſmet muliebri mundo exornantes? Nihilne mali eſt voſmet comere, & indui coram famulis ea, qua noſtis, immodeſtia, & quam vobis exprobrari pudor ipſe vetat? Nihilne mali eſt, viros opem vobis ferre cum induimini, eamque vobis operam præſtare, quam ipſæ vobis præſtare deberetis? *P. le Valois epiſtola undecima de receſſu*.

Eccleſiaſticorum veſtes ſtatum ipſorum parum decentes.

Quid diceres, immo quid quotidie non dicis de eccleſiaſticis hiſce, qui vix a profaniſſimo quovis ſeſe diſtinguunt, qui adeo mundanam affectant munditiem, veſtes adeo vanas, adeo ridicula ornamenta, ac mores, qui adeo parum decent ſtatum ipſorum? At inquies, nunquid diſplicet tibi eos mundos eſſe, honeſtos, urbanos? Haud equidem, neque enim

æquum eſt in illis damnare id, quod virtus eſſe poteſt. Se ſe igitur ornent, immo etiam concinne; videant honeſtos homines, & cum illis honeſte verſentur; ſed ſe ipſos ornent, uti eccleſiaſticos decet; munditia eorum profeſſioni illorum ſit conformis, & reverentiam eorum characteri conciliet apud eos omnes, quicumque teſtes fuerint actionum ipſorum. *P. de la Colombiere ſermone* 48.

In ſcena, atque theatris imprudentiores veſtium ritus videri, ac niteſcere incipiunt, & mulieres, quæ frugi haberi cupiunt, religioni ſibi minime vertunt eos ornatus imitari, qui in ſpectaculis prodiere. Inde profecta eſt perniciosa illa traditio, quæ quondam ſucceſſionis veluti jure a matribus ætate provectioribus ad filias migrat: quæ res efficit, ne matres, quæ habitum contraxerunt, nequaquam in filiabus ſuis malum putent magnificas haſce veſtes, quæ corpus aperiunt potius, quam tegant; & quidquid ipſæ gerere conſueverunt. *Auctor Anonymus*.

Sententiæ quarumdam Sanctorum Patrum de veſtium luxu.

Veſtium magnificentia, & ornatus, nec non cultus omnis, qui oris ſpeciem commendat, ſolas deret meretrices. Nulli major eſt ornandi ſui corporis cura, quam quibus honoris ſui tuendi cura minor eſt. Hac de cauſa Deus in divinis Scripturis urbem libidini mancipatam exhibet ſub imagine meretricis locupletiſſime exornatæ, ac brevi cum omnibus ornatibus ſuis perituræ. Hæc S. Cypriani in lib. de diſcipl. & hab. Virg. ſententia eſt, cui S. Baſilius Regul. 72. addit, mulieribus nequaquam ſtudendum eſſe, quo pacto muliebri mundo ſuam oris pulchritudinem extollant, ſed potius omnes curas ſuas bonis impendere operibus, in quibus ſibi perſuadere debent totum mulierum chriſtianarum ornamentum conſiſtere. Sed S. Chryſoſtomus non minus virorum, quam mulierum luxum perſtringit. Luxus, ait ille, oſtendit ſimul mollitiem humani cordis, ſpiritus crudelitatem, & animæ vanitatem. Et profecto qui his immoratur ineptiis, aliquidne utile, ſeriumque cogitare poteſt? Quandonam geret curam animæ ſuæ, vel potius quandonam animam ſibi eſſe cogitabit. *Idem*.

Tertulliani hac de re ſententia.

Tertullianus ad mulieres loquens de veſtium magnificentia his utitur verbis: Si tanta in terris moraretur fides, quanta merces ejus expectatur in cœlis, nulla omnino veſtrum, ſorores dilectiſſimæ, ex quo Deum vivum cognoviſſet, & de ſua, id eſt feminæ conditione didiciſſet, lætiorem habitum, ne dicam glorioſiorem, appetiiſſet, ut non magis in ſordibus ageret, & ſqualorem potius adfectaret ipſam ſe circumferens Evam lugentem, & pœnitentem, quo plenius id, quod de Eva trahit (ignominiam dico primi delicti, & invidiam perditionis humanæ) omni ſatisfactionis habitu expiaret ... Propter tuum meritum, id eſt mortem etiam filius Dei mori habuit, & adornari tibi in mente eſt ſuper pelliceas tuas tunicas? *Ex Tertulliano de habitu muliebri*.

Gravius peccatum eſt magnificis indutas veſtibus mulieres in templum accedere.

Semper malum eſt aureis uti ornamentis; ſed longe gravius malum eſt magnificentiam hanc in templum uſque inferre, atque cum hoc apparatu tranſire per tot pauperes, qui ad templi oſtium ſiti ſunt. Si tibi animus eſſet excitandi omnes in te, non meliorem invenire poſſes rationem, quam bona, quibus a Deo aucta fuiſti, in luxum pauperibus adeo crudelem impendere. Cogita quomodo magnificentia tua hanc irritet turbam miſerorum, qui te prætereuntem vident, quos fames devorat, & quorum nuditas contra ſuperba veſtimenta tua ultionem depoſcit. *S. Chryſoſtomus in Matthæum*.

Veſtes nobis datæ ſunt ad nuditatis noſtræ turpitudinem tegendam, non autem ad corpora ornanda, atque ut per illas objiciamur rei, quæ ipſa nuditate turpior eſt. Ita videmus Deum, qui pretioſis veſtibus Adam, & Evam contegere potuiſſet, pelliceis tantum illos operuiſſe, ut ex rudibus hiſce, incomptiſque indumentis intelligeremus, vitam hanc a primis uſque mundi temporibus nequaquam tempus fuiſſe deliciarum, & voluptatum, ſed paſſionum, & lacrymarum. Quod ſi neceſſitas, qua tenetur homo ſeſe indumentis cooperire, ignominiæ nota eſt ex illius peccato profecta, cur vis per vanitatem tuam inde occaſionem præbere Deo, ut te exprobret, atque corripiat? Cura, qua veſtimentis noſmet contegere ſtudemus, non ne ſufficiens eſt noſtræ infelicitatis, lapſuſque teſtimonium? Cur ſcelus tuum adhuc gravius efficis? cur tuas multiplicans neceſſitates ſcelera quoque multiplicas? Nonne ſatius eſſet lacrymis, atque gemitibus peccatum tuum expiare? *Ex S. Chryſoſtomo de providentia*.

Modeſtia magis viros, ac mulieres ornat, quam veſtium magnificentia.

Modeſtia, & gravitas mulieris reverentiam injicere, & curioſorum obtutuum impudentiam, nec non juvenum licentiam debet coercere. Quamobrem ornatus, cincinni, criſpatæ calamiſtro comæ, & magnifica indumenta illi interdicta eſſe debent, ne inanium horum ornamentorum nitore, & commendatione in ſe mortalium convertat oculos, eoſque ad peccandum compellat. Verum cum Biblia vetant, ne ſe ſe ornent mulieres, nonne palam oſtendunt hoc multo magis dedecere virum, qui non niſi neceſſitatis ergo ſe ipſum debet induere? Pulchritudinem, ac pompam indumentorum conſectari imbecillitatis, ac mollitiei nota eſt; anima enim ad res magnas nata, ſi ſemel concipere poteſt, quinam ſit verus ejuſdem ornatus, nonniſi cum contemptu reſpiciet inanem fulgorem hunc, qui in veſtibus dumtaxat renidet, & deſideria ſua ad ſublimiorem ſplendorem attollens innocentiæ, & puritatis tuendæ curam conſiderabit tanquam reverentia digniorem, majorique habendam in pretio, quam quidquid, ad inania corporis ſpectat ornamenta. Corporis habitus, modeſtus, honeſtuſque fidelis eſt imago, & quoddam veluti certum ſignum ſtatus interioris animæ. *Idem partim in ſermone de Zachæo, partim in Sermone Paſchatis*.

De veris, fictiſque comis.

Natura, inquit Apoſtolus, nonne docet, turpe eſſe homini nutrire comam, atque eam in capitis ornamentum convertere: mulieri vero decorum eſſe alere crines ſibi a Deo pro capitis velamine traditos? Hic naturæ ordo eſt, quem hominis cupiditas pervertit. Mulieres nunc ſibi comas reſecant, homines vero cæſariem comunt, ac illi contra naturæ legem curarum ſuarum partem impendunt. Natura, quæ ex Dei manibus egreditur, mundanis non placet mulieribus, quæ nunquam vere ſui compotes factæ ſe ipſas variis rationibus torquent, ut illum inveniant ſitum, qui formæ ſuæ nitorem addat, & propter quem aliæ omnino ab illis, quæ ſunt, videantur. *Ex tractatu contra luxum calanticarum*.

Luxus pernicioſus eſt moribus & vitæ civili.

Commercium quibuslibet temporibus viguit ſine luxus auxilio; merces majoris momenti, quæ importantur, & exportantur, nequaquam illæ ſunt, quæ a luxu adhibentur; liquet, hunc pretioſiſſima etiam metalla, aurum, argentumque deſtruere, & familias ad paupertatem redigere. Luxum tolle, plurimum conferes, ut virtus refloreſcat, ut exulent vitia, ut terra vitæ adeo neceſſaria excolatur. Galli olim bellicis laboribus innutriti, ac naturali menſæ, indumentorumque ſimplicitati aſſueti miſere in luxum degenerarunt. Hæ tanti pretii fictitiæ comæ, hæc aurea, argenteaque veſtimenta, hæ tunicæ acu phrygio depictæ, denticulata hæc opera ex exoticis advecta regionibus id ſatis ſuperque probant .... Deſiderium ſe ſe ornandi, atque inter alios veſtium nitore, ac ſumptu emicandi peſtis eſt, quæ animam inficit, & cor. Cupiditas hæc mollitiem, ignaviam, otium, libidinem, morumque parit corruptionem. *Ex alio tractatu de virorum, mulierumque luxu*.

Immodicus mulierum luxus.

Veſtium luxus puerilis eſt vanitas, ſed vanitas in more poſita. Fruſtra illum chriſtiana damnat morum diſciplina; mulieres hodierna die in eo maxime triumphant. Nulla palam prodire audet, niſi niteat. Muliebri ſuperbiæ, ac luxui vix negotia, & agri ſupplere poſſunt. Ornamenta, quæ immenſi pretii non ſunt, minime ſapiunt. Calantica ſæpe uberiorem totius anni reditum abſorbet. Aræ, ac templa, ut Scripturæ verbis utar, ita exornata non ſunt, ut mundanæ iſtæ mulieres. Faſtus adeo irreligioſos, & fatua gloria Dominum irritat, & ſerius ocyus illius iracundiam accendit. *P. Croiſet tomo* 2. *ſpiritualium conſiderationum*.

Di-

Deus hunc ed t luxum, eumque ſevere puniet.

Diſcite, mundanæ mulieres, ab Iſaia Propheta, quantopere Deus ſuperbum hunc deteſtetur luxum, & qua ſeveritate aliquando eum puniet. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion*. Iſai. 3. Excutiet pulverem hunc, & hos crines tanta arte, & cura diſpoſitos. Pretioſi torques, margaritæ, armillæ, inania artificialis formæ ornamenta auferemini; *Et torques, & monilia, & armillas auferet Dominus:* neque hæ plota veluris habentes tabulata calanticæ vobis relinquentur: *Et mitras;* neque hæ intextæ crinibus aureæ vitæ: *& diſcriminalia*; neque magnifica, & pretioſa cujuslibet coloris, & pro qualibet anni tempeſtate indumenta; & *mutatoria, & theriſtria;* neque hæc ſuperba ſandalia, & ſi quæ alia ſunt luxum & vanitatem redolentia. Annuli, inaures, adamantina diſcernicula, lapilli, unguentariæ thecæ, ſpecula: *Et annulos, & acus, & gemmas, & olfactoriola, & ſpecula*. Mundanum alitis ſpiritum, fomites eſtis ſuperbiæ, ac vanæ gloriæ; aliquando vero vos illarum, quæ adeo inani fulgore lætantur, inſaniem oſtenderis, cumque fueritis earum vanitatis, atque oblectationis cauſa, eritis argumentum confuſionis, ac fortaſſe etiam deſperationis earum. Mundanæ mulieres ne aliam ſortem expectetis. *Idem*.

Modeſtia, quæ ædificat, & cum inſigni virtute conjuncta eſt, magnum eſt Chriſtianæ mulieris ornamentum. Mulier virtute prædita, Sapiens ait, non eget fallaci mundi hujus nitore, ut ſibi exiſtimationem conciliet. Magnificus ornatus nullum meritum confert, nimius locupletiſſimæ veſtis fulgor ſæpe injuriam facit illi, quæ eadem induitur. Cum ex nobis reverentia digni ſumus, adſcititiis meritis non indigemus. Quam deplorandа eſt, & quam parum deploratur illa, quæ victima eſt vanitatis. *Idem*.

Tyrannica veſtium, & ornatuum conſuetudo.

Nihil virginibus, mulieribuſque difficilius eſt, quam verecundam in indumentis præ ſe ferre modeſtiam. Tyrannica lex conſuetudinis eas rapit, atque veluti invitas trahit; & fallax, quæ illis inſedit, ſententia, licere ſibi id agere, quod aliæ faciunt, efficit, ut nulla religione perciræ in alienos abeant mores, propter quos reddenda ipſis ratio eſt ſcelerum omnium, in quæ alios impellunt; vel etiam eorum, ex S. Chryſoſtomi ſententia, in quæ alios impellere poſſunt. Exiguus earum numerus, quæ in ipſo adoleſcentiæ flore pravæ hujus conſuetudinis tyrannidem evitant, vim hujus tentationis oſtendit. *Eſſais de morale tome* 10.

In ornatibus non alius eſt finis, quam velle placere.

Quiſnam finis eſt, quæ cauſa horum omnium ornatuum, totiuſque mundi hujus muliebris? Num ut magis humilis, verecunda, modeſta fiat, mundana hæc mulier duas, vel tres horas ſe ſe calamiſtris comendo, ornandoque traducit, ac impendit omnes artis illecebras, quæ ad placendum ſunt magis appoſitæ? Verum nil mali cogitamus, inquiunt; at chriſtianum eſtne velle placere? & licet hac vanitate, & his curis, tantum vellent mundi ſpiritum fovere, nunquid res eſſet omnis diſcriminis expers? *Si adhuc hominibus placerem*, inquit Apoſtolus, *Chriſti ſervus non eſſem:* ad Galat. 1. ſemper diſplicet Deo, qui mundo placere ſtudet; & rationes tantum diſcrepant, quantum contraria ſunt objecta. Ne noſmetipſos decipiamus: nemo placere vult, niſi ut ametur. *P. Croiſet tomo 2. conſiderationum*.

Mulieres inanibus ornamentis ſibi gloriæ vertunt, quod illis probro eſſe deberet.

Prima mulier in cordis ſui cogitationibus ſe ſe attollere cupiens cecidit in opprobrium, & confuſionem, & aliæ videntur probrum hoc reparaſſe veſtium nitorem, mutuatamque pulchritudinem conſectantes, ut in ſe hominum ora, vultuſque converterent, ut eorum admirationem, exiſtimationem, amoremque ſibi conciliarent, atque tanquam numina quædam fierent Deo ſurripientes honorem, & cultum; qui uni ipſi debetur. Neque videntur hinc quidem eam ſibi Dei prometeri vindictam, qua in rebellem Angelum animadvertit; inde vero decidere in opprobrium, & confuſionem, quæ graviſſimum ipſis ruborem ſuffundet in judicio Dei coram Angelis, & ſanctis omnibus; cum, ſed nimis ſero, fatebuntur, quod ſexum ſuum veſtium pompâ commendare ſtudentes ſeſe dæmonis ornabant inſignibus, uti loquitur S. Auguſtinus, ſuam exuentes innocentiam; & quod cum capite geſtabant inanis hæc ornamenta, quæ ſunt arma principis tenebrarum, hic ſpiritus nequitiæ illudebat ipſis, promittens eas totidem veluti exigua numina futura; tunc etiam eum illas ideo ſuperbiæ ſuæ noris inſtruit, ut turpiter ſubjiciat illis, quibus inania hæc perplacent ornamenta. Nonne igitur inſignis dementia eſt id tanquam ſæculi gloriam ducere, quod ejuſdem dedecus eſt, & opprobrium? *Auctor Anonymus*.

S. Hieronymi monitum.

Cave, ita ſcribebat ad nobilem matronam de filiæ educatione S. Hieronymus, cave, ne aures ejus perfores, ne ceruſſa, & purpuriſſo conſecrata Chriſto ora depingas, nec collum auro, & margaritis premas, nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris. Habet alias margaritas, quibus poſtea venditis emptura eſt pretioſiſſimum margaritum.... Diſcat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fuſum, ſtamina pollice ducere. Spernat bombycum telas, Serum vellera, & aurum in fila lenteſcens. Talia veſtimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora nudentur. *Sanctus Hieronymus ad Letam*.

Chriſtianæ matres hæc in ſe exempla præire debent filiis ſuis.

Si matri perſuaſum eſt de neceſſariis ſibi erga filios officiis, hos exemplo, quam verbo potentius erudiet, atque tanquam peſtem, quæ totam perdere poſſit familiam, omnes ſexus ſui ornatuum ritus, ac vanitates cane pejus, & angue vitabit; atque omnem navabit operam, ut ſuis ſexus utriuſque filii earum horrorem injiciat; neque enim in maribus noxia minus vanitas eſt, quam in fœminis; cum utrique modeſtiam, & chriſtianam præſeferre teneantur humilitatem. Execrabitur earum matrum conſuetudinem, quæ ſeculi inſaniarum, atque vanitatum pertæſæ illas abjiciunt, ut iiſdem ſuos ornent filios, & non auſæ poſt recentes ſæculi ritus abire, quos mundus ipſe adoleſcentibus tantum permittit, eoſdem tamen in filiarum ſuarum perſona conſectantur; eumque ſibi non ſint ultra tempeſtiva ſolatia, & voluptates, innocentes has animas plerumque voluptatis victimas faciunt..... Metuunt adeo, ut dæmoni vanitatis, atque Deo ſeculi e manibus hæ dilabantur animulæ, ut eas illius ornent inſignibus, antequam illæ per ætatem, quid hoc rei ſit, dignoſcere valeat. Se ipſas hoc pacto concinnatas conſpexere, ex quo ſe met conſpicere potuerant, atque a parentibus ſuis didicere, ſe hæc ideo geſtaſſe, ut ab omnibus conſpicerentur. Mirum igitur eſſe non debet, ſi poſt hæc tanta flagrant cupiditate prodeundi, & ſi proinde in omnes vanitatis & voluptatis laqueos proruunt. *Auctor Recens & Anonymus*.

Veſtium luxus omniſ ex vanitate æque ridicula, ac noxia proficiſci poteſt.

Vanitas veſtium luxum parit; inutile eſt hoc dicere, geſtiunt homines immodicis niteſcere ſumptibus, præſertim vero in pretioſiſſimas veſtes effuſis. Quorſum iſtuc? quia vani ſunt; quia ſimilibus præſtare contendunt; res ipſa per ſe loquitur. Inſana iſta profuſio oriri non poteſt niſi ex noxia cupiditate inter cæteros emicandi. Quomodo autem noſtri temporis faſtus conciliari poteſt cum humilitate, quam Jeſus Chriſtus nos docuit? Verum dicere poſſumus, hanc ipſam humilitatem quodammodo eadem hac vanitate vindicari. Quomodo iſtud? Quia vanitas iſta celare non poteſt id, quod in ſe habet ridiculum, indecorum, & Chriſtiano proſus indignum. Etenim nonne irriſionis ſapientibus viris, & iis, qui vel leviter imbuti ſunt religionis rudimentis, objectum eſt homo ob id intumeſcens, propter quod ſeſe humiliare deberet? Seſe induendi neceſſitas triſtis eſt effectus peccati, atque damnationis. Tu, qui adeo delicatus es, atque ob tua veſtimenta ſuperbus, non cogitas proculdubio, S. Chryſoſtomus hom. 18. in Geneſ. inquit, te ſuperbiendi anſam arripere ex ſuæ contra Dominum rebellionis ſupplicio? *Non cogitas, quod pro magno ſupplicio propter tranſgreſſionem tegmen hoc excogitatum eſt*; latroni, S. Bernardus inquit, ſimilis, qui injuſtam in latrocinii pœnam infamiæ notam oſtentaret,

ret, atque inde gloriam ſibi vindicaret. Niſi fuiſſes peccator, ex deliciarum paradiſo ejectus, mortique, ærumniſque ſubjectus, non ſecus ac primi parentes tui, ne ideam quidem haberes faſtus illius, cui vela dediſti. Digna profecto luxus tui ornamenta ſunt, turpes ignominiæ tuæ characteres! *P. la Peſse tomo 2. ſermonum, ſermone de Luxu.*

Hic ipſe veſtimentorum luxus nota eſt levitatis, & inconſtantiæ.

Decet profecto ſub hoc pretioſo cultu contemptibilem te oſtendere levitatem tanto labore recentibus indumentorum ritibus ſtudentem, in adeo varias libidines, ac faſtidia erumpentem, facile ſuæ electionis pertæſam, in ſingulas horas colores, texturam, figuras, prout inconſtanti placuerit imaginationi, mutantem; ſemperque inutili ſollicitudine, invida ſolertia, & inexplebili cupiditate agitatam. Decet profecto te ad miſeras confugere adfectationes, quæ te ipſum torqueant, quę te inceſſu, totoque habitu corporis alium repræſentent. Decet quidem te ab ipſa ſuperbia mutuari id, quod fortaſſe deeſt virtuti tuæ ad joci, & irriſionis acumen ſuſtinendum, cum contemptu æquales tuos deſpicere, & ab illis reverentiam, indebitumque honorem expoſcere. *Idem.*

Conditiones non diſtinguuntur amplius ex veſtimentis, & ad corpus ornandum animæ cura negligitur.

Quam indignum eſt, quod vix, & ne vix quidem ex indumentorum diverſitatem conditionum fieri poſſit diſcrimen! & ſæpe dignitas, atque nobilitas ſimplici, planaque munditia a cæterorum turba debeat diſtingui. Quid autem? ipſa etiam egeſtas vanitatem compeſcere nequit, ac fruſtra paupertas evangelio ſuppetias adfert moderationem ſuaſura. Condonemus generis nobilitati, & opulentiæ faſtum, quem aliquando illi Deus condonare poteſt, at videretne poſſumus citra indignationem auteis tectam indumentis ſuperbam pauperiem, in quam Deus ſine ulla miſericordia animadvertet? Neque dixeris; hæc eſt conſuetudo, hic mos, ita aſſolet; dic potius, hæc ſæculi ſuperbia eſt, hæc inſania. Hæc vanitatis intemperantia majorem nobis horrorem ciere debet, quam quidquid in ea ridiculum, atque indecorum eſt. Id quęrere non debemus, quomodo externæ ſpeciei nitore fucum populo faciamus eam, qua fruimur, exiſtimationem ſartam tectam ſervaturi, ac dignitatem quæſitam tuituri; ſed quomodo magis communia chriſtianæ religionis obeamur officia nimiæ huic, immodicæque ſeſe ornandi curæ poſthabita; neque enim fieri poteſt, S. Chryſoſtomus hom. 37. in Geneſ. inquit, aliquem animæ curam impendi ab eo, qui totus corporis ſuę formæ, & cultui vacat. *Impoſſibile eſt aliquam agere curam animæ, & tanti facere corporis pulchritudinem.* Quomodo enim cogitare de Deo poteſt, qui tot curis obrutus eſt, ut placeat mundo? Tempore opus eſt, diligentia, vigilantia, ſtudio, & arte ad reparandam tantam hanc, ac multi jugem ordinatuum, veſtiumque ſupellectilem, quæ neceſſaria eſt, ut aliquis recentes indumentorum ritus ſequatur. Nihil eſt, quantumvis minutiſſimum, cui mulier cultus ſui, muliebriſque mundi amatrix indeſinenter oculos, manuſque non debeat impendere. Quam in die horam inveniet, qua ſibi per vanitatem ſaluti ſuæ conſulere liceat? *Idem.*

Veſtium luxus humanis æque ac divinis legibus adverſatur.

Immodicus veſtium luxus vigere non poteſt, quin miſeros faciat; quæ res cauſa fuit, ut magiſtratus etiam ſententias ſuas cum zelo concionatorum conjungerent, ut malis curſum inhiberent; & videmus a Clemente Alexandrino laudibus celebrari Ethnicos magiſtratus, quod ab illis conſtituti fuerent veſtium inſpectores, quibus ſingulis diebus diligenter invigilandum erat, ne quid occurreret, quod modeſtiæ, atque verecundiæ adverſaretur: & quod meretricibus tantum, quæ corporis ſui quæſtum palam facerent, permiſerant, ut auro intextis, acuque phrygio depictis tunicis uterentur; quæ quidem lex paulo auſterior mihi videtur. Principes, facti illi publicæ felicitatis patroni, ſuprema regum conſilia, fidelia æquitatis ſubſellia nequaquam tali ſunt, ſapientiæ ſuę nebulam, & labem effundi, cum ornatuum, ac ſupellectilium ſumptibus regendis ſub ji‑ ciuntur. Privatorum egeſtas publicam trahit egeſtatem: divina, humanaque juſtitia ſimul conſpirare debent ad populorum felicitatem fovendam, *Idem.*

Luxus, & immodeſtia veſtium plerumque incontinentiæ non eſt.

Modeſtia, pudor, metus naturalis ſunt virtutis propugnacula, quæ tamen ut plurimum veſtium luxu expugnantur. Ornantur mulieres, ut videantur, ut placeant, ut in ſe aliorum oculos, & admirationem convertant: molles, & adfectatas agendi, induendique rationes adoptant; quæ in animam ſexcentis malis aperiunt viam. Sola ab aliis conſpiciendi cupiditas modici pudoris nota eſt, ait Tertullianus lib. de Veland. Virg. c. 12. *Ipſa concupiſcentia non latendi non eſt pudica.* Generatim loquor, complures enim immodicam adfectant magnificentiam, quas tamen vitæ ratio ab omni probro tuetur; verum quantumvis frugi, & pudibundæ ſint, periculum ſubeunt, ne pudori labes aſpergerunt; & fateor mihi ſatis compertum, & exploratum non eſſe, quomodo ſeverus pudor conſociari poſſit cum hoc luxu, qui nonnunquam indecorus eſt, atque turpe recentium veſtiendi rituum ab honeſtate abhorrentium mancipium. Quandonam virgo amatoriis nugis audiendis paratior eſt, quam cum omni muliebri ornata cultu refulget? Nonne tunc illa in ſe omnium ora, & vultus convertit? Nonne tunc laudum licentior illecebra libentius auditur? Quamvis cor tuum extra jactum eſſet earum rerum omnium, quæ illud corrumpere valent, puritas vitrus eſt, quam nunquam licet abſcondere, Tertullianus ait, Gloria ejus ex intimo cordis receſſu extrinſecus etiam prodire debet; eamque commaculat, qui vel in minimam ſuſpicionem adducit. Et mulier virtute prædita, ac irreprehenſibilis nihil diſcrepare debet pudore, & verecundia ab ea, quæ ęquo liberior eſt, & cujus fama deplorata eſt? *Idem.*

Immodica ornamentorum cura viris æque ac mulieribus turpis eſt.

Si veſtium luxus & immodica hæc ornamentorum cura honori eſſe non poteſt mulieri, cujus potiſſima laus modeſtia, & puritas eſt; quomodo decet virum, qui majorem præ ſe ferre debet nobilitatem, graviorem ſenſum ſublimitatem, & negarum horrorem? Adoleſcentes iſti, qui meliorem temporis partem inſumunt ſe ſe ornantes, & unguentis foventes, cenſerene poſſunt, ſe cum honore vel leges tueri poſſe, vel arma attrectare? Odoramenta, amares, ſpeculum, ornatus quomodo efformare poſſunt magiſtratum, & militem... De his judicet mundus; nos vero effęminatorum horum vitam improbare debemus, quia hujuſmodi nugæ illos a pietate divellunt. Spiritum ſuum ornamentis, inanibuſque curioſitatibus paſcunt; animum ſuum blanditiis, illecebris, amatoriiſque fabulis & replent &c. *Idem.*

SUPPLEMENTUM.

Peccata, quorum luxus eſt cauſa.

LUxus eſt ſcandali argumentum; ſcilem aperit viam ad pleraque vitia, quæ hodierna die ſæculi licentiam conſtituunt. Ad invidiam: quemadmodum terræ hujus bona, & honores appetimus, hirquis oculis intuemur eos, qui illa poſſidere videntur, & ſi illis cedere cogimur, illos odimus. Comparatio, quam inſtituimus noſtrum met ipſorum cum aliis, vehemens inſpirat deſiderium æquandi, & ſi fieri poteſt etiam ſuperandi. Hoc animati deſiderio vim facimus ipſi etiam paupertati, ut id etiam, quod victui neceſſarium eſt, in luxum convertat. Studium inter alios nitendi effecit, ut inter nos met dicamus: ille vel illa non eſt plus quam ego, cur ergo patiar ſuperari? Ad detractionem: cum non poſſumus æque ſplendide veſtiri, ac alii, alios quærimus humiliare, eis detrahentes aliqua ex parte. Effodiemus occultis vitia ad pompæ illorum gloriam labe aliqua inficiendam. Suſcitabuntur infamia facta, quæ contra magnifica indumenta excitent indignationem. Evolventur turpia domus alicujus arcana, propter ſpem effundendi caliginem externo fulgori. Ad injuſtitiam: dolentes eo quod videmus dies noſtros in tenebris elabi, donec videmus fulgere ſimiles no-

Digitized by Google

nobis, quærimus in malâ adminiſtratione, & vi aliquod præſidium noſtræ paupertati, alienis abutentes pecuniis, opibuſque in propriis effuſionibus. Denique ad impuritatem; cura, quam adhibemus ad oris decorem augendum pretioſis, adſcitiiſque ornamentis, Tertullianus ait, naturalis eſt obſcœnæ voluptatis illecebra: illecebra æquæ fere periculoſa bonis, & malis; bonis quidem, quia fugiant, malis autem, quia non fugiunt objectum, quod inniunt; bonis propter laborem vincendi, malis propter voluptatem, qua fruuntur, dum ſuperantur. *P. la Peſſe in Sermone de Luxu.*

Quomodo Deus puniet luxum mulierum.

Diſcite, mundanæ mulieres, Iſaias inquit Propheta, quanam ſeveritate Deus puniet ſuperbiam veſtram. Dejiciet ille cyprium hunc pulverem, & cincinnos, tanta arte, & cura calamiſtratos. Oculorum aciem intendite in caput harum mundanarum mulierum, quæ hodierna die ſunt horror ſepulchrorum. Avellet a vobis aureas fibulas, purpureos cothurnos, verucula adamantina, Margaritarum torques, ſandalia, vittas ſimul implicitas; indumenta auro intertexa. Armillæ pretioſæ, inaures, annuli, lapilli, unguenta, aureæ odoramentorum pixides, uniones, ſpecula modo ſovetis mundi ſpiritum, ridendam ſuperbiam, fluxam, periturامque formam, aliquando vero per vos innoteſcet, quam ridiculæ ſint illæ, quæ adeo inani fulgore paſcuntur; & poſtquam fueritis vanitatis eorum materia, eritis cauſa lacrymarum, confuſionis, rabiei, & deſperationis earumdem. *Pater Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Funeſti effectus luxus.

Propheta Iſaias ad vivum exhibet vanitatem, & luxum mulierum Sion. Acer ille modus, quo contra hoc malum invehitur, & ille, quo Deus in hoc animadvertit, ſatis oſtendit, quam neſarium ſi in oculis Dei, & in ſe ipſo, & in malis effectibus, quos gignit in re publica, & in familiis. Libido, flagitia adeo communia, & morum corruptio fere generalis in omnibus ſtatibus ſimul illius cauſa ſunt, & effectus. Tantum curarum, ac temporis inter ſpecula, & calamiſtros non inſumitur, niſi ut placeas, neque places, niſi in ſingulos ferme dies lethifera inferatus vulnera animabus illorum, quibus places. *Non de integra conſcientia*, dicebat Tertulianus in lib. de cultu fœmin. *venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus.* Satis liquet, quantum oris pulchritudo libidinem irritet, quos ſupervacaneos ſumptus infirma hæc ornatuum, & indumentorum cupiditas exigat, & quot inpigna ferenda, & iniqua facienda ſunt, ut inſanis ſumptibus his ſatisfiat. Veſtium luxus profecto eſt vanitas puerilis, ſed hæc vanitas morem ſæculi ſapit. Chriſtiana morum diſciplina fruſtra eam redarguit; mulieres hodiernæ triumphant. Nemo audet in lucem prodire, niſi circumquodique niteat. Vix prædia, reditus, negotia viri ſupplere poſſunt uxoris ſuæ faſtui, & impendiis. Non ſapiunt ornatus, qui non maximi æſtimantur. Unum capitis ornamentum ſæpe anni totius reditum abſorbet. Templa, & altaria, ut ſcripturæ verbis utar non ita pretioſe exornantur, ſicut hæc viventia mundanæ vanitatis objecta. Quod non impenditur tempus, quæ cura, quod ſtudium, quæ forma, ut omni momento inſidiæ nectantur innocentiæ ad recentes triumphos referendos? Mundana mulier tantumdem temporis numquid impendit in oratione, quantum amittit in perniciofis hiſce artibus; an potius ne unum quidem diei momentum impenditur Deo? Non igitur mirum eſſe debet, ſi faſtus adeo irreligioſus, & exlex, ſi tanta ambitio Dominum provocat ad iracundiam, ſerius ocius illius indignationem inflammat, & decrabit in familias funeſtas eas clades, quæ omnia hæc luxus ornamenta in ſquallorem, luctumque convertit. *Pater Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Studete, ſæculi matronæ veſtro muliebri mundo, conſilium inite de veſtrorum ornatuum ratione, tempus veſtrum impendite ad cincinnos capitis veſtri in ordinem cogendos, apteque calamiſtris diſpondendos. Centies in ſingulos dies conſulite ſpeculum, utimini induſtria manuum eruditarum ad diſtribuendos .... neſcio propria rerum nomina. Feciſtis proprium verborum veſtrorum dictionarium, in quo nova reperiuntur vocabula, quorum vim non intelligo. Ornamenta ſunt, quæ paucis ante hanc diem annis irridenda viſa fuiſſent, quibus nimis multus inſanientium numerus nomen auſert inſaniæ. Ædificatis caput altum, & adſcititium; accerſitis cincinnos, qui veſtri non ſunt, & lapillos, qui locupletiſſimis patrimoniis pares exiſtimantur. Numquid vobis jus eſt voſmet credendi eo magis æſtimabiles; quo majori pretio gemmas, & uniones coemiſtis, vel quo pretioſioribus veſtibus onuſtæ proceditis? *Abbas Baileau in delectis ſententiis.*

Luxus fons eſt plurimorum malorum.

Luxus eſt tamquam cauſa plerorumque vitiorum, quæ ſe ſe effundunt in omnem Chriſtianiſmum, & quid nos percellit præ ceteris in verbis, & factis Salvatoris noſtri, diſcipulorumque illius; horror eſt, quem illi hac in re prætulerunt. Ad ciendum autem in vobis horrorem hunc, quem nobis inſpirat eccleſia contra luxum, illum conſiderare tantum cupio ſecundum rationem, quam cum pluribus vitiorum generibus habet. Hæc enumeratio eo magis erit virtuti veſtræ glorioſa, quo magis cognoſcetis vitia, quæ a luxu ſeparari non poſſunt. Vanitas, injuſtitia, & voluptas naturalem habent cum luxu nexum. Vanitas illum ſemper producit; injuſtitia illum fovet, & nutrit. Voluptas illum aliquando ſubſequitur, & hæc tria fere ſemper cum luxu conjunguntur, tamquam qualitates magis conſonæ, & idoneæ ad illum ſovendum. *P. la Peſſe.*

Ne putetis velle me hoc ſermone damnare nitorem illum æquum ac moderatum, qui debetur generi, nobilitati, dignitati. Scio illos, qui præ ceteris nitent, externam majeſtatis ſpeciem ſuſtinere poſſe cultu exteriori, qui non adverſetur Evangelio. Ordo hoc poſtulat & Dei Lex minime vetat. Submiſſio langueret, niſi externa hac ſpecie, quæ illam tenet in officio, ſuſtineretur; & populi indocilitas facile oblivisceretur auctoritatis, quæ nullum fulgorem admineret. Talis eſt humana imbecillitas: indiget exteriori pompa, quæ ſentiatur, ſive ad obedientiam molcendam, ſeu ad imperium ſuſtinendum. Vivite Chriſtiani, eo cultu niteſcere, qui ſtatum veſtrum deceat; in hoc nihil eſt quod damnem. In vobis autem reprehendere debeo exceſſum, qui veſtram prætergreditur conditionem ac reditum, qui moleſtiæ adverſatur, qui veſtras alit cupiditates, & qui efficit, ut mundi ſpiritus triumphet. *Idem.*

Vanitas luxum parit, ideoque oppoſita eſt Chriſtianæ humilitati.

Vanitas luxum parit; nemo id puto, ignorare poteſt. Placet unicuique immodicis niteſcere ſumptibus, in veſtes, ſupellectilem, ſervorum familiam comparandam. Quorſum illud, quia vani ſumus, & cupimus ſimilibus offundere caliginem; res per ſe loquitur. Omnes hæ profuſiones inſanæ non niſi a nnaia proficiſci poſſunt cupiditate omnium ora, vultumque convertendi. Quomodo nam ſimul conciliari poteſt horum dierum faſtus cum humilitate Filii Dei, & cum iis, quæ hac in re nos docuit? Sed affirmare poſſumus quodammodo per hanc ipſam vanitatem vindicari. Quomodo iſtud? Quia hæc vanitas nequit diſſimulare ridiculum, indecorum, vitium Fideli viro prorſus indignum. Nonne enim objectum deriſionis eſt ſapientibus, & quibus aliquis eſt religionis ſapor, homo, qui ſtudet ſuam palpare ambitionem ex ea parte, ex qua illi uberior ſuppetit cauſa ſe ſe humiliandi? Neceſſitas indumentorum, atque ſupellectilium, triſtis eſt effectus peccati, & condemnationis hominum. Vos, qui adeo molles, ac delicati eſtis in indumentis veſtris, non cogitatis, *quod pro magno ſupplicio propter tranſgreſſionem tegmen hos excogitatum eſt.* Similes, S. Bernardus hom. 18. in Gen. inquit, furi, qui præſeferret infamiæ notam ſibi a judice inuſtam, in pœnam ſui latrocinii. Si ex terreſtri paradiſo expulſus non fuiſſes, neque ſubjectus morti non ſecus

ac primis generis noſtri parens, ne haberet quidem imaginem hujus factus, quo plenus es, digna luxus veſtri ornamenta, turpes veſtræ ignominiæ characteres! Homo qui pileum ornaret ſuum floribus atque tenuis aureo filo contextis, ut omnium in ſe ora vultuſque converteret, non ne fieret potius populi ludibrium? *P. la Peſſe.*

Cui ſervilium obſequium qui luxum diligit. Vos decet ſub aureatis laquearibus, ſub pretioſis hiſce ſupellectilibus inter horrendum fragorem, qui indeſinenter exprobat vobis peccatum veſtrum, decet vos, inquam, oſtendere contemnendam levitatem, quæ guſtus, novaſque indumentorum pompas perquirit tanta attentione; quæ fulget per tot varies libidines, per tot faſtidia, per tot inſanos terrores? quæ adeo facile ſuam faſtidit electionem, quæ mutatur juxta colores, texturam, & imagines, quæ arrident inconſtanti cupiditati mutandi, ſemper agitatæ inutili ſollicitudine, zelotypa vigilantia, inexplebili mollitie. Decet vos ad miſeras affectationes confugere, quæ vobis crucem fingant in verbis, in inceſſu, in toto corporis habitu? Decet vos mutuari ſuperbiam, & præclaras dotes, quæ fortaſſe ſe vobis deſunt, ad ſuſtinendum veſtrorum ornatuum minorem? Verum eſt, quod cum noſmet inter æquales videmur emicare, natura nobis inſitum eſt, ut doleamus ob contemptum, in quo habere poſſumus, ſed cavendum eſt quam diligenter, ne hæc ipſa ſuperbia, quam adſectamus, nos potius in ridiculum traducat. *Idem.*

Luxus, ut plurimum diſſipat & bonum, quod poſſidetur, & bonum, quod debetur. Sed non eſt, cum vobis repræſentem, quanti ſter illis ipſis, qui illum depereunt. Opes eorum conſumptæ, nummi neceſſario mutuo accepti, præſagium lapſus eorum, hæc ſatis illos docent. Quæritur, quanti ſter hominibus, qui nihil ad luxum conferunt, niſi quod ex illius effectibus patiuntur. Qui ſe immergunt in faſtum, qui neque characteri ipſorum, neque Religioni convenit, pluribus ſunt debitores, quorum hoc vitio jura offendunt, Principi reipublicæ, familiæ, cognationi, pauperibus, & creditoribus ſuis. Principi quidem, & Reipublicæ; certum eſt publicum bonum bono privato eſſe anteferendum; magis enim eſt neceſſarium incolumitati corporis totius reipublicæ, cujus pars ſumus. Si nobiles obligurierint univerſum patrimonium ſuum, & bona parentum ſuorum, quiſnam rem publicam tuebitur. Si privati prodegerint opes ſuas, quis obibit diverſa munera, quæ ad corporis hujus ſalutem inſerviunt? Commercium non ne corruet? & univerſus ordo politicus, qui regnum tuetur, nonne debilitur? Num modica eſt in Parentibus injuſtitia prodigere bona ſarta, & tecta reſervanda filiis, & hæredibus, ut inde victum ſi valeant comparare? Ita avita bona ſuperfluis ſumptibus avertere in luxu, nonne eſt pauperum bona eripere, quibus debemus ſuperfluum bonorum noſtrorum, & pro quibus omnia terræ bona creata fuerunt æque ac pro omnibus hominibus. Dicamus ergo, luxum in omni ſenſu damnabilem eſſe, ſive ſpectetur injuria, quæ fit privatis, ſive ſpectetur damnum, quod inde cedit reipublicæ, & quod plerumque luxus effectus eſt. *P. la Peſſe.*

Civilem evertit ſocietatem, & cauſa eſt interitus familiarum. Si animum advertimus ad infinita fere damna, quæ luxus parit in civili ſocietate, quot funeſti effectus illinc oriuntur, potiſſimum quoad juſtitiam, & æquitatem, quam nobis ultro citroque debemus. Æternum pecuniam prodigere in ſervorum caterva, in equis, in penetralibus, in tabulis, ſignis, ornatibus, conviviis, cætibuſque voluptuariis: Hoccine eſt, quæſo conflatum æs alienum diſſolvere? Hoccine eſt creditoribus ſuis ſatisfacere? Juſtitia non ne petit a vobis, ut tandem aliquando diſſolvatis æs tanto ante hanc diem tempore conflatum! Nonne vobis aliquid abſcindendum eſt de luxu, & pompa veſtra, de veſtris deliciis, & voluptatibus, denique de ſtatu veſtro quidquid poteſtis, ad ſarciendum creditorum veſtrorum jacturam? Quid? illi jacebunt tamquam in pulvere, dum magnifice ſumptibus eorum vivetis? At enim in mundo hanc vivendi formam inſtitui, non poſſum ibi aliam gerere perſonam. O reſponſionem vobis dignam! Licet ne cuicumque alienis ſumptibus enitereſcere? licet ne tuta conſcientia voſmet veſtris exornare latrociniis, ut cum faſtu vivatis? Licetne proximum veſtrum evertere, ut niteatis? Sed mihi animus eſt filios meos ad honores, & magiſtratus provehendi: hæc quidem præclara ſunt miniſteria ad extremum uſque quadrantem perſolvenda. Vel Evangelio, vel luxui abrenuntiandum eſt; nil medium poteſt admini. *Pater la Peſſe.*

Neque ſatis eſt luxui repletum eſſe injuſtitia; hæc ipſa injuſtitia repleta eſt inſigni crudelitate; qui enim faſtum diligunt, hunc omnium oculis objicere adſectant; quippe verus character luxus eſt coram mundo nitereſcere, & numquam latere. Sed hæc miſera placendi libido, nonne videtur etiam deſiderium inſultandi miſeris, quos hic luxus facit in ſtatibus diverſis, a quibus ornamenta ſua mutuatur? Sed acriter ſuam ſentiunt miſeriam illi, quo faſtus veſtes, & ſuperflui ſumptus miſeros faciunt. Sed quam inſana eſt crudelitas horum, qui mundano ſpiritui exteriorique huic ſpeciei devoti, quæ id unum quærit, ut mundo placeat? Non ſolent illi quærere, quod melius illis ſapit, ſed quod majori pretio comparatur. Adſectabitur modo magnificentia æque obſcura, ac ſimplex; tamen pernicioſſima modo nitor æque incommodus, & importunus, ac fulgidus. Quantum mutationum in his ornatuum generibus! Quomodo conqueruntur mortales, licet ſe eorum ſervos eſſe profiteantur? Quot motus, & curæ, ut tales, vel tales deligantur formæ, ut hic vel ille color ſeligatur! Quot ſibi pugnantia impetia domeſticæ mulieris dies integros in id jugiter intentæ, ut libidini ſatisfaciat dominæ ſuæ, quæ neque ipſa novit, nec quid facto ſibi opus ſit, neque quid ſibi velit, ut theatricam induat formam in omnibus cætibus, in quo cupit prodire. Quot variæ illam agitant, & exercent ſollicitudines, cum ſpeculum conſulit. Hæc omnis temporum jactura, omneſque ſumptus, quibus ſtat talium perſonarum repræſentatio; omnes ſupellectiles, quæ exteriorem hanc decent magnificentiam, nihil ne ſtant miſeris creditoribus, variis opificibus, qui in illis operam ſuam locaverunt? Nonne videntur mortales hujuſmodi gloriæ ſibi vertere excidium eorum, & crudelitatem, qua illos ad inopiam redigunt? *Auctor recens.*

Videtur luxus magis magiſque augeri, & confirmari legibus Principum, & Magiſtratuum illum prohibentium, monitis Directorum illum damnantium, zelo concionatorum illum coarguentium, rationibus, quas aſcetici afferunt libri ad illum corrigendum, ipſa eadem miſeria, quæ ſumptus ſuppeditare non poteſt. Tot licet accuſatores in illum declament, interea augetur, confirmatur. Quæ crudelitas! quæ ſenſuum carentia! ille, cui debetur, gemit, dolet, ad deſperationem adigitur, nihil intereſt: hic nitor ſuſtinendus eſt. Pauperes filii negliguntur; nondum habent aut vocem, ut conquerantur, aut manus, ut miſericordiam implorent; eorum omnino parens utcumque obliviſcitur; non ceſſant tamen in parentum ſuorum ſupellectilibus & indumentis aurum, atque argentum fulgere. Proculdubio indigna crudelitas non dico homine Chriſtiano, imo neque Ethnico craſſiore, atque rudiore. Et quid tentare non audent, quæſo id genus hominum, qui nitereſcere adſectant? Ullamne habere videntur Dei cognitionem adſectantes ſumptuoſitatem adeo contrariam Evangelio, quod innititur humilitati dumtaxat & charitati? Majores iſti adeo magnifici poſſunt ne inſpirare filiis ſuis pietatem faſtui ſuo adeo contrariam, & oppoſitam luxui? Quomodonam inſtimere poſſunt filios ſuos, cum omnino devoti ſint ſpiritui ſæculi? Quas illi procurare provincias poſſunt? cum omnia illorum bona vix ſufficiant ad luxum eorum tuendum. *P. la Peſſe.*

Quibus coloribus ſatis vividis vobis exhibere poſſum

Luxus eſt cum inſigni crudelitate conjunctus.

ſum omnia crimina, omnia vitia, & mala, quæ a luxu procedunt? Nonne adhibentur manus iniquitatis ad ſe ſe ornandum? Nonne eſt triſtis merces malorum rei domeſticæ obſervationum, concuſſionum, rapinarum, violentiæ? Nonne emicat, quia puritati ejus labes offuſa eſt; quis pudor læſus eſt, & ferè ad nihilum redactus? Et hic luxus, & faſtus, qui adeo parum decet modeſtiam, & conditionem, & uſitatos familiæ reditus, nonnè locupletatus eſt honoris naufragi reliquiis? Neceſſarii, Familiares, quibus commiſſum eſt domini, dominæque ſecretum, hoc non ignoratis. Puritas pretioſum Chriſtianæ Religionis ornamentum, requies conſcientiarum & familiarum ſacrificaberis, vel potius fortaſſe jamjam ſacrificata fuiſti ambitioni, faſtui, qui jacturam tui prohibere non poteſt. Patres, matreſque adeo igitur filiis veſtris vitam dediſtis, ut fierent miſeræ victimæ luxus veſtri, & funeſti deſiderii veſtri, quo flagratis, in mundo emicandi? *Auctor recens.*

Omnia vitia in luxu concurrunt.

Varia imperia in terris conſtituta debent interitum ſuum luxui.

Scite quidem notaverunt Hiſtorici luxum unam ex præcipuis extitiſſe cauſis excidii Imperiorum, quæ floruerunt, & quorum alia aliorum ruina, & reliquiis crevere. Donec ignoravit Roma mollem, delicatamque pompam Græciæ aliarumque gentium obtinuit imperium: ex quo autem ſubditorum populorum mores ſecuta eſt, & quæſivit in ſua magnificentia voluptatem, facta eſt inimicorum præda, & omnigenarum calamitatum theatrum effecta eſt. Luxus frangit animos, cumque placeat, facile invenit imitatores. Suos perdit amatores, ac teſtes, illos quidem pravis ejuſdem affectionibus blandiendo, horum autem pravas cupiditates irritando; illos periculoſis deliciis, quibus implicat, hos pravis deſideriis, quæ in iiſdem inflammat. Modeſtia, pudor, metus naturalia ſunt virtutis propugnacula; hæc plerumque luxu evertit. Seſe non comit, & exornat, neque ſuum nitorem oſtentat, niſi ut videatur, placeat, ac ſe ſe confirmet. Mores induit molles, & affectatos, qui invitat, animamque ſexcentis operit iniquitatibus. *P. la Peſſe.*

Verum eſt, non diffiteor, non deeſſe quoſdam, qui immodicam affectant magnificentiam, & qui tamen ob ſuum vivendi genus in re alia qualibet ſunt irreprehenſibiles. Sed quantumcumque pii, ac boni ſint, ſemper imminet illis periculum, ut tales eſſe ceſſent, & teſtor mihi non liquere, quomodo conſociari poſſit caſta ſeveritas cum inſigni luxu, nonnumquam indecoro, & mancipi formis omnibus magis inhoneſtis. Quandonam paratior es ad nugas amatorias audiendas, niſi cum te renitentem vides varietate, ac opulentia indumentorum? Nonne tunc cum omnium ora, vultuſque in te convertis, & libentius reſpondes. Nonne tunc cum blandè laus jucundius admittitur? Cor tuum licet nullis eſſet tentatum illecebris, quibus corrumpi valeret; puritas virtus eſt, quam nemo celare poteſt; ejus gloria ab interiori parte reſilit in exteriorem: & mulier virtute prædita, & irreprehenſibilis nonne dignoſcenda eſt per corporis, & indumentorum ſpeciem, & meretricula, cujus fama conclamata eſt? Quodnam illa decorum ſervat, ne quid ſimile de ſe judicetur ex geſtibus, & luxu prorſus ſimilibus? Si viro ſuo placere ſtudet; debet ergo id quærere, ut uni illi placeat; quod ſi filiam ſuam eodem inſtruit apparatu, eademque immodeſtia; quam pridem fas eſt in Chriſtianiſmo labem afferre modeſtiæ ad legitimum amorem fovendum? *Idem.*

Quam deplorandi ſint, quorum occupatio eſt dierum totum in luxu traducere.

Silentio hic præterire non poſſum maximi momenti animadverſionem circa mollitiam, quæ vulgo luxus diſſolutionem concomitatur. Ad alendum hoc decus, quod oculos ac ſæpe etiam mortalium allicit corda, colenda eſt pulchritudo ſexcentis curis periculoſis, molliter vita curanda eſt, quærenda ſunt omnia, quæ corpus palpare poſſunt. Heu ſi volvere auderem mundi muliebris involucrum, ubi latet pars ſecretorum harum mollium animarum! Sed decentius eſt tacere. Qua in re dies tota tranſigitur ad tuendum ſplendidum hunc Idoli apparatum. Et infamas nuditates, quæ nonnumquam objiciuntur, quas curæ non poſtulant, quæ nos rubore ſuffunderent, niſi facta jam fuiſſet pudoris jactura? Hæc autem adeo delicata mollities ſuapte natura virtutis inimica eſt. Ipſi etiam Ethnici in hoc Ethicæ principio conſentiunt. Qui luxum diligit, vacat ornando, & ſaginando corpori: verum quid fiat, ſi acciderit unquam, ut vitæ rationem immutare velit, & mundo terga dare? Quam in ſe repugnantiam experitur in bonum? Quot hauriendæ ſunt pœnæ, ſi velit bonum exercere? Quænam eſſe poteſt virtus illius inter tot, & aſſidua, & voluntaria pericula eam corrumpendi, niſi potius illa omnino fuerit corrupta? *P. la Peſſe.*

Hæc mollities individua luxu ſocia non poteſt honori eſſe mulieri, cujus modeſtia, & pudor eſſe debent gloria. Sed quanto magis dedecorat virum, qui præferre debet plus nobilitatis, & ſublimitatis in ſenſibus, & plus ſoliditatis in moribus? Adoleſcentulæ, quæ non minimam temporis partem abſumunt inter calamiſtros, & unguenta arbitrari ne poſſent leges, & arma cum honore in manibus earum verſari poſſe? Odores, amatoriæ nugæ, ſpeculum, ornamenta quomodonam Magiſtratum, & militem efficere poſſent? Sed effeminati mortales, quantumvis ad virtutem facti videri poſſunt, ſpiritum ſuum non alunt, niſi recentibus veſtium, & ornatuum generibus, inanibuſque curioſitatibus. Corda ſua non occupant, niſi placendi ſtudio; obeunt cœtus mundanarum mulierum, ut amorem vel hauriant, vel inſpirent, ut adulentur, ut & ipſi laudes aucupentur licet contemptu digniſſimi. Gloriari de iis, quæ videntur omnem Dei timorem excedere, hoc eorum evangelium eſt; & ecce quomodo in mundo hoc adeo nitenti, ipſe etiam Religionis conceptus amittitur. *Idem.*

Luxus in omnes vitæ conditiones vitium invehit.

Mundus etiam ſuperbiſſimus ſatis prodit ridiculum vanitatis, quæ in luxu eſt. Licet cæcutire velit in flagitiis ſuis, tunc, ac recte verba facit de eo, quod in ille indecorum eſt. Quid non dicitur in congreſſibus de eo, qui ultra conditionem, ſuam velit aſſurgere? Quas improbas curas ſibi ſumunt, ut effodiant, & in lucem proferant quidquid illos continere deberet intra fines ſtatus ſui? Quot contumelioſæ animadverſiones in agros, curam familiarem, & cognationem illius? Quot irriſiones in modos, quibus metiuntur pretium panni illius, quo induta eſt? Nobis non eſt opus judiciorum mundi, ut luxus turpitudinem intelligamus: nos ipſi feramus judicium. Quam indignum eſt, quod conditionum diſcrimen vix colligi valeat ex veſtimentorum varietate! ut ſæpe dignitas, ac meritum ſecedere debeant a turba ſimplici, conſtantique corporis cultu! ut omnium characterem mortales teneantur comparare dotem cum ſupellectili; id quod renidet, ſi lumen acceſſerit, cum eo quod languet in tenebris: id, quod prodigitur, cum eo quod debetur. Sed quid? Ipſa quoque miſeria eſſe poteſt frænum vanitati; & indigentia fruſtra feret ſuppetias Evangelio, ut modeſtiam inſpiret. *P. la Peſſe.*

Impoſſibile eſt, S. Chryſoſtomus hom. 37. in Gen. inquit, *aliquam agere curam animæ, & tanti facere corporis pulchritudinem, & ornamentum.* Nitor auri perſtringit oculos, & ſervorum numerus obtundit aures illius, qui ſtudet niteſcere. Quomodo inter tantum hanc fragorem tantopere Evangelio contrarium de Deo poteſt cogitari? Tempore opus eſt, cura, vigilantia, ſtudio, arte ad ſervanda ſarta tecta tot varia inſtrumenta, ac ornamenta, in quibus luxus pompa conſiſtit. Nihil eſt quantumvis minutiſſimum, cui mulier cultus ſui ſtudio dedita non debeat inceſſanter oculum, manumque adhibere. Quam horam diei vacuam invenies, quam vanitas illi ſaluti ſuæ impendendam permittat? Amor, quo proſequitur renidentes etiam

quiſquilias, amovet animum a cæleſtibus, atque æternis veritatibus. Dic ſodes, credis ne cum humilitate preces effundi poſſe, donec ſibi plaudit vanitas, ob fulgorem, quo eſt circumfuſa? credisne poſſe aliquem addiſcere cupiditatum ſuarum ſubigendarum rationem, cum illæ beate iis gaudent illicitis, quibus palpantur? Lepidum ſane ſpectaculum eſt, ſi dicere fas eſt, mundana mulier omnibus calamiſtris, totoque mundo ſuo circumornata, omnibus ſtrepitu circumdata in ipſis etiam pœnitentiæ exercitationibus! Ecce illas ad aras, procuIdubio humilitatis ſuæ conceptu imbuta; ecce cor dolore contritum, Mundus, ut videtur, ad eam non pertinet ultra. Sed quinam Chriſtianiſmus, Tertullianus ait, ſub pretioſo ambitionis apparatu divinam lenire juſtitiam contendit? *Num ergo in coccino, & Tyrio pro delictis ſupplicare nos concedet? Idem.*

Quid ſit luxus & in quo conſiſtat.

Ut intelligatis, in quæ ſcelera nos luxus impellat, oſtendam ſatis eſt, quædam eſſe peccata quibuſdam tantum virtutibus oppoſita, & quæ intra nequitiæ ſuæ cancellos concluſa ad certum duntaxat ſcelus procedunt, verum non alia deſunt, quæ tot virtutibus adverſantur, ut dictu difficile ſit, cuinam potiſſimum adverſentur. Hujus generis luxus eſt, & hoc vobis probaturus ſum, illud tamquam monſtrum triceps oſtendens, quod tribus primis moralibus virtutibus bellum indicit. Hoc mihi argumentum S. Chryſoſtomus ſuppeditat, ipſe quoque eloquentiæ ſuæ arma diſtrinxit, ut illud everteret Antiochiæ, & Byzantii, quandoquidem ævo ipſius latius generatim per omnes conditiones graſſabatur. Ejus ergo ſententiam aſſumo, oſtendens hunc fontem eſſe ſuperbiæ, mollitiæ, & crudelitatis, quia inflat ſpiritum, corrumpit cor, & tandem animum indurat. Ita peccatum hoc, in quo hodierna die, ut ajunt, tota ſita eſt mundi elegantia, oppugnat humilitatem, temperantiam, & charitatem, ambitione, qua mens ſummorum virorum tumet; nobilitate, ad quam divitum corda ſollicitat, & ſævitia in pauperes, qua mundanorum animam indurat. *Sermo Ms.*

S. Joannes Chryſoſtomus in animadvertit, & jure ſuo conqueſtus eſt, neceſſitatem mortalium effeciſſe, ut artes invenirent, quæ ipſorum deſervirent utilitati. Luxus has artes corrupit, illas traducens, ut vanitati deſerviant. Ita artes ædificandi domos, veſteſque conſuendi, quæ nos adverſus cœli injurias, & varias anni tempeſtates tuerentur, degenerarunt, & corruptæ ſunt, ex quo luxui, & magnificentiæ parere coactæ ſunt, & a ſapientia, quæ illas invexit, & excogitavit, traductæ ſunt ad inſaniam, atque nimia mentis ſubtilitate ſuperbia non ſine humilitatis impendio adaucta eſt; hic enim primus eſt character luxus ambitionem explere, & deſtruere humilitatem. *Idem.*

Funeſti effectus luxus poſſumus æſtimare, hanc eſſe patrem idololatriæ.

Quicumque ſit noſtræ dignitatis apex, non video unde procedat æſtimatio illa, quam de nobis met ipſis habemus. Luxus nos excæcat. In exterior hac luce noſmet ipſos non cognoſcimus. In hoc toto magnificentiæ apparatu facile cæcutimus, & noſtram conditionem illi Herois alicujus ſimilem eſſe putamus. Sed ea, quæ nobis circumſtant, poſſunt ne aliquid adjicere illi, quod ſumus? Luxus ambitioſam hanc creat cæcitatem. Noſmet tamquam aliis præſtantiores intuemur, & perinde ac mutatis veſtimentis mutaretur natura, obliviſcimur nos homines eſſe, ut magnos eſſe meminerimus. Neque mihi dixerit quiſpiam, parvulos eſſe ab hac immunes ſuperbia, & magnos tantum ſua magnitudine, & luxu excæcari; nam adoleſcens cujuſcumque tandem conditionis ſit, ubi ſemel in luxu fuerit, & magnificis ſe indumentis ornatum conſpexerit, non minus glorioſus, votique ſui compos eſt, quam Imperator ob nuperam victoriam de hoſtibus relatam. Conditio non mutat affectionem, & mulier onerata potius, quam ornata mundo muliebri ambitionis tantum ſibi complacet, ut credat ſe a nemine pulchritudine ſuperari. Hi tamen ſunt effectus luxus innocentiores. Mulier hæc nihil aliud cogitat, quam torquem margaritarum, ex quo tantum haurit ſpeciei, & a quo illa etiam torquetur, non videt niſi armillas, quibus lacerti tamquam remigis alligantur. Præterea mala, quorum cauſa luxus eſt: Quamvis mundus dicat hæc ornamenta infirmitates eſſe in ſexu muliebri venia dignas: hic amor proprius, cui illæ ſerviunt, eas ſuperbas efficit, & rebelles, & per hoc creatura eum uſurpare contendit locum, qui uni debetur Deo. Quemadmodum ſibimet magis magiſque complacendo amor ſui progreſſu temporis eo procedit, ut nil amens præterea, facile eſt cognoſcere, quomodo ejiciatur Deus, ut ita dicam, per hunc cæcum morem, & quomodo inde oboriatur idololatria. Et hoc ſatis non eſt, ut deteſtemur luxum, monſtrum illud, quod in humano ſpiritu tot funeſtos effectus producit? *Sermo Ms.*

Docet nos Filius Dei, quin opibus utamur ad inutilem principum virorum gratiam, fallacemque amicitiam comparandam, ad pretioſam ſupellectilem coemendam, ad menſam ſplendidam opipare inſtruendam, famulorumque catervas alendas; quin noſtras pecunias in inſanis ſumptibus, in luxu, & alea, ſolatiiſque, quæ ſerius, ocyus ſupremum dominum cogunt, ut nos ab ejus famulatu extrudat, ac tamquam injuſtos œconomos reprobet: collocemus in manibus pauperum bona, quæ in vitam alteram non tranſeunt, niſi per hoc charitatis commercium. Per hanc permutationem certum nobis facimus juſtum eorum pretium in cœlo. Hæc ſi deficiat permutatio omnia bona noſtra terreſtria pereunt in manibus noſtris. Terræ bona nullius ſunt pretii ad cœlum emendum, & nonniſi per eleemoſynæ commercium nobis in alteram vitam fieri poſſunt utilia. Ecce, quid nos docere voluit Apoſtolus. Hoc magni momenti lectio eſt omnibus hominibus; lectio tamen, ex qua pauciſſimi proficiunt; quæ cauſa eſt jacturæ animarum quamplurimarum, quæ non advertentes animum ad hæc officia, quorum utilitas eſt maxima, ſecuti in alterum mundum migrant, quin ſciant, quid ſibi in hoc fuiſſet faciendum. *P. Croiſet in Aſceticis exercitationibus.*

Qui audent accedere coram Deo magnifice induti, judices potius videntur, quam rei.

Quid dici non poteſt de luxu veſtium in illo, qui audet ſeſe ſtatuere coram Deo ex animo, & in ejuſdem templum ingredi eo apparatu, qui aris ipſis incutit pudorem? Qui viderit matronam hanc hoc faſtu ingredientem in Sancta, quid inquiet? hæc peccatrix eſt huc veniens coram judice ſuo peccati veniam exoratura? An prorſus aliter exiſtimabit Reginam eſſe ſolium ſuum adſcenſuram ad aliquam ſubditis gratiam largiendam, aut nocentibus criminum veniam concedendam. Hic judicium ferri poteſt, quantum luxus chriſtianæ humilitati adverſetur, & qua cura evitandus ſit faſtus, atque exterior magnificentia, quæ poteſt oculis mortalium placere, & infinite diſplicet Deo. *Sermo Ms.*

S. Chryſoſtomus ait, fas eſſe injicere peccatori ruborem inſaniæ ipſius; fas ergo mihi ſit vos ab hac ſtultitia curare vobis luxus veſtri vanitatem ob oculos ſtatuendo. Mundi ſectatores, ſpiritus vani, qui veſtium veſtrarum magnificentiam oſtentatis, ſibi quæſo bonus eſt ſenſus veſter? Vel potius reliqua ne vobis eſt aliqua rationis particula, inde ſuperbientibus, quod vobis cedit in ignominiam? Ex infamia veſtra creſcere vultis, & gloriæ meritiſque veſtris ducere id, quod inceſſanter vobis ob oculos ſtatuere debet peccatorum veſtrorum turpitudinem, & id etiam quod ſimul eorum ſupplicium eſt. Si quid eſſe poteſt gloriæ in omnibus hiſce ornamentis, hoc jure ſuo pertinet ad opificis prudentiam, qui ea ad hanc perfectionem adduxit, non autem ad merita veſtra, cum nihil ad ea contuleritis. Scire ne vultis, quid mundus dicturus ſit vos hiſce nugis inſtructos conſpiciens? Judicabit vos indigere hoc hiſtrionico ornatu ad tegendas, vel generis veſtri ſordes, vel ſcelerum veſtrorum infamiam. Apud mortales oculus

famam

famam aucupamini, ſed tantum aberit, ut vobis eorum exiſtimationem concilietis, ut vos potius leves, inſipientes, & vanos judicaturi ſint, qui tantos ſumptus erogatis pro ornantibus, qui hiſtrionum potius decent, quam viros honeſtos. Non ne videtis tantum abeſſe, ut cuicumque placeatis, ut immo ſimul pauperes, & divites, ſummos & imos irritetis. *Sermo Ms.*

Rationes, propter quas luxum, & vanitatem debemus perhorreſcere.

Temeraria; ſibique nimis præſidens ſecuritas, in qua puellæ in mundo vivunt luxum inter, & vanitatem, illis eſt quaſi certiſſimum reprobationis argumentum, & quæ in hac funeſta rerum aliquid turbæ ſentiunt, dicere poſſunt beatam hanc turbam effectum eſſe gratiæ prorſus peculiaris, quam Deo acceptam referre debent. Et ſane mulier, & puella chriſtiana ſeſe poſſunt exornare fulgentibus, pretioſiſque indumentis? Poſſunt ne ſuos crines odorato pulvere, & unguentis comere, ac inani ſeſe cultu exornare, quo paſſim in mundo uti conſueverunt? Tandem poſſunt ne ullam ſperare ſalutem? Hoc ad examen revocandum eſt, ſed prius ſtatuendæ ſunt aliquot fundamentales veritates Chriſtianiſmi. Præcipuum Chriſtiani hominis officium eſt fideliter ea adimplere, quæ pollicitus eſt in ipſo Baptiſmate, videlicet abrenuntiare ſæculi vanitatibus, & pompis Sathanæ. Sancti Patres hoc eſſe votum docent, & S. Hieronymus Epiſt. ad Heliod. illud appellat maximum, ſanctiſſimumque votorum omnium, quæ valeant nuncupari. Dei Filius nobis hoc imperavit, ubi Luc. 14. inquit: *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Non quod velit, bona omnia a nobis diſtribui; id enim eſt conſilii, cui pauci ſunt pares, ſed mundi bonis, & vanitatibus inhærendum non eſſe. Salvator ipſe dicit etiam Luc. 13. *niſi efficiamur ſicut parvuli*, nos aditu in regnum cœlorum eſſe prohibendos. His alia accedat ratio, quæ eſt, nobis pœnitentiam agendam eſſe, ſi ſaluti noſtræ proſpicere debemus: *Niſi pœnitentiam egeritis; omnes ſimul peribitis*. Luc. 13. Ex his omnibus Evangelicis inſtitutis judicate, utrum fœmina, aut puella magnifice ornata omnibus ſæculi pompis circumamicta geſtet crucem ſuam, & agat pœnitentiam juxta mandatum Filii Dei; utrum humilis ſit; utrum ſæculi pompis abrenuntiaverit. Igitur pro certo aſſeri poteſt, ſi ſperat ſe ſalvam fore, ſpem illius inanem eſſe, & meram eſſe illuſionem. Hæ rationes ſatis validæ ſunt, & ad perſuadendum aptæ, ut omnes, quibus aliquid ſupereſt religionis, luxui nuncium mittant, ſed ſicuti in mundo morum corruptio conſuetudo, communis uſus ordinem omnem everterunt, ut nullum amplius intercedat diſcrimen ornatuum inter oppidanos, ac Principem, inter divites, & pauperes, dicere poſſumus luxum per ſæculi corruptionem factum eſſe communem ſtatuum omnium uſum, & mundi ſectatores ne tonitrui quidem fragore ab hoc poſſe ſopore excitari. *Ex Chriſtianis rudimentis pro puellarum educatione*.

Flores ſuperant pulcritudine ornatus omnes, quibus divites utuntur.

Quinam ſumptus non erogantur? quænam ſollicitudines non ſuſcipiuntur, ut mortales ſeſe induant magnifice, & niteant? Exhauritur ars, & exhauriuntur arculæ, ut emiceant, ut aliorum oculos perſtringant, ut in ſui admirationem cæteros rapiant; nihilominus poſt omnes curas impenſas, ut ſibi metipſis imponant, ut aliis placeant, vere dicere poſſumus illos inutiliter laboraſſe, quoniam lilium, flos, qui ſine ulla olitoris cura in agris oritur, nitore, ordine, proportione, colorum varietate purpurei, viridis, albi, flavi, cærulei, ſuperat, quam quid magis decorum eſt, & ex diſcoloribus pannis artificioſius compactum. Conſiderate quæſo roſam, tulipam, violam, vaccinium, floſculum etiam campeſtrem, & fateri cogemini hæc ſingula fulgidius emicare, quam ornamenta omnia acupicta, auroque intexta, quibus Reges, & Imperatores ornati ſunt, cum coram populo ſunt prodituri. Hoc nobis edixit Dei Filius his verbis: Matth. 6. *Conſiderate lilia agri*, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis, quoniam neque Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis. Si Salvator ait, magnum hunc Regem omnium, qui extiterunt, potentiſſimum, locupletiſſimumque minus bene indutum fuiſſe, quam flores; quantum naturalis eorum pulchritudo omnem Regum recentium magnificentiam ſuperabit. Perfecta igitur inſania eſt omne ſtudium omnemque gloriam collocare in exterioribus hiſce ornamentis, quæ ſæpius ſuſpicionem inducunt de merito illius, quæ compta, ornataque eſt, quam illud augeant. Priſci jure optimo dicebant hac in re, non omnia, quæ nitent, aurum eſſe; ſed addendum erat, non eſſe ſterquilinium, quidquid non lucet. *P. Croiſet in aſceticis exercit.*

S. Cyprianus unum ex præcipuis Chriſtianæ Religionis luminibus loquens de Chriſtianarum Virginum indumentis, ait cum illæ ſint membra Filii Dei, ſecundum Apoſtoli verba, omneſque ſimul JESU CHRISTI corpus component, iiſdem eas uſe veſtes adhibendas, quæ Deo placeant, non autem mundo. Chriſtianæ virgines ſunt etiam templa Spiritus Sancti. Parentes, qui ſunt earum cuſtodes curare debent, ne quid profanum earum ſanctitatem corrumpat, ne Deus illic inhabitans loco decedat. Veſtes, idem Sanctus Doctor inquit, non ſecus atque corpora ſuam habent caſtitatem, neque ſatis eſt puritatis carnem habere, ni ſimul & veſtimentorum puritas habeatur. Chriſtiana virtus duo exigit, ut aliquis vere ſit caſtus in oculis Dei. Chriſtianæ virgini ſatis eſſe non debet, ſi cor habeat purum, oportet etiam, ut puritas hæc refiliat in ipſa indumenta, & ex illius modeſtia de animæ integritate ferri poſſit judicium. Virtus, quæ reddit corpus noſtrum aliquo honore dignum, eſt pudicitia. Mundi vanitas hoc bono privat illud; vaniquе cultus reddunt infame chriſtianæ virginis corpus. Caſtitas non quærit ornatus, ut perfectam habeat pulchritudinem; ipſa ſibi ſua eſt pulchritudo, quæ numquam Deo magis eſt acceptior, quam cum non quærit variis ornatibus mortalium in ſe ora, vultuſque convertere. Omnia carnis deſideria tendunt ad ornatus, ad luxum, ad vitia omnia, quæ illum conſequuntur. Hoc Ethnicos decere ſed Chriſtianis eſt nefas. *Ex Chriſtianis rudimentis pro puellarum educatione.*

Conſuetudo & forma recens probare non poſſunt exquiſita, & ſuperflua ornamenta.

Chriſtiana mulier prætexere nequaquam poteſt recentem formam, & uſum, ut ſeſe exquiſitis, & ſupervacaneis inſtruat ornamentis, quia conſuetudo, & uſus ipſa per ſe mala ſunt, & per blandas illecebras inſpirant vitii, & voluptatis amorem. At enim: ſequi numerum licet, & facere, quod ab aliis fit. S. Chryſoſtomus reſpondet ob hanc ipſam cauſam nobis a conſuetudine abſtinendum eſſe, ſi in turba ſaluti noſtræ velimus conſulere; multi enim ſunt vocati, pauci vero electi. Docet Salvator amplectendam eſſe arctam viam, ſi vis ſalvus fieri. At inquies, cuique ſuus ſtatus ſervandus eſt, & ſervandum decorum illius conditionis, quæ in mundo obtigit nobis. Nempe te exornas, ut qui te vident, ex veſtibus tuis de conditione tua judicantes honorem tribuant tibi, & ut melius eorum in te oculos convertas, indueris variis, nitidiſque veſtibus, quibus facilius conſpiciaris. Hæc procul dubio ambitio eſt, quæ non vacat crimine. & actio hæc Deo placere non poteſt, cum dixerit Apoſtolus, eos qui hominum famam aucupantur, Dei æſtimationem amiſſuros, & mulieres, quæ conantur in mundo eniteſcere, coram Deo futuras miſerrimas. *Ex eodem tractatu.*

Non ſatis eſt ſibi perſuaſum eſſe de injuſtitia, & abuſu mortalium circa veſtes & ſuperfluos ornatus: ſciendum quoque eſt, quinam in hac re canon ſervandus ſit. Audiamus, quid S. Hieronymus doceat. Sanctus hic Doctor ad virginem Romæ ſummo genere ortam ſcribens inter cetera inquit; illi modeſtiis utendum eſſe ornamentis, quæ chriſtianam redoleant virginem, quæ profitetur ſe JESUM CHRISTUM ſequi; mundæ ſint, puræ, ſupplicia,

ſine

ſine adfectatione; quia, dicit ille, munditics Chriſtianam virginem decet, dummodo hæc nimis curioſa non ſit, & adfectata. Ethnici quoque magna nobis reliquerunt exempla luxum evitandi; Lacedæmone quippe lege cautum erat, ut honeſtæ mulieres ab inhoneſtis diſtinguerentur veſtium modeſtia; & Romæ lata lex eſt, qua in Matronis Romanis veſtium pompa interdicebatur. Hæc in re extrema duo ſunt evitanda; videlicet nimius in ornatibus luxus, & indecens negligentia, quæ ex S. Bernardo indicium eſt externi habitus male inſtituti, & nonnumquam etiam interni omni ordine, & ſapientia carentis. Verum ſecundum Scripturarum, ſanctorumque Patrum ſententiam generatim in ignem conjicienda ſunt hæc omnia vanitatis inſtrumenta, hæc confuſa multitudo tortorum denticulatorum diverſorum ordinum, & figurarum, quin aliquo modo quærantur varia artis inventa, hæc melina medicamenta, hi unguentarii pulveres, & ſatis eſſe debet nativos crines honeſta elegantia componere, quæ honeſtorum virorum oculos non offendat. *Ex eodem tractatu.*

Non ſolum evitanda eſt veſtium vanitas; ſed earum modeſtia inquirenda eſt.

Neque ſatis eſt ornatuum ſuperfluitatem in veſtibus moderari, ipſa quoque pannorum qualitas eſt inſpicienda. Evitate Chriſtianæ mulieres Ethnicam ſumptuoſitatem, quæ in mundo graſſatur. Voſmet exornate pannis magis modeſtis, ſive coloris, ſive pretii ratio ſpectetur. Quærite, ac imitamini exemplum matronarum, quæ honeſtiores, ac religioſiores habentur; & licet illis juniores ſitis, abſtinete ab hoc exceſſu operum acu phrygio elaboratorum, fimbriarum ex aureo nitentium atque argento, quæ melius hiſtrionibus, ſaltatricibuſque conveniunt. Nonne deberis rubore ſuffundi videntes tot alias in civitatibus, & pagis adeo omni cultu, ornatuque carentes, cum ipſæ aurum, argentumque in indumentis veſtis deferatis? Opus ne eſt, ut Principes decreta ponant ad faſtum eliminandum? Tamen illi hunc nequaquam concedunt iis, quæ ſunt infra gradum principum Matronarum, & earum, quæ præcipuam obtinent dignitatem. Hæc ſupervacanea ſunt, quæ ſæculi pompa invexit, ſed quæ aliquando vos æternæ damnationi ſubjiciet propter opum veſtrarum abuſum. *Ibidem.*

Mundani, qui ſæculi placitis inhærent, quin ſibi aliquam interdicant voluptatem, fere ſemper in noxios prorumpunt exceſſus. Huic ſatis non eſt ludere, opus eſt, ut aleæ ingentem vim auri committat, & cum quietis, familiæ, conſcientiæque ſuæ detrimento vitioſum contrahat habitum ejus rei, quæ illi eſſe deberet loco honeſti ſolatii. Mulieri huic ſatis non eſt ſemper recentes uſus ſequi; vult etiam ſtatum ſuum, & ſæpe etiam ſacculi vires excedere. Quidquid locupletiſſimum eſt, & magnificentiſſimum arridet ei; & quin aliquid ex luxu detrahat in pauperum ſolatium, plerumque eorum ſpoliis ornatur. Non ſatis eſt huic viro voluptatibus dedito ali juxta ſuæ conditionis, bonorumque ſuorum modulum: quin mortificatione ſua honori ſit nomini Chriſtiani, quod gerit, aut frugali, honeſtaque menſa contentus ſit, nonniſi raras, affluenteſque dapes requirit. Opus eſt, ut anni tempora vices mutent illi; ut præcoqui fructus in anteceſſum ad maturitatem feſtinent; ut aer, nemora, lacus illius ſuperfluitatibus, & gulæ deſerviant. Novit ille ex guſtu venaticæ prædæ, cujus ſit, unde adducta, S. Hieronymus inquit: novit regiones, & regionum nomina, unde exquiſitiſſimi uvarum latices advehantur, varia avium, piſciumque genera, quibus ſi quando abſtinet, hoc accidit, ut deinceps ſibi magis ſapiant; temperans per ipſum intemperantiæ principium; nonniſi per coactam ſobrietatem ſecedens a ſodalibus comportationum ſuarum, ſeu victimis ſuarum libidinum, & ſe aliquot dierum dietæ condemnans, niſi ut avidius, & majori cum voluptate ad commeſſationes ſuas revertatur. Non ſatis autem eſt, quod divites ſe ſe tradant flagitiis, quæ illis vel ambitio, vel voluptas ſuggerit, opus etiam eſt, ut opifices quoque adverſa jactati fortuna eorum exem-pla imitentur. Et profecto paſſim videmus in ſimplici popello non deeſſe quoſdam ita vanitate plenos, qui ſibi interdicunt ea, quæ illis ſunt ad victum maxime neceſſaria, ut ſublimioris conditionis exiſtimentur; & alios, qui omnem quæſtum in abdomine collocantes ſinunt, ut uxores, filiique fame pereant; & nimium ventri indulgendo in ætatis flore omnem humanitatem amittant, unam ſi hominis externam ſpeciem excipias. Ita homo iis omnibus vitiis mancipatus, in quæ illum trahit luxus, potius cenſeri poteſt parvum monſtrum, quam perſona ſui compos, & ratione prædita. *Ex moralibus Sermonibus de Myſteriis Domini.*

Luxus odium neceſſarium eſſe Chriſtiano viro.

Vere affirmari poteſt luxui acceptas referendas eſſe pleraſque ſæculi iniquitates. Hoc adeo verum eſt, ut hæretici, ut aliquem adſtruerent conceptum ſanctitatis hæreſum ſuarum, plerumque initium duxerint a regendo faſtu diſcipulorum ſuorum, & illos ſubjiciendo exteriori modeſtiæ, quæ recentibus eorum ſententiis admirationem conciliet. Hæc inanis, injuſta, voluptuoſa pompa ſpiritui J. C. oppoſita eſt, quem ſummo niſu deformare ſtudent uſque ad mendacium, ad infidelitatem, ad impietatem cum corrigendo. Fatendum eſt, equinam, quæ exponit Evangelium & Eccleſiam Filii Dei plurimis hoſtium telis, ortam fuiſſe ex hac Ethnica fidelium pertinacia omnes humilitatis, æquitatis, chriſtianæ modeſtiæ leges infringendi, ut inter alios eniteſcant. Mundus, hic Mundus Salvatoris inimicus ſemperne de hoc victoriam reportabit? Animum ne veſtrum obfirmabitis, ut regnet in animabus veſtris ad Redemptoris contumeliam? Fidei veſtræ ſanctitas, baptiſmatis veſtri officia, nobilitas, pretium nominis Chriſtiani, pietas, majorum veſtrorum exempla, virtus, quam vos profiteri gloriamini, pudor, decorum, quod tantopere adamare videmini, timor damnationis æternæ, & ſalutis æternæ deſiderium, temporalis etiam utilitatis ratio, & fortunæ veſtræ cura; nihil ne vos intra chriſtianæ modeſtiæ terminos poterit continere? *P. la Peſſe.*

Animus non fert hoc loco damnare hæc dignitatum, generumque diſcrimina, quarum indicia eſſe poſſunt veſtimenta, & ſervorum turba; & quæ aliquo modo indigent quodam faſtu exteriori, ut ſuam teneant dignitatem, & reverentiam ſuæ debitam conditioni ſibi concilient. Mens mea eſt in vobis ciendi æquiſſimum horrorem harum noxarum, quæ ſummopere pietati adverſantur; perſuadendi vobis inevitabilem moderationis adhibendæ neceſſitatem. Aliquam inde ſpero mutationem me viſurum, ſi Domini timor, qui in animabus veſtris, ut videtur, extinctus non eſt, conatur hoc opus in vobis perficere. Eſſet ne hoc confuſionis argumentum homini vitioſo, effuſo in ſumptibus ſuis, verecundiorem, ſapientiorem, magiſque Chriſtiano dignam modeſtiam ſervare? Mulier, quæ præſeferret majorem religionem, ac verecundiam, quam ſuperbiam, & vanitatem, nonne pluris apud omnes fieret, majorique in pretio haberetur? Puella nonne ſibi meliorem nominis celebritatem compararet ob humilem minuſque adfectatam munditiam, quam ob omnes hos evanidos mores eo magis contemptibiles, quo magis nitent? Quid? non poteſt aliquis ſartam tectam tueri in mundo æſtimationem, quin jacturam faciat modeſtiæ ſuæ, & fortaſſe quin periculo objiciat pudorem ſuum? cederetne de loco, niſi ſeſe elevaret exteriori apparatu, qui illam non decet? Num minus haberet meritum, niſi tecentia in lucem vitia proferret? Si inter præcipuas fœminas conveniret, apparatum ſuum ad decori leges componere, earum exempla poſſent ſaltem prodeſſe mulieribus mediocris conditionis, & ad externum ipſarum habitum juxta præſentis conditionis rationem inſtituendum. Numquid ad hanc nominis exiſtimationem alendam, opus eſt, ſuperbus hic indumentorum ornatus. Et imperfectio celare ne poteſt infirmitatem ſub externa ſpecie nitenti, & faſtum redolenti? Aſſero e contra, ſi quæ ſunt

in con-

in corpore vitia, hæc tunc celerius oculos noſtros incurrere Cenſura quippe, quæ omnia profert in apricum, minutiſſima quæque perquirit, quæ deinde in mundo evulgare oblectatur. Vera ſapientia, ſaltem in iis, quæ ad politicam civilemque pertinet ſocietatem, ſimul conjungere debet ſimplex decorum, quo nemo lædatur, cum virtute recta, non ficta, & ædificante, ſemperque injuſtis hiſce artificiis debet præferre, quæ ut plurimum ad faſtum male decentem nutriendum arceſcuntur. *P. la Peſſe.*

Inanes mundanarum mulierum prætextus in luxu quem adfectant.

Numquid non contemptui mortalium ſe objiceret, inquient, ſi quæ alias non imitaretur? Ita Tertulliano teſte in lib. de cultu fem. c. 7. mundanæ mulieres primis Eccleſiæ temporibus luxum ſuum propugnare ſatagebant. Ethnicis matronis ſcandalo eſſet mutatio noſtra, imo illæ noſtrum etiam contemnerent Deum, ſi hanc pompam, quæ cedit in gloriam Domini, cui famulamur, abſcinderemus. Sed magnus ille vir addebat, noſti ne, in quo ſita ſit injuria, quæ fit Deo? In hoc ipſo, quod metuis, ne minus opulenta videaris, cum tamquam Chriſtiana cenſeris, & quod te pudet paupertatis Chriſtianiſmi, ut turpia ſeculi mala ſequaris: Ecce quomodo dedecore afficiatur, ecce quomodo blaſphemetur nomen, & Majeſtas Domini; & theſauri ſanctitatis, ac fidei profecto non cedunt magis in Dei honorem, quam aurum, & phrygionis pictura in veſtris indumentis? .... At enim timetis, ne ipſæ vos contemnamini: à quo? Ab illis, quibus timor veſter addit audaciam, quibus ſilentium indiceretis, ſi inter vos conveniret, ut illas non imitaremini. Si timor veſter eſſet legitimus, probanda eſſent omnia ſæculi vitia, quæ ut plurimum ſunt effectus ambitionis, & luxus. Opus eſt ergo, ut vobiſmet proponatis arctam neceſſitatem voſmet mancipandi libidini vanitatis, quæ moleſta eſt, & odioſa; nullam habendi rationem publico bono civilis ſocietatis, quæ vos conjungit, officiendi filiis veſtris, ad deſperationem adigendi creditores veſtros, derelinquendi pauperes. ſcandalum afferendi innocentibus, fovendi vitia; quæ omnia luxum conſequuntur. Hic hodierna die uſus eſt doctrinæ, & exemplorum Filii Dei. Igitur cum inſigni Religionis veſtræ contumelia, non ſine detrimento animarum fratrum veſtrorum, & veſtrarum etiam, ſuper alios eniteſcere vultis? Donec factum hunc amabilis, qui tot agros, & prædia devorat, pietas procul dubio inter vos regnare non poteſt. Ille huic nimis eſt contrarius, & ille nimis improbus eſt ... Voſne cumulavit Deus fortunæ bonis? Nequaquam permiſit vobis, ut illa in luxu prodigeretis. Pro nihilo habetis, tantam inferre Deo injuriam abutentes beneficiis ejuſdem, proximi ſuperbiam irritantes, contemnentes Evangelium, in ludibrium vertentes minas Dei, ejuſque judicia? Tandem aliquando cogitate illam rerum omnium expoliationem, in qua vosmet videbitis die mala volentes nolenteſque; & quomodo tunc eritis deteſtaturi hunc factum & luxum, in quo omnem operam tempuſque veſtrum collocaſtis. Abjicite in præſentiarum fallacia hæc præjudicia, quibus ipſimus veſter alitur, & quæ fortaſſe aliquando futura ſunt cauſa veſtræ deſperationis æternæ. Jam tempus eſt, vel nunquam, prorſus oppoſitam ſequendi viam, niſi omnino Chriſtianiſmi legibus, fidei, ac ipſi Deo, cujus ſpiritus ex diametro oppoſitus eſt vivendi rationibus adeo nefariis, penitus abrenuntiaſtis. *P. la Peſſe.*

Nulla Chriſtiano viro magis neceſſaria virtus eſt, quam humilitas; hæc virtus eſt; quæ Deo maxime placet, qui cor tantum reſpicit. Hæc omnium eſt aptiſſima ad proximum ædificandum, mundi vero placitis prorſus oppoſita. Hinc qui ſe ſe divino devovent ſervitio intra Clauſtra, prodeunt induti non ſolum pannoſis veſtibus, verum etiam contemptibilibus; qui peculiarem edunt virtutis profeſſionem, ſibi negant ornamenta, & inutilia ſæculi apparatus, ut geſtent publica ſuæ abrenuntiationis monumenta, qua omnibus his vanitatibus ſe abdicarunt. Qui videt Chriſtianos tali pompa incedentes, & ornatos ſexcentis inutilibus ornamentis, quæ veterum ludibrium ſunt, credere ne poſſet unquam, illos eſſe Jeſu Chriſti diſcipulos Dei humiliati uſque ad mortem Crucis? Et ſane quomodo excuſari poſſunt hæ ſervorum magnificæ turbæ, ubi luxus, & vanitas tamquam in triumphali curru vecti, videntur chriſtianam humilitatem conculcare; hæ ſuperbæ ſolitudines, quas ſibi nobiles ædificant ſupellectili pretioſa locupletatæ, quam tinea, & ſitus abſumunt, cum interim pauper omnium egenus pro domo hortum habeat circumquaque omnibus aeris contumeliis patens, & pro cubili ſtratum ex paleis: hæ inquam ſervorum turbæ, quæ ad oſtentationem aluntur, & quorum numerus non aliis rebus inſervit, quam obliguriendis opiparis lautarum menſarum reliquiis, melius inſumendis in alimoniam tot familiarum, quas panem emendicare vetat pudor, cum interim deſolata mater in corona filiorum petentium panem, neſciat, quo confugiat miſeris opem latura. Quomodo æquum ferre poſſumus judicium de his adfectationibus, quibus familiariſſime principes utuntur viri, aditum fere nemini præbentes, ad commendandam ſuæ magnitudinis imaginem in mentibus populorum; cum interim tot calamitoſi, qui errent ignorant viam ſibi faciendi in conferta multitudine, qua ſtipati ſunt, in ſilentio jugulant & petitionem diurnæ mercedis, & querimonias, quæ numquam uſque ad eorum cor pervenirent tunc etiam, cum illorum aures obtunderent.. Quænam prætexi poſſunt excuſationes luxus divitum, qui nullo afficiuntur ſenſu miſeriarum pauperis ab ipſis ad inopiam redacti, cum interim aurum, & argentum in eorum pavimentis refulgeat. Quo nomine appellari poſſet hoc Chriſtianorum genus? Inexcuſabile perfecto mendacium eſſet, eos dicere Salvatoris diſcipulos, qui ſibi Dei ſunt, qui nullam in Deo ſpem habent, neque aliud habent cœlum, quam miſerabile hoc exilium, ubi cum brutis vivimus. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

Omni in ſenſu inexcuſabilis eſt luxus divitum, præſertim vero, cum illi ex egenorum ipſi in ſt. pietati ſunt.

Digitized by Google

VIGILANTIA CHRISTIANA.

IN OFFICIIS SUIS OBEUNDIS CURA &c.

M O N I T U M.

Difficile admodum eſt argumentum hoc ad aquam concionis formam; & magnitudinem producere; quippe vigilantia non aliud eſt, quam circumſtantia, & neceſſaria conditio ad omnia vita chriſtiana munera obeunda. Attamen non ſecus, ac aliis pluribus in argumentis ex hac circumſtantia, vel conditione efficere poſſumus peculiaris ſermonis materiam eam ab aliis ſejungendo argumentis, quibus applicari poteſt, nempe a ſalutis ſua cura, a tentationibus, occaſionibus, & periculis in peccatum decidendi, aliiſque id genus; vel de his obiter loquendo, ut intelligatur, quibuſnam rebus potiſſimum invigilandum ſit. Ita ſermo poteſt inſtitui de fervore in ſervitute Dei, de diligenti, ac regulari vita ratione, de patientia, aliiſque pluribus argumentis, qua non aliud ſunt, quam circumſtantia aliis ſermonibus replendis inſervientes.

Fateor equidem, pauciſſimos concionatores hoc pertractaſſe argumentum ita ab aliis ſejunctum, quamvis vigilantia generatim ſumpta ex iis rebus ſit, qua maxime commendantur in Scripturis: verum enim vero apud Patres, alioſque auctores abunde ſuppetit, unde hoc repleatur argumentum, praſertim ſi chriſtiana vigilantia opponatur ignavia, ac negligentia in exercitatione virtutis, & incuria, qua ut malum evitemus, minime adlaboramus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia concionum bujus argumenti ſyſtemata.

I. UT Chriſtiano viro perſuadeamus in actionibus, totaque vitæ ſuæ ratione vigilantiam, pro concionis argumento, & partitione aſſumere poſſumus: 1. Nemini majorem eſſe poſſe metuendi, ſibique invigilandi cauſam, quam cum ſe tutiſſimum putat. 2. Vieiſſim neminem magis in tuto eſſe, quam cum magis timet, ne de ſe, viribuſque ſuis diffidit.

Pars prima. Oſtendendum eſt, nunquam nos majori in diſcrimine verſari, neque potiori jure de ſalute noſtra trepidandum nobis eſſe, quam cum in tuto eſſe arbitramur, minuſque timemus. 1. Quia hæc manifeſta ſuperbia eſt, quæ cogit Deum peculiare ſuum nobis ſubtrahere ſubſidium, quo nos tuebatur, atque noſmet nobis, viribuſque noſtris tradere, ut fatali experientia docti noſtram intelligamus infirmitatem; cum enim Dei filius toties nos admonuerit, ut nobiſmet invigilemus, ſecuritas, qua monitum iſtud negligimus, vel contemnimus, neſcatis præſumptio eſt, quæ a Deo Derelinqui meretur. Ita David funeſtum lapſum ſuum acceptum refert nimiæ ſecuritati, qua ſe objecit periculo, & quæ mox illi tot peperit mala: *Dixi in abundantia mea. Non movebar in æternum. Avertiſti faciem tuam a me, & factus ſum conturbatus.* Pſalm. 29. S. Petri exemplum de hac melius veritate perſuadere nos debet: later enim ob nimiam in viribus ſuis confidentiam hæc protuliſſe verba: *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor.* Matth. 26 Confidentia hæc uſque ad ſecuritatem proceſſit, quæ effecit, ne vigilaret, quemadmodum illum Dominus admonuerat. Si autem dilectus hic a Deo Diſcipulus, & electus ut eccleſiæ caput eſſet, & chriſtianæ religionis columnen, propter vigilantiæ, & præcautionis defectum adeo graviter lapſus eſt; penes vos eſto judicium, utrum aliis metuendum ſit, qui licet tuto cœlo a virtute illius diſtent, tamen ſe in tuto eſſe putant, ac temeraria præſumptione putant nihil ſibi eſſe timendum. 2. Quia nunquam magis facilius falli poſſumus ab oſte ſalutis noſtræ, qui vigilat, dum ipſi ſopore capti dormitamus, & qui nobis ubique tendit inſidias ſine peculiari vigilantia nunquam evitandas. Quandonam exercitus imperator callidus, & vigilans hoſtem ſuum utilius aggreditur, quam cum illum magis ſecurum, minuſque de ſua ſalute ſollicitum putat? Hoc pacto Balthaſar captus fuit, cum regni ſui optimatibus ſolemni accumbebat convivio, atque inter epulas, cyathoſque oblectabatur, cum potens, ac vigilans hoſtis vim omnem, artemque adhibebat, ut illum opprimeret, & re ipſa oppreſſit. 3. Quia ſecuritas iſta eſt negligentia, & ignavia inexcuſabilis in eo, qui ſcire debet, ſe in periculo ſemper verſari hoſtibus circumundique ſeptum, atque omnes fere creaturas, ut ita dicam, ad interitum illius conſpiraſſe, ita ut ſecus abyſſi oram dormitans temeritati dumtaxat ſuæ acceptum referre debeat, ſi in eam miſere labitur. Cur ſibi non cavet?

Pars altera. Neminem tutiorem eſſe, quam qui de ſe ipſo diffidit, ac vigilat, ne opprimatur. 1. Quia vigilantia nos cautos efficit, ne quid dicamus, vel faciamus, quod noſtram lædere valeat conſcientiam; etenim quantum facile, immo etiam commune eſt opprimi, cum nobiſmet ipſis nequaquam invigilamus, tantum difficile eſt opprimi, cum vigilamus, & de nobiſmet ipſis diffidimus. Quamobrem Dei filius, ut nos ad vigilantiam hortetur, minitatur ſe furis inſtar noctu venturum; & alio loco teſtatur, ſi pater familias ſciret, qua noctis hora fur venturus eſſet, vigilaret, omniaque ita diſponeret, ut ille neque domum perfodere, neque aliqua ex parte aditum poſſet invenire. 2. Quia vigilantia manifeſtum eſt argumentum nos de viribus noſtris diffidere, ac metuere, ne noſmet periculo objiciamus; occaſionem evitari, neque nos velle in illud prælium deſcendere, quo ne vincamur, nobis metuendum eſt. Vigilantia denique efficit, ut noſtræ infirmitati adverſamus animum, atque nobiſmet caveamus. 3. Hæc eadem vigilantia præſtat, ut noſmet contra omnem hoſtium conatus præmuniamus; imploremus opem eorum, qui nobis auxiliari poſſunt? atque ita cum timor, & vigilantia efficiat, ut noſmet præmuniamus, noſtram efficit ſecuritatem.

II. Nihil chriſtiano viro magis eſt neceſſarium, quam jugis vigilantia; ita Dei filius nos aſſidue hortatur in evan-

evangelio. Sed cuinam rei invigilandum eſt? Quodnam eſſe debet noſtræ vigilantiæ objectum? Tria potiſſimum magis generalia animadverto, ad quæ reliqua referuntur. 1. Vigilandum primo eſt, ut noſmet tueamur, adverſus artes cordis noſtri, quod cum deceptum, ſeductumque ſit, nos facile decipit, atque ſeducit efficiens, ut pro bono malum, & pro malo bonum accipiamus: plurima vitia pro virtutibus, veluti ultionem pro actu fortitudinis, atque conſtantiæ: virtutes mere morales, atque civiles pro virtutibus chriſtianis, & heroicas chriſtianiſmi actiones pro animi objectione; ac tandem quod nos ſæpe aberrare facit in officiorum noſtrorum exercitatione efficiendo, ut pretium, in quo naturaliter virtus habetur, pro eadem virtute habeatur; ſenſus gratiæ pro conſenſu ad gratiam eamdem; atque ut propter Deum, & ob finem ſupernaturalem id factum credamus, quod amoris proprii effectus eſt &c. Neceſſe igitur eſt quam diligentiſſime invigilare omnibus cordis noſtri motibus, ne decipiamur, & ne omnium actionum noſtrarum meritum, fructumque amittamus. 2. Secundo vigilandum eſt, ne incidamus in laqueos, quos nobis tendunt omnia creata, oblectaque omnia, quibus ſepti ſumus: omnia enim ſeu propter imbecillitatem, ſeu propter corruptionem noſtram nobis ſunt occaſio peccati, noſque ad malum impellere videntur. Nobis amici blandiuntur, inimici nos irritant, jucunda nos faſcinant objecta, ea, quæ moleſta ſunt, animum evertunt, cumque hoc pacto laqueos ubique inveniamus, chriſtiana tantum vigilantia tueri nos poteſt. 3. Vigilandum eſt tertio, ut viſibilium, ac inviſibilium hoſtium propulſemus inſidias. Quas enim illi nobis inſidias ſtruunt? caro, domeſticus ille inimicus, dæmon hoſtis ille potens, vigilans, crudelis, aſtutus, mundus, qui nos ſuis voluptatibus allicit, qui ſuis placitis nos ſeducit, qui promiſſionibus ſuis nobis os ſublinit: hæc ea ſunt, a quibus nobis cavendum eſt. *Ex chriſtianis conſiderationibus P. Nepven tomo 4.*

III. I. Quocumque in ſtatu ſimus, & quamcumque conditionem amplectamur, non poſſumus eſſe fideles Deo, munera noſtra obire, chriſtiano homine dignam vitam ducere, & ſalutem noſtram operari, niſi maximam in cogitationibus, verbis, & factis vigilantiam adhibeamus. 3. Quo periculoſior eſt ille ſtatus, quem ſumus amplexi, eo majori indigemus attentione, & vigilantia, ne noſmet iis implicemus negotiis, quæ noſtram illaqueare poſſunt

IV. conſcientiam.

Tria potiſſimum ſunt, in quibus homines maximam adhibere conſueverunt vigilantiam, & quæ ipſi applicare poſſumus chriſtianæ in iis rebus vigilantiæ, quas tueri, & conſervare noſtra maxime refert. 1. Ut videlicet ſuas formas, valetudinem, vitamque tueantur. At noſtra multo magis intereſt ſervare gratiam, quæ hæc omnia ſimul eſt erga animam. Heu! Si in ea ſervanda parem afferremus vigilantiam, infinitas opes, & vitam vere beatum adipiſceremur. Ut fugiant pericula, & occaſiones, in quibus periculum ſubeant aliquam ex his rebus amittendi. 3. Ut ſe contra inimicorum ſuorum tueantur incurſus.

V. Qualitas, quam evangelium commendat, & exigit in ſervo, eſt præſertim vigilantia, quæ nobis magno, ſupremoque Domino deſervientibus curæ eſſe debet. Hæc autem vigilantia in tribus conſiſtit. 1. Servus invigilare debet bonis domini ſui, ne hic ob ejus negligentiam aliquam patiatur jacturam. Nobis quoque ſimiliter invigilandum eſt divini hujus domini gloriæ: cavendum, ne lædamus illum, ac prohibendum, ne lædatur ab aliis. Hæc prima eſſe debet curarum noſtrarum, atque officiorum noſtrorum potiſſimum. 2. Servus vigilans eſſe debet, atque attentus ad minimum Domini ſui nutum, ut ad unguem illius exequatur voluntatem, & hoc pacto omnem illi præſtet operam, quam jure ſuo poteſt exigere. Hoc Deo debet omnis Chriſtianus, legibus illius obedire, & vigilare, ut cognoſcat voluntatem ejus eam fideliter adimpleturus, etenim nonne Deus ideo illum ad ſervitutem ſuam evocavit? 3. Servus ſtudere debet, ut decenter, atque ea, qua fieri poteſt, perfectione exequatur, quidquid juſſerit herus, atque hac ratione ſeſe illi acceptum præbere, ejuſque approbationem mereri. Hi tres ſunt chriſtianæ vigilantiæ actus in ſervitio Dei. Omnibus actionibus noſtris invigilare, ne lædamus illum, exercere virtutes, quas nobis commendavit, quia hoc unum illud eſt, quod expetit a nobis; adniti, ut omnia ea perfectione, cui pares ſumus, a nobis fiant. VI.

Cum cordis noſtri cuſtodia nobis potiſſimum in Scripturis commendetur: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum.* Prov. 4. ita in id omnes curas, omnemque ſollicitudinem impendere debet Chriſtianus, idque triplici ex cauſa.

1. Ne cor noſtrum deſerat Deum ſe ſe tradens creaturis, & quodcumque creatum bonum præferunt creatori. 2. Ne nos deſerat Deus tot fatigatus infidelitatibus, ac repulſis, quibus illius gratiam contempſimus, ejuſque beneficiis abuſi ſumus. 3. ne creaturæ noſtrorum cor auferant, vel illud inordinato, noxioque amore ſibi capiverint.

Æque vigilandum eſt, ut & malum evitetur, VII.
& bonum fiat. Ut evitetur malum. Quæ enim occaſiones, & pericula in vitæ noſtræ decurſu? Quot prælia nobis ſuſtinenda ſunt, quot hoſtes oppugnandi, quot tentationes, quot incurſus moleſti? 2. Ut bonum fiat; ut videlicet tempore, & loco fiat, ut omnes adſint neceſſariæ circumſtantiæ; utque ea, quæ par eſt, perfectione adimpleatur.

Deſumi quoque poteſt pro concionis argumento, VIII.
ac partitione, opus, quod nobis eſt, jugi vigilantia, & ſecundo loco, quodnam eſſe debeat vigilantiæ noſtræ ſubjectum; hoc eſt, quid nobis cavendum ſit, & cuinam rei vigilare debeamus. 1. Hujus vigilantiæ neceſſitas inde ſumitur, quod nullus ſtatus, nulla virtus, locus nullus tutus eſt contra inſidias, & aggreſſiones tot inimicorum, quibuſcum nobis pugna eſt, & qui nullas nobis relinquunt inducias. Cogitandum eſt, quam facile, immo etiam vulgatum ſit opprimi ea in ſecuritate, in qua vivimus, atque in negligentia ſalutis noſtræ, nec non officiorum, quæ a nobis ſunt quam diligentiſſime obeunda. 2. Cuinam rei invigilandum ſit. Duo ſunt nobis, quæ jugem exquirunt vigilantiam, interior videlicet pars, ac exterior. Interior quidem complectitur omnes cogitationes noſtras, deſideria, conſilia, conatus, affectiones, ac ſtudia naturalia. Cum in his omnibus peccare poſſumus, magna opus eſt vigilantia, ut omnia in ordine ſerventur, ac prohibeatur, quæcumque oboriri poſſit perturbatio. Exterior vero pars complectitur verba, factaque, quibus invigilandum eſt, ne quid temere, ex libidine, animique perturbatione fiat.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ideas exornandas.

SAnctus Auguſtinus *in Pſalm.* 130. in hæc verba: Sancti Patres.
Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, oſtendit mala, quæ parit animæ ſomnus, & felicitatem, qui ſunt vigilantes, ſuiſque officiis attenti.

Idem Serm. 23. *De verbis Domini* in hæc verba *Dormitaverunt omnes virgines, & dormierunt*, ad vigilantiam, & ad ſoporem excutiendum hortatur.

Idem *lib.* 50. *Homil. Homil.* 13. præſentem tam ſomno comparat.

Idem in *Pſalm.* 62. loquitur de ſomno corporis, & ſomno animæ, & oſtendit bona, quæ ex uno, & mala, quæ procedunt ex altero.

S. Chry-

S. Chryſoſtomus Homil. in cap. 5. Matthæi oſtendit nobis jugiter eſſe vigilandum contra dæmonis aſtum, & inſidias.

Idem *Homil. in cap.* 35. *S. Matth.* in hæc verba *Moram autem faciente ſponſo, dormitaverunt omnes, & dormierunt*; oſtendit, non peccatores tantum, ſed etiam juſtos ſopore capi, niſi identidem excitentur.

Idem. *Homil.* 1. *in Act. Apoſtol.* in hæc verba: *Baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies*; oſtendit, Salvatorem dicere noluiſſe Apoſtolis quo tempore ſignate in eos lapſurus eſſet, ut ſemper vigilarent, atque illius adventum præſtolarentur.

Idem *in cap.* 1. *epiſt. ad Theſſal.* docet nobis ſemper vigilandum eſſe, ſemperque paratos eſſe oportere, ut cum Dominus vocaverit, præſto ſimus rationem illi actionum noſtrarum, reddituri, & quam periculoſum ſit opprimi.

S. Hieronymus *Epiſt.* 1. *ad Heliodorum* oſtendit, quam periculoſa ſit nimia ſecuritas, & ſemper vigilandum eſſe, quia periculum eſt, ne pereamus.

S. Gregorius *Homil.* 13. *in cap.* 12. *Luc.* in hæc verba: *Beati ſervi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*, oſtendit, quinam ſint illi, qui vere vigilant, & qui totam vitam in fatali ſomno traducunt.

Idem *lib.* 5. *Moral.* c. 36. docet, quam neceſſaria ſit vigilantia.

S. Bernardus eximium habet tractatum *de triplici cuſtodia manus, linguæ, & cordis*,

Idem *Serm.* 3. *de Vigil. Nativit.* oſtendit, pium hominem, deque ſua ſalute ſollicitum ſemper metuere debere, ac ſibi contra inviſibiles hoſtes cavere.

Idem ibidem oſtendit, quomodo ſit vigilandum.

Idem *Serm.* 1. *Dominic.* 1. *poſt octav. Nativit.* docet, quomodo ſit vigilandum, & expectanda domini viſitatio.

Idem *Serm.* 17. *in Cant.* oſtendit, quomodo in ſalutis noſtræ negotio vigilantes eſſe debeamus.

Aſcetici aliique. Qui omnium effuſiſſime argumentum hoc eſt proſecutus, eſt P. Haineuve in parte quarta meditationum, ubi omnes noviſſimæ hebdomadæ poſt Pentecoſten dies impendit meditando parabolas, quas Salvator propoſuit Apoſtolis, ut hanc illi perſuaderet vigilantia.

P. Nepveu tomo 4. conſiderationum chriſtianarum, conſideratio pro decima nona Octobris die tota eſt de vigilantia chriſtiana.

P. Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus habet caput unum de diligentia, & in officiis obeundis vigilantia.

P. Saintjure in libro, cui titulus: *Homo Religioſus* cap. 6. ſect. 5. loquitur de vigilantia, quæ adhibenda eſt, ut cor cuſtodiatur contra pravas cogitationes, & affectus malos, & noxios.

P. du Salut tomo 2. operum tractatu de praxi virtutum ſecundum S. Thereſiam loquitur de vigilantia, ac diligentia in omnibus actionibus noſtris.

Abbas Trappenſis tomo 1. de monaſticæ vitæ officiis loquitur de vigilantia ſuperiorum ſuper eos, qui illorum curæ crediti ſunt.

Concionatores recentes. P. Cheminais tomo 3. ſecundæ editionis in ſermone de J. C. in deſertum adducto, ubi ibi tentaretur, oſtendit cordi noſtro invigilandum eſſe ad animæ ſordes prohibendas.

Joly tomo 2. propoſitionum, in primam Dominicam poſt Paſcha oſtendit vigilantiam neceſſariam eſſe ad gratiam ſervandam.

Idem pro quinta poſt Epiphaniam Dominica in hæc evangeli verba: *Cum dormirent homines, venit inimicus &c.* de animæ ſomno verba facit.

In ſpecimine ſermonum pro Dominica 19. poſt Pentecoſten ad calcem partis ſecundæ loquitur de chriſtiana vigilantia.

In morali dictionario tomo 3. ſermone habito, dum clauderetur Jubilæus, agitur de vigilantia tam ſuper noſmet, quam ſuper ea, quæ circa nos ſunt.

In eodem dictionario tomo 4. in moralibus conſiderationibus de morte oſtenditur, paucos eſſe, qui vigilant, & qui aſſidua vigilantia ſe ſe ad extremum hunc tranſitum præparent.

Labatha titulo *Vigilantia* plures habet hujus argumenti propoſitiones, pro quibus materiam ſuppeditat. Qui collectanea ediderunt.

Bercorius. Titulo *Vigilare & Vigilantia*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, ſententiæ, & applicationes Scripturarum huic argumento.

QUi mane vigilant ad me, invenient me Proverb. 8.

Omni cuſtodia ſerva cor tuum. Proverb. 4.

Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Matth 26.

Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. Ibidem 24.

Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam. Matth. 25.

Si ſciret pater familias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Matth. 24.

Non potuiſtis una hora vigilare mecum. Ibidem, cap. 26.

Vigilate ergo, ne cum venerit (dominus) inveniat vos dormientes. Marc. 13.

Beati ſervi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Luc. 12.

Vigilate, omni tempore orantes. Luc. 21.

Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando revertatur a nuptiis. Luc. 12.

Exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe; propter quod vigilate. Act. 20.

Vigilate, ſtate in fide. 1. ad Corinth. 16.

Tu vero vigila, in omnibus labora, miniſterium tuum imple. 2. ad Timoth. 4.

Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. 1. Petri, c. 5.

Eſto vigilans. Apocal. 3.

Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies, qua hora veniam ad te. Ibidem.

Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Ad Rom. 13.

Igitur non dormiamus ſicut & cæteri, ſed vigilemus, & ſobrii ſimus. 1. ad Theſſal. 5.

Cuſtodi igitur temetipſum, & animam tuam ſollicite. Deuteron. 4.

Exempla, figuræ, & parabolæ utriuſque teſtamenti ad hoc argumentum ſpectantes.

UT nos ad vigilantiam excitet, atque cautos efficiat contra ea mala, quæ gignit ſopor, in quo plerique mortalium verſantur circa ea, quæ ad ſalutem ipſorum pertinent, Dei filius nobis ob oculos ſtatuit exemplum eorum, qui diluvii tempore oppreſſi fuere: cum enim de nulla re minus eſſent ſolliciti, quam de impendente ſibi calamitate, eumque ſe in tuto eſſe arbitrarentur, bibebant, epulabantur, oblectabantur; inibantque connubia uſque diem, quo Noe ingreſſus eſt in arcam, atque tunc ingruente cataclyſmo univerſi interiere. Sopor eorum, qui diluvii tempore oppreſſi fuere. Salvator nos monet, hoc ipſum eventurum, cum ille in fine mundi ſeu poſt finem vitæ ſingulorum ad nos judicandos acceſſerit, & quod deerit in plerique ea, quæ par eſt, vigilantia, ſe alios quidem in voluptatibus, ac ſolatiis eorum, alios vero in commerciis, & negotiis ipſorum, hos in luxu, & mollitie, illos in ambitioſis conſiliis oppreſſurum? quos ſi vigilantes nactus eſſet, atque ſidenter judicis hujus adventum præſtolantes, illis æternam collaturum fuiſſe requiem, quam vigilantibus pollicetur.

In omnibus exemplis, quæ nobis aſſiduæ vigilantiæ

Digitized by Google

tiæ proponit Eccleſia, nullum magis explicitum eſt, quam Jacob avunculo ſuo deſerviens. Sanctus hic Patriarcha labore aſſuetus tanta ſe geſſit fide, vigilantia, aſſiduitate, ut quam optime de Labano meritus eſſet, cui altera quidem ex parte illi gratiam habebat, ex altera vero ſine verecundia pati non poterat, ut nepos ſibi gratis famularetur. Quamobrem illum convenit, eique teſtatus eſt æquum non eſſe, ut quia nepos erat, gratis illi operam præſtaret, cumque ſciſcitatus eſt, quam ſervitutis ſuæ remunerationem expoſceret. Duo uno eodemque exemplo ſimul docemur. Primum vigilantiam, quam Chriſtiani omnes, illi vero præſertim, qui Dei cultui ſe ſe devoverunt, ſupremo huic deſervientes Domino debent adhibere. Alterum eſt, Dominum, cui vigili attentione, & cura famulamur, non permiſſurum, ut labores eorum careant remuneratione. *Beatus ille ſervus, quem dominus ejus invenerit vigilantem: amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona conſtituet eum.* Matth. 24.

Vigilantia Patriarchæ Jacob.

Legimus in Scripturis lapſus plurimorum virorum, quorum alii fulgebant honoribus, ad quos fuerant promoti, alii virtute, & ſanctitate excellebant, alii vero ſuis præſtabant muneribus; qui, eo quod ipſis vel in officiis obeundis vigilantia, vel propriæ infirmitatis cognitio, vel in actionibus attentio, & in periculis proſpiciendis defuit ſollicitudo, miſere perierunt, vel in ea lapſi ſunt mala, ex quibus nunquam ſe ſe collegiſſent, niſi Domini miſericordia illis opem tuliſſet. David, Salomon, Judas, & Princeps Apoſtolorum exempla ſunt ſatis comperta, atque explorata.

Figuræ quædam vigilantiæ ex Scripturis decerptæ.

Præter exempla, quæ tradidit Deus hominibus, ut intelligerent ſibi vigilantia opus eſſe, ſenſibilibus etiam uſus eſt figuris, ut oſtenderet, quam diligens hæc eſſe deberet vigilantia, & quanta cura velit ſibi quemque, & extra ſe invigilare. Hæ figuræ ſunt Ezech. 10. Cherubim, qui oculis erant pleni, ad innuendum nos plenos eſſe debere oculis, ut intra nos quidem noſtris invigilemus cogitationibus, ac deſideriis, affectibus, ac naturalibus ſtudiis, extra vero ſenſibus, & objectis, eorum actionibus, & occaſionibus, quæ ſeſe offerunt illis, ut nulla in re deficiamus, & nihil permittamus, quod conſcientiam noſtram lædere poſſit, vel fidem, quam Domino, cui famulamur, debemus. S. Joannes in Apocalypſi c. 4. aliquid ſimile ait de quatuor animalibus, quæ ipſe vidit circa thronum Dei, & quæ ſimiliter plena erant oculis, ut viderent ante, retro, & circumundique, quin aliquid eorum aciem fallere poſſet; quod juxta ſanctorum Patrum interpretationem ſignificat, illis, qui fideles eſſe volunt Deo, & qui eidem placere contendunt, jugiter vigilandum eſſe, atque rebus in omnibus præcavendum.

Fatuarum virginum parabola.

Dei filius hanc eamdem veritatem apertius oſtendere voluit pluribus parabolis, quorum præcipua eſt virginum fatuarum, quæ videntes ſponſi adventum retardari, primum quidem dormitarunt, mox etiam dormierunt, ita ut ſponſo superveniente, easque ſopitas reperiente illæ non invenerint amplius oleum in lampadibus ſuis, ſine quo ad nuptias ingredi non licebat. Nequicquam ex ſapientibus virginibus, quibus ſatis erat olei, petierunt, ut illius partem ſibi mutuam darent; quamobrem ad propolas exire debuere. Interim ſponſus ingreditur, & illæ feſtinanter revertuntur; ſed nimis ſero diligentes factæ oſtium clauſum inveniunt. Pulſantibus non aperitur janua, immo terribilia ipſis proferuntur verba reprobationis earum ſententiam complectentia: *Neſcio vos*. Hoc ad vivum nobis exprimit ſoporem, in quo plerique fideles vivunt circa ſuæ ſalutis negotium, qui negligentes oleum in lampadibus, hoc eſt charitatem in cordibus ſuis per bonorum operum exercitationem ſervare, opprimuntur morte, ac ſæpe in funeſtam decidunt reprobationem.

Alia parabola Domini, qui periculum facere vult ſervi ſui.

Salvator ad hanc tanti momenti veritatem nobis melius imprimendam utitur etiam exemplo cujuſdam patris familias, qui periculum facere volens fidelitatis, ac vigilantiæ ſervorum ſuorum, ſimulavit ſibi magnum iter eſſe ingrediendum; ſed mox repente reverſus ſervos ſuos ex improviſo deprehendit, qui eum abeſſe rati ſe ſe omnibus vitiis addidere, in quibus ab hero oppreſſi ſeveriſſimis affecti fuere ſuppliciis. Ita cum homines florenti juventute, proſperaque valetudine freti putant, Domini adventum procul adhuc abeſſe, flagitioſum vitæ genus ſequuntur, in quo alte demerſi, nullam opem ferente juventute, quam jactitant, inopinata morte opprimuntur.

Parabola Patris familias vigilantis, ne fures domum perfodiant.

Alia idem adeſt in evangelio parabola ad eumdem finem pertinens. patris videlicet familias vigilantis, ne a furibus domus ſua perfodiatur. Hanc Dei filius his exprimit verbis Matth. 24. *Si ſciret pater familias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtote parati, quia qua neſcitis hora filius hominis venturus eſt.*

Applicationes quarumdam Scripturæ locorum hic argumento.

Vigilandum eſt, ut cor noſtrum præcipue cuſtodiamus.

O*Mni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Prov. 4. Cuſtodi cor tuum ea, qua fieri poteſt, diligentia; videlicet cura omnis, quam impendimus ea, quæ pretioſiſſima ſunt, ſervaturi, a nobis impendenda eſt, ut cuſtodiamus cor noſtrum, ne anima criminum ſordibus polluatur. Opera majori, qua fieri poteſt, diligentia ſervantur; ita etiam valetudo, vita, honor, exiſtimatio, amici, & generatim ea omnia, a quibus noſtra vel utilitas pendet, vel felicitas; ideoque cura, quæ a nobis in hæc impenditur omnia, univerſa in cordis cuſtodia eſt impendenda. Ratio vero, quam Sapiens affert, eſt, quia inde vita procedit: *Quia ex ipſo vita procedit*; quaſi diceret; quemadmodum vita naturalis a bono cordis habitu pendet, quod primum omnium vivit, ac noviſſime moritur; ita vita ſpiritualis pendet ex illo: cum nihil inferre poſſit mortem animæ noſtræ ſine voluntatis conſenſu, & ut vulgo loquar, ſine cordis conſenſu. Quamobrem S. Bernardus Serm. 13. in Pſal. 90. ait: Si vobiſmet caveatis ab inimicis, quia vobis obeſſe poſſunt, diligentius cuſtodite cor veſtrum, ac vigilantius omnes motus illius obſervate, quia hoc unum illud eſt, quod vos perdere poſſit; cætera ſine illo nil poſſunt.

Cum dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici. Matth. 13. Patres omnes animadverunt, dæmonem eligere tempus, quo homines ſomno capti dormiunt; hoc eſt, quo ſibi non vigilant, ut in animas eorum effundat ſexcenta peccata, quæ illis inſpirat; negligentia, & rerum ad ſalutem pertinentium incuria, in qua illos videt, necnon vigilantiæ defectus tempus eſt ſomni, quo communis hominum inimicus illus expectat, ut ſuffocet in illis ſenſus religionis, timorem Dei, & deſiderium ſalutis confuſione pravarum cogitationum, malorum deſideriorum, atque perniccioſorum conſiliorum, quibus repletus eſt, quod in Scripturis vocatur *ſuperſeminare zizania in medio tritici*; quod eſt inevitabile, niſi jugis in ſemet vigilantia adhibeatur.

Cordis præſertim cura gerenda.

Eſto vigilans. Apocal. 3. Tibimet invigila; hoc eſt, ſcrutare cor tuum, ad examen revoca illius affectiones; experire fidem, metue improbitatem, de levitate ejus diffide, impetus ejus reprime, inconſtantiam coercere: *Eſto vigilans*. Quoties te verſutum cor iſtud fefellit? quoties cor iſtud inconſtans tibi elapſum eſt? Simile umbræ fugienti nunquam in eodem ſtatu permanſit. Nihil tibi ſuſpicione carere debet; etenim quanam in re confidere poſſes? numquid in præterito? Tuam teſtor conſcientiam. Incœpiſti ambulare in viis Domini, & paulo poſt in mundi vias rediiſti; omnes te in bonis conſiliis confirmatum arbitrabantur, & illa evanuerunt; pietas tua optimum præbebat exemplum, at per eam vitam, quam ducis, factus es petra ſcandali. Eſto igitur vigilans, excute conſcientiam tuam,

actio-

actiones tuas conſidera, ac præſertim curam habe cordis tui, quod, ubi inordinatum fuerit, omnia ſuſque deque pervenit.

Si ſciret pater familias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Matth. 24. Per hæc verba videtur Dei filius nobis exprobrare velle, quod homines mundi ſunt magis vigilantes, ut aurum, opeſque ſuas cuſtodiant, quam ſimus ipſi, ut gratiam, virtutes, & animæ bona; quæ nos in æternum efficere poſſunt beatos, tueamur. Avari iſti, qui terræ bona deperennt, vigilant, ne illa ſibi a latronibus eripiantur: & nos cum certi ſcimus, Dei filium eſſe venturum, vigilare non poſſumus illum præſtolaturi, ne opprimamur, cum acceſſerit, ac nos coram vocaverit rationem reddituros virtutum, quæ a nobis exercitæ, & theſaurorum, qui a nobis pro cœleſti beatitudine promerenda fuerint congeſti. Vel idem eſt, ac ſi diceret: Cur pater familias admonitus fures adniti, ut eum fallant, vigilat ad omnes eorum conatus propulſandos; vos autem a me ipſo admoniti de adventu meo non vigilatis, ne ex improviſo veniens vos opprimam? Hic ſomnus tunc lethalis erit, & quicumque dormientes confundentur nihil invenientes in manibus ſuis, eo quod operari, & merita congregare neglexerint.

PARAGAAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ ſanctorum Patrum hujus argumenti.

Male homo vigilat, quando eum ſecularium negotiorum aſtus inquietat. Gregor. lib. 22. Moral.

Vigilat, qui ad aſpectum veri luminis, mentis oculos apertos tenet: vigilat, qui ſervat operando quod credit: vigilat, qui a ſe torporis & negligentiæ tenebras repellit. Idem, Homil. 13. in Evangel.

Sit mens vigilans, ſit undique ſuſpecta, ſit ubique ſollicita, ut inſidiantis laqueos poſſit præcavere. Idem, l. 6. Epiſt. 33.

Qui ſuper rem creditam vigilat, hoſtis inſidias declinat. Idem, ibid.

Qui in juventute ad vias vitæ non evigilat, ſaltem in ſenectute reſipiſcat. Idem, Homil. 13. in Evang.

Magna nobis opus eſt vigilantia, quoniam continuum nobis eſt bellum, & induciæ nullæ. Chryſoſt. Homil. 18 Geneſ.

Peccatum ea natura eſt, ut facile hominem obſideat, atque undique ſtet, nempe a fronte & a tergo, ut ſic nos dejiciat. Idem, Homil. in 1. ad Corinth.

Non enim, non inquam datur gratia niſi vigilanti. Idem, Homil. 1. in Act. Apoſt.

Si vis eſſe ſecurus, vigila, pone ſeram januæ tuæ, id eſt, legem divini timoris ori tuo, ut dicas cum Propheta: Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Idem, Homil. 51. in c. 24. Matth.

Nemo noſtrum obdormiſcat, nemo ſit ad excolendam virtutem ſegnis; hoc plane eſt, quod ſacra litteræ vocant ſomnum. Idem, in c. 1. Epiſt. 1. ad Theſſal.

Nunquid non ſcitis, quod quæ poſſidemus in tuto eſſe non poſſunt, nobis gravi ſopore depreſſis, ut quæ pervia ſunt, & expoſita inſidiantibus? Idem, ibid.

Si dormiamus, nihil nos magnopere juverit aliorum vigilantia. Idem, ibid.

Somnus animæ eſt oblivisci Deum ſuum, quæcumque anima oblita fuerit Deum ſuum, dormivit. Auguſt. in Pſal. 62.

Malus eſt ſomnus animæ. Idem, ibid.

Hoſtis vigilat, & dormis tu: Idem.

Dormientibus nobis, & pigre agentibus, dormire dicitur Deus, ſuis nos vigiliis & inſpectione indignos judicans. Baſilius, in Pſal. 29.

Vigilemus ſuper opera noſtra, ne vel omittamus quod præceptum eſt, vel quod prohibitum committamus. Bernard.

Vigilare & auſcultare, vereri omnia, & omnia obſervare timentis eſt: negligentia pigra dormitat. Idem.

Si tot tentationibus plena eſt vita noſtra, ut non immerito tota ipſa tentatio debeat appellari, pervigilii circumſpectione opus eſt & oratione, ne inducamur in eam. Idem, Serm. 5. in Pſal. Qui habitat, &c.

Sic te in omni facto & cogitatu debere tenere, quaſi hodie eſſes moriturus. Lib. 1. de Imitatione Chriſti, cap. 23.

Somno torpor negligentiæ deſignatur, ſicut ab eodem Paulo dicitur: hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Gregor. l. 5. Moral. c. 21.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu hoc in argumento poſſit depromi.

Quid ſit vigilantia, & ejus definitio.

Vigilantia generatim, quæ ex D. Thom idem eſt ac ſollicitudo, ad prudentiam refertur, & definiri poteſt, ſollicita, ac diligens cura rerum earum, quæ a nobis faciendæ ſunt, ſeu ad malum aliquod nobis impendens evitandum, ſeu ad aliquod bonum nobis, aliiſque procurandum. Ita chriſtiana vigilantia, quam ſolam iſtic conſideramus, eſt actualis attentio, necnon ſollicita, ac diligens applicatio ad evitanda ea omnia, quæ nos ad malum poſſunt impellere, & ad faciendum bonum, quod nobis æternam felicitatem poteſt procurare. Quanquam autem vigilantia proficiſcatur ex magna ſpiritus vi, & ex ardenti deſiderio obtinendi ea, quæ cupimus, attolli tamen poteſt, & fieri virtus chriſtiana, cum illi pro objecto tradunt peccati fuga, & ſupernaturalis boni perquiſitio.

Quibus vitiis oppoſita ſit per exceſſum, defectumque vigilantia.

Ut vigilantiæ naturam, & virtutis hujus acquirendæ neceſſitatem melius concipiamus, ſine qua non licet diu gratiam tueri, & chriſtiani hominis officia replere, animadvertendum eſt, vigilantiam altera ex parte oppoſitam eſſe ſomno animæ, videlicet negligentiæ, & ignaviæ, atque indirecte acidiæ, & nauſeæ, quæ ex virtutis exercitatione percipitur, & quæ in iis omnibus, quæ ad ſalutem, ac Dei ſervitutem referuntur, invenitur; ex altera vero parte hæc eadem vigilantia oppoſita eſt ſecuritati, quæ efficit, ut omnem de futuro ſollicitudinem abjiciamus, quaſi certi eſſemus omnia nobis e voto ceſſura, quin ulterius laboremus.

Ad hæc diligenter etiam cavendum eſt, ne ſub vigilantiæ ſpecie in iis, quæ a nobis obeunda ſunt, diligentia, & cura, quæ adhibentur, in tumultum, & inquietudinem degenerent, ita ut te ipſum nimia ſollicitudine torqueas: hoc enim plerumque accidit; & Salvatoris id ipſum in S. Martha redarguit, quamvis pro ſancta quadam actione eſſet ſollicita: *Martha Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima.* Luc. 10.

Dei filius nihil hominibus commendavit, quam vigilantiam.

Licet ad vigilantiam nobis perſuadendam non alia ſuppeteret ratio, non minima ratio eſt, Dei filium, qui eſt incarnata Sapientia, illam nobis etiam, atque etiam commendaſſe, ut in ea omnem collocaremus induſtriam, omnemque curam adhiberemus. Nam cum eatenus ad perſuadendum vis argumentis ineſt, quatenus intellectum evincunt, ac movent voluntatem, nihil aptius eſt ad animos noſtros evincendos, quam primæ illius rationis auctoritas, quæ aliarum quarumcumque norma eſt, & cui fidem habere tenemur etiam contra ſenſus particulares, quia nihil veri, aut falſi eſt, niſi quod judicio illius eſt verum, & falſum. Conſtat autem nullam rem eſſe, quam Salvator ſæpius, ac magis explicite commendaverit, vel in qua voluntatem ſuam modis pluribus expreſſerit, exemplis, parabolis, integriſque ſermonibus, quam hanc, quæ maximæ eſt neceſſitatis.

Cum ſapientia, & prudentia non aliud ſit, quam naturalis, vel ſupernaturalis induſtria, quæ efficit, ut tutiores, faciliores, brevioreſque eligamus vias, ut quam citius finem optatum perveniamus, quidquid

de

de aliis virtutibus dici queat, liquet, vigilantiam expeditiſſimam; tutiſſimamque eſſe viam, quæ ad noſtrum finem, atque perfectionem educat; hæc enim ad praxin cæteras virtutes adducit, hæc a vitiis, quæ illis oppoſita ſunt, nos tuetur, hæc facit, ut perſeveremus in bono, atque parati ſimus, ut in ſingula momenta ex hac vita migremus, quaſi quælibet hora vitæ noſtræ eſſet extrema.

Vigilantia neceſſaria eſt, ne bene agendi amittatur occaſio.

Non ſatis eſt habitus habere bonos, neque generoſa inire bene agendi conſilia, ad effectus uſque procedendum eſt in occaſionibus, quæ divina diſponente providentia ſeſe nobis offerunt quotidie. Vigilantia efficit, ut harum occaſionum curam habeamus, ne illas e manibus nobis elabi ſinamus, & ne ullam permittamus abire, in qua propria actionis virtus ſe non exerceat ſecundum lumen, & gratiam, quam habemus, & quæ nos ad illam impellit. Præterquamquod ſatis non eſt aliquos virtutis actus producere; ad hæc oppoſita illis vitia vitanda ſunt. Vigilantiæ autem intereſt rerum omnium rationem habere, ac præſertim dominanti vitio; quod, quidquid in nobis bonum eſt, corrumpit; ac deſtruit, & quod ut plurimum reliquorum peccatorum, quæ a nobis patrantur, origo eſt, occurrere.

Quid ſit vigilantia, quæ facit, ut in bono perſeveremus.

Virtutem exercendo, atque bonum agendo nihil acquirimus, niſi conſtanter, & in finem uſque fiat, & niſi extrema diei hora æque fervens fuerit, ac prima. Hunc autem fervorem parit vigilantia; hæc enim non patitur unquam ſe opprimi ab hoſte, & nos officiis noſtris tali fervore, atque conſtantia applicat, ut ſi actio mutetur, non mutetur virtus, niſi ut virtus alia exerceatur. Ita quacumque hora, & quacumque in actione mors ingruat, vigilantia prohibet, ne ab illa opprimamur, quandoquidem efficit, ut ſemper parati ſimus.

Vigilantia in omnibus actionibus noſtris fons eſt meritorum.

Nihil efficit, ut majorem meritorum copiam acquiramus, quam in omnes internos motus, omneſque externas actiones vigilantia; & ratio eſt, quia amovet, quidquid efficere conſuevit pleraſque actiones noſtras ad cœli acquiſitionem inutiles; videlicet negligentiam, & incuriam, quæ ſemper comitatur ea, quæ per conſuetudinem, vel ex habitu fiunt; ſaltem agendo per imprudentiam plurimum amittimus meritorum in bono, quod operamus, ac plurimum mali committimus, quod non committeremus, ſi majori diligentia uteremur. Quamobrem nulla res efficit, ut majores in virtute, ac perfectione, ad quam omnes Chriſtiani debent contendere, progreſſus faciamus, quam actualis hæc vigilantia, quæ efficit, ut oculos ſemper & ſupra nos, & ſupra inimicos noſtros habeamus apertos. Super nos quidem, ne nihil non perfectum agamus, ſuper inimicos vero, ne illos id facere ſinamus, quod ipſis faciendum non eſt.

Cuinam vel ſuo tenetur vigilandi obligatione.

Si ſervus vigilans eſſe debet, ut domino ſerviat, pater familias non minus vigilare tenetur, ut domui, domeſticiſque ſuis conſulat. Itaque dicere poſſumus, ſi vigilantia nobis eſt neceſſaria quatenus Dei ſervis, alioquin enim fieri nequit, ut omnibus officiis noſtris rite perfungamur, non minus neceſſaria eſt quatenus dominis, ac patribus familias, quibus non deſunt domeſtici gubernandi: ſi enim aliquo es in magiſtratu, vel alio quolibet in munere, dubio locus non eſt, quominus illis invigilare tenearis, qui tuo ſubſunt imperio. Verum ſcias, licet Publicam non geras perſonam, nequaquam hoc munere carere: tibi enim eſſe debet cura regendi ſenſus tuos exteriores, motus, voluntatis tuæ affectiones, cogitationes mentis, & horas temporis tui. Hæc eſt familia tua, hi ſervi tui, quos non minori cura regere teneris, quam pater familias filii, domeſticiſque ſuis invigilare tenetur.

Præſertim nobis vigilandum eſt ad hos noſtræ voluntatis.

Ex omnibus cum animæ, tum corporis noſtri facultatibus nulla eſt, quæ tutius cor noſtrum cuſtodire valeat, quam voluntas: ea quippe ſola reſiſtentia ſua, ſimpliciquc inficiatione prohibere poteſt, ne quid ſibi labem offundat, licet etiam omnes aditus ſuperati eſſent, atque perfracti: nempe ſi oculi per incuriam reliquiſſent objectum aliquod periculoſum ingredi, vel ſi imaginatio inhoneſtis ſpeciebus, vel menstrurpibus cogitationibus, vel memoria importuna aliqua recordatione repleri ſineret, dummodo voluntas modicos conſenſum negare perſeveret, cor labe nulla inficiatur. Una hæc omnia ſuffocare poteſt monſtra, hoc uno uſa verbo, nolo. Illi nulla vis poteſt afferri, quia libera eſt, opprimi nequit, quia facem illi præfert intellectus. Verum ſi quando pravum aliquod permittit deſiderium, & noxiam aliquam cogitationem, tunc arcis deditio facta eſt, tunc ulterius defendi non poteſt.

Sapientiam, & Prudentiam habere eſt habere vigilantiam.

Vera ſapientia nonniſi in vigilantia eſt, quia vera ſapientia ſita eſt in mediis, per quæ ad finem pervenitur; quorum optimum vigilantia eſt. Ita in omnibus actionibus, ſi prudenter operari, & ſapientes haberi volumus, adhibenda hæc eſt vigilantia, quæ nil agit, niſi propter extremum finem, & quæ res omnes in aliquo pretio habendas cenſet, quatenus ad extremum ſinem hunc referuntur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Hominum ſopor extremus eſt, quamvis nihil Salvator impenſius præcipiat quam vigilantiam.

EXiſtimandum ſane eſt, chriſtianam vigilantiam maximi momenti eſſe in vita chriſtiana, quandoquidem in evangelio nil frequentius iteratum occurrit, neque aliquid eſt, ad quod Dei filius nos diligentius fuerit adhortatus. Sed heu! Negligentia, ac plurimorum fidelium in bonorum operum exercitatione, & in praxi virtutum, quæ maxime ſingulorum ſtatum decent, ignavia; profundus ſopor, in quo ſunt, erga ea, quæ ſalutem ipſorum reſpiciunt; ſexcentorum inutilium, vanorumque negotiorum, quibus jugiter exerciti ſunt, impedimentum magnum eſt huic vigilantiæ chriſtiano vero adeo neceſſariæ, & ad quam etiam atque etiam nos Salvator hortatur, obſtaculum. Vox, quæ & aures, & corda noſtra tundere deberet, non poteſt tot ignavos fideles excitare ex lethargico ſomno, in quo ſunt alte demerſi, & ex quo nunquam excitabuntur, niſi cum non erit ultra tempus eidem medicinam adhibendi. *Liber, cui titulus: Modus ſeſe præparandi ad mortem P. Nepveu.*

Mortis hora incerta nos vigilare cogit.

Ex veritatis ejuſdem teſtimonio verum eſt neſcire nos qua hora, mors ventura ſit, neque minus certum, ac evidens eſt illam tunc venturam, cum nos nec opinantes deprehendet, ac eam certiſſime nos ex improviſo oppreſſuram; quia altera hæc veritas æque Jeſu Chriſti verbis innititur. Et profecto nulla veritas eſt ſæpius in evangelio repetita, apertius indigitata, atque fortius probata, ita ut eam quodammodo fidei articulum appellare poſſimus. Sed concluſio, quæ ex hac veritate deſumitur, illa eſt, quam Salvator idem infert: Vigilate igitur, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Aſſerit ille ſe venturum velut furem, qui in eo omnem collocat induſtriam, ut eos fallat, quibus furari vult, & qui plena luce ad furandum non accedit, quo tempore vigilare omnes arbitratur, ſed nocte concubia, cum ſibi perſuadet eos altiori ſomno eſſe demerſos. *Idem.*

Chriſtiana vigilantia contra cordis artes eſt neceſſaria.

Vigilandum eſt, ut noſmet tueamur adverſus noſtri cordis artes, quod cum deceptum ſit, nos quoque conatur decipere. Hinc naturalem timiditatem verum Dei timorem putamus; horrorem eorum, quæ peccatum ſubſequuntur, pro peccati ejuſdem horrore accipimus; conſenſum gratiæ pro conſenſu ad gratiam; velleitates pro voluntatibus; converſionis deſideria pro vera converſione deſumimus ...... Quis nos tueri poteſt adverſus tot artes affectionis illius, quæ tanta verſutia nos fallere fatagit, niſi perennis in omnes cordis noſtri motus vigilantia? Verum ſi cor, quin rationis noſtræ vigilantiam adjuverit, cum cupiditate noſtra ſecreta foveat conſilia, ut nos prodat, quid ab eo nobis eſt expectandum? Tu ergo Deus, & ſuper nos, & pro nobis vigila. *Idem in chriſtianis conſiderationibus.*

Vigilandum eſt, ut ab inviſibilium æque, ac viſibi-

Viſibiles, ac inviſibiles inimici non jugiter vigilare coguat.

lium inimicorum noſmet tueamur incurſu. Quinam hoſtes a nobis ſuperandi non ſunt? quas illi nobis non ſtruunt inſidias? Caro, domeſticus hic inimicus eo magis timendus, quo minus illum timemus, & quo magis illum diligimus, eique blandimur; quas illi nobis quotidie plagas inferunt, niſi nobiſmet ſollicite invigilemus? Caro hæc cum inimicis noſtris conſentiens illis aditum præbet in cor noſtrum per oſtia ſenſuum, niſi perpetua vigilantia hoc illi prohibeamus. Mundus, qui nos ſuis voluptatibus faſcinat, qui placitis ſuis ſeducit, qui promiſſionibus ſuis os nobis ſublinit, & per viam floribus ſtratam in præceps adducit. Denique dæmon potens ille inimicus, vigilans, crudelis, callidus, qui nobis ſexcentos tendit laqueos. Nunquid nos minus decet ſaluti noſtræ, quam ille noſtræ damnationi vigilare? Undenam fit, ut in tranquillitate, vel potius miſerabili ſtupiditate verſemur, cum de noſtra agitur ſalute, donec dæmon jugi ſe ipſum exercet motu, cum de noſtra agitur damnatione? *Idem*.

De diligentia, & vigilantia in officiis noſtris obeundis.

Eſtote duabus ſimul rebus vigilantes, & creaturis, quæ ſenſus noſtros extrinſecus efficiunt, & Deo, qui intrinſecus in corde veſtro loquitur, & operatur. Putate vos illis ſimiles, quibus explicatur liber eo in ſermone conſcriptus, quem ignorant. Legunt librum hunc, illius vident characteres, audiunt verborum ſonum, ubi proferuntur, ſed ut intelligant, quid per illa verba ſignificetur, magiſtri vocem bibulis auribus capiunt. Mundus totus ingens volumen eſt, quid, quid ibi invenitur, quidquid accidit, ſunt characteres; ſed ut intelligamus, quid hæc omnia ſignificent, audiendus nobis eſt interior magiſter, audienda eſt vox Dei explicantis, eique animus attentus præbendus eſt. Amici illius proditione vos docebit in hominum neceſſitudine confidendum non eſſe, ſubita hac morte docebit, vos ſemper paratos eſſe oportere; hoc infortunio, & hac jactura docebit Deum vobis iratum eſſe, vobiſque ſedulam operam eſſe navandam, ut illum vera converſione leniatis. *Sermo manuſcriptus*.

Nemo timet, ut modici habeatur ingenii, cum magna oſtendenda eſt pro reculis ſuis ſollicitudo, & non communis zelus pro terrenis negotiis. Quænam in rei domeſticæ cura œconomia ad minutiſſima quævis deſcendens! & hæc ſapientia vocatur. Quæ ſedulitas in omnibus mundi negotiis, omnibuſque urbanæ vitæ officiis obeundis! Minima etiam officia ſervare, hæc vitæ hujus ſcientia appellatur. Denique jugiter eſſe intentum, ut ex rebus omnibus fructus percipiatur; nullam ſibi elabi ſinere occaſionem opum honorumque conquirendorum; hoc hodie ingenio pollere, cordatum, ſcitumque hominem eſſe dicitur. Et quoties dictum fuit, omnia ſæpe omiſſa fuiſſe, eo quod in aliquibus circumſtantiis defeceris! Verum enim vero ſalutis negotio ſerione advertitur animus, curſmuſne ex leviſſimis etiam Deo placendi, & in virtute creſcendi occaſionibus proficere? itane ſeduli ſumus in minimis religionis officiis obeundis? Si in modicis fidelis es, hoc vocatur ſcrupulus, ingenii tenuitas, ineptia. Conſtat quidem, & facile intelligitur, bonum ingenium nugis ſeſe occupare non poſſe; ſed quid exactam probitatem, atque in omnibus muneribus ſuis adimplendis ſedulam, ſollicitamque minima etiam crimina evitandi curam, putat tenuis ingenii notam eſſe, næ ille quidem, qui adeo iniquam fovet cogitationem, exiguæ, & nullius mentis eſſe dicendus eſt. Ullane unquam vera fuit ſapientia præter illam, quæ efficit, ut ſecundum religionis principia vivamus, quorum potiſſimum eſt, in omnibus ſtatus ſui muneribus eſſe vigilantem. Væ illi, qui hoc munere oſcitanter perfungitur? *P. Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus*.

Attentos eſſe nos decet gratiis, quas Deus nobis impertit, ne eas nobis elabi ſinamus.

Quoniam ignoramus momentum illud, quo gratia ventura eſt, momentis omnibus vigilandum eſt, ne nobis elabatur occaſio. Tertullianus inquit; *Rape occaſionem inopinatæ felicitatis*. Quid prodeſt famulo totum primæ horæ ſpatium vigilare, ſi Dominus hora ſecunda venerit? Quid vigilare ſecunda, ſi tertia venturus eſt? Semper paratus eſſe debet ad illum recipiendum: ob cujus vigilantiæ defectum Judæi caruere felicitate cognoſcendi Deum hominem factum, quamvis inter eos natus eſſet, cumque oculis ſuis præſentem haberent: *In propria venit, & ſui eum non receperunt*. Joan. 1. E contra attentio, qua Magi reges animum adverterunt ad apparitionem ſtellæ Meſſiæ nativitatem annunciantis, vigilantia, qua niſi ſunt illum inviſentes, & ſciſcitantes locum, ubi erat, & diligentia, qua ſecuti ſunt novum ſydus, quod illis oſtendebat viam, fuit felicitatis eorum principium.

Vigilantia eſt neceſſaria Chriſtiano inter pericula mundo interentis.

Vigilare debemus ſuper ea omnia, quibus ſepti ſumus, ſuper laqueos, inter quos incedimus, ſuper occaſiones, quæ nos in peccatum impellere poſſunt, ſuper externos hoſtes, quorum nequitia nos corrumpere quærit. Ne puteris, me iſtic per hypothipoſin exhibere velle mundi imaginem; vos ipſi melius illius noſtis improbitatem, vos ipſi crebro de illo conquerimini, ac invidere videmini felicitati eorum, qui reliquerunt illum. Mementote ſolum vos in hoc mundo vivere, rabidum illius aerem vos reſpirare, voſmet ſæpe illius moribus ſubjicere, ejus probra, cenſuraſque vos reformidare, & ſeu propter bene agendi pudorem, ſeu propter quamdam ſpeciem neceſſitatis male agendi, vos ſingulis momentis in hac miſera verſari, aut vincendi, aut moriendi viciſſitudine. Modo perniciosa illius placita animum veſtrum corrumpunt, modo exemplorum ejus contagio cor veſtrum veneno inficit. Hic improbæ detractiones nitidiſſimis virtutibus nebulam offundunt, illic turpes adulationes nequiſſima quælibet probant flagitia: hoc in loco pompæ, & ſpectacula vos decipiunt, alibi vero periculoſæ amicitiæ vos palpant, ac fallunt. Quid inde? Indeſinenter vobis eſt vigilandum, atque adverſus omnia pericula, & occaſiones vobis præcavendum, *Ex dictionario morali, ſermone 2. dum Jubilæo finis imponeretur*.

Cum Dei filius in evangelio nos erudit de methodo a nobis ſervanda, ut ſine periculo pugnemus, & ut certam de ſalutis noſtræ inimicis victoriam referamus, omnia præcepta ad duo redigit officia eſſentialia, in quibus cætera continentur: *Vigilate & orate*. Quorſum iſtud? Nempe quia duo hæc officia omnem complectuntur œconomiam gratiæ, & liberi arbitrii, quæ ſimul concurrere debent, ut victores evadamus ex omnibus præliis, quibus noſtri nos laceſſunt inimici. Oratio nobis de cœlo meretur opem, quæ ad præliandum indigemus, & vigilantia nos in ſtatum adducit eam fructu hujuſmodi ope utendi; ſed ex quo alterutri ex hujuſmodi officiis deſumus, neceſſe eſt alterum inutile eſſe, & affectu carere .... Orare, quin vigiles, hoc ſane eſt de gratia præſumere, ac tibimet promittere ſpem chimericam vincendi, quin hoſtem propulſes; vigilare, quin ores, næ id eſt in propriis confidere viribus, ac temere ſeſe objicere periculo pereundi: orare, quin vigiles, eſt confidere in ope illa, quam vel non obtinebimus, vel quam ipſi inutilem efficiemus; vigilare, quin ores, eſt confidere in auxilio, quod nimis infirmum eſt, quam ut nos ſuſtineat, atque eſt nimis exigere ex ea natura, quæ æque corrupta eſt, ac noſtra. *P. Cheminais ſermone de vigilantia chriſtiana*.

Lapſus S. Petri ob vigilantiæ defectum.

Oratio fit inutilis, cum illam chriſtiana vigilantia non tegit, quæ nos docet occaſiones effugere. Hoc in S. Petri lapſu palam innotuit. Nunquam viſus eſt homo melius diſpoſitus ad magiſtri ſui gloriam tuendam. Ter fuerat profeſſus ſe Deo ſuo fideliter adhæſurum; immo neque illi defuit oratio, & quænam oratio, Auditores? Oratio hominis Dei, qui tot operabatur miracula, quot preces fundebat: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Luc. 2. His poſitis, quid illi erat trepidandum, & quam tutiorem habere poterat ſpem fore, ut nunquam a Jeſu Chriſto divelleretur? Attamen S. Petrus ſeſe primo objicit moto, ſuam non conſulit infirmitatem, non perpendit, utrum Domini ſpiritus ipſum eo ferat, quo pergit; verbo, deeſt illi ſapiens ea vigilantia, quæ prohibuiſſet, ne quid in diſcrimen adduceret,

ceret,

ceret, & licet Divini Hominis oratione ſuffultus, nihilominus in miram eam cecidit infirmitatem, quæ æterno eſſe debet documento imprudentibus fidelibus, qui ſine ullo diſcrimine precibus ſuis utuntur, & objiciunt gratiam iis prœliis, in quibus Deus eam nobis ſervare nequaquam tenetur. *Idem*.

Nobis jugiter invigilandum eſt ſuper initium, progreſſum, & finem actionum omnium, ut videamus, utrum in illis Dei gloriam mere, & conſtanter quæramus. Utrum illis immiſceatur quidquam propriæ utilitatis, ac philautiæ, aliquis motus affectionis ſub præclara ſpecie latentis, aliqua mollities, vel immortificatio, ſecretæ affectiunculæ, propriæ exiſtimationis vota, ſenſus jactantiæ, humani reſpectus, aliæque id genus intentiones, quæ optimas quaslibet intentiones corrumpunt. Verebar omnia opera mea, S. Job inquit, ne quid illis ſe ſe immiſceret, quo coram Deo fierent nocentia. In hac autem praxi nihil unquam remittendum eſt, ne hoſtis, qui ſemper eſt in inſidiis, tempus arripiat, ut nos fallat, cum nobiſmet nequaquam erimus attenti. *P. du Saul tomo 2. operum aſceticorum*.

Vis, & improbitas dæmonis inimici noſtri efficere debet, ut nobiſmet invigilemus. Quamvis etiam nihil nobis eſſet ab infirmitate noſtra metuendum, ſatis tamen trepidandum eſſet conſiderantibus vim, & nequitiam noſtri inimici ſæpe receſſum, fugamque ſimulantis, ut mox violentius irruat, atque in non opinantes irrumpat. Hic enim callidus, veteratuſque ſpiritus, qui maximum robur ſuum in dolo conſtituit, paſſim hoc bellico utitur ſtratagemate, ut voluntatis noſtræ, quam vi facta non ita facile expugnaret, conſenſum demulceat; & ſi ipſi ita prudentes eſſemus, ut ille verſutus eſt, nunquam diligentius nobiſmet invigilandum eſſe cenſeremus, quam cum nos quieſcere patitur; ſciremus enim, quemadmodum ille interim artem excogitat nos fallendi, nobis ſedulo invigilandum eſſe, ne nos ex improviſo adortus decipiat: & quemadmodum ille noſtra explorat ſtudia, ut ea ex parte, quam infirmiorem judicaverit, nos adoriatur; ita opus eſſe, ut circumundique noſmet communiamus, ne quo illius incurſu vincamur. *P. Haineuve, tomo 4. de Ordine ſermone* 48.

Virtus in mundo tuta non eſt, niſi adſit vigilantia. Neque putes me hoc in loco affirmare velle, virtutem, ac innocentiam in mundo tutam non eſſe, niſi inter clauſtra confugiat; ſed illud contendo, ſi illa in ſæculo vivere debet, debere etiam illic caute, vigilanter, & circumſpecte vivere tanquam in hoſtico, ubi paſſim invenit laqueos, qui ſibi nectuntur, & inſidias, quæ ſibi ſtruuntur... Quamobrem ita explicite jubemur evitare occaſiones, quæ in ſcelus impellere poſſent, ac ipſum crimen; eo uſque ut peccatum ſit ſeſe objicere peccandi periculo, & omnes Doctores affirment jam peccaſſe eum, qui ita prope acceſſit ad culpam. Verum quinam evitari poſſunt occaſiones, quæ ſe ſe nobis omnibus in locis, ac temporibus offerunt, niſi jugis adhibeatur vigilantia? *Idem*.

Quantum Dei filius hanc nob. vigilantiam commendaverit. Dei filius ſatis teſtatus eſt, quam cordi eſſet hæc ſibi vigilantia; nihil enim eſt, quod ille ſæpius, atque impenſius commendaverit; cum enim in remotum quemdam locum cum Apoſtolis ſuis ſeceſſiſſet, egregium habuit apud illo hac de re ſermonem, ubi eadem in periodo toties hoc vigilandi vocabulum repetit, ut mirum aſſidebeat, eum, qui nulla inutilia proferebat verba, toties eodem uſum fuiſſe ad rem eamdem innuendam. Vigilate, ajebat illis, ſedulo vigilate, ſemper vobiſmet attenti eſtote, neceſſariis ob oratione, vobis perſuaſum ſit nunquam deeſſe vobis inimicos, qui ad veſtrum vigilent interitum, vel Dominum veſtrum ſidei veſtræ periculum facere velle. Neſcitis, quandonam ingruet; neſcitis, quando poſtrema hora veſtra adveniet, utrum concubia nocte, an mane, an veſpere. Qua propter vobis ſemper vigilandum eſt; hoc utique vobis commendo, Apoſtoli mei, ac in perſona veſtra toti mundo, Sibi quiſque vigilet. Nonne ſermo hic ſatis urget? Poterat illene, apertius hac in re ſuam nobis aperire voluntatem? Procul dubio hoc ille maxime neceſſarium putabat, quoniam aſſeritis, inde bonam, vel malam mortem pendere; nam ſicut qui vigilans erit, non niſi feliciter vitæ ſuæ finem poteſt imminere; ita qui non vigilaverit, infeliciſſimus eum manet finis. Utque altius animis noſtris tanti momenti veritas adhæreat, nequaquam ſatis putat adhibere verba, eaque iterare; addit etiam parabolas, exempla, multiplicesque ſimilitudines; ita ut nullum ſit argumentum, de quo fuſius diſſeruerit, & cui impenſius animum adjecerit. *Idem parte quarta meditationum, poſtrema poſt Pentecoſten Dominica*.

Vigilantia neceſſaria eſt ad ſtatus ſui munera obeunda. S. Paulus in epiſtola, quam ad Timotheum diſcipulum ſcribis, hæc habet verba; *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangeliſtæ, miniſterium tuum imple*. 1. ad Timoth. 4. Eſto vigilans, ac attentus iis omnibus, quæ ad tuum pertinent munus; verum conſidera, quodnam ſit officium, ac miniſterium tuum, evangeliſtæ videlicet, & præconis Dei verbum nuntiantis; huic rei tibi invigilandum, & adlaborandum eſt, ut perfecte tuum munus adimpleas, quod non niſi per vigilantiam poteſt impleri. O fideles hoc ipſum de alio quolibet munere, quodcumque tandem ſit, dicendum eſt. *Idem*.

Rationes, propter quas Dei filius taliter nobis vigilantiam commendaverit. Quamvis hæc una ſuppeteret ratio, quod Dominus tanta ſollicitudine vigilantiam nobis commendavit, ea tamen ſufficeret, ut de illius neceſſitate, nobis eſſet perſuaſum; ſed cum ille ipſe hoc non ſine magnis, validiſque rationibus fecerit, hæ mea quidem ſententia illæ ſunt, quibus actus præceptum hoc adeo explicite nobis irrogavit, totieſque iteravit. Prima eſt, gloriæ Patris ſui intereſſe, quem homines nunquam magis colunt, quam cum præſto ſunt, ut voluntatem illius ita celeriter faciant, ut in cœlo adimpletur. Hæc eadem vigilantia facit, ut omnibus mandatis illius exequendis parati ſimus; efficit enim, ut ſtatim ac nobis indicuntur, cognoſcantur, & ſimul ac cognoſcuntur, a nobis adimpleantur. Ratio altera, quæ illum impulit, ut tanto affectu nobis virtutem hanc commendaret, fuit noſtra particularis utilitas; in hoc enim ſitum eſt meritum noſtrum. Nihil enim efficit, ut actiones noſtras perfectius operemur, quam vigilantia, & actualis in illis agendis attentio; cum e contra negligentia, & incuria cauſa ſit imperfectionum, quæ nobis obrepunt, & efficiunt, ut omne meritum amittamus. Tertia denique ratio, quæ Dei filium impellere potuit, ut adeo enixe vigilantiam nobis commendaret, eſt, quia cum neque Dei gloriam, neque propriam felicitatem procurare poſſimus niſi particularibus gratiis, quæ unicuique ſecundum Dei conſilia tribuuntur, noſtrum eſt vigilare, ac noſmet præbere fideles his gratiis, quæ deſtinatæ, & oblatæ ſunt nobis, ut operemur cum illis. *Idem*.

Sanctorum Patrum ſententia eſt, vigilantiam nobis commendari, atque præſcribi per hæc evangelii Luc. 12. verba: *Sint lumbi veſtri præcincti*, æque ac per illa S. Pauli ad Epheſ. 6. *State ergo ſuccincti lumbos veſtros*. Quippe zona hæc: qua præcinguntur renes, tunicaque retinetur, ne diffluens ambulantibus impedimento ſit, innuit, nos ſemper eſſe debere paratos, quin detineri patiamur iis objectis, quæ ſe ſe offerunt nobis. Ita ſancti ſenſibus ſuis, oculis, labiis, primiſque cordis ſui motibus invigilabant, ut ſimulac effectum perturbari cognoſcerent, illum compeſcerent; quod non de ſola puritate intelligendum eſt, quæ magis peculiari ratione per lumbos præcinctos indigitatur, verum de reliquis etiam virtutibus, in quibus ita vigilantes erant, ut nihilo ſegnius ſuperbiæ, invidiæ, ultionis, vel alterius cujuſpiam vitii, quam impudicitiæ cogitationem ejicerent. Illi fideles erant, ac vigilantes ſervi; cur autem illos non imitabimur? Si peccatum perhorreſcimus, cur in illius cogitatione, reſpectu, primoque incurſu immoramur? Cur adeo parum vigilantes ſumus, ut oſtium aperiamus hoſti, qui, ubi ſemel ingreſſus fuerit, toti dominabitur arci? Quod ſi honeſtas vigilare nos jubet, ne aditum aperiamus vel leviſſimæ cogitationi, quæ ſit illi contraria, cur humilitas, & charitas nos negligentiores eſſe patientur? Cur non æque vigilantes erimus ad primas ſuperbiæ, invidiæque cogitationes celeriter

propulſandas; quandoquidem in viis Domini, uti opus eſt, non ambulamus, niſi iis rebus omnibus, quæ detinere nos poſſunt, invigilaverimus. *Idem*.

Vigilantia in viis Dei nos illuminat.

Servus fidelis & vigilans in evangelio deſcribitur accenſam deferens facem, ut paratus ſit ad eundem, utque videat, qua incedit, totius profectutus. Ita vigilantia nos illuminat, nobiſque prodeſt, ut bonum, quod faciendum eſt, cognoſcamus, etenim cum non omnes eaſdem habeant gratias, & occaſiones, ideoque nec eaſdem obligationes bonum operandi, vel eodem modo operandi; maxime intereſt, unumquemque ſcire quid, quomodo, & quare faciendum ſit. Vigilantia nobis faciem præfert, efficitque, ut inter hujus vitæ caliginem intelligamus, quid a nobis petat gratia in iis, quæ ſe ſe nobis offerunt, occaſionibus efficiens, ut ea operemur, quæ noſtrum decent ſtatum, munus, vocationem, quin aliis immoremur bonorum generibus, quæ præſtantiora, & prefectiora videntur, ſed quæ nobis talia non ſunt; non enim ſunt ſtatus noſtri propria. Oportet ergo vigilantes, atque attentos eſſe gratiis Dei, quæ in peculiaribus occaſionibus nos illuminant; alioquin prætereunt fortaſſe non reverſuræ, ita ut periculum ſit, ne in tenebris verſemur, eo quod in manu non habuimus accenſam hanc lampadem, quæ eſt hæc præcedens vigilantia iis, quæ facienda ſunt, occupata. *Idem*.

Quantum vigilantia in temporalibus, tantum in ſpiritualibus ſervandis deberemus impedire.

Conſiderate, quam vigilantes, ſollicitique in bonis, auro, argentoque ſervando ſint mortales, quot clavibus illa clauſa contineant, ne ſibi auferantur. Se noctu ſatis tutos eſſe non arbitrarentur, niſi domus, cubiculique ſui oſtium peſſulo, ſeraque clauſiſſent, & niſi ipſas etiam arcas multiplici clave obſignaſſent. Ad quid tot præcautiones? Quia non publicos tantum fures, privatoſque metuunt inimicos, ſed de ipſis etiam domeſticis timent, & familiariſſimus quiſque apud eos ſuſpicione non vacat. Immo totam etiam vigilant noctem, ſi qua metuendi cauſa fuerit, ne quis theſaurum, quem adeo ſollicite cuſtodiunt, eripere velit. Verbo, nulli parcunt labori, ac induſtriæ, ut illum tueantur; & poſt hæc nobis grave erit, paululum curæ, & vigilantiæ impendere ad theſaurum, cujus longe majus pretium eſt, aſſervandum, animam videlicet, & gratiam, quæ illam in oculis Dei acceptam reddit, virtuteſque chriſtianas, & ſupernaturales, quæ ſunt ejus divitiæ? Periculum ſemper eſt, ne hic nobis auferatur theſaurus; nos vero illum deſeremus cupiditati inimicorum explorantium tempus, quo ſomno indulgemus, ut momento nobis eripiant, quod cum labore plurimorum annorum ſpatio collegimus? Nonne contumeliam ſpiritualibus bonis inferimus illa comparantes cum temporalibus, ut ad illorum cuſtodiam, curamque excitemur? Sed nonne major adhuc erit injuria, ſi cura, quam ſpiritualium bonorum gerimus, non fuerit cum temporalium cura comparanda? Nonne quoddam eſt veluti duplex peccatum de perituris bonis eſſe adeo ſollicitum; ea vero, quæ æterna ſunt, & infiniti pretii, negligere? Nonne præſtaret ſuperfluam, inutilemque abrumpere curam eorum bonorum, quæ adeo exigui momenti ſunt, ac vigilantiores, & diligentiores eſſe in iis, quæ ſatis æſtimari non poſſunt, & quæ ideo ſatis diligenti ſollicitudine nequeunt aſſervari? Proh Deus! libera nos ab inquietis hujuſmodi curis, & impenſis ſollicitudinibus, quibus mundi hæc bona mentem, & corpus noſtrum occupantia conſectamur; vel ſaltem ſi eorum nobis poſſeſſionem relinquis, inde hanc inferamus cogitationem, propter quam ſaltem æque vigilantes ſimus in cœli bonis, opibuſque ſervandis, ac mundi ſectatores ſunt in terrenis cuſtodiendis, & amplificandis. *Idem*.

Periculum, quo ſubjacemus, noſtram debet excitare vigilantiam.

Quanquam conſideratio pretii illius, in quo a nobis anima noſtra, & hæc ſpiritualia, æternaque bona ſunt habenda præ fluxis, atque terrenis, par eſſet perſuadendo, a nobis majorem curam, & vigilantiam adhibendam eſſe iis in rebus, quæ pluris a nobis fiunt; tamen quia timor bonorum amittendorum præſertim noſtras excitat curas ad illa tuenda, conſideremus, atque perpendamus, utrum nobis adſint ratio metuendi magis ſalutis noſtræ inimicos, atque clades ſpirituales, quam fures, qui peritura nobis eripere poſſunt bona, & alia pericula, quibus expoſita ſunt. Atque ut æquius judicium feratis, animadvertite, uti in libro Job ſcriptum eſt, Chaldæos in triplicem ſe ſe diviſiſſe manum, ut irruerent in ſervos Job hujus pecora agentes; ita nos triplex habere inimicorum genus, qui in noſtram conſenſerunt excidium, & qui vires ſuas conjunxere, ut animæ noſtræ opes auferrent. Hi autem tres inimici ſunt propria concupiſcentia, mundus cum pompis ſuis, & omnibus, quas ad nos fallendum habet, illecebris, ac denique diabolus, qui nobiſmet ipſis contra nos utitur, omniaque externa adhibet objecta, ut nos laceſſat. Judicate ergo, quoniam in periculo verſemur, & quantum nobis opus ſit vigilantia, & præcautione, ut noſmet defendamus, atque tueamur. *Idem*.

Nonne mirum eſt, in iis etiam conditionibus, quæ præ cæteris maxime nitent, videre homines, qui gloriæ ſibi vertunt ſuam oſtentare prudentiam alia qualibet in re, præterquam ubi maxime intereſt ſapientes eſſe, atque vigilantes? homines, qui cœnæ, ſomnoque tempus ſubtrahunt, ut cum honore ſuis muneribus perfungantur; & languent, ubi ſalutis negotio ipſis vacandum eſt: homines, qui ſemper habent oculos intentos, ne a domeſticis ſuis decipiantur, & qui nunquam invigilant ſibi, ne morte opprimantur, homines denique, quorum ſumma ſedulitas eſt, ac diligentia, ubi de lucello quoppiam agitur, ſumma vero negligentia in eo, quod rebus omnibus eſt preferendum? *Ex Dictionario morali*.

Superior illis invigilare debet, quos illi regendo tradidit Deus.

Teneat ſuperior, ornus eſt, ex omnibus officiis ſuis nullum ſibi antiquius eſſe debere, quam invigilare illis, quos ipſius curæ, ac regimini credidit Deus, nec non inter paſtoris virtutes principem obtinere locum vigilantiam; ita ut fructus laborum omnium, quos pro gregis ſui conſervatione, atque incremento ſuſtinet, pendeat a cura, qua animum advertit, ut illi, quidquid utile eſſe poteſt, procuret, & quidquid nocere poteſt, avertat. Agricola, qui ſatum, excultumque deſerit agrum, neque prohibere curat, ne volucres ſemen terræ creditum auferant, vel ne ſpinæ, malaque gramina in uberioribus agris paſſim orientia illud ſuffocent, ſperatam meſſem nullatenus referet; ita ſi ſuperiori ſatis fuerit ſubditis ſuis præcepta, ac monita tradere, quamvis etiam voci exemplum accedere, muneri ſuo non ſatisfacit, niſi prohibeat, ne divinum hoc ſemen pravis ſathanæ impreſſionibus, a quibus ſanctiſſimæ etiam animæ non ſunt immunes, diſſipetur. Opus eſt ergo, ut illius ſecutus exemplum, qui, ut Propheta inquit, nunquam oculos claudit, ut ſuis electis invigilet, ſuos etiam ſemper apertos habeat ſuper fratres ſuos: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael*. Pſalm. 120. Illos vigilantia ſua ſuſtineat, oportet: omnibus adſit neceſſitatibus eorum, illiſque manum tendat pro varietate ſtatuum, ac diſpoſitionum, in quibus ſunt, ut in illius miniſterio omnem, quam præſtolari debent, utilitatem inveniant, & ipſe cum Apoſtolo ſuo dicere poſſit: *Omnibus omnia factum ſum*. 1. ad Cor. 9. Abbas Trappenſis tomo 1. officiorum vitæ monaſticæ quæſt. 10.

Nihil dignius notatu eſt, quam præceptum, quod Dei ſpiritus omnibus in Tridentino tradit concilio. Sacroſancta hæc ſynodus poſtquam illis juxta Apoſtoli Act. 20. monitum commendavit: *Attendite vobis, & univerſo gregi*, ut videlicet ſine ulla intermiſſione vigilent, ac laborent munere ſuo perfuncturi, declarat illis putandum non eſſe, quod huic muneri ſatisfecerint, ſi negligant curam ovium ſibi creditarum, quarum ſanguinem ſupremus Judex de manibus ipſorum eſt repeturus. *Quorum ſanguis de eorum manibus a ſupremo Judice inquirendus*: cum certiſſimum ſit paſtorem nunquam auditum iri, neque legitimam habiturum excuſationem, ſi lupus illius oves devoraverit, quin illi hoc ſciat: *Cum certiſſimum ſit non admitti Paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & Paſtor*

ne-

neſtit. Sed quænam ipſorum eſſe debeat vigilantia, non aliunde melius diſci poteſt, quam ea vigilantia J. C., & aſſiduitate, qua elaboraverit, ut eos, quos a Patre ſibi traditos acceperat, formaret, atque tueretur. Vixit inter illos; omnes eorum ſuſtinens infirmitates, omnemque fragilitatem miſeratus. Illos de vitiis eorum redarguit, palam, ac ſeorſim illos erudiit; neque celavit eas veritates, quæ ipſis utiles eſſe poterant, quemadmodum ipſe teſtatur: *Omnia quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis*. Joan. 15. Nunquam ab illis avertit oculos, niſi cum in ſolitudinem, & deſertum pro ipſorum, totiuſque mundi ſalute oraturus conceſſit. *Idem*.

Nullum ipſorum, & infirmitatis noſtræ diffidentia nos vigilantes eſſe jubet.

Quantumvis juſti ſitis, vel eſſe poſſitis, diſcite chriſtianæ vigilantiæ neceſſitatem, quæ vobis eſt; infirmitatem veſtram veremini, vigilate ſemper contra inimicum nunquam dormitantem, ſed qui *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*. 1. Petri 5. Ille ad id nullis laboribus parcet, & licet divina opem ferente gratia vos illo fortiores fueritis, non ideo tamen vos in tuto eſſe putate: *Ipſe enim Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis*. 2. ad Cor. 11. ut veſtræ plaudat victoriæ: & noviſſimum hoc prælium æque vobis erit metuendum, ac primum. Semper de hoſte diffidite, qui aliquam ſemper in vobis ſervat conſenſionem, & qui, ut vos perdat, cum ſecretiſſimis affectionibus veſtris conjurat. *Abbas de Monmorel Homil. in Evangelium 22. Dominica poſt Pentecoſtes*.

Conſtat ſine vigilantia & aſſiduitate nil perfectum fieri, & acquiri poſſe. Ita in omnibus ſcientiis, & facultatibus deprehendimus ad perfectam earum cognitionem adipiſcendam conſtanti opus eſſe attentione, aſſiduaque vigilantia. Qui mechanicam diſcunt artem, huic a ſummo mane ad veſperam vacant; cum alicui ſcientiæ ſtudemus, illi ſerio advertimus animum, alioquin nullum inde fructum percepturi, cum exoticum addiſcere cupimus ſermonem, conſtanti attentione eidem inſudamus, & ſi ſtudium intermittimus, nunquam illum callere poſſumus. Hæc autem vigilantia, & conſtans applicatio magis adhuc neceſſaria eſt, ut in Dei cultu, atque perfectionis ſtudio id, quod quærimus, evincamus, ſeu propter laborem, & crucem, quam ibi noſtra patitur natura, ſeu propter naturæ proclivitatem, quæ ſemper in imperfectionem, & relaxationem fertur, ſeu denique propter impedimenta, quæ oriuntur ex objectis exterioribus, quibus undique ſepti ſumus; & nos docet experientia propter hujus vigilantiæ, atque attentionis defectum alios quidem in vitia ſua labi, alios vero in virtute nequaquam proficere. *In Epiſtolis P. Surin tomo* 1.

Secularium pro terrenis bonis vigilantia

Videte quæſo, quænam ſit pro terrenis bonis ſecularium vigilantia; ne momentum quidem amittunt, omnes lucrandi occaſiones quærunt, eaſque cupide conſectantur. In nobis poſitum eſt indeſinentes vacare magno operi, quale eſt, æternæ felicitatis. Undenam ſit, quod alii ad id ne animum quidem advertunt, alii vero adeo oſcitanter, & negligenter attendunt, ut non niſi minimam temporis ſui particulam eidem impendant? Inde profecto eſt, quod jacturæ, quam faciunt, magnitudinem minime ſentiunt; aliiquidem per ſummam incuriam, alii vero per modicam vigilantiam, quam adhibent, ut iis utantur occaſionibus, quas habent, infinitas opes comparandi. *Idem*.

Qua in re vigilantia conſiſtat.

Vigilantia hæc ſita eſt in eo, quod noſmet colligamus, actionibus noſtris invigilemus, ad examen revocemus cauſas, propter quas agimus; ſcrutemur affectiones, quibus trahimur, & inordinatos cordis noſtri motus; qui ubi ſæpe fuerint explorati, per effectus ad cauſæ cognitionem procedamus, hoc eſt habitualis ejus vitii, quod illos producit: eorum remedium quæramus, in occaſionibus nobiſmet ipſis invigilemus; tentationibus fortiter reſiſtamus; cum vincimur, ploremus, ac noſtram ignaviam puniamus; in prælio perſeveremus, quin fatigemur, & hæc omnia in interiorem occupationem noſtram convertamus. Hanc chriſtianam vigilantiam appello. *Idem*.

Vigilantia in verbis habenda.

Non extremum chriſtianæ vigilantiæ officium eſt ſumma cura linguam tueri, & magnam in verbis habere circumſpectionem. Per ſenſuum uſum in nobis recipimus, quod extra nos eſt; per ſermonem, quod intus eſt, extra producimus. Non igitur opus tantum eſt nobiſmet ipſis invigilare, ne quid inutile in nos ingredi patiamur, verum etiam, ne quid incompoſitum extra prodire ſinamus. Si enim anima noſtra nimiis ſermonibus diffluit, vix credibile eſt, quantum ſe diſtrahat, atque infirmet pro interioribus; functionibus; quod inde oritur, quia multum loquendo in imaginatione ſua plures imagines excitat, quæ antea ſopitæ erant, & quæ excitantur ea vi, quam ſpiritus exerit loqui, & aliis ſe ſe volens communicare. Hinc ſequitur, ad habendam imaginationem tranquillam, mentemque ſerenam & ad Dei lumen recipiendum diſpoſitam, extrema opus eſſe hac in re vigilantia, ſingula ponderando verba, ac linguæ noſtræ imperium obtinendo, ita ut nequaquam imitemur illum ex amicis Job, qui ita loquendi prurigine ſe interius agi ſentiebat, ut niſi, loqui licuiſſet, crudelem mortem paſſurus fuiſſe videretur. *Idem*.

Vellemuſne pro Deo minus facere, quam mundi ſectatores pro terrena quapiam utilitate? Videte, quid mercator agat, ut negotia ſua ſibi fluant e ſententia, quid agat artifex, ut in arte ſua præſtet. Quæ cura; quæ vigilantia in omnibus rebus obeundis! Hoc ipſum in obeundis muneribus noſtris præſtemus, & eam aſſequemur perfectionem, ad quam vocati ſumus; verum niſi vigilantes, aſſidui, attentique fuerimus omnibus profeſſionis noſtræ officiis perfecturi, illis ſimiles erimus mercatoribus, qui nullum referunt quæſtum, ſimileſque artificibus, qui in arte ſua rudes, & plane hoſpites ſunt. Hæc vigilantia, & conſtans hæc applicatio in ſalutis noſtræ negotio, ſtudioque perfectionis omnino eſt neceſſaria, quia diligentia par eſſe debet magnitudini negotiorum. Quodnam vero majus nobis eſſe poteſt negotium ſanctificatione noſtra, & acquiſitione perfectionis, quam Deus præſtolatur a nobis? Facili igitur conjectura patet, quam ipſi vigilantiam, atque diligentiam hoc negotio impendere valeamus. Citra hyperbolem dicere poſſumus hanc jugem eſſe debere, atque ſe ſe ad actiones omnes ſeu internas, ſeu externas, minimas etiam extendere. *Idem*.

De Inertia, & negligentia, quæ vigilantiæ eſt oppoſita.

Si inertia, atque negligentia in ſe ipſa conſideretur, liquebit, ſoporem eſſe, atque animæ lethargiam, quæ divino cultui nos ineptos facit, ac bonis operibus exercendis minime; pares atque docet experientia, hanc inertiam in animabus noſtris idem præter propter efficere, quod in corporibus brumale frigus. Illas quidem glacie adſtringit, obſtupefacit, aggravat, eiſque omnem aufert agendi vim, quæ ad ſalutem operandam eſt neceſſaria: ita ut igne divini amoris, cujus fervor eſt veluti flamma, vel penitus extincto, vel ſaltem nimium in modum remiſſo, cor glaciei inſtar frigeſcat ſine motu illo, quo feratur in Deum, quin ullis Domini vel promiſſionibus, vel minis afficiatur; & quin illis auferat vitiorum, ardentiſſimarumque cupiditatum vim, virtutum omnium vim aufert; atque ita ſpiritus veluti ſopitus, & aggravatus nullo habet in diſcrimine ea omnia, quæ ad aliam pertinent vitam. Inde ignavus ille oritur metus, propter quem fugit laborem, quem in virtute exercenda, ac profeſſionis ſuæ muneribus obeundis ferre debet. Illud vero in hoc ſopore, lethargicoque frigore magis deplorandum eſt, quod homo, qui ideo in mundo eſt, ut omni bonorum operum genere cælum acquirat, ſimilis eſt arbori maledictæ, quæ omnia malorum fructuum genera fert, & nullum unquam bonum; quamobrem ſuccidenda tantum eſt, ac in ignem mittenda. *Auctor Anonymus*.

Vigilantia unicum eſt inertiæ, ac ſoporis remedium.

Vigilantia in muneribus noſtris obeundis, exercendiſque bonis operibus, quæ ſtatus noſtri ſunt propria, unicum eſt remedium hujus lethargiæ, quæ pleroſque homines tanquam ſopitos tenet, qui de cælo, æternaque felicitate nihil ſunt magis ſolliciti, quam ſi poſt hanc vitam nihil eſſet metuendum, vel ſperandum.

Vigilantia ſanctum nobis fervorem immittit, qui efficit, ut faciamus, quodcumque bonum fieri poteſt in ſtatu, atque conditione noſtra cum alacritate, atque cura; efficit, ut diligenter vacemus iis, quæ ad noſtram pertinent profeſſionem, conſiderantes hunc eſſe locum, & ſtatum, in quo ſibi a nobis ſervili flagitat Deus, & munera noſtra eam eſſe operam, quam ſibi a nobis preſtari deſiderat; ſed conſtanter, ſed hilariter, ſine ullo tædio, ac moroſitate: *Sollicitudine non pigri: ſpiritu ferventes* Ad Rom. 12. *Idem.*

Nos inceſſanter contra dæmonis inſidias vigilare debemus.

Dæmon circuit inceſſanter tanquam leo rugiens, & nil quærit aliud, niſi ut nos devoret. S. Petrus Apoſtolus inquit. Quem timorem hæc in nobis cogitatio parere non deberet? qua vigilantia uti opus eſſet, ut illius dolos, arteſque eluderemus? Vigilantia, ac timor noſter toto cœlo major eſſe deberet, quam ſi quis nunciaret, nos undique furibus, ac latronibus ſeptos eſſe nos jugulandi occaſionem quærentibus, & explorantibus. Attamen qui hæc verba quotidie audiunt, vel recitant, quin inde ullo timoris ſenſu afficiantur, & quin invigilent ſibi? Hæc profecto horribilis eſt tot fidelium ſtupiditas; ſed non ſolum nota eſt corruptionis generalis naturæ noſtræ, verum etiam in chriſtianis eſt argumentum denſiſſimarum tenebrarum, quas commiſſa poſt baptiſmum peccata animæ offundunt; ſi enim Chriſtianus, qui inter flagitia vivit ſine ſalutis ſuæ cura, ſine metu damnationis æternæ, ſine vigilantia in iis periculis, quibus circumſeptus eſt, hæc verba bene intelligeret, fierine poſſet, ut in hoc ſopore permaneret? Jure improbamus, atque damnamus hanc hæreticorum ſecuritatem palam teſtantium ſalutem ſuam in tuto eſſe, nihilque ſibi eſſe metuendum, dummodo ſe predeſtinatos eſſe firmiter credant; ſed catholicus, quem docet fides neminem ſcire, citra explicitam revelationem, utrum amore ſit dignus, an odio, ac ſingulis cum timore, ac tremore ſalutem ſuam eſſe operandam, qui ſcit, a dæmone ſibi ubicumque inſidias ſtrui, ſe quolibet momento ultima pati poſſe; infernum paratum eſſe ad eum deglutiendum; ſe fortaſſe Dei miſericordiam fatigaſſe; hic tamen Chriſtianus ſine ſollicitudine, ſine metu, & ſine vigilantia vivit, tranquille fruitur voluptatibus, quas excidii ſui cauſas eſſe novit; loquitur, agit, oblectatur ſine ulla cura de iis, quæ ad alteram vitam pertinent, quaſi nihil ſibi metuendum eſſet, quaſi ſalutis ſuæ certiſſima haberet vadimonia, quaſi Deus ipſe revelaſſet illi, dæmones ipſi nocere non poſſe, & quaſi omnino certus eſſet, ſe poſſidere gratiam, & numquam eamdem eſſe amiſſurum; cum e contra harum rerum omnium incertitudo eum indeſinenter ſibimet jubeat invigilare. *Ex variis locis Speciminum Ethicorum.*

Aliorum mala non cogunt nobimet invigilare.

Pacato animo ea recipimus mala, quæ aliis eveniunt, quaſi nihil nobiſmet eſſet metuendum; & ſicuti ex portu ſpectantur procellæ, quæ agitant, & deglutiunt naves, quæ in mari ſunt, quin nobiſmet ipſis caveamus, & ſerio cogitemus, quod iiſdem malis nobis impendentibus jugiter ad illa depellenda nobis eſſet invigilandum. Si in corde noſtro deteſtamur fallacem ſecuritatem, quam Hæretici hominibus circa ſalutis ſuæ negotium obtrudunt, ne ipſi quidem illam quodammodo & actionibus, & ſententiis probamus, cum adeo modicam vigilantiam, & curam adhibeamus in magno hoc, magnique momenti negotio, ubi de æterna felicitate, vel infelicitate noſtra agitur. *Ibidem.*

Nullus in hac vita ſtatus eſt, in quo vigilare nos non debeamus.

Illud unum, o Fideles, quod præ ceteris vos ſcire maxime intereſt, & quod minus a vobis ignorandum eſt, diſcite; videlicet in terris nullum ſtatum eſſe, qui tutus ſit; nullum ſitum eſſe, in quo vigilandum, ac trepidandum non ſit; quoniam hic ſepti ſumus periculis, ad dexteram æque, ac ſiniſtram adſunt inimici ſublatum gerentes enſem, ac tempus expectantes, quo certum nobis vulnus infligant; nullumque tempus eſſe, quo amittere non poſſimus, quod multo temporis ſumptu, ſudoribus, laboribuſque multis adepti ſumus. Scitote, neque locos, neque exercitia, neque illos, cum quibus vivimus, integram nobis præſtare ſecuritatem; nam Apoſtoli quoque, quos adeo bonus amavit J. C. poſtquam omnia relinquerunt illi adhæſuri, cedunt huic timori, qui adeo indignus eſt iis ſenſibus, quos ſavore debent, atque illo inſpectante, ac præſente animos deſpondent, atque deficiunt: *Domine ſalva nos, perimus.* Marc. 8. adeo ſemper vigilandum eſt. Cogitate, quanti referat hanc veritatem probe noſſe ad evitandum malum, in quod præcipites ruunt, qui illam ignorant. Etenim cum metu careant, carent etiam præviſione, & precautione, ideoque ſibi non conſulunt, ut ab imminentibus ſibi malis caveant. Hic religioſus, exempli gratia, qui innititur perfectioni ſtatus ſui, & ſanctitati indumenti ſui, & qui ſibi perſuadet ſe a religioſo ſtatu in portum, tutumque locum adductum fuiſſe, ſimilis eſt Imperatori arcis alicujus in hoſtium finibus poſitæ, qui fretus propugnaculis ipſius, fovearum altitudine, atque munimentorum robore negligit excubias, vigiliaſque ponere, earumque de more luſtrationes obire. Ejus mala negligentia in hoſtibus oppidi potiundi cupiditatem ciet, qui uti volunt occaſione, quam illius ſibi offert incuria. Ineunt conſilia, arcem oppugnant, expugnantque, quia neminem inveniunt, qui eidem invigilet, & eam tueatur. Scitote ergo id illis accidere, qui plus æquo ſibimet, ac profeſſionis ſuæ bonis confidunt. Inanis illa confidentia contra illos dæmonum ciet attentionem; tantoque magis illis nocere putant, quo minus illi eos propulſare, ac prævertere ſatagunt; etenim inermes ſunt, ex quo nihil metuunt; & fallax iſta ſecuritas, quam jactant, ſæpe interitus eorum eſt cauſa. *Abbas Trappenſis collatione pro Dominica quarta poſt Epiphaniam.*

Deus aliquando in illis dormit, ut eos cogat ſibi invigilare.

Dormiebat Salvator, cum mare furenti agitabatur procella, & navis, qua vehebatur, prope erat, ut fluctibus mergeretur. Quæ res ſanctis patribus locum præbet dicendi, Deum erga homines variis modis dormire. Dormit peccatoribus, qui ſunt quodammodo ſopiti, ac in umbra mortis dormiunt; peccatoribus qui ſe ſe ſuis mancipatunt cupiditatibus, ac nullam ſalutis ſuæ curam gerunt; animabus ingratis, quæ illius gratiam contemnentes eum coegerunt, ut ſe pœniteret beneficiorum, quæ ipſis contulerat . . . Deus etiam aliquando rectis ſuis dormit, cum, ut illos in cultu ſuo magis firmos, & vigilantes efficiat, ſinit eos in profundas abyſſos ruere, ut ſuam ſentiantes infirmitatem deinceps majorem attentionem, & vigilantiam adhibeant. Ita ille dormiebat Davidi, cum Rex iſte cupiditate furens, & excæcatus adulterio cædem adjecit. Ita dormiebat Petro, cum Apoſtolus hic oblitus fidelitatis, quam magiſtro debebat, ſe illum neſcire profeſſus eſt. Deus ſimiliter etiam nonnunquam illis dormit, qui ſibi maxime adhærent, & majori cum zelo, amore, ac fidelitate eidem famulantur; cum aliquando præſentem illis aufert opem, ac recedit ad fidem ipſorum excitandam, eoſque impellendos, ut majori cura, & vigilantia ipſum inquirant. *Idem.*

Ubi a vigilandum eſt, ſemper enim in periculo ſumus cadendi.

Vobis perſuaſum ſit, o Fideles, pericula ſub pedibus veſtris vobis oboriri; pedem non profertis, quin virtus veſtra, ſi qua vobis eſt, in periculum adducatur; intra voſmet geritis omnium malorum veſtrorum originem; cupiditates, & affectiones veſtræ, cum extinctæ non ſint, ſed dumtaxat ſopitæ ſexcentis in occaſionibus poſſunt excitari. Hanc ſuperabitis; alia in prioris locum ſuccedet; aliæ aliarum vices ſubibunt, vobiſque noctu, ac interdiu juge inferent bellum; & quamvis de omnibus victoriam retuleritis, aliqua tandem erit, quæ omnes victorias veſtras efficiet inutiles. Hinc infertur, Chriſtiano, quocunque in ſtatu ſit, & quamcunque adeptus fuerit victoriam, toto vitæ ipſius tempore eſſe vigilandum. Huic perſuaſum eſſe debet, ſe in hoſtico ſemper verſari, ideoque ſibi undequaque cavendum. *Idem.*

De mandato filii Dei, qui nos vigilare juſſit.

Dei filius, qui noverat, quantum referat, omnes homines vigilare, atque ſalutis ſuæ ſecuritati conſulere, præceptum edidit, quo univerſi vigilare jubentur: *Quod vobis dico, omnibus dico.* Omnibus dico ſine ullo temporum, ætatis, ſtatus, conditionis, ac

mune-

Digitized by Google

muneris diſcrimine. Noverat ille non deeſſe quaſdam vocationes præ aliis præſtantes, ſtatus vitæ magis, minuſve pereundi periculo obnoxios, & profeſſiones ſalutis magis, minuſve periculoſas. Noverat ſcopulos, qui in quolibet vitæ genere inveniuntur, ſed ut ſingulis præberet neceſſaria ad illos evitandos, ad omnes dæmonis ludendas inſidias, ſubſidia, illis vigilantiam præſcribit: *Quod vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Ita teor ipſum hoc idem & omnibus generatim, & ſingulis peculiariter imperaret: *Omnibus dico.* Vobis dico, o mundi principes, optimates, reges: vigilate, quia in periculo verſamini; vobiſque magis de ſalute veſtra, quam hominibus e vulgo, trepidandum eſt; majoribus obnoxii eſtis periculis, vobiſque diſtrictior in judicio Dei ratio erit reddenda; ideoque major vobis adeſt vigilandi neceſſitas: *Vigilate.* Vobis dico judices, & magiſtratus, penes quos eſt hominum ſortis arbitrium; quænam ea vobis requiritur diſcuſſio, quæ vigilantia? quam injuriam afferre poteſtis iis, qui apud vos cauſas agunt, ſi de ſingulorum jure edoceri neglexeritis? *Vigilate.* Vobis dico inſtitores, mercatoreſque, qui ad leviſſimum quodvis lucellum adeo eſtis attenti, ac vigilantes, ſed paſſim de ſalutis veſtræ negotio parum ſolliciti; quot fraudes, verſutiæ, ac infidelitates, quibus in negotiis tranſigendis nobis eſt diligentiſſime invigilandum. Sin autem non vigilaveritis, nonne periculum eſt, ne terrenæ militatis cura vobis æternæ ſalutis oblivionem inducat? *Vigilate.* Vobis dico artificibus, qui in ſudore frontis veſtræ victum vobiſmet comparatis; ſæpe noctes in moleſta artis veſtræ exercitatione traducitis; at neſcio, utrum interdiu vigiletis ad æternitatem acquirendam operaturi. *Vigilate.* Vobis dico, divites bonorum hujus mundi, ad cœli divitias acquirendas vigilate; ſerio cogitate, ne terræ opibus abutamini; vigilate reputantes, in quos uſus expendatis illas, & quibus artibus illas augeatis; *Vigilate.* Hoc vobis tandem, o pauperes dico, qui in rerum omnium neceſſitate verſamini; ne putetis vobis vigilandum non eſſe; vos quoque vigilate, ne in altera vita, quam in hac, ſitis miſeriores. Verum quid neceſſe eſt, omnes recenſere conditiones, ac ſtatus, in quos mundus civilis dividitur? Alii quidem aliis ad ſalutem magis utiles ſunt, nemo poteſt ambigere; alii pariter aliis ſunt periculoſiores; at nullus eſt, ubi vigilantia neceſſario non ſit adhibenda. *Ex Auctore Anonymo.*

Vigilantia opus eſt ad evitandos laqueos, qui ab quo nobis ſtrati ſunt.

Ex quo dæmon laqueis texit, ut ita dicam, totam terræ ſuperficiem, ubique labi poſſumus, ideoque, ut tuto incedamus, jugi, ſummaque nobis opus eſt vigilantia. Illud certum eſt, & in eo nunquam fallimur, noſmet coram Deo humiliare, in mundo non eſſe, niſi quatenus illius nos jubet eſſe imperium, & providentia, noſtræ vivendi rationi invigilare, ne decidamus in laqueos, qui ubique parati ſunt, & qui evitari non poſſunt, ſi ea adhibeatur vigilantia, quæ etiam atque etiam nobis commendatur. *Abbas Trappenſis tomo 1. chriſtianarum conſiderationum.*

Modica fidelium in ſalutis negotio vigilantia.

Ut nobis perſuaſum ſit de modica fidelium in ſalutis ſuæ negotio vigilantia, nullum extra noſmet ipſos quæramus argumentum. Nunquid ipſi magnæ huic rei ſatis ſumus attenti? Quouſque noſtra procedit vigilantia? Nunquid inimici noſtri vires, ac dolos ſatis cognoſcimus? Nunquid ſatis parati ſumus, ut illis reſiſtamus? Nunquid artem illum vincendi callemus? Iſtine ſunt chriſtianæ vigilantiæ effectus? Chriſtiani molles, ignavi, ac dormitantes hoſne experiuntur effectus? Chriſtiana vigilantia vigerne in his mundanis cœtibus, in ludis, atque ſpectaculis? Et electorum numerum exiguum eſſe mirum videtur! Beatus, o Domine, ſervus, quem inveneris vigilantem! Væ mihi ſi poſt hujuſmodi conſiderationes dormitavero! *P. Croiſet in aſcepticis exercitiis pro ſingulis anni diebus.*

Chriſtianæ vigilantiæ comes accedere debet oratio.

Chriſtianæ vigilantiæ comes accedere debet oratio; hæc nobis divinam promeretur opem, qua egemus ad præliandum, & vigilantes nos in ſtatum adducit cum fructu hoc utendi ſubſidio. Orare, quin vigiles, hoc eſt de gratia præſumere cum ſpe victoriam referendi ſine certamine, & quin jugiter contra hoſtem vigiles. Vigilare, quin ores, hoc eſt de propriis viribus præſumere, temet periculo temere objiciendo. Tota Chriſtiani vita juge bellum eſt; vigilantia, & oratio quotidianum nobis eſſe debent exercitium. *Idem.*

Quid in ſolitudinem, ac deſertum tot inſignes ſolitarios coegit? Nempe inevitabilis neceſſitas jugiter vigilandi, & orandi. Hæ animæ magnæ, hi chriſtianæ religionis heroes aliaſne habebant cupiditates, quas ſuperarent, alia, quæ vitarent, pericula, alios ſalutis inimicos, quos vincerent? Heu! pleriſque longe minus decertandum erat, quam nobis; quæ tamen ipſorum aſſiduitas fuit, quæ in precibus effundendis, & vigilando diligentia! & quæ noſtra eſt? Illi in deſerto vivebant, ipſi vero in mundo corrupto, ac tentationibus referto vivimus, plurimis telis patentes, ac ſine armis, quibus ea propulſemus. Quænam diverſitas! Quid ergo? animæ innocentes omnium ætatum, ſexuum, conditionum, in cellula concluſæ, ſemper manibus arma tenentes, ſibimet dies, noctéſque vigilantes, & quæ adhuc timent, ne cadant; homines vero plerique jam victi, omnes ad extremum infirmi tranquille dies ſuos traducunt in voluptuariis cœtibus, ludibrium improbi, callidique inimici, qui inceſſanter circuit, ut eos miſere perdat. Hanc ſecuritatem cum Sanctorum vigilantia conciliemus. *Idem.*

De vigilantia generatim.

Vigilantia eſt anima rerum omnium mundanarum; ſopor, & negligentia earum excidium eſt. Deus, cujus bonitas ſeſe æque ad creaturas omnes extendit, oculorum ſuorum aciem æque procul dirigit, ac ſuam poteſtatem; altera proſpicit, quidquid altera attingit; & virga vigilans, quam Jeremiæ Prophetæ oſtendit, nihil aliud innuebat, niſi quod poteſtatis, ac providentiæ ipſius una erat, & eadem extenſio. Angeli, quibus Deus cœlorum motum, imperiorum curam, & animarum noſtrarum cuſtodiam commendavit, non ceſſant ſingulis momentis vigilare; nunquam avertunt oculos ab iis, quæ ſuæ fidelitati commiſſa fuerunt; quam ideam nobis adſtruit Ezechiel Propheta, cum illos exhibet tanquam animalia circumundique oculis plena. Denique quid intentatum relinquit homo, ut certam ſibi fortunam conſtituat? Qua igitur cura vigilare debet cuſtodiendis omnibus facultatibus, ſenſibus, motibuſque ſuis, ut ſe ipſum tueatur adverſus illius hoſtis inſidias, qui infirmitatem noſtram in robur ſuum, noſtramque negligentiam in ſuos triumphos convertit? *P. Campigni ſermone de tentationibus.*

SUPPLEMENTUM.

Oratio ſimul & vigilantia jungenda eſt, quia alterutra per ſe ſola eſt infirma.

ORare & non vigilare, & nimis de gratia præſumere, & chimericam fovere ſpem ſine pugna inimicum ſuperandi. Vigilare, & non orare, eſt nimis in propriis viribus præfidere, ac ſe ſe temere objicere periculo ſuccumbendi tentationis. Orare, & non vigilare, eſt confidere in aliquo ſubſidio, quod vel non obtinebimus, vel quod irritum a nobis fiet. Vigilare, & non orare, eſt confidere in nimis infirmo ſubſidio, ut fulciamur, & nimis multa exigere a natura, quæ æque ac noſtra corrupta eſt: ſed & vigilantiam ſuimet ipſius, & orationem negligere, eſt pronum eſſe ad cedendum tentationi, & permittendum, ut facile a ſalutis noſtræ inimico ſuperemur.

mut. Nonne miſere plerique faciunt? Mortales adeo parum chriſtiani, qui curcurrunt in omnia pericula, qui nutriunt, & palpant omnes affectiones ſuas, qui ſibi gratulantur, quod ſenſu non careant, numquid orationem vigilantiæ conjungunt? Mundanæ mulieres adjiciunt ne orationem vigilantiæ traducentes dies ſuos in otio perniciosiſſimo, quæ occupatæ ſunt tantum in corporis ſui cultu, in ſpectaculis, atque ſolatiis, quarum mores prorſus chriſtianæ diſciplinæ adverſantur, & quarum vita prorſus eſt ethnica. Poſt hæc ulla ne ſuppetit cauſa conquerendi de ea difficultate, qua ſalutem noſtram in mundo operari valeamus? Ullane ratio eſt prætexendi imbecillitatem naturæ ſuæ? Nullis parcimus ſumptibus, ut noſmet perdamus, & ne minimum quidem proferre volumus pedem, ut ſalvemur? Animæ, quæ ab omni peccati labe vacant, vigilare, & orare non ceſſant, & licet omnibus gratiæ fulciantur ſubſidiis, tamen illas ſubinde hortari debemus, cum timore, & tremore ſalutem ſuam operentur, & animæ peccati mancipia, toties victæ in profunda ſecuritate verſantur. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Traducuntur dies in jugi evagatione, in admirabili cordis, ac mentis diſſipatione, & in omnigena objecta noſmet effundimus, & nihilominus beatam ſortem nobiſmet ipſis promittimus. Illico errorem hunc corrigamus, & poſtquam intellexerimus, quantæ neceſſitatis nobis ſit vigilare, & indeſinenter orare, conſilium certum ineamus exercendi quidquid didicerimus. Non ſufficiunt nobis aſſuetæ preces victoriam ex cupiditatibus noſtris relaturis: ſed aſſueſcamus tunc etiam cum noctu expergiſcimur, brevi aliqua oratione ad Deum corda noſtra elevare. Nobiſmet ipſis jugiter invigilemus; ſemper contra noſmet ipſos ſimus in cuſtodia, inceſſanter de amore proprio, & corde noſtro diffidamus. Hujus vigilantiæ fructus eſt cuſtodia ſenſuum noſtrorum, modeſtia, verecundia, prudentia, ad quas obtinendas operæ pretium eſt parum aliorum conſuetudine gaudere, a mundi hujus ſocietatibus recedere, ubi ſexcenta in horam libera, & obſcæna proferuntur verba, & ubi quæ nullo in diſcrimine ponenda videntur, in uſu quotidiano ſunt. Potiſſimum autem ſilentium ſervandum eſt, & numquam oblivioni dandum oraculum illud: *Vigilate, & Orate. Idem ibidem.*

Non vigilemus tum solum, cum nos apprehenderit tentatio.

Arbitratur aliquis ſatis eſſe vigilare, & orare tempore tentationis. Hic vehementer errat: Vigilandum eſt ex ipſis incunabulis, quin ulla detur quies; hoc quolibet tempore faciendum eſt: *Vigilate omni tempore Orantes.* Luc. 21. Imitemur, abſit invidia verbo, canes fideles, qui in pecoris curam adhibentur: qui armenta ſequuntur, licet nullus videatur lupus, aut latro; idque ne unquam abſint, cum hic, vel ille ingruerit. Hoc ipſum in animæ noſtræ cura faciendum eſt. Cum etiam remota eſt tentatio vigilemus, & oremus, ne illa nos incautos opprimat. *Vigilate, & orate; ut non intretis in tentationem.* Matth. 26. Vobiſmet non invigilatis, orationem negligitis, ſæpius in diem non confugitis ad Deum. Hæc vera eſſet ratio evitandi tentationem; hæc interim porta eſt cordis veſtri, quin cogitaveritis arma diſtingere, & vim illius propulſare. Ne unum quidem vitæ momentum eſt, quo ſolis meis viribus traditus in pereundi periculo minime verſer. Ne unum quidem ergo vitæ momentum eſſe debet, quo cœlitus opem implorare nequeam vigilantia, & oratione. *P. Segneri in Meditat.*

Quam neceſſaria ad ſalutem eſt Vigilantia Chriſtiana! vivimus in exilio, & in hoſtico; omnia nobis periculum eſt, omnia tentatio, omnia laqueus in hac vita. Noſtri nos fallunt ſenſus; noſtra mens ſeducit, proprium cor nos prodit. Pauca ſunt objecta, quæ nos minime tentant. Mundi aer corrumpit, nos nobis met ſumus hoſtes infenſiſſimi: quibus armis; qua nobis opus eſt vigilantia, ne ſuperemur? Mundi Salvator omnia de re hac documenta ad duo eſſentialia redegit officia, in quibus cetera continentur: *Vigilate, & orate,* ne tentationibus vincamini. Quorſum hoc? Quia duo hæc officia continent totam œconomiam gratiæ, & libertatis humanæ, quæ duo ſimul concurrere debent ad tentationem ſuperanda. Precatio promeretur cœleſte ſubſidium, & vigilantia nos in ſtatum adducit ſtrenue his utendi ſubſidiis; alterutra ſine altera eſſet inutilis. Oratis, ſed non vigilatis, oratio inutilis; quia defectus vigilantiæ prohibet orationis effectum. Vigilatis, ſed non oratis, vigilantia veſtra inanis eſt, & illuſoria; non enim in viribus veſtris tentationem vos victuros eſſe ſperandum eſt. Qui orat, quin ſibi invigilet, homo eſt armatus quidem, ſed ſub oculis hoſtium ſopore captus, Qui vigilat, quin oret indeſinenter, homo quidem eſt paratus ad pugnam ineundam, ſed inermis, gladio, clypeoque carens. Intelligamus, quantæ neceſſitatis ſint duo hæc media, & cum dolore funeſtam omnium caſuum noſtrorum cauſam confiteamur, *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Liquet nihil perfectum fieri, aut comparari poſſe ſine aſſiduitate, & vigilantia: ita in omnibus ſcientiis, artibuſque animadvertimus ad earum perfectam cognitionem aſſequendam conſtanti cura, & aſſidua vigilantia opus eſſe. Qui mechanicam addiſcunt a mane ad veſperam in ea toti eſſe debent; cum in aliquam ſcientiam incumbimus, ſerio illi operam vacamus, alioquin nullum relaturi progreſſum; cum alienigenam linguam addiſcere cupimus, conſtanter illi vacamus, & ſi ſtudium interpolamus, nihil umquam boni fit, Hæc autem vigilantia, & conſtans applicatio magis adhuc eſt neceſſaria, ut in perfectionis ſtudio, & Dei cultu procedamus. Sive propter laborem, & crucem, quæ naturæ figitur, cum ſtupendum eſt, ſeu propter naturæ propenſionem tendentis ad imperfectionem, & relaxationem, ſive propter impedimenta, quæ nobis ab extrinſecis rebus, nos undequaque circumſtantibus, oboriuntur, nos docet experientia, vigilantiæ conſtantiſque applicationis defectu, alios quidem in errores ſuos relabi, alios vero nihil in virtute proficere. *Ex tomo primo Epiſtolarum P. Surin.*

Mortis incertitudo magem poſtulat vigilantiam.

O crudelem mortis incertitudinem! Quando nam moriar? Hodie fortaſſe. Quo in ſtatu moriar? Aſſerere nequeo, me in gratia tua, bone Deus, moriturum! Quænam terroris cauſa! Vigilantia tantum Chriſtiana me contra mortis pericula, & invaſionem confirmare poteſt. Quoniam in ſingula momenta mori poſſum; ſemper in eo ſtatu conſiſtam, ubi inveniri velim morte ingruente. Si momento ceſſarem, fortaſſe hoc illud futurum eſſet, Domine, quo irrueres in me, illudque fieret mihi æternæ infelicitatis principium. Quæ mea eſſet ſtultitia, ſi me met tanto huic periculo objicerem! *P. Segneri in Meditat.*

Dei Filius nihil nobis vehementius commendat vigilantia. Tota Chriſtiani vita eſſe debet jugis expectatio glorioſi Salvatoris adventus. Non aperit, quando venturus ſit, ut ſemper attendatur, & omnes qualibet hora parati ſint. Veniet pro omnibus hominibus generatim extremi judicii die; pro ſingulis veniet die mortis ſingulorum. Qui in mortis hora, eo in ſtatu invenietur, in quo eſſe debet, ingredietur in regnum Dei, non ſecus ac Virgines prudentes in aulam nuptialem. Ille, quem mors deprehenderit, neque erit tunc eo in ſtatu, in quo Deum illum eſſe vult, non ſecus ac fatuæ

tuæ Virgines aditu prohibebitur, Quicumque prohiberi non vult ſubimet invigilare debet, Hoc Dei Filius nos in Evangelio. Itaque omnis homo jugiter vigilare debet, & præſto eſſe cum lampade accenſa, videlicet cum viva fide, nec ſatis, ſed etiam cum extrema vigilantia, quæ cuſtos eſt fidei. In Baptiſmate illi, qui hoc Sacramentali lavacro abluitus fuit, præbetur cereus accenſus, quod ſignum eſt ſignificans fidem, & irreprehenſibilem vitam ab eo ducendam, ut eam ſervet, & jugem vigilantiam, quæ huic vitæ neceſſaria eſt. In morte quoque in morientis manu cereos ponitur, ad revocandam hanc eamdem fidem, & vigilantiam, quam præſtare debuit ad eam tuendam ob occurendum Dei Filio, ut dignus habeatur aditu regni celeſtis, quod ab ipſo ſæculorum exordio Electis ſuis comparavit. *Auctores recentes.*

Oculos conjiciamus in Fideles, qui ſalutis ſuæ negotia operam navant, & in ſancta peccati formidine vivunt. Sciunt homines iſti animam noſtram eſſe velut agrum, ubi naturalis conceptio non niſi malas plantas producit; plantas, quas ſi quam primum convellere negliges, ſenſim, & ſine ſenſu in nobis ſuffocant virtutis ſemen; Chriſtiani vitam aſſiduum eſſe prælium illi deprælian- dum contra ſuam cupiditatem; cupiditatem hanc ſemper eſſe vigilem, ut nos decipiat, & nos ſemper paratos eſſe debere contra impetus illius, & ſi per negligentiam aliquam illi locum tribuerimus, nos ſtatim illius futuros eſſe mancipia. Magnis hiſce veritatibus repleti, religioſiſſime minimas etiam noxas evitare conantur; ex corde ſuo ſimplicimas cupiditatis affectiones convellunt; vigilant, laborant, & ſine relaxatione præliantur. Ecce quo via ab iniquitate recedant. Illuſio eſt credere ſe ab ea, ut illos, recedere poſſe, ſibi permittendo noxas eaſdem, quas illi cane pejus, & angue abominantur. In Chriſtjaniſmo non ſunt duæ morum diſciplinæ. Difficultas prævertendi mala præter propter ubique Chriſtianis omnibus par eſt. Se ſe in quadam neceſſitate in illa tuendi conſtituit, qui negligit, vel contemnit ea, quæ juſte, ac vigilantes animæ adeo neceſſaria experiuntur, ut ſuæ ſaluti proſpiciant. *Sermo quintus Academiæ anni* 1707.

Plures poſtquam bene incœperunt tandem ſuccubuerant tentationi vigilantiæ defectu.

Utinam ſcire poſſemus, quot Chriſtiani poſtquam vigilarunt, diu pugnarunt, tandem exciderunt in laqueum, ac turpiter victi ſunt; quia nimis freti ſunt præteritis victoriis, & quia nihil ſibi timendum eſſe cenſebant! Si aliquot adhuc momentis vigilantes fuiſſent, obtinuiſſent palmam, pro qua tamdiu decertaverant: cauſa æternorum gemituum ſuorum in inferno! modo hic, modo alius cedit, & perit, ne credamus igitur, nos eſſe in tuto propter ſalutem. Salus fructus eſt belli, non niſi cum vita deſinentis. Sufficit momentum, ut vincamur: igitur ad extremum uſque ſpiritum timendum eſt, & inceſſanter vigilandum, ne labamur. Pugnando, ubi opus eſt, Domine, certus ſum victoriæ; ſed ad pugnandum ubi opus eſt, mihi perſuaſum eſſe debet, nullum eſſe momentum, quo victoria mihi nequeat auferri. Certus ergo non ſum, niſi quatenus ſapiens, & juſtus metus efficit, ut ſemper vigilem. Chriſtiani non timent hoſtem maxime formidabilem, & vivunt in perfecta ſecuritate, nullam adhibent præcautionem ad impetus illius infringendos, ruinoſque ſarciandas, quomodo non vincentur? *P. Segneri.*

Cogitandum eſt cum quo inimico nobis agendum ſit ut ſemper vigilemus.

Ita ſane: dæmon eſt terribilis inimicus, cum propter rabiem, tum propter verſutiam; propter rabiem quidem, quæ numquam ſopitur, propter verſutiam vero, cujus artes numquam exhauriuntur. Illi ergo opponam fortitudinem, ac vigilantiam, quæ nunquam deficiant, Dæmon me circuit inceſſanter, ut me devoret: obſtruam ego illi omnes aditus in cor meum, iis omnibus, quæ poterunt illi viam ſternere; ut numquam ex memet egrediar, ad extrinſecus agendum niſi oratione armatus, niſi cautus ab inſidiis illius; ſi etiam hic me inopinatum apprehenderit, numquam de victoria deſperabo, inveniam in fide mea, unde periculoſiſſima illius tela propulſem. Fidenter invocabo te Domine, & mihi opitulaberis. *Idem.*

Vigilantia multo quidem impendio naturæ ſtat; ſed non ſine cauſa hæc a nobis exquiritur, hæc nobis eſt abſolutæ neceſſitatis. Cum quo enim inimico nobis eſt certandum? Hic eſt *diabolus adverſarius* noſter, qui *tamquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret.* Odium illius numquam dormitat, ſed in illo vigilat ſemper; nos inceſſanter perſequitur, continenter nos incautos opperiri ſtudet. Leo eſt actu famelicus, & eſuriens, ac rugiens, ad conſpectum prædæ, quam videt: nempe numquam vel magis dormitat, nec furit minus, quam leo eo ipſo momento, quo illum urget fames: & addit Apoſtolus, *quærit, quem devoret;* quæ loquendi ratio inquit, Tentatorem nullos ſibi umquam fines ſtatuere in jure illo, quod in nos ſibi aſſerit, quodcumque crimen nobis ſuaſerit, reſtat eadem ſemper ſævitia, uſque ad excidii noſtri conſummationem. Eſuries ejus ſaturari non poteſt. Infinita animarum multitudo, quæ illius præda fiunt, relinquit illi adhuc inane, quod repleatur, & inceſſanter *circuit quærens, quem devoret.* 1. Petri 5. Vobis igitur res eſt cum hoſte vigilanti, & inſaturabili. Qua igitur vobis opus eſt vigilantia, ut ejus conſilia, conatuſque in irritum cedere efficiatis? *P. Segneri.*

Quantumvis terribilis ſit noſter adverſarius vigilantia, & furore ſuo, non minus metuendus eſt propter nequitiam, ac dolos. Leo furens eſt, tamen licet in viribus ſuis præfidat, non imprudenter in prædam ruit; hanc circuit, tempus ſuum opperitur, ut incautam opprimat. Cum ergo nobis negotium ſit cum inimico adeo verſuto, potiſſima hæc nobis eſſet cura evitandi, ne nos imparatos inveniat. Nobis igitur invigilemus, tamquam ille, qui metuit, ne in ſingula momenta opprimatur. *Idem.*

Salutis inimicus verſutiæ furorem addit, ut nos perdat

Primum illud ad cordis noſtri cuſtodiam neceſſarium eſt vigilare, ne quid illud ingrediatur, quod illi vulnus valeat inferre. *Dixi: cuſtodiam vias meas.* Pſal. 38. Hæc eſt interior cuſtodia, ut ita dicam: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Prov. 40. Ideoque ſimul & mors. Cor eſt tamquam arx ſummi momenti, a qua pendet ſalus hominis, & interitus. Tres fœderati inimici, mundus, caro, & dæmon jugiter conantur, ut in illud ſibi aperiant, mundus quidem vanitatum fuſium oſtentatione, caro voluptatum illecebris, dæmon vi ſuarum tentationum. Quæ cura, quæ vigilantia requiritur, ut nobiſmet caveamus a tot inimicis, qui nobis aſſcumundique circumſtant? Contra tot hoſce inimicos defendimur aſſidua exercitatione orationis, cæcaque obedientis illi, qui nobis locum tenet Dei in terris ad conſcientiam noſtram regendam. Omnes quidem Chriſtiani nequeunt ita ſibi cavere. Officia Virginis Deo devotæ alia ſunt ab illis nuptæ, Religioſi viri munera prorſus alia ſunt ab illis laici; ſed noſtrum ſinguli ſibimet invigilare debent, quantum ſtatus ſui obligationes patiuntur. In excubii ero, ubi me Providentia conſtituit. *P. Segneri.*

Legem nobis irrogemus fugiendi præſertim periculoſas, vel inutiles converſationes, quæ omnem fere ſæcularium vitam occupant. Cor fortaſſe numquam in majori periculo verſatur, quam his momentis, quibus Mundani nobis ſenſim, & ſine ſenſu virus afflant fallacium dogmatum,

Ad cor noſtrum cuſtodiendum fugiendæ ſunt periculoſæ converſationes.

mo-

.() /

ſuorumque ſuorum corruptorum. Sed quin hujuſmodi conſortia evitemus, illa inquiremus, quænam erit temeritas noſtra? Hoc eſſet ex propugnaculis noſtris evadere, & altro noſmet objicere ad inimicorum noſtrorum. Miles fidelis ſtat in apice propugnaculi exploraturus, an quiſpiam accedat. Hoc exemplar eſt, quod nobis proponit Iſaias c. 21. 8. *Super ſpeculam Domini ego ſum ſtans jugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus. Idem.*

Sed cur noſtrum cuſtodientes immoti, ineſteſque manebimus? Præterquam quod jugiter ſummovere debemus inimicos noſtros, qui non minimus labor eſt etiam, ut noſmet occupemus ea re, quæ una debet nos in hoc mundo habere ſollicitos, videlicet, tranſitu de hac vita ad æternitatem. Scimus quamprimum venturum eſſe Dominum ad repetendam rationem noſtrum met ipſorum; quid igitur cogitamus, niſi ea, quæ nobis dicturus eſt, & noſmet præparamus ab ea, quæ nobis illi erunt reddenda; Nonne hoc negotium eſt, quod intereſt noſtra, negotium, quod ſine ulla comparatione nos magis urget, quam cetera. *P. Segneri in Meditat.*

Militia Chriſtiani adverſum inimicos

ſalutis ſuæ non ceſſat niſi cum vita eumquam ille debet ponere arma,

Chriſtiani vita prælium non eſt omnino intermiſſum. Hoſtes quippe, qui nobis adverſantur, nequaquam in ſingula nos urgent momenta. Vult Dominus, ut aliquando permittant nobis cum tranquillitate frui ea ſuavitate, quam guſtant, qui ſerviunt illi. Sed licet certamina non ſint aſſidua, bellum, quod nobis ſuſtinendum eſt, non ideo ceſſat, Ad extremum uſque ſpiritum in hoſtico incedimus, ubi in ſingulas horas ad pugnam ineundam poſſumus evocari. Fruamur ergo taliter his quietis intervallis, quæ nobis bonitas impertit divina, non ceſſemus vigilare, ſemperque parati ſimus, ut in aciem deſcendamus. Induciarum momenta infirmitati noſtræ permiſſa non ſint occaſiones remittendi in re quapiam fervorem, atque vigilantiam. E contra illis utamur, ut recentes accipiamus vires, & pares inveniamur, qui ſalutis noſtræ inimicis reſiſtamus. *P. Segneri in Medit.*

Non poſtremum Chriſtianæ Vigilantiæ munus eſt, quam diligentiſſime linguam noſtram cuſtodire, & in verbis proferendis ſibi cavere. Senſuum uſu recipimus, & ad nos attrahimus, quæ extrinſecus ſunt, per uſum verbi producimus extra, quidquid eſt intra. Sed non ſolum noſtra refert nobis met ipſis invigilare, ne quid inutile ingrediatur in nos, verum etiam ne quid inconditum egrediatur a nobis. Si enim nimis ſermonibus a nobis effluit anima noſtra, credibile non eſt, quantum ſe diſtrahat, ac per interiora ſe munera debilitet. Hoc autem inde oritur, quod multa loquens removet in imaginatione ſua multitudinem imaginum, quæ ante ſopitæ erant, & quæ excitantur per centum, quem exerit ſpiritus volens loqui, & ſeſe aliis communicare. Hinc ſequitur, ut habeatur imaginatio tranquilla, & ſerena mens ac diſpoſita ad Dei lumen recipiendum, extrema opus eſſe vigilantia, ponderando omnia, & ſingula verba noſtra, & aſſumendo ſale imperium in linguam noſtram, ut non imitemur illum amicum Job, qui intus tanta agitabatur loquendi prurigine, ut niſi locutus fuiſſet, crudeliſſimam ſibi mortem ſubiturus fuiſſe videretur. *Ex Epiſtolis P. Surini Tom. 2.*

Chriſtiana vigilantia in eo ſita eſt, ut ad nos revertamur, actionibus noſtris invigilemus, cauſas ſcrutemur, quæ nos ad agendum inducunt, cognoſcamus cupiditates quibus agimur, & inordinatos cordi noſtri motus exploremus, cumque pluries illos cognoverimus, per effectus, quod pariunt, veniamus ad cognitionem cauſæ videlicet vitii habitualis, a quo producuntur. Mox cognitis hiſce motibus, & cupiditatibus, quæ nos trahunt, nobiſmet invigilemus, ne ex improviſo deprehendamur, ac fortiter reſiſtamus iis certaminibus, quæ nobis ſunt ſuſtinenda. Quod ſi nobis contigerit, ut vincamur, nihil nobis eſſe debet antiquius, quam peccata noſtra lacrymis eluere, ignaviam noſtram plectere, & certum capere conſilium deinceps ſtrenue reſiſtendi objectis, quæ nos ſeducere poſſent, & iterum nos in præceps dejicere. Perſeverandum eſt in prælio, quin nos tædeat, numquam ceſſandum eſt, & prælium hoc in interiorem occupationem noſtram vertendum eſt, nulla enim ſine prælio victoria eſt, & nullus ſine victoria triumphus; nulla nobis ſalus eſt ſperanda, niſi de cupiditatibus noſtris victoriam referamus. *Idem ibidem.*

ſine jugi certamine victoriam non poſſumus referre de noſtris cupiditatibus.

Nobis tanta cura vigilandum eſt ſolatii noſtri, quanta mercatores mercibus ſuis.

Itane parum eſſemus cordati, ut minus pro Deo facere velimus, quam mundus faciat pro negotiis temporalibus? Videamus, quid mercator, ut ſibi ſua beneverant negotia, quid bonus opifex, ut in arte ſua ſe peritum præbeat. Quæ attentio, quæ vigilantia, ut ſibi ab omni periculo caveant! Mercator habet rationarium ſuum, quid vendiderit in ſingulos dies recenſet, ut ſciat, utrum ſumptus ſuperet rei venditæ pretium, & deinceps ſarciat detrimentum; opifex ut videat, quid lucratus fuerit, & moderetur ſumptus, quos in victum erogat familiæ ſuæ. Hoc ipſum & nos faciamus muneribus noſtris perfungentes, & certe perveniemus ad perfectionem, ad quam evocamur. Verum niſi vigilantes fuerimus, aſſidui, & ſinguli efficiis intenti ſtatus noſtri, ſimiles erimus mercatoribus nullum facientibus lucrum, & ſimiles opifici, qui ſemper novitius eſt, ac tyro. Hæc vigilantia, & conſtans attentio eſt omnino neceſſaria in noſtræ ſalutis negotio, & in ſtudio Chriſtianæ perfectionis, quia diligentia eſſe debet congrua magnitudini rerum, quæ nobis agendæ ſunt. Sed quodnam majoris momenti negotium, quam hoc noſmet ſanctificandi & acquirendi perfectionem, quam Deus a nobis expectat? Igitur facile eſt concipere, quanta nobis adhibenda ſit cura, & vigilantia in hac re, quam Dei filius ipſe tanti momenti eſſe judicavit, ut illam unum illud, quod neceſſarium eſt, vocitarit. Dici ergo citra hyperbolem poteſt noſtram in re hac vigilantiam jugem eſſe debere; necnon debere extendi ad omnes cogitationes noſtras, verba, actiones ſive interiores, ſive exteriores, magnas æque ac parvas, nitentes, & obſcuras, quæ videlicet parum habent lucis, atque ſpeciei, *Epiſtola P. Surin Tomo 2.*

VO-

VOCATIO AD VITÆ STATUM.

HUJUS ELECTIO FACIENDA, DEUS HAC IN RE CONSULENDUS, EJUS AUXILIUM, ET LUMINA IMPLORANDA,

ARGUMENTUM.

IN hoc tractatu de vocatione non egimus de vocatione ad fidem, atque religionem chriſtianam, veluti cum ſermo eſt de vocatione gentilium; neque de vocatione ad ſtatum eccleſiaſticum, vel religioſum, ſed de electione vitæ illius, quam quilibet debet amplecti. Cumque electio hæc facienda non ſit, niſi poſt exploratam voluntatem Dei nos ad hoc vitæ genus vocantis, hanc dicimus ad ſtatum, vel profeſſionem aliquam, quæcumque illa tandem ſit, vocationem.

Argumentum hoc, licet hoc pacto coarctatum, aliquam tamen adhuc habet rationem cum aliis, a quibus omnino ſeparari non poteſt, veluti cum Providentia; hæc quippe varios inſtituit ſtatus, quos videmus in mundo, nobiſque tribuit ſubſidia, ut in illis ſalutem noſtram operemur; cum ſubmiſſione voluntati divinæ, quæ nobis conſulenda eſt, antequam ſtatum ullum ingrediamur; cum prudentia chriſtiana, cujus effectus eſt electio facienda; ſed omnia hæc argumenta aſſumenda non ſunt, niſi tanquam probationes, vel partes argumenti illius, quod præcipue pertractandum aſſumitur.

Hoc ſolum cavendum eſt, ne illud pertractantes magis æquo exaggeremus omnem ſalutis ſpem auferentes illis, qui malam habuere electionem; ſed in ea etiam ſalutis operandæ difficultate, poſtquam temere temet in eum immiſcuiſti ſtatum, in quo te nolebat Deus, oſtendendum eſt, non deeſſe gratias, quæ malum hoc reparare poſſint; & illi, qui nondum electionem hanc fecerunt, hortandi ſunt, ut conſulant Deum tanquam in re, a qua pendet ſalus æterna, &c.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ ſermonum hujus argumenti ſtructuræ.

1. TRes propoſitiones ſermonis hujus argumentum, & diviſionem efficient. 1. Nil æquius eſt, quam per Dei vocationem ſtatum amplecti. 2. Nihil difficilius, quam agnoſcere ſtatum, ad quem nos evocat Deus. 3. Nihil utilius, quam ſerio huic rei operam navare.

Pro Prima. Supponendæ ſunt duæ veritates, quarum altera eſt; quamvis conditiones omnes bonæ ſint, & a Deo pro humanæ ſocietatis bono inſtitutæ, eas tamen non omnibus indiſcriminatim perſonarum generibus bonas eſſe; & hanc utilem alicui eſſe, quæ alteri nocua, & pernicioſa futura eſt; etenim non omnibus eadem ſunt ſtudia, eædemque naturæ diſpoſitionis, eædemque Dei gratiæ. Veritas altera eſt, Deum, qui per providentiam ſtatuum, munerumque vitæ humanæ diverſitatem conſtituit, aliis quidem hoc, allis vero aliud deſtinare officium, tanquam patrem familias, qui, prout e re futurum cenſuerit, domus ſuæ famulis officia partitur. Idcirco hominibus diverſa tribuit ſtudia, talenta, & ornatus tum corporis, cum animi, eiſque varie ſuas gratias largitur pro variis neceſſitatibus ſtatuum, ad quos ſinguli evocantur.

Pars prima. Nihil æquius eſt, quam per Dei vocationem ſtatum aliquem ingredi. Primo propter ſubmiſſionem, qua a ſupremo hoc rerum Domino pendere debemus. Totus terrarum orbis, ut ita dicam, illius domus eſt; omnes homines illius familiam conſtituunt; illic ſunt & tanquam ſubditi, & tanquam filii; & patris, dominique eſt ſinguli munus præſcribere. 2. Quia ipſi noſmet regere non poſſumus; hac in re paſſim vel ex libidine, vel fortuito operamur; neque mirum eſt, ſi aberramus; at Deus, cui non minus ſapientiæ, quam bonitatis adeſt, nos optimo collocabit, cum ipſe unus norit, quid referat noſtra: cumque ipſe nos creaverit, ſcit ille, quibus negotiis pares ſumus; ſcit finem, ad quem nos deſtinavit, & idem vias, per quas nos illuc adducere poſſit. Illius igitur intereſt, has nobis oſtendere, in illas nos deducere, & efficere, ut ipſius mandata ſequamur. 3. Sine illius ope nihil poſſumus; & niſi benignus noſtris cœptis annuerit, nulla res nobis unquam fluet e ſententia. At ſuamne benedictionem elargietur iis rebus, quas eodem inconſulto, ejuſque inexplorata voluntate fuerimus aggreſſi?

Pars altera. Nil difficilius, quam cum agnoſcere ſtatum, ad quem nos evocat Deus. 1. Quia omnia conjurare videntur ad nos hac in re excæcandos, eaque rapienda lumina, quæ nobis ſunt neceſſaria. Amor proprius, affectiones noſtræ, nimia voluptatum, honorumque cupiditas, indulgentia, obſequium erga amicos, benevolentia, gratitudo, ipſa etiam obedientia, quam parentibus debemus, mundi præjudicia, officia quædam generi, & conditioni noſtræ inhærentia, amor libertatis; omnia hæc oculis noſtris velamen quoddam obtendunt, quod omnia, quæ nobis Deus concedit, lumina vix poſſunt pervadere. 2. Quamobrem nihil eſt, cui accuratius nobis opera danda ſit, quam Dei voluntati explorandæ. Id autem faciendi ratio ſunt frequentes, ferventeſque ad hunc finem preces, eleemoſynæ, aliaque bona opera, ardens ſalutis deſiderium, certa voluntas ſequendi vocationem Dei, ſtatim ac nobis ſatis explorata fuerit, poſtquam media omnia ad id neceſſaria fuerint a nobis adhibita.

Pars tertia. Maxime intereſt ſequi hanc vocationem, cum nos ad aliquem vitæ ſtatum Deus vocat, 1. Quia vocationis gratia critica eſt, cui ſi deſumus, ſalutem noſtram in diſcrimen adducimus; gratia univerſalis, quæ infinite plures complecti.

plectitur; ſi huic defueris vocationi, omnes gratiæ iſtæ deerunt tibi: & quamvis omnino actum non ſit, nec deſint gratiæ quædam, quibus malum hoc reparari valeat, conſtat nihilominus, longe difficilius futurum eſſe alio in ſtatu ſalutem ſuam operari, quam in illo, ad quem te Dominus evocabat. 2. Maxime intereſt hac in re nihil aggredi contra Dei voluntatem ſignificam, propter funeſtos exitus, qui reſiſtentiam hanc conſequuntur, malos negotiorum noſtrorum eventus, difficultates muneris noſtri obeundi, noſtræque ſalutis procurandæ eo in ſtatu, quem nobiſmet ipſis elegimus.

II. Pro concionis argumento de ſtatu a nobis capeſſendo aſſumere poſſumus. 1. Neceſſitatem bonæ electionis faciendæ. 2. Modum illius bene faciendæ.

Pro puncto priori. 1. Bona hæc electio cauſa eſt terrenæ felicitatis noſtræ, quæ pendet a benedictione, qua Deus labores noſtros proſequitur. 2. Cauſa eſt æternæ felicitatis noſtræ, cum elegimus ſtatum, in quo facile, & utiliter ſalutem noſtram operari poſſimus. 3. Cauſa eſt pacis, & tranquillitatis animi, qua in hac vita frui poſſumus.

Pro altero puncto, quod attinet ad modum hanc electionem faciendi. 1. Electioni huic inſtituendæ nosmet præparare debemus vitæ ſanctitate, eleemoſynis, aliiſque bonis operibus, quibus cœleſtes gratias promereamur. 2. Imploranda ſunt cœleſtia lumina, ut tanti momenti negotium rite obeamus. 3. Serio ad id animus appellendus eſt; ſalus noſtra ſpectanda; ſequendum directoris ſapientis, prudentis, integerrimique conſilium, qui animam noſtram penitus cognoſcens judicare poſſit, ad quid nos evocet Deus.

III. Primum. Vocatio a Deo proficiſci debet, ideoque vitæ ſtatus nequaquam eligendus eſt ex animi libidine, vel inordinata quapiam utilitatis, ambitionis, voluptatis cupiditate, ut commode vivamus, & omnibus vitæ hujus deliciis perfruamur.

Secundo. Ad unguem vocationis officia adimplenda ſunt.

Tertio. In vocatione ad finem uſque perſeverandum eſt. *Ex ſpecimine ſermonum pro Dominicis.*

IV. De bonæ vocationis conditionibus. 1. Temere facienda non eſt, ſed matura animi deliberatione inſtituenda. Conſulendus Deus, &c. 2. Non debet eſſe præceps, ſed requiritur aliquod temporis ſpatium, ut periculum fiat, utrum pares ſimus laboribus huic vitæ generi adhærentibus perferendis. 3. Libera eſſe debet, non coacta, neque contra ſtudia, & animi noſtri propenſionem.

V. 1. Status vitæ electio ex omnibus vitæ circumſtantiis eſt, cujus error maxime timendus eſt; hoc erit punctum primum. 2. Status vitæ electio ex omnibus vitæ circumſtantiis ea eſt, cujus error vulgatiſſimus eſt; hoc erit alterum. *Ex P. Maſſillon.*

VI. 1. Hæc vitæ ſtatus, & profeſſionis electio a Deo proficiſci debet: non enim hoc naturæ ordo, ſed gratiæ de eodem decidere debet. 2. Huic electioni adhæret vitæ requies, & felicitas; conſulto igitur opus eſt, ne aliquando electionis ſuæ pœniteat. 3. Electio hæc eſt via ſalutis; igitur attentione opus eſt, ut cognoſcatur, ne humanas ob cauſas illa aggrediamur. *Idem.*

VII. 1. Conſiderandum eſt ſtatum noſtrum a Deo profectum eſſe, quocumque modo illum ingreſſi fuerimus. 2. Hinc nonniſi ex mandato exerceri poſſe, & ut ratio reddatur Deo, qui nobis illum mandavit. 3. Vitam, mores, actiones cum ſtatu noſtro conformandas eſſe; & in hoc poſitam eſſe ſanctitatem, omnemque perfectionem, quam Deus a quolibet ſingillatim expectat.

VII. 1. De modo, quo hodierna die in ſæculo vivitur. Nil facilius eſt, quam falli in electione ſtatus vitæ, & nihil e contra difficilius eſt, quam tuto vias ingredi, quas nobis Dominus oſtendit. 2. Quidquid hac in re peccatur, non ſolum ferme irreparabile eſt, ſed in futurum etiam funeſtiſſimos exitus habet. Nihil facilius quam in eligendo vitæ ſtatu errare; hoc primum erit punctum. Nihil magis terribiles, ac periculoſos exitus habet, quam hic error: hoc eſt punctum alterum. *Ex P. Cheminais tomo 2. ſermone hujus argumentis.*

1. Nihil magis neceſſarium eſt, quam Deum conſulere, ut illius vocationi pareamus. 2. Aperriſſimum hujus vocationis argumentum eſt non quærere ſtatum vitæ, qui ſecundum mundum ſublimior eſt, quia hic ſaluti eſt periculoſior. IX.

Ut bona fiat electio, & antequam fiat, tria ſpectanda ſunt. 1. Status, quem amplectimur, officia; & ſedulo inſpiciendum, utrum illis obeundis pares futuri ſimus. 2. Labores, qui ſtatum hunc concomitantur, & videndum, utrum illis perferendis vires noſtræ ſufficient. 3. Salutis pericula, quæ in eo ſtatu occurrunt, & eorum evitandorum ratio excogitanda. X.

1. Media bene eligendi ſtatum vitæ, quem amplecti volumus, ſunt, id efficere intuitu ſalutis, & ob ſalutis noſtræ rationem: 2. vires noſtras, ingenium, talenta, ac ſtudia conſulere: 3. ſæpe cœleſtia implorare lumina, & auxilia, ut maximum hoc opus. XI.

2. Media corrigendi malam, quæ facta fuit, electionem. 1. Nobiſmet perſuadere debemus non deeſſe gratias, quibus error ille reparari queat; & ſi illæ nobis defuturæ ſunt, quæ deſtinatæ erant in primo ſtatu, quem non ſumus amplexi, poſſe nos eſſe fideles gratiis ſtatus alterius, quem ingreſſi ſumus, atque hoc pacto, quidquid peccavimus, emendare. 2. Si hic ſtatus eſt periculoſus, & relinqui poſſit, quam primum relinquendus eſt. 3. Sin autem relinqui non poteſt, ibi tamen majori cum vigilantia, ac fidelitate in Dei cultu vivendum eſt.

Triplex luminum genus nobis conceſſit Deus ad ſuam de electione ſtatus vitæ a nobis facienda cognoſcendam voluntatem. 1. Rationem. 2. Orationem. 3. Conſilium; quæ tria ſimul conjungenda ſunt, ut tutius intelligamus cœleſtis hujus Patris beneplacitum, & ut ſimus filii lucis. *Ex P. Paulo Segneri.* XII.

De malis, quæ pravam ſtatus electionem ſubſequuntur. 1. Triſtitia, qua toto vitæ ſuæ tempore conficietur, qui perperam vitæ ſtatum elegerit; tædia, & moleſtiæ, quas illic inveniet. 2. Magnus peccatorum numerus, quæ ibi committet. 3. Periculum ſalutis, cui ſe objiciet. XIII.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras, exornandas.

S. Ambroſius *lib. 1. Offic. cap.* 44. oſtendit vacandum eſſe officiis; ſeu muneribus, quæ noſtri characteris ſunt propria. Sancti Patres.

Idem *lib. de Joſeph. cap.* 4. docet, nos in humillima etiam conditione, & ſervitute fideles eſſe poſſe Deo.

S. Chryſoſtomus *homil.* 43. *in Geneſ.* oſtendit, nos Deo fideles eſſe poſſe ea in conditione, qua inter impios verſari nos cogimur; quod Sancti hominis Loth exemplo confirmat.

S. Hieronymus *Epiſt.* 13. docet, ſanctos neque loco, neque conditione fieri, ſed vita, quæ hoc in loco, & conditione dicitur.

S. Bernardus *ſerm.* 49. *in Cantic.* oſtendit Chriſtiani perfectionem in hoc eſſe poſitam, ut ſinguli ſtatus ſui muneribus rite perfungantur.

Leſſius in Opuſculis amplum edidit tractatum de electione ſtatus vitæ amplectendi, ſed ibi ferme de religioſo ſtatu verba facit. Aſcetici aliique.

Gregorius a Valentia tomo tertio Theologiæ alium edi-

edidit, cui titulus; *Diſputatio decima generalis de variis ſtatibus hominum, & officiis.*

S. Franciſcus Saleſius ſermone 17. ubi de hoc agit argumento, pro bonæ vocationis indicio tradit firmam, conſtantemque voluntatem ſerviendi Deo in vocatione, ad quam nos Deus evocavit.

Liber, cui titulus: *Inſtructio ad vitæ ſtatum eligendum*, ubi fuſius verba fiunt de iis omnibus, quæ ad hoc pertinent argumentum.

Gobinet in libro, cui titulus: *Inſtitutio adoleſcentiæ*, quintam operis partem impendit ex ordine, funditusque hoc tanti momenti argumentum pertractans.

In libro, qui inſcribitur: *Chriſtiani interioris exercitia*, ſermo eſt de vitæ electione facienda.

In ſpecimine Ethicorum paſſim hujus argumenti occurrit ſermo, præſertim vero tumo 2.

Cambolas in exemplari vitæ chriſtianæ cap. 6. oſtendit chriſtianam virtutem efficere, ut artes, ac magiſtratus ſecundum chriſtiana placita exerceantur.

P. Nepveu tomo tertio chriſtianarum conſiderationum pro die 13. & 14. Septembris loquitur de hujus vocationis momento, & de ratione illius cognoſcendæ.

Pean in ſpiritualibus diſcurſibus duos habet hujus argumenti tomo primo; quorum alter oſtendit Deum eſſe conſulendum, antequam vitæ ſtatum ingrediamur; alter vero veræ vocationis ſigna proſequitur.

P. Haineuve tomo 1. de Ordine ſermone 14. & 15. in quorum priori agit de iis, quæ generatim ſcienda ſunt, in poſteriori vero de ſtatu eligendo.

P. de la Colombiere in chriſtianis conſiderationibus articulum habet, ubi de ſtatus officiis verba facit.

P. Croiſet tomo 2. conſiderationum ſpiritualium agit de facilitate, qua homines ſeſe mundo implicant non vocati.

Illi omnes, qui exercitia ſpiritualia ediderе ſecundum S. Ignatii methodum, peculiarem habent meditationem de amplectendi ſtatus electione, vel conſiderationem, quomodo ſe quiſque gerere habeat in in ſtatu ſuſcepto, atque punctum hoc inoquam inter præcipuos ſolitudinis fructus reſpiciunt.

P. Delingendes *Feria 6. Dominic. Paſſionis.*

Concionatores. P. Bourdalove invitis ſermonibus, ſermone de ambitione plura habet de magiſtratibus, ac dignitatibus, ad quas non vocati obrepunt.

P. Cheminais tomo 2. ſermonem habet de ſtatus electione.

P. de la Rue in ſermonibus ſub ejus nomine editis, ſermone pro feria 4. hebdomadæ ſecundæ in Quadrageſima.

P. Maſſillon ſermone pro die eadem, & in idem argumentum.

Auctor actionum chriſtianorum tomo 2. ſermonem habet de cura habenda conſulendi Dei de electione ſtatus amplectendi.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta ſermone 6. Adventus.

Idem ſermone pro feria 5. primæ hebdomandæ in Quadrageſima oſtendit nos in qualibet conditione ſaluti noſtræ poſſe conſulere.

Specimen ſermonum pro Dominicis, argumento 2. pro ſecunda poſt Epiphaniam Dominica.

Qui collectanea ediderunt. Buſæus in tomo *de ſtatibus* collegit officia ſingulis vitæ ſtatibus peculiariter inhærentia.

Lohner. Titulo *vocatio*.

Labatha in *Theſauro* Titulo *vocatio*.

PARAGAAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Biblicæ huic argumento.

LOquere Domine, quia audit ſervus tuus*, 1. Regum, cap. 3.

Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te. 2. Paralip. cap. 20.

Quis eſt homo, qui timet Dominum? legem ſtatuit ei in via, quam elegit. Pſalm. 24.

In manibus tuis ſortes meæ. Pſalm. 30.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem. Pſalm. 142.

Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, Pſalm. 24.

Relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas. Proverb. 2.

Eſt via, quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem. Proverb. 14.

Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus ejus conſiderat. Proverb. 5.

Cor hominis diſponit viam ſuam: ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus. Proverb. 16.

Ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Sapient. 5.

Ne credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum. Eccli. 32.

Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis. Eccli. 32.

In his omnibus deprecare Altiſſimum, ut dirigat in veritate viam tuam. Eccli. 37.

Cum ſapientibus & prudentibus tracta. Eccli. 9.

Domine, quid me vis facere? Act. 9.

Quid faciens vitam æternam poſſidebo. Luc. 10. & 18.

Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. 1. ad Corinth. 7.

Unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus Eccleſiis doceo. Ibidem.

Videte vocationem veſtram. 1. ad Corinth. 1.

Obſecro vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis. Ad Epheſ. 4.

Vide miniſterium, quod accepiſti in Domino, ut illud impleas. Ad Coloſſ. 4.

Exempla ex utroque teſtamento deſumpta.

DAvid homo ille ſecundum cor Dei, qui nil metuebat magis, quam recedere a viis, quas illi providentiæ prænotaverat, qui ſciebat, quouſque cæci ſint homines in hoc impenetrabili myſterio, cum perſuaſum eſſet illi, unicam, ne aberraret, rationem eſſe luminum Patrem conſulere, & eſſe quodammodo quamdam obligationis ſpeciem inferre Deo, ut nos in lubrico tutos deducat, illius opem expoſcere, & providentiæ ejuſdem conſiliis ſe tradere, ſeſe his diſponebat verbis ad efficiendam electionem divinæ voluntati conformem; *Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.* Pſalm. 142. Sapiens hoc conſilium ab omnibus hominibus eſſet obſervandum, cum vitæ ſtatum electuri ſunt. Sed filii hujus mundi animum non advertunt ad vias Dei inquirendas. Finis eſſentialis hominis non eſt amplius regula mediorum, quæ aſſumit? quilibet cæce ruit in eo ſtadio, quo ſibi ſua cupiditas ſternit, & nunquam alias verius cum Scriptura dici potuit, unumquemque ſibi viam ſternere velle, ubi quin cogitet, quo tandem deſinat, & quin id ſciat, feſtinat ad interitum: *Uniſquiſque in via ſua erraverunt.* Iſai. 47.

Rogabat Deum David, ut ſibi oſtenderet viam, per quam ſibi eſſet incedendum.

Moyſes, ut Philo Hebræus animadvertit, cum ſe morti proximum videret, auſus non eſt aliquem ex conſanguineis ſuis eligere, quin in perampla provincia a Deo ſibi credita populi regundi ſuccederet. Quorſum? Quia arbitratus non eſt, Auctor idem inquit, ſuos acceſſere ad illud miniſterium, ad quod non niſi explicita vocatione ipſe pervenerat: *Aut quia non putavit rem tantam ad ſuum pertinere judicium; aut quia ipſe non potuerat, niſi Deo vocante, principatum ſuſcipere.*

Moyſes noluit ſibi ſucceſſorem eligere.

Imitemur factum Samuelis, cum ivit ſecundum regem Iſrael conſecraturus. Scriptura nobis exhibet

Factum Samuelis, cum pro-

Pro-

Prophetam hunc in domo Iſai, in quam ſceptrum inferre contendit. Omnes illius filios acceſſit, intuetur, examine explorat, conſiderat: ſed quoniam oculi falli poterant, cœli lumina expoſcit. *Num coram Domino eſt Chriſtus ejus?* 1. Reg. 16. Eliabea in domo primogenitus ſeſe offert Samueli; hic juvenis eſt ex eorum numero, quorum habitus oris ſtatim oculos perſtringit, ſtrenuus, non rudis; decorus adſpectu, atque ex corporis ſpecie regno par: non deeſt illi corporis majeſtas, non deſunt militaria ſtipendia, non deeſt quidpiam, quod in tota exteriori ſpecie deſideretur. Attamen hic ille non eſt, quem regno Deus deſtinavit: *Non hunc elegit Dominus*. Singuli ex ordine accedunt; & David ille eſt, quem invenit Deus ſecundum cor ſuum: *Hunc elegit Dominus*. Admirabilis figura eorum, quæ a vobis facienda ſunt in ſtatus veſtri electione! Licet nobis oculos conjicere in varias conditiones, ad quas aſpirare poſſum, ſed omnibus humanis conſiderationibus amotis dicamus: *Num coram Domino eſt Chriſtus ejus?* Deus me hoc in ſtatu, in hac affinitate, in hoc munere eſſe vult.

ceſſit consecratus David.

Oportet, eos, qui male ſtatum vitæ elegerunt, exemplo Eſau, cui parentis ſui Iſaac defuit benedictio, cœleſti patri preces effundere, ut alteram ſibi impertiri velit benedictionem: *Num unam tantum benedictionem habes pater; mihi quoque obſecro ut benedicas*. Geneſ. 27. Sed hanc non ſine ſuſpiriis, atque ejulatibus petant, & cum eo clamore, qui cor Iſaac confodit: *Cum ejulatu magno fleret*. Quid Domine, in infinitæ bonitatis tuæ theſauris una tantum via eſt, qua ſalvum me facias? Deus, qui fecit, ut errores meos cognoſcerem, eos mihi tradidit cognoſcendos in nullam reditus ſpem? Hoccine cogitare poſſum de Patre amantiſſimo? Conſule, Domine, cor tuum, quin meam reputes in fidelitatem, ibi aliquam pro me damni ſarciendi rationem invenies &c.

Quid faciendum illis, qui imitati Eſau male ſtatum ſuum elegerunt.

Joſeph ſe ad nuncianda fratribus patris ſui juſſa pergere arbitrabatur, cum Deus, qui illum Ægypti totius præſidem, familiæ ipſius columen, ac decus, & Jeſu Chriſti figuram efficere meditabatur, eum mittebat, ut principium nanciſceretur ordo ille divinus, cui eum deſtinabat. David quoque ad exercitum Saul ſe tantum conferre putabat patris imperio annonam fratribus ſuis delaturus, cum illum elegit Deus, ut cum Goliath, qui Judææ univerſæ terrorem incuſſerat, congrederetur; atque inde initium duceret divinus ordo, ad quem illum vocabat Deus, ut magnus eſſet ſimul Princeps, Propheta, ac Sanctus.

Joſeph, David, aliique juſſu Dei ſtatum ad honores evecti ſuere.

Mater filiorum Zebedæi pro illis a Salvatore non petit, niſi terrenos honores, & quin illi negotium faceſſat, utrum ſublimis gradus, ad quem eos ſtudet attollere, conciliari queat cum paſſionibus, quas Jeſus Chriſtus illis ſuſtinendas propoſuit; quin cogitet, utrum vires eorum pares ſint periculis, ac difficultatibus, quibus ſtatus ille obſitus eſt; quin videat, utrum filiorum ſtudia probent injuſtam hanc electionem, qua ſunt attollendi; jam propriis ipſa manibus eos in commentitiis collocat ſubſelliis; amoris mere naturalis motum conſulit, eiſque ſtatum proponens carnalibus ſuis deſideriis conforme, ſibi Dei ipſius vindicat jus, quem penes unum eſt mortalium omnium arbitrium.

Exemplum filiorum Zebedæi.

Cum S. Paulus uni omnium maxime laborioſo, ac terribili miniſterio deſtinatus, conſulit Dominum de ſtatu ſibi amplectendo, nequaquam excipit grave onus Apoſtolatus: *Domine, quid me vis facere?* Actor. 9. Domine, ait ille, ſine exceptione veritus, ne a Dei viis recederet, quid me vis facere! Loquere, Domine; præſtolor enim ſine ulla animi occupatione, & perfecta cum mentis ſubmiſſione imperium tuum; *Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus*. 1. Reg. 3. Quid mihi faciendum eſt, ut ſalutem conſequar, dicebat Jeſu Chriſto homo quidam efficaci ſalutis ſuæ tactus deſiderio: *Quid faciens vitam æternam poſſidebo?* Luc. 10. Talis erat diſpoſitio animarum harum fidelium, & ſanctarum, quæ verebantur, ne providentiæ conſiliis adverſarentur, Opus eſt, anima oculos circumundique in omnes conditiones convertens ſeſe coram Deo ſtatuat, tanquam victimam illi ad reliquam vitæ partem ſacrificandam paratam eo modo, quem Deus magis opportunum, ac magnitudine ſua dignum cenſuerit.

Hæc erat doctrina, quam prædicabat S. Paulus ecclesiis omnibus, qua tranſibat; neque videbat unquam fideles, quin eos admoneret, ut ſemper recti incederent in ſtatu ſuo, quin unquam deflecterent, ſi ad perfectionem progredi vellent: *Unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus eccleſiis doceo*. 1. ad Cor. 7. Quamobrem S. Bernardus dixit, ſtatum noſtrum hac in re plane Dei voluntatem nobis oſtendere; nos impellere ad ea facienda, quæ illi conformia ſunt, nos prohibere, ne faciamus ea, quæ ab illa diſſentiunt, atque teſtari, quod enim Deus nos in hoc ſtatu collocaverit, jubet, nos eidem vacare, ac digne muneribus ejuſdem perfungi, noſmet ab iis rebus omnibus expedientes, quæ ab eodem nos cogantur avertere.

S. Paulus fideles hortatus ut ſtatus ſui officiis fideliter perfungantur.

Applicationes quorundam Scripturæ locorum huic argumento.

OMnia membra non eumdem actum habent. Ad Rom. 12. Non ſecus ac monſtri loco eſſet, ſi oculus, vel brachium naturalem ſitum relinquerent, & ex hac partium perturbatione nullo detrimento corpus afficeretur; ita cum aliquis noſtrum relinquit præſtitutum ſibi a Domino ſtatum, atque ſeſe alteri cuipiam miſcet miniſterio, labem offundit pulchritudini eccleſiæ, quæ in perfecta membrorum omnium diſtributione conſiſtit, & mox univerſam corporis totius parit perturbationem.

Ne credas te via laborioſa, ne ponas animæ tuæ ſcandalum. Cum enim motu proprio ſeſe implicuit homo in eum ſtatum, qui divinis oppoſitus eſt imperiis, nullum eſt in vita malum, quod inde expectandum non ſit. Et profecto ſeu conſideremus calamitoſos hos homines, qui providentiæ detrectarunt imperia, habita ratione proximorum, ſeu illos in ipſis inſpiciamus, nil video niſi triſtes deplorabilis hujus cæcitatis effectus.

Mala, quæ evitari non poſſunt, cum aliquis ex ſe moleſtum vitæ genus aggreditur.

Eſt via, quæ videtur homini juſta; noviſſima autem ejus deducunt ad mortem. Proverb. cap. 14. Alia vero e contra nobis videtur initio difficilis, ſpiniſque præpedita, quæ in decurſu facilis, & commoda fiet: alia per ſe tuta eſt, quæ nobis periculoſa eſſe poteſt: alia aliis periculoſa eſt, quæ nos ad cœlum perduceret: alia numero, & magnitudine difficultatum, quæ aliis videntur inſuperabiles, nos nequaquam deterret. Verbo, de vitæ ſtatibus nequaquam ferendum eſt judicium ex eo, quod ſunt; ſed ut ſapiens, cordataque electio fiat, conſideranda ſunt ſecundum eam, quam nobiſcum habent, rationem, diſcutiendum eſt, annos deceant, an ullum in illis vel pro tempore, vel pro æternitate diſcrimen ſubeamus.

Qui dixerunt: hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Pſalm. 82. Non deſunt, qui in ſanctuarium ingredi volunt tanquam in hæreditatem, quæ ſibi ſucceſſionis jure debeatur. Hoc beneficium tot annos in noſtra permanet familia, & pro virili ſervandum eſt; eaque pars erit alicujus natu minoris, qui Abbatis titulo decorabitur. Verum aptuſne eſt ſtatui eccleſiaſtico? Hoc quærendum non eſt: beneficium hoc domui noſtræ adhæret, permittendum non eſt, ut inde egrediatur. Sed reſpondeo cum David Pſalm. 82. *Deus meus pone illos, ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti*: hoc eſt, illos humilia, deſtrue, annihila, & quoniam in iis, quæ ad tuum pertinent cultum, rationem tui nullam habent, in illos maledictionum tuarum tela contorque. Et profecto nil magis fatale, nil magis obvium eventibus miſeris, quam hujuſmodi opes, quæ in eccleſia hæreditario jure poſſidentur.

Sunt qui veluti hæreditario jure in eccleſiam ingrediuntur ſine ulla vocatione.

Tu autem dominator virtutum, cum magna reverentia diſponis nos. Sapien. 2. Tantum abeſt, quod credenda ſit aliqua ineſſe vis in Dei erga nos providentia, ut

Suavitas divinæ Providentiæ nos

ut perſuaſum nobis eſſe debeat, Deum de rebus omnibus magna cum reverentia, atque ſapientia diſponere: *Cum magna reverentia*, quaſi vellet innuere: Domine, homini libertatem largitus es, quæ eſt emanatio quædam libertatis tuæ, de voluntatibus noſtris non ſine quadam reverentiæ ſpecie diſponis, earum prudentem rationem habes, eaſque ſoaviter deducis: tuum eſt nobis illud vitæ genus præſcribere, quodcumque tibi placuerit, & non illud, quod ipſi vellemus. Dei unius eſt de cordibus noſtris diſponere, ſeu quod ipſe unus ad unguem eorum ſtudia cognoſcit, ſeu quod illa nonniſi impreſſionibus Dei digne poſſunt regi. Non quid illis regundis par eſſet humana prudentia? Brevia ſunt hujus lumina. Nunquid ea regere mundos contendat? Hic non ſatis integer eſt. Nunquid homo ipſe hoc præſtare conetur? id ille citra iniquitatem non poteſt.

ad vitæ ſtatum vocantis.

Quos prædeſtinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit. Ad Rom. 8. En ſecretum bonum myſticorum verborum, quæ omnem nobis felicitatem portendunt, Status noſtri vocationem ſequi vera via eſt adimplendi conſilium, quo Deus nos in hac quidem vita perficere, & in altera glorificare cupit. Hic ordo eſt, quem tenere debemus, ut ſancti ſimus, & aſcendamus ad Deum; quandoquidem hic ordo eſt, quem tenet Deus, ut veniat ad nos, atque noſmet ipſos ſanctificet. Primum nos *prædeſtinavit*, inquit Apoſtolus ad Rom. 8. quid autem hæc prædeſtinatio eſt? niſi lex æterna, & voluntas nos ſalvos faciendi, omnia nobis ad ſalutem neceſſaria ſubſidia conferendo; deinde nos *vocat*; ſed quo? niſi ad ſtatum, qui nobis proprius eſt, ut quod de nobis habet, conſilium adimpleat. Non ſtatim a prædeſtinatione nos ad gloriam transfert, ſed ab una ad alteram traducit per viam, quam nos docet, cum videlicet vitæ ſtatum, ad quem nos vocat.

Vera ſanctitatis acquirendæ via eſt fideliter ſequi ſtatus ſui vocationem.

Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent! Deuter. 32. Utinam homines veritatem hanc bene intelligerent! quantum ad ſalutis rationem conducat bona vitæ electio. Næ illi ſtatim vitæ rationem mutarent; mature deliberarent, antequam ſtatum bone ingrederentur, antequam ſeſe huic negotio immiſcerent! Si pavidam haberent conſcientiam, ac ſenſum aliquantulum delicatum, ex prudenti, ſcitoque confeſſario quærerent, utrum licite hanc, vel illam vitæ rationem ſuſciperent; ſed ubi ſemel eam ſuſceperunt, ſenſim, ac ſine ſenſu peccati timorem, quem habebant, amittunt.

Quantam prudentia de ſtatus electione ſit deliberandum.

Loquere Domine, quia audit ſervus tuus. 1. Reg. cap. 3. Beatus ille, qui uti Samuel, ait, loquere Domine, quia audit ſervus tuus; ſi enim attente illius vocem audies, quandonam tibi mundus negotium faceſſet? Sed heu! non erit amplius tempus. Non ſecus ac nautæ magna ſæviente procella navarchi vocem non audiunt; ita dum voluptatibus, atque affectionibus agitaris, quomodonam Dei vocem audire vales? Hæc, S. Bernardus ait, *ſecretum conſilium, ſecretum auditum poſtulat*. Beatus ergo, qui antequam hanc vocationis electionem inſtituat, cum Deo ſe recipit cum eo de ſtatu amplectendo deliberaturus.

Dei vox audienda eſt in hoc vocationis negotio.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac ſententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

QUi *ſpreverunt voluntatem Dei invitantem, voluntatem Dei ſentient vindicantem*. Auguſt. ad artic. ſibi falſo impoſitos.

Commendant mores ſtatum, non ſtatus mores. Ambroſ. Epiſt. 44.

Quanto ſtatus inferior, tanto virtus eminentior, Idem ibidem.

Omnis ad recte agendum provocatur ætas, & dignitas; nemo igitur publicis ſe excuſet actibus. Idem, Serm. 7. de milit.

Quod ipſi gerunt, officiis ſuis adſcribunt. Idem.

Tametſi Deus nos vocet, expectat tamen ut ſponte accedamus, ac tum nobis ſuum præbet auxilium. Chryſoſt. Serm. 1. de Verb. Apoſt.

Non una ſalutis via, nec unus modus eſt. verum permulti ac differentes. Idem, l. 3. adverſ. vituperat. vitæ Monaſt.

Homo, ſi gehennam metuis: ſi regnum affectas, ne vocationem ſpernas. Baſil. Homil. 13. de Bapt.

Non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe laudabile eſt. Singuli credentium non locorum diverſitatibus, ſed fidei merito ponderantur: Spiritus ubi vult, ſpirat. Hieronym. Epiſt. 13.

Inſcrutabilia ſunt judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus, quibus ad ſalutem humanum attrahit genus, Caſſianus, Collat. 13. cap. 15.

Multa utique perditionis via cum una regalis via, lex Dei videlicet, deſeritur. Idem.

Ad negotiandum vocatus es, ne perdas margaritam, ne theſaurum tuum deprædetur inimicus, ne navis demergatur una cum onere, & vacuus revertaris ad propria. S. Ephrem, in illud: Attende tibi.

In quocumque ſtatu ſive vocatione homo fuerit, nunquam ſe excuſare poterit, quod Deum amare nequeat, & proximum propter ipſum. Hugo Cardinal. in Pſalm. 18.

Tota ratio damnationis eſt perverſa adminiſtratio conditionis. Tertull.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu hoc in argumento valeat depromi.

VErbo vocationis ad vitæ ſtatum ſuperius admonui non aliud intelligi, niſi divinæ providentiæ diſpoſitionem, quæ ad arbitrium ſuum diſtribuens varias conditiones, munera, ac profeſſiones, quæ politicum, eccleſiaſticumque ſtatum conſtituunt, cuilibet tribuit talenta, ſubſidia, & gratias, ut rite ſuo perfungantur officio, ac ſalutem ſuam operentur. Per electionem vero ſtatus, & profeſſionis a ſingulis faciendam, curam intelligimus, quam quivis ſuſcipere debet, & neceſſitatem, quam habet, divinam hac in re voluntatem conſulendi, ut ſe providentiæ præceptis conformet, & obſequatur conſiliis, quæ illa de ſingulis habet.

Quid intelligatur per vocatione ad ſtatum vitæ & per electione faciendâ.

Hæc vocatio ex parte Dei conſiſtit 1. in peculiaribus luminibus, quæ ipſe tribuit illis, qui ſalutem ſuam cupiunt operari, per quæ illis oſtendit voluntatem ſuam, & quo in ſtatu illi tutius, atque facilius ſalvari potuerunt. 2. In validis ſtudiis, quæ illius pro uno potius, quam pro altero ſtatu immittit, & quæ illi, quos ad hunc evocat ſtatum, experiri in ſe conſueverunt. Sin autem vocatio conſideretur ex parte illius, qui ſtatum aliquem ingreſſurus eſt, conſiſtit in talentis, & qualitatibus, quas a natura ſortitus eſt; mente, ingenio, corporis viribus, natura, quæ omnia efficiunt, ut intelligat cuinam rei par ſit; & in recto ſenſu, quo de negotii hujus neceſſitate judicat; quæ res illum impellit ad vires ſuas excutiendas, Dei voluntatem conſulendam, implorandam opem, nihilque temere, & ſine conſilio aggrediendum.

In quo ſita ſit hæc vocatio ex parte Dei vocantis, & ex parte illius qui vocatur.

Hoc in argumento ſupponendum eſt, & pro certo habendum, quemlibet ſtatum, & conditionem, cum pro humanæ ſocietatis utilitate, atque ordine ſervando, ſine quo vigere non poſſet, inſtituta ſit, inſtituta fuiſſe juſſu providentiæ, quæ novit diſtribuere, & aſſignare cuilibet, quod proprium eſt, & quæ illis, quos aliquo in ſtatu collocat, ea deſtinat ſubſidia, & gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut in eo omnia ſibi fluant e ſententia, & ut ibi ſalutem ſuam operentur.

Altera veritas, quæ ex priori conſequitur, eſt hanc eamdem providentiam voluiſſe inæqualitatem, quæ in ſtatibus, & conditionibus, atque inter homines invenitur; ab illa alios quidem ſublatos, alios depreſ-

Conditionum inæqualitas effectus eſt providentiæ.

ſos

ſos fuiſſe, alios divitiis, commodiſque auctos, alios vero paupertati, atque labori addictos. Quemadmodum autem hic ordo divina conſtitutus fuit providentia, omnes a Dei manu recipere debent diſpoſitionem, quam de ipſis illi facere placuit, omnibuſque perſuaſum eſſe debet, Deum, qui curam habet eorum, illos deſtinaſſe huic ſtatui, & conditioni, tanquam aptiſſimæ ad ea adimplenda conſilia, quæ ab æterno de iiſdem concepit. Quamobrem nequaquam putandum eſt, hanc conditionum, ſtatuumque varietatem, quam in mundo videmus, ſortis effectum eſſe.

Nulla ars, aut vocatio ita humilis eſt, ut deſint qui illam exerceant.

Hic etiam inter providentiæ effectus recenſendus eſt, ut quin hominum ſtudiis vis ulla inferatur, nulla ſit adeo miſera conditio, quæ aliquibus utilis non ſit; neque ars ulla adeo vilis, ut nemo inveniatur, qui exerceat illam. Non deſunt, qui terram excolant, & annonam præparent illis, qui urbes incolunt, non deſunt, quibus militaris labor acceptus eſt, & qui ſtrenue vitam ſuam in diſcrimen adducunt. Alii commercium diligunt; alii mercaturæ operam impendunt; alii denique ſtudiis, ſcientiiſque vacant. Sunt, qui juſtitiæ exercendæ, qui imperando, qui imperata faciendo nati, factique videntur. Providentia hæc omnia inſtituit, & cuilibet locum decrevit.

Deus nos vitæ ſtatui deſtinavit, ut integrum nobis ſit eligere.

Deus ita noſtrum ſingulis vitæ ſtatum, in quo prædeſtinationis ipſius opus adimplendum eſt, prænotavit, ut liberam nobis optionem reliquerit; non ſolum ut ex ſuavi, amabilique hac providentiæ ipſius ratione, quam habet erga hominis libertatem, intelligeremus ipſum nulla in re liberi arbitrii jura lædere velle; verum etiam ut nobis integrum relinqueret meritum maximi illius ſacrificii, quod offerre Deo poſſit homo, illi omnem vitam ſuam conſecrans eo in ſtatu, quem ipſi deſtinare placuerit Deo: ideoque poſitum eſt bene conſulere, ac deliberare.

In ſtatus electione judicium ferendum eſt habita ſalutis noſtræ ratione.

Conſtans in diſciplina morum effatum eſt, homini de fine deliberandum non eſſe, quia hic abſolute neceſſarius eſt illis omnibus, qui eſſe volunt beati; ſed deliberatio ſemper verſari debet ſuper varia media, quæ ad finem adducunt: non enim omnia æque bona ſunt, & in profunda ignorantia, in qua verſamur, de negotio, quod tanti momenti eſt, nulla unquam nimia eſſe poteſt diligentia, nimis unquam cœli ſubſidium implorari non poteſt. Et profecto quidquid efficere poteſt negotii alicujus exitum ambiguum, incertumque hominum ſapientum judicio, invenitur in electione ſtatus vitæ, quam ipſi facimus, & quidquid efficere poteſt, ut pravus negotii exitus ſequatur, ſeparari non poteſt ab erroribus, quos in iſto committimus.

Cum agitur de vitæ ſtatu eligendo, ut illum amplectamur, nequaquam judicium ferendum eſt de ſtatibus ex eo, quod ipſi per ſe ſunt, ſed ut ſapiens, ac prudens electio ſit, illi conſiderandi ſunt ex ratione, quam habent nobiſcum. Noſtra ſalus, & Dei voluntas, quæ tali in ſtatu non verſari jubet, eſſe debent veluti principia, & cauſæ noſtræ electionis, ita ut vere dicere poſſimus, hunc potius, quam alium quemlibet ſtatum eligo, quia poſt diligens examen cenſeo coram Deo, hunc eſſe illum, quem æterna infinitæ ſapientiæ decreta mihi prænotarunt; hoc animo illum amplector, ideoque in eodem & vivere, & mori volo. Talia eſſe debent illius hominis conſilia, qui falli non vult.

Non deeſt illuſio in eo, quod vulgo dicitur, homines in quolibet conditione ſalvari poſſe.

Cum oſtenditur periculum, quod adeſt quibuſdam in ſtatibus, qui parum congrui videntur ætati, viribuſque eorum, qui amplectuntur illos, putant, ſe ſolidam afferre reſponſionem; nequaquam impoſſibile eſſe in quolibet ſtatu ſalutem ſuam operari, periculum ubique adeſſe, ubi bona deſit voluntas, ubi vero adſit, ubique ſalvari non poſſe. Sed hac in reſponſione plurimum illuſionis adeſt. Verum eſt in quolibet ſtatu ſalvari nos poſſe, ſed illic nonniſi ſummo niſu, quem pauci exerunt, ſalus poteſt acquiri. Verum eſt, eos, qui in eo ſtatu ſunt, ſalvari poſſe per gratias, quas a Deo recipiunt; ſed non ſemper paratus eſt Deus, ut illis, qui ejus injuſſu ſtatus eos ingrediuntur, potentes concedat gratias, ſine quibus nemo re ipſa ſalvatur. Hoc rite conſiderandum eſt, & ad examen vocandum, antequam ſtatus aliquis ſuſcipiatur.

Prædeſtinatio noſtra pendet ab electione ſtatus.

Omnis noſtra prædeſtinatio fere pendet a ſtatu, quem amplectimur: inde fere unice pendet noſtræ æternitatis felicitas, vel infelicitas. Prædeſtinatio, Theologi inquiunt, ex parte Dei non aliud eſt, quam catena gratiarum, quæ nobis præparatæ ſunt, ex parte vero noſtra non aliud, quam ſeries actionum, quibus innititur judicium decretorium, quod de nobis a Deo fit. Quot reprobi, qui in inferno torquentur, vixiſſent in terra vitam Sanctorum, ſi Dei vocem ſecuti fuiſſent, eum amplectentes ſtatum, ad quem a Deo vocabantur? Quot cœlo fruuntur ſancti, qui in terris impii, ac flagitioſi fuiſſent, ſi eam elegiſſent conditionem, ad quam a Deo non vocabantur?

Quam neceſſaria ſit gratia vocationis ad aliquem ſtatum.

Poſt baptiſmi gratiam, quæ ſalutem noſtram incipit, & gratiam bene moriendi, quæ illam perficit, gratia ſtatus bene eligendi pro toto vitæ ſpatio una omnium maxime ſalutaris eſt, ac neceſſaria; quia eſt tanquam medium, & vinculum, quo baptiſmi gratia, & gratia finalis ſimul nectuntur. In communi via ad ſalutem triplici nobis opus eſt gratia, quibus illa innitatur; illi, qui primam in baptiſmo recepit, ac tertiam in morte recipere cupit, nihil utilius, & magis neceſſarium eſt, quam bene eligere ſtatum vitæ, ad quem vocatur a Deo; bona quippe electio, ſi noſtræ prædeſtinationis, & ſalutis ratio habeatur, idem eſt ac lapis medius, qui fornicis clavis appellatur ratione utriuſque partis fornicis ejuſdem, quæ clave hac junguntur, & ſuſtinentur.

Ratio, & fides credere vetant Dominum, poſtquam miſericordia ſua nos ad evangelii lumina evocaverit, voluiſſe nos tradere libidini, & arbitrio noſtro, necnon mentis noſtræ tenebris, penes nos relinquentem noſtræ ſortis imperium in electione, a qua æternitas noſtra penderet. Et ratio conſtat: neque enim Deus otioſum eſt numen, quod omnia ſorti committat; ſed univerſorum regimen ſpectandum eſt veluti opus infinitæ ſapientiæ, quæ regit omnia, quæ omnia ad ſuum finem adducit per vias, quæ naturæ eorum aptæ, & accommodatæ ſunt; & ſicuti in hominibus vitæ ſtatus quamplurimum confert ad finem, cui illos deſtinat Deus, ita eos opus eſt eodem vocari.

In omnibus ſtatibus concedit Deus peculiares gratias ut ſalutem conſequamur.

Cum ſtatibus omnibus ſua adſint peculiaria pericula, Deus omnibus propria ſuppeditat ſubſidia, ut illa evitentur. In theſauris miſericordiæ ejus non deſunt hujuſmodi gratiæ, ut quilibet ſtatus ibi peculiaria nanciſcatur auxilia, quæ ſalutem ipſorum maxime deceant. Non deſunt gratiæ ſacerdotii, magiſtratus, patrum familias, privatorum; gratiæ ſeceſſus, conjugii, cœlibatus, viduitatis. Deus nunquam non alicui deſtinat fini, quin nobis conferat media, quibus ad eum perveniamus. Præcipiens ſingulis finem, quo illi tendant opus eſt, illius electioni adnectit ſubſidia, & neceſſarias vias, quæ illuc feliciter adducant. Sed ut in gratiæ ſtatus alicujus partem veniamus, ad illum a Domino vocandi ſumus. Si temet aliquo in gradu collocare cupis, tuum eſt ibi teipſum tueri; niſi es in via, quam deſtinavit tibi, te tibi tradit; ſolus incedes, neque deducet te.

Nullus eſt vitæ ſtatus, quem inexplorata Dei voluntate liceat amplecti.

Quamcumque libertatem homini conceſſerit Deus illum, ut Scriptura inquit, relinquens in manibus conſilii ipſius, generale effatum eſt innixum religionis principiis, nullum eſſe vitæ ſtatum, quem homini chriſtiano liceat ingredi a Deo non vocato; nullam eſſe conditionem, cujus præcipua, atque eſſentialis regula non ſit, a Deo ad eamdem vocari; nullum gradum, nullum munus, quod periculo careat, ubi inexplorata Dei voluntate ſuſcipiatur. In hoc, S. Chryſoſtomus ait, poſitum jus eſt ſupremi imperii, quod ſibi reſervavit Deus in creaturam rationabilem, atque intelligendi vi præditam, & in hoc beata conſiſtit obligatio, qua creatura uti non debet libertate, & jure ſuo niſi dependenter a Deo Domino ſuo: quia nihil eſt arctius adeo vinculis eum

ſu

Digitized by Google

ſalute conjunctum, quam id, quod vocationem dicimus.

Quanquam Deus vitæ, & officiorum noſtrorum ſit dominus, ac abſolute de nobis diſponere valeat, non ſemper tamen hoc imperio, & ſeveritate nos regit. Cupit ſemper voluntatem noſtram a ſua non abhorrere, noſtraque conſilia cum ipſius conſiliis conſentire pro ſtatus electione. Nos igitur eo vocat, ubi nos deſtinat; & ſi fideliter voluntatem ejus ſequimur, nobiſcum agit tanquam cum filiis, qui patrem verentur, eidemque obſequuntur, & qui nolunt emancipari, & illius jugum excutere.

Vita, moreſque ad ſtatum formandi ſunt.

Hæc veritas eſt, de qua nobis perſuaſum eſſe debet, Statum noſtrum nobis indigitare debere omnia opera bona, quibus vacare debemus, & illa, quæ ab aliis fieri debent, relinquere. Nullus enim dubitandi locus eſt, ſicuti ex altera parte neceſſe eſt opera bona fieri a nobis, ac nos orationi, jejuniis, eleemoſynis, & mortificationi indulgere; ex altera iis, quæ univerſi præſtare debemus Deo, ſingula peculiarem ordinem habere, a quo recedendum non eſt, & mandata, in quibus eſt ſubſiſtendum, quin perperam tranſitus fiat ad ea, quæ in eo ſtatu nequaquam requiruntur.

Quid faciendum cum prava facta fuerit electio.

Qui in ſtatus ſui electione ſe deerraſſe putant, ſibimet conſulere opus eſt eam, quam fecerunt, electionem emendaturi. Vel enim ſtatus eorum ſtabilis, ac permanens eſt, veluti ſacerdotium, conjugium, religio, vel liber eſt, ac ſine ullo vinculo neceſſario, quales ſunt pleræque vitæ hujus conditiones. Si liber eſt, & poſt maturam deliberationem bona fide cognoſcunt Deum illos in hoc ſtatu minime velle, illum ſtrenue relinquant, oportet; tandem enim hoc munus illi non æque pretioſum eſt ac oculus, quem tamen erui Deus jubet, ſi ſcandalum attulerit. Sin autem ſtatus eorum eſt permanens, Dei voluntas eſt illos in eodem morari; & docent Theologi, licet Deus non hæc primum de illis habuerit conſilia, ex quo tamen permiſit, ut illi ſeſe æterno ſtatui implicarent, illum ſecunda voluntate ſua totum feciſſe alterum hunc ſtatum; nec deeſſe illi gratias, quarum ope malum reparare poſſimus, & quas nobis confert, ut ſaluti noſtræ proſpicere valeamus. Hoc ſolum nobis perſuaſum eſſe debet, quod cum difficilius ſit nos ibi ſalvari, majorem a nobis afferendam eſſe fidelitatem, ut gratiis hujuſmodi reſpondeamus.

Duo mortalium genera, quibus Deus ſuam non largitur opem.

Dicere poſſumus mundum in duo mortalium genera eſſe diviſum, quorum alii ex ſe ſtatus, profeſſiones, ac miniſteria ingrediuntur, ſeque ſua manu ibi conſtituunt. Alii vero a Deo vocantur, ac ſtatum Dei juſſu amplectuntur. Attamen hoc diſcrimen nequaquam efficit, ut noviſſimi melius, quam primi proſperentur, & beatiores fiant; & ratio, quæ malum hoc hinc inde par efficit, hæc eſt, quod Deus neutris ſuam opem, validumque præbet ſubſidium, quo utrique æque indigni ſunt. Hoc primis renuit, quia ipſum non conſuluerunt, & quia propriæ tantum cupiditatis motu ſeſe eo in ſtatu conſtituerunt; neque poſterioribus illud concedit, quia quin reſpondeant gratiæ, qua illos dignatus fuerat, quin animum appellant acquirendis virtutibus, quas ab illis expetebat ſtatus, ad quem vocaverat illos, prorſus alia curant negotia, & in oppoſitum tendunt.

De mutatione ſtatus, & conditionis.

Status, vel loci mutatio vulgo tanquam tentatio reſpicienda eſt. Fere ſemper Dei jugum excutere contendimus, cum recedimus a loco, vel ſitu, in quo nos illius providentia conſtituit; & quemadmodum plerique eorum, qui conditionem, locumve mutant, id agunt ex inconſtantia, vel ob rationes prorſus humanas, perraro accidit, ut hujuſmodi motus illis afferant vel requiem, vel ſolatium, quod ſe illic nacturos eſſe ſperaverunt.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, concionatoribuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Fortuito amplectendus non eſt vitæ ſtatus, ſed antea mature deliberandum eſt.

PRobatiſſimum eſt in morum diſciplina principium, eos, qui fortuito agunt, imprudenter agere, tunc etiam cum aliquid illis cedit e ſententia, aut cum aliqua ab illis bona electio fit. Ita homo ſe infra ipſam brutorum conditionem ſubmittit, quæ natura ſortis arbitrio committere noluit, & quibus inſtinctum quemdam immiſit, quem tanquam regulam aliquam ſequerentur. Homo vero ab illis diſtinguitur propter eximiam hanc facultatem, qua cognoſcit, quamnam rationem habeant media cum fine, quem ſibi proponit. Ex quo igitur homines ſe ipſos adeo neceſſario privant auxilio, atque ſeſe ſortis arbitrio committunt, patet, illos ſeſe manifeſto objicere periculo ſe ipſos fallendi; & cordatus quilibet fatebitur, probabilius eſſe illos deerraſſe, quam credibile ſit, eos in recta via incedere .... Hoc argumentum nobiſmet ipſis applicemus in negotio ſtatu vitæ, quem debemus amplecti. Omnes vitæ ſtatus viæ ſunt, quæ nos ad æternitatem adducunt; providentia noſtrum ſingulis ſtadium aperit, ubi curſum abſolvamus, & deſtinatum nobis bravium promereamur. Verum ſi tuto, ac non fortuito incedere cupimus, quin ſciamus, quo pergimus, temere ingredi non debemus in viam, quam nobis providentia non aperit. Etenim quamvis hæ omnes vitæ in cœlum adducant, quilibet ſuam habet prænotatam; neque ad omnes pertinet pervenire ad terminum per vias, quas nobis Dominus nequaquam præſcripſit. *P. Cheminais, ſermone hujus argumenti tom.* 2.

Ad vitæ ſtatum bene eligendum omnia abjicienda ſunt præjudicia.

Quid prodeſt generatim ſentire, opus eſſe, ut ſalvemur, & ſalutem pro fine, ac norma ſtatus noſtri accipiamus, atque eum ſequamur, quem aptiſſimum eſſe cenſuerimus, ut eo perveniamus? Quid prodeſt inquam hoc ſentire, ſi alioquin mens noſtra ſexcentis repleta præjudiciis ſententia hac non utitur, uti decet? Quis enim ex humanis mentibus avellere poſſet omnia erroris principia, quibus judicia earum corrumpuntur? Et ubi quis ſemel ſequatur quædam placita, quæ mundi ſapientibus arrident, quomodonam uti poteſt conſiliis, quæ ipſi traduntur, & cognitionibus, quas adeptus eſt? Qui objecta nonniſi per organum male affectum intuetur, nunquid minori in periculo ſemet decipiendi verſatur (quantumvis aliunde lumen illi ſuppetat,) quam qui hoc carent auxilio? Quærimus, dicimus ipſi, quid velit Deus, & nobiſmet perſuadere volumus, nos bona fide agere. Fortaſſe etiam aliquid peccamus, quia modicam adhibemus diligentiam, ut ad examen noſtra præjudicia vocemus; ſed falſa perſuaſio, ac præjudicium temere conceptum infinitorum errorum eſt cauſa. Ut igitur in re tanti negotii ſapienter noſmet geramus, veritatis oracula ſine præjudicio conſideranda ſunt, atque illi ſine ulla exceptione eſt obtemperandum. *Idem*.

Fallacia præjudicia, quibus nos præverti patimur erga ſtatus aliquos, & quæ prohibent, ne bona electio fiat.

Inter fideles ipſos, qui ſaluti ſuæ conſulere quærunt, non deſunt, qui de amplectendo vitæ ſtatu deliberatur incipiant, religionis ſtatum excipiendo, ſic, ut ita dicam, cum providentia ſtipulantur, ut ſeratur conditio æquior, & naturæ magis accommoda. Alius, qui cœlibatus pacem, & libertatem cum conjugii ſervitute comparat, in reliquam vitæ ſuæ partem ſacrum hunc nodum rejicit, atque inconſulto Deo illum excludit, conſilii ſui ita certus, & contentus, ut de hac re ne momento quidem hæreat. Hic conjugii amore præventus, ne conſiderat quidem, utrum hoc recipere debeat ſacramentum, quod nihilominus etiam, atque etiam eſſet conſiderandum; ſed de bonis, affinitatibus, dotibuſque illius, quam in uxorem ducturus eſt, ſerio deliberat; & ſi eo procedit, ut futuræ conjugis virtutem, ac probitatem vocet ad examen, ita ſibi complacet

in ſe adeo a communi uſu abhorrenti, ut præcipuus electionis error negotium illi nequaquam faceſſat. Ille ſecreta ambitione tamen, cui facere ſatis non poteſt in ſæculo, non ambigit, utrum eccleſiam ingredi debeat; ſed cogitat, quem illic gradum habiturus ſit, ad quas dignitates poſſit attolli; circa vero electionem a ſe factam animum habet tranquillum. O nos cæcos, & miſeros! Speramuſne ſeereris amoris proprii conſiliis facere poſſe, ut divinæ providentiæ conſilia ad arbitrium noſtrum torqueamus? Fallimuſne Deum, an noſmet ipſos? & credimus nos æternæ ſapientiæ decreta mutare poſſe illa oculis noſtris auferentes, illa ſub ineptis prætextuum coloribus diſſimulantes, eaque in ſenſum noſtrum interpretantes? *Idem*.

Volgo mundi, non evangelii leges ſequimur, cum de ſtatu amplectendo ſermo eſt.

Quædam mundi leges, cum de ſtatu eligendo ſermo eſt, nobis quodammodo principiorum locum habent. Ne venit quidem in mentem de illis ambigere; neque putaremus nos æque ratiocinari, niſi noſtra conſilia ineptiſſimis hujuſmodi placitis inniterentur. Opus eſt primogenitum in ſæculo domus dignitatem tueri; alterum ab hoc altarium miniſterio addici, neceſſe eſt; tertium cœlibatum profiteri in aliquo ordine militari; puellam, quibus negavit natura decus, ac ſpeciem, qua aliæ commendantur, in omne vitæ ſpatium inter clauſtra eſſe ablegandam; eam vero, quæ egregiis donata eſt dotibus, in mundi lucem eſſe proferendam; idque ob eas rationes, quæ fortaſſe in dubium revocare deberent, utrum melius eſſet alteram alterius inire conſilium. Filius tenetur togam amplecti, quia magiſtratus aliquis jampridem in familia perſtitit; alius, qui jam eccleſiaſticum ſtatum fuerat ingreſſus, ob natu majoris deceſſum arma ſequitur. Fieri profecto poteſt, ut providentia ſeſe omnibus hujuſmodi eventibus accommodet; ſed quomodocumque ſit, hujuſmodi ſtatus non ea ex parte ſpectantur, ſed quia paſſim conſuetudo illos recepit. Tu vero, Domine, itane judicas? Agnoſciſne iſtle primum illud conſilium, quod de hominis fato concepiſti? Satin' intellexerunt illi altitudinem conſiliorum tuorum in hoc graviſſimo ſuæ ſalutis negotio? Nunquid infinitæ ſapientiæ tuæ conſilium ingreſſi ſunt? Hinc debent illi, & poſſunt conjicere, utrum ſe ipſos deceperint, & an in bona via eſſe perſeverent. *Idem*.

Quotuſquiſque magnum hoc incipiens ædificium, in quo in omnem permanſurus eſt æternitatem, ſupputat ea, quæ habet, bona juxta Jeſu Chriſti conſilium; ad examen revocat vires ſuas, talenta, dotes naturales, & acquiſitas, ac inde fert judicium, utrum habeat, unde opus ad finem uſque perducat? Aſcendunt homines ipſa, unde jus dicendum eſt, ſubſellia, quin ſuum captum, ſuoſque mores conſiderent. Fruſtra ſuadet Sapiens, ne judicandi provinciam aggrediamur, niſi nobis ſatis fuerit roboris, atque conſtantiæ ad tuendas partes egeni, qui a fortiori opprimitur, & ad miniſterium hoc eadem æquitate exercendum, qua ab ipſa lege exerceretur, ſi hæc per ſe ferre poſſet judicium. Invehuntur in eccleſiam male nati filii cupiditatum ſuarum, quæ magis feræ, & inordinatæ ſunt, mancipia, qui nullo pietatis ſenſu afficiuntur, & qui magis mundani ſunt, quam qui in mundo vivunt. In illud munus irruimus, ubi ſeſe primum nobis offert ſpes lucri, quin bonæ fidei, & probitatis noſtræ faciamus periculum. Nonne igitur nobis credendi locus eſt, eo modo, quo hodierna die vitæ ſtatus paſſim eligitur, extremum eſſe periculum, ne noſmet decipiamus? *Idem*.

Aliquando conſanguinei, & amici conferunt aliquid, ut pravam electionem faciamus.

Perinde ac nullus nobis eſſet obex, quo bonam electionem facere prohiberemus, conſanguinei, & amici, qui nobis duces eſſe deberent in re, quæ tot periculis eſt obnoxia, illi vulgo ſunt, qui præ cæteris nos in errorem impellunt, & nonnunquam cæci ſunt duces cæcorum; at mirumne eſſe debet, ſi hos in præceps adducunt? Poſſuntne illis aliam immittere mentem, quam ipſi habeant? quam vero plerique habent, niſi humanam, omnibuſque cupiditatibus perviam? Hinc licet Tridentina Synodus tot contorſerit anathemata in eos, qui vel cogunt, vel prohibent filios ſuos religionis ſtatum amplecti, videntur paſſim, qui abutuntur timore, atque reverentia, quam natura animis eorum inſeruit, ut parentum ſalutaribus monitis illos dociles redderet. Abutuntur, inquam, ut adoleſcentibus timorem incutiant, eoſque cogant illud vitæ genus ingredi, quo a divina providentia non vocantur ...... Ad examen non revoco, quid in judicio Dei reſpondere poterunt, cum adeo impiæ prævaricationis nomine inſimulabuntur; non cogito, quid filii in æternum exprobraturi ſint illis, quod cauſa extiterint damnationis ipſorum, ac eos in ſtatum adduxerint, ubi ſalvi fieri vix poſſent; neque immoror illis ob oculos repræſentans omnem hujus tyrannidis enormitatem, quam exercent in eos, erga quos natura ipſis amoris dumtaxat, & benevolentiæ ſenſus immiſerat; hinc ſolum argumentor maxime arduum eſſe non errare, cum de vitæ ſtatu eligendo deliberatur, & nihil ibi facilius eſſe, quam falli. *Idem*.

Quam amatis torquentur ſtimulis hæ conſcientiæ vocationi ſuæ infideles, quæ juſto Dei judicio ſeſe horribilibus tradunt ſollicitudinibus? Ab uno ad alterum ſtatum migrant, ſingula profeſſionum genera ſcrutantur, & nulli adhærent; moroſitatem ſuam per omnes vitæ conditiones ſecum trahunt, & ubique emendicant requiem, quam ſola divinis præceptis obedientia illis poteſt elargiri. Non ita accidit illis, qui legitima vocatione ſeſe auſteriſſimis vitæ officiis implicuerunt. Verum eſt ipſos ibi crucem ſuam invenire, ſed non deeſt illis magna ſolatii cauſa, ipſæ etiam ſeveriſſimarum religionum auſteritates huic ſolidæ oblectationi admixtæ ſunt, quod in hoc Dei mandatis obediunt. Tu, Domine, in has me ærumnas conjeciſti; tu me in ſtatum hunc impuliſti; nunquam de viribus meis tantum præſumpſiſſem; & nonniſi poſt exploratam infirmitatem meam conſilium adeo arduum, ac difficile cœpi; tuum igitur eſt illud, quod incœpiſti, opus perficere. *Idem*.

Cura illorum, qui non vocati ſtatum aliquem ingrediuntur.

Ubi ſemel perturbatus fuit ordo providentiæ, vix fieri poteſt, ut ſalutem conſequamur; & ratio eſt, quod nobiſmet auferimus quamplurimas gratias, quas adnectere placuerat Deo ſtatui, quem nobis deſtinaverat; & quod eadem ſubſidia, quæ nobis adhuc tribuit, plerumque ſterilia fiunt, & effectu carent, quia non ſumus in felicibus illis circumſtantiis, in quibus gratia de obicibus omnibus triumphaſſet..... Deus Dominus eſt, & a Domino imperia expectanda ſunt, ut omnia e voto contingant. Nonne hoc ipſum facere conſuevimus cum iis, qui pendent a nobis: qui cum eouſque ſe emancipant, ut ſibi ad arbitrium fortunam comparare velint; nonne illos in ipſorum deſideria tradere conſuevimus? Si voluiſſet ille, dicimus, ſequi conſilium meum, ego illi ſatis, ſuperque conſuluiſſem; non deerat mihi voluntas, quæ illi comperta non erat; per gradus eum ad hoc uſque faſtigium perduxiſſem, & dummodo mihi non fuiſſet adverſatus, jamjam ſe opibus, honoribuſque auctum videret. Sed aliis aſſenſus eſt, cum aliis neceſſitudinem junxit, ſeſe ad arbitrium alio convertit; ſuum erit ſibi proſpicere. Si conſilia mea ſecutus fuiſſet, omnem illius gloriam, & utilitatem duxiſſem meam, omnique eum negotio liberaſſem. Quomodo vero hujuſmodi periculis evaſurus ſit, ipſi ſpectabimus. *Idem*.

Deus non eſt amplius dux noſter, cum regimen illius detrectamus.

Heu! Fideles, fortuna noſtra in manibus Dei eſt: ſed quonam fortuna, ut illam aliis, quam amantiſſimo huic patrono committere audeamus? Quis melius ipſo novit viam, qua nobis in cœlum eundum eſt? Quis æquiora, tutioraque nobis præbere poteſt conſilia? Nonne præclare nobiſcum agitur, cum ipſe dux noſter eſſe dignetur? At ſi eum ſemel ducem detrectare audemus, ne expectemus amplius hæc peculiaria ſubſidia, ille non amplius nos regit, ſed ipſi cæcorum inſtar incedimus. Pro nobis generalis

tan-

Digitized by Google

tantum eſt providentia, quæ adhuc opem ferat; ſunt adhuc inſignis bonitatis reliquiæ: veram triſtes ſunt, languidæque reliquiæ, quæ poſſunt quidem ſalvos nos facere, ſed quæ ſecundum omnem veritatis ſpeciem nos ſalvos minime facient. *Idem*.

Momentum gratiæ vocationis.

Chriſtianiſmi gratia gratiarum omnium prima eſt, ſed nequaquam hæc ſola eſt, quæ magni ſit momenti; altera eſt non minoris faciendæ; videlicet ut ſtatim ac per ætatem nobis integrum ſit, illud vitæ genus amplectamur, ubi tuto moremur, & quod, ut Sanctus Auguſtinus inquit, omnium motuum noſtrorum centrum ſit, atque principium *Omnis motus noſtri centrum vocatio*. Et patet ratio; quia licet indiſcriminatim quodlibet ſtatuum genus amplecti poſſimus, certum eſt tamen, non ubique eadem inveniri bona, eademque ſecuritatis, & facilitatis privilegia. Quemadmodum in propemodum infinito diſcrimine conditiones ſunt, ita pro infinita perſonarum differentia factæ ſunt; & ex tanto numero ſæpe una tantum illa eſt, quam poſſumus adimplere. Vita mundi theatrum eſt, ubi quilibet ſuam gerit perſonam; & aliam ab hac gerere, Sanctus Auguſtinus ait, idem eſſet ac univerſorum pulchritudinem invertere, ac deformare. Hic utilis eſt religioni, qui foro ineptus eſt; ille bonus eſt judex, qui malus eſt imperator; & hic turpis eſt aulicus, qui optimus eſſet magiſtratus. *P. de la Rue in ſermonibus editis ſub ejus nomine, pro feria quarta hebdomadæ ſecundæ in Quadrageſima.*

In dubium revocari nullo modo poteſt, nihil in mundo nobis antiquius eſſe debere, quam magna cum prudentia vitæ ſtatum eligere. Hoc poſito inferendum eſt, ut tuta ſit electio, Deum eſſe conſulendum, & conſilio ejuſdem parendum; ſæpe enim in humanis hominum prudentia, & prudentia chriſtiana non eadem habent conſilia. Chriſtiana quippe omnia ſemper ad ſupremum refert bonum, reſpicitque finem, quem ſibi proponit; humana vero perfunctoriam tantummodo reſpicit utilitatem neglecto primo, veroque bono, æterna videlicet felicitate. *Idem*.

Nihil nobis e voto contingere poteſt, niſi Deus auctor extiterit.

Hanc vitæ rationem ingrederis, hoc, vel illud munus obeundum amplecteris; verum antequam illud amplectereris, Deumne conſuluiſti? cum illo ne deliberaſti? Si hæc vera ſunt, omnia tibi in tuto ſunt, atque in ſapientia illius requieſcere debes. Sin autem prudentiam, ſapientiamque tuam tantummodo conſuluiſti, vel potius ingenium, atque cupiditatem tuam, omnia tibi hac in re metuenda ſunt, operamque ludes; etenim quemadmodum negotium illud, quod Deo auctore, atque hortatore ſuſceptum eſt, non niſi e ſententia contingere poteſt, ne putes feliciter illud ceſſurum tibi, in quo tuam tantummodo cupiditatem ſecutus es ducem. Jure tunc Deus detractare poteſt auxilium ſuum, teque cum his verbis dimittere: Abi; auſus es incipere me inconſulto; me etiam non adjutore perficere poteris. Beatus igitur ille, qui antequam vocationis electionem inſtituat, cum Deo, quid ſibi ſit faciendum, deliberat. Beatus ille, qui ut olim Salomon dicit Deo: *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam*. Sapient. 9. Da mihi, Domine, ſapientiam tuam, ut me ſemper comitetur, mecumque ſemper laboret. *Idem*.

In tanti momenti negotio alium quilibet præter Deum conſulimus.

Externæ duntaxat diſpoſitiones conſuluntur; hoc eſt, plerique hominum in id tantum incumbunt, ut honorem hunc, vel bonum illud conſequantur; utrum vero illum rite exercere, aut hoc bene uti poterint, minime quærunt. Ad examen vocant, utrum ſatis gratiæ, ac neceſſitudinis ſibi ſit ad eccleſiaſtica beneficia acquirenda; utrum vero ſatis futurum ſit conſtantiæ, ut hoc in ſtatu Deo fideles maneant, non cogitant. Conſiderant quidem, utrum ex conjugio, quod inituri ſunt, magna ſibi ceſſura utilitas ſit; utrum vero ſatis ſibi vocationis ſit ad ſtatus hujus munera ſuſtinenda, non laborant. Verbo; in mundi negotiis, ſatis ea quæruntur, quæ ab hominibus pendent; Deum vero conſulere non quærunt. Interim; o miram dementiam! putant electionem ſuam, Dei quoque futuram, & ad ſalutem operandam non defuturam ſibi peculiarem Dei gratiam, quæ nobis opem præbebit. Id genus homines ſine Dei gratia ſtatum ingrediuntur; ideo aberrant, ac ibi ſuam inveniunt damnationem, ubi ſalutem ſuam ſe invenire putant; neque enim vitæ ſtatus ſalvos nos facit, ſed fidelitas, qua perfungimur officiis ſtatui huic inhærentibus. *Idem*.

Nunquam cogitamus, utrum ſatis virium nobis ſit, ut ſuſcepti ſtatus perfungamur officiis.

Hoc quotidie accidit, & vulgatiſſima totius mundi experientia probatur; ſed heu! nemo ſuos mores, ſenſuſque regit. Deliberatur ſæpe, utrum ſtatus aliquis amplectendus ſit, utrum belli, an domi reipublicæ ſit inſerviendum; verum nunquam cogitatur, quid ferre recuſent, quid valeant humeri, & utrum ea adſit induſtria ſuſceptæ provinciæ officiis obeundis, atque periculis ſuſtinendis par? Quid! Vultis, quod non poteſtis? Vultis hanc obtinere provinciam, eaque vobis nimia eſt ardua; conſequi vultis hoc beneficium, & hoc beneficium cauſa erit interitus veſtri; in hac conditione diteſcere vultis, & divitiæ iſtæ certiſſime vobis erunt funeſtæ. Hoc tamen recta judicii lance perpendere detrectatis. Hic ſe in tuto eſſe arbitratur, ac certam habere credit vocationem, cum putat ſe poſſe hos honores appetere, & has poſſidere divitias. At ne fallamini; bipalmaris hic error eſt; non magis vocati eſtis, quam cæteri homines, neque vos potius, quam illi eſtis electi, ut primas ſedes teneatis, atque præcipuis hujuſmodi honoribus decoremini. Nonne in omnibus dignitatibus diverſa requiruntur talenta, quæ ab hominibus exigit Deus, ubi hos deſtinat illis? Videte, utrum talenta hæc poſſideatis, veſtrum eſt vires veſtras conſulere, non ambitionem veſtram, quæ ſupra totius mundi caput ſeſe attollere cupit. *Idem*.

Fere ſemper ſtatum mutare vellemus, ideoque mobiles, & inconſtantes ſumus: ſed ideo mutare vellemus, quia eo in loco, in quo ſumus, non ſatis ex animo fluere nobis omnia videntur, & quia in alio e ſententia nobis omnia facilius ceſſura ſperamus; & hoc nobis ambitio, atque ſuperbia ſuggerunt. Credimus nos male collocatos eſſe; atque ideo omni niſu contendimus, ut e loco egrediamur. Putamus nos, ubi primum protulerimus gradum, voti compotes futuros, quia in hoc, ut nobis videtur, exiguam fortunam noſtram collocamus; cupiditas noſtra ſemper inexplebilis eſt, gradatim aſcendit, ac de officio ad officium adducit. Cæci proprio amore, quo fallimur, noſmet ſemper reſpicimus tanquam intra nimis anguſtos fines coarctatos; & quin perpendamus, quod tot mortales, qui infra nos ſunt, beatos ſe ducerent, ſi eas obtinerent ſedes, quas ipſi reliquimus, invidemus illis, qui ſublimiora tenent faſtigia, ac præcipiti ſuperbiæ noſtræ motu, ſine vocatione, & inconſulto Deo illuc conamur aſcendere. *Ex ſermonibus moralibus, ſermone de providentia*.

Dei eſt efficere, ut cognoſcamus viam, qua nos deducere vult.

Ille unus, qui vires noſtras novit, qui renes noſtros ſcrutatur, & corda, & qui re adhuc integra ſingulis noſtrum oſtendit viam, per quam nos deducere vult, unus, inquam, nobis inſpirare debet electionem a nobis faciendam. Quemadmodum Deus in æternis conſiliis ſuis nobis præparavit media apta, ac neceſſaria, ut ad finem noſtrum perveniremus; ita ille unus a nobis conſulendus eſt, cum primum proferimus pedem, ut illum aſſequamur. Quippe omnes hæ cupiditatis, voluptatis, fortunæ, affectionum cauſæ, omnes iſtæ generis, dignitatis, ingenii circumſtantiæ, quæ ut plurimum meliorem obtinent in eligendo vitæ ſtatu partem, fallaces ſunt duces, qui nos ſeducunt, efficiuntque, ut fere ſemper aberremus. *P. Maſſillon ſermone hujus argumenti pro feria*

feria quarta poſt alteram Quadrageſimæ Dominicam.

Ubi quo periculum eſt, cum in ſtatus electione Dei voluntatem non ſequimur.

Omnia periculis plena ſunt illis, qui in ſtatus electione Dei voluntatem non ſequuntur; dum e contra omnia tuta ſint illis, qui ſtatum ſibi a Domino prænotatum ingrediuntur. Volebat Dominus vos aliam ſequi viam, vos autem aliam eſtis ſecuti; vobis præparaverat gratias, ut eo in ſtatu, quem indigitabat, vos tuerentur, quas tamen vobis negat in eo, quem ipſi ultro accepiſtis; illac vos ad ſalutem ſtudebat adducere, vos autem inde receſſiſtis; vobis quoddam immiſerat virtutis ſtudium, cor terrenis rebus vacuum, ſpiritum ſimplicem, & inanis gloriæ inimicum: hæc omnia oſtendebant, vos ab illo altarinai miniſterio deſtinari, ac receſſum veſtium eſſe locum. Attamen vos in mundo eum ingreſſi eſtis vitæ ſtatum, qui circumundique tumultu refertus eſt. Quos ibi ſaluti veſtræ obices inveaitis? quænam intereundi pericula? *Idem.*

Propter defectum gratiarum, quas Deo placuerat adnectere cuilibet ſtatui, quem per ſanctam vocationem ingredimur, hodie ſtatuum omnium corruptio, ac perturbatio videtur; ideo ſacerdotium non eſt amplius fere, quam mollitiei, & avaritiæ illecebra; juſtitiæ tribunalia, ſedes iniquitatis; dignitates ſuperbiæ, & vanitatis incitamentum. Si in paſtorum es numero, es mercenarius; ſi ad dignitatem eveheris, es ambitioſus; ſi publicus homo es, ac pro tribunali ſedes in Dei locum laturus judicium, te falli, & corrumpi ſinis. Si ultro te ſacris immiſcuiſti officiis, ad quæ Deus unus te evocare debebat, nequaquam ſacerdotii gratiam recipies, ut digne ſtatus tui munere perfungaris ... Miramur, primorum fidelium mores adeo degeneraſſe; quærimus quotidie, undenam ſæculum, quo vivimus, tam longe a patrum noſtrorum ſæculis diſcrepet; quærimus, undenam homo Dei cultui mancipatus ita Deum ſuum dereliquerit. Ratio eſt, quia nemo ferme eo eſt in loco, quem ipſi deſtinaverat Deus; cumque omnes nobis ad arbitrium vitæ ſtatum elegerimus, ille nos ſinit in remotiſſimis viis aberrare. *Idem.*

Sæpe inconſulto vitæ ſtatum eligimus.

Sæpe vitæ ſtatus non per prudentiam, ſed per occaſionem, ac fortuito eligitur. Dignitas, quæ alicui familiæ eſt propria, & quæ inde jamjam migratura videtur, parentes cogit, ut eamdem puero conferant, qui eidem eſt impar. Hæreditas, quæ præter ſpem, atque opinionem accidit, efficit, ut ſtatus, & voluntas mutetur; primogeniti mors de natu minoris ſorte decidit; vocatio ad eccleſiaſticum ſtatum mutatur, prout occaſiones mundi mutari videntur; ipſæ etiam familiaritates, ac neceſſitudines pro bona, vel adverſa amicorum fortuna variantur. Denique ex omnibus electionibus nulla eſt, ubi prudentia minorem ſibi vindicet partem, quam ſtatus electio .... Ita verum eſt dicere, naturæ, non gratiæ ordinem de ea electione decidere, quæ ab uno Deo pendere videtur. Ubi ſtatus eligendus eſt, natura ſolum, vel fortuna conſulitur; videtur nullam ibi partem habere Deus, omniſque vocatio conſtituenda eſſe in eventibus illis, qui pendent a ſorte, ille, qui primus natus eſt, jus habere ad reliquorum fratrum bona; ille, qui natus eſt pauper, vel cum aliquo corporis vitio in lucem editus eſt, jus habere ad eccleſiam... Fateor equidem Salvatorem aliquando his uti mediis, ut ad ſe nos trahat, & has generis, bonorumque fortunæ diſpoſitiones adorabilia eſſe conſilia, quibus utitur, ut nobis faciliorem præbeat electionem ſtatus, ad quem nos deſtinavit; ſed hæc regula non eſt univerſalis. Dominus vocationis gratiam non generi, vel fortunæ adnectit; neque ſanctam illius voluntatem conſuluiſſe dicendus eſt, qui ſecundum alterutrius eventum ſibi ſtatum elegit. *Idem.*

Pergunt contra male electionis ſtatus ſua.

Nemo in ſtatus ſui electione proprium cor, & caput conſulit, omnes ſequuntur torrentem, qui ætate adhuc tenera illos extrinſecus rapit. Tanquam lex habetur, eos ſequi, qui niteat in mundo; jugulantur naturales quædam repugnantiæ, quas pro vocationis defectu aliquo in ſtatu interpretari deberemus. Pater, ac mater familias pro filio, quem chariſſimum habent, reliquam ſacrificant familiam, utque ex eo idolum faciant, cui mundi cultores honorem adhibeant, reliquos omnes in obſcuros ſtatus conjiciunt, ubi ab omnibus ignorentur; quidquid in filiis habent magis excultum, perfectumque, hoc mundo devovent; imperfectiſſimum vero, ac ſtolidiſſimum quodvis in clauſtra rejiciunt. Denique dummodo illi, quos in mundi lucem, & ad fortunæ, dignitatiſque faſtigium contendunt evehere, ab aliis in honore, & pretio habeantur, haud in magno habent diſcrimine, utrum alii ſecretas effundant lacrymas in iis latebris, in quibus eos abdiderunt. *Idem.*

Humani reſpectus plerumque hominum vocationi calculum addunt.

Humani reſpectus fere ſemper hominibus de ſtatus electione deliberantibus momentum adduat. Inde tot abuſus in magiſtratibus, tot divortia in conjugiis, tot faſtidia in ſolitudine, tot moroſitates in rei domeſticæ cura, tot injuſtitiæ in negotiis, tot ſcandala in eccleſia. Hinc mæret quiſque fortunæ ſuæ invideri videns, & ipſe invidet alienæ; nemo enim ſua ſorte contentus eſt, & aliorum conditionem ſua ſemper beatiorem exiſtimat. Quæ dementia eſt non omnes adhibere curas, & eam, quæ ſumma poteſt prudentia, ea in re, in qua, ſi tibi fucum fieri ſinis, omnia fiunt inutilia? Et quis Dei voluntatem non conſulere poteſt pro ea via, quæ una ad ſalutem adducit? *Idem.*

Poſt pravam electionem deſperandum non eſt, reparari enim malum poteſt.

Niſi præfuit Dominus electioni, quam ipſe feciſti, ſors quidem tua lacrymabilis eſt, non ideo tamen ſpes omnis eſt abjicienda; es quidem extra viam ſalvari cupientibus præſcriptam; illuc tamen reverti potes; donec te pœnitere potes, ſperari potes: attolle vocem tuam ſicut Propheta, qui cum aliam ingreſſus eſſet viam ab ea, quam illi præceperat Deus, temeritatis ſuæ digniſſimas luit pœnas; & ex abyſſi tui profundo cum eodem, in ceti ventre inter fluctus, & in periculorum omnium maximo poſito dic: Domine! licet injuſta electio viæ, quæ oppoſita eſt tuæ, me in profundum uſque abyſſi præcipitem dederit, ad te tamen vocem attollo miſericordiam tuam exoraturus: *De ventre inferi clamavi, & exaudiſti vocem meam ... Veruntamen rurſus videbo templum ſanctum tuum.* Jonæ 2. Ita Domine, tot licet adverſentur pericula ſtatus hujus, quem te inconſulto elegi, ſpero adhuc mihi aliquando non defuturum ſolatium iterum videndi templum ſanctum tuum cum filiis Iſrael. *Idem.*

Homo non vult parere Deo, & vult ſui juris eſſe.

Ideo omnes fere mortales in via ſalutis, & vocatione Domini deerrant, quia cum agitur de vitæ genere inſtituendo, nemo vult a Deo pendere, nemo illum conſulit, nemo illum audit. Audiunt omnes arbitrium, libidinemque ſuam, audiunt ſuam cupiditatem, audiunt parentes ſuos: Deus unus neque auditur, neque conſulitur. Fidelium plerique eos imitantur, qui aquis innatant; non ambulant, ſed feruntur; ex libidine, vel per occaſionem primo adhæreſcunt ſtatui, qui eorum palpat affectus. Jure quidem hoc illis exprobrare poſſet Deus: *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia, utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Deuter. 32. Si noſſe cupis, undenam proficiſcatur tantum amaritudinis, ac moleſtiæ, quantum huic vitæ immixtum eſt; ſi noſſe cupis undenam fiat, quod tot mortales mœrore tabeſcant iis in conditionibus, quæ illos ſecundum mundum beatos deberent efficere; hæc profecto cauſa eſt, quia cum de vitæ ſtatu eligendo ſermo eſt, quiſque ſequitur ingenium ſuum, quin Domini vocem audiat. Alii juventutis æſtu acti ſequuntur arma, alii temere ſe mundo commiſcent cæcæ reſiſtentes voci, qua ad religionis ſtatum vocantur; alii per indignationem, & ſtomachum religioni ſe

addi-

addicunt. Denique nemo fere eſt, cui munus ſuum obeunti Deus, & ſalus ſua verſentur ob oculos. *Specimen ſermonum pro Quadrageſima pro feria 4. poſt paſſionis Dominicam.*

Vocatio neceſſaria eſt, ut in ſtatu ſuſcepto omnia nobis e voto cedant.

Vocatio omnino neceſſaria eſt, ut quilibet in ſtatu ſuo bene, & feliciter operetur....... Cur in familiis tot videntur ærumnæ; undenam magna hæc ambitionis conſilia in irritum abeunt, ſtatim ac prodire incœperunt? Deus hæc omnia diſſipat conſilia, omnia hæc latea evertit ædificia, quæ ſtabili ſanctæ vocationis petræ non innituntur. Per libidinis, fortunæ, ambitionis; cupiditatis vocationes hujuſmodi conſilia ſuſcipiunt; ideoque mali eventus, qui ea ſubſequuntur, corruptis reſpondent rationibus, quæ eorumdem principium fuerunt..... Heu! quinam ſiccis oculis intueri poteſt cæcam adoleſcentiam, quæ temere ſeſe præcipitem agit? alii quidem in arma ruunt cupiditatum æſtu compulſi, vel aliorum exemplis acti, vel temporum occaſione commoti: alii ſeſe implicant conjugiis male conſociatis ob rationes prorſus carnales, & affectiones omnino profanas: alii rempublicam capeſſunt, quin oneri ferendo ſint pares, atque de civium vita; honore, opibuſque judicium ferre audent, cum ne ſatis quidem luminis habeant, quo ſeipſos regant. Iſtos autem hoc in munere proſperos exitus habere poſſe quis dicat? proſperos autem propter ſalutem, & publicam utilitatem. *Specimen ſermonum pro Dominicis, ſermone pro ſecunda poſt Epiphaniam Dominica.*

Præſertim in vocatione ad vitæ ſtatum homines Deo, & providentiæ ſubjecti eſſe debent.

Non latet nihil in vita vel pro tempore, vel pro æternitate majoris eſſe momenti, quam ſtatus electionem; Sapientiam divinam exercere debere abſolutum imperium in humanam rationem, ut regat vocationem; ac in hac potiſſimum occaſione Deum ſibi ſuo jure vindicare poteſtatis, ac roboris ſuperioritatem ad infringendos obices omnes, & evertenda fallacia conſilia, quæ prudentia carnis, & corrupta natura conſiliis ipſius poſſunt opponere: *Mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo*. Proverb. 8. Attamen nil conſulitur præter politicas rationes, genus, familiarum officia, cauſas mere humanas ea in re, ubi Deus unus in conſilium vocandus eſt. *Ibidem.*

Nemo unus ignorat ſatis non eſſe, quod vocatio noſtra a Deo proficiſcatur, ſed omnia illius officia fideliter eſſe obeunda. Judas infelix ab eodem Jeſu Chriſto ad apoſtolatum vocatus fuerat; ſed cum per nequitiam miniſterium ſuum prodidiſſet, ex via prædeſtinationis in reprobationis abyſſum lapſus eſt. Hac autem in re homines ſibi præſertim blandiuntur, atque ſe ipſos excæcare gaudent; ſatis eſſe putant quædam ex officiis ſuis obire, a quibus minus abhorrent, & negligunt alia. Attamen ſatis non eſt in vocatione ſua operari: tanta, quanta eſt miniſterii ejuſdem magnitudo, eſt obeunda, quemadmodum Apoſtolus explicite præcipit. Væ mihi niſi ſecundum vocationem meam evangelium prædicavero, ſed væ item mihi, ſi concionatoris munere perfunctus Sacerdotis officium neglexero. Væ vobis, magiſtratus, ſi charitatem exercentes obliviſcimini juſtitiæ. Væ tibi chriſtiana mulier, ſi pietatis exercitiis vacatura familiæ tuæ negligis curam. In hac generali fidelitate officiorum ſtatus ſui cujuſque vera devotio conſiſtit. Cogita indeſinenter, Apoſtolus inquit, quid in miniſterio tuo a te exigat Deus, & pro virili eodem perfungere: *Vide miniſterium quod accepiſti, ut illud impleas*... ad Coloſſ. 4. *Ibidem.*

Metuendum eſt an eam ingrediamur vocationem, ad quam vocati ſumus.

Nulla in religione veritas eſt, quæ majorem nobis terrorem valeat immittere, quam veritas vocationis; etenim in manifeſto pereundi verſamur diſcrimine, cum eos ingredimur ſtatus, ad quos non vocamur; tandem enim illius officia adimplere non poſſumus ſine particularibus gratiis, quas non largitur Deus illis, qui contra providentiæ ipſius imperia ſtatum aliquem ingreſſi ſunt. Equidem ſcio non deeſſe in divinæ

miſericordiæ theſauris damni ſarciendi rationes, & vocationis noſtræ errorem lacrymis proſequentes illum corrigere nos poſſemus, ac reparare primorum annorum vitia, ſi extremis fervor augeatur. Quemadmodum enim non deſunt, qui damnentur eo in ſtatu, ad quem a Deo fuerant vocati, quod exemplo ſuo Judas oſtendit, fieri poteſt, ut aliqui ſalventur, cum ſemel ex vocationis ſuæ ordine egreſſi in illum redeunt per pœnitentiam: ſed prodigium eſt æque rarum, ac admirabile. *Ibidem.*

Ad Deum ſpectat nobis ſtatum vitæ præſcribere.

Nil utilius, ſimulque nil æquius eſt, quam vitæ ſtatum per Dei vocationem ingredi, ac illud vitæ genus eligere, cui nos providentia deſtinavit. Univerſus terrarum orbis, ut ita dicam, eſt domus Dei, omnes homines illius familiam conſtituunt, ubi ſunt tanquam famuli, & filii. Parentis, ac domini eſt cuique locum tribuere. Deus pater eſt, Deus dominus eſt infinite ſapiens, atque ita ſcit, quid quemque deceat: ſed non minus bonus, quam ſapiens eſt, ideoque nonniſi optime nos collocare poterit, ſi noſmet conſilio ipſius tradiderimus. At hominum plerique hoc minime faciunt; ſorte, cupiditate, libidine, avaritiæ, vel ambitionis ſpiritu ducuntur, atque inordinatis acti principiis ſtatum ingrediuntur. Poſſuntne non errare duces adeo malos ſecuti? Sed heu! Vix errare poſſent, niſi ut in præceps ruant. Si nil facilius eſt, quam illuc ruere, nil ſane, quam inde evadere, eſt difficilius. *P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus tomo 5.*

Funeſti exitus malæ ſtatus electionis.

Erroris hujus exitus funeſti ſunt; ex quo erratum eſt, pes non profertur, quin recedatur a termino. Ex quo non es in aliquo ſtatu per vocationem Dei, neque eo es in loco, quem tibi providentia conſtituit, nihil tibi cedit e ſententia. Contulerat nobis Deus qualitates, atque talenta ei vitæ generi, ad quod nos evocabat, appoſita; ſi in illud eſſemus ingreſſi, vix fieri poterat, ut his præditi adminiculis ſalutem non operaremus. Aliam ſecuti ſumus viam; illam ingreſſi ſumus vitæ rationem, cui Deus nos minime deſtinabat, quia non ſatis eidem pares eramus; num mirum eſſe debet, ſi male ejuſdem munera adimplemus, ſi nihil nobis accidit ex ſententia? Verum nonne ex Deo, ejuſque benedictione, & operum noſtrorum felix exitus, & vitæ noſtræ pendet beatitudo? Miramur, hominem ſummo ingenio præditum, ac tot a natura privilegiis donatum hoc in munere ægre votorum ſuorum ſummam conſequi, ac videre conſilia ſua everſa, dirutamque fortunam. Videbatur ille quidem poſſidere omnia, quæ erant neceſſaria, ut cœptis ſuis exitus reſponderet; nihil illi deerat præterquam Domini benedictio; quæ una cauſa fuit, ut omnia in irritum cederent. Sed cur non benedixit illi Deus? Quia ille in hunc ſtatum, ac munus Deo inconſulto, & ab eo non vocatus ingreſſus eſt. Luxatum os, & extra locum ſuum poſitum, plurimum patitur, efficitque, ut totum corpus plurimum patiatur. Ita homo, qui non eum obtinet locum, qui ipſi a divina providentia conſtitutus fuerat, curis, mœroribuſque conficitur; plurimum ille quidem patitur, & in cauſa eſt, propter quam alii etiam patiuntur. Nonne ideo tam pauci in ſtatu ſuo voti compotes inveniuntur? Nonne hæc fortaſſe eſt veſtrarum curarum origo? *Idem.*

Omnia conjurare videntur, ut nos in ſtatus, & conditionis electione excæcent.

Nihil eſt difficilius, quam cognoſcere vocationem Dei ad eum ſtatum, qui nobis eſt amplectendus. Amor proprius, ſtudium illud, quo voluptates, honoreſque appetimus, obſequium erga amicos, benevolentia, gratitudo, ipſaque etiam, quam parentibus debemus, obedientia, mundi præjudicia, officia quædam conditioni, generique noſtro inhærentia, libertatis amor, ipſa denique natura, & ratio, ſed natura quidem corrupta, ratio vero decepta conjuraſſe videntur, ut oculis noſtris velum obtenderent, quod omnia lumina, quæ nobis offundit Deus, ut ſuam de ſtatu noſtro voluntatem intelligamus, penetrare nequaquam poſſe

videntur. Verum quomodonam Dominus velum velit auferre, quandoquidem illi, qui illud ſibi obtenderunt, ut excæcarentur, ſuam amant cæcitatem, ac lumen reformidant, ne per hoc agnoſcere teneantur voluntatem Dei, cui nolunt adhærere! *Idem*.

Ad Deum ſpectat nobis ſuam aperire voluntatem de ſtatus electione, ad nos vero eam ſequi.

Deus a nobis præcipue conſulendus eſt, ut voluntates ejus agnoſcamus. Quis melius eas nobis, ſi voluerit, poteſt aperire? Quomodo autem minime velit? Si jubet nos illis adhærere, ſimul etiam ſibi neceſſitatem injicit illas nobis oſtendendi. Quomodo enim cogi poſſum, ut Dei voluntatem ſequar, niſi mihi lumen largiatur Deus, ut illam cognoſcam? Spopondit ille quidem illud ſe nobis traditurum, ſed hoc a nobis depoſci jubet. Illi ergo ſæpe cum S. Paulo dicamus: *Domine quid me vis facere*. Actor. 9. cum Samuele: *loquere, Domine, quia audit ſervus tuus*. 1. Reg. 3. vel denique cum David: *Notam fac mihi viam, per quam ambulem*. Pſalm. 142. Si enixe, conſtanterque lumina illius flagitaremus, credimuſne ipſum ea nobis eſſe negaturum, ipſum, qui illa quotidie communicat tot peccatoribus, qui iiſdem reſiſtunt? Toties locutus eſt, cum illum audire noluimus; tacebit autem modo, cum ſincero acti deſiderio cognoſcendi, ac ſequendi voluntatem ejus noſmet voci illius præbemus attentos? Si hoc faceret, nonne illius fides, ac providentia deeſſe videretur!.... Cum Deus non aperit nobis voluntatem ſuam ita palam, atque perſpicue, vult nos ad illos confugere, qui illius obtinent locum, videlicet ad animæ noſtræ directores. *Idem*.

Undenam fit, ut in hodierna die adeo pauci Chriſtiani ſint in via ſalutis; vel hoc poſito, quod in ea ſint, adeo pauci in hac via progrediantur, atque inſignes faciant progreſſus? Quia videlicet nemo ferme eſt in eo vitæ ſtatu, in quo illum eſſe volebat Deus; vel non fungitur officio ſtatus illius, in quo Deus illum conſtituit. Quilibet ad arbitrium ſuum vult vitam inſtituere. Qui ſeorſim vitam ducere profitentur, vel mundum omnem domum ſuam acceſſunt, vel ipſi mundum conveniunt ſpecioſos titulos prætexendo, qui ad laborem vocati ſunt, contemplationi vacare cupiunt, ac ignaviam ſuam ſibi vertunt pietati. Vellemus id eſſe, quod minime ſumus, neque laborem impendimus, ut bene ſimus, quod ſumus. Interim non fiunt opera bona, inania dumtaxat foventur deſideria, & in vana commentitiæ perfectionis perquiſitione perfectio proprii ſtatus amittitur. *Flechier, in panegyrica S. Joſeph*.

Obices, quos parentes ſtatuunt vocationi filiorum ſuorum.

Quinam obices non ſtatuuntur vocationi ejus filii, cui cœli gratiæ, vel bonæ inſtitutionis ſemina aliquod receſſus deſiderium immiſerunt? Quæ non adhibentur artes, ut in mundo retineatur, atque Dei conſilia infringantur, cum caro, & ſanguis pro illo vitæ, fortunæque ſtatum elegerunt? Quæ non effunduntur lacrymæ ſuper creaturas eas, quæ diliguntur, cum Deus evocat illas ad ſanctæ domus requiem, ut a vitæ mundanæ, ac tumultuoſæ turbis liberentur? Pro nobis, ac pro mundo ſervare volumus, quidquid nobis chariſſimum eſt, quod amamus, & habemus in pretio, ac Deo invito dare vellemus, quod non amamus, & quod tanquam familiæ noſtræ grave, & oneroſum exiſtimatur. Eſtne filius aliquis mente carens, & illiberalis, qui nequaquam reſpondit deſiderio, quod fovemus, domeſticam gloriam augendi, quæ noſtrum idolum eſt? Jam religioni, & eccleſiæ deſtinatur; callide nonnunquam, aliquando etiam non diſſimulate illi ſignificatur, hanc unam illi vitæ conditionem ſupereſſe: mundum illis egere, qui eximium corpus, ac ingenium ſortiti ſunt, opus eſſe, ut & ille aliquid conferat dignitati fratris ſui, qui domeſticæ gloriæ, atque utilitati optime conſulturus eſt. Nihil inauſum, ac intentatum relinquitur, ut infelix ille bonis ſuis cedere cogatur, utque in Jacob, qui diligitur, primogeniti jura transferantur ab Eſau, qui non amatur. *Idem in Panegyrica S. Benedicti*.

Non deſunt parentes, qui de filiorum vocatione, illis invitis diſponunt.

Non deſunt patres, ac matres, qui filiis ſuis religionis aditum intercludunt, quamvis a Domino vocentur; & ſunt alii, qui prorſus oppoſita ratione eos ſin minus invitos, ſaltem non aſſentientes religioni devovent: priores illi Pharaonem imitantur, qui apud ſe Iſraelitas retinere volebat, quamvis Moyſes Dei verbis teſtaretur, hujus voluntatem eſſe, ut egrederentur ex Ægypto ſibi in ſolitudine ſacris operaturi. Nonne hic etiam magno in numero ſunt victimæ? in mundo etiam æque, ac inter clauſtra ſalus acquiri poteſt, & quin Dei voluntati obluctaris, parentum voluntati obſequi potes; & ſi plus periculi in ſæculo eſt, quam in religione, ibi, ſi virtutem tuam tuearis, majorem meritorum copiam potes acquirere. Poſteriores vero imitantur navarchum, & nautas, qui Jonam in mare projecerunt, ſed qui fallaci pietatis ſpecie projecerunt illum, poſtquam ſors cecidit ſuper eum, & quodammodo aſſenſum illius extorſerunt. Pater avarus, ambitioſa mater, iniqua ſuadente prædilectione, metuentes, ut familiæ ſuæ navis naufragium faciat, quippe nimia filiorum frequentia prægravata eſt, ſortem mittunt ſuper illos; cumque illa ceciderit ſuper filiam natu minorem, hanc illi ſacrificant; in illam pravum ingenium ſuum evomunt, ut ſeu per virtutem, ſeu per neceſſitatem, ſeu per obſequium, dicat; video equidem hanc odiorum, & calamitatum procellam propter me obortam eſſe; cujus quandoquidem ipſa extiti cauſa, illius etiam me victimam eſſe opus eſt. Projicite me, crudeles, projicite in mare, non abnuo. *Ex moralibus ſermonibus*.

In electione ſtatus vitæ Chriſtianus ſalutem, atque æternitatem ſuam tantum ſpectare debet.

Si quis ex omnibus hominibus percontaretur, quo vadant, omnes una voce ſe ad mortem, atque æternitatem ire profiterentur; in ſingulos greſſus ſe ad terribilem properare terminum, ac neſcire, utrum ubi primum pedem protulerint, illuc perventuri ſint; etenim omnibus hujuſmodi viis hoc eſt commune, quod minime vides utrum prope, vel procul abſis a termino. Sin autem ex eis quæreretur, cur per hanc viam potius, quam per aliam incedant, & cuinam fundamento innitantur ea placita, ad quorum normam ſuam vitam inſtituunt, innoteſceret illos vix ad ea animum advertiſſe, cum primis illorum fulgoribus capti illa amplexati ſunt; regulas, quas ſequuntur, non aliam habere originem, quam conſuetudinem, quam citra quodlibet examen ſecuti ſunt, vel ſermones temere prolatos, quos tanquam totidem principia ſibi adoptarunt. *Specimen Ethicorum in principis inſtitutione*.

Chriſtiano perſuaſum eſſe debet omnibus vitæ hujus rebus nihil ineſſe pretii, meriti, ac bonitatis, niſi quatenus ad Deum nos adducere poſſunt: nullo in diſcrimine habere debet opes, paupertatem, elationem, dejectionem. Oculo eodem ſtatus omnes intuetur, quin in hanc potius, quam in aliam partem inclinet; donec Dei gloria, propriaque ſalute conſulta, alii aliis præferendi, vel gloriæ eidem magis profuturi videantur; eoſque eligit, vel rejicit, prout magis minuſve cenſet utiles, ut per illos cœlum acquirant. Eodem animo affectus eſt, quo viator, qui in plurium viarum capite poſitus omnes nullo habet in diſcrimine, donec ſibi vera oſtendatur, quam ubi cognoverit, reliquis licet florentibus, atque jucundiſſimis minime tangitur. *P. Rapin in libro de ſalutis momenta*.

Deus nos ſalvare vult per eum ſtatum ad quem nos vocavit.

Per illud vitæ genus, ad quos nos evocat Deus, vult nos in cœlum perducere; neque illud ſequi vult, qui ſtatum mutare conatur vel ſeſe per ambitionem attollens, vel per inconſtantiam in alium migrare contendens. Cuilibet in ordine ſuo præliandum eſt, ut referat victoriam; egreditur de via, in qua a Deo poſitus fuit, ac deſerit locum, in quo fuit a Deo conſtitutus, qui a ſtatu ſuo recedit. Illud malum eſt, quod nemo ferme vacat ei muneri, quod ſibi proprium eſt, ac nemo fere vivit eo in ſtatu, cui illum deſtinaverat Deus. Totus providentiæ ordo ambitione, cupiditate, hominum incon-

inconſtantia ſubvertitur. Hinc Deus nequaquam ſuis benedictionibus proſequitur horum mortalium vitam; magiſtratus, beneficia, dignitates, omniaque fere vitæ miniſteria obtinentur ab illis, quibus nulla eſt vocatio, nulla aptitudo, & qui ad eamdem nonniſi commendatione majorum, pecunia, vel arte ſibi viam faciunt. Hinc tot prodeunt in ſtatibus omnibus mala, tot in commercio infidelitates, tanta inter milites impotentia, tanta in foro injuſtitia, in templis impietas tanta, necnon tanta eccleſiaſticorum bonorum in ſumptus ſuperfluos, in ambitioſa conſilia, in ſuperbas ſervorum catervas, & nonnunquam etiam in uſus longe nocentiores effuſio. *Ex Anonymo Auctore.*

Non minus conſulendus eſt Deus ab iis, qui in mundo permanent, quam ab iis, qui religionem ſunt ingreſſuri.

Cur non eadem cura Dei voluntas perquiritur, ut quemcumque vitæ ſtatum amplectamur, qua utimur, ut in religione divino cultui noſmet devoveamus? Agiturne de religioſo ſtatu amplectendo? omnia ad examen vocantur, conſulitur Deus, conſuluntur amici, & parentes hoc quam accuratiſſime conſiderant. Ponderantur cauſæ, & rationes; liquet quem motum. ac pondus reliquo vitæ ſpatio ſtatus electio tribuat, ideoque maturæ deliberationis neceſſitas intelligitur. Tu vero Auditor cum judicis officium ſuſcepiſti, cum iniiſti conjugium, itane tibi præcaviſti? .... Sexcenti videntur exercere vectigalia, illos plurimi imitantur; verum itane ſecum, ſatiſne par ſum? ſatiſne diligentiæ, ac ſolertiæ mihi eſt, ut rerum omnium rationes ſupputem; ſatis fidelitatis, ne cor meum ſerviat avaritiæ; ſatis æquitatis ad dolos quoſdam evitandos, qui ſenſim in rem meam aliena bona converterant? Ullane mihi eſt ad furtum, impotentiam, ac ſævitiam propenſio? Hoc nullo in diſcrimine ponitur, ſed videtur via ſatis lata, ſatis aperta, ſatiſque tuta, qua brevi ad multas opes aditus pateat. Cum ad juris dicendi munus aggredimur, nunquid melius veræ animi noſtri diſpoſitiones excutiuntur? Cogitamuſne, utrum nobis neceſſaria futura ſit integritas, ne oculos, aureſque adhibeamus muneribus, & ſolicitationibus; utrum tota animi magnitudo, neque imperterrita conſtantia ad tuendam juſtitiam, atque innocentiam contra principum virorum gratiam, minas, impotentiam, inimicitiam? Haud ita profecto; ſed nobili erimus in loco, prima honorum faſtigia obtinebimus, perutilem dignitatem invehemus in familiam, ac in eum ſtatum aſſurgemus, ubi & amicis gratificari, & ab aliis metui poſſimus. Cæterum non deeſt bonus ſenſus; alii peritiores loqui audiuntur; dummodo uſus accedat, & praxis, hoc ſufficit ad magiſtratum magni momenti rite obeundum. *Sermo manuſcriptus.*

Omne vitæ civilis malum eſt, quia nemo ſe intra ſuam continet vocationem.

Si mundi ſtatus rite conſideratus fuerit, liquebit, omnem perturbationem, & omne malum, quod illic videtur, fluere ex violatione, vel contemptu moniti hujus Apoſtoli: *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* 1. ad Corinth. Nemo ſua vocatione contentus eſt, neque intra illam ſuas coarctat cupiditates. Quilibet ſe rebus omnibus parem putat, neque curat ſe, intra ea continere, quæ recepit a Deo. Sæculares dignitates ſæpe magna exquirunt talenta, ut rite exerceantur, verum nemo non ad illas, ſi poſſet, ſe attollere conaretur? Ad id propria tantum ambitio conſulitur, vel cupiditas; & homines tunc in inferiori gradu ſubſiſtunt, cum ſe altius evehi nequaquam poſſe conſpiciunt. Hinc liquet, non extremam, quam Deus Chriſtiano in hac vita gratiam conferre poſſit, hanc eſſe, ſi ſuum intelligat locum, & validam foveat in eo permanendi voluntatem. In ſublimi, an humili gradu ſtare, non intereſt magni, dummodo ille ſit noſter; humillimus quiſque eſt optimus, quia ventis, atque tempeſtatibus minus patet. Ubi ſemel te in eo conſtituiſti, nihil ultra faciendum eſt tibi, dummodo fideliter gradus illius munere perfungaris. Sed plerique mortales, ut iterum in ordinem redeant, atque in Dei viam revertantur, ſpiritu ſaltem redeant oportet in eum locum, quem Deus ipſis inſpiravit. *Ex ſpecimine Ethicorum.*

Divinæ juſtitiæ effectus eſt, tot in eccleſia videri flagitioſos eccleſiaſticos, tot religioſos nefariam vitam ducentes, tot magiſtratus corruptos. Quemadmodum in ſtatum ſuum ſine Deo ingreſſi ſunt, ibidem ſine Deo vivunt; ac Deo illos cupiditatibus ipſorum tradente, illi ſæpe in turpiſſima quæque flagitia ruunt. Flagitia hæc exprobrantur, honeſti homines illa perhorreſcunt, ſed nemo ſatis curam impendit, ut cauſæ illorum medeatur, videlicet temeritati, qua illi ſtatus hos amplectuntur. Cupiunt profecto patres, quod filii ſui boni ſint eccleſiaſtici, ſed omnino volunt illos eccleſiaſticum ingredi ſtatum, quia domeſticæ utilitatis ratio poſtulat. Eos igitur illuc impellunt, quin niſi per tranſennam dumtaxat ad trutinam vocent, utrum a Deo vocentur; ſi pares illi minus ſunt, futuros tamen ſperant; ſi pleni ſunt amore mundi, ſperant futurum, ut tandem reſipiſcant. Hoc ipſum de reliquis ſtatibus dici poteſt. *Ibidem.*

Pauci in magnis honoribus ſalvantur.

In magnis honoribus, ac dignitatibus pauci ſalvantur, &, ut S. Bernardus ait, hoc Apoſtoli 1. ad Corinth. verbum, *non multi potentes, non multi nobiles, &c.* in ſæculorum omnium decurſu adimpletur. Hoc ſatis eſt, ut velis, remiſque contendere debeamus, ne ex hoc numero ſimus. Hi ſtatus igitur in Chriſtianiſmo ſuſpicione vacare non debent; atque ad eos evitandos longe major adhibenda eſſet cura, quam vulgo adhibetur, ut obtineantur. Sin autem genus ipſum aliquando nos inſerit illis, tamen bonis operibus noſmet ſeparare debemus a communi eorum conſuetudine, qui hujus ſunt conditionis. *Ibidem.*

Verus modus ſecundum Dei ſpiritum in ſtatum, vel conditionem aliquam ingrediendi, poſtquam Dei voluntatem conſulueris (hinc enim ſemper initium petendum eſt,) eſt, Sanctus Bernardus inquit, eos imitari, qui paululum attollunt ab humo ſarcinam humeris ſuis imponendam, ut quid ferre recuſent, quid valeant humeri, explorent. Videlicet prius vires propriæ excutiendæ ſunt, conſiderandum, utrum nobis adſit ſapientia, vigilantia, fidelitas, ſolertia, integritas, & omnia talenta, quæ ſunt neceſſaria, ut digne miniſterio noſtro perfungamur: *Æſtimare opus, metiri vires, ſarcinam ponderare.* Magiſtratum illum aſſequi cupio; verum ſatin' legum peritus ſum, ut jus dicere valeam? ſatin' firmitatis, ac roboris mihi eſt contra conſanguinei, & amici ſollicitationem, & gratiam? Satiſne integer, & omni avaritiæ ſuſpicione vacuus ſum, ne lucelli fulgor oculos mihi, mentemque perſtringat? Satiſne vigilans, laboriſque patiens? &c. *Ex moralibus ſermonibus.*

Si adoleſcens aliquis conjugio, vel eccleſiæ, togæ, vel ſago admovendus eſt; ſi virgo vel in aſceterio, vel in ſæculo collocanda eſt, filiorum dumtaxat ætas, & naturales corporis, animique qualitates conſuluntur, ut de eorum fato decernatur; neque adnititur quiſpiam cœli explorare nutum; vel nonniſi cum fallacibus principiis oraculum conſulitur. Itaque ad juris dicundi ſubſellia evehuntur homines rudes, ineptique; in eccleſiaſticum ſtatum obtruduntur juvenes non vocati, ac pietate carentes; eorum fortunam patres conſiliis prorſus humanis regunt, propriiſque ſceleribus addunt crimina, quibus ſanctuarium ab indignis miniſtris polluitur. *P. Dezrune in libro, cui titulus Mundus a ſe ipſo damnatus.*

Nemo adnititur labore, & pietate ſupplere defectus vocationis.

Si qui ſeſe immiſcent negotiis, quibus ſatis pares non ſunt, vel vitæ ſtatum amplectuntur, quin a Deo vocentur, adniterentur ſaltem huic defectui ſupplere: ſi iis muneribus, quibus vanitas ſua illos ſubjicit, ſeſe jugi, & conſtanti labore, aſſidua in officiis ſuis cognoſcendis vigilantia, probitate ſumma, ac pietate, quæ reparatrices gratias mereri poteſt, ſeſe diſponerent; hæc vocationis ſupplementa ſi non minus eos tutos efficerent, temeritas nihilo-

minus eorum aliquem haberet locum, per quem poſſet excuſari. Sed quas illi ut plurimum diſpoſitiones afferunt? Inordinatam adoleſcentiam, affectiones vividas, ferventeſque, habitus inemendabiles, animam voluptatibus corruptam, cor obleſtamentis depravatum, mentem, quam mundi nugæ levem, ineptamque effecerunt. Hac præparatione ſibi ad magiſtratus aperiunt viam, &c. *P. Aurelianenſis ſermone de Annunciatione.*

Rei magnitudo poſtulat, ut Deum de vocatione noſtra conſulamus.

Si noſtrum eſt Deum rebus in omnibus, in iis vero potiſſimum, quæ majoris momenti ſunt, conſulere, ſi chriſtianæ prudentiæ eſt nihil negotii ſuſcipere niſi explorata Dei voluntate, & auxilio exorato; nonne magnum nobis negotium eſt debere vitæ genus eligere? nonne magni momenti opus eſt? Varii vitæ hujus ſtatus proprie ſtatus non ſunt; neque enim ſtabiles ſunt, & permanentes; viæ tantum ſunt, quæ omnes homines in cœlum adducere poſſunt, ut æternum aſſequantur ſtatum, quem filiis ſuis præparat Deus, ſed quæ nihilominus omnes homines ad beatum hunc terminum non adducunt. Deus, qui omnes ſalvos facere cupit, quia Deus omnium eſt, non omnes eadem via ſalvos vult facere. Quemadmodum diverſos beatitudinis gradus conſtituit, & in cœlo diverſas manſiones diſtinxit, in terris quoque varios conſtituit ſtatus, tanquam totidem vias, per quas eo perveniatur, & vult alios quidem hac, alios alia incedere. Providentia ejus decrevit, qua ſingulis via procedendum ſit, neque ille nos ſuam celat voluntatem, cum bona fide illam cognoſcere quærimus. Noſtra igitur intereſt illam non ignorare, & multo magis ſequi, ubi ſemel agnoverimus eam. *P. Valois in epiſtolis ſuis, quibus ad ſolitudinem invitat.*

Diſcrimen inter eos, qui in ſtatus electione Deum conſulunt, & eos, qui ſuam tantum conſulunt cupiditatem.

Quoddam diſcrimen ponimus inter animam ſapientem, atque prudentem, quæ ſemper Domini voluntatem conſuluit, & animam inſipientem, ac temerariam, quæ, quin ſalus ſua ſibi negotium faceſſat, vitæ ſibi ſtatum eligit hoc uno conſilio, ut ſuæ ſatisfaciat cupiditati; niſi quod altera quidem præventa eſt Domini gratia, qui poſtquam illam impulit in viam compendiariam, efficit etiam, ut audacter incedat, omneſque vitæ illius ærumnas, laboreſque mitiores facit; altera vero, cum hunc eumdem Deum ducem non habeat in via, quam ipſo inconſulto ingreſſa eſt, amaritudinibus tantum afficitur, fatigatur, opprimitur, ac tandem ſuccumbit ſub ejus ſtatus officiis, ad quem a Deo vocata non fuerat? Et profecto confidentia in Deo, ac providentia illius efficit, ut damni ſarciendi rationes in maximis laboribus inveniamus, cum ſenſus ejuſdem foventur; ſed nullum nobis aperit, cum alias ſequimur vias, & alia præter ſua oracula conſulimus. Statim ac recedis a via, in qua te incedere providentia juſſit, quo magis procedis, eo magis aberras; omnia tibi negotium faceſſunt, omnia ſenſim te in præceps adducunt, & nihilominus quotuſquiſque hac in re ſe ipſum excutit ſerio. *Ex ſermone manuſcripto.*

Dominus ſalvare vos voluit, conferens vobis gratias receſſus, ſubmiſſionis, ſilentii; voſmet ſibi adjungere voluerat efficiens, ut ab infantia jugum ipſius ferre conſueſceretis: felicia ſtudia, quibus vos ab ipſa nativitate donaverat, temperamentum mite, ac honeſtum, anima ſublimis, & magna, ſpiritus facilis, ac naturalis, recta, & pavida conſcientia, ſtatus hic, in quo vos naſci voluerat, procul a mundi tumultibus, & vanitatibus, hæc ea ſunt, quæ jampridem vobis bona contulerat, ut ſalutis viam vobis ſterneret faciliorem. Vos autem vitæ ſtatum illo inconſulto arripientes, eamque electionem facientes, cujus ille neque auctor, neque ſuaſor extitit, quid feciſtis? Heu! Thalami ſanctitas vobis erit occaſio diſſidii, atque divortii; hoc gratiæ, & benedictionis ſacramentum vobis erit cauſa confuſionis; filii veſtri in vitæ veſtræ ratione flagitiorum ſuorum exemplar invenient: mundus, quo vos non vocaverat Deus, vos fallet, atque corrumpet; munus, quod proprio marte elegiſtis, fiet vobis calix amariſſimus; voluptates, quæ maxime abhorrent a crimine, innocentiæ veſtræ erunt funeſtæ, &c. *Idem.*

Non alius aperiendus eſt ſtatus quam ille in quo nos Deus collocavit.

Ignorari non poteſt Deum velle aliquos ſalvos facere per opes, aliquos vero per inopiam, alios in hoc vitæ ſtatu, alios in alio. Verbo, credendum eſt, illum auctorem eſſe viæ, quam ingredimur, ut ſalutis noſtræ negotio vacemus, hoc tamen poſito, quod ipſum conſuluerimus de ſtatu, antequam illum aggrederemur, & quod eam mentem ipſe nobis immiſerit. Ita contra regulam hanc peccamus, cum alium ſtatum, aliam vitæ rationem, aliam ſortem, alia bona, alia officia, valetudinem perfectiorem, & vitam diuturniorem, & beatiorem concupiſcimus, hæc enim oppoſita ſunt ſpiritui ſtatus illius, ad quem nos Deus appellavit. *Auctor Anonymus.*

De parentibus filiorum ſuorum vocationem contra ipſorum voluntatem cogentibus.

Si quid diſcriminis invenitur inter victimas, quæ ad aræ pedes adducuntur ibi immolandæ, tantundem ſaltem adeſt inter eas rationes, quæ excogitant, ut immolentur. Quam noxia conſilia ſeſe immiſcere conſueverunt facto, quod per ſe adeo ſanctum eſt, ac dignum, quod in honore habeatur! Quot parentes, qui odium tantummodo ſuum conſulentes, qui ambitioni ſuæ aures præbentes, qui familiam ſuam locupletare, & augere conantes, atque primogenito uberiorem, commodioremque fortunam parantes ex natu minoribus tot coactas victimas faciunt, quas invitas trahunt ad altaria jugulandas! Quot inhumani parentes, qui providentiæ jura uſurpantes, cujus unius eſt de filiorum fortuna ſtatuere, curſum ejus avertunt, ordinemque mutant, ut illos accommodent, atque ad propoſitum ſibi finem adducant! Quot id genus parentes, qui ſemet ipſos conſtituentes tanquam filiorum ſuorum Deos, illos in religionis clauſtra cogunt hac una ratione ducti, quia illos mundo non ſatis utiles putant, & quod conſilia avaritiæ plana non ſinunt eos illic retineri! Dura neceſſitas filiis, quibus contigit parentibus adeo barbaris hanc lucis uſuram debere; ſed væ parentibus illis, qui filios ſuos æternæ damnationi objicientes in anteceſſum ſemet eidem tradunt in caput, familiamque ſuam cœli maledicta, ultioneſque detrahendo. *Sermo manuſcriptus.*

Deus gratias alicui ſtatui inhærentes illis tantum concedit, quos ipſe ad illum vocavit.

Beati, qui ſerio vacant perquirendæ viæ, quæ ſibi divinitus conſtituta fuit, & qui, ubi ſemel illam fuerint ingreſſi, nunquam pedem detorquent, ſed ad finem uſque abſolvunt. In hoc Salomon maximam hominis ſapientis prudentiam collocabat; *Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam.* Proverb. 14. Sed e contra væ recedentibus ab hac via, aliamque ingredientibus. Quemadmodum ſinguli ſtatus ſua habent officia, munera, & peculiares obligationes, quæ peculiaria exigunt auxilia, & gratias, ad hoc ut, ſicuti par eſt, adimpleantur; Deus ſecundum communem providentiæ regulam hæc illis tantum concedit, quos vocat, & merito denegat illis, qui injuſſi, & non vocati contra ejuſdem voluntatem ſeſe ſtatui alicui immiſcent; quippe Dei unius intereſt de creatis rebus, ut illi placitum fuerit, diſponere, non ſecus ac creaturarum eſt ſeſe cæce ſubmittere ejuſdem imperio: *Cor hominis*, Sapiens ait, *diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus.* Proverb. 16. Qui ſecus fecerit, recedit a via, per quam deſtinaverat Deus illum ad ſalutem adducere per errorem ſimilem errori viatoris, qui ſtatim, ubi pedem proferre incipit, errat a via, quam ingredi debet, & qui quo magis properat, eo magis recedit a termino, quo ſe perventurum exiſtimat. Ita error hominum alium ſtatum eligentium ab eo, quem ſibi a providentia fuerat conſtitutus, frangit ſeriem, & catenam mediorum, quæ illis præparaverat Deus, ut ipſos ad ſalutem perduceret; eoſque certiſſimo objicit periculo intereundi, niſi ſumma cura adniſi fuerint eum reparare errorem, in quem per malam hanc electionem lapſi ſunt. Deus enim impune abire non patitur facinus eorum, qui ſibimet ipſis viam faciunt

eam,

Digitized by Google

eam, quam ipſe illis conſtitui, relinquentes. Si ab ordine providentiæ recedunt, recidunt in ordinem juſtitiæ, quæ juſto, terribilique judicio illis ſubtrahit gratias, quæ ipſis eſſent quam maxime neceſſariæ ad feliciter abſolvendum curriculum, in quod temere ingreſſi ſunt, illas dumtaxat relinquens, quas ſecundum communem providentiæ ordinem nemini negat, ne illis omnem viam auferat ſalutis expediendæ. *De la Font, diſcurſu pro ſecunda poſt Epiphaniam Dominica.*

Electio ſtatus vitæ reſpicit præſertim adoleſcentes.

Hæc ſtatus vitæ electio argumentum eſt, cujus cognitio eo magis eſt adoleſcentibus neceſſaria, quo minus illi hujus neceſſitatem intelligant, & errores eorum hac in re ut plurimum ſunt irreparabiles; qui ſi quando reparantur, hoc nonniſi ſummis conatibus, ac laboribus, qui ſuperant fidem, accidit. Cæterum hi nunquam leves ſunt, & levis momenti; quoniam eorum affectus ſeſe in omnem hominis vitam extendunt, atque ad æternam uſque ſalutem progrediuntur, cujus, ut plurimum, poſt ſe interitum trahunt .... Et ſane quo labore, ac difficultate poterit aliquis ſalutem ſuam operari in eo ſtatu, cui ipſe impar eſt, & ad quem non eſt vocatus a Deo? Duarum rerum harum defectus efficiet, ut ille quamplurima peccata committat, quæ alio in ſtatu non commiſiſſet. Quippe defectus aptitudinis efficit, ut aſſiduæ occurrant illi difficultates obeundi munia, & peculiaris ſui ſtatus officia; defectus vero vocationis efficit, ut plures amittat gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut muneribus illis perfungatur; etenim ſe illis præbet indignum, temere ſemet in eum ſtatum intrudens Deo inconſulto, & inexplorata ipſius voluntate. *Gobinet in inſtitutione adoleſcentiæ parte 4.*

Quemadmodum ex omnibus terræ locis cœlum ſuſpicitur, ita ex omnibus mundi conditionibus in cœlum aſcendere poſſumus, ex pauperum tabernis æque, ac ex turribus regum, ex aulis æque, ac ex clauſtris: *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* Certum eſt tamen non deeſſe conditiones aliquas, ubi ſalus minus tuta eſt, quam alibi. Militem eſſe, ac impium a primis fidelibus nullo ferme in diſcrimine habebatur. Verum ne regnum cœlorum velut impoſſibile adſtruamus, cum ſit tantum difficile, dicamus in omnibus conditionibus ſalvari nos poſſe; verum addamus nullam eſſe conditionem, quæ ſuas non habeat pœnas, ſuoſque labores. *Auctor actionum chriſtianarum.*

Non ſatis luminis nobis eſt, ut ex nobis vitæ ſtatum eligamus.

Ut de nobiſmet, deque vocatione noſtra rite diſponeremus, atque bonam faceremus electionem, plurima nobis eſſent intelligenda, quæ omnino ignoramus; puta, impenetrabilia æternæ prædeſtinationis ſecreta, diverſa divinæ providentiæ conſilia, abditas ſapientiæ pluſquam humanæ artes, præſentem, futuramque proprii cordis diſpoſitionem. In noſtra poteſtate gratiarum clavini haberemus opus eſſet, ut pro re nata iiſdem uteremur, modo ad prævertenda pericula, modo ad reſiſtendum tentationibus; iſtic ad fugienda peccata, illic ad cohibendas cupiditates; quæ omnia ſubſidia in noſtra poteſtate non ſunt. *Idem.*

Quemadmodum Deus nobis generatim præſcripſit religionem, quæ nobis indigitat modum, quo ſibi cultum, & honorem adhiberi jubet ad regendos animos noſtros, qui ſine divinæ revelationis lumine eſſent tanquam arundines doctrinarum, ac religionum ad arbitrium confictarum vento agitatæ; ita Dei munus eſt indigitare nobis viam, quam in univerſali hoc itinere, quod oſtendit hominibus, ſequi debemus. Noſtrum non eſt nobiſmet confingere ſemitas ad arbitrium, per quas eamus ad Deum; ipſe via eſt, veritas, & vita. Heu! quis ſiccis oculis intueri poteſt cæcam adoleſcentiam, quæ temere in præceps ruit, aliis quidem caſtra ſecutis vel æſtu cupiditatum, vel exemplis, vel ratione temporum actis; aliis vero mala ſociata ineuntibus conjugia ob rationes prorſus carnales, & affectiones profanas; aliis rempublicam capeſſentibus ſine capite, viribuſque, & de hominum vita, honore, boniſque judiciis ferendis ſeſe immiſcentibus, cum ipſi per ſe nullum habeant lumen, ut ſemet ipſos deducant. *Ex ſpecimine ſermonum pro Dominicis, Dominica ſecunda poſt Epiphaniam.*

Pauci audiunt vocem Dei ad vitæ ſtatum vocantis.

Si cogitemus pericula, in quibus plerique mortalium verſantur, qui totum vitæ ſuæ ſtatum, atque occupationem ſibi confingunt, unde ut plurimum ſalus, vel damnatio æterna eorum pendet, quotuſquiſque occurret, qui vere dicere poſſit: Ego ſtatum hunc amplexus ſum, quia vocem Domini audivi, qui me manu quodammodo duxit? Quippe audire Deum eſt illos audire, quos ex eo charactere, quem nobis aperit evangelium, cognoſcimus veros eſſe miniſtros illius, de quibus idem Jeſus Chriſtus teſtatus eſt: *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. Quotuſquiſque id genus occurret? Quot vero e contra invenientur, qui ſi vera narrare voluerint, dicent: Uxorem duxi, quia vocem audivi non Dei, ſed avaritiæ, quæ mihi dixit, conſilium, quod capiebam, mihi utile futurum, ut mihi domum, fortunamque certam ſtatuerem: hunc adii magiſtratum, quia vocem ambitionis audivi dicentis, hanc viam eſſe, qua in mundo nominis celebritatem acquirerem. Dicent alii, eoque in numero quot erunt! Statum eccleſiaſticum amplexus ſum, quia ambitionis ſimul, & avaritiæ vocem audivi dicentium, me longe faciliori negotio in eccleſia adepturum duo, quæ ab hominibus ſummo niſu, ac labore in mundo quæruntur, opes videlicet, & honorem; opes quidem, magna poſſidendo beneficia, honores autem ad eccleſiæ dignitates memet attollendo. *Liber cui titulus: Chriſtiana documenta pro die Conceptionis B.M.V.*

Parentes explorare filiorum ſuorum vocationem pro religionis ſtatu, non vero pro mundo.

Ecce mundi injuſtitiam, immo etiam nonnullorum ex illis, qui pietatem profitentur. Si filii in aſceterium confugere volunt, immodicæ etiam præcautiones adhibentur; ſi in ſæculo permanere cupiunt, vocatio eorum non expenditur; e contra vero amor ſui tantus eſt, ut ſi filii minime placent, ſi quædam habent corporis vitia, propter quæ mundi oculis diſplicent, mundum relinquere jubentur inexplorata Domini voluntate, & nonnunquam etiam coguntur; quæ cauſa eſt malorum, quæ explicari non poſſunt; & quia ipſis procurentur ſtatus, & officia, quæ aliquid ſaluti eorum conferant, adducuntur in eas conditiones, ubi facile intereunt. Omnia humanis rationibus, ac proprio amore ſunt plena; ſollicitantur beneficia, ut illis reditus procurentur, quæ cum ſint patrimonium pauperum, ut Sancti loquuntur, fiunt occaſio damnationis poſſidentium, cum raro in eos, quos debent, uſus impendantur. Ad id peculiari vocatione opus eſt, ac dignus eſſe debes non ſolum per animi diſpoſitionem, quæ ſcientia eſt, verum etiam per vitæ probitatem, & zelum gloriæ Dei. Ad id parentes ne animum quidem advertant, cum de filiorum ſuorum vocatione contra Dei voluntatem diſponunt. *Auctor Anonymus.*

Adoleſcentes præter ipſum Deum conſulere debent de ſtatu eligendo.

Adoleſcentes, qui eam attigiſtis ætatem, qua tempus eſt conſulendi Patrem luminum, ut juſtam efficiatis electionem ſtatus, cui vos deſtinat Deus, & quem vobis ab æterno præſcripſit, audite aſceticæ vitæ magiſtros, qui unanimi conſenſu volunt a vobis diſſipari hanc cupiditatum catervam, quas ferventis adoleſcentiæ æſtus poſt ſe trahit. Etenim quæcumque ſint naturæ ſtudia, quantumcunque infelix ſit animi propenſio, ſemper quilibet ſe ipſum determinare poteſt: lumina ſemper fallacia ſunt; & cor noſtrum efficit, ut in eam partem vergamus, quo ipſe inclinat. A vobis quæro, ne quid feſtinetis; ſed antea ſerio, ſeduloque excutiatis ingenium veſtrum, & quidquid in vobis eſt cuilibet ſtatui vel congruum, vel oppoſitum; nullum enim judicium minus errori obnoxium in nobis eſt, Deum nobis nequaquam hoc, vel illud deſtinaſſe munus, quam in nobis eas agnoſcere diſpoſitiones, quibus

eodem

eodem efficimur indigni. Vos præſertim moneo, ne cui humanæ rationi aurem adhibeatis. & ſemper unice cum æternitatis conſilio operemini; ita ut voſmet morti proximos cogitetis, & ex vobis quæratis, quam ingreſſos fuiſſe velletis viam, & hoc animo de ſtatu veſtro decernatis. Aliter quid eveniet? Proculdubio ingenium, arbitrium, libidinem, doloremque veſtrum, & ſortem etiam ſequemini. *Ex manuſcripto ſermone P. Stephani Chomillardi de oratione.*

Tenetur quilibet ad ſtatus ſui perfectionem contendere.

Verum non eſt ad id, ut ſalvemur, opus eſſe neceſſario, ut perfecti ſimus; illud vero certum eſt, ſecundum filii Dei verbum, unicuique ad ſtatus ſui perfectionem eſſe contendendum, atque eas ingrediendas vias, per quas eam aſſequi valeamus. Non omnes perfectiſſimum ſtatum amplecti jubemur, ſed inevitabilis nos urget neceſſitas ſumma cura, ac ſtudio noſmet perficiendi eo in ſtatu, in quo nos providentia conſtituit. Nemo immunis eſt a præcepto amandi Deum ex toto corde, ac totis viribus, perhorreſcendi peccatum, atque nihil prætermittendi, ut ad ſanctitatem perveniat. *P. Croiſet tomo 2. receſſuum.*

Quicumque in electione ſtatus negligunt ordinem Dei, ut propriis cupiditatibus obſequantur, næ his quidem metuendum eſt, ne cæcitati ſuæ a Domino derelinquantur, & ne ipſis aliquid ſuperſit vel luminis, vel prudentiæ, ut in hoc mundo, ejuſque variis muneribus ſecernant ea, quæ mala ſunt, vel periculoſa, & minus adhuc virium ſuppetat ad ſuperandas tentationes, quæ ſeparari non poſſunt. Sin autem poſtquam conſcientiam ſuam conſuluerint, atque illuminatæ pietatis viros audiverint, intelligunt tandem ſe non eſſe eo in loco, in quo illos eſſe vult Deus; inde quam primum, tanquam ea domo, ſingulis cujus lateribus adhæret ignis, egredi debent. *De S. Martha tomo 2. tractatuum aſceticorum.*

Hominum plerique fortuito ſtatum & conditionem amplectuntur.

Cum per ætatem hominibus integrum eſt eam eligere profeſſionem, quæ occupet illos, & in qua ſanctificari poſſint ejuſdem muneribus, uti æquum eſt, perfungentes, nequaquam interrogant ſe ipſos, cuinam rei pares ſint, quid ferre recuſent, quid valeant humeri; ſed ſuite, ac temere, cæcoque impetu ſeſe injiciunt in eas profeſſiones, quæ, cum ipſis minus ſint congruæ, ibidem ſunt veluti in præcipiti, ac intereunt, quin fere cogitent mala, in quibus verſantur. Eaque cauſa eſt perturbati ordinis, quem in ſtatibus omnibus intuemur. Etenim cur mundus repletus eſt tot eccleſiaſticis modo prorſus ſæculari viventibus? cur tot videntur judices rudes, & avari? Cur tot furta, rapinæ, fraudes, jorgia, odia, ultiones, ærumnæ ubique terrarum? Quia ſine vocatione, ſine cognitione, ſine deſiderio illa obeundi, quæ ab homine æquo, veroque chriſtiano ſtatus illi requirunt, eoſdem ingredimur. *De S. Martha tomo 2. tractatuum aſceticorum. Tractatu de medica ſui ipſius conſideratione.*

Status mutandi deſideria ſuſpicione carere non debent.

Certum eſt, motus interiores, quos concipimus ex illo egrediendi ſtatu, in quo credendi locus eſt nos a divina providentia fuiſſe conſtitutos, ſuſpicione vacare non poſſe, cum dubitandi locus ſit, hanc nobis mentem injici vel a dæmone, vel ab amore naturali, quo ſtatus mutationem appetimus, qui efficit, ut vix noſtra conditione contenti ſimus, & noſtræ alienam anteferamus rati eam vel jucundiorem eſſe, vel utiliorem. Quemadmodum autem non adeo facile eſt horum motuum principia cognoſcere, non aliud nobis conſulendum eſt oraculum, quam quod conſoluimus, antequam munus illud aggrederemur, a quo recedere meditamur. *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii presbyteri.*

Imprudentis eſſet temere monaſticam vitam ingredi, quamvis cauſa illa ſemper laudabilis ſit; quamvis ſtatus ille adeo tranquillus ſit, perfectus, atque tutus. Parentum intereſt de filiorum deliberatione adeo generoſa diffidere, in qua ſæpe perſonctoria inclinatio locum habet conſiderationis, atque conſilii. Monitis ſalutaribus, & rationabili mora ſupplere debent defectui experientiæ in ætate parum matura, & quæ plerumque faſtidio, ac pœnitentiæ eſt obnoxia. Verum enim vero ſi hujuſmodi præcautiones neceſſariæ ſunt ad eum ſtatum amplectendum, quem mundani colunt, quem ſanctum eſſe fatentur, & cui ſæpe beatiſſimus quiſque invidet e ſæculo; nunquid minus erunt neceſſariæ, cum ea amplectenda erit conditio, quæ neminem unquam beatum fecit, & ubi omnes uno ore confitentur longe difficilius eſſe ſanctitatem acquirere? Num ſatis erit a parentibus diligi, ingenii acumine pollere, corporis forma præſtare, opimam expectare hæreditatem, maximum eſſe natu, vel unigenitum, ut aliquis mundo deſtinatus cenſeatur? Etenim, quæ alia, ut plurimum, cauſa eſt adeo periculoſæ electionis, cum interim quidquid habetur velut calamitoſum, & rejectaneum, eccleſiæ, & aſceteriis natum exiſtimatur? *P. Croiſet tom. 2. ſpiritualium conſiderationum.*

Quid ut plurimum de filiorum in familia vocatione decidat.

Adoleſcenti ſatis eſt in familia minorem eſſe natu, ut dubitandi locus non ſit, quominus ad ſacrum altarium miniſterium vocatus ſit; ſi rerum facies mutaretur, vocatio quoque inverteretur. Puellæ opes deſunt, ajunt, Dei ſpiritum parentibus hanc mentem injicere, ut illam religionis clauſtra ingredi oporteat. Sin autem locupletem habeat dotem, ſi inſignem adepta eſt hæreditatem, illius in religionem vocatio tentatio eſſe exiſtimatur. Nunquid hanc ornam movet Deus? Nunquid Dei ſpiritus ita conditiones partitur? Nullo pacto, ſed cæca prædilectio, ambitio, avaritia; jus nativitatis ſæpe, inconſulto Deo, de filiorum ſorte decernit. Primogenitum ſaluti ſuæ in religioſo ſtatu conſuleſe velle illuſio eſt, dementia; perfugium hoc natu minoribus dumtaxat patet; nativitatis locus eorum ſortem conſtituit; vocati ſint, necne, nihil intereſt; parentes eorum hanc vocationem accepere; hoc ſatis eſt, nullum præterea conſulitur oraculum. Ingenium parum docile, inconſtans, rude, qualitates eſſent parum utiles mundo, at ſatis aptæ ſunt victimæ, quæ non Domino quidem, neque enim voluntas, & gloria illius ibi quæritur, ſed crudeli familiæ utilitati immolatur, cui & ſalus, & religio ſacrificantur. *Idem.*

Quantumvis ſapientes ſint præcautiones ab hominibus ſuſceptæ, cum hunc mundi ſtatum elegerunt, quemadmodum vocatio nequaquam liberat a periculis, quæ ibi inveniuntur, timor cum electione finem eundem habere non debet. Nihil ſcire prodeſſet mare ſcopulis plenum eſſe, niſi illos indeſinenter evitare ſtuderemus. Mundani procelloſo navigant mari, ſufficitne ab illis non ignorari pericula, quia jugiter invigilent ſcopulos evitaturi? Cogitatio, quam habent a Deo in hoc ſtatu ſe poſitos fuiſſe, nequaquam illos diſpenſat a neceſſitate indeſinenter vigilandi, ut evitent naufragium. Non ſatis eſt ſcire aerem, quem reciprocamus, malum eſſe, amuleta ſumenda ſunt, ne illius tabem contrahamus. Nunquid ſapientia eſt ſcire, te in hoſtico iter facere, & inermem incedere, quin tibi caveas? *Idem.*

Mirum eſt quod homines mundi ſtatum eligunt, quin ſciant utrum a Deo vocentur.

Mirum! furenti animo mundi ſtatus arripitur, quin ſciamus, utrum a Deo vocemur, atque in admirabili ſecuritate vivitur, quaſi nihil ſaluti noſtræ metuendum eſſet. Fatemur arduum eſſe ibi ſanctus fieri, nihilque agimus, ut efficiamur. Perdifficile eſt, dicimus, in mundo ſalvari; at nonne magis adhuc mirum eſſet, ſi quis ibi ſalutem ſuam operaretur, vitam adeo parum chriſtianam ducens? Statui acceptus referendus non eſt eorum, qui pereunt, numerus. Conditio mundanorum nunquam fuit obex ſaluti eorum, qui ad illam vocati fuerunt... Dominus conſulendus eſt, antequam illuc ingrediaris. Ubi vero ingreſſus fueris, illic vivendum eſt, tanquam ſub cœlo inclementi, & velut in hoſtico. Virtus ipſa, quæ altius radices jeciſſe videtur, non ſemper ab illius contagione tuta eſt.

Digitized by Google

tu eſt. Laquei, licet aperti ſint, non ideo tamen cautius vitantur. *Idem.*

Negotioſorum hominum vita non eſt periculoſior, quam in aliis ſtatibus, ſi vocetur.

Mercaturam facis, opes congerere ſtudes. Speras eamdem tibi, ac tot aliis adfore felicitatem. Ambitioſus es, ſatis ingenii tibi eſſe putas. Eventus parum videtur incertus illi, qui eſt audax. Hoc eſt procelloſum mare, ſcopulis plenum, ac naufragiorum frequentia infame; attamen navigas, & ubi contrarii afflaverint venti, eos te remis ſuperaturum putas, & quilibet ſperat ſe tuto in portum eſſe perventurum. Neceſſe non eſt hoc in loco laborum, quibus id genus homines torquentur, texere nomenclaturam. Nemo negotiis ſe immiſcet, qui ubique imaginem ſuam non relinquat. Oris habitus cogitabundus, ac moroſus, ſolitarii hominis facies, impeditiores agendi, loquendique rationes, quæ procul ſemovent, quidquid de fœnore, uſura, contractu, mutuo non loquitur; hæc omnia locum præbent quærendi, utrum in mundo ſit vitæ genus magis auſterum, atque moleſtum, & utrum manifeſta opus ſit vocatione, ut labores, & curæ; individuæ illius comites, ſuſtineantur, & ne præ cupiditate opum coacervandarum lædatur conſcientia? Cupiditas quæſtus nonne objicit periculo in nullam reditus ſpem intereundi in vocatione adeo perniciosa, quæ alioquin reipublicæ eſt adeo neceſſaria? Igitur peculiari opus eſt gratia, cujus ope ſaluti conſulatur; eaque non alia profecto eſt, quam gratia vocationis. *Idem.*

Eccleſiaſticus ſtatus ſæpe per ambitionem, avaritiam, vel aliam ſimilem humanam rationem eligitur.

Eccleſiaſticum ſtatum ingrederis, ſed in hac electione nullam fere partem obtinet Deus. Familiæ utilitas ſæpe puerorum fatum conſtituit, & locupletis beneficii ſpe defectui vocationis ſuppletur. Illum, cui modicum quidem pietatis eſt, plurimum autem ambitionis, tædet vitæ humilis, & obſcuræ; cupiditas omnium ſtatuum eſt, objecta ſunt varia, ſed paſſio eadem, & in eccleſiaſtico ſtatu æque, ac in mundo quiſque ſuam promovere ſtudet fortunam, hoc eſt recentem quærit dignitatem, redituſque locupletiores. Credis tibi ſemper adeſſe merita, ex quo adeſt deſiderium. Quid autem intentatum relinquitur, ut eo perveniatur?... Res ceſſit ex voto? aſſecutus es beneficium, quod optabas; aliam jam ludis perſonam. Sed es ne contentus? Nulla dignitas eſt, quæ jus ad alteram præbere non videatur. Quilibet gradus nos ſublimiori admovet, ac deſiderium ad illum aſcendendi creſcit. Donec gratia novitatis viget, placet non eſſe amplius, quod antea; at ubi gratia iſta conſenuit, dolemus, quod minime ſumus, quod eſſe poſſumus; ambitio proſpero rerum eventu non ſaturatur. *Idem.*

Cum non conſulimus Deum in electione ſtatus, plurimis nos circumſeptos videmus periculis.

Modicam ſane ſalutis ſuæ rationem habere, Deumque ipſum haud magno in diſcrimine ponere dicendi ſunt mortales in ſtatus ſui electione, quandoquidem illum conſulere negligunt. Mirumne eſſe debet, ſi ibi tot conficiuntur curis, ſi illic tot ipſis negotium faceſſunt, ſi adeo miſere labuntur? Chimerici Dii, quos conſuluiſtis, & in quibus omnem confidentiam veſtram collocatis, per irriſionem Propheta dicebat, in urgentibus neceſſitatibus veſtris vos adjuvent. In eo, quod cepiſtis conſilio, mundum dumtaxat, cupiditates veſtras, veſtræque familiæ utilitatem conſuluiſtis; de quo igitur inter pœnitentias veſtras conquerimini? Ambitioni dumtaxat nuncupaſtis vota, in electione veſtra carnis, ſanguiniſque vocem audiſtis; igitur in tot amaritudinibus, in tot ærumnis, in negotiorum veſtrorum adverſitatibus ad eos confugite, qui vobis idoli, & oraculi loco fuerunt, & ipſi vos ex malis veſtris eripiant. Proh, Domine, quot prohiberentur ægritudines! quam pauci eſſent miſeri! quam infrequentia eſſent in hoc procelloſo mari naufragia, ubi ſine terrore tot errant mundani, ſi nemo ſe inconſulto illud navigandum ſuſciperet, ſi tu Sydus eſſes, a quo toto itineris decurſu nunquam oculos declinarent! Quid ſperandum non eſt, cum Dominus, cui ſervimus, & dux, quem ſequimur, fluctibus imperat, eoſque in officio coercere didicit? *Idem tomo 2. chriſtianarum conſiderationum.*

Parentes non ſunt arbitri vocationis filiorum ſuorum.

Perſuaſum eſſe debet non licere parentibus, inconſulto Deo, filiis ſuis munus, aut vitæ ſtatum eligere, quin ſciant utrum illi a Deo vocentur, & quin hac in electione cogitent aliud, quam humanas rationes, & terrenas utilitates. Non licere illis exempli gratia filium eccleſiæ, alterum vero mundo deſtinare; alium conjugio, alium religioni ob ſolam ætatem, ob conſuetudinem, & familiæ utilitatem; quia alter quidem primogenitus eſt, alter minor natu; quia alter quidem habet talenta, quibus in mundo nitere poteſt, alter vero illis caret; quia filia hæc oris habitu, & ſpecie præſtat, altera vero non item; quia illi familiæ decorem vel ſuſtinebunt, vel augebunt: quia dignitas hæc ampliſſima eſt, vel quia conditio hæc illis aperiet opes congerendi, ſuumque ingenium, ſcientiam, eloquentiam oſtentandi viam. Hoc eſſet auferre Deo ſupremam, & juſtam poteſtatem, quam habet in creaturas, eamque ſibi vendicare, ita de filiis ſuis juxta propriam voluntatem, & privatas rationes diſponendo. Itaque ſatis frequenter videmus, Deum hujuſmodi filios tradere cupiditati parentum eorumdem, ac permittere, ut illis e voto cedant ambitionis, & avaritiæ conſilia, quæ in altera vita futura ſunt parentum ſimul, totiuſque familiæ ſupplicia. Infelicitatis vero illorum cumulus eſt, quod illi eventus hos tanquam magnum bonum, & cumulum cœleſtium benedictionum reſpiciunt. *Specimen Ethicorum in evangelium in octava Epiphaniæ.*

Nil vulgatius eſt, quam videre parentes, qui de filiis ſuis diſponunt juxta leges quaſdam, quas libido invexit. Ut natu maximus fiat locupletior, opus eſt, exempli gratia pleroſque aliorum in eccleſiam, vel religionem intrudi. Primogenitu huic comparanda eſt dignitas, quantumvis fortaſſe illi prorſus ſit impar; hoc eſt, ut mundo mos geratur, oportet de filiorum vocatione diſponere, quin aliud quidpiam præter humanas rationes conſulatur. Hoc vulgo accidit, & conſuetudo hæc in omnibus ſtatibus pietatem evertit, replendo civitates malis magiſtratibus, eccleſiam malis miniſtris, religionem malis religioſis. Quippe habita vitæ ſtatus electione, quia nullam unquam Deus in ea partem habuerit, renuit plerumque Deus temerariis hiſce conatibus benedictiones ſuas, ideoque illi non aliud ſunt, quam malorum multiplicatio. Vitæ genus, ac profeſſio perperam eligitur, quam ubi ingreſſus fueris, eadem mente, ac ſpiritu, quo ingreſſus eſt, in eadem verſaris. Mala malis agglomerantur, ac ſæpe accidit, ut malarum electionum auctores omnium primi funeſtos illarum exitus experiantur; ut filii non ſine aliorum detrimento locupletati, poſtquam Deo ingrati fuerunt, ſint etiam adverſus eos, a quibus ita amati fuere, & ut Deus non ſinat, hos parentes, qui illa infringunt jura, quæ ipſe obtinet in filios eorum, iiſdem juribus perfrui, quæ ad illos legitime pertinent. *Ibidem.*

Quid agendum ubi ingreſſus fueris conditionem periculoſam vel parum aptam, ut tibi ſalutem tuam operetis.

Fatendum eſt in mundo quaſdam adeſſe conditiones, & munera, quæ licet per ſe culpa vacent, & immo civium ſocietati ſint fortaſſe neceſſaria, ſunt nihilominus ſaluti periculoſa, & apta ad eos, qui ſe ſe illis immiſcuerint, a cœleſti regno amovendos. Publicam perſonam geris, Principi adſtas, familiæ curam exerces, vix graviſſimis occupationibus, quibus obrueris, ſucciſiva aliquot eripere tibi licet momenta, quibus ei vaces negotio, quod unice, & maxime neceſſarium eſt. Hoc tamen fieri poſſet majori etiam cum attentione, conſtantia, ac fide; quod inde conjicere eſt, quod in impeditiſſimis etiam conditionibus, quibus humana mens maxime diſſipatur in aula, & exercitu, inter homines negotiis, & commerciis additos ſemper inveniri ſunt nonnulli chriſtiani fideles, qui vero zelo, ac pietate erant ſuccenſi. Sed ubi primum varios hoſce ſtatus ingrederis, te ipſum ſtatim regas oportet, ne vitam temere ducas, ſed bonum probatumque virum conſulas, quid liceat, & quid debeas

beas

beas Deo, & conſcientiæ tuæ in ea conditione, cui te adhæſiſſe doles, & quam non niſi propter Dei voluntatem, ac inevitabilem negotiorum tuorum neceſſitatem ſequeris: alioquin, iterum dico, ſtatus hujuſmodi omnino periculis pleni ſunt. *P. Surin tomo 3. dialogorum aſceticorum.*

Deus ſæpe vitæ caſibus utitur, ut homines in tutiorem ſtatum adducat.

Hujus vitæ caſus, qui ab hominibus adverſitates vocantur, per quos Deus ex mundo aufert homines quoſdam, ut illos in religionem, vel in eum ſtatum adducat, ubi illi ſervire, ac ſalutem ſuam valeant operari; hi caſus inquam re ipſa fortuiti non ſunt, quippe non ſunt adverſitates, ſed divinæ miſericordiæ conſilia, quæ ſæpe inopinatis hujuſmodi eventibus utitur, ut eos, quos peculiari protectione tuetur, ex mundo, & aula tanquam ex naufragio educat. *Abbas Trappenſis in Chriſtianis effatis tomo 1.*

De vocatione ad ſtatum eccleſiaſticum.

Cuinam tanta eſſe poſſet temeritas ad ordines, & eccleſiæ dignitates obrependi, quin ad id peculiariter a Deo vocaretur? Non ſatis eſt ſe doctum eſſe, ſapientem, ac moribus irreprehenſibilem; te Deus vocet, opus eſt, tuta, probataque vocatione. Satis liquet, non ſufficere bonis præditum eſſe qualitatibus, ut ad primas reipublicæ dignitates, & ad civitatis regimen promovearis; præcipue neceſſarium eſt a principe vocari, & ſi quis ita eſſet audax, ut propria auctoritate immiſcere ſe vellet, quis ambigit, utrum multo ſuffuſus probro dimitteretur? Quid autem? a rege vocandus es, ut terreni miniſterii provinciam capias; miniſterium vero ſpirituale, ſanctiſſimumque Dei injuſſu aggredi audebis? Audebis tibi vindicare triplicem Jeſu Chriſti poteſtatem; conficiendi videlicet adorabile corpus illius in ara, peccata remittendi, vel retinendi, & annuntiandi verbum Dei, quin ullum habeas ſignum vocationis Domini! Quomodo non formidatur id, quod S. Cyrillus Alexandrinus ait, illis, qui ita erunt temerarii, ut ſeſe velint ultro ſacro immiſcere Sacerdotio, expectandam eſſe damnationem, & ultionem ſimilem illi, qua percuſſi fuerunt Core, Dathan, & Abiron, qui viventes adhuc dehiſcente tellure abſorpti fuere, quod contra Moyſem, & Aaronem inſurrexerant, qui a Deo fuerant electi, alter quidem, ut populi dux, alter vero, ut Tabernaculi eſſet miniſter. Væ vobis, S. Bernardus de conver. ad cler. c. 27. exclamat, qui non accipitis eccleſiæ claves, ſed qui per vim illas rapitis: *Væ vobis, qui clavem tollitis, & non accipitis.* Specimen ſermonum pro ſecunda Quadrageſimæ Dominica.

Non illi ſolum, S. Chryſoſtomus inquit, qui auctoritate, ac potentia ſua eccleſiæ dignitates rapiunt, ſeveriſſimis divinæ juſtitiæ ſuppliciis ſeſe ſubjiciunt, verum etiam qui aliena gratia, aut ope ad illas obrepunt, ubi officio ſuo deſint, in dignitate ſua nihil invenire poterunt, quod in Dei judicio prætexant. Si enim qui per Dei vocationem, ac imperium, & poſtquam pro viribus hunc honorem detrectaverint, pro aliis rationem reddituri ſunt, exiſtimabimus nobis ad excuſationem ſufficere poſſe, ſi dixerimus, nullam nobis eſſe culpam, eo quod ad hanc dignitatem deſideriis, artibus, & ambitione haudquaquam nobis viam aperuerimus? Niſi Deus ipſe nos vocaverit, fruſtra ab hominibus vocamur, & ſi vocem Dei ſecuti fuerimus, hominum voce non excuſabimur. *Ibidem.*

Culpa parentum de filiorum vocatione decernentium.

Quodnam crimen eſt, quod pater juxta ſolas mundanæ ſapientiæ rationes ſibi jus vindicet diſponendi de filiis ſuis; illos huic, vel illi vitæ generi admovendi, hæc vel illa beneficia ipſis procurandi, efficiendique, ut hanc, vel illam ingrediantur viam, quin cogitet, utrum illæ ſint domini viæ? Cuinam ſe ſe objicit malo, & quænam ideo & ipſi, & filiis ejus imminent mala, quandoquidem hoc adeo arctam habet cum ſalute ipſius, filiorumque ejus rationem? Ex quo enim homo ſe ipſum independenter a Deo regere incipit, ſe coram Deo reum ſtatuit malorum omnium quæ inde proficiſcuntur; cumque humana prudentia, ea etiam, quæ callidiſſima eſt, ſexcentis ſit erroribus obnoxia, quis dicere poteſt, quot ille debita debitis accumulet, quorum ſupremo judici rationem erit aliquando redditurus? ...... Cum pater de filiis ſuis diſponit ſecundum damnabilis hujus mundanæ politicæ, quam veluti normam ſequitur, ideas, quid accidit? Noſtis, ut unum attollat, reliquos ſacrificat. Eo quod hunc ſumma prædilectione complectitur, aliis ſe præbet iniquum. Eccleſiæ deſtinat eos, qui in mundo rite munus ſuum poterant obire, & mundo implicat eos, qui utiliter eccleſiæ poterant inſervire; & quia nihilominus verum eſt, temporale eorum ſtatum nexum ferme certiſſimum habere cum æterna prædeſtinatione illorum, cogitans ſe omnibus conſulere, omnes damnat, ac ſe ipſum cum illis. Si tanquam chriſtianus pater ad Deum confugiſſet, hæc mala evitaſſet omnia; ſed ſibi uni credere voluit, ſibi credens periit, filioſque ſuos perdidit, atque coram Deo ſe reum conſtituit de ſuo, filiorumque interitu rationem redditurum. *P. Bourdalove de Providentia.*

Lapis ædificio rite inſervire non poteſt, niſi manus architecti illum conſtituerit in loco, cui idoneus eſt. Quomodo fidei conſonum videri poteſt, memet apte alicui applicare muneri, quin expectem me a Dei manu determinari? Divino huic architecto jus eſt de lapidibus ſuis; neque noſtram proferre debemus libertatem, ne id efficiamus. Verum eſt nos liberos eſſe; verum ſimul etiam ſubditi ſumus, & niſi qualitas hæc illi præponderet, nonne jure ſuo Deus nobis exprobrare poterit: *Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus?* Malach. 1. Ne dubites me patrem, regemque tuum eſſe; te oblitum eſſe oporteret, quid es, ut in dubium revocare poſſes, quid ego ſum. Verum ſi vel parentum minis deterritus, vel amicorum illecebris captus, vel creaturæ alicujus lenociniis ſollicitatus de ſtatu tuo diſponere præſumis, dic mihi, quid mihi reliquum erit auctoritatis meæ? Id agere nonne eſt meum mihi imperium auferre? Fruſtra dicis te in hac affinitate fortunam, in hoc munere quæſtum, in hoc ſtatu requiem invenire; ſi in hac electione tuam tantum cupiditatem, ambitionem, avaritiam conſuluiſti, nunquam illius officiis rite perfungeris. *Auctor actionum chriſtianarum tomo 2. ſermone hujus argumenti.*

Vult Deus vos in eſſe ſtatu in mundo, ſicut in Regum aula varii ſunt Præfecti.

Tibimet principis aulam finge. Quænam miniſtrorum varietas! Alii conſiliarii ſunt, alii duces exercituum; illis menſæ cura demandatur, his regiæ domus. Hi regi a ſanctioribus conſiliis adſunt, illi provinciarum præfecti, alii juri dicundo, cauſiſque cognoſcendis præpoſiti; omnia vero a principe hæc diſtribuuntur officia. Verum quid princeps hic diceret, ſi quilibet ad arbitrium locum ſibi occupare vellet, ac injuſſu illius alii alios extrudere? Miniſtri nequam, diceret ille, eo perfungimini munere, quod vobis propoſui, neque illud volmet attollere conemini, ubi vos conſtituendi mihi voluntas non fuit. Vos in conſilio, non autem in exercitu volo, & apud me, non alibi. Obedientiam potius veſtram, quam operam peto, vobiſque ſatis ſit mea capeſſere imperia, quin voluntatem meam audeatis prævertere. Quod ſi principes in regnis ſuis hanc exigunt ſubmiſſionem, ſi privati etiam illam domi ſuæ depoſcunt, num quid eam negliget Deus, qui conſiliis ſuis cœleſtia, ac terrena omnia moderatur? *Idem.*

Qui de ſua vocatione diſponere vult, contra Deum inſurgit.

Quicumque de vocatione ſua diſponere vult, cujuſcumque ordinis, ac dignitatis ſit, contra Deum inſurgit, atque uſurpator eſt, qui Domini ſui jura ſibi vindicare contendit; temerarius eſt, qui ſe illi immiſcet rei, in qua prorſus rudis, & hoſpes eſt, & qui toties errabit, quoties aliquid facere aggredietur; eum enim Dei voluntatem cognoſcere neglexerit, ſeſe indignum præbuit, qui luminum Dei ductu regeretur. *Auctor Anonymus.*

Cur putas, S. Bernardus interrogat, varios vitæ

hujus

Cur vita ſtatus vocat o dicatur.

hujus ſtatus vocationis nomine nuncupari? Cur vulgo dicitur, hic ad eccleſiam, ille ad ſurenſes cauſae, hic ad mercaturæ impedimenta, ille ad armorum ſtrepitue vocatus eſt? Ut videlicet intelligamus, nobis ſtatum eligendum non eſſe, niſi privatim Deum conſuluerimus. Divina voluntas, ut ita dicam, primum eſſe debet motus noſtri organum; ſolaque eſſe debet veluti omnium actionum noſtrarum anima. Vult Deue noſtrie ſeſe immiſcere negotiis, electioni noſtræ præeſſe; ne miremur. Hoc amoris ejuſdem indicium eſt, atque bonitatis ejuſdem argumentum. Quantum illi debemus ob curam, quam gerit noſtri, & eorum, quæ pertinent ad nos? Si gloriæ ſuæ zelotes eſt, non minus eſt noſtræ utilitatie; neque enim præcipit, ut illum in ſtatus noſtri electioni conſulamus, quin ſimul velit eas nobie elargiri gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut munere noſtro perſungamur. *Abbas Trappenſis*.

Nonne mirum eſt in minoribus negotiis a nobis agi ea omni diligentia, quæ adhiberi poteſt maxima, in eo vero, ubi de ipſa agitur æternitate, nos arbitrium, libidinemque noſtram ſequi? Hoc eſt Dei decreta, quantum creatura poteſt, ſubvertere; ejuſque contemnere conſilia, quapropter ille ſecundum Prophetæ verbum ſuccenſet: *Exacerbaverunt eloquia Dei, & conſilium Altiſſimi irritaverunt*. Hinc illa crimina, quæ hoc ſæculo nimis frequentia ſunt, & quæ chriſtianæ religioni probrum, & dedecus afferunt. Hinc illi judices, qui rerum ordinem ſubvertunt, qui otio indulgent, languentiſque otii reliquias ſuo muneri impendunt, quaſi judices non eſſent, niſi ut per intervalla pro tribunali ſederent. Hinc paſtores illi, qui per alios faciunt, quod per ſe ipſos facere deberent, &c. Omnia corrupta ſunt, nullum munus adimpletur, cum non conſulitur Deus. *Idem*.

Ægritudo illius, qui Deo inconſulto ſtatum elit, quem ingreſſus eſt.

Cum incerti ſumus, utrum nos velit Deus in hoc ſtatu, quieſcere ne, animique tranquillitate frui poſſumus? Induſtrii ſumus nosmet ipſos torquendo, futurum etiam ſollicite perſcrutamur, ac ſæpe ideas concipimus ipſa veritate magis funeſtas. Quot ſibimet ſuccedentes, ac ſeſe evertentes cogitationes! Hodie id conſilii capimus, cras illud relinquimus, ſemperque pugnantes numquam nobiſmet ipſis conſtamue. Magno nobis ſtat pretio de conditione noſtra decreviſſe.... Si Deum conſuluiſſemus, ſi opem illius exquiſiviſſemus, ejuſque lumina fuiſſemue ſecuri, ſalutaria nobis, utiliaque dediſſet conſilia, ac incertie cogitationibus noſtris certitudinem attuliſſet. Sed ultro ſtatum arripuimus, noſmet ipſos tantum in conſilium adhibuimus, noſtris dumtaxat cupiditatibus fidem adjecimus, quis in juſtis terroribue noſtris nos confirmabit! quie adverſue ea, quæ evenire poſſunt, tuebitur? quis pollicebitur, cum eo non ſimus in loco, & ſtatu, in quo nos Deue eſſe volebat, conatue noſtros e ſententia ceſſuros? *Idem*.

Omnes mundi ſtatus, nullo excepto, hebent ſalutie pericula, ac nimis facile eſt illic interitus occaſionem reperire. Salutie pericula in conjugiis; ſimul enim concilianda ſunt, quæ ſimul eſſe poſſe nequaquam videntur; invigilandum eſt terræ bonis, atque cor ab omni eorum affectione ſemovendum; creaturæ ſumma dilectio impendenda eſt, & Creatori integerrimus amor deferendus. Salutie pericula in negotiis; ex opibue opes quærendę ſunt, ſed non fœnerandum; alienis ſumptibus comparandus eſt victus, at nemini damnum inferendum. Salutis pericula in judiciis ferendis; miſerorum cauſę negligendę non ſunt, & contra proprias etiam protegendę; evitandę ſunt adfectatę morę, & protſus infinitę ambages, quę protrahunt lites per leges ipſas, quę rogatę fuerunt, ut quam citius illis finis imponeretur. Pericula ſalutis in divitiis, opes diſtribuendę ſunt, nec laborandum, ut iiſdem perfruamur; illis utendum eſt, ſed affectus in illis non eſt collocandus. Quodnam terroris argumentum animę inter tot pericule, & quęnam requiritur gratia, ut naufragium vitemus? *Idem*.

Quid quæ-ratus in Chriſtiano, ut vocationis ſuę munere perfungatur.

Matronę, cujue conditionis ratio poſtulat, ut viſitationes ultro citroque reddat, ac recipiat, nequaquam dicimue hee eſſe abrumpendas, vitamque prorſus ſolitariam ſeorſim eſſe ducendam; ſed dicimus, illam apponere debere oſtium circumſtantię labiie, auribuſque ſuie; ut ab omnibus venenatis obtrectationum telie tueatur, quę ſępe criminoſa ſunt tum in audientibus, cum in proferentibue illa. Ex viro hoc, qui magiſtratum obtinet, non quęrimus, ut in ſolitudinem ſecedat, ſed ut ſibimet invigilet, ne locum prębeat cenſurę; homines quippe facta ejue explorant, ut ſi quando labatur, intelligant; quęrimus, ut ſit & lux mundi; ut hunc ſermonibus erudiat, & ſal terrę, ut exemplis ſuis illum a corruptione pręſervet. Non petimus a viro hoc, qui martis caſtra ſequitur, ut a munere ſuo recedat, ſed ne militis conditio efficiat, ut ſe Chriſtianum eſſe obliviſcatur, ut Jeſu Chriſti militiam cum principis militia conjungat, & armis, quæ gerit, non utatur, ut rapinam, impotentiam, impuritatem, & blaſphemiam tueatur. Ex mercatore illo non quærimus, ut tabernam, ac rationarium ſuum deſerat, ſed ut a negotiatione ſua avaritiam, fraudem, uſuramque proſcribat, utque perhorreſcat duplex pondus, dololamque ſtateram, quam Deue abominatur, & odit. Ex artifice hoc non petimus, ut artem relinquat; ſed ut in ſudore vultue ſui panem veſcatur, atque laborem hunc pro pœnitentia ſuſtineat. Neminem denique vitæ conditioni, vel loco, aut muneri, in quo ipſum providentia conſtituit, valedicere jubemus, ſed muneribue illi inhærentibus defungi, ac ab illie recedere, qui inter flagitia verſantur, & ut verbo me expediam, ſe ipſum ſanctificare. *Abbas du Jarry ſermone de circumciſione*.

SUPPLEMENTUM.

Ad vitæ ſtatum eligendum magna prudentia opus eſt.

NUllum in vita majoris momenti negotium eſt, quam ſtatue electio. Tunc deliberatione opus eſt matura, ac diuturna; tunc aſſumendæ ſunt omnes neceſſariæ præcautionee ad ſalutem eo in ſtatu, munere, profeſſione, quam ſemel ſuimus amplexi operandam. Tunc ſapienti opus eſt conſilio, & funeſtioribus ſeſe malie objiceret, qui ita eſſet imprudens, ut ſemet ipſum audire vellet, & a ſuo judicio pendere. Vis in aliquem ſtatum ingredi, & hunc vis, quia tibi videtur tibi convenire. Cujnam tuum conſilium aperuiſti? Tu te conſuluiſti, & cognas alieno non egere conſilio, ut in re tanti momenti decernas. Periculum eſt, ut non vocatos ſtatum hunc ingrediarie, ideoque non ſine magno cum periculo ibi verſaberie. Conſiſte igitur, ac intellige factum tuum nimie eſſe præceps. Delibera igitur, ſapientiſſimoe in conſilium habe rectores, quibus non deſint lumina, & rectitudo cordis, quæ ſunt neceſſaria, ut optimum tibi præbeant conſilium. Si periculoſum eſt ſtatum eligere ſine conſilio prudentum; hoc præcipuo jure de ſtatu Eccleſiaſtico dicendum eſt, de quo vere dicitur, ſeſe omnigenis objicere periculis, qui illum non vocatus, ac ex mera voluntate ſua ingreditur. Vera diſpoſitio cognoſcentis hujus ſtatus ſanctitatem eſt timere, ne nimis procedat; neve nimis fugiat, & omnino ſe indignum exiſtimet. *Lambert*.

Monet S. Jacobue Apoſtolus, ut prima reformidemus ſubſellia, ne feſtinemue fieri velle aliorum magiſtros, ſcientee nos ſeverius judicium eſſe ſubituroe. Quid igitur dici poteſt de illis, qui magnos honores ambiunt? Nonne deploranda eſt cæcitas eorum, quin eorum ſorti invideamus? Non inde tamen fert animue eos omnes damnare, qui honoribus præfulgent, & auctoritate pollent. Plorandi

di quidem ſunt, non autem damnandi. Neceſſe eſt cum primi, tum etiam noviſſimi repleantur recubitus. Sunt, quos Deus agit, & vocat, & qui licet omne munerum ſuorum pondus intelligant, rei peragerentur inobedientiæ, quod Dei voci non pareant. Quantumvis magna ſint pericula, fortior tamen Dei gratia eſt. Sed hoc vere eſt carere ſenſu; tanta ſollicitudine primas ambire dignitates. E contra ſi digni eſtis magnis officiis, & vos prætereant, beatos voſmet exiſtimate, & Deo gratias agite. Quod ſi ſublati eſtis, numquam ceſſate, quo minus timeatis, & dignitatem veſtram exiſtimate non aliquid utile, ac fulgidum, ſed veluti graviſſimum pondus, quod efficere debet, ut a Deo inceſſanter flagitetis opes, ne ponderis ſuccumbatis. *Idem.*

Quilibet vacare debet unice ad obeunda munera ſtatus illius in quo eſt.

Omnes in hoc mundo ſumus tamquam in navi, quæ per mare currit. Qui nauticam turbant componunt, non omnes idem habent officium, laborant alii, alii ſe deferri ſinunt: alii imperant, alii faciunt imperata. Alii operibus artis intenti ſunt, alii aſſident gubernaculo, & piraidi inhærent. Sunt nautæ, ſunt navarchi, mercatores, milites, & militum duces. Sed quodcumque ſit ſingulorum officium, hoc debent perfungi, quin alienis ſe immiſceant. Quæ enim eſſet perturbatio, ſi miles vellet officio nautæ fungi, cum fortaſſe numquam remis manum addiderit, vel ſi nauta a gubernaculo recederet militia vices obiturus, cum numquam militiæ nomen dederit? Quæ confuſio, ſi illi, qui artis ædificaturiæ peritus eſt, putaret ſe navis regundæ ſcientiam callere, & ſi temere manus adderet ei muneri, quod ad ipſum non pertinet? Nonne palam ſeſe naufragium faciendi periculo objicerent, & eos perdendi, qui eamdem viam ſequerentur? Aliquid ſimile fit in mundo, cujus conditiones, & munera diviſa ſunt. Imperium, ſubjectio, actio, quies, imperium, arma, libri, magiſtratus, negotia, divitiæ, paupertas, elevatio, dejectio, hæc ea ſunt, quæ diverſos vitæ ſtatus componunt. Ita Dei confidentia diſpoſuit, ut in mundo pulchra, eaque neceſſaria regnet œconomia. Ita etiam voluit, ut in ordine ſalutis procederent omnia, ille, cujus eſt aſſignare conditionem hominibus, in qua illos vult, & creare, & in hanc lucem producere. Hujus eſt illos deducere, & indigitare diverſas vias ab illis tenendas in mari procelloſo ſæculi, cui illos exponit. Vocationem ſuam ab alia, quam Dei manu accipere, eſt ſeipſum perdere, non autem operari vocationem ſuam, & quemadmodum Apoſtolus loquitur, non facere negotium ſuum proprium, & perſonale, hoc quoque eſt ſeipſum perdere. Deeſt ne nobis vocatio, an nos deſumus vocationi? Neque enim hæc duo ſunt confundenda. Nihil ultra quæritur, ut reprobemur. In altero quidem volumus eſſe duces noſtri, noſtrique ſtatus arbitri; quæ prima diſpoſitio eſt longiſſime alia ab ea JESU CHRISTI, qui ſe a Spiritu Sancto adduci paſſus eſt: *Ductus eſt JESUS a Spiritu.* Matth. 4. in altero vero in ipſa volumus dormitare inertia, quaſi nullum nobis officium eſſet obeundum, nulla propulſanda tentatio, nullum perfugium inquirendum; altera diſpoſitio alieniſſima ab ea JESU CHRISTI, quem Spiritus Sanctus adduxit in deſertum tentandum a Dæmone. *Ductus eſt a ſpiritu in deſertum, ut tentaretur a diabolo.* *Abbas de Boiſſau in Quadrag.*

Væ non amplectentibus ſtatum, ad quem vocantur.

Natus eo cum ingenio, atque cum iis affectionibus, quæ maxime decebant ſtatum, ad quem te deſtinaverat Deus, eamdem ne facilitatem, eademque commoda invenies in conditione, ad quam te non vocabat Providentia? Quo jure expectas a Dei bonitate has gratias eo in loco, quem tu tibi elegiſti? Hoc membrum luxatum eſt, mirum ne eſſe debet, ſi acres ciet dolores extra locum ſuum? Opus eſt extra locum, pro quo factum erat, num mirum eſſe poteſt, ſi inutile videatur? Tentatori nil tantum curæ eſt, quam ut in ſtatus noſtri electione decipiamur, ſciens certam ferme reprobationem eſſe, cum in vocatione aberratur. Ubicumque ſunt mala, ubicumque inſidiæ, ſcopuli, laquei. Tutone incedunt, qui ſine lumine, & Dei præſidio gradiuntur, quod vobis præſtare non tenetur Deus? In eo ſtatu, pro quo natus eras, non periiſſes: abis in regionem longinquam, mirum ne eſt, ſi Prodigi Filii exitus tibi quoque contingat? Accidit illi tamen, ut in Patria ſui domum reverteretur: multi ne ſunt, qui redeant eo, unde turpiter receſſerunt? Sed multi ne ſunt, qui in ſuo errore perſiſtentes tot, tamque validis, tamque frequentibus reſiſtant tentationibus? Cœlum, aer, ſolum, ubi natus es, nihil ad tuam valetudinem confert. Ibi bene valebis? Ibi perfecta corporis ſalute frueris? *P. Croiſet in Aſceticis exercitationibus.*

Mortales illi, qui ex eo ſtatu egrediuntur, a quo illos vocabat Deus: illi, qui infideles gratiæ vocationis ſuæ, ut ita dicam ex natali ſolo, cœloque egrediuntur, numquid beatum invenient finem? Nulla eſt ſolida ratio, quæ excuſet, ut ita dicam, hanc ſpeciem ſpiritualis apoſtaſiæ coram Deo. Ratio valetudinis, ac defectus religionis, ſpiritus, ac talentorum: rationes ineptæ, ac inutiles. Numquid religioſum ſtatum amplexus es, ut ibi niteres, ut omnium in te oculos, & admirationem converteres, ut primos recubitus obtineres? Infirma valetudo excidium minitatur; & ſi periculum adeſt, ut quam primum mors irruat, quænam melior ratio vivendi eo in ſtatu, ubi in hora mortis mors ipſa deſideratur? O Deus! Quam inexhauſtum dolorum, atque pœnitentiarum principium in hac ipſa mortis hora, cum aliquis fuit infidelis gratiæ ſuæ vocationis! Quæ deſperatio tunc tandem errorem cognoſcere, cum ex eo emergere non licet? O Domine a me hoc tantum mali averte. Ne ſinas, me, ne tranſverſum quidem, ut ajunt, unguem, recedere a via, quam oſtendiſti mihi, & fac, ut ſancte vivam, & moriar in illo ſtatu, ad quem me vocaſti. *Idem.*

Cum ſtatum in omnem vitam ſumus amplexi, id unum curandum eſt, ut ejuſdem officiis perfungamur.

Ingreſſus ne fuiſti ſtatum aliquem pro toto vitæ tuæ curriculo, ne deliberes ultra de electione; quæcumque cogitatio inutilis tunc eſt, & noxia, ſed id unice cura, ut cum fervore, ac diligentia ſtatus tui munera adimpleas; pro certo habens Deum ita velle, quamvis electio a te habita vitioſa fuerit; tunc enim aliter credere eſt tentatio. Ubi ſemel lapſus es, tempus non eſt terendum diſputando de electione facienda; tota cura in eo vertenda eſt, ut accepto vulneri afferas medicinam, & caveas tibi, ne eadem in via procedens in plurimos lapſus ruas. Sequere hoc conſilium. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Tota perfectio tua illuc tandem redigenda eſt, ut ea facias, quæ propria ſunt ſtatus illius, ubi te conſtituit Deus, magiſtratus, quem obtines, Communitatis, in qua verſaris; & ut hæc meliori, quo fieri poſſunt, modo perficias. Sæpe ut ſperas, melius viveres in ſublimiori ſtatu, quam tuo; non deeſſet tibi occaſio mirabilia faciendi, & te metipſum facilius ſanctificares; ſed ſuperbia hos ſenſus inſpirat. Animum igitur intende ad ea facienda, quæ Deus petit a te, ne amittas opes, quæ tibi præ manibus ſunt, anhelans ad eas, quas tibimet comparare non vales. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere.* Proverb. 23. Quid autem a te petit Deus? ut vitæ muneribus perfungaris. Donec in hoc minime omnes ſuas curas impenderis, licet opera faceres alioquin præſtantiſſima, ac oſtentiſſima, numquam ſanctior eris, & hæc omnia tibi in illuſionem graviſſimam te conjicerent. Sanctitas non eſt in eo ſita, ut magna, & ſublimia facias, ſed in eo, quod ſtatus tui perfecte munera adimpleas. Et ſane quid adeo magnum, & inſigne fecit mulier illa fortis in Scripturis celebrata. Num tamquam Debora hoſtium exercitus profligavit? Numquid ut olim Judith hoſtium Imperatori in Caſtris ipſius caput amputavit?

Digitized by Google

putavit? Nequaquam, ſed nebat, penſaque ancillis fuſo evolvenda tendebat: *Digiti ejus apprehenderunt fuſum*; jugiter domus ſuæ curam gerebat, & œconomiam procurabat: *Lucerna ejus non extinguetur in nocte*. Prov. 31. Hæc illam ſanctam fecere; hæc facta adeo communia, & humilia in ſpeciem, ſed propria ſtatus ipſius, & quæ ſumma cum perfectione operabatur, effecerunt, ut idem Spiritus ſanctus illam tamquam raram, fortemque mulierem collaudaret. *Mulierem fortem quis inveniet? P. Segneri in Meditat.*

Ex vocatione gratia pendet, quodammodo tota noſtra ſalutis œconomia.

Pretium gratiæ vocationis parum cognoſcimus, quandoquidem quam plurimi huic gratiæ ſunt infideles. Ab hac tamen quodammodo pendet tota ſalutis noſtræ œconomia. Status omnes, omneſque conditiones ad ſalutem ſunt propriæ, & Deus neminem ad ſtatum ullum evocat, quin illi deſtinet omnia ſubſidia, quibus eget in hoc ſtatu, ut ad beatum æternæ ſuæ felicitatis finem perveniat. Nihil in hoc mundo evenit fortuito, ſed omnia infinitæ ſapientiæ, ac divinæ providentiæ nutu reguntur. Igitur gratia vocationis eſt hæc deſtinatio a Deo facta de noſtrum ſingulis pro aliquo ſtatu, & de hoc nexu gratiarum, & ſubſidiorum, quæ præparat nobis. Hoc eodem conſilio nobis ſua talenta diſtribuit, ſemper ad noſtrum finem accommodata. Cognoſcit ille naturam noſtram, ingenium, indolem, affectiones, pericula ejus ſtatus, cui nos deſtinat. Liquet ſatis hominem in mundo indigere cum naturalibus ſubſidiis, tum ſupernaturalibus, quæ ſunt diverſa ab illis, quibus indiget, qui Religionis ſtatum amplexus eſt. Inter etiam diverſos Regularium ordines, quam diverſa auxilia, talenta, gratiæ diverſæ. Variæ in mundo conditiones non egent minori ſubſidiorum multiplicitate. Divina providentia omnia diſpoſuit. Quanti ergo momenti eſt hanc vocationis ſuæ gratiam ſervare, & quænam fidelitate hæc ipſa vocationis gratia ſervanda eſt? Cui ſi deſumus, ſi ſtatum amplectimur, cui nos non deſtinaverat Deus, ſi ſtatus hujus tædio afficimur, ſi tentatione victi ex hoc emergimus ſtatu, ut ad arbitrium vivamus, quænam malorum ſeries? ſecutura eſt perturbatio ordinis, quem providentia conſtituit. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Aliquemne ſtatum amplexus es, poſtquam ſerio illum inſpexiſti, poſtquam Dominum conſuluiſti, poſtquam ea perſpexiſti, quibus erat proſpiciendum? Ne cogites ultra, niſi ut in eo ſtatu temet ſanctifices, ejuſque munera chriſtiane exequaris. Tentationes exiſtima omnes ambiguitates, quas tibi injicit dæmon. Tibi perſuadere hunc illum ſtatum eſſe, in quo te Deus vult. Rejice omnes ſollicitudines, ac dubitationes; quæcumque tibi occurrere poſſunt; & reſpice illas tamquam inſidias, quibus ſalutis tuæ inimicus uti conſuevit, ut te avertat a via, in qua vult Deus te ambulare, & ab eo ſtatu, in quo te ille conſtituit, atque ut prohibeat, ne tua munera exequaris, omnem tibi auferens pacem & tranquillitatem; præſertim vero ſi hic te alligat ſtatus. Illius officia quotidie ſcrutare, & adimple. Poſtquam noſmet alicui vitæ ſtatui obligavimus, ad examen vocandum non eſt, utrum a Deo vocemur. Hujuſmodi conſiderationes electionem præcedere debent. *Idem.*

Non vocatum vitæ ſtatum amplecti eſt tentare Deum.

Deum tentare eſt, aliquem ſtatum aggredi, quin certus ſis, tibi ineſſe diſpoſitiones neceſſarias ad ea munera obeunda, quæ huic inhærent ſtatui. Qui obit reipublicæ magiſtratus, Deum tentat, niſi ſibi tantum virium, roboriſque ſentiat adeſſe, ut injuſtitiæ reſiſtere valeat, juxta ea, quæ dicit ſcriptura Eccli. 7. *Noli quærere fieri judex, niſi valeas perrumpere iniquitates.* Qui ducunt uxorem, tentant Deum, niſi præſto ſint, ut hujus ſtatus officiis ſatisfaciant, & niſi tantum habeant virium ad ea omnia perferenda, quæ neceſſe ſunt, & ad ſuſtinendas tentationes, quæ naſcuntur vel ex hoc ſtatu generatim, vel ex particulari electione illius, cum qua copulantur. Qui religioſæ diſciplinæ nomen dant, niſi neceſſarias habent qualitates, ut perſeverent in ſancta hac vocatione, ejuſque pœnas, & labores ſuſtineant; ipſi quoque Deum tentant; quapropter, qui Religionis aditu prohibent eos, quibus hæ deſunt qualitates; non his irrogent injuriam, e contra de illis perquam optime merentur; vetant quippe, ne ab illis contrahatur obligatio, cujus exitus iiſdem felix eſſe non poſſet. Denique quodcumque faciendum aggredimur, quodcumque vitæ genus amplectimur, ſemper juxta Evangelium ſumptus computandi ſunt, videlicet inquirendum, quas vires, & voluntatem nobis dederit Deus, ut inde feramus judicium, utrum temeritati nobis vertendum ſit, hoc cepiſſe conſilii. *Tractatus de modis tentandi Deum.*

Si adhuc tibi integrum eſt vitæ ſtatum eligere, nihil prætermitte eorum, quæ neceſſaria ſunt ad cognoſcendum illum, in quo te occupari exigit providentia. Nulla umquam tibi erit electio facienda, quæ plus prudentiæ, ſapientiæ, conſiliorum, & circumſpectionis requirat. Ita etiam in hujus mundi vita nulla majoris momenti occaſio, eſt, & in qua plura ſint proſpicienda. Non eſt, cur iſtic carnem, aut ſanguinem conſulas, ſed Dei voluntatem, quæ tibi pro duce in hoc eſſe debet; ab eo tantum haurienda ſunt lumina, quibus in re tali indiges, in qua plurima ſunt præcavenda. Patres plerumque ſuum conſulunt affectum, commodum, amorem circa filiorum ſuorum ſtatum, quin ſolliciti ſint de ſalute, æternoque illorum bono, cum quo ſtatus ab illis amplectendus arctiſſimis vinculis jungitur. Elige ſapientem, doctum, prudentemque directorem, cui libere valeas ſecretiores ſenſus tuos, propenſiones, affectus, ingenium, talenta, bonas malaſque tuas qualitates aperias. Quotidie plurea effunde preces, Deum rogaturus, ut tibi ſuam ſanctam voluntatem oſtendat. Frequenter ſanctis te refice ſacramentis, ſanctiſſimam Verginem invoca in re tam gravi, ac potiſſimum te ipſum arceſſe in conſilium, & vide, quænam ſint vires tuæ, ut digne ſtatum illum repleas, quem es amplexurus. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Dicere poſſumus, prædeſtinationem magnum habere nexum cum ſtatu, ad quem nos evocat Deus. Hic gratiarum nexus, hæc admirabilis œconomia providentiæ ad ſalutem, magnam habent cum vocatione rationem. Oportet nos eſſe in eo vitæ ſtatu, ad quem Deus nos deſtinavit. Alium ingredi, eſt manifeſtum pereundi diſcrimen adire. Status eligendum eſt, quibus precibus, conſiderationibus, animadverſionibus opus eſt, ut bene eligas! Satis fortaſſe hæc præcavent omnia, cum de religioſo ſtatu, licet omnium ſanctiſſimo, & ad ſalutem operandam facillimo ſuſcipiendo ſermo eſt; at itane uſuvenit, cum in mundo ſtatus aliquis eſt eligendus? Nihilominus fatentur omnes mundum eſſe mare naufragiis infame, ubi omnia ſunt ſalutis noſtræ ſcopulis, ſyrtibuſque referta. Statuit ne virgo aliqua ingredi aſceterium? bone Deus! quot obices ſuperandi ſunt ex parte parentum, affinium, conſanguineorum, & quorum etiam nulla cognationis vel affinitatis ratio intercedit! Videtur intereſſe omnium illam a propoſito deterrere. Quantum requiritur temporis, ut ſerius illa eligat? Qua verbum facundia exhibentur illi difficultates, auſteritates, faſtidia ſanctiſſimæ hujus vocationis? Tantum ne laboratur, cum agitur, ut aliqua nubat, & in mundo permaneat? Nemini in mentem venit ex ea quærere, utrum ad id ſatis animum adverterit. Subiraſcerentur fortaſſe amici, & conſanguinei, ſi audirent ab illa adhiberi in re tanti periculi conſilium. Intelligere facti hujus abnormitatem, ac injuſtitiam. Status ne vobis eligendus eſt? Ad id incumbite; tunc vero præſertim ſi tua ſtudia, & voluntas ſuadent, ut mundum ſequaris, vel etiam, ut Eccleſiaſticum ſtatum amplectaris, ubi plurimi pericula nequaquam leviora nanciſcuntur. *P. Croiſet in Spirit. Exercit.*

Antequam ſtatum eligas conſtituendum eſt utrum in mundo permanere [illegible] fundamento.

Si quid eſt, quod nos inducere valeat in ſpem

gra-

gratiarum, ut in ſuſcepto munere omnia benevertant; hoc nonniſi vocatio eſſe poteſt. Deo me ad ſtatum aliquem arceſſente, poſſum equidem ab ipſius bonitate expectare ſubſidia, quorum indigeo, ut omnia mihi accidant e ſententia. Si minus ea mihi debet, debet ſibi, ſuæque providentiæ. Sed ſi per meram ambitionem, ſi propter cupiditatem, ſi vanitatis cauſa, illud appeto munus, non ſolum nullum mihi jus eſt ab illo auxilium hoc expectandi; quemadmodum nondum cauſa mihi eſt credendi, illum id mihi largiri velle. Nam, ut docet S. Thomas, a Deo *unicuique datur gratia, ſecundum id ad quod eligitur*. Verum ſincere fateamur; ſtatum aliquem ingreſſuri homines minorem ne conſiliorum, & vocationis Dei rationem habuerunt, quam hodie ipſi habeamus? *P. Aurelianenſis Sermone de Annunciatione*.

Cum ſtatum ſumus amplexi, nobis conandum eſt, ut illius officia obeamus.

Antequam vitæ ſtatum eligamus, orandum eſt, conſulendus eſt Dominus, ut cognoſcamus, quo ille nos vocet; ſed impliciti jam ſumus in aliquo ſtatu, deliberandum ultra non eſt, neque dubitandum, utrum melius fuiſſet aliter elegiſſe. Importunæ hujuſmodi dubitationes tentationes ſunt; nihil deinde attendendum eſt, niſi ut accuratiſſime obeas ea vitæ generis a te ſuſcepti munera. Utitur dæmon callidus, verſutuſque tentator inquietis hiſce ægritudinibus, ut nos fallat. Quæ enim illuſio eſt in jugi ſtatus ſui perplexitate verſari, ejuſque negligere officia! Perquam diligenter illa obi, & ſummam naneiſceris in vitæ electione tranquillitatem. Sed licet vocatio tua æque palam connotata eſſet, ac olim Saul, æque ſancta ac illa Judæ; quid tibi prodeſt optimam habere cauſam, ſi perperam illam adimples? Nihil melius probat nos eſſe ea in conditione, quam vult Deus, quam cura placendi eidem. Illi diſplicere non eſt argumentum malæ vocationis noſtræ; ſed malæ noſtræ voluntatis. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

In mundo implicitus es? vitam age Chriſtianam, tibi cave ab inimico illic regnante & contra multitudinem laqueorum, quos illic nectit; vive juxta Evangelica inſtituta, ibique ſalutem tuam operaberis. Es in ſtatu Eccleſiaſtico? Ædifica proximum ea morum puritate, quæ nulla unquam calumnia poſſit labefactari, non ſine religionis ſpiritu ubi ſacra officia illius miniſterii, quod reliquis ſanctitate præcellit, & eccleſiam ædificans ſalutem tuam certam facies. Religioni cuipiam dediſti nomen? vive ſecundum perfectionem ſtatus tui; modeſtia, ſpiritus ſolitudinis, & receſſus animent omnes Religioſi actiones; devmio palam annuntient ſanctitatem vitæ illius, atque tunc vives, ut Religioſum decet, & morieris, ut decet ſanctum. At jugum, quod tibimet impoſuiſti, videtur grave, & non ferendum; non pondus juge efficit, ut cedas, ſed ignavia, & infirmitas illud geſtantis; alterum jugum tibi levius non eſſet. Sed eſto in ſtatus electione temet feſelleris; laborem, quem ibi naneiſceris, aſſume in ſpiritu pœnitentiæ, atque tunc tuus vitæ ſtatus erit tibi fons gratiarum atque ſalutis. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Divina parere debemus voluntati pro eo vitæ ſtatu ad quem nos vocare illi placet.

Creationis beneficio nos ex nihilo eduxit Deus. Hic titulus eidem confert in nos ſupremum proprietatis dominium ita abſolutum, ut ipſi de nobis metipſis diſponere nequeamus, niſi per explicitum divinæ ſuæ voluntatis imperium. Ab illo pendemus per eſſentiam, quam omnino ab illo recepimus: itaque tenemur illam, quanta eſt, in illius ſervitium impendere, non ſicuti nobis placere poſſet, ſed juxta Dei beneplacitum, qui cum ſit rerum omnium creator, eſt etiam abſolutus Dominus univerſorum. Tuum igitur eſt, Domine, nos in loco ſtatuere; tuum eſt nobis indigitare locum a nobis ſervandum. Temeritas eſſet ſuppliciis conſtringenda aliter operari; etenim noſmet injuſſo tuo collocare, hoc ſane eſſet lædere ſupremum jus tuum. Ne in tantum hoc malum incidamus, noſmet ad te convertimus humillime, & obſequentiſſime præſtolantes adorabilis, ſanctæque tuæ voluntatis imperia. Deus eſt Pater noſter per gratiam divinæ adoptionis; nos vero ſumus ex numero filiorum ejus in ſancta domo ipſius. Pater de omnibus ad arbitrium ſuum domi ſuæ debet diſponere. Dei Filius docet plures eſſe manſiones in domo Patris ſui; hæ manſiones diverſæ nobis innuunt diverſas vocationes, quas filii ſui ad illius nutum debent accipere, ac diverſas gratias, quæ in quolibet vitæ ſtatu ad illum exercendum accipiuntur. Verum, cum recipi nequeant gratiæ diverſæ, quæ ibi communicantur, niſi per hunc paternæ bonitatis rivulum, ita nulla recipienda vocatio eſt niſi ad nutum ejus Sapientiæ. Cum enim Patris noſtri cæleſtis domus ſit domus ordinis, omnia ibi ordinata eſſe debent ſecundum beneplacitum illius; & nemo collocatus eſſe debet niſi in ordine, quem cuique deſtinat Deus; ne ſi quis ſibi locum delegeri, jubeatur, ut homo ille Evangelicus inferius deſcendere, ac tandem ne videat ſibi locum deeſſe, ubi venerit Pater Familias omnia in domo ſua in ordinem diſtributurus. *Ex libro cui titulus, Modus recitandi orationem Dominicam.*

Quomodo Deus ſuam nobis voluntatem aperiat.

Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra; ut obedientia mea talis ſit, qualis eſſe debet; videlicet imitatio obedientiæ cæleſtis, & jugis præparatio ad beatam vitam aſſidua cura audiendi te. Tu ad nos loqueris, & per gratiam tuam operaris in nobis, ad nos loqueris voce inſpirationum tuarum; operaris per gratiam tuam, cum illi fideliter cooperamur. Loqueris multifariam, ut tua de nobis aperias conſilia. Hoc autem aliquando immediate per te ipſum; ita enim feciſti cum Abraham, quando illi dixiſti: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi*; Gen. 20. itemque cum Apoſtolis, dicens illis: *Venite, & faciam vos piſcatores hominum*. Matth. Hoc ipſo modo hodiernis quoque temporibus uteris adeo validis afflatibus, qui adeo palam oſtendunt, ſe tuos eſſe, ut nullus dubitandi locus ſuperſit. Nonnunquam etiam per humanum ratiocinium Deus nobis ſuam voluntatem ſignificat, ſeu per hominum interpretationem, & miniſterium, cum illorum verba nos illuminant, vel exempla nos movent, & ad vitæ ſtatum ingrediendum impellunt. Ita lectio quædam ex vita S. Antonii duos cujuſdam Imperatoris aulicos convertit; eorumque exemplum maturavit Sancti Auguſtini converſionem; & hæc longe plurimas peperit. Tertius ſupereſt modus, quo Deus ſuam prodit voluntatem. Utitur ærumnis, calamitatibus, morbis, ut nos tamquam tempeſtatis impetu in ſalutis æternæ portum projiciat, redigens nos ad ſtatus quoſdam, in quibus quadam urgente neceſſitate ad eum confugiendi. Eo ardentius cœli bona cupimus, quo magis videmus laborum noſtrorum inutilitatem ad terrena acquirenda. Quocumque pacto placeat tibi vocare me, Domine, voti compos ero, modo fiat voluntas tua, & ego ſemper amabilia tua de me ſequar conſilia. *Fiat voluntas tua. Idem.*

Cum in primum providentiæ ordinem non ingredimur, in eo, quod ad vitæ noſtræ pertinet ſtatum, in alium incidimus ordinem longiſſime a primo ſepoſitum. Primus eſt ordo bonitatis; in quem cum ingredimur, in terris vitam ducimus, quæ aliquo modo eſt initium vitæ, quæ in cælo ducitur. Omnia plerumque ibi ſunt utilia, vita læta eſt, nihilque ſaluti noſtræ timendum eſt. Alter autem ordo cum ordo ſit juſtitiæ, opus eſt, ut qui ſeſe in illum conjecerunt parum chriſtiana electione, quam illis res, ambitio, aut libido ſuaſerunt, opus eſt, inquam, ut hujuſmodi mortales puniantur, & per pœnitentiam in viam ſalutis reducantur. Ex hoc fonte plerumque procedunt turbæ, adverſitates, afflictiones, extraordinariæ tentationes, infortunia, quæ omnibus fere hominibus accidunt; quippe omnes fere cæce iis ſeſe implicant ſtatibus, qui primis Dei conſiliis de illorum vocatione adverſantur. Præſerva nos Domine ab hac temeraria electione,

Digitized by Google

ctione, nec ſinas, nos incidere in hanc miſeriarum, ac tentationum abyſſum. *Idem*.

Una reprobationis cauſa eſt ſtatum amplecti Dei de nobis conſilio contrarium.

Principium damnationis plerorumque hominum, mea quidem ſententia, ut plurimum non aliud eſt, quam prava ſtatuum, quos aggredimur, electio. Nam ſicuti per prima conſilia ſua Deus omnes homines ſalvos facere intendit, ex ſe, & propria voluntate nolens aliquem perire; ita nullus dubito, quominus in primo ejuſdem conceptu rerum omnium ordo, ac diſtributio tenderet ad omnium ſalutem. Verum omnes fere homines vel omnino non ingrediuntur, vel non uti opus eſt ingrediuntur in hunc primum ordinem, & hoc pacto temere perfringunt primum gratiarum nexum, quas illis deſtinavit Deus, eos ad beatam æternitatem perducturus; evertunt, ut ita dicam, ſalutis ſuæ ædificium, omnes Dei vias ſubvertentes. Ille, quem aris deſtinaverat Deus, temere ſeſe mundo implicat, ille, quem cœlibem optabat, uxorem ducit. Quem caſtris, ac militiæ aſſignaverat, magiſtratum exercet. Parentes nonnumquam ipſi faciunt filiorum ſuorum vocationem, quin Dei conſulant voluntatem, quin aliud quidpiam conſulant, quam ambitionem, familiæque ſuæ decora, & utilitatem, Filii quoque ſuis tantum auſcultant cupiditatibus, cum agitur de ſtatu amplectendo. Omnea hac in re ſine conſilio, & prudentia operantur, quin Dei voluntatem exquirant. Mirumne igitur eſſe debet, ſi in omnibus conditionibus nihil niſi perturbatio, flagitia peccata, peccatoreſque inveniuntur viam perditionis percurrentes. Largire nobis Domine gratiam, ut electionem faciamus perfecte primis conſiliis tuis de nobis conformem, & pro tempore, & pro æternitate. *Idem*.

Quoniam Deus, quatenus Creator ſummum habet proprietatis dominium in omnia creata, & abſolutus eſt univerſorum Dominus, in graviſſimo errore, & qui terribilis eſſe poteſt momenti ad ſalutem, verſatur, qui illo inconſulto aliquem in mundo locum, vitæque ſtatum vindicat ſibi. Ex conſcientiæ ſtimulis, ex lapſuum multitudine, facile eſt cognoſcere, non eſſe nos in ſtatu, quem Divina Providentia ſingulis noſtrum conſtituit. Heu? Si una tantum via eſſet in ordine Providentiæ tuæ, ſi una tibi eſſet benedictio, quam largiri valeres, de me in nullam reditus ſpem actum eſſet: ſed ſi nequeo amplius ſervare me in ordine bonitatis tuæ, quoniam ab eo inconſulto receſſi poſſum adhuc proſpicere ſaluti meæ, memet conformans regulis ordinis alterius, hoc eſt, me ſubjiciens in omnibus ærumnis, & adverſis, quæ tibi in me placebit immittere ea in conditione, quam temere amplexus ſum. Millies beatus, eo quod hæc mihi reliqua ſpes eſt, & quod uti poſſum ſuppliciis miſeratricis juſtitiæ tuæ, ut revertar in viam ſalutis, a qua turpiſſime per meam temeritatem receſſeram. *Idem*.

Quid nobis reparandum ſit pœnitentiæ viam ingredientibus.

Cum miſeri ſumus eo quod non ſumus ingreſſi ſtatum, ad quem nos Deus appellabat, malum hoc reparandum eſt nobis, noſmet in conditione noſtra per pœnitentiam reparando. Hæc prima ordinis perturbatio efficit, ut in ſtatu noſtro tot contradictiones, cruces, atque tribulationes inveniamus. Nulla nobis ſuppetit cauſa noſmet conquerendi de ſeveritate alterius hujus ordinis divinæ Providentiæ, quia ſine illius facultate noſmet obtrudere in alium ſtatum voluimus, & hi rigores ad noſtram ſalutem dumtaxat adhibentur. Per hos S. Auguſtinus ſeipſum ſanctificavit: de illis loquitur Deo in ſpiritu animi grati; & nos quoque ſimili ratione loqui debemus. Heu! Domine exclamat ille, per juſtitiam, quæ in ſpeciem quidem dura eſt, ſed reipſa miſericors, effundebas in ea omnia, quæ accidebant mihi, amaritudinem; ſpinis ſeminabas vias omnes erroris mei, ac tandem in pœnitentiæ viam reduxiſti me, ut me ſalvum faceres, & ſanctificares. Cum ergo & nos, ut Sanctus iſte Doctor, inveniamur in ordinis perturbatione, ſi amaritudinem dumtaxat, pœnaſque nanciſcimur, ejus exemplo confirmari debemus, & credere, juſtam, atque miſericordem Dei noſtri Providentiam operari noſtram juſtificationem, nobis præbendo occaſionem agendi pœnitentiam, ut de ſtatu erroris emergamus, & noſtræ ſanctificationi cooperemur. *Liber qui inſcribitur modus recitandi orationem Dominicam*.

Animæ, quæ per imprudentem electionem receſſerunt ab ordine bonitatis Dei, omnino ſeſe redigere debent ad patienter ſequendum ordinem juſtitiæ ſuæ, & hæc ſola via eſt, quæ illas in ſtatu ſuo ſalvas facere poteſt. Quod ſi per impatientiam, vel impœnitentiæ ſpiritum egrediuntur etiam ex ſecundo divinæ Providentiæ ordine, omnino ſeſe invenient extra viam ſalutis, & viventes ſine regula, & ordine de tenebris procedent in tenebras, de errore in errorem, de præcipiti in præceps, & indeſinenter crimina criminibus accumulantes, tandem cumulum adjicient iræ theſauro, qui aperietur tandem pro illis ultionum die. Ad quem enim tunc confugiant, ut conſolatione aliqua reficiantur? Ad Deum? Id ne audebunt, cum ſibi facultatem vindicaverint egrediendi de viis, & bonitatis illius, & miſericordis ejuſdem juſtitiæ? Confugient ne ad creaturas? Inde omnes tribulationes, & mala procedunt. Quærent ne in ſemetipſis, ſi quid ipſos conſolatione poſſit afficere? Hoc numquam invenient. E contra vero ibi invenientes peccatum, & malum, non niſi timoris, atque tumultus cauſas poterunt invenire. Ita enim præcepiſti, Domine, ut omnis ſpiritus, qui per nequitiam omnino prætergreditur ordinem a te nobis conſtitutum, ipſe ſibi ſit injuſtæ ſuæ electionis vindex. Pro ea ſuavitate, quam ſibi promittebat aliquis cum hac perſona in hoc ſtatu, non niſi ægritudinum, & offenſionum occaſiones, peccatorum, ac tentationum nanciſcitur. *Idem*.

Quanta eſt gratia, quam Deus confert homini, quem ad religioſum evocat ſtatum! Quam pretioſa illi eſſe debet? qua cura, & fidelitate illi debet reſpondere! Ex omnibus ſtatibus, quos amplecti poſſumus, nullus aptus non eſt ad cognoſcendum, amandumque Deum, eique ſerviendum, & qui feliciſſimum hunc ſtatum amplectuntur, ii ſunt, quos electum populum ſuum vocat. In hoc populo nomen illius magnum eſt; non niſi de illo cogitatur, non niſi ille amatur, uni illi ſervitur. Ibi memoria habetur illius ſine oblivione, amor ſine diviſione, ſervitus ſine intermiſſione. Anima ſexcentis aliis mundi curis occupata, mens ſexcentis aliis cogitationibus diſtracta, non niſi raro converti poteſt ad Deum; ſed quanta utilitas eſt religioſi, qui a mundo, a tumultu, ab impedimentis, & corruptione mundi ſepoſitus per integram receſſionem, expeditus a divitiarum cura per votum paupertatis, propter quod omnia bonorum genera dereliquit; per votum caſtitatis, propter quod omnes carnis voluptates abdicavit; per votum obedientiæ, quo expeditus fuit cura ſui ipſius, qua inquam utilitate iſte perfruitur? Qui Deo tantum occupatus eſt, qui in illum intendit dumtaxat, qui non aliam habet curam, quam ſanctam illius voluntatem adimplendi? *Modus recitandi orationem Dominicam*.

Utilitates eorum, qui religioſum ſtatum amplectuntur.

Hæc una eſt Religioſi ſtatus prærogativa, ſcilicet inſeparabilis quædam neceſſitas de Deo tantum cogitandi, neque aliam habere curam, quam illi placendi. Felix neceſſitas! quæ nobis aufert omnium fallacium bonorum cogitationem. Omnia in mundo efficiunt, ut ideam, & cogitationem Dei abjiciamus: omnia in religionis ſtatu illius memoriam, & cogitationem revocant. Domus, quæ habitatur, propria eſt domus Dei; veſtis, qua induimur, ſancta eſt; illi, cum quibus verſatur, Deo dicati ſunt, miniſteria, quæ ibi exercentur, per ſe ſancta ſunt, vel per obedientiam ſanctificantur. Nihil non Sanctum occurrit; ſancta exempla, li-

In quo conſiſtat ſtatus hujus felicitas.

Digitized by Google

bri ſancti, tabulæ ſancta Sanctorum geſta referentes, divinorumque myſteriorum imagines. Nihil non ſanctum ibi fit: Meditationes frequentes, ferventes adhortationes, colloquia ſancta, preces vocales, orationes mentales, Dei laudes, ſancta cantica ſæpius in diem iterata. Cæterum interiora lumina ibi copioſiora ſunt, atque defæcatiora quam in ſæculo; licet enim Deus ubique ſua effundat lumina, quia vult ab omnibus cognoſci; tamen certum eſt ipſum illa uberius effundere in eos, qui penitus ſeſe illius cultui devoverunt, quam ſuper eos, qui in ſæculo ſunt, & qui minus pro eodem fecerunt. Lumina, quæ te jubente renident ſuper populum, quem tibi Domine elegiſti, & quem a reliquis hominibus ſecreviſti, & cognitiones, quas illi præbes, æternarum veritatum ſunt admirabiles. *Illuminas tu mirabiliter a montibus æternis*. Pſal. 75. *Ibidem*.

Qui ſæcularibus curis impeditus eſt, ſeſe tradit ſexcentis objectis promiſcue, quibus cor ſuum dividitur: *Sollicitus eſt, quæ ſunt mundi, & diviſus eſt*. S. Paulus inquit. Sed qui mundum derelinquit, qui expeditus eſt, ſuos impendit affectus iis tantum rebus, quæ ad Dominum ſpectant, eique placent. Ex quo nuntium miſit honoribus, opibus, voluptatibus per ea vota, quæ nuncupavit, quid præter Deum amare poſſet? Quid appetere poſſet partem illius cordis, quod eo uſque per amorem ſuum proceſſit? Quemadmodum mens eſſe non poteſt, quin cogitet, & cor quin amet; quid reliquum eſt animæ religioſæ, quæ omnium mundanarum rerum amorem objecit, quam Deum amare, eumque unice, ac ſine diviſione diligere? Deus etiam inveniens animam vacuam, omnibuſque rebus creatis expeditam quid agit? illuc ingreditur, ejuſque omnimodam adit poſſeſſionem. In corde ignem ſancti ſui amoris accendit; occupat memoriam, imaginationem, ſenſus, omneſque internas, externaſque facultates. In ea ſuum regnum conſtituit; & omnes beatæ hujus animæ occupationes non ſunt amplius quam ſervire Deo, & illum amare. *Modus recitandi Orationem Dominicam*.

Omnia Religioſi operacuram Deo ſunt. Quam jucundus eſt ſtatus Religioſi a mundo ſejuncti, & Deo conſecrati. Omnis illius occupatio eſt facere voluntatem Dei. Si operatur, ſi laborat, ſi a laboribus ceſſat, ſi loquitur, ſi tacet, ſi variis deſtinetur curis, ſi duobus in locis diverſis moratur; ſi bibit, ſi comedit, ſi vigilat, ſi dormit: id ſemper cum ordine præſtat, & ſecundum regulas obedientiæ religioſæ, quam profeſſus eſt, & quam illis adhibet, qui Dei locum obtinent. Ita jugiter, ac ſine remiſſione dies, noctesque Dei voluntatem adimplet, ac ſervitus, quam illi præſtat, numquam, neque ſomno ipſo intermittitur. Si ad ſublimem hunc perfectionis gradum me vocas, Domine, lubens, & alacer aſſentior iis, quæ petis a me. Felicem hunc ſtatum omnibus mundi opibus præfero, omnique humanæ ſpei antehabeo. Largire mihi tantum hanc gratiam, Deus, ut quoad vita vivam in terris non alia ſit mihi occupatio, quam in rebus omnibus facere voluntatem tuam. *Modus recitandi &c.*

Eos inter qui gratiæ ſuæ vocationis reſpondent, ac Religioſum ſtatum amplectuntur, quotuſquiſque hic invenitur? Heu! nimis multi ſunt, qui ſatis eſſe rati, ſe illum amplexos fuiſſe, non admodum laborant ejuſdem ſpiritum accipere, ejuſque munera adimplere, qui ſibi perſuadent poſt generoſum facinus, quod edidere mundum relinquentes, nihil ſibi ultra faciendum eſſe, ſalutemque ſuam eſſe in tuto, quoniam in ſtatu ſancto ſunt, & vivunt cum Sanctis. Hæc ſententia æque fallax eſt, & periculoſa, hæc illos facile poteſt perdere, & in infernum dejicere per viam Paradiſi. Si enim gratia vocationis ad Religionis ſtatum magnum bonum eſt, quod malum conſequitur abuſum tanti boni! Sed cur tot inveniuntur, qui illo abutuntur? Quia nimis freti ſanctitate ſtatus illius; quem amplexi ſunt ingredientes in Clauſtra, ubi non ſatis laborant repleturi vocationem ſuam ea viis, quæ ſint illi conformis, & ubi forſitan, & nonniſi nimis verum eſt, ipſi domorum religioſarum parietes, ſi ipſi taceremus, clamarent, ſæpius dedecorant ſanctum illud, quod geſtant indumentum in flagitiis, quorum plurimos ex ſæculo puderet; quod recentem auctorem quemdam impulit, ut diceret, nequiſſimum eorum, qui in mundo ſunt, proculdubio eſſe Religioſorum omnium proceſſiſſimum; quod non abludit a Philoſophi ſententia, cum ait; *Corruptio optime peſſima*. *Modus recitandi &c.*

Superbis hominibus uſitatiſſimum eſt temere ſibi graviſſimas provincias depoſcere, prætexentes, ſe in iis magnas exerciturus virtutes, & allaturos pro omni diſpoſitione vanum deſiderium oſtentandi meritum, quod ſibi ineſſe putant. Non ponderant talenta ſua, non cogitant officia, quæ contrahunt, non excutiunt ſe ſe, utrum pares ſint oneri ferendo; non advertunt animum ad ea, quæ ſunt conſecutura. Non ſinit ambitio eos ſuam perpendere infirmitatem. Nonnumquam ambitioni huic ſecreta quædam ſeſe immiſcet invidia. Homines vi, & lumine carentes, ſe illis exæquare contendunt, qui majori vi, & lumine pollent. Conjiciantur oculi in varios vitæ ſtatus; quæ tunc perturbatio, qui tumultus videbitur; idque quia nemo illum vitæ ſtatum ingreditur, ad quem illum divina providentia evocabat. Eligitne ſibi aliquis occupationes talentis ſuis appoſitas, ac viribus congruas? Nullo modo, immo videmur prorſus oppoſitas adſectare. Hic dirigit, qui dirigendus eſſet. Ille imperat, cui eſſet obtemperandum. Hic docet, qui docendus eſſet; ille in publicum prodit ad mores aliorum perſtringendos, cui ſui melius eſſent corrigendi. Alius denique ſeſe omnibus immiſcet, qui nulli ferme rei aptus eſt. *Sermo ſecundus Academiæ anni* 1695. — Superbi quodcumque ſtatum genus ingrediuntur, quin a Deo vocatur.

Ubi ſemel inordinata ambitionis cupiditas dominatur in nobis, contemnitur, quodcumque ratio, & conſcientia, & amici validius nobis afferre poſſunt adverſum deſiderium ejus provinciæ, quam ſcimus viribus noſtris non congruere, & ambitioſus neſcit quibuſcumque objectionibus reſpondere, quam illud reddere rebellis Angeli dictum; *Aſcendam*. Sed quomodo eum ſibi depoſcere valeat honorem, qui ingenium illius excedit, & ejus viribus præſtat? Quomodo eam obire provinciam, quam numquam ſumus obituri? Quomodo eo nos pondere onerare, quod ferre humeri noſtri recuſant? Honorem cupio, dicet aliquis, inveniam, qui ferat onus, ubi cum ipſo fructus partiri velim. *Aſcendam*. Sed in loco omnium oculis, cenſuræque patenti, quomodo conciliari poſſunt officia ejus dignitatis, quæ puram, ac irreprenſibilem vitam poſcunt cum eo naturali ſtudio, quo rapimur ad voluptatem? Pro virili parte non ſecus ac tot alii exteriorem ſpeciem ſervabimus; & niſi ita felices erimus, ut populi ora claudamus, ſatis erimus fortes, ut illos exclamare ſinamus. *Aſcendam*. Sed ſcandalum, quod parituri ſumus, in nullo diſcrimine habemus? Obmurmurationes, quas excitaturi ſumus; contemptus, quem nobiſmet conflabimus; riſus, & joci, quos in caput noſtrum convertemus? Quamprimum futuri ſumus opprobrium totius civitatis, argumentum omnium ſermonum; tutius ſane in mediocritate ſecuti fuiſſemus noſtras cupiditates in ſtatus mediocritate: & minus nefarie in caligine deſideriis noſtris paruiſſemus. Ad hæc non aliud reſpondetur, niſi quod aſcendere volumus. *Aſcendam*. Eſto; dummodo ad ſupplenda, quæ vocationi, atque ingenio noſtro deſunt, ſaltem labore adniteremur noſmet efficere pares illis honoribus, ad quos contendimus, & ad quos vanitas noſtra nos adducit, labore, inquam, jugi, & conſtanti; acri ſtudio ad ſta- — De eorum temeritate, qui non vocati ſtatum aliquem ingrediuntur.

tus

Digitized by Google

tus illius munera cognoſcenda; pietate probata, & probitate, quæ nobis reſurgendi gratiam promereatur: temeritas noſtra aliquem ſaltem haberet locum, ex quo poſſet excuſari. Sed quas vulgo animi adfectiones afferimus? inordinatam adoleſcentiam, cupiditates æſtuantes, habitus incorrigibiles. Ita affecti ad magiſtratus, & judicum ſubſellia aſcendimus, ubi de hominum vita judicium ferendum eſt; ita per ſummam imprudentiam religioſum ſtatum amplectimur. Mirumne ergo eſſe debet, ſi in omnibus mundi ſtatibus tot ſcandala paſſim occurrunt? *P. Aurelianenſis, Sermone de Annunciatione.*

ZELUS SALUTIS PROXIMI.

ZELUS FALSUS, ET VERUS: APOSTOLI, APOSTOLICIQUE VIRI: CURA, ET DESIDERIUM SALUTIS ANIMARUM.

M O N I T U M.

Zelus animarum neceſſario quodam vinculo cum charitate erga proximum conjunctus eſt; nihil enim hoc in charitate ſublimius, atque præſtantius eſt; verumtamen non ideo minus aptum eſt concionis omnino peculiaris argumentum. De hoc igitur agemus, quin rationem habeamus ad ea, quæ generatim a nobis dicta ſunt de charitate, quam fratribus noſtris debemus; & quamvis zelum habere debeamus pro iis omnibus quæ ad religionem, & Dei cultum pertinent, nos illum tamen ad ſolam ſalutem animarum, & munus Apoſtolicum eorum, qui in vinea Domini operantur, coarctabimus.

Hæc autem in re plura ſunt nobis conſideranda, videlicet cauſæ, quæ zelum hunc excitare debent; peccatores, & peccata, in quæ exercendus eſt; conditiones, quæ in eo requiruntur; vitia, quæ ſeſe illi immiſcere, atque illum corrumpere conſueverunt; quibus actionibus illum teſtari poſſimus; quibus in occaſionibus illum præſertim præ nobis ferre debeamus; ſed ante omnia præſtantia, ac meritum divini hujus miniſterii, quale eſt ſaluti aliorum, & proximorum converſioni vacare.

Aliquid jam dixiſſe poſſumus de hoc zelo, cum de animarum pretio loqueremur; ſed quemadmodum ne argumenta confunderentur, tunc obiter tantum de zelo, quo Chriſtianus ſaluti eorum aliquid conferre tenetur, locuti ſumus; iſtic fuſius verba facere inſtituemus ad fideles excitandos, ut proximo ſuo opitulentur ea in re, quæ una omnium maxime neceſſaria eſt, maximique momenti, qualis eſt ſalus animæ illius.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti lineamenta.

I. IN zelo pro fratrum noſtrorum ſalute a nobis habendo tria conſideranda ſunt, quæ concionis hujus diviſionem efficient. 1. Neceſſitas, qua Chriſtianus quilibet procurare debet ſalutem proximi ſui ſecundum ſtatum, vires, ingeniumque ſuum. 2. Cauſæ, quæ nos excitare debent, ut ſaluti animarum cooperemur, atque ad ſanctum hoc munus ſuſcipiendum impellere. 3. Conditiones, quas hic zelus habere debet, ut omnia illi proſpere eveniant.

Pars prima. Neceſſitas, quam omnes habent fideles aliquid ultro citroque ſaluti ſuæ conferendi, innititur præcepto, quod à Deo fuit irrogatum: *Mandavit illis unicuique de proximo ſuo.* Eccli. 17. Neque ambigi poteſt, quominus zelus, quem pro ſalute proximorum habere debemus, in præcepto illos tamquam noſmet ipſos amandi contineatur; quoniam eſſe debet charitas chriſtiana, & ſupernaturalis, quæ in eo ſita eſt, ut quantum in nobis eſt, illis optemus, & pro viribus procuremus bonorum omnium maximum, æternam videlicet ſalutem. Hæc autem charitas, cum ardens eſt, zelus vocatur; itaque non minus pro fratribus zelus, quam charitas a nobis eſt habenda; ita ut quemadmodum ubi calor non eſt, inferendum eſt, ignem non eſſe, ita ubi zelus non eſt, inferendum eſt non eſſe charitatem. 2. Si zelus in æquiorem ſenſum adhibitus quamdam in bono æmulationem ſignificat, mutuo habere debemus ſanctam hanc æmulationem, quæ eſt veluti chriſtianæ amicitiæ fundamentum, & quæ ſemper eſſe debet cum charitate, a qua ſeparari non poteſt, conjuncta: *Æmulamini in bono*, ut Apoſtolus ad Galat. 4. loquitur. 3. Quemadmodum chriſtiana charitas non eſt iners oblectatio ob proximi ſui bonum, neque ſimplex deſiderium de eodem benemerendi, ſed re ipſa eidem benefacere ſtudet, eique in neceſſitatibus opitulari; ita zelus, cujus objectum eſt proximi ſalus, ſatis non putat illi ea, quæ bona ſunt, deſiderare, ſed nihil intentatum relinquere debet, ut ea eidem procuret; media, & occaſiones juvandi perquirat, ita tamen ut ſinguli pro viribus, ſtatuque ſuo contendant. O Deus! quotuſquiſque eſt, cui de hac veritate ſit perſuaſum? Ignis iſte nonne hodie ferme extinctus eſt, atque hæc charitas nonne prorſus intepuit? Quamvis autem hoc omnes homines præſtare teneantur, ſunt nihilominus aliqui, ad quos peculiari jure pertineat. 1. Publicæ perſonæ, quæ in honore ſunt, vel in alios habent auctoritatem, horum ſalutem procurare debent. 2. Patres familias neceſſario debent filiorum ſuorum inſtitutioni vacare, & efficere, ut domeſtici eorum edoceantur, quomodo chriſtianam ducere debeant vitam. 3. Unuſquiſque etiam privatim ad id tenetur; neque eos ſua diſpenſat vel ma-

la valetudo, vel ingenii, aut poteſtatis exilitas; nemo quippe eſt, qui alienæ ſaluti prodeſſe nequeat qua bonis ſermonibus, qua monitis ſalutaribus, qua exemplis, qua precibus.

Pars altera. Cauſæ, quæ zelum noſtrum excitare, & inflammare debent, ſunt præſertim 1. Dei gloria, quam pro viribus procurare debemus. Hoc autem nunquam melius præſtare poſſumus, quam ſi totis adnitamur viribus, ut ad cultum illius perducamus animas, quæ ad ipſius imaginem creatæ ſunt, quæ illum cognoſcere, & amare poſſunt, in quo proprie ejus gloria conſiſtit; neque ipſi majorem Deo benevolentiam teſtari poſſumus, quam operam noſtram ea in re collocantes, quæ eidem accidit jucundiſſima. 2. Honor, quo afficiemur tamquam ſocii, cooperatores, & uti S. Paulus loquitur, coadjutores filii Dei in opera ſalutis humanæ, in quo ille ſuam vitam, laborem, & paſſiones omnes impendit. Efficiemus, ut percipiat fructum ſanguinis ſui, ejuſque meritum peculiaribus hominibus applicabimus. 3. Inſigne beneficium, quod afferemus animabus, quæ opera noſtra ſalvæ fient; quam illæ nobis grati animi ſenſum teſtabuntur? Quod gaudium, & ſolatium in morte percipiemus illas offerentes Deo, tamquam fructum benedictionum, quibus ille proſecutus eſt labores noſtros. Nonne illæ viciſſim omnem locabunt operam, preceſque ſuas, ſalutem noſtram procuraturæ per gratias, quas pro nobis obtinebunt a Deo &c.

Pars tertia. Conditiones, quæ in zelo requiruntur, ut ſit efficax. 1. Cum propter Dei gloriam proximorum ſaluti vacare debeamus, zelus hic debet eſſe purus, integer, & ab omni cupiditate, & alia quavis ratione vacuus; hoc enim illum corrumpere conſuevit. Quot enim aliæ rationes ſe ſe illi immiſcent? 2. Cum ſit ad exemplar illius, quo Dei filius flagravit, ejuſdem præcipuos characteres præſeferre debet, qui ſunt manſuetudo, patientia, & quædam erga proximi infirmitates indulgentia. 3. Cum pro objecto proximi ſalutem habeat, noſtræ obliviſci nequaquam debemus; & hic zelus eſſe debet ſecundum ſcientiam, hoc eſt prudens, diſcretus, ordinatus &c.

II. Zelus circa duo verſatur, erga quæ aliter ſeſe gerere debet; videlicet malum, quod eſt peccatum, propter quod tabeſcit, & quod prohibere conatur, & bonum, vel opera bona, quæ pro Dei gloria, & proximi ſalute facere conantur. Hæc ea ſunt quæ zeli objectum efficiunt.

Primum, quod pertinet ad malum. 1. Zelus eſſe debet prævidens, ut illud præveniat, potiuſquam eidem medicinam tunc afferre expectet, cum jam acciderit. 2. Agens eſſe debet, atque vim præſeferre ad illud, cum recens eſt, inhibendum. 3. Conſtans eſſe debet, inexorabilis, ut malo, quod conſenuit, medeatur.

Alterum, quod zelus tamquam objectum ſuum reſpicit, bonum eſt, quod pro Dei gloria, & proximi ſalute aggredi debet. 1. Exercendus eſt cum auctoritate, & ad id jus requiritur, aut miſſio, vel ab ipſo vitæ ſtatu obligatio. 2. Cum prudentia, ne quid ſupra vires aggrediamur, neque noſmet pereundi periculo objiciamus, ut alios ſalvemus. 3. Cum tranquillitate, ſine impatientia, ſine impetu contra obices, qui occurrere poſſunt.

III. In ſolis zeli conditionibus immorari poſſumus, ſuppoſita illius exercendi neceſſitate, & ſubjecto, in quo eſt exercendus; ubi pulcherrimus hic Sancti Bernardi locus juſtam ſuppeditare poteſt diviſionem: *Zelum tuum inflammet charitas, informet ſcientia, firmet conſtantia. Sit fervidus, ſit circumſpectus, ſit invictus.* Diviſio hæc ita juſta, regularis, & perſpicua eſt, ut nulla egeat explicatione. 1. Zelus excitari debet ardenti charitate, 2. regi ſcientia, & prudentia, quæ eſt tamquam virtutum omnium forma; 3. debet eſſe immotus, & invictus per eam conſtantiam, quæ efficit, ut omnibus adverſetur difficultatibus, & obicibus, qui in conatibus, juſtiſque illius conſiliis poſſunt occurrere.

IV. Pro argumento aſſumi poſſunt ſigna, quæ efficere debent, ut verum a falſo zelum diſtinguamus. Primum eſt videre, & ad examen vocare, utrum noſmet ipſos inquiramus per amorem proprium, quin metam Dei gloriam, proximique ſalutem ſpectemus. Secundum; utrum nobis ulla ſit perſonarum acceptio, & utrum æque libenter pro pauperibus, atque pro divitibus adlaboremus &c. Tertium, utrum intentatum relinquamus quidquam eorum, quæ apta ſunt, ut munus hoc feliciter obeamus, & difficultatibus occurrentibus deterreamur.

V. De indiciis, & characteribus falſi zeli, aſſumptis pro themate verbis illis: *Medice cura te ipſum.* 1. Falſus zelus cupidus eſt, & in bono, quod aliis procurat, proprium duntaxat quærit utilitatem. 2. Ex iſtu contrario ſui ipſius obliviſcitur, ut ſe omnino aliis tradat. 3. Temerarius eſt, furibundus, ſine ſcientia, ſine prudentia; atque tunc nec proximo utilis eſt, neque ſibi.

VI. Quas habere debeat qualitates Apoſtolici viri zelus, qui peccatorum converſionem inquirit. 1. Auctoritatem habere debet a legitima miſſione; neque enim injuſſus ei ſeſe implicare debet miniſterio, ad quod non vocatur a Deo, ut Pſeudoprophetæ illi, de quibus in Scripturis ſermo eſt, qui Dei verbum annuntiare volebant, quin a Deo mitterentur, vel hoc mandatum reciperent. 2. Lumen illi accedere debet a ſcientia, alioquin cæcus eſt, alios cæcos ducens in præceps. Debet eſſe imperterritus, ſed cum prudentia, ne quid perperam aggrediatur; hoc eſt paucis, zelus robur habere debet, & auctoritatem, ſcientiam, & humilitatem, audaciam, atque prudentiam. *Ex ſpecimine ſermonum pro dominicis.*

VII. Primum. Cooperari ſaluti proximorum cum iis conditionibus, quas verus poſtulat zelus, eſt propriam ſalutem operari, idque modo quodam uberiore. 1. Ita enim conciliamus nobis affluentiam gratiarum, quas impertit Deus illis, qui ipſi gratificantur in id omnem operam figunt, quo nihil illi jucundius eſt, & antiquius. 2. Quia ſi charitas operit multitudinem peccatorum, eorumque nobis obtinet veniam, animarum ſalutem procurare proculdubio actus eſt charitatis præſtantiſſimus. Ita S. Jacobus Apoſtolus teſtatur, eum, qui cauſa converſionis proximi extiterit, ſalvam facturum animam ſuam. 3. Quia animæ, quarum ſaluti opem tulerimus, viciſſim & noſtræ opitulabuntur, ejuſque nobis apud Deum ſubſidia procurabunt.

Secundo. Cooperari ſaluti proximi ſine iis conditionibus, quas habere debet zelus, hoc eſt ſalutem ſuam periculo objicere, ac ſe ipſum in diſcrimen adducere. 1. Quia hoc eſt ſemet exponere occaſionibus peccati, in quibus ſe nobis opitulaturum Deum nunquam recepit. 2. Imprudentia noſtra efficit, ut infinita ſcelera committamus. 3. Cauſa ſumus interitus aliorum, quorum Deo rationem reddituri ſumus, quin aliquid eorum ſaluti contulerimus.

VIII. 1. Nihil Deo jucundius eſt ardenti, veroque ſalutis proximi zelo; nihil quippe eſt, quod majorem illi gloriam procuret. 2. Nihil magis noxium proximo, eccleſiæ, & nobis zelo indiſcreto, imprudente, inordinato.

IX. 1. Amorem noſtrum erga Deum nulla re magis teſtari poſſumus, quam ſincero, ardentique zelo pro ſalute animarum. 2. Non poſſumus majorem erga proximum habere charitatem, quam omne ſtudium, operamque tranſmittentes, ut illi bonorum omnium maximum, æternam videlicet ſalutem procuremus. Itaque in zelo animarum continetur utrumque charitatis præceptum, quo tota lex adimpletur.

3. Cooperari ſaluti proximorum maximus eſt ho-

nor,

Digitized by Google

nor, & maxima gloria, quam Deo deferre valeamus. 2. Maximum bonum eſt, quod proximo afferre poſſimus. 3. Actio eſt maximi meriti quam pro nobiſmet ipſis operari queamus.

1. In quo verus zelus conſiſtat. 1. In hoc ut oderimus peccatum, & illud pro virili deleamus. 2. Ut amemus peccatores, & nullum non moveamus lapidem, ut eos ab errore avocemus.

XI. 1. Quomodo poſſimus duobus hiſce muneribus defungi per odium perfectum, ut loquitur Propheta, & perfectum amorem. 1. Zelus, quem fovemus pro inimicis noſtris, omni careat amaritudine, & acrimonia. 2. Zelus, quo flagramus pro ſalute amicorum noſtrorum, careat ignavia, nimiaque indulgentia. 3. Zelus, quem habemus pro illis, qui nobis nullo ſunt in diſcrimine, ſit ardens, & prudens.

Falſi, inordinatique zeli illuſiones. 1. Omnes ſenſus ſuos quantumvis a ratione abhorrentes accipit pro veritatibus conſtantibus, & totidem articu-

XII. lis fidei. 2. Ingenii ſui ardentis impetus pro Spiritus ſancti motibus interpretatur. 3. Monita amoris plena, quæ ſibi traduntur, invidiæ effectus, & dæmonis contradictiones putat.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad has concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres.

S. Auguſtinus *tract.* 10. *in Joan.* oſtendit chriſtianos omnes habere debere zelum pro ſalute proximi ſui; & quibus in occaſionibus zelum hunc teſtari debeamus.

Idem *tract.* 56. *in eundem Joannem* explicans, hæc verba: *Ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit*, oſtendit, quænam ſint viri zelo ſuccenſi munera.

S. Ambroſius in Pſalm. 118. prolixum habet ſermonem de zelo, ubi oſtendit Apoſtolorum zelo acceptam referendam eſſe gentilium converſionem.

S. Chryſoſtomus in hom. 80. in Matth. oſtendit, quem ardorem teſtari debeamus fratribus noſtris, qui pereunt, opitulantes.

Idem *homil.* 3. *in Geneſin* docet, quam jocundum ſit Deo pro ſalute animarum contendere.

Idem *lib.* 3. *adverſus vituperatores vitæ monaſticæ* docet nobis parum profuturum eſſe vitam ducere irreprehenſibilem, ſi eorum ſalutem negligimus, qui nobis ſubditi ſunt.

Idem *Orat.* 5. *adverſus Judæos*, docet nullum eſſe bonum opus, quod exæquare valeat meritum zeli animarum.

Idem in commentario in Epiſtolam ad Hebræos oſtendit, cooperari ad ſalutem animarum officium eſſe Angelorum, & J. C.

Idem in elogio S. Pauli, illum comparat Angelis, & iis omnibus, quæ in cœlo, quæque in terris maxima ſunt, propter zeli magnitudinem.

Idem *in* 1. *ad Corinth.* ubi refellit falſum eorum prætextum, qui dicunt zelum animarum, neque virtutem eſſe, neque officium illorum, qui in mundo vivunt.

Idem *homil.* 17. *ad Popul. Antioch.* refert zelum aliquorum ſolitariorum, qui venerunt Antiochiam, ut Theodoſii Imperatoris iram mulcerent.

S. Ambroſius in Pſalm. 128. oſtendit mundi converſionem zelo Apoſtolorum deberi.

S. Gregorius in evangelia docet neminem ſe excuſare, vel diſpenſare poſſe a zelo pro ſalute proximorum.

Theodoretus *libr. Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.* 25. affert exemplum S. Antonii, & alterius ſolitarii, cui nomen Aphraates, temporibus Imperatoris Valentis Ariani.

S. Bernardus *ſerm.* 49. *in Cantic.* mirum in modum zelum inordinatum, & furentem deſcribit.

Idem *ſerm.* 70. oſtendit effectus zeli, & ſigna,

unde conjicere licet, utrum ſuccenſus ſit igne Spiritus ſancti, & quomodo hic zelus poſſit acquiri.

S. Bonaventura in vita S. Franciſci c. 12. oſtendit ardorem zeli, quo Sanctus hic erat animatus.

Albertus Magnus in paradiſo animæ cap. 26.

Aſcetici aliique.

Granatenſis in tractatu de Oratione, & Meditatione §. 12. loquitur de zelo indiſcreto.

Alphonſus Rodriquez 3. part. tract. 1. cap. 10. fuſe, ac ſolide hoc argumentum pertractat.

P. Gaudier lib. de perfectionis natura, & cauſis *part.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 17. *&* 18. loquitur de objecto, cauſis, effectibus, & natura zeli.

P. Saintjure lib. 3. de cognitione, & amore Domini noſtri cap. 12. ſect. 13. prolixum habet tractatum de zelo animarum, ubi collegit quidquid ab aliis dictum fuit.

P. Haineuve in tertia parte libri de ordine ſerm. 18. fuſius hoc argumentum perſequitur, & docet quomodo zelus ſit dirigendus.

Bernardinus Ruſſignolius *de diſciplin. relig. lib.* 3. *c.* 8.

Nicolaus Lancicius *opuſc.* 13.

Jacobus Alvarez lib. 3. de adept. virtutum par. 2. cap. 5. §. 3.

Theophilus Bernardinus de persever. relig. lib. 4. integro.

Joſephus Mansi Bibliotheca moralis tract. 96.

Raynerius de Piſis in Pantheologia verbo zelus.

Creſolius in Myſtagogo l. 3. c. 34.

P. du Sault parte 2. operum aſceticorum cap. 5. refert animadverſiones S. Thereſiæ de zelo animarum.

Liber, cui titulus: Animadverſiones in varia religionis, Ethicæque argumenta, caput habet hujus argumenti.

P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus pro ſingulis anni diebus tomo 4. pro die 25. & 26. Octobris, & pro die 3. Decembris.

De hoc etiam argumento agit P. Colombiere in conſiderationibus.

P. Croiſet tomo 1. conſiderationum chriſtianarum agit de falſo zelo.

Concionatores qui hoc tractarunt argumentum.

Matthias Faber in *Auctario Them.* 3. *in feſto SS. Simonis, & Judæ.*

P. Cheminais in die Pentecoſtes.

Stapleton *Dominica* 11. *poſt Pentec. Textu* 1.

Idem Dominica 4. *poſt Pentec. Textu* 1.

Idem Dominica 2. *poſt Paſcha Textu* 2

Abbas de Monmorel homil. in evangelium Dominicæ in octava Aſcenſionis, ubi rationem tradit diſtinguendi zelum falſum a vero.

Euſebius Nierembergius homil. 19. de animarum zelo, & cura juvandi proximos.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta ſermone pro Dominica 2. poſt Paſcha.

Qui collectiones ediderunt.

Granatenſis in Sylva locorum communium: verbo *Zelus.*

Buſæus in Viridario)
Labarba in Theſauro) Verbo Zelus.
Lohner in Bibliotheca manuali)

PARAHRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

De manu fratris ejus requiram animam hominis. Geneſ. 9.

Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael. 3. Reg. cap. 19.

Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Pſal. 68.

Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Pſal. 118.

Nonne qui oderunt te Domine oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Pſal. 38.

Accenſus eſt velut ignis zelus tuus. Pſal. 78.

Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Cant. 8.

Vivo ego; dicit Dominus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat. Ezech. 33.

Mandavit illis unicuique de proximo ſuo. Eccli. cap. 17.

Bonum zelum meum in te. Ezech. 23.

Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem. Ad Rom. 9.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Ad Galat. 4.

Teſtimonium perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Ad Roman. 10.

Charitas Chriſti urget nos. 2. Corinth. 5.

Cupide volebamus tradere vobis non ſolum evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. 1. ad Theſſal. c. 2.

Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus JESU CHRISTI. Ad Philip. 1.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? 2. ad Cor. 11.

Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes: .... & cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam. 1. Petri c. 5.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur? Luc. 12.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſumpta.

Zelus Moyſis. MOyſes procuIdubio primum eſt, ac præſtantiſſimum exemplum, quod in lege veteri nobis ſuppetat, zeli, quem de proximi ſalute fovere debemus, cujus figura quædam erat Iſraelitici populi liberatio. Cum autem magnus hic legiſlator pluribus in occaſionibus zelum hunc præ ſe tulerit, præcipuas referemus, in quibus præclara præbuit argumenta tum firmitatis, ac roboris, nunc manſuetudinis, & charitatis erga populum hunc, cujus ut liberator, dux, & legiſlator exiſteret, a Deo fuerat electus. Primum, quod tradiderit, ſubmiſſi, & generoſi zeli exemplum fuit, obſequi imperio, quo juſſus fuerat Pharaonem convenire, ut Dei nomine præciperet, ut populum hunc in deſertum ſecedere ſineret vero Deo ſacris operaturum. Moyſes mirifice mandatum hoc reformidaverat, ac ultima quæque conatus fuerat, ut illud detrectaret; ſed hanc Dei voluntatem eſſe videns eo munere perfunctus eſt tanta animi præſentia, ut ſimul & fidei ſuæ magnitudinem, & obedientiæ alacritatem, & amoris erga populum ſuum ardorem oſtenderet; quoniam illius libertatem procuraturus ſe ſe in manifeſtum mortis periculum objecit eo zelo, quem magni eccleſiæ paſtores ſemper tanquam documentum ſibi propoſitum reſpexerunt. Quoniam Moyſis exemplo ſemper revereri debent principes, quin tamen iracundiam eorum reformident, cum de gloria Dei ſermo eſt.

Zelus ejuſdem orantis ad obtinendam populo ſuo veniam, quod aureum vitulum adoraſſet. Zelus animarum majoris coram Deo meriti eſt, quam patrare miracula. Quæ enim miracula, quæ prodigia Moyſes operatus eſt, cum Iſraelitæ egreſſi ſunt de Ægypto? Attamen nil horum ne longe quidem accedit ad zelum, quem teſtatus eſt, cum pro illis deprecatus Deum dixit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Exod. 32. Hoc eſt, S. Jo: Chryſoſtomus inquit, maximum miraculorum omnium, quæ Moyſes operatus fuerit; hoc ſaltem oſtendit zelum, & charitatem, cui vix parem inveneris; cum Moyſes præ magnitudine benevolentiæ, qua ingratum hunc populum proſequebatur, ferre non potuit verba Dei minitantis ſe illum perditurum, quamvis polliceretur ſe Moyſem effecturum ducem alterius populi potentioris, & minus ingrati. Sed incomparabilis ille Paſtor tunc præbens charitatis exemplum illis omnibus, qui deinceps erant futuri duces animarum, ſemper cum Deo locutus eſt, quaſi mallet cum populo ſuo perire ſimul, quam ſine illo magnum fieri. Manſuetudo ejus oblivioni tunc tradidit peculiarem injuriam, quæ tunc ſibi inferebatur; nec aures quidem adhibuit inſigni illi auctoritati, quæ in novum populum ſibi promittebatur. Immo gloriæ Dei ipſius intereſſe docuit hanc populo veniam concedere, ne diceretur callide populum adduxiſſe in deſertum, ut ipſum ibi exterminaret.

Zelus ejuſdem perſequentis injuriam illatam Deo, & ſcelus punientis. Poſtquam de montis cacumine Moyſes deſcendit, ubi diu cum Deo fuerat collocutus, propriis oculis intuitus aureum vitulum, quem Iſraelitæ efformaverant, & choros, quibus circa illum ludebant, ita ſancto zelo correptus fuit, ut proſtraverit, ac perfregerit tabulas legis: deinde vero nihil veritus populi nequitiam, impiis omnibus inſpectantibus, vitulum arripuit, comminuit, & in cineres redegit, quos aquæ admixtos illis propinavit, teſtaturus, quantum ipſe hoc idolum contemptum perhorreſceret; & mox zelo actus in caſtrorum janua ſtetit, claraque voce clamavit, ut ſi quis eſſet veri Dei adorator, illico ad ſe armatus accederet, ut ſimul injuriam, qua Deus fuerat laceſſitus, perſequerentur. Cum autem Levitæ ad ipſum acceſſiſſent, imperavit illis, ut diſtricto gladio ab uno ad aliud caſtrorum oſtium pergerent obvium quemlibet occidentes, quin vel patribus, vel fratribus, vel filiis parcerent. Dicto paruere, ac brevi tria prope, & viginti hominum millia cæſa ſunt. Ita Paſtorum omnium mitiſſimus, qui invicta patientia omnes privatas perferebat injurias, juſtam teſtatus eſt iram, ſanctumque zelum, ut Dei injurias ulciſceretur; ille, qui modo populi ſui deprecatus fuerat excidium ſe ſe pro illo offerens morti, nunc adeo ingentem illius numerum delet. Charitatis ignis, quo intus flagrabat, extrinſecus ejuſdem zelum accendit. Recordatus eſt ſe mediatorem eſſe, ut tam Dei gloriam apud populum, quam ut apud Deum populi utilitatem procuraret. Amor ejus fecit, ut ille quidem Dei obſiſteret iracundiæ; ſed zelus, ut de illis ſumeret pœnas, quos Dei ipſius furori ſubtraxerat.

Zelus, quo Rex David ardebat contra peccatores. Non poſſumus apertius intelligere magnitudinem zeli, quo flagrabat David videns Deum a peccatoribus læſum, quam ex dolore, quem ipſe teſtatur: *Defectio tenuit me,* in Pſalmo 118. ait, *pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei,* in eodem pſalmo ait, *quia non cuſtodierunt legem tuam.* Non ſecus ac quidquid in alambicem injicitur, vi ignis in aquam reſolvitur; ita David zeli ſui vi ſolvebatur in lacrymas, cum videret infinitam Dei majeſtatem lædi. Nobis ſimilis eſſe debet zelus, ita ut hinc quidem ſumma afficiamur voluptate videntes Deum ab omnibus diligi, & in pretio haberi, inde vero nunquam graviori dolore conficiamur, quam cum eumdem offendi conſpicimus. Hoc verus præſtat zelus, S. Auguſtinus ait, & illum zelus domus Dei vere comedit, qui prohibere vellet omnia mala, quæ ab aliis patrari videt, & qui dolet vehementer, quod hoc nequeat facere, & gemit.

Exemplum Eliæ. Cum inveniuntur animæ quædam, quæ in ſcelere occalluerunt, Deus illis alias opponit ita zelo ſuo ſuccenſas, ut nihil earum impotentiam reformident, ac libere ipſis impietates illarum exprobrent. Talis fuit Elias vir ille Dei; qui diu in latebris nutritus, tandem inde illum eduxit Deus, ut ſilentio ſuo finem imponeret, atque in aulam Achab Regis prodiret, non ut illi in flagitiis ipſius adblandiretur, ſed ut divinæ juſtitiæ ſententiam ei pronuntiaret. Cum igitur hactenus ſatis illi fuiſſet ſummo cum dolore nequiſſima intueri ſcelera Achab, & progreſſus idololatriæ, tacebat, quia Deus nondum illi imperaverat, ut loqueretur; atque clam Deo gemitus ſuos offerebat. Sed ſtatim ac Deus illi os aperuit; non impietas Achab, non ſtulti

futo-

furores Jezabel, non ulla humana cogitatio illum potuit deterrere. Prodiit ille coram Principe ignem corde, ore, & oculis gerens; edixitque illi futurum, ut in pœnam ſcelerum ipſius ne una quidem pluviæ gutta dilaberetur, regnumque ipſius annonæ charitate ad extrema quælibet redigeretur. Cum illo locutus eſt, perinde ac in manibus cœli claves haberet, ac illud verbo claudere poſſet, & reſerare: & quaſi penes ipſum elementorum eſſet arbitrium, iiſdem uſus eſt ad perſequendam injuriam, quam creatori eorum idololatra hic princeps inferebat. Zelum ſuum aliis etiam in occaſionibus teſtatus eſt, veluti cum de cœlo ignem elicuit, quo devoratus ille, qui ad ipſum comprehendendum cum quinquaginta virorum comitatu miſſus fuerat; & cum poſtquam pſeudo prophetas vicit, atque confudit, omnes ſimul interfecit. Sed cum zelus hic adeo ſeverus, qui tunc temporis erat neceſſarius, non ſit amplius conformis ſpiritui novæ legis, de hoc nihil ultra dicemus.

Deus exprobravit zelum Jonæ nimis ſeverum, & inordinatum.

Dei nomine Jonas Ninivitis prædixerat, urbem eorum intra quadraginta dies eſſe evertendam; quod vaticinium cum effectu nequaquam probari videret, ægre ferebat, illam a Deo, quemadmodum minitatus fuerat, non deleri. Hoc in rerum ſtatu egreſſus urbe cum tegmen veluti quoddam ſibi concinnaſſet, humi diſcubuit; cum repente ſuſcitavit Dominus hederam, quæ ſuper Prophetæ caput aſſurgens umbra ſua quodam veluti papilione tegebat illum, & a Solis æſtu eum tuebatur. Sed craſtina die juſſu Dei hedera exaruit; cumque Propheta, cujus caput ſolaribus radiis urebatur, hederæ tabeſceret deſiderio; *Putas ne*, Dominus inquit illi, *bene iraſceris ſuper hederam;* Iraſceris, quia exaruit hedera; attamen ut illam neque plantaſti, neque incrementum dediſti; *Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam, & jumenta multa?*

Zelus Mathathiæ.

Zelus ardens, quo flagrabat Mathathias, ut Domini legem defenderet, exhibetur lib. 1. Machab. cap. 2. cum videns nationis ſuæ adverſa, & calamitates, ait, Væ mihi, qui ideo natus videor, ut patriæ meæ excidium, atque mala populi mei conſpiciam, cum præ dolore, atque indignatione ſcidit veſtimenta ſua; cum vidit Judæum idolis ſacrificantem, & cum zelo actus ſua propria manu confodit hunc impium in ara eadem, ubi horribilis hæc prophanatio committebatur.

Zelus quem Dei filius habuit pro ſalute animarum.

Animarum zelus propria cauſa fuit, propter quam Dei filius venit in terram, in omnibus actionibus illius ſanctum pro earum converſione ardorem niteſcere intuemur. Quærit publicanos, ac ſe objicit calumniæ eos lucraturus. Samariam petit, ibique proſtitutæ mulieris cor immutat. Pharisæi domum ingreditur, ibique publicam peccatricem in pœnitentiæ exemplum convertit. Patitur, ſe opprobriis onerari, ſibique mortem inferri, ut perfecte Salvatoris mundi munere perfungatur. Zelum, atque charitatem ſuam pro animabus oſtendit in paſtoris boni parabola ſumma cum ſollicitudine deerrantem ovem quærentis, eaque inventa lætitiam teſtantis. Illius etiam apertiſſima nobis tradit argumenta in lacrymis, quas pro futuro Jeroſolymæ effundit excidio; in ardore, quo ſuos invitat diſcipulos ad orandum, ut Pater ſuus mittat operarios in vineam. & quo illos ad eam excolendam hortatur; in miſeratione, qua ſe affectum præſefert videns tot populos, ovium inſtar ſine paſtore errantes; in ardenti deſiderio calicem Paſſionis ſuæ licet amariſſimum ebibendi; denique in ſancto illo amoris impetu, quo crucem ſuam amplectitur, eo quod erat futura ſalutis noſtræ inſtrumentum.

Zelum Apoſtolorum pro converſione populorum.

Ex quo Apoſtoli ſe ſe Jeſu Chriſto devoverunt, ſumma cupiditate flagrarunt illi zelum ſuum teſtandi. In extremos uſque terrarum fines penetrarunt, ut illic idololatras invenirent; quos educerent, & peccatores, quos converterent. Viſi ſunt univerſum orbem peragrare hoc animati ſpiritu, ut populis omnibus annuntiarent evangelium. Ea quidem patrabant miracula, quæ in admirationem rapiebant populos; ventis, atque tempeſtatoribus imperabant, totaque natura illis quodammodo ancillabatur; ſed nihilominus eorum charitas, & zelus maximum erat omnium miraculorum. Itaque hic zelus efficiebat, ut cum voluptate, & alacritate honorem, vitamque ſuam ſacrificarent evangelii lumen latuti remotiſſimis regionibus, eiſque eam ablaturi caliginem, qua obrutæ erant; nullaque re melius evangelium commendabatur, quam zelo, & charitate eorum, a quibus prædicabatur,

S. Pauli zelus.

Satis explorati, comperti que ſunt labores, curſus, & multitudo populorum, quos S. Paulus convertit, ut liqueat jure optimo hunc magnum Apoſtolum; vel antonomaſtice 'Apoſtolum nuncupari. Sed ille unus nobis exprimere potuit cordis ſui ſenſus, & ardens deſiderium, quo flagrabat converſiones fratrum ſuorum, quos Deo lucrari conabatur. Hoc ille paſſim in epiſtolis ſuis profitetur, præſertim vero in prima ad Theſſalonicenſes cap. 2. *Facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos; ita deſiderantes vos cupide volebamus tradere vobis non ſolum evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Memores enim eſtis, fratres, laboris noſtri, & fatigationis. nocte, ac die operantes ne quem veſtrum gravaremus, prædicavimus in vobis evangelium Dei.* Uſquamne majorem animadvertiſtis ſollicitudinem, zelum, amorem? Zelus ejus quamcumque jubet formam induere, ut ſe fratribus ſuis præbeat acceptum. Se ſe demittit, ſed ad pueri conditionem redigit. Nullus major, vel ſollicitior eſt amor, quam matris. Talis eſt amor S. Pauli. Solidum veri amoris argumentum eſt; cum parati ſumus vitam effudere, Pluries innotuit magni hujus Apoſtoli cor ſemper ita affectum fuiſſe. Quorſum enim tot ſollicitudines? Quorſum tot curæ? Quia S. Paulus maxima charitate ſuos fratres complectitur. Zelus illius ita vehemens eſt, ut nullam ipſi requiem permittat.

Poſtquam locuti ſumus de zelo Apoſtolorum generatim, inutile videtur referre, quomodo eorum ſinguli eum præ ſe tulerint, & immenſi operis eſſet eorum elogia contexere; veluti S. Andreæ, qui ſtatim ac Meſſiam cognovit, illum S. Petro fratri ſuo tradidit cognoſcendum. Nec minus enituit S. Petri zelus, etenim propterea Salvator illi gregis ſui curam commiſit. Nec minus inſignis eſt S. Jo. Baptiſtæ zelus &c.

Exemplum falſi nimium ardentis a Deo filio correpti.

Jeſu Chriſti diſcipuli petebant, ut ignis cœlitus dilaberetur in Samaritanos, & credebant ſe pro Dei gloria ſtare contra Sciſmaticos, qui illius merebantur ultionem. Exiſtimabant ſe ſaltem imitari Eliam Prophetam, cujus zelus tot laudibus exceptus fuit. Attamen zelum hunc improbat Dei filius dicens: Neſcitis, quorum ſpiritu agamini, innuens novæ legis ſpiritum longe ab antiquæ legis ſpiritu differre; & ad animas Deo lucrandas, convertendos peccatores, eoſque Dei filios efficiendos, nec non illorum duritiam, ac pertinaciam infringendam, non aliis armis opus eſſe, quam ſuavitate, patientia, & charitate.

Exempla falſi zeli.

S. Paulus perſequens Chriſtianos credebat ſe legem nutantem, ac jamjam lapſuram ſuſtinere poſſe. Fatetur ille zelum ſuum, non violentum dumtaxat, inordinatumque fuiſſe; verum etiam falſum propter ignorantiam veritatis, cujus ratio perperam intellecta illum perſecutorem effecerat. Attamen falſo hoc ita ſuccenſus erat zelo, ut quacumque voce præter cœleſtem fuiſſet perculſus, illa in irritum ceſſiſſet; miraculoſa opus erat potentia, ut hic zeli ſpiritus ab errore in rectam viam revocaretur. Legimus in evangelio plura hujus falſi, indiſcreti, hypocritæque zeli exempla. Talis erat

Luc. 6. & 12. zelus Phariſæorum pro Sabbathi obſervantia, cum videbant Salvatorem ea die legem infringentem. Murmurabant, atque ſcandalizabantur, & falſo acti zelo eum inſimulant, quaſi legis prævaricatorem. Iidem Phariſæi Matth. 15. falſo zelo majorem teſtabantur ardorem, ut ab aliis ſervarentur traditiones, quas ipſi invexerant, quam ut Dei mandatis obtemperaretur. Talis etiam erat Matth. 26. zelus Judæ, aliorumque nonnullorum diſcipulorum, qui iniquo tolerunt animo, unguentum pretioſum ſuper Domini caput a Maria Magdalena effundi, &c. Quot hujuſmodi illuſiones, quæ ad hanc quoque diem falſuo zelum excitant, atque accendunt? Putant homines, eum, qui ipſorum inimicus eſt, Dei eſſe inimicum, & contra hunc fieri poſſe, quidquid animus ad iracundiam provocatus ſuadet.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Zelus ſalutis proximi eſt ignis, iſte, quem Dei filius venit mittere in terram.

IGnem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accedatur? Luc, 42. Neceſſe non arbitror dicere, cæleſtem hunc ignem, quem Dei filius in terras attulit, nil eſſe, aliud, quam ardentem charitatem, qua cor illius conflagrabat, & quam in omnium cordibus accendere cupit. Verum fortaſſe non animadvertiſtis divinum hunc ignem participem eſſe naturæ ignis illius, quo in terris utimur, qui ſe extendit, communicat, ſuaſque vires auget, cum alieno admovetur ſubjecto. *Charitas exæſtuat, teneri non poteſt, immenſitatem æmulatur*, ait S. Bernardus. Per hæc verba intellixiſtis, ut opinor, cæleſtem hunc ignem non aliud eſſe, quam ardentem charitatem; quæ tunc zelus appellatur, cum illi idem tribuitur objectum, quod in corde ipſius Dei habet ab æterno; videlicet ſalus animarum, & proximi converſio. Ubi autem eſt ignis, & zelus ardens? Jam ferme extinctus eſt: *abundavit iniquitas refriguit charitas*. Matth. 24. Pauci videntur Chriſtiani zelo ſuccenſi; hoc deplorabile malum eſt: Sed Eccleſiaſtici nequaquam majori zelo flagrant, quam reliqui homines, & malum hoc adhuc eſt majus. Quis enim hominum zelum fovebit, quis illos excitabit, ſi illi ipſi, qui a Deo miſſi ſunt ad fratres ſuos animandos, mollem ducant vitam & ſua munera negligant!

Apoſtolorum zelus ſali comparatur.

Vos eſtis ſal terræ. Matth. 5. Mundi Salvator zelum apoſtolicum ſali comparat. Sane nihil animabus, earumque ſaluti utilius eſt: etenim illas a morum corruptione per doctrinam, bonumque exemplum præſervat, eiſque amorem perfectionis inſpirat. Corrupta natura amiſit virtutum guſtum; paupertas, humilitas, pœnitentia illi videntur amaræ; ſed evangelicæ doctrinæ ſal eas tanta ſuavitate adſpergit, ut quamplurimi eas ſumma cupiditate conquirant. Corrupta natura vitium amat; omnia illius ſtudia in malum, ſuperbiam, intemperantiam, luxum prona ſunt; ſed cæleſtis ſapientia, quam homines docent, omnia hæc corrigit mala, atque ſanctum ciet horrorem earum rerum omnium, quæ cor humanum polluere poſſunt.

Omnes proximi ſaluti cooperari tenentur.

Mandavit illis Deus unicuique de proximo ſuo. Eccli. 17. Non eſt tibi character, vel ea, quæ requiritur ſcientia, ad verbum Dei annuntiandum, vel alios in viam ſalutis adducendos, prædica exemplo, & facem præfer illis, quibus dux eſſe non potes. Ea tibi adſunt officia, per quæ integrum non eſt peregere proficiſci ad perditas oves perquirendas; eſto familiæ tuæ Apoſtolus, atque curæ tibi ſit, ut ibi chriſtiana vita ducatur. Nullam habes in aliquem auctoritatem; in receſſu vivis omnium oculis hominum abſconditus; ſaltem lacrymis ea mala proſequere, quibus mundus refertus eſt; attolle manus ad cœlum pro illis, qui eidem bellum inferre conantur; nuncupa vota, ut Apoſtolicorum virorum labores bene, & feliciter cedant: verbo, fac, ut deſideria tua ſuppleant conatibus, quos non vales exercere.

Nihil eſt quod facere non debeamus animas Deo lucraturi.

Ite Angeli veloces ad gentem convulſam, & dilaceratam &c. Iſaiæ 18. In hæc verba, quæ oſtendunt, a Deo mitti evangelicos operarios, ut animarum converſioni cooperentur animadvertendum eſt, nequaquam ab illo dici, *Mittite*, ſed *ite*. Vos ipſi ite; ne alteri demandetis eam provinciam, quæ ad vos pertinet; neque alios vobiſmet ſurrogatis, ſed ipſi indeſinentes eidem vacate: *Ite*. Vos ipſi peccatores conquirite, ut ob eorum oculos repræſentetis ſtatum, in quo ſunt: eoſque urgete, ut quam primum illinc emergant. Si alia vos prohibent negotia, removete illa, ut huic tanquam omnium maxime neceſſario curam omnem impendatis. *Ite*. Si opus erit aliqua vitæ hujus oblectatione, vel commodo carere, lucrum, quod inde referetis, veſtrum abunde reparabit detrimentum: *Ite*. Si carnis, ſanguiniſque vincula vos tenent, infringite illa; immo ſi ad opus adeo glorioſum ſanguis eſt effundendus, numquid illius effundendi potior alia cauſa eſſe poteſt?

Quam plurimi pereunt, quia nemo eorum ſalutem procurat.

Domine, hominem non habeo. Joan. 5. Quot peccatores hodierna die dicere poſſunt, quod olim Paralyticus Evangelicus, qui, cum octo & triginta annos ſecus Piſcinæ oram ſediſſet, Salvatori dicebat: *Hominem non habeo?* Tot annis in peccatorum cæno volutor, nemo enim miſertus eſt mei. Si mater hæc, quæ afflictim filium ſuum diligebat, ut chriſtianam decet matrem illum dilexiſſet, converſionis ejuſdem fuiſſet cauſa; ſi mundana uxor illa inſanæ zelotypiæ loco ſanctam habuiſſet, quam S. Paulus commendat, zelotypiam, virum ſuum de vitiis eruiſſet; ſi amicus ille honori ſibi vertiſſet non pati amicum interire, atheum in ſervum Dei commutaſſet. Sed obinam gentium hujuſmodi ſolidæ neceſſitudines inveniuntur? Pro filio ſollicitii ſumus, ſed hæc prorſus Ethnica eſt ſollicitudo; pro amico zelum habemus, ſed eum zelum, cui deeſt fidei, & charitatis character.

Quantum noceat eccleſiæ falſus zelus.

Accendatur velut ignis zelus tuus. Pſalm. 78. Zelus miniſtrorum Domini eccleſiæ magis obeſt, quam proſit, cum Sanctorum ſcientia non illuſtratur. Propheta illum comparat igni. Sicut enim ignis maximæ utilitatis eſt hominibus, cum in uſum ipſorum adhibetur cum iis præcautionibus, quibus illius vis regitur, & coercetur; ita nullum eſt elementum, quod majora pariat mala, cum vehementi perflatur vento in nemoribus, & urbibus, quas in cinere redigit.

Vide miniſterium, quod accepiſti, ut illud impleas. Ad Coloſſ. c. 4. Cogitate, inquit Apoſtolus, indeſinenter cogitate; quid in miniſterio veſtro ex vobis expetat Dominus, eoque perfungimini ea, qua fieri poteſt, diligentia. Ubinam illi ſunt, qui omnem vocationi ſuæ tribuunt extenſionem? Vanitatis fines pro viribus proferuntur; ſed fines charitatis multo magis coarctantur. Contemnendum cenſetur trophæum animæ popularis, quam Jeſus Chriſtus proprio redemit ſanguine, atque principum dumtaxat virorum ſaluti opera impenditur. Integri conceduntur dies viris, & mulieribus, qui ſummo loco nati, opibuſque affluentes ad confeſſarii pedes confugiunt; aliis vero vix horæ quadrans impenditur.

Dei filius negligentes exprobrat operarios.

Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis. Joan. 4. Hoc Dei filius exprobrare poteſt illis, qui in evangelico perfuncti miniſterio ſalutem animarum negligunt, vel oſcitanter munus adeo neceſſarium obeunt: *Alii laboraverunt*. Tot viri vero ſuccenſi zelo laboribus, curiſque confecti fuerunt, ut fratrum ſuorum ſalutem procurarent, vos autem tot annos, totumque vitæ veſtræ ſpatium ſedebitis videntes agrum, ubi non deeſt meſſis obertimæ ſpes, ſi diligenter excolatur? *Alii laboraverunt*. Alii ſudarunt, atque laboribus confecti ſunt, vos autem languebitis, & requiem amabitis, quin cogitetis labores Dei in ie-

citum

ritum abituros, niſi juſta ejuſdem conſilium, ac finem & ipſi fueritis operarii? Timeo equidem tanquam acerbiſſimum exprobrationis genus, vel terribiles minas hæc Salvatoris verba: *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci*. Matth. 9. Mihi ſunt agri immenſi, & quibus affluentiſſima ſuperit meſſis, terra fertilis eſt, cœli influxus benigni plurimi fideles agricolæ ibi jam lætiſſimam egerunt meſſem, diemque ſuum abſolverunt; ſed illi, quos locavi, ut opus iſtud proſequerentur, ne manum quidem illi admovere dignantur.

Vocatio particularis eorum qui ad homines convertendos ſunt deſtinati.

Venite, faciam vos fieri piſcatores hominum; Matth. 4. Hæc verba ſunt, quæ Salvator aliquibus ex Apoſtolorum numero dixit, ut illos ad ſui ſequelam invitaret promittens ſe illorum conditionem immutaturum, & ex piſcatoribus piſcium hominum piſcatores effecturum; homines videlicet aliis hominibus convertendis, & ad Dei cultum perducendis deſtinatos. Hæc autem verba indicat non electionem ſolum ab ipſo factam virorum Apoſtolicorum, ſed etiam utiles vocationis eorum conditiones: *Venite*. Illi, quos Dei filius vocavit, illico paruerunt: nullam prætexuerunt excuſationem vel negotiorum, vel imperitiæ, vel difficultatum, quas novo hoc in munere poterant prævidere: *Venite poſt me*. Nequaquam evocat illos, ut per ignotas viarum ſine duce iter inſtituant: quaſi ſe illos venire jubet; ipſe illis oſtendit viam: *Venite poſt me*: neque ab illis ulterius quidquam fieri petit, quam quod ipſum facere videbunt. Nullum ipſi laborem patientur, nullum adibunt diſcrimen, nullum ferent incommodum, quod ille non pertulerit primus, verum etiam non minorem illis mercedem proponit ea, quam ipſe conſecuturus eſt.

Pretium animarum quæ imbutæ ſanguine Salvatoris nos excitare debet, ut Deo illas lucremur.

Habemus Theſaurum iſtum in vaſis fidelibus. 2. ad Corinth. 4. S. Bernardus hæc verba argumento de quo loquimur, applicat. Supponit animas, ſi in ſe ipſis conſiderentur, non aliud eſſe, quam vas fictile, ſed pretioſo liquore plenum, videlicet ſanguine Dei, quo illæ imbutæ, & omnino plenæ ſunt. Secundo, paſtores, ſuperiores, hominesque Apoſtolicis miniſteriis vacantes earum cuſtodes eſſe, atque ſequeſtres, ideoque his earum rationem eſſe reddendam, ita ut ſi quæ ex illis eorum pereat culpa, aut negligentia, iſti animæ propriæ detrimento pœnas daturi ſunt. Hæc ſunt D. Bernardi verba, quibus ne apicem quidem addere volo; *Si ſtillantem*, ait ille; *de cruce Domini ſanguinem collegiſſem, eſſetque repoſitus apud me in vaſo vitreo quod portare ſæpius oporteret, quod animi habiturus eſſem in diſcrimine tanto? At certe pretioſiſſimum animarum theſaurum ſervandum accepi, pro quo Chriſtus mercator non inſipiens totum ſuum ſanguinem dedit. Si tantum depoſitum, quod ſibi Chriſtus proprio Sanguine pretioſius judicavit, contigerit negligentius cuſtodire, quo me vertam infelix?*

Ex Paſtoribus zelo carentibus J. Chriſtus rationem expetet peccatorum, quæ patrantur, animarum, quæ pereunt.

Revelabitur ira Dei ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent. Ad Rom. 1. Paſtores muti quos Dominus mortua vocat idola, quia oculos habent, & non vident, aures, & non audiunt, os, & non loquuntur, vel potius, quia non audent inſurgere contra ea, quæ vident. Ex vobis repoſcetur ratio ovium deerrantium, quas unico ictu pedis, hoc eſt oppoſito ad erudiendum verbo cum aliis retinere potuiſſetis; ex vobis repoſcetur ratio prophanationis, & abuſus Sacramentorum; verbo, ratio eorum malorum omnium, quæ vigilantia, atque præceptis, quæ illis negaſtis, potuiſſetis avertere &c.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ſententia ſanctorum Patrum hujus argumenti.

MUnus ſuum ut præſtet Apoſtolus, magis eſt opus pietate orationum, quam oratoris facultate; ut orando pro ſe, & pro illis quos eſt allocuturus, prius ſit orator quam doctor. Auguſt. lib. 4. de Doctrin. Chriſt. cap. 15.

Zelo domus Dei comeditur, qui omnia perverſa quæ videat, cupit emendare, & ſi emendare non poteſt, tolerat & gemit. Idem, in Joannis capite 3.

Ille in charitate Dei eſt perfectior, qui ad ejus amorem plures convertit graviſſimumque Deo ſacrificium zelus eſt animarum. Idem.

Si Deus peccatores non amaret, de cœlo ad terram non deſcenderet. Idem, tract. 49. in Joan.

Nemo dicat, admonere non ſufficit, adhortari idoneus non ſum, quantum potes exhibe, ne malo ſervatum talentum quod acceperas, in tormentis perdere cogaris. Gregor. Homil. 6. in Matth.

Zelum qui habent, omnes ſibi inimicos putant, qui ſunt hoſtes Dei, quamvis patrem, fratres, ſorores. Idem, in Exod.

Nihil ita gratum Deo, & ita curæ, ut animarum ſalus. Chryſoſt. Homil 3. in Geneſ.

Quid huic zelo poterit æquiparari? Quod neque jejunium, neque humicubationes, neque pervigilia, neque aliud quidquam poteſt efficere, efficit procurata ſalus. Idem, tractat. 5. adverſ. Judæos.

Etſi ingentes erogaverit pecunias pauperibus, plus tamen effecerit, ſi converterit animam. Idem, ibidem.

Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum. Gregor. Homil. 12. ſuper Ezechielem.

Omnium divinorum diviniſſimum eſt cooperari Deo in ſalute animarum. S. Dionyſ. de Cæleſti Hierarch. cap. 13.

Quid eſt zelus, niſi intima quædam ſtimulatio charitatis, pie nos ſollicitantis æmulari fraternam ſalutem: Bernard. Homil. 58. in Cant.

Quomodo qui poteſt dicere, ſe diligere Deum, & ejus amorem appetere, qui ejus imaginem videt in ſterquilinio jacere, & non curat? S. Bonavent. in Pharetr. div. amoris.

Abſque igne quis ignem accendat? & ſine charitate quis officia charitatis conſummabit? Ardeat flamma dilectionis in te, quatenus calore tuo proximorum excutiatur ſopor, imo accreſcat amoris incendium. Laurentius Juſtinian. Hom. 25. in 1. ad Corinth.

Neſcio an majus poſſit homini beneficium a Deo conferri, quam ut per ejus obſequium alii conſequantur ſalutem. Richard. a ſancto Victore.

Paſſione interdum movemur, & zelum putamus; parva in aliis reprehendimus, & noſtra majora pertranſimus. Libro primo de Imitatione Chriſti, cap. 5.

Habe zelum primo ſuper teipſum, & tunc juſte zelare poteris proximum tuum. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia pena hoc in argumento depromi poſſit.

ANimarum zelus eſt charitatis, & divini amoris effectus; eſt ardens, igniumque deſiderium, quod mortales omnes Deum ament, colant, eique ſerviant: quod deſiderium, cum inhibetur, inſignem parit triſtitiam, quia Deus a peccatoribus læditur, & afficitur contumelia; itaut cum malo huic medela afferri non poteſt, a mœrore, lacrymiſque minime abſtineatur. Quamobrem in Scripturis vocatur ignis de-

Quid ſit zelus animarum, ejuſque definitio.

devorans eum, qui ejuſdem expetitur ardorem. Qua in ſe animadvertendum eſt, cum dicitur zelus animarum, non coarctari ſignificationem zeli generatim ſumpti; qui eo in ſenſu, in quo a nobis accipitur, ardens eſt deſiderium procurandi, atque extendendi pro viribus gloriam Dei, necnon fidem, ac religionem tuendi, inſurgendi in eos, qui Dei legem infringunt, inhibendi ſcelerum curſum, corrigendi abuſus, & crimina, gemendi, atque dolendi, cum malum prohiberi non poteſt. Sed cum hæc omnia fiant propter ſalutem animarum, quæ creatæ ſunt, ut Deum colant, eique famulentur, hæc duo, quæ arcto inter ſe vinculo cohærent, conjungimus, videlicet deſiderium animas ſalvas faciendi, & deſiderium prohibendi, ne Deus lædatur iis ſceleribus, quæ in mundo patrantur.

Quibus actionibus noſtrum pro ſalute animarum teſtari zelum poſſimus.

Actiones, quibus teſtamur zelum, quo flagramus, procurandi ſalutem proximi, ac ſuperandi obices, qui illi opponuntur; hæ, inquam, actiones triplicis ſunt generis. Primæ illæ ſunt, per quas chriſtianæ veritates docentur mente hac educendi peccatores ex tenebris cæcitatis, illos erudiendo qua publicis, qua privatis ſermonibus, eiſque divinæ legis cognitionem tradendo, ut ad eam ſequendam, obſervandamque impellantur. Secundæ illæ ſunt, quæ vitia coercent, veluti correctiones, leges, vel regulæ, quæ proponuntur ad homines in officio continendos, vel efficiendum, ut Deus ab illis colatur. Tertiæ ſunt cœpta laude digna pro bono animarum, & converſione peccatorum, cujuſmodi ſunt miſſiones, aliaque id genus opera bona ad hunc finem accommodata.

Præſtantia, & meritum zeli animarum.

Præſtantia, & meritum zeli hujus deſumitur ex eo, quod præſtantiſſimus eſt effectus duarum eximiarum virtutum, charitatis videlicet, & religionis. Charitas palam ejus principium eſt; quippe zelus eſt ardens deſiderium cooperandi ad ſalutem proximi propter amorem, quo illum complectimur propter Deum, qui eo uſque diligit ipſum, ut pro illo vitam impenderit, atque ad eum redimendum ſanguinem ſuum effuderit. Actus eſt etiam religionis, primum enim zeli objectum eſt cultus Dei; eſt enim deſiderium efficiendi, ut ab omnibus colatur, & prohibendi, ne afficiatur injuria. Itaque zelus, proprie loquendo a Deo tanquam a principio ſuo fluit, & redit ad Deum tanquam finem; non ſecus ac charitas, cujus hic zelus eſt tanquam ardor, & præcipuus effectus, a Deo proficiſcitur, & revertitur ad Deum nos ad eumdem impellens. Itaque zelus, non ſecus ac charitas duos habet motus; quorum alter eſt quærere, & amplecti, quidquid animarum ſalutem procurare poteſt: alter vero obluctari contra ea, quæ illam prohibere poſſunt.

Neceſſitas cooperandi ſaluti proximi ſui ſecundum vires, & ſtatus ſuos ad omnes pertinet mortales.

Plerique zelum reſpiciunt tanquam virtutem, quæ Apoſtolicorum dumtaxat virorum eſt propria, at nihilominus non minus illum, quam eamdem charitatem, cujus effectus eſt neceſſarius, exercere tenemur. Nullus eſt zelus ſine charitate; ſed viciſſim quoque charitas nulla ſine zelo. Mandavit Deus unicuique de proximo ſuo, ſed non eadem ratione. Publicæ perſonæ, quæ in aliquo dignitatis gradu ſitæ ſunt, vel aliqua pollent auctoritate, hac, inquam, auctoritate, qua in alios pollent, ad ſalutem illorum procurandam uti debent. Patris familias eſſentiale munus eſt cooperari ſaluti familiæ ſuæ; animum ad filiorum ſuorum inſtitutionem tranſmittere; efficere, ut famuli in fide erudiantur, eoſque chriſtianæ vivendi rationes docere. Si hac deficiente cura peccant, ſi illi pereunt, ratio ex patre, dominoque erit expetenda, qui ſalutem eorum negligere non poteſt, quin in diſcrimen adducat ſuam, damnatio animæ eorum certiſſime ſecum trahit damnationem animæ illius; & Deus dicit illi per os Prophetæ, tu rea es mortis eorum; tu rationem redditurus es animæ illorum.

Verus zelus nunquam deterretur, cum ea, quæ ſecundum prudentiæ leges facere aggreſſus eſt, non cedunt ex ſententia. Noſtrum eſt conſilia inire, noſtrum conatus exercere, ſed unius Dei eſt efficere, ut bene, ac feliciter eveniant. Nimis felices ſumus propter Deum laborantes, licet etiam labores noſtri fructu ſuo fraudarentur. Noſtrum eſt benedicere illi, ejuſque adorare conſilia, quæ ſemper juſtiſſima ſunt. Hoc igitur nobis eſſe debet principium, ut propter Deum agamus, ut vias illius ſequamur, ut noſtris adhæreamus officiis. Poſt hæc ſi obices naciſcimur, ad eum confugiendum eſt, qui noſtra eſt virtus, noſtrumque robur, neque animos deſpondere debemus.

De zelo inordinato, qui non eſt ſecundum ſcientiam.

Duæ ſunt zeli ſpecies; alter verus eſt, prudens, atque diſcretus; alter vero inordinatus eſt, & non ſecundum ſcientiam, ut loquitur S. Paulus ad Rom. 10. ubi de Judæorum zelo verba facit. Haud equidem inficior, ait, illos habere zelum, ſed zelus eorum non eſt ſecundum ſcientiam. Inordinatus, exempli gratia, zelus eſſet, ſi ingentem impiorum numerum conſiderantes in mentem hanc incideremus; debere Deum celeriter ſuam oſtentare juſtitiam eorum excidio. Et magis adhuc inordinatus, atque indiſcretus eſſet, ſi cum impii nos opprefſerunt, locum præberemus huic ſententiæ; divinæ intereſſe juſtitiæ, cauſam noſtram ſuſcipere, ac celeriter in excidii, & infortunii noſtri auctores animadvertere.

Zelus procedere debet per vias legitimas.

Nequaquam ſatis eſt velle bonum, & ad illud ardenter ferri; debet præterea hoc fieri ſecundum Dei ordinem, & cum integra ſanctæ voluntati ejuſdem ſubmiſſione. Videbitis mortales, qui poſtquam ea conceperunt conſilia, quæ in ſpeciem quidem bona videntur, amplectentur potius vias irregulares, & evangelicis inſtitutis oppoſitas, quam ab incœpto deſiſtere. Zelus vituperatione dignus eſt; cum enim legitimæ deſunt viæ, & cum ad finem, quem nobiſmet proponimus, neceſſarium eſſet recedere a recta evangelii via, exiſtimare debemus conſilia noſtra a Dei voluntate abhorrere, & hunc vetare, ne progrediamur ulterius.

Homo non eſt ſibi ſoli, ſed laborare debet, ut alios ſalvos faciat.

Mortalium plerique in iis, quæ ad zelum pertinent, falſo laborant principio: credunt homini de ſe tantum reddendam eſſe rationem, & cum ille pro ſe operetur, nihil præterea expeti a Deo: ſed Scripturarum verba hac in re nimis aperta ſunt: *Mandavit illis unicuique de proximo ſuo*. Eccli. 17. Et S. Chryſoſtomus in Homilia 59. in S. Matthæum fallax hoc principium explodens docet, omnes illos, qui proximorum ſaluti non cooperantur, ſalutem ſuam in diſcrimen adducere. Cum teneamur zelum fovere pro fratrum noſtrorum bono, primus zeli hujus effectus eſſe debet ſaluti eorum cooperari.

In zelo per defectum, & exceſſum peccare poſſumus.

Liquet zelum deeſſe illi, qui Dei injuriis minime afficitur, & qui gloriam illius ſartam tectam tueri non ſtudet; cui negotium non faceſſit ſalus animarum, & bonum ſpirituale eorum præſertim, qui ad nos ſpectant, ſed fortaſſe ignoratur, in alterum labi vitium, qui per animi ægritudinem quamdam, atque imprudentiam, longius provehitur, quam ſtatus, ratio, & gratia ſinant; qui contra peccatores nimio calore actus invehitur, quin rei ullius rationem ſibi cenſeat habendam, qui illos nimium acri exprobratione perſequitur, qui eorum defectus, atque imperfectiones ſine charitate non patitur, qui alienæ infirmitatis non miſeretur, qui denique impatientia ſe abripi ſinit, qui tædio afficitur, qui dolet, ac mœret, cum cœpta ſua ſibi e voto non cedunt.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Qualitates Apoſtolorum.

NOmen Apoſtoli myſticum eſt; quod parum intelligitur, & quod difficilius adhuc explicatur;

tur, qui enim Apoſtolum dicit, dicit virum particulari providentia deſtinatum, ut cooperetur conſilio, quod ab æterno Deus cepit; virum voluntatum Domini interpretem, legis ſequeſtrem, divini verbi miniſtrum, ſal terræ, lumen mundi; virum, qui elementis, hominibus, ac dæmonibus imperat, & ſi dicere fas eſt, qui ipſi etiam imperat Deo. Talis eſt Apoſtolus; quippe apoſtolatus eſt ſupereminens qualitas cum plenitudine poteſtatis conjuncta; dicam amplius, conjuncta cum plenitudine ſcientiæ, & charitatis, quarum altera omnes rationis humanæ evangelicæ veritati ſeſe opponentis conatus vincere poteſt; altera vero omnes ſuperat obices, omnia contemnit pericula, ſibique gloriæ vertit pati perſecutiones, ipſum etiam martyrium, dummodo glorificetur Dei nomen, regnum illius proferatur, annuntietur evangelium, ſubvertatur impietas, error confundatur, ac religio vera roboretur. *Ex Anonymo Auctore.*

Apoſtolis notamque virorum.

Virtutes, & officia, quæ virum Apoſtolicum conſtituunt.

Ad Apoſtolum conſtituendum plurimæ requiruntur virtutes, quæ invicem ſibi adverſari videntur; requiritur enim amor ſolitudinis otio vacuus; conſuetudo cum hominibus, quæ non officiat charitati Dei; zelus, qui ſe effundat extrinſecus, & orationis aſſiduitas, quæ non obſit, quominus Marthæ officia cum Mariæ meditationibus conjungantur. Scire oportet totidem ſequi vias, quot animæ ſunt dirigendæ. Ab aliis quidem prædominans affectus evellendus eſt, in aliis virtus oriens confirmanda; hic animus addendus eſt, illis timor incutiendus; nonnunquam minæ intentandæ ſunt, & aliquando promiſſiones admiſcendæ. Cum parvulis ſine abjectione humiliare ſe debet, cum magnis ſe attollere ſine ſuperbia; infirmis compati, fortes inflammare, edocere cum patientia, reſpondere cum charitate, corrigere ſine acerbitate, admonere ſine acrimonia, ac omnibus omnia fieri, ut omnes Jeſu Chriſto lucretur; verbo, ut verus Apoſtolus ſit, vero opus eſt zelo, qui nonniſi particularis miſſionis cauſa operetur. *Idem.*

Prudentia debet ſemper comitari zelum.

Duæ ſunt, ex D. Bernardi ſententia, virtutes, quæ hominem ſaluti proximi ſui utilem faciunt, zelus, atque prudentia; zelus, quo omnes chriſtianæ virtutes animantur, & quo prohibet, ne langueant, ac molles fiant; prudentia, quæ illas in ordine retinet, prohibetque, ne ſe emancipent, atque extra fines ſuos egrediantur. Zelus, ſi ſolus adſit, ad noxia quælibet extrema erumpere poteſt. Sæpe exacerbat eos, quos ſuaviter revocare deberet, & aggravans Domini juſtum Dei legem in odium adducit apud eos, apud quos illam amabilem deberet efficere. Prudentia ſola nimis cauta eſt, atque circumſpecta. Huic ſufficit gemere, cum efficaciter agendum ſit. Impios perhorreſcit; ſed nequaquam ſtrenue deterret? lacrymis proſequitur hominum flagitia, quin illis obluctetur, & ſæpe ex chriſtiana in politicam virtutem migrans Dei juſtitiam deſerit, ne homines lædat. Sed duplex hæc ſimul conjuncta virtus hominis vere Apoſtolici characterem conſtituit. *Flechier in Panegyrico S. Ignatii.*

Quomodo ſe gerat, qui vero zelo ſuccenſus eſt pro ſalute proximi.

Inexorabilis peccato, ſed humanus erga peccatorem, compatiens aliorum infirmitati, ne alios de ſpe dejiciat, aliorum fervorem excitans, ut alios ad perfectionem adducat, omnibus omnia factus, ut omnes lucretur. Non eſt ex numero immitium directorum, qui nihil humanæ tribuunt fragilitati, ut terribile ſibi tribunal erigant, ex quo damnent dumtaxat, atque imprudenti zelo, vel naturali ſævitia gravia, & non ferenda alligent onera, quæ hominum humeris imponant; & qui miniſterium ſuum inutile efficientes, ne fortaſſe minus honore dignum efficere videantur, duritia ſua eos abſterrent peccatores, quos per gratiam allicit Deus. Sed neque ex eorum eſt faciliùm directorum numero, qui excuſant omnia, qui omnibus indulgent, qui peccatori ſimul, & peccato parcentes veritates imminuunt, & Dei in ſe iracundiam convertunt, ut hominum captent benevolentiam. *Idem.*

Zelus ut verus, perfectuſque ſit, animatus eſſe debet charitate, prudentia directus, & cum manſuetudine conjunctus. Charitas eſſe debet veri zeli principium. Non deeſt falſus zelus, qui eſt effectus vel fervoris ingenii, vel naturalis æſtus, vel ſecretæ ambitionis; hæc omnia non merentur nomen zeli, ſed ille tantum, qui charitate animatus eſt; qui ardens eſt, ita ut amplecti poſſit, quidquid alienæ ſaluti aliquid conferre poteſt, quantumvis arduum, ac difficile ſit; conſtans, ita ut nullis deterreatur difficultatibus; univerſalis, ita ut neminem excipiat, &c. *P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus.*

Zelus alius verus eſt, alius falſus.

Zelus nonnunquam fatigat Deum, propter proximum.

Dominus ipſe præcepit Moyſi, ut deſcenderet de monte, ubi ſolus cum Deo verſabatur, & hujus imperiis intentus cum reverentia verbum audiebat illius. *Vade, deſcende, peccavit populus tuus.* Exod. 32. Nunc me orare non debes; famulari debes; ſi amas me, fac ut amer: perge, aras meas reſtitue, ſubverte idola, populum tuum in officio contine, ac jus dic illis, qui illud expectant a te. Pauper, quem dives perſequitur, per jugem cunctationem, ac moram tuam ne abſumat ea bona, quæ te judice tueri conatur. Quid enim intereſt opprimi negligentia tua, an impotentia inimicorum tuorum? Et uter nocentior eſt, illene, qui injuſtitiam committit, an qui illam vidit, & probat? *P. Cheminais ſermone S. Ludovici.*

Apoſtolici hominis deſcriptio.

Hic locus eſſet exhibendi vobis verum hunc Apoſtolum eccleſiæ relinquentem laborum ſuorum fructum, ut ſibi ſudores tantum, & labores neceſſario perferendos reſervet; ſacra annuntiantem oracula admirabili ſimplicitate, quæ verbo Dei nihil humani commiſceet; omnem induſtriæ humilitatis prudentiam exercens, ut miniſtrum a miniſterio ſejungat, efficiatque, ut hoc quidem in honore habeatur, quin ille habeatur in pretio, ut talenta in lucro ponat, quin ſervi laudetur induſtria; ut ex laboribus ſuis fructum percipiat, quin loquendi vis alios rapiat in admirationem, &c. *Abbas du Jarry Panegyrico S. Philippi.*

Zelus quem habere debent Paſtores de ſalute animarum.

En quid dicat in Ezechielis cap. 33. Deum de hoc munere: *Speculatorem dedi te domus Iſrael: Audiens ergo ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex me.* Conſtitui te, ut vigilares ſuper Domum Iſrael; illis igitur annuntiabis verba, quæ egreſſa ſunt ex ore meo; & cum dico impio, morieris, niſi tu hoc illi dixeris, ut ſibi caveat, morietur impius in impietate ſua, ſed ſanguinis illius rationem ex te repoſcam. Terribiles profecto minæ, ſed æquiſſimæ! Si enim Dei verbum non prædicatur, ullumne eſt bonum opus, ulla virtus, quæ minime pereat? S. Chryſoſtomus hoc declarat. Cum populus paſtoris ſui culpa ſpirituali fame laborat, negligentia hæc integrum eſt pietatis, & religionis excidium. *P. Segneri in libro, cui titulus: Praxis curatorum.*

Falſus zelus, qui non eſt ſecundum ſcientiam.

Ut liqueat, quo uſque procedere poſſit falſus zelus, qui non eſt ſecundum ſcientiam, uti loquitur S. Paulus, ſatis eſt videre in actis Apoſtolorum, quid contra eumdem Sanctum Paulum Judæi fuerint conati. Nonne eo uſque odii evaſerunt in eum, *ut devoverint ſe dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum?* Act. 23. Nunquid eo quod eorum intentio erat fortaſſe bona, excuſabilis erat illorum ignorantia? Nequaquam: nihil enim deerat ipſis, quod eos de veritate poſſet erudire. En autem quid falſus religionis zelus vocetur; zelus, qui non eſt ſecundum ſcientiam, qui fugit lumen, qui omnes excitare novit affectiones, qui illas ad exceſſum uſque promovet, & qui ſuadet etiam illis, qui illius motus, & impreſſiones ſequuntur, ſe Dei ſpiritu impelli. Talis erat falſus eorumdem Judæorum zelus, qui Dei voluntatem, conſiliumque ignorantes contra Deum ipſum agebant, cum ſe pro ipſo ſtare velle profitebantur. Nunquam enim intelligere poſſemus, hos adeo contra diſcipulos Domini ita percitos fuiſſe, qui prorſus cœleſtes homines erant, niſi liqueret, quid in corde

huma-

humano poſſit falſus religionis zelus. Ipſe etiam S. Paulus fatetur ſe ad necem uſque perſecutum fuiſſe primos Chriſtianos, atque catenis homines, mulieresque oneraſſe, quia legis, hoc eſt, Dei zelo agebatur. *Abbas de Monmorel Homilia in Evangelium Dominica poſt octavam Aſcenſionis.*

De inordinato zelu, qui effectus eſt temperamenti.

Mirabitur fortaſſe quiſpiam nos in ipſos pietatis actus temperamentum inferre. Naturæ motus aliquidne habent commune cum motibus gratiæ? Charitas pendere ne poteſt ab organis corporalibus? Mirum hoc ſane videtur, ſed nihilominus verum eſt. Cum enim anima hiſce alligata ſit organis, pleræque actiones illius bonam, aut pravam horum redolent diſpoſitionem: gratia naturam corrigit, non evertit. Ita plurimi ſtatus ſunt, in quibus temperamentum validas efficere poteſt impreſſiones in cor, & in actiones, quæ inde in civili fluunt ſocietate, & quæ inde in religionem migrantes, illuc, ut ita dicam, ſuos effundunt influxus, qui validiores ſunt, levioreſque; prout illos corrigit gratia. Non deſunt mortales, quibus violentum eſt temperamentum; ex quo aliqua religioni infertur injuria, bilis eorum incaleſcit, accenditur ira; clamant, anathemata jaciunt, a maledictis ad odia gradum faciunt, & quemdam Prophetarum characterem præ ſe ferentes credunt, ſe jure odiſſe poſſe odio perfecto peccatores. Hic zelus vocatur, cum plerumque non aliud ſit quam effectus ignei temperamenti, & affectionis vehementis, quam ubi probari intelligunt, eam ſibi honori homines vertunt, & ad extrema quæque audenda animos capiunt. *Auctor Anonymus.*

Signa, ex quibus hic zelus nimis ardens colligitur.

Acres cenſuræ ingenii potius, quam amoris Dei calorem oſtendunt. Violentæ contra hominum peccata invectivæ cor avertunt, ſuffocant ſenſus, ac deſideria pœnitentiæ, cum e contra lenitas & manſuetudo animos ſibi demulceant, & in viam ſalutis perducant. Cenſuræ non ſolum acres eſſe non debent, ſed accommodatæ naturæ peccatorum, quæ patrata fuerunt; alioquin ingenium agit, ac libido, quæ ſenſus ipſos exaggerat. Reor etiam hac in re ſequendam eſſe opinionem cujuſdam inter ſapientes antiquitatis Legiſlatoris, qui maluit temperatis legibus paucos cum fructu punire, quam per leges nimis ſeveras in plures ſine utilitate animadvertere. Præcepta, quæ nimis auſtera ſunt, ſæpe relaxationi aditum præbent propter multitudinem contemnentium illa, quæ vero moderata ſunt, eam proſcribunt multitudine hæc comprobantium; illa quidem ſine ullis conſcientiæ ſtimulis negliguntur, ab his vero ne latum quidem unguem recedere quiſpiam audet. *Idem.*

Zeli natura, & effectus.

Veri zeli ardor illuminans eſt, ſecumque gerit in cœli myſteriis, & ſalutis doctrina perſpicuitatem. Calor eſt luminis calorem imitans, qui homines calefaciens illos illuminat, eiſque omnia detegit: ſed falſus zelus cæcus eſt, & in ſuo fervore inſcius. Hujuſmodi erat Judæorum zelus, quos S. Paulus teſtatur zelum quidem, non autem ſecundum ſcientiam habuiſſe. Hujuſmodi etiam zelus erat Apoſtoli, antequam ad chriſtianam religionem converteretur; ait enim, ſe propter zelum eccleſiam fuiſſe perſecutum. Cum aliquis divino ſpiritu vere animatus eſt, nihil habet frigidum, & languidum, totus ignis eſt, ſancto zelo ſuccenſus, verba illius ſunt ardentia, affectus igniti, charitas eſt flamma vehemens, quam aquæ univerſæ nequeunt extinguere; zelus ejus perennis eſt ignis, qui nunquam intercidit; anima vero ſimilis tubo myſtico, qui ardebat, quin abſumeretur. Ita qui ſinu ſuo gerunt admirabilem hunc ignem, nunquam dicunt bona opera ſatis eſſe, inexplebili flagrant cupiditate Dei gloriam, & propriam ſanctificationem ſemper promovendi; ardentem habent famem, ſitimque juſtitiæ, ac infinitam cæleſtium gratiarum aviditatem; eorumque zelus in dies ſingulos recentes vires acquirit. *Alius Auctor Anonymus.*

Si hoc ageretur unum, ut aliena tantum peccata odiſſemus, id non ita arduum, & difficile videretur: talis enim eſt cordis noſtri nequitia, ut ſecreta perfundamur voluptate vel minima fratrum noſtrorum vitia judicantes, atque damnantes. Verum cum divina juſtitia noſtrorum duntaxat peccatorum, non autem alienorum rationem expetat, noſtra prima eſſe debent odii noſtri objecta. Proximi noſtri vitiam nonnunquam miſerationem, lacrymaſque noſtras merentur, non autem auctoris odium; ſed quemadmodum aliena ſerutari corda non poſſumus, alienæque cogitationes nos latent, odium æque, ac judicium noſtrum inhibere habemus; immo etiam alios coram Deo juſtos credere poſſumus, cum in oculis noſtris nocentes videantur. Neque ideo putes, te nequaquam debere in aliis odiſſe crimen, cum palam cognitum eſt, & Dei gloria aliquod patitur detrimentum. Hujuſmodi erat juſtiſſimum Prophetæ odium: *Perfecto odio oderam illos*, ait Pſal. 138. Verum ſi volumus odium, quo aliena peccata proſequimur, juſtum eſſe, ac legitimum, eſſe debet perfectum, uti erat Davidis odium: *Perfecto odio.* Ut autem perfectum ſit, peccatum quidem odiſſe, peccatorem vero diligere debet; creaturæ opus horrere, opus vero Dei amare tenetur; & quemadmodum inordinatus eſſet amor propter perſonam amare peccatum, injuſtum quoque eſſet odium propter peccatum odiſſe perſonam: *Perfectum odium eſt, ſi nec propter vitia oderis homines, nec vitia propter homines diligas.* Sed tutius eſt proprium odiſſe crimen, aliena vero Dei juſtitiæ, & miſericordiæ remittere. *Auctor Anonymus.*

Homo religionis zelo ſuccenſus.

Homo religionis zelo ſuccenſus ſumma perfunditur voluptate, eo quod Chriſtianus eſt, Idololatrarum vicem dolet, contra impiorum, ac novatorum nequitiam irritatur, hac re graviſſimas gratiæ impreſſiones promeritus: flagrat zelo domus Dei, ad religionem omnes refert ideas, ardorem, actiones. Videtur æque ac David contabeſcere, cum illam in contemptu haberi cognoſcit, cum eadem lætari, cum illa triumphat; cum Moyſe ſancto furore contra prophanatores accendi, cum Apoſtolis ad infideles convolare ad evangelii lucem illis afferendam, & cum martyribus mori, cum veritati perhibendum eſt teſtimonium. *Sermo primus inter eos, qui Gallicæ Academiæ oblati fuere anno 1691.*

Næ ille falſam habet zeli ideam, qui illum concipit tamquam vehementem ardorem, qui contineri nequit intra eos fines, quos ratio præſcribit. Verus zelus licet vividus, & ardens, ſemper moderatus eſt, & multa cum ordine, verecundia, ac modeſtia operatur. Quin præcipiti celeritate feſtinet, tempori ſervit, circumſtantiarum rationem habet quam diligentiſſimam, negotia ad maturitatem pervenire ſinit, obſervat ea; quæ conſiliis ſui deſervire poſſunt, obices prævertit, difficultates explicat, verbo nihil eorum prætermittit, quæ felici cœptorum ſuorum eventui valent inſervire. Iſtic veſtram agnoſcite cæcitatem, qui exiſtimantes ſequi ſanctos impetus, quos verus zelus inſpirat, ſequimini inordinatos motus illius cupiditatis, quæ vobis dominatur. Si zelus veſter verus eſſet, non adeo ferus eſſet, ac impotens: ſervaret mediocritatem, neque auderet extrema illa, quæ fidelibus ſcandalum afferunt, & evertunt conſilia, quæ religioni ſunt maxime utilia. *Sermo ſecundus ejuſdem collectionis.*

De zelo falſo, & hypocrita.

Ubique inveniuntur id genus hypocritæ verſuti, qui ſe ſe virtutis integumento cooperientes religionem, ac pietatem vanitati, ambitioni, & avaritiæ ſuæ prætexunt. Cum religionis zelus ex virtutibus omnibus maxime niteat, & hodierna die aptiſſima videatur ad boni nominis famam aucupandam, ante cætera hominibus perſuadere conantur, ſed hoc zelo ſuccenſos eſſe, & multa cum diligentia zelum hunc exercendi occaſiones inquirere. Hoc pacto in ſanctiſſimis etiam cœtibus aditum ſibi aperiunt, omnibus religioni utilibus negotiis ſeſe admiſcent, ſedulo eccleſiæ jura ſarta tecta tuentur, concionantur, hortantur, ſcribunt: ſed quid nitentibus hiſce operibus quærunt? Quærunt eorum; qui virtute

præ-

prædi̇ti ſunt, exiſtimationem ſibi comparare, eorum oculos perſtringere, quibus placere utile eſt, ſe ſe ad aliquam evehere dignitatem; denique negotia ſua privata procurant, atque propriam inquirunt gloriam ſub hac ſpecie gloriam Dei procurandi. *Idem*.

Deſcriptio veri zeli.

Verus zelus eſt ardens deſiderium augendi gloriam Dei, ideoque evertendi quidquid hanc gloriam poteſt imminuere. Sancta eſt ambitio protendendi imperium Jeſu Chriſti, ac de hoſtibus illius triumphandi; ſenſus eſt chriſtianæ miſerationis, quæ nos adigit ad animarum ſalutem procurandam, efficitque, ut earum, quæ intereunt, vicem doleamus. Denique hic motus eſt interior, ac ſupernaturalis, quo agitur anima ad religionis victorias perſequendas, atque peccati mala avertenda, & qui efficit ſaltem, ut in gemitus, & ſuſpiria erumpat, cum nequit facere bonum, quod cupit, vel prohibere malum, quod horret. *Ex eadem collectione ſermone tertio*.

Hominis zelo ſuccenſi deſcriptio.

Vir propter Dei gloriam zelo ſuccenſus eſt Phinees, cujus zelus non ſuccenditur, niſi quod reipſa videt Dei legem infringi; Moyſes eſt deprecans pro ſeditioſis, quorum murmurationibus laceſſitur, & juſtitiæ gladium diſtringens contra proximos, ut illatam Domino ſuo injuriam perſequatur; Elias eſt in ſolitudinem ſe recipiens, ut cœli recipiat mandata, atque in mundi lucem prodiens, ut eadem enuntiet; eſt Joannes Baptiſta in deſerto libenter æque ac in aula prædicans, & in aula audacter æque ac in deſerto; alter eſt Sanctus Paulus, qui ardet, ubi minimo fratrum ſuorum ſcandalum videt inferri; qui ſe infirmum cum infirmis, ac omnia omnibus facit, ut omnes ſalvos faciat; & qui non oblitus ſe imis æque ac ſummis, ſapientibus æque ac ſimplicibus debere, ex æquo utriſque ſuam impendit operam, neque cum illis diverſa ratione agit, niſi pro diverſis eorum neceſſitatibus. *Idem*.

Vir zelo ſuccenſus perfecte cognoſcit pretium animæ ad imaginem Dei creatæ, redemptæ ſanguine Jeſu Chriſti, ac æternæ gloriæ deſtinatæ. Sincere proximum ſuum reveretur, unice illum diligit, potenter ſaluti ipſius cooperatur; & quemadmodum vellet ex toto corde omnes homines ſalvos facere, ſi fieri poſſet, amaris proſequitur lacrymis calamitatem illorum, qui pereunt, peccati dolore confectus, non ſolum quod illa Deum lædunt, verum etiam quod damnant peccatorem. Ita Sanctus Paulus Judæorum deflens cæcitatem profunda triſtitia correptus, acrique dolore tabeſcens, admirabili zeli magnitudine actus cupiebat pro fratribus ſuis anathema fieri .... Præterea votorum ſuorum morum ſecutus generoſo conatu, & mente, & corpore in remotiſſimas, barbariſſimaſque terras advolat. Patriæ, familia, conſanguinei, amici illumne remorari poteſtis? Labores, pericula, calamitates, ſupplicia illumne deterrere poteſtis? Delicatiſſima quæque vincula, obices teterrimi nequicquam veri Apoſtoli conſtantiæ adverſantur; nihil formidans niſi ſpiritualia proximi ſui mala, ubique imperterritus niſi coram ſupremi Creatoris ſui majeſtate, omnes occupationes, quibus inhibetur, in præcipua triumphi ſui argumenta convertit. *Idem*.

Vir Apoſtolicus ab omnibus terrenis rebus eſſe debet avulſus.

Nonne ob Iſaiæ prophetæ oculos verſabatur hæc perfecta apoſtolicorum virorum e terrenis rebus ſeparatio, cum illos nubibus comparabat, ad ventorum arbitrium in aere volantibus, quæ, non ſolum ſupra inferiorem mundi regionem ſublatæ ſunt, verum etiam ſe ipſas exhauriunt, ac in pluvias diſſipant, ut terras uberiores efficiant: *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant?* Iſai. 60. Vir Apoſtolicus unice ſequens afflatum divini ſpiritus, quo animatur, non ſolum elevatus eſt ſupra omnem mundum carnalem, verum etiam ſe ipſum exhaurit, laboribuſque conficit, ut illum ſanctificet, toto cœlo abhorrens a flagitioſa mollitie pſeudo apoſtolorum, qui facile ſe ipſos diſpenſant ab ea pœnitentia, quam prædicant aliis, & forſaſſe legis ſumptibus reparant aſſertos labores, quibus ad illam docendam afficiuntur. Verus Apoſtolus ſeſe totum zelo ſuo devovet; non quieti, non valetudini parcit, immo neque vitæ. Eam objicit, prodigitque quocunque profecturus, quo illum Dei evocet gloria, & contemnens quidquid in mundo horribilius eſt; S. Paulum imitatus graviſſima provocat pericula, ſæviſſimaſque perſecutiones, moleſtiſſima ſuffert incommoda, famem, ſitim, tempeſtatum injurias, rerum omnium egeſtatem evangelium annuntiaturus. Dignus evangelii miniſter, qui propriis ſumptibus Domini vineam excolit, qui ſine querela pondus diei, & æſtus ſuſtinet; fidelis ſervus, qui ſudoribus & ſanguine ſuo agrum, quem colit, irrigat; paſtor bonus, qui ſua ſubſtantia ſaginat ſibi commiſſas oves, quin ex earum vellere quæſtum facere velit; fervens duntaxat miniſter, qui, quin ex meritis gloriam aucupetur, ſe ipſum ſuo impendit miniſterio, quin inde aliud quam Dei ſui gloriam promovere contendat. *Idem*.

In ſtrenuis Imperatoribus admiramur victas gentes, oppida capta, populos iſtorum ditioni ſubactos: quid autem inter hæc omnia humanas excedit vires, quæ augendæ ſunt, prout augetur reſiſtentia, quæ ſuperanda eſt, ut votorum ſummam conſequatis? Sed obduratum cor peccatoris confringere, qui ſuo oblectatur ſcelere; hæretici pertinacis mentem, qui pro errores veritatem accepit, perſuadere; fidei jugum imponere flagitioſo homini in omnes libidines effuſiſſimo, cui non aliud eſt numen, quam cupiditas ſua, nec alia fidei ſuæ norma, quam ratio corrupta; ſubjicere religionis officiis barbarum, qui vix humanitatis ſenſibus patet; hoc unius eſt Dei; hæc opera ſunt omnipotente digna; mutationes ſunt, quæ nonniſi ab Altiſſimi dextera proficiſci poſſunt, & quæ homo, quicumque ille tandem ſit, certo ſibi polliceri non poteſt. *Idem*.

Quam glorioſum ſit animas Deo lucrari.

Quiſnam eorum honor eſt, quos Deus in magnorum id genus operum ſocietatem vocat, quæ non ſolum ſupra omnes humanas actiones elata ſunt, verum omnia etiam Dei opera excedunt? Hæc verba ſunt S. Dionyſii: *Divinorum omnium diviniſſimum eſt cooperari Deo in ſalute animarum*. Quantumvis glorioſus ſit hic cooperatoris Dei titulus, nonne illum meretur Apoſtolus? Si difficultas miraculi, quod perficiendum eſt, ut Deo animas lucremur, cauſa fuit, ut ex omnibus divinis virtutibus hæc propius ad Deum accedere diceretur, nonne quodammodo humanam excedere naturam debemus, ut aggrediamur opus tam difficile, præſertim vero, ſi, quod plerumque accidit, ſine ulla naturali ope illud aggrediamur. *Idem*.

Conſolatio quæ ex animæ converſione percipitur.

Si gravi aliqua in re de republica bene fuiſſetis meriti, & Principis gratiam conſecuti, ſi quem ex amicis ab interitu vindicaſſetis, vel aliquid ſolum fortunæ illius contuliſſetis, vobiſmet clanculum plauderetis, & incredibili lætitia perfunderemini, vel ob juſtæ remunerationis ſpem, vel ob ſolam recte facti voluptatem. Lætamini ergo, & præ gaudio exultate, ſi ita felices eſſe potuiſtis, ut cooperaremini ſalutis alicujus animæ, quæ jam cæleſti gloria perfruitur. Univerſorum Domino illud, quod maximum afferri poſſit, beneficium attuliſtis, atque cumulatiſſimo cum munere donaſtis; vobis gratias debet, & ne dubitetis, quominus & referat. Fratrem veſtrum ex malorum omnium teterrimo eruiſtis, qui, ut accepti beneficii vobis referat gratiam, vos met conatur participes facere boni illius, ad quod ipſi aditum aperuiſtis. *Idem*.

Neque tam reſpiciendum eſt bonum, quod zelus afferre poteſt, quam malum, cui debet mederi. Ignis, quo David conflagrabat, eo magis accendebatur, quo magis intuebatur opprobria, quibus Dei domus afficiebatur. Vultiſne eoſdem ardores experiri? Conſiderate parumper horribilem ſtatum, in quo univerſus orbis, immenſum hoc divi-

divinitatis templum invenitur erga immenſum, & omnipotentem ſpiritum, a quo fuit ædificatus. Magnitudo illius ferme ignota eſt, præſentia ejus oblivioni tradita, & voluntas ejus non adimpleta. Hominum plerique in ignorantiæ, vel infidelitatis tenebris ſepulti ſunt; qui majori præ cæteris lumine pollent, ſuis obſequuntur deſideriis, vel infirmis opinionibus ſuis abditi in viam perditionis excurrunt. Videte humani generis faciem omni ſcelerum genere fœdatam; iniquitatem ubique exundantem, lateque graſſantem, corruptionem palam effuſam, atque in ipſum uſque chriſtianæ religionis ſinum radices jacentem. Eminus proſpicite; videte calamitoſiſſimas gentes, quæ adhuc ſedent in tenebris, & in umbra mortis, ubi impenetrabili providentiæ conſilio in profunda cæcitate demerſi vitam traducunt. Hoc eſt zeli veſtri objectum &c. *Idem*.

Ad quid zelus Apoſtolicis homines impellat, Quotidie auribus noſtris accidit, homines ardenti charitate plenos patriæ ſuæ delicias extremum vale dicere, terras, & maria traducere, atque per ſexcenta pericula in extremas uſque terrarum oras contendere ad animas convertendas, & Jeſu Chriſti imperium proferendum. Ubique terrarum videmus novi id genus Apoſtoli omnibus auxiliis deſtituti, quin fatigentur unquam, operam navare, ut ſerviant ingratis, ut erudiant barbaros, ut obſtinatis perſuadeant hoc uno conſilio, ut Deus ab omnibus illis gentibus colatur; ſemper contumeliis, & odiis parentes eorum, quos ſalvare volunt, ſæpe illorum furori, vel injuſtitiæ expoſiti, dolentes ob crimen, quod committunt idololatræ, a quibus ad cædem rapiuntur, ſed ſe beatos exiſtimantes, quod ſuum offerre poſſunt ſanguinem pro illis, a quibus effunditur, & pro gloria illius, qui effudit ſuum pro illis. *Idem*.

Verus zelus eſſe debet cum manſuetudine conjunctus, O Deus, quænam hæc in re noſtra eſt illuſio! Miniſter evangelicus nonne his temporibus miniſterii ſui prævaricator exiſtimaretur, ſi per ſuaves, amabileſque vias ad divinum paſtorem oves adducere conaretur? Neque ideo putes a me improbari ſanctam hanc ſeveritatem, qua ſemper uſa eſt eccleſia; neque me odiſſe chriſtianam pœnitentiam fidelibus animabus adeo acceptam, peccatoribus adeo utilem, & ſæpe toto etiam inſpectante populo exercitam. Scio equidem, ſcelus probandum non eſſe, ac mollem indulgentiam, temereque adhibitam manſuetudinem parere poſſe graviſſimam perniciem. Utinam videamus veterem illam primævæ eccleſiæ diſciplinam refloreſcere, & canones illius obſervari! Sed nullæne ſunt occaſiones, in quibus clementia, & benevolentia erga peccatorem ſint adhibendæ? Niſi tonitru perſtrepuerit, niſi minæ fuerint intentatæ, niſi fulmina fuerint contorta, nemo ad J. C. revocari poteſt? Nunquid decepti fuere tot Sancti, ubi crediderunt apoſtolici viri munus eſſe ut plurimum in nequiſſimas etiam animas ſanctis artibus, ac illecebris obrepere; nunquid Domine minus gloriam tuam, ſalutemque fratrum ſuorum procurarunt, eo quod ſunt indulgentia? O Domine tua agendi ratio inceſſanter oppoſitum docet, & quo attentius illam ad examen revoco, eo magis mihi perſuadeo, te velle, nos eamdem imitari. *Sermo manuſcriptus P. Stephani Chamillard in Samaritana evangelium*.

Nihil exaggerat, qui dicit, eos, quibus Deus aliquarum animarum ſalutem commiſit, eſſe quodammodo ſanguinis, & meritorum J. C. ſequeſtres. Hic ſanguis, & hæc merita illis cœlum aperuerunt, ac eos illuc debet inducere; ſed eorum, qui ſanctificationi ipſorum invigilare debet, intereſt hæc illis efficere ſalutaria. Nequicquam Dei filius perpeſſus erit, nequicquam mortem oppetierit, niſi animæ illæ præſto fuerint, ut de paſſionibus, & morte illius fructum percipiant. Illæ non erudiuntur, pravo ſuo traduntur ingenio, vitam ducere ſinuntur, quaſi beatæ immortalitati deſtinatæ non eſſent; nonne hoc eſt inferre injuriam Salvatori mortalium omnium, illius miſericordiam contemnere? Dicere poſſumus Salvatorem pluris feciſſe has animas, quam proprium ſanguinem, quandoquidem ad illas redimendas ſanguinem effudit ſuum. Illi, quibus harum animarum ratio reddenda eſt, nonne multo magis reddenda erit adorabilis hujus ſanguinis? Parum ſane Chriſtianus eſſe debet, qui fraudare vult Redemptorem iis bonis, quæ ex cruciatibus, & amore ſuo percipere voluit: & crudelem eſſe, opus eſt, illum, qui proximum ſuum Redemptionis fructu fraudare contendit. Quam rationem patres, domini, ſuperiores, & omnes illi, qui ſtatus ſui vi tenentur fratrum ſuorum ſaluti adlaborare, ſunt aliquando reddituri, & ſanguinis J. C. quem quodammodo injuſte detinuerunt, & infelicium animarum, quibus illum diſpenſare abnuerunt? *Liber, cui titulus: Animadverſiones in varia religionis argumenta &c.*

Mœrore confici non debemus, cum eventus non reſpondet ardori zeli noſtri. Zelus ſuſpicione minime vacat, cum eventus, qui illi non favent, tanto cum mœrore conficiunt, ut animus deſpondeat, & nonnumquam etiam extinguatur. Si rectus eſſet, atque ſincerus, inveniret cauſas, quibus ſe ipſum excitare poſſet in iis, ob quæ mœrore conficitur. Quænam eſt hæc cauſa homini, qui cupit Deum glorificari, & qui gloriæ illius poteſt inſervire? Deus in honore non habetur, illi non ſervitur, gloria ejus contemnitur; igitur non eſt, cur amplius me iis rebus immiſceam, in quibus de illius honore & cultu agitur. Si verum eſſet, hominem hunc Dei gloriam quærere, e contra argumentaretur; quandoquidem alii non admodum flagrant cupiditate gloriam Dei procurandi; quandoquidem omnia, quæ ineuntur, conſilia animo efficiendi, ut ab omnibus colatur, in irritum cedunt, obluctandum eſt contra mortalium & negligentiam, qua Dei obliviſcuntur, & nequitiam, qua illum dedecorant.... Cum aliquis adeo levi negotio deterretur, palam oſtendit ſe magis iis rebus affici, quæ ad ſe, quam quæ pertinent ad Deum. Fortaſſe per ignaviam reformidat laborem; fortaſſe per vanitatem deſiſtit ab opere, quod niſi e voto cederet, illum aliquo rubore ſuffunderet; invidia fortaſſe efficit, ut iniquo ferat animo competitorem, cum quo unanimi, conſtatoque conſenſu agendum eſt. Operi manum admovere detrectat, ideo procul dubio, quia ingenii ſui ratio non ſatis diligens habita fuit, aut quia in opere eodem perficiendo vel non ſolus, vel minus quam alii, eniteſceret. Credendi ſubeſt cauſa, ſecreta quadam ſimultate, ac iracundia bono viro prorſus indigna in otio eum retineri. Verus zelus in actionibus ſuis Deum tantummodo conſiderat, nec minus unquam languet, quam cum Dei gloria magis periclitatur. *Idem*.

Zelus falſus, & cupiditate minime vacuus. Non deeſt zelus ad tuendam diſciplinam, neque reformidat aliquis illum licentiæ, & ſæculi nequitiæ opponere; ſed ſæpe fallimur; hic enim diſciplinæ zelus, alioquin adeo laudabilis, & neceſſarius, nullis nobis ſtat ſumptibus in colloquiis, in cœtibus, in libris, in ipſis etiam ſuggeſtibus, publiciſque concionibus; intra hos fines illum continentes nullum percipimus incommodum, e contra vero illum nobis honori vertimus, & abuſus eo uſque procedit, ut licentia ipſa hunc loqui ſermonem conſueverit; hac enim lingua omnes vulgo utuntur, artemque invenimus hæc omnia impune efficiendi, dummodo ſevere loquamur. Ulline unquam viſi ſunt hypocritæ hac arte fulciri, ac humano generi imponere? Nonne quotidie perditos homines audimus eloquenter verba facientes de reformatione, ad morum cenſura? Dolus hic jam adeo communis eſſe cœpit, ut vix aliquis eo decipiatur. *P. Bourdaloue ſermone de evangelica ſeveritate*.

Magna gloria eſt animas Deo lucrari. Sanctus Cyrillus Alexandrinus affirmat, unam Deo animam lucrari, unum illud eſſe, de quo hoc in mundo gloriari poſſimus, & quibuſcumque laboribus confici poſſimus, gaudium ex unius animæ, cujus quæſtum fecimus, ſalute profectum debere omnibus laboribus noſtris oblivionem inducere. Hæc illa ovis eſt, quæ deerraverat, & quam humeris impoſitam paſtor refert in ſepta: hæc illa drachma eſt, & margarita reperta. Poſt labores ad finem hunc

exant-

Digitized by Google

enuntiatos lætandum magis eſt, quam dolendum. *Auctor Anonymus.*

Quamvis animæ omnes nobis æque jucundæ eſſe debeant, quia coram Deo ſunt æque pretioſæ, dicere nihilominus poſſumus, quod Deo inſignes auctoritate viros lucrari, eſt plures ſimul lucrari; quaſi principibus, nobilibuſque vitis plures veluti annuli adhærerent, ita ut uno eorum pertracto alii tamquam in catena ſubſequerentur. Purpura eorum, vetus quidam auctor dicebat, occultam vim habet, qua plurimos ſecum trahunt. Quocumque illi ſe vertant, magni proculdubio ſit ponderis acceſſio; cum damnantur, ac miſere pereunt, rebellem imitantur Angelum, qui lapſu ſuo tres cœli partes ſecum pertraxit; verum ubi feruntur in bonum, plures ſuo illuc attrahunt exemplo, & magnifica ſtipati caterva in cœlum proficiſcuntur. *Auctor Anonymus.*

Qui ſeſe devovet Deo, alios quoque illuc ferre pro viribus debet.

In natura mirum eſt videre, cum illa ad operis alicujus productionem incumbit, ad illud etiam extendendum, atque multiplicandum incumbere. Nullus unquam efformatur fructus, quin ſimul efformetur & ſemen ad illum iterum producendum. Verum œconomia hæc æque ſaltem admirabilis eſt in gratia; hæc nunquam format animam, eamque novam efficit in Jeſu Chriſto creaturam, ut cum S. Paulo loquar, quin illum ſimul diſponat eodem momento ad communicandum vel per exempla, vel per ſermones eſſe illud ſupernaturale, quod accepit. Statim ac Andreas Jeſum Chriſtum agnovit, hunc Petro fratri ſuo tradidit cognoſcendum; ſimul ac eumdem Philippus invenit, hic ad illum Nathanaelem adduxit; mulier Samaritana, quam nuper converterat, ne uno quidem momento continere valens ignem, quo cor ſuum æſtuabat, currit, ut igne eodem totam civitatem ſuccendat: *Venite, & videte.* Illi omnes, quos gratia Jeſu Chriſti amore accendit, zelo quidem flagrant, non zelotypia. *Fromentieres Sermone in Samaritana evangelium.*

Zelus vitare debet nimiam ſeveritatem, & nimis mollem indulgentiam.

Nihil adeo periculoſum eſt, quam malum, cui falſi zeli accedit auctoritas, quam erroris amor ſub ſpecie vitæ frugi, quam arcta morum diſciplina cum fidei licentia conjuncta; ſed ſi charitati opponatur ſeveritas, cum hanc ſpiritus manſuetudinis non moderatur, manſuetudo ipſa quibuſdam in occaſionibus non minus eidem opponitur, cum deeſt illi ſeveritatis acceſſio, quoniam tendit ad ordinis relaxationem vel nimia indulgentia, vel pavida regendi ratione. Et ſane clementia pernicioſa eſt, ubi ſeveritate opus eſt, & ſilentium noxium eſt, cum eſt loquendum. Prævaricator eſt, qui in occaſionibus tacet, ubi correptio, & objurgatio ſunt prorſus neceſſariæ. *P. Rapin in libro de perfectione chriſtiana.*

Zelus Apoſtolorum.

Viſi ſunt Apoſtoli hoc ſpiritu acti univerſum terrarum orbem peragrare, ut evangelium omnibus populis annuntiarent; ardentes arenæ Æthiopiæ, Africæ deſerta, Scythiæ frigora, remotiſſimæ Indiarum plagæ, maria, procellæ, ſcopuli, calumniæ, populorum contradictiones, oppoſitio legum, omnes ſæculi poteſtates cum catenis, crucibus, carceribus, ſæviſſimiſque cruciatibus non potuerunt zelum eorum deterrere, & cordis conſtantiam labefactare. Non deſunt ad hanc quoque diem, qui eorum veſtigia ſequantur nil metuentes; diceres illos periculis animari, laboribus confirmari, ipſaque infirmitate ſua roborari; zelus enim, quo aguntur, efficit, ut hæc ab ipſis contemnantur, cum de proximi ſui ſalute agitur. *Idem libro de ſpiritu Chriſtianiſmi.*

De viris Apoſtolicis, qui adhuc videntur.

Videntur adhuc noviſſimis hiſce temporibus ſacri hujus ignis ſcintillæ in Apoſtolicis viris, qui in extremas terrarum partes concedunt ſudoribus, & cruore ſuo irrigaturi ingratas, ſterileſque terras, ut illis cœli benedictiones promereantur, efficiantque, ut ibi chriſtiana religio floreſcat. Sed hujuſmodi gratiæ pro omnibus non ſunt; hæ ſunt miſericordiæ Dei, & hæ miſericordiæ magna ſunt miracula. Beatus ille, qui in animarum regimine aliquam ſaltem perferre meretur perſecutionem, cum dignus non eſt, qui propriæ vitæ ſumptibus ſuo proximo ſerviat. Hic eſſe debet maxime familiaris bonorum omnium zelus, gemere coram Deo, atque pro mortalium omnium ſalute nuncupare vota, ne Salvatoris mors illis inutilis fiat. Verus enim Chriſtianus totam zeli ſui extenſionem non debet in arcto perfectionis ſuæ ambitu continere; debet enim pro viribus adniti, ut alii quoque ſalutem, & perfectionem aſſequantur.

Zelus, quem omnino eximie habuit Dei filius.

Circumſtantia notatu digna in zelo Salvatoris erat, quod ille animæ unius ſalute ita commovebatur. Minima ex ovibus ſuis illi erat acceptiſſima; nullam neglexit uſquam. Videte illum unius Samaritanæ mulieris converſioni intentum; videte quidquid illi ſua charitas ſuggerit, ut fœminæ oculos aperiat, & moveat cor. Incipit ille quidem ſenſim in animum ejus irrepere, illam deducit ad errorum ſuorum cognitionem, accenditque in illa cognitione majus boni, quod nondum agnoſcit. Mulier hæc illuminatur, convertitur, ipſa etiam prædicat Jeſum Chriſtum. Una igitur mulier fuit objectum charitatis J. C. Hic nobis oſtendit, ſe hujus converſionem inſignis victoriæ loco habuiſſe, longe alia ratione ab illis, qui magna auditorum ſtipati eſſe volunt corona, quibus nonniſi illuſtres ſapiunt actiones, qui eorum dumtaxat adlaborare volunt converſioni, qui vel genere, vel opibus elati ſunt, qui crederent ſe tempus amittere, ſi in ſecretum, abditum, ignotumque concederent locum quæſituri animam in hominum oculis quidem abjectam, ſed in Jeſu Chriſti oculis pretioſam, & quæ ideo fortaſſe languet in tenebris, quia nunquam ipſi lumen oſtenſum fuit. *Lambert tomo 2. ſermonum de vita eccleſiaſtica ſerm.* 15.

Jeſu Chriſti ſanguis effuſus nobis oſtendit, quantum ſit animæ pretium, quanti a Deo hæc fiat, atque diligatur. Hoc in nobis zelum excitare debet iis in miniſteriis, quæ ſalutem animarum reſpiciunt; hoc efficere debet, ut cum fervore inquiramus occaſiones eidem cooperandi, & quomodo opus eſt, ut charitas Chriſti nos urgeat: *Charitas enim Chriſti urget nos.* 2. Cor. 5. Numquid detrectare poſſumus nos cruorem noſtrum pro illo effundere, pro quo Dei filius totum effudit ſuum? Renuere poſſumus vitam noſtram propter Dei amorem impendere, qui propter amorem noſtri impendit ſuam? Quid videbo animam jamjam perituram; videbo illam jamjam in infernum prolapſuram; cogitabo Deum mortuum eſſe, ut illam redimeret; illam vitæ meæ ſumptibus ſalvare potero, nec faciam? Hoc mihi per charitatem licere non poſſet. Zelus animarum ſingulis momentis cor noſtrum debet inflammare, hic ſemper eſſe debet noſtra potiſſima cura, non ſecus ac præcipua erat Apoſtoli cura. *Rodriguez.*

De zeli præſtantia & merito.

Zeli præſtantia talis eſt, ut a S. Dionyſio de cœleſt. Hierar. cap. 3. opus diviniſſimum appelletur: *Divinorum omnium diviniſſimum eſt cooperari Deo in ſalute animarum.* Et S. Gregorius homil. 12. in Ezech. affirmat, nullum hoc jucundius eſſe Deo ſacrificium: *Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum.* Ratio vero ex D. Thom. lib. 4. contra Gentes cap. 55. deſumitur, aſſerente nil in terris majus eſſe anima hominis; hæc enim præſtantiſſima eſt omnium creaturarum. Hoc maxime inſigne opus eſt manuum Dei, & vivens ejus imago, quæ a malorum omnium maximo, morte videlicet liberatur, ut ſupremo bono perfruatur. Quapropter hæc actio tanti meriti eſt, ut licet omnia bona, opeſque tuas pauperibus erogares, licet corpus jejuniis, ciliciis, & qualibet aſperitate caſtigares, hæc omnia ne procul quidem accedunt ad eam gloriam, quam Deo procurantes eidem animas lucratus. Et profecto ſi corporalis eleemoſyna eſt ita Deo accepta, atque tot promeretur benedictiones exercenti illam; quid

quid tandem cogitandum erit de eleemoſyna ſpirituali, quæ tantum præſtat, quantum anima corpori? Hæc eſt S. Gregorii argumentatio. *P. Saint Jure in libro de cognitione, & amore Domini noſtri.*

Exprobratio ad eos, qui negligentia ſua animas perire ſinunt, quod illis non opitulentur.

Non poſtremus inter effectus, quo zelus producit in illis, qui aliqua ſacri hujus ignis ſcintilla incaleſcunt, & juſtam ciere indignationem in eos, qui animarum interitu non afficiuntur, eoſque ad dicendum impellere cum S. Paulo, qui pati nequit hanc nefariam inertiam in illis, qui per ſcandalum ſunt occaſio lapſus eorum; *Peribit in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt?* 1. ad Cor. 8. Quid Quieſcis videns perire fratrem tuum, pro quo J. C. vitam ſuam tradidit, ſuumque cruorem effudit? *In tua ſcientia.* Scis illius ſalutem periclitari, eo quod a nemine eruditur, & admonetur; & quin illius calamitatem miſerearis, ita parum moveris, perinde ac ſalus illius tibi nullo eſſet in diſcrimine? Indigne miniſter, & Apoſtole miniſterii tui prævaricator! Anima illa peribit; ſed ex quonam repetet Deus rationem interitus ejuſdem, niſi ab eo, cui ſalutem ejus crediderat? *Auctor Anonymus.*

De zelo acri, & nimis ſevero.

Satis liquet zelum facile acceſcere; ventum hunc, quem Spiritus Sanctus excitat, nonnunquam in turbines immutari; ignem hunc abſumere, ac devorare, qui calefacere tantum deberet. Videre Prophetam Eliam; hic de peccatoribus tantum exterminandis verba facit, fulmina in illos de cœlo detrahit; Dei injurias triennii ſterilitate, omniumque pſeudo-prophetarum nece perſequitur. Impetus hujuſmodi ferendi erant, & fortaſſe etiam neceſſarii in lege auſteritatis, ſed longe alius eſt ſpiritus evangelii. Verum eſt; Salvator ignem tulit in terram; *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* Luc. 12. Vultum hunc ardere, ſed ignis hic accendi debet ſpiritu amoris, & manſuetudinis, non autem vehementi flatu ſeveritatis. Imitandus eſt David, qui Abſalonem perſecutus vitam illius incolumem ſervare ſtudebat. Meminiſſe debemus, Salvatorem cum adverſus templi prophanatores excanduit, menſas quidem, merceſque eorum evertiſſe, perſonis autem pepeciſſe. Utinam quicumque ad Apoſtolica vocantur miniſteria, zelum hunc haberent fortem ſimul, & lenem violentum, atque tranquillum; ardentem, & eminenti divinæ charitatis ſcientia illuſtratum; zelum, qui ut ille Sancti Petri, occidit, & manducat: *Occide & manduca*, qui occidit monſtra, ut in rationales homines convertat, qui occidit ſerpentes, ut in columbas immutet, qui occidit peccatores, ut ſanctos faciat, qui occidit inimicos Dei gladio timoris, ut amoris ſpiritu cum eodem conjugat. *Sermo manuſcriptus.*

Zelus mixtus eſſe debet cum indulgentia.

Hi homines zelo ſuccenſi, qui tantum edunt tumorem, ac nullum ſervant modum; hi devoti, qui ob minimas quaslibet noxes conclamant, qui ex rebus omnibus ſcandalum ſumunt, qui omnia eadem metiri volunt menſura; hi, inquam, devoti optimam habent intentionem, non diffiteor; verum non hic eſt zeli chriſtiani character; & magna infertur injuria pietati, quæ adeo rationabilis, ac ſapiens eſt, ſi brutum mortalium furores, ac imprudentia illi referuntur accepi. Verus zelus neque impetum habet, neque tumultum; prudens, & moderatus eſt; ſcit commoda fandi tempora eligere, ut blande in animos irrepat; tenee eſt, & compatiens; neque ſemper prolixiori oratione, ſed opportuna indulgentia, & gratificatione, ſed prudenti uſu auctoritatis, quam in alios obtinet, & confidentiæ, quam alii habent in ipſo, bonis præſertim exemplis maximum quemlibet effectum conſequitur. *P. de la Colambiere in chriſtianis conſiderationibus.*

Qui zelum habent, hoc facile intelligunt. Vide, utrum flagres hoc igne, qui illuminare, fovere, inflammare quærit univerſum mundum eodem ardore. Num te miſeret excidii eorum, qui pereunt? Aliquandone lacrymis proſecutus es malorum Chriſtianorum cecitatem? Ægrene fers Deum parum ab hominibus agnoſci & parum amari? Quid conaris, ut agnoſcatur, & ametur? Non quæro, utrum aliquid audeas cum S. Pauli laboribus comparandum; hoc unum quæro, utrum in aliquo ex amicis, vel ſaltem familia tua pietatem ſtatuere adniſus unquam fueris. *Idem.*

Modus, quo aliquid proximorum ſaluti conferre poſſit.

Habemus fratres ſecundum ſpiritum, habemus etiam ſecundum carnem, qui eo, quo loquor, momento in corruptione verſantur. Vult illos reſuſcitare Deus per gratiam, ſed reſurrectionem hanc a nobis obtinere vult: vult noſtris precibus, lacrymiſque cogi ad eamdem illis largiendam; alioquin enim ſæpe non placet illis magnæ ſuæ miſericordiæ, quæ converſionis improborum debet eſſe principium, theſauros aperire. Ita etiam cum aliquibus peccatoribus egit. Niſi S. Stephanus pro S. Paulo, & S. Monica pro S. Auguſtino preces fudiſſent, fortaſſe illi nequaquam inter Sanctos a nobis colerentur. Opus erat, ut mater illa zelo ſuccenſa novos partus dolores ferret, iterum genitura filium hunc Cruci JESU CHRISTI; & ut Martyrum ille anteſignanus ſuum impenderet ſanguinem, ut perſecutorem illum converteret. Non Paulus, neque Auguſtinus poterant adhuc pro ſe deprecari; aliorum intererat hoc illis officium præſtare, qui ſi hoc frigide præſtitiſſent, fortaſſe magna hæc duo eccleſiæ lumina tenebris infidelitatis obruerentur. *Bourdaloue in primis ſermonibus ſub ejus nomine editis, ſermone de reſurrectione Lazari.*

Nihil glorioſius quam aliquid conferre ad ſalutem animarum.

Quid fieri poteſt, ex quo major Deo gloria cedat, quam aliquid ad ſalutem animarum conferre? Hoc enim, ut ita dicam, idem eſt ac ipſum ſalvare Deum, ut ipſe per Prophetam teſtatur: *Ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Iſai. 49. Si enim JESUM CHRISTUM inviſo captivos inviſens, ſi hunc nutrio pauperes nutriens, ſi huic facio, quidquid minimo ex ſervis illius facio, quemadmodum ille in evangelio, non ne ſalvans ſciens peccatores ipſum ſalvum facio? *P. Rapin. De ſalutis momento.*

Quilibet poteſt, & debet exercere zelum hunc ſecundum ſtatum ſuum.

Prima, & maxime univerſalis zeli praxis in hoc ſita eſt, ut ardenter cupias Deum ab omnibus mundi nationibus agnoſci, atque ad id ſaltem tua nuncupes vota. Hanc primam voco praxin, niſi enim ardente hoc inflammaris deſiderio, vel nequaquam, vel nequicquam, aut ſaltem parum utiliter gloriam Dei procurabis. Hanc etiam univerſalem dico praxin; quis enim ſancto hoc ardore flagrare non poteſt? Rex in ſolio dicere poteſt cum David: *Zelus domus tuæ comedit me.* Solitarius in ſpeco ſuo pro infidelibus, atque hæreticis obtinere poteſt gratiam converſionis; jugibus gemitibus urgere poteſt dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam, & quemadmodum Joſue cum hoſtibus populi Dei acie decertans nequaquam retuliſſet victoriam, niſi Moyſis oratio illi tuliſſet opem, ita evangelici præcones minores efficerent progreſſus, niſi Solitarii conjunctis viribus opitularentur ferventes preces effundendo. *Auctor Anonymus.*

Perſecutiones, quas evangelici miniſtri patiuntur, & ipſis, & Eccleſiæ gloriæ ſunt.

Nihil eccleſiæ vel utilius eſt, vel glorioſius perſecutionibus, quibus miniſtri illius exagitantur. Nihil magis probat evangelii veritatem, quam paſſiones eorum, a quibus prædicatur, & qui illud ſuo ſignant cruore. Indignus eſt hoc miniſterio, qui paratus non eſt omnibus malis perferendis, ut eire eodem perfungatur, & qui ea fugit, quæ in eadem perferentium gloriam cedunt. Verus Apoſtolicorum virorum character eſt audacter hujuſmodi in occaſionibus ſuam vitam objicere ... S. Chryſoſtomus facere nequit, quominus in illis vim chriſtianæ charitatis agnoſcat, quam nulla res poteſt labefactare. Apoſtolus in ipſis etiam vinculis, atque carceribus non obliviſcitur omnium eccleſiarum, quas ipſe inſtituit, omniumque fidelium, quos ipſe convertit. Videntur hæc *viſcera JESU CHRISTI*, in quibus eos ſalvos cupit, eidem præbere *viſcera talentia*; ut S. Chryſoſtomus inquit, quæ

omnem

omnem exoperant ardorem, ad quem naturalis amor poteſt pervenire. *Liber, cui titulus: Chriſtiana documenta &c. in vigeſimam ſecundam Dominicam poſt Pentecoſten.*

Zelus ſalutis proximi efficere non debet, ut ſalutem noſtram negligamus. Omnes animæ nobis charæ eſſe debent; noſtra vero pretioſior, quam cæteræ ſimul: nobiſque ante omnia omni contendendum eſt niſu, ut ſalvemus eam, & quamvis de communi mortalium omnium ſalute ageretur, nequaquam deberemus noſmet æternæ damnationi objicere, neque vel minimum gratiæ, vel divini amoris gradum amittere. Ita væ nobis, ſi aliena procuraturi negotia neglexerimus noſtra! Væ lampadibus, quæ facem præferentes hominibus abſumuntur, atque intereunt! Væ rivulis, qui omnem, quam recipiunt, aquam refundunt, & nihil ſibi retinent! Væ ſpeculis ardentibus, ſimulque frigidis, quæ ſolares radios recipiunt, eoſque vel permeare ſinunt, vel reflectunt, quin ne unum quidem ſibi retineant, quæ molliunt, quidquid duriſſimum eſt, calefaciunt, quidquid frigidiſſimum, quæ omnia accendunt, & quæ nihilominus remanent frigida inſtar glaciei. *P. le Valois epiſt. 7. de receſſu.*

magnus Apoſtolorum zelus poſtquam Spiritum Sanctum receperunt. De quo Apoſtoli artem, quam profitebantur, reliquerunt Salvatorem ſecuturi, hujus evangelium in extremas uſque terrarum plagas pertulerint, quin in toto vitæ ſuæ ſpatio unquam ab incœpto deſiſterent. Charitas hæc, quæ diffuſa fuit in eorum cordibus, cum Spiritus Sanctus datus eſt illis, illic ignem accendit, quo univerſus terrarum orbis conflagrare poſſit. Nequicquam Imperatores minis, & cruciatibus conantur illos a Domini ipſorum cultu amovere, neque enim aliud reddunt, niſi quod: *Non poſſumus, quæ vidimus, & audivimus non loqui ... Et convocantes Apoſtolos cæſis denunciaverunt, ne omnino loquerentur in Nomine Jeſu, & dimiſerunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Omni autem die non ceſſabant in templo, & circa domos docente, & evangelizantes Chriſtum Jeſum.* Itaque quodcumque tentatum fuit, ut zeli eorum ignis extingueretur, illi ſemper vires, recentemque calorem adjecit. *Abbas de Monmorel Dominic. 4. poſt Pentecoſt.*

Rara purus, & integer zelus invenitur. Quidquid adnitamur, ſemper ad nos ipſos redimus, & perrarum eſt invenire zelum amore proprio prorſus vacuum; perrarum eſt invenire zelum, cujus anima veluti quædam non ſit naturalis noſtra cupiditas. Nobiſmet perſuadamus, aliiſque perſuadere conamur, a nobis nihil aliud inquiri præter Dei gloriam, & ob unam hanc nos operari; verum ſi in zeli noſtri exercitatione Deo uni placere cupimus, cur hoc manus relinquere detrectamus, cum eorum, a quibus regimur, voluntas nobis oſtendit, Deo nequaquam placere, ut ulterius in eodem verſemur? Eſt magnum habere zelum, velle per te ſolum fieri id, quod plores occupare poſſet: verum ſi in hac laborum multitudine propter Deum tantummodo operaris, mirum eſt, te ita attentum eſſe, ac ſollicitum, ut omnes palam intelligant, quot laboribus te ipſum exerceas, ac inani ſudorum tuorum oſtentatione indignam, inutilemque miſerationem emendices. Sæpe omnia facere vis, & ſolus omnia; numquid fortaſſe, quia formidas competitorem, ac metuis, ne diviſi ſint plauſus, ſi alter tecum labores partiatur? Et profecto ſi Dei gloriam tantummodo quæris, quacumque via illa procuretur, debes eſſe voti compos; atque certiſſimum falſi zeli argumentum eſt cum animi ægritudine, & invidia quadam felices aliorum eventus reſpicere. Bona opera, quæ ſunt inſigna, ſuſpicione vacare non debet, cum noſtræ ſunt optionis. Amor proprius ſubtilis eſt; & ſuperbia fere ſemper naſcitur modum ſibimet ſatisfaciendi piæ intentionis ſpeciem prætexens. *Idem.*

Non deſunt, qui ob inordinatum O Deus! quam terribilem infelicitatem, ſi poſtquam plurium prædeſtinatorum ſaluti fuerimus cooperati, ad vitæ exitum ex ſupremi rerum omnium arbitri ore audituri ſumus nos reprobatos eſſe, funeſtumque feciſſe naufragium poſtquam, ut ita dicam, aliis opem tulerimus, ut in beatæ æternitatis portum trajicerentur, infelices id genus Apoſtoli eruditus quidam vir ait, nequeunt melius comparari, quam iis, qui Noeticam extruxerunt Arcam, qui poſtquam diu labores perpeſſi ſunt, ut alienæ ſaluti aliquid conferrent, primi fuere, qui diluvii fluctibus obruti miſere interirent. *zelum alienæ ſaluti cooperantes damnantur.* Hoc iterum, iterumque cogitandum eſt ab illis, qui propter zelum, vel officium alienæ invigilant incolumitati, ne hoc miniſterium, ſanctumque munus vitæ ſuæ impuritate dedecorent, & meminerint ſe dignos præbere debere, quibus Deus loquatur, & quos erudiat, antequam aliis prædicandi, alioſque edocendi provinciam aggrediantur. *Liber, cui titulus: Dialogi Joannis Abbatis, & Euſebii presbyteri.*

Ex S. Bernardi ſententia non ſufficit eos, qui ad munus adeo ſanctum aſſumuntur, communem habere virtutem. Sanctitas eorum eſſe debet plena, & ſuperabundans, ipſique, ut Propheta inquit, induti eſſe debent juſtitia. Aliter, hic Pater ait, hoc eſt ſeipſum exinanire velle, cum periculoſæ feſtinationis effectu extrinſecus temere effundi, cum vix ſemiplenus es, neque expectas, donec omnino plenus ſis ſpiritu Dei. Ut igitur hac in re prudens hoc ſequaris conſilium, cavendum eſt, ne imiteris rivolum eodem fere momento emittentem aquas, quo eaſdem recipit. Fontis alveus imitandus eſt, qui aquas ſuas nonniſi plenus effundens id dat, quod ſibi ſuperfluit, quin ulla jactura afficiatur. *Idem.*

De zelo amaro, & nimis ardenti. Zelus hic ardens, nimiſque durus, qui exſiccat, ac devorat, quocumque ſe effundit, palam oſtendit quotuplicem perſonam gerat illuſio. Fruſtra oſtendis, accenſam bilem, aduſtum ſanguinem, ingenium acre, & moroſum majorem ſibi vendicare partem hujus ſpecioſæ ſeveritatis, quam manſuetus ſpiritus Jeſu Chriſti. Cordis illuſio prævenit; non auditis; ob oculos habent Eliæ zelum, & quidquid contrarium exhibetur, vocatur mollities, & damnabilis indulgentia, prævaricatio, relaxatio. Severitas non ſemper illis eſt incommoda, qui hanc aliis prædicant. Sæpe ſibimet indulgent eo uſque, ut ſibi graviora condonent vitia, ab aliis religioſiſſimam exigunt regularitatem ... Sæpe amarus hic zelus ſeſe in querimoniam, & murmur effundit. Heu! Charitas inveniturne in corde exacerbato, ac inflammato contra vitia, quæ aliquando ſunt tantum commentitia? Si corrigendi ſunt abuſus, ſi errores reprehendendi, relinquamus patriſfamilias curam vineæ ipſius, quam ſupremus Dominus non credidit nobis. Noverit ille triticum a lolio ſecernere, atque a conductoribus ſuis commiſſi depoſiti rationem expetere. Quænam illuſio eſt æternum contra licentiam, aliénoſque mores declamare, & numquam morum ſuorum reformationi animum appellere! Si zelum habemus, cur circa externum tantummodo objectum inſudamus? Nobis ager noſter excolendus eſt, & in hoc ſatis laborandum eſt, quin negotium nobis faceſſant ſpinæ, quæ in alieno naſcuntur. Numquamne detegetur verum principium hujus zeli duri, & amari, qui querelis tantum, & murmurationibus, improbiſque interpretationibus paſcitur, & qui in fel, exprobrationes, ac cenſuras ſe tantum effundit? *P. Croiſet tom. 2. conſiderationum aſceticarum.*

Rationes diverſæ, quæ zelum animarum nobis inſpirare debent. Ad eos, qui ſancto hoc funguntur munere, excitandos, ut in animarum ſalutem ſtudium omne, omnemque operam impendant, & ad ſeieadum in illis ardentem zelum, qui ad effectum hunc eſt neceſſarius, quæ validior afferri poteſt ratio, quam meminiſſe hoc eſſe cum Dei filio operari, labores, ſudoreſque ſuos cum laboribus, ſudoribuſque Dei commiſcere, ac ſupplere iis, quæ deſunt paſſionibus Dei, videlicet per applicationem earum, quæ fit privatis. Qualis honor eſt in ſocietatem laborum vocari, ut auxiliemur Deo in hoc divino converſionis

opere, & efficiamus, ut ſanguinis ſui fructu fruatur? *Dei adjutores ſumus*. 1. ad Cor. 3. Præſertim vero quodnam conſolationis argumentum illi, qui aliorum ſalutem procuraverint, atque, ut loquitur evangelium, curis, ac monitis ſuis Deo fratrem ſuum lucrati fuerint: *Lucratus eris fratrem tuum*. Matth. 18. Proh curas glorioſas! labores ſolatio plenos, atque beatos! etenim, ut S. Cyrillus ait, animam lucrari illud eſt, quod nos coram Deo magno facere poſſit, & hæc ſola unius peccatoris convertendi cogitatio, cumque ex mundi flagitiis eripiendi, atque in ſalutis viam deducendi efficere debet, ut nullo in diſcrimine graviſſimas quaslibet ærumnas habeamus. Verum quid dico? Iſta cogitatio nos gaudio debet replere, quemadmodum teſtatur Apoſtolus 2. ad Cor. 7. *Superabundo gaudio, repletus ſum conſolatione*; & ad exemplum illius & Franciſcus Xaverius; exulto gaudio, & cor meum præ lætitiæ magnitudine ſui compos non eſt. Sin autem ex illis cauſam ſciſcitamini, aliter quidem reddet, ad Titi adventum ſe cognoviſſe, quo animo affecti eſſent Corinthii, quos ipſe ad fidem converterat; alter vero reſpondebit ſui gaudii cauſam eſſe uberem illam animarum meſſem, quam in recens detectis terrarum plagis faciebat. Et ſane merito; hæc enim illa ovis eſt, quæ perierat, & quam bonus Paſtor inventam, humeriſque impoſitam ſuis reducit in ſepta; hæc drachma eſt evangelica feliciter reperta, quæ congratulationes expectat; hic eſt filius Prodigus, qui ad parentis optimi ſinum revertitur non ſatis exprimere valentis lætitiam, qua ex reditu ejus perfunditur. *Gaudere, & epulari oportebat; perierat, & inventus eſt*. Luc. 15. Sed quænam erit conſolatio, lætitia, triumphus in cœlo, cum illic videbimus animas, quas eo ipſi adduxerimus? Tunc erunt gaudium, & corona noſtra, quemadmodum S. Paulus ad Philip. 4. eas vocat, quas ipſe convertit: *Gaudium meum, & corona mea*; eaſque Dei filio offerentes dicere poterimus, quod ille Patri: *Hi ſunt, quos dediſti mihi*. Joan. 17. Ecce, Domine, fructus laborum meorum, quibus benedictionem tuam impertiri dignatus es; hic fructus eſt talenti mihi concrediti, & provinciæ, quam mihi commiſiſti, curam, &c. *Ex ſermone manuſcripto Auctoris ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta*.

Quo animo effecti eſſe debeant, illi, qui in miniſterio converſionis animarum adhibentur.

Ad ſatis digne obeunda glorioſi miniſterii, ad quod pro ſalute proximorum vocati ſumus, munera ſemper meminiſſe debemus nos, ita Dei ſocios eſſe, ut ejuſdem inſtrumenta tantummodo ſimus; ideoque nos ab eo vim omnem mutuari debere: Mira enim illuſio eſt credere, eloquentia tantum opus eſſe, ingenio, ſcientia officio, non injucundo oris habitu, ut nobis hoc in munere omnia feliciter cedant; vel arbitrari, poſtquam tibimet optimam concionum ſupellectilem comparaveris, necnon validas argumentationes, & ſchemata ad animos flectendos idonea repereris, tibi ſatis roboris, viriumque fore, ut omnia civitatis vitia perſequaris: hæc arma quidem magno eſſe poſſunt auxilio, nec diffiteor: ſed vis, ac virtus ſupernaturaliter agendi in animas undenam expectanda eſt, niſi a prima cauſa per unionem, quam cum eadem habebimus, oratione, ac virtutibus, quæ ad tantum hoc munus obeundum ſunt neceſſariæ? Nequaquam. Neque eloquentia tua hanc commovebit animam, neque argumenta tua perſuadebunt illi, ut e ſcelerum ſuorum ſordibus emergat, neque ingenium tuum efficiet, ut revertatur ad Deum; ſed Deus ipſe, qui ad maximos quoslibet effectus operandos humillimis etiam utitur inſtrumentis, tua utitur humilitate, obedientia, ac præſertim fidelitate, qua gratiæ motibus velificaris; ita ut homo divino animatus ſpiritu, cujus virtus, ac poteſtas ſunt a Deo, propter Deum omnia poſſit efficere. *Idem*.

Heu! cum ſubinde mecum reputo ea, quæ Apoſtoli, eorumque ſucceſſores in ipſo Eccleſiæ ortu fecerunt; cum cogito modum, quo Eccleſia hæc inſtituta fuit, & decem, vel duodecim piſcatores univerſam terrarum faciem immutaſſe, idola ſubvertiſſe, religionem veram conſtituiſſe, populos, integraſque gentes convertiſſe: quare, hæc mecum tacitus, illi tantum fecerunt, nos vero, qui iiſdem muneribus perfungimur, adeo parum proficimus? Nonne quia non iiſdem utimur mediis? Si ſcientia tantum, ingenium, aliaque requirerentur talenta, non pauci invenirentur adhuc, qui Apoſtolicis primorum temporum hominibus nequaquam cederent; ſed nobis non ſunt eædem virtutes, quæ zelum hunc potentem, victoremque efficiunt, neque eadem noſtrummet ipſorum abnegatio, hæc mortificatio affectuum, hic rerum omnium contemptus? &c. zelum noſtrum nequaquam tuentur. *Idem*.

Nobis magna in cœlo erit gloria videntibus ibi animas quæ opera noſtra eo pervenerunt.

Præclarum ſpectaculum videre aliquando has animas, quas Dei filio offeremus! Quanam voluptate eriſtimatis illum excepturum aliquando munus hoc, & auditurum hæc verba, quæ illi dicemus: Ecce, Domine, fructus laborum meorum, quibus benedictionem tuam impertiri dignatus es; ecce lucrum, quod retuli ex talento, quod mihi in quæſtu ponendum credidiſti. Nequaquam illud humi infodi, ſed inde quæſtum cepi; illud inutile non reddidi, ſed inde quam maximam referre utilitatem adniſus ſum. Tu illud mihi dediſti tamquam particulare bonum, illud nunc tibi reddo tamquam publicum; tu illud mihi tradidiſti, ut ſanctificaret, ego vero illud tibi reddo in tot peccatorum converſione. *Sermo Manuſcriptus*.

Salutem ſuam operatur, qui cooperatur alienæ.

Suam, & proximi ſui ſalutem curare duo ſunt adeo arctis inter ſe vinculis conjuncta, ut ſeparari minime poſſint, & alienam procurare ſalutem ratio fere certiſſima ſit ſuæ conſulendi. Si enim Jonathas olim morti addictus Patris ſui judicio, eo quod extrema virga mellis favum guſtaſſet, cum victoriam adverſus Philiſtæas perſequeretur, populo deprecante, qui cum virtute illius ſalutem obtinuiſſet, coegit regem, ut adeo ſeveram abrogaret ſententiam, periculo liberatus fuit: certum eſt, quodcumque ſcelus peccator patraverit, quamcumque ſententiam Deus iratus in illum proferre velit, ſi ille ita felix extiterit, ut animarum ſaluti contulerit aliquid, iſtæ ſeſe offerent ad divinæ majeſtatis tribunal miſericordiam flagitaturæ, & clara voce clamabunt, non ſecus ac Populus a Jonatha ſervatus, æquum non eſt eum mori, qui tot alios ſalvos fecerit. *Cardinalis de Richelieu in libro de perfectione Chriſtiana cap.* 1.

Quid ſit zelus ſalvandi animam.

Animam ſalvare non eſt ſolum illi viam cœli oſtendere, ſed eſt quam diligentiſſime illam deerrantem inquirere; eam procraſtinantem patienter expectare, illam in vitia ſua relabentem ferre; eum charitate infirmitatibus ejus afferre ſolatium, & cum gaudio eam humeris geſtare boni paſtoris inſtar, ubi ſemel de perditionis via fuerit amota... Animarum ſalus eſt opus filii Dei, vos organum illius eſtis, & ſcitis non agere inſtrumentum, niſi quatenus adhæret manui artificis, a quo movetur. Sine illo nihil poteſtis facere: ſequimini motum ſpiritus ejus, illi adhærete per imitationem virtutum ejus, ſancti eſtote, ut ille ſanctus eſt, ac ipſe veſtra utetur opera, ut longe plurimos ſalvos faciat. *P. Nouet par. 5. medit.*

Zelus animarum omnis perſonarum generis reſpicit.

Initium ducere volo prætextuum omnium vaniſſimum, atque falſiſſimum evertens, quibus abutuntur quidam dicentes zelum animarum non eſſe virtutem, quæ ſæculares deceat, & quæ ad illos pertineat. Quid? S. Chryſoſtomus inquit, numquid charitas in Chriſtianiſmo eſſentialis non eſt, an zelus animarum non eſt præcipuum charitatis officium? Hoc veſtrum non eſt, dicitis. Cujus eſt ergo? numquid dæmonis, qui jugiter quærit omnes homines perdere? Numquid improborum hominum, qui ſcelus approbant, vel qui ſaltem auctoritate ſua illud approbare videntur? Hoc agimus, ut pro ſpiritualibus animabus, quæ præſtantiſſimum ſunt Creatoris opus, laboremus, eaſque ſalvas faciamus. Hunc eumdem finem ſibi ſalvator propoſuit; hic finis exitit Incarnationis, miraculorum, actionum omnium

vitæ

vitæ ipſius, omnium denique paſſionum ejus, & mortis. Numquid fingi poteſt aliquid majos, quam seuimere fratres ſuos, & efficere, ut qui Sathanæ erant, mancipia fiant filii Dei? *Ex ſpecimine ſermonum*.

Zelus, eſt character Apoſtoli proprius.

Zelus eſt character maxime proprius Apoſtoli. Zelus hic quærit cor vaſtum, quod omnia poſſit amplecti; animam intrepidam, quæ omnia aggredi valeat; illuminatam ſapientiam, qua regatur; indefeſſam conſtantiam, qua laborum diuturnitatem, ac pondus ſuſtineat, quin animos deſpondeat. Talis fuit primorum Apoſtolorum zelus, qui vocati, & electi fuere, ut fidei lumen in remotiſſimas, & denſiſſimis gentilitatis tenebris obrutas regiones afferrent, regna peragrarunt, atque tranarunt maria, ut populos barbaros ſub Jeſu Chriſti ditionem perducerent. *Ibidem*.

Quodnam eſſe debeat odium, quod in peccatores concipere debemus

Juſtum odium, quod contra malos mores fovendum eſt, ita coercendum eſt, ut contra perſonam non læviat. Hoc illud odium eſt, quod Propheta juſtum appellat: *Perfecto odio oderam illos*. Quem locum ita explicat S. Auguſtinus. Hoc dicitur, ait ille, non amare vitia propter homines, neque homines propter vitia. Sed quo magis humanam diligimus naturam, eo magis odiſſe debemus peccatum, quod hanc naturam corrupit. Ita Moyſes contra Judæos propter vitulum aureum ſuccenſuit, tantamque concepit indignationem in illos, ut inexorabilis videretur; attamen pro illis deprecatus, & zelo, atque ineffabili ardore preces effudit: Vel dimitte, Domine, illis hanc noxam, vel dele me de libro vitæ. Ita Samuel iraſcitur contra populum ſibi petentem regem, quem Deus, ut aliquomodo eum leniat, dicere tenetur: Petitione hac non te repulerunt, ſed me. Attamen ingrato huic populo dicit: Abſit, quod pro vobis jugiter vota non offeram. Ita David juſte contra rebellem, & parricidam filium irritatus conſcribit exercitum eum perſecuturus; attamen ducibus ſuis imperat, ne calamitoſo huic principi manum audeant inferre: *Servate mihi puerum Abſalon*, 2. Reg. 18. *Ogier in Panegyrico S. Nicolai*.

Zelus ſemper conjunctus eſſe debet cum manſuetudine.

Habeamus ignitum zelum, ut Elias 3. Reg. 19. zelus domus Dei nos comedat, ut David Pſalm. 68. noſque adigat ad improbos omnes, impioſque auferendos, exterminandoſque, ut 1. ad Corint. 5. ſcribebat Apoſtolus: *auferte malum ex vobis*; ſed zelus noſter plenus ſit manſuetudine, & charitate, Dei lumine, non noſtro directus, qui nequaquam illius prævertat conſilia. Caveamus, ne ſit zelus cæcus, impatiens, injuſtus: non enim deſunt devoti quidam ignari, & rudes, ſuapte natura moroſi, quorum animi ægritudo paſſim zeli perſonam induit, & qui, quin cogitent ſe vivere in lege charitatis, & gratiæ, peccatorem æque, ac peccatum odiſſe videntur. Numquam loquuntur de miſericordia Dei, ſemperque præſto eſſent, ut juſtitiam illius exequerentur. Homines ſunt, qui inceſſanter murmurant, & conqueruntur, de aliis quidem numquam, de ſe vero ſemper contenti. *Abbas de Monmorel in homilia Dominicæ 3. poſt Epiphaniam*.

Si zelus conſtans eſſe debet, nihil minus eſſe debet prudens.

Cum dicimus zeli conſtantiam requiri, non ideo probamus ſpiritus quoſdam duros, atque furentes, quorum zelus amarus, moroſa, ac ad bilem excitata natura ſemper in os revocat eamdem acrimoniam, quam habent in corde; zelus contra ſcientiam, qui efficit, ut palam, & privatim audaces, ac imprudentes ſermones inſtituant aptiores explendæ populi nequitiæ, eum contra poteſtates excitando, quibus juxta Dei nutum ſubeſſe omnis homo debet, quam ſummorum virorum vitiis corrigendis. Poſſumus, vel potius debemus conſtantes ſimul eſſe, atque ſapientes, & veritas, quam proferimus, quo magis faſtidium videtur afferre, eo magis diſcretionis ſale condienda eſt. Conſtantia igitur, quæ in J. C. miniſtro requiritur, non eſt indiſcreta temeritas, ſed generoſitas ſapiens, & ordinata, quæ, cum requirit neceſſitas, efficit, ut coram ſummis æque ac imis, divitibus æque ac pauperibus loquantur, quin ignavus pavor, vel ſordidum lucellum efficere poſſint, ut illi veritatem in injuſtitia detineant. *Idem homil. Domin. 22. poſt Pentecoſt.*

Conſtans, & intrepidus S. Baſilii zelus.

In eccleſiaſtica hiſtoria legite S. Baſilii cum Præfecto Modeſto converſationem. Vir hic miſſus eſt, ut nihil apud S. Baſilium intentatum relinquat. Nihil ipſe reliquum facit, ut S. Antiſtitem deterreat, ne eo, quo ſolebat, zelo veritatem tueatur. Specioſos illi prætextus proponit. Si vel quid minimum ceſſerit, quodcumque ab Imperatore conſecuturum. Promiſſionibus ſuccedunt minæ; huc enim tota hominum poteſtas redigitur. S. Baſilius ſemper eſt æque conſtans, & Præfectum alloquitur ea vi, quam veritatis, cujus illum aſſertorem, atque patronum Deus conſtituerat, magnitudo poſtulabat. Hæc autem pars eſt orationis, & reſponſionis ejuſdem a S. Gregorio Nazianzeno allatæ oratione 20. Se profiteri præ mortalibus omnibus Imperatoris nutibus obſequentiſſimum, & addictiſſimum eſſe. Ubi agetur de officiis eſſentialibus, parebimus, & obtemperabimus, prout nobis lex præcipit; neque ulla umquam in nobis inveniri poterit obluctatio non ſolum contra Principes, atque Imperatores, immo neque erga noviſſimum hominum. Sed cum Dei res agitur, & gloria, nullam novimus amplius humanam conſiderationem, ac Deum unum reſpicimus. Teterrimi quilibet cruciatus nobis terrori non erunt, ſed voluptati. Adhibe minas, nos contumeliis proſcinde, tota poteſtate tua abutere, ac Cæſarem appella; nihil obtinebis. Licet etiam graviora nobis intentares mala, numquam evinces, ut impiæ doctrinæ ſubſcribam. Cum Præfectus hac viri libertate commotus illi dixiſſet, neminem antea ſecum ita locutum fuiſſe; fortaſſe, inquit, nondum cum Epiſcopo locutus es. *Lambert tom. 2. ſermonum eccleſiaſticorum*.

Zelus neceſſario conſtans eſſe debet, & ardens.

Ubinam ſunt Jeſu Chriſti miniſtri, qui zelum habeant? Tuum ad examen revoca. Num cum illa conjunctus eſt fortitudine, quæ, cum de veritate tuenda ſermo eſt, numquam cedit? Ut hanc habeas conſtantiam, nulla te flectere debet remuneratio, nullæ te deterrere debent minæ; verbo, nihil niſi a Deo expectare debes, nihil debes timere, niſi ne illi diſpliceas. Zelum habere non potes, niſi ſis ardens, ac ſtrenuus; & qui zelum dicit, explicite dicit ardorem, & activitatem; hoc eſt, qui zelum habet, in anima ſua ſentire debet vivum ardorem, qui ſuccenditur, & inflammatur, quotieſcumque nobis Dominus viam aperit agendi pro illo. *Idem*.

Verus zelus contradictionibus non deterretur.

Cum zelus verus eſt, quin cedat, licet plurimos offendat obices, accenditur, & inflammatur. Nonne prædictum fuit, illis, qui J. C. tuebuntur, inimicos non defuturos? Voluit Deus periculum facere zeli tui; ceſſiſti, oſtendiſti zelum tuum exiguum eſſe, & fidem tuam imperfectam. Verum quid times? ne omnino vincaris! An neſcis victoriam glorioſiorem, atque certiorem non eſſe, quam cum ab impiis vincimur pro Jeſu Chriſti gloria dimicantes? Numquam magis liberi ſumus, primi dicebant Chriſtiani, quam cum in captivitate ſumus; neque perfectiorem umquam victoriam reportamus, quam cum nos victos exiſtimatis. *Idem*.

Majorem pro Deo amorem teſtari non poſſumus, quam proximorum ſaluti cooperantes.

Habere debeo zelum pro proximo meo, ſi pro Deo meo amorem habeo. Debeo hunc amorem illi teſtari gloriam illius maxime promovens; at quomodo illam promovere poſſum, niſi adnitendo, ut ab hominibus agnoſcatur, & diligatur? At nonne hæc zeli eſt occupatio? Si Deum diligo, amo quidquid ille amat, & eo modo, quo ille amat. Deus autem infinite amat proximum meum, & amor ejus eo tendit, ut nulli rei parcat eum ſalvum facturus; nonne igitur, ſi Deum amo, proximum quoque amare cogor, & nihil intentatum relinquere, ut illius ſaluti conſulam? Dei filius ſingulis noſtrum ait, quod olim S. Petro: *Si amas me, paſce oves meas*; hoc eſt,

quan-

quantum in te ſitum erit, & pro ſtatu, viribuſque tuis fratrum tuorum ſaluti conſule. Hoc præſtabis, ſi me diligis; ſi hoc negligis, me non diligis quantumcumque me diligere profitearis. *Animadverſiones P. Nepveu tom. 4.*

Si animarum pretium nobis exploratum, atque compertum eſſet, numquid non zelum pro earum ſalute haberemus? Illud vero ignorare poſſumus, cum quanti a Deo ſiant, intelligamus? Illius hac in re judicium noſtri regula eſſe debet. Quidquid operatur Deus in ordine naturæ, & gratiæ, quid autem non operatur? ad ſalutem animarum collimat ... Poſſumuſne videre amorem, zelum, quem Jeſus Chriſtus pro illis habuit, quid egit, & pertulit pro illarum ſalute, & illas in pretio non habere, non diligere, & præſto non eſſe, ut omnia pro earum ſalute agamus, & perferamus? Heu! Domine, ſi mihi deeſt zelus, ideo deeſt, quia deeſt amor erga te. Si Jeſum Chriſtum diligeremus, poſſemuſne citra mœrorem, ſiccisque oculis intueri tot animarum, quas ille ſanguine ſuo redemit, interitum? Poſſemuſne ſaltem conatum aliquem non exerere, ut earum cladem averteremus? Heu! infinitæ ſingulis diebus in infernum labuntur animæ, & quis vel digitum movet eas prohibiturus? Hoc, amabo vos, ſerio conſiderate. *Idem.*

Quinam præ cæteris teneantur magis zelum habere pro ſalute animarum.

Animarum paſtores tenentur præ aliis zelo flagrare, & in aliorum ſalutem opus, ac tempus impendere. His ſingillatim præcipit Dei filius, ut oves ſuas paſcant: *Paſce oves meas*: eoſque reſpicit tamquam interfectores earum, quæ deficiente pabulo interierint: *Non paviſti, occidiſti.* Eas non paſcere, occidere eſt. Heu! Si magnum pondus eſt animæ ſuæ rationem ſibi eſſe reddendam, quid erit de alienarum ſalute rationem reddere debere? Mirumne eſſe debet, ſi viri ſanctitatis laude florentes adeo grave pondus detrectarunt? Sed nonne magis mirum eſſe debet, quod qui a Sanctorum virorum laude tantopere abhorrent, ubi ratio, ac fides illis affulgeant, provinciam hanc audeant ambire? *Idem.*

Senſus, quos zelus inſpirat.

Dolemus videntes majeſtatem adeo ſublimem tam male coli; ſpeciem tot illecebris plenam tam parum amari; bonitatem adeo liberalem tam parum agnoſci; poteſtatem adeo abſolutam tam parvo in honore haberi, & tam contumelioſe lædi; atque ex imo corde trahentes ſuſpiria cum filio Dei dicimus: *Pater juſte, mundus te non cognovit.* Joan. 17. Quam cæcus eſt mundus, qui non intelligit, quid illi es, & quid tibi ſit! Ingemiſcimus videntes peccatores quidem tam multos, homines vero zelo ſuccenſos tam paucos; meſſem tam magnam, tam paucos operarios, & nunquam magnis in cœtibus, oppidiſque inveniri, qui eoſdem ſentiat motus, quibus affectus eſt S. Paulus Athenas ingreſſus, quia tot videntur mundi ſectatores vitiis ſuis abditi, quæ tamquam idola venerantur. *Pater Haineuve part. 3. Ordinis in tractatu de zelo.*

Mundi Salvatorem reſpicientes excitamur ad deploranda cum ipſo mundi peccata, ad emittenda cum ipſo pro gloria Patris ejuſdem ſuſpiria, ad perferendos cum ipſo mœrores, & angores, quibus conficimur videntes tantum Deum adeo male haberi, & offendi, ad languendum cum ipſo per ſanctam hanc veri zeli paſſionem, ad colligendum pretioſum illius ſanguinem, qui quotidie perditur, ad perficiendum victorias illius, ad auferendum Sathanæ reliquias hæreditatis ejus, ad extendendum regnum illius; atque ad hunc adſpectum ita confirmamur, ut periculis omnibus nos objiciamus, ut omnia conemur, ut noſmet ipſos pro hac re ſacrificemus, & noſmet nimis beatos exiſtimemus, quod Deo hanc operam præſtare valeamus. *Idem.*

De illis, qui ſub propriæ ſalutis prætextu

Ne ſimus ſimiles animabus illis, quæ nequaquam ductæ miſericordia malorum, quibus fratres ſui affecti ſunt, ac ſola ſuimet ipſarum ſalute contentæ alias interire ſinunt, quin opem ferant; quæ ut inertis contemplationis deliciis perfruantur, laborioſis ſe implicari miniſteriis detrectant; quæ vel indignitatem, vel imperitiam prætexentes in pia languent negligentia, quæ per incuriam, quæ in habitum migravit, ab actionibus, quæ tumultuoſæ dicuntur, abhorrent, quæ ſibi religioni minime vertentes intereſſe cœtibus, in quos vel curioſitate, vel utilitate, vel ambitu rapiuntur, ſibi maxime vertunt videre alios, in quibus proximo ſuo præclara poſſent officia præſtare. *Ex moralibus ſermonibus; ſermone de viſitatione Beatæ Virginis.*

Illarum negligunt.

Chriſtiani omnes tenentur alienæ ſaluti conſulere.

Inevitabili neceſſitate Chriſtiani omnes, naturalium jure, viciſſim alii aliorum tenentur ſaluti conſulere. Fratres, ſororeſque, quos eadem fudit alvus, & qui ſanguinis vinculo conjuncti eſſe gloriamini, numquid admittimini, ut in Jeſu Chriſti familia, quam infinite majori in pretio habere debetis præ illa, quam a natura eſtis ſortiti, arctiſſimo nexu invicem adhæreatis? Patres, matreſque, qui tanto ardore, tantaque feſtinatione filiorum veſtrorum fortunas provehere conamini, eiſque peritura bona congeritis, numquid monitis, & exemplis illos ad J. C. revocare ſtudetis? Numquid quantum pro illorum fortuna, tantum pro ſalute etiam admitimini? Amici, qui tanta neceſſitudine eſtis conjuncti, numquid amicitia veſtra in evangelici præcepti baſi ſolidatur? *Fromentieres ſermone de S. Andrea.*

Qui vocati ſunt a Deo, ut animarum ſaluti invigilent, tamquam inſtrumenta conſiliorum, atque voluntatum ejus, perfecte illi adhærere, & a ſemetipſis avulſi eſſe debent, ut ſpiritus ejuſdem motum unice recipiant. Sancti igitur eſſe debent, ut ſanctificent alios, & perfecti, ut illos perficiant. Cum gratia ſit fructus crucis, cum Domino noſtro crucifixi eſſe debemus, ut producatur, &c. *Ex Auctore Anonymo.*

Zelus acer, & amarus non eſt ſecundum J. C. ſpiritum.

Inveniuntur nonnumquam, qui ædificantem, immo etiam auſteram profitentur pietatem, quorum zelus ſemper amarus, & acer eſt, & qui minime norunt hanc J. C. manſuetudinem, quæ ex parte efficit characterem humilium animarum. Unctio effuſa eſſe deberet in omnia eorum verba, & ſermones; nihilominus languent, & obmuteſcunt, donec de virtute, atque chriſtianæ pietatis inſtitutis verba ſiunt. Verum ſi quis ſermonem inſtituit, qui ad criticam tendat, ſi verba ſiunt de vitæ licentia, deque relaxatione morum, aut diſciplinæ, zelus eorum repente incaleſcit; nihil eloquentius, nihil eorum cenſura diſertius eſt. Aliena vitia illorum indignationem irritant; ardenter loquuntur; neque ſilent, donec cenſoria nota aliquis eſt caſtigandus. Numquid hi ſunt effectus beneficæ charitatis, quæ tanta pollet induſtria in excuſandis criminibus, quæ redarguere non tenetur, & quæ propriis imperfectionibus corrigendis adeo eſt intenta? Hæccine ſunt chriſtianæ humilitatis argumenta, quæ alienas dumtaxat virtutes intuetur, & quæ, ut ita dicam, id unum, quod ſibi deeſt, habet in pretio?... Verus zelus non aucupatur nominis celebritatem tumultuoſa feſtinatione, aut fervore imprudenti. Si contra vitium excandeſcimus, vitia noſtra ſunt dignum noſtræ indignationis objectum. *Pater Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus.*

Cupiditas, & amor proprius ſæpe zeli nomen mutuantur.

Nihil eſt, cujus nomen cupiditas, & amor proprius felicius mutuentur, quam zelus; nihil etiam, a quo viri Apoſtolici magis ſibi debeant cavere. Quam metuendum eſt, ne labores illi Apoſtolici, ex quibus tantus emergit honos; hujuſmodi directiones, quæ electione, & diſtinctione plenæ ſunt; hæc nitentia opera bona ſint ſemper puri, integrique zeli effectus. Amor proprius magno pollet ingenio, ut nos aberrare efficiat, ubi de zelo ſermo eſt, & credimus ſemper nos rite feciſſe, cum aliquid, cum plauſu, & laude operati ſumus. Verum niſi horum motuum omnium Deus auctor eſt, ſi magis adhuc noſmetipſos, quam ſalutem animarum perqui-

quirimus, ſi cupiditas aliquam aucupandi nominis celebritatem in omnes has nitentes charitatis actiones influit, numquid multum in his motibus, quibus torquemur, eſt confidendum? Sin autem humanæ hujuſmodi rationes a zelo veſtro abhorrent, quorſum tot prælationes, tot odioſæ prædilectiones in directione animarum? Cur hæ adeo communes zelotypiæ, amaræ ſollicitudines, perverſæ affectiones? *Idem*.

Zelo conjunctum eſſe debet bonum exemplum

Error eſt, S. Gregorius inquit, exiſtimare zelum eſſe inſignia tantum opera facere, aliiſque præclara ad ſpiritum formandum tradere documenta, ſemperque ſeſe ad aliorum ſalutem jugi motu torquere. Verba roborari debent exemplis, & hominis zelo ſuccenſi pietas ad imitandum propoſita prima eſſe debet ars, qua ad corda permovenda uti poſſit. Niſi hoc acceſſerit exemplum, metuendum eſt, ne zelus proprie ſit naturalis impetus, qui ſibimet ſatisfacere ſtudet eo in munere, in quo præſtare cupit, & in quo invenitur plurimorum confidentia, quæ in honorem cedit, & palpat ... Sed inauditum eſt, quod ubi de ſalute agitur, aliis dicere poſſit aliquis, quid faciendum ſit; ipſe vero, qui egregia hæc tradit præcepta, nequaquam ea faciat, quæ docet; atque oſtendat, quanti referat, ne uni quidem affectu parcere, dum ipſe eidem obſequitur! Attamen id fac, quod dixerit tibi, nil melius eſſe poteſt, quam illius documenta: viget oraculum. Sed arduum eſt intelligere, quomodo, qui credit, quod aliis tradit, qui ſentit etiam id neceſſario faciendum, ſentet ab hac neceſſitate diſpenſet. *Idem*.

Diſcrimen inter zelum verum, & falſum.

Nullus verus zelus ſine vero Dei amore; omnis zelus falſus effectus eſt amoris proprii; qui hoc animantur, ſimiles ſunt illis, qui a S. Juda vocantur nubes ſine aqua, quæ a ventis circumferuntur, & quæ in fulgura, ac tonitrua evaneſcunt. Sunt arboribus ſimiles, quæ plurimum quidem pollicentur, quæ autumno dumtaxat germinant, & nullos fructus producunt; ſimiles ſtellis errantibus, quæ nunquam ſunt ſine macula, quæ emittunt aliquando lumen ſuperficiale, & quæ ſæpius caligine quadam obductæ ſunt. Verus zelus his omnibus vitiis vacuus eſt; ardor ejus ſemper beneficus eſt, lumen ejus purum, & perſeverans, cor rectum, Extrema quælibet ſequitur: immodica enim ſeveritas non minus oppoſita eſt ſpiritui J. C. quam mollis indulgentia: humilitas, & manſuetudo a zelo, & charitate numquam poſſunt ſeparari ... Zelus omnis, cui deeſt prudentia, & modus, ſemper defectibus obnoxius eſt: quilibet zelus male directus ſemper metuendus eſt; exaggerat omnia, nulli rei parcit, atque aures adhibens præventionibus, ut plurimum nequiſſimus, ac nulli rationi incumbentibus, quo plus habet temeritatis, eo magis ſibi plaudit, cumque ſemper cum multa conjunctus ſit ignorantia, ejus imprudentia illum adhuc efficit moroſiorem. Virtus, quæ nondum convaluit, ut plurimum indiſcreto rapitur zelo, & facile, præſertim vero erga alios in ſeveritatis exceſſum erumpit. *Idem*.

Modus requiritur in zelo, quo veritas defenditur, & refellitur error.

Accidit nonnumquam, quod homo zelo ſuccenſus, & alta eruditione prædictus ſcribendo vacet, ut maximi momenti veritatem propugnet, vel ut aliquem impugnet errorem. Nihil hoc ſanctius eſt; attamen quin modum ſervet ab eo ſervandum, qui ex principio gratiæ operatur, ſuo ſe rapi ſinit ingenio, naturæque impetu; duriuſculis utitur verbis, aculeatiſque locutionibus; perſonæ etiam iraſcitur, quin modum ſervet, ac palam oſtendit ſe cupiditate ſua, non Dei ſpiritu animari. Ita labor illius nil minus conſequitur, quam fructum, quem ſperat; irritat adverſarium ſuum, quam illum perſuadeat, & moveat, & qui opus illius legunt, & ubique deprehendunt ſcintillas ignis illius, quo ardet, ut plurimum neque utilitatem, neque ædificationem recipiunt. *Abbas Trappenſis in moralibus conſiderationibus in S. Lucæ Evangelium*.

Zelus Apoſtolicus ab omni ſuperbia, & ambitione vacuus eſſe debet.

Non ſatis eſt zelum eſſe cum auctoritate conjunctum, diſcretum, ac prudentem; debet etiam comitem habere humilitatem. Opus eſt, eodem tempore, quo viri apoſtolici adlaborant ſcientiam adepturi, cujus indigent, ut ſuum obeant munus ſibi præcaveant contra hoc ſubtile virus ſuperbiæ, a quo viri docti vix, & ne vix quidem ſe tuentur, & quod Patres interiori comparant vermi ſpecioſiſſimos fructus corrumpenti. Nitidiſſima quælibet Apoſtolici zeli munera occulto hoc infecta veneno non aliud ſunt, quam abominatio coram Domino; homines admirantur, & laudant egregia hæc talenta, ſed illa rejicit Deus; vanos, & ambitioſos miniſtros Jeſus Chriſtus reſpicit tanquam organa dæmonis, qui licet invitus perhibebat teſtimonium divinitati ipſius, & quem ipſe tacere juſſit. Quo magis præclara ſunt miniſteria, eo miniſtri, qui exercent illa, reſpuere debent honorem, qui ea concomitatur. In hoc ſitum eſt quorumdam officiorum periculum: ut his cum fructu perfungamur, acquirenda eſt quædam nominis celebritas, ita ut hæc exiſtimatio ſimul requirenda ſit tamquam ad ſalutem animarum neceſſaria, ſimulque tamquam humilitati periculoſa ſit evitanda. *Specimen ſermonum pro Dominicis, in 2. Advent. Dominicam*.

Ut magnum aliquid fiat, prudentia cum zelo, & charitate conjungenda eſt.

Si virtutes omnes indigent prudentia, ne prætergrediaris juſtæ mediocritatis terminos, intra quos earum perfectio conſiſtit, credendum non eſt, charitatem, quæ illarum regina eſt, & zelum, qui charitatis ejuſdem eſt perfectio, huic legi obnoxias non eſſe. Quemadmodum enim prudentia, S. Bernardus ait, languet, niſi charitatis ardore inflammetur; ita charitas ſit præceps, niſi prudentia temperetur. Si uni prudentiæ autem adhibueris, nihil propemodum facies; ſi unam audieris charitatem, nihil perficies, quia nimis multa facere voles. Prudentia a charitate ſejuncta nimis timidum, charitas ſeparata a prudentia nimis faciet audacem. Nimis facies, ſi hanc ſequeris; fere nihil, ſi illam conſules tantum. Ut igitur in iis, quæ facimus, juſtus adſit conſenſus, qui eſt tamquam magnorum operum anima, & qui præſtat eventuum ſecuritatem, opus eſt duas haſce virtutes ultro citroque ſibi dare manum, & unanimi, conflatoque conſilio operari, quod ex S. Bernardi ſententia, illud erat bonum, quod Canticorum ſponſa a cœleſti ſponſo ſe percepiſſe gloriabatur dicens, ab illo in ſe ordinatam fuiſſe charitatem: *Ordinavit in me charitatem*. Cantic. 2. nam quantum in ipſa per charitatem excitata erat prudentia, tantum prudentia ipſa regebat, & moderabatur charitatem. *Sermo manuſcriptus*.

SUPPLEMENTUM.

Nullus non tenetur habere zelum pro proximo ſuo

VEhementer errat, qui putat, ad ſolos Concionatores, & Miſſionarios pertinere zelum; nemo ex nobis eſt, qui ſuam non habeat miſſionem, quin egrediatur e ſtatu ſuo, nemo, cui reſpondendum non ſit de ſalute ſua, & aliquo modo etiam de ſalute fratrum ſuorum. Salus veſtra magnum eſt negotium veſtrum, hoc unicuique mandatum eſt, quivis tenetur ædificare proximum ſuum exemplis; & zelus hic communis eſt omnibus conditionibus, omnibuſque ſtatibus vitæ. Præes ne? tibi ſunt inferiores? Tibi ne demandata eſt alicujus familiæ cura? Pauci ſunt ex iis, qui ſe Miſſionarios profitentur, quibus tanta ſit ratio de ſalute fratrum ſuorum, quanta tibi eſt. Cave, ne hoc officium negligas; numquam hoc aliis committas; jugiter invigila vitæ eorum, quos Deus tuæ curæ ſubjecit, filiorum, domeſticorum, famulorum; hi enim totidem ſunt, ut ita dicam depoſita, de quibus ſerius, ocyus reddenda erit tibi ratio ſupremo Domino. His debes, præter boni exempli ſubſidium, inſtitutionem, curam, ſalutaria monita: invigila moribus filiorum, & famulorum; nihil illis permittas, ubi de moribus agitur, & de Religione; ne

ſinas aliquem pravum exemplum præbere, argue, obſecra, increpa eum zelo, & lenitate &c. *Pater Croiſet in anno Chriſtiano.*

Quocumque in ſtatu ſis, memento munus Apoſtolicum tibi eſſe obeundum. Charitas Chriſtiana jubet tibi curæ eſſe fratrum tuorum ſalutem, nihilque tibi prætermittendum eſt, ut illam procures. Non prædicando ſolum gentium converſioni laboramus, longe plures ſunt hoc faciendi viæ & ſæpe etiam magis efficaces. Chriſtiana animadverſio opportune inſtituta, monitum, conſilium cum charitate datum, bonum exemplum, eleemoſyna, hæc omnia eſſe poſſunt fructus zeli vere Apoſtolici. Nullus Pater familias, nulla mater non poteſt domi ſuæ infinitum parere bonum. Quod bonum facere non poteſt ſuperior in communitate, ſi puro, prudentique zelo animatus eſt, & exemplari pietate præditus? nonne immenſum efficerent bonum Principes in aula ſua, & in dictione ſua, ſi curæ illis eſſet, ut in regionibus ſibi ſubjectis floreret religio, & probitas, atque juſtitia dominarentur? *Idem.*

Quam prudentiam zelus requirat.

Abſit, quod vos inducere velim ad eos imitandos, qui proprio ſenſu abrepti non religionis ſuæ zelum habent, habent zeli ſui religionem. Prudentia opus eſt, ſed ea, quæ ſemper ad eum tendat terminum, ad quem zelus ipſe tendere debet. Tantum prudentiæ, quantum vobis placuerit, modo vitium corrigatur, modo efficaci labore cogatis fratrem in viam ſalutis redire, prudentia enim veſtra eo ſemper tendit, ut ſilentium veſtrum non ſit cauſa damnationis fratris veſtri, & hoc temperamentum prudentiæ, quod adfectatis, non conſiſtat niſi in remittendo zelo veſtro, hæc quidem, ſi placet, prudentia eſt, ſed illa, contra quam S. Paulus profert anathema, & quam inter opera carnis recenſet, cum ad Romanos cap. 8. ait: *Sapientia carnis inimica eſt Deo. P. Bourdaloue in Dominicali.*

Zelus ſociam habere debet lenitatem.

Fatemur lenitatem eſſe primum inſtrumentum, quo uti debet zelus ad peccatorum converſionem; hoc maxime conforme eſſe voluntati JESU CHRISTI, & maxime congruum affectionibus hominis; cor humanum raro cedere violentiæ, & e contra ſibi gloriæ vertere, quod paciſcendo ſe dedit: Deum, velle cor, & homines invitos, qui liberat plenaque voluntate non aguntur, illi nequaquam acceptos eſſe ideoque ad novos ſubditos Deo lucrandos, eorumque animas ad ipſum pertrahendas, viam cordis eſſe quærendam, & iter ſuavitatis eſſe ingrediendum: in hoc opere non eſſe cur deterreri ſinamus aliis difficultatibus, quod verbis, & ſermonibus non obtinetur, plerumque officiis, & aſſiduitatibus obtineri. Et cur ad corda Deo lucranda non fiat, quod paſſim, & adeo conſtanter facimus eadem nobis lucrari? Quo non pervenit induſtria, aſſentatio, indulgentia, cum magni alicujus momenti negotium requiris, ut vel ad tranquillitatem flectamus animum alicujus a nobis alienum, vel amicitiam alterius promereamur, quem nobis vel leviter profuturum eſſe ſperamus, & exiſtimamus parem ad noſtri patrocinium aggrediendum ſecundum eos fines, quos ipſi nobis propoſuimus? Amor proprius hujuſmodi in occaſionibus nonne omnes induit chriſtianæ charitatis habitus? Nonne *omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* 1. ad Cor. 33. 7. Nonne omnia faſtidia, omneſque moleſtiæ devorantur? Nonne omnia in meliorem ſenſum torquentur? *Non irritatur, non cogitat malum.* Nonne affabilis es, comis, officioſus uſque dum voti damnaris? patiens ita ut ſenſu omni carere inter injurias, & contumelias videaris? *Patiens eſt, benigna eſt.* Heu! Si propter lucellum exiguum amor proprius quotidie mutuatur colorem & ſpeciem charitatis, cur charitas ad majorem Dei gloriam non induat colorem ſuum & nativas ſuas qualitates? Cur hoc in loco non revocamus in mentem, quod Fides nos docet de inæſtimabili animæ pretio, & quid conetur dæmon ad eam perdendam, & quid fecerit Dei filius ad eam ſalvandam? Videmus optimum hunc noſtræ ſalutis medicum data opera pro peccatoribus de cœlo dilapſum, & bonum hunc Paſtorem omne pecus ſuum in deſertis locis relinquere, ut abeat inventurus ovem deerrantem, nullis laboribus parcere dummodo cum gaudio ſuper humeros ſuos deferat in paſcua, & cum amicis ſibi plaudere, & eorum ob illam inventam gratulationes excipere. Ad teneri hujus ſupremique Paſtoris exemplum zeli noſtri lenitas ſervanda eſt contra peccatorum reſiſtentiam. P. *de la Rue in Adventu.*

Animæ noſtræ tantæ ſunt dignitatis, ut in Dei ipſius judicio, Deum valeant, hoc poſito ſi illas conſerimus cum amore, quem Salvator pro illis teſtatus eſt, nonne rubore ſuffundemur propter incuriam, & ignaviam, qua fratrum noſtrorum ſaluti cooperamur? Dei Filius reliquit omnia, ut unice vacaret converſioni animarum, nos vero relinquere pigebit inutile negotium, inane ſolatium pro munere adeo glorioſo? Dei Filius omnia dedit, ipſum etiam ſanguinem ſuum; nos vero tædet ſæpe temporis noſtri horam impendere ad conſolandum egenum ægrotantem, hominem afflictum, ac mœrentem, vel ad confeſſionem peccatoris excipiendam? Pertuli, Dei Filius omnia opprobriorum, & cruciatuum genera; leviſſimum autem incommodum poteſt zelo noſtro teporem afferre? Salvator nihil omiſit eorum, quæ ad hominum ſalutem erant neceſſaria, non vero quid geſſimus adhuc? Quomodo de proximo benemeriti ſumus? Nonne indignum eſt, quod Gloriæ Deus ſemet victimam obtulerit pro ſalute animarum, quod paſſus fuerit ſe ad ſupplicium trahi tanquam agnum, quod ſeſe ſervilibus pœnis ſubmiſerit, quod ſeſe tradiderit in mortem, mortem autem crucis; nos vero adeo ægre, & gravate moveamus pedem, ut fratrum noſtrorum ſaluti ad laboremus? P. *Nouet in Meditat.*

Quem non miſereceret excidii tot animarum, cogitantem præſertim, animæ unius cladem majorem eſſe, quam mundanæ hujus molis interitum, & ad illam prohibendam omnium corporum mortem merito impendi poſſe. Nero non niſi per ſmaragdum ſpectabat urbem Romam, quæ flammis urebatur, & civium ſanguinem per vias defluentem, quæ omnia veluti jucundo imbuta colore ad oculos ejus referebantur. Sed animæ interitus perſpiciendus eſt per charitatem, qua mundi Salvator illam proſequitur, per ſanguinis ejuſdem pretium, per amorem, quo ad exemplum ipſius illam complecti tenemur, & per tormenta, quæ in æternum ſubitura eſt, quæ cauſa eſt, propter quam Dei Filius reſtatur, non poſſe nos aliquid ad majorem ſui gloriam operari, neque illi magis placere, quam ſi unam dumtaxat, quæ periebat, animam ad ipſum reduceremus. *Pat. Antonius de S. Martino a Porta.*

Anima una Deo acceptior eſt univerſo mundo.

Zelus ex quadam parte conſtituit characterem illorum omnium, qui diligunt Deum: nemo eſt, qui zelo flagare non debeat propter ſalutem fratrum ſuorum. Quod bonum non poteſt, & debet procurare ſubditis ſuis ſuperiori pater, vel mater familias filiis & domeſticis ſuis: dominus iis omnibus, in quos habet auctoritatem; privatus etiam erga omnes morum ſuorum integritate, colloquiorum ſuorum ſanctimonia, bonorumque exemplorum ſuorum luce, denique modis mille, quos chriſtiana charitas poteſt ſingulis ſuppeditare. Ita quilibet, quin egrediatur e ſtatu ſuo, munere, & conditione, fieri poteſt operarius Apoſtolicus. Quæ ſevitia! Quæ barbaries! videre tot animas repente pereuntes. Sed caveamus ne cupiditas veri zeli perſonam induat. Zelus Filii Dei prototypus eſſe debet noſtri. In zelo autem Salvatoris, quæ ſapientia eſt, quæ lenitas, quæ patientia! Zelus ardens nimis durus eſt; quocumque ſeſe effundit, exſiccat, & devorat; plenus acrimonia, & amaritudine. Hic ſatis oſtendit, quam facile ſit falli,

ubi

ubi agitur de charitate. Zelus mollis, & nimis indulgens eſt etiam zelus falſus. *P. Croiſet.*

Bellum quidem peccato indicendum eſt ſine ulla miſeratione; ſed zelus verus ſemper parcit peccatori. Severitas non ſemper incommodat illis, qui eamdem prædicant; ſemper ſibi indulgentes eo uſque graviora etiam ſibi vitia condonant, ab aliis ſerupuloſam, nimiamque exigunt regularitatem. Heu! bone Deus! Charitas umquam ne reperta fuit in corde moroſo, & acrimonia laborante! Si qui ſunt abuſus corrigendi, vel errores redarguendi, relioquamus patrifamilias curam vineæ, quam ſummus rerum Dominus nobis nequaquam impoſuit. Quænam illuſio eſt inceſſanter declamare contra licentiam, & laxitatem aliorum, numquam vero ad ſuimet ipſias reformationem animum appellere. Si nobis zelus eſt, numquam ne niſi circa externum objectum verſabitur? Nonne ſatis operis, laboriſque impendendum nobis eſt in agro noſtro purgando, & excolendo, quin negotium nobis faceſſant ſpinæ, quæ in alienis agris naſcuntur? Quod zelus, quem pro nobis habemus, duriuſculus ſit, poteſt venia dignum videri; quod autem zelus, quem erga alios habemus, ſit parum compatiens, nimiſque amarus, hoc Salvatoris ſpiritus non probat. Da nobis ergo Domine zelum hunc purum, tenerum, verum & pro noſtra, & pro aliorum ſalute, ut fratres noſtros lucrando, per gratiam tuam æternam beatitudinem noſtram conſequamur. *Pat. Croiſet in Aſcetic. Exercit.*

Zelus amarus, & durus innoleſcet ipſos impendendus.

Zelus verus eſt viva, & ardens ſalutis animarum cupiditas. Eſt hic generoſus affectus, quem fides parit, quem charitas animat, & ſpes chriſtiana ſuſtinet. Hæ virtutes zelo tribuunt, quidquid habet virium, conſtantiæ, ardoris, lenitatis, patientiæ, magnanimitatis, & nonne virtutes eædem nobis inſpirare debent hunc zelum? Cogitantes quanti ſtetit Dei Filio anima, ac ideo quanti hæc valet; poſſumus ne, ſi quid in nobis eſt fidei, & charitatis, videre ſiccis oculis animam hanc pereuntem? Poſſumus ne ejuſdem interitu non commoveri? Hæc cauſa tot Apoſtolicos viros impulit, ut pro animarum ſalute nihil prætermitterent, omnia ſuſtinerent, omnia ſacrificarent, cognatos, amicos, opes, talenta, ut terras ac maria omnia luſtrarent, hac mente, quærendi videlicet animas Salvatoris ſanguine redemptas, eaſque in illius paſcua referendas. Quid perpeſſi non ſunt! quos labores non hauſerunt! quot illi amara fuere ſuſtinenda, quot obices ſuperandi! quot contradictiones! Sed verus zelus omnia vincit; ubi de gloria Dei agitur, de ſalute proximi, omnia aggredi poteſt, omnia ſuperare, nulli inimici metuendi illi ſunt, & ſonus ille ſatis eſt, ut omnibus reſiſtat: *Charitas Chriſti urget nos.* 2. Cor. 5. Hoc dicendum eſt a Chriſtianis omnibus. Anima noſtra nobis eſſe debet curæ, & ſalus noſtra eſſe debet objectum primarium ſollicitudinum noſtrarum; quoniam Dei Filius illam tanti fecit, ut ad id voluerit ſuum cruorem effundere. Sed bone Deus, quæ rationis, vitæque inverſio! nonne portento ſimile eſt in natura, videre mortales zelo ſucccenſos pro aliorum ſalute, neque eodem deſtitutos pro ſua! Non negligunt quidpiam, ut alios ad Deum revocent. Qui ſermones! quæ in ſermonibus vis! quæ, & quam pathericæ adhortationes! quæ collationes, quam vividæ, quam, ut videntur, unctione gratiæ refertæ! Sed ſimul quanta ſalutis propriæ incuria, & negligentia! Movent, alliciunt, oblectant, omnia, ut ita dicam, corda ad eorum voces ſcinduntur. Tamen quid prodeſt homini, ipſe Dei Filius teſtatus, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur. Numquid mortalium omnium lucrus illius ſarciet jacturam? Heu, Domine! noſmet tantopere amamus, & tota cura, zeluſque noſter pro ulla qualibet re, præterquam pro noſtra ſalute impenditur. Quid! adeo cupidi, avidique ſumus lucri, voluptatum, & honorum; ſalutem vero noſtram nullo in diſcrimine habemus! quæ dementia, quæ inſania! *Ibidem.*

Verus zelus neque turbidus eſt, neque cum impetu fertur; moderatus, & prudens eſt, novitque commoda fandi tempora, ut leniter ſibi viam ſternat. Non magnis ſermonibus, ut plurimum, magnos effectus gignit; ſed officio, indulgentia, opera opportune præſtita, præſertim vero exemplo. Non ſcientia, non eloquentia, non opus eſt litteris, ut hac ratione lucreris alios. Vide an hoc igne ſuccenſus ſis, qui lucet, & eodem ardore totum mundum calefacit. Movetne te calamitas eorum, quos aliorum malorumque Chriſtianorum cæcitas perdit? Ægre ne pateris, Deum parum cognoſci, & parum amari? Secreta ne afficeris lætitia, cum illum coli, & in pretio haberi cognoſcis? Homines pios diligis, & probos? Hæc vera ſunt veri zeli argumenta. Habemus fratres ſecondum ſpiritum, habemus etiam fortaſſe ſecundum carnem, qui pereunt. Quotidie preces aliquot peculiares effundamus pro converſione noſtra, & illorum, pro ſalute peccatorum, atque Hæreticorum. Patres, matreſque familias invigilate filiis, inferioribus, domeſticis veſtris. Habete curam, ut frequenter divinis ſe ſe reficiant myſteriis, ut matutinas, veſpertinaſque ſuas preces effundant: illos erudite. At enim, inquies, non omnes ſunt concionatores; ſed quilibet eſſe poteſt Apoſtolus, & Miſſionarius in familia ſua. Impoſterum hæc tibi ſit dignitas, ejuſque officiis perfungere. *Ibidem.*

Tria diſtingui poſſunt zeli genera, quorum tertium ſolum perfectum eſt.

S. Auguſtino teſte, tria ſunt zeli genera, quæ facillimum eſt dignoſcere ea diverſis eorum characteribus, & cauſis, propter quas operantur. Eſt zelus, qui totus eſt pro Deo contra homines, qui cum ſolus eſt, nimis eſt rigidus, & amarus. Eſt zelus, qui pro hominibus eſt contra Deum, & zelus hic injuſtus eſt, nequam, & temerarius. Eſt zelus pro Deo ſimul, & hominibus, qui quærit ulciſci injurias ab hominibus divinæ majeſtati illatas, ſimulque hominum ſaluti proſpicere, & hic Sanctus eſt, cum prudenter regatur. Primum genus zeli obſtruit januam templorum & omnem aufert aditum miſericordiæ. Zelus hic plenus eſt amaritudine, & imprudentia, ſimilis zelo Apoſtoli illius, qui commotus injuriis, quibus Dei Filius laceſſebatur in urbe quadam Samariæ, ignem de cœlo cupiebat elicere in illam, quia Salvatori aditum clauſerat. Itaque illum corripuit Salvator dicens: *neſcitis cujus ſpiritus ſitis*, ſignificans Evangelii ſui ſpiritum eſſe ſpiritum lenitatis, & præſentem hanc vitam eſſe regnum miſericordiæ pro peccatoribus. Zelus alterius ſpeciei, qui hominibus favet contra Dei gloriam, priore longe nequior eſt; ſed tertius, qui ſeveritatem cum indulgentia temperat, qui Deo quidem vult ſatisfieri, quin pereat peccator, & qui ſimul juſtitiæ, & miſericordiæ jura tuetur, zelus perfectus eſt, & Deo acceptiſſimus. *Ex ſpecimine oratorum panegyricorum.*

Diſcrimen veri, falſique zeli.

Verus zelus tener, & patiens eſt. Miniſter Evangelicus, qui eodem animatus eſt, quin deterreatur videns labores ſuos in irritum cedere, ingeminat vota ſua preceſque pro peccatoribus: diffidamus de zelo, qui tam contra peccatorem, quam contra peccatum irritatur. Zelus hic durus, & amarus proprie non aliud eſt, quam affectio mala, quæ veluti perſonam, zeli nomen induit, ut ſine pudore ſibimet ſatisfacere valeat, & quæ ſub ipſius charitatis perſona ſuum evomit virus. Verus zelus numquam cum ultionis, & diſſenſionis affectu repertus eſt. Vividus quidem, & ardens eſt, numquam vero acerbus, & aſper. Apoſtoli duo adhuc imperfecte dejici de cœlo cupiebant ignem, quo abſumeretur oppidum quoddam Samariæ, quod hoſpitium Salvatori negaverat: *Neſcitis cujus ſpiritus ſitis*, cum ita loquimini, reddidit illis Dei Filius. Hoc eodem ſpiritu illi omnes animati ſunt, quibus zelus eſt acerbus. Suavitas, humilitas cordis, miſeratio erga peccatores, & miſericordia characteres ſunt

hominum Apoſtolicorum. Hæc zeli amaritudo paſſim oritur ex mente ſuperba, & corde corrupto. *Teſtimonium perhibeo illis quod æmulationem Dei habent*, inquit Apoſtolus Rom. 10. *ſed non ſecundum ſcientiam. P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Talis eſt character propugnatorum veritatis, donec alii animo infeſto eos perſequuntur, & ſanctiſſimæ illorum actiones veneno inficiuntur, præbent illi colores ſatis aptos furori, & cæcitati perſecutorum ſuorum. Sed hoc præter voluntatem præſtant, ut virtus eorum, & inimicorum improbitas magis eluceſcant: ſuam texunt apologiam, cum alienam facere conantur. Quo non erumpit zelus, qui ſecundum ſcientiam non eſt? quid illum cohibere poſſet? Conſcientia, & Religio, quæ aliis affectionibus frænum injiciunt, hujus aculei ſunt, eique in ſceleribus eam inſpirant ſecuritatem, quæ bonas actiones ſubſequitur. Qui in factione aliqua honeſti appellantur, decepti ſunt, & ſeducti, alii vero callidi, & ſeductores. Et profecto in zelo falſo multum invenitur inſcitiæ, at longe plus ſuperbiæ, & ambitionis. Judæus tumens, non ſecus ac Pelagius juſtitiam ſuam ſuis tantum operibus referebant acceptam. Novator flagitioſus illam fidei ſuæ merito vertit; humilis autem fidelis ſuam & fidei, & gratiæ ſimul tribuit, cui operibus ſuis cooperatur. Lex data eſt, ut Meſſias cognoſceretur, & confirmarentur promiſſiones, olim factæ, ac in eorum ſalutem, qui ante illius adventum eſſent in hunc ipſum credituri. Igitur JESU CHRISTI cognitio clavis eſt myſtica David, qua Legis liber aperitur: Judæus. qui illum ignorat, qui finis eſt Legis, Legis ſpiritum aſſequi, & per illam juſtificari non poteſt. Hoc ipſum dici poteſt de Novatoribus, qui Eccleſiæ auctoritatem non cognoſcentes in numero filiorum ejus haberi non poſſunt. *Idem ibidem.*

Verus zelus plenus eſt ſuavitate, & vacuus invidia.

Omnis zelus inquietus, acerbus, vel amarus, omnis zelus, cui ſecreta ſubeſt invidia, falſus eſt zelus. Character veri zeli ſcilicet illius, quem Deus inſpirat, eſt vulnera mederi oleo, vinoque adſperſa, ad exemplum Samaritani; eſt errata leniter corrigere; patienter pharmacorum effectum præſtolari, & vere lætari ob proſperum eventum, quem tribuit Deus laboribus aliorum. Malignus hic mæror, quo conficimur, cum alios videmus utilius laborantes, argumento eſt, nos in bonis operibus noſtris aliud quidpiam quærere, quam Deum. Si tibi amarus eſt zelus, S. Jacobus Apoſtolus inquit, & ſpiritus ad contentionem pronus, ne quid tibi plus æquo arroges; talis enim ſapientia deſurſum non eſt, ſed terrena eſt, animalis, diabolica. Ita etiam, ubi adeſt invidia, adeſt etiam perturbatio, diſſenſio & omne genus actionum iniquarum, & perverſarum. Tibi ne ſunt filii, quos corrigas, domeſtici, quos reprehendas? cave, ne id feceris cum ſuperbia, furore, ira, acrimonia. Charitas eſt manſueta, numquam iraſcitur, & furit. *Idem.*

Diſcrimen inter zelum verum, & falſum.

Nihil melius oſtendit diſcrimen illud, in quo habendi ſunt, qui vero, & qui falſo zelo correpti ſunt, quam exempla, quæ nobis in Sanctis Scripturis occurrunt. Primi quidem petunt a Deo converſionem illorum, de quibus occaſionem haberent conquerendi. Hujuſmodi fuit Moyſes, qui dixit illi: Domine vel parce huic populo, aut dele me de libro quem ſcripſiſti. Secundi vero id quærunt unum, ut illos dejiciant, & perdant; cujuſmodi erant Judæi illi, qui videntes excitatum a S. Paulo diſſidium inter Phariſæos, & Saducæos voverunt non ſine jure jurando, & imprecatione, ſe nihil eſculenti, vel poculenti guſtaturos, niſi antea illum ſuſtuliſſent. Primi ſimiles ſunt Michææ Prophetæ, qui licet populis Dei verbis nuntiaſſet mala, quibus deinceps erant mulctandi, dixit tamen, ſe cupere, ſi ſui eſſet arbitrii, ut prophetiæ ſuæ in irritum caderent, quam cum omnimodo Filiorum Iſrael excidio complerentur. Secundi Jonam imitantur, qui veritus, ut pro pſeudopropheta haberetur, poſtquam Ninivitarum cladem fuerat vaticinatus, quæ numquam implebatur, tanto dolore affectus fuit, ut a Deo animæ ſuæ a corpore ſeceſſionem precaretur, mortem vita ipſa ſibi jucundiorem exiſtimans. *Abbas Boiſsau in delectis ſententiis.*

Eſt zelus quidam amarus, qui corrigendus eſt. Vult hic mundum totum corrigere, ac temere omnia reformare. Si illum audis, fere putas omnia legibus ejus, cenſuræque ſubjici. Satis eſt ejus originem agnoſcere, ut quam inordinatus ſit, innoteſcat. Aſſerti hujus zeli origo turpis eſt; proximi noſtri vitia irritant noſtra; vanitas noſtra alienam ferre non poteſt; per ſuperbiam vanitas proximi ridicula eſt, & non ferenda nobis videtur; ſollicitudo noſtra, & anxietas excitat nos contra illius inertiam, atque ignaviam; moroſitas noſtra contra hujus flagitioſa ſolatia nos acuit, & noſtra inurbanitas contra alterius nimium leporem, ac venuſtatem. Si vitiis vacui eſſemus, non adeo acriter doleremus vitiis eorum, cum quibus verſari tenemur. Certum eſt hanc oppoſitionem, & hanc pugnæ ſpeciem inter vitia noſtra, & proximi plurimum augere poſteriora in mente noſtra, quæ jam præoccupata eſt. Detegi ne poteſt origo ſordidior, & nequior critici Zeli hujus, quam vobis oſtendi? Si bona fide fateri volumus, non eſſe nobis tantum virtutis, quantum requiritur, ut patienter ſuſtineamus quidquid in proximo noſtro imperfectum, & infirmum eſt, nos quoque nobis videremur infirmi. Hoc autem vanitas noſtra reformidat; vult igitur e contra, ut infirmitas noſtra fortitudo videatur; eam ad virtutis ſpeciem attollit, eamque pro zelo traducit, & haberi vult; zelo tamen, qui fictitius eſt, & ut plurimum hypocrita. Etenim nonne admirabile eſt videre, quantum pacati, ac tranquilli ſimus in iis aliorum vitiis, quæ nobis minime incommodant, cum interim præclarus hic zelus tunc ardeat in nobis contra illos tantum, qui noſtram excitant æmulationem, vel qui patientiam noſtram fatigant; zelus commodus, quem non exercemus niſi pro nobis, & ut proximi vitiis abutamur, ut noſmet ſuper illos extollamus. *Fenelon Archiepiſcopus Cameracenſis in delectis ſermonibus.*

Characteres zeli veri & bene inſtituti.

Si zelus noſter verus eſſet, ac ordinatus ſecundum Chriſtianæ Religionis normam, ſemper a propria correctione noſtra duceret initium; ita noſtris vitiis, & infirmitatibus occuparemur, ut non vacaret nobis alienis diſtineri. Oporteret hoc manus eſſe conſcientiæ noſtræ proximi vitam expendere; tunc etiam cum noſmet diſpenſare non poſſemus, quo minus illi invigilaremus, hoc tamen propter noſmet perquam caute exequeremur juxta Apoſtolicum illud conſilium: *corripe fratrem tuum in ſpiritu lenitatis conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris*, dum alium a tentatione conaris eruere, & dum pravum alterius ingenium corrigere vis, periculum adſit, ne tuo obſequaris, & cum alienam cupiditatem, ac ſuperbiam vis coercere, ſinas te tua abripi impatienti, ac impetuoſa natura. *Idem.*

Infeſtus animus, quo dæmon in animæ excidium incumbit, illum inceſſanter occupat, devorat, urit, conficit; zelus ſalutis fratrum noſtrorum cederet ne injuſtæ cupiditati illius perdendi? Quis dolor eſt videre in ſingula momenta infinitas propemodum animas pereuntes? Hæc erat cauſa mæroris, hic fons lacrymarum Salvatoris: *Tota die contriſtatus ingrediebar*. Pſal. 37. 7. Zelus noſter illius zelum imitetur. Quantum in nobis eſt monitis, & exemplis curemus, ne Deus lædatur, & ploremus cum Propheta malum, quod prohibere non poſſumus: *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam*. Pſal. 118. Servus, qui vere amat dominum ſuum, poteſt ne teſtis eſſe injuriarum, quibus ille laceſſitur; quin reluctetur, vel ſaltem quin dolore tabeſcat, ſi injuriam propulſare non poſſit? *P. Segneri in Meditat.*

Veri & falſi zeli notæ.

Verus zelus eſt patiens. Zelus omnis, qui cum impetu fertur, nimium cupiditatem ſuam præ ſe

fert,

ſert, ita ut verus zelus haberi non poſſit. Zelus omnis, qui prudentia, & charitate vacuus eſt, vitioſus eſt. Zelus omnis inordinatus metuendus ſemper eſt; omnia exaggerat; nullius rei habet rationem; ſe ipſum audit dumtaxat, & cogitationes quibus in anteceſſum præoccupatus fuit, quæ ut plurimum injuſtiſſimæ ſunt, ac falſo inſiſtentes judicio. Quo magis temeritatis ineſt illis, eo ſibi plaudit magis, & cum plerumque multa ignorantia illi comes accedat, quæ vulgo illius pars eſt, ipſa imprudentia ſua eum ferociorem efficiunt. Virtus adhuc infans, ut plurimum indiſcreti zeli capax eſt, & facile in ſeveritatis exceſſum erumpit, præſertim vero erga alios. Vis', Domine, dicebant Sancti Jacobus, & Joannes acti zelo paulo acerbiore contra Samaritanos, qui illius diſcipulos expulerant: Vis', dicamus, ut ignis de cœlo ruat ſuper eos, eoſque abſumat? Hic zelus nimis durus erat, nimiſque ſeverus, ideoque Salvator illos corripuit dicens: *neſcitis cujus ſpiritus ſitis*. In hoc ardore, cui zeli nomen tribuitur, ſæpe illuſio non deeſt. Alii ſuum ingenium ſequuntur in nimiam ſeveritatem incidentes, alii in corripiendam ignaviam. Innocentia morum in Confeſſario nonnumquam eſt cauſa, propter quam ſe nimis difficilem præbet, quod ſatis frequenter non oritur tam a zelo, quam a ſecreta quadam aſſertæ ſuæ perfectionis vanitate. Ipſæ etiam Confeſſarii imperfectiones illum nimis indulgentem efficiunt, eo quod propriam intuetur miſeriam. Sola theoria plerumque efficit, ut aliquid nimis celeriter condemnetur; & diuturna praxis efficit, ut nimia cum facilitate abſolvatur. Omnis falſus zelus effectus eſt cupiditatis. Qui hoc animantur, illos imitantur, qui a S. Juda vocantur nubes ſine aqua, quæ ad ventorum arbitrium circumquaque feruntur, & in fulgura, atque tonitrua ſolvuntur. Verus zelus ſemper cum patientia, & lenitate conjunctus eſt. *Pater Croiſet*.

Peccatorem a vitiis avocare hoc eſt illius eſſe Salvatorem.

Intelligis ne quid ſit animam a morte ſalvam facere? Hoc eſt aliquid majus iis, quæ olim fecerunt Joſue, & Gedeones, quibus Salvatoris nomen inditum eſt, eo quod tutati ſunt populum ſuum ab hoſtibus, qui illis nonniſi corporis vitam poterant auferre. Peccatorem ſalvare, illum convertere, eſt quodammodo illius fieri Salvatorem, eodem modo quo ipſe Dei Filius Salvator eſt; hoc eſt Filii Dei munere fungi. Hoc eſt eſſe illius Miniſtros, & cooperatores, uti loquitur Apoſtolus, ſalutem animarum operari: *Dei ſumus adjutores*. Ullum ne munus eſſe poteſt ſublimius, & homine Chriſtiano dignius? *P. Segneri in Meditat.*

Hæc eſt voluntas ejus, qui miſit me, Patris: ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo. Et ſane cum nihil ſit antiquius Deo quam ſalus animarum; nihil etiam illi poteſt eſſe jucundius officio, quod illi præſtamus illas ex abyſſo educentes, & ad primum ipſarum principium revocantes. *Nihil ita gratum eſt Deo, & ita caræ, ut animarum ſalus*, S. Chryſoſtomus inquit. Hoc eſt generale totius ſanctæ Scripturæ argumentum, hic finis myſteriorum omnium, centrum oblectationum Dei, ſcopus omnium conſiliorum & operum ipſius; propter quem S. Auguſtinus ait, formavit cœlos, extendit maria, terræ jecit fundamenta, & quod longiſſime gravius eſt, propter quem unigenitum ſuum miſit in terram. Hinc S. Gregorius Magnus ait, Omnipotenti Deo nullum gratius offerri poſſe ſacrificium, zelo animarum; & S. Jo: Chryſoſtomus teſtatur nihil Deo acceptius fieri poſſe, quam totum vitæ ſuæ ſpatium in commune omnium hominum bonum conferre. Ad id ſerio pauliſper attendite vos, qui præeſtis tot regundis mortalibus: quos ſi minus omnes in cœlum inducere licet, omnes induſtriæ veſtræ nervus ſaltem intendite, ne perdatis aliquem eorum, quorum curam, ſalutemque vobis, ac veſtræ fidelitati commiſit, ut cum Salvatore dicere valeatis: *Quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Joan. 18. *P. Nouet in Medit.*

Dæmon nihil intentatum relinquit, ut animas perdat; ita & nos agamus illas ſalvas facturi.

Nulla verſutia eſt, qua non utatur diabolus animam in inferos detracturus. Attentus potiſſimum ei, quæ in nos dominatur cupiditati, nihil prætermittit, ut illam palpet, & foveat. Voluptuoſis voluptates, avaris opes, ambitioſis promittit honores; verbo ſingulos oppugnat ex parte deteriori. Vir zelo ſuccenſus pro humana ſalute adverſatur artibus ſpiritus mendacii omni induſtria, quam illum edocet charitas ſemper ingenioſa, cum ardet. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes J. C. lucrifacerem; ſuavis, ſeverus, indulgens, inexorabilis, patiens, ſollicitus pro re nata, & juxta perſonarum characteres. Huc enim Paſtores, & rectores animarum omnem attentionem, ac induſtriam ſuam debent transferre. Quod igitur probrum eſt, quod diligentius dæmon quærat artes hominum perdendorum, quam J. C. miniſter eorum ſalvandorum rationem inquirat? Trepidandum quidem eſt ignavis, & parum attentis Miniſtris. Quot animæ in eorum manibus pereunt, eo quod illis non aperuerunt eas ſalutis vias, quæ ſingulis erant appoſitæ! Quot rationes aliquando reddendæ! *P. Segneri in Meditat.*

Conciones, redargutiones, monita, conſilia, & exempla bona, quæ hæc omnia debent animare, citra dubitationem aptiſſima ad peccatorem ab errore revocandum ſunt adminicula; tamen alia quoque ſuppetit ratio, qua nemo uti non poteſt ad finem eumdem, hoc eſt orare pro illis, qui ad id per ſtatum ſuum vocati ſunt, & qui ad converſionem animarum incumbunt. Etenim attendite; S. Jacobum dicere non ſolum quod ille, *qui peccatorem converterit*, ſed qui aliquid contulerit ad peccatoris converſionem, hic *ſalvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum*. Non omnium eſt erudire, & dirigere eos, qui errant: ſed omnes orare poſſunt, & hoc pacto velificari laboribus eorum, qui proximorum converſioni ſeſe devoverunt. *Fratres orate pro nobis, ut ſermo Dei currat, & clarificetur, ſicut & apud vos.* Multo magis, cur orationibus veſtris dumtaxat non obtinebitis converſionem peccatoris? Oratio tutiſſima eſt ad illum convertendum via, ſi minus, maxime vobiſmet ipſis eſt meritoria. Qui cum hominibus de ipſorum agit converſione, ut plurimum laterem lavat; ſed qui de eadem cum Deo agit, ſemper voti fit reus. *P. Segneri in Meditat.*

Quilibet juxta ſtatum ſuum zelare debet ſalutem proximi ſui.

Spiritus Sanctus non vult dona ſua in noſtrum dumtaxat uſum converti; ſi eorum erga nos prodigus eſt, ideo eſt, ut alii quoque fiant participes immenſarum divitiarum amoris. Ita JESUS CHRISTUS non ait: *flumina aquæ vivæ fluent in ventrem*; ſed *fluent de ventre ejus, qui credit in me*. Joan. 7. Non igitur ſatis eſt gratiarum, atque virtutum locupletem eſſe, niſi iiſdem utamini, ut fratribus veſtris opitulemini, exemplis, ſermonibus, aut ſcriptis; verbo, niſi ſecundum ſtatum veſtrum illos vocetis in partem peculiarium donorum, quæ cœlitus accepiſtis. Ubique inveniuntur, qui ſpiritualibus indigent ſubſidiis; væ vobis, ſi propter auxilii veſtri defectum perierint. Conſilium opportune datum, verbum unum opportune prolatum hominem hunc ad officium revocaſſet; quia autem par non eſt hujuſmodi officiis præſtandis fratri ſuo? Iis vero, qui hoc præſtare neglexerint, quænam Deo ratio erit reddenda! *Idem*.

Furor, qui Dæmonem agit in nos, non coarctatur ad quarumdam animarum excidium: ſævit adverſus omnes homines; inexplebilis eſt, neque dicit unquam ſatis: *Infernus numquam dicit, ſufficit*. Ita noſter quoque zelus eſſe debet univerſalis, & ſine ulla exceptione eos omnes complectitur, ad quos ſe ſe poteſt extendere. Anima artificis, pauperis, miſeri, æque Deo chara eſt, ac anima Principis, & Regis. Mortuus eſt pro omnium ſalute, & omnium ſalutem deſiderat. Quænam ergo

eſſet

Digitized by Google

eſſet Evangelici Præconis prævaricatio, qui nonniſi coram principibus terræ concionari vellet & ad parvulos erudiendos ſe ſe non ſubmitteret? Quænam prævaricatio in Confeſſario, qui pauperibus ſuas curas, & conſilia negaret, eaque tantum tribuere vellet viris vel genere, vel opibus ſupra ceteros præſtantibus? Zelus, qui vires ſuas haurit a charitate, ſuper omnes ſe extendit, neque hæc novit diſcrimina contumelioſa CHRISTO JESU, qui venit, ut mundum univerſum ſalvum faciat, & pro omnibus ſanguinem fudit. Cæterum ne arbitremor, in laico minime requiri zelum pro ſalute proximi; tenetur ad id conferre quantum in ipſo eſt, ſi minus ſermonibus, ſaltem optimis morum exemplis, precibus, & lacrymis. Zelus ab amore Dei ſeparari non poteſt; etenim verene amatur Deus, cum non ægre patimur, eum ab aliis lædi videntes, & cum non viribus omnibus contendimus, ut ametur? *Idem ibidem.*

Mendacii Spiritus ſtudio aliorum ad hominem perdendum adminiculorum addit furentem in illis adhibendis pertinaciam, ſive conatus illius proſpere cedant, ſive cedant in irritum. Verus zelus peccatoris reſiſtentia non fatigatur; neque tædio afficitur ob illius in bono inconſtantiam. Patienter ſuſtinet repulſam. Per charitatem agit, non propter felicem ſuarum curarum, atque laborum eventum. De fratris tui correctione deſperas, eumque ſibi tradis, quia non ſtatim in juſtitiæ vias non revertitur, quia tua conſilia non ſequitur, vel quia in propoſito non perſeverat. Heu! propter hanc ipſam cauſam ingeminare debes curas tuas in illo; hæc efficere debet, ut magis magiſque ad illius converſionem incumbas præ timore, ne anima hæc ægrotans, quæ curis tuis eſt demandata, pereat, quia tibi pluſculum defuit ſapientiæ. Peccatori huic proprior adeſt, quam alteri cuipiam interitus; ergo dignior eſt miſeratione, quam alius; magiſque indiget tota zeli tui magnitudine. *Non veni ſalvare juſtos, ſed peccatores.* Luc. 4. Charitas patiens eſt. Rebellis hæc anima tandem victas dabit manus correptionibus tuis; fortaſſe hac ipſa etiam die, fortaſſe etiam craſtina cedet. Fortaſſe felix adeſt converſionis ejus momentum tunc temporis, quo ab eadem recedere cogitas. Piſcator totum amiſit diem, nihilque piſcatione ſua cepit; cum jam jam domum cogitat, adhuc jacit rete ſuum, & præda, quæ toties illum fefellerat, in retibus invenitur. Hinc videtis patienter agenti deſperandum non eſſe de eventu operis ſuſcepti, præſertim ſi ad majorem Dei gloriam ſuos labores, ſuaſque curas impendit. Cæterum non zeli ſucceſſus coram Deo miniſtrorum ipſius merita conſtituit: plantant illi quidem, & irrigant, ſed Dei eſt dare incrementum. Hominis Apoſtolici merita ex illius tantum curis & laboribus æſtimantur: *Mercedem accipiet ſecundum laborem ſuum.* Ad Cor. 1. 9. Hæc quidem optima eſt conſolatio illis, qui inceſſanter ad proximi ſalutem procurandam incumbunt, licet leviſſimum ex laboribus ſuis referant fructum: ſed terribile verbum eſt ignavis, aut vanis operariis, qui eo quod labores ſuos in irritum cedere vident, muneris ſui officia negligunt. *P. Segneri in Medit.*

Quam gloriam recipiat homo ex laboribus ſuis, per quos proximo gratiam procurat.

Quicumque operam navat, ut homines retrahat a peccato, fungitur officio legati Omnipotentis: *Quaſi os meum eris.* Jerem. 15. Quam jucundum te Domino præbes, ſi fideliter hoc fungeris miniſterio? Hoc illud fuit ejuſdem Salvatoris, cum verſabatur in terris. Organum fuit Patris ſui, ut voluntates illius hominibus aperiret. Apoſtoli, ac omnes Apoſtolici viri in hæc Salvatoris officia ſucceſſerunt. Hæc tamen non eſt ratio ſola, propter quam dicit Deus, eum, qui cooperatur proximorum ſaluti, fore quaſi os ipſius. En alteram. Os hominum profert verba, ſed ex ſe non proferunt effecta; cum Dominus per ſolum verbum ſuum agat. *Ipſe dixit, & facta ſunt.* Pſal. 32. Præcipit, & mundus ſtatim ex nihilo exiſtit. At per organum ſervorum ſuorum aliquid majus operatur, quam ſi mundum crearet, videlicet impii juſtificationem. JESU CHRISTI Miniſter revellit hominem a ſinu peccati virtute divini verbi, miraculum majus, quam mundum ex nihilo creare. Etenim ut illud prætercam, quod mundus non reſtitit Dominicæ voluntati, quod facit homo; mundi creatio intra naturalis boni fines continebatur; ſed peccatoris juſtificatio bonum eſt ſupernaturale. Ecce magnum illud opus, ad quod non modicum conferre vobis licet zelo veſtro in proximi ſalute procuranda. *Idem ibidem.*

Cum proximum noſtrum de dæmonis ſervitute eripimus, tunc illum JESU CHRISTO reſtituimus. Anima hæc in ſervitutem lapſa eum damno affecerat. Illius erat omnium jurium titulo; illam ſibi adeptus fuerat pretio ſudorum, paſſionum, & mortis ſuæ. Hæ cogitationes quam aptæ ſunt ad inflammandum in nobis zelum pro ſalute proximi! Ita eſt, hic peccator, hæc ingrata, ignava, & abjecta creatura illa eſt, cujus mortem nonniſi cum dolore fert JESUS CHRISTUS; & pro hac mortuus eſt: *Pro qua Chriſtus mortuus eſt.* Rom. 14. Itaque quodnam glorioſius facinus eſt, quam ad fratrum noſtrorum ſalutem cooperari? Hoc eſt cooperari Salvatori noſtro ad humani generis, hoc eſt præſtantiſſimi operum ſuorum, redemptionem; hoc eſt eſſe *cooperatores Dei.* 1. Cor. 3. Quænam gratiæ tanto huic inhærent miniſterio! *Idem ibidem.*

Quantumvis graviſſimæ ſint cauſæ, quibus agimur, ut proximum noſtrum a vitiis omnibus retrahamus, dicimus tamen deeſſe nobis talenta ad tantum hoc munus neceſſaria. Ecce quid inani huic excuſationi reſponderi poſſit: Opitulare pro viribus proximo tuo; deſunt lumina, & requiſitæ qualitates, ut peccatorem erudias, & moveas, ſed pro illius ſalute fac quidquid vales juxta vires, ac ſtatum tuum. Cum modico zelo, cuinam rei pares non ſumus? zelus non aliud eſt, quam charitas Chriſtiana, ſed charitas quantum pollet ingenio? Hoc ſatis nobis oſtendit beatiſſima Virgo, quæ ſub ſpecie adeundi conſobrinam ſuam, ac obeundi meræ urbanitatis officium, viam ſibi aperit nonnihil conferendi ad Joannis Baptiſtæ ſanctificationem. Non patheticis tantum ſermonibus lucramur animas Deo; verus zelus alias hujus rei efficiendæ rationes adfert. Nonne tibi cor eſt ad fratrum tuorum ſalutem optandam? Nonne lingua, ad preces Domino fundendas, ut illos immutet? Non oculos, ut eorum plores cæcitatem? Non manus, ut iniquitates eorum eleemoſynis redimas? Charitas ſcit hæc omnia in praxim redigere. Et cum id agimus, quod in nobis ſitum eſt, Deo ſatis eſt: ejus ira flectitur in favorem proximi noſtri, & ejus miſericordia tangit animos, quæ nullo infelicitatis ſuæ ſenſu affici videbantur. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Pſal. 115. Hoc cum regio pſalte tibi dico Domine; & tu per Spiritum Sanctum tuum mihi reſpondes: Pro viribus auxiliare proximo tuo. In hunc jura mea transfero, & te mihi pro omnibus beneficiis meis ſatis ſuperque feciſſe puta, cum erga illum omnia charitatis officia perſolveris. Quinam divitiarum fons eſſet homini, hoc pacto in jura tua, Domine, traduci erga alios homines, niſi iſti tibi eſſent ingrati. Sed quæ mihi conſolationis eſt cauſa, noſſe, tibi non injucundam eſſe gratitudinem meam, cum miſereor malorum fratrum meorum, eorumque neceſſitatibus non deſum! Si minus illos erudire valeo, & conſiliis juvare, exemplis meis ædificabo. Si ad illos loqui non poſſum, pro illis ad te, Domine, loquar, tibique pro illis offeram vota, lacrymas, opera charitatis, & pœnitentiæ. *P. Segneri in Meditat.*

Nullus eſt Chriſtianus, qui ſaluti fratrum prodeſſe nequeat.

Inutilis eſſet excuſatio veſtra, ſi diceretis vos nihil pro ſalute proximi moliri, quia ad munera Apoſtolatus non eſtis vocati. Orare vobis licet pro fratribus veſtris pereuntibus, quid vobis obſiſtit?

Orandum eſt pro fratrum ſalute.

Quid

Quid reſpondebitis in JESU CHRISTI judicio, niſi munus hoc eſſentiale obieritis? *Orate pro invicem, ut ſalvemini*. Jacob. 5. Excita Domine in eccleſia tua viros zelo ſuccenſos, qui ſalutem procurent horum cæcorum miſere pereuntium. Ut eos in viam ſalutis revocent, primi cum illis per eamdem ambulent viam; non pareant laboribus, aut curis ad ſalvandas animas, quas ipſe tuo ſanguinem redemiſti. Quam glorioſi ſunt iſti Apoſtolicorum virorum miniſtri! Quam beati labores eorum! agitur de fratribus eorum, quos de teterrima liberant captivitate. Mortui ſunt, qui per illos ad gratiam reviviſcunt; rei infelices, quos ut ita dicam retrahunt ex inferno. Dignum Deo munus! Quam glorioſum illis, quibus ipſum Deus communitate dignatur. Honor tua legendi veſtigia, o Salvator! voluptas ſalvos faciendi miſeros ſatis repararet in miniſtris tuis miniſterii ipſorum curas, atque labores; ſed locupletiſſimas etiam mercedes promeremini; adeo vobis curæ eſt ſalus animarum. Si per ſtatum, laboreſque meos nihil conferre poſſum ad peccatorum converſionem, hoc efficere ſaltem poſſum exemplis, & precibus meis. Ædificabo illos, quantum erit in me, & aſſiduo fatigabo te precibus meis, Domine, in gratiam eorum. Quid me magis movere debet, quam tibi lucrari animas, quæ tanto tibi pretio ſteterunt? *Idem ibidem*.

Suæ magis ſaluti, quam alienæ conſulendum eſt. Hoc Sancti Auguſtini eſſatum ſumma ejuſdem ſapientia dignum eſt, & ſancti, qui illud ſecuti ſunt, ipſum ſolidis rationibus confirmant. Tenet Sanctus Bernardus, charitatem, quam quiſque ſibi debet, primam eſſe ab illa, quæ nos Deo conjungit. Ita loquitur. Charitas tua a te ipſo ducat initium. Ne obliviſcaris tui te effundens in ea, quæ ſunt extra te. Quid tibi prodetit univerſum mundum lucrare, ſi perdideris animam tuam? Licet in reliquis te ipſa ſapiens eſſes, niſi tibi ſapis, deeſt aliquid ſapientiæ tuæ. Quid vero deſit quæris? Vin' dicam, quid ſentio? Omnia deſunt. Licet omnia intelligere myſteria, licet terræ latitudinem, altitudinem cœli, mariſque profunditatem dimenſus eſſes; ſi te ipſum non noſti, ſimilis ex ædificanti, quin fundamenta jeceris; ſublimem quidem ruinam, non autem ædificium ſtrues. Quidquid condideris extra te, tamquam pulvis erit, quem in aerem ventus capit. Omnes id genus veritates S. Bernardum in hanc illationem perduxerunt. Nemo prudens, qui ſibi prudens non eſt: *In acquiſitione ſalutis, nemo tibi germanior unico Matris tuæ. Auctor recens*.

Quemadmodum impii ſocietatem inire videntur per eos nexus, qui inter ipſos intercedunt: ut pietatem, & virtutem evertant: Sancti quoque conjungi conſuevere, ac mutuis ſe ſe ſubſidiis communire ad flagitia diſſipanda. Non minorem præſeferunt in virtute tuenda zelum, quam æquo liberiores, in eadem impugnanda. Suo deeſſe putarent officio, ſi hac in occaſione infirmitatem, aut timorem oſtenderent; neque munus obirent ſuum, niſi traderent omnia indicia conſtantiæ in bono inconcuſſe, non ſecus ac impii in malo. Illi ſe nocentes coram Deo ſtatuerunt, niſi ſimul contra infeſtiſſimos illius hoſtes conſpirarent; niſi ſanctum fœdus percuterent ad illos impugnandos, Deique regnum in cordibus eorum ſtabiliendum. *Auctor recens*.

Vera falſi zeli deſcriptio. Quod in Sancta Dei Eccleſia videntur zelotes imprudentes, qui evitare cupientes tarditatem, & ignaviam quorumdam ſpirituum torbidorum in extrema oppoſita ruunt, & magno cum impetu ſequuntur ingenium ſuum ardentem, ac æſtuantem, rati ſe Spiritus Sancti motus ſequi. Devoti hi cenſores, & critici nemini parcunt, & ſæpe gaudent, ſi potius errorem corripiendum, quam virtutem imitandam inveniant. Quot intuemur hoſce devotos ultionis cupidos, qui ſuam cum Domini gloria permiſcentes plus notunt excogitare prætextos, ut de inimicis ſuis ultionem repoſcant? Quos moderatores, qui reformationem crepantes veritatem ſe propugnare jactitent, dum illam impugnant, eccleſiam reſtaurare, dum illius fundamenta ſubvertunt, & qui Religionis colore eamdem Religionem labefactant. Aſſerti hi viri boni, qui pertinaciter aliquibus adhærent, quibuſdam ambagibus irretiti ſpiritus ſunt perniencioſi, qui nonniſi de concordia, & pace loquuntur, & ſemper fovent diſſidium, & bellum: invidi ſpiritus, qui bene conſtitutam aliorum famam evertunt, ut cauſæ ſuæ majorem exiſtimationem concilient. Maligni ſpiritus, qui charitatem jactant, omneſque regulas ejus evertunt. *Sermo Alter Accademiæ anni* 1695.

Reditus animæ ad Deum ſuaviſſimum ſpectaculum eſt omnibus cœleſtibus Spiritibus. Cum animæ pretium cognoſcant, citra gemitus illius interitum intueri non poſſunt. Si cogitamus animam hominis abjectiſſimi redemptam fuiſſe pretio Sanguinis Filii Dei, poſſemus ne ejuſdem excidio non moveri? Poſſumus ne JESUM CHRISTUM cognoſcere, & in JESU CHRISTO credere, ut citra dolorem videamus nequiſſimum abuſum, qui de illius ſanguine fit? Nonne Salvator ipſe ad zelum noſtrum ciendum nonne nobis oſtendit ſollicitudinem ſuam, qua quærit, ut peccator ad ſe revertatur, cum nobis aſſerit cœleſtes intellectus præ gaudio exultare? Oblectatio, qua Dei Filius afficitur, & quidquid agit, ut peccator revertatur ad illum, ac de pravis habitibus ſuis referat triumphum, nobis palam oſtendunt, quam damnabilis ſit hæc ſalutis proximi negligentia, & quo zelo nobis omnibus procurandum ſit, ut proximus noſter ope gratiæ conetur ex ſuis flagitiis emergere, & per ſinceram pœnitentiam ad Deum reverti. *P. Croiſet in Exercit. Aſcetic. Tom.* 5.

Juſtus operit multitudinem peccatorum illius, quem converterit, quia illum convertens, detrahit ſuper illum miſericordiam, per quam omnia illius peccata teguntur, atque delentur. Dici poteſt etiam, charitatem illius, qui cooperatur, & quocumque modo confert aliquid converſioni fratris ſui, utriuſque peccata operire. Singuli multa delinquimus, Sanctus Jacobus ait c. 3. 2. & juſtiſſimus quiſque tenetur dicere Deo per ipſius JESU CHRISTI mandatum, *dimitte nobis debita noſtra*. Matth. 6. 12. Sicuti autem Dei Filius aſſerit, illam miſericordiam eſſe conſecuturum, qui fecerit miſericordiam; omnibuſque dicit: *date, & dabitur vobis: dimittite, & dimittetur vobis*; Matth. 5. 7. quis dubitat non eſſe hanc præſtantiſſimam rationem miſericordia utendi erga peccatorem, cum hic ab errore ſuo revocatur? Tegimus etiam propriorum ſcelerum multitudinem aliena tegentes peccata; ac ipſi recipimus gratiam, & veniam, quam alteri procuramus. Incumbamus igitur ad fratrum noſtrorum converſionem, ſi illos diligimus, & ſi diligimus noſmet ipſos; quoniam eorum, & noſtræ ſalus eſſe debet fructus laboris noſtri. Utamur inſtructionibus, correptionibus, ſupplicitis, conſultationibus, beneficiis, & ut verbo me expediam, rebus omnibus, quas huic bono operi profuturas intelligemus. Sed quidquid agamus, addamus ſemper preces, quoniam, qui plantat, & rigat, nihil ſunt, ſed Deus, qui dat incrementum. *Tourneux in anno Eccleſiaſtico. Tomo* 6. — Saluti noſtræ cooperamur, proximorum ſaluti cooperantes.

Dedit Deus Eccleſiæ Spiritum Sanctum, & per hunc Spiritum omnibus, quos deſtinabat cooperatores in ſalutem animarum, diſtribuit dona, & neceſſarias qualitates ad exercendum miniſterium ſuum, cujuſmodi ſunt talentum verbi, poteſtas miraculorum patrandorum, donum prophetiæ, intel- — Cum Deus tribuat talenta requiſita illis, quod deſtinavit ut

intellectus, ſcientiæ, ſapientiæ. Aliis quidem, affluentiorem horum bonorum copiam concedit, quam aliis; ſed vult utroſque in lucro ponere id, quod receperunt, quia poſt reditum ſuum, videlicet in altero adventu ſuo ab illis repoſcet rationem modi illius, quo gratias ſuas in quæſtu collocaverint. Servi illi uno, qui duplam retulerunt argenti vim, quam illi pater familias tribuerat, ſunt fideles miniſtri JESU CHRISTI, qui illius tantum gloriam inquirunt, utuntur ad eamdem augendam gratiis omnibus, quas receperunt; videlicet cum zelo cooperantur ſaluti animarum, nullique rei parcunt, ut placeant illi, a quo ſibi dictum fuit: *Ego conſtitui vos ut eatis, & fructum afferatis*. Joan. 15, 16. Hi igitur illi ſunt ſoli, qui ardenter cooperantur ad ſalutem animarum, & qui expectare poſſunt, ſe a Domino excipi verbis illis, venite ad uberrimam percipiendam mercedem pro modico eo, quod feciſtis. *Quia in pauca fuiſti fidelis ; . . . intra in gaudium Domini tui*. Matth. 25. *Tourneux in anno Chriſtiano*. Tomo 8.

operam ſuam locarent ſaluti animarum ex illis diſtrictam rationem repoſcet.

Qui Domini ſui talentum infudit, quin ex illud in lucro poneret, eos exhibet, qui per ignaviam, aut timorem in JESU CHRISTI ſui gloriam, vel Eccleſiæ utilitatem non impendunt talenta, quæ ab eo receperunt. Nam ſapientia, quæ ſe ſe non communicat aliis, idem eſt, inquit Scriptura, ac theſaurus humi defoſſus. Nemo lucernam accendit, ut teneat ſub modio, ſed ut domum illuſtret iis luminibus, quæ ad id fuere conceſſa. Habere donum verbi, & tacere; aptum eſſe ad alios regendos, & nolle alicujus regendi curam ſuſcipere; denique poſſe aliis prodeſſe, & ſibi tantum vivere, hoc in Evangelio vocatur in terram abſcondere pecuniam Domini ſui; nam ratio ab eo reddenda major erit, minorve ſecundum ea, quæ receperit. *Idem ibidem*.

Finis quarti, & ultimi tomi in omnia Ethica chriſtiana argumenta.

INDEX.

INDEX RERUM.

Prior numerus tomum, alter tomi paginam indicat: ubi deeſt prior numerus, ſeu Romanus, ſubintelligendus eſt proxime antecedens.

A

Aron; ejus liberi a Deo puniti, quod ignem extraneum in Sanctuarium intulerint. II. 25

Abel; ab ejus exemplo diſcendum veram devotionem eſſe in corde. I. 664. exemplar innocentiæ in juventute. 4. Sacrificia ab Abele Deo oblata differebant a ſacrificiis Cain intentione, quam hi duo fratres habebant. II. 575

Abigail quomodo noverit Davidis iram lenire. II. 612

Abnegatio ſui ipſius includitur in ſe toto permittendo divinæ voluntati. I. 507

Abraham, exemplar charitatis erga proximum. I. 181. in quo apparuerit ejus amor erga Deum. 103. ejus prudens conſilium erga Lot ad evitandas rixas. 723. poteſt proponi ut exemplar victoriæ omnium affectuum. 35. Ejus fides & confidentia in Deo. 468. Eſt exemplar conformitatis divinæ voluntati. 494. ejus hoſpitalitas. II. 76. Eſt primus typus obedientiæ Dei præceptis debitæ. III. 601. ejus paupertas ſpiritus, & a cunctis rebus terrenis alienatio. 464. Cur Deus ei juſſerit, ut patriam ſuam deſereret. IV. 196

Abſalon; ejus viles adulationes, ut ſe ad thronum elevaret. I. 62. Exemplar amoris proprii. 209. ejus rebellio in Davidem patrem & regem ſuum, illiuſque infelix eventus. II. 223

Abſentia amicorum. I. 94

Abſolutio non danda peccatori habituali. I. 460

Abſtinentia; vide *jejunium*. II. 397. rationes nos ad abſtinentiam adſtringentes. 398

Abſurditas Atheorum, & impiorum. I. 247

Abuſus, quos committunt Confeſſarii in tribunali confeſſionis. I. 461

Accuſatio ſui ipſius in ſacramento pœnitentiæ. I. 459

Achab; ejus inhumanitas erga pauperes tempore famis. II. 76. ejus exemplo diſcitur, quam potens ſit jejunium ad flectendam divinam indignationem. 402

Achan; ejus furtum & avaritia. I. 571. ex ejus pœna perſpicitur, quam Deus furtum horruerit. II. 236

Achaz a Deo punitus magis induratur. IV. 385. ejus avaritia. I. 271

Actiones gratiarum a nobis Deo reddendæ ob beneficia ab eo nobis collata. II. 543

Adam; ejus ambitio. I. 62.63. ejus cæcitas. 363. primus eſt, qui Dei præceptum violaverit. III. 601. magna pace potitus, quamdiu juſtitiam originalem ſervavit. 481. primum exemplum eſt rigidæ pœnitentiæ. 366. pœna peccati in eo, ejuſque poſteris. 499

Adoleſcentia. Inſtitutio juventutis, & monitum de eo, quod hic titulus complectitur. I. 1. multiplex concionum hujus argumenti ſtructura. *ibid.* fontes, & auctores, unde hauriri copia queat ad propoſitas concionum ſtructuras amplificandas. 3. loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento. 4. & 5. loci, & ſententiæ SS. Patrum ad idem. 6. quid ad hoc ex Theologia depromi poſſit. *ibid.* delecti ex aſceticis libris, nuperiſque concionatoribus loci ad hoc argumentum. 9

In quo juventutis inſtitutio ſita ſit. 6. nulla eſt adeo perverſa indoles, quæ proba inſtitutione corrigi, & mutari non poſſit. 8. bona juventutis inſtitutio non pendet ſolum a bona natura, ſed etiam a cura, quæ in ea excolenda impenditur. 7. ars bene educandi juventutem peritos, & notæ probitatis magiſtros requirit. 8. ingenia quædam ſunt adeo egregia atque felicia, ut facile inſtituantur. *ibid.* recta educatio chriſtiana eſſe debet. *ibid.* quanti referat ab adoleſcentia viam virtutis amplecti. 10. quam curam adoleſcentiæ inſtituendæ chriſtiani reges ſuſceperint. 11. negligentia recte inſtituendi adoleſcentiam omnia vitæ civilis mala parit. 16

Neceſſitas recte adoleſcentiam educandi. 3.8.9. difficile eſt citra optimam inſtitutionem adoleſcentes a mundi contagione præſervari. 9. adoleſcentes aliqua ope magis indigent in adoleſcentia, quam in reliquo vitæ curſu. 11. licet felici natura donemur, hanc ſtatim vitia corrumpunt, niſi recta acceſſerit inſtitutio. 14. difficile eſt in tenera ætate dignoſcere, quam viam ſit homo ingreſſurus; recta ſemper opus eſt inſtitutione, 6

Quanti referat adoleſcentes recte educari. 6. bene inſtituta pueritia prædeſtinationis indicium. 2. 7. tota hominis vita ut plurimum ab exactæ pueritiæ ratione dependet. 9. publicum privatumque bonum ab adoleſcentiæ recta educatione dependet. 11. in puerorum educatione eccleſiæ gloria, & reipublicæ utilitas agitur. 10

Rectæ inſtitutionis commoda. Adoleſcentiæ educatio ſupplere debet experientiæ defectum. 8. faciliorem efficit virtutis exercitationem. *ibid.* vitæ chriſtianæ ſimul & civili prodeſt. 9. optime educatus facilius redit ad officium. 8

Munus eorum, qui puerorum inſtituendorum curam gerunt. 2.7.15. horum zelus perfectiſſimus. 7. qualitates, quibus eſſe præditi debent ii, qui ad hoc munus vocantur. 3. quinam pueritiæ inſtituendæ ſint aptiores. 11. de Deo valde benemerentur ii, qui adoleſcentiam erudiunt. *ibid.* Gerſonis exemplum. *ibid.* error illorum, qui non ſatis aptos ad hoc munus viros eligere negligunt. 9. tunc adoleſcentibus præceptores auferuntur, dum eorum magis indigent auxilio. 12

Malæ juventutis educationis effectus & eventus. Falluntur, qui adoleſcentiæ tempus voluptatibus addicendum putant. 7. mali habitus in adoleſcentia contracti difficilius vincuntur, quam reliqui. *ibid.* qui adoleſcentiam in vitiis tranſegerunt, raro convertuntur. *ibid.* prava educatio eſt multorum reprobationis cauſa. 9. mors in peccato iis potiſſimum impendet, qui in adoleſcentia in omnia ruunt flagitia. 10. Commoda illorum, qui a teneris Deo ſervire incipiunt. 1.14. acceptiſſimum Deo eſt adoleſcentiæ ſervitium. 2. cur Deo diluculo ſerviendum. 5. virtus longe facilior eſt, cum a pueritia incipit exerceri. 13. qui Deo ſe devovere differt, periculum eſt, ne ſe illi unquam devoveat. 14

Adoleſcentum vitia, atque defectus. 11. 12. juvenes ſibi felicitatem ſpondent, atque omnia ſibi e voto ceſſura putant. 14. quam ridicule ſe plerique gerant adoleſcentes, ubi primum in mundum prodeunt. 15. illico malum ediſcunt, idque gloriæ ſibi vertunt. 16

Remedia contra adoleſcentiæ vitia & defectus. 8. docet experientia adoleſcentiam recte licet inſtitutam corrumpi. 9. otium adoleſcenti fugiendum. 10. 12. adoleſcentes impiorum fugiant conſortia 11. intereſt adoleſcentum, ſi cum viris virtute præditis conſueſcant. 12. pietatis exercitia remedium ſunt adoleſcentibus contra ſæculi corruptionem. 13. nemini magis neceſſaria eſt mortificatio chriſtiana, quam adoleſcenti. 10

Præcepta chriſtiana adoleſcentibus ſuggerenda, & regulæ, quibus eorum agendi ratio moderanda. 14. maxime intereſt puerorum, ſi rectam vivendi rationem ineant. 12. quanam in re adoleſcentiæ meritum conſiſtat. *ibid.* intemperantia, & impudicitia præ cæteris vitiis juventuti evitanda. 11. adoleſcentes vitæ ſtatum eligere debent, & quomodo. *ibid.* illis annitendum, ut Dei vocationem intelligant, & ſequantur. 13. plurimi intereſt, ſi adoleſcentes, cum mun-

mundum ingrediuntur, præclaræ ſuæ virtutis ſpecimina dederint. 15. præcepta, quæ ob id ſequi debent. *ibid.* honorem ſuum in re minimi momenti agi putare non debent. 16. antevertere debent occaſiones jurgiorum, quæ in illus fortaſſe excitabuntur. 15. illis præcavenda ſunt pericula, quæ ſubit adoleſcentia. *ibid.*

Adoratio Dei eſſe non poteſt ſine amore. I. 518

Adverſitas; vide *Tribulatio*. IV. 380. remedium eſt plerumque criminum. 395. lapis lydius eſt, veri amici. I. a 88

Adulatio virus amicitiæ. I. 94. Abſalonis aſſentationes, ut regnum aſſequeretur. 20

Adulatio. Titulus cum monitu, ubi diſſeritus, de quo ibi agatur. I. 17. varia concionum hujus argumenti ſyſtemata. *ibid.* fontes, & auctores, unde hauriri copia queat ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas. 19. loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento, *ibid.* & *ſeqq.* loci, & ſententiæ SS. Patrum in idem. 21. quid ad hec ex Theologia depromi poſſit. 22. delecti ex aſceticis libris, & nuperis concionatoribus loci ad hoc argumentum. 23

De adulatione generatim, ejus natura, & notione. Adulationis definitio. 22. conſiderari poteſt adulatio vel ratione adulantis, vel ratione illius, cui adulatur, vel cui laudari placet. *ibid.* & 17. pluribus virtutibus adverſatur. 23. opponitur ſinceritati. 24. vitium eſt odioſum, ac turpe. 18. honeſto viro indigna. 27. ingentem cordis imbecillitatem oſtendit. 17. abjectarum animarum vitium eſt. 30. amicitiæ contraria eſt. 29. aſſentationes callidæ & exquiſitæ. 28. diſcrimen inter verum amicum & adulatorem. 29

Adulatores. Hi ſunt falſi amici, & veri ſeductores. 25. 28. duplex cor adulantium. 21. omnia amicitiæ jura violant. 18. jure merito appellari poſſunt pſeudoprophetæ. 21. nocentiores ſunt invidentibus. 18. adulatorum character. 26. adulator expectat, ut viciſſim aduletur. 25. qui adulantur, ut plurimum ea, quæ dicunt, minime credunt. 27. ſæpius illudunt illis, quibus blandiuntur. 29. adulatio numeris muſicis comparatur. 21. adulator ſimul plura peccata committit. 28. turpis adulantium captivitas. 25. de adulatoribus aulicis. 30. adulatori non fidendum. *ibid.*

Adulationis malignitas, & malum, quod infert tam iis, quibus adulamur, quam qui adulationem patiuntur. 18. quam perniciuſum ſit hoc vitium, & ingentium malorum cauſa. 23. quam periculoſa ſit adulatio. 26. qui nobilibus viris adulatur, eos in erroribus detinet, de quibus illos admonere non audent. 23. 24. mala, quæ adulatio generatim parit. 26. 31. efficit, ut vitia virtutum loco habeantur. 28. adulatio nonnumquam ad fallendum, prodendumque inſtituitur. 26

Qui adulationem patiuntur. Imbecillitas eorum, qui ſibi laudes geſtiunt deferri. 17. homines laudum cupidi libenter adulantibus præbent aures. 21. adulatio, quam patimur, nos decipit, & efficit, ut noſmet ipſos minime noſcamus. 24. efficit, ut veritatem oderimus. *ibid.* omnibus in rebus verba nobis dari cupimus. *ibid.* admodum frigide adulatorem rejicimus. 25. nonnulli adulatores ubique quærunt. *ibid.* adulatio, quam principes patiuntur, eſt plerumque cauſa omnium criminum, quæ committuntur. 28. illi, quibus adulamur, oblatas ſe mereri laudes facile cenſent. 29. nullum honorem adferunt adulantium encomia. *ibid.* ſe contemptibilem præſtat, qui ſibi adulari permittit. *ibid.* uter imbecillior ſit adulator, an adulationem patiens. 31. uter ſit nequior. 30. Deus maledictione eos percutit, qui ſibi adulari quærunt, & gaudent. 31. filius Dei adulatores ſemper rejecit. 20

Remedium contra adulationem, & medium illam evitandi. 30. 25. adulatio periculoſa eſt tentatio pro juſtis. 25. vitanda eſt adulatio, & falſæ laudes, quibus afficimur. 26. qui cavet, ne adulator ſit, opus non eſt, ut ſit cenſor non ferendus. 27. temperamentum inter cenſuram & adulationem. *ibid.* adulatio animas probat. 23

Aerius primus hæreticus eſt, qui proſcripſerit jejunium, & ob id inſurrexerit in Eccleſiam. II. 405

Affectus. Titulus & monitum de hoc argumento. I. 31. multiplex concionum hujus argumenti ſtructura. 32. fontes, auctoreſque, unde hauriri copia queat ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas. 34. loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento, 35. & *ſeq.* loci, & ſententiæ SS. Patrum ad idem. 38. quid ad hoc ex Theologia depromi queat. *ibid.* delecti ex aſceticis libris, nuperiſque concionatoribus loci ad hoc argumentum. 40

Quid ſit affectus, eorum natura &c. De affectibus generatim, & affectus definitio. 38. quomodo in nobis excitentur affectus. *ibid.* quid in affectibus boni, quid mali inſit. 39. vitia, vel virtutes evadunt, prout a ratione diriguntur. *ibid.* poſt peccatum originale affectus noſtri in rationem inſurrexere. 46. in ſtatu innocentiæ homo erat abſolutus ſuorum affectuum dominus. 39. quo in ſenſu S. Paulus peccata vocet concupiſcentiam & affectus. 38. quando affectus ex ſe indifferentes criminoſi evadere incipiant. *ibid.* homo magis affectu, quam ratione plerumque regitur. 42. Deus non vult, ut affectus in nobis regnent. 37. omnes noſtri affectus ſunt JESU CHRISTI imperio rebelles. *ibid.* affectus aperiunt quidquid in corde magis abditum eſt. 42. licet inordinati ſint, nobis ſæpe videntur virtutes, & uti tales exiſtimari volumus. 44. ſæpe excuſantur, & virtutum nomine induuntur. 52

Affectuum effectus, & mala, quæ pariunt. Hi ſunt venti furioſi, qui in hujus mundi mari nos exagitant. 36. 41. rationem perturbant, vim diſcernendi adimunt. 40. cruciatus quos inferunt affectus captivis ſuis. *ibid.* affectus nos excæcat, & efficit, ut res, aliter ac ſunt, videamus. 41. extremi ſunt, & ſemper ad exceſſum pergunt. *ibid.* Deus illis præſcripſit limites, ultra quos egredi prohibentur, 37. jugis perturbatio ſuos affectus ſequentium. 41. 44. 50. miſeria, ad quam affectus homines deducunt. 44. duo affectus inter ſe pugnantes quos cruciatus hominibus vitioſis inferant. 46. noſtri affectus ſunt crudeliores noſtri tyranni. 52. quidam non adeo turbidi ſunt, verum effectus haud minus periculoſos pariunt. 51

Malum, quod affectus nobis inferunt, & periculum, in quod nos conjiciunt. Affectuum inordinatio eſt ingens ſaluti obex. 41. nequiores ſunt noſtræ ſalutis inimici. 43. a primo affectus motu tranſitus ad conſenſum facilis eſt. 38. quam metuendi ſunt affectus in Magnatibus, & Principibus. 42. totidem idololatriæ ſunt. 49. peccator & nequam quis eſt, prout a ſuis affectibus ſe regi permittit. 45. qui ab aliquo agitatur affectu, veritates chriſtianas funditus nequit intelligere. *ib.* Obligatio, & neceſſitas noſtros affectus expugnandi, & domandi. 32. 51. 52. omnes propriis paſſionibus afficiuntur, quas omni niſu domare debent. 39. nemo eſt, & nequit eſſe ab affectibus immunis. 42. baptiſmus nobis injicit neceſſitatem contra affectos noſtros præliandi. 37. cur Deus voluerit, ut noſtrorum affectuum inordinatio adhuc in nobis permaneret poſt baptiſmum. 40. contra noſtros affectus ſemper præliandum eſt. 37. 50. quomodo affectus ſubigendi ſint. 42. ſatis non eſt evertere peccatum, niſi ad fontem uſque, videlicet ad noſtros affectus pergamus. *ibid.* omni niſo certandum eſt, ut vincantur affectus, ſi ſalvari volumus. 43. affectus expugnandi ſunt, & alii poſt alios evellendi. *ibid.* quin affectus expugnemus, & domemus, eos alimus, & fovemus. 44. abſque gratia affectus domare & ſubigere nequimus. 45. Commoda, quæ ex noſtrorum affectuum victoria referimus. 33. lætitia, & conſolatio, quibus afficimur ob domitos affectus. 47. chriſtiana libertas in eo ſita eſt, ut ſimus noſtrorum affectuum domini. 39. vera gloria eſt illos vincere. 44. via pacis cum ſeipſo, & cum proximo habendæ eſt ſuos affectus coercere & domare. *ibid.* ſuorum affectuum victoria acquiritur ſanctitas. 47. in ſtatu felici, atque ſublimi perfectione verſamus, noſtris affectibus omnino domitis, atque ſubactis. 52

De affectuum mortificatione generatim. 40. hæc mortificatio in evangelio quantum commendetur. *ibid.* & 49. quam ſit neceſſaria. 40. 43. neceſſaria eſt, ut pace fruamur. 41. eſt mortificatione corporis præſtantior. *ibid.*

Digitized by Google

ib. abſolute mortificandi ſunt affectus, qui ſunt peccatorum origines. 43. cauſa ſunt, quod in peccatum relabamur, ſi illos mortificare negligimus. *ib.* immortificatio affectuum cum corporis mortificatione ſæpe invenitur. *ib.* qui affectos ſuos non mortificat, verum illis paret, vivit brutorum more. 47. quo magis illis parcimus, eo majorem vim contra nos habent. 51. ignavia eſt e ſuorum affectuum captivitate non egredi. 52. medium affectus ſuos ocyus domandi eſt actus contrarios elicere. *ib.* determinatio illos jungi mortificatione domandi. 53. qui illos non mortificat, non vivit uti homo, qui rationem ſequitur, & minus etiam uti Chriſtianus, qui fidei lumina ſequitur. 47

De prædominanti affectu. Nemo ab eo immunis eſt. 48. cognoſcendus eſt, ut impugnetur. *ib.* ei ſemper parcimus, dum cæteros mortificamus. *ib.* quam difficile ſit illum vincere. *ib.* non tamen deſperandum eſt, quin illum ſuperare poſſimus. 49. hoſtis eſt latens & ſecretus, ſummo niſo detegendus. *ib.* efficit, ut ea tanquam recte facta probemus, quæ peccavimus. 48. prædominantem illius affectum exploramus, quem lucrari volumus. *ib.* vera pietas eſt prædominantem affectum ſubigere. 49. de divitiarum affectu ſingillatim. 51. mirus hujus paſſionis prædominantem affectum ſubigere. 49. de divitiarum affectu ſingillatim. 51. mirus hujus paſſionis prædominantis in Juda effectus. 36. oratio ad Deum ad obtinendam alicujus paſſionis victoriam. 53

Noſtris affectibus bene uti poſſumus. 47. quomodo gratia ſanctificet affectus eorum objectum immutans. 42. quomodo gratia illis utatur ad actiones ſupernaturales producendas. 38. quomodo ardentioribus affectibus ſancte uti debeamus. 44. quomodo illos purificare debeamus. 45. quomodo affectus noſtros in noſtræ ſalutis inſtrumenta debeamus convertere. 46. omnes affectus noſtros in virtutes convertere poſſumus. *ib.* non eſt cur ob affectu doleamus; illis enim uti cum quæſtu poſſumus. 47. funeſti effectus cupiditatis prædominantis. 57. ſinguli ſuum habent prædominantem effectum. *ib.* unicus, qui nobis dominetur affectus, non æternum perdere poteſt. *ib.* diverſi affectus, qui hominibus dominantur, & mala, quæ gignunt. *ib.* Propoſitum effectus noſtros coercendi ſatis non eſt, ut illi ſuperentur; ſtrenue illis reſiſtendum eſt. 58. magna ars evadendi perfectum eſt dominantem affectum cognoſcere, eumque oppugnare. *ib.* tumultus affectuum ubi ſimul junguntur. *ib.*

Affectuum tyrannis. Affectus noſtri ſunt cauſæ tot laqueorum, qui omnia opera noſtra corrumpunt. 53 quibus morbis & periculis ſe ſe objiciant voluptuoſi, avari, ambitioſi. *ib.* quot variis motibus agatur cor hominis mundo inſervientis. *ib.* homo poſt peccatum non poteſt frui aliqua requie. *ib.* niſi ad adoleſcentia reſiſtatur affectibus, hi uſque ad mortem dominantur. *ib.* animi cupiditates ſunt omnium ætatum. 54. Fidelis obſiſtere debet propriæ voluntati in ipſis etiam deſideriis, quæ culpa vacant. *ib.* bellum, quod Chriſtianus infert cupiditatibus ſuis, illi facile evadit uſu, & ipſe ſibi pacem nanciſcitur. *ib.* deplorabilis ſtatus hominis, qui ſuis paret affectibus. *ib.* affectibus ſuis ſatisfacere idem eſt ac illos violentiores efficere. *ib.* Funeſti affectus, & tyrannis. *ib.* varii modi eoſdem impugnandi. 55. quamvis ad virtutem proni ſimus, cupiditas omnia extinguit. *ib.* affectus ita excæcant homines, ut veritatem cognoſcere nequeant, *ib.* omnia in nobis moriuntur præter affectus. *ib.* tyrannis affectibus, quam illis ſatisfacere. *ib.*

Agnus Paſchalis typus S. Sacramenti. I. 412

Alexander Magnus; ejus extrema ambitio, in Scriptura indicata. I. 62

Alimenta; quid ratio nos doceat circa alimentorum uſum. II. 566. finis, quem Deus ſibi propoſuit in ſubminiſtrando hominibus diverſa alimenta. 569

Aman; infelix hujus ambitioſi finis. I. 62. 70. ejus iræ exceſſus in Mardocheum, & populum Judaicum. II. 612. ejus crudelis invidia in Mardocheum. 592. quo proceſſerit ejus indignatio & ultio in Mardocheum. I. 36.

Amaſias rex Iſrael; ejus ingratitudo erga Deum. II. 540

Ambitio; quæ ſpectent ad hunc titulū, & hoc argumentum, & in quo differat ab iis, quæ cum eo aliquā habent relationem. I. 59. multiplex ſermonū de ambitione ſtructura. *ib.* fontes, auctoreſque, unde hauriri copia queat ad allatas partitiones amplificādas. 61. loci ſacræ Scripturæ in hoc argumentum. *ib.* exempla ex veteri & novo teſtamento deprompta. 62. quorundā Scripturæ locorum ad hoc argumentum applicatio 63. loci & ſententiæ SS. Patrum in hoc argumentum. 64. quod ex Theologia poteſt ad hoc argumentum afferri. 65. loci ex Aſceticis, neotericiſque concionatoribus in hanc rem ſelecti. 66

Ambitionis natura & proprietatis, ejuſque definitio. 65. peccatum eſt, & quale. *ib.* eſt primum peccatum, quod in mundo patrum ſit. 63. ambitio eſt multifarie inordinata. 65. eſt vitium univerſale, & a ſuperbia inſeparabile. 66. ambitio eſt inſatiabilis. *ib.* eſt omnino oppoſita evangelio. 67. aliquē nobilitatis characterem præſefert. *ib.* variæ ejus ſpecies. 70. vitium homini ingenitum. *ib.* injuſta eſt & crudelis. 68. oppoſita rationi. 69. callida eſt. 71. ultra mortem progreditur. 68. ambitionis character. 68. 71. 73. mala & ſcelera, quæ gignit ambitio. 67. ubique regnat. 63. efficit, ut homines egrediātur ex eo ſtatu, in quo illos conſtituerat providentia. 64. injuſtæ agendi rationes, quibus utitur ambitio. 66. inania ambitionis concilia. 71. excæcat, quos poſſidet. 73. reliquas omnes excitat paſſiones. 74. efficit, ut quiſque jura ſua pertinaciter tueatur. *ib.* ut ſalus in diſcrimen adducatur, & ut contra conſcientiā. *ib.* pericula quibus objicit ambitio. *ib.* quas curas & ſollicitudines pariat. 67. 68. ſæpe in eccleſia reperitur, & mala quæ in ea gignit. 67. 69. 72. in cœtibus religioſis non deēſt. 66. primi Chriſtiani quā horruerint ambitionē. 67. inſatiabilis eſt in deſideriis ſuis, & in cœptis ſuis temeraria. 75. confundit omnes conditiones & ſtatus. 66. eccleſia ipſam in orto ſuo ambitione dæmon adortus eſt. *ib.* ambitio non vult ſolum dominari, ſed etiam Deo & eccleſiæ Miniſtros tribuere. *ib.* ſpiritui chriſtianiſmi contraria. 77. remedia contra ambitionē. 78. ambitio ita omnium ſtatuum eſt propria, ut neque ipſi templorum miniſtri ea vacent. *ib.* eſt tamē ſummorum virorum adeo propria, ut in illorum naturam migraſſe videatur. *ib.* quid ſit ex ſententiam migraſſe videatur. *ib.* quid ſit ex ſententia Job. 79. facta eſt multo nocentior poſt incarnationem filii Dei. *ib.* deſcriptio ambitionis in mundo regnantis. 80. cauſa eſt omnium cogitationum & actionum Principum ſæculi. *ib.* ſacræ litteræ plenæ ſunt minis & querelis contra ambitionem. *ib.* affectio hæc eſt ita Evangelio contraria, ut ideo videatur Dei filius veniſſe, ut illam deſtrueret. *ib.* eſt fons omnium criminum. *ib.* eſt vera ſervitus ſexcentis indignitatibus obnoxia. 81. quædam ambitionis ſpecies tolerabilis eſt. *ib.* violat omnia jura divina & humana, ut ad ſuum finem perveniat. 85. eſt omnium ferme mortalium idolum. *ib.*

Ambitioſus nunquam contentus. I. 70. paratus eſt ad omnia ſcelera patranda. 67. 69. non tolerandus. 68. temeritas, & præſumptio ambitioſi. 66. 70. 73. omnia ſibi licere putat, ut, quo contendit, aſcendat. 71. contra Dei voluntatē ſe extollere cupit. 69. quomodo ſeſe extollat. 70. providentiæ ordinem ſubvertit. 71. cordis pace & quiete nunquā fruitur. 75. vere ſervus eſt. 67. quam infelix ſit. 74. gaudet Deus ambitioſos deprimere. 67. attollitur, ut dejiciatur. 73. diſcrimen inter gloriæ, dominandi cupiditatem. 66. ſtatus ambitioſi in altera vita. 73. ii etiam, qui obſcuro loco nati ſunt, ſinguli ſecundū ſuum ſtatū ambitione non carent. 75. ubi ambitioſus credebat ſe perfecta requie fruiturum, cauſas invenit ſolicitudo. 76 ambitioſus, cum de progrediendo ſermo eſt, ſpernit omne conſiliū, & rationem; jugulat etiam omnes conſcientiæ ſtimulos. 77. ſe credit omnibus officiis parē *ib.* ambitioſi cæcitas, & hypotipoſis ambitioſi. *ib.* ita ſtupidus eſt, ut ſe dignum exiſtimet honoribus, quo ſanctiſſimus quiſque recuſavit. 78. cæcitas ſpiritus ambitioſi. 79 exempla de lapſu ambitioſorum. *ib.* ambitioſus a divina providentia pendere detrectat, & ideo par eſſe vult. 80. eos, qui ſibi

sub-

ſubjecti ſunt, tanquam ſua deſpicit mancipia. 81. ſi ambitioſus tyrannice dominatur aliis, mille tyranni laniant cor illius. *ib.* ſi oſtra credit ſe tranquillam ducere poſſe vitam. *ibid.* vix ambitioſus aſcendit, cum dignitatem quęſitam in novorum ſcelerum cauſam convertit. 82. putans ſe ab omnibus procellis tutum, reperit ſe in fonte omnium turbarum. *ib.* cur æquo judicio Deus oblectetur ambitioſa conſilia evertere. 83. Ambitioſus fit objectum odij omnium. *ib.* nunquam contentus eſt loci illius, in quo ipſum providentia conſtituit. *ib.*

De ſalutis animæ ſuæ negligentia. Pleriquе modicam ſalutis ſuæ curam gerunt. 92. qui ſalutis ſuæ negotium negligit prudens haberi nequit. 96. plerique mundani tempus non inveniunt, quo ſuæ ſaluti vacent. *ib.* ſtultitia & imprudentia eorum, qui qualibet alia re diſtinentur 97. difficultas ſalutem ſuam operandi meretur equidem, ut de illa cogitemus. 100. diſcrimen inter juſtos, & cæteros quoad curam ſalutis eorum. 92. plerique vivunt in hoc mundo, quaſi nihil illis ſuper hoc negotio timendum eſſet. *ib.* expertes ſumus fidei & ſpei cum noſtræ ſalutis negotio non adlaboramus. *ib.* incredibilis fere plerorumque hominum quoad hoc negligentia. *ib.* nihil adeo, uti noſtram ſalutem negligimus. *ib.* pro corporis ſalute fit, quod non fit pro ſalute animæ. 96. hominum cæcitas, & imprudentia, qui adeo parum ſalutis negotium cogitant, 94. illud ſemper nimis ſero cogitamus. *ib.* pauciſſimi in id incumbunt, ut debent. 95. & ut verbo dicam, hoc eſt negotium præ cæteris neglectum. *ib.* exhortatio ad ſalutem noſtram ex animo cogitandum. *ib.*

Futiles excuſationes, & prætextus efficientes, ut cogitatio ſuæ ſalutis negligatur. 96. nihil obſtare debet, quin ſalutem noſtram cogitemus. 97. inexcuſabiles erimus apud Deum, ſi noſtram ſalutem neglexerimus. 102. excuſatio, quod aliis curis diſtenti ſalutem noſtram operari non poſſimus. 106. quamvis imbecilles ſimus, nobis ſuppetunt media nos ſalvandi, ac proinde inexcuſabiles ſumus, ſi non ſalvemur. 107. cur in mundo parum curatur propria ſalus. 96. ſolum ſalutis negotium in eo reſpicitur uti inanis occupatio. *ib.* ſuæ ſalutis cogitatio ad tempus aptius remittitur, quod nunquam venit. *ib.* quidquid ad ſalutem ſpectat, vulgo ſit negligentet, ſaluti bona temporalia præferuntur; hinc ardentius perquirunt. 98. non putatur hoc negotium mereri, ut eo ſpiritus diſtineatur. *ib.* prudentia humana, quantumlibet illuminata, in hoc negotio excæcatur. 101. quidlibet aliud cogitamus, quam finem, ob quem creati ſumus. 103. inſipientes ſumus, ſi ſalutis negotium reliquis omnibus non præferamus. 105. Argumenta, quæ ad noſtram ſalutem cogitandum nos impellunt. Nos in mundo non ſumus, niſi ut noſtræ ſaluti adlaboremus. 106

Salus eſt ſola res neceſſaria. 108

Omnes noſtras curas impendere debemus ſalutis negotio, quod unum illas meretur. 104. ita curare reliqua negotia debemus, ne noſtrummet, illius ſcilicet obliviſcamur. 99. deplorabile eſt, quod rei cuilibet, præterquam ſaluti noſtræ tempus impendamus. 107. præcipuam & maximam curarum ſuarum non ſtatuere ſalutem ſuam eſt extrema ſtultitia. 104. hæc cura debet eſſe continua, ad hunc finem quidquid agitur referenda. 108.

De ſalutis deſiderio. Vaga ſuæ ſalutis deſideria. 74. hominum plerique volunt, & nolunt ſalvos fieri mira contradictione. *ib.* inefficax ſe ſalvandi voluntas. 102. noſtram ſalutem volumus, at illam non volumus, ut eam velle debemus. *ib.* ſi noſtram ſalutem, ut par eſt, optaremus, omnibus, quæ adverſantur, obſtaculis reſiſteremus. 93. quid agant ii, qui vere ſe ſalvandi deſiderio afficiuntur. 99. de ſalutis neceſſitate omnibus jam perſuaſum eſt, ſed cor movendum, ut velis. 104. quilibet aſſerit ſe velle ſalvari, ſed tamen revera volunt. 103. difficile novimus, an homo ſalvari velit in munere, quo fungitur. 106. noſtram ſalutem optamus; ſola paſſio obſtat, quin illam reliquis bonis præferamus. 101. Deus aliquando reprobis objiciet, eos noluiſſe ſalvos fieri, cum peruerunt. 93

Noſtræ ſalutis pericula, quibus expoſiti ſumus. Quænam pericula ſalus ſubeat in mundo. 99. ſicut majus periculum ſubit noſtra ſalus in mundo, quam in ſtatu religioſo, ita mortificationes in illo ſunt magis neceſſariæ. 103. in hac vita veluti medii ſumus inter felicitatem, & calamitatem infinitam. 92

Quid agendum ſit, ut de noſtra ſalute tuti ſimus. Non adeo divinæ miſericordiæ innitendum nobis eſt, ut noſmetipſi noſtræ ſaluti non adlaboremus. 104. differendum non eſt, ut noſtram ſalutem cogitemus, & operemur. 106. ſi ſalutem noſtram inceſſanter ob oculos non habemus, pro aliis, & non pro nobis laboramus. 104. quid pro ſalute agendum eſſet. 108. multum abeſt, quin pro Deo, & noſtra ſalute agamus ea, quæ agimus pro cæteris negotiis. 103. in morte intelligemus inutiles fuiſſe omnes noſtras reliquas curas. 98. ingens eſt imprudentia ſe totum alienis negotiis devovere, & nihil pro ſe, ſuaque ſalute operari. 105

Mala, quæ ſalutis negligentiam ſequuntur. Quibuſlibet peractis bonis operibus tempus amiſimus, niſi ſalutem conſequimur. 94. omne reliquum inutile eſt, niſi ſalvemur. *ibid.* niſi noſtram ſalutem operemur, neceſſario erimus in æternum infelices. 91. parum intereſt, utrum in hac vita felices extiterimus, an infelices, dummodo ſalvemur. 99. noſtræ ſalutis amiſſio erit nobis integra. 101. ſalutem conſequi poſſemus iiſdem curis, quas in noſtram interitum ſuſcipimus. 103. niſi Deus fuerit in altera vita ſummum bonum noſtrum, ſummum erit malum. 107. quid proderunt ea, quæ adepti fuerimus, ſi animæ detrimentum faciamus? 104.

Varia de ſalute animæ. Unicum objectum curam filii Dei in mundo fuit ſalutis noſtræ negotium. 109. quamvis ſalutis negotium unice ſit neceſſarium, huic tamen minime omnium vacamus. *ib.* Dei filius ita ſalutem noſtram deſiderat, ut illius medium eſſe voluerit, ſicut eſt ejuſdem principium. *ib.* noſtræ ſalutis negotium tanti momenti eſt, ut huic uni Dei filius in terris vacaverit. 110. ut ſperemus omnia nobis proſpere vene-

eventura, uni tantum rei, rei videlicet invigilandum eſt. *ibid.* quodcumque ſit negotium noſtrum, omnes labores noſtri irriti ſunt, niſi ad ſalutem noſtram referantur. 110. inter affectuum procellas periculum eſt, ut pereamus, niſi de ſalute noſtra fuerimus ſolliciti. *ib.* obligatio ſalutem operandi ſuam eſt perſonalis, & ſingulorum cooperationem exquirit. 111. quam miſer ille eſt, qui ſuam negligit ſalutem, quam tam vili pretio ſibi poteſt comparare. *ib.* cæcitas noſtra deplorabilis eſt, quod gloriæ honoribuſque intenti noſtram ſalutem negligimus. 111. ſervitus mundi gravior eſt, quam olim Hebræorum in Egypto. *ib.* quid ſit operari ſalutem ſuam. 112. ſalutis momentum, *ib.* cur jugiter laborandum, ut ſaluti noſtræ conſulamus. *ib.* anima tanti valet, quanti Dei vita juxta ipſius judicium. 112. inefficax ſalutis deſiderium. *ib.* quid faciendum cupienti ſe ſalvare. 113. ut ſalutem noſtram operemur, divinum auxilium implorandum. *ib.* timor periculorum animæ in nobis non eſt ita acer, ut ille malorum corporis. 113. impoſſibile eſt duo ſimul habere deſideria, alterum diteſcendi, alterum ſalutem acquirendi. *ib.* mundi placita evangelicis nequeant derogare inſtitutis. 114. vult Deus nos cooperari gratiæ ſuæ, ut ſalutem noſtram operemur. *ib.* nemo in hoc mundo habere poteſt phyſicam ſalutis ſuæ certitudinem. 114. fruſtra noſtri habita ratione ſancti tot pertulere pœnas ſalutem ſuam operaturi, niſi illos imitemur. *ib.* animæ noſtræ ſalus omnibus mundi bonis eſt præferenda. 115. in ſalutis negotio trepidandum eſt ſemper, ſed hic timor ejicere debet præſumptionem, non autem confidentiam. *ib.* ut ſalutem noſtram operemur precibus cœlo vim debemus inferre. 115.

Samaritanus Evangelii, exemplum charitatis erga proximum. II. 77.

Samſon peccatoris obcæcati figura. I. 364. in quam calamitatem eum adegerit amor, quo erga Dalilam flagrabat: II. 446.

Samuel ſanctæ educationis in adoleſcentia exemplar, I. 4.

Sanctitas. Titulus & monitum de hoc argumento. IV. 116. multiplex concionum hujus argumenti ſtructura *ib.* fontes auctoreſque, unde deſumi copia queat ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas. 118. loci, exempla, & applicationes ſcripturarum huic argumento. 119. *& ſeqq.* loci, & ſententiæ SS. Patrum ad idem. 122. quid ad hoc ex Theologia deſumi queat. 123. delecti ex aſceticis libris, nuperiſque concionatoribus loci ad hoc argumentum. 124. De ſanctitate ſeparatim. Notio, & definitio ſanctitatis. 123. definitio perfectionis chriſtianæ. *ib.* in quo propriè conſiſtat perfectio in hac vita. 122. Sanctitas, & perfectio chriſtiana eſſe debet juxta cujuſque ſtatum. 129. falſa ſanctitatis & virtutis idea, quam nobis ſæpe effingimus. 131. ſublimis ſanctitatis idea. 132. ut ſancti ſimus. opus eſt, ut a mundo ſimus ſejuncti, ab iis videlicet, qui mundi principia ſequuntur. 122. vera in hac vita ſanctitas omnium affectuum victoriam exigit. 129. Obligatio contendendi ad ſanctitatem. Quilibet chriſtianus propter ſuſceptum baptiſmum ad ſanctitatem contendere debet. 124. Sanctitas Chriſtianiſmo eſſentialis eſt. 126. Obligatio ad ſanctitatem aſpirandi omnes reſpicit, ſingulo juxta ſtatum ſuum. 127. perfectio quædam Religioſis, & mundanis communis eſt. 127. Omnes Chriſtiani generatim ad ſanctitatem tenentur. 129. Dei voluntas eſt, ut ſancti ſimus; nam de hoc explicitum nobis mandatum dedit. 116. Deus in ſe ipſo ſanctitatis & perfectionis exemplar nobis præbere voluit. 117. Deus, qui nos ab infidelibus per baptiſmum ſecrevit, vult, ut per ſanctitatem a peccatoribus diſtinguamur. 121. Tenemur incumbere ad acquirendam ſanctitatem, quæ per baptiſmum incœpta ſolummodo eſt. 123. Dei filius nihil ad noſtram ſanctificationem prætermiſit; ad nos ſpectat eidem cooperari. 128. Filii Dei conſilia in omnibus laboribus ſuis fuere, ut nos ſanctos efficeret. *ib.* ut filii Dei ad perfectionem & ſanctitatem aſpirare debemus. 133.

Deſiderium ſanctitatis & perfectionis chriſtianæ. Perfectio, & ſanctitas optanda eſt, ut illam acquiramus. 124. præter deſiderium, ad illam comparandam incumbendum eſt. *ibid.* verum ſignum, quod in gratia ſimus eſt ad perfectionem aſpirare. 125. quilibet Chriſtianus ſincero acquirendi ſanctitatem deſiderio flagrare debet. 129. character illius, qui vere ſanctificari vult. *ib.* ardens perfectionis deſiderium efficit, ut magnis paſſibus ad eamdem contendamus. 121.

In virtute, & ſanctitate ſemper creſcere debemus; Mediocritas, adeo neceſſarie obſervanda in virtutibus moralibus, locum non habet in perfectione, ad quam aſpirare debet Chriſtianus. 124. Chriſtianus creſcere ſemper, & proficere debet in virtute. 123. periculoſum conſilium eſt velle eſſe contentos mediocri virtute, quin ſanctiores perfectioreſque evadere contendamus. 125. Deus nobis medium præbuit ſemper creſcendi gratiæ actualis & habitualis auxilio. 116. Dei filius, licet ipſamet ſanctitas eſſet, ſapientia & gratia creſcere videbatur. 120. cura in virtute proficiendi eſt prædeſtinationis nota. 130. in quocumque vitæ civilis ſtatu evadere perfecti volumus, in ſolo Chriſtianiſmo vulgari ſanctitate contenti ſumus. 124. obliviſci præteritorum operum, & ad altiorem perfectionem aſpirare debemus. 121. 125. 130. ut e numero juſtorum ſimus. 129. charitas ſemper creſcere debet. *ib.* Chriſtianus perfectioni ſuæ limites præſcribere numquam debet. 132.

Media ſe ſanctificandi, & ad perfectionem perveniendi, quod Deus a nobis exigit. Dei filius leges tulit ad omnes conditiones ſanctificandi idoneas. 124.

Homo gratia cœleſti adjutus perfectionem & ſanctitatem acquirere poteſt, quocumque obice occurrente. *ibid.* per gradus aſcendimus, & ſenſim progreditur ad perfectionem. 130. Deus gratias ſuas ordinatim, & gradatim elargitur, prout illis bene utimur. 131. ut ſancti, perfectique evadamus, & Dei conſiliis de nobis reſpondeamus, magna opus eſt fidelitate. 132. a vitiis ſuis debellandis incipiendum eſt. 133. quilibet eſſe poteſt in ſua conditione ſanctus, & perfectus. 131. ſanctitas & perfectio chriſtiana non eſt adeo difficilis acquiſitu, ut putatur. 125. facilius eſt & ſuavius vitam ſanctam, quam pravam agere. 126. noſtra malitia abutimur mediis a Deo ad nos in noſtro ſtatu ſanctificandos exhibitis. 130. ſanctorum exemplum eſt unum e mediis, quibus Deus utitur, ut nobis ad ſanctitatem animum addat. 133.

Inanes prætextus, ne ſanctificationi noſtræ operam demus. 125. ſanctitatem impoſſibilem eſſe non eſt exiſtimandum. 127. falſa libertinorum objectio, quod ſanctitas nequeat exerceri. 126. mundani curam & obligationem acquirendi ſanctitatem & perfectionem in religioſos incaſſum rejiciunt. 127.

Alia quædam hoc argumentum reſpicientia. Difficultas, ut peccator ſanctus evadat, & e nihilo peccati, ut ita dicam, emergat. 126. deſcriptio hominis ſolida virtute præditi, & ad perfectionem aſpirantis. 131. ſanctitas ſemper venerabilis eſt, & ab omnibus honori habita. 126. notæ, quibus noſcamus, utrum perfecti chriſtiani ſimus. 127. hominum plerique ſuæ fortunæ curam curæ ſuæ ſalutis & ſanctificationis præferunt. 130. de Religioſorum perfectione. 129. Religioſi inter Chriſtianos virtute & ſanctitate ſemper creſcere tenentur. 131. amor Dei, in quo conſiſtit perfectio, ſemper creſcere debet. 133. pudor adeo parum profeciſſe, poſtquam divino cultui addicti ſumus. 130.

Sara; cura, quam ſumpſit de Iſaac educatione, II, 47.

Saul: ejus falſa devotio. I. 664. mira invidia, & zelotypia, quam ſemper in Davidem ſervavit. II. 591. parum ſinceros in ſua pœnitentiis. 576.

Scandalum. Titulus, & monitum de hoc argumento. IV. 134. multiplex concionum hujus argumenti ſtructura. 135. fontes, auctoreſque, unde hauriri copia queat ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas. 136. loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento. 137. *& ſeqq.* loci, & ſenten-

Digitized by Google

tiæ SS, Patrum ad idem. 140. quid ad hoc ex Theologia depromi queat. *ibid.* delecti ex aſceticis libris, nuperiſque concionatoribus loci ad hoc argumentum. 142.

De ſcandalo generatim. Ejus definitio, 140. duplex ejus ſpecies: activum ſcilicet, & paſſivum. *ibid.* ſcandalum activum, de quo ſpecialius eſt quæſtio, charitati adverſatur. 141. ut quis peccati ſcandali tenaſit, opus non eſt, ut finem formalem habeat proximum ſcandalizandi, & ad peccatum inducendi. 140. peccatum, ſeu ſaltem circumſtantia ſcandali a re admodum levi ſæpe dependet. 142. peccatum ſcandali non eſt ſolummodo perſonale, ſed cum diffundatur, propria fiunt aliorum peccata. *ibid.* ſatis eſt, ut quis ſit hujus criminis reus, quod actio, quæ committitur, poſſit ſcandalum afferre. 142. ſcandalum e natura ſua ſe communicat illis, qui illud vident, & cognoſcunt, quique ad nos accedunt. 143. quo in ſenſu neceſſe ſit, ut veniant ſcandala. 141. ſcandali malignitas. 150. ſcandalum, quod curare non debemus, eſt, cum quis ob aliquod opus bonum ſcandalizatur. 152.

Hujus peccati gravitas. 144. unde illa ſumatur. 141. quam odioſum ſit, & cur. *ibid.* eſt peccatum diabolicum. 141. ſcandalum appellari poteſt ars animæ mortem inferendi. 144. injuria, quæ Deo infertur, perdendo animas noſtro malo exemplo. 149. ſcandalum illatum eſt mortale virus. *ibid.* deteſtabilius ſcandalum, quod poſſit inferri, eſt, cum habetur intentio malo exemplo exhibito proximum perdendi. 143. ſcandaloſi vocari poſſunt dæmonis vicarii. 146. ingenuum eſt ſuccumbere peccato poſt acceptum ſcandalum. 151.

Mala, quæ parit ſcandalum, & quam pernicioſum ſit. 144. 147. ſcandalum eſt omnium mundi malorum cauſa. *ibid.* ſcandaloſus omne malum, quod gignit, minime agnoſcit. 138. poteſt vocari Antichriſtus. 139. malum exemplum ex eo quod commune ſit, non ideo minus eſt ingens malum iis, qui illud ſequuntur. 149 malum exemplum efficit, ut amittamus pudorem, quo crimen perpetrantes naturaliter afficiuntur. 150. ſcandalum eſt etiam pernicioſius, cum ab hominibus auctoritate pollentibus infertur. *ibid.* ſcandaloſi ſunt dæmonis organa 147. ſcandala, & ſcandaloſi comparantur lolio. 149. injuria, & damnum, quod ſcandalum eccleſiæ affert. 147. eſt periculoſior, funeſtiorque perſecutio, quam unquam paſſa ſit eccleſia. *ibid.* magnitudo mali, quod ſcandalum proximo affert. 139. 147.

Injuria, quam Deo infert ſcandalum. 145. injuria, quæ fratri ſuo per ſcandalum infertur, in Jeſum Chriſtum refilit. 147. ſcandaloſi ſunt quodam in ſenſu crudeliores erga Jeſum Chriſtum, quam ii, qui illum crucifixerunt, & ejus ſanguinem fuderunt. *ibid.* ſcandalum Salvatoris opus evertit, cum Salvator venerit, ut dæmonis opus everteret. 151. quo in ſenſu ſcandaloſus Dei opus evertat. 139.

Quam amplum ſit & vulgare ſcandali peccatum. 150. mundus ſcandaloſis refertus eſt. 148. ſæpe ſcandalum proximo infertur inconſiderate. 150. ſcandali, malique exempli vis, atque poteſtas. 144. ii ſunt ſcandaloſi, qui a bono avertunt, non ſecus ac ii, qui ad malum inducunt. 138. actionibus ex ſe indifferentibus ſcandalum inferri poteſt. 140. ſæpe ſcandaloſi ſumus, quin ſcandalum inferendi intentionem habeamus. 143. ſcandalum a principibus, & gravibus viris illatum. 145. ſcandalum, quod mulieres immodeſtia ornatibus præbent. 152. ſcandali occaſiones, quas tabulæ inhoneſtæ exhibent. 153. & eaſdem exponentes. *ibid.* ſcandaloſi appellari poſſunt dæmonis vicarii, concionatores, & apoſtoli. 153.

Obligatio ſcandalum reparandi. 143. difficile eſt, ut peccator ſcandaloſus ſe convertat, & reparet malum a ſe patratum. 144. inevitabilis eſt obligatio reparandi ſcandalum illatum. 152. impoſſibile eſt animam ab inferno revocare, quo illam deduxit noſtrum ſcandalum. 146.

Pœnæ, quas Deus a ſcandaloſis exigit, & ſcandali animadverſio. 137. Deus mundo maledixit propter ſcandala, quæ in eo videntur, 141. ſcandaloſus rationem reddet interitus fratris ſui, cujus fuerit cauſa. 139. ob ſua propria peccata, & propter peccata aliorum judicabitur, & punietur. 141. peccator publicus & ſcandaloſus cito, vel ſero juſtitiæ divinæ effectus experietur. 146. qui malum exemplum ſequuntur, punientur, ſicut ii, qui illud exhibent. 149

Remedium, & præcautio contra ſcandalum. Cavendum nobis eſt etiam a rebus minimis, quæ ſcandalizare proximum poſſunt. 145. ſcandali circumſtantia ſæpe criminoſas reddit actiones innocuas, vel ex ſemetipſis indifferentes. 144. difficile eſt evitare alieni mali exempli intuitum, & ab hoc veneno præcavere. 149.

Quid præcipue attendendum, ne cuiquam ulla præbeatur ſcandali occaſio. 151. ut Chriſtiani opponere debeamus noſtræ vitæ exemplum ſcandalis publicis. 153. varia agendi ratio ſervari debet juxta varia ſcandala. 138. quomodo nos gerere debeamus, cum dubitamus, an actio peragenda ſcandalum paritura ſit. 152 quando abſtinendum ſit a bono peragendo, quod prævidemus nonnullis ſcandalum allaturum. 141. mirari non debemus, ſi quidam noſtris melioribus actionibus ſcandalizentur. 145. ſemper recordari debemus, quod vulgus ſequitur potius malum, quam bonum exemplum, quod ſummi viri præbent. 146. pravum aliorum exemplum non excuſat ſcelera noſtra. 152.

Alia de ſcandalo. Chriſtiani relinquentes idola crediderunt licere ſibi Ethnicorum mores retinere. 153. intemperantiæ dies ſunt occaſio lapſus peccatoribus, & ſcandalum juſtis. *ibid.* publica potiſſimum ſcandala intuiti Deo arctius inhærere debemus. 154. licet ſcandalum eſſet generale, tunc glorioſum eſſet ſtare ſolum pro veritate & religione. *ibid.* quam nobis metuendum ſit ſcandalum, quod præbemus aliis noſtra licentia. 155. non ſatis eſt non eſſe ſcandalo, ſed etiam proximus ædificandus eſt. *ibid.* infirmis eſſe ſcandalo non minimum eſt peccatum. *ibid.* de ſcandalo paſſivo, & quomodo uſu veniat. 156. exceptis iis, quæ inevitabilis ſunt neceſſitatis, omnia nobis fugienda ſunt, quæ proximo ſcandalum poſſunt afferre. *ibid.* pravum exemplum principum paſſim lex eſt populo. *ibid.* majora ſcandala proficiſcuntur potius a libris nefariis, quam a pravis exemplis. *ibid.* mundum ingreſſi facilius mundi, quam evangelii ſpiritum invenimus. 157. levis pictura malorum, quæ per ſcandalum accidunt in mundo. *ibid.* Moyſes punitus, quod populo præbuit ſcandali occaſionem. *ibid.* viri principes nocentiores ſunt, cum præbent ſcandali cauſam. *ibid.*

Scientia ſuperbiam, & ambitionem inſpirat. I. 74. quid nomine ſcientiæ intelligatur, ejuſque definitio. IV. 282. ſapientia & ſcientia conjunctæ debent eſſe, ut homo magnus coram Deo evadat. 280. quid agant illi, qui curant, & qui negligunt veras res æternas ediſcere. 281. ſcientia quanto conſtet, & labor ſæpe inutilis, qui ad illam acquirendam inſumitur. *ibid.* de veterum prophetarum ſcientia. 279. de ſcientia Jeſu Chriſti. 280. ſcientia, quam Spiritus Sanctus Apoſtolos docuit. *ibid.* ſcientiæ præſtantia, & voluptas, quam parit. 285. bonum eſt, quod homines nobis eripere non poſſunt. 284. inſervire debet, ut nos ſanctiores & perfectiores efficiat. 287. improbi fines, quos nonnulli ſibi proponunt in ſcientiarum ſtudio. 288. ea utilis eſt, ut quis virtutes acquirat. *ibid.* inutilis vero, quando ejus finis ſalus non eſt. *ibid.* in ſeipſa aliquid præſtans eſt. 289. conſecratur, quando æternitatis intuitu ſtudent. *ibid.* S. Auguſtinus ſcientiam cum pietate conciliabat. *ibid.* ſcientiæ, quæ inanes & inutiles debent appellari. 290. ſcientia Dei, & ſalutis eſt præ reliquis neceſſaria & excellens. *ibid.* ejus utilitas, ut vitæ civilis muneribus & officiis defugamur. 291. ſcientia abſque pietate nullum fructum parit ob Dei cultum. 292.

Scriptura ſancta; verba S. Scripturæ ad res profanas abuti eſt blaſphemia quadam. II. 780. obligatio legendi, & meditandi Sac. Scripturam Dei legem continentem. III. 31. diſpoſitiones, quæ in lectione Sac. Scripturæ habendæ ſunt. *ibid.* libri evangeliorum elogium. *ibid.* in libris ſacris quæritur veritas, quæ in profanis minime reperitur. 30. qua cura, animique intentione Deus voluit, ut ſuus populus legis librum legeret. 26. qua reverentia, & attentione lecti, & auditi fuerint legis libri ab Eſdra diſpoſiti. *ibid.* filius Dei Scriptura utebatur, ut Judæos convinceret. *ibid.*

Securitas; qua vivimus, cum in Deo fiduciam noſtram collocamus. I. 472.

Se.

Sedecias, exemplam divinarum animadverſionum in perjuros. II. 704.

Sennacherib a Deo ab ejus blaſphemiam punitus. II. 704.

Sergius Paulus Proconſul qua occaſione cœli luminibus illuſtratus. I. 365.

Sarmones probi in converſatione. IV. 193. ordinarii ſæcularium in cętibus, 202. inutiles. 201. pravi. 205. laſcivi. *ibid.* boni vel mali naturam non mutant, ſive in ore, ſive ſcripti in libris ſit. III. 34.

Servitus Dei. Titulus, & monitum de hoc argumento. IV. 158. multiplex concionum hujus argumenti ſtructura. *ibid.* fontes, auctoreſque, unde hauriri copia queat ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas. 160. loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento. 161. & *ſeqq.* loci, & ſententiæ SS. Patrum ad idem. 164. quid ad hoc ex Theologia deſumi queat. 165. delecti ex aſceticis libris, nuperiſque concionatoribus loci ad hoc argumentum. 167.

De ſervitute Dei generatim. Quid ſit Deus ſervitus, & ejus definitio. 165. in quo ſita ſit ſervitus, quam Deo reddere debemus. *ibid.* fallax idea, quam nobiſmet de ſervitute Dei effingimus. 175. modus ſeſe devovendi ſervituti Dei. *ibid.* Deus non creavit, ut illi ſerviremus, & ob id unum in mundo ſumus. 165. creata omnia Deo ſerviunt pro modulo ſuo neceſſario, ſed homo ex officio illi ſervire debet. *ibid.* Deus non pendet a nobis, neque indiget noſtræ ſervitutis. 173. lumen naturale, quo decemur Deum eſſe, docet quoque illi ſerviendum. 180. homo ex conditione naturæ ſuæ Deu ſervire tenetur eo, quo poteſt, zelo. 166. Rationes generales, ob quas Deo ſervire tenemur. Deus eſt magnus, & bonus dominus. 158. nos Deo, & propter Deum ſumus, ac proinde illi ſervire tenemur. 167. Deus ipſe creaturam producere nequit, quæ eidem ſervire non teneatur. 168. ei debemus ſervire, quia creator noſter eſt. 166. quia nos redemit, ac proinde ad eum ſpectamus. 167. nos Deo ſaltem debemus, quod famuli dominis ſuis debent. 171. Deus eſt dominus minime difficilis 170. mercedis magnitudo, quam ſervis ſuis promittit. 167. Gloria, quam conſequimur, Deo ſerviendo. 169. liberi ſumus, & regnamus, cum Deo ſervimus. 163. Dei ſervitus nos attollit, non dejicit. 165. eminens ſervorum Dei qualitas. 170. noſtra gloria eſt, & noſtra nobilior qualitas eſſe Dei ſervos. 176. Dei ſervi ſunt etiam ejus amici. 165. illi, quos Deus ſervos ſuos vocavit, præcipui fuerunt viri. 162. Moyſes & Joſue non majoribus encomiis in Scripturis ornantur, quam cum Dei ſervi appellantur. *ibid.* Diſcrimen inter Dei, & mundi ſervitutem. 174. ex iis, qui ſerviunt mundo, pauci contenti ſunt. 175. minus moleſtum eſt Deo ſervire, quam mundo. 177. mundus eſt dominus ingratus, qui ſervitutem ei præſtitam male remuneratur. 171. mundani Dei ſervitutem veluti jugum reſpiciunt. 162. illuſio mundanorum non credentium in Dei ſervitute inveniri poſſe oblectationem. 168. jugum ſervitutis Dei ſua vius eſt, quam mundi. 174. mundi ſervitus gravis eſt, Deo vero levis, & nihilominus illa huic præfertur. 179.

Commoda, quæ ex Dei ſervitute percipimus. Quam dulcis ſit Dei ſervitus. 163. quo magis in Dei ſervitute progredimur, eo magis illius ſuavitatem guſtamus. 174. Deus dominorum omnium mitiſſimus & ſuaviſſimur. 170. in ea J. C. verba, jugum meum ſuave eſt. *ib.* præcox gaudium, & felicitas animæ Deo ſervientis. 173. gaudium ſervorum Dei majus eſt, quam ſervorum mundi. 164. in ſola Dei ſervitute vera voluptas guaſtatur. 167. gaudium, quod in Dei ſervitute percipitur, prorſus eſt aliud ab eo, quod in mundo guſtatur. 169. dulcedo, quæ in Dei ſervitute guſtatur, eſt fructus Spiritus S. *ib.* gaudium ſervorum mundi ſemper turbatum eſt. *ib.* gaudium ſervorum Dei in ipſis etiam calamitatibus, & tribulationibus invenitur. 170. etiam in ſuppliciis, quæ pro ejus amore patiuntur. 170. S. Auguſtini teſtimonium de ſuavitate, quæ in Dei ſervitute guſtatur. 173. noſtra in hac vita felicitus in ſola Dei ſervitute invenitur. 167. libertas filiorum Dei, qua fruuntur, qui illi fideliter ſerviunt. 166. Dei gloria eſt habere ſervos ſibi alacriter ſervientes. 171. vera voluptas nonniſi in Dei ſervitute reperitur. 172. ut guſtemus lætitiam, quæ in Dei ſervitute percipitur, oportet eſſe conſtantes, & fideles. 173. conſolatio inter ea, quæ patimur, mala profecta ex intuitu mercedis, quam tribuit Deus ſervientibus ſe. 181. Deus novit medium leniendi pœnas ſibi inſervientium. 169.

Dei ſervi etiam in vinculis ſuam libertatem ſervant. 162. ſolus Deus poteſt humano cordi ſatis eſſe. 168.

Commentitiæ difficultates, quæ prætenduntur in ſervitute Dei. 172. quod Deus a ſuis ſervis exigit, homines ab ejus ſervitute non debet avertere. 179. pœnæ, quæ in mundi ſervitute perferuntur, majores ſunt, quam quæ in ſervitute Dei perferri debent. 173. difficultas, quam in Dei ſervitute experimur, a nobis procedit, non autem ab iis, quæ Deus quærit a nobis. 177. quod Deus ab iis exigit, qui illi ſerviunt, non adeo difficile eſt, ut putatur. 178. labores, qui in Dei ſervitute occurrunt, nos deterrere non debent. *ibid.* in Dei ſervitute duræ expectandæ ſunt tentationes, ut cœlum mereamur. 178. non debemus mitius facere jugum, quod nobis gerendum filius Dei jubet. 180. Mundi voluptates non leniunt jugum Jeſu Chriſti, ſed non ferendum efficiunt. 177. mirum non eſt, quod Deus ſervos ſuos multiſariam experiatur. 180. quid obſtat, ne Deo ſerviamus, uti deberemus. 178. ſervis Dei non deeſt, unde reparent pœnas, quæ in ejus ſervitute perferendæ ſunt. 173.

Inconſtantia, & infidelitas in Dei ſervitute. Infelicitas eorum, qui Dei ſervitutem deſerunt. 167. comparatio deſerentis ſervitutem Dei cum filio prodigo. 177. cum Dei ſervitus deſeritur, in omnes licentiæ exceſſus cito labimur. *ibid.* duobus dominis ſervire non poſſumus. 176. 178. Deo ſervire non impedit, quin & hominibus ſerviamus. 167. veri Dei ſervi non ſunt, qui mundi, & hominum ſervitutem Dei famulatui praferunt. 171.

Quomodo Deo ſerviendum ſit. 172. ut veri Dei ſervi ſimus, oportet mundum odiſſe. 174. magnitudo & excellentia hujus ſupremi Domini nos docet, quomodo illi ſerviendum ſit. 181. totum, quod in Dei ſervitute non impenditur, tempus amiſſum eſt. *ibid.* Deo pro viribus ſerviendum eſt eo modo, qui illius magnitudinem deceat. 167. Deo ſemper, & omni tempore ſerviendum. 168. mœror in morte, eo quod Deo non ſervierimus, ut decebat. 177. de iis, qui Deo ſerviunt ob timorem, & de iis, qui ob amorem. 166. Deus ſervos habet diverſorum ordinum & characterum. *ibid.* nulla res diſpenſare nos poteſt a Dei ſervitute, & inanis eſt excuſatio quidpiam cauſare. 176. cum Deus nos ad ſuam ſervitutem appellat, ei prompte obediendum eſt. 180. tres adnotantur in evangelio, quorum ſervitutem Deus reſpuit. 163. qualis eſſe debeat verus Dei ſervus. 171.

Varia de ſervitute Dei. Deliciæ, quæ in Dei ſervitute guſtatur. 182. 186. omnia cooperantur in bonum ſervientibus Domino. *ibid.* vitæ hujus ærumnæ gaudium illorum non minuunt. *ibid.* ſpinæ, quibus conſitum videtur iter, quod boni ſequuntur, mutantur in flores. 182. nemo fruitur vera libertate, niſi qui ſervit Deo. *ibid.* qui mundo ſervit, ſubditus eſt pluribus tyrannis. *ibid.* curæ & labores, qui in mundi ſervitute ſunt ſuſtinendi. 182. voluptas, quæ in Dei ſervitute guſtatur. *ibid.* mundi ſectatores graviori in ſervitute vivunt, quam veri ſervi Dei. *ibid.* de virtutis ſuavitate. *ibid.* quam ſuave ſit jugum Domini, licet non ferendum mortalibus videatur. 182. adeo ſuave eſt jugum Domini, ut ſit quædam prægustatio felicitatis Beatorum. *ibid.* excellentia naturæ Dei exigit, ut omnes facultates noſtræ in cultu illius exercentur. 183. nullus temporis melior uſus, quam cum in Dei cultu impenditur. *ibid.* quodnam confidentiæ argumentum eſt animæ fideli, quæ Deo ferventer tota vita ſua famulata eſt. *ibid.* pax & tranquillitas, qua fruuntur ſervientes Deo, pœnis, quæ in mundi ſervitute perferuntur, comparata. 183. Deum amanti nihil grave. *ib.* Deus curam gerit ſervientium ſibi. 184. ſatis eſt diligere Deum, ut ſervitus illius nobis jucunda videatur. *ib.* fallacia mundi placita, quibus aſſeritur pulchrior ætas non eſſe Deo devovenda. *ib.* Deo totius conſolationis non ſervimus, quin in ejus ſervitio ſuavitate repleamur. *ib.* natura in malum proclivis non ita facile in Dei ſervitute perſeverat. 195. Dei ſervitus unius eſt finis, quem nobis in omnibus proponere debeamus. *ibid.* conſilium ſerviendi conſtanter

Deo in reliquum vitæ ſpatium. *ibid.* Dei ſervitium tantum abeſt, quod grave, & moleſtum ſit, ut ſit etiam jucundum. 185. ſoli ſervi Dei guſtare poſſunt dulcedinem ſervitutis ipſius. *ib.* non eſt dubitandum, utrum ſerviendum ſit Deo, an dæmoni. *ibid.* imperturbabilis tranquillitas, qua animæ Deo adhæreſcentes fruuntur. 186. in noſtra poteſtate non eſt ſervire Deo vergente in ſenſum ætate. *ibid.* peccatum onus eſt mundanis gravius, quam chriſtiano ſit praxis evangelicorum præceptorum. *ibidem* cur Salvatoris onus levius ſit onere mundi. 186. diſcrimen inter jugum Salvatoris, & mundi. *ibid.* in vita chriſtiana ſuavitas, in mundana tumultus tantum reperitur. 187. dulcedo, quæ in Dei ſervitute guſtatur. *ibid.* cupere magna pro Dei operari, dum minima negliguntur, illuſio eſt. *ibid.* mirum eſt, quod cum nobis ſit perſuaſum de lenitate ſervitutis Dei, pauci huic velint ſervire. 187. quantum ſit diſcriminis inter Dei, & mundi ſervitutem. 188. timenda eſt nobis repulſa, ſi ſero ad Dei ſervitium accedimus. *ibid.* chriſtiani nonniſi propter Deum vivere, & mori debent. *ibidem* chriſtiano indignum eſt cor ſuum Deum inter, & mundum partiri. 188. inter mundi negotia meminiſſe debemus ſemper nos eſſe chriſtianos. *ibid.* nullus in hoc mundo niſi in Dei ſervitute contentus. *ibid.* ſervis mundi aliqua ſemper eſt conquerendi de Domino ſuo cauſa, non item ſervis Dei. 189. Moyſis exemplo ſervitus Dei omnibus honoribus mundi eſt præferenda. *ibid.* Domini jugum non eſt ita durum, ut creditur, ſervitus ejus non probibet, quominus vitæ civilis obeamus officia. *ibid.* quam ſuavis ſit Dei ſervitus, ſi cum mundi ſervitute comparetur. 189. vellemus fideliter ſervire Deo, non tamen odiſſe mundum Dei inimicum. *ibid.* Deus nobis ſub hujus mundi paupertate immenſa celat bona, mundus vero, e contra. *ibidem* omnes mundi dignitates vanæ ſunt, ſi noſmet ſanctificare neglexerimus. 190. difficile eſt in proſperis aliquem divinitatis ſenſum fovere. *ibid.* Domini jugum ſuave eſt, & glorioſum illis, qui mites ſunt, & humiles corde. *ibidem* longe plura in mundi, quam in Dei ſervitute ſuſtinentur. 190. conſtanter in Dei ſervitute preſeverandum eſt. *ibid.* omne virtutis emolumentum eſt juſti, & quidquid cum virtute operatur, juſto prodeſt. *ibid.* divinæ majeſtatis præſtantia exigit, ut perfecte vivamus. *ibid.* quotuſquiſque Deo ſervire incipiat obeundo religionis officia. 194. debemus in nobiſmet ipſis gemere, quod hactenus Deo non ſervivimus. *ibid.* dolor animæ, quæ mundi ſervitutem ſervituti Dei prætulit. *ibid.* labor omnis inutilis eſt niſi propter Deum ſuſcipiatur. 191. nulla niſi in Dei ſervitute vera voluptas. *ibid.* Deus non ſinit ſervis ſuis ad vitam neceſſaria deeſſe. *ibid.* gloriæ nobis vertere debemus etiam coram mundo, quod ſamus ſervi Dei. 192. tenetur quilibet fidelis Dei ſervitio adhibere talenta omnia, quæ recepit a Deo. *ibid.*

Societates, converſatio. De quo in hoc titulo agatur. VI. 193. concionum ad hoc augumentum ſtructuræ. *ibid.* fontes, & auctores, unde hauriri copia poſſit ad has ſtructuras exornandas. 195. loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento. *ibidem, & ſeqq.* loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum ad idem. 198. quid ex Theologia depromi poſſit ad eamdem rem. 199. delecti ex aſceticis libris, nuperiſque concionatoribus loci ad hoc argumentum. 200.

Converſationis definitio, neceſſitas, utilitas, & regulæ &c. Quid ſit converſatio. 199. quo fundetur ſocietas, & converſatio. *ibid.* in omni ſtatu neceſſaria eſt converſatio. *ibid.* honeſtæ converſationis regulæ. 202. qui generatim defectus in converſationibus vitandi. *ibid.* quæ colloquia in converſationibus habenda. 194. charitas ſæpe nos adſtringit, ut cum hominibus conſuetudinem ineamus. 203. utilitas, & oblectatio, qua in converſatione afficimur. 193. vita ſociabilis ſolitariæ multipliciter præferenda. 199. plerarumque converſationum inutilitas. 201 viſitationes, & colloquia quandoque neceſſaria. 206.

Bona, & pia converſatio. *ibid.* monitum, ut converſatio reddatur chriſtiana. *ibid.* chriſtianorum converſatio expreſſa ad exemplar converſationis Beatorum in cœlo. 193. defectus, qui aliquando in piis converſationibus reperiuntur. 202. converſationes piæ, & ſanctæ, ubi de Deo ſermo habetur. 206. converſatio cum perſonis virtute præditis. 193. fructus, quos perſonæ virtute præditæ ex peculiaribus converſationibus percipere poſſunt. 203 charitas in converſatione neceſſaria eſt. *ibid.* item indulgentia. 202. in honeſtioribus ſocietatibus raro de Deo ſermo habetur. 204. ſed ſæpe de rebus parvi momenti. 210.

Societates malæ. Cum improbis ſocietas. malæ ſocietates inter occaſiones proximas recenſentur. 200. improborum cum bonis immixtio in hac vita. 197. in quo improbi ſint aliquando probis utiles. 210. neſarii cœtus effugiendi, & quinam illi ſint. 207. occaſiones, quibus illos evitare, vel ab iis recedere non tenemur. 194. Deus juſtis vetat, ne improborum ſoccietatem quærant, & vult, ut improbi bonorum conſuetudinem ineant. 196. ratio tenenda, quando cum improbis vivere cogimur. *ibidem* boni plerumque improborum amiſſionem, & ruinam avertunt. *ibid.*

Deus bona, & gratias temporales improbis largitur juſtorum intuitu. 197. Ratio cum imbrobis vivendi, & conſuetudinem habendi, cum charitate adſtringimur. 204. pravæ ſocietates generatim ſunt ſaluti impedimento. 205. ſcandalum, quod infertur improborum congreſſum frequentando. 201. quodnam conſilium ineundum, quando in ejuſmodi ſocietatibus alias non quæſitis nos invenimus. 203. pravas ſocietates ex urbibus proſcribere eſt ex iiſdem peccatum expellere. 197. unus improbus plures bonos corrumpere poteſt. 198. nihil commune, quoad fieri poteſt, cum improbis habendum. *ibid.* quando fugere, vel quærere imbroborum congreſſum oporteat. 199. quando ad eos fugiendos præciſe teneamur. 200. pravis ſocietatibus corrumpimur. 200. plerumque ob eaſdem damnamur. 200. in perditorum hominum conſortio agere volumus, quod cæteri. *ibidem* exiſtimatio ammittitur improbos congreſſus frequentando 201. ſimiles eis eſſe volumus, quibuſcum conſuetudinem habemus. 194. conſortes evadimus criminum, quæ in improborum cœtu patrantur. 201. pravas ſocietates evitare generatim loquendo tenemur. *ibid.* liberis interdicendo ſunt a parentibus 203.

Converſationes periculoſæ 205. aliquid ſemper amittimus Mundi conſuetudine utentes. 204. homines in conſervationibus. defectus ſuos alter alteri communicant. *ib.* quomodo bonorum conſervatione improbis ſperandus eſt fructus, ita bonis periculum conflatur inter imbrobos vivendo. 196.

In ſocietatibus, & converſationibus fere ſemper in diſcrimen adducimur lædendi Deum. 201. de converſationibus inter perſonas diverſi ſexus. 200. 208. in perditorum hominum ſocietate ſemper imminet periculum. 198. item in ſocietatibus mundanis. 202. & in converſationibus feſtivis, & procacibus. 205. cœtus magnatum ſemper periculoſi. 209. periculum quod imminet in otioſorum hominum conſuetudine 207. quænam cura impendenda, ut periculoſi cœtus effugiantur. *ibid.* periculoſiores & ſocietates ſunt. quæ charitatis, vel decori larva teguntur. *ib.* adoleſcentes in pravis ſocietatibus in diſcrimen adducti. 205. Dei animadverſio in quoſdam juſtos, quod cum improbis conſuetudinem inierint. 197. obligatio fugiendi quaſcumque ſocietates, in quibus periculum imminet Deum lædendi. 208.

Varia de ſocietatibus, & converſationibus. Non licet habere ſocietatem cum impiis. 210. vivens cum peccatoribus ſanctus eſſe nequit. *ibidem* juſti cum peccatoribus viventes perveruntur. *ibid.* conſuetudinem inire cum impiis, qui tales eſſe agnoſcuntur eſt Deum contemnere. *ibid.* typus chriſtianæ converſationis. 211. frequentia pericula, quæ in mundi converſationibus occurrunt. *ibid.* quam caute vivendum ſit in civili ſocietate ad corruptionem evitandam. *ibidem* pravis ſocietatibus tot ſunt lenocinia, ut vix tentatione nos ſuperari valeamus. 211. malæ ſocietates ſunt vulgatior ſcopulus virtutis. *ib.* in pravis ſodalitatibus diſcitur quidquid nequiſſimum eſt, ac inde quiſque revertitur nequior.

quior. 212. licet converſationes ſuas habeant utilitates ſæpe majorem afferunt perniciem, quam fructum. *ibid.* temere periculo ſe objicit, qui promiſcue cum omnibus conſueſcit. *ibid.* ſingulari opus eſt gratia, ne in ſæculi ſocietatibus innocentiam amittamus. 212. quæ & quanta ſint pericula in converſationibus utriuſque ſexus. *ibid.* corporis ſolitudo non eſt omnino neceſſaria ad tuendam innocentiam, ſed illa mentis ſaltem requiritur. 213. quomodo cum mundo converſari valeamus, quin lædamus Deum. *ibid.* vitium non eſt, ſed virtus variare cum iis, qui ſunt inconſtantes. 213. terga mundo vertere tenemur, ſi volumus ſalvari. *ibid.* inutilium viſitationum ratio nobis erit reddenda. *ibid.* & 214. pravæ ſocietates ea facilitate corrumpunt animas, qua peſtis corpora. 214. tutiſſima vitii non contrahendi via eſt malas vitare ſocietates. *ibid.*

Socinianiſmus; hujus hæreſis pernicioſus effectus. I. 248.

Sodoma. Combuſtio Sodomæ, & Gomorrhæ eſt imago inferni. II. 490. Sodoma, aliæque urbes igne in cinerem redactæ, & cur. 436.

Solatia licita, & illicita. Titulus, ubi hoc argumentum pertractatur, & monitum, qui fines in eo tractando præſcripti ſint. IV. 215. multiplex concionum hujus argumenti ſynopſis. *ibid.* fontes, auctoreſque, unde hauriri copia queat ad propoſita argumenta pertractanda. 217. loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento. 218. loci, & ſententiæ SS. Patrum ad idem. 219. quid ad hoc ex Theologia deſumi poſſit. *ibid.* delecti ex aſceticis libris, nuperiſque concionatoribus loci ad hoc argumentum. 222.

De ſolatiis generatim. Eorum definitio, & quid ſint. 219. finis, quem quiſque ſibi proponi debet in ſolatiis. 216. ſolatia non ſunt propter ſe, ſed propter aliquem honeſtum finem. 222. ſolatia non ſunt propter ſe quærenda, ſed ut animus reficiatur. 220. diſcrimen inter ſolatium, & requiem. 223. ſolatium aliquando neceſſarium. *ibid.* eo indigemus. *ibid.* ſolatiorum honeſtorum utilitas. *ibid.* in ſtatu innocentiæ ludi, & ſolatia non fuiſſent neceſſaria. *ibid.* Dei filius ſolatia honeſta non interdixit. 218. Apoſtolis etiam permiſit, ut tantiſper reficerentur. *ibid.* omnia generatim ſolatia damnari neque poſſunt, neque debent. 222.

Regulæ, & conditiones ſolatiorum, ut licita ſint. 216. 224. ſolatia cum ſint remedia, illis uti veluti remediis debemus, & quando illis indigemus. 215. ſolatium labori congruum eſſe debet. 224. modum ſervare debet. 222. raro licitis etiam ſolatiis utendum eſt. 222. prudentis, & ſapientis eſt ſcire ſolatium capere. 223. electione & prudentia opus eſt in ſolatiis. *ibid.* ſolatii tempus modo eget. 220. ſolatia non debent eſſe indecora. *ibid.* neque criminoſa, & periculoſa. 216. ſolatiis non tantum indigemus, quantum arbitramur. 222. de eccleſiaſticorum ſolatiis. 220. Solatiorum abuſus. 223. innocua ſolatia noxia fieri poſſunt. 220. uni magis periculoſa eſſe poſſunt, quam aliis. 228. ſæpe ſolatium quærimus per otium, non ut mentem animumque reficiamus. 231. plerique mortales ſatis ſibi non putant honeſta ſolatia. 230. pleraque ſolatia, quibus paſſim mortales vacare conſueverunt, vel periculoſa ſunt, vel criminoſa. 229.

Varia de ſolatiis, choreis, mundi cœtibus. Mundanorum ſolatiorum cœtus. 232. abſtinendum a choreis & profanis ſpectaculis. *ibid.* inepta excuſatio eſt aſſerere profana ſolatia non officere bonis. *ibid.* quid nobis fidei lumen in ſaltationibus detegat. 232. periculoſum eſt profanis intereſſe ſpectaculis. *ibid.* effectus cœtuum mundanorum in iis, qui converſionem cogitant. *ibid.* chriſtianorum vita quam ſit oppoſita officiis ſuis. 232. non deſunt occaſiones, in quibus licet animum aliquibus ſolatiis reficere. *ibid.* quod ſit diſcrimen inter licita & vetita ſolatia. *ibid.* ſolatia, quæ numquam culpa vacant, licere nequeunt. 233. cum adeſt timendi ratio, ut in exceſſum ruamus, ſolatiis abſtinendum eſt. *ibid.* ſolatia publica ſtatis temporibus fieri ſolita, primis fidelibus erant interdicta. *ibid.* de nobis diffidendum eſt, cum agitur de choreis publiciſque ſolatiis. 233. ſola flagitia, quæ Bacchanaliorum tempore committuntur prohibere debent, ne quis temporis hujus ſolatiis interſit. 234. licet modus aliquis in publicis feſtivitatibus ſervaretur, ſolus ardor, ac incenſa cupiditas illis aſſiſtendi culpa non vacat. *ibid.* ſolum tempus, quod in ſolatiis impenditur, contrarium eſt legibus Chriſtianiſmi. *ibid.* ſolum exemplum, quod tribuimus aliis interventu noſtro, ubi choreæ ducuntur, culpa non caret. 234. quemadmodum Deus ſibi quædam elegit tempora, quibus colatur, ita dæmon ſibi videtur reſervare bacchanalia. *ibid.* in his choreis, ſaltationibus, publiciſque cœtibus graviſſima flagitia committuntur. 235. quantumvis moderatus ſis, facilius eſt omnino abſtinere, quam ſemel implicitum recedere. *ibid.* quibus malis ſeſe objiciant, qui ultro ſaltationes quærunt. *ibid.* in choreis & ſaltationibus magis, quam alibi pudor periculo objicitur. 235. quid ſentiendum ſit de ſolatiis generatim, quorum alia periculoſa ſunt, alia crimine vacua. *ibid.* chriſtiani omnes horrere debent choreas, aliaque ſolatia, quoniam ipſi etiam Ethnici ea deteſtantur. 236. mala, quæ in ludis accidunt. *ibid.* quam periculoſum ſit deperire ludom. *ibid.* quot inanes cauſas prætexunt, qui aleæ ſeſe mancipant. *ibid.*

Solitudo, & ſeceſſus. Titulus, & monitum de hoc argumento. IV. 237. multiplex concionum hujus argumenti ſtructura. *ibid.* fontes, auctoreſque, unde hauriri copia queat ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas. 239. loci, exempla, & applicationes Scripturarum hoc argumento. *ibid.* loci, & ſententiæ SS. Patrum ad idem. 242. quid ad hoc ex Theologia depromi queat. *ibid.* delecti ex aſceticis libris, nuperiſque concionatoribus loci ad hoc argumentum. 244.

De ſolitudine, & mundi fuga generatim. 250. quid ſit iſte ſeceſſus, & quid eo intelligatur. 242. quis finis in ſeceſſu habendus. *ibid.* quibus de cauſis ſeceſſum & ſolitudinem quærere debeamus. 246. de ſolitudine interiori. 246. vitæ ſolitariæ commoda. 250. hujus ſeceſſus deſcriptio. 252. vulgo contra ſolitudinem & ſeceſſum antecepta opinio. 255. ſolitudinis deſiderium & amor. 241. omnes veri Chriſtiani ſeceſſum optare debent. 246. cum a Deo tangimur, ſeceſſum amamus, & quærimus ſolitudinem 248. omnes Sancti ſolitudinem quæſivere. 253. perſonæ vere ſpirituales Deum in ſeipſis quærunt. 255. perſonæ Apoſtolicæ propenſionem ad ſeceſſum ſemper præſetulerunt. 247. qui, ut Deo ſervirent, a mundo receſſerunt, ejus commercium pro viribus effugere debent. 209. exhortatio ad ſeceſſum & ſolitudinem. 251. poſſumus optare ſeceſſum vel ex virtute, vel ex mœrore, vel ex aliqua humana cauſa. 250. quam dulcis ſit ſeceſſus, & cum Domino conſuetudo. 256. hujus ſeceſſus utilitates haud ſatis novimus. *ibid.*

Seceſſus utilitas, & momentum. 246. ſolum in ſolitudine Deo rite ſervire poſſumus. 240. utilis eſt atque etiam identidem neceſſarius ſeceſſus illis, qui proximi ſaluti operam impendunt. 241. neceſſarius eſt, ut e curis mundanis nos explicemus, & ſalutem noſtram cogitemus. *ibid.* Deo ſervire, ut decet, non poſſumus inter mundi tumultum, & pietatis exercitiis defungi. *ibid.* converſio peccatoris fieri non poteſt, quin ſaltem ad tempus a mundo recedat. 249. Deus ſe non communicat niſi iis, qui longe a tumultu abſunt, & degunt in ſeceſſu. 241. inter mundi tumultum vox Dei audiri nequit. *ibid.* de veritatibus Chriſtianis æquius judicium fertur in ſeceſſu. 242. & 253. difficile eſt virtutem ſuam, atque ſervorem in pietate ſervare, quin ad tempus a mundo recedatur. 244. hæc eſt neceſſaria diſpoſitio, ut recipiatur Spiritus S. 245. quam neceſſarii ſint ſeceſſus, ut in virtute, & perfectione proficiamus. *ibid.*

Non ſunt minus neceſſarii propter morbos animæ, quam corporis. 245. fuga a mundo, & ſeceſſus neceſſarius eſt, ut gratia ſervetur. 249. & ut diſſipationi ſpiritus remedium afferatur. 255. ſi aliquamdiu in ſeceſſu non degimus, veritates chriſtianæ haud magnam impreſſionem in noſtro ſpiritu efficiunt. 248. ut Deum inveniamus, opus eſt, ut in ſolitudinem recedamus. *ibid.* Fructus, & commoda, quæ ex his ſanctis ſeceſſibus percipiuntur. 243. 244. 248. 254. hujus actionis præſtantia, & meritum. 243. ſeceſſus eſt locus aptior ad Dei gratias excipiendas. *ibid.* difficile eſt ſe non dedere

magnis veritatibus, quas in ſeceſſu meditamur. 244. Deus ad ſolitudinem vocat, quos ad ſublimem ſanctitatem vult evehere. 249. vox Dei in deſerto auditur. 251. receſſus & ſolitudo nos a converſationibus inutilibus & periculoſis avertit. 252. in ſolo ſeceſſu veritates æternas intelligimus. *ibid.* Deus modo peculiari nutrit adhuc in ſolitudine illos, quos ad eam vocat. 253. in ſeceſſu, nobis ipſis laborantes utiliores proximo reddimur. 248. quædam ſeceſſus eſt ſpecies, e quo ingens ad ſalutem fructus non percipitur. *ibid.* quam utilis & Deo acceptus ſit ſeceſſus. 245. preces ferventiores, & acceptiores Deo fiunt in ſolitudine. 247. opus eſt, ut otioſa non ſit noſtra ſolitudo. 256. quæ conſilia in ſeceſſu capienda, & conſiderationes habendæ. 247. proba conſilia in ſeceſſu capta cuſtodienda ſunt. 258.

Seceſſus praxis, & quomodo hac bona actione defungi debeamus. Bifariam ſeceſſus iſte fieri poteſt. 243. quomodo in mundo ſolitudinem nobis poſſimus ædificare. 242. utrum ſatius ſit vivere in ſolitudine, an in mundi commercio. 243. ſeceſſuum uſus non eſt nova inventio. 245. ejus exemplum nobis præbuit filius Dei in deſertum ſe recipiens. *ibid.* præſtantiſſimi quique ad maximi momenti munera ſeceſſu ſe diſpoſuere. 246. de ſolitudine interiori. *ibid.* ſolitudo exterior abſque interiori parum inſervit. 251. de ſilentio ſeceſſus comite. 254. in ſeceſſu de noſtræ ſalutis negotio cum Deo agendum eſt. 247. ſanctæ animæ ſolitariæ occupationes. 250. ſeceſſus aliquamdiu durare debet; alias boni ſenſus ocyus evaneſcunt. 252. hæc ſancta praxis cujuſcumque ætatis, & conditionis propria eſt. 245. ſeparatio corporis, & ſpiritus a mundo neceſſaria eſt, ut rite fiat hic ſeceſſus. 251. Inanes prætextus, & excuſationes, ut quis ab hac ſancta praxi ſe diſpenſet. Prætextus ex negotiorum multitudine deſumptus. 244. 250. qui virtute magis præditi ſunt, & vitam innocuam ducunt, hoc ſeceſſu identidem ſe indigere putant. 244. Miſſionarii, Religioſi, & Apoſtolici viri ſuas graviſſimas occupationes ob id deſerant ſaltem ad aliquod tempus. 25. ſæpe deſeritur ſeceſſus, vel ab eo nos diſpenſamus, eo quod vel tædium, vel moleſtiam nobis afferat. 254.

Spectacula. Titulus, & monitum de hoc argumento. IV. 257. multiplex concionum hujus argumenti ſtructura. *ibid.* fontes, auctoreſque, unde hauriri copia queat ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas. 258. loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento. 259. loci, & ſententiæ SS. Patrum ad idem. 261. quid ad hoc ex Theologia depromi queat. 282. delecti ex aſceticis libris, nuperiſque concionatoribus loci ad hoc argumentum. 264.

Fructus, quem parere poteſt verbum Dei, & quem nos debemus percipere. 453. modus efficiendi, ut divinum verbum in cordibus noſtris proficiat. 447. quilibet verbo Dei proficere poteſt. 442. bene ſperandum eſt de eorum ſalute, qui libenter audiunt verbum Dei, & ex eo fructum hauriunt. 449. quem fructum parere poſſit verbum Dei. 453. infelicitas eorum, qui ex verbo Dei fructum non capiunt. 454. ſi ex verbo Dei non proficimus, crimino ſiores evadimus. 442. ratio, propter quam modicus fructus ex eo percipiatur. 451. verbum Dei repellitur, & impeditur, ne agat. 431. veritas captiva retinetur. 436. verbum Dei in nobis non agit, niſi quatenus recipitur, & juxta modum, quo recipitur. 439. quid dicat S. Jacobus de iis, qui verbum Dei audiunt, quin illud exerceant. 448. cur eo parum afficiamur. 442. conſiderationis defectus cauſa eſt modici fructus, qui ex Dei verbo percipitur. 452. divini verbi ſterilitas oritur ex vitio illud audientium. 453. fidelium plerique Dei verbum hodie faſtidiunt. 454. affectus, & terrenis rebus inhæſio obſtant, quin verbum Dei guſtemus. 448. Dei verbum modicam in divinum cordibus efficit impreſſionem, & cur. 455. rationem Deo reddemus verbi divini, quod a nobis auditum fuerit. 457.

Quomodo, & quibus diſpoſitionibus audiendum ſit Dei verbum. 437. ad illud audiendum venire debemus eo conſilio, ut proficiamus. 430. ſibi applicandum, quod generatim dicit concionator. *ibid.* non inſpiciendum, an concionator ipſe exerceat, quod dicit. *ibid.* attento animo hoc verbum audire, illud meditari, ac memoria retinere debemus. *ibid.* quomodo primævi Chriſtiani illud audiebant. 436. Judæi admirabantur Dei filium concionantem; at ſatis eiſdem erat illum admirari, quin exercerent, quod dicebat. 435. negligentia, qua verbum Dei auditur. 448. quænam attentio illi præſtanda. 450. mira attentio, qua populus Eſdram illi divinam legem legentem proſecutus eſt. 435. quid ſit in Dei verbo remanere, ut loquitur Scriptura. 437. recuſatio audiendi verbum Dei parit cordis obdurationem. 440. cur plerique ad verbum Dei audiendum non accedant. 444. intentio, qua audiendum eſt. 448. ſpectandæ potius ſunt veritates, quæ annunciantur, quam oratoris eloquentia. 451. ſæpe male recipitur verbum Dei. *ibid.* Auditorum guſtus quoad ſermones varius eſt. 455. extant etiam, qui pati nequeunt, quod veritates evangelii prædicentur. 452. quid agendum ſit poſt auditum verbum Dei. 442. audire, ut decet, verbum Dei eſt prædeſtinationis nota. 453.

Concionatores, & miniſtri verbi Dei. Miniſterii annunciandi verbi Dei magnitudo, & excellentia. 447. concionatores vocantur in Scriptura tubæ, & cur. 435. ſunt legati filii Dei, & ejus mandato loquuntur. 437. per illorum os Spiritus ſanctus loquitur. 438. Salvator hoc munere optime functus eſt. 435. hinc concionatores in ſuum locum miſit & ſuffecit. 447. quænam qualitas conſideranda ſit in concionatoribus. 455. verbi Dei miniſtri audiendi ſunt, tamquam ipſe Jeſus Chriſtus. 456.

Qualitates, quibus præditus eſſe debet verbi Divini concionator. Animarum ſalutem ſolummodo ſpectare debet. 448. ſeipſum ſanctificare debet, antequam alios velit ſanctificare. 447. ea, quæ dicit, exemplo probare debet. 450. vitia generatim tantum arguere, & carpere debet. 451. jure contra ſæculi vitia invehitur. *ibid.* auditores ſuos pro viribus debet movere. 458. conſtantiam & fidelitatem Deus exigit ab iis, qui verbum ejus annunciant. 444. gratiam Deus largitur cuidam populo, cum ad eum mittit ſanctum concionatorem. 445. Deus aliquando permittit, ut concionatores nullum in urbibus fructum pariant. 441. eligi inter concionatores ille poteſt, qui majorem in nobis impreſſionem efficit. 445. qua conſolatione afficiatur concionator videns ſuorum laborum fructum. 449. quam criminoſus ſit concionator, ſi vitio ſuo verbi divini fructum impedit. 450. concionatores, quin ſalvent eos, quibus prædicant, ſæpe eorum interitus cauſa ſunt. *ibid.*

Sæpe concionatores peccant in divini verbi miniſterio. Quinam ſint concionatores, qui verbum Dei corrumpunt. 437. concionatores quidam nonniſi auditorum plauſum quærunt. 445. cur Deus aliquando concionatores mittat, qui contra ejus voluntatem verbum ejus corrumpunt. 441. quomodo Deus puniat abuſum & contemptum verbi ſui. 456. bonus, & malus uſus hujus divini verbi. 448. Deus hoc verbo eos privat, qui illo abutuntur, vel illud exercere negligunt. 450.

Varia de Verbo Dei. Concionatores ſunt organa, & interpretes Dei ipſius. 457. admirabiles affectus Verbi Dei. *ibid.* quid faciendum ſit, ubi ſermo Dei nos tetigit. *ibid.* ſi ex Dei verbo non proficimus, noſtra culpa eſt. *ibid.* concionatores non debent ſermonis ſublimitatem affectare. *ibid.* Dei verbum audiendum eſt. 458. quamvis etiam prædicatores nequiter viverent, nihilominus divinum verbum ab illis prolatum revereri debemus. *ibid.* ratio, qua tenemur audire verbum Dei, licet abunde ſciremus, quid a nobis faciendum ſit. *ibid.* quomodo S. Paulus auditus fuerit ab aliquibus terræ Principibus. 459. effectus, quos verbum Dei parere deberet in Chriſtianis. *ibid.* Dei verbum etiam nunc idem eſt, quod tempore Apoſtolorum. 459. tria admirabilia dedit Deus per J. C. hominibus, ſpiritum, corpus, & verbum ſuum. *ibid.* prodigium, quod Dei verbum quotidie operatur, & ejus efficacia. 460. verbum divinum invenit auditores etiam in nihilo. *ibid.* quænam ſit cauſa fructus modici, quem hoc divinum ſemen affert. *ibid.* magnum diſcrimen inter verbum Dei, & hominum. 460. prædicatoris officium æque ſublime eſt, ac illud Sacerdotis. *ibid.* modicus ex divino verbo fructus percipitur, quia illud nobiſmet non applicamus. 461. pauci convertuntur, & cauſa tam prædicatoribus, quam auditoribus referenda eſt. *ibid.* verbum Dei eſt verbum vitæ. 461. ſervat animæ in tempore vitam gratiæ, & pollicetur corpori in æternitate glorioſam immortalitatem. *ibid.* fructus, quos recipit anima ex verbo Dei. *ibid.* quomodo verbo Dei ſit utendum. 462. bonum, quod verbum divinum nobis procurat. *ibidem.* quam no-

Digitized by Google

nocentes ſint, qui Dei verbum contemnunt, quin ex eodem proficiant. *ibid.* magnum diſcrimen inter duos evangelii præcones. *ib.* negligentia in audiendo verbo Dei nos privat ſubſidiis ad ſalutem neceſſariis. *ibid.*

Veſtes, luxus, & immodeſtia, veſtium, ornatuum &c. Monitum, ubi adnotatur, quibus limitibus circumſcriptus ſit hic titulus. IV. 463. multiplex concionum hujus argumenti ſtructura. *ibid.* fontes, auctoreſque unde hauriri copia queat ad propoſitas concionum ſtructuras amplificandas. 465. loci, exempla. & applicationes Scripturarum huic argumento. 466. loci, & ſententiæ SS. Patrum ad idem. 468. quid ad hoc ex Theologia depromi poſſit. 469. delecti ex aſceticis libris, nuperiſque concionatoribus ad hoc argumentum loci. 471. Quid ſit luxus, & immodeſtia veſtium, & in quo conſiſtant. 469. 478. ornatus per ſe indifferentes virtuti ſimul, & vitio poſſunt inſervire. *ibid.* veſtium ſumptus eſt mera vanitas. 471. veſtium origo, & quibus induti fuerint poſt eoram peccatum primi parentes noſtri, 466. cur tunicis pelliceis induti fuerint. 467. ob quem finem veſtes inſtitutæ ſunt. 470. a peccato oritur earum inſtitutio. *ibid.* ornamenta ac ſuperbæ veſtes non decent eum ſtatum, in quo in hac vita ſumus. *ibid.* veſtes ſunt noſtræ inobedientiæ ac rebellionis ſigna. 480. nobis erubeſcendi potins quam ſuperbiendi cauſa eſſe debent. 472. magnificæ veſtes augent ignominiam peccati, cujus hæredes ſumus. 482.

Veſtium luxus eſt criminoſus, & in quibus circumſtantiis pompa, & ornamenta poſſint eſſe permiſſa. Veſtium pompa permiſſa eſt in quibuſdam ceremoniis, feſtivitatibus, occaſionibus. 471. quando mulierum ornatus criminoſi ſint, quaodo innoxii. 469. nimis ingens in veſtibus expenſa criminoſa eſt. 473. veſtium luxus hoc ſæculo modum eaceſſit. 480. omnes SS. Patres veſtium luxum condemnarunt. 482. per veſtium luxum quodammodo abrenunciamus chriſtianæ religioni, quam in baptiſmo profeſſi fuimus. 478. magnum peccatum eſt ſeſe ornare, ut ſpectantes ad peccandum alliciantur. 470. quam criminoſum ſit veſtium ornatu placendi conſilium. 475. gravius peccatum eſt magnificis indutas veſtibus mulieres io templum venire. *ibid.* Deus luxum odit, & quo pacto illum aliquando puniet. *ibid.* ſenſus, quos matronæ formare deberent, ornamenta ſua conſiderantes. 474.

Veſtium immodeſtia eſt ingens nequitiæ præjudicium. *ibid.* eſt modicæ verecundiæ, & incontinentiæ nota. 464. quomodo luxus ſit ſuperbiæ ſignum. *ibid.* hæc immodeſtia puritati adverſatur. 470. 472. conſilia ſeſe ornantium ſunt plerumque neſsria. 480. ornamenta mundana nunqoam probata fuere. *ibid.* mulieres præcipue veſtium immodeſtiam vitare debent. 475. eæ ſunt ſemper in ſtatu peccati, donec immodeſtis ornatibus ſuis ſunt ſcandali canſa. 481. unica placendi voluntas ſuadere poteſt mulietibus ornamenta. *ibid.* unde incipiant immodeſti veſtium ritus. 482. excedens veſtium luxus mulierum vanitatis argumentum. *ibid.* mulieres quæ ſeſe curioſius comunt, ut plurimum finibus parum innocuis ducuntur. 470. hac ſollicitudine mundo placendi difficile eſt innocentiam ſervare. 478.

De veſtium vanitate generatim. 468. veſtium luxus non extrema eſt ſæculi vanitas. 471. veſtium ſumptus mera vanitas eſt. *ibid.* eſt vanitas ridicula. *ibid.* maximum mulierum negotium eſt ſeſe exornare. 479. amor, quo mulieres ſua depereunt ornamenra, hujus ſexus indolem oſtendit. 477. mulieres nimia arte exornatæ contemptum potius, quam exiſtimationem mortalium ſibi conciliant. 475. perſonæ religioſæ huic vanitati penitus abrenunciant. 475.

De novis ſe veſtiendi ritibus. Novi veſtium titus a levitate oriuntur. 484. tyrannica comptiotis formulæ conſuetudo. 483. mulieres mundanæ tot moleſtis cultus ritibus patiuntur ſine merito. 479. ridieula cultus ad uſus præſentis normam affectatio. 474. hac in re chriſtianæ matres exemplo præire non debent filiabus ſuis. 483. immodeſtæ, & pernicioſæ cultus formulæ brevi ſeſe late diffundunt. 481. de fictis comis. 482. male prætexitur conſuetudo, & aliorum exemplam qnando pernicioſæ ſunt hæ formulæ. 473. 476.

Malum, quod luxua vitæ civili, & moribus parit. Luxus pernicioſus eſt moribus, & vitæ civili. 482. omnes conditiones cnnfundint. 476. conditiones amplius ex veſtimentis non diſtinguuntur. 484. veſtium luxus legibus humanis æque ac divinis quodammodo adverſatur. *ibid.* viris æque ac mulieribus turpis eſt. *ibid.* de eccleſiaſticis, qui ſuperbis utuntur veſtibus. 481. veſtes ut plurimum inſpirant ſenſus ſuæ qualitati conſurmes. 476. quid ſignificet veſtium luxus in eo, quo illi addictus eſt. *ibid.* mundani ornatus chriſtiano viro ſunt minus digni. 475. qui veſtium cultum adeo curant, vitam ducunt parum chriſtianam. 472. vevium luxus religionis principiis adverſatur. 475. mortificationi Chriſtianiſmi opponitur. 476. imputitatem ſuadet. 479. in hac re vanitas mulierum, & virginum, illas damnare valet. 476. cui rei iunitatur obligatio ſugiendi pompam, & veſtium luxum. 460.

Falſi prætextus, quibus vanitas, & amor ſui in hac re nobis adulatur. Feſtorum dierum prætextus privatorum luxui auctoritatem non adfert. 471. qualitas, & conditio perſonarum jus ad luxum non præbet. *ibid.* non ſecus ac divitiæ. 473. inanis excuſatio, quod veſtes ex ſe ſint indifferentes. *ibid.* prætextus juventutis, cui aliquid remitti debet, nequit admitti. *ibid.* non ideo excuſantur mulieres, quia dicant ſe veſtium pompa nil mali cogitare. 480.

De veſtium modeſtia. Modeſtia magis ornat, quam veſtes magnificæ. 482. puritatis, & modeſtiæ cum in mulieribus externum cultum regere debet. 471. jubet Apoſtolus, ut mulieres ſe modeſte induant. 477. regulæ obſervandæ in veſtitu, & io veſtium diſtinctione. 471.

Varia de veſtibus, & luxu. Peccata, quorum luxus eſt cauſa. 484. quomodo Deua puoiat luxum mulierum. 485. funeſti effectus luxus, & quo hadierna die evaſerit. *ibid.* inſaniæ ſpecies eſt ſibi ſamam comparare velle per luxum. *ibid.* luxus fons eſt plurimorum malorum. *ibid.* vanitas luxum parit, ideoque oppoſita eſt chriſtianæ humillitati. *ib.* cui ſervituti obnoxius ſit, qui luxum diligit. 486. luxus eſt ſons debitorum & ſemper nova csula defraudandi creditores. *ib.* civilem evertit ſocietatem, & cauſa eſt interitus familiarum. *ib.* eſt cum ioſigni crudelitate conjunctus. *ibid.* omnia vitia in luxu concurrunt. 487. varia imperia in terris conſtituta debent interitum ſoum luxui. *ib.* quantum pius, & bonus eſt, qui ſaſtum diligit, ſemper in magnis verſatur periculis. *ibid.* quid ſit luxus, & in quo conſiſtat. 488. ambitio abuſa eſt artibus ingenuis efficiendo, ut luxui deſerviant. *ibid.* funeſti effectus luxus. Poſſumus affirmare hunc eſſe patrem idololatriæ. *ibid.* ratio fructum referendi ex iis bonis, quæ nobis conceſſit Deus, non aſt ea impendere in luxu, ſed in manibus pauperum collocare. *ib.* qui audent accedere coram Deum magnifice induti, judices potius videntur, quam rei. *ibid.* mera eſt inſania ob luxum intumeſcere, cujus nos deceret pudere. *ib.* rationes, propter quas luxum & vanitatem debemus perhorreſcere. 489. matronæ, & potiſſimum puellæ chriſtianæ debent in veſtimentis ſuis geſtare inſignia filii Dei, non mundi. *ib.* conſuetudo, & forma recens probare non poſſunt exquiſita, & ſuperflua ornamenta. *ib.* quæ regula ſequenda eſt juxta D. Hieronymi mentem in veſtibus. *ib.* nou ſolum evitanda eſt veſtium vanitas ſed earum modeſtia inquirenda eſt. 490. qui luxum amant, ſemper incidunt in exceſſum, plebeii ſimul, & nobiles. *ibid.* verum eſt moderatum quamdam licentiam convenire ſtatibus quibuſdam, & ob ſuſtinendam dignitatem, quam quiſque aſſecutus eſt. *ib.* inanes mundanarum mulierum prætextus in luxu quem adfectant. 491. omoi in ſenſu inexcuſabilis eſt luxus divitum, præcipue vero cum illi ex egenorum ſpoliis locupletati ſunt. *ibid.*

Vidua Sareptbana ob ſuam charitatem remunerata. II. 76.

Vigilantia. Titulus, & monitum de hoc argumento. IV. 492. multiplex concionum hujus argumenti ſtructura. *ibid.* fontes, auctoreſque, unde hauriri copia queat ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas. 493. loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento. 494. loci, & ſententiæ SS. Patrum ad idem. 496. quid ad hoc ex Theologia depromi queat. *ibid.* delecti ex aſceticis libris, nuperiſque conciooatoribu. ad hoc argumentum. 497

De

De vigilantia chriſtiana generatim. Ejus definitio, & quid ſit. 496. cui vitio vigilantia opponatur. *ibid.* de vigilantia & exactitudine in noſtris officiis defungendis. 498. ratio, qua de vigilantia loquitur Scriptura. 499. nihil magis Dei filius hominibus commendavit. 496. in quo ſita ſit vigilantia Chriſtiana. 501.

Vigilantiæ elogia, & commoda, quæ ex ea percipiuntur. 503. eſt prudentiæ & ſapientiæ nota. 496. eſt meritorum fons. 497. efficit, ut in bono perſeveremus. *ib.* nos illuminat in Dei viis. 499. eſt remedium contra ignaviam & ſoporem in ſalutis negotio. 501. utilitas vigilandi, & ſibimet excubandi. 493.

Quænam debeat eſſe hæc vigilantia. Debet eſſe ſine tumultu & ſollicitudine. 495. eam oratio comitari debet. 503. imitari ſaltem debet ſæcularium vigilantiam in eorum negotiis temporalibus. 500. 501.

Vigilantiæ neceſſitas. Neceſſaria eſt, & a viſibilibus, & inviſibilibus noſtræ ſalutis hoſtibus tueamur. 495. ut caveamus ab inſidiis, quas nobis ſtruunt omnes creaturæ. *ibid.* uti bonum agendi occaſionem non amittamus. 497. ut dæmonis inſidias effugiamus. 502. ut ipſemet Dei, uti minatur, nos minime deprehendat. 497.

Vigilandi obligatio. Cui innitatur hæc obligatio. 497. præceptum vigilandi a Deo omnibus latum. 502. mors inopina nos adigit ad vigilandum. 497. item noſtrorum hoſtium viſibilium, & inviſibilium multitudo. 498. rationes, propter quas Dei filius vigilantiam nobis adeo commendavit. 499. diffidentia, quam de nobis ipſis habere debemus, nos ad vigilantiam adſtringit. 507. nullus eſt in hac vita ſtatus, in quo vigilandum non ſit. 502. Deus videtur aliquando dormire juſtorum intuitu, ut eos ad majorem vigilantiam adigat. *ibid.* vigilantia & oratio ſunt duæ res neceſſariæ, ut tuti vivamus inter tot noſtræ ſalutis hoſtes. 498. cui rei vigilandum ſit, & ad quid neceſſaria ſit hæc vigilantia. Neceſſaria eſt, ut noſtri ſtatus officia adimpleamus. 498. noſtri cordis motibus excubandum eſt. 493. & ejuſdem artibus. 497. ac omnibus noſtræ voluntatis actibus. *ibid.* omnibuſque noſtris verbis. 501. & omnibus noſtris actionibus, ut eas omnes circumſtantiæ neceſſariæ comitentur. 498. vigilantes eſſe debemus, & attenti voci Dei, qui per creaturas loquitur, audiendæ. *ibid.* Dei gratiis attenti eſſe debemus, veriti, ne effugiant. *ibid.* De vigilantiæ defectu.

Mira hominum negligentia in iis, quæ magis interſunt. 497. mirum eſt, quod adeo modice ſalutis negotio invigilemus. 500. virtus abſque vigilantia tuta non eſt. 499. periculum, quod vigilantiæ defectu metuendum eſt. 500. nos ſemper abſque vigilantia in labendi periculo verſamur. 502. calamitates, quæ aliis accidunt, efficere debent, ut nobis ipſis excubemus. *ibid.*

Varia de vigilantia Chriſtiana. Oratio ſimul & vigilantia jugenda eſt, quia alterutra per ſe nimis eſt infirma. 503. ut bene oremus, & vigilemus, amandus eſt nobis receſſus, & ſilentium. 504. cum in humanis ſcientiis tantæ ſit neceſſitas vigilantia, quanto magis, ubi agitur de ſalute. *ibid.* mortis incertitudo jugem poſtulat vigilantiam. *ibid.* plures poſtquam bene incœperunt, tandem ſuccubuerunt tentationi vigilantiæ defectu. 505. cogitandum eſt, cum quo inimico nobis agendum ſit, ut ſemper vigilemus. *ib.* cor noſtrum patet inſidiis dæmonis, carnis, & mundi, niſi jugis adſit in nobis vigilantia. *ib.* ad cor noſtrum cuſtodiendum ſugiendæ ſunt periculoſæ converſationes. *ibid.* vigilandum eſt ſuper noſmet ipſos expectantibus diem, quo Dominus venturus eſt. *ib.* militia Chriſtiani adverſum inimicos ſalutis ſuæ non ceſſat, niſi cum vita; nunquam ille debet ponere arma. *ib.* non poſtremum chriſtianæ vigilantiæ punctum eſt linguam ſuam cuſtodire, neque ad ſe extrinſeca objecta pertrahere. 506. nobis tanta cura vigilandum eſt ſaluti noſtræ, quanta mercatores mercibus ſuis. *ibid.*

S. Virgo a teneris annis ſe divino cultui devovit. I. 5.

Virtus. Solida virtus non extat, quæ tribulationis periculum paſſa non ſit. II. 371. reverendos in mundo homines reddit. III. 373. vera virtus eſt ſuis ſtatus officiis bene defungi. 367. ſola religio poteſt noſtram virtutem in mundo confirmare. 366. abſque religione haberi in mundo nequit vera juſtitia, neque virtus, neque probitas. 371. quomodo amabilis reddi poſſit virtus, & pietas. 365.

Vita diſſoluta, vide titulum *Licentia*. III. 38.

Vita ſupernaturalis animæ. I. 228. peccato mortali amittitur. *ibid.*

Vitium, & *Vitioſi*. Quantovis amore vitioſos homines proſequamur, de iis ſemper diffidimus. I. 260.

Ultio, vide titulum, Amor inimicorum. I. 140.

Unio & pax pro viribus ſervandæ. I. 728.

Vocatio Dei ad ſtatum eccleſiaſticum, vide titulum *Eccleſiaſticus*. II. 20. vocatio ad miniſteria religionis fuit ſemper neceſſaria in veteri, ac nova lege. 32. animadverſio Dei in illos, qui Sacerdotum abſque vocatione amplectuntur. 38.

Vocatio ad vitæ ſtatum. Titulus, & monitum de hoc argumento. IV. 507. multiplex concionum hujus argumenti ſtructura. *ib.* fontes, auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas. 508. loci, exempla, & applicatione Scripturarum huic argumento. 509. loci, & ſententiæ SS. Patrum ad idem. 511. quid ad hoc ex Theologia deſumi queat. *ibid.* delecti ex aſceticis libris, nuperiſque concionatoribus loci ad hoc argumentum. 513. Vocatio ad vitæ ſtatum generatim. Quid pro vocatione ad vitæ ſtatum, & pro electione de eo facienda intelligatur. 511. in quo ſita ſit hæc vocatio ex parte Dei, & ex parte illius, qui vocatur. *ib.* Deus nos ita ad vitæ ſtatum vocavit, ut ejus electionem nobis liberam reliquerit. 512. licet Deus ſit ſupremus dominus, rigoroſe de nobis non diſponit. 513. providentiæ ſuavitas deſtinantis noſtrum quemlibet ad unum vitæ ſtatum. 510. de variis hominum conditionibus a Deo ſtatutis, & ad quas illos appellat. 511. in quibuſdam difficilior eſt ſalus, quam in aliis, licet in omnibus ſalvari poſſimus. 521. Deus vult, ut varii vitæ ſtatus & conditiones in mundo exiſtant. 524. nulla ars, aut vocatio tam humilis eſt, ut deſit, qui illam exerceat, & ad quam Deus non vocet. 512. Quantum interſit bona ſtatus vitæ, quem complecti debemus, electio. 515. ex bona ſtatus electione dependet noſtra prædeſtinatio. 512. in vitæ ſtatu eligendo ſemper agendum eſt ſalutis æternæ intuitu. *ib.* plerique in hujus mundi ſemita procedunt, quin cogitent viam, quam ingrediuntur, ut ad eorum terminum perveniant. 519. gratiæ vocationis pondus. 515. per ſtatum, ad quem Deus nos vocavit, vult nos ſalvare. 518. de eo, quod dicitur poſſe ſalvari in quacumque vocatione, & conditione. 512. Dei vocatio ſtatus electioni eſt neceſſaria. Neceſſarium eſt, ut Deus nos appellet ad vitæ ſtatum, qui eſt medium perveniendi ad finem, cui nos deſtinat. 512. vocationis gratia cuicumque ſtatui eſt neceſſaria. *ibid.* in hoc negotio Dei vox audienda eſt. 511. Dei vocatio neceſſaria eſt, ut proprio cujuſque ſtatus munere rite ſungamur. 517. nihil bene vertere poteſt, niſi Deus noſtri incœpti ſit auctor. 515. Deus gratias cuicumque ſtatui adnexas illis tantum concedit, qui ad illum vocati ſunt. 520. difficile eſt ſalutem conſequi in eo ſtatu, ad quem vocati a Deo non ſumus. 514. parum contenti ſumus eo ſtatu, quem abſque vocatione amplexi ſumus. 520. iniquum eſt, ut homo in hoc gravi negotio a Deo independens eſſe velit, & ſuæ agendi rationis dominus. 517. in vocatione ad vitæ ſtatum homo præcipue Deo & providentiæ ſubjici debet. *ib.* Neceſſitas Deum conſulendi de vitæ ſtatu amplectendo. Nihil æquſus eſt, quam ut Deum conſulamus de vitæ ſtatu eligendo, & cur. 520. qua prudentia hoc negotium decernendum ſit. 511. mirum eſt, quod in adeo gravi negotio quemlibet alium præter Deum conſulamus. 515. nullus eſt vitæ ſtatus, quem contra Dei voluntatem liceat amplecti. 512. periculum ſubeſt in quocumque ſtatu, cum Deum non conſulimus de ſtatu, quem amplecti volumus. 516. ad Deum ſolum ſpectat nobis oſtendere ſtatum, in quo verſari nos vult; proinde ſuper hoc ille eſt conſulendus. 517. ad Deum ſpectat ſuam voluntatem nobis oſtendere, & ad nos ſpectat illam ſequi. 518. Deum orare, & conſulere ſuper hoc negotio, eſt via ingrediendi ſtatum, & munus juxta Dei ſpiritum. 519. cum difficile ſit cognoſcere ſtatum, in quo Deus vult nos verſari, curandum eſt, ut ejus voluntas ſuper hoc cognoſcatur. 507. ad Deum ſolum ſpectat viam oſtendere, per quam vult nos dedu-

Digitized by Google

deducere. 515. Deus æque conſulendus eſt, utrum in mundo permanere debeamus, an religionem ingredi. 519. qui de ſeipſo diſponere vult, contra Deum inſurgit. 524. haud ſatis ſumus illuminati, ut noſtrum vitæ ſtatum eligamus. 521. ad Deum ſolum ſpectat nobis præſcribere, & indicare vitæ genus, quod nos ſequi debemus. *ibid.* ſolus habet jus diſponendi de nobis, & nos collocare in eo ſtatu, quem illi congruum videbitur. 524 diſcrimen inter eos, qui de hoc negotio Deum conſulunt, & eos, qui nonniſi ſuam utilitatem, & voluptatem reſpiciunt. 520. adoleſcentibus præcipue Deus eſt conſulendus de ſtatu, quem debent amplecti. 521. qua vigilantia in hoc negotio agendum ſit. 525. non decernimus de ultimo fine, ut ſcilicet beati ſimus, ſed de viis ad illum perveniendi, quarum præcipua eſt vitæ ſtatus, quem amplecti debemus. 512. Medium vitæ ſtatum, munus, & conditionem bene eligendi. Hæc electio adoleſcentes præcipue reſpicit. 521. bonæ vocationis conditiones. 507. cognoſcenda ſunt talenta & diſpoſitiones, quas quis habet ad aliquem vitæ ſtatum, antequam illum eligat. 514. cum cuilibet ſtatui propriæ gratiæ adhæreant, quibus ſalutem conſequamur, a Deo illæ petendæ ſunt, quæ propriæ ſunt ſtatui, ad quem erimus vocati. 513. bene perpendendus coram Deo eſt ſtatus, quem amplecti volumus, antequam illum amplectamur. 510. fallacia præjudicia, quibus nos præverti patimur erga ſtatus aliquos, & quæ prohibent, ne bona electio fiat. 523. ſæpe abſque electione, ſed caſu ſtatum amplectimur. 516. reſpectus humani, qui in ſtatus electione ſe immiſcent, malam electionem efficiunt. *ib.* ad nos in ſtatus electione excæcandos omnia conjurant. 517. aliquando eligitur ſtatus eccleſiaſticus ob ambitionem, commodum, vel aliquam aliam hujuſmodi rationem humanam. 523. de ſtatus eccleſiaſtici electione. 524. de vita hominum negotiis & commercio addictorum. 523. De mala vitæ ſtatus & conditionis electione. Duo perſonarum genera, quibus Deus ſuam protectionem non largitur. 513. non conſulimus, an muneri adimplendo ſatis idonei ſimus.

De iis, qui vitæ ſtatum abſque vocatione amplectuntur. Timendum nobis, ne verſemur in ſtatu, ad quem non ſimus appellati. 517. quidam in eccleſiam veluti in hæreditatem abſque vocatione ingrediuntur. 510. magis adhuc mirum eſt, quod mundanum ſtatum amplectamur, quin ſciamus, an Deus id velit. 522. verum ſalutem, & ſanctitatem conſequendi medium eſt ſui ſtatus vocationem fideliter ſequi. 511.

Mala, quæ ſequuntur electionem ſtatus abſque vocatione, 517. omnia mundi mala ex eo procedunt, quod homines in eo ſtatu collocati non ſint, cui Deus illos deſtinaverat. 510. calamitates, quæ vitari non poſſumus, cum noſmetipſi moleſtum vitæ genus amplexi ſumus. *ibid.* curæ, in quibus verſantur vitæ ſtatum abſque vocatione amplectentes. 514. Deus non eſt amplius dux noſter, cum regimen illius detrectamus. *ibid.* vocationis defectus eſt omnium malorum, quæ in omnibus ſtatibus videntur, cauſa. 516. vitæ humanæ inordinatio ex eo ſequitur, quod nemo ſuæ vocationis limites ſibi præſcribat. 519.

De parentibus, qui de filiorum ſuorum vocatione diſponunt. Parentes non ſunt abſolute ſuorum filiorum vocationis domini. 523. parentes nonnulli liberos ſuos invitos ad vocationem cogunt. 518. parentes ſæpe neque Dei voluntatem, neque cæleſtia mandata reſpiciunt, ut ſuos liberos collocent. 519. quid plerumque de liberorum vocatione in familiis decidat. 522. parentes perpendunt liberorum ſuorum vocationem ad ſtatum religioſum non autem ad ſtatum mundanum. 516.

Quid agendum, ut mala ſui ſtatus peracta electio reparetur. 513. Deſperandum non eſt propter malam electionem peractam, cum ea poſſit reparari. 516. quid propterea ſit agendum, & ad quid teneamur, cum periculoſam profeſſionem amplexi ſumus. 523. labore ſupplendum eſt ſuæ vocationis defectui. 519

Quomodo nos gerere debeamus in ſtatu, quem elegimus, & ad quem Deus nos vocavit. Satis non eſt, ut Deus nos ad vitæ ſtatum appellaverit; opus eſt, ut illius officia adimpleamus. 517. opus eſt, ut vitam noſtram & mores noſtro ſtatui conformemus. 513. quilibet tenetur ad ſui ſtatus perfectionem tendere. 522. quid a Chriſtiano exigatur, ut ſuæ vocationis adimpleat officia. 525.

De ſtatus, & vocationis mutatione. 513. pauci ſua conditione contenti ſunt, & hominum ſuper hoc inconſtantia. 525. deſideria mutandi ſtatus nobis ſuſpecta eſſe debent. 522. alium ſtatum optare non debemus præter eum, in quo Deus nos collocavit. 520.

Varia de vocatione ad vitæ ſtatum. Ad vitæ ſtatum eligendum magna prudentia opus eſt. 525. Væ non amplectentibus ſtatum, ad quem vocantur. 526. Væ illis, qui ſemel amplexi ſtatum, ad quem a Deo vocabantur, illum deſerunt. *ibid.* ex vocationis gratia pendet quodammodo tota noſtræ ſalutis œconomia. 527. cum ſtatum conſulto Domino ſumus ingreſſi, tunc nobis curandum eſt, ut in eo ſanctificemur. *ibid.* non vocatum vitæ ſtatum amplecti eſt tentare Deum. *ibid.* maximi momenti eſt ſtatum non amplecti, quin prius diligens habita fuerit conſideratio. *ibid.* Deus nemini pollicetur gratias congruas diverſis muneribus, niſi illis, quos ipſe ad illa vocat. 528. cum ſtatum ſumus amplexi, conandum eſt, ut illius officia obeamus. *ibid.* divinæ parere debemus voluntati pro eo vitæ ſtatu, ad quem nos vocare illi placet. *ibid.* quomodo Deus ſuam nobis voluntatem aperiat. *ibid.* pericula, quæ occurrunt in altero ſtatu ab eo, quem Deus nobis indigitat. *ibid.* una reprobationis cauſa eſt ſtatum amplecti Dei de nobis conſilio contrarium. 529. frequentes lapſus noſtri in ſtatu noſtro inde oriuntur, quia non illum amplexi ſumus, ad quem a Domino vocabamur. *ibid.* qui duplicem deſerunt viam providentiæ, plerumque viam reprobationis ſequuntur. *ibid.* utilitates eorum, qui religioſum ſtatum amplectuntur. *ibid.* in quo conſiſtat ſtatus hujus felicitas. *ibid.* Religioſi cor totum Dei eſt ſine diviſione. 530. omnia Religioſi opera coram Deo fiunt. *ibid.* plurimi abutuntur vocatione ſua ad ſtatum Religionis. *ibid.* De eorum temeritate, qui non vocati ſtatum aliquem ingrediuntur. *ibid.*

Voluntas Dei; quidquid in hoc mundo accidit, Dei voluntate accidit. II. 371. in omnibus operibus noſtris curandum nobis eſt, ut Dei voluntatem exequamur, 587.

Uſura, de qua ſermo habetur in titulo *Avaritia*. I. 567. eſt nocentiſſimæ avaritiæ ſpecies. *ibid.* uſuræ inhumanitas. 277. monitum de uſura. 274. fœneratorum agendi ratio, atque calliditas. 280. fœneratoris cupiditas ei loco neceſſitatis eſt. 284. fœnerator nullum rationabilem prætextum habere poteſt. *ibid.* fœneratores proprie fures ſunt. 285. charitatis prætextu fœnus induitur. *ibid.* uſuræ injuſtitia, & indignitas. *ibid.* fœnerator ſui criminis magnitudinem ſere nunquam cognoſcit. *ibid.*

Z

Zambri; ejus crudelis ambitio, & mors funeſta. I. 62.

Zachæus, veræ reſtitutionis exemplar. II. 236. 244.

Zebedæus; duorum Zebedæi filiorum ambitio. I. 63. cura matris filiorum Zebedæi pro illis, & deſiderium eorum fortunæ incrementi. II. 48.

Zelus, quo animari debet Chriſtianus contra vitiorum impunitatis. II. 436. Zelus eorum, qui juvenum inſtructioni operam impendunt. I. 7.

Zelus animarum, & ſalutis proximi. Titulus, & monitum de hoc argumento IV. 531. multiplex concionum hujus argumenti ſtructura. *ibid.* fontes, auctoreſque, unde hauriri copia queat ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas. 533. loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento. *ibid.* loci, & ſententiæ SS. Patrum ad idem. 537. quid ad hoc ex Theologia depromi queat. *ibid.* delecti ex aſceticis libris, nuperiſque concionatoribus loci ad hoc argumentum. 538. De zelo animarum generatim. Ejus natura, & definitio. 537. hic eſt ille ignis, quem Dei filius venit mittere in terram. 536. quid appellari debeat zelus ſalutis animarum. 546. diſcrimen inter verum & falſum zelum. 549. alius verus eſt zelus, alius falſus. 539. homo ſibi ſoli non eſt; ſed incumbere etiam debet in animarum ſalutem. 538.

Conditiones, & qualitates, quas habere debet noſter zelus.

zelus. 531. 539. verùm zelum lenitas debet comitari. 542. 547. indulgens eſſe debet. 544. proprii commodis minime deditus. 545. conſtans æque ac prudens & diſcretus. 547. firmus & ardens. *ib.* bono exemplo adjutus. 549. viis legitimis in ſuis inceptis procedere debet. 538 zelus ſalutis proximi efficere non debet, ut noſtram negligamus. 545. qui in animarum ſalutem incumbunt, Deo uniti eſſe debent, 548.

Rationes, quæ hunc zelum excitare, & animare debent. Ratio charitatis nos impellere debet, ut ſaluti animarum adlaboremus. 531. & ratio gloriæ Dei. *ib.* pretium animarum, Salvatoris ſanguine intinctarum nos animare debet, ut illas Deo lucremur. 537. æſtimatio, qua Deus has animas docuit, nos debet excitare, ut earum ſaluti conferamus 543. animarum ſaluti adlaborare eſt propriæ operam impendere. 546.

Qui animarum ſaluti conſulere teneantur. Animarum zelus omnia perſonarum genera reſpicit. 546, qui ſpecialius teneantur ſaluti proximi adlaborare. 531, Apoſtolicorum virorum qualitates. 538. viri Apoſtolici & animarum ſalutis zelotis deſcriptio. 539. ad paſtores, & eos, qui munere Apoſtolico funguntur, ſpectat animabus Salvatoris ſanguinis fructum applicare. 542. zelus eſt proprius Apoſtolorum character. 547. peculiaris vocatio perſonarum huic muneri deſtinatarum, 537 quænam hujuſmodi perſonarum eſſe debeat agendi ratio. 539. quilibet tenetur pro ſuis viribus, ſtatu, atque mediis in proximi ſui ſalutem incumbere. 536. anima Deo devota conari debet, ut reliquas omnes ad eum trahat. 543. quilibet poteſt, & debet juxta ſtatum ſuum zelum exercere, 544.

Media ſaluti proximi conferendi. *ib.* quomodo, & quibus operibus hunc zelum teſtari poſſimus. 538, quomodo cognoſcere poſſimus, an hoc zelo præditi ſimus. 544. quomodo, & quando teſtari debeamus non zelo præditos eſſe. 547. quodnam ſit odium, quod contra peccatores concipere debemus. *ib.* modus habendus eſt in zelo, quem pro tuenda libertate, & confutandis erroribus teſtari debemus. 540. verus zelus contradictionibus terreri non debet. 547.

Animarum zeli præſtantia, & meritum. 543. quam glorioſum ſit Deo animas lucrari. 542. nihil glorioſius, quam animarum ſaluti conferre. 544. perſecutiones, quas patiuntur evangelici miniſtri, illis, & eccleſiæ gloriæ ſunt. *ib.* majorem Deo amorem teſtari non poſſumus, quam proximi ſaluti adlaborando. 547.

Zeli effectus, & fructus, quem ex eo percipit eccleſia. Apoſtolorum zelus, & fructus, quem ſuſceptum Spiritum ſanctum ediderunt. 545. zelus Apoſtolorum, & Apoſtolicorum virorum ſali comparatur. 536. mala, & peccata, quibus zelus medetur. 541. magna incepta, ad quæ zelus Apoſtolos, & viros Apoſtolicos perduxit. 543. effectus zeli, qui hodie quoque videntur. *ib.* ſenſus, quos nobis zelus inſpirat. 548. increpantur illi, qui propter negligentiam ſuam & ignaviam animas perire ſinunt. 544. de iis qui prætextu ſuæ ſaluti adlaborandi proximi ſalutem negligunt 548. læti videbimus in cœlo animas intuentes eo a nobis deductas. 546.

De falſo zelo, qui non eſt ſecundum ſcientiam, ut loquitur S. Paulus. 539 in zelo peccare poſſumus exceſſu, & defectu. 538. quænam præjudicia inferat eccleſiæ falſus zelus 536. zelus nimis ardens a Dei filio reprehenſus. 535. de zelo inordinato, qui effectus eſt temperamenti. 540. de zelo acri, & nimis ſevero. 544. notæ quibus dignoſcatur hic zelus inordinatus, & nimis ardens. 540. abuſus. qui in miniſterio Apoſtolico committuntur. 537. paſſio, & amor proprius ſæpe zeli nomine teguntur, 548.

Varia de zelo ſalutis proximi. Nullus non tenetur habere zelum pro proximo ſuo 549 quam prudentiam zelus requirat. 550. ſociam habere debet lenitatem. *ibid.* pretium, quo Deus animas noſtras redemit, debet excitare nos, ut ſaluti noſtræ adlaboremus. *ibid.* zelus eſt præſtantiſſima pars veræ pietatis. *ibid.* cum de aliorum agitur ſalute, debet compati, non autem plenus eſſe amaritudine & acrimonia, 551. zelus amarus & durus in noſmet ipſos impendendus. *ibid.* de zelo & pro ſua & pro aliorum ſalute habendo. *ibid.* ſcientia & eloquentia zelo non ſunt tam neceſſariæ, quam moderatio, prudentia, lenitas, *ibid.* tria diſtingui poſſunt zeli genera, quorum tertium ſolum perfectum eſt. *ibid.* diſcrimen veri falſique zeli. *ibid.* & 552. verus zelus patienter ſuſtinet calumnias, & reddit benedictiones pro maledictionibus. 552. plenus eſt ſuavitate, & vacuus invidia. *ibid.* zelus amarus corrigendus, & illius origo. *ibid.* characteres zeli vere & bene inſtructi, *ibid.* zelus pro animarum ſalute par eſſe deberet ardori, quo dæmon illas perdere feſtinat. *ibid.* variæ falſi zeli notæ. *ibid.* peccatorem a vitiis avocare, hoc eſt illius eſſe Salvatorem. 553. nullum jucundius Deo præſtare poſſumus officium, quam ſaluti animarum cooperatores. *ib.* quilibet juxta ſtatum ſuum zelare debet ſalutem proximi ſui. *ib.* quam gloriam recipiat homo ex laboribus ſuis, per quos proximo gratiam procurat. 554. fratres noſtros de ſervitute dæmonis eripientes de J. C. bene meremur. *ib.* nullus eſt Chriſtianus, qui ſaluti fratrum prodeſſe nequeat. *ib.* orandum eſt pro fratrum ſalute. *ib.* ſuæ magis ſaluti, quam alienæ conſulendum eſt. 555. vera falſi zeli deſcriptio, *ib.* peccatoris ad Deum reditus tam eſt acceptus Deo, ut cum eo Angeli ſimul homineſque debeant gratulari. *ibid.* ſaluti noſtræ cooperamur, proximorum ſaluti cooperantes. *ibid.* cum Deus tribuat talenta requiſita illis, quos deſtinavit, ut operam ſuam locarent ſaluti animarum, ex illis diſtrictam rationem repetet. *ibid.*

Zizanium. Qui diſcordiam ſerit, & alit, juremerito zizanii ſator appellatur. I. 725.

F I N I S.

Digitized by Google

R. P. VINCENTII
HOUDRY
E SOCIETATE JESU
BIBLIOTHECÆ
CONCIONATORUM
TUM MORALIS EVANGELICÆ, TUM THEOLOGICÆ
TOMUS POSTREMUS,
CONTINENS DUAS TABULAS,
Quæ uſum Operis univerſi faciliorem efficient.

Prima nempe indigitat varias Sermonum Adumbrationes, propriaque & naturalia Argumenta, quæ congruunt cum Evangeliis Dominicarum per Annum, omniumque Dierum Quadrageſimæ, & præcipuarum Feſtivitatum, ſeu Myſteriorum Domini Noſtri, & Beatæ Virginis.

Altera complectitur plures Sermonum, Argumentorumque Adumbrationes pro variis Adventuum curſibus.

EDITIO NOVISSIMA.

VENETIIS, MDCCLXI.
Ex Typographia Balleoniana.
Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

Digitized by Google

OMIE006120
5: 01UE006125

PRÆFATIO AUCTORIS.

QUAMQUAM poſtremum hoc Volumen nihil contineat niſi Tabulas ad commodiorem Operis uſum; neceſſario tamen adjungendum cæteris judicavi, perſuaſus ex utilitate, quam ab iis fore maximam intellexi. Singulari artificio confectæ ſunt, ut variis uſibus, quibus forte ſacri Oratores hanc Bibliothecam adhibere voluerint in ſuis orationibus elaborandis, inſerviant. Eo Conſilio geminas ejuſmodi Tabulas inter ſe plane diſcretas elaboravi, auxilio non modico futuras difficilem, & prolixam adeo viam ſuſcepturis, qualis profecto eſt Dominicalium Concionum curſus, Adventualium, & Quadrageſimalium complexio, ne quid dixerim de pluribus Concionibus in Myſteria noſtræ Fidei, & alia, quæ præſto eſſe debent illi qui Miniſterium ſuum cum dignitate implere deſiderat.

Tabularum iſtarum prior (ut jam admonui in præfixa hujus adumbratione) varia offert argumenta cum aptis Oratoriis partitionibus ad varias Conciones ſingularum in annum Dominicarum, dierumque incurſu Quadrageſimali, adjectis Myſteriis jam indicatis. Sic elaboratæ Tabulæ utilitas ſtatim ſentitur, cum ſæpe ſacri Oratores hærere in ambiguo cogantur de argumento ſuarum Orationum deliberaturi, quibus ex ambagibus ſe ſe facile expedient, cum ſub ipſis oculis aſpiciant ſchemata delineata, quæ vel in ſuum ſuccum trahent, vel auxilio ipſis erunt, ut nova de ſuo excogitent: ſcitum eſt enim ſacrum Oratorem in hanc Provinciam primum venientem his adjumentis opus habere; cum rara admodum ſint ingenia adeo fœcunda, ut de ſuo ad multas orationes effingendas ſine modulo, & exemplo ſufficere ſibi poſſint. Non eſt ergo cur ambigatur Tabulam tam multa argumenta, & Concionum partitiones ex optimis acceptas Scriptoribus continentem plurimum levaminis allaturam ſacro Oratori munus inituro tam ſibi laborioſum quam proximo ſalutare.

Altera quæ ſuccedit Tabula nihil differt a priori, niſi quod plura ſuppeditat argumenta, & Orationum partitiones ad plures Adventuales curſus, quorum ſinguli in quatuor Hebdomades; Hebdomades vero in ſex dies diſtribuuntur, ut explicatum eſt in præmonitione eidem Tabulæ præfixa. Hanc inivi rationem, eo quod iſte communior hodie ſit uſus Conciones per Adventum habendi. Olim quidem mos invaluerat, ut argumentum deduceretur, ſive ex hiſtoria aliqua ſacræ Scripturæ, cujus variæ rerum circumſtantiæ, ac textuum ſententiæ variæ opportunitatem offerebant ad veritates varias ſingulis diebus inculcandas. Interdum argumentum deducebatur ex Epiſtola aliqua Sancti Pauli, ex Parabolis Evangelicis uti Filii Prodigi. Hodie tamen obtinet conſuetudo, ut proponatur generalis quidem veritas ſeu axioma plurium aliarum veritatum veluti parens reformandis moribus, vel ſæculi corruptionibus repurgandis aptiſſimas; ut exempli gratia de pœnitentia, cujus ſingulæ partes totidem argumenta, & partitiones oratorias a nobis in hac Tabula delineatas ſufficiunt.

BIBLIOTHECÆ CONCIONATORUM TOMUS POSTREMUS,

Continens

TABULAS QUÆ USUM OPERIS UNIVERSI FACILIOREM EFFICIENT.

TABULA PRIMA

Indigitans propria, & naturalia Argumenta, quæ congruunt cum Evangeliis quarumlibet Dominicarum & præcipuarum Solemnitatum per annum, cujus ope in hac Concionarorum Bibliorheca inveniri poterit rerum, locorumque copia ad illa pertractanda.

PRO PRIMA ADVENTUS DOMINICA.

CUm Eccleſia anni ſui exordium ſumat ex noviſſimi Judicii cogitatione, reor Concionatorem nequaquam poſſe ab illius mente recedere, & ab alterius cujuſpiam argumenti pertractatione initium facere. Verum cum hoc ipſum argumentum aliter, aliterque valeat pertractari, in hujus diei Evangelio duos textus invenio, qui in Auditorum animis duplicem excitare poſſunt affectum; alterum quidem ſalutaris metus terribilis hujus Judicii; alterum verò gaudii, & ſpei in cogitatione gloriæ, ac mercedis, quam Juſti magna illa die ſunt percepturi. Quod locum præbere poteſt duobus diverſis Sermonibus, de eodem generali Judicio.

I. Argum. De Generali judicio. Luc. 21. Pro priori quidem deſumptis pro Textu verbis illis: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & Majeſtate.*

Poſt hipothipoſim ſignorum, quæ noviſſimam hanc diem præceſſura ſunt, & ſubverſionis naturæ totius, quæro inter hæc omnia terroris ſpectacula objectum illud, quod omnium aptiſſimum ſit ad ciendam ſalutarem hanc formidinem in omnes mentes, & nihil præſentius invenio hoc Homine Deo, qui in hac rerum præſentia objectum eſt totius ſpei noſtræ, & qui de Mediatore factus Supremus Judex noſter, futurus eſt maximi terroris noſtri Auctor, & Cauſa. Et conſtat ratio, præcipuum enim munus ejus triplici conſiſtet in re, quæ infinite illum terribilem facient.

Quarum prior erit inquiſitio, & diligens examen, quo ſingulas actiones noſtras excutiet: quæ ſane inquiſitio, & quod examen incomprehenſibilem injiciet terrorem in omnium mentes diſtricto illo judicio, ac ſevera indagine, qua ſingula exquiret.

Altera erit manifeſtatio, qua omnibus creaturis aperiet ſingulorum crimina, quæ non ferendo rubore peccatorum ora ſuffundent.

Tertia tandem erit damnationis ſententia ab ipſo proferenda, quæ reprobos in æternum ignem conjiciet. Hunc ſequetur ordinem Dei Filius in terribili Judicio, eumque in præſenti ſermone ſervabimus.

Rerum Suplex ad argumentum hoc pertractandum ſuppetet in Tomo II. Bibliothecæ Concionatorum Moralis Evang. Titulus: JUDICII EXTREMI, ET UNIVERSALIS.

Cum venerit Filius Hominis in Majeſtate ſua &c. Matth. 25.

II. Argum. De generali judicio. Luc. 21. Eccleſia, Patreſque paſſim duplici nomine Magnum hoc Judicium appellant, Judicium univerſale, & Judicium noviſſimum.

Primum univerſale; omnia quidem jucunda ſunt. Secundò Judicium hoc noviſſimum eſt, quia cum hunc peculiare Judicium præceſſerit, nullum aliud Judicium hoc ſubſecuturum eſt. Sequamur igitur duplicem hunc ſenſum, qui ultrò inhærere videtur duplici huic Patrum locutioni. Judicium hoc eſt univerſale: in eo igitur judicandum erit quidquid ab hominibus judicatum non fuerit. Judicium hoc eſt noviſſimum; in eo igitur reformabitur quidquid perperam ab hominibus fuerit judicatum. Hoc argumentum eſt ſermonis, qui imperterrito cuilibet terrorem poteſt incutere.

Punctum Primum. Ratio qua Deus in hoc univerſali judicio ſcrutabitur ſingillatim univerſa, quæ fefellerint indaginem legitimorum Judicum, quos Deus ipſe in locum ſuum in terris conſtituit. Primum quidem Tribunal conſcientiæ peccatoris; 2. Humanæ Juſtitiæ Tribunal; 3. Tribunal pœnitentiæ, & chriſtianæ reconciliationis. Proferet igitur in lucem Dominus, quidquid tenebris involutum fuerit coram triplici hoc Tribunali; hac in re Judicii hujus univerſitas ſita erit. *Pſal. 48. Hebr. 12.*

Punctum alterum. Cum ajo Judicio noviſſimo refingenda eſſe alia quæcumque Judicia; non loquor de peculiari Judicio, quod ſub exitum vitæ ſingulorum inſtituendum eſt: Idem namque Deus utrobique ſententiam laturus eſt; ſed mens eſt dicere, nos in hac vita illuſionem paſſos fuiſſe triplici in re, de qua falſo judicavimus. Primum quidem de Deo; neque enim ſatis æquum tulimus judicium de illius Providentia, Bonitate, Juſtitia; & Judicium hoc Deus reformabit. Secundo reformabit ille judicium, quod a nobis latum fuerit in

utramque partem de proximo noſtro; aperiet enim nobis aliorum quidem probitatem, aliorum autem hypocriſim. Tertio tandem refinget judicium de nobiſmet ipſis; nobiſque oſtendet, quînam vere fumus ac fallacia reformabit judicia, quibus nos amor proprius replevit circa perfectiones, atque virtutes.

Oſtendere etiam in hoc argumento licebit, peccatores inventuros in Filio Dei Judicem perſpicacem, & æquum.

Perſpicacem, qui nihil ignorare poteſt.

Æquum, quem nulla flectet miſeratio.

SECUNDA ADVENTUS DOMINICA.

I. Argum. De Divinitate J. C. Matth. 11.

PRæ ceteris argumentis, quæ nobis ultro occurrunt Fideli hujus Evangelium percurrentibus, tria potiſſimum deligo. Primum in verbis illis, quæ pro Textu deſumi poſſunt: *Tu es, qui venturus es? an alium expectamus?* Ex quibus arripi poteſt occaſio diſſerendi de Divinitate Christi Jesu, ideoque oſtendendi hunc eſſe Meſſiam prænuntiatum per Prophetas, atque Iſraelitico populo promiſſum; quod Salvator ipſe innuit Diſcipulis a Sancto Joanne ad illum miſſis, ut ab eo cognoſcerent, utrum ipſe ille eſſet, quem præſtolarentur; reſponſionis loco oſtendens illis miracula, quæ operabatur, & quæ indubia erant ſuæ Divinitatis, atque Miſſionis argumenta. *Tu es, qui venturus es? an alium expectamus.*

Ibidem.

Undenam ergo factum eſt, o Fideles, Sanctum Joannem, glorioſum hunc Jesu Christi Præcurſorem, qui ſe ipſum miſſum ait, ut Deum hunc hominem recognoſceret, & Divinitatis ejuſdem teſtimonium perhiberet, & qui illud tot in occaſionibus perhibuerat: undenam quæſo factum eſt, ut idem Sanctus Joannes propter illius cauſam vinculis onuſtus videatur ambigere de qualitate, non ſecus ac de miſſione illius; quandoquidem duos mittit ex Diſcipulis ſuis ab eo ſciſcitaturus, quis ſit? An hic ille ſit, qui fuerat promiſſus; an alter quiſpiam ſit illis expectandus ipſo major, & ſanctior? Nequaquam, Fideles; Joannes non dubitat vel de Salvatoris Divinitate, vel de cauſa propter quam venit in terras; ſed Sanctus iſte Vir pluſquam Propheta, ipſa Veritate teſtante, ideoque ſuper omnes Prophetas perſpicaciſſimus ſatis, ſuperque noverat Meſſiam, & Divinitatem Salvatoris hominum; quandoquidem ipſe erat per quem aliis hominibus erat oſtendendus; ſed hoc factum eſt, ut Sanctus Hieronymus inquit, quia cupiebat, ut hic Homo Deus ſe ipſum illis traderet cognoſcendum, & miraculorum ſuorum, ac mirabilium, quæ operabatur adſpectu confirmaret teſtimonium, quod illi de ipſius divinitate tribuerat: *Mittebat Diſcipulos ſuos, ut ſibi quærens, illis diſſeret.*

Itaque quin infinita adferam argumenta ad probandam Jesu Christi Divinitatem, quibus plurima repleri poſſunt volumina, & quin proferam teſtimonia Scripturarum, Prophetarum, & quidquid in univerſo Mundo Sanctiſſimum, ac Sapientiſſimum eſt ad Atheos, infideles, Hæreticos, ac nequiſſimos homines perſuadendos de præcipuo hoc Religionis noſtræ fundamento, tribus tantum innitar perfectionibus, quas ipſi etiam aperciſſimi Salvatoris noſtri inimici fatentur in ejus enituiſſe perſona, & quas nemo in dubium revocare poteſt; cujuſmodi eſt veritas illa, non defuiſſe hominem, qui a Judæis damnatus fuit, & crucifixus, qui deinde novam legem, novamque Religionem inſtituit.

Prima perfectio, vel potius prima qualitas, quæ Jesu Christo negari non poteſt, Sanctitas eſt, quæ cum ſit attributum maxime eſſentiale Supremæ Eſſentiæ Dei, communicata fuit humanitati hujus Salvatoris, quæ Sancta appellatur. Hac de cauſa profecto idem eſſet, ac ſupponere illud, de quo agitur; & quod per ſe ignotum eſt, afferre ad probandam veritatem, quam demonſtrandam aggredimur. Sed hoc ipſum erit certiſſimum Divinitatis Dominicæ argumentum, ſi animadverterimus; hominem, cujus vita, & actus omnes Sancti ſunt, & qui in gradu eminenti poſſedit virtutes omnes, quæ Sanctos conſtituunt; hominem, qui nullius unquam criminis redargui potuit; cujus Sanctitatis teſtimonium cœleſtia perhibuerunt oracula; cujus divinitatem teſtatus eſt Joannes Baptiſta, cujus unicum teſtimonium inſtar eſt inviſtiſſimi argumenti; hominem tanto zelo ſuccenſum gloriæ Dei, ut nihil prætermiſerit, ut cultus Summæ illius Divinitati debitus redderetur; hominem denique adeo Sanctum, qualem Mundus univerſus deinceps agnovit, paſſum fuiſſe ſe a Diſcipulis ſuis Dei viventis Filium vocari; & ipſum quoque confeſſum, profeſſumque fuiſſe coram Judicibus ſuis, ſe Deum eſſe, & ſe gerere etiam voluiſſe pro Deo remittendo peccata, & aliis etiam eorum remittendorum facultatem impertiendo; denique oſtendendo verbis, & actibus ſuis qualitatem Filii Dei non eſſe rapinam, ſed jus perſonæ ſuæ proprium, quod alienare non poterat. Dici igitur poteſt, cum Jesus Christus palam Judæis oſtendebat, ſe Meſſiam eſſe, quem expectabant, ipſum ab illis nequaquam reſpiciendum fuiſſe tanquam Regem terrenum, neque ſimpliciter tanquam magnum Prophetam aliquem, ſed veluti verum Altiſſimi Filium, qualem ipſi Prophetæ venturum cecinerant, & cum omnibus Divinitatis characteribus exhibuerant; niſi enim re ipſa talis fuiſſet, execrabilem protuliſſet blaſphemiam, & ſicuti calumnia, qua populis os ſublevent ea Sanctitate, quæ meram haberet ſpeciem Sanctitatis, fuiſſet detecta, non ſecus ac illa Apollonii, aliorumque nonnullorum, non ſolum ab omnibus populis in honore non habitus fuiſſet, verum etiam fuiſſet tanquam ceterorum nequiſſimus traductus.

Altera perfectio, quæ alterum conſtituit Divinitatis Jesu Christi argumentum, ſcientia eſt admirabilis, per quam præſens, ac futurum cognoſcit, cordium ſecreta ſcrutatus eſt, & certiſſima prædixit ea, quæ nonniſi poſt ſæculorum lapſum erant eventura, & quæ omnino ab hominum voluntate pendebant. At aſſequi, & in apricum proferre abditiſſimas hominum intentiones humanæ menti negatum eſt, earumque cognitionem Deus ſibi uni reſervavit; etenim nonne Biblia ipſa teſtantur, hunc unum eſſe ex characteribus Divinitatis? *Annunciate nobis, quæ ventura ſunt, & dicemus, quod Dii eſtis vos.* Et ſi loqui volumus Iſai. 41.
de cogitationibus, atque ſecretiſſimis intentionibus, nonne Apoſtolus in hac Dei ſcientiam conſtituit? *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus.* Unde licet arguere, eum Hebr. 4.
qui prædixit, atque retexit ea, quæ Deo uni erant aperta, vere Deum eſſe. Hoc itaque Dei proprium eſt, eſſe increatam Sapientiam, Verbum Divinum, æterni Verbi cognitionem, ideoque nihil latere illum, nihilque eum fallere. Verum quidem eſt, Deum nonnulla Sanctis novæ legis, veteriſque Prophetis revelaſſe; ſed Sancti, atque Prophetæ confeſſi ſunt, ſe divinitus illa accepiſſe; cum Salvator ipſe per ſe omnia cognoverit, & ab æterno Patre acceperit per cognitionem cum illo communem, quæ ad omnia late patebat objecta, quemadmodum de illo Prophetæ cecinerunt.

Tertia denique Dominicæ Divinitatis probatio deſumpta eſt a ſuprema illa poteſtate, quam cum in terris verſaretur, in naturam exercuit; quæ quidem probatio eò validior eſt, quò magis infenſiſſimi etiam gloriæ & nominis ejuſdem inimici victas dare manus debuerunt. Et profecto quodnam eſt manifeſtiſſimum Divinitatis argumentum? niſi adſpectus Operum Dei, Cœli, Elementa, & admirabilis ordo naturæ? Quamvis autem divina opus fuit revelatione, ut Jesu Christi Divinitatem agnoſceremus; videtur ille tamen, ipſe per ſe probare voluiſſe eo modo, qui omnem auferret dubitationem, idque per ea prodigia, quæ omnem naturam excederent, quemadmodum ille argumentatus eſt, Judæorum exprobrans infidelitatem. *Si non veniſſem, & opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Sed quamquam non defuerint in Matth. 10.
lege veteri Prophetæ, & in nova Sancti Viri, qui hac donati fuerunt facultate miracula operandi, atque etiam majora illis, quæ ipſe operatus eſt, tamen hoc eſſentiale ſemper intererit diſcrimen, illos quidem nonniſi in Nomine Domini ſigna illa admirabilia fuiſſe operatos, cui unice gloria accepta erat referenda; Jesum verò illa in nomine ſuo, & Divinitatis ſuæ probationem perfeciſſe, eorumque Auctorem, & Factorem fuiſſe.

Hujus Argumenti ſupellex invenitur in Tomo II. Biblioth. Myſt. Theol. Titulo: Divinitatis Jesu Christi.

Pro hac eadem ſecunda Adventus Dominica pro Themate deſumi poſſunt verba illa: *Joannes in vinculis.* II. Argum.
Matth. 11. In idem Evangelium.

Arrepta occaſione Sancti Joannis in obſcuro carcere De piorum
poſiti, ferreiſque vinculis adſtricti ſermo poteſt haberi de tribulationibus.
piorum ærumnis, atque tribulationibus, & in quarto Bibliothecæ Moralis Tomo invenientur plures concionum hujus argumenti ſtructuræ; inter quas una, quæ eſt de felicitate, ac utilitate, quam Tribulationes comparant nobis, quæ continetur in duplici hac veritate, quæ ingenti nos debet afficere conſolatione.

Harum prima eſt, nullibi amorem Dei erga nos melius ſignificari, quàm in Tribulationibus, quas ille nobis immittit, & quæ ab ipſo proficiſcuntur.

Altera verò eſt, nullibi nos amorem erga Deum teſtari melius, quàm cum æqui, bonique facimus cruces, & ærumnas, quas Deus mittit ad nos, eaſque perfecta cum ſubmiſſione divinæ voluntati recipimus. Hinc fit, ut ſicut totius noſtræ felicitatis principium fluit ab amore, quo nos complectitur Deus, & quo illum proſequimur, tribulationes, quæ certiſſima ſunt utriuſque amoris indicia, ſint etiam duæ validiſſimæ probationes duarum veritatum, quæ a me allatæ ſunt, & duæ Sermonis hujus partes.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: Tribulatio.

III. ARGUM. In idem Evangelium.

Quid exiſtis in deſertum videre? Hominem mollibus veſtitum. Ecce, qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt. Matth. 2.

Occurrent etiam plures Sermonum ſtructuræ ad luxum, et Veſtium immodeſtiam ſpectantes in Tomo Bibliothecæ Moralis quarto, Titulo: VESTES. Ibi omnia ſpectant ad oſtendendum:

Primùm Veſtium luxum vanitatem eſſe ridiculam, & crudelem, cum interim deſint tot Pauperibus indumenta, quibus anni temporum arceant inclementiam.

Secundo, hanc palam eſſe infractionem eorum, quæ in Baptiſmo ſumus polliciti, nos videlicet pompis, & Mundi vanitatibus eſſe abrenuntiaturos.

Tertio, Signum eſſe impudicitiæ, quæ per hoc excitatur in ſe, & in aliis placendi deſiderio, per immodeſtiam ornatuumque muliebrium luxuriam.

Quæ tria ſi tribus verbis colligantur, huc redibunt: Luxus, & veſtium immodeſtia Chriſtianam dedecet Humilitatem, Religionem, Modeſtiam.

PRO TERTIA ADVENTUS DOMINICA.

Tu quis es? Joannis 1.

I. ARGUM. De Chriſtiana humilitate. Jacobi 4.

OSTENDERE poſſumus bona, quæ nobis procurat humilitas, quorum potiſſimum eſt pax cordis, bonorum omnium naturalium maximum, ſed quo frui nequaquam poſſumus ſine humilitate; ſuperbia enim, ambitio, nitendi cupiditas ſexcentos ciere tumultus, qui non ſinunt nos hac frui animi tranquillitate &c. Alterum eſt, Humilitatem nobis Cœli gratias promereri. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Hoc conſtat ex pluribus Scripturæ exemplis, pluribuſque rationibus, & potiſſimum eo modo, quo Deus agit, qui humillimis, infirmiſſimiſque utitur inſtrumentis ad maxima quæque efficienda, & qui pati non poteſt uni ſibi debitum honorem a quoquam auferri. Tertium bonum, quod nobis humilitas comparat, eſt vera gloria, quam non ſuper terram dumtaxat, verum in Cœlis etiam acquirimus, ubi eò elatiores erimus, quò in terris fuerimus humiliores.

Hujus Sermonis delineatio cum aliis plurimis de eadem virtute videri poteſt in *Tomo II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo:* HUMILITAS: verum cum idem recurret argumentum in plurimis per annum Evangeliis, alias afferemus hujus argumenti ſtructuras, ubi opus fuerit.

Tu quis es? Joannis 1.

III. ARGUM. De cognitione ſui ipſius. Joan. 1.

Hoc ſane erat crucem figere Sancto Joanni Baptiſtæ mortalium omnium maximo ſimul, & humillimo, ex coquærere, quid ſentiendum eſſet de ipſius miniſterio, & quid ipſe de ſemet ipſo ſentiret. *Quid dicis de te ipſo?* Cum humilitas nequaquam adverſetur Veritati, non licuit Joanni id negare, quod erat per gratiam, & ſingulare Dei beneficium: ſed cognoſcens quid eſſet per ſe ſtatim conjecit oculos in ſuam infirmitatem, & nihilum; & confeſſus eſt ſe non aliud eſſe, niſi vocem ejus, qui ab illis quærebatur, ac indignum illius præcurſorem. Nos verò, Chriſtiani, ſi hoc ipſum quæreretur ex nobis: *Tu quis es?* Quid redderemus? Tandem enim, ut æqua tribuatur reſponſio, noſmet cognoſcamus oportet, utque noſmet cognoſcamus, quæ ſcientiarum omnium eſt maxima; noſmet colligere debemus, ad trutinam revocantes utramque noſtrum partem, perfectiones, & vitia, quidquid in nobis laude vel probro dignum deliteſcit. Quemadmodum verò in hoc de ſui cognitione argumento nequaquam in eo immoraturus ſum, ut vobis ſcientiæ hujus deſiderium immittam; ſed potius ut vobis, in quo ſita ſit, aperiam ad inſtituendam vitæ noſtræ rationem, illam redigo ad cordis noſtri cognitionem; cum enim cor propriè conſtituat hominis qualitatem, atque inde ferendum ſit de illius magnitudine, atque præſtantia Judicium, conſtat, hic non agi de Philoſophica, ſed de Chriſtiana ſcientia, quæ prorſus moralis eſt, & practica, atque in eo

Primum poſita eſt, ut diligenti examine diſcutiamus cordis noſtri motus; noſtros videlicet affectus ad illos compeſcendos, ne nos invitos in vitium, ac vim aliquam trahat. Hinc cognoſcitur homo, utrum avarus ſit, iracundus, libidinoſus &c. ejuſque caracter effingitur.

Deinde ut vitia noſtra perpendamus, atque cognoſcamus, quid nobis inſis perfectionis, ingenii, conſtantiæ, ut intelligamus, quibus ferendis ponderibus pares ſimus vel ſecus; ne quid aggrediamur ignari, quid valeant humeri, quid ferre recuſent.

Tertio ut coram Deo noſmet examinemus, & cognoſcere ſatagamus ſtatum conſcientiæ noſtræ, ut ſaluti noſtræ conſulamus, cujus negotium nobis unicæ curæ eſſe debet, & antiquiſſimum. Nam quamvis citra peculiarem revelationem ſcire poſſit nemo, utrum amore ſit dignus, an odio; nulla nobis prætermittenda eſt induſtria, ut vacuum faciamus cor noſtrum ab omni terreno affectu, ac nos adducamus in eum ſtatum, in quo coram Deo apparere cuperemus.

Conſule Titulum: HUMILITAS *in Tomo II. Bibliotheca Mor. Evang.*

Tu quis es? Joannis 1.

II. ARGUM. De jactantia, inani gloria, vanitate, oſtentatione, laudibus, plauſibuſque.

Non ſine cauſa Eccleſia divini Spiritus lumine percita toto ferme Adventus tempore nobis ob oculos ſtatuit Sancti Joannis exemplum; quippe hic ille eſt glorioſus Filii Dei Præcurſor a Deo miſſus ad vias ejus præparandas. Hic vox erat, quæ illum tradere debebat cognoſcendum; hoc lumen, quod oculos diſpoſiturum erat ingenti fulgori virtutum hominis Dei, qui futurus erat mortalium omnium prototypus, & exemplar.

Hinc poſtquam ſuperiori dominica illum nobis propoſuit tamquam ſtrenuum Veritatis propugnatorem, qui fortitudinis ſuæ robur invictum, animæque magnitudinem inſignivit Dei gloriam etiam inter carceris tenebras, & in vinculorum ſqualore ſuſtinens; hodierna die ejuſdem proponit nobis humilitatem, & gloriæ contemptum in ipſa, quæ illi circum affulget gloria. Hæc enim vox eadem, quæ metu violari non potuit, cum Herodi ſua exprobranda fuit impudicitia, flecti hodierna die minime valuit vanitate, ac deſiderio honoris, quò altius mortalis efferri non poteſt; videlicet ut pro Meſſia habeatur: Ita ut ſi Tyranni hujus ſævitia frangere nequivit Sancti hujus viri licentiam, blandi Scribarum, & Phariſæorum Sermones, qui eum plurimi faciunt, atque accedunt tamquam a reliquo cœtu legati, ut quo in honore haberi velit, intelligant, illum nequeunt allicere, atque in eo ne levem quidem ambitionis ſenſum ciere, ſolam in illo excitantes, nihili, & ſuæ vilitatis recordationem, ut quid de ſe ipſo ſentiat aperiat: *Quid dicis de te ipſo?* Quod viam mihi ſternit ad ſermonem habendum de inani gloria, ubi vobis oſtendam

Primum injuriam, quam infert Deo gloriæ noſtræ deſiderium rapiens Deo quod ille nemini vult cedere, & quod ad ipſum unice ſpectat. *Gloriam meam alteri non dabo.*

Secundu injuriam, ac detrimentum quod nobiſmet ipſis inferimus noſmet privantes fructu, & meritis optimarum actionum noſtrarum. Hæc tota erit hujus Sermonis diviſio.

Duarum harum veritatum rationes petenda ſunt ex Titulo de GLORIA *in Bibliotheca Mor. Evang. Tomo II.*
Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Tu quis es? Joannis 1.

IV. ARGUM. De nomine, & dignitate Chriſtiani.

Difficillima quæſtio hæc eſt, cui univerſa Ethnicorum Philoſophia reſpondere non valuit, & cui hodie etiam licèt tanta affulgeat fidei lux, vix reſponderent eruditi viri, ſi ex eis quæreretur, quid ſint. Adulatio plurimis blanditur; cumque de ſe quiſque præclaram foveat ſententiam, oculos claudunt; fortuna, & divitiarum nitor pleroſque perſtringit, atque inter tot fallacia lumina nihil homini difficilius eſt, quàm ſe ipſum cognoſcere. Credidi tamen ſatisfaciendum eſſe interrogationi, quam Evangelici Præcones Auditoribus ſuis proponunt, reſpondendo verbis eorum omnium, qui me audiunt, vos eſſe Chriſtianos. Si enim homines appellari conſueverunt ex ea, quæ in illis maxime nitet dignitate, ambigi ne poteſt, quominus Chriſtiani dignitas ſit præferenda ceteris, quibus inſigniri valeamus? Ex priori hac quæſtione oboritur altera; nempe quod ſit verus Chriſtianus? Quod ſit nominis hujus officium? Cumque Tertullianus teſtetur magna nomina plerumque eſſe cum magnis officiis conjuncta; quænam ſint officia glorioſo huic titulo inhærentia?

Quamvis impeditiſſima ſit quæſtio utraque, reſponderi poſſe reor, individuam illuſtris hujus nominis obligationem eſſe Sanctitatem; quod in prima Sermonis hujus parte videbimus.

In altera verò ſcrutabimur, qua in re ſita ſit Sanctitas iſta; Cumque in Evangelio, quod attulimus, habeatur Sermo de Sancti Joannis Baptiſmo, qui erat quædam veluti diſpoſitio ad illum, quo Chriſtiani efficimur, deſumam obligationes, quibus ad Sanctitatem adſpirare cogimur, ab illis, quas in Baptiſmo contraximus novam ibi vitam cum Chriſtiani nomine recipientes. Hæc erit diviſio Sermonis, & argumentum, cujus Synopſim, atque ſupellectilem uberem in Tomo I. Bibliothecæ Mor. Evang. Inveniemus Titulo: BAPTISMUS.

V. ARGUM. In idem Evangelium. De Præſentia Dei.

Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Juan. 1.

Magna erat profectò Judæorum cæcitas, Medium inter ſe ſuum habere Meſſiam, & illum ignorare, illum ob oculos habere, & eum non cognoſcere; teſtes eſſe actionum il-

ſius, & ex admirabilium virtutum ejus exemplis non proficere. Verum dicam ne ad hanc quoque diem ſimillimam cæcitatis ſpeciem apud Chriſtianos inveniri, quæ eò magis deflenda eſt, quò major eſt, eique vix advertitur animus. Hæc autem noſtra cæcitas eſt, qui cum in medio noſtri, & in nobis Deum habeamus, & viciſſim in illo ſimus, ita ut ne pedem quidem proferre valeamus, quin intra Eſſentiæ ipſius immenſitatem contineamur; tamen de nobis dici poſſit, quod Sanctus Joannes olim de populo Judæorum dicebat: *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis*. Deus quamvis magnus, & adorabilis, eſt in medio noſtri; ſed ibi eſt tamquam theſaurus abſconditus, quo non utimur, quia illum ignoramus; tamquam bonum, quod in nobis eſt, quin illum poſſideamus, quia inde proficere neſcimus. Hoc igitur bonum, hunc theſaurum, hanc felicitatem vobis detegere fert animus de præſentia Dei verba facturo.

Joan. 1.

Iis ergo præſuppoſitis, quæ nemo ignorat, & quæ unum ex primis fidei noſtræ elementis conſtituunt; Deum videlicet ubique eſſe tribus modis per eſſentiam, & præſentiam: Per eſſentiam quidem, hoc eſt per immenſitatem, quæ efficit, ut neceſſario adſit in entibus omnibus; per potentiam virtutemque ſuam, quæ conſervat, ac tuetur magnum hunc orbem, ſicuti Sydera terræ adſunt per influxus ſuos; & denique per præſentiam, videlicet ſecundum D. Thomæ interpretationem, per viſionem perſpicuam, quemadmodum aliquem in loco eſſe dicimus, cum ibi quidquid agitur, videt, ac perſpicit. His, inquam, præſuppoſitis dico hanc cogitationem Dei hoc pacto ubique præſentis, omnibus cooperantis, & univerſa inſpicientis optimam eſſe rationem efficiendi ex omnibus hominibus, qui ſunt ſuper terram, totidem Sanctos proximos Cœlitum felicitati, quoniam hæc per fidem animata præſentia, non ſine aliqua ratione, eoſdem produxit effectus, quos perſpicua ejuſdem objecti viſio gignit in gloria.

Primum illos quodammodo impeccabiles efficit, quod eorum felicitatem conſtituit; ſi enim teſtis verendi alicujus præſentia vetare poteſt, ne crimen aliquod perpetretur, & cohibere flagitia, quamvis affectuum noſtrorum vis non proripiat, quid non præſtitura eſt actualis cogitatio Dei præſentis, ac teſtis omnium actionum noſtrarum?

Secundo facit, ut unice agant propter Deum, huic uni placituri. Homines noſtras non aſſequuntur intentiones, & ſæpe apud illos fidelitas noſtra in ſuſpicionem vocatur. Deus verò, qui renes ſcrutatur, & corda, cognoſcie minima quæque deſideria noſtra, & rationem habet, ſi quid in illius honorem factum fuerit a nobis.

Tertio illos arctis vinculis conjungit cum Deo per amorem quo illum proſequuntur, & per gaudium, quod percipiunt in ſummi boni hujus poſſeſſione.

Probationes, atque rationes ad hoc Argumentum pertinentes petenda ſunt ex Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: Præsentia Dei.

PRO IV. DOMINICA
ADVENTUS.

Venit Joannes in omnem regionem Jordanis prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ, ſicut ſcriptum eſt. Vox clamantis in Deſerto. Luc. 3.

I. Argum. de Pœnitentia. Quæ pœnitentia facienda ſit peccatori.

HÆc quidem vox elata, contentaque voce clamat, ſed quotuſquiſque illam audit, quia de Pœnitentia loquitur tantùm? Sanctus Joannes Baptiſta hoc ſibi vindicat nomen, & vere *Totus vocalis* eſt, quo nomine a Sancto Ambroſio nuncupatur, quia quidquid habet, & quidquid eſt loquitur, prædicat, perſuadet Pœnitentiam. Hanc prædicat vitæ ejus auſteritas, veſcens locuſtis, quæ ſunt herbæ quædam nullius ſaporis, cum medico agreſti melle permixtis; Hanc prædicat veſtimentum illius ex camellorum hirtis crinibus contextum, quo utitur ſimul tamquam indumento, & cilicio; Hanc prædicat ejus ſolitudo, qua nos admonet, ut Mundum fugiamus impenſius ſalutis noſtræ negotio vacaturi; Hanc deinque prædicat ejus cubile, quod nudum ſolum eſt ſub dio, vel ſub antro quopiam; ejus ſomnus frequenti oratione interpellatus; tota denique illius vitæ ratio, verba, factaque non niſi Pœnitentiam oſtendunt.

Sed heu! quam pauci hodierna die hanc vocem audiunt clamantem non amplius ſecus regionem Jordanis, ſed in omnibus Evangelicorum Præconum ſuggeſtibus, & quam Deus repetit in imis cordibus noſtris quin animadvertamus, cum ſe Chriſtianum eſſe obliviſci, qui refugit Pœnitentiam. Hinc primum duxit initium Eccleſia; hic illius erit finis, & ad illam prædicandam venit Sanctus Joannes in primo Adventu Filii Dei; in ſecundo vero Elias eamdem prædicaturus adveniet: & Deus, qui identidem per intervalla non deſtitit, quominus mitteret Prophetas ad Populum ſuum, qui huic prædicarent Pœnitentiam, hodierna etiam die mittit Præcones ſuos ad Eccleſiam, qui præparent vias ſuas, & ad ſe recipiendum populos diſponant.

Cum autem habita peccatorum ratione Pœnitentia ex omnibus virtutibus una ſit maxime neceſſaria, & ubique prædicetur, undenam ſit, quod adeo pauci faciant fructus dignos Pœnitentiæ, quemadmodum Sanctus Joannes Judæis præcipiebat; videlicet undenam ſit, quod admodum pauci congruam faciant Pœnitentiam, & parem peccatorum magnitudini? Nullus dubito, quominus hoc acceptum referendum ſit ſeveritati, quam hæc virtus in peccatore requirit, & quam Tertullianus *Proſternendi, & nullificandi hominis diſciplinam* appellat; artem videlicet ad nihilum redigendi hominis, ut divinæ Juſtitiæ ſatisfaciat. Quamobrem mortales videntes virtutem hanc ſibi eſſe omnino neceſſariam, alii quidem nihil intentatum relinquunt, ut ſeveritatem hanc mulceant, & ſatis eſſe putat nimis levem ſatisfactionem præſtare; tantum abeſt ut dignos faciant fructus Pœnitentiæ; alii verò faſtidiunt, & horrent virtutem adeo neceſſariam propter illius ſeveritatem. Verum, ut ad illam amplectendam, licet auſteram, ſeveramque cohortet,

Primum fert animus primis oſtendere, ad hoc, ut divinæ ſatisfaciant Juſtitiæ, atque ut dignos faciant fructus Pœnitentiæ, maximas quaslibet auſteritates nimis adhuc leves eſſe habita ratione ingentium criminum, quæ perpetraverunt; & quàm ſevera eſſe debeat Pœnitentia ad prævertendas, evitandaſque pœnas, quæ illos manent in vita futura.

Secundò illis autem qui Pœnitentiam perhorrent, ejuſque nomen ipſam oderunt, oſtendam quàm ſuaves ſint fructus Pœnitentiæ, & quanta ſint cum jucunditate conjuncti propter bona, quæ inde ſunt percepturi. Hæ duæ erunt Sermonis partes.

Probationes petenda ſunt ex Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: Pœnitentia.

Parate viam Domini, rectas facite Semitas ejus. Luc. 3.

II. Argum. In idem Evangelium. Quomodo præparanda ſit in anima noſtra via naſcituro Salvatori.

Sanctus Bernardus triplicem animadvertit Nativitatem Filii Dei: primam ab Æterno in ſinu Patris. *Ego hodie genui te*: alteram temporalem in Bethleem, ubi natus eſt de Maria Virgine: *De qua natus eſt Jesus*: tertiam in corde Fidelium, ubi oritur per gratiam. Prioribus duabus, quæ ſine nobis factæ fuerunt nihil ipſi conferre valemus; ſed poſſumus, atque debemus noſmet præparare tertiæ, quæ ſit in nobis. *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus*: Diſpoſitiones autem a nobis adferendæ ut illum digne in anima noſtra excipiamus, memorantur in allato Evangelio in praxi trium virtutum, quæ tres Sermonis partes conſtituent.

Primum. Virtus quæ neceſſario requiratur, ut in nobis oriatur Dominus, eſt Pœnitentia: *Venit Joannes prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Neque enim oriri poteſt in nobis, niſi moriatur peccatum, & præparemus illi congruum magnitudini ejus habitaculum. Sed interior Pœnitentia ejicit dæmonem de peccatoris anima, & exterior mortem infert vitiis, praviſque cupiditatibus. Utraque emundant cor, ac illud ad Deum ſuum recipiendum diſponunt. Ideo Sanctus Joannes Pœnitentiam vocat Baptiſmum, quia debet omnia peccata actualia, quemadmodum Baptiſmus delet peccatum originale non ſine hoc diſcrimine, quod Baptiſmus nonniſi ſemel recipitur, Pœnitentia verò toties, quoties opus eſt, inſtauratur. Quare ſi vultis, Filium Dei oriri in cordibus veſtris, opus eſt, Sanctus Auguſtinus ait, omnes animæ veſtræ latebras excutere, & ſcrutari, utrum ſecretum aliquod ibi lateat ſcelus, quod oculos divinæ hujus Majeſtatis offendat, &c. Voſmet colligite, & videte, utrum retinere valeatis Filium Dei; utrum pravus aliquis habitus dominetur in vobis; utrum adhuc homo vetus vivat in vobis; Quandiu regnet in vobis ira, ſuperbia, impudicitia? Sapientia nequit habitare in corpore ſubdito peccatis.

Luc. 3.

S. Auguſt. Dom. 1. de Adventu.

Virtus altera, quæ neceſſaria eſt, ut Dei Filius oriatur in nobis eſt *humilitas*, cujus meminit Evangelium. *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus; omnis vallis implebitur; & omnis mons, & collis humiliabitur*. En effectus adventus, & nativitatis Filii Dei in anima; ſuperbos deprimere, & humiles exaltare. Dico autem Virtutem hanc neceſſariam eſſe ad hoc, ut Salvatorem recipiamus: Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus verò dat gratiam; neque ſuperbo dabit umquam Filium ſuum, fontem omnium gratiarum. Plurima quidem, atque præclara erant Sanctæ Virginis Mariæ merita; verum niſi fuiſſet humilis numquam Dei Filium utero concepiſſet: *Virginitate placuit, humilitate concepit*, Sanctus Bernardus ait. Itaque videmus illum oriri voluiſſe non quidem in regia civitate Jeruſalem, ſed in oppidulo Bethleem; non in Ædibus magnificis, ſed in Stabulo: neque ſeſe prodidit Herodi ſuperbo, ſed Paſtoribus &c.

Luc. 3.

Deni-

Denique tertia ad recipiendum Mundi Salvatorem via ſuavitas eſt, quæ oritur ex cupiditatum noſtrarum victoria. Cum advenit ille, Sanctus Joannes inquit in hujus diei Evangelio, *Erunt prava in directa, & aſpera in vias planas*. Effectus adventus ejus eſt pax, & hæc eadem pax neceſſaria eſt ad illum recipiendum diſpoſitio. Hic enim Deus pacis, qui hanc pertulit in Mundum, permanere non poteſt in anima iis agitata cupiditatibus, quæ in ea turbas cient, & in nobis bellum inteſtinum accendunt. *Non in commotione, Dominus*, inquit Scriptura. Ad hanc diſpoſitionem adeo neceſſariam nobis indigitandam tunc ille naſci voluit, cum univerſus Orbis pacatus erat, & cum Angeli eo naſcente Canticum pacis canebant. In pace conſtituit habitaculum ſuum, dicit Rex Propheta, & Iſaias illum Principem pacis appellat. Igitur ſi illum recipere cupitis, eumque in vobis naſci peroptatis, pacandi ſunt affectus veſtri coercenda ira, cohibendi impetus, ſtatuenda pax in corde, animaque, ut illi paretis viam, & voſmet ad novam hanc Nativitatem diſponatis.

Ad verum copiam inveniendam conſule Tomum II. Bibliotecæ Mor. Evang. Titulo: HUMILITAS. *III. Titulo;* PAX ET POENITENTIA, ET *To. IV. Titulo:* SERVITUS DEI.

PRO DIE NATIVITATIS DOMINI.

Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri. Epiſt. ad Titum, cap. 3.

I. Argum. Salvator in terris naſcens facilius præbuit præceptū amandi Deum.

NUMQUAM viſum eſt, Fideles, quidpiam quod valeat cum iis comparari, quæ nobis in Bethlemitico ſtabulo occurrunt; infirmitas pueri cum Dei Omnipotentia conjuncta, & humilitas cum ſuprema magnitudine conſociata; Immenſitas ad punctum, & ad unum vitæ diem, redacta Æternitas. Verbo Deus homo factus, ut expiet peccata, quæ contra Deum homo perpetravit. Haud equidem miror hanc prodigiorum vim ſublimioribus etiam mentibus ſtuporem injicere, eaſque audire ſummis cum reverentiæ, atque admirationis ſenſibus exclamantes, & in magno hoc opere omnipotentem Creatoris manum celebrantes. Ego verò, Auditores, tot inter mirabilia, quæ mentes noſtras replent, atque confundunt ſatis eſſe reor id unum vobis conſiderandum proponere, quod præ ceteris fulget, amorem, videlicet, quo Salvator hic Oriens, nos proſecutus eſt. *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris Noſtri.* (ad Tit. 3.)

Diceret aliquis illum oblectatum fuiſſe ceteras perfectiones tegere, ut unice amor ſuus erga nos affulgeret, & hac ratione ſuavi, amabilique vi cor noſtrum ſe illi totum impenderet. *Sic naſci voluit, quia ſic amari voluit.* (S. Chryſol. ſerm. 150.) Vel potius dicamus, quemadmodum redegit ille omnia præcepta ſua ad unum illud Charitatis, præcipiens, ut propter amorem ſui proximum diligeremus, reliquam præcepti hujus partem nobis faciliorem præbuiſſe; hoc eſt, ut illum ipſum ex toto corde diligeremus ſe eum in ſtatum adduxiſſe, ubi cor noſtrum quantumvis omni deſtitutum ſenſu, amore ejus neceſſario afficeretur.

Duo ingentes obices noſtro erga Deum amori adverſabantur; quorum alter a Deo ipſo proficiſcebatur, eratque magnitudo eſſentiæ ipſius ſuper noſtram infinitis ſpatiis elevatæ; terribilis videlicet ejus Majeſtas, quæ ad reverentiam, quàm ad amorem conciliandum aptior videbatur; alter verò ab humano corde, in quo alius dominabatur amor, Mundi videlicet, terrenarumque rerum. Sed hoc in Myſterio Deus obices auſert, qui antea videbantur inſuperabiles. Hinc quidem ſe captui noſtro ſubjecit faciens ſe hominem, ſimilem nobis, & præbens ſe puerum ſummopere amabilem (hoc enim præſtare dignatus eſt, ut ad nos uſque ſubmitteret); Inde verò Exemplo ſuo delevit, quidquid illecebrarum erat in Mundo; quod Apoſtolus quidam complexus eſt triplici concupiſcentia, quæ moralem hoc mundum componit, ejuſque elementa conſtituit. *Omne, quod in mundo eſt Concupiſcentia Carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* (1. Joan. 2.) In quo triumphus amoris Dei naſcentis conſiſtit, & Sermonis partitionem conſtituet.

Propoſitionis hujus Delineatio invenitur in Tomo I. Bibliotheca Myſt. Theol., cum pluribus aliis Argumentis.

Gloria in Excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2.

II. Argum. In eamdē ſolemnitatem, & diem.

Angeli, qui nuntiaverunt Paſtoribus Nativitatem Salvatoris paucis verbis explicuerunt univerſam hujus Myſterii OEconomiam, ſimulque æquiſſimam delinearunt Sermonis ideam; quapropter poſſumus non aliam diviſionem inquirere. 1. Incarnati Verbi Nativitas in majorem cedit Dei gloriam, quàm quidquid creavit in Mundo; 2. pacem adfert hominibus, quæ ineſtimabile bonum eſt.

Pars Prima. Video, gloriæ, quam Deo procurat temporalis Incarnati Verbi Nativitas triplicem ineſſe caracterem; Eſt enim gloria vera; quippe venit ut ſibi veros compararet adoratores; ut Synagogam evertat, eique ſubroget pupulum novum, cujus futurus eſt Caput, & Paſtor. Cultus qui hactenus adhibitus fuerat Deo, mere exterior erat, & Judæi carnales ignorabant, quid eſſet ſacrificium contriti, atque humiliati cordis; & cultus, quem Ethnici præſtabant Idolis ſuis erat abominabilis; ſed cultus ille, ad quem inſtituendum JESUS CHRISTUS deſcendit, ſolus Deo dignus eſt, & per hunc incipit veram gloriam recipere.

Præterea in hoc Myſterio Deus univerſalem recipit gloriam; cum enim gloria conſiſtat in cognitione meritorum alicujus, & in laudibus, quæ illi deferuntur; cum Deus antea in Mundi angulo dumtaxat coleretur, venit Salvator, ut in univerſa terra cognoſceretur. *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos.* (ad Tit. 2.) Unde factum eſt, ut qui illum recipere noluerunt, vel non obediunt legi, quam ille conſtituit, non eſſe Nativitatis ejus participes.

Tertius caracter gloriæ, quam recipit Deus a temporali Filii ſui Nativitate eſt, gloriam hanc eſſe infinitam. Quod facile concipi poteſt, cum enim omnes actiones Filii Dei proficiſcantur ab infinito principio, videlicet a Verbi perſona, Nativitas ejus, omneſque actiones illius referri non poterant niſi ad majorem Altiſſimi gloriam; ideoque in infinitam ejuſdem gloriam ceſſerunt.

Pars altera. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* (Luc. 2.) JESUS CHRISTUS in terris naſcens pacem affert hominibus bonæ voluntatis, ſed pacem ineſtimabilem, quam unus ille nobis dare poterat: unus enim ille par erat, qui nos reconciliaret 1. cum Deo; 2. cum nobiſmet ipſis, quod alteram Sermonis partem conſtituit: *Reconciliari ſibi, Reconciliari mihi*, Sanctus Bernardus ait. Hæc duplex eſt pax, fons omnium bonorum: Oſtendere oportet quomodo illam JESUS CHRISTUS naſcens afferat nobis; & duæ hæ propoſitiones probandæ ſunt. *Lege ea, quæ a nobis dicta ſunt de Myſterio Nativitatis Domini in Tomo I. Bibliotheca Myſt. Theol. Titulo:* NATIVITAS DOMINI.

III. Argum. Pro eadē Nativitatis feſtivitate.

Congruus etiam erit huic Myſterio, ac prorſus Moralis ſermo in lucem proferre celebre illud Sancti Auguſtini effatum dicentis, Incunabula Filii Dei naſcentis eſſe veluti Cathedram docentis, vel Præconis diſerti, pathetici, & potentis, qui doctrinam tradit veritati quidem accomodatam, Sed

1. Doctrinam ſublimem, & profundam, quandoquidem Cœlitus allatam, & antiquis ignotam Philoſophis, ac præcipuis naturæ ingeniis abſconditam.

2. Doctrinam ad intelligendum facilem, oculis enim tantùm opus eſt, ut videatur, in praxim redactam ab illo a quo nobis tradita fuit, & maxime utilem; tradit enim viam, quam ſequi oportet, ut æternam aſſequamur felicitatem.

3. Doctrinam, quæ ſimul eſt pathetica & ad animos permovendos validiſſima.

Ex Bibliotheca Myſt. Theol. Tom. I. Titulo: NATIVITAS DOMINI, *ubi alia plura invenies argumenta.*

PRO DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur. Luc. 2.

I. Argum. De Contradictione Vitæ Chriſtianorum & Vitæ J. C.

PLURIMORUM, eorumque magni nominis Theologorum ſententia eſt, futurum fuiſſe, ut Dei Filius homo fieret, ac naſceretur, licèt homines Redemptore non indiguiſſent. Intererat, inquiunt, Sapientiæ, & Providentiæ Dei, ducem illis dare, a quo in viam Salutis deducerentur; Magiſtrum a quo de veritatibus credendis erudirentur; Prototypum ſecundum quem conformarentur. Utrum hæc ſententia ſit vera necne, non ita facile ſtatuere eſt. Oporteret Divina penetraſſe Conſilia, eaque nobis revelata fuiſſe, quemadmodum Deus alia nobis Fidei objecta revelavit. Illud verò in dubium vocari non poteſt JESUM CHRISTUM, Verbum Incarnatum, certum eſſe ducem, quem homines ſequi debent; veritatem, quam debent credere, ut ſalutis inſtituta percipiant; & exemplum, quod imitari debent, ac in ſe ipſis exprimere, alioquin non cognoſcendi a Patre, qui illos filios ſuos eſſe negabit, niſi in illis invenerit tres hoſce caracteres, per quos veri Chriſtiani ſecernuntur. Quapropter ipſe etiam JESUS CHRISTUS affirmat, ſe hominem factum factum fuiſſe ſimul viamquam nos ſequi oportet; veritatem, quæ credenda

eſt, &

eſt; & vitam in omnibus actionibus noſtris imitandam.

Joan. 14. *Ego ſum via, & veritas, & vita.*

Hæc autem tria illa ſunt, in quibus hominum plerique Divinum hunc hominem ſibi conſtituunt ſuæ contradictionis objectum. 1. Viam ingrediuntur prorſus aliam ab ea, quam ille ingreſſus eſt. 2. Reſiſtunt veritatibus, quas ille docuit. 3. Vitam ducunt prorſus oppoſitam illi, cujus exemplar ipſis reliquit. Eorum contradictio eſt contradictio cordis, ſpiritus, & actionis; quarum ſingulas in priori parte explicaturus ſum.

In altera verò oſtendam eam apertiſſimam calamitatem, cui illos objicit hæc contradictio, videlicet ipſorum perniciem, ac reprobationem. *Poſitus eſt in ruinam multorum.* Quæ duæ ſunt partes oraculi, quod Sanctus Senex Simeon protulit.

Nullus eſt in Bibliotheca Concionatorum Titulus peculiaris, ubi ſermo fiat de Contradictione Salvatori, ſed in omnibus veritatibus, & virtutibus Salvatoris occurrent oppoſita placita, quæ veram conſtituunt contradictionem.

Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus Sapientia; & gratia Dei erat in illo. Luc. 2.

II. Argum. In idem Evangelium. Creſcendum ſemper eſſe in Virtutibus ad Salvatoris exemplum, de quo dicit Evangelium &c.

Hoc unum ferme illud eſt, quod nobis dicit Evangelium de vita, & actionibus Incarnati Verbi ſpatio annorum triginta; & hoc ipſum voluit a nobis percipi, videlicet illum, prout creſcebat ætate, creviſſe etiam Sapientia, & gratia coram Deo, & coram hominibus. Qua de re, quin fuſius inquiramus quomodo, & in quo ſenſo ille, qui poſſidebat theſauros omnes Sapientiæ, & Scientiæ poſſet quotidie proficere, maxima, maximique momenti veritas, quam hic Homo-Deus exemplo ſuo nobis tradit, antequam nos verbis erudiat, eſt 1. Christi Sectatorem debere ſemper in virtutibus creſcere, & pro virili parte ad perfectionis cumulum adniti, quod in priori parte oſtendemus. 2. In altera verò qua ope, & ratione poſſimus inceſſanter progredi, & ſemper fieri ſanctiores, & perfectiores.

Quod pertinet ad primam partem, oſtendendum eſt, 1. Deum velle, ut Sancti ſimus, atque perfecti in quolibet ſtatu, & conditione. Hoc palam præcipit; igitur tenemur omni niſu ad hanc perfectionem contendere; quæ cum paulatim, & per gradus tantum poſſit acquiri, Chriſtiano quotidiano progreſſu creſcendum eſt. *Hæc eſt voluntas Dei Sanctificatio veſtra.* 2. Chriſtianiſmi Status, & Chriſtiani qualitas hoc ex nobis expetunt; ſatis enim eſt ea cogitare, quæ ſolemniter polliciti ſumus in Baptiſmo; nos videlicet pompis, vanitatibus, ac mundi placitis abrenunciaturos &c.

1. ad Theſſal. 4.

Igitur adlaborandum eſt, certandum, pedetentim progrediendum, nihilque nobis fines præſcribendi ſunt, ut ad hunc perfectionis apicem perveniamus. 3. Licèt enim paululum in via Sanctitatis immoremur, natura prævalet gratiæ, & recedimus, cum procedere teneamur.

Pars Altera proferre debet adminicula, per quæ creſcere debemus, & munere noſtro defungi. 1. requiritur ætas, & tempus; ita enim in natura puer poſt annos aliquot adoleſcit: ſimiliter accidit in gratia, & turpe eſt, poſt tantum temporis ſpatium nos adeo parum proceſſiſſe. 2. Alimonia animæ neceſſaria eſt ad creſcendum, ut corpori eſca, quod alioquin infirmatur, & languet, & vivere nequit. Hic autem cibus animæ Oratio eſt, ſancti affectus, interiores actus Theologicarum virtutum, Verbum Dei &c. 3. Exercitatio non minus eſt animæ neceſſaria, quàm corpori, & exercitationis nomine intelliguntur actiones charitatis, opera bona, & praxis virtutum.

Vide in Bibliotheca Mor. Evang. Tomo IV. Titulum; Sanctitas.

DE MYSTERIO,
ET FESTIVITATE CIRCUMCISIONIS,

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut Circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jesus.
Luc. 2.

I. Argum. De Circumciſione cordis ad ſalutem neceſſaria.

Quemadmodum Dei Filius Salvos non fecit homines, neque Salvatoris nomen adeptus eſt, niſi Sanguinem fundens, & cruentam Circumciſionis operationem ſuſtinens; ita homines ſalvi fieri non poſſunt ſine cordis circumciſione, hoc eſt, ſine circumciſione pravarum cupiditatum, affectuum, & eorum omnium quæ palpant ſenſus, quæ mortificatio appellatur. Itaque ſi Scriptura loquens de populo Dei aſſerit illum, cujus caro circumciſa non fuerit, certiſſime periturum; dicere poſſumus Chriſtianis ſine hac cordis circumciſione, cujus nomine intelligitur ſemper voluptatum amputatio, & ſenſuum mortificatio, nullam eſſe ſpem ſalutis ejus, quam nobis Salvator promeruit. Quod argumentum eſt maxime obvium in hoc Myſterio.

Qua in re animadvertendum eſt quemadmodum Filius Dei, ut Salvatoris qualitatem ſibi indipiſceretur tria fecit, per quæ illam ſibi comparavit, ita ipſum alia itidem tria expetere, ſine quibus ſalutem conſequi minime poſſumus. Primum liberavit homines a peccatis, quæ erant calamitatis eorum cauſa, & unum illud, quod eos ab æterna felicitate arcebat; quod explicite dicit Angelus, a quo Sanctum hoc nomen in terras delatum eſt: *Ipſe enim Salvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* Secundo ſubdidit ſe legi Circumciſionis, quæ adeo erat auſtera, ut ſe Abrahæ filium oſtenderet, & de ejus progenie; alioquin pro Meſſia haberi non poterat. Tertiò veterem legem cum ceremoniis ſuis abrogans novam conſtituit, in qua continentur omnia officia, & præcepta, quæ a nobis omnino ſervanda ſunt, ut ſalutem noſtram faciamus. *Matth.* 1.

Verumtamen animadvertendum eſt hanc Salvatoris qualitatem, quam jure triplici hoc titulo hic Homo-Deus ſibi comparavit, a nobis exigere, ut magnis Salvatoris hujus conſiliis tribus aliis titulis cooperemur. Primum debemus in nobis peccatum deſtruere Chriſtiana circumciſione, auferendo quidquid in peccatum nos trahit; videlicet occaſiones, noxia colloquia, & quidquid Dei Lege prohibemur. Secundò notandi ſumus ſigno Filii Dei, & ferre debemus caracterem ſimilitudinis ſuæ, quod fieri nequit ſine circumciſione cordis, & jugi mortificatione per voluptatum omnium, ac illicitorum ſolatiorum abſciſſionem. Tertiò ſicuti Salvator ſe Circumciſioni ſubjiciens, Legi univerſæ adimplendæ ſe ſubdidit: *Non veni ſolvere Legem, ſed adimplere:* Chriſtiana mortificatio, quæ eſt novæ Legis circumciſio, ſita eſt in ſervanda Lege Evangelica, & præceptis, quæ in ea continentur; quandoquidem hæc eſt via Salutis, quam ille nobis indigitavit. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* *Matth.* 5. *Matth.* 19.

Hiſce rebus innititur propoſitio, & veritas a me allata: Videlicet quemadmodum Dei Filius non accepit nomen, neque Salvatoris officium incæpit, niſi in legis antiquæ circumciſione; ita neminem ſperare poſſe ſe ſalvum factum iri ſine circumciſione Legis novæ, quæ eſt mortificatio ſenſuum, & rerum earum, quæ amori proprio velificantur. Tres rationes deſumptæ ex triplici relatione, quam habet hæc nova Circumciſio in Evangelio præſcripta cum veteris legis circumciſione hoc probabunt.

Prima eſt, quia ſine hac Circumciſione peccatum evitari non poteſt, quod maximum eſt, & unicum noſtræ ſalutis impedimentum.

Altera eſt, quia ſine illa numquam habebimur tamquam Filii Dei, nullam habentes ſimilitudinem cum hoc Homine-Deo circumciſo, qui ſine hoc ſigno, & caractere habitus non fuiſſet Abrahæ Filius, ideoque Meſſias.

Tertia denique, quia ſine Circumciſione, & ſenſuum mortificatione non poſſumus Evangelicam ſervare legem, cui Subditi ſumus per Baptiſmum, qui in Circumciſionis locum ſucceſſit: quemadmodum Salvator accipiens Circumciſionem ſubjecit ſe Moſaicæ legi ſervandæ.

Hæc erit Sermonis hujus partitio, cujus probationibus exornandis non immoror, quippe invenientur fuſius extenſæ in Paragrapho ſexto Myſterii Circumcisionis *in Tomo Biblioth. Myſt. Titulo:* Circumcisio.

II. Argum. De glorioſo nomine Jesu, quod ipſa die Circumciſionis impoſitum fuit Filio Dei.

Glorioſum hoc Nomen Jesus, quod Dei Filius aſſumit Circumciſionis ſuæ die varias habet relationes, quæ Sermonis partitionem poſſunt conſtituere; Prima eſt ad illum, qui hoc nomine appellatur, & qui hac die tanti nominis munus, & officium incipit adimplere; Altera verò ad homines, pro quorum amore hoc nomen aſſumit. Ratione quippe Verbi hujus Incarnati cumulus eſt, & apex gloriæ ejus, & nomen quod eſt *ſuper omne nomen*, ut Sanctus Paulus ait: Ratione verò hominum, pro quibus illud aſſumit, fundamentum eſt totius ſpei eorum, *non enim aliud nomen eſt ſub Cælo, in quo oporteat nos Salvos fieri.* *Actor.* 4.

Primum eſt gloria hujus Salvatoris, eſt enim nomen ſignificans naturam, officium, & meritum ejus; quæ ex Div. Bernardo tria ſunt, ex quibus deſumendum eſt nomen, *ne ſit nomen vacuum, & inane.*

Secundò, Omnem ſpem noſtram conſtituit; aſſumit enim illud fundens Sanguinem ſuum, ut noſtræ ſalutis opus incipiat. Hæ duæ partes erunt elogii auguſti hujus Nominis Jesu, *de quo fuſius habetur Sermo in Tomo I. Biblioth. Myſt. Theol. hoc Titulo.*

DE MYSTERIO EPIPHANIÆ;
VEL REGUM MAGORUM FESTIVITATE.

Vidimus Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2.

I. ARGUM. Stella, quæ Magis apparuit, oſtendit nobis quod latebat in ſtabulo, videlicet magnitudinem, ſapientiam, atque potentiam hujus Hominis-Dei.

RECTORIS hujus Syderis ope, Reges Magos ad Bethleemiticum præſepe deducentis, magna detegimus Myſteria; Hominis enim Dei Nativitas extremis etiam regionibus nunciatur: Reges ex Oriente extremo evocantur, ut incunabulis ejus ſuum præſtent obſequium; eiſque locus oſtenditur, ubi mortalium omnium Salvator erat inquirendus. Illud veruntamen addo luminis ejuſdem ope nobis jucundiſſima aperiri ſpectacula, videmus quippe Deum natum in noctis caligine, ignotum in populo ſuo, coli, & adorari a Regibus Mundi: Sæculi Sapientes interiori lumine illuſtrari, quo infidelitatis ſuæ tenebræ diſſipantur eodem tempore, quo exterior hæc lux perſtringit oculos corporis eorum, & tandem in Gentium vocatione affulgere nobis primum, certiſſimumque felicitatis noſtræ præſagium. In hac autem Myſteriorum, atque Spectaculorum magnitudine, immoror potiſſimum in hac Hominis-Dei Manifeſtatione. Non modicum percipiemus fructum ex hoc Myſterio, ſi in ſpiritu accedentes ad Salvatoris Præſepe conſideraverimus terræ hujus Principes proſtratos ad pedes Dei naſcentis, confuſam Sæculi Sapientiam, & præaltas Terræ poteſtates pueri unius Infirmitati ſubjectas. Hinc fert animus Sermone hoc vobis oſtendere, Stellam, quæ hodierna die nitet, in lucem proferre quod Stabulum adhuc celaverat. Quid autem celabat? Tria, ad quæ animum quæſo intendite, futura ſunt enim Sermonis hujus partitio.

Primum tegebat Magnitudinem Dei, qui ad extremam uſque dejectionem in præſepe deſcenderat.

Deinde tegebat vim, & poteſtatem Filii Dei ſub linteis, quibus involvebatur.

Tertio tegebat infinitam ejuſdem Incarnati Verbi Sapientiam ſub forma pueri; qui nulla in re ab aliis diſtinguebatur. Sed hodierna die hæc magnitudo facta eſt manifeſta, videntur enim Reges ad illius pedes proſtrati. Fulgent vis ejus, atque poteſtas, quæ ſeſe prodit Regibus terræ, ab aliis, quorum obedientiam exigit; aliis vero terrorem immittit. Denique illius eniteſcit Sapientia de Magorum prudentia triumphans, & Herodis aſtum eludens. In hoc ſita eſt Salvatoris manifeſtatio.

Argumenti hujus Explanatio, & probationes petenda ſunt ex Tomo I. Bibliotheca Myſt. Theol. Titulo: EPIPHANIA.

Vidimus Stellam ejus, & venimus adorare eum. Matth. 2.

II. ARGUM. Myſterium hoc eſt exemplar manifeſtationis peculiaris, quam fecit Deus peccatoribus per lumen gratiæ.

In diei hujus feſtivitate, cognitio veri Dei, quæ intra unius Judææ fines continebatur omnibus tandem Nationibus revelata eſt: Gentilitatis tenebræ diſſipatæ ſunt, & Lux Fidei fulgere incipit in Mundo in perſona trium Magorum, qui accedunt Salvatorem adoraturi. Hinc Magno huic Myſterio factum Epiphaniæ nomen, hoc eſt Manifeſtatio Filii Dei, qui numquam magis ignotus, & abſconditus fuiſſe videtur, quàm cum apparere voluit in terra. Hoc igitur Myſterium, quod in Eccleſia celeberrimum fuit, quippe quod revocat in mentem vocationem Gentilium ad Fidem JESU CHRISTI, reſpicitur etiam hodierna die tamquam noſtræ felicitatis principium. Inde verò incomparabile hoc beneficium nobis gratius eſſe debet, & acceptius, quia nobis eſt exemplum peculiaris manifeſtationis, quam fecit Deus Chriſtianis omnibus, qui jacent in tenebris ignorantiæ, & peccati proferens illis Stellam Gratiæ ſuæ illos illuminantem, & revocantem de errore in viam ſalutis. In maxima Argumentorum copia, quæ hæc ſuppeditat Feſtivitas, illud elegi tritum illud quidem, & vulgare; ſed quod mihi aptius, & utilius in hoc Myſterio viſum eſt. Neque minus naturalis eſt partitio, quippe deſumpta eſt ex iiſdem Verbis Evangelii. *Vidimus Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.*

Matth. 2.

Primum. Vidimus Stellam ejus, & gratiæ lumen: Ecce peccatorum vocationem, quos Deus per hanc Stellam evocat, quæ in omnibus his circumſtantiis magnam habet cum Regum vocatione ſimilitudinem.

Secundo; *& venimus adorare eum.* Hæc eſt fidelitas, qua Peccatores per ſe vocati reſpondere debent. Quæ duæ partes erunt Sermonis.

Comparatio Stellæ, quæ Magis apparuit cum gratia peccatores præveniente abſolutiſſima invenietur in eodem Tomo, eodemque Titulo· EPIPHANIA.

III. ARGUM. Quomodo Gratia agat peccatores.

De eadem Manifeſtatione peculiari, quam facit Deus per Gratias, quas nobis confert. Inſtitui ſermo poteſt, ubi palam fiat, quomodo cum peccatoribus agat Gratia habita ſimilitudine Aſtrorum, quæ illius Symbolum ſunt, quemadmodum ex hodierno haurimus Evangelio. In Syderibus tria poſſumus conſiderare, quæ ſingillatim deprehendemus in Magis, & quæ indigitant modum, quo operatur gratia erga peccatores, quos Deus ad ſuam evocat ſervitutem.

quos Deus evocat.

Primo. Lumen, quod illis ne cogitantibus quidem affulget, & quod ea illis oſtendit, quæ alioquin cognoſcere non poterant, prodit illis conſcientiæ ſuæ ſtatum, & periculum, in quo verſantur.

Secundo. Motus, quo Aſtra de loco in locum migrant, & variis Nationibus afferunt lucem, oſtendit quomodo gratia ab aliis quidem recedat, & aliis affulgeat, & quid inde accidat.

Tertio. Influxus Syderum, & poteſtas, quam habent in hæc inferiora, denotant effectus Gratiæ in animam, & cor peccatorum. *Hoc fuſius pertractatur Tomo, & Titulo eodem.*

PRO DOMINICA
INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. Luc. 2.

I. ARGUM. De Salvatoris Infantia, & abſcondita vita, quam duxit in Nazareth.

MIRUM profectò eſt videre Salvatorem a duodecimo ætatis anno uſque ad triceſimum in vitæ humilis, atque, ut videtur inutilis, caligine latuiſſe, ignotum omni fere mundo, & contemptum ab illis, a quibus cognoſcebatur, & habebatur tamquam Fabri Filius; quo tempore potuiſſet univerſum Orbem perluſtrare, homines ſua erudire doctrina, eoſque ad veri Dei cognitionem perducere. Sed inde tres magnas veritates colligere poſſumus, quas nos docet Salvator ſilentio, ſolitudine, ac tenebris vitæ ſuæ abſconditæ, quæ locum præbere poſſunt Sermonis partitioni.

De hoc etiam argumento ſermo eſt in Evangelio Feria tertia poſt quinquageſimæ Dominicam.

Prima eſt, perfectionem, & Sanctitatem noſtram nequaquam in eo poſitam eſſe, ut propter Deum magna faciamus, vel ſuſtineamus; ſed in adimplenda illius voluntate, & nos poſſe majorem Deo gloriam deferre, quam æquo libentique animo accepetando impotentiam, in qua nos conſtituit, cum uti non vult opera noſtra. Dei Filius æque glorificabat Patrem ſuum in officina abjecto labori dans operam, quàm deinceps glorificavit in Jeruſalem per admirabiles Prædicationes, & mirabilia, quæ operabatur; quia in utroque ſtatu faciebat æque Patris ſui Voluntatem. Ita illi, quos morbi, vel ſui ſtatus officia, vel divinæ ratio Providentiæ prohibent, ne vacent operibus Charitatis, pœnitentiæ, &c. omnem objicere debent ſolicitudinem; faciunt enim Dei Voluntatem, quod ſatis eſt.

Veritas altera, quam hic docet Salvator, eſt vitam abſconditam plurimis eſſe uberem gratiarum fontem, & certiorem viam Deum glorificandi, quàm vita ſit in publico Magiſtratu, vel Apoſtolicis laboribus exercita; quia enecat in nobis nitendi, & in pretio habendi ab hominibus cupiditatem, cui illi ipſi ſunt maxime obnoxii, qui ſanctioribus occupantur Officiis, modò niteant; Proprius enim amor jugiter ſuggerit nobis id quod Salvatoris conſanguinei dicebant illi: *Manifeſta te ipſum mundo*. Præbet te hominibus cognoſcendum; aptius enim efficies, ut Deus ab omnibus agnoſcatur.

Tertia veritas eſt in latenti, obſcuraque vita facilius exerceri præcipua Evangelii placita, quæ hominibus plerumque ignota ſunt, cujuſmodi ſunt humilitas, paupertas ſpiritus, a rebus terrenis abalienatio. Præterea nonne facilius eſt in hoc vitæ ſtatu evitare occaſiones, quæ impellunt in ſcelus, pernicioſas ſocietates, objecta, quæ in malum ſollicitare poſſunt, vivendo in quadam ſolitudine, ſeorſim a tumultu, & mundi hujus impedimentis?

Vide Myſterium Infantiæ Salvatoris Tomo IV. Bibliotheca Myſt. Theol., & in IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: SOLITUDO.

Ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te.

II. ARGUM.

In hoc eodem Evangelio, ubi JESUM ſeceſſiſſe legimus ad aliquod temporis ſpatium a ſocietate Mariæ, & Joſeph, quæ illum dolentes quærebant, exemplum habemus jacturæ, quam facimus amittentes gratiam, per quam poſſidemus illum, & cogentes illum, ut nos deſerat, poſtquam coegimus, ut a nobis recederet propter peccatum aliquod lethale, quo privamur ejus adſpectu, ſocietate, & poſſeſſione. Verum eſt, hoc accidiſſe per innocuum errorem, qui ad modicum tempus privavit Sanctam Virginem, Sanctumque Joſeph amabilis hujus Objecti ſocietate, quod totum eorum gaudium, totamque felicitatem conſtituebat; & fortaſſe ad eorum dumtaxat exercendam patientiam Salvator receſſit, eiſque ſuum abſtulit adſpe-

Digitized by Google

adſpectum: quandoquidem admirari debemus curam, & diligentiam quærentium illum, & imitari dolorem, quem teſtati ſunt, quamvis omni vacarent culpa: verum cum ſemper non ſine culpa jacturam ejus faciamus, vel potius illum cogamus a nobis recedere per nequitiam, nocuamque negligentiam in hos Sermone ad examen vocemus.

1. Magnitudinem jacturæ quam facimus amittentes gratiam, ſimulque JESUM CHRISTUM; hunc enim non niſi per illam poſſidemus; neque ſatis poſſumus judicare quanti momenti ſit hæc jactura propter calamitatem, ad quam nos redegit peccatum mortale, quod illam genuit.

2. Quomodo perquirendus ſit JESUS CHRISTUS recedens a nobis ſecundum exemplum Mariæ, & Joſeph qui oſtenderunt dolore ſuo, ac cura quid faciendum ſit nobis ad gratiam reparandam.

Hoc argumentum non niſi per ſegmenta invenies Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulo: PECCATUM MORTALE, & in Tomo II. ejuſdem Titulo: GRATIA SANCTIFICANS.

Deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. Luc. 2.

III. ARGUM. De Officiis Filiorum erga Parentes. Officia, quæ filii reddere tenentur iis, a quibus vitam receperunt, adeo juſta, & certa ſunt, ut nullis indigeant argumentis, quibus probentur. Vox una naturæ ſufficit, ut ad illa obſervanda nos agat, non ſecus ac ad eadem infringenda ſatis eſt jugulaſſe ſenſus omnes humanitatis. Itaque, ex ſententia veteris cujuſdam auctoris in quæſtionem vocare, utrum Parentes obſervandi, colendique ſint, aures ipſæ perhorreſcunt; hoc enim eſt idem ac in dubium arceſſere prima ipſa naturæ, ac diſciplinæ moralis principia. Tamen mirum! Nunc temporis cum luminibus naturæ, atque rationis acceſſerit Fidei lux, & naturalis lex innitatur etiam explicito Dei præcepto; tenear hoc monitum præterire, & coactus ſæculi corruptela cogor perſuadere illis, qui æquiores ſunt, atque ætate provectiores, cogor inquam illis perſuadere officium, quod non ſine ſummo Chriſtianiſmi ſcandalo infringunt. Quandoquidem videntur tot Patres contempti, injuriis affecti, a filiis ſuis derelicti; eò uſque pervaſit licentia, & ingrati animi vitium, ut in his monſtris acerrimos naturæ ſenſus ſeparaverint.

Quamobrem non abnuo ante ipſorum oculos ponere exemplum Filii Dei in hujus diei Evangelio, eiſque in mentem revocare illas rationes, quæ aptiſſimæ ſunt ad illos ciendos, ut Parentibus ſuis debita præſtent officia.

Ad id animadverto Parentum nomini ineſſe tres potiſſimum Prærogativas, quæ ab eo divelli non poſſunt. Primùm nomen hoc honoris eſt, quo nullum auguſtius & venerabilius eſt in natura, quandoquidem eſt ipſius Divinitatis caracter, *Deus, ex quo omnis paternitas.* (ad Epheſ. 3.) Secundo titulus eſt poteſtatis, atque auctoritatis; nemo enim majorem, magiſque legitimam habet auctoritatem in aliquem, quàm qui illius auctor eſt, eique vitam contulit. Tertio nomen eſt amoris, & benevolentiæ; naturaliter enim quilibet amat opus ſuum, eò uſque, ut afferatur in exemplum, & prototypum magnæ charitatis amor Parentum erga eos, quos genuerunt. Tres autem iſti tituli totidem ſunt cauſæ officiorum in filiis erga Parentes eorum.

Primum debent illis cultum, ac reverentiam, quæ etiam pietas appellatur: Nam Deo excepto nihil eſt in natura, cui potiori jure debeatur.

Secundo illis obedientiam debent, quippe qui naturaliter ſunt eorum poteſtati, atque auctoritati ſubjecti.

Tertio denique debent illis amorem filialem, qui ex grati animi titulo exigit, ut iiſdem Indigentibus opem ferant. Itaque reverentia, obedientia, & amor officia ſunt, quæ filii negare non poſſunt iis, à quibus vitam receperunt. Hæc erit Sermonis partitio.

Conſule To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: FILII.

Neſciebatis, quia in iis, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe. Luc. 2.

IV. ARGUM. De Fervore in cultu Dei. Fervor zeli Dei Filium coegit, ut à conſanguineorum ſuorum ſocietate ſecederet, ad Patris ſui gloriam, & Animarum ſalutem procurandam. Zelus hic, & Charitas, qua urgebatur, fecerunt, ut per ſanctam impatientiam præverteret tempus conſtitutum a Patre, ut homines erudiret de veritatibus ſalutis eorum: ita enim reſpondit ſuaviſſimis redargutionibus Matris ſuæ, *Fili quid feciſti nobis ſic? Neſciebatis, quia in iis, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* (Luc. 2.) Quid? Numquid ignorabatis me illic eſſe debere, quò meum me vocat officium; & gloriam Patris mei mihi eſſe debere antiquiorem ipſa etiam ſocietatis veſtræ ſuavitate? Quis non videt, Fideles, zelum, & fervorem Charitatis ſuæ ab illo hæc verba extorquere? cumque ille in terram deſcenderit, ut prorſus cœleſtem traderet doctrinam, & hoc pacto mortalium omnium ſalutem procuraret, duodecimum annum natum in Templo, atque inter Doctores incipere jacere fundamenta magni illius operis, quod aliquando per ſe ipſum, & per Apoſtolos ſuos eſſet perfecturus.

Nequaquam illud mihi arrogo, ut penetrare velim mentem, qua Salvator primum hunc exeruit conatum, ut ex primo hoc zeli ſui ſpecimine liqueat, quis tandem aliquando futurus ſit: Sed iiſdem verbis utor, ut zelum excitem veſtrum, novumque vobis injiciam fervorem aliquid adnitendi ad majorem Dei gloriam unicuique in ſtatu veſtro, & munere; *in iis, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Opus eſt, ut cum zelo, & fervore iis, quæ mei muneris ſunt, operam navem. Per vos igitur mihi liceat hodierna die zelum meum cum zelo Salvatoris Mundi conſociare, & adnitar in cordibus veſtris excitare fervorem hunc vobis oſtendens

Primum ſine hoc fervore, hoc eſt, ſine hac alacri, ardentique erga Dei cultum voluntate, neminem poſſe, uti opus eſt, veri CHRISTI fidelis munere fungi.

Secundo, permanendo in ſtatu hoc languoris, atque teporis erga Deum, & in iis, quæ ad ſalutem noſtram pertinent, nos in periculo verſari in graviſſima crimina proruendi.

Argumentum hoc pertractatum invenies in Tomo II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: FERVOR.

Aſſumi etiam ex hoc Evangelio pro themate poſſunt verba illa, JESUS *Creſcebat &c.*, ad oſtendendum, creſcendum eſſe in Sanctitate: ſed de hoc Argumento jam verba fecimus in Dominica infra Octavam Nativitatis.

PRO EVANGELIO DOMINICÆ SECUNDÆ POST EPIPHANIAM.

Vocatus eſt JESUS *ad Nuptias.* Joannis 2.

I. ARGUM. De Matrimonii Inſtitutione. NOTATU dignum eſt, Salvatorem cum primum ingreſſus eſt in mundi commercium, nuptiali interfuiſſe convivio, & primum Miraculum, quod palam operatus eſt, factum ab eo fuiſſe, ut opitularetur egeſtati novorum Conjugum; atque præſentia ſua probaſſe Matrimonium, quod deinceps erat ſanctificaturus, & ad Sacramenti Dignitatem ſublaturus. Primum conjugium inſtituit Deus in Paradiſo terreſtri, in mundi exordio, cumque hoc medium elegiſſet ad homines multiplicandos, potius quàm omnes ſimul crearet, quod in Angelis fecerat; voluit etiam propriis manibus inter virum, & mulierem hoc fœdus conſtituere, ut ceteris eſſet exemplo. Fœdus, quod proculdubio feliciſſimum fuiſſet, ſi pars utraque ita ſe Deo fideles præſtitiſſent, uti ſibi invicem mutua charitate adhærebant. Deinde Salvator inſtauravit honorem hujus fœderis, cui peccatum offuderat caliginem, & ſanctificavit humanæ vitæ fontem in Chriſtiano Conjugio, ut jaceret fundamenta æternæ conjugum felicitatis. Itaque Matrimonium habet pro fine frequentare Cœlum, homines in terra gignendo, & pro exemplo habet unionem admirabilem Sanctæ Humanitatis ſuæ cum perſona Verbi, & fœdus, quod deinceps Salvator cum Eccleſia contraxit. Sed ad promerendas Cœli benedictiones in eos, qui ſtatum hunc amplectuntur, & ad ſuſtinendas curas, & onera, quæ ſeparari non poſſunt ab illis, qui illum fuerint ingreſſi, opus eſt, ut nuptiis Dei Filius vocatos interſit. Quapropter quidquid hoc in argumento vobis dicturus ſum duplici propoſitione complectar; quæ totius ſermonis partitionem conſtituent.

Prima quarum eſt, nullum eſſe ſtatum, in quo Deus ſit magis conſulendus; antequam aliquis ſe huic implicet; cum hoc negotium ſit maximi momenti, quippe in hoc agitur ſalus, & vitæ noſtræ quies. *Vocatus eſt* JESUS *ad nuptias.*

Altera; Nullum eſſe ſtatum, in quo major Deo fidelitas requiratur propter mutua officia, impedimenta, curas, & difficultates, quæ conjuges a Dei cultu avertere conſueverunt. Duobus Verbis. Opus eſt, a Deo ad hunc ſtatum vocatos eſſe ſpeciali vocatione; opus eſt vocare Deum, ejuſque opem implorare, ut rite perfungamur officiis huic ſtatui inhærentibus.

Rerum copia occurret conſulentibus in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: MATRIMONIUM.

Vocatus eſt JESUS *ad Nuptias*, Joann. 2.

II. ARGUM. In quolibet vitæ ſtatu amplectendo Vocantem Deum ſequi oportet. Quod Evangelium peculiariter inquit de Statu Matrimonii, pro quo Deus conſulendus eſt, & voluntati ejus obſequendum, generatim dicere poſſumus de omnibus vitæ generibus, de ſtatibus, & conditionibus omnibus, quas eligere nobis integrum eſt, antequam illas ingrediamur. Et ſane ex variis rationibus, quibus homines divinis de ſe conſiliis adverſantur ea, quæ perniciosiores habet effectus, eſt hæc fere generalis oppoſitio, qua homines reſi-

ſtunt

ſtunt vocationi, qua Deus illos appellat ad vitæ ſtatum Saluti ipſorum perutilem. Cum ille ſincere velit ea, quæ nobis vera ſunt bona, æternam videlicet felicitatem; non ſolum omnia nobis ad illam procurat media; ſed inter hæc media paterna illius providentia ſingulis hominibus deſtinat ea, quæ tutius illos adducere poſſunt ambulantes ſecundum eum vitæ ſtatum, qui unicuique melius convenit, & in quo divina opitulante gratia unuſquiſque facilius in Cœlum perveniret. Si dociles huic gratiæ Dei viam hanc obedienti, alacrique animo ingredimur, invenimus ſemitam facilem, quæ nos ad illum adducit. Mundus, pelagus hoc ubi quotidie plurima ſiunt naufragia, nullos haberet ſcopulos, niſi eos, qui neceſſarii ſunt, ut eos evitantes, mereamur Cœlum, & poſt felicem tranquillamque vitam æterna perfruamur beatitudine, qua bonus hic Dominus fidem noſtram eſt remuneraturus.

Sed quid accidit, Chriſtiani? hæc Sæculi Prudentia, quam Dei inimicam Sanctus Paulus appellat: hic amor proprius, qui noſtros palpans affectus, efficit nos infeſtiſſimos ſalutis noſtræ inimicos, facit, ut rejiciamus hæc omnia, quæ Deus nobis offert noſtræ Salutis adminicula, & adverſatur conſiliis omnibus, quæ Deus habet de nobis; & quin ſequamur Dei vocationem in electione ſtatus, volumus fati noſtri penes nos eſſe arbitrium: noſtræ indulgemus libidini, vanitati, ambitioni, vel paternæ; noſtras cupiditates conſulimus, & eligimus vitæ genus prorſus oppoſitum illi, ad quem a Domino evocamur: Quin cogitemus Deum ſuas gratias adnectere ejus vitæ ſtatui, cui nos deſtinat, ideoque noſtræ fidelitatis, opus eſſe vocantem ſequi, & hinc pendere noſtram pro præſenti, alteraque vita felicitatem. Ut hoc perſuadeam duas conſtituo propoſitiones, quæ erit tota Sermonis partitio.

Prima eſt nihil eſſe facilius, & frequentius, quàm hac in electione errare.

Altera eſt nullibi periculoſius errari, quia periculo æterna Salus objicitur.

Conſule in To. IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: VOCATIO.

Hoc fecit initium Signorum JESUS, *& manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus.* Joann. 2.

III. ARGUM.

De Fidei neceſſitate.

In hoc eodem nuptiali convivio, quemadmodum animadvertit Evangeliſta, Dei Filius occaſionem arripuit manifeſtandi gloriam ſuam per hoc inſigne miraculum aquæ in vinum mutatæ, ut Diſcipulos ſuos de Divinitate, & Miſſione ſua perſuaderet. Eventus reſpondit conſilio illos ſtatuendi, confirmandique in hac fide, & probandi ſuam poteſtatem, atque perſonæ dignitatem; ideoque primi fuerunt, quibus Fidei lumen illuceſceret. (Joann. 2.) *Hoc fecit initium Signorum* JESUS, *& crediderunt in eum diſcipuli ejus.* Quibus addere poſſumus, non ſine ſummo Sapientiæ ſuæ conſilio incœpiſſe JESUM tradere ſe cognoſcendum; etenim quemadmodum ſciebat, homines per fidem accedere ad Deum, ut mox illi placeant, ejuſque cultui adhæreant, ponere voluit hoc fundamentum Doctrinæ ſuæ, novæque legis. Quod locum mihi tribuit in hoc ſermone loquendi primùm de fidei neceſſitate, & deinde de utilitate.

Pars Prima. Fides eſt neceſſaria primùm, ut Deum cognoſcamus, & diligamus. (Hebr. 11.) *Accedentem ad Deum*, inquit Apoſtolus, *oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe, remunerator ſit.* Non enim niſi per fidem cognoſcitur, & juſta Magnitudinis ejus idea concipitur. Secundò neceſſaria eſt, ut Deo placeamus, quemadmodum idem Apoſtolus docet: (Ibidem 6.) *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Per fidem pertinemus ad illum, nos cognoſcit pro fideli populo ſuo, & in filios ejus evadimus. Tertiò neceſſaria eſt, ut ſicuti Chriſtianos decet vivamus, eò uſque ut ſine Fide actio nulla Cœlum mereatur, & hæc virtutum omnium vere principium ſit, & fundamentum.

Pars altera, quæ reſpicit utilitatem, quam ex Fide percipimus. Primùm attollit actiones noſtras ad ordinem ſupernaturalem ita, ut pro remuneratione, æternam mereantur felicitatem. Secundò eos ſanctificat, quibus perſuaſum eſt de veritatibus, quas docet, & quomodo. Tertiò facit, ut reſiſtamus omnibus tentationibus inimici, & invictos reddit poteſtatibus omnibus inferorum.

Pro hoc argumento conſule To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: FIDES.

PRO TERTIA POST EPIPHANIAM DOMINICA.

Ecce leproſus veniens adorabat dicens: Domine ſi vis, potes me mundare &c. Matth. 8.

I. ARGUM.

De Peccatis habitualibus.

Videri poteſt alia, ejuſdem argumenti Synopſis pro Evangelio feriæ ſextæ poſt primam Quadrageſimæ Dominicam.

Haberi etiam ſermo poteſt de Confeſſione in Evangelica Verba. *Vade oſtende te ſacerdoti.* Sed reſicitur in quintam Quadrageſimæ Dominicam.

JAMPRIDEM moralis Philoſophia animadvertit, quamvis anima, & corpus duæ ſint partes adeo diſſimiles in ſubſtantiis ſuis, talem nihilominus eſſe inter utramque nexum, ut de una judicium feratur ex altera, perinde ac ſi per mutuam impreſſionem invicem ſibi bonas, vel pravas qualitates communicarent. Hinc ſæpe de animæ morbis loquimur, quæ vitia ſunt, eodem fere modo quo de morbis corporis: Amor inordinatus febris dicitur ardens; avaritia vocat Hydropiſis, quæ corpus inflat, & vitiat; inertia lethargia dicitur, quæ ſoporem inducit, ac ſenſus hebetat, & ſic de aliis vitioſis habitibus. Verum commune vocabulum, quod vitiis omnibus convenit, videlicet omnibus animæ infirmitatibus, eſſe videtur lepra, qui olim malum erat inſanabile, ac turpe, ita ut horrorem cieret in iis, qui illud intuebantur.

Verum eſt, Chriſtiani Auditores, noſtris hiſce temporibus Corporis lepram vix inveniri, & morbum hunc, qui olim late graſſabatur paucis ad hinc ſæculis obſoleviſſe. Sed audeo dicere animæ Lepram in illius locum ſubiiſſe, namque ex Sancti Chriſoſtomi Sententia, eſt omne genus peccatorum, quæ patrantur ex habitu, vel potius eſt omnis habitus vitioſus, inveteratus, qui fit malum immedicabile: ita ut ad illud curandum oporteat, ut Salvator, ſummus ille animarum Medicus ſua utatur poteſtate, ac Evangelii hodierni inſtauret miraculum: (Matth. 8.) *Volo, mundare.* Ut autem intelligatis deplorabilem ſtatum, ad quem habitus in aliquo peccato redigit tandem peccatorem, ſatis eſt, ut ſolidis rationibus probem

Primùm habitum, qui contrahitur in gravi aliquo crimine, & qui radices agit, ac per plures iteratos actus convaleſcit maximum eſſe noſtræ converſioni obicem; quippe qui catena eſt ex pluribus annulis conflata, quæ nonniſi cum ſummo niſu poteſt infringi, ideoque maxima cum difficultate. Per hanc nos retinet Sathanas in ſervitute peccati; & ut omnia unico verbo complectar, liquet, quanti laboris ſit iis rebus, quibus diuturno habitu adhæſimus nuntium mittere; ideoque pravus hic habitus certiſſimum ſignum eſt, & moraliter infallibile reprobationis: cum enim adducamur in ſpeciem impotentiæ recedendi a præterita vitæ ratione, trahimur in finalem impœnitentiam, quæ omnem aufert ſpem reſurgendi.

Secundò habitum peccati adverſari divinæ Miſericordiæ, & gratiarum fontem exhaurire; unde fit ut peccatores ne ſentiant quidem calamitatem ſuam, & ſincere nequeant converti.

Tertiò; hunc tandem habitum efficere, ut peccatores rejiciant validiſſima quæque remedia, qualia ſunt timor judiciorum Dei, monita ſaluberrima, & quidquid majorem vim habet in aliis peccatoribus; quod tandem cogit Deum, ut illos ipſorum tradat conſilio.

Vide To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: HABITUS.

Audiens JESUS *miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: non inveni tantam fidem in Iſrael.* Matt. 8.

II. ARGUM.

Poſſe quemque ſalvari, & ſervire Deo in omni ſtatu, & vitæ conditione.

Si fides Centurionis, de qua in hoc eòdem Evangelio ſermo eſt, merita fuit elogia, & laudem Filii Dei, non ideo tamen exiſtimandum eſt, illam ex hoc uno loco fuiſſe commendabilem. Fides ejus innitebatur bonis operibus, ſingulari in Deum quidem pietate, in proximum verò charitate, ac profunda fulciebatur humilitate, uti liquet ex Evangelio: propterea ab omnibus habebatur vir inſigni virtute, ac probitate præditus. Illud verò inde nos quoque admirari debemus, atque pudore ſuffundi, videntes hominem natum in tenebris Gentium, alium, & educatum in armorum licentia, ideoque mundo addictum, qui familiam habebat, & ſervos, quorum curam gerere tenebatur, cui non deerant negotia procuranda, domuſque regenda; cui aliis ratio erat reddenda, quibus ſubditus erat; & aliis, quibus præerat, imperandum; videntes, inquam, Centurionem, qui videbatur ſequi debuiſſe mundi conſuetudines, & placita, pietatem colere, & charitatem exercere eò uſque, ut curam gereret noviſſimi etiam famulorum ſuorum, nemini injuriam faceret, vitamque frugi viveret omnibus dignitatis ſuæ perfunctus officiis.

Hoc, Fideles, pudore debet ſuffundere eos, qui hodierna die contendunt, ſe non poſſe Chriſtianam vitam ducere cum iis curis, quæ ſeparari nequeunt ab eo vivendi genere quod profitentur, vel qui putant ſe minime teneri ad ſalutem ſuam procurandam. O miram illuſionem, Fideles, quæ non minus periculoſa eſt, quàm frequens in mundo. Illuſionem, quam hodierna die conabor evertere oſtendens,

Pri-

Google

Primùm, nullum eſſe ſtatum, conditionem, vel munus, in quo ſervire Deo, & ſalvari non liceat.

Secundò, neminem melius ſatisfacere muneribus ſtatus, & conditionis ſuæ, quàm qui ſalvari, & Deo ſervire conatur. Duplex hæc veritas erit ſermonis partitio, qui magnum afferre debet ſolatium fidelibus, quia ibi perſpicue videbunt, ſe poſſe non ſolum operari ſalutem ſuam in proprio ſtatu, verùm etiam ſe debere ipſum ſtatum ſuum in ſalutis ſuæ medium convertere.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: GRATIA, *& in To. IV. Titulos:* SALUS, DEI SERVITUS.

Audiens JESUS *miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: non inveni tantam fidem in Iſrael.* Matth. 8.

III. Argum. Fidem cum bonis operibus eſſe conſociandam.

Non in hac tantùm occaſione Centurio, de quo loquitur Evangelium probitatis ſuæ ſpecimen præbuit. Bonitatis ejus fama in Judæam pervaſerat, ubi habebatur tamquam probus homo, & bonorum operum auctor ſecundum teſtimonium, quod Judæi perhibuerunt Salvatori hunc hortati, ut ei, quidquid petiiſſet, elargiretur: *Dignus eſt, ut hoc illi præſtes, & Synagogam ipſe ædificavit nobis.* Itaque Filio Dei fidem illius celebrante, Judæi ejuſdem pietatem, domeſtici ejus charitatem, & omnes illum tamquam virtutis prototypum extollebant. Ex quo infero, adeſſe quemdam nexum, & fœdus Fidem inter, & bona opera; inter noſtræ Religionis veritates, & ſanctitatem vitæ profitentium illam. Hæc mutuis firmari præſidiis, fulcirique rationibus; ita ut altera deficiente, altera etiam corruat. Hinc vulgo duplex Fidei ſpecies diſtinguitur; altera, quæ vivens eſt, & per charitatem animata, & quæ cognoſcitur ex operibus; & altera quæ mortua eſt, ut loquitur Sanctus Jacobus Apoſtolus; quia actione caret, & motu. Per priorem habetur habitus Fidei, quæ licet viventis nomine ab Apoſtolo nuncupetur, quia eſt vitæ principium, & radix, poteſt tamen mortua eſſe: ſed altera hunc exercens habitum, agens eſt, atque operatrix. Hæc nos inceſſanter excitat ad ſanctos actus, ideoque ea eſt, quam a nobis potiſſimum expetit Deus, & quæ omnino eſt neceſſaria in Adultis, ut ſalventur. Quapropter tres propono veritates maximi momenti.

Prima quarum eſt, bona opera certiſſimum eſſe Fidei noſtræ argumentum.

Altera; his iiſdem bonis operibus fidem noſtram ali, & e contra eorum omiſſionem, & vitam malam eſſe in cauſa, ut ſenſim, & ſine ſenſu ipſum Fidei habitum amittamus.

Tertia denique; Bona opera rationem eſſe efficientiorem ad aliis perſuadendam veritatem Myſteriorum noſtrorum, eiſque vitæ Chriſtianæ amorem ciendum, quam valere poſſint omnes ſermones, atque hortamenta.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: FIDES, *& in III.* BONA OPERA.

PRO QUARTA DOMINICA POST EPIPHANIAM.

Domine ſalva nos, perimus. Reſpondit JESUS; *modicæ fidei quare dubitaſti?* Matth. 8.

I. Argum. De Confidentia in Deum. Aliud de eadem Confidentia ſermonis argumentum invenies pro Evangelio Dominicæ ſextæ poſt Pentecoſten. Item aliud pro Evangelio Dominicæ quartæ poſt Pentecoſten. Matth. 8.

NEMO nunc ignorat propria edoctus experientia, quot periculis, ærumnis, infortuniis obnoxia ſit hominis vita; verum cum Deus receperit ſe nobis opem laturum in adverſis, quibus Divinæ Ordo Providentiæ nos objicit ſtatus noſtri officia obeuntes, ſæpe ut periculum faciat noſtræ in bonitate ipſius confidentiæ, patitur hæc nobis adverſantia contingere, ac illis frangi; vel ſaltem opem ferre in graviſſimis neceſſitatibus differt. Hoc in allato Evangelio locum præbuit Salvatori exprobrandi modicam Sancti Petri fidem: *Modicæ fidei quare dubitaſti?*

Ad probrum hoc evitandum, Auditores, atque vos hortandos, ut in Deo veſtram ſtatuatis confidentiam ſive in omnibus neceſſitatibus veſtris, ſive in adverſis, quæ accidunt vobis, fert animus hoc in ſermone vobis exponere

Primùm præcipuas confidentiæ noſtræ cauſas,

Deinde conditiones, & qualitates, quas hæc confidentia requirit.

Quod ad primam pertinet partem, quæ cauſas complectitur, propter quas ad Deum confugiendum nobis eſt, & in ejus auxilio, præſidioque confidendum; cauſa potiſſima eſt bonitas ejus, qua agitur, ut de inimiciſſimis etiam, ingratis, & infidelibus benemereatur, qui nihil ab illo expectant, & qui ejuſdem etiam beneficiis abutuntur, ut illum laceſſant. Quam igitur confidentiam habere non debent, qui ſerviunt illi, qui ab uno illo in neceſſitatibus opem, atque ſolatium expectant? Secundò. Cauſa altera illius fidelitas eſt, quæ datam fidem præſtat. Nonne in ſingulis Sacræ Scripturæ paginis pollicetur ſe in neceſſitatibus noſtris opem laturum? Immo promiſſiones ſuas jurejurando roboravit ad hoc, ut quemadmodum inquit Apoſtolus, confidentia noſtra duobus adeo ſolidis innixa fundamentis minime quæreretur. Tertiò: Tertia ratio ex proprio noſtro teſtimonio deſumitur; nemo enim eſt, qui non ſæpe expertus fuerit ejus auxilium, opemque peculiarem in occaſionibus, in quibus jam actum videbatur, & in quibus certiſſime periiſſemus, niſi nos omnipotens manus illius ſuſtinuiſſet. Hoc autem, cum ipſi confeſſi ſimus, atque propria docti experientia didicerimus, unde nam factum eſt, ut in occaſionibus, & neceſſitatibus in Deo non confidamus? *Modicæ fidei, quare non dubitaſti?*

Pars altera. Quod autem pertinet ad qualitates, & conditiones in confidentia requiſitas; Primò eſſe debet integra ſine exceptione; hoc eſt ad Deum confugiendum eſt rebus in omnibus: neque enim deſunt, qui in ſpiritualibus, quæ ad ſalutem ſpectant ſatis habent confidentiæ in bonitate Dei, & ſæpe etiam nimis propter temerariam præſumptionem; qui tamen vel parum habent, vel omnino nihil in vitæ hujus neceſſitatibus, quin animadvertant diſtinctionem hanc Deo contumelioſiſſimam eſſe, & homine Chriſtiano prorſus indignam. Secundò prompta eſſe debet; videlicet expectanda non ſunt extrema quæque antequam confugiamus ad Deum, neque tunc tandem divinum eſt petendum auxilium, cum ſpes reliqua defecerit; cum experti ſumus reliquorum mediorum, quibus uti nefas eſt, inutilitatem. Hoc plerumque in Mundo facere conſueverunt plurimi, qui tunc tandem divinam fatigant clementiam, ad quam primum debuerant confugere. Tertiò, eſſe debet firma, & inconcuſſa; ita ut nullis obicibus, vel difficultatibus deterreatur, rebus non ita proſpere ſecundum vota fluentibus; ſed ſemper ſperandum eſt etiam contra omnem ſpem, ut loquitur Scriptura.

Vide Tomum Primum Titulo: CONFIDENTIA IN DEUM.

Ecce motus magnus factus eſt in Mari. Matth. 8.

II. Argum. De Affectibus generatim, & modo illos cohibendi.

Nihil vulgatius, aut frequentius eſt, quàm cor humanum cum Mari comparare. Videntur Chriſtiani ſimul, atque Ethnici in hac comparatione (adeo naturalis eſt) conſenſiſſe; utrique enim conſtanter aſſeruerunt, Cordis hujus extenſionem non minus late patere, abyſſos illius non minus eſſe profundas, neque procellas minus æſtuoſas, quam quæ in hoc Elemento videntur. Quod autem mihi ſolidius in hac videtur comparatione illud eſt, quod illam probatam invenio a Spiritu ſancto, qui per Iſaiam protulit: *Cor impii, quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt*, & affectus illius ſunt totidem veluti furentes venti, qui in illo teterrimas cient tempeſtates. Iſaiæ 57.

Verumtamen cum affectus iſti non minus ſint neceſſarii in homine, quàm venti in mari, & alioquin ſint triſtium, funeſtorumque naufragiorum cauſæ, quæ quotidie accidunt; hoc non ſolum ſtudium eſt Philoſophorum, ſed Chriſtianorum quoque eſſe debet, omni cura affectus compeſcere, moderari, ſuperare; in hoc enim conſiſtit vera virtus, vis, quam Evangelium jubet ſibi inferri unumquemque, & Chriſtiana mortificatio ad ſalutem adeo neceſſaria: Eſt enim materia noſtrorum triumphorum; in hac ſita eſt ſpes coronæ, quam in Cœlo expectamus. In triplici ergo Sermonis hujus parte vobis oſtenſurus ſum

Primùm neceſſitatem, quam in Chriſtiana Religione habemus cohibendi noſtros affectus.

Secundò media, & adminicula, quæ nobis ſuppetunt ad eos ſuperandos.

Tertiò bona, quæ ex hac victoria recipimus.

Præceptum idem quo peccatum evitare jubemur, ac illud in nobis evertere pro viribus, nos pariter cogit affectibus noſtris bellum indicere, & frænum injicere.

Primùm, quamvis enim animi ægritudines peccata non ſint; (vehementer enim erraret, qui hoc crederet, Deus enim illas poſuit in nobis, ut bonum quidem quæreremus, malum verò vitaremus) Tamen ſicuti poſt Originale peccatum incompoſitæ ſunt, & plerumque omnium peccatorum cauſæ; tenemur auferre cauſam, ut pernicioſos prohibeamus effectus.

Secundò, quia quamvis peccata non ſint in ſe, facile tamen fieri poſſunt; etenim cupiditatum noſtrarum ſtudia, & propenſionem ſecuti incidimus in vitia, quæ ſunt radicitus convellenda.

Tertiò, quia ſunt perennes fontes peccatorum: quorum curſum niſi inhibuerimus, ſemper in recentia proruemus, & in extrema quæque rapiemur.

Pars altera. Cum Deus poſt Originalis peccati per Baptiſmum excidium in nobis reliquerit affectuum rebellionem, ut virtus noſtra haberet ubi exerceretur; non tamen valida nobis conceſſit adjumenta ad eos coercendos, ac prohibendum, ne illi in peccatum nos trahant. Hæc autem præſidia ſunt;

Primùm Gratia ſua, quæ numquam deficit nobis: ita ut quamvis in noſtra poteſtate non ſit prohibere primos motus cupiditatum noſtrarum, poſſumus tamen gratiæ ſubſidio earum frangere impotentiam, coercere progreſſus & effectus, atque precibus quærere validiora ſubſidia ad illas prorſus ſuperandas.

Secun-

Secundò, Chriſtiana vigilantia ad prævertendas occaſiones, in quibus periculum eſſe poſſet cedendi.

Tertiò, Timor Dei, & præceptis ejus obedientia; nobis enim præcipit, ſicuti præcepit mari, ut ſuos fluctus cohibeat; nobiſque ſeveriſſimas minitatur pœnas, ſi ſtatutum terminum fuerimus prætergreſſi.

Tertia Pars. Bona, quæ nobis cedunt ex affectuum noſtrorum victoria.

Primùm. Pax Cordis, & conſcientiæ requies.

Secundò. Libertas Chriſtiana, quæ nos liberat a ſervitute dæmonis, Mundi, & peccati, cui obnoxii ſunt, qui ſuis parent cupiditatibus.

Tertiò. Æternæ vitæ certitudo eorum victoribus promiſſa.

Vide in To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Affectus.

Ecce motus magnus factus eſt in Mari. Matth. 8.

III. Argum. De Affectu prædominante.

Poſitis iis, quæ diximus de affectibus generatim, de eorum effectibus, eorumque coercendorum neceſſitate; cum tot omnes ſimul aggredi nequeamus, oſtendendum eſt ad hoc, ut in virtute creſcamus, pietati inſerviamus, & penitus exſcindamus hoc peccati corpus, de quo Apoſtolus loquitur, initium faciendum eſſe a pugna, & excidio dominantis affectus; alioquin reliqua omnia inutilia futura ſunt, vel non ſatis magnum effectum habitura; idque tribus de cauſis, quæ totidem partes erunt hujus Sermonis.

Primùm, quia hic inimicus eſt maxime periculoſus; terribiliſque, & ille tamen, a quo minime cavemus.

Secundò, quia inimicus eſt maxime fortis adverſus nos, qui ſimul nos infirmiores efficit, & timidos.

Tertiò, quia inimicus eſt pertinaciſſimus, qui poſt aliorum cladem viget adhuc, contra quem nobis erit decertandum in omne vitæ ſpatium, niſi ſtrenue illum impugnaverimus, & quam primum incœperimus apertum bellum indicere.

Pro parte prima. Inimicus eſt periculoſus, Primo, quia latet, & minus cognoſcitur, ideoque ab eo nobis non cavemus. Boni perſonam induit, & clam lethalia infligit vulnera, quibus reſiſtere difficile eſt. Secundò, ſub hoc virtutis integumento graviſſima tegit vitia; furor veri zeli ſpeciem induit; avaritia pro laudabili traducitur œconomia, & ultio pro Juſta indignatione habetur &c. Tertiò, proditor eſt, cum externis hoſtibus miſcet conſilia, cum internis verò conſentit &c. ex quo inferendum eſt, hunc eſſe periculoſiſſimum inimicum; quem niſi ſtatim convellere fuerimus adniſi, fruſtra reliquos delere conabimur.

Pro parte altera. Fortiſſimus eſt inimicus, a quo nobiſmet minime cavemus, cui parcimus, & quem delere nolumus; cum quo noſmet gerimus, non ſecus ac Saul cum Amalecitis. Libenter ſacrificamus abjectiſſimum quodlibet, & maxime contemptibile; nobis vero reſervamus, quidquid pretioſiſſimum eſt, & quod perdere nolumus.

Pro parte tertia. Pertinaciſſimus quoque inimicus eſt, qui diutius conatibus noſtris reſiſtit, qui poſt cæterorum cladem rebellat, & qui cum ſit pars noſtrum noſtro nititur ingenio; in omnes actus noſtros ſe immiſcet, & nos ad mortem uſque concomitabitur, niſi quamprimum in nobiſmet illi mortem inferre ſtuduerimus, ut chriſtianam ſanctamque vitam ducamus.

Vide in To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Affectus.

PRO QUINTA DOMINICA
POST EPIPHANIAM,

Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Matth. 13.

I. Argum. Cum in Mundo pravi mixti ſint cum bonis, quomodo cum nequam noſmet gerere debeamus.

Quovis tempore, Fideles in Mundo, mali cum bonis mixti fuerunt, non ſecus ac in eodem agro cum optimis frugibus zizania; quæ non niſi ſub temporum finem ſeparabuntur, quemadmodum teſtatur Evangelium. Hæc mixtio ſæpe Juſtorum lacrymas elicuit, qui inde referunt damnum, & qui jugiter in periculo ſunt, ut impiorum vitiis inficiantur quadam veluti contagione, quæ ab uno ad alterum migrat. Cæterum mali iniquo ferunt animo bonos, quos intuentur tamquam flagitiorum ſuorum cenſores importunos. Hæc tamen Dei voluntas eſt, eos ſimul in terris vivere, ut impiorum nequitia bonorum virtutem exerceat, & Juſtorum exemplum aliquid ad aliorum conferat converſionem. Verum quam caute boni ſe ſe gerere debent, ut citra corruptionis periculum cum malis verſentur, & ne hoc veneno inficiantur? Fuga ſocietatis eorum ſola poſſet bonorum ſaluti conſulere, ſed ſimul communibus junguntur neceſſitatibus, quæ plerumque vetant, ne ſeorſim vivant. Profectò ſi omnium mortalium charitas ita fortis eſſet, ut vitiorum impreſſioni reſiſtere valeret, dicerem, flagitioſiſſimos illis conquirendos eſſe peccatores, ut hos adniterentur convertere, & ad virtutem traducere: ſed in tanta naturæ noſtræ imbecillitate multa habenda ratio eſt, ne oppoſitum accidat. Ut ergo detegamus & periculi magnitudinem, & modum, quo noſmet gerere debemus, animadverto tria eſſe, quæ nobis imponunt triplex genus officiorum.

Primum eſt, quod ipſa animi propenſio in cauſa eſt, ut cum illis verſemur; & tunc officii noſtri eſt, illos fugere, ne in eorum mores tranſeamus.

Alterum eſt, quod neceſſitas ipſa nos cogit, ut propter ſtatus noſtri conditionem, genus, & vitam cum illis ſocietatem ſervemus; quo in caſu illos cum Chriſtiana patientia ſuſtinere debemus, & pro virili parte aliquid inde proficere.

Tertium denique eſt, quod Charitas nonnumquam nos ad eos videndos excitat; & tunc conari debemus per bona exempla ad officium eos revocare. Hæc ſunt, Fideles, tria officia, quæ generatim ad omnes pertinent in hac bonorum cum malis mixtione.

Primum nobis eorum fugam imperat, cum periculum eſt, ut perſeveramur.

Alterum petit, ut illos patiamur, cum evitare non poſſumus; vel cum inevitabilia officia noſtra non ſinunt, ut omnem cum illis conſuetudinem infringamus.

Tertium denique poſtulat, ut illis utiles ſimus, & eorum Saluti cooperemur, cum charitas imperat, ut cum illis frequenter verſemur.

Vide To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: Societas.

Domine bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo; unde ergo habet zizania? Matth. 13.

II. Argum. De prava intentione, quæ bonis ſe immiſcet operibus.

Sancti Patres, atque Interpretes huic parabolæ varios tribuunt ſenſus, quorum ſinguli maximæ ſunt utilitatis: Verum cum Evangelium non explicet quinam ſit hic ager, vel quid per hæc intelligat zizania, vel quinam ſit hic inimicus homo, & tempus meſſis; locum præbet variis applicationibus pro varia bonorum, vel malorum mixtura, modò Juſtorum, & impiorum ſimul viventium; modo pravæ doctrinæ, quæ admiſcetur cum ſana in eodem Eccleſiæ agro, quomodo Sanctus explicat Auguſtinus; & modo vitiorum cum Virtutibus.

In hac autem immoror explicatione, utpote ad doctrinam maxime congrua, & ex qua ſpero me uberiorem fructum conſecuturum. Dico igitur bonum hoc ſemen non aliud eſſe, niſi opera noſtra bona, quæ ſunt veluti ſemina nobis felicem meſſem allatura. Sed zizania prava eſt intentio, quæ opera ipſa corrumpit; & quæ ſpecies quædam eſt zizaniorum, quæ ſe ſe bonis immiſcent frugibus, videlicet optimis actionibus noſtris, & quæ inimicus homo per noctem immittit callide, tunc nempe cum minimum cavemus nobis; Zizania bonis frugibus ſimilia, & non niſi in Dei judicio ſecernenda. Interea verò vos perſuaſurus, ut vobiſmet ipſis invigiletis, ne decipiamini, hoc in ſermone oſtendere cupio,

Primùm actiones ex intentione fieri bonas, vel malas;

Secundò, quantum referamus fructum omnis facientes cum recta, & ſancta intentione. *Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum*: Intentio.

III. Argum. De habitu peccati venialis.

Certiſſima veritas eſt, poſita hominis fragilitate, ac propenſione, qua in malum fertur, neminem ſine peculiari Divini Numinis gratia omnino peccata venialia poſſe evitare. Quamcumque curam, & vigilantiam adhibeamus, plura ſemper excident nobis; quandoquidem Spiritus Sanctus per Sapientem nos admonet, juſtum, hoc eſt, religioſiſſimum divinæ legis obſervatorem, ſepties in die cadere; quapropter arbitror utiliſſimum ſermonis, quod hac de re inſtitui poteſt argumentum eſſe, veniale peccatum in fonte ipſo aggredi, ex quo alia plurima exiſtere conſueverunt, videlicet in ipſo habitu, qui ubi primum radicem jecerit, fit veluti zizania omnibus noſtris actionibus permixta, quæ illas corrumpunt, & omnem earum meritum vitiant. Pro hoc Argumento poſſumus oſtendere;

Primùm malum, quod parit habitus contractus ſine ulla præcautione committendi ſine metu hæc peccata, quæ levia, & venialia vocantur, quia cum quilibet ſibi licere putet illa committere, hæc facile obrepunt in ſingulas ferè actiones noſtras; ita ut licet per ſe bonæ, ſanctæque ſint, ſæpe tamen inde malæ fiant, vel ſaltem ſimiles ſint lolio cum bonis frugibus permixto, nonniſi ſub vitæ exitum ſeparando, quandoquidem habitus iſte efficit, ut facile, ſine ullis conſcientiæ ſtimulis, in ſingulas fere occaſiones, pro quavis, vel minima cauſa, & inconſiderate peccemus. In quem autem deplorabilem ſtatum tanta hæc peccatorum multitudo non rediget conſcientiam, quæ reſpondere non poterit de aliqua actione bona, cui non admixtum ſit aliquod vitium? Numquid timendum non erit, ne zizania omnino bonum ſemen ſuffocaverint? Quo pacto ſeparare licebit modicam attentionem, qua utimur in precibus, modicum pietatis fervorem, & ſummam in omnibus Religionis officiis negligentiam? Languorem in Dei cultu, quot vitia non ſubſequuntur? Contra Proximum, quot leves aliorum contemptus? Quot temeraria judicia? Quot falſæ ſuſpiciones, & nulli innixæ fundamento?

mento? Quot impatientiæ, iracundiæ leves, ſimultates, ſecretæ zelotypiæ, quæ centum pariunt obſectationes? Quot verba indiſcreta, vel inutilia &c. Quot peccata, quæ extrinſecus quidem non prodeunt niſi per aliquot indicia, ex quibus tamen colligitur zizania cum bonis frugibus ſimul ſucreviſſe? Quot vanitates, quot ingenii ſibi blandientis oblectatiunculæ, quot inanes vana ſciendi curioſitates? Quot in noſtra opera bona animadverſiones, humani reſpectus, commodorum perquiſitiones, temporis jacturæ! Quis numerando aſſequi poſſet omnes ſpecies hujuſmodi peccatorum, quorum actus in infinitum procedunt, ſi eorum fontem exhaurire contendimus, qui habitus eſt ſingulorum criminum, & qui oritur ex habitu generali libere, & ſine metu committendi quidquid lethale peccatum non eſt; quapropter tota vita noſtra non aliud eſt, niſi jugis textura peccatorum multiplicium.

Pars altera oſtendet quanti laboris ſit pravum hunc habitum radicitus convellere, quemadmodum eſt difficile auferre zizania, quæ cum bonis frugibus crevit. Primùm quia habitus hic convaleſcit, prout actus multiplicantur, ac tranſit in ſpeciem neceſſitatis: Secundò quantum arduum eſt virtutis habitum contrahere, tantum operoſum eſt pravum habitum exſcindere: Tertiò. Procul abeſt, quod æque horreamus mala hæc, quæ nauci facimus, ac alia, quæ graviora ſunt, ideoque illa evitare nequaquam conamur, & nonniſi ſub exitum vitæ intelligimus quantum ſubierimus detrimentum.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: HABITUS *& in III. Titulum*: PECCATUM VENIALE.

PRO VI. DOMINICA
POST EPIPHANIAM.

Simile eſt regnum Cœlorum grano Sinapis, quod minimum eſt omnibus ſeminibus; cum autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor, Matth. 13.

I. ARGUM.

De Eccleſia, & Chriſtiana Religione.

PORTENTUM eſt in natura videre granum Sinapis ſeminum omnium minimum, & in exordio ſuo adeo contemptibile, pauliatim creſcere, & vix perceptibilibus incrementis augeri, ac ſenſim, & ſine ſenſu caulem uſque ad arboris altitudinem proferre, ita ut ſatis habeat firmitatis, ut ventorum ſuſtineat vim, ſatis extenſionis in ramis, ut aves illuc valeant confugere, & ſatis umbræ frondium coma projiciat, ut prætereuntes ſuavi umbraculo poſſit protegere. Sed longe admirabilius eſt in gratia prodigium videre incrementum Regni Dei, quod eſt Eccleſia, quæ doctorum omnium ſententia nobis ſub hoc exhibetur ſymbolo, & parabola ſeminis minimi in arborem magnam creſcentis. Profectò, Chriſtiani, alione opus eſſet miraculo, aliave ratione ad probandam Chriſtianæ Religionis veritatem, quàm videre, quod ex modico initio profecta ad eam proceſſerit magnitudinem, ut caput in Cœlum uſque attollat, ubi pars altera triumphat; dum altera jacit radices ſuas adeo profundas, ut procellæ omnes, quæ in illam inſurrexerunt, eam quatere non potuerint, & ad hanc diem per univerſum terrarum orbem ſe extendat, ſub cujus umbra, cum agitur de Religione, homines omnes tuto conquieſcere poſſunt. Videlicet, ut me accomodem Evangelii noſtri argumento, atque conceptui, quem nobis adſtruit, in medium proferam, privilegia, & bona Eccleſiæ, quam inſtituit Filius Dei, ſuper alias Religiones, & ſocietates, quæ ab illa ſejunctæ ſunt, oſtendens

Primùm, ejus ſtabilitatem contra omnes Inferorum poteſtates.

Secundò latitudinem, quæ totum terrarum orbem complectitur.

Tertiò altitudinem, & ſublimitatem veritatum, quas docet.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulos. ECCLESIA, ET FIDES DIVINA.

Simile eſt regnum Cœlorum grano Sinapis, quod minimum eſt omnibus ſeminibus. Matth. 13.

II. ARGUM.

In Dei ſervitio nihil eſt adeo modicum, ut ſit negligendum.

MIRUM profectò videtur, Oraculum Veritatis ipſius in Evangelio, quod allatum eſt comparare id quod in mundo maximum, atque pretioſiſſimum eſt cum re minima, atque abjectiſſima, qualis eſt granum Sinapis; Regnum verò Cœlorum quod eſt Eccleſia, ut Patres inquiunt, nobis exhiberi ſub ſymbolo ejus ſeminis, quod minimum eſt cæterorum! Sed Salvator aperit nobis unam ex iis veritatibus, quæ in univerſa Chriſtiana diſciplina non extremo in loco habenda eſt; ſcilicet maxima quæque plerumque a minimis rebus pendere; & ubi de virtutibus, aut vitiis agitur, nihil eſſe modicum coram Deo: qui hinc quidem æternum gloriæ pondus retribuet leviſſimia etiam officiis, quæ illi præſtiterimus; inde verò ſevere animadvertet in nos pro leviſſimis noxis. Non fert animus aſſerere hoc in loco nullas eſſe leves prævaricationes contra Dei Legem: hoc enim error fuit veterum quorumdam Philoſophorum, qui peccata omnia eſſe cenſuerunt æqualia; ſed ajo, minimas etiam noxas terribiles exitus habere, & ſenſim, & ſine ſenſu ad extrema quævis perducere.

Primùm, hoc in prima parte oſtendam;

Deinde per oppoſitam rationem probabo in parte altera, minimos etiam actus, ubi de Sanctitate ſermo eſt, ſæpe materiam eſſe maximarum virtutum, & veluti per gradus quoſdam ad apicem perfectionis adducere. Hinc ſequitur in Dei ſervitute nihil eſſe negligendum; nihil tam parvum eſſe, quod in alteruttam partem maximos habere non poſſe effectus; ita ut minime cognoſcat, quid mereatur Deus, qui opera noſtra dignatur uti, ille qui hoc ſtatuit diſcrimen inter magnum, & parvum, cum agitur de cultu ejus, vel de noſtra ſalute; quia infirmiora quamvis ſint eorum exordia, ſenſim progrediuntur, ac in eos effectus deſinunt, qui minime exiſtimabantur.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: FIDELITAS.

Simile eſt regnum Cœlorum fermento, &c.

III. ARGUM.

De fervore Charitatis.

Variant Patrum ſententiæ de hoc regno Cœlorum, de quo loquitur Evangelium, ubi comparatur fermento, cujus modica quantitas inflat, & magnam farinæ maſſam fermentat, eique ſuam virtutem communicat. Alii cum Sancto Hieronymo interpretantur de Fide, & Eccleſia, quæ per Evangelicam prædicationem ſeſe in univerſam terram effundit, ac a mari ad mare ſe extendit progreſſu adeo mirabili, ac celeri, ut palam oſtendat Dei potentiam, & unam conſtituat ex præcipuis probationibus noſtræ Religionis. Sed alii cum Sancto Bernardo hoc explicant de Charitate, per quam Deus regnat in cordibus noſtris ſecundum Apoſtoli verba: *Regnum Dei intra vos eſt*. In hac immoror explicatione, ut verba faciam de tribus admirabilibus effectibus ferventis Charitatis, quam appellare poſſum Spirituale fermentum; quoniam virtus ejus tantam cum illo habet ſimilitudinem, ut Sanctus Bernardus hoc nomine illam vocare non vereatur.

Primùm, quemadmodum fermentum immutat quodammodo panis naturam, ei ſuas impertiens qualitates, novumque tribuens ſaporem; & uſum, ut fiat hominum cibus gratior, eorumque valetudini accommodatior; ita charitas, quæ influit in omnes virtutes earum naturam mutat: efficit enim ex moralibus ſupernaturales, & ad hunc ſublatæ gradum tranſeunt in animarum noſtrarum alimoniam.

Secundò, Charitatis virtus tamquam fermentum benedictionis ſeſe diffundit in totum Eccleſiæ corpus; hoc illam in tres mundi partes extendit in primo Zeli Apoſtolorum fervore, & videmus adhuc quotidie eamdem in novas regiones effundi; ubi efficit, ut virtus ſua cognoſcatur.

Tertiò. Sicut per virtutem, quam fermentum pani tribuit, fit eſca maxime neceſſaria, qua ægre carere poteſt, ſine qua alia etiam alimenta, ſi ſola ſint, pleriſque valetudini officiunt; ſimiliter Charitas eſt veluti cibus generalis, qui alit animæ vitam, illam auget, eique tribuit vim ad agendum neceſſariam, & robur, quo indiget, ut vigeat, &c.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: FERVOR.

Alia argumenta, quæ pertractari poſſunt per occaſionem duplicis hujus Parabolæ Evangelicæ.

Sin autem fermenti nomen in ſequiorem partem aſſumatur, quemadmodum ſæpe Sanctus Paulus conſuevit, plura occurrent argumenta, quæ pluribus in ſermonibus poterunt pertractari per æquiſſimam alluſionem ad hanc parabolam, cujuſmodi ſunt amor proprius, jactantia, intentio prava generatim, quæ vitia optimas quaslibet actiones corrumpunt, & totidem efficiunt peccata.

Quod pertinet ad granum Sinapis, quod præcipuam conſtituit partem hodierni Evangelii, vulgatius argumentum, quod in hanc parabolam pertractari conſuevetit, eſt Fidei, & Chriſtianæ Religionis propagatio, quæ cum in Judææ angulo contineretur; deinceps adeo mira fecit incrementa brevi temporis ſpatio; quod ſane non poſtremum eſt credibilitatis ejus argumentum, & ratio, qua hoc Dei opus eſſe probatur. *Conſule in To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum*: CHRISTIANISMUS.

PRO DOMINICA
SEPTUAGESIMÆ.

Quid ſtatis tota die otioſi? Matth. 20.

I. ARGUM.

De Labore & Otio.

INTER Parabolas, quibus Incarnatum Verbum ad Populos erudiendos uſum eſt; Chriſtiani Auditores, illa quam hodierna die nobis exhibet Eccleſia, ex Origenis ſententia inter præcipuas recenſenda eſt; continet enim veritatem, quæ ſimul principium eſt vitæ naturalis, civilis, & chriſtianæ. Quid enim ibi videmus ab initio ad finem, niſi hortationem ad otium vitandum, quod malorum omnium fons eſt, & amplectendum laborem, qui omnia nobis comparat bona? Deus in ipſa mundi origine poſt protoparentis noſtri peccatum damnavit illum, ut ſterilem, ingratamque terram

Digitized by Google

ram excoleret non alios fructus laturam, niſi quos labore manuum ſubacta reddidiſſet: Verùm Salvator, qui in terras deſcendit ad hominem reparandum videtur ſententiæ illius auſteritatem imminuiſſe per eam ſimilitudinem, quam in noſtro fuſius perſequitur Evangelio.

Pater Familias ſummo mane evigilans conducit operarios ad vineam ſuam excolendam; qui mox revertitur ſub meridiem alios conducturus; & qui demum ſub veſperam huc redit, ne quod tempus relinquat, videlicet aliquam vitæ partem, ſuis curis vacuam. Suaviſſimus iſte Salvator minas a ſe factas in ſæculorum primordio in

Matth. 20. officioſam invitationem convertit; *Quid ſtatis tota die otioſi?* Non vult nos in ingrato ſolo, ſterilique occupare; ſed in vinea ſua, quæ ſua hæreditas eſt, cujus etiam poſſeſſionem vult nobis conferre: *ite & vos in vineam meam.* Nos etiam per utilitatem ſtudet allicere, & æquiſſimam pollicetur remunerationem; *& quod juſtum fuerit, dabo vobis.* Neque jubet nos laborem producere in multa ſæcula; nam qui unius tantùm horæ ſpatio laborem ſuſtinuerunt mercedem recipiunt parem illis, qui portaverunt pondus diei, & æſtus: denique quamvis labor cedat in noſtram utilitatem, illius tamen rationem haberi vult, & remunerari perinde ac unice propter ipſum laboraviſſemus.

Hoc monitum, Fideles, eſt opus indulgentiæ, qua Deus bonitatis uti voluit erga nos, ut neceſſitatem adeo juſtam nobis faciliorem efficeret; verum unà omnem excuſationem, ac prætextum auferre voluit nobimet diſpenſandi, ac ducendi vitam inertem, & otioſam in Religione, quæ poſtulat, ut conſtanter laboribus exerceamur, & nos docet, Cœlum nobis non tribui, niſi tamquam laborum remunerationem. De noxia hac otioſitate hodierna die verba facere fert animus, ut intelligatis, cujus generis eſſe debeat labor, per quem Fidelis Cœli gaudia mereri debeat.

Verùm ut paulisper hoc evolvamus, & fiat argumentum Sermonis Chriſtiani, & perutilis, animadvertu duo eſſe extrema oppoſita, quibus Otii nomen tribui poteſt, & quæ Chriſtianus omni cura debet evitare.

Alterum eſt vitam ducere omnino inertem, & vacuam occupatione qualibet utili, & ſeria; Alterum operam ludere ſeſe immiſcendo ſexcentis tumultuoſis negotiis, quæ nihil ad Cœlum beatamque æternitatem promerendam conducunt. Altera eſt iners otioſitas, quæ ut plurimum homines in plura impellit flagitia; altera verò laborioſa quidem otioſitas eſt, ſed inutilis, quæ vetat, ne iis, quibus debent, operibus exerceantur. In duabus igitur Sermonis hujus partibus oſtendamus, utramque damnoſam eſſe Chriſtiano, qui ſalutem ſuam operari tenetur.

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum. OTIUM.

Alia argumenta de labore, & Otio. Oſtendi etiam poteſt, quod Sanctus Gregorius animadvertit; hac in vita triplex eſſe genus occupationum; quarum aliæ inanes ſunt, & inutiles; Aliæ ſunt laborioſæ, & moleſtæ; aliæ tandem nocuæ.

Primum vanæ, & inutiles evitandæ ſunt; hoc enim eſt otioſam amplecti vitam, qualis eſt fere mortalium. 2. cum ſpiritu pœnitentiæ accipiendæ ſunt illæ, quæ ſunt cum moleſtia conjunctæ, cum ad hoc nos impellat neceſſitas, vel Dei vocatio. 3. Omnino nuntius mittendus eſt illis, quæ nocuæ ſunt, & proximæ peccandi occaſiones.

Vide ibid. Titulum: OTIUM.

Deſumi quoque poteſt alia hæc ſermonis partitio. Occupationes ſunt, vel bonæ, vel malæ, vel neutræ.

Primùm bonis utendum, ac inde omnis utilitas percipienda, ut bona faciamus opera, quorum nobis occaſionem ſuppeditant. 2. Malis omnino abrenuntiandum eſt, ſi illis fuerimus impliciti, & omnis cautio adhibenda, ne implicemur. 3. Neutræ ad bonum finem dirigendæ ſunt, & hoc pacto bonæ efficiendæ. *Vide locum ſuperius connotatum.*

Et accipientes murmurabant adverſus Patrem familias, dicentes, hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtus. Matth. 20.

II. Argum. De Querimoniis, & murmurationibus. Quidnam erat cauſæ his Operariis, de quibus hodiernum loquitur Evangelium? Nonne injuſtum erat murmur eorum, & inſolens eorum expoſtulatio? Si Pater Familias poſtquam illos conduxit, eorumque opera uſus eſt, ſtipendium pactum negaſſet illis; mirum non fuiſſet, ſi conqueſti fuiſſent, & reverentia illos continere non potuiſſet in ſumma injuſtitia; vel ſi illos ſuperadditis laboribus oneraſſet; vel imperioſius, vel durius operam popoſciſſet, vel aliquid voluiſſet abradere ex pacta mercede, quam in frontis ſudore meriti fuerant, & poſtquam portaverant, ut dicebant, pondus diei, & æſtus. Si minime contentus opera eorum prior conqueſtus fuiſſet de eorum negligentia, modicaque ſollicitudine, & ſub diei finem non pactam mercedem perſolvere, ſed habita laboris æſtimatione nonnihil demere voluiſſet, dici poſſet, il-

Hendry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

los juſta accenſos iracundia oblitos fuiſſe ſui, atque reverentiæ fines prætergreſſos in querimonias, probra, & murmurationem erupiſſe.

Sed iniquo animo pati hominem jure ſuo utentem, & in operarum inæqualitate aliis potius gratificantem quàm aliis, quin fruſtretur aliquem de pretio, de quo conventio facta eſt, indignari ob gratiam aliis collatam cum ſibi nulla injuria fiat, nonne improbus eſt, & accuſator iniquus? Ita ſane Chriſtiani; jure hoc meretur probrum, qui erumpit in hujuſmodi querimonias, ſeu adverſus Deum, ſeu adverſus homines.

Hoc videtur olim fuiſſe Judæorum vitium; neque enim aliud apertius connotatum videmus in Evangelio, omnes actiones Filii Dei fuere ſcopus contradictioni Phariſæorum, murmurationi populorum, & dicteriis otioſorum; & in antiqua lege Deus, ut plurimum queritur de modica ſubjectione, & confidentia populi ſui, qualibet hora, & occaſione murmurantis. Verum ſi unquam vere dici poteſt cum Sancto Auguſtino, Judæorum, & Phariſæorum crimina ad nos migraſſe, & facta fuiſſe Chriſtianorum propria; hoc potiſſimum dicendum eſt de murmuratione, quæ modo non eſt minus Deo gravis, & inviſa, quàm olim.

Ad hujus rei declarationem, ſupponendum eſt, ſi vobis ludet, quamvis in ſcripturis ſæpe querimonia confundatur cum murmuratione, atque in ſermonis hujus decurſu me conſuetudini accommodaturus promiſcue duobus his vocibus utar; hoc tamen re ipſa non eſſe unum, & idem; querimoniæ enim latiorem habent ſignificationem, & in utramque partem deſumi poſſunt, ideoque non numquam rationabiles eſſe poſſunt: injuria quippe, & damnum, quo a proximo nobis infertur ſemper juſta eſſet, ſi ſemper injuſta eſſet querimonia; murmuratio verò ſemper accipitur pro injuſta querela, vel quæ ſit ea ratione, quam tamquam cum ſcandalo conjunctam Leges vetant, vel tamquam parem inferendis majoribus malis, quàm illa ſint, quibus medicina quæritur adhiberi. Ita in aliquem murmurare eſt, actus illius, mores, vitæ genus, improbare, quin de illis conqueramur, qui medicinam facere poſſunt; murmurare contra mala, quæ patimur, eſt eos condemnare, quos eorum auctores eſſe ſuſpicamur; & prædicare, nos injuſte illa pati; tandem murmurare contra aliorum flagitia, eſt conflare illis odium, in quos nullum nobis jus eſt propter noxas, quarum illis ratio Deo unice reddenda eſt, & illis quibus Deus illos ſubjecit.

Murmuratio igitur accepta in hoc ſenſu pro querimonia, quam nos facere dedecet, vitium illud eſt vulgatiſſimum, de quo verba facimus, injuſtum, Deoque, & hominibus invitum; ac fert animus, ut de hoc vobis verba faciam majori cum zelo, quàm de aliis, quia homines ſuapte natura in illud magis proclives ſunt, & ad illud tegendum ſpecioſiſſimas cauſas excogitant; & ſatis communis eſt error, quo plurimi viri boni ſe decipi ſinunt, murmur levem eſſe culpam, quæ nonnumquam reſpicitur tamquam zeli nimium ardentis effectus, quo publicæ utilitati conſulitur. Ad hunc illis errorem auferendum, Fideles, dico obmurmurationem qualem explicuimus, duo connotare, quæ a vobis rite perpendenda ſunt, quandoquidem Sermonis partitionem conſtituent.

Primùm certum, ac indubitatum ſignum eſt virtutis infirmæ; quod in priori puncto videbimus. Secundò eſt facilis ad majora crimina diſpoſitio. Quæ duæ veritates mea quidem ſententia complectuntur quidquid hoc in argumento ſolidius poteſt afferri.

In Bybliotheca noſtra vitium hoc cum Obtrectatione conjunctum eſt, cujus eſt ſpecies, tamen inde multa poſſumus mutuari.

Vide in To. I. Bybliotheca Mor. Evang. Titulum: DETRACTIO.

An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Matth. 20.

III. Argum. Hæc agendi ratio, qua utuntur agricolæ adverſus Evangelicum Patrem familias improbanda ſane, atque ab omni æquitate videtur aliena. Quippe diei totius laborem, ac pondus prætexentes, auferre conabantur illi facultatem gratificandi aliis, qui non æque ac ipſi in

De Invidia. De Invidia ſermo ſit etiam in Evangelium Feriæ Tertiæ poſt ſecundam Quadrageſimæ Dominicam. diurnum opus incubuerant. Illos urebat invidia, qua perciti murmurabant contra Patrem familias, qui cum pari ſtipendio affeciſſet utroſque tum qui totam impenderant diem, tum qui noviſſime ad opus fuerant evocati, illum impellere admitebantur, ut cum jam de divina mercede conveniſſet, majorem æris vim pro laboris magnitudine reportarent. De hac igitur invidia verba facturus ſum, atque duas propoſiturus veritates, quæ quidquid in hoc argumento continetur majoris momenti, complectuntur.

Prima eſt, invidiam indigitare ingentem cordis corruptionem, naturam pravam, ſuperbam, amoris proprii

refertam, omnique charitate, naturali æquitate, & Chriſtiana religione vacuum.

Altera eſt: Peccatum hoc in hac etiam vita præcoci Inferno puniri iis pœnis, & crucibus, quas hoc vitium figit iis, quos urit, ac poſſidet.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: INVIDIA.

Argumentum hoc ita poteſt aliter afferri:

Hoc etiam in argumento oſtendere poſſumus, Invidentem ingratum eſſe Deo, quippe non acquieſcens bonis, quibus divina largitas illum cumulavit, æquo non patitur animo, ubi videt alios ſimilibus affici, inſimulans Dei Providentiam, & illi quodammodo ſuccenſens.

Secundò. Injuſtum eſſe, & contumelioſum proximo, quippe illum perſequitur temere, nulla laceſſitus injuria, & nihil inauſum relinquit, ut apud omnes male audiat.

Tertio, ſibi metipſi crudelem eſſe, propter cruces, atque tormenta, quibus hæc animi perturbatio illum exagitat, ut videre eſt in Cain, & Saul, qui inviderunt Abel, & David.

Deſumptum ex eodem loco.

Sub finem Evangelii verba fiunt de exiguo Electorum numero; *multi vocati, pauci vero electi*. Sed hoc argumentum in aliud Evangelium; aliamque diem reſervamus.

PRO DOMINICA
SEXAGESIMÆ.

Exiit, qui ſeminat; ſeminare ſemen ſuum. Luc. 8.

I. Argum. De Verbo Dei.

NEMO ambigit, Fideles, quin minus Dei Verbum ſit vulgatiſſima, eademque præſentiſſima Salutis humanæ cauſa. Deus nobis loquatur opus eſt, ſi a nobis audiri vult: Nos revocet opus eſt; cum per infidelitatem ab illius cultu receſſimus; denique nos erudiat opus eſt de magnis, æternisque veritatibus ſuis, ſi illis nosmet debemus ſubjicere, eaſque in praxim redigere; quam ob rem Sancti Patres Dei Verbum, generale ſalutis noſtræ inſtrumentum, gratiarum omnium rivum, noſtræ prædeſtinationis cauſam; ac tandem viam appellant, qua Deus nos ad ſupremam adducit felicitatem.

Cum autem de Verbo Dei loquor; non intelligo ſolum verbum ejus intrinſecum, quo tamquam ſupremus mentis, & cordis hominum Dominus alteram quidem illuſtrat, & movet alterum, atque quocumque voluerit, circumagit, quod gratia interior vocatur, de qua alibi verba fecimus; Sed intelligo etiam verbum exterius, cum jungit hanc gratiam voci hominum, ut per aurem uſque in cordis penetralia permeet, efficiatque, ut voluntates ejus; & cognoſcamus, & exequamur. Hoc intelligo verbum; quod ab Apoſtolis ad nos uſque pervenit, quod terram univerſam ejus ſubjecit Legibus; Fidem in totum terrarum orbem diffudit, inanium Deorum cultum delevit & pertulit quocumque Veri Dei Cognitionem, hoc denique Verbum, quod crebro quidem auditis, ſed ex quo hodierna die parum proficiunt homines, ut minime verear aſſerere, in hoc fortaſſe Verbo Incarnato apertius contradici: Alii divinum hoc Verbum contemnunt; alii oſcitanter, & ſine cura audiunt, & omnes fere reſiſtunt; Ita ut quantumlibet per ſe ſit efficax, ſæpe tamen per nequitiam, ac deſidiam noſtram omni careat effectu. Vos igitur hortaturus, Fideles, ad illud, ea, qua decet, reverentia, ac docilitate excipiendum oſtendere volo;

Primum, quanti illud facere debeamus. Deinde, quem inde fructum debeamus percipere; quæ tota erit Sermonis hujus partitio.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: VERBUM DEI.

Hoc argumentum aliter afferri poteſt; Joann. 14.

De creato Verbo in ore Concionatorum dici poteſt, quod Verbum Incarnatum, quod erat æternum Verbum de ſe ipſo dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Primum; *Dei Verbum eſt via ſalutis.* Hoc nos docet, nos regit, & unum eſt ex adminiculis, quæ inſtituit Deus, ut ad æternam perveniamus felicitatem. Secundò, *veritas eſt*; neque enim prædicatur, niſi quod nobis revelavit Deus, veritas ipſa. Tertiò *vita* eſt; Per illud enim gratiæ vitam recipimus, & tuemur.

Deſumptum ex locis iiſdem.

Exiit, qui Seminat, Seminare ſemen ſuum. Luc. 8.

II. Argum. De eodem Dei Verbo.

Totus iſte ſermo redigi poteſt ad duplicem veritatem, vel duas propoſitiones, quæ contineant quidquid utilius dici poteſt in hoc Argumento.

Prima eſt, Verbum quod prædicamus vere eſſe Dei Verbum; cujus Dei Miniſtri ſequeſtres ſunt.

Altera eſt, Verbum hoc dirigi ad homines, ut de officiis ſuis edoceantur; & poſtquam oſtenſa fuerit Verbi hujus vis, inſtitutio, & virtus, inferendæ ſunt concluſiones utriuſque partis propriæ.

Quod ad priorem pertinet, ſi hoc Verbum Dei eſt, qua de re non licet ambigere poſt explicitum Scripturarum teſtimonium; primum audiendum eſſe animo proficiendi, non autem alia quapiam de cauſa, ſocietatis, occaſionis, curioſitatis dilectum audiendi ſermonem, vel cenſoria nota ſacrum Oratorem perſtringendi, vel extollendi. Sanctum Miniſterium! Verbum Dei! Quo tandem evaſiſti? Quam acriter Prophetæ contra hunc abuſum inſurrexerunt? Quomodo præſentiſſima noſtræ ſanctificationis adjumenta in damnationis noſtræ cauſam convertimus. Secundò Verbum Dei a nobis audiendum eſſe cum attentione, ac reverentia nobiſmet perſuadendo per os Evangelici præconis nos alloqui Deum; ejuſque juſſu nobis leges ipſius, ac veritates aperiri; & mox licet excurrere in contemptum, in quo ab hominibus hoc Verbum habetur, quin cogitent hæc totidem eſſe media, & ſalutis occaſiones, quas elabi ſinunt, quibus uti deberent, & quas negligunt. Tertiò in praxim redigendas eſſe veritates, quæ audiuntur, quin illud inſpiciant, utrum a Concionatoribus obſerventur nec ne; vel utrum eorum vitæ genus a verbis ipſorum diſſentiat. Nos quidem Sancti non ſumus; & hæc ratio eſt, quam uni Deo reddere debemus; ſed veſtrum eſt ea facere, quæ vobis dicimus, non autem actus noſtros imitari. Sancti non ſumus; ſed ideo ne minus ſanctæ ſunt veritates, quas prædicamus? Sancti non ſumus; ſed nonne Sanctum prædicamus Evangelium? nonne ſanctiſſima docemus placita, charitatem, Injuriarum veniam, terrenarum rerum contemptum? Sancti non ſumus; verum numquid ideo minus Sanctos vos eſſe decet? Et Verbum hoc nonne in cordibus veſtris fructum facere oportet, quin ratio habeatur ſeminantis illud?

Quoad alteram veritatem, vel propoſitionem; Dei videlicet Verbum dirigi ad homines de Officiis ſuis erudiendos, duo hæc animadvertere poſſumus: Primum nobis ſingillatim eſſe applicanda, ea quæ generatim ab Evangelico Oratore dicuntur. & credendum nobis dici quod olim Nathan Propheta dixit Davidi; *Tu es ille vir.* Tu es ille ultionis cupidus, qui tamdiu verſaris ſine ulla amoris ſignificatione, cum tuo conſanguineo. Cum Concionator loquitur de vivente in luxu, atque deliciis, nonne tibi dici poſſet? *Tu es ille vir.* Sed hoc tu tibi dicere debes, ac reſpondere non ſecus ac diſcipuli Salvatoris poſtquam illis dixit futurum, ut ab uno eorum proderetur: *& dixerunt singuli, numquid ego ſum?* Concionator dixit, avarum, fœneratorem, libidinoſum numquam adituros poſſeſſionem Regni Cœleſtis. *Numquid ego ſum*, de quo loquitur? Hoc ſinguli dicere deberent de ſe, quin ab iis applicentur hæc dicta aliis, qui procul abſunt: Heu! ſi adeſſet hic, vel illa, certe hæc in ſe dicta cognoſcerent! Hic ſane eorum character eſt; hæc eorum hypotipoſis &c. Secundò ſatis non eſt hoc ſibi verbum applicare, retinendum eſt, accurate penſandum, ne ſimiles ſimus illi, qui obiter ſe in ſpeculo conſiderans, nec ultra ad id advertens animum, ſtatim obliviſcitur, qualis erat, & qualem ſe intuitus eſt, ut loquitur Sanctus Jacobus Apoſtolus. Hæc potiſſima ratio eſt modici fructus, qui ex Dei Verbo percipitur; vix auditum fuit, cum traditur oblivioni. Credimus, quemadmodum Concionator functus eſt ſuo miniſterio prædicans, ita etiam ſuo functum Auditorem, poſtquam audiit: Finis fieri poteſt per hæc Sancti Pauli verba, convertendo illa pathetice ad Auditores: *Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.* Vereor ne prædicans vobis, oleum, operamque perdiderim. Prædicavi vobis maxime neceſſarias Chriſtianæ religionis veritates; unum hoc mihi propoſui, ut veſtræ ſaluti conſulerem; in hoc omnes curas, laboreſque contuli, ut animarum veſtrarum utilitati proſpicerem; veruntamen timeo, ne fruſtra laboraverim. Verum nonne mihi quoque metuendum eſt, ne & ipſe meo defuerim officio? Numquam magis ſenſi pondus miniſterii mei, &c. *Ex eodem Tomo, ac Titulo.*

Matth. 26.

Jacob. 1.

ad Galatas 4.

I e hoc argumento ſermo quoque incidit in Evange. lium.

PRO DOMINICA
QUINQUAGESIMÆ.

Cum JESUS *appropinquaret Jericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans.* Luc. 18.

I. Argum. De cæcitate animæ, cordis induratione, de anima a Deo derelicta.

QUEMADMODUM ex omnibus vitæ hujus ægritudinibus nulla gravior, atque moleſtior eſt cæcitate, quæ nos ad omnia inutiles facit; ita & cæcitas animæ vetat, ne videamus bona, quæ nos manent, & deterrimos parit effectus. Quod vobis oſtenſurus ſum in duobus ſermonis hujus partibus; ubi videbimus

Primùm deplorabilem ſtatum, ad quem animæ cæcitas redigit peccatorem.

Deinde remedia huic morbo adhibenda, vel media,

per

Non deſunt alia de cæcitate ſpirituali argumenta in Evangelium Feriæ 4. poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam.

per quæ ex hoc ſtatu emergere valeamus. Utriuſque partis rationes ex ejuſdem Evangelii verbis mutuabimur.

Punctum Primum. Infelis ſtatus ſpiritualis cæcitatis tribus hiſce verbis exhibetur: *Cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans*. Primum hæc cæcitas peccatorem eadem percuſſum imparem facit progrediendo in vis ſalutis, & ſemitis juſtitiæ: claudit enim oculos luminibus gratiæ, quæ nonniſi ægre illos valent illuſtrare, quod verbum illud indigitat, *ſedebat*, qua in re peccator ſimilis eſt Ægyptiis, quibus Deus horribiles immiſit tenebras, in quibus nemo illorum movere ſe potuit de loco, ubi erant, cum illæ ceciderunt. Peccator hoc modo cæcus terrena tantum cogitat, & hæret, quin ne pedem quidem Cœlum verſus proferat. 2. Cæcus Jerichuntinus *ſecus viam* non patebat ſolum temporum inclementiæ, ſed prætereuntium, eique illudere cupientium nequitiæ. Vera imago cæci peccatoris, qui omnium tentationum ludibrium, obnoxius eſt ſævitiæ inviſibilium inimicorum, qui in illum tamquam Samſonem alterum exercere poſſunt furorem ſuum, & ſæviſſimos effectus exonerare. 3. Hic idem cæcus Evangelicus ad extremam redactus erat inopiam, *mendicans*, quam ob rem ſtipem emendicare tenebatur. Quæ etiam eſt vivens imago peccatoris, qui in cæcitate ſupernaturalibus deſtitutus gratiis eſt, & illæ, quæ miſerationis titulo ipſi conceduntur, ſunt infirmis ſubſidia &c.

Punctum alterum. Hoc in ſtatu licèt deplorabili, deſperandum tamen non eſt: non eſt abjicienda ſpes reſurrectionis, & ecce quomodo cæcus noſter Evangelicus viſum recipere quærit. Confugit ille primum ad Deum Precibus Dei Filium fatigat: Jesu *Fili David miſerere mei*. (Luc. 18.)
Oratio extremum eſt cæci peccatoris perfugium: Ad id numquam illi deeſt gratis neceſſaris. 2. Sequitur duces ſuos, qui adduxerunt illum ad Jesum, *& juſſit eum adduci ad ſe*. (Ibid.) Admirabile ſecretum, quod voluit Deus homines docere, ut ſequantur videlicet prudentis, & oculati directoris conſilium; non ſolum ut illos de errore, & evagatione, in qua erant, educat, verum etiam, ut illos perducat ad Deum, & in viam ſalutis reſtituat. 3. *Et Sequebatur eum*. Peccator hic oculorum acie donatus gratiæ fidelis eſſe debet; per grati animi ſenſum reſpondere debet inſigni beneficio, quo cæcitus affectus eſt, videns ſe ex adeo periculoſo ſtatu emerſiſſe.

Rationes, & rerum copiam ſuppeditabit in To. I. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulus: Cæcitatis.

Jesus *juſſit illum adduci ad ſe, & interrogavit illum dicens, quid tibi vis faciam? At ille dixit; Domine, ut videam*. Luc. 18.

II. Argum.

Quid calamitoſius accidere poteſt homini, quàm oculorum acie privari, qui ſunt graduum noſtrorum duces, noſtrarum cognitionum miniſtri, & faces, quarum ope omnia Mundi hujus mirabilia detegimus? Profecto ſi quid eſt in mundo miſeratione dignum, eſt adſpectus hominis tanto carentis bono, qui, ut Sanctus Vir Tobias affirmabat, nihil habet voluptatis in terra. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cœli non video?* (Tob. 5.) Quibus addere poſſem, hoc non tantum eſſe deſtitui pleriſque vitæ hujus commodis, verum etiam obnoxium eſſe caſibus omnibus vitæ eidem impendentibus. Quæ quantumvis miſerrima ſit calamitas, noſtis tamen, Fideles, corporis cæcitatem levem eſſe imaginem cæcitatis ſpiritus, qua bona pars hominum percuſſa eſt per hos dies tenebrarum. Hoc enim nomine appello hos bacchanalium, ac intemperantis nequitiæ dies, de quibus dici poteſt, quod dicebat Filius Dei tempore Paſſionis ſuæ, hoc tempus eſſe, quo tenebrarum poteſtates in terris dominationem exercere, ac triumphare videntur. *Nunc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum harum*. (Luc. 22.)

Quæ enim gravior eſt cæcitas, quàm videre vitium ubique agere triumphum? Ludi, alea, choreæ, convivis, & flagitioſiſſimæ quævis libidines palam gliſcunt, ac dominantur; ita ut moderatiſſimus quiſque ſibi licere hoc magis, quàm alio quolibet tempore, inſanire, putet, & ea facere, quæ extra tempus hoc aggredi pudet, & conſcientia vetaret. Ad vos igitur avertendos ab his nequiſſimis ſolatiis, quæ nonniſi funeſta eſſe poſſunt propter ſupplicis, quæ de Cœlo detrahere conſueverunt, fert animus oculos aperire veſtros, ut intueamini periculum, cui ſe objiciunt illi, qui ſe trahi ſinunt torrente adeo perniccioſæ conſuetudinis. Idcirco vobis oſtendere volo

Primùm hæc ſolatiorum genera, quæ vix alio quovis tempore probari poſſunt, per hos tenebrarum dies crimine carere non poſſe, propter periculum noſmet objiciendi iis flagitiis, quæ ipſi etiam damnamus, & quæ numquam licita eſſe confitemur.

Secundò, quia hæc flagitia, in quæ ruere tam ſcilicitatis eſt, numquam ſunt, quàm hoc tempore, nequiora. Quæ erit Sermonis partitio.

In To. IV. Bibliothecæ Mor. Evang. conſule Titulum. Solatia.

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & ibi conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt de filio Hominis; tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur. Luc. 18.

III. Argum. De Bacchanalibus.

Quare Eccleſia, quæ numquam Myſterio caret, quodcumque præcipiat, objicit nobis ob oculos Paſſionem, & mortem Salvatoris hoc tempore, & hos lætitiæ, ac hilaritatis dies inter luctuoſiſſimos anni dies numerare videtur. Nullus dubito, quominus ſtatim animo vobis occurrant rationes plurimæ; dicet enim aliquis ipſam velle hoc intemperantiæ tempore efficere ex corpore Filii Dei vallum veluti quoddam ad inhibendum curſum criminum, quæ majori cum impetu videntur perrumpere. Alius dicet fortaſſe innuere velle, peccatores mediis in Urbibus, oppidiſque totidem extruere Salvatori cruentos Calvarios, quot ſunt aulæ, convivis, & libidinum loci, ubi indignius excipitur, quàm olim a Judæis Paſſionis tempore fuerit exceptus. Si enim vultis, illa ſecernere ſtudet Fideles Dei Servos ab aliis extollendo Crucis vexillum, ut ſub hoc veros omnes Chriſtianos tamquam exercitum colligat, opponendum Principi tenebrarum, qui videtur hoc tempore ſupremum imperium exercere: *Nunc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum harum*: Pateor, has rationes, aliaſque plures quæ poſſent afferri æquiſſimas, & veriſſimas eſſe, ſed aliam hodierna luce vobis allaturus ſum, quæ fortaſſe animum veſtrum non ſubiit, quam plures impugnabunt, & quæ probabilius non eſt omnibus placitura. Videlicet

Primùm peccatores hoc intemperantiæ tempore evertere, ut ita dicam, Crucem Salvatoris mundi, 1. quia illius fructum, virtutemque ſibi inutilem faciunt, ex ea non proficientes. 2. quia vitam ducunt prorſus oppoſitam paſſionibus Filii Dei, & ſequuntur placita Cruci prorſus contraria. 3. quia opus eſt, ut vitium quodammodo de Cruce triumphet, omnemque virtutem ejus exhauriat; quod occaſionem præbet Sancto Paulo amariſſimis lacrymis eorum calamitatem proſequendi: *Nunc autem & flens dico inimicos Crucis* Christi, *quorum finis interitus, & gloria in confuſione ipſorum*.

Secundò Peccatores e contra per impietatem Crucem Salvatoris extollunt, & calamitoſo hoc tempore erigunt. 1. quia inſtaurant contumelias, quas ingerunt Salvatori, *conſpuetur, flagellabitur &c.* Peccata enim quæ committunt, totidem ſunt Paſſionis ejuſdem inſtrumenta. 2. quia majori cum cognitione cauſæ illum offendunt, quàm Judæi, qui non ita diſtincte illum noverant; Tertiò, quia hæc ſcelera modo inferuntur illi, cum glorioſus regnat in Cœlo, ubi contumelioſius afficitur, quàm cum Paſſionis ſuæ tempore afficeretur.

Argumentum hoc in Bibliotheca non invenitur; ſed Concionatori relinquitur integrum tempeſtatis hujus flagitiis applicare, quod dicitur de peccato, quod inſtaurat mortem Filii Dei.

DE FLAGITIIS,
QUÆ BACCHANALIORUM DIEBUS GRASSARI CONSUEVERUNT.

Noli eſſe in conviviis potatorum, nec in comeſſationibus eorum qui carnes ad veſcendum conferunt. Proverb. 23.

I. Argum. De vino, & cibi intemperantia.

Sapiens illud monitum, quod Eccleſiaſticus divino afflatus lumine, voluptuoſis hominibus tradit, quorum negotium otium eſt, qui tempus in conviviis, & impudicitiis traducere quærunt, numquam magis neceſſarium eſt, & opportunius, quàm hac tempeſtate, cui univerſalis ferme corruptio morum nomen Bacchanalium fecit. Scio equidem eſſe multos, qui conſerunt plurimum flagitiis, quæ nunc patrantur: aleam, choreas, aliaque id genus ſolatia, quæ homines ſibi hoc potius, quàm alio tempore licere putant, oblivionem inducere pietatis, Chriſtianæ mortificationis, & omnes fere Religionis ſenſus jugulare, ut ſolatiis tantum, ac voluptatibus vacent. Fatebimini tamen vulgatiſſimam horum temporum noxam eſſe intemperantiam, & exceſſus, qui in hac re committuntur eſſe vel cauſam, vel occaſionem ceterorum. Itaque cum in comeſſationibus, compotationibuſque intemperantis maxime ſit extimeſcenda in jugibus conviviis, & hiſce diebus oblectationum; credidi, poſtquam vobis oſtendero ea pericula, quibus obnoxia eſt conſcientia inter temporis hujus ſolatia, nihil me utilius facere poſſe, quàm ſingula ſeorſim ad examen vocare, & hodierna die initium ducere ab intemperantis, a qua pauci ſibi cavent hoc tempore, quæ tamen eò periculo propior eſt, quò convivia, quæ illi occaſionem tribuunt, ſemper fuerunt ſignum honeſtiſſimæ hilaritatis, & cum Scripturarum argumentis, tum Sanctorum virorum in Veteri Teſtamento exemplis probatiſſimæ. Verum cum ſine hac cetera quæcumque ſolatia languere

videantur, & alioquin exceſſus illius ſint flagitioſiores, quàm vulgò exiſtimentur, per vos mihi liceat citius occurrere malo, ac vobis oſtendere neceſſitatem Conſilii, quod Spiritus Sanctus adſtruit, & quod Sanctus Paulus ſæpe primis iteravit Fidelibus, ne illis intereſſe velitis commeſſationibus, in quibus homines ſibi gloriæ vertunt eadem flagitia, quæ illic patramur. O nimium felices horum temporum Chriſtiani, ſi ex adeo ſapienti conſilio proficerent; & quam me beatum putarem, ſi conſequi poſſem, ut illud amplecteremini. Quod autem vobis ad evitandum intemperantiæ vitium dicturus ſum, a Tertulliano mutuabor; videlicet cum hæc extiterit originalis peccati cauſa in primis parentibus, efficere, ut quodammodo in ſingulis peccatum illud reviviſcat, & fiat, ut ita loquar actuale ratione eorum, qui huic ſe mancipant vitio, quemadmodum ſe eidem populus Iſrael ingurgitabat; hoc enim laudatus Pater utitur exemplo ad ſententiam ſuam comprobandam: *Primus populus primi hominis reſculpſerat crimen*. Emphaſim ſapit hæc loquendi ratio, & Auctoris ſui redolet ingenium; verum ſatis ſolida, & moralis mihi videtur ad ſermonem inſtituendum, ubi vobis oſtendam, intemperantiam alterum eſſe peccati originalis genus; vel potius vivam eſſe ejuſdem imaginem per ea mala, quæ gignit in anima, & corpore eorum qui ſerviunt abdomini.

Primùm in eo, quod hominem dejicit de gradu ſuæ nobilitatis, eumque ad brutorum conditionem redigit, quæ in hac re longe magis ſunt nobis ſobria, ac minus gulæ indulgentia.

Secundò, magis adhuc Chriſtianum dedecet hominem, qui per hoc vitium dedecore afficit Religionem ſuam vitam ducens prorſus paganam. Hæ duæ erunt ſermonis hujus partes, & rationes propter quas debemus perhorreſcere vitium, cui omnes hoc tempore ſeſe ingurgitare videntur.

Vide in To. II. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: INTEMPERANTIÆ.

Riſu reputavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? Eccleſ. 2.

II. Argum.

De ſolatiis generatim, & de Bacchanalibus præſertim.

Inter graviſſimas, ac teterrimas plagas, quibus Deus olim Egyptum percuſſit, non extremum locum obtinuere horrentes tenebræ, quæ triduo regioni illi incubuerunt. Ità erant denſæ, ut palpabiles eſſent; & ita obſcuræ, ut Ægyptii mutuo cognoſcere, neque de loco in locum movere ſe poſſent; denique tantus earum erat horror, ut Aſtra omnia in Ecclypſim, & natura univerſa in profundam noctem demerſa viderentur. Nonne diceres tres illos tenebrarum dies, qui ſemel tantum viſi ſunt, cum idololatria graſſaretur, nunc quotannis reviviſcere in Chriſtianæ Religionis umbilico? Quod enim nomen melius convenit diebus, quibus tantam Dei oblivionem videmus, tantamque in pleriſque hominibus cæcitatem? Quid ergo? Numquid neceſſe eſt, ut vitium ſuum habeat tempus? ut impietas ſuum habeat regnum? & ex plerorumque Chriſtianorum cordibus timorem judiciorum Altiſſimi extrudat?

Verum eſt nihil in mundo permanere, & eſſe omnia in jugi viciſſitudine; ſed Dæmonem una cum Filio Dei in pacem accedere; vitium, ac virtutem viciſſim prodire, & ſicut dies, & nox totum vitæ noſtræ tempus partiuntur, gratiam, & peccatum ſimiliter anni tempeſtates partiri; hoc illud eſt quod ſane intelligere nequeo. In duplici autem ſermonis hujus parte vobis oſtendere fert animus.

Primùm Chriſtiano nuntium mittendum eſſe ſolatiis omnibus profanis, mundanis, noxiis, ac periculoſis. Hoc ille ſe facturum recepit per Baptiſmi profeſſionem; hoc illi ſua præſcribit Conſcientia, & Lex Chriſtianiſmi, quam amplexus eſt.

Secundò ſanctificanda illi eſſe ſolatia, quæ neutra ſunt, per rectam, quam habere debet intentionem, utens illis tamquam remediis, quibus indiget, & conſilio per illa novam acquirendi vim ad obeunda omnia ſui ſtatus officia.

Vide in To. IV. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: SOLATIA.

Hoc ipſum argumentum ita aliter efferri poteſt.

Oſtendi etiam poteſt alia ſolatia, quantumvis honeſta, ac licita ſint; tamen eſſe regenda, & adhibendas eſſe regulas petitas a neceſſitate, convenientia, & charitate, quæ tempus in illis inſumendum debent coarctare.

Primùm neceſſitas, quæ legum omnium princeps eſt, jubet poſt laborem, atque tumultum ſolatium aliquod adhiberi; non ſecùs ac poſt ærumnas, & morbos; & devotio ipſa indiſcreta haberetur, ſi recreationem hanc animo laboribus, vigiliiſque confecto, & corpori infirmitatibus obruto negaret: Periculum in eo ſitum eſt, ne quis ſibi blandiatur, & extra neceſſitatis terminos evagetur.

Secundò convenientia; quæ lex eſt mundi ad urbanitatem informati, jubet aliquid tribui ad honeſtum ſodalitatum ſolatium, in quibus aliquis officii cauſa repetitur; ſed ſervanda ſemper eſt in ipſa oblectatione convenientia.

Tertiò Charitas etiam exerceri, & poteſt, & debet, admittendo, ne quis lædatur, & ut omnes ædificentur.

Vide in To. IV. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: SOLATIA.

Aliter efferri poteſt ipſum argumentum.

Cum ſolatia non ſint niſi remedia adinventa ad homines recreandos, tres hinc inferri poſſunt concluſiones, quæ totidem ſint veluti regulæ, ut illis optime utamur.

Harum prima eſt, ſolatia non eſſe appetenda propter ſe, ſed quemadmodum pharmaca ad bonam dumtaxat valetudinem adhibentur, ita & ſolatia ad corporis, mentiſque vires adhibenda eſſe; ideoque ea quæ ad id ſunt aptiora, eligenda.

Altera eſt adhibenda eſſe magna cum mediocritate; pharmacis enim non utimur velut cibis, ſed magna ſolum cum cautione, & ex mera neceſſitate.

Tertia; ea eligenda ſunt quæ ſunt maxime innoxia, videlicet minus violenta, ac minime periculoſa. Similiter non omnibus promiſcue ſolatiis indulgendum eſt, ſed ea præferenda, quæ nos nequeunt diſſipare, atque in vitium perducere.

Quid ſtatis tota die otioſi? Matth. 20.

III. Argum.

De Ludo.

Si noſſe vultis, Fideles, quæ ſit cauſa flagitiorum omnium hoc tempore, & quare plurimorum vita, quæ damnabilis otioſitas eſt, vitiis omnibus viam pandens, & prohibens, ne vacent homines officiis vitæ civilis: verbo dicam ludum eſſe ſine modo, & ex animi potius libidine, quàm ſolatii cauſa ſuſceptum; cui hoc tempore cupiditas potiſſimum, & hominum furor indulget. Sed cum de ludo loquor, non ideo ludos omnes generatim improbo, immo ne ullum quidem ſingillatim, niſi quædam acceſſerit circumſtantia, qua vitioſum fiat, quemadmodum deinceps explicabimus, ſed tantum exceſſum, cupiditatem, effrænem ludendi libidinem, quæ numquam eſt innocens, quod re adhuc integra eſt conſiderandum. Quamobrem cum hæc libido inordinata ſit in fine quem ſibi proponit, in tempore, quod inſumit, & pecuniæ vi, quam periculo objicit, ita dico ludum in triplici hac re corrigendum eſſe, alioquin non ſolum nocuum eſt, verum etiam origo plurimorum criminum, & ſæpe cauſa corruptionis vitæ totius.

Primùm in fine corrigendus eſt, ita ut in eo non voluptas tantum quæratur, vel lucrum, quæ eſſet ſexcentorum malorum cauſa.

Secundò corrigendus eſt in pecuniæ, quæ aleæ objicitur, ſumma, ne familia patiatur detrimentum; & ne prodigatur ſubſtantia in utiliorem uſum inſumenda.

Tertiò, temporis quoque jactura caſtiganda eſt, ne in negotium, & vitæ occupationem tranſeat, ex qua oritur vita inutilis, ac deſidioſa; quæ ſingula in triplici ſermonis parte videbimus.

Vide in To. IV. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: SOLATIA.

Aliter efferri poteſt hoc ipſum argumentum.

Oſtendere poſſumus etiam ludum ex eo eſſe ſolatiorum genere, quæ corrigi poſſunt. Verum eſt per abuſum, qui hodierna die percrebuit, pauciſſimos eſſe, qui hac in re ſe intra juſtos fines contineant; & longe facilius eſſe prorſus abſtinere ſe, quam eam, quæ oportet, ſervare mediocritatem. En tamen quænam ſervandæ ſint leges, ne Deus lædatur, & ut innocens ſolatium habeatur.

Primùm quidem nemo ſibi aleam debet permittere. Hæc vetita eſt legibus Civilibus, & Eccleſiaſticis; inferius rationes, & auctoritates afferentur.

Secundò Ludus quantumvis honeſtus, ac licitus migrare non debet in quotidianam occupationem, neque nimium temporis ſpatium in illo eſt inſumendum. Ita illi, quibus luditur alea pernox, cavere ſibi debent, ne ſuæ officiant conſcientiæ, & valetudini. His uti ſolatiis, idem eſt ac illis abuti contra finem, propter quem ſunt inſtituta.

Tertiò Aleæ objicienda non eſt gravis auri, argentique vis: Ludus non debet migrare in negotiationem, ſed in animi refectionem; neque ludendum eſt, ut lucrum, ſed honeſta animi remiſſio percipiatur. Num fas eſt ſine probro aleæ objicere familiæ ſuæ bona, ut libidini ludendi ſatiſfiat?

Vide Titulum SOLATIA *in To. IV. Bibliothecæ Mor. Evang. ubi de ludo etiam ſermo eſt.*

Item aliter.

Oſtendere etiam poſſumus, Primùm Ludum gravius eſſe malum, quàm exiſtimetur: Secundò licèt nihil ibi mali eſſet præter otium, & inutilitatem vitæ, quæ in ludo tranſigitur, hoc ſatis eſſe, ut jure damnetur, & oſtendatur, quàm longe hæc vita abhorreat ab ea, quam ducere debet Chriſtianus.

Pro parte priori enarranda ſunt mala, quæ ex alea proficiſcuntur. Primùm ex ea propenſione, qua homo fertur in ludum, cupiditas oritur, ex cupiditate habitus, ex habitu amor, qui æque periculo-

ſus

ſus eſt, ac amor terrenorum bonorum, & voluptatum. Secundo ibi dominatur injuſtitia; fraus, ac dolus non deeſt, ac incidunt multa, quæ reſtitutionis inferunt obligationem. Tertio ludus occaſionem aperit iracundiæ, perjurio, blaſphemiæ, rixæ, & contentioni. Quarto Ratio reddenda eſt temporis, quod perit; & officiorum, quæ negliguntur. Quintò, perit patrimonium, cum interea uxor plorat, gemunt filii, quibus negatur fortaſſe, quod illis neceſſarium eſt, ut crudelis parcitas abradat argentum in aleæ ſumptus impendendum. Sexto denique eſt familiarum calamitas, & malorum, quæ ſubſequuntur, cauſa.

Pro parte altera liquet aleatorum vitam deſidem eſſe, & otioſam; mortales id genus inutiles eſſe reipublicæ, Chriſtianos nomine tenus, qui nullis, uti par eſt, Religionis officiis perfunguntur.

Vide locum, quem ſuperius memoravimus.

Probare poſſumus etiam ex ludis, aliiſque ſolatiis multa eſſe periculo proxima, plura noxia, pauciſſima licita. Prima metuenda ſunt; alia fugienda; tertia denique parciſſime utenda. Hujuſmodi in occaſionibus quæritur pietas, juſtitia, & temperantia. Pietas, ne noſmet periculoſis implicemus ſolatiis. Juſtitia, ut noxia fugiamus; Temperantia, ut licitis ſobrie, & citra affectionem utamur.

Domine, ut videam. Luc. 18.

IV. Argum. De ſpectaculis Comœdiis, Choreis.

In hebdomada hujus Evangelio, cæcus pauper mundi Salvatorem rogat: Fili David, ſive Propheta ſis, ſive quem expectamus, Meſſias; ſive tamquam Moyſes alter prodigiorum faciendorum poteſtatem acceperis: en tibi objectum tua miſeratione digniſſimum; miſertus mei mihi largire, quod natura vitam mihi tribuens negavit, & quod negans omne mihi abſtulit gaudium, quod haberi poteſt in terris. Aperi oculos meos, qui clauſi luci, lacrymis tantum pateſcunt. Quandoquidem a me petis, quid a te mihi fieri velim, peto Domine, ut videam. Æquiſſima proculdubio hæc erat petitio, Fideles, & ſi in vita nihil nobis charius eſt oculis, eo in ſtatu ad quem hic pauper redactus erat, quid magis neceſſarium petere poſſet, non video, *Domine, ut videam*.

Veruntamen quantumcumque ſit bonum, quod a natura accepimus per facultatem objecta videndi, quæ nobis in oculos incidunt; neſcio utrum hoc tempore Chriſtiani proſus oppoſitum petere debeant, an cum Sancto Propheta Rege potius deprecari: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*. Prohibe Deus, ne oculi hæc videant Spectacula, in quibus vanitas, pompa, magnificentia, & quidquid illecebrarum eſt in mundo, eniteſcit. Quid enim hoc videtur tempore, niſi objecta fallentia, quæ in nobis cient amorem vanitatis? Quod ſi mundi ſectatores hoc potiſſimum tempore omnibus ſenſibus ſuis ſatisfaciunt per objecta, quæ illorum propria ſunt, dicere poſſumus, jucundiſſimum eorum ſolatium, & quod perdite quærunt eſſe Comœdiam, choreas, & alia ſpectacula, quæ ſæpe criminoſa ſunt, ac ſemper periculoſa; Spectacula Chriſtianæ Religionis ſpiritui oppoſita, & profeſſioni, quam ſolemniter elicuimus, polliciti nos mundi pompis, & oblectationibus eſſe abrenuntiaturos; quandoquidem palam eſt ſeſe illis iterum mancipare, eos qui tanto cum ardore conſectantur ſpectacula publica, in quibus olim non deerat nota quædam apoſtaſeos a Fide, & Religione; quemadmodum diſertiſſimus Salvianus teſtatur. *Eſt quædam in ſpectaculis apoſtaſis Fidei*.

Non ideo tamen eò uſque noſtra perveniet cenſura, ut aſſeram omnino Chriſtianam profeſſionem ejurare eum, qui Spectaculis intereſt, quibus Fideles non modicum Bacchanaliorum tempus impendunt; ſed cum jam oſtenderim quot accidant mala in aliis temporis hujus oblectationibus, dicam, nonnullis criminoſiſſimum, & aliis periculoſiſſimum, & digniſſimum eſſe lacrymis, quas fundit Eccleſia, videre filios ejus ita cæcos, ut vanæ curioſitati ſatisfacturi ſalutem ſuam periculo objiciant. Quamobrem non perſequar inanes vitiorum imagines, & ſi uſus fuero verbis, ac ſententiis Sanctorum Patrum ad improbanda ſpectacula, qualia hodierna die fieri conſueverunt, hoc tunc accidet, cum Antiquorum flagitia erunt utrobique communia. Sed poſtquam ingenue confeſſus fuero noſtrorum horum temporum ſpectacula minus eſſe veteribus criminoſa; non fatebor tamen ideo omni culpa vacare, & oſtendam

Primum, quæcumque adhibita fuerit cura ad ſcandalum auferendum, ut aliqua honeſtatis ſpecies ſervaretur, tamen ſuper eſſe adhuc labem, quæ merito Concionatorum zelum exacuit, qui docent, non licere citra noxam pluribus hujuſmodi ſpectaculis intereſſe.

Secundo, cum ſemper periculoſum ſit hominibus hæc ſpectare, arduum eſſe, ac valde difficile aliquem inde æque innocentem, qualis illuc acceſſit reverti. Quæ tota erit Sermonis hujus partitio.

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: SPECTACULA.

Cæcus quidam ſedebat ſecus viam. Luc. 18.

V. Argum. Quomodò Chriſtianus ſeſe gerere debeat tempore Bacchanaliorum.

Triſtis flagitiorum adſpectus, quæ hoc potiſſimum tempore graſſari conſueverunt, me cogit, ut ſuggeram vobis rationem evitandi illa, & fugiendi pericula, quibus tot Chriſtiani ſe objiciunt temere per hos dies adeo funeſtos ipſis etiam temperantiſſimis, quos conſuetudinis torrens pertrahit ad ea, quæ alio quovis minus flagitioſo tempore vera eſſe peccata exiſtimarent.

Si unquam Evangelica inſtituta mundi placitis fuerunt oppoſita; hoc proculdubio accidit in ea ratione, qua homines contra inimicos decertant. Mundus enim in hoc gloriam ſuam ſtatuit, ſi prior illos aggrediatur, vel illos præſtoletur, & quærat occaſionem virtutem ſuam oſtentandi; cum e contra ſpectet fugam, tamquam turpem infirmitatis, & inertiæ notam, dum interea nos doceat Evangelium in prælio, quod Chriſtianus jugiter gerere debet contra Mundum, & dæmonem, fugam non eſſe ignaviæ, vel imbecillitatis notam, ſed potius actum generoſitatis, & fortitudinis; ita ut maxima Chriſtianiſmi prudentia ſit fugere occaſiones, ubi lapſus, & omnimoda clades inevitabilis nobis videretur. Apertiſſimæ hujus oppoſitionis ratio eſt hoc ejuſdem veritatis oraculum: *Qui amat periculum peribit in illo*. Eccleſ. 3.

Verum equidem eſt hoc axioma non eſſe de caſibus omnibus, omnibuſque peccatorum generibus intelligendum. Neque enim deſunt peccata quædam, quibus repugnare licet, cujuſmodi ſunt ira, ultio; & Chriſtianæ generoſitatis actus eſt inimicum convenire, eique ſinceræ reconciliationis actus profiteri. Sed in flagitiis, quæ circa voluptatem verſantur, & in occaſionibus, ubi nobis æquiſſima ſuppetit cauſa de nobis diffidendi, & vulgo etiam in pleriſque peccatorum generibus, prudentiæ, vel ut alii docent, fortitudinis, virtutiſque actus eſt fugam capeſcere, & peccandi occaſiones evitare. Quod probandum aggredior duabus rationibus, quæ totam hujus ſermonis partitionem conſtituent.

Prior deſumitur ex parte Dei, ſine cujus ope inimicum ſuperare non poſſumus.

Altera ex nobis metipſis, quibus utendum eſt omnibus viribus, ut potentibus inimicis reſiſtamus.

Oſtendendum mihi eſt igitur: eum qui ultro ſe objicit occaſioni, nihil expectare poſſe a Deo, cujus monita, & minas contemnit, quod in priori parte videbimus.

Secundo, temerario huic omnia a ſemet eſſe metuenda, quia numquam, niſi in hujuſmodi occaſionibus infirmior invenitur.

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: OCCASIO.

PRO EVANGELIO

FERIÆ QUARTÆ CINERUM.

Cum jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Matth. 6.

I. Argum. De jejunio, & quo jure inſtitutum ſit. Tertullianus l. de jejunio.

QUOVIS tempore, Chriſtiani, jejunium ita commendatum fuit, ut tum veteris Legis Sanctis, cum Novæ hæc virtus optatiſſima fuerit; & prout illorum Sanctitas crevit, eorum abſtinentia recentibus ſeveritatis incrementis floruerit. Dici etiam poſſet, ſecundum Tertulliani ſententiam, abſtinentiam, quam hic Pater *portionale jejunium* appellat, primam eſſe virtutem, quam Deus ab ipſis uſque ſæculorum primordiis ab homine exegit, tamquam primum Sanctitatis, & innocentiæ tributum, primam legem quam Primis Parentibus irrogavit, & quam infringere non potuerunt, quin interirent, atque in interitum omnem progeniem ſecum raperent. Non ſolum de abſtinentia, & hac jejunii portione; ſed de ipſo jejunio, quod hoc ſanctitatis tempore præcipit Eccleſia, de hoc jejunio, quod alii vocant animarum alimoniam, alii vitiorum omnium medicinam, aliique virtutum omnium theſaurum; de hoc jejunio, quod tot ignavi reformidant Chriſtiani, de hoc jejunio, quod tot polluunt æquo liberiores homines, & cui tot poſteriorum ſæculorum hæretici bellum indixerunt, tamquam libidinis omniumque corporearum voluptatum inimico: De hoc inquam jejunio vobis verba facere inſtitui, perſuaſurus, ut religioſe obſervetis præceptum, quod hodierna die ſcopulus eſt, in quem longe plurimi illidunt, alii quidem nimis ſibi blandientes, alii vero id, quod ſalutis medium eſt, ſibi in damnationem, & lapſus occaſionem vertentes. Hoc, ito-

Google

iterum dicam, me impellit, ut apud vos loquar de hoc præcepto, quod nunc temporis nobis imponit Eccleſia, & de mediis jejunium ſanctificandi, ut Prophetæ verbis utar, *Sanctificate jejunium*, ne in eorum infortunium labamur, de quibus loquitur Sanctus Chryſoſtomus: qui in jejunio ſuo, quæ unica ferme actio eſt pœnitentiæ, quam faciunt pro peccatis ſuis, nova perpetrant crimina per alia jejunia, aliaſque parſas expianda. Ad id autem fert animus hodierna die vobis oſtendere (*Joel. 2.*)

1. Obligationem jejunii, & quanam auctoritate fuerit irrogatum.

2. Quænam eſſe debeat praxis illius, videlicet quomodo ſit ſanctificandum, ut cum merito obſervetur, & ſancte adimpleatur. Quæ tota erit ſermonis diviſio.

Vide in To. II. Bybliotheca Mor. Evang. Titulum: JEJUNIUM.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Geneſ. 3.

II. ARGUM. De Cinerum cæremonia.

Hæc fuit olim mortis ſententia Dei ipſius ore prolata in primum hominum parentem, fere ſtatim ac vita donatus fuit. Hodierna verò die ab Eccleſia inſtauratur Dei ſpiritu animata, & Oraculorum divinorum ſequeſtri. Nam perinde ac fidelium omnium experientia, & exemplum mortalium omnium, qui nobis præceſſerunt, non ſatis valide hanc nobis veritatem probaſſent, moriendum ſcilicet eſſe; vel ſenſibilium voluptatum illecebræ omnem nobis ademiſſent cogitationem; Eccleſia hæc, quæ numquam in actionibus ſuis vacat Myſterio, te futurum cenſuit quotannis hac cæremonia mortis noſtræ memoriam refricare, & docere homines, quacumque tandem polleant vi, ſerius, ocyus in cineres eſſe redigendos, & hunc faſtum, quo circumnitent cum ipſis contumulandum eſſe, futurumque mortis trophæum, & exemplum vanitatis rerum omnium terrenarum. Igitur Sanctum hoc Quadrageſimæ tempus pœnitentiæ ſacrum inchoatura nobis potiſſimam rationem, mortis videlicet cogitationem, proponit Eccleſia; cujus ut inſtitutum, ac mentem ſequar, vobis repetere fert animus fatalem ſententiam iis contentam verbis, quæ in hac profert cæremonia. Ita perfecte Eccleſiæ mentem aſſequar, ſi vobis oſtendere potero

Primum Sententiæ hujus memoriam, quæ mortis cogitationem inſtaurat, ejuſque funeſtos exitus in mentem revocat validiſſimam eſſe rationem, qua ad veram agendam pœnitentiam impellimur. Hæc prima eſt animadverſio, quam in hac irrevocabili ſententia vobis faciendam propono.

Secundo cinerem, & pulverem, in quam nos redigit mors propter ſententiam eamdem, eſſe nobis exemplar pœnitentiæ a nobis faciendæ.

Duæ maximi momenti veritates, & animadverſiones; quarum altera nos docet pœnitentiæ neceſſitatem propter neceſſitatem mortis; altera vero nos erudit, quomodo facienda ſit hæc pœnitentia, qui modus deſumitur à ſtatu, & exaninitione, ad quam nos aliquando rediget mors. Altera quidem docemur inevitabilem neceſſitatem in eximiam virtutem convertere; altera vero efficiens, ut prævertamus pœnam, qua damnati ſumus, convertet ſententiam in univerſos homines latam in ſententiam nobis gratioſam, & favorabilem. Duplici verbo; moriendum eſt; igitur pœnitentiæ peragendæ conſilium capiendum eſt. Hæc prima eſt illatio ea hac ſententia elicienda. Mors in cineres nos rediget; igitur pœnitentia quodammodo maturato nos in cineres debet redigere efficiendo, ut nobiſmet ipſis, omnibuſque mundi hujus rebus moriamur: hæc altera eſt illatio, ac tota ſermonis hujus partitio.

In To. III. Bibliotheca Mor. Evang. conſule Titulum: MORTIS: *ubi quidquid ad hoc pertinet argumentum reperies.*

PRO EVANGELIO FERIÆ V.

POST CINERES.

Audiens JESUS *miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael.* Matth. 8.

I. ARGUM. De fide, quæ in mundo eſt modica.

Dictum uis ſane eſt, Fideles, Fidem magnum aliquid eſſe in mundo; quandoquidem hodierna die Filius Dei eam laudibus ſuis celebravit, atque admiratus eſt in Evangelici Centurionis perſona. Illud verò fidei pretium in nobis excitare debet videntibus, hunc finem eſſe etiam omnium miraculorum ejus, ita ut virtutis hujus magnitudini tribuere videatur gratias omnes, & beneficia, quæ nobis largitur, non alios conſtituens terminos poteſtati fidei, niſi quos ipſi homines eidem conſtituunt: *Omnia poſſibilia ſunt credenti.* Verum quidnam tantum eſt, & adeo laude dignum, ut omnia mereatur encomia, miracula, & Dei benefacta? Dicent quidam profecto hoc inde fieri propter virtutis hujus præſtantiam, quæ Apoſtolo teſte baſis eſt, & ceterarum virtutum fundamentum. Inquient alii hoc proficiſci ex difficultate credendi quidquid ſupra naturam poſitum eſt, & ſenſibus noſtris nequaquam ſubjicitur. Non deerunt qui hoc acceptum tribuant infrequentiæ virtutis hujus, ex qua illius oritur dignitas, atque excellentia; quandoquidem ipſe Dei Filius aſſerit, vix inventum iri fidem in terra, cum ad illam judicandam acceſſerit; *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra.* Quod ſi in Filio Dei tantam parit admirationem videre tantam fidem in Ethnico, per vos mihi liceat aſſerere, nobis mirum eſſe debere adeo modicam intueri fidem inter Chriſticolas, qui tamen, ſine principe hac virtute, nullatenus contendere poſſunt ad ſupremam felicitatem ſibi promiſſam, atque propoſitam. Adnitamur hodierna die inveſtigare cauſas, propter quas virtus hæc adeo in nobis eſt infrequens, ut medicinam afferamus, & excitemus hanc fidem adeo languentem, & in cordibus noſtris fere intermortuam. Raritatis hujus duas deprehendere cauſas mihi videor, quas habendas eſſe puto tamquam duos potiſſimum obices virtutis hujus; quæ hinc quidem ſubmiſſa eſſe debet, inde verò agens, & practica. Modicum eſt fidei in hominibus; (*Marc. 9.*) (*Luc. 18.*)

Primum, quia nimia indagine excutiuntur veritates fidei, quas perſcrutari nimio examine conamur; & audeo dicere, ſenſibus noſtris ſubjicere ea, quæ ſunt cum ſimplicitate credenda.

Secundo, quia illas non ſatis perpendimus, & has eaſdem veritates neceſſariis animadverſionibus non ponderamus, videlicet quia illas non ſatis meditamur.

Velle curioſius ea inveſtigare veritates, quas Fides docet; eaſdem non ſatis meditari; duo ſunt vitia, quæ univerſam ſermonis hujus partitionem conſtituunt.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: FIDES DIVINA.

Domine puer meus jacet in lecto paralyticus, & male torquetur. Matth. 8.

II. ARGUM. De cura famulorum a Dominis habenda.

Mirum eſſe non debet, Auditores, ſi Sancti Patres certatim quodammodo encomiis videntur extollere Evangelicum Centurionem, poſtquam laudes, & probationem JESU CHRISTI promeritus eſt. Proculdubio Incarnata Sapientia, quæ veterum meritorum æquiſſimus Judex eſt hominem adhuc ethnicum nequaquam propoſuiſſet in exemplum univerſo Iſrael, niſi vidiſſet in homine in ipſa armorum licentia innutrito qualitates, & virtutes, quæ rubore, ac verecundia ſuffundere poſſent temperantiſſimo cuilibet ex hoc populo, ipſiſque legis doctoribus, qui hac laude præſertim excellerent. Illud verò quod in Centurione ſimul admirari, & imitari debemus, eſt charitas ejus, qua fit, ut tantam gerat curam famuli ſui, paralyſi laborantis. *Puer meus jacet in lecto paralyticus, & male torquetur.* In hoc immoror Charitatis exemplo, ut verba faciam de argumento, quod magni eſt momenti in Chriſtiana Religione; argumentum tamen, cui nulla fere impenditur cogitatio; videlicet cura Domeſticorum, famulorumque a Dominis habenda. Hanc autem nos docet Evangelici Centurionis exemplum; quod herus bonus, & CHRISTI fidelis imitari tenetur; Ideoque in priori parte ſermonis mei vobis oſtenſurus ſum cauſas urgentiſſimæ hujus neceſſitatis; in altera verò quæ in re ſita ſit hæc obligatio, & quid potiſſimum præſtare pueris Domini teneantur. Pars prior docebit, quonam de jure ſit cura a Dominis ſervorum ſuorum habenda; Altera verò docebit, quid a vobis hoc officium requirat; quæ tota erit ſermonis hujus partitio. (*Matth. 8.*)

Conſule hoc in argumento Titulum Domini, & Famuli in To. I. Bibliotheca Mor. Evang.

Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in Regno Cœlorum: Filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores. Matth. 8.

III. ARGUM. Pro eadem Die. De translatione, &

Hæ terribiles minæ ſunt, quas Mundi Salvator Judæis intentat in Evangelio, ſe illos derelicturum poſtquam ſatis diu in medio illorum vixerit, tot in eorum gratiam fuerit operatus, & illos omni-

Digitized by Google

Subſtitutione gratiarum quas Deus aufert quidem ab ſe, aliis eas largitur.

omnibus terræ populis prætulerit. Contemptus, in quo illius habuerunt gratias, præcepta, miracula, & beneficia, tandem ejus fatigavit patientiam, & fontem bonitatis erga illos exhauſit. Illum recipere noluerunt, ipſe illos deſerit; eum ſequi noluerunt, illos derelinquit; alios in eorum locum evocat, qui futuri ſunt, & gratiis illius fideliores, & beneficiis gratiores. Judæis ſatis intellexerunt quid ſibi ille comminaretur; ſed illud nullo in diſcrimine habuerunt, quia non aſſecuti ſunt illud infortunium, & deplorabile damnum, quod in caput ſuum per ingrati animi vitium converterunt. Prævidebant, quid ſibi vellet hæc comminatio, ſed deterriti non fuerunt; non enim ſatis aſſecuti ſunt mentem Filii Dei, qui remoturus erat gratias, & lumina Fidei, divinique Verbi ſui, eaque ad Gentes tranſlaturus. Intellexiſſent illum relinquentem eos, qui populus ejus erant, in ipſorum locum alias vocaturum gentes, & prohibentem eos a Regno ſuo, quod eſt filiorum hæreditas, ſubſtituturum alienos, qui aliquando illius poſſeſſionem ingrederentur. Hoc me cogit, ut pro virili parte vobis ad vivum oſtendam illud damnum, cui nos objicit Deus derelinquens nos, & transferens aliò gratias ſuas, nec non quotidie ſubſtituens alios in bona ſua, quæ ſubtrahit contemnentibus illa, aliis ea daturus, quos novit, ea in meliorem uſum eſſe converſuros.

Hoc, Fideles, eſt Divinæ Juſtitiæ Myſteriorum translatio gratiarum Dei ab aliis ad alios, ſicuti teſtatur Sanctus Paulus Apoſtolus cum loquitur de Judæorum cæcitate, & vocatione Gentilium, qui in priorum locum ſubrogati fuerunt: *Nolo vos ignorare, Fratres, Myſterium hoc, quoniam Judæis cæcitas contigit ex parte.* Sed fatendum eſt hoc terribile Myſterium eſſe. Idem accidit non ſecus ac in pluribus rebus aliis, quæ quia nobis ignotæ ſunt, vel nimis familiares, & obviæ minorem injiciunt terrorem hominibus, qui anſam arripiunt minus metuendi ea, quæ majorem illis terrorem deberent incutere. Ad hoc autem Myſterium enucleandum, mihi videtur hæc translatio, vel ſubſtitutio gratiarum a Deo facta, bifariam eſſe conſideranda, videlicet ratione Dei illam facientis, & ratione hominum, qui patiuntur illam, & quorum damno fit.

Ad Rom.

Primum, Deus, qui auctor illius eſt ſuas habet cauſas, quas nobis quidem aperire non licet, ſed certiſſime aſſerere poſſumus in hoc non deeſſe gloriam Dei, atque utilitatem Electorum ipſius, quibus Cœleſtem deſtinat auctoritatem, non ſine detrimento eorum, qui gratia ipſius abuſi ſunt; quod in parte priori videbimus.

Secundo, ſpectabimus hanc gratiarum ſubſtitutionem ratione eorum, a quibus Deus illas ſubtrahit ad alios translaturus; quæ cauſa eſt infelicitatis eorum, & reprobationis principium.

Hæc eſt explanatio terribilis Myſterii, quod accidit populo Judæorum, & quod Deus aliquando reteget nobis in infinito Fidelium numero, a quibus ſuam ſubtrahit miſericordiam, ut eos Juſtitiæ ſuæ tradat ſeveritati. Hæc erit ſermonis partitio.

Rerum copia hoc in Argumento peti poteſt ex Bibliothecæ Moralis Tomo ſecundo, Titulo: Gratia.

Sub hujus Evangelii finem ſermo eſt de Inferno: *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium*; Sed Argumentum pertractabitur in Epulonis Evangelium.

IN EVANGELIUM FERIÆ VI. POST CINERES.

Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos &c.
Matth. 5.

I. Argum. *De injuriarum venia, & dilectione inimicorum.*

CUM in tota Chriſtianæ Religionis diſciplina nullum gravius, vel difficilius propoſitum ſit præceptum quàm illud, quo injurias dimittere, & inimicos diligere jubemur, validiſſimis indigemus argumentis, ut fideles ad illud ſervandum adigamus. Opus eſt vi majore humana, ſive ad cohibendum ſtudium illud incredibile, quo cor noſtrum fertur in ultionem, ſive ad amorem ciendum erga eos, a quibus laceſſiti fuimus, injuria; ſive denique ad odium extinguendum, quod in nobis excivit contumelia: ita ut Ethnici nonnulli Chriſtianorum Religionem legem dixerint, humanas vires excedentem, & jubentem impoſſibilia. *Fides Chriſtianorum, Fides impoſſibilium.* Eorum ſententiæ fortaſſe ſubſcriberem, ſi qui hoc imperavit, Deus non eſſet, qui ſimul ac jubet, vim tribuit imperata faciendi. Fateor etiam difficillimum eſſe

Apud Tertull. libro de Reſurrect. Carnis.

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

non conqueri de legis ſeveritate, ſi qui illam irrogavit, primus omnium ſeſe non ſubjeciſſet illi; & adhuc ſexcentæ difficultates occurrerent, niſi maxima pollicerētur præmia, & teterrima comminaretur mala, perſuaſurus, ut illam integerrime obſervaremus. Quamobtem fert animus hodierna die palam, & inſpectantibus vobis id facere, quod olim inſigni ſanctitate Vir, qui videns omnia verba, omniaque argumenta nihil proficere ad duorum inimicorum gratiam ſarciendam, qui odio pluſquam vatiniano ſe invicem perſequebantur; zeli magnitudine actus, divinoque afflatus Spiritu, altera quidem manu Evangelium, Crucifixi verò imaginem arripuit altera; & mox Cœlum, mox Infernum indigitans, factum hoc tanto animavit zelo, & tanto ardore faciem ſuam ſuccendit, ut tandem corda illa obduratiſſima flexerit, in oſcula invicem, & amplexus ruere coegerit, & inter utrumque ſanctam, æternamque amicitiam conciliaverit. Utinam Fratres mihi eadem arte utenti ſors eadem accidat. Altera igitur manu Evangelium arripio vobis oſtenſurus legem, & mandatum æquiſſimum, & neceſſarium, & nullatenus impoſſibile: Manu autem altera Crucifixum arripio oſtenſurus vobis Deum veniam hanc dantem, atque petentem pro illis, a quibus contumelioſiſſime laceſſitur. Denique oculos in Cœlum attollo, & in inferos uſque dejicio propoſiturus vobis promiſſiones, & minas, quibus utitur Deus, ut tandem aliquando huic præcepto voſmet ſubjiciatis. Hoc, Chriſtiani, eſt complecti quidquid validiſſimum eſt in hoc argumento, cui, ut major accedat lux, vobis oſtendam;

Primum, Dei Filium tamquam Supremum Dominum auctoritate ſua præcipientem veniam injuriarum: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* *Matth. 5.*

Secundo tamquam Dominum exemplo ſuo præceptum confirmantem, quia propriis pepercit crucifixoribus.

Tertio denique tamquam Dominum, qui quocumque pretio ſibi vult obediri, quandoquidem maximas miſcet promiſſiones teterrimis pœnis, ut quod jubet, aſſequatur.

Ad argumentum hoc pertractandum Conſule titulum: Amor Inimicorum in Tomo I. Bibliothecæ Mor. Evang.

Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Matth. 5.

II. Argum. *Pro die eodem. De Hypocriſi.*

Dei Filius poſtquam in Evangelio præcepit veniam injuriarum, & inimicorum dilectionem, opportune jubet nos cavere, ne fiant opera noſtra bona, ut ab hominibus videantur ea mente, ut eorum capiemus laudes, & encomia, quæ mera hypocriſis eſt. Ubi oſtendere poſſumus, hypocritam injuſtum eſſe erga Deum, erga Proximum, & erga ſe ipſum.

Primum injuſtus eſt erga Deum, cujus ſibi vindicat gloriam, quam ille ſibi tamquam proprium bonum reſervat, quod non vult cuipiam cedere. Hanc palam ſibi uſurpat hypocrita omnia faciens, ut ab hominibus videatur, eorum ſibi laudes emendicet, quod Phariſæis olim Dei Filius exprobrabat: *Omnia opera faciunt, ut videantur ab hominibus.* Quamobrem videtur Deus oblectari, eorum ſuperbiam infringens, atque confundens, efficiendo, ut tales agnoſcantur quales re ipſa ſunt, videlicet hypocritæ, & Sycophantæ; quapropter apud omnes in contemptu ſunt, & ſibilis excipiuntur. *Matth. 23.*

Secundo Hypocrita eſt injuſtus erga proximum, quem fallit, & in errorem inducit; & quamvis minorem afferat aliis perniciem, quàm qui ſcandalis, praviſque exemplis alios corrumpit, eos tamen ſæpe in errorem, ac vitium inducit per pravos ſenſus, quos illis inſpirat, & quia ſub ſpecie virtutis latet, eo modo quo venenum ſub floribus deliteſcit. Hoc lenocinio uſi ſunt omnes Hæreſiarchæ ad populorum os ſubliniendum.

Tertio Hypocrita in ſe ipſum etiam eſt injuſtiſſimus; corrumpens enim, & adulterans univerſa bona opera quæ facit, prava intentione, qua agit, omnem eorum fructum amittit, & privat ſe mercede, quam aliquando conſecuturus fuiſſet in Cœlo; ita ut omnem habeat virtutis laborem, quin illius meritum aſſequatur, & ſibi conflet ultionem, & iram Dei in locum illius coronæ quam ſibi comparare potuiſſet actionibus iiſdem, quin majorem impenderet curam, atque laborem. Hujuſmodi eſt funeſtus exitus hypocritæ.

Ad hujus argumenti copiam inveniendam, conſule ſecundum Moralis Bibliothecæ tomum Titulo: Hypocrisis.

Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te. Matth. 5.

III. Argum. *Pro die eodem.*

Poſtquam Dei Filius in Evangelio etiam, atque etiam commendavit nobis, ut bona faceremus iis, qui nos ode-

oderunt, & hypocriſim fugeremus, decebat, ut præſcriberet nobis bona opera, quæ faceremus; quod præſtat præcipiens eleemoſynam, & opem ferre proximo laboranti, cavens tamen ne vanitatis cauſa illam faciamus, & ne ideo laudem mortalium aucupemur. Ut igitur munere hoc, quod maximæ neceſſitatis eſt, atque æquitatis, perfungamur, illud tribus inniti charitatis officiis docebo, quibus tamquam totidem urgentiſſimis cauſis tenemur.

Primum quidam charitati, quam debemus proximo, & quæ palam nobis imperatur.

Secundo charitati, quam debemus Deo, qui in pauperis perſona hanc a nobis petit eleemoſynam.

Tertio denique charitati, quam nobiſmet ipſis debemus; quia facientes eleemoſynam infinitis bonis cumulabimur: quæ tres erunt ſermonis partes.

Adi in Tomo II. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: Eleemosyna.

In hoc ipſo Evangelio ſermo incidit de jactantia, & inani gloria, ſed alibi argumentum hoc pertractavimus.

PRO PRIMA QUADRAGESIMÆ DOMINICA.

Ductus eſt Jesus *in Deſertum a Spiritu, ut tentaretur a Diabolo.* Matth. 4.

I. Argum. De modo ſuperandi tentationes. In Pſal. 59. Dubitandum non eſt, Fideles, potiſſimam cauſam, quæ Dei Filium adegit, ut Dæmoni permitteret, ut ab eo tentaretur, hanc fuiſſe, videlicet, ut ab eo diſcerent homines modum ſuperandi tentationes, atque ut ſe illis exemplum proponeret ejus exercitationis, quæ totum vitæ noſtræ ſpatium occupat: *Niſi* Christus *tentaretur*, Sanctus Auguſtinus inquit, *ſibi tentando magiſterium vincendi non præberet*. Noverat ille in bellicis rebus Ducis Exemplum reliquis rebus præſtare, & nulla re militem melius inflammari, quàm ſi dux exemplo præeat, & primus cum hoſte conſerat manum. Hanc ob cauſam Salvator voluit, omnibus notas eſſe omnes tentationis hujus circumſtantias, & omnes artes, quibus utitur ad fallendum inimicus. Dignatus quidem eſt per omnia deduci pericula, quemadmodum Sanctus
Ad Hebr. 4. Paulus teſtatur, *tentatus per omnia*, ut cujuſcumque generis illa ſint, illis reſiſtere audeamus. Ut verbo me expediam, cum hoc paſſim accidat in vita, nihil accuratius docere nos voluit hæc infinita Sapientia, quàm ſuſtinere tentationes, in hodierno Evangelio. Verum, ut hoc argumentum ſit, quàm fieri poteſt, utilius, accidere videtur in hoc certamine, in quo ſemper manus nobis conferendæ ſunt cum Salutis noſtræ inimico, quod in ceteris, in quibus tria perſonarum genera diſcere debent, qua ratione ſemet gerere oporteat. Primi ſunt temerarii, qui cæce in periculum ruunt intereundi. Alii ſunt imprudentes, nullaque experientia præditi, qui bellicæ artis ignari incidunt in laqueos vaferrimi adverſarii, qui imparatos aggreditur, eoſque facillime vincit. Tertii denique ſunt ignavi, qui arma abjiciunt, & ſe victos ſine certamine, & prælio dedunt. Ad hæc tria perſonarum genera poſſunt referri illi omnes, qui in tentationibus ſuperantur; & tria hæc pugnantium genera admonenda ſunt, ne vincantur in bello hoc, in quo ſubimus diſcrimen in æternum pereundi. Nobis igitur perſuaſum eſſe oportet extremæ neceſſitatis eſſe cognoſcere.

Primum non deeſſe temerarios homines, ſibique præfidentes, qui periculum quæritant, eique ſe objiciunt; hos docebimus fugam tentationum, & Chriſtianam vigilantiam præcipuam eſſe prudentiam, maximamque Chriſtiani hominis generoſitatem.

Secundo non deeſſe homines qui propter experientiæ defectum in periculo verſantur a vaferrimo adverſario, & hoſte communi in errorem inducendi; quibus aperire conabimur fraudes, ac dolos, quibus ille in tentationibus utitur, ut inhærentes exemplo Filii Dei ſibi diligentiſſime caveant.

Tertio denique non deeſſe ignavos, qui non audent furenti, qui illos adoritur, reſiſtere inimico; & hos confirmare curabimus Exemplo Salvatoris docentis quanam virtute illi reſiſtere debeant. Hæc tota eſt Sermonis hujus partitio.

Non deerit larga dicendi copia conſulenti Tomum Bibliothecæ noſtræ Quartum, Titulo: Tentationes.

Ductus eſt Jesus *in Deſertum*. Matth. 4.

II. Argum. In eamdem diem. Dei Filius jejunans, & pœnitens Tale eſt, Fideles, exemplar, quod Filiis ſuis proponit Eccleſia per hos pœnitentiæ, ſalutiſque dies, quos ſumus ingreſſi. Nequaquam ſatis eſſe poteſt videre illos ad Sacerdotum pedes provolutos peccata ſua lacrymis eluere, ſed ab illis exigit dignos fructus pœnitentiæ. Hoc conſilio illos in deſertum adducit, ut ex illius exemplo, qui numquam peccavit, fieri veri pœnitentes doceantur. Vobis ergo dicere poſſum de Salvatore id quod Salvator ipſe Judæis dicebat, qui ſecus Jordanis oram viderant Joannem Baptiſtam. *Quid exiſtis in deſertum videre?* Ibi ne vidiſtis illum, qui ſubierat pondus peccatorum mundi, eadem execrari in animum contentum, mollem vitam quiete traducere? An vero vidiſtis illum in ſolitudinem receſſiſſe, & quadraginta dierum ſpatio intentum expiandis per jejunium, & lacrymas, peccatis, quæ ſuis paſſionibus, & ſanguine deleturus erat? Aſſequamur ergo, Fideles, mentem Jesu Christi, & Eccleſiæ. Ne putemus ſatis eſſe odiſſe peccatum, & illud ſincero dolore proſequi, quin per auſteræ, ac pœnitentis vitæ actus illud expiare adnitamur. Quæſo igitur duo iſta cogitamus. — diſtagens in deſerto, nos docet, quomodo agere debeamus pœnitentiam. Matth. 12

Primum, Cordis Pœnitentiam ſemper eſſe debere cum vitæ auſteræ, & pœnitentis ſeveritate conjunctam.

Alterum, vitam auſteram, ac pœnitentem fieri ſuavem per cordis pœnitentiam, quæ illi comes accedit.

Rerum copia huic Argumento appoſita occurret adeunti Tomum III. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulo: Pœnitentia.

Ductus eſt Jesus *in Deſertum*. Matth. 4.

Nullus ſcio, an inter omnia Filii Dei facta alterum inveniri poſſit Myſteriis uberius, ſimulque ad nos erudiendos utilius hac illius in Deſertum receſſione, ubi ſalutem hominum incipit operari, illos cum Patre ſuo conciliare, nobiſque exemplo ſuo oſtendere viam tutiſſimam inveniendi Deum, eique cum omni puritate inſerviendi. Exemplum hoc complectitur mea quidem ſententia univerſam Chriſtianæ vitæ diſciplinam, eamque ad unam redigit praxim, cujus fructus, ſi illius periculum facere voluerimus, erit nos quoque cum Salvatore in deſertum adducere, & hoc pacto nos ſuper creata omnia attollere, ut Deum inveniamus, quem alibi non ita facile poſſumus invenire, niſi in receſſu, & ſolitudine, ut cum eo colloquimur, eumque audiamus, ut meditemur Legem ipſius, & veritates, quas Prophetæ in nomine ejus nuntiaverunt nobis; & tandem, ut in anteceſſum ea perfruamur felicitate, quam in Cœlo tandem ſperamus nos conſecuturos fore. In receſſu, & ſolitudine omnia hæc bona inveniuntur; in vita hac a Mundi commercio remota commodius æternis veritatibus animum adjungere licet, & vacare huic uni neceſſario, quod toties nobis Dei Filius etiam, atque etiam commendat; videlicet magno huic Salutis noſtræ negotio. Ecce, Fideles, quorum votorum ſumma eſt Deo cum ſecuritate, & ſinceritate ſervire: Ecce facillimam, tutiſſimamque id obtinendi rationem. Egredimini de Babylone; fugite confuſionem, atque tumultum; identidem per intervalla voſmet recipite, ſi minus omnino ſecedere libet. Sæculi impedimenta fugite, & ibi certiſſime Deum invenietis. Verum enim vero cum nonniſi per gratiam liceat invenire, & poſſidere Deum; hoc in ſermone fert animus vobis oſtendere; — III. Argum. Pro eadem die. De ſolitudini, & receſſus utilitate.

Primum in Solitudine, ac receſſu hanc recipi gratiam, quæ paſſim amittitur in Mundi commercio.

Secundo, ibi quoque facilius conſervari; quia abſunt occaſiones, pericula, & tentationes, quæ obviæ alibi occurrunt; ideoque ceſſant lapſus illi funeſti, qui in Sæculo nimium obvii crebro videntur.

Conſule ad hoc argumentum To. IV. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulo: Solitudo.

PRO FERIA SECUNDA POST PRIMAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Tunc videbunt filium Hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & majeſtate. Lucæ 21.

Veritas eſt, de qua Omnibus Fidelibus perſuaſum eſſe debet, Miſericordiam, & Juſtitiam Dei viciſſim diem ſuum habituras, & ſicuti altera quidem ſeſe nobis prodidit omni vitæ noſtræ tempore, alteram quoque aliquando triumphaturam, cum Filius hominis ſecundo deſcendet cum majeſtate, poteſtate, omnique Supremi Judicis apparatu. Tamen verum eſt dicere, Dei Miſericordiam ſemper præſtitiſſe Juſtitiæ ipſius, non ſecus ac reliquis ipſius perfectionibus; Hanc primas obtinuiſſe, & ratione habita noſtri, fuiſſe quamdam naturam ejus juxta Eccleſiæ ipſius ſenſum: *Cujus natura bonitas*, hoc eſt, principium motuum omnium cordis ſui, — I. Argum. De Judicio noviſſimo, ejuſque in peccatores ſeveritate.

omnium-

Digitized by Google

omniumque actionum ejus ab extra. Itaut, Tertullianus inquit, ille potius paſſus fuerit, ab hominum temeritate eſſentiæ ſuæ veritatem impugnari, quàm bonitatem; & ſibi Dei titulum potius in controverſiam vocari, multitudinem, & enormitatem ſcelerum noſtrorum perferendo, quam Miſericordiæ nomen eadem puniendo. Sed aliquando tandem agendi rationem mutabit, quin mutet naturam; Juſtitia illius invicem prævalebit, & magna illa die cum omni ſeveritate ſua dominabitur, & viciſſim aget triumphum.

Primùm quidem de hominum nequitia, & improbitate.

Secundò de ſua bonitate, cujus cum regnum exceſſerit, locus fiet iræ, & ultioni.

Pro hoc argumento occurret larga dicendi ſupellex in To. II. Bibliothecæ Moralis Evangel. Titulo: JUDICIUM EXTREMUM, ET GENERALE.

Venite benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis Regnum a conſtitutione Mundi. Matth. 25.

II. Argum. Pro eadẽ die. De Judicio Dei in gratiam Juſtorum.

Credo, Auditores lectiſſimi, pleroſque fideles toties audiendo verba ſibi fieri de noviſſimi Judicii ſeveritate ſibi perſuaſiſſe Bonitatem, & Miſericordiam Dei ad hanc tantummodo vitam pertinere, in alteram autem vitam divinæ Juſtitiæ ſeveritatem reſervari. Quod aliquo in ſenſu verum eſt; Deus enim facillime ad lenitatem flectitur; qui tunc cum vita hujus per breve ſpatium exceſſerit, nunquam voluntatem ſuam erga nos mutabit, neque eam revocaturus eſt ſententiam, quam ſemel tulerit contra nos. Sed in alio quolibet ſenſu hæc fallax eſt cogitatio; quandoquidem in altera vita potiſſimum illius fulgebit Miſericordia in Juſtorum corona, quemadmodum in impiorum punitione ejuſdem renidet Juſtitia. Quapropter ajo, magnum illum diem, qui dies Domini vocatur, futurum quoque diem Juſtorum, qui ſanctam duxerint vitam; diem videlicet triumphi ipſorum, gloriæque eorum theatrum, in quo illorum merita patebunt omnibus, probabitur innocentia, & præclare geſta coram Cœlo, terraque univerſa coronabuntur.

Sed ut innoteſcat, qua in re hoc gaudium, atque hic triumphus, qui bonorum conſolationem conſtituturus eſt, ponendus ſit; animadverto in Scripturis duo inveniri, quæ ardentiſſime deſiderant homines, & quæ Deus nihilominus ſibi unice reſervavit: voluit enim, ut Sanctiſſimus, & Juſtiſſimus quiſque in hac vita illis abrenuntiaret; gloriam videlicet, & ultionem; de quarum altera Propheta loquitur: *Gloriam meam alteri non dabo*; de altera verò loquens Apoſtolus, inquit; *mihi vindicta, & ego retribuam*. Hæc autem duo, quæ Deus ſibi in hoc Mundo reſervat, Juſtis communicaturus eſt magna illa die univerſalis Judicii: nam

Iſaia 48. ad Hebr. 10.

Primùm pro gloria, cui abrenuntiarunt; hanc cum fœnore illis retribuendam curabit ab omnibus quotquot a ſæculorum origine vixerunt: *Tunc laus erit unicuique a Deo.*

1. ad Cor. 4.

Secundò ultio, quam exercere explicite vetabantur, tunc illis licebit, omnibuſque illis fructibus perfruentur, videntes inimicos ſub pedibus proſtratos, facti judices, arbitrique ſortis eorum. Hoc Regius Propheta nobis pollicetur, *ad faciendam vindictam in nationibus. Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus.*

Pſal. 149.

Ecce, Fideles illa duo, quæ conſtituent gaudium, & felicitatem Juſtorum die illa terroris, & luctus ceteris in ſumma dejectione, ac rerum omnium deſperatione perterritis. Gloriam invenient, qua caruerunt, vel quam in Mundo fugerunt; & juſtæ ultionis, quam abrenuntiaverunt voluptate inebriabuntur.

Ad hoc pertractandum argumentum vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: JUDICIUM EXTREMUM.

Cum venerit Filius hominis in Majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo; tunc ſedebit ſuper ſedem Majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes. Matth. 25.

III. Argum. Pro eadẽ die. Quàm terribile Judicium hoc ſit futurum.

Cum magna hæc noviſſimi Judicii dies in Scripturis dies Domini, dies ultionum vocetur, pro argumento, & ſermonis partitione deſumi poſſunt duæ qualitates, quas Dei Filius tunc induet longiſſime diverſas ab illis, quas in primo ſuo Adventu prætulit.

Primùm in locum Tituli Salvatoris, illum Judicis oſtentabit; ſed erit Judex admodum perſpicax, qui ad examen vocaturus eſt ſingillatim omnes cogitationes noſtras, actiones, officia, omiſſiones; & qui eſt ſecundum Evangelii Canones ſuum Judicium compoſiturus. Judex diligens, & ſeverus, qui ſingula ſumma cum ſeveritate perſequetur. Judex integerrimus, inflexibilis, inexorabilis.

Secundò in locum Tituli Mediatoris hominum fiet vindex; de cujus ultionis ſeveritate Judicium ferendum eſt a magnitudine iræ ipſius, & gravitate tot ſcelerum, quorum ultionem, digne Deo, repoſcet.

Ad hoc replendum Argumentum conſule in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: JUDICIUM NOVISSIMUM.

PRO FERIA TERTIA
POST PRIMAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Intravit Jesus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo. Matth. 21.

I. Argum. De irreverentiis quæ in Templis admittuntur.

IMMODESTIA, atque irreverentia in Templis ſcelus eſt opinione majus. Hoc eſt non adhibere cultum divinæ Majeſtati; hoc eſt, Deum domi ſuæ afficere contumelia; hoc eſt illum dedecorare eodem in loco, ubi a nobis honorem ſibi flagitat adhiberi. Tria enim objecta quibus Deus potiſſimum oblectatur ſunt Templa Nomini ejus dicata; Myſteria, quæ in illius honorem celebrantur, & animæ, quæ illuc accedunt ſanctificandæ. Deus autem zelotypus eſt Sanctitatis domus ſuæ, cultûs, qui ſuis debetur Myſteriis, & Sanctificationis fidelium animarum. Hinc fert animus oſtendere vobis Deum impiorum irreverentia in Eccleſiis dedecore affici triplici in re, quibus nihil antiquius eſt illi.

1. Dedecorat Sanctitatem loci, quem ſibi inhabitandum elegit.

2. Violant reverentiam debitam magnitudini Myſteriorum, quæ ibi celebrantur.

3. Obicem ſtatuunt fidelium animarum Sanctificationi.

In To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. videri poteſt Titulus: TEMPLA.

Hoc ipſum argumentum pertractabitur in Evangelium Feriæ II. poſt IV. Quadrageſimæ Dominicam.

Domus mea Domus Orationis vocabitur. Matth. 21.

II. Argum. Pro eadẽ die. De reverentia Templis debita.

Ut hæc veritas innoteſcat, conſiderandum eſt

Primò Templa noſtra eſſe locum, quem ſibi elegit Deus ut a creaturis honor, & gloria ſibi deferatur, & paſſim eſſe locum, ubi a Chriſtianis pleriſque afficitur contumeliis, per eas profanationes, quæ ibi committuntur.

Secundò hunc eſſe locum ubi plures recipimus gratias, & beneficia ab hoc liberali, & Magnifico Deo, qui ea ſolet elargiri petentibus; & ſimul locum eſſe ubi homines maximam illi teſtantur ingratitudinem per repulſam, & abuſum eorum.

Hoc ipſũ Argumentum pertractatur etiam Feria 2. poſt 4. Quadrageſimæ Dominicã.

Tertiò hunc locum eſſe, ubi Deus apertiſſima nobis tribuit ſpecimina ſui amoris, ac benevolentiæ; ſimulque locum eſſe, ubi a cultoribus ſuis contumeliis crudeliſſime afficitur, & impune coinquinatur propter peccata, quæ ibi patrantur. *Ex allato ſuperius Bibliotheca Tomo petenda eſt rerum ſupellex, Titulo eodem.*

Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ, mirabilia, quæ fecit &c. Matth. 21.

III. Argum. Pro eadẽ die. Miracula validiſſimum eſſe noſtræ Religionis Argumentum.

Mirum eſt ſane, Auditores, Miracula, & prodigia, quæ Dei Filius, dum mortalem viveret vitam, ad perducendos homines ad cultum Dei, & probandam Miſſionem ac Divinitatem ſuam, tantum abfuiſſe, ut illos converteret, ut imo nonnulliis tantum e plebe in ſui ſequelam illectis, Principes Synagogæ magis magiſque callum induxerint, & ſemper contemptum, & indignationem auxerint contra tot prodigiorum Auctorem. Verum quomodocumque ſe habeat res, conſtat miracula ejus generatim conſiderata, quin ratio habeatur peculiarium bonorum, quibus cumulati fuerunt illi, in quorum gratiam illa operatus eſt, eſſe in ſemet publica beneficia, ſine quibus aliæ ipſius actiones, quæ magis immediate profuerunt hominum ſaluti, inutiles fuiſſent futuræ; quoniam alioquin Mundus nunquam cogniturus erat quinam eſſet, neque legem, & Religionem illius amplexurus. Hinc merito infertur, miracula tum quæ operatus eſt, dum viveret; tum quæ deinceps in nomine ipſius patrata fuere; eſſe non ſolum validiſſimum veritatis fidei noſtræ argumentum, quæ per illa tantum conſtituta fuit, verum eſſe primam, præcipuamque probationem, ad quam tandem confugiendum eſt, cum ad examen revocantur rationes, quibus adducti credimus Myſteria adeo incomprehenſibilia, & doctrinam corruptæ naturæ adeo contrariam. Hic igitur agitur, ut Auditoribus meis perſuadeam non deeſſe in Chriſtiana Religione vera miracula; neminem eſſe ſenſatum virum, qui illa in controverſiam valeat arceſcere; & præterea Miracula hæc certiſſimum eſſe argumentum veritatis Religionis noſtræ, & falſitatis ceterarum. Animus igitur eſt oſtendendi

Primùm conſtantem veritatem miraculorum, quæ in Chriſtiana Religione contigerunt; eaque negari non poſſe citra terribilem pertinaciam, & quin falſi nomine inſimuletur, quidquid in mundo probatiſſimum eſt.

Secundò veritatem hujus Religionis probatam per certitudinem miraculorum.

Ad Argumentum hoc pertractandum adeundus eſt Titulus: FIDES in To. II. Bibliothecæ Mor. Evang.

Vi-

Digitized by Google

Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ Mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, indignati ſunt, & dixerunt ei; audi, quid iſti dicunt, Matth. 21.

IV. Argum. De invidia.

Ex omnibus vitiis unicum eſt invidia, cujus objectum ſit bonum; quoniam perſequitur virtutes, & præclaras egregii viri alicujus dotes, ut illis officiat, vel labem aliquam offundat, quod videmus in Evangelio factum a Scribis, & principibus Sacerdotum. Cum Mundi Salvator aliquando Jeroſolymam ingrederetur, civitas tota commota, ac turbata fuit videns prodigia quæ operabatur, & quæ alliciebant in ſequelam ſui inſignem populi multitudinem elata voce clamantis illum magnum eſſe Prophetam, incipientem dare ſpecimina Miſſionis ſuæ in urbe Judææ Metropoli. Miracula, quæ omnibus patebant civium oculis, confirmabantur populi plauſu; & Deus, qui ex ore infantium, & lactentium promit gloriam ſuam paſſus eſt, ut Templum his lætitiæ clamoribus perſonaret. Sed crudelis invidia, qua Scribæ, & Principes illi Sacerdotum rumpebantur contra Dei Filium, Modicum hunc gloriæ plauſum in ore puerorum ſuſtinere non valuit; id ſe ægre ferre teſtati ſunt, cumque impellere auſi ſunt, ut plaudentibus ſilentium indiceret, & jugularet clamorem hunc, qui illis ingratus accidebat, quia erat veluti fulgor præclaræ laudis, in eorum probrum cedentis. Verum eſt reſponſionem divini hujus hominis os obſtruxiſſe invidentium gloriæ nominis ejus; veruntamen non ſedavit eorum invidiam, quæ ſilentio retexit virus ſuum; ita ut exinde cogitaverit eum capere, ut illius Sanguine dolorem extingueret, quem illis virtus, & hominis exiſtimatio afferebat.

Non ſine cauſa Doctores quærunt quodnam proprie peccati genus ſit invidia, & ſub quo genere vitii ſit recenſendum; nam ſicuti nemo peccatum propter peccatum ipſum committit, ſed ſemper propter aliquam boni ſpeciem, quam vel ſperat, vel quærit: neceſſe eſt, hominem ferri ad Dei legem infringendam vel terreni alicujus commodi intuitu, vel ſenſibilium voluptatum illecebra, vel Mundani alicujus honoris, quo captus eſt, nitore, ejuſque deſiderio. Tria enim dumtaxat ſunt bonorum ſenſibilium genera, ad quæ cetera ex dilecti Diſcipuli ſententia referenda ſunt. Sed ex parte alia in mœrore, qui ex virtute, vel proximi felicitate concipitur, qui re ipſa Invidiam creat; quodnam bonum accidere poteſt invidenti? Quam voluptatem percipere poteſt; hæc enim illum torquet invidia, ejuſque lancinat præcordia? Quem inde ſperare poteſt honorem? quandoquidem turpitudo, & dedecus ita ſemper huic vitio inhærere videtur, ut illud nemo audeat confiteri? Ideoque videtur non fuiſſe in numero vitiorum hominis comprehendenda, cum non ſit peccatum hominis proprium, ſed dæmonis illam ſuadentis, quam cum ipſe in Cœlo conceperit, adhuc illam retinet in inferno; *Invidia diabolicum vitium, quo ſolo diabolus eſt*, inquit Sanctus Auguſtinus. Hinc fert animus vobis oſtendere in hoc ſermone.

Primum quanta ſit Invidiæ deformitas, ut ſcelus hujuſmodi perhorreſcatis.

Secundo quinam ſint ejuſdem effectus, ut illam fugere contendatis.

Videte in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Invidia.

PRO FERIA QUARTA
POST PRIMAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Generatio mala, & adultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei. Matth. 12.

I. Argum. De incredulitate & licentia in iis quæ ad fidem pertinent. Hoc argumentum pertractatur etiam in Evangelium Feriæ IV. poſt V. Quadrageſimæ Dominicam.

Libertinorum, Incredulorum, Impiorumque mos eſt nolle fidem habere niſi iis, quæ ſub oculos cadunt; rejicere quidquid illis non ſapit, quamvis authenticum ſit; & velle, ut ipſa etiam Religionis Myſteria æque ſint ſenſibus ſubjecta, ac ea quæ craſſiora ſunt, & oculis uſurpantur. Ecce quid Filius Dei in hodierno Evangelio in legis antiquæ incredulis reprehendat, in his videlicet ſuperbis Doctoribus, qui nolentes credere, quæ ipſi viderant, & audierant de prodigiis Salvatoris, ſemper nova ſigna quærebant; quamobrem illos pravam, adulteramque generationem appellat, eorumque duritiem exprobrat exemplo Reginæ Saba, quæ nullum licèt ſignum accepiſſet a Salomone, illius tamen Sapientiam eſt admirata, & cupiit ſemper in ejus conſpectu verſari, ut eum audiret, & ex admirabilibus Sermonibus ejus proficeret. Hoc mihi, Auditores, anſam præbet vobis verba faciendi de malis principiis, quibus innituntur increduli, impii, & æquo liberiores; verbo, quicumque ſe ſpiritus fortes jactitant, neque aliam habent religionem niſi proprium ſenſum, quod ex duplici cauſa proficiſci puto.

Primum quidem ex præſumptione ſpiritus, qui cupit aſſequi, quod ſimpliciter per ſubjectam fidem credendum eſt.

Deinde verò ex cordis corruptione, quod victas dare manus non poteſt iis veritatibus, quæ a vitæ ipſorum nequitia diſſentiunt.

Supellex ad Argumentum hoc pertractandum peti poteſt ex Tomo II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: Fides.

Cum immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Matth. 12.

II. Argum. Pro eadē die. De impudicitia.

Olim maximæ, miſerrimæque cæcitatis priſcorum Gentilium effectus erat fingere ſibi Deos iiſdem vitiis obnoxios, quibus homines erat inquinati, & quorum exemplis minime abſterreri poterant, quominus iiſdem ſe ſe ingurgitarent, Sed hodierna die in Religione noſtra conſtans eſt veritas Biblicis firmata monumentis, & Patrum omnium conſenſu probata, ſingula vitia ſuum habere dæmonem, qui ad ea impellit homines, quod unum ſatis eſſe deberet, ut illa perhorreſceremus. Hac mente hodiernum Evangelium impurum nobis exhibet dæmonem, qui mortalibus turpiſſimum ſcelerum omnium ſuadet; quandoquidem illud, ne ex nomine quidem audet appellare. Dei Filius illius nobis adſtruit hypotipoſim, cum ait, hunc impudicitiæ dæmonem, qui in hominibus dominatur, ut celet furorem, quo agitur, inquietam curam, & dedecus, quærere loca ſemota, & parere miſeram vaſtitatem eo in loco, in quem ingreſſus eſt. Sed huic impuritatis dæmoni ſatis non eſt miſeros facere in hac vita illos, quos vicit, & quibus cor deeſt ei reſiſtendi; illos enim in manifeſtum adducit diſcrimen damnationis æternæ per enormitatem flagitiorum, in quæ illos deturbat, & per cæcitatem, & per contemptum rerum cœleſtium, quem illis ſuadet. Duplici hujus infelicitatis, quam turpiſſima hæc concupiſcentia trahit poſt ſe hodierna die ſatagam in vobis horrorem ciere. Vobis ergo oſtendere aggredior

Primum impudicum, qui obſcœnas tantum voluptates conſectatur, in quibus vitæ hujus felicitatem conſtituit, ſtatim ſuam invenire infelicitatem in affectuum ſuorum tumultu, dedecore, & amaritudine quam ibi nanciſcitur.

Secundò impudicum æternam ſibi damnationem conflare, quoniam hæc certiſſima nota eſt, & caracter quo nullum reprobationis ſuæ habere poteſt characterem apertiorem.

In Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. adeundus eſt Titulus: Impudicitia.

Viri Ninivitæ ſurgent in Judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam. Matth. 12.

III. Argum. Pro eadē die. De reſiſtentia gratiæ Dei.

Dei Filius in eodem Evangelio jure exprobrat Scribis, & Phariſæis incredibilem cordis eorum duritiem, oſtendens illis exemplo Ninivitarum, qui ad unam Jonæ Prophetæ prædicationem ſe ſe converterunt, & Reginæ Saba, quæ ſimplicibus verbis Salomonis ceſſit; illos potius credere debuiſſe in ſe, ſuiſque verbis cedere; quandoquidem ille fortius ſuam probaverat Miſſionem, & Divinitatem majori cum prodigiorum numero, quæ illis inſpectantibus fecerat, teſtatus, extremi gaudii die populum hunc, & Reginam Saba reſurrecturos adverſus eos, eiſque amariſſimis probris duritiam, & incredulitatem exprobraturos. Hæc Salvatoris verba ad evidentiam nobis probant funeſtum periculum, cui ſe ſe objiciunt, quicumque reſiſtunt gratiis Dei, eaſque rejiciunt: tamen hoc malum adeo uſitatum eſt, ac familiare, ut ſatis nequeat deplorari.... quod me impellit, ut apertius, quàm fieri poſſit, terribilia, quæ ſubſequentur mala, vobis enarrem, quod exequar oſtendendo;

Primum gratiam a peccatore rejectam reciproce mereri, ut illum abjiciat Deus pœna æquiſſima; primum enim, quod, qui beneficium recuſat, meretur eodem fraudari.

Secundo gratiam contemptam ex parte Dei fontem eſſe infelicitatum omnium, & reprobationis in peccatore; hæc enim parit illius cæcitatem, & obdurationem in peccato.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Gratia.

PRO FERIA V. POST PRIMAM QUADRAG. DOMINICAM. 27

PRO FERIA QUINTA
POST PRIMAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

O mulier! Magna eſt fides tua; fiat tibi ſicut vis. Matth. 15.

I. Argum. De virtute orationis in exemplo mulieris Cananææ. Sermo etiam habetur de hoc argumento in Evangelium Dominica Quinta poſt Paſcha. *In Hiſtor. Eccl. Marth. 15.*

VEterum, & cumulatius Elogium, quod SS. Patres his Filii Dei verbis innixi, Orationi tribuerunt, ſuit procul dubio illam omnipotentem vocare; nullis enim finibus circumſcripta eſt virtus illius, & in Cœlo æque, ac in terra ſe extendit, quin ulla Creatura, & ipſe Creator valeat adverſari. Quamobrem Theodoretus inquit: *Omnipotens Oratio, cum ſit una, omnia poteſt*; Oratio licèt una ſit, tamen obtinet omnia; quoniam virtus illius non eſt alia, niſi virtus ipſius Dei, quæ in Orationem migrare videtur. Hoc hodierno docemur Evangelio: nam hæc mulier efficit, ut virtus, & formitas ſua in opere ſuſcepto refulgeat, & qua clamoribus, qua precibus ſuis a Mundi Salvatore impetret, quidquid deſiderat. *O mulier! Magna eſt fides tua; fiat tibi ſicut vis*, Dei Filius illi reſpondet Vade, & ſcias, te quidquid petiis jam eſſe conſecutam, & eo ipſo, quo tibi loquor momento, filia tua pro qua me rogaſti, convaluit. Ne igitur longius quæramus artem orandi adeo utilem & admirabilem; ne alium quæramus Magiſtrum a quo eximiam hanc Rhetoricam edoceamur, quæ perſuadet, & cogit quodammodo ipſum Deum; Etenim in hac muliercula Cananæa ſuppetit nobis exemplum adeo manifeſtum virtutis, & efficientiæ Orationis, de qua toties verba facit JESUS CHRISTUS in Evangelio. Fretus hac fide nos a Deo conſecuturos, quidquid ab illo petierimus, audeo hoc vobis hodie teſtari oſtendendo

Primùm cauſam omnium malorum noſtrorum proficiſci inde, quia non ſatis nobis perſuaſum eſt de certitudine medicinæ, quam Deus nobis in oratione reliquit.

Secundò unde fiat, quod non ſemper nobis ſit efficax; ubi afferam conditiones, quæ illam concomitari debent, ut citra dubitationem effectum illius conſequamur.

Videndus eſt in To. III. Bibliotheca Moral. Evang. Titulus: ORATIO.

O mulier! Magna eſt Fides tua: Fiat tibi ſicut vis. Matth. 15.

II. Argum. Pro eadē die. De eadem oratione, ad exemplum Cananææ.

Ut oremus ad exemplum Cananææ, videlicet, ut bene oremus, tria nobis cavenda ſunt, ſine quibus preces noſtræ Deo acceptæ eſſe non poſſunt; & metuendum eſt, ut repulſam feramus.

Primum quinam ille ſit, cui preces fundimus, & ad quem confugimus gratiam aliquam conſecuturi? Deus eſt, Suprema Majeſtas, quæ nos audire dignatur; ideoque nolmet illi præſentare debemus cum reverentia, & humilitate, non ſine ſignificatione infelicitatis noſtræ, extremæque egeſtatis.

Secundo, quid ab illo petendum ſit nobis. Ille hæc omnia nobis præſcripſit in Dominicali oratione; ea videlicet quæ ad ejus gloriam referuntur, ad ſalutem noſtram, vel proximi.

Tertio, quomodo petendum ſit? Videlicet cum confidentia, fervore, reſignatione, & potiſſimum cum perſeverantia.

Videri poteſt in Tomo III. Titulus: ORATIO.

O mulier! Magna eſt fides tua: fiat tibi, ſicut vis. Matth. 15.

III. Argum. Pro eadē die. Item de eadem Orationis argumento.

Quæ tria homines abſterrere ſolent, cum eos deprecamur, ut aliquam nobis gratiam tribuant; ipſa eadem impellunt Deum, ut nobis poſtulata concedat; immo ipſe requirit illa tamquam neceſſarias conditiones in Oratione.

Primum eſt, cum petitiones modum excedunt; cum ab illis ea petimus, quæ ſunt ſupra eorum vires, captum & facultatem poſita: Jure enim poſtulata repellunt, ac faſtidiunt. Hoc autem dici non poteſt de Deo; imo e contra illum eſt ad iracundiam provocare, petere modica, & nugas, cujuſmodi ſunt temporalia bona, ſaltem quædam; ſed abs ſe peti vult digna ſe, gratias, æternam felicitatem, Cœli divitias, denique ipſius poſſeſſionem. Petitiones noſtræ modum non valent excedere; quandoquidem ille nobis plura pollicitus eſt, quam quæ optare valeamus.

Alterum eſt, cum poſtulata noſtra nimis urgent, & preces accidunt importunæ. Hac in re diligenter nobiſmet ipſis cavemus, cum apud homines agimus. Sed a Deo numquam vel crebro nimis, vel nimis ... licite petere poſſumus, quia ille gratias, & beneficia non largitur, niſi enixe petentibus, & perſeverantibus.

Tertium eſt cum preces importunæ fiunt, & cum ille, a quo petimus, nos audire pro otium non poteſt, vel cum aliis diſtinetur curis, quæ a poſtulatis noſtris abhorrent. Sed Deus ſemper præſto eſt, ut nobis benignas præbeat aures; in ſingulas horas, & momenta ſingula, illum adire poſſumus, Ipſe imo nos excitat, ut petamus; & olim exprobravit Apoſtolos ſuos, & fortaſſe aliquando nos exprobaturus eſt, quia nihil ab illo petierimus.

Vide in eodem Bibliothecæ Mor. Evang. Tomo Titulum eumdem: ORATIO.

PRO FERIA SEXTA
POST PRIMAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Erat autem homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Joannis 5.

I. Argum. De peccato Habituali, cujus figura eſt ægrotus habens 38. annos in infirmitate ſua, ſecus Piſcinam. Hoc ipſū argumentum pertractatur in 1 Dominica 3. poſt Epiphaniam per occaſionē Leproſi.

HUjus Evangelii ſenſus adeo perſpicuus eſt, ut ex ſemet ipſo pateat, & mihi facit perſuadeo neminem ex Auditoribus meis eſſe, qui illum explicare non valeat. Piſcina ſecus oram cujus Æger jacet tanto annorum numero, Sacramentum eſt Pœnitentiæ, in quo peccator invenit omnibus animæ ſuæ morbis medicinam, Aquæ motus, qui illic excitabatur ab Angelo, exhibet ultro motus gratiæ, ſine qua homo concipere nequit curationis ſuæ deſiderium. Sed miſer hic ægrotus, qui duodequadraginta annos ſecus Piſcinam jacuerat vera eſt imago peccatoris, qui in ſuo ſcelere occalluit, & qui in eo annos integros manſit, & nonnumquam etiam toto vitæ ſuæ tempore perduravit; & qui niſi peculiare, & non commune divinæ miſericordiæ ſubſidium affulgeat in apertiſſimo verſatur diſcrimine ita moriendi ſicut vixit. In hac poſteriori parte immorari fert animus, ut vobis ob oculos exhibeam miſerum peccatoris ſtatum, qui pridem contraxit peccati alicujus conſuetudinem. Ut autem videatis deplorabilem ſtatum ad quem pravus habitus redigit, & malum, quod inde accidit; volo unice conſiderare naturam habitus generaliter ſumpti. Hæc duplici in re ſita eſt; Primum quidem in proclivitate quadam, & facilitate agendi; quod innoteſcit in artibus omnibus, difficillimiſque rebus, quæ diuturno uſu exuunt difficultatem; deinde verò in ſumma habitum exuendi difficultate; quemadmodum quilibet uſu proprio experitur; magna enim opus eſt vi, ut relinquamus id, quod nobis cordi eſt, & cui pridem conſuevimus. Quod præcipue in habitu peccati poſſumus animadvertere. Etenim

Primum faciliorem creat illud perpetrandi; quæ res efficit, ut habitualis peccator fiat in oculis Dei objectum horroris, & abominationis.

Secundo parit ſummam difficultatem habitum exuendi, quæ cauſa eſt interitus, & reprobationis per quamdam ſpeciem neceſſitatis, & moralis impoſſibilitatis emergendi, quæ efficit, ut peccator perſeveret, & in eodem ſtatu moriatur.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evang. Titulum: HABITUS.

Sabbathum eſt; non licet tibi tollere grabatum tuum. Joannis 5.

II. Argum. De obſervantia Dominicarū Feſtorumque dierum.

Mirum non eſt, Chriſtiani Auditores, Doctores legis, quorum meminit Evangelium ignoraſſe, quanam in re ſita eſſet Sabbathi obſervantia, & ratio illius ſanctificandi. Invidia, qua rumpebantur, eo quod Filius Dei Opime audiret in populo, ita illos excæcaverat, ut crederent ſe illi fidem abrogare melius non poſſe, quàm oſtendendo illum in ſingula momenta infringere conſueviſſe Sabbathum, etiam cum adeo frequenter operabatur prodigia. Hoc mihi locum præbet loquendi apud vos non jam de feſtis Synagogæ diebus, ſed de Dominicis, Feſtiſque a nobis in nova lege ſervandis, & de ratione munus hoc adimplendi. Tamen ut ſermo noſter non migret in familiarem diſceptationem, abſtinebo a minutis quæſtiunculis: quid ſit opus ſervile, quandiu liceat eidem operam dare, & quantum temporis requiratur, ut in præceptum hoc peccetur; quæ diſcuſſio pertinet ad Confeſſarios, quorum eſt pœnitentes in dubiis erudire. Dicam ſolum præceptum ſervandi Dominicos, Feſtoſque dies, duplici modo violari, ſicuti duæ nos ad id poſſunt impellere cauſæ: avaritia videlicet, & licentia. Avaritia ad eos pertinet, qui metuunt ne ex intermiſſo labore aliquid ea bonis ſuis pereat, vel negotia ſua grave aliquod detrimentum patiantur; vel qui ſalutis ſuæ curam lucello poſthabendam autumant. Licentia eos reſpicit, qui cum ſint opibus præſtantes, & a manuum labore poſſint abſtinere, dies hos in criminoſam quietem convertunt inſumentes illos in ludis, ſolatiis, commeſſationibus; vel ut brevius dicam, alii nequaquam obſervant præceptum conſueto labori operam dantes; & alii ſe præcepto ſatisfeciſſe credunt bipalmari errore, quem probare videtur conſuetudo. Ad duo hæc igitur perſonarum genera ſermonem converto.

Pri-

Primum ad eos, qui palam hoc præceptum violant per avaritiam, vel temporalis lucri aviditatem.

Secundò ad eos, qui ex Sancti Auguſtini ſententia ſunt nocentiores, quia polluunt hos dies ſacros Deo actionibus, quæ criminoſiores ſunt operibus ſervilibus, quæ palam vetitæ ſunt.

Videndus eſt in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulus: Festi, ac Dominici diei.

Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in Piſcinam, & movebatur aqua. Joannis 5.

III. Argum. Pro eadē die. De Pœnitentia quatenus eſt virtus.

Communis Sanctorum Patrum ſententia eſt, veteris Teſtamenti Piſcinam Pœnitentiæ imaginem eſſe; quia ſicut infirmi convaleſcere non poterant, niſi Piſcinæ aquis eluerentur, quod in Evangelico Paralytico innoteſcit; ſimili ratione peccatores ab animæ morbis ſanari non poſſunt niſi per pœnitentiam in Eccleſia ob rem hanc inſtitutam. Sed ſi pœnitentia quovis tempore ſiat omnium virtutum maxime neceſſaria, dici tamen poteſt illam ſemper fuiſſe infrequentiſſimam: ita ut Sanctus Ambroſius teſtetur, ſe plures inveniſſe, qui Baptiſmi innocentiam ſervaverint, quàm peccatores, qui poſt illam amiſſam veram egerint pœnitentiam, Illi omnes, qui criminibus ſuis Deum irritaverunt, indigent pœnitentia, ac neceſſariò ad hunc tenentur aſylum perfugere, quæ unica eſt poſt peccatum reſurrectio, & uti loquitur Synodus Tridentina, unica poſt naufragium tabula, cujus beneficio, licèt multo cum labore, & periculo, poſſumus ad beatam æternitatem pervenire. Tamen in hac adeo abſoluta, & ineluctabili neceſſitate pœnitentia ea eſt, in qua facilius hominum oculos fallimus, in qua ſæpe fallimus noſmet ipſos, & in qua minori cum ſinceritate, & bona fide agimus erga Deum.

Tertullianus quoque ait nihil eſſe quod diſtrictius ad examen revocet Deus, quàm pœnitentiam. Hic nummus eſt, quo peccatores ſibi comparant Cœlum, quod amiſerant, ſed quem Deus facile rejicit, vel tamquam adulterinum, vel tamquam abraſum, ideoque non æqui ponderis, & pretii. *Si qui vindicant, prius nummum quo paciſcuntur examinant, num ſcalptus, neve raſus, neve adulter: ſic Dominum credimus pœnitentiæ probationem inire....* Volo nihilominus, Fideles, illum hodierna exhibere vobis per caracteres adeo proprios, & adeo bene connotatos, ut vobis facile ſit dignoſcere utrum genuinus ſit, & judicium ferre quàm ſit rarus in illis etiam, qui ſe melius, quam ceteri, pœnitentiam ſe exercere opinantur, Illos ad duo redigo officia, quæ continentur in definitione a Sancto Thoma tradita, a quo appellatur virtus moralis, & ſupernaturalis, cujus proprium eſt peccatum deſtruere, & ſatisfacere Divinæ Juſtitiæ, quæ læſa fuit. Hæc Definitio, quæ reſpicit Pœnitentiam, quatenus virtus eſt, ſive cum cognomine Sacramento conjuncta ſit, ſive ab eo ſejuncta, duo complectitur; quorum alterum eſt peccatum relinquere per veram ſinceramque converſionem, & omnimodam vitæ mutationem; *Vis Sanctus fieri;* alterum verò, illud expiare pœnis ultro ſuſceptis: *Noli amplius peccare.* Primum illud futuro proſpicit per vitam ſanctiorem, & ab omni ſcelere vacuam; alterum verò ſatisfacit pro præterito. Alterum nos Deo conciliat, immutans cor, alterum Dei Juſtitiæ ſatisfacit, ut ejus ultionem præveniat. Ut paucis me expediam

Primum eſt perfecta cordis perfectio, per quam ab omni peccato recedimus.

Secundum eſt, integra commiſſorum criminum expiatio. Quarum utraque in vera pœnitentia requiruntur.

Vide in To. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Poenitentia.

PRO SECUNDA
QUADRAGESIMÆ DOMINICA.

Et Transfiguratus eſt ante eos. Matth. 17.

I. Argum. Myſterii Transfigurationis Dei aufert hominibus omnem locum ſcandali, videntibus humiliationes Crucis & doctrinæ illius.

Humiliationes Incarnati Verbi effecerant, ut illud ne ab iis quidem agnoſceretur, pro quibus ſe ſe iiſdem ſubjecerat. Crux, & Paſſiones illius Judæis quidem ſcandali objectum fuerunt, Gentibus autem ſtultitia, quemadmodum inquit Apoſtolus; & demum Legis, Doctrinæque ſeveritas, quæ hominum ſtudiis adverſabatur, tantum aberat, ut illi ſectatores comparare valeret, ut imo ad eos rejiciendos eſſet accommodatior. Hæc tria ſunt, quæ ſcandalum attulerunt hominibus Perſonæ humiliatio, Crucis Paſſio, & Legis ſeveritas. Philoſophi non potuerunt ſe ſe ſubjicere, ut agnoſcerent Deum uſque ad hominis miſeriam humiliatum; non ſecus ac Judæi, qui opperiebantur Meſſiam victorem, atque triumphantem. Apoſtolis quoque ſcandalo erat Crux ejus, quod tamen erat inſtrumentum, quod Sapientia ſua elegerat ad univerſum terrarum orbem liberandum; & Phariſæis ſcandalo erat Lex illius, quæ omnes figuras, & Synagogæ cæremonias abrogaverat. Sed Transfiguratio omnem ſcandali occaſionem abſtulit, quod homines partim per ignorantiam, partim per ſuperbiam acceperant. Etenim

Primum ejus illuſtrat humiliationes radio gloriæ, quem divinitas ſua effundit in Sanctam humanitatem; & Filius Dei ab æterno Patre declaratur: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* 2. Cor. 6.

Secundò hac circumfuſus luce loquitur de paſſionibus ſuis, & de exceſſu, quem completurus erat in Jeruſalem, ut in anteceſſum oſtenderet gloriam, & honorem, qui futurus erat merces illius.

Tertiò demum Cœleſti voce declaratur Hominum Legiſlator: ne vereantur dictis illius habere fidem, & legem, quam prædicaturus erat, amplecti. *Ipſum audite.*

Hinc liquido patet Transfigurationis Myſterio auferri omnem occaſionem ſcandali ex aliis Myſteriis capiendi, quoniam illius humiliationes commendat, & lenit Crucem, & pœnas in ejus famulatu perferendas, & in hoc Myſterio probat Doctrinam, & legem, quam ſuper terram inſtituit.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Myſ. Theol. Myſterium Transfigurationis Salvatoris.

Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Matth. 17.

II. Argum. Pro eadē die. De modico amore & cura, quæ in hominibus eſt Cœlum adipiſcendi.

Si levis gloriæ radius ex Salvatoris anima in corpus ejus adhuc paſſibile, & mortale reſiliens adeo pellexit Apoſtolos, ut ſedem ſibi ſtatuere vellent in Thabor; quid fiet, Auditores, cum ille oculis noſtris non ſolum oſtendet omnem glorioſi corporis ſui fulgorem, ſed elevans ſpiritum noſtrum lumine gloriæ illum aptum efficiet ſuſtinendo lucem omnem divinitatis? Tunc ſane poſſidentes bonum ſpe, ac votis noſtris majus in beata ſede illa dicere poterimus: *bonum eſt nos hic eſſe.* Hìc, Magne Deus, manſionem noſtram in omnem æternitatem conſtituemus, ſemper illecti, & ſemper contenti noſtri ſupremi boni perfruitione. Profectò, Chriſtiani, hæc Transfiguratio Filii Dei eſt veluti levis adumbratio, & ſpecimen felicitatis illius, quam in vita altera nobis reſervat. Voluit tres ex Diſcipulis ſuis illius eſſe ſpectatores, & teſtes, ut hoc aſpectu confirmaret animum eorum in mediis crucibus, & perſecutionibus, quas pro illius amore ſubituri erant; quod ſimul ſpem noſtram debet inflammare, & excitare vota ad propoſitam nobis felicitatem acquirendam. Sed heu! ita frigidi ſumus, & languentes, ut dicere liceat, nos minime affici tanti boni cupiditate; quandoquidem adeo parum de eodem ſolliciti ſumus, ut nullo illud habere videamur in diſcrimine, ne ullum quidem moventes lapidem, ut illud aſſequamur. De hac ſenſus carentia hodierna die vobis verba facturus ſum, tamquam de obice communi, qui obſtruit pleriſque hominibus aditum in Cœlum, & prohibet nos ab ea felicitate, ad quam comparandam unice nati ſumus. Quæ ſenſus carentia tanta eſt, ut nec magnitudo mercedis, quam nobis præparavit Deus, nec naturale deſiderium, quo omnes homines beatos eſſe cupiunt, neque ærumnæ, quibus hæc vita obnoxia eſt, efficere valeant, ut anhelemus ad locum hunc, ubi nihil perturbare poterit pacem, & felicitatem, qua in omnem perfruemur æternitatem. Igitur fert animus oſtendere in hoc ſermone

Primùm modicam hanc Cœleſtis gloriæ aſſequendæ curam ſtatum eſſe deplorabilem in hominibus, qui alioquin felicitatem concupiſcunt, per ingenitum, ac neceſſarium affectum.

Secundò malum, quod hanc incuriam ſubſequitur, longe deplorabilius eſſe: quandoquidem maximus obex eſt, quo prohibemur, ne ad optatam felicitatem perveniamus.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Beatitudo.

Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Matth. 17.

III. Argum. Pro eadē die.

Rationes quæ a Patribus afferuntur ad oſtendendum decuiſſe quàm maxime, ut Salvator ſemet transfiguraret, & oſtenderet gloriæ ſuæ radium in Thabor, ex triplici capite deſumuntur.

1. Ab ipſo Christo Jesu.
2. Ab Apoſtolis.
3. A ceteris hominibus.

Primum, Dei Filius per hanc gloriam, quam extrinſecus coruſcare facit, & per hoc lumen, quo amictus refulget, probare vult Divinitatem ſuam ſub umbra noſtræ mortalitatis abſconditam; & certiſſimæ ſunt ab eodem allatæ probationes. Secundo loco ſignificare vult, ipſum mortalem, ac in humilitatis ſtatu videri, quia ita vult, & jugi miraculo vult prohibere, ne gloria beatæ animæ ſuæ prodeat extrinſecus. Denique vult, ut hinc intelligamus quænam erit Majeſtas ſua, cum in ſplendo-

re

Digitized by Google

te ſupremæ ſuæ poteſtatis ad homines judicandos deſcendet; quandoquidem licet adhuc mortalis, adeo glorioſus conſiſtat.

Secundò rationes, quæ ad Apoſtolos ſpectant, deſumuntur primum, quia Salvator in hoc Myſterio illos conſolari vult, & confirmare, poſtquam ſæpe cum illis locutus eſt de doloribus, & ignominia paſſionis ſuæ, ex quo nonnulli ſcandali occaſionem acceperant, cum ſibimet perſuadere non poſſent, Dominum ſuum in hunc ſtatum eſſe redigendum. Secundò, quod ſæpe admoniti de magnis perſecutionibus, quas pro nomine illius erant paſſuri; æquum erat, ut eos confortaret ſublimem adſtruens ideam mercedis, quam paſſionibus ſuis merebantur. Tertiò æquum erat, ut gloria Thabor illis animos faceret, & vim præberet ad mortem ſubeundam pro eo, qui pro ipſis in Calvario vitam erat daturus.

Tertiò ſe ipſum transfigurat etiam propter omnes homines, ut primum doceantur, eos, quibus eſt animus virtutem exercendi, & per ipſius amorem ſuſtinendi, ſolidas guſtare voluptates, & conſolationes, *bonum eſt nos hic eſſe*; ſecundò ad eos confirmandos in ſpe bonorum alterius vitæ, oſtendit illis in perſona Capitis ſui gloria coruſcantis, qualia futura ſint membra ſecundum illius ſpiritum viventia.

Videte idem TRANSFIGURATIONIS MYSTERIUM *in Tomo I. Bibliotheca Myſt. Theol.*

Hic eſt Filius meus dilectus; ipſum audite. Matth. 17.

IV. ARGUM. Pro eadē die. De legis divinæ præſtantia, & illam ſequendi neceſſitate. Iſaia 33.

In hoc potiſſimum Myſterio Mundi Salvator recipit Legiſlatoris qualitatem, ut docent Sacri textus verba, per quæ Pater æternus tribuit illi poteſtatem, & auctoritatem Novam irrogandi legem pro universo Mundo; eumque conſtituit legiſlatorem, & Judicem omnium gentium. Hoc de illo prædixit Iſaias Propheta, *Dominus legifer noſter*. Sed quamvis hæc lex tendat ad legem carnis, & Mundi deſtruendam, non ideo minus illam ſequi tenemur, quoniam lata eſt Filio ejuſdem Dei, & ab illius Patre probata. Dei igitur Filium Chriſtiani debemus audire tamquam noſtrum legiſlatorem verum, qui venit ad irrogandam nobis perfectiſſimam legem, quæ lata umquam fuerit in Mundo: & quomodo omnino neceſſe eſt hanc legem ſequi, & in praxim redigere quidquid per illam præcipitur ad æternam felicitatem comparandam, ita hodierna die ejuſdem præſtantiam vobis aperire fert animus, & mox oſtendere inevitabilem neceſſitatem, in qua ſunt homines univerſi illam ſequendi, niſi velint æternæ felicitati abrenunciare. Idcirco totum hunc ſermonem duplici veritate complector; quæ erit ejuſdem partitio.

Primùm Legis hujus præſtantia palam oſtendit legiſlatoris, a quo lata fuit, dignitatem, & evincit illum vere eſſe Deum.

Secundò Legiſlatoris divinitas inevitabilem nobis injicit neceſſitatem illius impetata faciendi, ſi participes fieri velimus bonorum æternorum, quæ pollicetur illam obſervaturis.

Adeundus eſt in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulus: LEX EVANGELICA.

PRO FERIA SECUNDA
POST SECUNDAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Quæretis me ..... & in peccato veſtro moriemini. Joan. 8.

I. ARGUM. De pœnitentia procraſtinatione. Joan. 8.

VERBUM Incarnatum, Salvator hominum, qui non niſi verba vitæ locutus es, teſtante Apoſtolo tuo: unde nam factum eſt, ut hodie immutata loquendi ratione in Judæos non proferas niſi mortis æternæ verba? quandoquidem minitaris, ts paſſurum, ut in ſuis peccatis moriantur? *Quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Hæc ſane teterrima eſt comminatio, quam Dei Filius umquam fuerit minitatus, quandoquidem hic teterrimus eſt effectus ejuſdem Juſtitiæ. Verumtamen ſicut Deus hic miſericordiæ non poteſt unquam obliviſci ſui; comminatio hæc licèt terribilis, effectus eſt miſericordiæ erga nos; quandoquidem ideo æternam nobis mortem minitatur, ut nos illam prævertere cogat per vitæ ſanctitatem; nobis oſtendens periculum, cui ſumus obnoxii, ut celeri, ſinceraque converſione nobiſmet præcaveamus ab hoc terribili malo, ex quo nulla eſt ſpes emergendi. Terribilis comminatio, quæ efficere debet, ut nihil non audeamus ad illam evitandam. *Quæretis me.... & in peccato veſtro moriemini.* Quo in argumento duplicem veritatem vobis explanaturus ſum, quæ maximi momenti profectò ſunt habendæ. Vobis enim oſtenſurus ſum

Primùm pœnitentiam in dies procraſtinare, idem eſſe, ac adire periculum numquam agendi pœnitentiam.

Secundò, cum pœnitentia in extremum vitæ ſpatium, adeoque in mortem ipſam differtur, qui fere terminus eſt, in quem peccatores plerumque illam rejiciunt, jam omnem exuiſſe inutilitatis ſuæ ſuſpicionem. Duobus Verbis pœnitentia dilata vel nulla eſt, vel inutilis.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evangel. Titulum: POENITENTIA.

Quæretis me, & non invenietis. Joan. 8.

II. ARGUM. Pro eadē die. De derelictione Dei.

Terribilis comminatio, quam Dei Filius in Evangelio noſtro intentavit Judæis, illos quidem perterrefacere potuiſſet, ſi intellexiſſet miſerrimum ſtatum, ad quem erant redigendi funeſtam derelictionem, quæ cum æterno illorum excidio conjuncta futura erat: Sed illorum infidelitas, & cæcitas voluntaria, quæ illis adeo terribilem pœnam conflavit, ipſis cauſam, & effectus abſcondit; ita ut nullo propriæ infelicitatis ſenſu commoti, uti videmus ex Verbis Filii Dei, ultro in interitum ruant, eumque ſibi procurent, dum volunt ejicere de civitate ſua illum, qui non poterat ſeverius in illos animadvertere, quàm illos ſibimet ipſis derelinquens. Terribile ſupplicium! Deplorabilis derelictio! quæ fons eſt, & principium malorum omnium in hac vita, & in altera, & qua Divina Juſtitia punit eorum ingratitudinem, & pertinaciam. Quod verò me terret magis; Comminatio hujuſmodi reſpicit etiam pleroſque Chriſtifideles, non ſecus ac Judæos, qui ad lumen Evangelii vocati, dum Synagoga renueret, & ad Dei cultum illecti, gratiis illius peculiariter illuſtrati, ejuſque aucti beneficiis, criminoſa infidelitate eum deſerunt, ut ſui juris fiant; vel potius ut fiant cupiditatum ſuarum mancipia, ſed qui non cogitant ſe a Dei cultu recedentes cogere Deum, ut viciſſim ab illis recedat, dicatque, illos quoque aliquando eum quæſituros, ſed minime inventuros eſſe, & in peccato ſuo morituros. *Quæretis me, & non invenietis.* Joan. 8. Illud verò deterius eſt, eos, quos hæc comminatio terret minus, ut plurimum illos eſſe, qui ſibi met præ ceteris cavere deberent. Quapropter non ad eos loquor, qui per cæcitatem ſuam, & ſenſus carentiam jam deferunt melius connotatos derelictionis hujus caracteres, ſed ad eos, qui pertæſi ſervitutis Dei ſui, eum deſerere meditantur, vel qui jam ab eo recedere inceperunt, ſingulis diebus magis magiſque derelinquentes illum per vitæ liberioris nequitiam, quæ ſibi promeretur derelictionem Domini, quem ipſi priores dereliquerunt. Ut hos pro virili adnitar de erroribus ſuis revocare, eſt ad officium revertantur, ob eorum oculos objicere volo malum terribile, quod eos manet, oſtendens illis

Primùm quænam ſigna ſint, & caracteres funeſtæ hujus derelictionis; videlicet privatio ſpecialium Dei gratiarum, quæ ſequitur repulſam a peccatore factam cedendi afflatibus Spiritus ſancti; frequentia relabendi in crimen, qui privationis ejuſdem eſt effectus; & quæ non patitur, ut ille cogitet amplius de ſalute ſua, & auferet illi cœleſte lumen; ac demum cæcitas, atque animi obduratio in iis omnibus, quæ ad animæ ſalutem pertinent.

Secundò quænam ſint cauſæ, propter quas Deus peccatorem derelinquit; videlicet repulſa gratiarum, quæ peccatorem efficit ſurdum monitis, quæ circumundique accidunt illi, ut de ſua cogitet ſalute; contemptus earumdem gratiarum, qui efficit, ut peccator ultro, ac nequiter ea committat crimina, quæ nullo habet in diſcrimine, ſed quæ illum adducunt in graviora, quin illi negotium faceſſant, quod tandem in finalem obdurationem, & malorum omnium noviſſimum pertrahit.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: CÆCITAS.

In peccato veſtro moriemini. Joan. 8.

III. ARGUM. Pro eadē die. De reprobatione.

Terribilis hæc, & Formidabilis æternæ reprobationis comminatio, quam intentat Deus Judæis in hodierno Evangelio ad incutiendum terrorem eſt apta; nemo enim eſt, qui metuere non debeat, utrum ſit in numero reproborum. Verum eſt, Concionatores ut plurimum hoc vitare Argumentum tamquam Sanctarum, pavidarumque animarum ſcopulum. Verum cum ipſe confidam me illud tractaturum ita, ut nihil inde ſit metuendum; ſolum adnitar, haurire illinc validam rationem, ut ab altero extremo, vana videlicet præſumptione peccatores ſemovsam. Cumque in extremis malis, violentioribus uti remediis conſueverimus, credidi ea in nequitia, in qua hominum plerique hodierna die vivunt, ad eos deterrendos nihil aptius excogitari poſſe, quàm metum reprobationis, quam æterna ſubſequitur calamitas: præterquam quod qui devoti ſunt, vel Dei ſervitio addicti, ſemper hoc indigent fræno ad innocentiam tuendam: quandoquidem nemo eſt, in quocumque ſtatu verſetur, qui juſtam

ſtum non habeat occaſionem metuendi, ne illam amittat, & mox in manus incidat viventis Dei.

Igitur ad ciendum in vobis ſalutarem hunc metum cum Divo Thoma præſupponendum eſt, hominum reprobationem non eſſe aliud, quàm voluntatem, quæ ab æterno in Deo eſt permittendi, ut illi cadant, & moriantur in peccatis, quæ ille prævidit ab illis per nequitiam committenda, & deinceps illos a Cœli gloria prohibendi, ut æternis in inferno ſuppliciis illos afficiat. Quod tres complectitur veritates, quæ profectò coercere poſſunt licentiam, quam ſibi vendicant peccatores tanta cum facilitate Deum ad iracundiam provocandi.

Primum eſt conſilium, quod in Deo eſt reprobandi nonnullos, eoſque in æternum a cœleſti gloria prohibendi; nam quamvis id conſilium non ceperit Deus, niſi poſt prævisam eorum nequitiam, obſtinationem, & peccata ab illis perpetranda; Conſilium hoc non ceſſat, quominus terribile ſit æque, ac juſtum; conſtat enim, ipſum ſeverius agere in hos, quàm in alius, & illos juſto judicio deſerere, dum miſericordem ſe præbet in alios per amorem peculiarem, quo illos proſequitur. *Terribilis in conſiliis ſuis ſuper filios hominum.* Pſalm. 65.

Altera veritas eſt non minus certa; noſtra voluntate determinari voluntatem Dei, ad nobiſcum hoc modo agendum; quæ res non minorem nobis timorem debet incutere; quoniam in inconſtantia, infirmitate, & nequitia, quæ ſunt nobis ingenitæ, infelix hæc propria voluntas cauſa eſt æternæ reprobationis noſtræ.

Tertia demum eſt certiſſima executio conſilii, quod ab æterno ſuſcepit Deus efficiendi, ut peccatores impœnitentes experiantur effectus iræ, & ultionis ſuæ, quos æquiſſime ſibi promeruerunt. Ita ut hæc reprobatio nobis timorem parere debeat, & in officio continere, ſive illam conſideremus in Deo ejus auctore; ſive in nobiſmet ipſis, qui ejus extitimus cauſa, ſive in fine, vel æterna miſeria, quæ eſt effectus. Tres veritates, Chriſtiani, omni cogitatione noſtra digniſſimæ, ſi ſerio conſulere veſimus ſaluti noſtræ; quæ ſermonis hujus noſtri partitionem conſtituent.

Videte in Tomo III. Bibliothecæ Moral. Evangel, Titulum: PRÆDESTINATIO, *ubi etiam de reprobatione ſermo eſt.*

PRO FERIA TERTIA
POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMÆ.

Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite. Matth. 27.

I. ARGUM. De obedientia Eccleſiæ præſtanda. Alia exercitii ejuſdem argumenti pertractandi ratio in Evangelio feriæ tertiæ Hebdomadæ item tertiæ poſt Pentecoſtem.

DEI Filius in Evangelio in anteceſſum reſpondet dubiis, quæ aſſerti Spiritus Fortes, objicere poſſent, quorum alii prætexentes magnam eſſe vim Sectarum in Mundo, quarum ſingulæ apud ſe veritatem inveniri contendunt, nulli adhærent parti, & noſtræ Religionis veritates nullo habendas cenſent in diſcrimine; alii verò nutantes in Fide, de omnibus ejus articulis diſputant, ne ſciunt quid ſequantur, & nihilominus vivunt tamquam nullam fidem, aut Religionem haberent. Tuta, conſtans & certiſſima regula, quam Salvator utriſque tradit, eſt obedientia Eccleſiæ præſtanda ſive de fide, ſive de moribus ad vitæ rationem inſtituendam agatur. Etenim quemadmodum egregie Sanctus Auguſtinus animadvertit; Eccleſia Corpus eſt, vel Fidelium Congregatio, cujus fides recta eſt, & vita ſancta: *in qua bene creditur, bene vivitur.* Poſito igitur, nos eſſe in Eccleſia vera, qua de re nullus eſt dubitandi locus, ad Catholicos loquor, & hic locus non eſt controverſiæ. Hoc eſſet ab argumento recedere; dico ſolum, ſalutare, & maximi momenti monitum, quod Dei Filius fidelibus tradit in Evangelio, hoc eſſe, ut nos convertamus ad Eccleſiæ Caput, & ad eos, qui eidem præſunt in dubiis de fide, & ea, quæcumque dixerint nobis, faciamus, quin rationem habeamus ad eorum actiones, & utrum quod illi docent, exequantur; ex quibus duplicem elicere poſſumus concluſionem.

Primùm, Eccleſiam eſſe regulam, quam ſequi debemus in iis veritatibus, quas docet.

Secundò, Eccleſiam eſſe regulam morum, vitæque noſtræ in legibus, quas nobis præſcribit.

Igitur ſecundum deciſiones Eccleſiæ mores, vitamque noſtram componere oportet.

Secundum opera eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt. Matth. 23.

Hoc Mundi Salvator in hodierno Evangelio exprobrabat Phariſæis, & Doctoribus Legis qui populum quidem hortabantur ad ſanctiſſimas quaslibet actiones exercendas, ſed omnes illorum ſermones erant inutiles, quippe quod aliis prædicabant, ab ipſis opere non complebatur. Et ſane parum eſt dicere, niſi actiones verbis reſpondent; & ſi doctrina, quæ ore traditur, non confirmetur exemplo, ruit omni fructu deſtituta. Nullus dubito, quominus hæc adeo juſta exprobatio hodierna etiam die quadrare poſſit pleriſque Concionatoribus; numquam enim majori cum fervore homines ad Sanctitatem adducere adniſi ſunt ſeveriori diſciplina, & numquam ferme major deprehenſa fuit morum nequitia; & ratio eſt, quia verbis magis, quam exemplis prædicatur, *Dicunt, & non faciunt.* Verum cum Dei Filius nos doceat, ut faciamus, quæ dicunt, non autem imitemur, quod faciunt; quin illos cenſoria nota corripiamus, in qua nos ipſi noſtram damnationem invenire poſſemus; per vos mihi liceat conari, ut voſmet ipſos totidem præcellentes Prædicatores efficiam, & ſuadeam, ut exemplo prædicetis, & tales voſmet præbeatis, ut factis prædicare ſatagatis, & a Phariſæorum more abhorrentes, pauca dicatis, & multa operemini. Ad hoc vos ſuadere fert animus oſtendendo neceſſitatem, in qua eſt Chriſticola bonum exemplum præbendi; & maximum bonum, quod procurare poteſt illud præbendo. Ad id primo ſtatim intuitu duo mihi occurrunt in Evangelio præcepta, quæ viciſſim ſecum pugnare videntur; quamvis utrumque manavent ex ore veritatis ejuſdem. Primum nos jubet abſcondere per humilitatem opera noſtra bona, quæ ſatis eſſe debet, ſi uni Deo ſint cognita, quin hominum oculis ſubjiciantur, ita ut manus noſtra læva ignorare debeat eleemoſynam, quam erogat dextera, & præcipit, ut ſanctiſſima Religionis exercitatio (oratio videlicet) fiat ſecreto, & janua clauſis perinde ac altiſſimus humilitatis gradus eſſet, ignorare ea, quæ bona facimus, & ſi fieri poſſet ipſam conſcientiam noſtram fallere. Sed alibi prorſus aliud præceptum invenio; jubemur enim efficere, ut opera noſtra bona ab univerſo Mundo videantur, & ſimus quædam veluti funalia ad alios illuminandos, quocumque effundentes lucem noſtrarum virtutum: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona.* Matth. 5. Quid? Num ſecum pugnare poteſt Dei Filius, ſimulque ea præcipere, quæ apertiſſimam ſimul contradictionem videntur involvere? Nequaquam. Duo hæc præcepta optime conciliantur; & utrumque propriam, ac ſingularem infert obligationem. Ecce quomodo oporteat, opera bona ſecretò, & clanculum fieri; fieri enim non debent ad nitorem, oſtentationem, & hominum laudes captandas; alioquin omnes labores noſtri non aliam conſequerentur mercedem, niſi plauſus inanes; ſed tenemur profiteri virtutem, & bonum exercere etiam coram hominibus, ut eos ad ſequelam, & imitationem noſtram alliciamus; quod non in uno tantum ſitum eſt præcepto negativo, quo jubeamur nihil facere eorum, quæ ſcandalum afferre valeant proximo, ſed etiam poſitivo, præbendi videlicet bonum exemplum. Quapropter hodierna die vobis oſtendam duo, quæ ſermonis partitionem conſtituent.

II. ARGUM. Pro eadē die. De bono exemplo.

Primum neceſſitatem, qua Chriſtianus omnis bonum aliis exemplum præbere tenetur, & ſe ſe in vita oſtendere irreprehenſibilem.

Secundum, quantum proficere poſſit bonum exemplum in Mundo ad gloriam, & honorem Dei.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: EXEMPLUM.

Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur; & qui ſe humiliaverit, exaltabitur. Matth. 23.

III. ARGUM. Pro eadē die. De humilitate, vitioque illi oppoſito.

Facile eſt ex verbis allati Textus cognoſcere, quouſque Deus oderit Superbiam, & quanta hæc ſecum mala trahat; e contra verò, quanta nobis bona procurare valeat humilitas, quia ita placet Deo, ut Salvator ipſe fieri voluerit ſemper vivens ejuſdem exemplum in omnibus actionibus vitæ ſuæ Mortalis. Quare oſtendere licet

Primùm, Superbum tribus in rebus oppoſitum eſſe Deo, quia injuſtus eſt, infidelis, ingratus.

Primùm, Injuſtus eſt, quod ſibi gloriam vindicat, quæ illum non decet, & quæ eſt injuſtitia. Secundò rebellat contra auctoritatem, cui ſubjectus eſſe debet, quæ infidelitas eſt. Tertiò, acceptis bonis frui vult, tamquam propriis, & hæc mera eſt ingratitudo.

Secundò, humilitatem fovere ſenſus prorſus oppoſitos: Primùm efficit, ut homines, illi etiam, qui ceteris præſtant dignitate, agnoſcant, & venerentur Dei Magnitudinem. Secundò, ut obediant Legi Dei, ejuſque mandatis ſe ſubjiciant. Tertiò fateantur gratias, quibus a Deo cumulati fuerunt, qua in re ſita eſt ſolida gloria, & generoſitas vera.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: HUMILITAS.

PRO

Digitized by Google

PRO FERIA QUARTA
POST SECUNDAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Tunc acceſſit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo.
Matth. 20.

I. Argum. De Filiorum cura.

HODIERNUM Evangelium magni momenti monitum continet. Exemplum eſt Matris filiorum ſuorum ad Filium Dei confugientis, ut id gratia aſſequatur, quod non niſi meritis eſt tribuendum. Verum eſt petitionem illius, quia nimium fuit ambitioſa, a Salvatore fuiſſe rejectam; fatendum eſt tamen laudabilem in hoc parentis curam fuiſſe, a Deo commendatam, & naturæ legibus innixam. Conſtat etiam hanc ob cauſam ad Deum confugere, & ab illo petere ea, quæ a filiis ſunt neceſſaria, non extremam eſſe debere chriſtianorum parentum curam; ſed Salvatoris reſponſio, & repulſa, qua poſtulata negavit, oſtendit, quænam eſſe debeat cura, quam filiorum ſuorum patres gerere debeant: *Neſcitis, quid petatis*. Non ita; parentes, neſcitis, quæ a vobis petenda ſint, cum pro filiis magnas opes poſcitis; cum in eo eſtis ſolliciti, & ingentes illis in Mundo fortunas procuretis, ut illos ad prima promoveatis ſubſellia, vel illos opibus potentes efficiatis, quæ ut plurimum ſaluti eorum officiunt. Quibus addere poſſum: neſcitis quid illis faciatis, nec malum, quod illis confertis, cum eorum inſtitutionem negligitis, quod maximum eſt bonum, quod illis relinquere valeatis. Hoc argumentum delegi, ut hodierna die apud vos verba facerem, quod teſtari poſſum unanimi eſſe momenti inter ea, quæ Sancto hoc pœnitentiæ tempore pertractabimus; inde enim pendet felicitas familiarum, bonum regimen rerum publicarum, parentum conſolatio; & ibi ſalus agitur parentum ſimul, & filiorum.

Quamobrem, Fideles, conſidero Deum in hanc lucem homines evocantem, ſimul illis dare, vel deſtinare triplex vitæ genus, quod nobis oſtendit triplex curarum, & providentiarum genus erga illos. Dat illis vitam naturalem, propter quam illis providet ea, quæ ad conſervationem eorum ſunt neceſſaria. Deſtinat eos vitæ immortali, propter quam illos creavit; quamobrem habet erga illos alteram ſupernaturalem providentiam invigilantem præparandis gratiis, & mediis ad ſalutem eorum neceſſariis. Deinde illos oriri facit in medio aliorum hominum, ut Reipublicæ partem conſtituant; quod efficit, ut per tertiam providentiam, quam vocationem dicimus, & quæ ex reliquis duabus mixta eſt, partim naturalis, ac ex parte ſupernaturalis, eos ad hunc ſtatum vocat, vel ad hoc vitæ genus. Triplici hac in re Parentes imitari debent Deum, cujus locum tenent apud Filios ſuos.

Primùm, cum illorum opera utatur Deus ad naturalem ipſis vitam tribuendam, tenentur eorum victui, & conſervationi conſulere per amorem, qui Dei amorem imitetur.

Secundò. Conſulere debent ſaluti eorum per optimam inſtitutionem, quæ ſecunda eſt vita mortalis priore longe nobilior, educando illos in virtutibus, ut facilius Cœli viam ingrediantur.

Tertiò, Denique illis opem ferre debent, ut in civili vita ſtatum ſibi figant, obſequentes eorum ingenio, & vocationi ea in conditione, ad quam Deus illos evocat.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: EDUCATIO.

Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo. Matth. 2.

II. Argum. Pro eadem die. De Ambitione. De hoc ipſo argumento ſermo eſt in Evangelium decimæ ſextæ Dominicæ poſt Pentecoſten.

Paulò ante Dei Filius locutus erat de paſſionis ſuæ humilitate, de Crucis probro, de irriſionibus, & contumeliis quas paſſurus erat a Judæis, & Gentilibus, a ſuis, & alienis; & mirum! Diſcipuli ſui poſt adeo funeſtum colloquium, quod illis immittere debuerat aliquos ſaltem confuſionis, & humilitatis ſenſus, per Matrem a Salvatore petunt primos recubitus in regno illius. De dignitatibus certant, & de præeminentia, & quinam inter eos princeps futurus ſit, altercantur. Loquitur ille de itinere Jeroſolymam ingrediendo ad mortem ibi ſubeundam; & ambitio illorum eos urget, ut Thronos aſcendant ibi regnaturi. Verba facit de paſſione ſibi ſubeunda, ut illis regnum acquirat, & illic ad Regnum feſtinant, ſine paſſione. Hoc ductum Apoſtolorum exemplum, antequam per illapſum Spiritus ſancti confirmarentur in gratia, non eſt nobis ad imitandum propoſitum, ſed ad evitandum. Cum enim honor, & gloria ſit bonum extra nos, & quod omnino pendet ab aliena opinione, cum quæritur, & per ambitionem appetitur, plerumque tria contingunt, quæ Sanctus Bernardus tribus verbis complexus eſt, & quæ Sermonis hujus partitionem conſtituent. *Indebite venit*, laudatus inquit Pater, *præpropere affectatur, periculoſe captatur*. Nam

Primò *Indebite venit*, palam fit, eum qui honorem hoc modo ambit, illum non mereri. Ambitio noſtra hoc palam probat; ſupplere enim volumus merito, quod ad id neceſſario requiritur, ambitu, commendationibus, ſuffragiis alienis, ceteriſque adminiculis, quæ oſtendunt nos eò pervenire non poſſe æquiori via, & magis legitima; vel deeſſe nobis modeſtiam, moderationem, & humilitatem, ut attolli expectemus.

Secundò: *Præpropere adſectatur*, Nimis urgetur; ambitionem palam oſtendimus, onus ſupra vires ſumimus; unde fit, ut meritorum noſtrorum exilitas magis ſe prodat, quàm ſi priſtinæ conditionis noſtræ acquieſceremus. Magnus enim honor, ac fulgens dignitas, ad quam per ambitionem attollimur, efficit plerumque, ut ingenii, captuſque anguſtiæ in majorem prodeant lucem; ideoque noſmet objicimus hominum contemptui, dum apud illos in pretio haberi contendimus.

Tertiò: *Periculoſe captatur*. Non ſine magno periculo adeuntur dignitates per ambitum conquiſitæ: ut plurimum enim abutimur auctoritate, quam hac via nobis comparavimus; in diſcrimine verſamur illam amittendi cum probro, & dedecore; & quod maxime timendum eſt, & ad quod minus attendimus, in evidenti ſalutis noſtræ periculo vivimus.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: AMBITIO.

Neſcitis quid petatis. Matth. 20.

III. Argum. Pro eadem die. De eadem Ambitione.

Cum permoleſtum futurum ſit, ac operis fine carentis, omnia recenſere mala ea ambitione profecta, tria ſatis erit generatim memorare;

Primum, videlicet cæcam eſſe in perquiſitionibus ſuis. *Neſcitis quid petatis*;

Secundum. Sibi præfidentem eſſe in ſenſibus ſuis; quod nobis indigitat verbum illud Salvatoris Mundi *Poſſumus*, cum ex illis præcontatus eſt, utrum haurire poſſent Calicem ſuum.

Tertium; in effectibus ſuis periculoſam eſſe, atque odioſam, quod aperte deſignat verbum illud Evangeliſtæ de aliis Apoſtolis aſſerentis: *Et decem indignati ſunt*.

Vide Bibliothecam Moral. Evangel. eodem Titulo.

Quicumque voluerit inter vos major fieri; ſit miniſter veſter. Matth. 20.

IV. Argum. Pro eadem die. De eodem Ambitionis argumento.

Ad oſtendendum, in quæ mala nos detrahat ambitio, cum ita miſeri ſumus, ut alamus in cordibus noſtris hanc cupiditatem; uti poſſumus verbis Anteſignani Superborum, & Ambitioſorum omnium. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium; ſimilis ero Altiſſimo*, & oſtendere ſutentem hanc animi ægritudinem tres terribiles effectus producere.

Primùm ambitioſorum inflammat deſideria, qui numquam explentur, & qui numquam ſatis eſſe rati, dicunt: *Aſcendam*. Ambitioſorum eſt ſemper aſcendere; & numquam in eo gradu, quò pervenerunt, ſubſiſtere.

Secundò adfectat auctoritatem, & juriſdictionem in alios, quæ cauſa eſt, propter quam ambitioſus ubique præeſſe vult, & dominari. *Super altitudinem*. Verum quomodonam hac utitur poteſtate? Quomodo ſe gerit cum aliis? Quo oculo ſibi ſubditos reſpicit?

Tertiò. Ambitioſus appetit ea, quæ illius ſtatum, & meritum ſuperant. Obliviſcitur ſui; & ſe majoribus comparat. *Similis ero Altiſſimo*.

Vide eumdem Titulum, quem in Superiori argumento.

PRO FERIA QUINTA
POST SECUNDAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. Luc. 16.

I. Argum. De Inferno, & pœna ſenſus.

QUISNAM credidiſſet adeo funeſtam cataſtrophem ex initiis adeo felicibus? & quis adeo infelicem mortem expectaſſet, poſt vitam adeo plenam gaudio, & deliciis? Sed quis non mirabitur videns, quantum differat ſtatus, in quo ſitus erat malus hic dives in terra, ab eo, in quo modo in inferno invenitur? Olim induebatur purpura, & byſſo; nunc circumſeptus eſt igne, & flammis, inceſſanter triſtia hæc ex ore illius extorquentibus verba: *Crucior in hac flamma*. Antea circumdatus erat ingenti famulorum numero, qui erant voluptatum ejus

Mini-

Google

Miniſtri, & ſemper ad faciendas voluntates ejus parati; hodierna autem die dæmonibus tantum ſtipatus eſt, qui ejus ſunt carnifices, cumque miſerrime vexant. In terra inſtruebatur illi menſa ſuaviſſimis dapibus, & liquoribus circumfuſa; & in triſti hoc habitaculo enixia precibus flagitat aquæ guttam ad ſolatium ſitis æque ardentis, ac flamma, qua uritur. Sed hæc illi negatur æquiſſimo ſupplicio, poſtquam negavit micas de menſa ſua cadentes pauperi Lazaro ad illius oſtium fame pereunti. In hoc Mundo magnificis in ædibus habitabat, mollibus cubabat in cultricis ſuperbis: veſtibus amiciebatur; in altero autem in tenebroſo carcere includitur, infinitis ſeclutus ſpatiis a luce, ac tota terræ denſitas eſt agger miſerrimi loci, in quo habitat, ad auferendam illi ſpem omnem inde in æternum emergendi. In hoc infeliciſſimo loco, in hac flamma, & incomprehenſibili dolore, quem afferunt illi terribilia ſupplicia, quibus torquetur, gemit, & clamores, & ejulatus effundit; *Crucior in hac flamma*. Sed quoniam immenſum chaos, quod inter ipſum, & nos interjacet, prohibet, ne clamor ingens ad aures uſque noſtras pertingat, finite me hodierna die interpretem fieri querimoniæ ipſius, ut magnitudinem ſuppliciorum ejus intelligatis, furorem iræ Dei, & ignem hunc, quo peculiariter dolet. Etenim immorari fert animus in conſideratione terribilis hujus inſtrumenti juſtitiæ Dei irritati, quippe quod aptiſſimum cenſeo ad incutiendum vobis metum ſalutarem calamitatis, quæ manet Reprobos in inferno,

Et quamvis mihi perſuaſum ſit, Dei privationem, quæ vulgo pœna damni vocatur, eſſe omnium teterrimam, nihilominus quia ea, quæ ſenſibus notiora ſunt, majorem in animos noſtros efficiunt impreſſionem, unice in pœna ſenſus immorabor, quam parit ignis, quo Deus utitur veluti præcipuo juſtitiæ ſuæ inſtrumento; quippe in illo reperio duo, quæ aptiſſima videntur ad injiciendum ſupplicii hujus terrorem, videlicet illius violentiam, atque æternitatem, quamobrem Dei Filius hæc utraque jungit, *Ibunt in ignem æternum*. Hoc igitur in ſermone oſtendam

Primùm Supplicii hujus magnitudinem ſufficere poſſe ad coercendos quoslibet licèt violentos hominum affectus, quamvis ad unius diei tantùm ſpatium perduraret.

Secundò, incomprehenſibilem durationem æternitatis alicujus ſupplicii ſolam per ſe debere prohibere omnia crimina, quamvis malum etiam admodum leve ſummendum eſſet.

Sed utrumque ſimul conſociare æternitatem ſupplicii, cum illius acerbitate; actuoſitatem ignis devorantis, cum duratione nullum finem habitura; profectò ſi hæc duo ſimul nequeunt nos a peccatis deterrere, dicendi ſumus omni ſenſu carere. Duplici verbo, hinc ſupplicii magnitudo, illinc ejus duratio conſtituent Sermonis hujus partitionem.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum; INFERNUS.

Sepultus eſt in inferno. Luc. 16.

II. Argum. Pro eadem die. De pœna damni. Si placeat ſermonem habere de ſola damni pœna, quæ ſita eſt in ſupremi boni carentia, aliter, aliterque efferri poterit hoc argumentum, ita tamen ut ſemper ad ſenſum hunc referantur

Primùm, pœna hæc damnatum privabit ſupremo bono, in quod anima a corpore ſeparata ſummo impetu fertur.

Secundò, Bono, ad quod tot obtinet rationes, & jura, & quod in illa gignet tot deſideria, quibus torquebitur conſiderans ſe culpa ſua tanto bono privatam fuiſſe.

Tertiò denique, Bono cum quo arctam adeo habebat affinitatem. *Hæc eſt partitio Biroat in Quadrageſima.*

Aliter hoc effertur argumentum. Pro argumento etiam deſumi poteſt; De pœnæ damni magnitudine judicium ferri poſſe per tria.

Primùm per infinitam magnitudinem ſupremi boni, quod damnati amiſerunt.

Secundò, per magnitudinem, ac vim deſiderii, quo torquentur, ſupremo hoc bono perfruendi.

Tertiò, per magnitudinem rationum, & jurium, quæ habuerunt ad poſſeſſionem tanti boni, & a quibus ſua culpa exciderunt

Vide eumdem Titulum, quem in ſuperiori Argumento.

Aliter etiam hoc ipſum efferri poteſt argumentum.

Aliter. Primùm, Reprobos amittendo Deum omnia amiſiſſe; & jacturam hanc univerſalem eſſe, & infinitam.

Secundò, illos infinitum hoc bonum amiſiſſe pro nihilo, pro temporali lucello, vel momentanea voluptate.

Tertiò, illos hoc voluntarie amiſiſſe, & amiſiſſe citra ſpem redimendi, & amiſiſſe in æternum.

Vide Titulum ſuperius memoratum.

Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. Luc. 16.

III. Argum. Pro eadem die. De pœnarum inferni Æternitate. Quantumvis terribile ſit ſpectaculum, quod nobis proponit Evangelium in Epulonis ſupplicio, & quantumvis terribilis ſit magnitudo, & multitudo tormentorum, quibus ille torquetur in hoc miſerrimo loco, audeo tamen aſſerere, quidquid de illo dici poteſt, leviſſimam eſſe partem ſuppliciorum illius; quandoquidem totus ſimul infernus non eſt tam gravis illi, quàm adſpectus, & cogitatio æternitatis calamitatis ſuæ, & hæc infinita duratio, quæ inceſſanter ſpiritui illius obverſatur. Ita conſiderate hunc quidem divitem hunc calamitoſiſſimum ſepultum in inferno, & inde pauperem Lazarum in Abrahæ ſinu quieſcentem: ubinam ſunt omnes deliciæ, convivia, luxus, & univerſa alterius magnificentia? Ubi miſeria, paupertas, eſuries, & ulcera alterius? Præteritum totum immutatum eſt in præſens prorſus oppoſitum, & præſens hoc in æternitate conſtitutum eſt, quæ numquam mutabitur. Dives ille de ſuo voluptatum paradiſo, qui uno manſit momento, migravit in infernum pœnarum, æternarumque ſuppliciorum; & pauper iſte de perfunctorio ſuarum paſſionum inferno tranſiit in Paradiſum deliciarum, qui in æternum eſt duraturus. *Recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem conſolatur, tu verò cruciaris.* Luc. 5.

In hac æternitatis conſideratione hodierna die immorabor, ſed in miſera æternitate, quæ conſtituit cumulum ſuppliciorum inferni, oſtendens

Primùm æternitatem pœnarum inferni.

Secundò pœnam ejuſdem æternitatis, cujus cogitatio, quæ in ſingula momenta colligit omnem durationem illius, novum ſeorſim conſtituit ſupplicium.

In parte priori mens eſt probare conſilium Dei erga reprobos, vobis oſtendens veritatem, & æquitatem ſupplicii hujus æterni. In altera verò vobis oſtendam magnitudinem hujus ſupplicii, quod in damnatis parit adſpectus æternitatis pœnarum ſuarum.

Videte eoſdem Bibliothecæ Mor. Evang. locos &c.

PRO FERIA SEXTA
POST SECUNDAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide. Luc. 16.

I. Argum. De Luxu. CUm hodiernum Evangelium pauca nobis argumenta ſuppeditet, quæ nos afficere valeant, & erudire, cumque illud heſternæ diei iiſdem abundet, video mihi ex eodem petenda eſſe, quæ hodiernæ concionis materiam valeant miniſtrare. Scriptura nobis exhibet effectus terribiles juſtitiæ Dei in epulonis damnatione; ſed me non ſatis id fateor admirari; idem enim Evangelium, quod illius nobis narrat ſupplicium ad oſtendendam nobis æquitatem, quam omnino ſervat Deus in omnibus Judiciis ſuis, ſimul nobis objicit miſeri illius flagitia: *Induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide*; vitamque ſuam in luxu tranſigebat. Ecce triplici verbo compendium vitæ illius; criminum ejus enumeratio, damnationis cauſa, & reprobationis ſententia. *Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.* Luc. 16. Si terribile hoc divinæ ultionis exemplum vos terret, ſtuporem vobis injicere debet cæcitas plerorumque Fidelium hujus temporis, quos hoc exemplum adeo parum movet, & qui eamdem vitæ rationem ſecuti non advertunt ſe in pretioſis indumentis deſcriptam geſtare ſuæ damnationis ſententiam; famulos hos, magnamque domeſticorum turbam, quæ magnificum conſtituit comitatum, fore aliquando totidem accuſatores inſurgentes in eos in Judicio Dei; & hæc convivia tanto ſumptu inſtructa, quorum apparatus, & deliciæ de pretio certare videntur, totidem futura argumenta in aliis quidem concuſſionum, in aliis verò ſævitiæ erga pauperes, quorum devorant ſubſtantiam, & in hujuſmodi conviviis ſudores, & ſanguinem hauriunt. Verum quænam plerique divitibus ævi noſtri ſuppetit cauſa propter quam ſibi non metuant Sententiam illi divitis hujus miſerimi ſimilem impendere? Numquid nos ſumus illo innocentiores? Luxus, qualis hodierna die renidet in divitum menſis, in indumentis, & eorum familia, ac pretioſa ſupellectili numquid parcior eſt, & caſtigatior? Nonne tot poſt crimina illis timenda eſt terribilis ſententia, quam Dei Filius ſimilibus eorum comminatus eſt? *Ite maledicti in ignem æternum*. Sed quænam eſt terribilis hujus ſententiæ cauſa? Paucis verbis hæc eſt.

Primùm magnificus veſtrorum conviviorum apparatus, in quo nullis parcitur ſumptibus, imo neque ſanguini

pau-

Digitized by Google

pauperum, quem longis hauſtibus epotatis: *Epulabatur ſplendide*.

Secundò, veſtium luxus, in quibus bombycinum, & animalium vellus, totaque opificum exhauritur induſtria: *Induebatur purpura, & byſſo*.

Tertiò, Ædes magnificæ, in quibus Architectorum, Fabrorumque ingenium, ac labor impenditur; namquamvis Evangelium de Epulonis ædificationibus non loquatur, perſpicuum eſt, illum parem immenſis opibus ſuis domum inhabitaſſe.

Hæc, o divites Mundi tria ſunt, propter quæ vobis metuenda eſt ſors eadem divitis Evangelici, quæ tria Sermonis hujus partitionem conſtituent.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: INFAMIA, & ibidem INTEMPERANTIA, & MOLLITIES.

Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. Luc. 16.

II. Argum. Pro eadē die. De pravo divitiarū uſu. Ecce terribile nuntium, quod vobis affert Dei Filius! Numquid culpa carere non poteſt, divitem fieri? Plures ea antiquis Patriarchis divites fuerunt; & nihilominus Deo erant dilecti. Plures inſigni Sanctitate viri opibus affluebant, & ſalutem conſecuti ſunt. Hoc veriſſimum eſt, Auditores, ſed quamvis Salvator teſtis ſit æternæ calamitatis divitis hujus; non ideo tamen ejus divitiæ cauſa fuerunt ejuſdem infelicitatis; ſed pravus uſus earum in vita cauſa fuit æternæ damnationis ejuſdem. Salvator nobis narrat terribile hoc divinæ juſtitiæ exemplum, non eo quod opibus affluere malum ſit, ſed quia qui Mundi hujus poſſident bona in manifeſto verſantur diſcrimine pereundi, eumdemque exitum inveniendi, quem calamitoſus hic dives in æternæ infelicitatis abyſſo. Hinc hodierna die conſilium cepi oſtendendi vobis cauſam damnationis illius, ut eumdem exitum evitare ſatagatis, videlicet amorem periturorum bonorum hujus Mundi, pravumque eorum uſum, qui ſit in vita. Videbimus ergo in prima parte

Primùm, quomodo divitiæ fiant pravæ propter ea vitia, quæ parit amor earum.

Secundò, pravum earum uſum eas convertere in criminum omnium inſtrumentum, quæ poſt ſe trahunt damnationem. Divitiæ nos poſſident, cum præpoſtere poſſidemus illas. Illæ nos perdunt, cum perdimus eas in pravum uſum convertentes.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: DIVITIÆ.

Induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide. Luc. 16.

III. Argum. Pro eadē die. De vita molli. Cum heſternum Evangelium nobis ob oculos repræſentet vitam mollem, impuram, & voluptuoſam, quam ducebat Epulo dives, ſimulque funeſtum illius exitum; hoc anſam mihi præbet hodie verba faciendi de vita molli, quam noſtris hiſce temporibus ducunt plerique in Mundo, quos idem exitus manet. Argumentum, quod hodie pertractandum aſſumo, pertinet ad pleroſque Mundi ſectatores, atque etiam ad eorum plurimos, quorum vita irreprehenſibilis videtur. Quapropter credidi primum rite ſtatuendum quæſtionis, de qua agitur, ſtatum, ad auferendam omnem dubitationem, & prævertendas difficultates, quæ objici poſſent. Primùm igitur, quæro Auditores, utrum ſatisfieri poſſit hominis Chriſtiani officiis vitam ducendo, quæ paſſim hodierna die ducitur, non dico ab illis tantùm qui æquo liberiorem vitam trahunt, ſed ab illis, qui ejuſmodi vitam ducunt, quæ vulgò mollis vita appellatur, videlicet, qui abrenuntiant quidem voluptatibus magis criminoſis; verum qui nihil ſibi vetant, quominus tempus cum jucunditate traducant; quibus quidem ſatis modeſtiæ, & honeſtatis eſt, & ſi lubet etiam probitatis, ut a vita nequam abhorreant; ſed qui ægre ferrent, ſi quod in Civitate ſolatium eſſet, cui non intereſſent. Ut verbo me expediam, qui vitam in alea, ludiſque traducunt, in feſtivis cœtibus, in conviviis, & compotationibus: tamen citra grave aliquod ſcandalum, quin alicui injuriam inferant (ſemper enim hoc ſuppono), verum etiam citra crucem aliquam, quin aliquid negotium illi faceſſat, & ſine ulla mortificatione. Quæſo utrum hac vitæ ratione adeo his temporibus familiari Chriſtiani officiis valeat ſatisfieri; & utrum moraliter loquendo liceat in ea ſalutem ſuam operari. Non ludum, non ſolatia, non feſtivos cœtus ſignanter reprehendo; illud quæro unum, utrum vita omnibus hiſce rebus dedita poſſit vacare culpa; & negativam partem tenendam autumo. Numquid hoc vitæ genus poteſt vita Chriſtiana appellari? Nullum ibi Chriſtianæ vitæ veſtigium deprehendo. Coram hominibus, hanc vitam ducunt, qui honeſtiſſimi habentur; ſed coram Deo pro criminoſa eſt habenda? Hæccine damnanda eſt? Utique; damnandam affirmo; nec tres potiſſimum rationes deſunt.

Primùm quia hæc voluptatum, & oblectationum vita prorſus eſt oppoſita Evangelio, quod pœnitentiam, & mortificationem ſuadet.

Secundò quia vita mollis, & voluptuoſa ex diametro adverſatur vitæ, quam Salvator vixit in terra, quæ jugis vita fuit Crucis, atque paſſionum.

Tertiò, quia vita hæc otioſa omnino adverſatur fini, quem nobiſmet propoſuimus, qui Cœlum eſt, quod nobiſmet comparare, niſi vim nobis facientes, non poſſumus.

In tribus hiſce punctis videbimus vitam mollem, inertem, voluptuoſam, & ſenſibus indulgentem, oppoſitam eſſe Evangelio, quod regula eſt morum, vitæ Salvatoris, quæ nobis tamquam exemplar eſt propoſita, & fini, quem omnes fideles ſibi debent proponere, qui Cœlum eſt, non niſi per pœnitentias, Cruces, & mortificationes comparandum.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: MOLLITIES; VITA MOLLIS.

PRO TERTIA

QUADRAGESIMÆ DOMINICA.

In Beelzebub principe Dæmoniorum, ejicit dæmonia. Luc. 11.

I. Argum. Sermo haberi poteſt etiam de impudicitia per occaſionē immundi Spiritus, cujus meminit Evangeliū. DICENDUM eſt, Auditores, nihil eſſe extra jactum detractionis, quandoquidem ne ſanctiſſimo quidem & hominum perfectiſſimo parcit. Non ne diceres dæmonem a Filio Dei ejectum ex corpore Energumeni Evangelici recepiſſe loquendi facultatem, & obſediſſe linguam Judæorum, ut ex hoc miraculo occaſio arriperetur dicendi, CHRISTO commercium fuiſſe cum principe dæmoniorum, & non ſine illius auctoritate, ac poteſtate illa extrudere valuiſſe ex corporibus obſeſſorum? Profectò poſt adeo atrocem calumniam, adeo manifeſtam, ac tetram, quiſnam evadere poteſt telum detractionis, quandoquidem audet ipſam laceſcere innocentiam, & atræ loliginis ſucco inficere actiones ſolaribus radiis ſplendidiores?

Verum eſt altera ex parte hanc detractionis audaciam medicinam afferre debere vulneribus quæ infert; quandoquidem ſi non pepercit illi, qui ſuapte natura peccare non poterat, multò minus parcere debet veris ceterorum hominum criminibus. Sed Hominum, ubi agitur de honore, ſcrupulus inutilem facit hanc medicinam; nam quantum proni ſunt in detractionem, tantum afficiuntur aculeis, quibus confodiuntur; ita ut dici poſſit, omnes in detractionem proclives eſſe, & ſimul eſſe neminem, qui illam valeat ſuſtinere. Vitium hoc periculoſum eſt, & adeo commune inter homines, ut hodierna die illum oppugnare velim.

Numquam Sancti Patres ſunt Eloquentiores, quàm cum invehuntur contra vitia linguæ, quam ipſi jure ſuo reſpiciunt tamquam omnium fere malorum originem poſt Sanctum Jacobum Apoſtolum, a quo *univerſitas iniquitatis* vocatur, perinde ac ſi diceres omnia ſimul mala, & crimina; quippe in cauſa eſt, ut malorum omnium genera perpetrentur, cum pauciſſima illa ſint, quorum eſt expers. Non ideo tamen fert animus de omnibus generatim verba facere, ſed de omnium maximo, & uſitatiſſimo, videlicet detractione, ex cujus effectibus liquet, merito detractori nomen inditum fuiſſe dæmonis ipſius, ſeu propter caracterem pravitatis, quem detractio continet, ſeu quod uterque ſpectatur tamquam apertus hominum inimicus per quamdam neſcio quam improbitatem, qua actus ubicumque diſcordiam ſerit, & diſſidium. Tamen nomen hoc adeo inviſum prima tantum eſt adumbratio ejus tabulæ, quam vobis propoſui detractoris; quæ tamen efficit, ut alios colores in Scripturis detegam, qui nobis exhibent dæmonem, modo tamquam furentem, ſævumque inimicum, qui molitus eſt hominum omnium excidium, & qui a Sancto Joanne idcirco dicitur homicida. *Ille homicida erat ab initio*; modo tamquam periculoſum inimicum, qui ſine peculiari ope Numinis ſuperari non poteſt. Spero vos ex hujuſmodi lineamentis optime connotatis facile vos deprehenſuros caracterem detractionis, quam Sapiens abominationem hominum vocat, & in quam adnitar omne, quod meretur, odium immittere, vobis objiciens detractionem in triplici hujus Sermonis parte.

Primùm tamquam crudelem, furentemque inimicum; cujus ægritudo illum ad funeſtiſſimum quemlibet effectum rapere valeat.

Secundò, tamquam ſubdolum, callidumque inimicum, qui ut proximo ſuo noceat, utitur vaferrimis inventis, quibus par eſſe poteſt Spiritus verſipellex.

Tertiò denique tamquam inimicum fere invictum, cujus tela evitari non poſſunt, & plagæ quas infert nulla ratione curari.

Crudelitas ergo Detractionis; ejus verſutia, & difficultas propulſandi damni, quod infert, conſtituent univerſam hujus ſermonis partitionem.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: DETRACTIO.

Erat JESUS *ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Luc. 11.

II. Argum. Pro eadê die. Non levius peccatum eſt detrahenti aures præbere quàm detrahêre.

Veritas eſt Scripturis, Sanctorumque Patrum ſententiis innixa, ſingula vitia ſuum habere dæmonem, qui homines impellit in malum, eoſque ad illud patrandum ſollicitat. Hinc fit, ut nonnumquam dæmoni tribuatur nomen vitii, cujus auctor eſt, & dicitur, aliquis obſeſſus eſſe a dæmone avaritiæ, impudicitiæ, ſuperbiæ, vindictæ, verbo, ceterorum vitiorum, quæ per varios effectus oſtendunt varia media, quibus infelices illi ſpiritus utuntur ad nos tentandos, perdendoſque. Dæmon ergo mutus Evangelicus dæmon eſt, qui facit, ut taceamus, ubi loquendum eſt, cum viciſſim non deſint alii, qui nos ad loquendum inducunt, cum altum nobis ſilentium eſſet ſervandum. Verum ſi detractionis dæmon agit eos, qui alienæ exiſtimationi ſtudent officere, dicere etiam poſſumus dæmonem Evangelii mutum, dæmonem eorum eſſe, qui audiendis detractionibus oblectantur. Verum eſt, vitium hoc infamia laborare; nec deeſſe quoſdam honeſtos homines, quibus ſatis eſt conſcientiæ, & religionis, ut pati nequeant, ſe audientibus aliorum exiſtimationem proſcindi; quos tamquam ſtatres haberi fides jubet; ſed heu! Quàm pauci numerantur! Hinc Sanctus Paulinus detractionem vocat *extremum diaboli laqueum*, in quem facile incidit, qui reliquos evitavit.

Quapropter cum hinc quidem alterum ab altero ſeparari non poſſit, & aliunde velim ad eos tantùm loqui, qui audiunt detractionem, poſtquam alio in ſermone repræſentaverim mala, quæ pariunt detractores, mihi per vos liceat efficere, ut ea malo priori de alſero feratis judicium, & utrumque comparans, vobis oſtendam enormitatem illius, quod minus metiendum exiſtimatis, & a quo vobis negligentius cavetis, probans

Primùm, detractionem audire non eſſe levius peccatum contra juſtitiam, & charitatem, quàm ipſum detrahere: Juſtitia quippe debet prohibere injuriam quæ fit proximo, cum illi nobis audientibus obtrectatur. Hoc primum erit punctum.

Secundò, Charitatem excitare debere nos ad proximi cauſam tuendam, cum de illo detrahitur, & illius partes tueri, & hoc illud eſſe unum, in quo de illo poſſumus bene mereri. Hoc punctum erit alterum.

Vide eumdem Titulum, quem in ſuperiori argumento.

Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur. Luc. 11.

III. Argum. Pro eadê die. De Diſcordia, & Diſſenſione.

Nullum, auditores, regnum eſt, nulla in terris Reſpublica, quæ in Mundo ſtare poſſit ſine concordia, & conſenſione; & ſic illuc irrepit diſſidium, tunc cum Filio Dei dicere poſſumus; *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.* Et ſane cum intus bellum exarſit, & ejuſdem Civitatis incolæ, vel ejuſdem ditionis ſubditi, alii contra alios diſtrinxerunt arma, alterutra pars vicerit, non niſi communi ſumptu vincere poteſt, neque niſi de ſua cæde triumphat. Hoc autem effatum, quod toties probavit experientia in regnis hujus terræ, magis adhuc verum invenitur in Regno, quod Filius Dei in nobis inſtituit per Charitatem, quæ omnes ſimul Fideles conſociat, & de qua idem loquitur Evangeliſta, dicens: *Regnum Dei intra vos eſt.* Itaque Salvatori noſtro ita cordi fuit hujus Charitatis praxis, ut voluerit hunc eſſe characterem præcipuum, quo veri fideles ſui dignoſcerentur. Hinc conjicere poteſtis, quod malum, & quam vaſtitatem pariat in hoc regno diſcordia, & utrum, qui illam ſerit, habendus ſit tamquam pernicioſiſſimus inimicus. Ne igitur ægre feratis, ſi magno in argumentorum numero, quæ hodiernum mihi ſuppeditat Evangelium in hoc immoror de chriſtiana Concordia. Hanc vobis hortaturus ſum ea vobis ob oculos ſtatuens mala, quæ in vobis parit diſcordia, & jurgia quæ foLuc. 17.

vetis ad invicem, & oſtendens quomodo hæc ſcindant regnum interius Filii Dei æque ac domos veſtras, atque familias.

Verum cum primi tumultus incipiant ea corde eorum, qui illos cient, atque fovent; ita ibi diſcordia majora parit mala, ac funeſtiſſimam vaſtitatem. Illi inde juſtitiam expellunt, pacem, & gaudium, per quæ in corde hoc regnabat Deus, ibique Regnum ſuum conſtituerat: *Regnum Dei juſtitia, pax, & gaudium*; & hoc illud eſt in quo ſita eſt vaſtitas, quam gignit diſcordia. Etenim

Primùm deſtruunt juſtitiam, deſtruentes charitatem, & amicitiam Dei, per crimina, quorum ſunt cauſæ.

Secundò expellunt pacem, & gaudium dividentes, ac in partes dirimentes cor ipſum in ſexcentas cupiditates, ac replentes illud totidem curis, quæ omnem illi vitæ auferunt ſuavitatem.

Hæc procul dubio duo illa ſunt, quæ etiam atque etiam concordiam nobis commendare debent, & quæ Sermonis hujus partitionem efficient.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: DISCORDIA.

PRO FERIA SECUNDA

POST TERTIAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Repleti ſunt omnes in Synagoga ira. Luc. 4.

I. Argum. De Ira.

QUAM ad exceſſum incompoſita animi perturbatio non rapit homines, quandoquidem ſæpe leves ob cauſas ad furorem uſque, & inſaniam procedunt! Non alio nobis opus eſt exemplo præter illud, quod nobis hodiernum proponit Evangelium. Cum Dei Filius in Judæorum Synagogam fuiſſet ingreſſus, ut ibi de more æternas doceret Veritates, & divina præcepta, de quibus venerat orbem terrarum eruditurus, palam ea cum eloquentia locutus eſt, qua ſtatim audientium admirationem ſibi conciliavit. Exprobravit vitia, damnavit abuſus acriter contra flagitia invectus eſt ea cum auctoritate, quam miſſio, & character ſuus requirebat; Sed ut plerumque fit, veritas illos offendit, qui ſe perſtringi ſibi conſilii, intellexerunt. Videntes igitur in ſermonibus illius morum ſuorum cenſuram, tamquam phrænetici contra benignum Medicum irruunt. Indignantes in illum impetum faciunt, turpiter ejiciunt de Synagoga, violenter extrudunt ex civitate, trahuntque in verticem montis, ut illum inde præceps deturbent. Ecce gradus per quos ira hominem uſque ad inſaniam, & furorem rapit. De his iracundiæ effectibus mens eſt vobis habere Sermonem, ut vobis inſpirem horrorem adeo periculoſæ ægritudinis, & ut ſimul tradam, quibus modis illa ſubigi poſſit. Eſt enim inimicus adeo alacer, ut nemo unus inde integram victoriam valeat referre. Tempeſtas eſt, qua plerumque, ne cogitantes quidem, prævertimur, & cui cor noſtrum magis obnoxium eſt, quàm mare procellis; ſed ubi ſæpe deficit ars, & induſtria. Quæ res me cogit, Auditores, ut hoc in ſermone vobis exhibeam

Primùm mala, & funeſtos iræ effectus, quæ in Evangelio noſtro ad vivum deſcripti inveniuntur.

Secundò media ad prohibendum, ne virtus naufragium patiatur inter procellas, quæ in corde noſtro debacchantur.

Videto hoc argumentum in Tomo II. Bibliotheca Moral, Evangel. Titulo: IRA.

Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in Patria tua. Luc. 4.

II. Argum. Pro eadê die. Cuilibet deſtinata eſt certa gratiarum menſura.

Cum Dei Filius eſſet in Patria ſua, & videret, nullo in diſcrimine haberi a concivibus ſuis doctrinam ſuam, & miracula, quæ operabatur, annuntiabat illis, contemptum hunc eſſe cauſam, propter quam privabat illos iis gratiis, quas large, effuſeque tribuebat Gentilibus, apud quos obſequium, quod ejus perſonæ deferebatur, & gratitudo, qua collata ab ipſo beneficia rependebantur, tutiſſima erat ratio promerendi effectus ipſius miſericordiæ. Hunc in finem Salvator duo illis narrabat Exempla, Eliæ unum, & alterum Eliſei, ad quos oppidani ſui confugere negligebant in ſuis neceſſitatibus, cum interim advenæ proficerent ex favoribus, quos Deus liberali-

Digitized by Google

raliter Prophetis illis largiebatur; quæ cauſa erat, propter quam Iſraelitæ carebant gratiis, cum interea Gentiles omnem eorum fructum perciperent. Hoc palam oſtendit, nos per contemptum gratiarum mereri, ne Deus nobis amplius concedat, niſi communes, & has etiam in menſura, ſecundum ſententiam Sancti Bernardi, & aliorum Patrum, cum Civitatibus generatim, cum privatis; cumque illæ ab utriſque contemnantur, fontem earum tandem veluti exhauſtum inveniri. Non audeo affirmare, eſſe ſtatum aliquem, in quo aliquandiu vivitur, & in quo ita a Deo derelinquimur, ut nullæ pro nobis gratiæ ſuperſint, neque ulla ſalutis ſpes: quæ opinio mihi videtur non admittenda, quidquid nonnulli Doctores affirment. Verum ſi pro hac menſura intelligamus poſt certum peccatorum numerum, qui Deo uni cognitus eſt, poſt plures infidelitates, quibus ſuas gratias contempſimus, illas ab eo nobis ſubtrahi, & nobis gratias electas, frequentes, & validas denegari, hoc de fide eſſe exiſtimo. Etenim ex quo alio principio proficiſcitur cæcitas, qua Deus punit quoſdam peccatores, & hæc induratio cordis, de qua toties ſermo eſt

Iſai. 6. Exod. 4 & 7. in Scripturis? *Exæca cor populi hujus. Indurabo cor Pharaonis.* Non quod lumen repente nobis deſit, vel quod fons Sanctorum motuum, quibus in bonum agimur, omnino exhauriatur; ſed hujuſmodi gratiæ non ſunt ultra adeo validæ, & Deo nos relinquente cum modico ſubſidio, quamvis poſſimus adhuc converti, tamen non convertemur. Loquor de validis, electiſque gratiis, quarum multitudinem numeratam eſſe contendo. Qua de re ſi dubitare non licet, quænam deeſt nobis metuendi cauſa, ne contemptus gratiarum, quas recepimus, occaſio ſit, propter quam Deus eas nobis neget, quas ille impoſterum nobis deſtinabat? His poſitis in hoc ſermone vobis oſtendere volo

Primùm, Deum ſingulis noſtrum deſtinaſſe certam gratiarum menſuram, quæ numeratæ, & determinatæ ſunt: intelligo gratias fortes, delectaſque; quia nemini id negat, quod ad ſalutem ſuam operandam eſt omnino neceſſarium.

Secundò, menſuram hanc eſſe incertam, & neminem ſcire poſſe, utrum gratia, quam negat, futura ſit ultima, quam illi ſe daturum decrevit Deus, poſtquam non niſi communes gratias ſit illi conceſſurus.

Tertiò menſuram hanc non eſſe omnibus parem. Non deeſſe aliquos, quos dereliquit Deus poſt primam, quam neglexerunt; & alios, cum quibus nequaquam uſus eſt hac ſeveritate, niſi poſtquam gratia centeſims abuſi ſunt. Quod autem certius mihi videtur, eſt, Deum, ut plurimum huic menſuræ cumulum non addere, niſi poſt gratiam inſignem, quæ critica poteſt appellari, cui reſponſum non fuit.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: GRATIA ACTUALIS: *& in Tomo IV. Titulum:* REPROBATIO, ſeu PRÆDESTINATIO.

Medice, cura te ipſum. Luc. 4.

III. ARGUM. Pro eadē die. De zelo falſo, & vero. Vana curioſitas ſuperborum Doctorum Synagogæ, qui Dei Filium irrident, & exprobrant, eo quod nullum in patria ſua miraculum operaretur, eumque cogere adnitebantur, ut coram ſe non ſecus ac alibi mirabilia faceret, locum aperit loquendi ſuſius de zelo ficto, & de qualitatibus quæ requiruntur in zelo, qui habet verum caracterem zeli chriſtiani, qui proprius eſt eorum, qui conantur Salvatoris Regnum promovere; qua in re oſtendere licet

Primùm fictum Zelum cupidum eſſe, & in bono, quod aliis procurat, ſuam tantummodo quærere utilitatem; quod liquet ex horum Phariſæorum exemplo petentium a Salvatore miracula non ad aliorum utilitatem, neque ut ipſi converterentur, & ſequerentur illum; ſed ut inanem curioſitatem explerent; Ideoque non meriti ſunt, ut Dei Filius ipſis inſpectantibus miraculum ullum operaretur.

Secundò fictus zelus e contra obliviſcitur ſui, ut curet aliena. Ita Superbi Doctores illi facere conſueverant; invehebantur in minimas labeculas, quas in aliis videbant, quin de vitiis ſuis corrigendis eſſent ſolliciti.

Tertiò temerarius eſt, furit ſine ſcientia, ac prudentia; atque tunc neque ſibi utilis eſt, neque proximo; quod facile innoteſcit in eorumdem Doctorum exemplo, qui aliena crimina cum ſeveritate, & ſine miſericordia puniri cupiebant, ipſi verò vaferrime vitia ſua virtutum fuco tegere ſtagebant.

Aliter hoc ipſum argumentū efferri poteſt. Hoc argumentum in alium ſenſum flecti poteſt, oſtendendo eas qualitates, quas habere debet zelus Apoſtolici viri peccatorum converſionem quærentis. Nam

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Primùm enim habere debet Miſſionis legitimæ auctoritatem, neque injuſſus illi operam dare miniſterio, in quo non adhibetur a Deo, non ſecus ac Pſeudo Prophetæ illi, de quibus in Scripturis ſermo eſt, qui ſibi vindicabant provinciam annuntiandi Verbum Dei, quin a Deo vocarentur, vel hoc illis committeretur officium.

Secundò ſcientiæ lumen habere debet: alioquin cæcus eſt alios adducens in præceps.

Tertiò eſſe debet intrepidus, ſed cum prudentia, & modo; ne quid præpoſtere operetur; videlicet paucis Zelus eſſe debet gravis cum auctoritate; perſpicax cum humilitate, audax cum mediocritate.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: ZELUS.

PRO FERIA TERTIA

POST TERTIAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Ubi Duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

I. ARGUM. De Chriſtiana amicitia. QUANVIS Chriſtiana amicitia, de qua hodie verba facturus ſum, ſemper conjuncta ſit, immo etiam ſere cum charitate confuſa, quæ Spiritus eſt Chriſtianiſmi; non ideo tamen unum, & idem eſſe, poteſt affirmari. Differunt enim objecto, cauſa, & notione ipſa, quam de duabus hiſce virtutibus debemus concipere. Re vera Charitas univerſe totum complectitur Mundum, quin aliquem excipiat; quippe in hoc poſita eſt, ut proximum diligamus propter Deum, quæ cauſa ad omnes homines extenditur. E contra amicitia non niſi inter paucos eſſe poteſt, & ardor illius eò magis infirmari videtur, quò magis late patet, & in turba, ingentique amicorum numero, extinguitur. Charitas, ut ſit perfecta, rationem non habet generis, gradus, aliarumve perſonalium qualitatum; e contra verò amicitia amicum deligit, ſimiles quærit, & plurimum tribuit genio, aliiſque talentis, potiſſimum verò propenſioni. Charitas nequit cuiquam negari, quicumque tandem ille ſit; nam prædiligendi proximum, quæcumque labes, aut vitium in eo deprehendatur, æternùm viget obligatio. Sed in amicitia, cum multa dimetienda ſint, ut arctum fœdus conſocietur, non deſunt etiam occaſiones, quibus tenemur illud diſſociare, & communem duntaxat charitatem fovere. Itaque amicitia aliquid ſuperaddit Charitati, unde ſit, ut in Ethicis vocetur mutuus amor quarumdam perſonarum ſimul adhærentium per alicujus boni communicationem, quod eſſe debet commune, & quod amicitiæ quoddam eſt veluti fundamentum. Hinc liquet Chriſtianiſmum, qui adeo explicitum, & inevitabile proponit Charitatis præceptum, in quo complectitur ceteras novæ legis obligationes, nequaquam prohibere amicitiam, quæ nobis eſt communis cum Infidelibus; ſed illam perficere, & ex ſe ſanctam facere amicitiam, quæ nobis magno eſſe poteſt auxilio ad Dei amicitiam acquirendam, & ſalutem noſtram procurandam, cum pleræque Mundi amicitiæ Dei inimicitiam pariant, juxta Apoſtolicum illud: *amicitia hujus Mundi inimica eſt Dei.* *Jacobi 4.* Ad hoc autem argumentum cum aliquo ordine pertractandum, & regendas amicitias noſtras ad earum normam, quas Salvator a nobis petit in Evangelio, duo potiſſimum mihi videntur conſideranda, ut bonæ, ſanctæque ſiant.

Primùm delectus habendus eſt amicorum; amicitia enim debet eſſe intra paucos.

Secundò, quid ab amicis requirat viciſſim mutuum hoc fœdus; nam uti vulgò dicitur: inter amicos omnia eſſe debent communia.

Pars prima nobis oſtendet quanti referat bene eligere eos, cum quibus arctum fœdus amicitiæ ſumus inituri; Altera verò docebit quouſque procedere debeat hoc fœdus, ne abrenuntiemus amicitiæ Dei.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: AMICITIA.

Si peccaverit in te frater tuus; vade, & corripe illum inter te, & ipſum ſolum. Matth. 18.

II. ARGUM. Pro eadē die. De Correctione fraterna. Hoc, mea quidem ſententia præceptum eſt maxime accommodatum ad exterminandum peccatum; & peccatorem ab errore revocandum; illum corripere, cum peccantem videmus, vel certò ſcimus illum pec-

caviſſe; præceptum quod Filius Dei conceptis verbis nobis irrogavit in Evangelio. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Sed in eo malum eſt, quod iſta correctio, quæ quidem actio eſt præſtantiſſimæ Charitatis, quæ valeat cum proximo exerceri, non minori cum difficultate fit, quàm ab aliis facta recipitur; ideoque quantum noſtra ſuperbia ægre fert dedecus, quod ſibi putat inferri a corripiente, tantum amor proprius alios corripere perhorreſcat. Hinc anſam arripio vobis in hoc ſermone oſtendendi

Primùm hujus præcepti utilitatem ex fructu, qui percipietur, ſi obſervatum fuerit eo modo quo Dei Filius inſtituit.

Secundò ad quos hoc præceptum ſpectet.

Tertiò denique modum illius obſervandi, videlicet quid præcavendum ſit, ut hoc munere perfungamur.

Duplici verbo. Correctio hæc officium eſt, ultro, citroque exercendum; a quibuſnam facienda ſit, & quomodo ſit facienda.

Vide Bibliothecam ſub Titulo: FRATERNA CORRECTIO.

Si Eccleſiam non audieris, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.

III. ARGUM. Pro eadem die. De Obedientia Eccleſiæ præſtanda. Vide idem argumentum prorſus aliter pertractatum. *ad Hebr. 11.*

De Obedientia Eccleſiæ debita duæ certiſſimæ propoſitiones Sermonis hujus partitionem ſuppeditare poſſunt; quarum prima eſt extra Eccleſiam nullam ſalutem eſſe ſperandam: altera verò ad hoc, ut ſalutem conſequamur, non ſufficere, eſſe in Eccleſia, niſi vixerimus ſecundum leges, & placita Eccleſiæ.

Quod ad primam ex duabus hiſce propoſitionibus pertinet: Primum conſtat ſine fide neminem ſalvari poſſe; quod teſtatur Apoſtolus: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* At in Eccleſia tantum fides vera invenitur; videlicet creduntur veritates, quas Deus hominibus revelavit: Per Eccleſiam illas nobis propoſuit, & per eamdem tamquam Organum ſuum nobis aperuit. Hinc Hæretici qui extra Eccleſiam poſiti ſunt, vel nullam omnino ex his veritatibus credunt, vel illas ex parte dumtaxat credentes, deſtruunt Fidei unitatem, ideoque nullam habent fidem, & miſere pereunt. Eccleſia cum Arca Noe comparatur, in qua tantum ſalvi facti ſunt, qui in illa erant incluſi, & qui per illam evaſerunt ex naufragio, quod reliquum genus humanum ſuſtulit. Quapropter Dei erga nos miſericordiam laudare debemus, cujus gratia nati ſumus in Eccleſia, & incluſi fuimus in hac Arca, ut ſi vellemus in tuto ſalutem noſtram collocaremus. Nonne erumpere debemus in gratiarum actiones pro tanto beneficio, quale eſt fons, & principium gratiæ beatitudinis noſtræ? &c.

Secundò extra Eccleſiam non ſolum fides non invenitur, ſed neque Charitas, nec verus Dei amor, neque gratia Sanctificans, quæ nos Dei Filios officiens, faciat Regni cœleſtis hæredes. Hoc nos docet Sanctus Auguſtinus per hæc verba, quæ in omnium ore verſantur. *Si quis abſque Eccleſia inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum Dei; non habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem.*

Tract. de ſymbolo c. 10.

Tertiò extra Eccleſiam in via ſalutis non ſumus; ergo qui ſunt extra viam hanc ſperare nequeunt ſe ad beatum illum terminum perventuros, quo omnes contendere debent Chriſtiani. Eccleſia nos regit, atque ſuis doctrinis deducit nos per verum Dei verbum, per Sacramenta, quæ nobis confert, & ſunt fontes gratiarum, & ſalutis, nec non per lumina, quæ de Cœlo nobis promeretur. Qui extra Eccleſiam ſunt his omnibus carent ſubſidiis, cumque ſint extra viam, quò magis progrediuntur, eò magis aberrant, ac tandem in nullam reditus ſpem intereunt.

Pro altera propoſitione; ad ſalutem ſuam procurandam non ſatis eſt eſſe in Eccleſia vera, eamque palam profiteri; niſi leges ſerventur, & niſi Chriſtiani hominis vita reſpondeat huic profeſſioni; Primùm enim ad ſalutem aſſequendam fides ſola non ſufficit, quod affirmant Hæretici, niſi cum charitate, boniſque operibus fuerit conjuncta; ſine quibus ſumus in Eccleſia tamquam membra mortua, non animata per Spiritum ſanctum, qui reliquum Eccleſiæ Corpus vivificat; & quamvis ab Eccleſia avulſi non ſimus, ut Hæretici, & Schiſmatici, non tamen participes ſumus vitæ gratiæ, quam Salvator nobis promeruit. Secundò, quia cum Eccleſia ſit ſancta propter allatas rationes; opus eſt, ut qui illam componunt, & ſunt illius membra, & filii, ſint etiam Sancti. Tertiò, quia niſi vivimus juxta honorem, quo digni facti ſumus tamquam Eccleſiæ membra, hæc nos reputat tamquam rebelles filios, qui in proprio ſinu ipſius bellum indicimus. Quamobrem, cum multo nocentiores ſimus Ethnicis, & Infidelibus, ſeveriori ſupplicio præ illis afficiemur; quia naufragium, licèt incluſi in arca, fecerimus. *Ah! væ nobis ſi tantam neglexerimus ſalutem*, Sanctus Paulus exclamat. Quid enim non exprobrabunt ſibi in æternum mali Chriſtiani, eo quod adeo valida ſalutis ſubſidia contempſerunt? *Hebr. 2.*

Hoc ipſum argumentum ſecuti oſtendere etiam poſſumus

Primùm nos nullum ſubire diſcrimen noſmet rebus in omnibus ſubjicientes Eccleſiæ; in hoc enim ſequimur ducem, quem Deus dedit nobis ſequendum. In hoc ſequimur regulam, quam Sanctiſſimus quiſque ſecutus eſt; & habemus tutiſſimos fidejuſſores actionum noſtrarum, qui ſunt perſpicaciſſimi Paſtores.

Deinde, omnia in diſcrimen adducimus noſmet Eccleſiæ non ſubjicientes. Etenim vel ſequimur mentem noſtram, quæ fons eſt errorum omnium, & hæreſum; vel ſequimur ſenſum eorum, qui in errore verſantur, & qui recedentes a veritate, & via, quam ipſe Dei Filius nobis præſcripſit, non errare non poſſunt, & nos quoque ſecum in præceps trahunt.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: ECCLESIA.

Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Matth. 18.

IV. ARGUM. Pro eadem die. De injuriarum venia. Argumentum hoc tractatur etiam in Evangelio Dominicæ 21. poſt Pentecoſtem.

Quamvis difficilis ſit lex a Dei Filio lata, injurias dimittendi, & inimicos diligendi, rationes, propter quas illam ſervare tenemur, validæ ſunt, & ſuperare debent, quidquid natura, conſuetudo, & Mundi leges ſuadeant.

Harum rationum princeps, & potiſſima eſt ſuprema imperantis auctoritas; jus quod habet præcipiendi, quod jubet; poteſtas, quam habet efficiendi, ut velimus, nolimus, jubenti pareamus, & minæ quas intentat inobedientibus.

Altera eſt pars, quam ſibi vindicat in noſtris inimicitiis, videlicet quia bonum, vel malum, quod noſtro fecerimus proximo, ſibi factum putat, odia noſtra, ultiones, & contumeliæ, quibus inimicos noſtros perſequimur, ad ipſum referuntur, & in ipſum tamquam inimicum invehimur. Bene igitur enucleandum eſt hoc Myſterium, quod illius innititur verbo, qui eadem eſt veritas.

Tertiò injuria, quam nobiſmet ipſis facimus nolentes dimittere exiguum debitum proximo noſtro; ſcientes Deum alioquin nequaquam miſerturum nobis, neque condonaturum immenſa debita noſtra, quæ cum ipſo contraximus, hoc eſt peccata quæ in ipſum patravimus.

Aliter efferri poteſt hoc ipſum argumentum.

Hoc ipſum argumentum aliter efferri poteſt, atque oſtendo, tria perſonarum genera nolle ſemet ſubjicere huic legi per JESUM CHRISTUM latæ, qui eamdem vult omnino obſervari.

Primi dicunt, non poſſumus; quibus oſtendendum eſt hoc præceptum non eſſe impoſſibile, quemadmodum crediderunt Ethnici, & Hæretici nonnulli, quoniam quantumvis ſit difficile, Deus nobis ad illud ſervandum ſuppeditat vires.

Secundi dicunt; illud ſervare non debemus, & objiciunt rationem, conſuetudinem, Mundi placita, ſtatus ſui dignitatem, honorem, & leges ſuæ conditionis: quibus oſtendendum eſt, quam arcta ſit in Chriſtianiſmo obligatio, & quanta legis hujus juſtitia.

Tertii dicunt; illud ſervare nolumus. Hi ſunt impii, & iniquitati dediti, quorum pro viribus ſuperanda eſt pertinacia, exemplo, promiſſionibus, & minis Filii Dei.

Vide in To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: AMOR INIMICORUM.

PRO FERIA QUARTA
POST TERTIAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Populus hic labiis me honorat: Cor autem eorum longe eſt a me. Matth. 15.

I. ARGUM. De recta intentione in omnibus actionibus noſtris.

IN Chriſtiana Religione ſatis non eſt, Auditores, bona opera facere, niſi illa etiam bene facere ſatagamus; alioquin totus virtutis labor percipitur, quin merces illius percipiatur. Sæpe etiam ſanctiſſima charitatis opera migrant in crimina, & minus illud quod accidere poteſt malum, eſt multum ſuſtinere laboris, & parum meriti adipiſci. Etenim non ne hoc il-

lud

Digitized by Google

ſud eſt quod hodie exprobrat Salvator Phariſæis, qui procul dubio multa bona faciebant opera, & paſſim videbantur in nobiliſſimarum virtutum exercitatione, Jejunio, Eleemoſyna, Oratione; ſed qui hæc corrumpebant omnia prava intentione, non alium omnium bonorum operum ſuorum finem ſibi proponentes, quàm captare hominum æſtimationem, quorum oculos perſtringere conabantur fulgore virtutis minime familiaris. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Hoc autem vitium, quod Dei Filius ſæpe Phariſæis exprobrabat, noſtris hiſce temporibus pleriſque Chriſtifidelibus objici poteſt, qui ſexcenta bona opera faciunt, meritis vacua, quorum omnes auſteritates, laboreſque ad Coelum promerendum ſunt inutiles; cum enim ea faciant, ut videantur ab hominibus, eiſque placeant; hunc tantummodo fructum, non alium, ſperare debent. *Hominum juſtitia, voluit videri, & viſa eſt*, Sanctus Petrus Chryſologus inquit, *voluit hominibus placere, & placuit: habet mercedem quam voluit: præmium, quod habere noluit, non habebit.* Hoc hodierna die excitare debet vos quidem, ne laborum veſtrorum fructum amittatis hoc tempore pœnitentiæ propter aliquam humanam rationem, quæ illos poſſet corrumpere; me verò ad aperiendum vobis inſigne ſecretum augendi in infinitum merita veſtra, & efficiendi, ut vel minimis actionibus veſtris acceſſio fiat meriti inæſtimabilis coram Deo per rectam, puramque intentionem, quam habere debetis illas facientes, quæ præcipua eſt conditio requiſita ad tantum bonum promerendum. Haud ægre feratis ergo, ut vobis tradam modum quo fruſtrari nequeatis fructu laborum veſtrorum. Quamobrem mens eſt oſtendendi vobis

Primùm quomodo ex intentione illi fiant boni, vel mali, & illorum pendeat qualitas, & pretium.

Secundò, quam percipere poſſimus utilitatem ex adeo ſancta exercitatione, ut mirum in modum in virtutibus progrediamur.

Nihil nos permovere magis debet, quàm duplex hæc veritas, & cenſeo mihi argumentum hoc eſſe familiariut pertractandum præ cæteris, & non recedendum eſſe ab eo ſimplicitatis caractere, quem habet ex ſe; praxis enim licèt omnium dierum vel etiam momentorum, tamen eſt omnium ſolidiſſima, atque utiliſſima ad vitæ noſtræ rationem inſtituendam.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: INTENTIO.

Honora Patrem, & Matrem. Matth. 15.

II. Argum. Pro eadem die. De Officiis Filiorum erga Parentes.

Deus in hodierno Evangelio præcipiens, ut Parentes noſtros in honore habeamus, triplex amoris genus requirit; amorem reverentialem, amorem ſubmiſſum, & amorem officioſum; Hæc tria, quæ facile oſtenderemus in probationibus, quas allaturi ſumus, totam ſermonis partitionem conſtituent.

Conſtans eſt veritas, & in Ethicis probatiſſimum axioma, Parentibus erga nos, quos genuere, duas ineſſe qualitates, vel prærogativas, quæ duo requirunt officiorum genera in filiis, & in illis duas poſtulant inevitabiles obligationes. Prima eſt fœdus propinquitatis, quo nullum arctius eſt in natura; altera eſt ſuperioritas quam Deus, & natura illis concedunt ſuper filios. Ex duplici hac qualitate conſequitur, Deum, rationem, & leges civiles exigere, ut filii diligant, & revereantur eos, a quibus vitam acceperunt. Facile igitur probare triplici hac de cauſa

Primùm, filios Parentibus ſuis debere filialem amorem, qui maximus, & æquiſſimus eſt poſt illum, quem debent Deo, & qui creaturæ nulli debetur. Hoc itaque præceptum a Deo irrogatum immediate ſubjicitur officiis, quæ ſibimet ipſi præſtari vult; & primum obtinet locum in altera Legis Tabula.

Secundò. Filios Parentibus ſuis integram debere in omnibus eorum præceptionibus obedientiam, quæ Dei voluntati non adverſentur; & obſequium omnibus eorum ſententiis, & conſiliis tum in negotiis gerendis, cum in ſtatu capeſcendo, & vitæ ratione ingredienda.

Argumentum hoc aliter afferri poteſt.

Alio etiam pacto argumentum hoc tractari poteſt, oſtendendo filiorum erga Parentes officia tria numerari.

Primùm eſſe honorem, & reverentiam, quia erga illos locum Dei tenent, & quia Filii ab illis vitam, & quidquid habent, receperunt.

Secundò obedientiam, & ſubmiſſionem, cum enim adoleſcentia egeat conſilio, & duce, undenam hoc melius petere, & recipere poſſunt, quàm a parentibus, qui majorem habent experientiam, amorem, & ad quos maxime ſpectat utilitas eorum?

Tertiò ſubſidium, & opem, quam afferre tenentur indigentibus, & in neceſſitate poſitis.

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Aliter etiam ſeſe poteſt idem argumentum.

Tres etiam aſſumi poſſunt rationes ex Scripturis depromptæ, quæ nos jubent honorem, ſervitutem, & amorem parentibus impendere.

ad Epheſ. 6.

Prima ex Divo Paulo deſumitur; *Filii*, ait, *obedite Parentibus veſtris in Domino; hoc enim juſtum eſt.* Oſtendendum eſt hoc præceptum juſtum eſſe, & ad hoc nos omnibus juſtitiæ officiis teneri.

ad Coloſſ. 3.

Secunda eſt, quia Deus ita jubet, & explicite imperat. *Filii obedite Parentibus per omnia; hoc enim placitum eſt in Domino*, ubi oſtendendum eſt Præceptum hoc a Deo latum, rationi eſſe conforme; & quantum illi ſit curæ; quandoquidem tantam pollicetur in hac ipſa vita remunerationem iis, qui illud ſervaverint, ac tot iis minas intentat, qui ſecus illud violaverint.

Eccleſ. 7.

Tertia quia id animi gratitudo poſtulat, quemadmodum ex Eccleſiaſtici verbis innoteſcit. *Honora Patrem tuum, & gemitus Matris tuæ ne obliviſcaris; memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes: & retribue illis, quomodo & illi tibi*, & oſtendendum eſt quemadmodum poſt Deum, nemo eſt, cui teneamur majores habere gratias, quia a nemine majoribus cumulati fuimus beneficiis, ita neminem eſſe, cui gratiores eſſe debeamus.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: FILII.

De Corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, & furta &c. Matth. 15.

III. Argum. Pro eadem die. De pravis cogitationibus.

Dei Filius per allata Evangelici textus verba non ſolum ſalutare monitum tribuit, ſed tacite præcipit, ut cordi noſtro invigilemus; quia illi invigilantes, & arcentes ab illo pravas cogitationes, ſimul inveniemus rationem fideliter ſerviendi Deo, in quo tota ſita eſt ſalutis ſcientia; ſicuti hæc omnia complectitur placita ad vitæ ſanctitatem pertinentia. Invigilantes enim cordi noſtro pravas evitabimus cogitationes, adulteria, blaſphemias, aliaque peccata, quæ non prodeunt extrinſecus per actiones criminoſas, niſi poſtquam concepta fuerunt in corde. *De corde enim exeunt cogitationes malæ &c.* Hinc ſequitur, quod cordis ſui curam gerere eſt prohibere, ne ullam pravam cogitationem concipiat, quæ animæ mortem pariat; maxima enim ſcelera initium ducunt a cogitatione, quæ concipitur, & quæ ſæpe ipſa quoque magnum ſcelus eſt, quamvis nullus ſubſequatur effectus, & extrinſecus non erumpat. Hoc mihi præbet occaſionem hoc in ſermone verba faciendi de cura cordis a nobis gerenda, ut ſervemus vitam gratiæ, quæ in hoc ſita eſt,

Matth. 15.

Primùm, ut avertamus pravas cogitationes, quæ mentem fœdare poſſunt, & cor.

Secundò, ut propulſemus has eaſdem cogitationes, ſtatim ac earum cognoſcimus nequitiam, & periculum in illis immorandi. Cura illas ad examen revocandi, & fidelis celeritas illas rejiciendi, erunt duæ partes hujus ſermonis.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: IMPUDICITIA.

Quare Diſcipuli tui transgrediuntur traditionem ſeniorum?...Quare & vos transgredimini Mandatum Dei propter traditionem veſtram? Matth. 15.

IV. Argum. Pro eadem die. De Traditionibus bonis, & malis.

Scribæ, & Phariſæi ſuperbe, acriterque corripiunt JESU CHRISTI Diſcipulos, eo quod Seniorum traditionem nullo in diſcrimine haberent; quæ tamen non aliud erat, niſi quidam mos, & conſuetudo vel mala, vel indifferens, munita tamen temporum ſucceſſione, & multorum uſu, quod magnam illi comparabat auctoritatem. Mundi Salvator probare volens Diſcipulorum ſuorum innocentiam æquiori jure ſuperbos Doctores redarguit, eo quod ſubrogarent traditiones tantum humanas in earum locum, quæ a Deo proficiſcebantur, & quod potius illas ſequerentur quàm Legis præcepta licèt corrupta. Hoc mihi anſam præbet apud vos hodierna die verba faciendi de idolo ſæculi, vel potius omnium ſæculorum, quod mundus de genu veneratur. Idolum hoc eſt conſuetudo, & aliorum exemplum, quod quiſque ſequi ſtudet, & ad cujus normam ſe ſe componere quærit. Et ſane quamdam habet illecebram, a qua ſibi cavere difficillimum eſt; imo quædam excuſationis cauſa eſt, & prætextus in omnibus vitiis. Diceres, hoc ſupremum exercere imperium in animos, nam efficit neſcio quid Chriſtianæ Legi contrarium, quod tamen non abhorret ab uſu inter homines conſtituto. Non alia patitur ratio; hæc eſt conſuetudo; hoc ſatis eſt, ut probetur.

Cum autem hæc Mundi conſuetudo, quæ non eſt aliud, quàm pravum exemplum, ſenſim, & ſine ſenſu prævaluerit, & facta tandem fuerit lex Evangelicæ legi contraria, &

oppoſita exemplo, quod nobis Dei Filius reliquit, vobis oſtendere fert animus

Primùm cæcitatem, & errorem, in quo vivunt, qui pro vitæ regula ſequuntur humanas traditiones, conſuetudinem, & Mundi mores.

Secundò eos, qui conſuetudinem ſequuntur, eſſe in manifeſto, & inevitabili damnationis periculo.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum CONSUETUDO.

PRO FERIA QUINTA

POST TERTIAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Luc. 4.

I. Argum. De morborum uſu. De hoc argumento ſermo etiam occurrit in Evangelium Feriæ ſextæ poſt IV. Quadrageſimæ Dominicam. Luc. 7. Matth. 4.

MAXIMA familiaris Filii Dei in terris exercitatio fuit, Auditores lectiſſimi, curare infirmos ubicumque illum Charitas ageret; & plenum eſt Evangelium mirabilibus curationibus, quas operabatur quocumque pedem circumferret. *Pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes.* Etenim modo præcipui ex civitatibus, & inſigniores viri rogabant illum, ut dignaretur, domos ſuas ſe conferre ad curandos ægros morti proximos; populi modò catervatim confluebant, & ſecus vias exponebant, qua ille tranſiturus erat, infirmos, modò tandem Medicus iſte charitate incenſus ægrotantium preces præveniebant, & ab illis quærebat, utrum vellent curari. Hodie verò nobis repræſentat Evangelium Socrum Principis Apoſtolorum violenta febri laborantem, quæ Cœleſtis hujus Medici ope perfectam obtinet valetudinem. *Imperavit febri, & dimiſit illam.* Documentum autem, quod hodierna die haurire cupio ex hac Salvatoris conſuetudine, eſt vobis oſtendere prorſus oppoſitam agendi rationem quam nobiſcum ſervat, licèt ab eodem fine minime abhorreat. Permittit ille corporum noſtrorum infirmitates, ut animarum noſtrarum morbis medeatur; iiſque utitur tamquam efficaci ad noſtram ſalutem, perfectioneque medicina. Itaque hodierna die apud vos ſermonem inſtituam de morborum utilitate, quos ſatis frequenter Deus nobis immittit, & de bono uſu eorum a nobis faciendo. Etenim quam utilitatem ſperare non debemus ex hoc uſu morborum ad acquirendam Chriſtianam perfectionem, quæ originem ducit a cruce, & paſſionibus Salvatoris? quandoquidem Ethnicorum ſapientiſſimus confeſſus eſt per morbos hominem in virtute proficere, ac fieri meliorem? Profectò errare non poſſumus dicentes cum Apoſtolo, pietatem expurgari, ac inter morbi dolores perfici. *Virtus in infirmitate perficitur*, quod locum [2. ad Cor. 12.] dedit communi effato, quod conſiderare debemus non tamquam aliquod Paradoxum, ſed tamquam veritatem, quam probandam hodierna luce ſuſcipio; corporis videlicet ægritudines admirabilem parere utilitatem pro ſalute animæ; proſunt enim converſioni peccatorum, & juſtorum perfectioni; ita ut ex Sancti Auguſtini ſententia ob alterutram cauſam a Domino humano generi permittantur. Duplici hoc in ſenſu ingerere volo omnes haſce utilitates. Dico igitur morbos

Primùm ſi peccatores ſumus, maximam habere vim, ut convertamur.

Secundò ſi juſti, proficere, ut efficiamur Sanctiores, & Perfectiores.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum MORBI.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Luc. 4.

II. Argum. Pro eadem die. Quomodo morbi accipiendi ſint.

Cum hodiernum teſtetur Evangelium præcipuum Salvatoris officium, dum viveret in terris, fuiſſe corporeas infirmitates curare; hoc mihi locum præbet adhuc loquendi in hoc ſermone, de infirmitatibus, ac dicendi eas a nobis habendas eſſe primùm tamquam effectum peccati originalis, quod naſcendo contraximus; & prætetea tamquam pœnam, quam Divina Juſtitia nobis irrogavit pro peccatis, quæ patravimus, & etiam tamquam criminum noſtrorum effectum. Secundò tamquam probationem virtutis noſtræ, ac fidelitatis, quam Deus vult exercere. Tertiò tamquam remedium ægritudinum animæ, quibus ſæpe medicinam facere vult Deus per corporis ægritudines, avellens nos ab hoc Mundo, & ſenſibilibus bonis, quæ deperimus; & admonens, ut de morte cogitemus, cujus veluti præcurſor eſt morbus. Variæ autem rationes ſub quibus morbum reſpicere poſſumus nobis oſtendunt varias diſpoſitiones, cum quibus illum acceptare debemus.

Primùm ſi morbum ſpectamus tamquam peccati originalis effectum, noſmet ſubjicere debemus Sententiæ, quam protulit Divina Juſtitia contra nos in perſona primi parentis, & conſiderantes illum tamquam pœnam propriis peccatis noſtris debitam, quæ quidem & magna ſunt, & multa, in ſpiritu pœnitentiæ recipere debemus mala, quæ nobis immittit Deus, & dicere cum Job: *Peccavi, & ut eram dignus, non recepi.* [Job 33.]

Secundò ſi morbum reſpicimus tamquam probationem, qua Deus periculum facere vult noſtræ fidelitatis, & tamquam virtutis noſtræ, atque patientiæ exercitium; nobiſmet perſuadeamus Deum melius non poſſe nobis ſuum amorem ſignificare, quàm nobis præbendo media, & occaſiones teſtandi eidem fidelitatem noſtram, & perfectam providentiæ ipſius ſubmiſſionem.

Tertiò ſi corporis infirmitatem conſideramus tamquam ſpiritualium morborum medicinam, quos crebrò ignoramus, vel quibus parum afficimur, illi noſmet ſubmittere debemus cogitantes, nos oblivisci Dei, cum bona fruimur valetudine, & indigere, ut aliquem morbum nobis immittat, ut cogamur illum cogitare, & ad officium reverti adorantes conſilia miſericordis hujus ſeveritatis, quæ hac arte nos ad ſuam revocat ſervitutem.

Vide locum in ſuperiori argumento connotatum.

Alia ſermonis ſtructura, quam ſequi poſſumus in eodem argumento.

In hoc eodem argumento juſtus inſtitui poteſt ſermo illud in duo puncta partiendo. Primùm quid in morbis faciendum ſit, & quomodo in illis ſe ſe gerere debeat verus Chriſtianus. Secundò quid poſt reparatam ſalutem præſtandum ſit.

Pro Puncto primo. Primùm ſtatim ac nos gravi tentatos morbo cognoſcimus, ad Deum confugiendum eſt nobis, & magis in illius ope confidendum, quàm in Medentium arte, & Pharmacorum virtute, quibus tanta virtus ineſt, & efficientia ad nos curandos, quantam illis tribuere placet Deo. Secundò ſanitas a Deo petenda eſt cum perfecta ejuſdem voluntati ſubmiſſione, & conſilio eadem utendi ad ipſius gloriam, & accuratius animæ ſalutem quærendi. Tertiò in ſpiritu pœnitentiæ offerendi ſunt Deo morbi dolores pro peccatorum noſtrorum ſatisfactione, & conſociandi cum doloribus Salvatoris, ejuſque Matris Sanctiſſimæ, ut facilius acceptentur a Deo.

Pro Puncto alio. Quid poſt reparatam ſalutem præſtandum ſit. Primùm habendæ ſunt gratiæ Deo, cui acceptam referre debemus valetudinem reparatam potius quam pharmacorum virtuti, & curæ, quæ a medentibus ſuſcepta fuit. Secundò eſſe debemus fideles Deo in adimplendis promiſſionibus, ac ſuſceptis conſiliis impoſterum ſanctiorem vitam ducendi. Tertiò nobiſmet diligentius præcavere debemus, ne relabamur in crimina, quæ videntur hanc a Deo pœnam nobis promeruiſſe.

Aliter efferri poteſt hoc ipſum argumentum.

Poſſumus etiam aliter efferre hoc argumentum, & oſtendere morbos tribus rebus prodeſſe, quas operæ pretium eſt obſervare, ut inde fiat Sermonis partitio. Primùm ad nos erudiendos; Secundò ad nos corrigendos; Tertiò ad nos ſanctificandos.

Primùm nos erudiunt; nihil enim melius efficit, quàm infirmitas, ut conditionis noſtræ miſeriam ſentiamus; hæc enim docet, quid ſimus, oſtendit ſæculi vanitatem, in mentem revocat æternas veritates, quarum paſſim bona utentes valetudine obliviſcimur.

Secundò; præcipuus finis, quem ſibi proponit Deus in morbis, quos nobis immittit, eſt correctio noſtra: ſæpe, quia de re dubitari non poteſt, ut nos puniat; cujus punitionis finis eſt noſtra converſio. Vitæ mutatio, & experientia efficiunt, ut hoc medium, quo ad effectum hunc obtinendum utitur, ſit efficientiſſimum: *Percutiam, & ſanabo*, inquit Scriptura, & quemadmodum explicat Sanctus Ambroſius; *percutiam infirmitate, & ſanabo fide.* Profectò eſſet optandum ut [Deuter. 32.] bene valentes tales eſſemus, quales morbo affecti, ſumus; vel ſaltem quales nos poſt reparatam valetudinem futuros pollicemur.

Tertiò conſtat morbis nos ſanctificari poſſe, & re ipſa ſanctificari per patientiam, & praxim aliarum Chriſtianarum virtutum.

Adeundus eſt Titulus, qui ſupra: MORBI.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Luc. 4.

III. Argum. Pro eadem die. De cupiditatibus, quæ ſunt veræ animi ægritudines.

Cum Sanctus Ambroſius animi cupiditates febres ardentes vocet, in tertio hoc argumento loqui poſſumus de infirmitatibus animæ, quæ præ corporeis ſunt periculoſiores; & oſtendere neceſſitatem, quam habemus in Chriſtianiſmo bellum indicendi affectibus noſtris; ſubſidia ad illos coercendos, & fructus, quos ex hac victoria recipimus, atque hinc tres ſermonis partes efficere.

Para

Pars prima. Præceptum ipſum, quo vitare jubemur peccatum, illudque in nobis evertere, quoad fieri poteſt, jubet etiam bellum inferre affectibus noſtris, eoſque coercere. Primum quia licèt peccata non ſint; (quod cogitare gravis eſſet error, Deus enim illos in nobis poſuit, ut nos impelleret ad faciendum quod bonum eſt, & malum fugiendum;) tamen quemadmodum poſt originale peccatum inordinati fuerint, & plerumque ſint cauſæ peccatorum noſtrorum, tenemur auferre cauſas, ad pernicioſos effectus evitandos. Secundò, quia quamvis in ſemet peccata non ſint, facile fieri poſſunt, cum ſint peccatorum materia: quoniam ſecuti eorum impetum, & propenſionem, qua in peccatum tendimus, nos nocentes faciunt, & ſunt totidem vitia. Tertiò, quia ſunt fontes inexhauſti peccatorum, quorum niſi inhibuerimus curſum, fontes ipſos exhaurientes, efficient, ut inceſſanter recentia perpetremus &c.

Pars altera. Cum Deus reliquerit in nobis affectuum noſtrorum rebellionem poſt omnimodam peccati originalis cladem, atque eorum ſeditionem permiſerit, ut eſſet nobis meritorum occaſio, & exercitatio virtutis; non tamen reliquit nos ſine validis adminiculis, quorum ope illos coerceamus, & prohibeamus, ne in peccatum nos rapiant. Hæc adminicula ſunt Primò, Gratia, quæ numquam nobis deeſt, ita ut quamvis in noſtra poteſtate non ſit primos eorum cohibere motus, poſſumus tamen ope gratiæ, quantumvis violenti illi ſint, progreſſus eorum frænare & validiora per orationem impetrare ſubſidia ad eos ſuperandos. Secundò, Vigilantia Chriſtiana ad præcavendas occaſiones, in quibus eſſet periculum cedendi viribus eorum. Tertiò, Timor Dei, & ejuſdem imperiis ſubmiſſio: quoniam nobis præcipit, ut Mari, ut tumentes fluctus coerceat, atque intra ſtatutos ſibi fines contineat.

Pars Tertia. Bona, quæ nobis cedunt ex effectuum noſtrorum victoria, ſunt. Primò, Pax cordis, & conſcientiæ quies. Secundò, Chriſtiana libertas, quæ nos liberat a ſervitute dæmonis, mundi, & peccati, cui ſunt obnoxii, qui ſuis parent cupiditatibus. Tertiò, Certa ſpes remunerationis æternæ victoribus eorum promiſſæ.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Affectus.

PRO FERIA SEXTA
POST TERTIAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Jesus *ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Joann. 4.

I. Argum. Quomodo gratia valde ſe ſe gerat in converſione peccatorum.

Ex omnibus Quadrageſimæ Evangeliis illud, quod hodierna die nobis proponit Eccleſia ſublimioribus abundat ſententiis, & refertum eſt numero veritatum, & documentorum, quæ continet. Etenim ubinam magis nitet Incarnati Verbi bonitas erga mortalium miſerias? Neque enim vel ex itinere collecta laſſitudo, neque ſitis, neque caloris æſtus tam cogunt Salvatorem, ut ſecum fontis hujus oram quieſcat, quàm deſiderium ibi expectandi, & convertendi peccatricem, atque ut loquitur Sanctus Cyrillus, tendendi retia ſecus aquas feliciter aucupio capturus animam infidelem ac per illam illecturus incolas Urbis, & regionis illius ad veritatis cognitionem. Si numquam magis eluceet Dei potentia, niſi in peccatorum converſione; ubinam fulgidius conſtat, quam in infringenda mulieris hujus pertinacia, cujus mores æque, ac Religio corrupti erant, ideoque validiſſimos obices ſupremæ huic poteſtati opponebant? Sed præſertim quonam inſigniori exemplo gratiæ ſuæ praxim oſtendit, quàm captando occaſionem erudiendi hanc mulierem, adeo feliciter diſponendi illam, ac tanta induſtria illam inducendi, ut tandem referat triumphum de illius calliditate, ac pœnitentia, ut illam in primam convertat Apoſtolam, quæ nuntiet Meſſiæ adventum univerſæ civitati, quæ ſuis egreſſa finibus confluit ad illum agnoſcendum, recipiendumque?

In ea ratione, qua gratia operatur, cujus dexteritas, ac virtus in toto hoc Evangelio dominantur, hodierna die potiſſimum immoror, & in tanta Myſteriorum, ſententiarum, & documentorum copia, quæ in eo continetur, eam deligo conſiderandam veluti finem ad quem tendunt reliqua, tamquam argumentum, ex quo fructum uberiorem ſumus præceptuti. In quo ut aliquam methodum ſequamur, & uno tantum argumento complectamur totum hujus diei Evangelium, reperio, cum Sancti Patres, atque Interpretes verba faciunt de hac admirabili Hiſtoria, exhibere nobis Salvatorem Mundi, modò tamquam aucupem retia tendentem huic animæ peccatrici, quæ ita feliciter remanet capta, ut nullo modo poſſit elabi, & modo tamquam exercitus Imperatorem, qui arcem, rebellemque urbem aggreditur, Verùm illi hujuſmodi utuntur ſimilitudinibus, & comparationibus, ut nos doceant, illum ſimul uti omni induſtria, & vi ad obtinendam peccatoris converſionem, Etenim

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Primùm elucet induſtria, quia adoritur cor iſtud oblique, & ea ratione, qua opus eſt, ut illud eò adducat, quò cupit.

Secundò vis eniteſcit, quia denique illud cogit, ut poſt tot fugas, atque obnitentias ſe ſe dedat,

Hæc duo illa ſunt, quibus non hodie tantum Salvator in Samaritanæ, ſed etiam quotidie in aliorum peccatorum converſione utitur; cumque hoc præcipuum illud ſit, ubi de gratia agitur; hoc etiam totam ſermonis partitionem conſtituet.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Gratia.

Jesus *ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Joan. 4.

II. Argum. Pro eadem. Varii Gratiæ motus ratione tū Dei illos cientis, & hominis illos accipientis.

Conſiderari poſſunt varii gratiæ motus in Evangelio noſtro ad vivum expreſſi tum ratione Dei illos cientis, cum ratione hominis illos recipientis. Primùm ratione Dei. Non poſſumus ſatis admirari ſapientiam, & bonitatem Patris Miſericordiarum in ea, qua utitur arte, ut ab hominibus recipiatur gratia, quam illis præſentat, quamvis non mereantur illam, & quamvis ſæpe eadem ſe indignos præbuerint, quemadmodum vidēmus in Samaritana. Secundò ratione hominis gratiam recipientis, non ſatis aſſequi licet malas artes, quibus utitur ad illam illudendam, ut ſe ab illius obedientia diſpenſet. Quod in ipſo noſtro Evangelio facile eſt animadvertere; & quod ſermonis partitionem efficere poteſt.

Quod pertinet ad partem priorem: hæc ars ſapientiæ, & bonitatis Dei apparet primum in multitudine gratiarum, quas nobis largitur, in ſincero deſiderio noſtræ ſalutis; quandoquidem hæc totidem ſunt ſalutaria adminicula, quæ ſuppeditat, ut deducat nos ad beatum finem, ad quem nos deſtinavit, & quæ propterea a nobis grati animi ſenſum requirunt. Etenim, ut omittamus exteriores gratias, cujuſmodi ſunt illæ bonæ educationis, exemplorum bonorum, vocationis ad hoc, vel illud officium, & hunc vel illum vitæ ſtatum, quibus utitur ad exequenda magna illa conſilia, quæ de nobis ab æterno concepit: quot luminibus in ſingulos dies ſpiritum noſtrum illuſtrat; quot ſanctis motibus, ardoribuſque noſtram fovet voluntatem? Quot hujus generis gratias recepimus? Ille nos ſexcentis urget, atque ſollicitat, cum ne cogitamus quidem. Nos viſitat ſæpe, cum longius ab illo receſſimus, & in omne flagitiorum genus abdidimus; quod apparet in noſtra hodierni Evangelii peccatrice; & neminem umquam derelinquit, quantumvis nequam uti non præbeat ſubſidia, quæ ſufficiant, ut emergant ex criminum abyſſu in quam lapſus eſt. Secundò hæc ars renidet in eo, quod gratia Dei varias induit formas, ut inquit Apoſtolus, *Multiformis gratia Dei*. Modò enim invitat, modò minitatur; modò nos ſuis illecebris attrahit, modò nobis metum incutit, & terret. Nunc conſolatur ſpem immittens divinæ miſericordiæ, modo nobis intentat judicis ſeveri ſententiam. Nulla eſt ars, qua non utatur gratia, ut ſibi cor noſtrum conciliet. 1. Petr. 4.

Tertiò hæc ars adhuc peculiariter magis elucet in gratiæ obſequentia, quæ noſtro ſe ſe accommodat ingenio, ſtudiis, naturæ, & ipſis etiam affectibus noſtris eorum ſæpe mutans objecta, quin naturam evertat, ut innoteſcit in Sancta Maria Magdalena, & in eadem Samaritana; quarum Dei Filius ſibi captivavit benevolentiam, & confidentiam per infinitam dulcedinem ſuam, in Sancto Paulo, & Auguſtino. Se ſe accommodat ſtatui, & conditioni mortalium; ab his pauciora, ab aliis plura expetit, ſed nihil umquam, quod noſtras ſuperet vires. Senſus, quos in nobis ciere debent hujuſmodi conſiderationes, ſunt gratitudo, integra in Dei bonitate confidentia, timor delaſſandi ejus patientiam, & propoſitum noſmet impoſterum præbendi fideliores gratiis Dei, quàm fuerimus hactenus.

Pro parte altera. Hactenus admirati ingenium divinæ miſericordiæ in gratiarum ſuarum diſtributione, & arte, qua ſibi cor humanum conciliat, deplorare debemus miſeras artes, quibus utitur mortalium nequitia ut gratiæ motus eludat; quandoquidem numquam callidiores ſunt,

quàm ut omnia in ſuum detrimentum convertant. Primùm pro artium omnium verſutiſſima recenſeri poteſt illa oculos obſtruendi luminibus gratiæ per formalem reſiſtentiam, atque ut loquitur Job per apertam rebellionem: *Ipſi fuerunt rebelles lumini*. Etenim quemadmodum gratia, licèt valida, & potens, tamen in agendo abſtinet vi; ſed hominem relinquit in plena, integraque libertate eidem aſſentiendi, vel eam rejiciendi; non deſunt peccatores, qui ut majori cum impunitate ſcelera committant, & tranquillam in flagitiis ſuis vitam ducant, rejiciunt Cœli gratias, & permanent cæci in ſumma luminum copia, obduratique in tanta multitudine motuum, quibus pertinaciter obluctantur. 2. Secunda eſt illorum ars, qui cum nondum omnem pietatis ſenſum abjecerint, nolunt tamen convertere nexus, quibus prohibentur, ne ſe mancipent Deo; & ne cogantur ſe ſe dedere luminibus, & illecebris gratiæ, ab illa mentem avertunt; ſexcentis aliis vacant negotiis, ne uni quod præcipuum eſt, vacent; ſuaviſſimas quærunt ſocietates, ac alia ſolatia, quæ efficiunt ut omnes ſanctæ cogitationes evaneſcant. 3. Tertia denique ars, eorum eſt, qui cum minimè poſſint ſe abſcondere, ac ſubtrahere ſe luminibus gratiæ, neque evitare intrinſecus motus ejuſdem, quærunt ſaltem in dies deditionem differre, quemadmodum de ſe ipſo teſtatur Sanctus Auguſtinus: *Modò, & modò: & illud modò non habebat modum*. 4. Alii tandem per calliditatem, vel potius indignam diſpenſationem nolunt niſi ex dimidio ſui dedere Deo, Deum cum Mundo conciliare volentes, & obſequi gratiæ dumtaxat in quibuſdam rebus, quod Deum cogit, ut omnino recedat. Hæc omnia videmus cum in noſtro Evangelio, & in Verbis Salvatoris adeo explicite connotata, ut ſuavitas, & vis gratiæ ſua in luce refulgeat: tum in reſponſionibus Samaritanæ mulieris, in quibus patet verſutia peccatoris, ejuſque reſiſtentia, ita ut nihil eſſe poſſit explicatius.

Job 24.

Vide eumdem locum, quem in ſuperiori argumento indigitavimus.

III. Argum. Pro eadē die.

Sumptis pro Textu iiſdem Evangelii verbis oſtendere poſſumus artes multiplices, quibus Gratia viam ſibi aperit in cor peccatoris, & docere

Primùm quibus mediis utatur gratia ad peccatorem convertendum. Illum prævertit, eique obviam occurrit ne cogitanti quidem; quærit ut ita dicam commoda fandi tempora, & occaſiones idoneas; illuſtrat mentem illius; effundit in eam lumina, quæ illi proponunt videndas alia prorſus in luce veritates æternas, procul ab ea, qua hactenus viderant; tangit cor illius, & efficit ut oboriatur in eo deſiderium ſequendi Deum, & a nequitia diſcedendi.

Secundò, quibus mediis uti debeat peccator, ut ſe gratiæ fideles exhibeat. Attentum ſe præſtare debet omnibus gratiæ motibus; celeriter illi debet reſpondere, ne prætervolet non amplius reverſura: *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia*. Debet tandem afferre conſtantem fidelitatem in exequendis iis, quæ ab eo expetit gratia.

Aliter efferri poteſt hoc ipſum argumentum.

Alia etiam ratione hoc pertractari poteſt argumentum; videlicet gratiam conſiderare poſſumus

Primùm quatenus oblatam; atque tunc ad examen revocandum eſt pretium illius: quanti ſtetit illa Filio Dei; finis propter quem illam exhibet nobis, & ad quid nobis ſit neceſſaria. Quod efficiet ut enixis precibus illam flagitemus, & cum ſummiſſione ei præſtolemur.

Secundò conſiderare illam poſſumus tamquam receptam, atque tunc ex nobis exigit fidelitatem, grati animi ſenſum pro tanto beneficio, & alacritate, ut illi obſequamur.

Oſtendi etiam poteſt ſuavitas, & vis gratiæ.

Suavitas apparet, quod lenit, & levius facit jugum ſervitutis Dei, ita ut amemus quidquid corrupta natura faſtidit, & repleamur gaudio, & conſolatione in graviſſimis tribulationibus.

Secundò vis apparet, dum efficit, ut noſmet vincamus affectus quamvis violentos, & intractabiles, ut ſuperemus obices inſuperabiles, ut ſuſtineamus occaſiones periculo propiores, & tentationes acerrimas, ac tandem ut difficillima quæque ad optatum finem perducamus.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: GRATIA.

PRO IV. DOMINICA QUADRAGESIMÆ.

Unde ememus panes, ut manducent hi? Joannis 6.

I.um Argum. e Providentia Dei in Juſtorū neceſſitatibus.

ITA Mundi Salvator ab Apoſtolis ſuis percontatur in hodierno Evangelio periculum facturus fidei, & confidentiæ illorum. Verum Auditores lectiſſimi, quid vobis videtur reſpondendum fuiſſe ab illis, qui illum jam viderant tot, tantaque miracula operantem? Ecce nihilominus quid in urgentiſſima neceſſitate, & occaſione, in qua Dei Filius tenebatur, non deſerere eos, qui omnia deſeruerant, ut illum ſequerentur; de ceteris cogitant adminiculis, quin intelligant, eum, qui hanc populi multitudinem ſermonis ſui illecebra in deſertum adduxerat, & qui eorum animas divini verbi pabulo aluerat triduo, facilius proſpicere poſſe corporum neceſſitati. Sed veritatem fateamur. Nihil magis patet, quàm Dei providentia, quæ regit, & alit totum hunc Orbem; de qua homines tamen in ſuis neceſſitatibus minime cogitant. Quamvis nobis perſuaſum eſſe debeat, & reipſa perſuaſum ſit de miſeria noſtra, & modica poteſtate quam habent creata ad opem nobis ferendam in neceſſitatibus; tamen Deus ille eſt ad quem ſerius confugimus. Deplorabilis humanæ mentis cæcitas! Quid? Numquam ne intelligamus in divina providentia nobis potiſſimum eſſe confidendum? Naturæ ordo, Cœlorum motus, Elementorum conſenſus, & tanta creatarum rerum varietas, quibus quotidie proſpicit Deus, ubique providentiæ ipſius gloriam enarrant; homines ſoli, qui illius ſunt præcipuum objectum, impugnant illam, vel rationibus, vel ſaltem actionibus, & diffidentia, quam in ſuis neceſſitatibus præſeferunt.

Dei Filius, qui toties exprobravit Apoſtolis ſuis modicam in ſe hac fidem, hodierna die viam miraculorum adhibet, ut per celeberrimam hanc panis multiplicationem, in Evangelio deſcriptam, illos perſuadeat, & futurum ſpero, viam hanc ab hujus deſerti receſſu, ad noſtras uſque aures perſonaturam. Quamobrem quin immorer in generali hac Providentia, quam habet ſuper omnia creata, quandoquidem miraculum hoc operatur in gratiam eorum, qui illum ſequuntur, fert animus vos alloqui de ea tantùm, qua peculiariter proſpicit Juſtis, in qua deprehendo duas qualitates, quas Sapiens tribuit huic generali providentiæ: virtutem nempe, & ſuavitatem: *Attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*. De duplici hac qualitate hodierna die apud vos ſermonem inſtituam. Sap. 8.

Primùm quidem de virtute, quæ ſe ſe prodit efficaciter conſulendo neceſſitatibus confidentium in Deo.

Secundò de ſuavitate, quæ efficit ut citra ſollicitudinem, laboremque vivant beatiores in ſua mediocritate, quàm in omnium hujus Mundi bonorum affluentia.

Vide Titulum: PROVIDENTIA *in To. III. Bibliotheca Mor. Evang.*

Accepit ergo JESUS *panes ..... & diſtribuit diſcumbentibus, &c.*

II. Argum. Pro eadē die. De Providentia gubernatrice.

Nulla eſt in Deo perfectio, quæ quovis tempore magis obnoxia fuerit contradictionibus hominum, quàm Providentia. Alii prorſus illam ignorant, quomodo fecerunt priſci quidam Philoſophi, & adhuc faciunt Athei per voluntariam cæcitatem, ne aliam habeant vivendi regulam, niſi propriam cupiditatem. Alii eam inſimulant, & reprehendunt tamquam injuſtam in bonorum, malorumque vitæ hujus diſtributione. Hos proprius amor excæcat, ſe ipſos tantùm diligunt, ſuis commodis, ac negotiis ſtudent, ea probant, quæ ſibi placent, & de divina erga ſe Providentia murmurant, & conqueruntur. Alii denique ſunt Mundi Sapientes, atque politici, qui magna moliuntur, & qui in cæptis ſuis ſibi blandiuntur rati, ſe quod contendunt, aſſecuturos induſtria ſua, calliditate, technis, quin a Dei Providentia pendere velint, & in eodem confidere. Hæc tria ſunt mortalium genera, quos cum Scriptura profugos, ac deſertores Providentiæ vocare poſſum, & hoc ſermone impugnare.

Primùm aliis perſuadens veritatem, & neceſſitatem Providentiæ, quæ regit, & gubernat omnia in hoc Mundo.

Secundò illis, qui murmurant, vel queruntur oſtendens illam eſſe infinite ſapientem, & juſtam in ordine, quem conſtituit, & ratione qua omnibus proſpicit.

Tertiò denique illis, qui ab ea nolunt pendere, & qui in ſua tantum induſtria, viribuſque confidunt, oſtendens, eos ſine illa numquam ſummam votorum ſuorum aſſecuturos, & omnia illis in perniciem ceſſura.

Vide Titulum: PROVIDENTIA, *quem ſupra indicavimus.*

Digitized by Google

III. Argum. Pro eadem die, & de eadem Providentia.

In hoc ipſum Evangelium de panis multiplicatione tres diſtingui poſſunt partes ſermonis, oſtendendo

Primùm per Providentiam quam habet Deus erga homines, ipſum miſereri neceſſitatis, qua laborabat populus, qui illum ſecutus fuerat in deſerto: *Miſereor ſuper turbam*.

Secundò: miſertum quæſiviſſe modum opem ferendi: *Unde ememus panes, ut manducent hi?*

Tertiò, modo hoc invento, utitur illo daturus homini affluenter, unde nutriatur uſque ad ſatietatem. *Manducaverunt, & ſaturati ſunt*. Tria hæc præſtat Dei Filius ſolatium allaturus populo, qui illum ſecutus fuerat.

Aliter efferri poteſt Argumentum hoc de Providentia.

Hoc argumentum de Providentia alio adhuc modo poteſt inflecti; in cujus parte priori adornari poteſt elogium ipſius Providentiæ oſtendendo illius qualitates; ejus attentionem in omnibus generalibus, & particularibus neceſſitatibus; bona quæ nobis procurat confidentia, quam habemus in illa, quæ ſunt, nos liberare ab inquietis ſollicitudinibus, quibus jugiter torquentur, qui in ſe tantum, induſtriaque ſua, vel in ope humana confidunt.

In parte altera texi poteſt ejuſdem Providentiæ Apologia contra ejus inimicos; oſtendendo rationes, propter quas alii eam ſtudent evertere, ineptas eſſe; cenſuras quas critici quidam commenti ſunt, nullis rationibus inniti, & temerarias eſſe. & inſaniam ſapere; & aliorum tandem querimonias, eſſe infinite Deo contumelioſas.

PRO FERIA SECUNDA
POST QUARTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Aſcendit JESUS *Jeroſolymam, & invenit in Templo vendentes, & omnes ejecit de Templo.*
Joannis 2.

I. Argum. De Reverentia Templis debita. De hoc argumento jam locuti ſumus in Evangelio feriæ ſecundæ poſt Secundam Quadrageſimæ Dominicam.

DEFECTUS reverentiæ in Templis eſt proculdubio abominatio in oculis Dei; quippe mundi Salvator, qui tot nobis reliquit exempla manſuetudinis, atque patientiæ in perferendis graviſſimis iniquitatibus noſtris, hanc videre non potuit, quin zelus gloriæ Patris ſui illum ad ultionem ſtatim in arena depoſcendam urgeat; illud verò in hoc facto longe admirabilius eſt, quod cum Deus ut plurimum imitetur Reges, ac terræ principes, qui per ſemet gratias largiuntur, ac tribuunt beneficia, ſed ſcelera punituri miniſtrorum ſuorum opera utuntur, hodierna die Filius Dei ſibi hoc munus depoſcit in Templi profanatores propriis manibus animadvertens. Ejicit cum flagellis, minis, ac probris vendentes; menſas eorum, nummos, & merces evertit, & ita, quæ in oculis ejus emicat, ſpecies auctoritatis, quam induit, & oculorum ejus fulgura tantum in animos timoris, terrorisque incutiat, ut nemo illius furori audeat reſiſtere. Veruntamen nulla me capit admiratio; in aliis enim criminibus contumelia non ſemper immediate refertur ad Deum; & peccatoris nequitia non adeo procedit, ut Deum ipſum laceſſat. Ceterum, quamvis univerſus hic orbis ſit, veluti Templum, ubi recipit creaturarum ſuarum obſequia; tamen hoc Templum illi eſt commune cum hominibus, qui ibi ſuas extruunt civitates, & domos. Sed cum Templa ſint unice deſtinata cultui, qui debetur illi, hæc eſt profanatio loci, qui illi ſacer eſt, ideoque hæc eſt contumelia, quæ directe ad ipſum refertur; atque ut oſtendat eamdem ad ſeipſum pertinere, ipſe ſe ipſum ultorem minitatur.

Ut igitur criminis hujus indignitatem intelligatis, reperio in Scripturis, Deum tres præſertim qualitates ſibi vindicaſſe, quæ impulerunt homines, ut Templa illi ædificarent, & quæ proinde a nobis exigunt obſequium omne, quod illi adhibere poteſt Creatura.

Prima eſt Monarchæ, & Domini, qui Templa hæc noſtra in ſuas ædes convertit, & in locum, quem modo prorſus peculiari replet, unde factum eſt, ut veteres illa *Baſilicas* nuncupaverint, videlicet Ædes regias, ubi Rex gloriæ plerumque inhabitat. Qualitas altera eſt Sacerdotis, quam Salvator ſibi vindicavit, & quatenus talis ſibi Templa noſtra delegit in locum Sacrificii, cujus ipſe eſt victima; quamobrem uſque in præſentem diem Templa vocantur. Tertia denique eſt qualitas Protectoris, & Patroni populi ſui. quapropter hæc Templa conſtituit tanquam locos aſyli, ac refugii contra Juſtitiam ſuam: verùm æquum eſt, ut & ipſe tutus ſit a noſtris contumeliis, quæ cauſa eſt propter quam vulgò Eccleſiæ dicantur, nempe loci quò Fideles conveniunt oraturi, & placaturi iracundiam Dei, quem alibi ferme ubique laceſſimus. Hi autem ſunt tres tituli propter quos hæc conſiderare debemus veluti loca ſancta, quibus proinde profunda habenda eſt reverentia.

Primùm propter præſentiam Dei, ibi tamquam in Ædibus ſuis inhabitantis.

Secundò propter magnitudinem myſteriorum, quæ in Templis celebrantur, ubi Deus ipſe in Sacrificium offertur.

Tertiò denique propter bona, quæ Deus nobis concedit in Eccleſiis, quas in aſylum pro nobis contra juſtitiæ ſuæ ſeveritatem convertit. Tres rationes propter quas tenemur in Templum accedere cum ea modeſtia, & pietate, quam poſtulat ſanctitas loci totidem titulis conſecrati, qui tres hujus ſermonis partes conſtituent.

Vide in To. IV. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: TEMPLA.

Invenit in Templo vendentes, & omnes ejecit de Templo. Joann. 2.

II. Argum. Pro eadem die. De pravo uſu bonorum Eccleſiæ.

Nonne mirum eſt Auditores, videre Deum ira ſuccenſum; Illum, qui ſeipſum hominibus præbuit tamquam ipſius ſuavitatis exemplum, & qui in terram deſcendit ad flectendam Patris ſui iracundiam contra homines irritatam? Tamen hoc illud eſt admirabile ſpectaculum, quod oculis noſtris objicit hodiernum Evangelium. Nunc primùm viſus eſt Salvator præbere ſpecimen iracundiæ, ille qui adeo perfecte omnibus affectibus ſuis dominabatur. Videte quomodo hac in occaſione imperioſum ſuæ vocis tonum induat, quomodo præſeferat auctoritatem, quomodo oculi, & vultus ejus zelo inflammati coruſcent, & manibus non abſtineat, ut vendentes, & ementes de Templo ejiciat. Nonne obſtupeſcitis videntes illum, qui ſecundum Prophetæ verba non debebat calamum ſemifractum infringere; aliorum menſas evertere, aliorum effundere nummos, circum undique projicere, quod venale proſtrabat in hac loci ſanctitate; probris, & minis uti, & ut me verbo expediam, audere, quod alius quilibet ab illo ſi faceret, jure tamquam furoris effectus haberetur? Tu quidem a furore quam longiſſime abhorres, æterna Sapientia, quæ nihil agis niſi juſtiſſimis de cauſis, diviniſque conſiliis. Noveras hos Sancti Templi tui profanatores indigere aliquo ſeveritatis exemplo, ut criminis ſui enormitatem intelligerent, quale erat indigna profanatione violare locum hominibus, Angeliſque ipſis verendum. Verum eſt, Judæis ſcandalo fuiſſe zelum adeo ſuccenſum, quo ille flagrabat pro domo Dei; ac ſeorſim ab eo quæſiviſſe, quanam auctoritate id operaretur, & quo jure hanc ſibi vindicaret poteſtatem? *in qua poteſtate hæc facis?* Sed certus ſum Auditores, vos nullatenus miraturos, ubi intellexeritis Templi hujus profanationem coegiſſe Filium Dei, ut exprobraret venditoribus, quaſi domum Patris ſui in latronum receptaculum convertiſſent; hanc inquam profanationem levem extitiſſe, ubi comparetur cum illa, quæ aliquando erat videnda ſummo cum Chriſtianiſmi probro, & dedecore per negotiationem magis ſacrilegam, & abominabilem, quæ ibi ſatis frequenter exercetur, & quam nonnulli Sancti Patres, atque potiſſimum Sancti Hieronymus, Auguſtinus, & Chryſoſtomus aſſerunt repræſentatam fuiſſe ab illis, qui negotiabantur in templo. Joann. 2. Hæc autem eſt Simonia, quam committunt, qui res ſacras negotiantur, & turpe beneficiorum Eccleſiaſticorum commercium exercent. Quid enim cogitare poſſunt fideles, cum vident Eccleſiaſticos beneficia emendicare turpibus adulationibus, ſervilibus blanditiis, noxiis ſimulationibus, ambitu infami, negotiationibus, & conventionibus, quæ leges Eccleſiæ ſubvertunt, & quas ipſi etiam Laici perhorreſcunt? Quid cogitare poſſunt fideles de hujuſmodi commerciis, quæ ſæculi corruptio introduxit? Quid de permutationibus fraudolentis? De commentitiis reſtitutionibus, reparationibus, quæ ſæpe vel minime factæ fuerunt, vel quæ præter juſtum valorem æſtimatæ ſunt? Quid de reſignationibus, quibus præceſſerunt explicitæ, vel tacitæ promiſſiones ſolvendi penſionem? Quid de conventionibus inter familias pro nuptiis, in quibus componendis ipſa etiam in pactum deducuntur beneficia, quæ affinibus deferuntur, dignis ne, an indignis, nihil intereſt.

De his Profanationibus, Sacrilegiis, Commerciis aptiſſimis ad provocandam iram, atque ultionem Dei, quorum enormitatem dicendo aſſequi non licet hodierna die apud vos verba facturus invenio Eloquentem Salvianum appellaſſe Simoniam monſtrum in Religione Chriſtiana, idque triplici ex capite.

Primùm quia pretium proponit iis rebus, quæ æſtimari non poſſunt.

Secundò, quia ſacrum, & profanum confundit.

Tertiò, quia præſefert nimium rerum terrenarum amorem eo in ſtatu, & profeſſione, quam nemo debet amplecti, niſi ut animum ſuum ab illis avellat.

Tria hæc fœderum monſtra in quibus peccatum ſimoniæ ſitum eſt, me admonent, ut ſingula ſeorſim conſideram, ut melius criminis enormitatem intelligatis, quod noſtro hoc ſæculo uſitatiſſimum eſt, & quod tria continet, quæ in Scripturis maxime improbantur, & ſeveriſſime puniun-

Digitized by Google

ponuntur à Deo, avaritiam damnoſiſſimam, ſacrilegium maxime impium, quæ tandem gignunt pertinaciſſimam impœnitentiam,

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Ecclesiasticus.

Zelus domus tuæ comedit me. Joann. 2.

III. Argum. Pro eadem die De Reverentia Templis debita. Non eſt cur miremur, Fideles, Zelum, quem hic Mundi Salvator præfefert pro domo Patris ſui; Tres præcipuas rationes invenio, quæ ſimul reddunt Templa digna ſingulari veneratione, quam præ nobis ferre debemus ſumma cum pietate, ac devotione: nam

Primùm ſunt manſio Patris Æterni illic inhabitantis per ſuæ Majeſtatis præſentiam modo adhuc magis peculiari, quam in Templo Salomonis.

Secundò, quia Templa ſunt ipſius Jesu Christi, qui ſimul eſt Sacerdos, & victima, quæ ibi offertur, & qui præterea ibi per realem Corporis ſui præſentiam inhabitat.

Tertiò, quia ſunt Sanctuarium Spiritus Sancti, ibi affluentius, quàm alibi, ſuas gratias, & chariſmata effundentis.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Templa.

Invenit in Templo vendentes, & omnes ejecit de Templo. Joann. 2.

IV. Argum. De ſpiritu Avaritiæ. Mundi Salvator proculdubio æquiſſimam habuit indignationis cauſam, cum invenit in Templo magnam vim ementium, & vendentium, qui per indignum Sanctitate loci commercium polluebant illud, eiſque exprobravit, quaſi domum orationis in latronum ſpeluncam converteſſent. Sed ſi propius factum hoc ad examen revocaverimus, inveniemus zelum, ſanctamque iracundiam, quam in hac occaſione prætulit, non aliud objectum habuiſſe niſi Templi profanationem; quandoquidem malum, quod operabantur mercatores hujuſmodi par non extitiſſet ciendæ iracundiæ hominis ſuaviſſimi, niſi aliis fuiſſent obnoxii criminibus, quàm emendi, ac vendendi in atrio Templi. Salvatoris conſilium, mea quidem ſententia fuiſſe videtur, ejicere omnino de loco Sancto avaritiæ dæmonem, ſpiritum verſutum, & callidum, quo homines acti, ut plurimum, Dei negotium cum ſuo confundunt, & qui perſonam gerens pietatis efficit, ut unice de quæſtu, & lucro ſe præbeant ſollicitos.

Quamvis nemo ignoret quid ſit agere per avaritiæ ſpiritum, & hæc verba explicatione nequaquam indigere videantur; credo tamen Auditores, operæ pretium eſſe apertius, quid ſentiam, connotare, & ſignificare, quid mihi velim hoc nomine Spiritus avaritiæ. Hoc enim vocabulo non intelligo ſolum ſpiritum, quem poſſidet hæc violenta, ac furens cupiditas, quæ efficit, ut nihil inauſum relinquatur ad opes congerendas, & per fas, & nefas undequaque comparandas; neque ſolum crudelem avaritiam, qua fit, ut alii, quin fruantur bonis, quæ poſſident, malint ea otiari, quàm impendere in uſus, quos Charitas Chriſtiana præſcribit. Neque mens eſt ſignanter verba facere de criminoſo affectu, quo adhæremus bonis terræ hujus, & qui nos in æternum à Cœleſtibus prohibet. Sed nomine ſpiritus avaritiæ intelligo motus amoris proprii, qui nos ad agendum impellit propter aliquod temporale commodum, vel mundi hujus gloriam, vel aliquam utilitatem, quam ſperamus, & quærimus in operibus noſtris; ita ut ubique inveniamus, tamquam vetus ille æger, cujus ob oculos ſemper obverſabatur imago ſua, & nihil niſi ſe ipſum videbat. Igitur ſpiritum avaritiæ voco etiam hanc agendi rationem verſutam, & callidam, quæ efficit, ut ſimulatæ pietatis integumento, eodemque zelo gloriæ Dei nosmet operiamus, ut ſub hoc ſpecioſo titulo, & per cuniculos oblique mundi plauſus aucupemur. Speciem hanc prætexere poterant, qui in Templo nundinabantur; quandoquidem merces, quæ venales proſtrabant, ad Sacrificia ibi offerenda pertinebant. Hoc in ſenſu ſpiritus avaritiæ ſollicita eſt perquiſitio eorum omnium, quæ cedere poſſunt nobis in commodum, vel utilitatem; ita ut omnia ad hunc referre finem, ſpiritu avaritiæ agi, vocem. Ut igitur vobis ſuadeam puriora, magiſque Chriſtiana ſequi conſilia, ac digniora eo viro, cui aliquis reliquus eſt ſenſus honeſtatis, & generoſitatis, duas propono veritates, quæ uti ſpero, immittent contemptum praxis, quæ minime Chriſtianum, ſimulque honeſtum hominem decet.

Prima eſt, nulla re mentem hominis excæcari magis, quàm habendi cupiditate, ideoque hanc ſequi pro vitæ norma in iis potiſſimum, in quibus pietas permixta eſt, idem eſſe, ac eam facere incertam, injuſtam, infelicem, & abominabilem

Altera eſt: Cor nulla re magis corrumpi quàm hac ipſa cupiditate; quia paſſim præfertur Deo, Religioni, & Charitati erga proximum in iis etiam occaſionibus, in quibus ejuſdem ratio habenda eſt diligentiſſima.

Vide Titulum Avaritia *in To. I. Bibliotheca Mor. Evang.*

PRO FERIA TERTIA
POST QUARTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?... Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me. Joannis 7.

I. Argum. De ſcientia neceſſaria in Miniſtris Evangelii. Quantacumque ſit utilitas ſcientiæ ad acquirendam Sanctitatem, vel hanc aliis inſpirandam, tamen moleſtum eſt contra eruditos viros præjudicium; cum conſideramus hinc quidem inſtitutionem Religionis, pro qua Deus uti noluit ſapientia, & ſæculi ſcientia; ſed humanis hiſce ſubſidiis neglectis, elegit ſolum rudes homines, & illiteratos; inde verò cum cogitamus docilitatem, & humilitatem, quæ neceſſaria eſt ad amplectendam fidem, cui ſuperbia, & pertinentia eorum, qui in Pagana antiquitate doctrinæ laude præſtabant, ſemper obices invicti fuerunt. Præſertim verò cum videatur Deus, reprobare in Scripturis Sapientes, & eruditos mundi, tamquam cenſores Divinitatis; ita enim Tertullianus appellat, & tamquam infeſtiſſimos gloriæ ipſius inimicos, & rebelles gratiæ, & legi illius, & qui difficillime ſub Evangelii jugo ſe ſubjiciunt, & ſubdunt rationem fidei per eam præſumptionem, quæ ſcientiæ inhærere videtur. Sane Apoſtolus Gentium quamvis eloquentia polleret, profitetur ſe nihil ſcire, niſi Jesum Christum, & hunc Crucifixum; unde factum eſt, ut qui maxime Sanctitatis laude commendati floruerunt ſemper præferendam cenſuerunt humilem ignorantiam, & innocentem ſimplicitatem ſuperbæ, arrogantique doctrinæ. Itaque in hodierno Evangelio intuemur præclarum humilitatis exemplum in Salvatore, in quo licèt reſiderent omnes ſapientiæ, & ſcientiæ theſauri, ut inquit Apoſtolus, tamen doctrinam ſuam acceptam refert Patri in hoc ſervans humilem ſimplicitatem, ne irritaret ſuperbos, feroceſque Synagogæ doctores qui ejus exprobrabant illiteratutam

Et quamvis hoc exemplum Jesu Christi ſuperet hominis captum; nobis oſtendit, non ſine gratiæ ſubſidio ſcientiam cum virtute, & ſanctitate conciliari poſſe; & probat

Primùm, Sanctitatem vitæ magnum eſſe ſubſidium ad ſcientiam indipiſcendam. Secundùm viciſſim Scientiam magnum eſſe adjumentum ad acquirendam ſanctitatem.

Prima Pars. Equidem ſcio paſſim vitio verti viris doctis, quod impenſius excolant ingenium ſuum præclaris eruditionibus, quàm voluntatem ſolidis virtutibus, quæ ſolæ coram Deo ſunt in pretio. Credere juvat id non temere dici; quandoquidem hoc docet experientia, nec deſunt ſententiæ hujus adſtipulatores. Verum quamvis hujus rei plures afferantur rationes, aſſerere audeo, tantùm abeſſe, ut ſcientia, & ſanctitas ſimul eſſe non poſſint, vel aliquam eſſe inter duas haſce præclaras qualitates oppoſitionem, ut e contra manum viciſſim ſibi præſtent, & ſibi mutuò opem ferant, ut aſſequantur perfectionem unicuique propriam, quoniam Sanctitas confert ſcientiæ, & ſcientia Sanctitati. Primùm igitur dico, Sanctitatem eſſe magis idoneam diſpoſitionem ad impetrandam à Deo Scientiam; Quoniam donum eſt, quod Deus orationi concedit, quemadmodum exemplo ſuo Sapiens teſtatur. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus; invocavi, & venit in me ſpiritus.* Sap. 9. Quis autem dubitare poteſt, an morum Sanctitas, vitæ integritas, fidelitas in Dei cultu, ſit optima diſpoſitio ad obtinendum locuples hoc donum, & utrum Deus illud libentius concedat amicis ſuis, quàm peccatoribus, qui paſſim illo abutuntur? Secundò Sanctitas perficit ſcientiam corrigendo vitia, quæ illi videntur ingenita, cujuſmodi ſunt ſuperbia, ambitio, invidia, contemptus aliorum, & in proprio ſenſu pertinacia. Tertiò ſcientiam attollit, ac ſanctificat, cum ſuapte natura ſit neutra; quia Sanctitas efficit, ut ſcientia divinæ gloriæ ſubſerviat, & ſe ipſam per bonum uſum ſanctificet.

Secundo loco Scientia viciſſim aliquid confert Sanctitati. Licèt enim hæc duo longe diverſi ſint ordinis, & dici nequeat Scientiam abſolute neceſſariam eſſe ad acquirendam ſanctitatem, tamen conſtans eſt veritas, ubi cum virtute fœdus percutit, miram adferre utilitatem, validumque præſidium ſanctitati. Primùm, quia vetat, ne quis in errorem labatur, & fucum ſibi fieri permittat; quod non ita facile evitare poteſt, qui caret ſcientia, & qui non ſequitur deciſiones, & conſilia doctorum: ita ut primum officium, quod ſcientia præſtet Sanctitati, ſit il-

lam

Digitized by Google

ſam deducere, & prohibere, ne in viis juſtitiæ deerret:
Sap. 10. *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas; & oſtendit illi regnum Dei.* Secundò ſcientia fœcundam facit ſanctitatem, quæ vulgo ſterilis eſt; videlicet Sanctus, qui caret ſcientia, uni tantum ſibi ſanctus eſt; ſed ubi ſanctitas eſt cum ſcientia conjuncta, ſe effundit in proximum, & poteſt convertere, atque populos integros ſanctificare. Tertiò his adde tandem, ſcientiam efficere, ut Sanctitati acceſſio fiat auctoritatis, in omnibus cœptis ſuis pro Dei gloria, & Eccleſiæ utilitate &c. Pro fructu hujus ſermonis inferri poteſt, non ſatis eſſe habere lumen ſcientiæ, niſi habeatur ſimul charitatis ardor; Scientiam ſine ſanctitate nos efficere nocentiores coram Deo, dum è contra cum virtute, & ſanctitate conjuncta, efficiet, ut fulgeamus in gloria tamquam ſtellæ in omnem æternitatem.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: STUDIUM, ET SCIENTIA.

Nonne Moyſes dedit vobis legem? Et nemo ex vobis facit legem. Joann. 7.

II. Argumentum De vitæ regularitate.

Non immerito Dei Filius in hodierno Evangelio Phariſæos redarguit, quaſi eorum nemo Legem Moyſis obſervaret, quamvis ſemper ſe religioſiſſimos legis obſervatores jactitarent. Salvator hoc illis pluribus in occaſionibus exprobravit, & hoc jure nunc quoque exprobrari poſſet plerique Fidelium. Neque enim putetis, Auditores, hoc argumentum, quod religioſis hominibus convenire videtur, crucem eſſe, & conciliari nequaquam poſſe cum vita eorum, qui in mundi luce verſantur, in honoribus, & dignitatibus, vel familiæ alicujus adminiſtratione; nam aſſero hanc eſſe debere vitam veri Chriſtiani, qui alioquin numquam erit virtute præditus, & ſubibit periculum labendi in vitam diſſolutiorem, quamvis ineat conſilium inhærendi ſuis officiis. Quæ res mihi tribuit occaſionem duas proponendi veritates.

Primùm, conſtantem regularitatem, aſſiduamque diligentiam in ſervandis Religionis, ſtatus ſui, & conditionis, ad quam nos Providentia evocavit, officiis, certiſſimumeſſe caracterem nos divino Spiritu agi, & deduci in via ſalutis.

Secundò, hanc ipſam in obeundis omnibus vitæ officiis diligentiam, viam eſſe tutiſſimam, facillimamque ad aſſequendum finem, cui nos deſtinavit Deus, ſalutem videlicet, æternamque beatitudinem.

Primum dico caracterem melius connotatum, quo Dei Spiritus a quovis alio Spiritu diſtinguitur, eſſe regularitatem, hoc eſt fidelem, conſtantemque ſolertiam in obeundis omnibus officiis illius profeſſionis quam ſumus amplexi. Primùm ratio deſumitur a Sancto Auguſtino, aſſerente, Deum amare ordinem in omnibus operibus ſuis, eumque ſibi veluti legem quamdam propoſuiſſe, illum fideliter ſervandi, quem ſibi præſcripſit in natura, & gratia, ita ut, addit ille, *ordo nos ducat ad Deum, & ſine ordine impoſſibile ſit ad Deum pervenire*, qui finis eſt, qui ſemper oculis noſtris debet obverſari. Hinc ſequitur, ſi Dei ſpiritu vocamur ad ſtatum, quem ſumus amplexi, quemadmodum ſemper ſuppono, hunc eſſe ſpiritum eumdem, qui nos deducit per hanc viam, & nos impellit ad replenda hujus ſtatus officia; nam ſicuti res conſervantur per eadem principia, per quæ orta ſunt, quomodonam melius judicare poſſumus nos Dei ſpiritu duci in ea vitæ ratione, quam nobis ſuaſit, ut ſequeremur, niſi per integram, conſtantem, & regularem obſervantiam omnium officiorum noſtrorum. Secundò in hac infirmitate, & mobilitate, quam habemus in bono, & in hac proclivitate, qua ſemper in malum ferimur, ratio per ſe ſola non ſatis recta eſt ad omnes actiones noſtras dirigendas, ita ut ſit principium vitæ Chriſtianæ, & regularis. Dicendum eſt igitur hunc eſſe Dei Spiritum, videlicet deſiderium placendi illi, & faciendi voluntatem ejus, & gratiam vocationi ſtatus hujus inhærentem; Alioquin nonniſi ex libidine, & fortuito bonum fiet, & hoc ipſum bonum non erit duraturum. Rerum noſtrarum ſollicitudo erit cauſa, propter quam obliviſcemur exercitationum piarum; non videbitur regula, neque uniformitas vitæ, in qua omnia erunt inordinata, & importune facta. Tertiò docet experientia, quidquid violentum eſt non eſſe diuturnum; ſed ſenſim, & ſine ſenſu deficere, niſi externum aliquod accedat ſubſidium. Violentum eſt autem ſeſe pro Deo ſubjicere regulæ conſtanti, quæ crucem figit libertati noſtræ, quæ ſuapte natura eſt, rerum omnium, quibus coarctatur, inimica. Cum igitur Chriſtianus per ædificantem regularitatem nulla in re deficit ordini, quem ſibimet ipſi præſcripſit, & quem ad ſalutem ſibi neceſſarium eſſe duxit; quem aliunde nulla humana conſideratione ſuſcepit; nonne inferendum eſt, eumdem ſpiritum, quo ductus ſibi legem præſcripſit, illi etiam ſuadere hanc conſtantiam, & fidelitatem eamdem obſervandi? E contra verò cum nulli noſmet regulæ ſubjicere poſſumus, ut fidelius ſtatus noſtri, & Religionis officiis perfungamur, hoc indicium eſt Deum quidem a nobis recedere, nos autem libenti animo jugum Domini excutere, & noſmet diſpenſare ab iis omnibus, quæ in Chriſtianiſmo accidunt nobis permoleſta; ita ut traditi nobiſmet ipſis, & in manum conſilii noſtri, in omnia mala ruamus.

Secundò aſſero, nobiſmet regulam, & vitæ rationem præſcribere, per quam ad unguem omnibus officiis cum ſtatus, tum Religionis perfungimur, tutiſſimam, ac facillimam eſſe viam ad aſſequendum finem ad quem anhelare debemus, æternam videlicet felicitatem. Primùm hæc rectiſſima via eſt, & tutiſſima, neque alia opus eſt probatione, quam ſcire hanc eſſe illam, quam Deus ipſe nobis indigitavit; quomodo enim ſupernaturalis ipſius Providentia ſeſe extendit ſuper omnes homines in particulari; ipſe illos appellat ad ſtatum, in quo prævidet futurum, ut illi poſſint ſuæ ſaluti conſulere; & quoniam hæc eſt voluntas illius, ut in hoc ſtatu vivamus, credere etiam debemus, futurum ut ſemper voluntatem ejus faciamus, videlicet futurum ut omnia exequamur munera ſtatui eidem inhærentia. Secundò, hæc via eſt facillima, & in qua minori cum labore incedere poſſumus; quoniam hic eſt ſtatus, & conditio, quam ipſi delegimus, tamquam naturæ, ſtudiiſque noſtris maxime conformem. Tandem enim ſi in omnibus artibus, ac ſcientiis præcipuum conſilium ad earum perfectionem indipiſcendam, eſt ordinem ſervare, & certas habere regulas, quas ſequamur; ita enim compendiaria utimur via, multiſque parcimus laboribus; hoc ipſum de ſanctitate dicendum eſt, quæ ſimul eſt, & Cœli ſcientia, & via, quæ nos illuc adducit. Ad hanc autem viam faciliorem efficiendam, & in compendium redigendam oportet regere communes vitæ actiones, tunc enim nihil nos morabitur, habitus omnes difficultates complanabit, & nobis facile fiet, quod antea difficillimum videbatur. Tertiò Regularis iſta diligentia eſt etiam utiliſſima; per hanc enim aſſequi licebit, ut omnes actiones noſtræ ordinentur ad Cœlum, & ad maximam meritorum vim comparandam.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: REGULARITAS.

Nolite judicare ſecundum faciem: ſed juſtum judicium judicate. Joann. 7.

III. Argumentum De eodem de Judicio temerario.

Hæc Sacri Textus Verba nobis occaſionem præbent loquendi de temerario Judicio, quamvis alibi, ſed aliter de eodem argumento Verba fecerimus. Quamobrem fert animus oſtendere quot modis peccare poſſumus temere judicantes.

Primùm peccatur contra prudentiam judicantes ſecundum ſpecies, quæ ut plurimum fallunt, vel ſecundum ea, quæ narrata ſunt, & quæ ſingulis diebus fallacia eſſe cognoſcimus, Sed ſecundum hæc ſuum firmare judicium nonne eſt ſe objicere errori, ideoque agere contra regulas prudentiæ, quæ poſtulat, ut omnia præcaveamus, ne decipiamur?

Secundò peccatur contra Charitatem, qua cogimur optime ſentire de proximo, & in æquiorem partem illius facta interpretari, ubi liquido prava non ſint, & in iis, quæ ſunt dubia, pendere potius in ejuſdem utilitatem.

Tertiò peccatur contra juſtitiam, ac legem naturæ, privando proximum eo jure, quod habet ad æſtimationem in mente noſtra; uſurpando jus, quod ad nos minime pertinet, ea tandem alteri faciendo, quod nobis nequaquam fieri cuperemus.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: JUDICIUM TEMERARIUM.

Alio etiam modo efferri poteſt hoc argumentum, & in Temerario Judicio tria poſſumus conſiderare. — Aliter afferri poteſt hoc argumentum.

Primò Injuria, quæ fit Deo judicando de hominum intentione, quod eſſentiale jus eſt Supremi Domini ejus, qui ſolus renes ſcrutatur, & corda.

Secundò Injuria quæ fit proximo, cui aufertur exiſtimatio, ad quam jus habet, quandiu nondum fecerit actionem haud dubie malam; ideoque Judicium temerarium, & contemptus qui illud ſubſequitur aperta eſt injuſtitia. Te nocentem putares, ſi propter detractionem in cauſa fuiſſes, ut frater tuus jacturam faceret exiſtimationis alienæ: Numquid es innocens, cum per Temerarium judicium tu illum tua privas exiſtimatione?

Tertiò tibi metipſi per temerarium Judicium facis injuriam, quoniam temet coram Deo nocentem facis peccati gravis; & cogis Deum hunc miſericordiæ, ut in te ſeverum judicium exerceat.

Vide eumdem locum, quem in ſuperiori argumento.

PRO

PRO FERIA QUARTA POST QUARTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Præteriens JESUS *vidit cæcum a nativitate*, Joann. 9.

I. Argum. De Cæcitate ſpirituali.

QUAMVIS Dei Filius in Evangelio nobis conſilium dederit, ne unquam cæcum ducem ſequeremur veriti ne cum illo, ubi primum occurreret periculum, in præceps laberemur; non credo tamen me monitum adeo ſalutare contemnere, ſi hodierna die vobis propoſuero tamquam exemplum vitæ hunc cæcum, cujus hiſtoriam, & beneficium a Salvatore receptum, narrat Evangelium. Namque cæcus iſte adeo perſpicax factus eſt, ut non ſolum citra periculum, verùm etiam tutiſſime noſmet illi deducendos tradere valeamus. Et ſane lumen ſpiritus, quod una cum lumine corporis recepit, tale extitit, ut ipſos legis Doctores docere potuerit, eiſque oſtendere cæcitatem, in qua verſabantur, non cognoſcentes Meſſiam, Magiſtrum, Salvatorem, & Deum ſuum poſt adeo ſtupendum miraculum, & manifeſtum quod ipſi viderant.

Ita cæcitas mentis, qua Doctores illi perculſi erant æquiſſimo ſupplicio, quod ſibi per invidiam, ſuperbiam, & incredulitatem conflaverant, erat deplorabilior illa, qua pauper homo iſte nuperrime liberatus fuerat, quia voluntaria erat, & criminoſa, cui ut fieret medicina non minori opus erat potentia, neque minori miraculo. De hac ſpiritus cæcitate, in qua vivunt hodierna die plerique mortalium, & quam Dei Filius nobis minitatur in decurſu Evangelii, de hac inquam cæcitate vobis verba facturus ſum, tamquam de malo, quod ad nos pertinet, & quod hoc tempore adeo familiare eſt, & quod maximum, & funeſtiſſimum malorum, quæ in hac vita nobis timenda ſunt, appellare poſſum, quia quantùm anima præſtat corpori nobilitate, & lumen gratiæ excellentius eſt naturali: tantùm cæcitas ſpiritualis peccatorem, qui ſuis criminibus tantam ſibi conflavit calamitatem in triſtiorem, & periculo propiorem ſtatum adducit. Verum ut magis afficiamur hac terribili calamitate, & illam evitare ſatagamus, fert animus duo cæcitatis genera diſtinguere in peccatore, quorum alterum eſt ipſum peccatum, per quod relinquit Deum pro aliquo creato bono, & ſalutem ſuam adducit in diſcrimen propter aliquid leviſſimi momenti. Quæ cæcitas tanta eſt, ut Propheta nos doceat, ideo Cœlos, terramque obſtupeſcere: *Obſtupeſcite Cœli ſuper hoc*. Aliud cæcitatis genus eſt effectus, & pœna peccati, & conſiſtit in ſubtractione luminum, & gratiarum Dei, & in depravatione judicii de electione, & uſu rerum, quæ ad ſalutem pertinent; quod efficit, ut neque agnoſcantur, neque metuantur Chriſtianæ Religionis veritates, eo modo, quo opus eſt. De altero hoc cæcitatis genere hodierna die apud vos verba facere contendo, tamquam de malo maxime deplorabili, in quod incidere poſſit in hac vita peccator. Quamobrem vobis oſtendere cupio. — *Jerem. 2.*

Primùm unde hæc oriatur cæcitas, & per quos gradus ad illam perveniatur.

Secundò quinam ſint funeſti effectus ſtatus hujus, in quo nihil magis metuendum eſt; niſi cum peccator ſe beatiorem putat, & inter ſcelera majori gaudet animi tranquillitate.

Vide in To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: CÆCITAS.

Præteriens JESUS *vidit cæcum a nativitate*. Joann. 9.

II. Argum. Pro feria quarta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam. *Luc. 18.* De eadem ſpirituali cæcitate.

Hodierna die tria ſunt perſonarum genera in cæcitate poſita, & quæ ſuam ignorant calamitatem, ideoque neceſſario confugere tenentur ad Deum remedium deprecaturi, & cum Evangelico cæco petituri: *Domine, ut videam*.

Primi illi ſunt, qui ſimpliciter ſunt in errore, non ſecus ac Hæretici bonæ fidei. Hi ſane deplorandi ſunt; hi quodammodo ſunt cæcinati, quos nativitas hauſta ab Hæreticis, educatio, atque inſtitutio ab aliis cæcis accepta in falſa religione prohibent, ne oculos lumini aperiant, & ſuum errorem agnoſcant. Hujuſmodi cæci a Deo petere debent, ut illos illuſtret, & illis aperiat veritatem, & ipſi pro virili parte quærant edoceri: *Domine, ut videam*.

Secundi ſunt, qui in credendo ſibi licentiam vindicant, quorum cæcitas longe pernicioſior eſt priore, & difficilior, quæ curetur; quoniam ab eorum proficiſcitur præſumptione. Credunt ſibi plus eſſe luminis, quam aliis, quos infirmos ſpiritus vocant, ſpiritus ſine perſpicacia; ſed cum illi ſe ſpiritus fortes vocitent ſemet ipſos excæcant conſtantiſſimas Religionis noſtræ veritates impugnando, Facile illis oſtendere eſt cæcitatem in qua ſunt; quamvis nonniſi omnipotens divinæ miſericordiæ manus illos ex hoc ſtatu eripere valeat.

Tertii ſunt, qui in moribus componendis ſunt liberiores, qui inter voluptates vivunt, & quos amor proprius excæcat, quia nolunt ſua officia cognoſcere, ne illa adimplere teneantur, & nuntium mittere ei vivendi rationi, quàm ſuſceperunt.

Vide Titulum quem ſuperius connotavimus, & præter illum in To. II. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: IGNORANTIA, & in III. Titulum: LICENTIA.

Aliter efferri poteſt hoc argumentum.

Aliter etiam efferri poteſt hoc argumentum, & ſpiritualis cæcitatis malum amplificari habita ratione malorum, quibus in corporali cæcitate ſumus obnoxii, duplex hoc cæcitatis genus ſimul comparando.

Primùm Cæcus oculis captus, non videns ea, quæ facit, nullo poteſt in opere excellere, & nulla in exercitatione, ubi oculi omnino ſunt neceſſarii ad opus dirigendum; exempli gratia inpingendo, ſcribendo, manibus laborando. Nullus hujuſmodi labor rectus eſſe poteſt, & ſecundum artis regulas inſtitutus, ſi a cæco fiat. Talis eſt animæ cæcitas, qui ad illam redacti ſunt per ſcelera nihil boni ad ſalutem acquirendam operantur. Ne ſciunt unde incipiendum ſit, & nonniſi corrumpere, ac vitiare poſſunt actiones externas prava intentione, carentes conſcientia, & religione ſaltem quoad effectus; hoc enim intelligitur pro cæco, niſi fidem quoque amiſit.

Secundò cæcus corporeis deſtitutus oculis inceſſanter verſatur in errandi periculo viam hanc pro altera accipiens, quoniam neque videre poteſt viam quam ſequi debet, neque terminum, ad quem vult pervenire; quamobrem indiget duce, non habens oculos, quibus regat ſe ipſum. Hæc eſt infelicitas, ad quam cæcitas animæ redigit peccatores; hi ſemper magis, magiſque aberrant, non cognoſcunt vel quò eundum ſit, quæ eſt beata æternitas, nec quam viam ſequi debent, illuc perventuri. Quamobrem inceſſanter ab illa per funeſtam aberrationem recedunt.

Tertiò cæcus ſemper eſt in diſcrimine impingendi, atque labendi in loca præcipitia, quæ cum non videat, ſibi cavere, & illa evitare non poteſt. Heu! in quæ crimina, & quæ mala non ruit cæcus peccator! Nonne dici poteſt hic ferri de præcipiti in præceps laxans habenas ſuis cupiditatibus, quæ illum trahunt, & quæ ſunt cæci duces, quos ſequitur?

Videte eumdem Titulum in Bibliotheca CÆCITAS.

Da gloriam Deo. Joann. 9.

III. Argum. Pro feria quarta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam. De gloria Dei.

Quemadmodum Deus, cum operari voluit extra ſe ipſum, non habuit finem gloria ſua præſtantiorem; in deinceps exegit gloriam eamdem ab omnibus creaturis, tamquam obſequium, & æquiſſimum vectigal ſuæ magnitudini debitum. Sed hæc obligatio Deum glorificandi generatim afficit hominem, cum potiſſimum innitatur imagini, quam ille gerit Dei longe perfectius quàm cetera creata. Itaque tenetur ille creatorem ſuum glorificare etiam pro reliquis, cum inter omnes creaturas corporeas ſit unus, qui illum cognoſcere, amare, & eum cultum præſtare valeat, quem ſuprema ejus flagitat Majeſtas. Porrò ſi vultis ſcire quibus modis magis Deus valeat glorificari; quid illi glorioſius ſit, & quomodo ſupremam illius magnitudinem recognoſcere valeamus; hoc bifariam fieri poſſe mihi videtur.

Primùm ad Deum referendo omnes cogitationes noſtras, omnia verba, actiones, motus, & omnes cordis noſtri affectiones.

Secundò, acceptam referendo Deo gloriam omnem, & æſtimationem, quam ab hominibus recipere poſſumus, tribuendo illam Deo, tamquam bonum ipſi proprium, & peculiare.

Vide Titulum: INTENTIO *in To. II. Bybliotheca Mor. Evang. & in IV. Titulum*: SERVITUS DEI.

PRO FERIA QUINTA POST QUARTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Adoleſcens tibi dico, ſurge. Luc. 7.

I. Argum. Quomodo conſideranda ſit mors. *Eccleſ. 7.*

SI quid in mundo aptum eſt ad nos ad officium revocandos, & excitandos Fideles ab hoc mortali ſopore, in quo plerique vitam traducunt, hoc dubio procul eſſe poteſt proſpectus mortis, vel potius cogitatio illius, quod de nobis aliquando futurum eſt; ſecundum Veritatis ejuſdem oraculum. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*. Ita ut quemadmodum nulla virtus eſt, nulla induſtria, potentia, vel auctoritas, quæ contra

Digitized by Google

tra mortem nos tueri valeat, dici quoque poſſit non eſſe vitium, quod altas adeo jecerit radices, neque adeo violenta cupiditas, neque cor adeo obduratum, quod reſiſtere valeat ſeriæ cogitationi eorum, quæ fiunt funeſto illo momento, cujus effectus non minus terribiles ſunt, quàm certi; ex quo argumentor cauſam omnium malorum, quæ in mundo regnant inde proficiſci, quia de morte nulla fit cogitatio, vel potius quod mors non conſideratur ex eo loco, qui aptior eſt ad impreſſionem faciendam in animum noſtrum, & ad librandum terribile pondus, quod nos pertrahit in malum. Difficile enim eſt credere, homines numquam cogitare de re ea, quæ tam crebrò incurrit in oculos eorum, & cujus oblivisci nequeunt, etiamſi velint; cum interim haud ægre retineant memoriam propinquorum, amicorumque ſuorum. Neque credibile eſt, illos poſſe omnino hanc cogitationem abjicere quantumvis importuna ſibi videatur; donec aliquod rationis lumen ſuperſit. Inferendum eſt ergo, ſi hæc cogitatio non omnem aſſequatur effectum, quem Spiritus Sanctus obtinere teſtatur, inde oriri, quia non reſpicitur, uti opus eſt, ſecundum fidem; & in illis caſibus, in quibus Chriſtiana Religio illam exhibet nobis.

Et ſane ſi homines de morte cogitant, alii eam conſiderant tamquam ſeparationem a vitæ commercio, neque aliam ſibi proponunt ideam, niſi ſecundum ea, quæ morientes ceſſant operari. Alii de morte non cogitant niſi quatenus eſt ſeparatio a ſuis conſanguineis, & amicis, & ita hæredes ſibi ſcribunt, atque de rebus domeſticis, negotiiſque ſolliciti ſunt. Quidam de morte non laborant, niſi ut adhuc in hominum memoriam ſuperſtites ſint; alii, ut evitent contentiones, ac lites, quæ poſt ſe poſſent ſuboriri; & alii demum, Philoſophorum more, mortem intuentur tamquam aliquid neceſſarium, ſerius, ocius obeundum, & credunt ſe conſtantia tantùm, animoque obfirmato indigere ad illam æquo animo, ubi acceſſerit, accipiendam.

Hoc profecto non eſt de morte cogitare, neque juſtam ejuſdem ideam concipere ad fructum hauriendum, quem hujuſmodi cogitatio gignere poteſt in vitæ ratione inſtituenda. Conſideranda non eſt tamquam ſeparatio animæ, & corporis, Sanctus Bernardus ait, ſed tamquam tranſitus ad æternitatem, per quem in alteram vitam ingredimur alia viſuri objecta, ſedem, cogitationes & ſenſus deinceps non alias mutandos, mutaturi. Ex hoc loco fert animus hodierna die mortem proſpiciendam proponere, videlicet, quamdam veluti mutationem, quæ fit tunc erga nos, & inverſionem rerum omnium, quæ ſunt in nobis, & extra nos; ſed quæ deinceps nos adducit in ſtatum conſiſtentiæ, in quo æternum permanebimus, quales noſmet invenlemus. Meum igitur conſilium eſt vobis oſtendere

Primùm mortem immutare omnia habita noſtrum ratione.

Secundò nihil poſt mortem amplius mutari; quæ ſunt duæ magni momenti veritates, deinceps in ſermonis decurſu pertractandæ.

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: MORS.

Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Luc. 7.

II. Argum. Pro Feria quinta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam. De morte, cujus cogitatio nobis aufert vitæ hujus illuſiones.

Sermonis hujus argumentum eſt oſtendere per mortem corrigi, & auferri omnes hujus vitæ illuſiones. Hæ potiſſimum ſunt tres. Prima eſt de vita ipſa quam credimus numquam finem habituram. Fingimus nobis chimæricam æternitatem; ſed mors docet ſerius, ocyus moriendum eſſe. Altera eſt de bonis vitæ hujus, quibus inhæremus, & mors docet, illa eſſe modica, & quantumvis eſſent ampliora, neceſſario aliquando eſſe relinquenda. Illuſio tertia noſmet ipſos reſpicit; exiſtimamus nos eſſe aliquid; & mors nobis, quid ſimus, oſtendit.

Prima harum illuſionum eſt de ipſa vita. Nobiſmet perſuadere non poſſumus, nos nequaquam morituros; fides enim, ratio, experientia ſatis oppoſitum nobis perſuaſerunt. Sed mortem longius ſemovemus; credimus nos non hac die morituros, non hebdomada, non anno, ideoque nobis quamdam fingimus ſpeciem æternitatis. Sed mortis cogitatio hanc illuſionem, & faſcinationem diſſipare debet; mors enim in ſingulo momento repente poteſt irruere; nihil incertius eſt hora, & genere mortis; Exemplum plurimorum, qui ne cogitantes quidem præripi videntur, nos admonet, hoc ipſum nobis accidere poſſe, & nos iiſdem caſibus eſſe obnoxios; & tandem ab ipſa veritate docemur, ſemper paratos eſſe debere; neſcimus enim, quando dies Domini adveniet. Oſtendi etiam poteſt nemini minus ſperandam eſſe vitæ diuturnitatem, quàm illis, qui eam in vitiis traducunt, & qui minus præ ceteris de morte cogitant. Hinc elici poſſunt plurimæ, eæque præclaræ concluſiones, cujuſmodi eſſet; quo magis de morte cogitare cunctamur, eo minus fore ad bene moriendum diſpoſitos; totum vitæ ſpatium nos in jugi illuſione traducturos, quæ nonniſi a morte ipſa auferetur; vitæ præſentis illecebras ea nos privaturas felicitate, quam in altera vita nobis præparaverat Deus, & oblitos hanc non eſſe perpetuam manſionem noſtram, non laboraturos, ut æternam in Cœlo nobis manſionem comparemus.

Illuſionem alteram nobis gignunt hujus mundi bona. Profecto ſi mundum conſideraverimus ex externa hac ſpecie, quæ nitet, habet ſane illecebras nobis ſeducendis pares. Externus hic fulgor, quo ſepti ſumus; honor, qui nobis adhibetur; hæc potentia, quæ ſubjicit orbem univerſum voluntatibus noſtris; divitiæ, quas poſſidemus, voluptates, quibus fruimur, hæc omnia faſcinant, & ita fallunt, ut pauciſſimi ſe hac ſpecie decipi non permittant. Sed ratio ſeſe præmuniendi contra illuſionem hanc adeo generalem, eſt mutuari ab ipſa morte lumina, & veritates. Quærite ab hoc ambitioſo, qui ad hunc apicem ſe extulit, quem ſenſum ad lectulum mortis habuerit, honorum, & dignitatum, ad quas per tot labores evaſit, & ejus magnitudinis, propter quam tot ſe ſollicitudinibus exercuit. Heu! hæc omnia evaneſcunt, cum prodeundum eſt coram Deo. Quanti facit has opes, quæ illum a morte nequeunt eripere; & quæ in vita altera illi prodeſſe non poſſunt? Incipit agnoſcere in morte ſuam cæcitatem, & abjicere errorem; adhuc nimis felix, niſi hæc illuſio exitus haberet acerbiores.

Illuſio tertia eſt hominis in hac vita, cum ſe ex externa ſpecie demenſus, ex fulgore fortunæ, generis, aliiſque præclaris qualitatibus, aliquid ſe putat eſſe. Hæc autem illuſio, vel potius impoſtura diſſipanda eſt mortis cogitatione. Nam primum ſeparabitur homo ab hoc luxu, pompa, & iis omnibus, quibus ſeptus eſt, atque tunc ſe nudum, & omnino ſolum inveniet. Proh Deus! quæ mutatio! Cum rebus omnibus exuetur, & nihil relinquetur earum rerum, quas poſſidebat, præter ſudarium, ſandapilam, & quinque vel ſex terræ pedes! Secundò vita, motuque carebit; oculi ejus in æternam noctem claudentur; os obſtruetur numquam aperiendum; hæc lingua eloquens adeo, & diſerta, quæ omnes ſocietates exhilarabat, ſilebit. Tertiò corpus hoc vermes depaſcentur, & fiet horribile ſpectaculum, quippe in putredinem converſum, horrorem ciebit, & nemo in illud oculos figere audebit. Ad hæc quid fiet de ingenio, elegantia, ſcientia, perſpicacia, acumine, ac ceteris, quæ inflant cor humanum, & efficit, ut ſe ceteris præſtare putans intumeſcat? Si mortis cogitatio in animo impreſſa hæreret, nonne abjiceret præclaram hanc ideam, quam de ſe conceptum fovet, & alit?

Vide eumdem Titulum; MORS.

Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Luc. 7.

III. Argum. Pro Feria quarta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam. Mors, cujus cauſa peccatum fuit eſſe poteſt peccati medicina.

Cum peccatum ſit cauſa mortis, Apoſtolo teſte, eamque peccatores per æquiſſimum Dei ſupplicium ſibi fuerint promeriti, ut Sapiens docet; ita ex Divo Auguſtino mors viciſſim eſt remedium peccati, & perturbationis, quam peccatum peperit in omnibus facultatibus hominis: nam

Primùm Intellectus ejus perturbatus eſt per errorem fallacemque ideam bonorum mundi hujus, & ſolus adſpectus, & cogitatio mortis illi errorem auferre poteſt, oſtendendo illi vanitatem, inſtabilitatem, & nihilum earum rerum omnium, quas in mundo plurimi facimus.

Secundò voluntas perturbata eſt per eam, quam habet proclivitatem, qua tamquam invita fertur in bona ſenſibilia; & ſola mors eſt, cujus cogitatio poſſit nos avellere ab amore eorum, & prohibere, ne adhæreamus iis, quæ aliquando erunt relinquenda.

Tertiò appetitus ejus magis adhuc inordinatus eſt per infirmitatem, qua malo reſiſtere nequit, & per rebellionem illius contra rationem, quæ cauſa eſt, ut voluntas, objectorum creatorum illecebris victa, contra Domini mandata repugnet. At quidam tutius cohibere, reprimere, & validius compeſcere motus imperioſos inordinatorum appetituum, quàm mors, & metus eorum, quæ mortem ſunt conſecutura? quemadmodum aſſerit Sanctus Auguſtinus. *Timor de futura morte mentem neceſſario concutit; & quaſi clavus, omnes motus ſuperbiæ ligno crucis affigit.* (*Lib. de Doctrina Chriſtiana*)

Vide loca ſuperius memorata in præcedentibus Argumentis.

PRO

PRO FERIA SEXTA POST QUARTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Tunc dixit JESUS *Manifeſte, Lazarus mortuus eſt*. Joann. 11.

I. Argum. De præparatione ad mortem.

SI Priſci Philoſophi Philoſophiam ſuam mortis meditationem dixere, dici poteſt apicem Chriſtianæ Sapientiæ eſſe, noſſe artem bene moriendi, quoniam hoc ſemel fieri poteſt: & prioris mortis defectus ſecunda morte reparari non poteſt. Sed præterquam quod ipſa inevitabilis moriendi neceſſitas evincat, opus eſſe, ut noſmet illi præparemus; ſatis valida ratio nos urget, quia tuto hanc impendimus præparationem, quæ nobis eſſe nequit inutilis, quemadmodum rebus in aliis paſſim uſuveſnit. Cum enim parati ſumus ad longum iter ingrediendum; cum auri, argentique copia collecta eſt, ſupellex, & quidquid neceſſarium ducitur; aliud majoris momenti negotium conſilium ſuſceptum prohibere poteſt, & apparatus omnes inutiles reddere. Matrimonium, & nuptiæ ſumma cura erant paratæ, ſed in arena, cum omnia compoſita exiſtimabantur, negotium evanuit; ecce curæ omnes, & ſollicitudines fraudantur effectu. Dignitatis candidatus petitionis pondus ſuſtinueras, ſed gratioſior petitor te de ponte dejecit, vel obex a te neglectus cogit, ut a petitione animum ſemoveas; oleum, operamque perdidiſti. Sed nemo fruſtra ſe præparat morti, & hæc præparatio numquam inutilis eſt; mors enim ſerius, ocyus aliquando tandem adveniet; & hoc præcipuum eſt opus prudentiæ, ſibi hac in re præcavere; nequando te imparatum apprehendat.

Scio equidem plenos eſſe libros præceptis, piiſque ſenſibus, ut extremæ illi diei noſmet diſponamus, ubi ſingula, quæ hoc in caſu nobis facienda ſunt, edocemur. Quamobrem mihi hæc generatim pertractanti, ſatis erit ad præparationem hanc adhortari duplicem proponendo veritatem, quæ complectitur quidquid ad hoc pertinet argumentum.

Primùm, ut bene moriamur, nobiſmet præcavere debemus contra mortis inſidias, ſemper noſmet in eo ſtatu continentes, in quo coram Deo prodire cupimus; quam remotam vocamus præparationem.

Secundò noſmet communire debemus contra impetus illius, cum illam adventare cognoſcimus; idque per eos actus, quos in lectulo mortis elicere debet Fidelis, antequam ea hac vita diſcedat; quæ proxima dicitur præparatio.

Vide in To. III. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum : MORS,

Infirmitas hac non eſt ad mortem; ſed pro gloria Dei. Joannis 11.

II. Argum. Pro Feria Sexta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam. De bono uſu morborum.

Homines paſſim morbos conſiderant tamquam mala, & flagella Dei, & facile eſt oſtendere.

Primùm eſſe magna beneficia, & effectus divinæ erga nos miſericordiæ; quia nos revocant ad officium, & efficiunt, ut conſcientiæ noſtræ conſulamus, de vita altera cogitemus, & in hac divinæ Juſtitiæ ſatisfaciamus.

Secundò, cum infirmitates a divina Providentia immittantur, præſtantiſſimum eſſe medium nos roborandi, ubi illis utamur ad agendam de peccatis noſtris pœnitentiam; pœnitentiam, quam fortaſſe numquam ageremus niſi per hoc medium; quoniam per hanc ſupplere poſſumus omnibus bonis operibus, quæ facere negleximus; cum infirmi plures habeant occaſiones exercendi patientiam, & Chriſtianam mortificationem.

Tertiò in infirmitatibus hanc quoque peculiarem utilitatem inveniri; cum enim ad Deum confugimus, illum ſupremum vitæ, neciſque arbitrum fatemur, de æternitate cogitamus, & mortis pavor efficit nos de altera vita ſollicitos: cum e contra, quando proſpera fruimur valetudine rarò, vel numquam Cœleſtes veritates meditamur, Dei obliviſcimur, eum ſexcentis modis laceſcimus; ſolatia, & voluptates inquirimus, & in omni flagitiorum genere marceſcimus, cum periculo per ſexcentos caſus, qui in vita accidunt, pereundi, ideoque in omneus æternitatem Cœleſti patria carendi.

Vide in To. III. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum : MORBI,

PRO QUINTA QUADRAGESIMÆ DOMINICA.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Joannis 8.

I. Argum. De confeſſione, vel Sacramento Pœnitentiæ.

HÆc verba, auditores, vera non ſunt niſi in ore illa proferentis in hodierno Evangelio; illius videlicet, qui eadem eſt ſanctitas, & innocentia per ſe, & quem Sanctus Paulus omnino a *peccatoribus ſegregatum* appellavit; illius, qui eſt Agnus ſine macula, & qui venit in terram ad auferenda omnia mundi peccata, quemadmodum teſtatus eſt glorioſus ejuſdem Præcurſor: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; illius denique *qui peccatum non fecit*, neque facere potuit: nobis enim, qui in peccato concepti fuimus, & jam peccatores eramus antequam naſceremur, ſi eſſet præſumptio credendi nos ideo irreprehenſibiles eſſe, & dicendi cum Salvatore: *quis ex vobis arguet me de peccato?* Nonne omnia creata, quæ inſtrumenta fuerunt noſtrarum iniquitatum, & quæ gemunt, ut inquit Apoſtolus, ſub hac ſervitute, inſurgerent contra nos, quod factura ſunt Judicii die futura contra nos loco accuſatorum, ac teſtium; vel ut ait Propheta, ipſa peccata noſtra nonne contra nos reſponderent? *Reſponderunt peccata noſtra*. Denique dilectus Diſcipulus nonne redargueret nos de falſitate, ac mendacio ob vanam hanc præſumptionem, quæ ſatis eſſet ad nos coram Deo nocentes probandos? *Si quis dixerit, quia peccatum non habet; mendax eſt, & veritas non eſt in eo*. Veruntamen quandoquidem Deus Eccleſiæ ſuæ reliquit Sacramentum pœnitentiæ, quod delere poteſt quæcumque fingi poſſunt peccata, & miniſtris ſuis facultatem largitus eſt illa dimittendi, quantumcumque gravia eſſe poſſint; & aſſeruerit ſententiam, quam illi in terra protulerint, in Cœlo confirmatum iri: dicere poſſumus quodammodo in nobis ſitum eſſe liberari ab omnibus peccatis illa expiando per bonam confeſſionem, & veram, ſinceramque pœnitentiam, quæ nobis priorem innocentiam reſtituet. Hoc mihi præbet hodie occaſionem, (quandoquidem Incipit Eccleſia nobis ob oculos ponere Paſſionem Salvatoris) habendi ſermonem de Sacramento, quod nobis ejuſdem meritum, & fructum applicat; & quandoquidem nullus eſt Fidelis, qui ſemet diſponere non teneatur per Confeſſionem ad recipiendum in hac Paſchatis ſolemnitate Salvatorem ſuum, non minus opportunum eſt, quàm utile ſemel ſaltem verba facere de ea re, quam ſæpe facimus; quoniam maxime intereſt illam facere bene. Hoc autem præſtare cupio in hoc ſermone, qui cum præter ſolitum maxime didaſcalicus ſit, ac familiaris, non erit tamen ſimplex eruditio, quemadmodum argumentum ipſum videtur exigere; conabor enim duo vobis auferre præjudicia, quæ homines circa hoc Sacramentum habere videntur.

Hebr. 9. Joann. 1. 1. Petr. 2. Joann. 8. Iſaia 59. Joann. 1. Ep. 1.

Primùm quidam illud reſpiciunt tamquam graviſſimum onus, & moleſtiſſimam Chriſtianæ Religionis neceſſitatem; quibus oſtendendum eſt Deum numquam majori uſum clementia, & miſericordia, quam cum inſtituit unicum hoc, & ſupremum remedium peccatorum. Hoc primum erit punctum.

Secundò alii e contra freti facilitate pharmaci adeo potentis, illud non his, quæ neceſſariæ ſunt, diſpoſitionibus accipiunt; quibus oſtendere volo hujus Sacramenti abuſum, & uſum pravum illud futurum, de quo ſeverius judicandi erimus, erimuſque ſeveriſſimam rationem reddituri; quandoquidem cetera oblivioni tradentur, ſi illud uti opus eſt receperimus.

Vide in To. I. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum : CONFESSIO.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joann. 8.

II. Argum. Pro Quinta Quadrageſimæ Dominica. De Peccato Veniali.

Longiſſime abeſt, Auditores, a me cogitatio probandi Stoicorum Philoſophorum errorem, qui ad adſectandam ſeveriorem vivendi præ ceteris diſciplinam in extrema impegerunt vitia, omnino a ratione abhorrentia, omnia confundentes peccata, & tamquam præcipuum axioma docentes, peccata omnia eſſe æqualia. Sed non animadverterunt, ſe non tam contuliſſe, ut a mundo peccata tollerentur omnia, quàm eorum fuiſſe mentem non abnuo; verum potius effeciſſe, ut impunius, ac liberius committerentur; cum enim ſcirent in vitæ hujus conditione, & in hac in malum proclivitate, fieri non poſſe, ut peccata evitarentur omnia, nonne hoc erat exæquare ſceleratiſſimum quemque cum religioſiſſimo docere, omnia peccata ejuſdem eſſe naturæ? Ego tamen hodierna die Auditores per moralem omnino Sanctam, atque Chriſtianam efficere conabor, ut juſtum concipiatis leviſſimorum peccatorum metum; cumque mihi verba facienda ſint apud eos, qui virtutem profitentur, aſſerere non timeo pri-

mum

Digitized by Google

mum canonem, quem ſibi proponere debent pro vitæ ſuæ norma, eſſe debere, illud auferre diſcrimen, quod inter magnum, & parvum invenitur, ubi ſermo eſt de peccato.

Ut autem cum ordine, æque ac cum fructu id exequar, præſuppono vos ſcire, peccatum, quod veniale vocatur, non aliud eſſe quàm inordinatum alicujus boni creati affectum, ſecundum notionem a Sancto Thoma traditam, in hoc a peccato mortali diverſum ſecundum ejuſdem Doctoris ſententiam, quod mortale affectus eſt omnino inordinatus ex ſemet, ubi præferuntur creaturæ Deo, & veniale ſolum, in mediis ad hunc finem tendentibus, illis adhærendo nimio cum ardore, & ſollicitudine, in qua verum conſiſtit peccatum; ita ut quæcumque difficultas, & contentio ſuboriatur de hac idea, quam nobis adſtruunt Theologi, ſemper verum ſit dicere hoc eſſe veluti medium aliquod inter malum ſummum, & cetera mundi mala, medium inter fervorem charitatis, & omnimodam illius privationem; in ſtatu veluti medio inter mortem, & vitam animæ, qui plerumque ægritudo, & languor vocatur. Hinc haurio tres veritates, quæ in nobis ciere poſſunt æquiſſimum venialis noxæ timorem, & nobis perſuadere, ut diligentiſſime illam evitemus.

Prima eſt, quod medium, cum ſitum ſit inter duos terminos, eſt particeps utriuſque; quod nobis oſtendit venialis peccati nequitiam, & gravitatem prorſus aliam ab ea, quam plerumque homines vulgò concipiunt.

Altera eſt, tranſitum eſſe ab uno ad alterum, tamquam via, inter duas urbes poſita, & quæ ad utramque communicationem conſtituit; ex quo patet periculum illius, qui ſeſe objicit incaute veniale peccatum committens.

Tertia denique eſt ſi minus noxa levis eſt omnimoda ſeparatio animæ a Deo, qualis eſt peccatum mortale, quod infringit nodum amicitiæ, quam dignatus eſt Deus nobiſcum contrahere, ſaltem obex eſt ejuſdem gratiis, & favoribus, & vetat, ne arctius cum illo conjungamur; non ſecus ac quidquid medium tenet inter extrema duo, prohibet, ne ſe invicem tangant, quod nobis oſtendit peccati hujus effectus pernicioſiſſimos.

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: VENIALE PECCATUM.

Reſpondit JESUS, *dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum; & vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam, eſt qui quærat, & judicet.* Joannis 8.

III. Argum. Nonne vobis videtur, Auditores, videntibus, quæ hodie fiunt, Salvatorem mundi prorſus alia incedere via, ab ea, quam hactenus ſecutus eſt? Viſus fuerat non ſolum fugere gloriam, & hominum plauſus contemnere, ſed etiam quærere humiliationem, atque contemptum; ſæviſſimas ſuſtinere calumnias, & graviſſimas contumelias, quin, nonniſi per invictam patientiam reſponderet, & uti loquitur Sanctus Ambroſius, quin inimicorum opprobriis quidquam opponeret præter ſilentium pertinax, quo tandem de illorum nequitia ſemper cumulatiſſimum retulit triumphum. Sed hodierna die non ſolum præbet hominibus exemplum prorſus oppoſitum; quandoquidem tuetur gloriam, & exiſtimationem ſuam, acriter propulſat illatum ſibi convicium, queritur de illatis ſibi contumeliis, ſuamque probat auctoritatem, ſed etiam provocat eos, qui ipſum propius inſpexerint, ut aliquid exprobrent ſibi, ipſumque de peccato redarguant? *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joann. 8.

Neque hic immoratur; poſtquam enim Judæis oſtendit injuſtitiam, quam illi faciunt concipientes, & inſpirantes aliis ſenſus adeo parum favorabiles perſonæ ſuæ; confugit ad validiora ſuæ innocentiæ teſtimonia. In medium affert, quanti ipſum fecerint Prophetæ, ac inter cetera, quid de illo ſenſerit Abraham, qui præ gaudio exultavit prævidens in anteceſſum merita, & dignitatem illius, cui Sancti illius Patriarchæ filii per ſummam indignitatem conviciabantur; & deinceps aſſerit fore ut Æternus Pater ipſius, cujus gloriam unice quærebat Salvator, tueatur gloriam Filii a calumniis, & contumeliis eorum. Illud verò in nova hac agendi ratione, qua utitur Dei Filius mihi admirabilius videtur, quod non ſufficit illi rationibus invictis delere labem, quam illi offuderant, & oſtendere ſe extra jactum eſſe nequioris cenſuræ; ſed ipſe vice verſa redarguit, & objicit calumniis iniquiſſimis veriſſima crimina, quandoquidem ea illis exprobrat, quæ poterant os eorum verecundia, ac rubore ſuffundere. Quid, quæſo, ſibi vult hæc inſueta agendi ratio in JESU CHRISTO, qui tanta cura tuetur gloriam, atque exiſtimationem ſuam, quam ſexcentis in occaſionibus contemnere viſus eſt? Nos hoc facto docet veritatem, quam cognoſcere plurimum refert; videlicet bonam exiſtimationem ſæpe eſſe neceſſariam ad Dei gloriam procurandam, & ad ſalutem cum noſtram, tum proximi; non enim deſunt occaſiones, ac tempora, quibus præferre tenemur illius incolumitatem, amori, ac deſiderio humilitatis ipſius, quam videtur Dei Filius etiam, atque etiam commendaſſe. Spero me vobis probaturum, duo hæc præcepta nequaquam ſecum pugnare; quapropter minime vereor duplicem hanc ſtatuere propoſitionem, quæ conciliabunt, quidquid contradictionis erit in hoc argumento.

Primum Chriſtianus debet eſſe virtute præditus non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus; ideoque ſibi retinere exiſtimationem probitatis, atque virtutis, quam adeptus eſt

Secundò Sæpe etiam illam tenetur contemnere, & ſacrificare hanc ipſam exiſtimationem pro gloria Dei. Hæc ſunt officia duo, quæ Chriſtianum reſpiciunt ſecundum varietatem occaſionum ſibi occurrentium, quas pro viriſi explicaturus ſum. Horum alterum efficere debet ut curam gerat exiſtimationis ſuæ, cum utilis eſt, & neceſſaria ad Dei cultum, & gloriam. Per alterum verò propter ejuſdem gloriam exiſtimationis ſuæ debet jacturam facere, cum aliter nequit illam tueri ſalvis legibus, & præceptis Evangelii.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: EXEMPLUM.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Joannis 8.

Per occaſionem horum Verborum hodierni Evangelii, IV. Argum. quæri poſſet cur adeo modicus fructus percipiatur hodie ex Verbo Dei, cum olim adeo potens eſſet, & efficax. Pr quinta Dominica Quadragesimæ. Duæ afferri poſſunt rationes, quæ Sermonis hujus partitionem efficient. Prima proficiſcitur ex Spiritu Auditorum, qui non ſatis illud habent in pretio, neque tanti faciunt, quanti faciendum eſt. Altera ex parte cordis, quod renuit in praxim redigere eas veritates, quas docet nos.

Pro priori parte ad concipiendam omnem æſtimationem quam meretur, conſiderari poteſt primum ratione Auctoris. A Deo venit, verbum divinum eſt; *Non nos ipſi loquimur, ſed Deus qui loquitur in nobis.* In quicumque tandem ſint mores, vel talenta Concionatorum, hoc nequaquam conſiderandum eſt, nec cogitandum per quem rivum in nos fluat; ſed reſpiciendus eſt fons, unde fluit, qui Deus eſt; quod omnem aufert prætextum, quem afferre poſſunt Auditores contemnendi Verbum Dei. Secundò conſiderari poteſt ratione veritatum, quas docet. Hæc ſublimia ſunt Myſteria, Evangelicæ veritates, excelſa axiomata, quæ nos ad eminentem Sanctitatem poſſunt attollere. Tertiò ratione magnorum effectuum, quos gignit, mundi converſionem, everſionem Idololatriæ, omniaque naturæ, & gratiæ miracula.

Quod ad alteram pertinet cauſam modici fructus, qui ex Dei Verbo percipitur, ex parte cordis deſumitur. Inde omnes obices proficiſcuntur, niſi guſtantur eæ veritates, quæ ſtudiis noſtris adverſantur; ſi in eo aliqua dominetur cupiditas, cui nolit abrenunciare; ſi cum fert occaſio ægre ſe ipſum ſuperare velit, ſibique crucem figere; quæ totidem ſunt ad effectus divini Verbi impedimenta.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: VERBUM DEI.

PRO FERIA SECUNDA
POST QUINTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. Joannis 7.

HÆc ſunt verba, quæ olim dicebat Deus Judæis, I. Argum. qui adeo parum profecerunt ex divinis ejus documentis, quod illi præbuit locum in hodierno Evangelio dicendi, ſibi modicum ſupereſſe temporis, quo cum illis permaneret; ex quo non injuria conjicimus, quædam eſſe momenta, quæ permittere non debemus, ut nobis elabantur; quaſdam eſſe gratias criticas, quibus niſi reſponderimus, timendum eſt, ne iterum revertantur, quod innuit Salvator per terribilia verba, quæ Textum allatum ſubſequuntur: *Quæretis me, & non invenietis.* Ex quibus Joann. 7. verbis colligimus, quanti referat noſtra proficere iis momentis, quibus placet Deo nos per gratiam ſuam viſitare; cumque ignoremus eorum opportunitatem, omnium nobis diligentiſſimam habendam eſſe rationem, veriti, ne momentum illud, quod negligimus, ſecundum mentem Sancti Pauli extremum illud ſit, quod tempus acceptabile, & ſalutis diem vocat. *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis.* 2. Corinth. 6.

Ut hocrite alloquamur, ſcire oportet, quamvis gratiæ omnes

omnes aliquid conferant ad noſtræ ſalutis progreſſum, quaſdam tamen maxime neceſſarias eſſe, ſuper quas, ut ita dicam totus vertitur cardo noſtræ prædeſtinationis. Hæc momenta ſunt critica, quo nomine a nonnullis Doctoribus appellantur, vel ſi lubet, gratiæ decretoriæ, quæ beatam noſtram perficiunt æternitatem; quibus ſi deſuetimus, actum jam eſt, cum non ultra ſint reverſuræ, & quamvis numquam deſit id quod ad ſalutem noſtram neceſſarium eſt, tamen numquam illam aſſequamur. Eodem ferme pacto, quo in hac vita, id, quod fortuna vocatur, pendet ab electione temporis, ab uſu momentorum, a cura ne favorabilis elabatur occaſio, & hæc via eſt, qua in ſæculo proficimus: Hoc ipſum præter propter accidit luminibus, quæ Cælitus nobis affulgent. Sæpe adnectit Deus, ut liquet ex Scripturis, ſalutem noſtram quibuſdam occaſionibus, temporibuſque, & ſecundum eam felicitatem, quam ipſi adhibemus, vel eligimur, vel reprobamur. Hac ratione Saul reprobatus fuit non obediens Deo prohibenti, ne offerret Sacrificium ſine ordine; & contra fidelitas Abrahæ volentis Deo ſacrificare filium ſuum Iſaac, promeruit illi omnes benedictiones in terra, & in Cœlo. Ex hujuſmodi exemplis videmus Deum æternam hominum felicitatem adnectere quibuſdam gratiis, quas largitur, & quibuſdam rebus, quas petit a nobis; & has non ſemper eſſe gratias validiores, a quibus ſalus noſtra pendet; Deus enim aliquando imperſcrutabili Juſtitiæ ſuæ conſilio illam adnectit tali gratiæ, quam ignoramus, & quam ſi negligimus, vel repellimus jam de nobis eſt actum. Veritates, Auditores lectiſſimi, eò magis terribiles, quò minus illis advertimus animum. Quod me impellit, ut in ſermone hoc vobis pro virili oſtendam

Primùm maxima bona, quæ ſperare poſſumus pro tempore ſimul, & pro æternitate, ſi Deum in hac vita quæſiverimus uti opus eſt, & ſi in lucro poſuerimus, vel minimas etiam gratias pro ſalute noſtra.

Secundò funeſta mala, quæ nobis metuenda imminent, niſi quæſiverimus Salvatorem dum licet; quoniam recedet a nobis, quemadmodum minitatur Judæis, qui abutebantur occaſione, quam habebat illum poſſidendi.

Tertiò, ſi enim expectaverimus mortis horam, tunc non erit amplius tempus quærendi Salvatorem, & periculum ſubibimus moriendi in impœnitentia, Deo non omnibus concedente gratiam perſeverandi in ſervitute ſua uſque in finem.

Vide Titulum: GRATIA *in To. II. Bibliothecæ Mor. Evang.*

Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum . . . Quæretis me, & non invenietis. Joann. 7.

II. Argum.

Pro eadem die. Proficiendum nobis eſſe de gratiis quas nobis largitur Deus tempore ſalutis, cum propter monem nos tangit. Joan. 7.

In allatis Textus mei Verbis duas maximi momenti Veritates invenio, quibus poſſumus erudiri.

Quarum prima eſt tempus eſſe, quo Deus nos cupit ſalvos facere, ſed eo, quo nolumus ſalvos fieri: *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum*; Significans, quod cum adhuc modicum nobiſcum futurus ſit, nobis præcipiendam eſſe omnem, quam poſſumus ex ipſius præſentia utilitatem. Tempus hoc pretioſum eſt; neque ſemper nobis erit æque propitium: utamur ergo donec illud habemus.

Veritas altera, quæ nobis in Evangelio proponitur eſt, futurum tempus, quo nos ſalvos fieri volemus; ſed quia hoc male, & importune volemus, Deus illud viciſſim nobis concedere nolet; quod ſignificant verba illa: *Quæretis me, & non invenietis.*

Vide Titulum: GRATIA, *quem ſuperius indicavimus.*

Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum . . . . Quæretis me, & non invenietis. Joann. 7.

III. Argum.

Ex Textus mei Verbis haurire poſſumus rationem quam ſequi debet, qui ſincere converti quærit, & omnino ſe Deo devovere.

Pro eadem die. Quid faciendum homini, qui ſincere cupit ad Deum converti.

Hoc primùm illi faciendum eſt, colligat, ut ita dicam omnia præſentis temporis momenta, quæ ſibi a Deo conceſſa ſunt; hoc eſt reſpiciat hoc tempus tamquam extremum vitæ ſuæ ſpatium, & exiſtimet ſe non poſſe niſi de hoc momento diſponere, quaſi hoc unum ſibi ſuppeteret ſalutis ſuæ negotium procuraturo; amiſſa præteriti temporis recordatione, & futuri ſpe, ut bene utatur præſenti, quo ſeſe debet convertere ad Deum. *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum*. Ecce tempus acceptabile, ecce propitium illud momentum ſerio pro æternitate impendendum. Operemur ergo, nec differamus.

Secundò figere debet oculos in eas veritates, quas hoc momento Deus aperit ipſi, & inducere optimam cogitationem, quam exhibet illi tamquam omnium noviſſimam, poſt quam non ultra lumen illi affulgebit; & craſſæ circum undique tenebræ incumbent. *Adhuc modicum lumen in vobis eſt: ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant.* Joan. 12.

Tertiò tandem ſequatur inſpirationem, qua vocatur, & omni niſu, viribuſque tendat in Deum, ſibique perſuadeat illum non ultra adeo aperte locuturum. Ut Verbo me expediam, hæc Cœli vox fortaſſe extrema erit, quæ nos ad deditionem compellat; quemadmodum teſtatur Dei Filius in hodierno Evangelio: *Quæretis me, & non invenietis.*

Vide locos eoſdem, quos in Superiori Argumento.

PRO FERIA TERTIA
POST QUINTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Tranſi hinc, & vade in Judæam, ut Diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis. Joann. 7.

I. Argum.

De bono exemplo.

IN primo ſtatim Orationis exordio duo mihi occurrunt in Evangelio præcepta, quæ ſecum pugnare videntur, quamvis prodierint ex ore ipſius Veritatis. Primùm nos jubet per humilitatem opera noſtra bona celare, & ſatis ſuperque eſſe debere, ſi uni Deo fuerint aperta, quin hominum oculis objiciantur: eo uſque, ut vetet lævam manum cognoſcere eleemoſinam, quam erogaverit dextera, ac præcipiat, ut ſanctiſſimum Religionis noſtræ exercitium, videlicet oratio clam fiat, & oſtio clauſo, quaſi præcipuus humilitatis gradus eſſet ignorare bonum quod facimus ipſi, & ſi fieri poteſt, ipſam conſcientiam noſtram fallere. Verum altera ex parte video mandatum prorſus oppoſitum; imperat enim Magiſter noſter, ut ſimus tamquam faces ardentes, ut aliis præfulgeamus effundentes circum undique lumen virtutum noſtrorum: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*, Numquid, Chriſtiani, ſecummet pugnare poteſt Dei Filius, & præcipere ſimul duo, quæ apertiſſimam, & manifeſtam habere videntur oppoſitionem? Non ita Fideles. Duo iſta præcepta ſibimet conſtant, & utrumque ſuam infert peculiarem obligationem; ecce quomodo opus eſt, ut omnia opera noſtra bona fiant in occulto, hoc eſt ne fiant ad pompam, atque oſtentationem, ad captandas hominum laudes: alioquin omnes labores noſtri nonniſi inanes merebuntur plauſus; ſed tenemur virtutem profiteri, & etiam coram hominibus bonum operari, ut hi nos imitentur, quod non ſitum eſt dumtaxat in præcepto negativo, quod nos cogit, ne quid faciamus, quod ſcandalum afferat proximo; verum etiam poſitivo, ut virtute præditi ac religioſi videamur, bonum præbentes exemplum. Quamobrem, Fideles, mens hodierna die mihi eſt, oſtendendi bonum exemplum nos impellere ad virtutem triplici modo.

Primùm allicit, & ſollicitat eos qui a virtute remotiores ſunt per quoddam lenocinium, quod videtur inevitabile; ſi enim vulgo dicitur, neminem eſſe qui virtutis ſpecie non caperetur, ſi corporeis oculis illam videre poſſet; virtutis exemplum illam ſenſibus ſubjicit. Quemadmodum Sanctus Auguſtinus nulla re magis ſe inflammatum fuiſſe teſtatur puritatis amore, quàm ſibimet fingendo continentiam virginum ſatellicio ſtipatam, a qua invitabatur, ut virtutem hanc amplecteretur, cujus illa nitorem, meritumque videndum objiciebat.

Secundò nulla res excitare nos poteſt ad magnum aliquod opus aggrediendum, quantumvis difficile nobis videatur, quàm exemplum nobis præcedentium, ac iter ſternentium; tunc enim ultro excitamur quadam veluti generoſa æmulatione, quæ nobis tribuit vires, & animum, quo alioquin careremus.

Tertiò exemplum quodammodo nos manuducit, & docet, quomodo faciendum ſit, oſtendens nobis rem non eſſe tantum arduam, quantum æſtimabamus.

Aliter hoc argumentum poteſt efferri.

In hoc eodem argumento oſtendere poſſumus,

Primò bonorum virorum exemplum nobis oſtendere virtutis decorem, & hoc pacto nos ad illius amorem, & ſequelam inducere.

Secundò docere nos virtutis praxim non eſſe impoſſibilem, ſed e contra faciliorem opinione.

Nos perſuadere de neceſſitate noſmet ſubjiciendi præceptis Dei, quandoquidem nobis nullum majus eſt privilegium, quàm illis, qui nobis præbent exempla.

Ratio aliâ argumentum idem pertractandi.

Oſtendi quoque poteſt vitam hominis recti, ac Religioſi nos docere modum fugiendi a malo, & rectè operandi, facillimum eſſe, efficaciſſimum probatiſſimumque

Pri-

Digitized by Google

Primùm nos avertit a peccato; quia bonum exemplum eſt tacita reprehenſio, quæ confundit eos, qui peccatis ſe abdiderunt: reprehenſio, quæ fit, quin illis ſit jus conquerendi, vel ſeſe læſos fuiſſe dolendi: *Vitia ex occurſu meo ſuffundo* Tertullianus ait; cum e contra rationes reprehendendi, corrigendi, & reformandi aliorum vitia, niſi bonum exemplum acceſſerit, ab iiſdem ſibi comparat irriſiones, atque cenſuras.

Secundò bonum exemplum impellit ad bonum, illud nobis proponens in praxi, atque hoc pacto auferens omnem excuſationem, & prætextum difficultatis præceptorum, infirmitatis noſtræ, naturæ, temperamenti, conſuetudinis &c.

Pro hoc argumento, omnibuſque illius efferendi rationibus vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Exemplum.

Dixerunt autem ad eum fratres ejus; ſi hæc facis, manifeſta te ipſum mundo. Joann. 7.

II. Argum. — De vita abſcondita.

Illi quos Jesu Christi conſanguineos vocat Evangelium, ſuadebant eidem, ut ſeſe in mundi lucem proferret ipſe illecti fore ut per illum ſibi quoque gloriam, atque exiſtimationem compararent. Sed aliò ſpectabat Dei Filius, neque enim ſpectabat tantùm privatam illorum utilitatem, quantum omnium hominum ſalutem. Admirabile Incarnati Verbi Conſilium; ſed conſilium univerſæ prudentiæ ſæculi incomprehenſibile! Etenim quomodonam ille, qui venit operaturus ſalutem, & converſionem mundi totius, ille, qui futurus erat lux mundi, ejuſque exemplo præfulgere debebat, quomodonam amplectitur vitam abſconditam, profeſſionem humilem atque latentem, & quomodo ignotus delitéſcit omnibus fere mortalibus? Cur ignis charitatis adeo ardentis, inflammatique zeli coarctatur, atque in anguſtiis loci veluti ſuffocatur? Cur talentum adeo egregium infoditur, quod ille ipſe improbavit in parabola inutilis ſervi? Cur tandem non refulget in mundo? quandoquidem venerat ad illum Doctrinæ ſuæ luce illuſtrandum, exemplis ſuis attrahendum, divino verbo excitandum, ut miraculis victus crederet in illum, & laborum ſuorum cura converteretur? Cur, ut verbo me expediam, hoc tempus, quod inſumendum videbatur in obeundo munere Salvatoris hominum, traducitur in actionis inutilitate, quandoquidem non videmus vel peccatores converſos, vel homines illuſtratos, neque mundum aliqua frui utilitate ex adventu Meſſiæ hujus, cujus deſiderio tandiu laboravit.

Verum quàm brevia ſunt noſtra conſilia; & quam cæca eſt mundana Sapientia! imo e contra quot, quantaſque veritates Æterni hujus Verbi ſilentium nos docet; & divinum hoc lumen latens quanta nobis retegit Myſteria, ſi alloqui valemus conſilia Dei hujus abſconditi in oculis hominum? Hæc vobis aperire, meum non eſt, ſed perſuadere vobis duas veritates, quæ negari non poſſunt, & quæ ſimul magno futuræ ſunt vobis ſolatio in ſtatu, quem eſtis amplexis.

Prima eſt vitam abſconditam, quam cum Sancto Paulo interiorem vitam vocabo per quam unuſquiſque ſummæ perfectioni vacat, non minus eſſe glorioſam, neque minus Deo acceptam quàm illa, quæ in nitidioribus actionibus tranſigitur, qualis eſt praxis operum bonorum, & exercitatio Charitatis erga proximum; quæ prima erit pars ſermonis.

Secunda verò, eamdem non minus utilem eſſe propter meritum, atque illud, quod inde nobis cedit beneficium. Hoc erit hujus ſermonis argumentum.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Solitudo.

Dixerunt autem ad Deum fratres ejus; ſi hæc facis manifeſta te ipſum mundo. Joan. 7.

III. Argum. — Quanti Dei Filius faciat mundi gloriam.

Conſanguinei Jesu Christi olim, operamque perdiderunt eum urgentes, ut ſe cognoſcendum traderet Mundo; noluit umquam votis eorum obſequi, eorumque voluntati adhærere. Qui ſibi præclaram potuiſſet promereri exiſtimationem, & ornatiſſimum locum obtinere, præfert tamen obſcuram, & latentem vitam cuicumque ſpecioſiſſimo honori. Contemptus, quo hanc mundi gloriam aſpernatur hodierna die mihi præbet occaſionem oſtendendi vobis illius vanitatem, atque inconſtantiam, ut Filii Dei exemplum ſecuti vos quoque illam aſpernemini. Quapropter fert animus vobis oſtendere,

Primùm, ex omnibus hujus mundi bonis proculdubio pretioſiſſimum, & quod maxime deperimus, eſſe gloriam, quandoquidem illud non ſolum eſt, quod ceteris anteferſur, ſed illud etiam pro quo reliqua periculo objiciuntur, & in ceterorum jactura unum tueri contendimus. Quam ob rem oſtendendo vanitatem, & contemptum in quo Chriſtianus habere debet gloriam, quam in mundo ſibi comparare poteſt, ſimul etiam oſtenditur vanitas, & contemptus aliorum bonorum, quæ Sapientum virorum judicio, cum hoc conferenda non ſunt. Hoc facere conamur in hoc ſermone, in quo oſtendamus, primum mundi gloriam in principio ſuo odioſam, eſſe; Secundò in natura ſua eſſe vanam, levem, & chimericam; Tertiò perfunctoriam, & brevi manſuram.

Primùm gloria mundi odioſa eſt in principio; namque vel ſors, vel favor, vel crimen cauſa eſt hujus gloriæ. Sors quidem, quæ locum præbet queſtubus, & murmurationibus. Cur, dicitis, ille, quem fortaſſe deſignatis animo hoc momento, quo loquor, repente adeo ſe attollit volatu felici ſuper me? Cur illum fulgere video, cum interim humi repo? Numquid meritum principium eſt elationis ſuæ? Novi ingenii ipſius tenuitatem. Fortuna luſit illum attollens. Favorabilis occaſio illum evexit. Affinitas fortuita cum iis, qui magiſtratum obtinent, illum commendavit; ſæpe turpis ſervitus illis adhibita, quibus favit fortuna, origo eſt inopinatæ felicitatis. Denique ſors eſt commune mundanæ gloriæ principium. Secundò crimen ipſum aliquando alia eſt cauſa elevationis in hominibus, Sæpe injuſtitiæ debetur immenſum hoc fortunarum incrementum. Nonnulli aliquando per fas, & nefas obrepſerunt in Principum virorum aulam; ſæpe etiam per turpes aſſentationes Magnatum favor captatur; & ſæpe etiam in populo honoratur aliquis eo quod abominabilis eſt coram Deo. Ad hæc plerumque gratia meriti locum tenet. Principis amor acquiritur, qui fit blandientis ſibi Patronus, præſidiumque. Hoc illius meritum, gloriamque conſtituit. Quid contemptibilius hoc elevationis principio, quod innititur fortunæ, & ſæpe etiam crimini?

Secundò gloria mundi vana eſt, ſi illius natura ſpectetur. Quid enim levius, vel magis Chimæricum eſt; Tandem enim mundi æſtimatio, quæ propriè mundanam conſtituit gloriam non aliud eſt, niſi rumor quidam honorificus, qui de nobis obrepit; hæc eſt cognitio, quam vulgus habere vult de virtute noſtra, unde proficiſcitur cordis humani faſcinatio. Ecce idolum, cui ſacrificant illi omnes, quos mundus fallit, & qui cenſentur tamquam ſupra ceteros poſiti. Oſtendendum eſt omnem hanc gloriam in hominum æſtimatione poſitam, & in favorabili judicio, quod fit de nobis eſſe inanem: Primò quia tota eſt in aliis, & nihil ponis in nobis, neque nos efficit meliores, quàm ſimus. Secundò nobis impenditur ab iis, qui nos ignorant, & qui ſcire nequeunt utrum illam mereamur; qui ex externa tantùm ſpecie ferunt judicium, & animum non ſcrutantur, ideoque neſciunt, in quo ſitum ſit verum meritum. Hæc igitur gloria inanis eſt, & chimerica. Tertio plerumque injuſta eſt: etenim quonam cum juſtitia homines illam diſtribuunt? Quot virtutes in tenebris ſquallent, in tenebris, & in oblivione ſunt? Quot vera merita derelicta jacent, & prætermiſſa? Quot ſunt uſurpatores gloriæ ſibi indebitæ? Quot mali judices indignis tribuunt laudem, quam meriti non ſunt? *Mendaces filii hominum in ſtateris.* Pſalm. 61.

Tertiò Mundi gloria perfunctoria eſt, & brevi duratura, quare fit, ut in Scripturis celſitudines, & proſperitates omnes temporales tamquam ſomnium exhibeantur. Hæ cum fumo comparantur, qui attollit ſeſe, qui ſeſe extendit, & qui tandem evaneſcit. Gloriæ hujus inconſtantia non minus patet, quàm brevis ejuſdem diuturnitas: quoniam ſæculorum omnium experientia docere nos debet ſexcentos viros poſtquam gloria cumulati fuerunt, in contemptum lapſos fuiſſe, in confuſionem, & approbrium; Cumque gloria pendeat ab hominum imaginatione, quæ fugax, & mobilis eſt, altera hæc non magis diuturna eſt, & conſtans, quàm altera. Uſuvenit etiam, confuſionem, in qua aliquis ſe intuetur poſtquam in honore fuit habitus, & enituit, longe graviorem eſſe. Hinc licet arguere, ſi gloriæ cupiditate afficimur, eamque deperimus, nobis anhelandum eſſe ad gloriam ſolidam, veram, atque æternam.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Gloria.

Tempus meum nondum advenit, veſtrum autem ſemper eſt paratum. Joann. 7.

IV. Argum. — De bono temporis uſu.

Quemadmodum Deus ab æterno decreverat tempus, quo Filius ſuus venturus erat in terram ad homines redimendos, dubitandum non eſt, Fideles, quominus illud quoque ſtatuerit mortis ejuſdem, & numerum dierum vitæ ipſius, & ſignanter momentum, quo ſe ipſum manifeſtare debebat, ac præbere ſe hominibus cognoſcendum. Hoc in ſenſu dixit fratribus ſuis, qui hortabantur eum, ut operaretur miracula, quorum virtute cognoſceretur, quis eſſet; reſpondit Tempus ſuum nondum adveniſſe. *Tempus meum nondum advenit*, quibus verbis adjecit, noſtrum ſemper eſſe paratum; quoniam dies omnes, menſes omnes, & anni, qui vitæ noſtræ curriculum componunt, ſunt tempus quod nobis conceſſit Deus, ut operemur ad æternitatem promerendam. Illud verò jugiter meditari deberemus, hos dies qui prætervolant, & nobis elabuntur, hos menſes, qui ſibi ſuccedunt, & continenter ſubſequuntur, hos annos, qui ſenſim, & ſine ſenſu fluunt, auferre ſimul vitam noſtram, & nos propiores facere æternitati, ſæpe etiam antequam ipſi cogitaverimus.

Hoc, auditores, occaſionem mihi præbet apud vos verba

faciendi de temporis uſu, quo nihil in mundo pretioſius eſt, & quod facilius perdimus. Etenim quin verba faciamus de illis, qui illud in crimen, & ſcelus tranſmittunt; nonne graviſſima eſt illuſio eos etiam, qui ſunt occupatiſſimi, & negotiis impliciti, & qui dolent ſe ita laboribus opprimi, & ne ad breve quidem temporis ſpatium ſpiritum reciprocare poſſe, hos homines, quibus horæ omnes pretioſæ ſunt, plerumque illos eſſe, qui temporis majorem faciunt jacturam, cum ſint ex eorum numero, de quibus vetus auctor dicebat, *operoſe nil agunt*, quippe tempus terunt iis in rebus, quæ ad ipſos non pertinent, & illud negligunt negotium unum, propter quod tempus conceditur. Verum cum liqueat ſatis qua in re illud ſit inſumendum: mihi tantùm mens eſt vobis ob oculos objiciendi rationes, quæ validiores mihi videntur ad vos permovendos; & ego mihimet perſuadeo, me non melius uſurum hoc tempore, quo vobis allocuturus ſum, quàm ſi vos pro viribus hortatus fuero, ut ſingula vitæ veſtræ momenta utiliter tranſigatis.

L. 11. Confeſſ. c. 14.

Ne nos quoque, Fideles, temporis jacturam faciamus, ne immoremur, ſi lubet, curioſius inquirendo illius naturam, partes illud componentes, quippe quæſtio hæc ſcopulus eſt Philoſophiæ, & abyſſus, in qua mens humana deerrat; eo uſque ut Sanctus Auguſtinus omnes ſuas exhauriat ideas, ut æquum temporis nobis adſtruat conceptum. Ait ille, ſe ſcire quid ſit, modò hoc a ſe non quæratur; ſed ſtatim ac illud exprimere vult, non ultra ſcire. Profectò ſi magnus ille vir adeo parum nos docet, non eſt, cur alios conſulamus aliquid præterea percepturi. Dicere ſatius eſt, tempus eſſe ex genere rerum illarum, quæ penetrari non poſſunt; ubi melius conſilium, quod licet amplecti, eſt inſcitiam noſtram confiteri. Quapropter a communi notione non recedo, videlicet eſſe menſuram motus, & curſus ſolis, vel Aſtri alicujus, quod per certa intervalla regit alicujus rei durationem. Hoc illud omne eſt, quod afferunt, qui impenſius temporis naturam ſcrutati ſunt, quod ipſum tenebris involutum eſt; & mihi locum præbet aliam vobis ideam proponendi, quæ ſi minus juſta erit, eam tamen polliceor vobis futuram magis Chriſtianam, intellectu faciliorem, ac utiliorem: ſcilicet tempus vere durum rerum eſſe menſuram.

Primùm durationis vitæ noſtræ, quæ celerrime pervolat, & quæ admodum brevis eſt, & incerta.

Secundò menſuram æternitatis noſtræ, quæ pendet a modico tempore, quod nobis ſupereſt vivendum. Hæc erit hujus ſermonis partitio, & rationes duæ, quas ſi ſemel ſcrutati fueritis, uti opus eſt, certò certius perſuadebunt, ut bene utamini re adeo pretioſa, quæ tempus eſt.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: TEMPUS.

PRO FERIA QUARTA
POST QUINTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. Joann. 10.

I. Argum. — De Infidelitate, & incredulitate.

NIHIL ſæpius, vel æquius, Fideles, Judæis exprobravit Dei Filius quàm incredulitatem, & infidelitatem eorum in eadem veritate, cujus fides illos ſecernebat a ceteris gentibus. Plura jam ſæcula opperiebantur Meſſiam, noverant tempus adventus ejus Prophetarum oraculis connotatum adveniſſe, oculis ſuis uſurpabant omnia ſigna, per quæ cognoſcendus erat; quandoquidem miracula, quibus repleverat cunctam Judæam totidem erant certiſſima argumenta, ab ipſis etiam Gentilibus probata: ſed hæc exprobratio Judæis facta cum apertiſſimis indignationis ejus indiciis, hodierna etiam die ad pleroſque pertinet eorum, qui ſub Fidelium nomine celant infidelitatem criminoſiorem illa, quæ in Ethnicis erat, quia plures acceperunt probationes veritatis, quandoquidem nati erant, & aliti ab incunabulis; & inceſſanter illum audiebant prædicantem, & habebant Codices, & Scripturas, qui illius teſtimonium perhibebant. Sed per mirabilem cæcitatem, quamvis Chriſtiani videantur extrinſecus, ſunt infideles in corde, & adhuc reſiſtunt veritatibus, de quibus per Evangelii prædicationem univerſo terrarum orbi perſuaſum eſt, videlicet adhuc in Chriſtianiſmi umbilico non deſunt homines ſine fide, ſine religione, ſine timore, & ſenſu Dei, in quibus morum licentia peperit licentiam fidei, quæ efficit, ut credere nequeant veritates Religionis, quia inordinatis eorum cupiditatibus adverſantur. Huc inſaniæ acceſſerunt illi, de quibus hodie loquor, & quibus mundus repletus eſt. Hi non ſunt prorſus athei; rarum enim, ac perdifficile eſt ad hunc infidelitatis gradum venire citra terribilem ſtupiditatem: ſed non deſunt alii, qui rationis luminibus coacti, Deum quidem, & primum Ens adeſſe fatentur, & in hac una veritate ſubſiſtunt ceteris abrenuntiaturi, & vocant illuſiones, Chriſtianiſmi veritates, & Myſteria; ut ſibi peculiare ſyſtema religionis concinnent. Hi Spiritus fortes in fidei materia vocantur; ſed ipſe veros infideles voco, qui non credunt, niſi quod ſibi placet, vel quod ſenſus eorum palpat. Non enim impugnant punctum aliquod, vel peculiarem aliquam fidei noſtræ veritatem, quod Hæretici faciunt, ſed totam fidem impugnant, & fidei ſanctitatem, ut ducant vitam prorſus brutalem, & ſenſuum voluptatibus deditam. Quapropter, ut in vobis cieam licentiæ hujus horrorem in facto Religionis, ſufficit, me vobis oſtendere ſpiritum, æque ac eorum cor eſſe corrupta; vel potius eorum cæcitatem proficiſci ex duobus hiſce fontibus venenatis, ſcilicet

Primùm a præſumptione ſpiritus, qui comprehendere vult, quæ ſunt cum ſubmiſſione credenda;

Secundò a corruptione cordis, quod cedere nequit veritatibus, quæ nequeunt cum ſua vivendi ratione conciliari. De quibus rebus in duplici ſermonis hujus parte futurum ſpero, ut vos perſuadeam.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: FIDES.

Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco oves meas, & ſequuntur me. Joann. 10.

II. Argum. — De Prædeſtinationis Myſterio.

Dei Filius in hodierno Evangelio aperit nobis magnum hoc Prædeſtinationis Myſterium, fuſius explicans rationem, & quam ipſe tenet erga nos, & quam nos etiam tenere debemus ex nobis, ut conſiliis ipſius obſequamur, & re ipſa ſalvemur.

Scio equidem Concionatorum morem eſſe argumentum hoc evitandi: quippe verentur ne nimis Audientium animos terreant, & illos ad deſperationem adducant, ſi hoc illis Myſterium ex ea parte repræſentent, per quam eſt incomprehenſibile, ſcilicet ex parte ſecretorum conſiliorum Dei: *Terribilis in conſiliis ſuis ſuper Filios hominum*, vel ne illos ad laxitatem, & licentiam inducant, ſi illis tantum aperiant, quod illis inanem fiduciam, & criminoſam ſecuritatem poteſt injicere: Verum cum mihi propoſitum ſit confirmare ſpiritus contra tumultus omnes, quibus hac in re, ut plurimum, agitantur, & impugnare præſumptionem eorum, qui ſunt æquo licentiores; non verebor hanc tentare abyſſum non animo quidem ſcrutandi illius profunditatem, quæ penetrari non poteſt; ſed prohibendi ne alii ibi ob nimium timorem, ac puſillanimitatem, & alii ob nimiam præſumptionem, & confidentiam patiantur naufragium.

Ut igitur hoc fiat citra periculum, ea ſequar, quæ de fide ſunt, vel ſaltem ea quæ vulgo recepta ſunt in hoc Myſterio, quin me ſcholaſticis inſeram quæſtionibus, & quin in tanta doctorum, & opinionum varietate alterutri adhæream ſententiæ. Re adhuc integra ſuppono principium, de quo apud omnes conſtat, Prædeſtinationem non aliud eſſe, quàm certum, atque conſtantem divinæ Providentiæ ordinem, quæ deſtinat, ac pollicetur nonnullis æternam felicitatem per certiſſima media, quando illis utantur: *Præordinatio ad vitam æternam per certa media*. Unde inferendum eſt, prædeſtinationem noſtram in hoc ſenſu deſumptam, & in iis omnibus, quæ complectitur, neceſſario duo habere principia, Deum videlicet, & nos; Deum quidem nobis bonum hoc deſtinantem, atque hæc nobis media ſuppeditantem; voluntatem autem noſtram cum Deo cooperantem, Dei gratia ſuffultam.

Hoc poſito in timore inquieto, ac diffidentia, quæ nobis eſſe poſſet circa noſtram prædeſtinationem, tria nos debent confirmare.

Primùm, Deus creator habuit ab æterno ſinceram voluntatem ſalvandi nos. Ita duo ſtatuerunt Concilia, olim quidem Arauſicanum, & nuper Tridentinum; & hoc verbis explicitis declarat Apoſtolus: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; & afferri poſſunt rationes, quæ conſolari poſſunt, & confortare eos, quos pavidum ingenium nonnunquam uſque ad deſperationem agit.

Secundò Deus Redemptor ſuum pro omnibus effudit cruorem. Quem Salutis theſaurum non habemus virtute Sanguinis hujus, & quænam peccatorum multitudo illum exhaurire poſſet, niſi acceſſerit ſola noſtræ ſalutis deſperatio?

Tertiò Deus Sanctificator gratias ſuppeditat, quæ media ſunt ſalutis omnibus hominibus; in nobis igitur ſitum eſt iiſdem uti, ut una cum Deo ad opus ſalutis noſtræ cooperemur.

Vide Titulum: PRÆDESTINATIO *in To. III. Bibliotheca Mor. Evang.*

Oſtendere poſſumus etiam duo ingentia adeſſe pericula, quibus ſumus obnoxii cum agitur de Prædeſtinatione, & duos ſcopulos a nobis diligentiſſime præcavendos, præſumptionem nempe, & deſperationem, quos auferendos aggredior in hoc ſermone, oſtendendo prædeſtinationem neutri fave-

Digitized by Google

favere, & nos inexcuſabiles eſſe, cum propter hoc Myſterium noſmet tradimus

Primùm vel præſumptioni, quæ efficit, ut obliviſcamur ſalutis noſtræ, quod primum erit punctum.

Secundò vel deſperationi, quæ facit, ut ſalutis abrenuntiemus, quod erit alterum.

Vide eumdem locum ſuperius connotatum.

Alia ratio, qua hoc argumentū peteſt efferri.

Oſtendere etiam poſſumus quidquid ante ſæcula decreverit Deus, & quodcumque conſilium ceperit de noſtra ſalute

Primùm certum eſſe quod nos ſalvos facere velit; quod primum animadvertentum eſt, ubi agimus de Prædeſtinatione.

Secundò certum eſſe quod ſalvari poſſumus; quæ altera eſſe debet conſideratio. Quomodocumque autem abſconditum hoc explicetur Myſterium, certum eſt neque auferri Deo voluntatem homines ſalvos faciendi, neque hominibus libertatem cooperandi ſaluti ſuæ cum Cœli gratia, quæ numquam deeſt ad eumdem effectum.

Vide locum eumdem.

Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco oves meas, & ſequuntur me. Joann. 10.

III. Argum.

De eodem Prædeſtinationis Myſterio.

Metus, & ſpes, ut generatim loquar, duo ſunt omnino neceſſaria Chriſtifideli ad ſervandam innocentiam, ad perſeverandum in praxi virtutis, & perveniendum ad æternam felicitatem: metus, ne per ſuæ voluntatis nequitiam damnetur; & ſpes in Cœlum eundi, ad quod mors, & merita Salvatoris mundi nobis jus quæſivere. At Prædeſtinationis Myſterium duplicem hunc nobis ſenſum immittit; Primùm quidem ſenſum humiliationis, ac metus ſalutaris per id, quod continet terroris adverſus nos; Secundò verò ſenſum conſolationis, & ſpei per id, quod pertinet ad omnium fidelium ſolatium; & præſertim ad eos animandos, ut quiſque propriæ ſaluti cooperetur. Hoc ſermonis hujus partitionem efficiet.

Quod ad primum attinet punctum: Quodcumque amplectamur ſyſtema de Prædeſtinationis natura, tria ſemper manent inconcuſſa. Primùm eſt, numerum prædeſtinatorum pauciſſimum eſſe, & ad paucos redigi. Oraculum hoc ex ore Jesu Christi ipſius emanavit; Patrum nemo aliter interpretatus eſt, nemo illud temperavit, neque in ſenſu accepit minus rigoroſo; & nemo ex hæreticis illud in dubium revocare auſus eſt, quocumque modo explicetur ad animum confirmandum in re tanti terroris, quem ipſe Dei Filius neceſſarium eſſe cenſuit ipſis etiam Chriſtianis, qui eſſent melius confirmati in veritatibus Religionis, & in vitæ diſciplina religioſiores. Oraculum hoc ſemper erit verum non ſolum ratione hominum generatim, verum etiam Chriſtianorum, eorumque Adultorum, qui per ſingulare beneficium, infinitæ Paganorum multitudini negatum, vocati fuerunt ad fidem, veríque Dei cognitionem, quandoquidem hujus Oraculi verba hoc explicite docent. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Non igitur nobis deeſt occaſio noſmet humiliandi, ac rubore ſuffundendi conſiderantibus Dei erga homines conſilia, & cum Sancto Paulo exclamandi: *O Altitudo divitiarum Sapientiæ, & ſcientiæ Dei; quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Scio Deum omnia facere cum juſtitia. Hoc mihi ſatis eſt; ſed quanta mihi metuendi ratio eſt conſideranti, quam longe abhorreat vita mea a vita Sanctorum, & prædeſtinatorum? Alterum illud quod certum eſt, & de quo dubitari non poteſt, eſt prædeſtinationis ejuſdem noſtræ incertitudo; utrum ſors mea futura ſit ſimilis ſorti Jacob, an Eſau. Hoc mihi ænigmatis inſtar eſt, Myſterium eſt, quod Dominus noluit nobis revelare, ne ſecuritas inertiam pareret. Sed quidnam aptius eſt ad nos perterrefaciendos ſimul, & humiliandos, quàm hæc incertitudo, in qua verſamur de futuro adeo incerto? In Deo ſententia mea jam prolata eſt; ſcriptum eſt in alterutro librorum ejus, in quibus vita, vel mors continetur; Deus ab æterno cognoſcit, qui futuri ſunt ſui. *Cognovit Dominus qui ſunt ejus.* Ego verò vivo in altiſſima inſcitia rerum earum, quæ ad bene vivendum ſunt neceſſariæ, & ut fiam dignus, ut inter Prædeſtinatos adnumerer? Tertium denique quod in jugi humiliatione, & trepidatione me debet continere gratia eſt, quæ primum eſt principium noſtræ prædeſtinationis, & medium neceſſarium, ut promoveamus, & ad exitum maximum hoc negotium perducamus. Quæ autem nobis eſt humiliationis, & formidinis cauſa, ſcite gratias omnes eſſe in manu Dei, illas cuicumque ſibi placuerit, & quandocumque ſibi placuerit diſtribuenti, idque gratis, atque inter ceteras gratias, illas potiſſimum, quæ ſunt ſalutis noſtræ principium, & finis &c. Concluſiones quas ex hujuſmodi veritatibus tenemur elicere, & quæ profecto nos debent perterrefacere, non tamen ad deſperationem adigere, ſunt Primò ſi modicus eſt numerus Prædeſtinatorum, & anguſta Cœli janua, nihil nobis prætermittendum, ut per eam ingrediamur:

Matth. 20.

ad Rom. 11.

Contendite intrare. Secundò cum prædeſtinatio noſtra ſit incerta nobis admitendum eſſe, ut eam per bona opera certam faciamus ſecundum Principis Apoſtolorum conſilium: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram electionem faciatis.* Tertiò propter finalem gratiam, quæ ſignum adjicit noſtræ prædeſtinationi adhibenda eſt ferventiſſima Oratio ad eam impetrandam, quandoquidem illam orationi Deo placuit adnectere.

Luc. 13.

2. Petr.

Punctum alterum. In Prædeſtinationis Myſterio maximum Chriſtiano ſolatium mihi videntur afferre duæ certiſſimæ veritates, quas facile oſtendere eſt, & ratione, & auctoritate. Prima eſt Deum ab æterno ſincere ſalutem noſtram voluiſſe. Altera eſt nos poſſe, & a nobis pendere ſalvos fieri. Duæ Veritates quæ nos ſolatio, & animo valent replere.

Hendry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. IV. Titulum Prædestinatio.

PRO FERIA QUINTA
POST QUINTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM,

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Luc. 7.

I. Argum.

De Magdalenæ Pœnitentia.

IN Maria Magdalena Charitas, & Pœnitentia, arctum adeo fœdus percuſſerunt, ut altera alterius mutuo cauſa, & effectus extiterit; peccator enim reparare non poteſt Charitatem, & cum Deo in gratiam redire, quem ſuis offendit criminibus, quin pœnitentia illi verum dolorem inſpiret: & alioquin cor nequit Dei amore ſuccendi, cujus inimicum ſcelus effecerat, quin ſimul concipiat deſiderium ſatisfaciendi Juſtitiæ illius per eas ſeveritates, & dolores, quos illi ſuadet pœnitentia. Huic innititur cauſæ ſententia, quam Dei Filius hodie profert in Evangelio in Magdalenæ gratiam: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Luc. 7.

Cum autem hic loquar de Pœnitentia quatenus virtus eſt, ut illam a Sacramento diſtinguam, quod eodem nomine appellatur; cumque velim tamquam exemplum vobis incomparabilem Magdalenam proponere, cui Dei Filius peccatorum veniam largitus in gratiam eximiæ dilectionis ipſius, animadverto, pœnitentiam hanc triplici modo poſſe conſiderari; niſi mavis tres in partes diſtinguí, quæ reddunt illam integram, perfectamque.

1. Primùm in dolorem læſi Dei, qui dolor eſt veluti anima pœnitentiæ.

2. Secundò in vitæ mutationem, quæ efficit, ut vocetur Converſio, cum anima Cœleſti lumine afflata relinquit crimina ſua, & vitam ducit ſanctiorem, & magis regularem.

3. Denique hoc pœnitentiæ nomine paſſim vocamus auſteritates, & rigores qui exercemur in corpus, quia hic pœnitentiæ effectus eſt, ac ſenſibile Signum. In tribus hiſce modis, vel Pœnitentiæ partibus amor Magdalenæ ſingulariter nituit. Primùm in dolore, quem de ſuis criminibus concepit, & cujus totidem teſtes ſunt lacrymæ, quæ ex illius oculis effluxerunt. Deinde in vitæ mutatione, quam præſetulit poſtquam immutatum fuit ejuſdem amoris objectum; & tandem in ea ſeveritate, quam in ſemet ipſam exercuit animatam hoc dolore, qui eidem inſpiravit ſanctum corporis ſui odium ad peccata expianda. Ita lacrymæ doloris quæ antea fideles fuerant teſtes amoris ſui, converſio admirabilis, quæ ejuſdem effectus extitit, rigoroſæ auſteritates, quæ ſenſibilia fuerunt ejuſdem indicia, hanc favorabilem prometuere Salvatoris ſententiam: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et hæc erit ſermonis partitio.

Vide in To. I. Panegyricorum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, *Panegyricum.*

Dilexit multum. Luc. 7.

II. Argum.

De amore Magdalenæ erga Filium Dei.

Quis non admirabitur, Fideles, ſupremam gratiæ Salvatoris poteſtatem, quæ talem efficere potuit impreſſionem in corde peccatricis, ut illam in pœnitentiæ prototypum converteret, & extingueret amorem profanum cordis ejuſdem, ut alium prorſus Cœleſtem, divinumque inflammaret? Hoc fuit olim Magdalenæ crimen, multum amaſſe; ſed modo hæc eſt illius gloria, & ejuſdem encomii argumentum. Mutatio objecti affectionis ſuæ peperit vitæ ipſius mutationem, & ex anima prorſus mundana, quæ vanitatem deperibat, quæ nihil ſuis cupiditatibus negabat, quæ corporis ſui curæ dedita erat, hanc fecit Magdalenam, cujus cor puriſſima charitatis flamma exæſtuans glorioſam hanc pro-

meruit confeſſionem ex ore veritatis ipſius, ipſam multum, & ſancte dilexiſſe, *dilexit multùm*. Unde argui poteſt inſignem Peccatricem evaſiſſe in inſignem ſanctitate mulierem, & in Seraphin ſuper terram, cujus munus, & officium a primo ſuæ converſionis momento uſque ad vitæ finem, fuit Salvatorem, Deumque ſuum impenſius amare. Felix officium! quod numquam auferentur ab ea, quemadmodum Dei Filius teſtatur; quoniam ab illius amore non ceſſavit, & amor ejus cum eadem æternitate permanebit. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Luc. 10.

Porrò cum hic amor, Fideles, qui Sanctos efficit in Terra, non ſecus ac Beatos in Cœlo, & ſit menſura meriti eorum, ſit etiam menſura gloriæ, & felicitatis ipſorum, & in ardentiſſima Charitate conſiſtat ſupremus gradus perfectionis ſanctitatis, meritorum, omniumque virtutum; quandoquidem Charitas, quæ eſt illarum regina eas omnes pediſſequas habuerit, non quærimus oſtendere ceteros affectus nobiliſſimos, qui magnas animas faciunt. Amor enim, qui ex Divi Bernardi ſententis, illos in ſemet ipſum convertit, eos jugiter exercet: ſed ut magis peculiariter innoteſcat divinæ Charitatis triumphus in Corde Magdalenæ oſtendimus alium quemlibet amorem ceſſiſſe amori Dei ſui, poſtquam adhæſerat Mundo, voluptatibus, iiſque rebus omnibus, quibus tandiu, ac tam indigne fuerat occupata: Verum, ut a vinculis adeo funeſtis revelleretur, tria erant facienda, quæ difficillime erant obtinenda.

Primùm enim mundi illecebrarum faſcinatio abjicienda erat, quæ in ejus animo ultra fidem inſederat.

Secundò cor illius, quod incredibili proclivitate ad voluptates, & oblectationes rapiebatur, inde erat revellendum.

Tertiò illi contemnendæ erant conſiderationes omnes, quæ prohibere poterant, ne adeo palam ſua crimina faceretur, & converſionem amplecteretur, quæ in omnia Civitatis ejus Sermonibus erat ſutura argumentum, quæ omnes circumſtantiæ oſtendunt vim, & magnitudinem amoris ejuſdem.

Vide locos, quos in ſuperiori Argumento protulimus.

Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix ut cognovit &c. Luc. 7.

Cum peccatoris Converſio ſit mutatio vitæ incompoſitæ in vitam magis regularem, opus eſt ut hæc mutatio ſit in Spiritu, in corde, & in exteriori vivendi ratione.

Punctum primum. Mutatio Spiritus. Opus eſt, ut peccator abjiciat ideas, quas habebat bonorum hujus mundi, divitiarum, & voluptatum, ut contemnat ea, quæ majori habebat in pretio, & induat ſenſus, quos habere debet de Deo, de bonis vitæ alterius, & æterna felicitate. Re ipſa repente fit in peccatore, quem tetigit Deus, & qui ſerio de converſione cogitat prodigioſa mutatio, vel potius priorum idearum inverſio. Alios habet fines, alia conſilia, alias cognitiones; quidquid nitet in mundo evaneſcit in ſpiritu ejus; deletur per recentes veritates, quas illi detegit Deus, vel per ea, quæ ignorare quidem non poterat, ſed quæ numquam tanta in luce conſpexerat. *Spiritum rectum innova in viſceribus meis.* Pſalm. 50.

Punctum alterum. Mutatio Cordis. Opus eſt cor non eſſe amplius, quod erat; ita ut alios habeat fines, rationes alias, alios effectus, & ſtudia prorſus alia, ab illis, quæ antea fovebat. *Cor novum crea in me Deus.* Quemadmodum antea quærebat commoda, ſolatia, voluptates; modò in deliciis habet ſeceſſum, mortificationem, ſuimet ipſius collectionem: & ſi non mutat affectus, opus eſt, ut affectuum mutet objecta.

Tertium Punctum. Mutatio exterioris vivendi rationis. Opus eſt, ut interior mutatio ſe extendat, & migret etiam in exteriorem, mutato etiam ſtatu, ſi intelligatur, illum in quo antea verſabamur fuiſſe noxium, & ſaluti noſtræ pernicioſum. Sed ſaltem oportet, ut vitæ ratio in actionum enumeratione mutetur; ut non adſit ira, & furor, ut occaſiones evitentur, ut loquendi ratio ſit alia &c. *Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia, & pax oſculata ſunt.* Pſalm. 84.

Vide in Tom. I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: CONVERSIO.

Ratio moraliter pertractandi hoc argumentum.

Hæc obvia eſt partitio, qua plurimi uſi ſunt verba facientes de Converſione Mariæ Magdalenæ oſtendendo eas conditiones, quæ in peccatoris converſione requiruntur.

Prima Conditio, eſſe debet prompta contra moras, & cunctationes, quæ nectuntur, & in cauſa ſunt, ut conceptum ejuſdem conſilium cedat in irritum.

Conditio altera, eſſe debet generoſa ad infringendos obices, qui eidem adverſantur.

Tertia Conditio. Conſtans eſſe debet, ac in finem uſque permanſura.

Vide in To. I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: CONVERSIO, *& in III. Titulum:* POENITENTIÆ PROCRASTINATIO.

PRO FERIA SEXTA
POST QUINTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi Concilium adverſus JESUM. Joanni 11.

I. Argum. CUm ratio ſecernat hominem ab aliis viventibus, conſtat id, quod hominem diſtinguit a ceteris, & in quo inter alios homines emicat, eſſe Sapientiam, & Prudentiam, quam oſtendit in negotiis agendis, & in ratione inſtituendæ vitæ: ita ut gloria, & exiſtimatio, quam impenſius quærit, & cujus eſt ſollicitior ſit exiſtimatio viri ſapientis, atque prudentis, qui non ſolum idoneus ſit ad ſe ipſum regendum, verum etiam ad deducendos alios, ſuper quos ſapientia ſua illi quamdam tribuit ſpeciem naturalis ſuperioritatis. Quæritur ergo quænam ſit iſta prudentia, quam homines tanti faciunt, cumque duplex ſit genus illius, altera quippe fallax eſt, & vera altera, ajo veram ideam de utraque deſumendam eſſe a judicio Dei, ideoque ad judicii ejuſdem normam componendam alterius quidem exiſtimationem noſtram, alterius verò contemptum: Judicium autem Dei, qui eadem eſt Sapientia nobis declaratur per Apoſtolum Paulum in duabus hiſce propoſitionibus, quæ ſermonis partitionem conſtituent.

Quarum prima eſt, prudentiam ſæculi, & Mundi Sapientiam, quæ ſequitur axiomata Evangelicis prorſus oppoſita, eſſe coram Deo meram ſtultitiam, & deplorabilem cæcitatem; Sapientia *hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum;* 1. ad Cor. Ideoque a Chriſtifidelis pro tali eſſe habendam, & deteſtandam tamquam Dei inimicam, & illius praxim perhoreſcendam.

Altera eſt, id quod hominum plerique inſaniam, & ſpiritus imbecillitatem, aliiſque contumelioſiſſimis nominibus vocant, Chriſtianam videlicet ſimplicitatem, quæ poſita eſt in ſequendis Evangelii præceptis, iiſque pro morum diſciplina ſequendis, veram eſſe ſapientiam, ſcientiam Sanctorum, & unicam viam ſalutis; *Quod ſtultum eſt Dei, Sapientius eſt hominibus.* Ibidem.

Quod ad primam pertinet propoſitionem, vel ad primam veritatem, præterquamquod hoc eſt Oraculum Spiritus Sancti a Sancto Paulo prolatum: *Sapientia hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum.* Cujus quamvis aſſequi non poſſumus rationes, nobis tamen eſſet credendum, quandoquidem proficiſcitur ab eadem veritate, quæ falli non poteſt: Idem Apoſtolus in prima ad Corinthios capite tertio tres afferre videtur rationes. Primùm, quia hi prudentes nonniſi inanibus paſcuntur conſiliis, tamquam homines recto ſenſu carentes, qui chimæricas tantum ideas fovent, cujuſmodi ſunt diteſcere, in terrenis negotiis votorum ſummam aſſequi; verbo, ſibi proponere finem indignum homine, qui creatus eſt, ut æterna perfruatur beatitudine, de qua ne cogitant quidem: *Dominus novit cogitationes Sapientum: quoniam vanæ ſunt. Evanuerunt in cogitationibus ſuis,* inquit alibi de iiſdem Sapientibus verba faciens. 1. Corint. 3. Rom. 1. Secundò quia nugis immorantur, & rebus nullius momenti cujuſmodi ſunt pleraque negotia quibus eorum mens diſtinetur, quin cogitent umquam de Salutis ſuæ negotio, quod omnes eorum curas meretur, vel ſaltem primam omnium, & præcipuam; ita ut quamvis videantur ſapientes, atque prudentes, veri ſunt pueri ſine rationis uſu, ſine judicio, nugis intenti, & quò magis e voto illorum cedunt ineptiæ, nugæque pueriles, eò ſunt inſipientiores has rebus maxime neceſſariis præferentes. *Dominus novit cogitationes Sapientium, quia vanæ ſunt.* Tertiò, quia ſapientes iſti, & mundani politici, ut fines ſuos conſequantur, dolos, fraudes, injuſtitias adhibent, & omnes criminoſas artes, quæ Dei iram, ultionemque promerentur; unde fit, hos ſæculi prudentes ex ejuſdem Apoſtoli ſententia eſſe omnium hominum ſtultiſſimos, quia non operantur, & nihil illis cedit ex voto, niſi in ſuam perniciem, ſimiles inſanientibus, furentibuſque, qui ſe deturbant in præceps, vel qui ſibimet proprio enſe necem conſciſcunt. Id genus inſani nonniſi poſt mortem ſe cæcos, & imprudentes fuiſſe cognoſcunt. *Nos in ſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam &c.* Sap. 5. Quæ mens eſt Apoſtoli, cum addit, Deum effecturum, ut in ipſorum caput omnes fallacia, prudentiæ fraudes ruant. *Comprehendam Sapientes in aſtutia eorum.* 1. ad Cor.

Pro altera veritate, & propoſitione: id videlicet, quod homines tamquam inſaniam reſpiciunt, nempe vitam, actuſque ſuos ad Evangelii præcepta inſtituere, veram eſſe ſapientiam; rationes patent fidem habenti, & vere Chriſtiano. Primùm quia qui nobis hos præſcripſit Canones, eſt ipſa Sapientia, & donum Sapientiæ, quod Sanctis Spiritus Sanctus communicat in eo ſitum eſt, ut divina illius lumina ſequamur. Secundò, quia prudentius agi non poteſt, quàm vera ſequi media, quæ certiſſime adducunt homines ad eum finem propter quem

ſunt

Digitized by Google

ſunt in mundo. Tertiò, quia nemo poteſt præſeferre majorem prudentiam, in vitæ ſuæ ratione, quàm evitando omnia pericula, & ſuperando obices omnes, qui occurrunt in ſupremæ noſtræ felicitatis perquiſitione &c.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum ; PRUDENTIA *Sæculi.*

Aliter efferri poteſt hoc argumentum de fallaci Sæculi Prudentia. Oſtendere poſſumus etiam Sæculi Prudentiam

Primùm nobis ſexcentos ſuppeditare prætextus, ut nos diſpenſet ab iis, quæ Deo debemus, & a Religionis officiis,

Secundò nobis tradere cognitionem omnium artium, ut proximum fallamus, ſumptibus illius creſcamus, eumque per fraudem de loco depellamus.

Tandem noſmet ipſos decipere, alterius vitæ bona nobis præripere, & ſæpe illa etiam vitæ præſentis ; quia oblectatur Deus humanæ prudentiæ conſilia ſubvertere.

Vide locum ſuperius memoratum.

Eodem in Argumento poſſumus etiam oſtendere

Primùm, quemadmodum in morali vera prudentia omnes regit virtutes, eaſque omnibus vitæ actionibus inſervire jubet; ita Mundi prudentiam in praxim omnia redigere vitia, affectus omnes, & crimina, ut fines ſuos aſſequatur.

Secundò, quemadmodum prudentia Chriſtiana omnibus mundi hujus placitis adverſatur, ita Carnis prudentiam omnibus adverſari præceptis Evangelicis.

Vide locum, quem ſupra,

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium adverſus JESUM. Joann. 11.

II. ARGUM. De fallaci Prudentia. Neſcio Fideles, utrum animum adverteritis in hodierno Evangelio verba fieri de duobus inſignibus Conciliis, quæ profectò non minus inter ſe diſcrepant, quàm lumen a tenebris, ſed quæ per admirabilem conſenſionem ad eumdem finem collimant, mortem videlicet Hominis-Dei propter hominum omnium Salutem. Alterum horum Conciliorum habetur Jeroſolymæ, ubi cogitur cœtus Pontificum, & Phariſæorum; & ibi præſidet cupiditas, mundi Sapientia deliberat, avaritia primum proponit conſilium, & denique decernitur mors mortalium omnium Sanctiſſimi atque integerrimi: *Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium adverſus* JESUM. Alterum verò habetur in Cœlo, ubi Dei Sapientia invenit viam ſatisfaciendi Juſtitiæ ſuæ, ſimulque exercendi miſericordiam ſuam cum hominibus per mortis ſententiam latam contra Unigenitum ſuum. Joann. 11. *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Etenim cum hæc verba contineant Prophetiam, licèt ab iniquitatis miniſtro prolatam, qui non ideo tamen ceſſat, quominus ſit Organum Spiritus Sancti ad ſententiam hanc proferendam, ſequitur hanc eamdem ſententiam ratam habitam fuiſſe in Æterno Concilio, in quo ſtatutum fuit, ut homines hoc medio ſalvarentur.

Verum CHRISTI fideles animadvertitis ne diverſa Concilii utriuſque conſilia, in quibus idem agitur negotium? Cœleſte Concilium pro fine præcipuo habet gloriam læſi Dei; medium eſt mors Filii ſui Unigeniti, & effectus eſt humani generis reparatio. Terreni verò concilii ſcopus eſt cupiditas, & deſiderium ſervandi auctoritatem, quam Pontifices verentur amittere, ſi JESUS CHRISTUS pro Meſſia habeatur. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Timor amittendi rempublicam color eſt, quem prætexunt odio, & invidiæ; *Venient Romani, & tollent noſtram gentem*, & mors Salvatoris, quæ fuit decreta, deinde cauſa fuit interitus Synagogæ, ac totius ditionis eorum per eadem media, quibus uſi fuerant utramque ſervaturi. Itaque de injuſtitia, fallacique mundi prudentia Evangelicæ oppoſita fert animus apud vos verba facere.

Cum vera Sapientia ſit poſita in perquiſitione Summi boni, quod ſimul eſt extremus finis noſter, proprium veræ prudentiæ, quæ plerumque cum Sapientia confunditur, eſt eligere media, quibus finem hunc aſſequamur. Quapropter quandoquidem fallax mundi Sapientia, & Sæculi politica prorſus oppoſita ſit Cœleſti cum in fine, tum in mediis quibus utitur, ut vobis perſuadeam ad illam in omnibus negotiis veſtris abdicandam, & cieam in vobis omnem horrorem quem meretur; vobis oſtendam

Primùm, quænam ſit illius injuſtitia, & iniquitas, & mox quantam afferat perniciem illis, qui illam pro vitæ ſuæ norma ſequuntur. Hæc erit totius Sermonis partitio,

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: PRUDENTIA.

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium adverſus JESUM. Joann. 11.

III. ARGUM. De Prudentia Chriſtiana. Cum Prudentiæ munus ſit eligere media ad finem obtinendum idonea, liquet, Auditores, neminem Prudentem eſſe vocandum, niſi illum, qui cum opus eſt, diligere novit media magis congrua ad finem obtinendum. Verum quamvis hæc notio, quæ vulgo traditur Prudentiæ ſit ſatis æquivoca, & ſæpe de Sapientum, atque Prudentum

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

nomine gloriemur, cum Deo Judice, qui eadem eſt Sapientia ſimus mortalium omnium ſtultiſſimi; tamen non eſſet operoſum veram Sapientiam a fallaci ſecernere, niſi ratio noſtra excæcata cupiditate ob oculos noſtros ſtatueret pravum finem, & mox nobis ſuggereret injuſta media ad illum aſſequendum.

Hoc locum præbuit celeberrimæ illi diſtinctioni inter prudentiam carnis, & illam, quæ a Sancto Spiritu emanat; inter Sapientia Sæculi, quæ vitæ hujus bona conſectatur, & Cœleſtem Sapientiam, quæ æterna reſpicit bona, & quæ a Sancto Auguſtino vocatur *agendarum, & fugiendarum rerum cognitio.* Qua in re hodierna die aſſero veram prudentiam in eo eſſe poſitam, ut vitæ hujus tempore certum faciamus ſalutis noſtræ negotium, ſine quo vera prudentia inveniri non poteſt, quamcumque induſtriam, & ſolertiam præſeferre valeant perſpicaciſſima ingenia in rerum difficilium pertractatione; hoc enim eſt repugnare Æternæ Sapientiæ eo in fine, propter quem homines creavit.

Ut vobis probetur hæc veritas, quæ Chriſtianæ Religionis eſt fundamentum, & totum Evangelium in compendium redactum, duas conſidero partes prudentiæ, quæ in tradita ejuſdem notione continentur. Harum prima eſt, ſibi finem magni momenti proponere, ad quem ſimus perventuri. Altera verò eſt delectum habere mediorum, quæ apta ſunt, ut ad eumdem perveniamus. Ex duobus hiſce rebus, Fideles, haurio duas probationes magnæ illius veritatis, quam protuli.

Primùm cum ſalus, æternaque noſtra felicitas ſit finis, propter quem unicè creati fuimus, ad eumdem referendæ ſunt omnes cogitationes, & curæ noſtræ, ſi verè prudentes eſſe velimus.

Secundò nobis eligenda ſunt media ad hunc finem idonea, quia alioquin nemo prudenter agere poteſt. Hæc erit totius ſermonis partitio, ubi res agitur veſtra, ut me attente, & libenter audiatis.

Videte in To. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum : PRUDENTIA, *ubi de utraque vera ſcilicet, & falſa ſermo eſt.*

Oſtendere etiam poſſumus prudentiam non minoris uſus eſſe in vita Chriſtiana quàm in Morali. Partitio alia De vera Prudentia.

Primùm efficit, ut animam corpori, ſpirituale bonum temporali, ſalutem, æternamque beatitudinem certo fortunarum noſtrarum ſtatui in hoc mundo præferamus; & demum facit, ut omnia eo habeamus in pretio, quod merentur pro diverſa eorum præſtantia, meritis, atque utilitate.

Secundò efficit, ut viam tutiorem amplectamur, cum agitur noſtra ſalus, & inquiruntur media aptiora, ut ad finem nobis propoſitum perveniamus.

Tertiò efficit, ut nobis diligentiſſime caveamus, prohibeatque, ne quid temere, ac præcipiti cum feſtinatione in tota vitæ noſtræ ratione facere audeamus,

Vide locos jam memoratos,

In eodem argumento poſſumus etiam oſtendere Aliter efferetur hoc de vera Prudentia argumentum.

Primùm, Chriſtianam Prudentiam oculos obſtruere omnibus humanis cogitationibus, ubi agitur de conſcientia, & officio.

Secundò prohibere, ne incidamus in illuſionem in iis, quæ ad Salutem pertinent; nunquam enim magis eſt neceſſaria, quam in hoc negotio; quo nullum eſt majoris momenti.

Tertiò efficere, ut omnia fugiamus pericula, quæ metuenda ſunt in ejus rei procuratione, cui unicè intenti eſſe debemus.

Oſtendi etiam poteſt quid diſcriminis intercedat inter utramque Sapientiam. Diſcrimen inter Sapientiam Chriſtianam, & Sapientiam Sæculi.

Primùm Chriſtiana Sapientia nos illuminat. Lumina ſua ſunt lumina fidei, & Spiritus Sancti; cum e contra mundi Sapientia nos excæcat fallaci luce cupiditatum noſtrarum.

Secundò Chriſtiana Sapientia nos dirigit, & ad noſtrum finem adducit per media tuta, & certiſſima; cum mundi ſapientia nos inde avertat, ſuadendo, ut vias prorſus oppoſitas quæramus, & eligamus.

Tertiò Sapientia Chriſtiana nos adducit in poſſeſſionem extremi finis noſtri, beatoſque facit; & Mundi Sapientia nos in æternum miſeros facit, efficiendo nocentes,

Vide locos eoſdem.

PRO DOMINICA PALMARUM.

Dicite Filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21.

I. ARGUM. Quomodo noſmet gerere debea-

NOVI equidem, Fideles, cum hæc receptio facta Filio Dei, plena ſit Myſterii; plures ſuppeditare poſſe pios, & nobiles ſenſus, magnaſque veritates, quæ noſtræ devotio-

Digitized by Google

Calvarium animatam, & ille doloris gladius, qui ſecundum Sancti Simeonis prophetiam aliquando tranſfixurus erat cor illius, adhibitus fuit in dilectiſſimi Filii paſſione ad exprimendam in Matre vivam Imaginem omnium dolorum illius.

Artis profectò miraculum eſt ſcalproita marmor cædere, ut hominem repræſentet, & quamvis obluctetur materia, ibi videantur minutiſſima etiam lineamenta, quæ hominem repræſentent, & præbeant cognoſcendum: verum ad quemcumque excellentiæ gradum ars pervenire valeat, nonniſi muta efficit ſimulacra, & ſine motu, ideoque licèt dicatur, ars naturam imitari, tamen longiſſime diſtat. Sed hic doloris gladius, quo Mariæ cor tranſfixum fuit, Scalpo penetrabilior pervaſit uſque ad præcordia mœſtiſſimæ Genitricis, ut abſolutiſſimam ibi efficeret imaginem paſſionum Filii ſui, ita ut cum audio Prophetam in perſona Divini hujus hominis Cruci ſuffixi

Thren. 1. quærentem, *Attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus*, libenter reſponderem me ſane inveniſſe, quod quærit, dolorem videlicet omnino ſimillimum: quoniam quantùm Matris paſſiones ad Filii paſſiones propius accedunt, tantùm omnibus cæterorum Martyrum paſſionibus antecellunt.

Ut hoc evincam tribus tantum uti volo verbis allatis in Evangelio: *Stabat juxta Crucem* JESU *Mater ejus*, ubi duos reperio fontes dolorum, qui faciunt hoc mare amaritudinis vaſtum in extenſione ſua, & impenetrabile in profunditate.

Primus eſt amoris ſui magnitudo, quæ inſpirat illi æqualem compaſſionem doloribus hujus Filii, quem majori amore complectitur, quàm ſemet ipſam. *Mater ejus.*

Alter eſt fortitudo ſpiritus, & conſtantia cordis ſui, quod obfirmatur contra hunc dolorum torrentem, omnemque ſuſtinet eorum impetum ſine ullo ſolatio, & conſolatione. *Stabat juxta Crucem* JESU. Prior illam efficit viventem imaginem dolorum Salvatoris; Alter verò exemplar conſtantiæ in graviſſima deſolatione, quæ umquam extiterit poſt Filii ſui diſſolutionem: Hæc erit ſermonis partitio.

Vide Tom. III. Bibliotheca Myſt. Theol., qui eſt de Myſteriis Beatæ Virginis, Titulum: DOLORES BEATÆ VIRGINIS.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. Luc. 23.

II. Argum. — De Converſione, & petitione boni Latronis.

JESUS in Cruce moriens validam nobis parabat in Sanguine ſuo medicinam. Hujus virtutem in bono Latrone voluit experiri, neque dicendo aſſequi poſſumus quantum efficax fuerit virtus ejus, & quàm ſalutaris effectus illius.

Punctum Primum. Bonus hic Latro fidem adeo vivam, & acrem prætulit, ut Sanctus Auguſtinus dicere non dubitaverit, nihil ſimile non in Iſraël tantùm, imo neque in univerſo terrarum orbe viſum fuiſſe. Abraham credidit Deo, ſed illi de Cœlo Deus loquabatur. Moyſes credidit illi, ſed Deus loquebatur illi de rubo ardenti, & miraculoſo: Eidem credidit Iſaias, ſed Deus loquebatur de trono Majeſtatis admirabili ſeptus Beatorum Spirituum corona. Boni Latronis fides longe perfectior fuit; quippe credidit in JESUM CHRISTUM, dum ab omnibus deſtitutus, nudus pendebat in Cruce. Hic Stellam non viderat, ut Magi, qui adoraverunt illum in præſepi; non audiverat ſuaviſſimum Angelorum concentum, uti Paſtores; non viderat gloriam ejus in Thabor, uti Sancti Petrus, & Joannes, neque ejuſdem miracula, ut Maria Magdalena, & nihilominus confeſſus eſt JESUM CHRISTUM; innocentiam, & poteſtatem illius recognovit, cum Judæi illum crucifigerent, cum Phariſæi illum blaſphemarent, cum Apoſtoli in fide nutantes eum derelinquerent, aufugerentque. O Latronem admirabilem,

Auguſt. ſerm. de tempore. fide ferventem! vim Cœlo inferentem, adorantem Deum ſupplicii ſui conſortem, & in Calvario confitentem eum, quem Judas prodidit in Horto Olivarum! O quam acuta, & perſpicax eſt acies Fidei! Sanctus Bernardus inquit. Detegit omnipotentem in infantia, Sanctum Sanctorum in Supplicio nocentium, & Deum viventem in umbra mortis.

Secundò. Repletus eſt firma confidentia, quæ eo magis erat generoſa, quo magis nullis erat adminiculis innixa. Videbat hominem morientem, & tamen etiam poſt morte ſe ſalvari poſſe ſperabat, ſe ipſum peccatorem confitebatur, ac ſexcentorum criminum reum; & ſperabat ſe veniam conſecuturum ab eo, qui ita bonus erat, ut pro inimicis ſuis deprecaretur. Nimis ſerò ſe ipſum agnoſcebat, cum ferè animam in labiis exituram verſaretur, & ſperabat in eo, qui Deus eſt vitæ, & mortis, certò ſciens nullam eſſe adeo complotatam ægritudinem, quam medicus adeo potens curare non poſſet. Denique nunquam antea expertus fuerat Salvatoris ſui miſericordiam, & nihilominus ſperabat futurum, ut ſpes ſua non falleretur, & ut ſe projiciens inter bracchia illius, quem ab omnibus derelictum videbat, votorum ſuorum ſummam aſſequeretur.

Tertio loco in corde ſuo ardentiſſimam charitatem ſuccendit erga Deum ſimul, & proximum ſuum. Erga Deum quidem affirmans innocentiam JESU CHRISTI invidis Scribis, & Phariſæis; erga proximum verò peramanter corripiens ſodalem ſuum Salvatori Mundi inſultantem; quamobrem Sanctus Cyprianus illum Martyrem vocat, & Sanctus Auguſtinus docet, ipſum non minus coram Deo fuiſſe meritum confitendo JESUM CHRISTUM Crucifixum, quàm ſi propter JESUM CHRISTUM Crucifixus fuiſſet. Nonnulli etiam horum Patrum ſententiæ aliquid adjiciunt, dicentes illum per hoc ſe dignum præbuiſſe, ut non ſolum inter Martyres locum obtineret, ſed etiam Luciferi ſolium occuparet.

Punctum Alterum. Quanta extiterit Filii Dei miſericordia erga Latronem hunc. Primùm enim dedit Paradiſum Latroni, videlicet perfruitionem infiniti boni, illi, qui nihil unquam boni fecerat. Secundò hanc illi dedit ſine mora; non fecit, ut illam expectaret, ſimul enim pollicetur, & largitur. Hanc illi haud ægre, & ſine dolore tribuit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Ne dubites de voluntate mea; niſi cuperem te ſalvum facere, in hoc ſtatu non eſſem: Crux mea Cœli clavis eſt, quæ tibi Paradiſi januam aperiet. Ab æterno concepi conſilium, te beatum efficiendi, ac illud in æternitatem omnem ſervabo.

Punctum Tertium. JESUS tacet, cum maledictis obruitur, & ſimulac accidit auribus ejus clamor pauperis miſeri, ſe continere non poteſt, quo minus illi reſpondeat, & benigne preces ejus exaudiat, Condonat graviſſima peccata, quæ contra perſonam ſuam perpetrantur, & pro exiguo merito a Latrone ſibi præſtito ſtatim Paradiſum rependit. Numquid ita ſe gerunt cum famulis ſuis Principes mundi? Heu! atteritur in eorum famulatu totum vitæ ſpatium, quin ulla merces percipi valeat, & poſt annos viginti ſervitutis, ſatis eſt verbum incautius prolatum ad ſubeundam offenſionem illorum.

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum; MISERICORDIA DEI.

PRO FERIA QUINTA MAJORIS HEBDOMADÆ.

Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Joann. 13.

I. Argum. — De Amore, quem Dei Filius teſtatus eſt hominibus in Sanctiſſimo Sacramento.

SI Amor in Spiritibus id agit, quod pondus in Corporibus, juxta Sancti Auguſtini Sententiam: *Amor meus pondus meum*, numquid non videtur vobis, Chriſtiani Auditores, quemadmodum naturales corporum motus eo violentiores ſunt, quò propius ad centrum accedunt, ubi requiem habituri ſunt, ſimili ratione amorem filii Dei nunquam fuiſſe vehementiorem, quàm cum ſe propiorem intuitus eſt vitæ ſuæ termino. Hoc in ſenſu intelligenda ſunt verba illa dilecti diſcipuli: *cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos.* Quamquam dilexerit homines, eiſque amorem hunc fuerit teſtatus toto eo tempore, quo permanſit in terra, hoc tamen potiſſimum accidit ſub finem vitæ ſuæ, cum certiſſima illis præbuit benevolentiæ argumenta inveniens artem adeo admirabilem permanendi apud illos uſque ad ſæculorum conſummationem: vel *in finem*, uſque ad mortem, per amorem conſtantem, & de morte ipſa victorem; quoniam nobis ſemper præſentem facit illum, quem mors oculis noſtris eripuerat. Sed potius dicamus juxta nonnullorum explicationem; *in finem dilexit eos*, ad exceſſum uſque illos amavit, & amor illius uſque ad extremum punctum, quò pervenire poterat, evaſit; quapropter non vereor cum pluribus Sanctis Patribus finem hunc appellare extremum amoris Dei erga homines terminum; idque per tres effectus, vel potius tres admirabiles conatus, qui totidem ſunt certa indicia ſecundum eam rationem, qua homines agere conſueverunt.

Primùm cum nihil prætermittitur inauſum, ut quod ſuſcipiunt, & cupiunt, conſequantur.

Secundò cum nihil eſt, quod non donetur ad finem ſuum conſequendum.

Tertiò cum nihil eſt, quod non perferatur ad poſſeſſionem illius retinendam. Ita ut multa facere, donare multa, & multa pati, quæ generatim tria ſigna ſunt certiſſima violenti amoris, illa eadem ſint, quæ nobis cognoſcendum tradunt exceſſum amoris Dei in hoc adorabili Myſterio, & quæ nobis Sermonis hujus partitionem ſuppeditabunt.

Vide in To. II. Bibliotheca Myſt. Theol. Titulum: EUCHARISTIA.

MONI-

Digitized by Google

M O N I T U M
DE PASSIONE DOMINI.

H OC loco non tribuuntur peculiares Partitiones pro Paſſione Salvatoris Mundi, neque adfertur ſupellex, & argumentorum copia ad eas pertractandas; Hac petenda eſt ex Bibliotheca noſtra. Verum mihi arridet eorum ſententia, qui arbitrantur optimam rationem prædicandi Paſſionem eſſe aliquam nanciſci propoſitionem, quæ nos cogat totam hanc tragicam Hiſtoriam ad certa revocare capita, quæ ſingulas illius partes explicent. Ceterum ſimplex narratio eloquenter inſtituta cum iis locutionibus, quæ indigitent ipſum præ ceteris Concionatorem affectum eſſe, majorem obtinet vim in audientium animos, & corda, quàm omnia argumenta, & exquiſitiſſima ſententia. Imo hoc unum poſtulat Auditor hodie cum nonnullis moralibus animadverſionibus, quæ ex argumenti magnitudine, & circumſtantiis, quas exhibebit, oborientur.

P R O D O M I N I C A
R E S U R R E C T I O N I S.

Surrexit, non eſt hìc. Marci 16.

I. ARGUM. Victoriæ Salvatoris in Reſurrectione.

P OMPAM, & Apparatum, quo Eccleſia hodiernam ſolemnitatem concelebrat, Fideles intuiti, nonne vobis videre videremini Eccleſiam in terra triumphantem? Ubique exuberantis lætitiæ perſonant verba, ubique Epinicia exaudiuntur, quæ exceſſum lætitiæ poſt tot lacrymas, doloreſque teſtantur. *Hæc dies, quam fecit Dominus*. Profectò niſi illa divino ageretur ſpiritu, dicerem, illam lætitiæ magnitudine extra ſe rapi, neque amplius meminiſſe Deum, cum omnia creaverit ſæcula, annos, & dies, Auctorem eſſe ceterorum etiam præter hanc, quam unice diem Domini appellat. *Hæc dies, quam fecit Dominus*. Verum omnia Eccleſiæ verba, non ſecus ac facta Myſteria ſunt, & diei huic nomen hoc tribuit, ut ſe ſe accommodet hominum rationi loquendi, qui victorias ſuas, & præclariſſima facta *dies ſuos* vocant. Quamobrem magna hæc dies, qua Dei Filius tot victorias reportavit, non poterat æquiori jure dies Domini appellari. Ut igitur, Fideles, Eccleſiæ mentem, ſpiritumque aſſequamur, poſtquam præteritis diebus vidimus hunc Hominem-Deum victum conatibus inimicorum ſuorum, hodierna die illum vobis exhibere volo tanquam victorem, triumphum referentem.

Pſal. 117.

Primùm de morte, a qua victus fuerat, & qui certam nobis dat ſpem futurum, ut aliquando, ſicut ille, reſurgamus.

Secundò de infidelitate, in qua Apoſtoli ejus, & omnes homines permanſiſſent, niſi ille reſurrexiſſet.

Tertiò tandem de peccato, quod cauſa fuit mortis ſuæ licèt innocens eſſet, poſtquam mortem attuliſſet hominibus omnibus; quoniam nihil validius, ac potentius ad compeſcendas iniquitates noſtras cogitatione ſuæ, noſtræque ſimul reſurrectionis. Hæ tres ſunt inſigniores victoriæ, quas magna hac die refert, quæ cum ſint cauſæ ſanctæ hujus lætitiæ, quam præ ſe fert Eccleſia, erunt quoque Sermonis hujus partitio.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Myſt. Theol. Titulum: RESURRECTIO D. N.

JESUM *quæritis Nazarenum Crucifixum; Surrexit, non eſt hìc*. Marci 16.

II. ARGUM. Pro eadẽ die. Dominus noſter J.C. non ſolum pro ſemet ipſo, ſed etiam pro univerſo Mundo reſurrexit.

Cum Dominus, & victor mortis, non ſolum Deus eſſet, & homo, ſed etiam Salvator hominum non ſibi ſolum, verum etiam pro ceteris hominibus reſurrexit; quapropter ipſe ille per antonomaſiam ſe noſtram vocat reſurrectionem, quæ ſuæ tantum innititur, quippe quæ illius cauſa eſt, exemplar, probatio, & ſpes, omnia ſimul. Itaque hodierna die fert animus hanc Filii Dei reſurrectionem intueri non ſolum tanquam triumphum, quem de morte, deque inferis reportavit, ſed tanquam noſtræ felicitatis cauſam, & reſurrectionis, quam ſtatim inchoare debemus; quoniam ex Divi Pauli ſententia reſurrexit propter juſtificationem noſtram; videlicet, ut in antecesſum anima a peccato ad gratiam reſurgeret per vitam prorſus recentem, & ſanctam, ut vitam prorſus glorioſam mereamur poſt corporum noſtrorum reſurrectionem.

Propterea in priori hujus ſermonis parte oſtendam, ſpem certam, quam hodierna die Salvator præbet reſuſcitandi corpora noſtra in ſæculorum exitu, debere modo operari noſtrarum animarum reſurrectionem de morte peccati ad vitam gratiæ. Hic eſt effectus, quem Salvatoris reſurrectio modo parere debet in nobis.

In parte autem altera, hanc animarum noſtrarum reſurrectionem aliquando operaturam glorioſam reſurrectionem corporum noſtrorum, & ſimilem reſurrectioni Filii Dei, ſicut nos docet Apoſtolus. Hunc effectum pariet aliquando, & qui cum uſque ad temporis finem abſit, debet nos tamen excitare ad amplectendam omnem ſeveritatem, quam Chriſtiana Religio repoſcit, & nos in omnibus vitæ hujus laboribus conſolari. Hoc erit argumentum, & partitio ſermonis.

Vide in To. II. Bibliotheca Myſt. Theol. Titulum: RESURRECTIO.

JESUM *quæritis Nazarenum, ſurrexit, non eſt hìc*. Marci 16.

III. ARGUM. Pro eadẽ die. Dominus noſter poſt diem tertium reſurgit immortalis.

Tandem hæc ſanctæ ſuæ humanitatis arca, poſtquam jacuit veluti ſubmerſa in Sanguinis ſui cataclyſmo, feliciter in immortalitatis portum pervenit; quoniam novus hic Jonas de tumuli abyſſo egreditur eo modo, quo primus egreſſus eſt de ventre ceti. Quoniam Templum hoc Myſticum Salomonis Judæorum rabie deſtructum, atque everſum tertia die reparatum eſt magnificentius quàm ante, & quia tandem hic Sol, qui Eclypſim paſſus erat triduo in mortis umbra, efficit, ut ſecum natura univerſa reviviſcat. Igitur JESU CHRISTI Reſurrectio nobis eſt peculiaris lætitiæ argumentum, quoniam illam ſpectare debemus tanquam fidei noſtræ confirmationem, & pignus certum ſpei noſtræ.

Primùm eſt fidei noſtræ confirmatio; eſt enim invicta probatio omnium veritatum Religionis noſtræ.

Secundò, certum pignus eſt noſtræ ſpei, cum enim conſtet JESUM CHRISTUM reſurrexiſſe, nos qui ſumus fratres, & cohæredes illius, reſurgere debemus, ut ille. Quænam autem nobilior, & præſtantior cauſa nos impellere poteſt, ut vivamus ita, ut aliquando participes fieri valeamus reſurrectionis Filii Dei? Hoc igitur Myſterium ſimul eſt & fidei noſtræ fundamentum, & potiſſima ratio totius diſciplinæ Chriſtianæ. Quod vobis perſuadere conabor in duabus partibus hujus Sermonis.

Vide locum ſuperius memoratum.

F E-

Digitized by Google

FERIA SECUNDA
POST DOMINICAM RESURRECTIONIS.

Tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem; & non cognoviſti, quæ facta ſunt his diebus? Luc. 24.

I. Argum. Comparatio Chriſtianorum cum viatoribus.

HÆc verba anſam præbuerunt pluribus Sanctis Patribus inſtituendæ comparationis inter Chriſtianos, & Viatores, qui ſunt in terra aliena, & qui flagrant deſiderio in patriam ſuam redeundi. Et profectò quid magis proprium, ſimulque ad erudiendum aptius, quàm Fidelibus repræſentare curam, quam habere debent ſibi ea parandi, quæ huic itineri ſunt neceſſaria, & non onerandi ſe iis, quæ ſunt inutilia? Sollicitudinem quam habere debent, perveniendi, quò tendunt, in Cœlum nempe; periculum terrenis rebus adhærendi, qui ſunt obices, vel tergiverſationes, quæ illos remorantur in via; & tandem illis oſtendere pericula, & diſcrimina aberrandi, ac in præceps ruendi.

Hoc, Fideles, delegi argumentum, ut hodierna die vos alloquerer, quandoquidem hic unus eſt ex fructibus, quos Sanctus Paulus vult percipi a nobis ex Reſurrectionis Myſterio, & quos Chriſtianorum Paſcha, non ſecus ac illud legis antiquæ nobis repræſentat, vitam quam in terris ducimus non eſſe aliud, quam iter, ac tranſitum per quem ad patriam noſtram, quæ Cœlum eſt pervenire poſſimus.

Homines in hoc Mundo eſſe inſtar viatorum nullibi certam, ſtatamque ſedem habentium, cogitatio eſt æque vetus ac Mundus: hic ſermo eſt Sanctorum Patriarcharum Legis antiquæ, qui non alio nomine dies vitæ ſuæ nuncupabant, niſi dies ſuæ peregrinationis: *Dies peregrinationis meæ.* Gen. 47. Hanc nobis ideam adſtruit Evangelium, cum loquitur de progreſſu noſtro, donec lucet dies, & lumen nobis affulget: *ambulate dum lucem habetis.* Joan. 12. In hoc denique ſtatu Mundi Salvator ſe ipſum conſideravit, quandiu vixit in terris, quamobrem cum de vita ſua verba facit, de illa, tamquam itinere ſibi faciendo loquitur, *Exivi a Patre, & veni in Mundum, iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem.* Joan. 16. Reliqui manſionem meam, ubi eram in ſinu Patris mei, tamquam in ſede gloriæ meæ, mearumque deliciarum; ut venirem inter vos tamquam alienigena non habens neque domum, neque agros, neque prædia, & modo illinc revertor, quandoquidem cucurri curſum meum, & abſolvi curriculum.

Itaque viatores ſumus per conditionem generis noſtri; nati enim in Mundo ſumus ut poſt aliquod tempus inde egrederemur; viatores ſumus per Chriſtianæ religionis profeſſionem, quæ nos jubet nuntium mittere vanitatibus Mundi, ubi non ſumus niſi per tranſennam, & cui cor noſtrum adhærere non debet: Viatores ſumus juſſu Dei, & propter finem, quem de nobis habuit, vitam impertiens; quandoquidem propter Cœlum creavit nos, non autem ut quæreremus, & noſtram in terra felicitatem conſtitueremus. Quibus adjicere poſſum fontem, & cauſam malorum, & criminum noſtrorum, inde tantum proficiſci, quia nobis non ſubit recordatio hujus ſtatus, & qualitatis; ſi enim ad illum animum adverteremus, non adeo indigne rebus vitæ hujus inhæreremus; ad Cœli adſpectum, pro quo creati ſumus, gemeremus in terra, & ſpem, ac vota ultra has temporis anguſtias extenderemus, & non niſi propter æternitatis acquiſitionem laboribus his frangi pateremur.

Cogitatio itaque, ut videtis, qua neque utiliorem, neque divino de nobis conſilio magis conformem inducere poſſumus, eſt vitam tamquam iter, & quemdam veluti tranſitum reſpicere, & noſmet ipſos conſiderare tamquam viatores ad beatum manſionis æternæ terminum anhelantes.

Ut in vobis, Fideles cogitationem hanc cieam, voſque ad hanc tamquam vitæ veſtræ regulam aggrediendam cohorter, quidquid a viatore quæri poteſt ad duo capita redigo.

Primum eſt, ut ſemper ob oculos habeamus terminum itineris noſtri, & numquam ex animis noſtris hæc recordatio elabatur; inde enim conſequemur, nulla re fieri poſſe ut huic Mundo adhæreamus, quod pleriſque hominibus accidit, qui locum exilii ſui, ſibi in patriam, manſionemque convertunt.

Alterum eſt veram ingredi viam, quæ ad beatum hunc terminum ducit; alioquin enim quò magis progrederemur, eo magis aberraremus, & numquam ad propoſitum nobis finem perveniremus. Hæc ſunt duo hominis Chriſtiani officia in Cœlum, viatoris inſtar anhelantis; & erunt partes duæ hujus ſermonis.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: BEATITUDO.

Nonne oportuit CHRISTUM *pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Luc. 24.

II. Argum. De paſſionibus ad Cœli gloriam promerendam neceſſitatis.

NOn immerito quæritur, Auditores lectiſſimi, quo in ſenſu intelligenda ſint hæc Salvatoris verba ex Evangelio, quæ dixit duobus Diſcipulis in caſtellum Emmaus proficiſcentibus; & undenam oriri poterat neceſſitas iſta patiendi adeo abſoluta, & inevitabilis ad gloriam promerendam, in cujus poſſeſſionem ingreſſus eſt per glorioſam Reſurrectionem ſuam: *Nonne oportuit* CHRISTUM *pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Si enim hæc gloria ad ipſum pertinebat jure nativitatis, & aliis titulis æquiſſimis, certiſſimiſque; quomodo dici poteſt hanc paſſionibus, ac laboribus ſuis promeruiſſe? Et ſi oportuit ipſum pati, ut eam mereretur, quomodo aſſeri poteſt, hanc illi debitam fuiſſe quatenus Supremo Cœli, terræque Domino? Hoc inde factum eſt, quod non ſolum illi glorioſius fuit gloriam hanc meritorum titulo obtinuiſſe, quàm alioquovis jure, quod illius certam facere poterat poſſeſſionem; verum etiam, ut homines illius exemplo adducerentur ad acquirendum bonum, & gloriam, a qua exciderant per peccatum, & quam non poſſunt amplius mereri niſi per paſſionem, & cruces; quaſi innuere vellet, illos fruſtra aliam viam quærere in Cœlum perveniendi, niſi quam ipſe etiam ingreſſus eſt, & nobis ſpectandum non eſſe, conditionem membrorum æquiorem eſſe poſſe, quàm capitis; ſed præter has rationes, quæ nobis eſſe poſſent totidem veluti argumenta ad ciendum amorem paſſionum, & ad eas hilari, magnoque animo ſubeundas, credidi nos validius animatum iri, ſi conſideraverimus unde illæ proficiſcantur, & quantum nobis afferant utilitatis. Mens igitur eſt hodierna die vos perſuadendi de duabus inſignibus veritatibus, quibus docebimur quo ſenſu illæ ſint recipiendæ, & utilitates, quas inde percepturi ſumus.

Prima eſt tribulationes, undequaque proficiſcantur, ſemper a Deo proficiſci, ideoque ſubmiſſe ab illius manu eſſe excipiendas.

Secundò per eas nos ad Deum revocari, cum ab illo receſſimus per ſcelus, & nequitiam, unde ſequitur earum valorem, & pretium nulla re poſſe exæquari. Hæc tota erit ſermonis partitio, qui futurus eſt omnibus documento, & ſolatio; neque enim eſt aliquis ad quem pertinere non poſſit.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: TRIBULATIONES.

Mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit. Luc. 24.

III. Argum. De Perſeverantia a nobis adhibenda, ut ſimus fideles.

Hæc ſunt verba, quæ Diſcipuli duo errantes in Emmaus dixerunt Filio Dei, qui reſurrexerat, & qui ſe illis ſocium adjecerat ſub forma, & habitu viatoris; Sed hæc eſſe debet Oratio a Chriſtifidelibus facienda eidem Salvatori, qui reſurrexit per gratiam in cordibus eorum, *Mane nobiſcum Domine.* Neque enim ſatis eſt, ipſum ad nos uſque veniſſe per noſtram horum dierum communionem; retinendus eſt etiam, & cogendus, ut nobiſcum permaneat; neque ſatis eſt recepiſſe vitam hanc pretioſam, atque divinam, ſed etiam conſervanda eſt; & parum prodeſſet reſurrexiſſe ex hac funeſta peccati morte, in qua eramus ſepulti, ſi ſecundò moreremur & reverteremur in ſtatum eumdem, unde evaſimus. Et profectò nonne videtur vobis, hæc verba non poſſe melius verſari, quàm in ore plerorumque Fidelium temporis hujus: *quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies.* Quoniam magna illa dies, de qua heri loquebatur Eccleſia, jam adveſperaſcit; lumen gratiæ quod in illos effuderat, infirmum eſt, & fere extinctum, & peccati tenebræ diſſipatæ fulgore magnæ hujus diei, rurſum incumbere incipiunt. Nonne propterea Dei Filius occurrit duobus diſcipulis ſub imagine peregrini, ut intelligeremus illum ſæpe pertranſire tantùm, quin immoretur in cordibus noſtris? Vix acceſſit, cum præterit; vix una die tantum ſibi manet, & craſtina diſcedit, quapropter Sanctus Joannes Chryſoſtomus ait, adventum ejus inſtar potius viſitationis eſſe, quàm permanſionis.

Cum, lectiſſimi Auditores, non primordium, ſed perſeverantia mereatur gloriam, cujus Filius Dei in hoc Reſurrectionis ſuæ Myſterio jus nobis comparavit, & illius adventus in animas noſtras parum proſit, nos ibi permaneat; ſatis non ſit nobis illi aditum aperuiſſe, eumque recepiſſe; quoniam ejus permanſio nobis eſt omnino neceſſaria, orandus eſt, & obteſtandus cum Diſcipulis ſuis, ut ibi toto vitæ noſtræ ſpatio permaneat per gratiarum, favorumque ſuorum aſſiduitatem. De hac perſeverantia in gratia, & in bonis operibus hodierna die vos alloqui cupio, ut vos cogam perquam accurate ſervare bonum, quod accepiſtis.

Tanta eſt humani cordis inconſtantia, ut ægre in eodem ſitu permaneat, cum Dei proprium ſit immutabilem eſſe, & aliquo modo communicare perfectionem hanc illis,

illis, quos replet, & regit; ideoque ſi quod in Mundo eſt indicium, ex quo liceat conjicere, nos agi, & animari Spiritu Dei, hoc ſane eſt perſeverantia. Virtutes omnes ſine hac nutantes, inceræque ſunt; quamobrem Sanctus Proſper Chriſtianos inconſtantes *Juſtos temporarios, & titubantes* appellat.

Quod ſi Mundus quantumvis mobilis, & inconſtans æquo animo ferre non poteſt hujus caracteris homines; quomodo illos feret Deus, qui immutabilis eſt, eademque immutabilitas? Hac de cauſa Salvator illos in Evangelio faſtidioſe repellit, & teſtatur illos aptos non eſſe, qui ſibi ſerviant, & qui regnum Cœlorum poſſideant, Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.*

Hoc autem malum inhæret noſtræ conditioni, quæ nos cogit, ut per quam diligenter theſaurum adeo pretioſum tueamur; quod ut vobis ſuadeam, nequaquam vobis ob oculos poſiturus ſum quàm grave ſit malum in ſcelus relabi, quod alio in ſermone præſtituri ſumus; ſed vobis oſtenſurus neceſſitatem perſeverandi in felici ſtatu, in quo nos pœnitentia conſtituit, docendo

Primùm hujus perſeverantiæ neceſſitatem,

Secundò, & quænam ſint ejuſdem acquirendæ rationes.

Pars altera nos ſuadebit, ut nihil intauſum, intentatumque relinquamus, ut in Dei fidelitate perſeveremus; altera verò docebit, quomodo Deo fideles fieri valeamus. Hæ duæ erunt ſermonis hujus partes, quæ moralem hoc tempore perutilem, & maxime neceſſariam complectuntur.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: PERSEVERANTIA.

PRO FERIA TERTIA
POST DOMINICAM RESURRECTIONIS.

Venit JESUS, *& ſtetit in medio: & dixit eis, Pax vobis; & cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus.* Joan. 20.

I. Argum. De Vulneribus Domini N. J. C.

UT aſſequamur incomparabilem felicitatem, quam Salvator hominum hodierna die adfert Mundo nobis pacem largitus, id ſupponendum eſt, quod nemo in dubium vocat; Homines bellum gerere cum triplici genere hoſtium. Bellum inferunt Deo, illum criminibus ſuis laceſcendo; bellum ultro citroque inferunt ſibi moralibus inimicitiis, quas invicem gerunt; & demum ſibimet ipſis bellum inferunt per tumultum, & rebellionem ſuarum cupiditatum. Nihil requiritur præterea ad id probandum, quàm quod Sanctus Job ait: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, quibus adjicere poſſumus, bellum hoc nobis ſemper eſſe funeſtum; ſi enim cum Deo geritur, hoc eſt habere inimicum Auctorem omnium bonorum, ideoque in caput noſtrum malorum omnium cumulum provocamus; bellum criminoſum eſt, fovere irreconciliabilem inimicitiam cum proximo; & denique bellum inteſtinum, & infinite periculoſum eſt, quod nobis inceſſanter inferunt incompoſiti affectus. Indigebant igitur homines valido Mediatore, qui eorum cum Deo pacem procuraret; gravi ratione qua cogerentur invicem in gratiam reverti, magnoque ſubſidio, ut ſe ipſos defenderent adverſus cupiditates, quæ illis ſæviſſimum, & pertinaciſſimum bellum indicunt.

Hunc autem Mediatorem, eſſe dico Filium Dei, qui a mortuis reſurrexit, & qui nobis pacem hanc tribus modis procurat. Nos enim reconciliat cum Juſtitia Patris ſui, & adhibet tot ora diſertiſſima locuturus pro nobis, nobiſque pacem æternam impetraturus. Ad hæc colligit in iiſdem vulneribus ſuis ſpiritus acidos, & iracundos, quos adverſum ſe homines mutuo fovent, & demum ſarcit amicitiam, efficiendo, ut in his vulneribus inveniamus auxilium neceſſarium in periculis tentationum. Vel ſi mavultis, ut hoc ipſum magis intelligibile fiat, aſſignemus unicuique ex hiſce plagis in hac pacis meditatione officium ſuum; & conſideremus

Primò plagas manuum tamquam hujus pacis pignora, quandoquidem attollit eas propter amorem noſtrum perforatas, ut flectat, & mulceat iram Patris ſui.

Secundò plagas lateris tamquam vinculum, nodumque pacis cum proximo, quandoquidem teſtatur Apoſtolus Dei Filium nos in ſuo corde conjungere.

Tertiò tandem ad pedum plagas confugiamus tamquam ad aſylum pacis pro nobiſmet ipſis in omnibus incurſibus dæmonis, aliorumque ſalutis noſtræ inimicorum. Hæc eſt partitio ſermonis hujus, quæ profectò aliquid Myſticum continet; ſed ſpero non ideo minus ſolidam, & ad eruditionem, utilitatemque veſtram futuram, ubi velitis attentius me verba facientem audire.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: PAX, *nec non in Tomo II. Bibliotheca Myſt. Theol. Titulum:* VULNERA.

Stetit JESUS *in medio diſcipulorum, & dixit eis: pax vobis.* Luc. 24.

II. Argum. De Pace Cordis.

Satis cognoſci nequit, Auditores, Magnitudo boni, quod Deus hominibus procuravit, illis pacem annuntians; niſi primum conſtet quid ſit iſta pax, & in quo ſita ſit, & mihimet perſuadeo, ubi ſemel cognoverimus pretium, meritumque illius, neminem futurum, qui non omnes exerat conatus ſuos ad illam, & acquirendam, & conſervandam. Hæc igitur pax adeo pretioſa, quam univerſus terrarum orbis perquirit, & quam pauciſſimi inveniunt. Hæc pax, quæ uti Sanctus Paulus aſſerit, ſenſum omnem, & cogitationem excedit; & quæ ex Sancti Auguſtini ſententia, illud eſt ex omnibus Mundi bonis, quod impenſius optatur, & cujus dulcedo avidius guſtatur, non aliud eſt, quàm tranquillitas ordinis. *Pax eſt tranquillitas ordinis*, videlicet ſecundum Divi Thomæ explicationem ad illam acquirendam requiritur, ut omnes animæ noſtræ motus ſint in ſuavi, perfectaque requie, ita ut cor noſtrum nullo affectuum tumultu agitatum malacia, & tranquillitate perfruatur.

Hic, dicitur, effectus eſt ordinis, quia ubi omnia ſunt in naturali ſitu, debitoque loco, neceſſe eſt ibi pacem inveniri; ſicuti e contra tumultus, & agitatio ex inordinato rerum ſitu proficiſcuntur. Hinc plerumque pax triplici modo conſideratur ſecundum tres rationes, quas voluntas habere poteſt cum tribus diverſis objectis: nam cum perfecte ſubjacet voluntati Dei per diligentem, integramque Legum illius obſervantiam, pacem habet cum Deo; cum hæc voluntas conſentit cum proximi voluntate, pax cum illo ſervatur ſine ullo diſſidio, & diſcordia; & demum cum illa cum ſemet ipſa conſentit continens in ordine, & officio ſuas cupiditates per conſenſionem perfectam appetitus, & voluntatis, fruitur pace cordis, de qua potiſſimum loquor, veluti illa, quæ oritur ex aliis duabus, quas complectitur, & quæ in nobis conſtituit beatam hanc diſpoſitionem, quam Sancti appellant Spiritus ſeveritatem, tranquillitatem animæ, requiem cordis, verumque gaudium, ſine qua nulla eſſe poteſt in vita voluptas, & oblectatio.

Ut autem acquiratis, atque integram ſerveris hanc pacem, quam Dei Filius hodierna luce exhibet vobis, oſtendam

Primùm hoc pretioſiſſimum eſſe bonorum omnium, quæ in hac vita poſſidere valeamus.

Secundò Facillimam eſſe pretioſi hujus boni jacturam; Quorum alterum nobis oſtendet magnitudinem & utilitatem boni, quod poſſidemus pacem poſſidentes; Alterum verò docebit quanam cura bonum hoc ſervandum ſit. Hæc erit ſermonis partitio.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: PAX.

Stetit JESUS *in medio Diſcipulorum, & dixit eis: pax vobis, videte manus meas, & pedes.* Luc. 24.

III. Argum. De Recidiva in peccatum.

Quæſtio inter Theologos agitur, utrum virtus pœnitentiæ ſit pars juſtitiæ, per quam peccator admittitur reparare injuriam, quam per peccatum Deus paſſus eſt; an ſit tantum pax, & ſincera gratiæ reconciliatio, quæ ſit cum divina hac Majeſtate, quæ peccata noſtra dimittit, & quæ nos recipit in amicitiam. Utram in propoſita quæſtione partem aggredi, parum intereſt quoad meritum pœnitentiæ: quandoquidem alterum ex altero ſequitur neceſſariò; illud verò quod futurum eſt noſtri ſermonis argumentum, & de quo plurimum refert nobis eſſe perſuaſum, eſt perfractionem hujus pacis, quæ ſit nova patrando crimina poſt reconciliationem, & pœnitentiam ſancto hoc tempore peractam; perfractionem hanc inquam fidem adſtruere, priorem pacem non fuiſſe ſinceram, & juſtum præbere locum timori, ne pax, quæ ſubſecutura eſt, magis futura ſit ſolida, & conſtans. Hæ duæ veritates Sermonis hujus noſtri partitionem conſtituent, ut diligentiſſime caveamus, ne ſecundò bellum inferamus Deo, & per recidivam frangamus pacem, quam ille nobis per Sanguinem ſuum meritus eſt.

Prima eſt, ſuſpicione vacuam non eſſe reconciliationem, & capacem, quam cum ipſo per præteritam pœnitentiam compoſuimus.

Altera eſt, videri, peccatorem crebrò relabentem numquam ſincerius in gratiam reverſurum, & propterea futurum, ut ſecundum ſpecies omnes vivat, & moriatur inimicus Deo.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: RECIDIVA.

PRO

Digitized by Google

PRO DOMINICA
IN ALBIS.

Venit Jesus, & ſtetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Joan. 20.

I. Argum.

De fallaci pace quam hi per fallacem cōſcientiam.

SInite, Fideles, me tempore, quo Mundi Salvator venit veram daturus pacem juſtis, & hominibus bonæ voluntatis, quemadmodum illam ab ipſa Nativitate ſua prænuntiavit; ſinite inquam me hodierna die perturbare fallacem peccatorum pacem, illis ob oculos exhibendo pericula, quibus ſunt obnoxii per fallacem hanc pacem, per quam miſera perfruuntur requie in criminibus ſuis, ne ſe præbent indignos beneficio, quod Salvator reſurgens hodierna die omnibus offert hominibus.

Si enim in conſcientiæ tranquillitate pax iſta conſiſtit, & ſine hac tantùm abeſt quod ſolida voluptas guſtetur, ut imo ſexcentis ſollicitudinibus perturbemur, & agitemur curis, quibus Mundi gaudia excipi conſueverunt, non ne dicendum eſt pacem fallacem, quæ veram imitatur, in tranquillitate, qua anima fruitur aliquando, non niſi a fallaci conſcientia proficiſci poſſe, quæ eſt in illuſione, & quæ non cognoſcit calamitatem ſuam, vel potius, quæ eam cognoſcere non vult, ut commentitia perfruatur innocentia, & in pacifica poſſione miſeræ quietis permaneat? Quamobrem quidam Sanctus Pater dixit, quamvis pax conſcientiæ ſit portio legitima bonorum, hanc nihilominus ab impiis uſurpari: quippe ad pacem hanc pervenitur, aut per diuturnam virtutis exercitationem, aut per ſcelera crebro repetita; & ut omnia verbo complectar, hæc ſecuritas, & requies effectus eſt magnæ vel Sanctitatis, vel nequitiæ: *Securitatem non facit niſi aut magna perverſio, aut magna perfectio; non enim valent ſecuritatem conſcientiæ habere, niſi aut valde boni, aut valde mali.*

Richard. a S. Vict.

Quapropter ad deturbandos hodie peccatores de poſſeſſione boni, quod ad illos non pertinet, illis oſtendam,

Primò, cum vera pax, quæ oritur ex conſcientia bona, ſit merces qua Deus in hac vita ipſa largitur bonis hominibus tamquam pignus futuræ felicitatis in altera; E contra fallacem hanc pacem terribilem eſſe effectum divinæ iracundiæ, præſagium æternæ infelicitatis impiorum, & periculoſiſſimum ſtatum, ad quem illi in hac vita redigi valeant.

Secundò facile, & uſitatum eſſe ſibi fallacem conſcientiam concinnare, ut fallaci pace fruantur; quæ hujus ſermonis erit diviſio.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Conscientiæ, *ubi etiam de mala verba ſiunt.*

Venit Jesus, & ſtetit in medio, & dixit eis, pax vobis. Joan. 20.

II. Argum.

De pace, quam nobis dat J. C. præſtãtia, præ illa, quam mundus peccatoribus pollicetur.

Non immerito, Lectiſſimi Auditores, Dei Filius Apoſtolis ſuis pollicitus, & largitus pacem cum adhuc inter eos verſaretur, adjecit, pacem, quam illis relinquebat aliam eſſe prorſus ab ea, quam Mundus dare conſueverat: *Non quomodo Mundus dat, ego do vobis.* Ecce autem diſcrimen illud, quod nos deprehendere poſſumus in pace, quam Mundus, & quam nobis Jesus Christus impertit.

Primùm Pax Mundi in ſpeciem datur duntaxat, fallax eſt, & ſæpe tegitur quodam ſæviſſimarum agitationum velamento, & demum exterior tantùm eſt, & ad cor uſque non penetrat. Hinc gaudium, quod parit, hæret in ſuperficie; ſed pax, quam Salvator dat, ſolida eſt, penetrat in animæ penetralia, & in omnibus facultatibus ejus tranquillitatem conſtituit.

Secundò, Pax, quam Mundus dat perfunctoria eſt, & brevi duratura. Quidquid vel minimum accidit contra ſpem: minimum quodlibet infortunium hanc pacem perturbat: pax verò, quam nobis Jesus Christus largitur non niſi volentibus eripi poteſt; non caſu aliquo, non ærumna, non creaturum rerum nequitia; quandoquidem Mundo minime obnoxia eſt.

Tertiò, Pax quam tribuit Dei Filius cum ſit effectus gratiæ, fructus virtutis, & innocentiæ, imago eſt, ſpecimen, & quædam prægustatio vitæ alterius, dum e contra illa, quam Mundus impertit cum a ſcelere, & cordis nequitia proficiſcatur, pro fine non niſi æternum habet ſupplicium.

Vide Titulum eundem Pax.

Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti; beati qui non viderunt, & crediderunt. Joan. 20.

III. Argum.

De infide-

Ex illa exprobratione, qua Mundi Salvator Divum Thomam coram aliis Apoſtolis redarguit, & cui ſuas plagas oſtendit, duo haurimus. Primum eſt cæcitas eorum, qui nolunt credere, niſi quod vident, & qui non niſi apertiſſimis Veritatibus fidem habere volunt; Alterum eſt eorum felicitas, qui credunt, quin viderint prodigia, & qui ſuas ſubjiciunt mentes verbo Dei, ſibi ſufficienter revelato.

litate S. Thomæ, & ſimiliumque, qui nolunt credere niſi quod vident.

Primùm, quod pertinet ad primorum cæcitatem, graviſſima eſt audacia, & impudentia quærere a Deo probationes veritatum, quas revelavit, ſive per recentia miracula, ſicut fecit Sanctus Thomas, *niſi videro non credam*, ſive per alias rationes, quas nequeunt in dubitationem vocare. Fidem evertere, eſt, exigere ſenſuum noſtrorum perſuaſionem. Omnes enim hoc ſibi jus depoſcerent, & ſimilia peterent miracula in confirmationem earum rerum, quas credere jubentur; & quod pro miraculo habetur, non eſſet amplius tale, ex quo fieret uſitatum, & ſi faciendum eſſet ſatis curioſitati ſingulorum, jam actum eſſet.

Secundò terribilis eſt pertinacia velle ſemper in errore, & criminoſa dubitatione permanere. Probationes Dominicæ Reſurrectionis tunc publicæ erant, manifeſtæ, certiſſimæque. Hodierna verò dies tales amplius non erunt, quia non deſunt nonnulli improbi, & irreligioſi, qui illas impugnant? Quid credi poſſet in vita, ſi ambigitur de iis, quæ tot teſtes, adeo illuminati, adeo Sancti, atque irreprehenſibiles, quorum non intererat nobis os ſublinire, & quorum vel maxime intererat, non pati ſibi fucum fieri; de iis inquam, quæ illi tanta cum firmitate crediderunt, atque tanta cum animi conſtantia ſuſtinuerunt? Quid ergo, numquid dicetur duodenarium mortalium numerum acceſſiſſe ad evertenda omnia ſapientiæ Mundi fundamenta, & effeciſſe, ut Religionem Mundus mutaret? Hoc fecerunt tamen; at dubio procul, non ſine maxima difficultate. Etenim putatiſne tot viros tanto lumine, tantaque ſcientia præditos citra pugnam victas manus dediſſe? Non ita profectò. Pugnarunt, repugnarunt, acriter reſtiterunt, inanium viſorum fictores inſanoſque vocarunt eos, a quibus veritates hujuſmodi nunciabantur, ad rationem, rectumque ſenſum ſummorum virorum antiquitatis provocarunt; ſed poſt hæc manus victas dederunt, & vi veritatis cedere debuerunt.

Tertiò ſuperbia eſt non ferenda præferre judicium ſuum judicio Sanctorum Patrum, Doctorum, & eorum qui in terris ſummam ingenii laudem adepti ſunt: ita dubitare de fide, vitiligare, jurgari, non eſt amplius fortitudo, pertinacia eſt ſpiritus deerrantis, quæ meretur, ut Deus illam derelinquat tenebris ſuæ cæcitatis.

Alterum illud, quod docemur eſt, eorum beatitudo, qui credunt abſque eo quod viderint prodigia; ſed credunt verbo Dei per oraculum Scripturarum expreſſo, vel per Eccleſiæ auctoritatem revelato, citra oculorum, ſenſuumque ſuorum teſtimonium: *beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Primum hæc felicitas in eo ſita eſt, quod fides eorum eſt acceptior Deo, & quia integrius, perfectiuſque illi offerunt ſacrificium. Secundo, quia magis merentur pro vi, quam ſibi inferunt ſeſe ſubjicientes.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel, Titulum: Fides.

PRO SECUNDA DOMINICA
POST PASCHA.

Ego ſum Paſtor bonus, cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Joan. 10.

I. Argum.

De Prædeſtinationis Myſterio.

DEi Filius, Auditores, qui boni Paſtoris nomen ſibi vendicavit, ad innuendam curam, quam de omnibus hominibus ſuſcipere dignatus eſt, & infinitam charitatem, quam habet erga illos, in hodierno Evangelio reſpicit Electos ſuos, tamquam oves gregem ſuum componentes. Sicuti hinc quidem ad unguem perfunctus eſt omnibus tituli hujus muneribus, quandoquidem ipſe teſtatur, ſe cognoſcere oves ſuas, illas alere, & ſe ad illas tuendas vitam ipſam periculo objicere; ita inde nos docet, quantam eſſe debeat eorum fidelitas, qui ſunt oves ſuæ; ut videlicet audiant voces ejus, fideliter obediant, & illum quocunque ſequantur, quin a via illis commeata ne tranſverſum quidem unguem aberrent. *Ego ſum Paſtor Bonus, cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Ita noſtrum Evangelium hodierna die nobis evolvit magnum humanæ prædeſtinationis Myſterium, fuſius explicans rationem, quam & ipſe Paſtor ſequitur, & nos quoque ſequi debemus, ut conſiliis obſequamur ſuis, & ſalvemur.

Hoc præſuppoſito dico miram eſſe humani ſpiritus moroſitatem, ubi agitur de prædeſtinatione; quoniam undique timet, ubi nihil timendum eſt, & ubi etiam ſperandi nobis ſuppetit cauſa; & e contra ſe in tuto eſſe putat,

Digitized by Google

tur, ubi eſt trepidandum, vel ſaltem ubi nobis diligentiſſimè præcavendum eſt.

Primùm nihil metuendum eſt a Deo, qui nihil prætermiſit eorum quæ ad ſalutem noſtram erant neceſſaria.

Secundò videbimus omnia a nobiſmet ipſis eſſe timenda; quod nos vigilare cogit, & iis uti mediis, quæ nobis tribuit, ut re ipſa ſalvemur.

Ita, Auditores, ut ſalutaris fiat metus, quem nobis injicit cogitatio Myſterii adeo formidabilis, oportet mutare ſolum cauſam, & objectum. Quin nos terreant Judicia Dei, quæ intelligere non valemus, illius curæ noſmet tradamus, & in bonitate illius confidamus, & depoſita temeraria præſumptione, quæ efficit, ut ſecuri vivamus tut inter laqueos, & ſalutis noſtræ inimicos; noſmet ipſos vereamur. Hoc erit bujus ſermonis argumentum, & partitio.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: PRÆDESTINATIO.

Ego ſum Paſtor bonus, cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Joan. 10.

II. ARGUM. De cura, & zelo ſalutis proximi. Non eſt, cur miremur, Fideles JESUM CHRISTUM in Evangelio Paſtoris nomen aſſumere; quandoquidem hoc nomen optime exprimit officium quod exercuit in terra, & infinitam charitatem, quam pro hominibus habet in Cœlo. Hic eſt Paſtor bonus, qui cognoſcit oves ſuas, & eas ſua regit Providentia; ita ut ne unus quidem ex prædeſtinatis ab illo rapiatur illi. *Et nemo rapit oves de manu mea.* Ipſe eas paſcit non ſolum pane, Angelorum manu ſubacto, ſed Angelorum ipſorum eſca, ſuo videlicet Corpore, & Sanguine: & denique illas adeo vigili cura tuetur, ut jure dici poſſit, in hoc uno Paſtoris nomine alios omnes contineri titulos, qui ardentem illius erga homines charitatem oſtendunt.

Sed credite, Auditores, nullum eſſe nomen, quod Deus libentius hominibus communicaverit, & cujus plures participes ſint, quàm nomen iſtud Paſtoris. Hunc in lege veteri impertiit Regibus, & Principibus, imprimens illis caracterem auctoritatis in populos, quos ovium inſtar deducere debent, ac tueri. Salvator illud Apoſtolis ſuis, eorumque Succeſſoribus communicavit, qui invigilare tenentur ſaluti animarum ſibi creditarum, & quorum rationem coram Deo ſunt reddituri. Nonnulli Sancti Patres hoc etiam intelligunt de Patribus familias, qui habendi ſunt tamquam Paſtores in domo ſua; & alii denique hoc nomen tribuunt omnibus fidelibus, qui ſinguli aliorum ſaluti mutuo conferre aliquid debent, per zelum ſalutis eorum juxta illud Spiritus ſancti effatum:

Eccleſ. 17. *Mandavit unicuique de proximo ſuo.*

In hoc immorari hodierna die fert animus, ut vobis ſuadeam, nullum non movendum eſſe lapidem, ut prohibeamus fratrum noſtrorum perniciem, & curas omnes impendamus, ut eos ab omnibus vitiis avertamus; verbo dicam, ut noſmet excitemus ad efficiendum, ut conſiliis, hortationibus, correctionibus, & potiſſimum verò, exemplis acti cogitent de ſalute ſua.

Poſita igitur hac obligatione omnibus quidem generatim communi, ſinguli autem in particulari ſecundum cujuſcumque ſtatum, conditionem, & vires, habita ratione talentorum, quibus quiſque a Deo donatus eſt; fert animus, ut vos impellam ad perſungendum hoc munere ubi veſtra ſalus agitur, non ſecus ac proximi veſtri, vobis exhibere.

Primùm rationes, quæ mihi validiores videntur ad inflammandum hunc zelum fere prorſus extinctum in pleriſque Fidelium.

Secundò verba facere de qualitatibus, & conditionibus, quas zelus iſte habere debet, ut ſatisfiat huic officio quod æquiſſimum eſt, & maxime neceſſarium. Quæ erit ſermonis partitio.

Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Joan. 10.

III. ARGUM. De officiis Præſulum, ſpiritualiumque Paſtorum Eccleſiæ. Non ſufficit JESU CHRISTO aſſumere ſibi hoc amabile Paſtoris nomen, verum proponit etiam nobis ideam boni Paſtoris, & oſtendit ſe illam ad unguem expleviſſe, & jure optimo dixiſſe: *Ego ſum Paſtor bonus.* Paſtor ille eſt, qui ponit animam ſuam pro ovibus ſuis, qui vigilat, ut eas tueatur, qui oves ſuas cognoſcit, qui ambulat ante illas ad oſtendendam viam, qui ubi deerraverint, in ovile reducit; verbo, qui numquam illas derelinquit. At egregie hoc JESUS CHRISTUS peregit: hoc ille teſtatur: Ego cognoſco oves meas; illas tueor, *& animam meam pono pro ovibus meis.*

Satis intelligitis, Auditores, imaginem hanc, quam JESUS CHRISTUS nobis in Evangelio proponit, præſertim convenire Præſulibus, & iis, quibus contulit Deus in Eccleſia ſua ſpiritualem poteſtatem. JESUS CHRISTUS eſt Paſtor bonus. Nam aliis utar rationibus, ut probem hunc titulum ipſi deberi, niſi iis, quas ille in noſtro protulit Evangelio.

Primùm eſt Paſtor bonus, quia eò uſque ſuas oves amat, ut ponat pro illis animam ſuam.

Secundò, invigilat earum ſecuritati, & numquam eas derelinquit.

Tertiò quærit oves, quæ deerraverunt, & nihil intentatum relinquit modò illas cogat in paſcua.

Paſtores JESU CHRISTI locum tenentes, ejus exemplum ſecuti diligere debent gregem ſuum, quantum ipſe dilexit, omnia, quæcumque poſſunt, illi procurare bona, & viam ſternere in Cœlum tum bonis exemplis, tum doctrinis, & ſalutaribus monitis. Debent, ut ille, ovium ſuarum invigilare ſecuritati; earum vitæ rationem regere, moreſque componere. Cavere debent, ne quando a recto tramite aberrent, & ſe trahi perniciofis Mundi placitis, patiantur. Verbo, numquam ab illis oculos amovere, eaſque debet tueri, ſi quid moleſti illis accidat. Etenim, ut Sanctus Petrus inquit: *Adverſarius noſter diabolus circuit quærens quem devoret:* Dæmon infeſtiſſimus hoſtis circuit, & quærit inceſſanter aliquem veſtrum, quem rapiat, mactet, & occidat. 1. Petr. 5. Paſtores denique omnes curas ſuas, ac ſollicitudines debent impendere, ut quærant oves, quæ deerraverunt, & ambulant in tenebris peccati. Ante illas currere debent, ubi aufugiunt; & nihil inauſum, intentatumque relinquere, ut eas in Domini ſepta reducat; videlicet efficere, ut pietatem amplectantur, & rebus in omnibus earum ſanctificationi conſulere. Hæ tres ſunt circumſtantiæ, quæ paucis ſermonis hujus partitionem indigitant.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: ZELUS, *& in To. II. Titulum:* ECCLESIASTICUS.

PRO TERTIA DOMINICA

POST PASCHA.

Amen, Amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos; mundus autem gaudebit. Joan. 16.

DISSIMILIS iſta diviſio, quam facit Dei Filius in Evangelio, bonorum, malorumque hujus vitæ, nonne videtur abnormis, Auditores lectiſſimi? Hæc ex quorumdam Patrum ſententia ſpecies eſt Teſtamenti, quod facere placuit Salvatori antequam ex hac excederet vita; ſed ſæculi prudentia, quæ cenſoriam notam affigit mandatis æternæ Sapientiæ illis adverſatur. Numquid, ait, in hoc diviſione rite Juſtitiæ leges ſervantur? Juſtis ærumnas, & lacrymas legare, impiis verò gaudia, & conſolationem? Proſperitatem filiis tenebrarum, & Filiis lucis adverſitates & infortunia; mundanis requiem, tranquillitatem, ſuorumque votorum cumulum, Sanctis verò labores, & perſecutiones? I. ARGUM. De proſperitate impiorum.

Cæca Mundi Sapientia damnat partitionem ideo inæqualem, quæ ſibi videtur injuſta. Viri boni nonnumquam conqueruntur cum Rege Propheta: *mei autem pene moti ſunt pedes pacem peccatorum videns;* Imbecilles, parumque ſtabiles in virtute ſcandalizantur, & muſſitant; impii verò ſua ſorte contenti lætantur eo ſtatu, quem ſibi delegerunt, præferentes Mundo potius ſervire, quàm Deo, qui non niſi Cruces, & tribulationes ſuis polliceri videtur. Cæca ſæculi prudentia, quam parum Dei vias noſti? Quam parvo in diſcrimine vera, falſaque bona! & ignoras, quid melius ad veram deducat felicitatem!

Nolo, Auditores, divinæ Providentiæ conſilia ſcrutari in diſſimili hac agendi ratione, qua utitur illa erga fideles famulos, & infeſtiſſimos hoſtes: ſolum ubi alio in ſermone juſtis oſtenderim partem ipſorum eſſe præſtantiorem, ac ſignum paternæ curæ, hodierna die duplicem errorem auferre conabor eorum, quibus favet fortuna, & qui conſtanti proſperitate perfruuntur, quin aliqua interpelletur adverſitate.

Primus eſt, quod ſe beatos putant, quorum etiam beatitudini invidetur, cum interim nemo ſit magis deplorandus, neque in apertiori æternæ ſuæ calamitatis periculo verſetur.

Alter eſt, quod bona quibus fruuntur, habentur tamquam Dei benedictiones ſuper illos, & tamquam pignora peculiaris benevolentiæ, cum e contra nullum ſit apertius indicium divinæ iracundiæ; ideoque nullus reprobationis caracter melius connotatus, quàm proſperitas impiorum. Duæ veritates oppoſitæ duobus erroribus, quos impugnandos aggredior ſolidiſſimis rationibus, & conſtantiſſimis Chriſtianiſmi ſententiis, quas in duabus Sermonis hujus partibus oſtenſurus ſum.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: PROSPERITAS JUSTORUM, ET IMPIORUM.

Gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis. Joan. 10.

II. ARGUM. Diſcrimen inter Dei, & Mundi gaudium. JESUS CHRISTUS in Evangelio de duplici Gaudiorum genere procul diſſimilium verba facit, de gaudio Mundi, videlicet gaudio inani, profano, criminoſo, quæ pars eſt reproborum; *Mundus autem gaudebit*; & Dei gaudio, quod purum eſt, ſanctum, & pars electorum; *gaudebit cor veſtrum*.

Principium lætitiæ peccatorum vanitas eſt, vel iniquitas: vanitas, quia hæc lætitia non eſt ſolida, & Salomone teſte, qui illam fuerat expertus, fallax eſt lætitia, & inſania mera. *Riſum reputavi errorem; & dixi gaudio, quid fruſtra deciperis?* Iniquitas etiam ſæpe fons eſt gaudii impiorum; nam ſicut Spiritus ſanctus ait, *lætantur impii cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis*.

Eccleſ. 2. Prov. 2.

Fons gaudii Juſtorum eſt Spiritus ſanctus, qui a Sancto Paulo vocatur *Deus totius conſolationis*; & unus ex præcipuis fructibus ejus eſt vera lætitia. *Fructus Spiritus eſt charitas, & gaudium*.

2. Cor. Galat. 5.

Gaudium peccatorum breve eſt, quia totum continetur in puncto, in momento; *gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*. Gaudium verò Juſtorum permanens, atque æternum; ſi enim velimus, illud nemo nobis eripere poteſt. *Gaudium veſtrum nemo tollet a vobis*.

Job 20. Joan. 16.

Ad lenienda ea verba, quæ dicit in Evangello JESUS CHRISTUS bonorum, pravorumque portionem inſtituens, *plorabitis, & flebitis vos, Mundus autem gaudebit*, oſtendere volo

Primùm inter has lacrymas, exterioreſque cruces, bonos ſolidas invenire voluptates; & neminem beatiorem eſſe ſervientibus Deo.

Secundò cum Deus nos evocat ad ſerviendum ſibi, nos appellare ad animæ oblectamentum, & pacem cordis; *gaudebit cor veſtrum*. Ut duplicem hanc veritatem conſolatione plenam feramus in lucem, inde totam ſermonis partitionem efficiemus.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: SERVITUS DEI.

Modicum, & videbitis me &c. Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini. Joan. 10.

III. ARGUM. De Tribulationibus. Duo iſti loci ex eodem Evangelio deſumpti nullum inter ſe nexum, vel rationem habere videntur; cum Salvator per illos nuntiare voluerit Apoſtolis ſuis duo ſimul prorſus diverſa. Eorum autem, quæ fieri poteſt conciliatio, nobis præbere poteſt juſti ſermonis diviſionem, oſtendendo quidquid in hac vita vel patimur, vel pati poſſumus, modicum eſſe habita ratione

Primùm eorum malorum, quæ pati mereremur ad expianda peccata a nobis patrata. Infernum, æternamque pœnam meriti ſumus, quam Deus nobis noſtra condonans crimina ſolum in temporeum convertit. Hanc ille gratiam largitus eſt, & nobiſcum hac uti dignatus eſt miſericordia. Facile eſt autem oſtendere, quidquid in hac vita pati poſſumus ſatisfacturi juſtitiæ Dei adeo crudeliter læſi, ſemper eſſe modicum, ubi cum meritis noſtris comparetur: *Modicum*.

Secundò, Modicum quoque eſt ratione eorum, quæ pro nobis paſſus eſt Deus, & quæ optare debemus pati, ut efficiamur ſimiles illi; unde oritur, Fideli ſemper ferendam eſſe crucem ſuam, neque ab ea perferenda niſi cum vita ceſſandum. Sancti Patres ſexcenta dixerunt in hoc argumento præſtantiſſima, & late aperitur campus differendi de ſimilitudine, quam in hac re Fidelis habere debet cum Deo.

Tertiò, Modicum tandem eſt ratione gloriæ, quam præſtolamur, & quam paſſionibus noſtris poſſumus promereri. *Momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Hic fundus eſt, & fons meritorum pro nobis; & deinde gloriæ cauſa. Quomodo vero poſſumus non proficere ex tot occaſionibus, quæ nobis objiciuntur Cœlum promerendi?

2. ad Cor.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: TRIBULATIONES.

Modicum, & videbitis &c. Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini. Joan. 10.

IV. ARGUM. Tribulationes ſunt certa prædeſtinationis indicia. Tribulationes ſunt certiſſimum, quod haberi poſſit in hac vita prædeſtinationis indicium. Namque ut Sanctus Paulus ait: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui. Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*.

Primum quod operatur Deus cum illis, quos prædeſtinavit, eſt illos vocare, ut ſibi deſerviant; & hoc obtinet per tribulationes, quibus ab erroribus noſtris avocamur, & quæ nos Dei ſervituti ſubjiciunt.

Alterum eſt nos juſtificare, & ſanctificare, quod præſtat modo prorſus peculiari per tribulationes, quæ nos emundant, & conſtruunt ad perfectionem noſtram.

Tertiò denique illis gloriam largitur, quæ eò major erit, quò majora propter Deum in vita hac perpeſſi fuerimus.

Vide Titulum, quem ſuperius memoravimus.

PRO DOMINICA QUARTA

POST PASCHA.

Cum venerit Paracletus, arguet Mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio. Joan. 16.

I. ARGUM. De peccato omiſſionis. QUODNAM, amabo vos, Auditores, eſt peccatum illud de quo Spiritus ſanctus accuſaturus eſt Mundum, & propter quod mundus ſeveriori indagine judicandus eſt, & ſine ulla remiſſione damnandus? Equidem fateor paucos eſſe Scripturæ locos, quos explicaturi Patres abeunt in diverſa, & in quibus difficilius conſentiant. Eadem verba, quæ adjicit Filius Dei, cum ſint Myſteriis referta, quin faciliorem præbeant explicationem, veritatem celare videntur, & nobis recens negotium faceſſere. Tamen maximi eſt momenti id cognoſcere. *Arguet Mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio*. Quid enim hæc ſibi vult juſtitia, cui omnia exprobrabit? Et quid ſignificat hoc judicium, quod hunc Mundum ipſum ita noxium conſtituit, ut accuſari mereatur? Quodnam igitur hoc judicium eſt, ad quod reformandum Spiritus ſanctus adveniet? Omnes equidem explicationes, quæ horum verborum a Doctoribus fiunt, probo; omneſque morales veritates, quas inde Concionatores haurire conſueverunt; ſed per vos mihi liceat recentem adjicere explicationem, quæ non minus utilis eſt futura, & quæ locum mihi tribuit differendi de argumento, de quo fortaſſe neminem loquentem audiiſtis, cum nihilominus ſit in paucis neceſſarium. Æquo animo ſinite, me tot interpretationibus hujus loci recentem adjicere, & quin Evangelii ſenſum detorqueam, vos moneam, ut evitetis damnationem peccati, cujus longe plures rei ſunt, quamvis pauci animum advertant, & quod proinde cauſa eſt damnationis plurimorum, & eorum etiam, qui ſe ab omni culpa abeſſe arbitrantur.

Joan. 16.

Vos quidem non diſſentietis a me, ubi dixero vobis, me loqui velle de peccato omiſſionis. Opus eſt, ut Spiritus ſanctus de hoc nos arguat; etenim ſine luminibus ejus cognoſcere non valemus eos defectus, quos in officiis noſtris maximi momenti committimus. *Arguet Mundum de peccato*. Opus eſt, ut ille nos doceat deficere juſtitiam illam, quæ omnia munera ſua minime adimplet, *Arguet Mundum de juſtitia*. Denique opus eſt, ut corrigat judicium noſtrum de rebus illis, quas ſæpe leves eſſe putamus; ſed quæ infinite nos coram Deo nocentes conſtituunt.

De hujuſmodi peccatis omiſſionis verba facere fert animus; quamobrem totum Sermonem hunc ad duplicem redigo veritatem, quæ illius partitionem conſtituet.

Prima Veritas eſt, peccata omiſſionis eſſe illa, in quæ plerique labuntur, & proinde illa, quæ ſunt cauſa interitus, & damnationis plurimarum animarum; eo quod facilius patrantur, minus caute, & multifariam; quod erit punctum primum.

Varitas altera; Peccatum hoc, quod adeo facile committitur, tamen difficillime corrigi, & quamvis leviſſimum exiſtimetur, illud eſſe tamen, quod infrequentius a Deo condonatur, & quod ſeveriori trutina ad examen vocabitur. Hoc peculiarem flagitat attentionem.

In Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. vide Titulum: PECCATUM MORTALE.

Cum venerit Paracletus, arguet Mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. Joan. 16.

II. ARGUM. De Modica Fide quæ eſt in Mundo. Verum eſt, Fideles non deeſſe peccata quædam, quæ ſunt adverſus Spiritum ſanctum, & quæ neque in vita hac, neque in altera dimittuntur, cujuſmodi eſt ſalutis noſtræ deſperatio, & voluntaria in morte impœnitentia; ſed non hæc ſola ſunt, de quibus ille Mundum redarguit: quoniam pauci ſunt, qui ad hunc impietatis exceſſum perveniant; neque redarguet ſingulorum fallacem juſtitiam, hoc eſt hypocriſim, & inanem probitatis ſpeciem, quæ fucum fecerit oculis aliorum; neque judicia, vel injuſta de aliis facta, vel minus æqua per ſecretam ſuperbiam facta de ſe. Quodnam ergo eſt hoc ita latentis peccati genus? Hoc ægre conjectando aſſequeremur, niſi Deus ipſe illud nobis aperuiſſet: *De peccato quidem, quia*

Digitized by Google

quia non credidiſtis in me. Modica eſt fides, quam homines præ ſe tulerunt veritatibus, quas illis nuntiavit; ideoque Magnus inquit Apoſtolus inter Fideles non deeſſe quoſdam, qui ore quidem fatentur eſſe Deum, & Jeſum Christum Filium ejus, ſed factis hoc negant. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Et ſane ſi hæc Religio non eſt minus Sancta, quàm vera, dubitari non poteſt, quo minus ii, qui non ſequuntur leges, & regulas, quas nobis præſcribit, ſe profiteantur æque inimicos illius ac illi, qui eaſdem verbis impugnant.

Tit. 1.

Nonne mirum videtur, Auditores, in Chriſtiana Religione, quæ adeo late patet fortaſſe numquam minus extitiſſe fidei, quàm hoc tempore, & fidem numquam fortaſſe magis oppugnatam fuiſſe?

Ad hanc probandam veritatem, quæ paradoxum videtur, aliam, quæ certiſſima eſt, ſupponendam credo; quandoquidem ipſe Spiritus ſanctus eam docet; videlicet per bonam vitam, & opera ſancta, non autem ſimpliciter per eam profeſſionem, quæ fit extrinſecus, judicium eſſe ferendum de vera fide, quemadmodum de cauſa ex ejus effectibus fertur judicium. *Oſtendam tibi ex operibus fidem.* Hinc fit, Auditores ut ſi hinc quidem hanc inſpicimus regulam, inde verò ad examen vocemus vitam, & actiones plerorumque Chriſtifidelium, metuere non debeam quominus aſſeram, infeſtiſſimos fidei inimicos eſſe ipſos Chriſtifideles, & fidem ab illis graviſſimum bellum ſuſtinere.

Jacobi 2.

Tres afferam rationes, ex quibus fiet tota Sermonis hujus partitio.

Prima eſt, malos Chriſtianos actionibus ſuis oſtendere non plus fidei eſſe ſibi, quam Ethnicis, qui pertinaciter nihil credere volunt, licet tot illis afferantur certiſſima argumenta, quæ veritatem noſtræ Religionis evincunt.

Altera eſt, illos fidei ſuæ abrenuntiare, poſtquam profeſſi ſunt illam, veluti Hæretici, & ii, qui propter metum ſuppliciorum, vel per effuſionis licentiæ ſpirituum, amiſere Apoſtatæ facti ſunt.

Tertia denique, illos per nequitiam morum ſuorum perſequi fidem ſuam crudelius, quàm olim fecerint Tyranni, qui illius quærebant excidium. Verbo, dico, malum Chriſtianum præ ſe ferre, nullam ſibi fidem eſſe, ſe illi nuntium mittere, poſtquam ſuſcepit; ſe illam perſequi, & quantum in ipſo eſt, in ſe, & in aliis evertere. Quod vobis probaturus ſum in tribus partibus hujus ſermonis.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: Fides, *ubi quoſdam invenies locos huic argumento inſervientes.*

Cum venerit Paraclitus arguet Mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio. Joann. 16.

III. Argum.

Quantum officiat ſanctitati adhærere Mundo.

Si Spiritus ſanctus ſuavitas eſt, & conſolatio, ex quo Conſolatoris nomen illi factum eſt, cur nam, Fideles, in terras venturus eſt cum minis, & probris contra Mundum, qui cauſa eſt omnium peccatorum, & qui eſt quoddam veluti compoſitum iniquitatum per tres concupiſcentias, quæ ſunt veluti elementa Mundi hujus perverſi, ac reprobati? *Quidquid eſt in Mundo, eſt concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitæ.* Mirum eſſe non debet, Filium Dei palam aſſeruiſſe, ſe non eſſe de hoc Mundo, & ſe a Mundo ſemper habitum fuiſſe tamquam inimicum, ex quo ipſe nobis cauſam aperuit, propter quam ipſum oderat Mundus; quia ſcilicet ſuum prædicans Evangelium palam fecit, omnia Mundi opera mala eſſe, & plena nequitiæ, injuſtitiæ, & impietatis: non miror ſi in hodierno Evangelio Jesus Christus, non poſtremum Spiritus ſancti officium, cum ipſe illum miſerit in terram, cumque affluenter Apoſtolis ſuis communicaverit, futurum, arguere Mundum de peccato. *Cum venerit Paraclitus, arguet Mundum de peccato.*

Illud autem miror, Fideles, poſtquam receperunt lumina Sancti Spiritus, poſtquam audiverunt probra, & invectivas illius contra Mundum, poſtquam didicerunt ab Apoſtolis, & præcipue a Sancto Jacobo, quod quicumque eſſe voluerit amicus hujus Mundi, inimicus Dei conſtituitur; poſt hæc inquam, Fideles, miror ſibi perſuadere, ſe poſſe ſimul ſervire Deo, & Mundo; ſemperque huic adhærere, quod Spiritus ſanctus arguit, & damnat triplici ex cauſa, quæ ſermonis hujus partitionem conſtituent.

Primùm Mundus videri non poteſt, quin illius amore capiamur; nos ſeducit, nos allicit, nos attrahit, & tandem ſibi ita cor noſtrum devincit, ut vix ab illius illiciis noſmet tueri valeamus, & re ipſa citra peculiarem Dei gratiam lenociniis ejus reſiſtere non poſſimus.

Secundò, illius amore capi non poſſumus, quin illum ſequamur, videlicet quin noſmet moribus ejus aptemus; quin illi diſplicere, & in illius offenſionem incurrere vereamur; & ideo, quin Mundani efficiamur.

Tertiò, illum ſequi non poſſumus, quin ruamus in interitum: hæc enim via lata eſt, quæ ducit ad Mortem.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: Mundus.

PRO QUINTA DOMINICA

POST PASCHA.

Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo. Petite, & accipietis. Joan. 16.

I. Argum.

De Oratione facta in nomine J. C.

Hæc amabilis eſt exprobratio, qua Dei Filius in hodierno Evangelio redarguit Apoſtolos, qui nondum quidquam in nomine ejus petierant; quandoquidem hoc proficiſci nequit niſi ab exceſſu benevolentiæ, vel ſinceri deſiderii illos efficiendi beatos ſuggerendo medium, quo id aſſequi poſſunt, videlicet orationem in illius nomine faciendam: *Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo.* Hoc tamen, Auditores, erat ſatis palam modicam illorum increpare fidem; ſi enim vere illius cognoviſſent virtutem, profecto uſi fuiſſent facultate, quam apud illum obtinebant, id quod optandum ipſis erat, conſecuturi. Hoc erat illis dicere ſe parum in ipſum confidiſſe; quandoquidem veriti fuerant, ne preces ipſorum benigne exciperentur, poſtquam illos ſibi Apoſtolos delegerat, ac toties ſui amoris ſpecimina illis præbuerat. Hoc denique erat eorum inſcitiam reprehendere; quandoquidem uti neſciebant oblata occaſione proficiendi, cum ille, cujus opera uti poterant, eſſet omnipotens.

Eſto quidem, hi fuerint ſenſus Apoſtolorum, ſed non abhorret a fide, illos, cum nondum illuſtrati fuiſſent luminibus Spiritus ſancti, quod deinceps accidit illis, ignoraſſe quid ſibi petendum eſſet, nec quomodo petendum; ut eo modo peterent, quo repulſam non eſſent laturi. Hæc enim duo illa ſunt, de quibus Salvator illos erudiendi curam aggreſſus eſt, & in illorum perſona fideles omnes, & quid illis a Deo petendum eſſet precibus ſuis; & quomodo petendum. Itaque hic homo-Deus dignatus eſt illis hanc artem adeo admirabilem, perutilemque tradere, cujus univerſa præcepta ad puncta duo rediguntur; quæ ſermonis partitionem conſtituent.

Primùm videlicet; quid ſit petendum; quod fuſius tradidit in Oratione Dominicali, quæ eſt tamquam ceterarum exemplar.

Secundùm, modus, quo petendum eſt; quod prolixius docuit cum per certos Canones quos tradidit, tum per parabolas, & ſimilitudines, ne qua nobis relinqueretur dubitatio de re tanti momenti. Initium ergo faciamus a primo, quod aperit ea, quæ ſunt petenda.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: Oratio.

Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo; petite, & accipietis. Joan. 16.

II. Argum.

Deus nobis poſtulata concedit ob tres cauſas propter quas ab hominibus reſpuuntur.

Quæ tria efficere conſueverunt, ut homines, ſi quid unquam ab illis quæratur, preces noſtras rejiciant, eadem ſunt, propter quæ Deus precibus noſtris ſubſcribit, immo quæ etiam exigit tamquam neceſſarias orationis noſtræ conditiones, ſine quibus preces ipſæ tantum abeſt, quod Deo ſint acceptæ, ut imo nos nocentiores efficiant.

Prima eſt, cum petimus magna, quæ vires eorum, a quibus petuntur, ſuperant, eorumque excedunt facultates. Jure enim homines preces noſtras rejiciunt, Non ita Deus; e contra illum offendimus ab eo quærentes ea, quæ ſunt nihili, cujuſmodi ſunt bona temporalia, ſaltem quædam; ſed vult ab ſe digna ſe peti, gratias, æternam beatitudinem, omnes Cœli divitias & Dei ipſius poſſeſſionem. Petitiones noſtræ modum excedere nequeunt; quandoquidem plura nobis pollicitus eſt, quàm quæ optare valeamus.

Altera eſt, cum preces noſtræ nimis urgent, ac importunæ ſunt. Hoc quidem nobis diligentiſſime cavendum eſt, cum aliquid ab hominibus imploraturi laboramus. Sed a Deo nihil vel nimis crebro, vel nimia cum feſtinatione petere poſſumus; quandoquidem non concedit gratias, favoreſque ſuos niſi petentibus cum fervore, ardentique deſiderio illos obtinendi.

Tertiò: cum preces non fiunt opportune, & cum illi, quem precamur, non vacat nobis aures præbere, vel alia animo illius obverſantur, quæ cum petitionibus noſtris conciliari non poſſunt, cavendum eſt nobis: Sed Deus in ſingulas horas, & momenta paratus eſt, nobiſque ad illum confugere licet; imo nos excitat ad petendum, atque ſuos increpat Apoſtolos, & fortaſſe nos aliquando increpabit, quod ab eo nihil petierimus.

Conſule in loco quem ſuperius memoravimus Titulum: Oratio.

Uſque

Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo; petite, & accipietis. Joan. 16.

III. Argum.

Cur Deus preces noſtras non audit.

Cur ſæpe Deus preces noſtras non audit? Quare inutiles ſunt, & carent effectu? Hoc triplici verbo docet Sanctus Auguſtinus, quæ erunt ſermonis partitio; *Malè ſumus, Malè petimus, Malè petimus.*

Primum. Cum oramus tales non ſumus quales eſſe deberemus. Sumus in peccato, & quin inde emergere adnitamur, gratias deprecamur, quas ſuis tantum deſtinat amicis. Si quid impetrare cupimus, vel eſſe debemus in gratia, vel in voto in eam revertendi.

Secundò. Licet in gratiæ ſtatu verſemur, quin ſaluti noſtræ utilia petamus, vilia, & nullius pretii petimus votis noſtris indigna; quamobrem ſpiritualia petenda ſunt, & digna Dei, a quo petuntur, magnificentia.

Tertiò. Male petimus, neque eo modo, quo Deus orandus eſt, videlicet cum humilitate, fervore, & perſeverantia; quæ ſunt conditiones, quibus preces noſtræ ſunt conſociandæ.

Vide locum ſuperius memoratum.

Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo; petite, & accipietis. Joan. 16.

IV. Argum.

Tria, quæ preces noſtras Deo acceptas reddunt.

Oraturis tria ſunt præcavenda, quæ ſi deſint, metuendum eſt, ne repulſam patiamur.

Primò. A quo petimus, & ad quem confugimus gratiam impetraturi. Ad Deum nempe, Supremam Majeſtatem, quæ nobis aures præbere dignatur; ideoque cum reverentia, cum humilitate, & noſtræ miſeriæ præfatione noſmet illi præſentare debemus.

Secundò. Quæ ab illo petenda ſint? Hæc ille nobis in Dominicali Oratione præſcripſit. Ea quæ ad illius quidem gloriam, noſtram verò ſalutem pertinent.

Tertiò. Quomodo petenda ſint? ſcilicet cum confidentia, fervore, reſignatione, & potiſſimum cum perſeverantia.

Vide locum eumdem.

IN ASCENSIONE
DOMINI.

Et Dominus quidem Jesus, *poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cœlum.* Marc. 16.

I. Argum.

Salvatoris Aſcenſio ſpei noſtræ fundamentū.

Ecce tandem, Auditores, felicem exitum laborum Salvatoris Mundi, & glorioſum terminum itineris ejus, quo nomine illum Sanctus Bernardus appellat; poſtquam enim de Cœlo in terram propter ſalutem hominum deſcendit, & poſtquam magnum illud opus abſolvit, hodierna die terram relinquit reverſurus in Cœlum. Beatam diem! qua Cœlum, quod per tot ſæcula clauſum erat, tandem aperitur ad ingreſſum præbendum huic Homini-Deo victoriam de morte, omnibuſque inferorum poteſtatibus referenti. Diem triumphalem! cujus pompa, & apparatus reſpondet Majeſtati hujus Regis gloriæ ad remuneranda opprobria, & contumelias, quas amoris noſtri cauſa ſubire dignatus eſt. Diem lætitiæ, & conſolationis! quandoquidem ſpem facit, nos quoque ingreſſuros in hoc regnum æternum, cujus poſſeſſionem pro ſe, ſimul ac nobis Salvator adit poſſeſſionem.

Ita, Fideles, Dei Filius in aliis omnibus Myſteriis voluit hominum utilitatem cum ſui nominis gloria conciliare. quæ agendi ratio numquam magis, quàm in hac enituit occaſione: quippe felicitas noſtra conſequitur illius felicitatem: in Cœlum aſcendit, ut nos illuc trahat; illud ſibi comparavit, ut nobis præberet jus eò contendendi; & illuc aſſumptus eſt coram Apoſtolis ſuis, ut excitaret in illis ſpem illuc ad ejus exemplum perveniendi. Quamobrem hodierna die Filii Dei Aſcenſio haberi poteſt, non tamquam gloriæ ſuæ poſſeſſio, ſed tamquam ſpes noſtræ.

Primùm, quia illius eſt præſtantiſſima cauſa, ac ſolidiſſimum fundamentum.

Secundò, Quænam eſſe debeat ſpes a nobis concipienda videntibus Salvatorem in Cœlum ſublatum, & quomodo regenda ſit, ut fiat medium, quo nos quoque aliquando aſcendamus, noſmet corde, & affectu ex hac vita attollentes. Hæc erit Sermonis partitio, qui Myſterium hoc in diſciplinæ praxim convertet, cujus uſus familiaris eſſe debet Chriſtifideli.

Pars prima.

Dico Aſcenſionem Domini ſolidiſſimum eſſe fundamentum, & validiſſimam ſpei noſtræ rationem, ſi mecum tria velitis animadvertere, quæ in hoc argumento ſunt maxime propria, & obvia. 1. Dei Filium nobis acquiſiviſſe jus contendendi in Cœlum, quo ille prior ingreſſus eſt, & cujus aditum nobis reſeravit tot ante ſæcula clauſum. 2. In hac Aſcenſione nobis etiam oſtendit viam, quæ nos adducit in Cœlum, & vitam; videlicet humiliationem, & paſſiones, per quas meritus eſt attolli, & gloria coronari: *Videmus* Jesum *per paſſionem gloria, & honore coronatum*; ut Apoſtolus loquitur. 3. Salvator in Cœlum aſcendens, & ſedens ad Patris ſui dexteram ipſe nobis neceſſaria ſuppeditat auxilia, ut ad gloriam, quam ipſe nobis comparavit, perveniamus. (ad Hebr. 2.)

Pars altera.

Ut autem innoteſcat, quænam eſſe debeat ſpes Chriſtiani, aliquando poſſidendi Cœlum, ſupremumque bonum, cujus Dei Filius per Aſcenſionem ſuam jus nobis comparavit; conſiderandæ ſunt nobis conditiones, & qualitates ſpei generatim; eæque applicandæ peculiariter huic Aſcenſionis Myſterio. 1. Præſupponit deſiderium, quod ab ea ſeparari non poteſt, Sanctus Thomas ait. 2. Poſtulat animum, & generoſum conatum ad acquirendum bonum difficile, quod illius objectum eſt. 3. Illam ſubſequitur certa lætitia, quæ poſſeſſionem præcedit, & quæ efficit, ut in antecessum eo perfruamur. Hic proprius eſt caracter Chriſtianæ Spei, quem Dei Filius in Cœlum aſcendens impreſſiſſe videtur in corde diſcipulorum ſuorum, & qui connotatus eſt in Evangelio per circumſtantias pompæ illius, cujus ſpectatores fuerunt.

Vide in To. II. Bibliotheca Myſt. Theol. Titulum: Ascensio.

Et Dominus quidem poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cœlum. Marc. 16.

II. Argum.

Ideo Filius Dei aſcendit in Cœlū quia deſcendit in inferiores partes terræ.

Argumentum quod mihi videtur æquius, & maxime accommodatum huic Myſterio, & quod locum præbet pluribus animadverſionibus ad Mores ſpectantibus, illud eſt, quod nobis ſuggerit Sanctus Paulus, cum aſſerit Jesum Christum ideo ad Cœlorum verticem aſcendiſſe, quia primum uſque ad infimas terræ partes deſcenderat; innuens, quantum Dei Filius in Mundo cum viveret, humiliavit ſe, tantum per glorioſam Aſcenſionem ſuam fuiſſe exaltatum. Ubi Sanctus Thomas advertit, ipſum tribus potiſſimum in rebus ſe ſe humiliaſſe, quæ conſequenter fuerunt tamquam totidem gradus elevationis in hoc glorioſo Myſterio, & quæ Sermonis hujus partitionem conſtituent.

Primùm humiliavit ſe ratione loci, deſcendens uſque ad profundas terræ abyſſos, & ad compenſandam admirabilem hanc humiliationem ſublatus eſt uſque ad Cœlorum verticem.

Secundò humiliavit ſe in honore, & exiſtimatione ſua perpeſſus omnes contemptus, injurias, & excogitabiles contumelias, atque ut inquit Propheta, opprobriis ſaturatus. In hoc autem Myſterio Rex eſt gloriæ, & magnificentiſſimo triumpho decoratur.

Tertiò humiliavit ſe habita ratione ſuæ poteſtatis, quandoquidem ſubjecit ſe univerſis terræ poteſtatibus; Sed in hoc Myſterio ſupremam adipiſcitur poteſtatem ſuper omnia creata: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in Terra.* (Matth. 28.)

Vide locum ſuperius memoratum.

Et Dominus quidem Jesus, *poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cœlum.* Marc. 16.

III. Argum.

J. C. per Aſcenſionem ſuam nobis aperuit Cœlū, & ſpem præbet illuc ingrediendi.

Jesus Christus per Aſcenſionem triumphalem ingreditur in poſſeſſionem debitæ ſibi gloriæ, ſimulque obtinet nomen glorificatoris hominum, pro quibus aſcendit in Cœlum, quemadmodum pro illis illinc deſcenderat. Profecto tria requirebantur, ut glorioſum hunc Glorificatoris titulum ſibi compararet.

Primùm. Aperit Cœlum, quod hactenus clauſum fuerat omnibus hominibus, ubi oſtendendum eſt, quomodo hoc fuerit, & quomodo præter ipſum erat nemo, qui hoc facere poſſet.

Secundo, opus erat ut certam nobis adſtrueret ſpem, illuc ingrediendi; quænam eſſe debebat hæc ſpes & in quo fundata.

Tertiò, opus erat ut illuc noſtra attraheret deſideria: ibi enim theſaurus noſter eſt, ideoque ibi quoque decet eſſe cor noſtrum, ſicut ipſe ait. Hoc autem ex Salvatoris Aſcenſione percipimus: Cœlum modò patet, & in nobis ſitum eſt, illuc ingredi: per hoc certam habemus ſpem fore ut ibi admittamur meritis hujus hominis-Dei innixam. Ille nos eò trahit, vel ſaltem trahere debet per ferventia deſideria; quoniam hic locus eſt noſtræ quietis, ubi perfecta fruemur beatitudine; & hæc eſt cauſa propter quam Sanctus Leo Aſcenſionem Filii Dei hominum elevationem, & glorificationem appellat.

Vide locum eumdem.

Et

Digitized by Google

Et Dominus quidem Jesus *poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cœlum*. Marc. 16.

IV. Argum.

Salvator adit poſſeſſionem Regni Cœlorum. *Pſal.* 23.

In hoc Myſterio Salvator hominum vere eſt Rex gloriæ; quem titulum illi tradit Pſalmiſta Prophetico Spiritu de illius Aſcenſione locutus. *Quis eſt iſte Rex gloriæ? iſte eſt Rex gloriæ*. Idque triplici ex cauſa, quæ tres hujus Sermonis partes conſtituent.

Primum, quia poſſidet Regnum Cœlorum titulo acquiſitionis, qui procul dubio titulus eſt glorioſiſſimus, ſed uni Filio Dei debitus, qui illum adeptus eſt per ſolam virtutem, & ſumptum Sanguinis ſui; qui ſolum ſibi magnam hanc acquiſitionem comparavit, quia gloriam cum aliquo partiretur, ut victores alii, qui victoriarum ſuarum debitores ſunt Ducum ſuorum virtuti, ac militum fortitudini. Ipſe unus pugnavit, ipſe unus erogavit ſumptus, ipſe unus denique ſibi viam in Cœlum antea inaceſſum aperuit.

Secundò per modum, quo adit Regni hujus poſſeſſionem; modum videlicet, quo & illuc ingreditur, & quo illic excipitur; videlicet triumphans, cum honorifico Sanctorum animarum apparatu, quas de captivitate liberavit, Spirituumque beatorum occurrentium obviam illi in nube ſulgida, quæ loco eſt currus triumphalis, & cum eo omni apparatu, qui maxime ejus meritum, & perſonæ dignitatem decebat.

Tertiò per ſupremam, quam exercet poteſtatem; bonum enim, & commoda, quæ procurat ſubditis ſuis; dona, & gratias, quæ illis largitur, & quæ illi impoſterum operaturi ſunt; hæc omnia mirifice in ipſius gloriam cedunt &c.

Vide locum, de quo ſupra.

PRO DOMINICA
INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis; Joan. 5.

I. Argum.

Contra humanum Reſpectũ, qui vetat ne perhibeamus teſtimonium noſtræ Religionis, & fidei.

EN, lectiſſimi Auditores, duo eximii effectus Spiritus Sancti, de quibus hodiernum loquitur Evangelium, & qui in duplici continentur teſtimonio, quod prohibiturus eſt de perſona Filii Dei. Primum interius eſt, quod per ſe immediate faciet, & per ſecretam operationem in cordibus ſub fidei jugo captivandis. *Ille teſtimonium perhibebit de me*; Alterum verò exterius eſt, ab Apoſtolis perhibendum, qui palam Deum ſuum profitebuntur illum eſſe, quem antea non audebant pro Magiſtro cognoſcere. *Et vos teſtimonium perhibebitis*. Ita ut qui de illo ſcandalizati ſunt, vel qui illum in morte negaverunt propter metum hominum; illum audacter confeſſuri ſint in rotis, & eculeis: qui non audebant ſe vocare ejus Diſcipulos, primi omnium perhibituri ſint teſtimonium doctrinæ illius; illi, quos puduit ſe eumdem ſecutos eſſe, palam profeſſuri ſint coram Judicibus, atque Tyrannis, ſe nolle vivere, aut mori niſi propter illum, & effuſionem Sanguinis ſui vocatum iri Martyrium, videlicet ſuæ fidei, ac religionis teſtimonium. Hæc autem duo teſtimonia interius nempe, ac exterius arcte adeo ſibi conjuncta ſunt, ut audeam dicere alterum ſine altero eſſe non poſſe; unde inferri poteſt eum qui timet, & quem pudet profiteri, quod eſt; videlicet, timentem palam facere ea, quæ fides, & Religio ipſum facere jubent, non eſſe vere Chriſtianum. Hunc, ut videtis hominum metum, qui vulgo reſpectus humanus vocatur, hodierna die perſequor.

Sunt, Auditores, duo vitiorum genera prorſus ſibi oppoſita, & ex æquo metuenda in virtutum praxi, & actionum Chriſtianarum exercitatione, videlicet vanitas, & humanus reſpectus, quæ vocare poſſum ſcopulos, in quos alliſa plerorumque mortalium virtus naufragium facit. Duo hæc vitia ſibi ex diametro adverſantur: Per alterum enim omnia fiunt, ſicut Dei Filius teſtatur, *ut videantur ab hominibus*; & Alterum vetat, ne quid fiat, præ timore, ne hoc ab hominibus videatur. Alterum quærit lucem, & virtutem exercet, non tantum propter ipſam, quantum propter honorem, & exiſtimationem, quæ illam ſubſequitur; Alterum verò latet, & pudore ſuffunditur non quia bonum eſt, ſed propter verecundiam, & commentitium dedecus, quod virtuti inhærere arbitratur. Alterum jugulat omnes productiones virtutis, ſimulac erumpere incipiunt; & alterum vetat, ne lucem videant, eaſque mactat in corde, ubi conceptæ fuerunt; Alterum denique eripit gloriam Deo, cui debita eſt, alterum verò prohibet, ne tribuatur illi. Quamvis autem hæc duo vitia ſint æque metuenda, & alterum non minus altero vetet, ne perhibeamus teſtimonium illud, quod debemus Deo, mihi ſatis erit hodierna die malo, quod magis urget, & uſitatius eſt hoc tempore, quo hominum plerique, quin ex virtutibus ſuis gloriam aucupentur, illos potius ſuæ fidei, & religionis pudet, & erubeſcunt coram hominibus adeo præclati nominis officio fungi.

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Hoc in argumento, Auditores, fert animus oſtendere, eum, qui propter inanem hunc reſpectum, ineptumque timorem renuit perhibere Filio Dei fidei teſtimonium, quod expetit; hoc eſt, quem pudet palam hominis Chriſtiani muneribus fungi, ſibi expectare debere

Primùm fore ut Dei Filius illum recognoſcere abnuat coram Patre ſuo. *Qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcam, & ego eum coram Patre meo.* Luc. 9.

Secundò, fore ut non mereatur hominum teſtimonium, quoniam videbit ſe ab hominibus contemptum, quibus placere conatur ſumptibus officii ſui.

Tertiò tandem non frui poſſe conſcientiæ ſuæ teſtimonio, quoniam hic humanus reſpectus illum in plurima crimina præcipitem daturus eſt. Hæ tres ſunt rationes quibus hodierna die utor, ſuaſurus, ut virtutem audacter profiteamini, & publicum perhibeatis veſtræ fidelitatis teſtimonium Domino, cui famulamini. Hoc erit argumentum, & hujus ſermonis partitio.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Respectus Humanus.

Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Joan. 15.

II. Argum.

Neum pond eſt majorem Deo honorem teſtari, quam perferendo propter amorem illius.

De bona tribulatione cum locuti ſumus in Evangelium feria ſecunda poſt Reſurrectionis Dominicam,

Operoſum non eſt Auditores hanc vobis probare veritatem, neque enim majorem teſtamur generoſitatem, ab omni cupiditate alienationem, ac fidem Deo, quàm in tribulationibus; hæ ſunt conditiones præcipuæ, quæ magnum, perfectumque amorem oſtendunt; conditiones, quæ excellenter conjunctæ videntur in ipſa etiam erga Deum Charitate.

Primùm cum magno, & æquo animo omnes excipimus ærumnas, quæ ab ipſo proficiſcuntur; quia hic amor fortior eſt, & generoſior; namque illi placituri patimur, quidquid gravius eſt, atque acerbius.

Secundò, purior eſt, & ab omni cupiditate remotior: oſtendit enim, Deum amari, eique ſervitutem præſtari non propter hujus vitæ bona, neque ſpem terrenæ alicujus utilitatis.

Tertiò denique conſtantior, & fidelior eſt, quandoquidem cruces, & perſecutiones nequeunt nos ab illius ſervitute divellere. Paucis percurramus tria hæc ſui amoris argumenta, ex quibus intelligemus qualis ſit noſter, & qualis eſſe debeat amor veri Chriſtiani erga Deum, qui numquam magis nobis teſtatam reliquit amoris ſui magnitudinem, quàm cum paſſus, ac mortuus eſt pro nobis.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum Tribulationes.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit; ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis. Joan. 15.

III. Argum.

De bono exemplo, quod eſt teſtimonium, quod Deo perhibere debemus, & quod ipſe expectat a nobis.

Jure optimo dixerat jam Salvator tres eſſe perſonas, quæ de ſe teſtimonium perhibebant in Cœlo: videlicet Pater æternus, Verbum Divinum, ſcilicet ille ipſe, & Spiritus Sanctus. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* Æternus Pater illi reddidit teſtimonium in ipſius Transfiguratione. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Spiritus Sanctus illi perhibuit teſtimonium, cum ille baptizaretur, deſcendens ſuper illum in ſpeciem columbæ, comitante ipſum voce miraculoſa. Verbi perſona illi etiam præbuit teſtimonium: ipſe enim ad Judæos loquens dixit illis, actiones ſuas, & miracula, quæ alius præter Deum operari non potuiſſet, ſatis perhibere teſtimonium ſupremæ ſuæ poteſtatis, quamvis teſtimonium illud, quod ore proprio proferebat admittendum non eſſet; *Opera, quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me.* Difficilis eſſet cognoſcere illa tria, quæ ſuper terram de ipſo perhibent teſtimonium. *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra Spiritus, & aqua, & ſanguis.* Quin immorer in ſingulis explicationibus, quæ verbis illis tribuuntur, dicere poſſum eſſe creata ſen-

1. Joan. 5. Matth. 3.

Joan. 5.

1. Joan. 5.

ſu carentia Cœlum, Terram, & Mare per ea prodigia, quæ fecit in vita, & morte ſua; Angelos illum Paſtoribus prædicantes; Reges Magos illum civitati Jeruſalem nuntiantes, Sanctum Joannem Baptiſtam mortalium omnium Sanctiſſimum illum oſtendentem Judæis; ipſum ejus Judicem in morte, ipſoſque ejus inimicos, qui Reſurrectionis ipſius teſtes fuerunt. Sed præterea Spiritus ſanctus illi teſtimonium perhibuit, effecitque ut ſuper terram illi certiſſimum perhiberetur teſtimonium per ſe ipſum, & per Apoſtolos, qui illum in univerſo terrarum orbe prædicarunt, feceruntque ut ab omnibus nationibus coleretur. Deinceps plures Martyrum Myriade, per Sanguinis ſui effuſionem teſtimonium illi perhibuerunt, & primi Chriſtiani per morum ſuorum ſanctitatem teſtatam fecerunt doctrinam Magiſtri, quem ſequebantur. Verum cum teſtimonium, quod ut Salvatori perhiberetur, Spiritus ſanctus deſcendit ſe ſe ad omnia ſæcula debeat extendi: opus eſt, ut Chriſtiani omnes, quorum vita irreprehenſibilis eſt, quorum ſanctitas, & bonum exemplum ſunt opus Spiritus ſancti, modo teſtimonium perhibeant eidem Salvatori, ut illa adimpleantur verba; *ille teſtimonium perhibebit de me*. Quapropter mens eſt hodierna die vobis oſtendendi peculiariter duo, quæ Sermonis hujus partitionem conſtituunt.

Quorum primum eſt obligatio, qua Chriſtianus quilibet tenetur aliis bonum præbere exemplum in omnibus actionibus vitæ ſuæ.

Alterum verò magnum bonum, quod bonum exemplum ferre poteſt in Mundum ad majorem Dei gloriam, & cultum, ſi Fideles hoc munere rite perfungerentur. De bono tamum exemplo, ut videtis, verba facturus ſum, quin loquar de pravo, & ſcandalo, de quo alias verba facturi ſumus.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral, Evangel, Titulum: EXEMPLUM.

PRO DOMINICA

PENTECOSTES.

Factus eſt repente de Cœlo ſonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Act. 2.

I. ARGUM.

Quid Spiritus ſanctus faciat in nobis, & quid per nos faciat.

TANDEM aliquando pax eſt conſtituta, & fœdus æternum Cœlum inter ac terram feriendum eſt; quandoquidem ultra citroque datæ ſunt arrhæ, Præteritis diebus terra miſit in Cœlum quidquid ibi erat antiquius in perſona Salvatoris Mundi, qui die glorioſæ Aſcenſionis ſuæ in Cœlum aſſumptus fuit; Cœlum verò hodierna die mittit in terram quo nihil pretioſius habet largiens illi Spiritum ſanctum qui futurus eſt fœderis vinculum. Ita quemadmodum tunc dicebamus, terram ad Cœlorum verticem aſcendiſſe, cum homo ſimilis nobis ſuper omnes Angelorum Choros aſcendit; ſimili ratione modo dici poteſt, Cœlum in Terræ locum ſubiiſſe, cum Spiritus ſanctus poſſeſſionem adiit cordium noſtrorum. Hæc ſane erat mens Dei, quemadmodum per Prophetam pollicitus erat, & facturum terram prorſus novam efficiendo, ut homines, qui antea terreni, & carnales erant, fierent ſpiritales, atque cœleſtes; quemadmodum in novam faciem Cœlos immutaverat per præſentiam glorioſi Corporis Domini.

Verum quis credidiſſet Fideles, Deum poſtquam omnes exhauſerat theſauros ſuos, nobis largitus Filium ſuum, inventurum fuiſſe modum alterum nobis munus largiendi, quod non eſſet priore deterius? Etenim quod nobis hodie largitur non ſolum donum eſt, ſed auctor donorum omnium; non ſolum gratia, ſed gratiarum omnium fons, & principium; non ſolum pignus amoris, ſed ipſum Amorem, ut ſit vinculum affinitatis noſtræ cum divinitate, atque ut nos attollat uſque ad participationem naturæ. Verbo, ſicut ille eſt Spiritus ſanctus, & ſanctitas eadem, venit in nos, ut nos ſanctos efficiat, videlicet; ut nos vivere faciat vitam ſanctam, ſupernaturalem, atque divinam. Ita ut Eccleſia jam per Mundi Salvatorem inſtituta, per ejuſdem miracula confirmata, & proprio ejuſdem cruore firmius adſtricta, hodierna die Spiritu ſuo animetur qui in flatus ſpeciem deſcendit in Apoſtolos, non ſolum ad ſignificandum, quod perſonæ ipſius proprium eſt, quippe qui procedit a Patre & Filio per ſpirationem; verum etiam ut oſtendat, quemadmodum in naturali vita nemo ſubſiſtere poteſt ſine aeris reciprocatione, ita nos vivere non poſſe viam ſanctam, & ſupernaturalem ſine Spiritu ſancto, qui illius Auctor eſt. Quapropter inter cætera nomina, quibus nuncupatur, potiſſimum Spiritus ſancti nomen ſibi vendicat, quod ſanctitas ſua illi ſpeciatim attribuit; venit enim ad eam producendam in cordibus noſtris, tamquam præcipuam, præſtantiſſimamque ſuimet ipſius communicationem.

Primùm efficiendo ſe principium interius vitæ ſanctæ, atque divinæ per gratiam ſanctificantem, quæ nos Sanctos, & juſtos facit, & quæ nos evehit uſque ad dignitatem filiorum Dei per adoptionem, quæ quidem eſt qualitas ceteris dignitatibus præferenda, & quæ nobis confert jus ad gloriam, quatenus hæredibus Regni Dei.

Secundò cum vita non ſit, niſi propter actionem, ille ſe præbet tamquam principium agens, quod nos impellit, atque excitat ad actiones conformes huic ſtatui per actuales gratias, quæ vocari poſſunt flatus animati ab hoc divino Spiritu, qui nos prævenit, ſed cujus impreſſionibus obſequi debemus.

Itaque, Fideles, aſſero, hunc dupliciter noſtri habita ratione eſſe Spiritum ſanctum; tum quia ſuam nobis communicat Sanctitatem, tum quia efficit, ut quemadmodum decet Sanctos, vivamus. Per alterum quidem modum manet in nobis; per alterum verò nos regit, & ad agendum impellit. Primus nobis oſtendet, quid operetur in nobis; alter verò quid per nos operetur; quod in duabus Sermonis hujus partibus palam fiet.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Myſt. Theol, Titulum: DESCENSUS SPIRITUS SANCTI &c.

Factus eſt repente de Cœlo ſonus tamquam advenientis Spiritus vehementis, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, Act. 2.

II. ARGUM.

Deus in reformatione hominis in ſtatu gratiæ eamdē ſervat rationem quam ſervavit in illius formatione naturali.

Inſtitui poteſt ſermo huic argumento appoſitus oſtendendo Deum in hominis reformatione in gratiæ ſtatu eamdem ſervare rationem, quam in ejuſdem formatione ſervavit, illi naturalem ſtatum impertiens.

Primùm, Quod primum fecit Deus poſtquam finxit ex limo terræ corpus hominis, inſpiravit illi vitæ flatum, qui operatus eſt in illo admirabilem cum Creatore ſuo ſimilitudinem. *Inſpiravit ei ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viventem*. Hoc operatur nobis Spiritum ſanctum impertiens, qui in nobis eſt vitæ principium per gratiam, quæ nos facit Dei Filios per adoptionem, & efficit nos ſimiles, atque participes naturæ Creatoris: ubi latius differendum eſt de præſtantia, & bonis vitæ hujus prorſus divinæ.

Secundò, Creavit Deus hominem in Originali Juſtitia, quæ illi perfectum contulit imperium in ſe ipſum, & in omnes affectus ſuos, non ſecus ac in omnia terræ animalia. Hoc ipſum operatur Spiritus ſanctus in animabus noſtris. Delet peccatum per gratiam ſanctificantem, nobiſque in noſtras cupiditates reſtituit imperium, nobis vim tribuens illas ſubigendi, & ſubjiciendi rationi; & ſi minus aufert nobis concupiſcentiam, hoc inde fit, ne deſit exercitatio virtuti noſtræ, vel meritorum occaſio.

Tertiò. Statim ac hominem creavit Deus ad imaginem ſuam, eumque Dominum conſtituit ſui, omniumque rerum creatarum, ut hic intelligeret ſuper ſe ſupremum eſſe Dominatorem, cujus illi facienda erant imperata; mandavit illi, & mortem minitatus ipſi, omnique ipſius generi, ſi abuteretur libertate, qua donatus fuerat, ad mandatum illud infringendum. Nonne hoc ipſum facit Spiritus ſanctus ſcribens in cordibus noſtris legem amoris, & charitatis, quam violare non licet, quominus mortem nobiſmet conciſcamus, & in nobis divinum hunc Spiritum extinguamus?

Vide locum ſuperius memoratum.

Factus eſt repente de Cœlo ſonus tamquam advenientis Spiritus vehementis; & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Act. 2.

III. ARGUM.

Apoſtoli indigebāt plenitudine Spiritus Veritatis, & Fortitudine, ac Sanctitate ad pugnandū adverſus Spiritum Mundi.

Non immerito Scriptura, ut nobis oſtenderet effectus adventus Spiritus ſancti, illos complexa eſt nomine plenitudinis, quod illos nobis repræſentat cum omnibus gratiæ donis: *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui*. Spiritus ſanctus aliquando ſe communicat *ſecundum menſuram*, ut Apoſtolus loquitur; ſed hodierna die ſine exceptione, & ſine menſura ſe communicat Apoſtolis: illi non ſolum viſitantur, afflantur, moveantur a Spiritu ſancto, quemadmodum alibi Scriptura exprimit gratiæ operationes, ſed eodem replentur. Quorſum hoc? quia Deus illos deſtinabat muneri, quod nil minus requirebat, quàm hanc Spiritus ſancti plenitudinem, ut feliciter eodem perfungerentur. Agebatur enim Mundi totius converſio. Quod opus aggrediendum, & ad finem perducendum! Hoc noſtis auditores; Mundus, cum quo nobis pugnandum eſt, fortis eſt armatus ille, qui jampridem ſe ipſum tuetur, & nihil prætermittit, quod habet induſtriæ, verſutiæ, & nequitiæ, ut in injuſta, quam ſibi uſurpavit, poſſeſſione perſeveret. Oportebat igitur, ut Spiri-

tus

Digitized by Google

tus ſanctus, qui hunc debellaturus acceſſerat per miniſterium Apoſtolorum, affluenter ſuper illos effunderet omnia lumina, omnem Sanctitatem, & fortitudinem, qua indigebant hujuſmodi victoriam reportaturi. Hinc profecta eſt illa gratiarum plenitudo, qua cumulati fuerunt; *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui.*

Plenitudo, quæ nobis poteſt ad tres præcipuos effectus oppoſitos tribus obicibus, quos Deo Mundi Spiritus opponit. Fideles attendite, hinc enim fient tres Sermonis hujus partes. Mundus ſeductor eſt, qui pulchris ſpeciebus fallit Spiritus maxime perſpicaces. Deerat Apoſtolis, unde ſe tuerentur ab hoc Spiritu illuſionis: oportebat ergo, ut Spiritus ſanctus, qui Spiritus eſt veritatis, illis Mundi errores auferret, eoſque placitis æternis repleret. Mundus corruptor eſt, cujus commercium inficit morum ſanctiſſimorum puritatem. Apoſtoli non erat immunes, omnes enim peccaverant; opus erat igitur, ut Spiritus ſanctus, qui Spiritus eſt Sanctitatis illos impoſterum præſervaret a ſæculi corruptione, eoſque in gratia confirmaret. Mundus eſt perſecutor, qui palam indicit bellum Evangelio, & ſe virtutis Tyrannum conſtituit, Hic ipſis etiam Apoſtolis terrorem incuſſerat, qui non audebant videri Diſcipuli Jesu Christi propter metum Judæorum: decebat ergo, ut Spiritus ſanctus, qui Spiritus eſt fortitudinis, illos contra Mundi tyrannidem confortaret. Ecce, Chriſtiani, quid agat hodierna die in Apoſtolis, & quid in ſingulis noſtrum agere velit. *Vincamus Mundum*, Sanctus Auguſtinus ait, *cum ſuis erroribus, & amoribus, & terroribus.* Triumphum agamus de Mundi erroribus, de corruptione ſæculi, & de Mundi perſecutione. Ad id indigemus

Primum, Spiritu Veritatis, qui Apoſtolis abſtulit errores ſæculi.

Secundò, Spiritu Sanctitatis, qui Apoſtolos a ſæculi corruptione præſervavit.

Tertiò, Spiritu Fortitudinis, qui Apoſtolos contra ſæculi tyrannidem confortavit.

Vide Myſterium Pentecostes *in Tomo II. Bibliotheca Myſt. Theol.*

PRO FERIA SECUNDA
POST DOMINICAM PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit Mundum &c. Joan. 30.

I. Argum. — De Amore, quem Deus teſtatus eſt, dans nobis Spiritum ſanctum.

Nihil aptius eſt Auditores ad cor deliniendum, quàm illud aliquo inſigni beneficio prævertere; neque medium validius ad amorem ſibi conciliandum, quàm ſi prior aliquem diligas. Quapropter Eccleſia non ſolum hac die in mentem revocat extremum divini amoris conatum eo in dono, quo nobis dedit divinum Spiritum ſuum: verum etiam illum conjungit cum Verbi Incarnatione, quæ fons eſt, & principium ceterorum donorum, ut inquit Apoſtolus: *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (ad Rom. 8.) Quaſi vellet innuere, bonitatem, & miſericordiam Dei nequaquam exhauſtam fuiſſe, cum per immenſam charitatem dedit nobis Unigenitum ſuum; quamvis videatur nihil præterea facere potuiſſe; ſed nobis adhuc aliud munus contuliſſe, quod priori non cedit, quandoquidem hic Spiritus ſanctus æqualis eſt illi, & exhaurit fœcunditatem duarum divinarum Perſonarum, ut in nobis cieat ſenſus generoſitatis, & gratitudinis erga Deum, qui nobis omnia donavit; *Sic Deus dilexit Mundum.*

Profectò Deus jam in terram deſcenderat, ac ſe nobis ſimilem fecerat, ut nos ad ſe per hanc traheret ſimilitudinem: inde in Crucem aſcenderat, ut ille totum ſuum cruorem effunderet, nobiſque poſt mortem aperuit cor ſuum, ut nobis detegeret magnitudinem ſuæ charitatis, & videret utrum illius beneficiis afficeremur. Antequam ex hoc Mundo diſcederet ſemet ipſum in Altaris Sacramento collocaverat, ut validiores in ſpiritum noſtrum, per præſentiam ſuam, impreſſiones efficeret: verum quemadmodum cor hominum nondum victas dederat manus; ecce conatus extremus, & extrema ſui amoris profuſio, qua nobis ſuum largitur Spiritum, qui idem eſt cor ſuum, & ipſe amor ſuus. Quamobrem dico, ipſum non dediſſe nobis minus amoris teſtimonium in hoc altero munere, quàm dederat in priori; in utroque enim nobis datur Deus, & nobis datur eodem conſilio, & propter finem eumdem. Ne igitur alterum ab altero ſeparemus, ſed potius conemur utriuſque comparationem inire, ut utrumque ſimul collectum inſtar duorum ignium ardentium inflamment nos puriori Charitate, ac teneriores nobis gratitudinis ſenſus injiciant. Hinc fert animus vobis oſtendere

Primò Deum non minorem nobis teſtatum fuiſſe amorem mittendo ad nos Spiritum ſuum, quàm cum nobis dedit Unigenitum Filium ſuum, & de utroque dicendum eſſe, *ſic Deus dilexit Mundum.*

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Secundò vobis conabor oſtendere pleroſque homines nihilo gratiores fuiſſe pro munere præſenti, quàm pro primo fuerunt; quandoquidem Divinum hunc Spiritum non minori excipiunt contemptu, contumelia, indignitate, quàm Dei Filium exceperant. Hæc erit ſermonis partitio.

Primum punctum oſtendet magnitudinem Beneficii, quod adhuc ſingulis diebus accipimus.

Alterum verò modum quo noſmet illi gratos præbere debeamus.

Hoc argumentum fuſius pertractatum eſt ab Auctore pro feria ſecunda poſt Pentecoſten.

Factus eſt repente de Cælo ſonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, Act. 2.

II. Argum. — Gratiæ, & dona, quibus cumulati fuerunt Apoſtoli ſimul ac acceperunt Spiritum ſanctum.

Cum duo iſti dies non ſint, ut ita dicam, niſi repetitio quædam Myſterii, quod in Apoſtolorum gratiam adimpletum eſt, non inveni argumentum uberius, ſimulque dignius attentione veſtra, quam vobis explicare dona, quibus illabente Spiritu ſancto cumulati ſunt, quod faciendum aggredior duabus Sermonis hujus partibus.

In quarum prima referam præcipuas deſcenſus Spiritus ſancti circumſtantias, cum animadverſionibus, quæ fieri poſſunt in ſingulas, quæ ſunt. 1. Spiritus ſanctus in Apoſtolos illapſus eſt die Pentecoſtes; quæ circumſtantia nobis aperit admirabiles Legis novæ, & veteris relationes. 2. Cur divinus hic Spiritus cum magno fragore deſcenderit, & inſtar flatus vehementis; quid in hoc valeat animadverti. 3. Apoſtoli, & Diſcipuli in Cœnaculum ſe ſe receperunt, expectantes donec Spiritus ſanctus dilaberetur. 4. Cur illapſus fuit ſub ſymbolo ignis, & in Linguæ ſpeciem. 5. Cur Spiritus ſanctus tanta cum luce deſcendit, & cur ſtrepitus in totam Jeroſolymæ civitatem ſe effudit. Quæ omnes circumſtantiæ narrari poſſunt non ſine animadverſionibus, ad erudiendum, & ædificandum appoſitis.

Pars altera complectetur ſigna per quæ cognoſcere poſſumus, utrum in partem incomparabilis hujus beneficii acceſſerimus. 1. De hoc judicium ferre poſſumus ex mutatione, quam Spiritus hic operatus eſt in oculi ictu in Spiritu, & corde Apoſtolorum: & perpendere, utrum nos quoque ſimiliter fuerimus immutati. 2. *Apoſtoli omnes repleti ſunt Spiritu ſancto:* (Act. 2.) Cumque hic Spiritus Dei ſit Spiritus Sapientiæ, & intellectus, conſilii, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis; ſitque inſeparabilis a timore Dei, qui extrudit alium quemlibet timorem, noſmet debemus colligere, & videre, utrum per hæc lumina, & placita operemur, & utrum hæc ſit regula vitæ noſtræ. 3. Apoſtoli Spiritu ſancto repleti in omnem terrarum orbem ſe ſe contulerunt, teſtimonium perhibuerunt Filio Dei, audacter ſe Jesum Christum ſequi profeſſi ſunt citra metum mortis, & ſuppliciorum, ac tandem divino hoc igne ſuccenſi fidem in omnes orbis plagas pertulerunt. Profectò ſicuti cauſa non cognoſcitur niſi ex effectibus, quos gignit; ſi nihil experimur in nobis, ex quibus indiciis cognoſcere poſſumus, utrum ipſi Spiritum ſanctum receperimus?

Omnes hæ circumſtantiæ invenientur in Tomo II. Bibliotheca Myſt. Theol. in Myſterio: Descensus Spiritus sancti.

Factus eſt repente ſonus &c. Act. 2.

III. Argum.

Pro Sermonis argumento, ac partitione illud aſſumi poteſt, quod Sanctus Thomas docet in quodam Opuſculo, Spiritum ſanctum animæ juſtæ tribuere illa tria, quæ anima tribuit corpori, quæ ſunt vita, ſenſus, & motus; ita Divinum Spiritum, quem Sancti Patres vocant animam animæ noſtræ tribuit illi;

Primùm vitam ſupernaturalem gratiæ, & charitatis, quæ conſtituit nos filios Dei, confert nobis jus ad hæreditatem illius, efficitque, ut digne ſtatus noſtri obeamus officia.

Secundò ſenſum, & guſtum rerum divinarum, & cœleſtium veritatum, quas nobis annuntiat, & quæ faciunt, ut perhorreſcamus, quidquid in Mundo æſtimatur, voluptates, ſolatia, ſæcularia colloquia, & demum alia placita, quæ nos in exitium, æternamque mortem deducunt.

Tertiò motum verſus Deum, non niſi propter illius gloriam agentibus, & unum illum reſpicientibus in omnibus actionibus noſtris, & illum conſiderantibus tamquam principium, & noviſſimum finem rerum omnium.

Vide idem Myſterium Descensus Spiritus sancti *in Tomo II. Bibliotheca Myſt. Theol.*

PRO FERIA TERTIA

POST PENTECOSTEN.

Amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde: ille fur eſt, & latro. Joan. 10.

I. Argum.

Submiſſio debita ſ. Eccleſiæ.

DE Eccleſia verba facit Jesus Christus in hodierno Evangelio. Etenim quinam, amabo vos, hic eſt Paſtor? Quænam ſunt oves audientes vocem hujus Paſtoris, & fugientes alienum ad eas accedere volentem? Quodnam hoc oſtium, aditum præbens in ovile? Quid intelligitur per hæc paſcua opima, & fertilia, quibus Paſtor oves ſuas paſcit? Denique quid ſibi vult Dei Filius, cum aſſerit ſe oſtium eſſe, per quod in ovile aditus patet, & eum qui aliunde venit, & alium quærit introitum furem eſſe, ac latronem, neque illi aliam eſſe mentem, niſi perdendi, atque mactandi oves ſuas.

Sed ut hæc veritas intelligatur notandum eſt per adventum Spiritus ſancti proprie Eccleſiæ nativitatem initium duxiſſe ex adventu Spiritus ſancti, quo die tota congregata erat in Cœnaculo, quo Fideles omnes convenerant, ut ſe ſe ad illum recipiendum diſponerent. Deſcendit ille ſub viſibili ſpecie, ut noſtis, in eorum ſingulos in formam lucis, & ignearum linguarum, quæ mentes eorum illuſtraverunt, atque eorum corda divino ardore inflammaverunt. Profectò Dei Filius jam Apoſtolos ſuos acciverat, & per eorum electionem jecerat fundamenta hujus Eccleſiæ, cujus volebat, ut unus ex illis Caput eſſet, & viſibilis Paſtor: ſed non ignoratis, Spiritum ſanctum illi formam, extremamque manum adjeciſſe; tunc enim finem accepit lex Antiqua, & Nova duxit exordium; Tunc Apoſtoli Spiritu ſancto repleti, poſtquam Jeroſolymæ prædicaverunt admirabili cum eventu, partiti ſunt zelum ſuum, ac ſe ſe effuderunt in omnes Gentes, ut quocumque ferrent lumen Evangelii ſecundum prophetarum vaticinium, & imperium, quod acceperant a Jesu Christo. *In omnem terram exivit ſonus eorum, Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Conſtat etiam futurum fuiſſe ut magnum hoc Corpus ex tot partibus compoſitum, & in omnia Regna terræ diviſum tandiu ſubſiſtere non poſſet inter tot inimicos, qui illud oppugnarunt, ac tot perſecutiones, quæ illi perferendæ fuerunt, niſi hic idem Spiritus Dei, quo animabatur, illud tutatus fuiſſet, & non collegiſſet omnes illius partes fidei ejuſdem vinculo, quod ad hanc uſque Diem unam conſtituit Eccleſiam ſub regimine Capitis ejuſdem. Hujus autem Eccleſiæ, cui præeſt Spiritus Veritatis primam hanc eſſe dico prærogativam, quæ extra Eccleſiam non invenitur, & quæ certiſſime invenitur in ea; quod exigit a nobis perfectam ſubmiſſionem propter omnes Veritates, quæ pertinent ad Fidem.

Videlicet dico, Fideles cum Divinus hic Spiritus ſit Spiritus luminis, & Sanctitatis, ipſum utramque hanc Veritatem Eccleſiæ communicare, cujus ille regimen ſuſcepit poſtquam Salvator terram reliquit, dico inquam partem illius eſſe veritatem, & ſanctitatem, ita ut

Primùm ſenſus, & deciſiones illius, ubi de fide ſermo eſt, ſit vox a nobis audienda, ad hoc, ut ſimus in Ovili Filii Dei.

Secundò Regulæ morum, quas nobis præſcribit, ſint illud exemplar, ſecundum quod vitam noſtram debemus componere ad hoc ut rectè vivamus. Hæc erit Sermonis hujus partitio.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: Ecclesia.

Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri. Ezech. 19.

II. Argum.

Deus pollicetur ſe daturum populo ſuo cor novum & ſpiritum novum.

Olim pollicitus eſt populo ſuo Deus in lege veteri, ſe daturum illi cor novum, & ſpiritum novum; alterum ut eſſet principium affectuum, & votorum illius; alterum verò cogitationum, atque conſiliorum. Sed ecce promiſſionis hujus fides præſtita in lege nova, vel potius, ecce nova lex, quæ incipit præſtans fidem promiſſionis: videlicet ecce Adventus Spiritus ſancti, qui omnino mutat corda, & ſpiritus hominum; quandoquidem cum eſſent terreni, & carnales, facti ſunt Sancti, qui omnes cogitationes, deſideria, & ſpes verſus æterna bona in Cœlum attollunt. Quemadmodum hic finis erat adventus Spiritus ſancti ſuper terram, ita hic primus, & maximus illius eſt effectus; oportebat enim hominem reformare, quem peccatum ab ipſis Mundi primordiis præverterat, atque corruperat. Incipit igitur Spiritus ſanctus reparare haſce duas præcipuas facultates, cor, & Spiritum hominis, quarum perturbatio adeo univerſale malum pepererat. Hinc ille in Scripturis vocatur Spiritus veritatis, & luminis, quippe quod invertere debet omnes, & fallaces ideas, quas ante habebamus. Mox venit tanquam ignis ad nos inflammandos amore prorſus divino, qui nos a terrenis avellat affectibus, ut verſus bonum ſupremum convertat. Vel ſi mavultis, quemadmodum venit laturus in terram legem novam, quæ veteris finem facit, ut inchoet Evangelicam; oportuit ipſum hominibus dare

Primùm Cor novum.

Secundò Spiritum novum, ut illos induceret ad eam ſequendam, & amplectendam. Hi duo ſunt effectus adventus illius, eruntque partes duæ hujus ſermonis.

Vide illapſum Spiritus Sancti in Apoſtolos in Tomo II, Bibliothecæ Myſt. Theol.

Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto. Act. 2.

III. Argum.

Spiritus ſanctus eſt Spiritus veritatis, fortitudinis, & ſanctitatis.

Quam maxime intereſt cognoſcere quinam ſit hic Spiritus, quem Dei Filius Apoſtolis pollicitus eſt, & quos effectus ſit operaturus in nobis, ne ſimiles ſimus illis Diſcipulis, quos Sanctus Paulus Epheſi invenit, qui Apoſtolo ſciſcitanti, utrum recepiſſent Spiritum ſanctum ingenue reſponderunt, ſe ne audiviſſe quidem, Spiritum ſanctum adeſſe. Quam plures hodierna die ſunt Chriſtiani, qui cum ſummo Chriſtianiſmi probro, & dedecore in eadem ignorantia verſantur, & fortaſſe adhuc criminoſiore; Quapropter noſtrum eſt illos erudire non ſolum quid ſit Spiritus ſanctus in Trinitate; verum etiam quid ſit habita noſtrum ratione; quid in nobis producere debeat, cur ad nos miſſus fuerit, quid facere debeamus ad illum recipiendum, & unde conjicere poſſumus, utrum receperimus illum. Ad id vobis oſtendere volo, Spiritum hunc, cujus Apoſtoli primitias, & plenitudinem pro ſe receperunt, & data proportione pro nobis, Spiritum eſſe Veritatis, Spiritum Sanctitatis, Spiritum Fortitudinis.

Primùm Spiritus eſt Veritatis; quia nos replens luminibus ſuis, nos docet omnem veritatem.

Secundò Spiritus eſt Sanctitatis; quia ſe ſe nobis conjungens deſtruit in nobis quidquid oppoſitum eſt Sanctitati.

Tertiò Spiritus eſt Fortitudinis; quia nos pares efficit omnia faciendo, & omnia perferendo propter Deum inſpirans nobis vitam ſupernaturalem, & robur majus omnibus difficultatibus. Qualitates Spiritus ſancti, quæ nobis exhibentur per hunc myſticum ignem, ſub cujus ſymbolo datus fuit Apoſtolis; Ignis enim habet facultatem illuminandi, purificandi, & calefaciendi; quæ tres habita noſtrum ratione, ſunt proprietates Spiritus Dei: tamquam Spiritus Veritatis, nos illuminat; tamquam Spiritus Sanctitatis, nos purificat; tamquam Spiritus Fortitudinis nos animat. Tamquam Spiritus veritatis elevat, & perficit Spiritus noſtros; tamquam Spiritus Sanctitatis, reformat, & mutat corda noſtra; & tamquam Spiritus Fortitudinis movet omnes facultates noſtras per zelum, quem excitat in nobis, cum vult nos ad majorem Dei gloriam operari.

Vide Myſterium idem eodem in loco.

IN FESTO
SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra, Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Matth. 28.

I. Argum.

Nihil ſublimiorem nobis adſtruit ideã Chriſtianæ Religionis quã Sanctæ Trinitatis Myſteriũ.

SI Hominis proprium eſt, & una ex rationibus, quibus animarum noſtrarum immortalitas probatur, habere Religionem; verum quoque eſt dicere, Religionis eſſe proprium attollere ſpiritum, & cor Hominis inſpirando illi ſenſus dignos divinitate, & componendo mores illius ad normam earum veritatum quas docet; qua in re Chriſtiana Religio præſtat ſectis omnibus, quæ unquam extiterunt. Verum cum Religionis hujus fundamentum ſit adorabile Trinitatis Divinarum Perſonarum Myſterium, cujus Myſterii fides proprie nos Chriſtianos conſtituit, & cujus cognitio omnino eſt neceſſaria, ut ſalvemur; in hoc unice immorari mens eſt in hujus feſtivitatis celebratione adnitendo, non quidem illud explicare vobis, quippe infinite excedit vires Spiritus noſtri, ſed tantum duplicem vobis perſuadere veritatem, quæ totam ſermonis partitionem conſtituent.

Harum

Digitized by Google

Harum prima eſt, nihil nobis ſublimiores de Deo ſenſus adſtruere, quàm Myſterii hujus incomprehenſibilitatem, & in hac ſitam eſſe noſtræ Religionis excellentiam.

Secunda eſt, nihil vehementius nos ad hunc Deum amandum, eique deſerviendum impellere, quàm quod ratio ſuffulta fidei luminibus nobis aperit de hoc eodem Myſterio; cumque duo hæc ſint finis Religionis, erunt quoque hujus Sermonis diviſio.

Pars prima. Dico, cognitionem, quamvis confuſam, & craſſam, quam hujus Myſterii fides tribuit, ſublimiorem, nobilioremque adſtruere nobis ideam divinæ hujus Majeſtatis, quàm ea ſit, quam in hac vita habere poſſimus per omnes ratiocinationes, & omnes conatus humanæ mentis. Licèt enim aſſequi non poſſimus, quomodo Deus in tribus perſonis ſubſiſtat, imo in hoc multæ occurrant oppoſitiones, quas ſpiritus noſter extricare non valet, audeo tamen dicere hanc eamdem incomprehenſibilitatem, melius efficere, ut illius magnitudinem aſſequamur. Primùm, quia ſie illam aſſequi poſſemus, & ſi Deus quamvis infinitus, ſpiritus noſtri captu poſſet contineri, ille profectò magnus non eſſet; quandoquidem ſeptum non admodum ingens eſt, neque valde profunda penetratio; ſed ſcire, omnia creata, omneſque beatas mentes ſimul collectas illuc nequaquam pertingere poſſe; hoc ſane mihi adſtruit cognitionem nobiliorem, præſtantioremque: & ad veritatem hanc intelligendam, ac in lucem ferendam, ſatis eſt diſertis verbis exponere id, quod fides, & ratio innixæ revelationi nobis aperiunt. Ut autem id commode exponatur, plures occurrent rationes in Paragraphis Quinto, & Sexto, unde licebit inferre, Myſterii hujus incomprehenſibilitatem, nobis adſtruere nobiliorem ideam Dei, quem adoramus. Secundò ad Dei gloriam pertinet a creaturis cognoſci per ſuæ imbecillitatis confeſſionem; nam hoc eſt confiteri, nos Majeſtatis ejus fulgorem ſuſtinere non poſſe; & Myſterium hoc, quod interiorem ejus gloriam conſtituit, probationem eſſe exterioris per eam, quam nobis tribuit cognitionem licèt imperfectam, cui nihil eſt comparabile. Hoc facile probari poteſt inſtituta comparatione cum populis, qui nullam habent admirabilis hujus Myſterii cognitionem, & qui nihilominus cenſuerunt opus eſſe Religione ad colendam divinitatem, quam agnoſcebant: etenim quot extiterunt errores, & variæ opiniones perſonarum alioquin bono ſenſu non carentium quoad Divinitatem? Si igitur gloria ſita eſt in perſpicua cognitione meritorum & magnitudinis alicujus, quam gloriam haurire poſſet Deus ex cognitione, cum humili, tum falſa Majeſtatis ſuæ, ſuarumque divinarum perfectionum? Sed poſt hujus Myſterii revelationem, tunc homines veram habuerunt ideam magnitudinis Dei, eique veram gloriam tribuerunt; gloriam videlicet Patri, gloriam Filio, gloriam Spiritui ſancto &c. Tertiò denique cedit in Religionis gloriam habere Myſteria ſupra rationis captum poſita, & omnimodam Spiritus ſubmiſſionem depoſcentia; & hoc admirabile eſt divinæ Sapientiæ, quæ homines ſalvos facere voluit, conſilium, eos ad cognitionem veritatis evocare per fidem, potius quam per rationem; quia non omnes pares ſunt efformandis magnis ratiocinationibus, cum e contra qui nequeat altiſſima, ac ſublimiſſima, ope gratiæ, myſteria credere, ſit nemo. Ita quemadmodum ſapientiſſimus quiſque, ubi ſecutus eſt rationis ſuæ lumina, aberravit, & evanuit in ſuis cogitationibus, ſicuti teſtatur Apoſtolus; viſum eſt Deo aliud ſequi conſilium, trahendi videlicet homines per fidem potiſſimum hujus Myſterii, quod eos credere jubet ea, quæ illorum rationem ſuperant, imo etiam illi in ſpeciem adverſantur.

Pars Secunda. Cum aliquando perfecte beati futuri ſimus per intuitum trium adorabilium Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis; ita in hac etiam vita Sancti erimus eaſdem amantes. Volo autem vobis oſtendere, hoc ipſum Myſterium complecti validiſſimas hujus amoris cauſas; quoniam 1. non aliunde melius intelligere poſſumus quantopere Deus prior amavit nos, quoniam creavit nos ad imaginem ſuam, & videntur tres illæ Perſonæ certatim ſtuduiſſe quomodo ad vivum exprimerent ſimilitudinem ſuam in nobis cum in natura, tum in gratia. 2. Nihil melius oſtendere beneficia, quæ ab illo percepimus, quàm illa percepiſſe a ſingulis trium Perſonarum in particulari. 3. Nihil melius nobis aperire amabilitatem, & perfectiones Dei, quàm hujus Myſterii revelationem.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Myſt. Theolog. Titulum; Trinitas.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Matth. 28.

II. Argum.

In Myſte-

Quemadmodum per hoc Myſterium Chriſtiani ſumus, duo prorſus neceſſaria ſunt ad obeunda hominis vere Chriſtiani officia; ſcilicet bene credere, & bene vivere; ſi enim deſit alterutrum, Chriſtianus, qui rationis uſum habet, numquam perveniet ad ſupremam beatitudinem, quam nobis Religio Chriſtiana pollicetur. In hoc autem adorabilis Trinitatis Myſterio duo eximia Chriſtianiſmi continentur officia.

rio Sanctæ Trinitatis, ſicut ob Eccleſia explicatum, continetur quidquid Chriſtianus ad ſalutem credere, & facere debet.

Hendry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Primùm hoc Myſterium, ſicuti illud exponit Eccleſia, & quemadmodum a nobis eſt intelligendum, redigitur ad credendum: 1. unum eſſe Deum, & mox fides, & ratio nos docent, quænam idea, & quis ſenſus habendus ſit de illius bonitate, juſtitia, poteſtate, providentia, & iis, quæ in multis fidei noſtræ articulis continentur. 2. Deum hunc unum in eſſentia ſubſiſtere in tribus Perſonis, quarum una non eſt alia; & quamvis tres ſimul ſine diſcrimine conferant ad nos ſanctos, & deinde in æternum beatos efficiendos, ſcimus per appropriationem tribui Patri Creationem, redemptionem Filio, & Spiritui ſancto ſanctificationem; & deinde id, quod nos decet fides de Incarnatione Verbi, & mediis ad Salutem comparandam, quæ Filii merita, & Spiritus ſancti gratiæ nobis procurant. Ita hoc Myſterium, quod Fundamentum eſt ceterorum, continet in compendio, vel potius eminenter complectitur, quidquid credendum eſt Chriſtiano.

Secundò præterea nos erudit de iis omnibus, quæ facienda ſunt, & de eo modo, quo nobis vivendum eſt, ut ſimus veri Chriſtiani. Ut de hoc nobis perſuaſum ſit, meminiſſe debemus, Myſterium, quod colimus, complecti duo, quæ diximus eſſe præcipua fidei noſtræ, & adorationum noſtrarum objecta, ſcilicet unitatem eſſentiæ Dei, & Perſonarum Trinitatem. Hoc poſito, duo etiam eſſe debent ſubjectum noſtræ imitationis, & regulæ eorum, quæ a nobis ſunt facienda, ut ſimus veri fideles. Primùm imitari debemus adorabilem hanc Unitatem per unionem charitatis Chriſtianæ; hoc enim Salvator cupiit, & petiit a Patre, ut fideles unum ſint inter ſe, quemadmodum tu, & ego ſumus unum. Secundò Charitatem noſtram perfectam reddere debemus imitantes fœcundam hanc communicationem, quæ inter Divinas perſonas invenitur: videlicet, ut ſicut Pater Filio ſuam communicat naturam, & quidquid habet, & quidquid eſt præter Paternitatem ſuam, quæ eſt incommunicabilis; & ſicut Pater & Filius ſibi communicant quidquid habent perfectionum communicabilium; ſimiliter verus Chriſtianus in partem vocare debet fratres ſuos per charitatem liberalem bonorum quæ recepit a Deo, non ſine conditione illa ſuper eos effundendi.

Vide eoſdem locos Bibliotheca Myſt. Theol.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Matth. 28.

III. Argum.

Quid exigat a nobis adorabilis hujus Myſterii cognitio.

Deus revelavit nobis Auguſtiſſimæ Trinitatis Myſterium triplici ex cauſa. Primùm, ut nobis hoc ipſum detegeret Myſterium, antea ignotum, & ignoratum fere ab univerſo Mundo. Secundò, ut nobis oſtenderet beneficia, quæ inde accepimus. Tertiò, ut nobis palam faceret perfectiones, quas in ſe continet, & nos ad eas imitandas impelleret. Aperuit nobis Myſterii hujus veritatem, ut illud credere teneremur; Oſtendit nobis ea, quæ accepimus beneficia, ut gratum animum profiteremur: denique declaravit omnes perfectiones ſuas, ut illas imitaremur. Ex tribus hiſce cauſis tres haurimus ad eruditionem noſtram propoſitiones.

Primùm nobis hujus Myſterii veritatem revelavit; ideo tenemur illi facere fidei, & intellectus noſtri Sacrificium.

Secundò aperuit nobis beneficia, quæ accepimus, ut faciamus illi Sacrificium memoriæ noſtræ per jugem grati animi ſenſum.

Tertiò expoſuit nobis ſuas perfectiones tamquam objectum imitationis noſtræ; ideoque debet exercere imperium in cor noſtrum, & noſtram voluntatem. Quæ tres erunt partes noſtri Sermonis.

Vide locos ſuperius memoratos.

Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Matth. 28.

IV. Argum.

Fructus quos percipimus ex ſublimi hoc Myſterio adeo abſcondito?

Hoc Sanctæ Trinitatis Myſterium duplici modo reſpicere poſſumus, vel tamquam Myſterium tenebrarum, & caliginis; quia Scriptura, quæ illud nobis revelat, ſimul etiam tegit illud, tamquam impenetrabile, & poſitum ultra captum ſpirituum noſtrorum; vel tamquam Myſterium lucis, & fulgoris, quia ejus revelatio nobis propoſita, palam nobis oſtendit divitias bonitatis, & amoris Dei erga homines. Sed ex hoc, ſeu lucis, ſeu obſcuritatis Myſterio duo ingentia bona percipimus.

Primùm ex illius caligine, ejus aſſequimur magnitudinem, quia ſuper captum noſtrum ſitum eſt, & quomodo vetus quidam Chriſtianus Auctor inquit loquens de Philoſophis, qui Dei naturam cognoſcere voluerunt ſolo rationis lumine, numquam nobiliorem cognitionem illius aſſecuti ſunt, niſi cum abjecerunt ſpem omnem illius co-

Digitized by Google

Minuitur vel ſilet in Dñavio;

gnoſcendi. *Majeſtatem Dei, intelligendi deſperatione ſerſerunt.*

Secundò ex fulgore, & luminibus, quæ hoc Myſterium attulit Mundo illum recenti hac illuminans cognitione; oſtendit quippe bonitatem quam erga nos habuit Deus. Horum alterum poſcit ſpirituum noſtrorum ſubmiſſionem, alterum verò cordium noſtrorum gratitudinem,

Vide locos eoſdem.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Matth. 28.

V. Argum.

Contra Atheos negantes Dei exiſtentiã. Prov. 25.

Hæc verba ſunt, per quæ Auguſtiſſimæ & adorabilis Trinitatis Myſterium nobis revelatum fuit. Myſterium quod totius Religionis noſtræ fundamentum eſt, & quod credendum eſt nobis, quin illud altius penetrare velle audeamus; nemo enim id audere poteſt, quin pondere gloriæ, & divinæ Majeſtatis obruatur. *Scrutator Majeſtatis opprimetur a gloria.* Quidquid fides nos docet, eſt, Deum qui unus eſt, & cujus eſſentia dividi, & multiplicari non poteſt; tamen ſubſiſtere in tribus Perſonis eamdem habentibus naturam, eſſentiam, & poteſtatem: ita ut cum hoc Myſterium ſit extra captum mentium noſtrarum, omnis humanus intellectus ſubjici debeat jugo fidei, ut loquitur Sanctus Paulus.

Fateor igitur Chriſtiani cum hoc Apoſtolo. Deum in beata æternitate habitare lumen inacceſſibile, eſſe abyſſum interminabilem, Oceanum ſine littere; cujus ſummi Entis nullus ſermo exæquare valeat excellentiam & ſublimitatem; & intellectus noſtros nimis imbecilles, ac infirmos eſſe ad ſuſtinendam tot luminum lucem. Ita quæſtionem hanc, quid ſit Deus? penetrare non conor, cum illam fatear infinite majorem humano intellectu; ſed in hac immoror veritate, quæ ad captum noſtrum magis accedit: Eſſe Deum.

Hoc argumentum vobis mirum eſſe non debet ſi animum advertitis corruptioni morum temporis hujus, & impietati ſæculi noſtri, quod genuit tot Atheos, & Impios, in quibus vitium jugulavit omnem Religionis ſenſum, & ipſam fidem Supremi hujus Entis. Tandem enim Impietas ad hunc uſque exceſſum pervaſit, ut qui celet ſenſus adeo execrabiles, non deſint qui illos palam præſeferant, Et audeo dicere, ſi leges illos minime deterrerent, palam hoc in gymnaſiis docerent, ac profiterentur, quod miſertime nuper factitatum cognovimus. Per vos igitur mihi liceat hac die cultui unius Dei in Tribus Perſonis dicata, conari eorum impietatem confundere, qui non ſolum renuunt hujus Myſterii veritatem agnoſcere, verum etiam contendunt divinitatem de terris exturbare, & ſubvertere fidem, quam Deus ipſe impreſſit in penetralibus cordis noſtri. Sed nihil facilius eſt, quàm oſtendere, Atheos, & Libertinos qui ad hunc impietatis exceſſum pervenerunt, ut protſus Dei Fidem, omneſque Religionis ſenſus jugularent, eſſe damnatos:

Primùm ad Tribunal Naturæ, cujus vocem audire nolunt, & in qua creata omnia enarrant unum eſſe Deum, quamvis illi ſecedere velint, ſuffragiumque ſuum adjicere abnuant.

Secundò ad Tribunal conſcientiæ ſuæ, interius probantis adeſſe Supremum Judicem, & criminum ſuorum ultorem.

Tertiò ad Tribunal Dei ipſius, qui propter aſſertas eorum difficultates non ideo minus eorum eſt Dominus, nec minus omnem vitæ ipſorum rationem obſervat. Cumque probatum fuerit illos inexcuſabiles eſſe, ille tandem ſe cognoſcendum præbebit, efficiendo, ut æternos experiantur effectus ſuæ poteſtatis, atque juſtitiæ.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Athei.

IN FESTO

CORPORIS CHRISTI.

Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus. Joan. 6.

I. Argum.

De præſentia reali Corporis CHRISTI in Sacramento Altaris.

CUm ſenſus reverentiæ, timoris, & amoris, quos nobis inſpirat adorabile Sacramentum Altaris innitantur in certa fide, Corpus, & Sanguinem Filii Dei vere in illo contineri, ne mirum videatur vobis Fideles me hodierna die velle confirmare vos in hac fide, & vobis perſuadere præſentiam realem Corporis hujus, & Sanguinis, quod omnibus diebus adoramus, & quod per intervalla paſcimur, ac nutrimur. Fateor equidem, cum ſermo habendus mihi ſit apud Fideles, a quibus orthodoxi tantùm ſenſus foventur, fortaſſe opportunius futurum hanc ſupponere veritatem tanquam indubiam, & potius incumbere ad cor captivandum, quàm ſpiritum; præſertim cum Noſtræ Religionis Myſteria adeo validis probata ſint argumentis, ut inutile videatur rationes afferre, ex quibus fere novæ dubitandi cauſæ ſuboriuntur; quin auferantur, & diſſipentur illæ, quæ diſſipandæ aſſumuntur.

Verum, cum poſt Arianiſmum, qui prope fuit, ut eriperet Salvatori divinitatem, & qualitatem Unigeniti a Patre; conſtet, nullum uſpiam errorem fuiſſe, qui Chriſtianam Religionem periculoſius oppugnaverit in re magis eſſentiali; neque pertinacius propugnatum fuiſſe illo, qui conatus eſt nobis auferre realem, & verum Corporis ſui præſentiam in Euchariſtia: aſſeri etiam poteſt nullam fuiſſe veritatem majori cum zelo propugnatam, & in qua veri Eccleſiæ Filii magis crederent ſua intereſſe cuſtodire Patris ſui Teſtamentum; & nullam extitiſſe diſputationem, in qua adhibuerint ſolidiora argumenta, & plura ſcripſerint volumina.

Ego quoque adjicere volo vocem meam quantumvis exilem, ut velificer zelo, qui hodierna die tot animat Concionatores non tam ad extinguendas reliquias erroris adeo execrabilis, quàm ad vos confirmandos in Catholica fide de reali præſentia Dominici Corporis in diviniſſimo Sacramento, Verum cum impoſſibile futurum ſit unico ſermone complecti rationes, ac teſtimonia, ex quibus compoſita fuerunt tot volumina, ego me coarcto ad unam Scripturam Sanctam, ad quam adverſarii noſtri confugiſſe videntur, coacti nobis permittere cætera, obruti pondere auctoritatis Sanctorum Patrum, traditione fidelium omnium, deciſionibus Conciliorum, & univerſali totius Eccleſiæ conſenſu. Quemadmodum igitur non admittunt, niſi Scripturam pro norma fidei ſuæ æque in hoc articulo, ac in aliis, de quibus inter illos, ac nos minime convenit; lubenti animo hanc accipio conditionem, & jam inter nos conſtat de genere armorum, & de judice noſtræ controverſiæ. Unam duntaxat conditionem peſco, quæ ita æqua eſt, ut mihi negari non poſſit, videlicet ut ſibi non arrogent facultatem, quam in ceteris ſibi vindicant detorquendi ſenſum verborum Bibliorum, vel illa ad arbitrium explicandi; quandoquidem hoc idem eſſet, ac nullum omnino habere judicem, vel unum habere, cujus liceret illis explicare verba in ſuum ſenſum, atque utilitatem.

Cum igitur de hac re conſtet; animadverto Salvatorem tribus diverſis in locis de hoc auguſto Sacramento verba feciſſe.

Primùm in capite 6. Sancti Joannis, antequam inſtitueret hoc Sacramentum.

Secundò in tribus aliis Evangeliſtis, cum illud inſtituit.

Tertiò denique apud Sanctum Paulum in prima ad Corinthios epiſtola, poſt illius inſtitutionem. Primus locus continet promiſſionem dandi nobis Corpus ſuum; Alter continet promiſſionis hujus executionem; Tertius verò, uſum Sacramenti hujus faciendum. Hæc diſtinctio, Auditores, omnino neceſſaria eſt argumento, & quæſo a vobis, ut illi animum advertatis; quia quod infertur, vel quod inferri poteſt ex locis, in quibus explicite ſermo non eſt de Euchariſtia, officere nequit perſpicuis, explicitis, & formalibus verbis, quæ adhibita ſunt in promiſſione, qua CHRISTUS recepit, ſe nobis illud daturum in ipſa inſtitutione ſua, & in uſu, propter quem illud inſtituit. Inde enim ſpero futurum, ut hauriam invictas probationes realis hujus præſentiæ; & id quod Sermonis hujus partitionem conſtituet.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Myſt. Theol. quid ſcriptum ſit de hoc Myſterio.

Caro mea vere eſt cibus; Sanguis meus vere eſt potus. Joan. 6.

II. Argum.

Bonitas, potentia, & ſapientia Dei in hoc Sacramento.

Quemadmodum Deus eſſentialiter perfectus eſt in ſeipſo, tribuit omnibus effectibus perfectionem, quam poſtulant natura operum ſuorum, & gloria Auctoris eorum. *Dei perfecta ſunt opera.* Opus abſolutiſſimum bonitatis, & Sapientiæ Dei eſt JESUS CHRISTUS Deus, & homo; ſed dici poteſt opus abſolutiſſimum JESU CHRISTI eſſe Euchariſtiæ Sacramentum; & hoc eximium eſſe ſpecimen trium perfectionum ipſius.

Primùm bonitatis, quia hæc una illum impulit, ut ſe nobis daret in hoc divino Myſterio, cum non meritum noſtrum, neque ulla alia conſideratio ipſum illexerit.

Secundò abſolutiſſimum opus potentiæ ſuæ; quandoquidem in alio nullo operum ſuorum oſtendit tot, & adeo aſſidua prodigia; & dicere poſſumus cum Propheta, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum.*

Tertiò eſt etiam abſolutiſſimum opus, & mirificum inventum Sapientiæ ſuæ, quæ adinvenit modum non ſolum permanendi cum nobis, verum etiam in nobis, & ſe in eum ſtatum adduxit, in quo admirabile conſilium ſuum exequi poſſet.

Vide locum ſuperius memoratum.

Hoc

Hoc facite in meam commemorationem. Luc. 22.

III. Argum.

De Sacrificio Miſſæ, merito & fructu qui inde percipitur.

His verbis innititur poteſtas admirabilis, quam receperunt Apoſtoli offerendi magnum Chriſtianæ Religionis Sacrificium: ita ut ſicuti verba quibus Dei Filius divinum hoc Sacramentum inſtituit, re ipſa practica fuere, & efficientia mutationem ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantia Corporis, Sanguiniſque ſui; ita hæc alia verba *Hoc facite*, converterunt Apoſtolos ejus in totidem Sacerdotes novæ legis, illiſque contulerunt veram poteſtatem ponendi, & offerendi in Altaribus noſtris idem Corpus, eumdemque Sanguinem in Miſſæ Sacrificio. Hoc ipſum ſignificat verbum *facite*, quod in linguis omnibus Hebraica, Græca, & Latina habet vim eamdem, & ſignificationem. *Hoc facite*, videlicet ſacrificate, ſicut ego facio, quaſi diceret; amor, quo vos complector, fecit, ut præverterem mortis meæ ſacrificium me ipſum immolans manibus meis: verum in hoc charitatis exceſſu non acquieſco; illum inſtaurare volo in manibus veſtris in ſæcula; quamobrem vobis poteſtatem impertior hoc ipſum faciendi. Hinc ſequitur, auguſtum, & adorabile Sacrificium, quod ſingulis diebus in altaribus noſtris peragitur, eſſe verum, unicumque Chriſtianæ Religionis Sacrificium, quippe quod ſubſtitutum eſt in locum Sacrificii cruenti, quod ſemel oblatum eſt in Cruce, & quod re vera idem eſt, ſed diverſimode oblatum; ſed quod illud perfectiſſime repræſentat. Sub hac excellenti idea illud vobis proponere fert animus, oſtendendo: 1. Hoc repræſentare Crucis Sacrificium; quod nobis ſublimem conceptum inſpirare debet, & cogere nos, ut cum eidem adſtamus, ſingularem illi adhibeamus reverentiam. 2. Illius omnem continet virtutem; quod nobis inſpirat parem æſtimationem bonorum, infinitorumque theſaurorum, quos in eo poſſidemus. 3. nobis explicat illius meritum, & fructum; quod nos cogit, ut in ſtatum adducamur participes efficiendi, ac utendi incomprehenſibili bono, quod inde poſſumus haurire. Hic totus eſt ordo, & tota hujus Sermonis partitio.

Pro parte prima dico, id quod Sacrificii hujus excellentiam conſtituit, hoc eſſe, illud videlicet fuiſſe inſtitutum, ut Crucis Sacrificium repræſentaret, & illius memoriam perennaret; ubi 1. oſtendendum eſt nullam eſſe Religionem ſine Sacrificio, & Chriſtianam cum ſit omnium Sanctiſſima, & perfectiſſima, carere non debuiſſe hac adeo eſſentiali cæremonia. 2. Crucis Sacrificium eſſe non poſſe Sacrificium perpetuum novæ Legis. Rationes diſertiſſime expoſitæ adverſus Hæreticos invenientur in Paragrapho quinto; unde inferendum eſt hoc eſſe non poſſe niſi Altaris Sacrificium; quod eſt munda illa oblatio, de qua loquitur Propheta Malachia, quæ offertur in omni loco, & quæ a Daniele Propheta vocatur *juge Sacrificium*, quod ſingulis diebus iteratur, quod Crucis Sacrificio nequit convenire. 3. Miſſæ Sacrificium ita eſſe repræſentationem Sacrificii Crucis, ut prorſus ſit idem, & ſolum differat modo, quo offertur, & differat etiam ab aliis repræſentationibus; hæc enim rem eamdem continet, cum aliæ imagines paſſim excludant realitatem ejus rei, quam repræſentant. Quibus addendum eſt, hanc repræſentationem in eo conſiſtere, quod Corpus Salvatoris per vim verborum myſtice hinc quidem conjungitur, & inde ejuſdem Sanguis, quod repræſentat realem effuſionem, quæ in Cruce peracta eſt: ex quo conjicere licet quanam cum reverentia, contritione, & pietatis ſenſu aſſiſtere deceat divino huic Sacrificio &c.

Pro Parte altera. Cum hoc Sacrificium contineat virtutem omnem Sacrificii Crucis, ejuſque nobis applicet meritum, & fructum: facile eſt videre quem theſaurum nobis reliquerit Filius Dei, quam meritorum copiam inde haurire valeamus, & quem fructum ſperare. Poſſumus enim illud offerre pro nobis, & pro aliis, & pro remiſſione peccatorum, ad impetrandam finalem perſeverantiam &c. Ibi nanciſcimur fontem omnium gratiarum, & in omnibus neceſſitatibus noſtris perfugium. Itaque cum divino huic adſiſtimus Sacrificio, utiliter confugere poſſumus ad Deum hunc propter amorem noſtri immolatum, illum fidenter deprecari; & ſperare fore, ut nobis concedat quidquid ad ſalutem noſtram neceſſarium eſſe, cenſuerit.

Pro parte tertia, quæ ſecundam conſequitur, oſtendi poſſunt ea bona, quæ divinum hoc Sacrificium nobis largitur. Primùm medium nobis ſuppeditat placandi iram Dei, quem quotidie novis criminibus laceſſimus, offerendo illi Sanguinem eumdem, qui pro nobis in Cruce effuſus eſt. Secundò illi reddere poſſumus, quantum ab illo recepimus; quoniam offerimus illi Deum ipſi parem. Tertiò quotidie nos cumulat beneficiis, ſimulque præbet medium, quo illi ingrati non eſſe valeamus.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theol. ubi agitur de Myſterio Euchariſtiæ.

Baudry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus. Joan. 6.

IV. Argum.

De modo, quo divino huic Sacrificio adſiſtere debet.

Ex iis, qui ad Miſſam audiendam accedunt; Primùm non deſunt, qui non habent eam cognitionem, quæ eſſet habenda. Secundò plures ſunt, qui ea carent devotione, quæ eſſet afferenda. Tertiò tandem plurimi ſunt, qui illius dedecorant Sanctitatem. Primi erudiendi ſunt, Secundi hortandi ſunt, ut ædificent eos, a quibus videntur hac in actione, in qua debent ferre præ ſe pietatem, & Religionem; ac tertii denique confuſione replendi ſunt, quæ tres eſſe debent partes Sermonis.

Pro parte prima, quæ eſt erudire eos, qui carent ſcientia, quam habere poſſent magni hujus Myſterii; ſatis eſt explicare Sancti Auguſtini doctrinam de Sacrificio, ubi Deus ſimul eſt *offerens oblatum, & oblatio*. Deus offerens ſe Deo; hæc eſt Veritas Religionis; Deus dignatur ſe offerre per manus noſtras; privilegium eſt, & dignitas Religionis: De hoc erudiendi ſumus, ut magni hujus Myſterii ſcientiam habeamus.

In parte altera, quæ illos reſpicit, qui Miſſæ adſiſtentes carent ea devotione, quam habere deberent, ad hanc excitandam, & inflammandam magni illius meminiſſe debent principii, quod ſupponendum eſt in omnibus hujus argumenti ſermonibus, id quod in altaribus noſtris peragitur, fieri ad memoriam recolendam ejus rei, quæ facta eſt tempore Paſſionis Domini, quam quotieſcumque Miſſam celebramus, eique populus adſtat, Primùm videtur Jesus Christus onuſtus peccatis hominum, cum in Calvarium aſcendit. Secundò videtur hic hominum Salvator expiare illorum peccata, dum Cruci ſuffixus fuit. Tertiò ibi videtur applicare præſentiſſimam medicinam peccatis eorum, cum pro illis ſuum cruorem effudit. Fieri autem non poteſt, quo minus hæc omnia recolentes animo, ſaltem non aliquam habeant particulam ſenſuum, quos habuiſſent, ſi Crucis Sacrificio adſtitiſſent.

In Tertia parte facile eſt impios confundere, qui magni hujus Myſterii Sanctitatem dedecorant per immodeſtias, ſcandala, & impietates, quas ibi committunt: Satis eſt illis ob oculos ponere; Primùm, peccata, quæ committunt, immediate laceſſere Jesum Christum in loco, eodemque tempore, quo Patri propter illos offertur. 2. illos inſtaurare contumelioſiſſimas Paſſionis ejuſdem circumſtantias. 3. Illos præbere indignos, qui in partem accedant meritorum, & fructuum Salvatoris, & ſibimet per impietatem conflare inevitabilem reprobationem &c.

Vide locos eoſdem, quos in ſuperiori argumento memoravimus.

PRO SECUNDA

POST PENTECOSTEN DOMINICA,

QUÆ EST INFRA OCTAVAM

CORPORIS CHRISTI.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. 14.

I. Argum.

De frequenti Communione.

OPEROSUM non eſt, Auditores, quinam ſit hic homo, qui fecit cœnam magnam, cognoſcere. Verba hæc ſunt ſatis perſpicua, ita ut dubitare non liceat, utrum ad alium quempiam referantur, præter quam ad Salvatorem in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Dei Filius profecto liberalis eſt homo iſte, qui efficit, ut Magnificentia ſua in hoc Myſterio refulgeat; & convivium hoc adeo ſumptuoſum non aliud eſt, niſi quod nobis inſtruit Corporis, & Sanguinis ſui.

Cœna hæc magna eſt, Auditores, ſive ſpectemus epularum, quæ miniſtrantur, qualitatem; quid enim pretioſius eſt Corpore, & Sanguine Dei? ſive numerum Convivarum; quandoquidem omnes generatim homines invitati ſunt, ſeu cœnæ ipſius durationem quandoquidem ad finem uſque ſæculorum eſt permanſura? *Homo quidam fecit Cœnam magnam*; cujus ubi conſideraverimus ordinem, apparatum, delicias, & magnificentiam, mihi videtur de hoc Convivio dici poſſe, quod Scriptura teſtatur de illo, quod Rex Aſſuerus omnibus Aulæ ſuæ Principibus inſtruxit, *ut oſtenderet jactantiam potentiæ ſuæ*: Eſther 1.

Hoc tamen non eſt ſolum Filii Dei conſilium, proſpexit neceſſitatibus noſtris æque ac gloriæ ſuæ; quapropter Convivium hoc non fit rarò; ſicut alia, quorum finis eſt voluptas, vel magnificentia. Convivium eſt, quod quamvis magnum ſit, non ideo minus eſt commune; Salvator enim ex eo

fuit epulum familiare animarum noſtrarum, neque ſatis eſt illi plures invitare, ſed hoc pluries facit, ut ſibi grave fieri putet contemptum, excuſatione, & prætextu eorum, qui ab eo ſe diſpenſant, ut liquet ex hodierno Evangelio, & contumelioſam ſibi exiſtimet injuriam inferri, quaſi nihil ipſi antiquius ſit, quàm nos frequentiſſime adhibere convivas. Hinc mihi locus aperitur hodierna die de frequenti communione verba faciendi, & oſtendendi ea commoda, quæ ex adeo ſancta exercitatione percipimus.

Ut autem alios in ſua pietate confirmem, aliis verò errorem eripiam, quidquid a me vobis dicendum eſt, redigam ad duo eſſentialia puncta, quæ in hodierno Evangelio continentur.

Primum eſt hanc eſſe ſanctam praxim, & perutile conſilium ſæpe, & digne ad ſanctam accedere communionem. Duo hæc ſeparanda non ſunt; hoc innuere vult
Luc. 14. Dei Filius in allata parabola, per hanc invitationem, quam ſæpius inſtaurat. *Miſit Servum ſuum dicere invitatis, ut venirent.*

Alterum eſt, excuſationes omnes, quæ plerumque prætexuntur, inanes, & inutiles eſſe, & afferri tantum ad fovendam vitæ licentiam, quod ſignificat juſta iracundia, & comminatio hujus Patris Familias propter varios prætextus, quibus utuntur convivæ, ut ſe ſe a cœna diſpenſent. *Et cœperunt omnes excuſare, & iratus Pater Familias &c.* Hæc erit tota hujus ſermonis partitio, in quo procul a contentionibus, quæ obortæ ſunt in hoc argumento, ſpero me vobis probaturum, harum epularum uſum neque ſanctiorem eſſe poſſe, neque utiliorem; & omnes rationes, & excuſationes, quæ afferri poſſunt contra hanc ſanctiſſimam praxim acceptari non poſſe vel a Deo, vel ab hominibus, qui pii ſunt, & ſanæ mentis.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: COMMUNIO.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. 14.

II. ARGUM.
Pietas noſtra nos ad frequentē Communionem debet impellere.

Quidquid majoris momenti afferri poteſt in hoc de Frequentis Communionis argumento, complecti poſſumus in duarum harum propoſitionum epanodo.

Quarum prima eſt, vera Pietas nobis frequentem ſuadet Communionem.

Altera vero. Frequens Communio nutrit, & confirmat veram Pietatem.

Pro prima. Licèt improbari nequeat, qui aliquando abſtinet a Communione reverentiæ cauſa ex Divi Auguſtini ſententia; tamen confidentia, & charitas huic reverentiæ præferenda eſt, & videtur hoc aſſerendum citra quamcumque dubitationem; quandoquidem vera pietas frequentem nobis ſuadet communionem. Profectò vera pietas conſiderari poteſt ratione trium rerum, quæ Chriſtianos ad bonas actiones impellunt, 1. ad Spiritum pœnitentiæ; namque Dei Filius hodierna die non aliter ſe geſſit cum peccatoribus, quàm ſe gerebat, dum verſaretur in terra. Tunc invitabat peccatores pœnitentes; converſabatur cum illis, & quin illos faſtidioſe repelleret, cum illis epulabatur. 2. Spiritus Religionis, & reverentia in eo ſita eſt, ut digne accedamus: 3. Spiritus Charitatis & amoris Dei hoc nobis ſuadet, quoniam hic amor ad arctiſſimam tendit unionem.

Pro altera propoſitione. Ad veram pietatem confirmandam, tria ſunt neceſſaria: 1. obligatio, qua jubeamur; 2. ratio. 3. medium, quæ tria in frequenti Communionis uſu inveniuntur.

Vide locum ſuperius memoratum.

Homo quidam fecit cœnam magnam &c. Luc. 14.

III. ARGUM.
Magnitudo, & Magnificentia convivii, a quo nullus dispenſare non debemus.

Dicere poſſumus, convivium, de quo hodierna die loquitur Salvator vere magnum eſſe 1. ratione illius, qui illud nobis præparavit, & nos invitat. 2. propter multitudinem convivarum, *vocavit multos*. 3. propter epulas, quæ miniſtrantur, quæ ſunt Corpus, & Sanguis Dei.

Infelicitas eorum, qui prætexunt excuſationes: *Amen dico vobis, nemo virorum illorum guſtabit cœnam meam.*

Vide locum quem ſupra.

PRO TERTIA DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & ſi perdiderit unam ex illis nonne dimittit nonaginta novem, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam. Luc. 15.

I. ARGUM.
Dimenſiones gratiæ Dei.

SALVATOR animarum noſtrarum exhibet nobis in hodierno Evangelio animatam hypotipoſim zeli ſui miſericordis, & infatigabilis pro ſalute Peccatorum ſub forma Paſtoris relinquentis nonaginta novem oves in ovili, centeſimam, quæ in deſerto decraverat quæſiturus. It, redit, currit interdiu, noctuque; attollit vocem ſuam, vocat illam; verbo, nullam capit requiem donec illam inveniat; & ferens præ gaudium, & lætitiam convocat amicos, & proximos dicitque illis, Congratulamini mihi; quippe ovem, quam me amiſiſſe credideram, inveni.

JESUS CHRISTUS hunc Sermonem inſtituit ſe apud Phariſæos probaturus, muſſitantes eo quod illum videbant ſeptum ingenti corona peccatorum, & Publicanorum, quos non ſine quadam ſuavitate, & infeſtatione excipiebat: *Erant appropinquantes ad* JESUM *Publicani, & peccatores, ut audirent illum, & murmurabant Phariſæi.* Ibidem.

Quin hic ſtupor, & hæc Scribarum, & Phariſæorum murmura nos moveant, admiremur, & benedicamus amorem infinitum, & incomprehenſibilem zelum JESU pro peccatoribus, qui nobis exhibetur in cura amabilis Paſtoris hujus pro ovicula deerrante.

Ut omnes homines, præſertim verò inſignes peccatores cogam ad Dei miſericordiam confugere, mens eſt illius oſtendere Magnitudinem nullis finibus coercitam, & toto Cœlo Majorem humana nequitia, atque miſeria, quæ ſunt ejus objectum. Quamobrem, ut mihi videtur, non poſſum æquiorem illius ideam vobis adſtruere, quam oſtendendo vobis illius dimenſiones, Sanctum Paulum ſecutus, qui hoc ipſum facit de ipſius Dei Charitate, ubi, ſi quod intereſt diſcrimen, ſpiritus noſter illud conſtituit, atque hoc nomen attribuit, quatenus bonitas hæc, & charitas infinita miſeretur miſeriarum noſtrarum, nobiſque criminum noſtrorum veniam largitur. Igitur Miſericordiæ hujus charitatis dimenſiones connotatæ ſunt his Pauli verbis: *Ut poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum.* Hæc erit Sermonis hujus partitio, quæ vobis inſpirabit ſublimes ſenſus gratitudinis, & timoris, ne hac miſericordia abutamini, ac tandem Dei patientiam fatigetis. Ad Epheſ. 3.

Prima dimenſio eſt ejus latitudo, atque extenſio, quoniam ſe extendit ad peccata omnia excogitabilia, quæ dimittit, & ad omnes peccatores, quibus recipiendis ſemper eſt parata, cum ad illam confugiunt animo diſcedendi a ſceleribus ſuis. Conſiderate, quot peccata patrata fuerint, patrenturque ſingulis diebus in Mundo; quot eorum ſpecies; qui numerus; quæ enormitas. Miſericordia Dei ad hæc omnia ſe extendit, & non exhauritur. Quot peccatorum miſertus eſt Deus, & nonne ille ipſe pollicetur ſe paratum ſemper eſſe ad miſerendum, ubicumque cum corde contrito, & humiliato ad illum confugimus? Ille ipſe quærit peccatores inter crimina ipſorum, eos de ſceleribus avocat, eoſque, ut ita dicam, expanſis ulnis complectitur. Regius Propheta jure ſuo dicit, terram plenam eſſe Miſericordia Domini, & meritò ſubdit Eccleſia; miſereri illius eſſe naturam, & caracterem. Unus re ipſa Deus eſt, qui majorem exerceat patientiam cum peccatoribus, quàm herus aliquis cum famulis, aut Pater cum filiis ſuis ſit habiturus.

Secunda divinæ hujus Miſericordiæ dimenſio eſt longitudo, quæ non aliud eſt, quàm hæc longa patientia, quam tantopere adeo frequenter Scriptura commendat, & cui nihil par invenitur, expectat enim annos triginta, & quadraginta peccatores obduratos, rebelles omnibus gratiis ſuis, & indigniſſimos, qui eaſdem recipiant. Non abnuit illos ſollicitare, & ſæpe etiam ad extremam uſque ſenectutem expectare; patiens ab illis impune violari leges ſuas, & Sanctiſſimum Nomen ſuum blaſphemari; ita ut eos, non derelinquat, ita ut illis ſemper permittat gratias, quibus adjuti reſurgere poſſint, & recentia præbeat ſalutis adminicula. Quæ miſericordia! Sed quam indigni ſunt illa, qui ſub hoc prætextu eamdem laceſcere perſeverant? & qui videntes ſe a Deo toleratos fuiſſe hactenus in flagitiis ſuis, in illis uſque ad finem perſiſtere volunt, quandoquidem Deus non alios conſtituit terminos miſericordiæ ſuæ, quam hujus vitæ finem; quamobrem ſperant ſe veniam conſecuturos; licèt ſæcula integra in nequiſſimis ſceleribus perſeveraſſent.

Tertiò ad dimetiendam Dei miſericordiam ſecundum

illius

illius altitudinem conſideranda eſt ratio, qua movetur ad miſerandum peccatorum, & miſericordiam exercendam erga illos, qui aliquando ſunt indigniſſimi; hoc enim illam commendat ſupra hominum miſericordiam, quis ad id nonniſi propria movetur bonitate ſine ulla utilitate, & quin peccatores ullum habeant meritum, quod benignos Dei obtutus valeat allicere; cum nihilominus ipſe illos tanta feſtinatione perquirat, quaſi opera eorum indigeret; cum illis redit in gratiam, una eorum flectitur lacrymula, ac ſuſpirio; eiſque omnia reſtituit jura, ex quibus exciderant. Agnoſcamus amabilem hanc bonitatem, fateamur noſtram indignitatem, gratumque animum in omnem æternitatem profiteamur. *Miſericordias Domini in æternum cantabo*. (Pſalm. 88.)

Quartò, Quamdam profunditatis ſpeciem cognoſcere poſſumus in miſericordia Dei per comparationem, quam inſtituere licet cum hominum miſericordia, quæ ut plurimum hæret in ſuperficie, & fundum non habet. Illa perfectior eſt, quæ verbis addit officia, & ſpectabile ſubſidium in urgenti neceſſitate. Hujuſmodi eſt Dei miſericordia, quæ in hoc ſenſu eſt profunda, ita ut cum Apoſtolo ipſe vocari poſſit, *Pater miſericordiarum, & totius conſolationis*. (2. ad Cor. cap. 1.) Neque contentus fuit verbis, proceſſit uſque ad effectus admirabiles. Se hominem fecit, ut nos a noſtris miſeriis liberaret: obtulit omnes vitæ ſuæ labores, mortiſque paſſiones ad obtinendam veniam criminum noſtrorum, ac nos deducendos in poſſeſſionem æternæ felicitatis &c. Nonne igitur nobis in divina hac miſericordia confidendum eſt? Sed per quam diligenter caveamus, ne eadem per temerariam præſumptionem abutamur &c.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: MISERICORDIA.

Ita dico vobis: gaudium erit coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. LUC. 15.

II. ARGUM. — De abuſu miſericordiarum Dei.

Magna profectò, eaque valida pro nobis, Fideles, eſt conſolatio cogitare de magnitudine Miſericordiæ Dei; & ſumma capi debemus admiratione, ubi noſtram indignitatem, & nihilum comparemus cum Suprema hac Majeſtate criminibus noſtris laceſcita. Hoc nos potiſſimum debet afficere videntes, tanta licèt extiterit ingratitudo noſtra, Deum tamen non ideo ceſſaſſe, quominus quodammodo ad exceſſum uſque diligeret. Verum nequeo diſſimulare, Fideles, hunc eſſe ſcopulum, in quem plurimi ſingulis diebus allidunt, cum in conſideratione infiniti hujus divinarum miſericordiarum Oceani, homines temeraria præſumptione confidunt, atque ſub hoc prætextu in ſceleribus ſuis perſeverant.

Hæc tamen conſideratio non prohibebit, quominus vobis exponam infinitas hujus miſericordiæ divitias, quo nomine illas vocat Apoſtolus, ſed hoc fiet, cum neceſſariis præcautionibus, ne eadem abutamur; cum abuſus rerum ſaluberrimarum, ut plurimum ſit pernicioſiſſimus. Propterea vobis connotandos præcipue proponam tres effectus æque pares mulcendis cordibus noſtris, & ſpiritibus percellendis.

Primus eſt ardor, & ſollicitudo, cum qua Deus hic bonitatis inquirit peccatores in ſcelerum ſuorum abyſſo; ſed ardor, & ſollicitudo quæ migrat in frigus, cum peccatores impunius illum læſuri per ſibi prætendentem præſumptionem bonitate illius abutuntur.

Alter eſt invicta in illis ſuſtinendis patientia, quæ tandem delaſſatur, cum peccator pertinaci animo per inanem in miſericordia illius confidentiam perſeverat.

Tertius eſt ſuavitas, & facilitas, cum qua recipit peccatores, ubi convertuntur, & ex corde ad ipſum redeunt: ſed Suavitas, & facilitas, cui comes accedit rigor inflexibilis, & inexorabilis erga eos, qui lædunt eum ſub inani ſpe ſe facili negotio veniam impetraturos. Ecce, Fideles, tres conſiderationes, quæ hinc quidem idoneæ ſunt ad fovendam ſpem peccatorum converti cupientium; inde verò aptiſſimæ ad incutiendum terrorem illis, qui de Miſericordia Dei præſumentes ſub temerario hoc prætextu in peccato ſuo perſeverant. Hæc erit hujus ſermonis partitio.

Vide locos in ſuperiori argumento memoratos.

Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. Luc. 15.

III. ARGUM. — Deſiderium, quod habet Deus ſalutis peccatorum colligitur ex gaudio quo afficitur ex illorum converſione, & pretio, in quo habet animas eorum. (Luc. 15.)

Hodiernum Evangelium, Auditores, complexum videtur fuiſſe notas omnes bonitatis, & miſericordiæ, qua Salvator Mundi uſus eſt erga peccatores. Videtur ſollicitudo, qua illos perquirit, eo uſque, ut ſuſtineat Phariſæorum probra, qui ſcandali occaſionem arripuerant videntes illum cum Publicanis converſantem. *Murmurabant Phariſæi, & Scribæ dicentes; quia hic peccatores recipit*. Ibi non prætermittitur voluptas, & gaudium, quo afficiebatur ex pœnitentia, & converſione eorumdem peccatorum eo uſque, ut ejuſdem particeps fieri velit Cœlum univerſum. *Ita dico vobis: gaudium erit ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*. Animam, quæ deflexit a viis Dei, reſpicit tamquam Paſtor benignus ovem deerrantem, quam relicto grege perquirit, inventamque humeris imponit ſuis reducturus in præſepe; & denique teſtatur animas noſtras ſibi eſſe chariſſimas, qualis eſt drachma, in qua poſitæ erant omnes divitiæ pauperis muliercułæ, quæ nihil intactum, intentatumque reliquit, neque ulli labori, & curæ pepercit, ut inveniret; ita ut ſtatim ac votorum ſumma aſſecuta eſt, lætitiam ſuam cohibere nequeat, & velit, omnes vicinas ſecum gratulari. *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram*. (Ibidem.)

Per has ſimilitudines, Auditores, atque hæc teſtimonia Filius Dei nobis oſtendit quanti faciat animam noſtram, & quanti hæc ſteterit ſibi; quandoquidem nullis pepercit ſumptibus, ut illam ſalvam faceret, illam Sanguinis ſui pretio redemerit, & in terras deſcenderit ad oſtendendam illi ſalutis viam, & demum impenderit vitam, mortem, paſſiones, laboreſque ſuos, ut lucraretur illam, ſuæque ſervituti ſubjiceret.

Ita eſt, Chriſtiani, anima noſtra eſt tamquam bonum, atque theſaurus Dei, hujus jactura illum mærore conficerat, & ejuſdem ſalus quodammodo lætitiam ejus, & felicitatem conſtituit. Nonne hinc poſſumus haurire validas rationes, ut cooperemur ſollicitudinibus optimi hujus Paſtoris, & ſuaviſſimis ipſius perquiſitionibus reſpondeamus?

Primùm proponentes nobis æquiorem ideam pretii hujus animæ.

Secundò ad Examen revocantes qua in re hæc adeo nobilis, & pretioſa anima ſit impendenda; ſcilicet ad acquirendam ſupremam Felicitatem, propter quam facta eſt: ex quo non erit arduum videre modicam curam, quæ pleriſque hominibus eſt, qui ne cogitant quidem de illa ab æterna calamitate vindicanda: Hæc tota erit Sermonis noſtri partitio.

Vide in To. I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: ANIMA; *& in To. III. Titulum:* MISERICORDIA DEI, *& ibidem Titulum:* POENITENTIA.

PRO QUARTA DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus. Luc. 5.

I. ARGUM. — De operum noſtrorum inutilitate. (Luc 5.)

FRUSTRA, Chriſtiani, abſente Filio Dei laboribus exercentur Apoſtoli, quemadmodum in hoc conqueruntur Evangelio. Fruſtra jaciunt retia ſua, omnemque adhibent curam, & induſtriam multi ſe laboribus exercent, & nullum percipiunt fructum. *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus*. Verùm ſtatim ac prodiit Salvator piſcatio felix peracta eſt. Navigia duo, quæ ingenti copia omnigenæ multitudinis piſcium onerantur, ſubeunt periculum ſub immani pondere ſubſidendi, & illis ipſis obſtupeſcentibus propter facti novitatem, & neſcientibus quid ſentiendum eſſet de mutatione adeo inſperata, Petrus omnium ferventiſſimus ad Magiſtri pedes procubuit, & ceteri, qui illum comitabantur, ſimul naviculas, & retia relinquentes, ſequuntur illum, quem felicitas quocumque ſubſequebatur. *At illi relictis retibus ſecuti ſunt eum*. (Luc. 5.)

Ecce Auditores plura Myſteria enucleanda: ecce ingens copia animadverſionum, & documentorum. Tamen hæc omnia ad unum cenſeo redigenda, videlicet ad medium utiliter ad Cœli acquiſitionem laborandi, & non amittendi fructum, meritumque actionum noſtrarum ex defectu conditionum, quæ ſunt neceſſariæ, ut fructus inde percipiatur, & dignæ fiant æterna remuneratione, vel ut quidam Sanctus Pater ait, *prægnantes bonorum operum*. Hæc ſpes pleroſque fruſtratur; ſæpe laborant plurimum, & nihil accipiunt; putant ſe adeptos eſſe ingentem meritorum cumulum; ſed morti proximi vacuas manus inveniunt; quia non laboraverunt cum Deo, neque propter Deum. Primùm non laboratur cum Deo, cum in Dei gratia non ſumus; gratia enim Deum nobis præſentem facit, & omnes actiones noſtras vivificat, efficiens illas, ut Apoſtolus inquit, dignas pondere gloriæ; alioquin dicit Evangelium, hoc eſt operari per noctem, videlicet in ſtatu peccati, in quo nihil pro Cœli acquiſitione poſſumus mereri; *per totam noctem laborantes nihil cepimus*. (Luc. 5.) Secundò non fiunt propter Deum, ut inquit Sanctus Petrus in eodem Evangelio noſtro, *in verbo tuo laxabo rete*. (Ibidem.) Parebo, Domine, imperanti, faciam, quod a me fieri vis; & omnia præſtabo, ut tibi placeam.

Ecce, Chriſtiani, magnum, ac perutile documentum, quod

Digitized by Google

quod hodierna die Filius Dei nobis proponit; & medium admirabile, quod nos docet ad acquirenda ſine novis ſumptibus ingentia bona, immenſos meritorum theſauros, & ad evitandam calamitatem plurimorum, qui multa quidem, verum ſine fructu operantur.

Primùm cum Deo laborandum eſt, hoc eſt in gratia Dei, per quam opera noſtra illi accepta ſunt,

Secundò laborandum eſt propter Deum ex mera, ſinceraque intentione placendi illi, & faciendi voluntatem illius. Quod in ſermonis decurſu explicabimus.

Vide in Tom. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: OTIUM.

Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus, in verbo tuo laxabo rete. Luc. 5.

II. Argum. De Confidendo in Deo

Numquam alias Sanctus Petrus, aliique Apoſtoli feliciorem habuere piſcationem, niſi cum voci Filii Dei obedierunt. Hic illis præcepit, ut ex altero navigii, in quo erant, latere mitterent retia; hoc eſt Mundi Salvator fecit, ut momento majus referrent lucrum, quam per omnes noctis labores retulerant. Profectò, ſudaſtis, laboraſtis, multa paſſi eſtis, & poſt hæc nihil cepiſtis, quia laboraſtis ſine illo: *per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Verùm ſimul ac confidiſtis in illo, in verbo ejus, & auxilio, piſces catervatim irruerunt in retia veſtra, tanta in copia, ut illa ferme frangerentur, ita ut in eo labor veſter impenſus fuerit in colligenda piſcium multitudine, qua navicula veſtra repleta fuit. Hic eſt Chriſtiani effectus noſtræ in Deo confidentiæ, quæ in oculi ictu magis noſtra promovet negotia, quàm profecerint omnes curæ, laboreſque noſtri toto vitæ noſtræ curriculo. Sed fateamur, Fideles, non adeo facile eſſe habere firmam hanc in Deo confidentiam, qualem Dei Filius poſtulat, ad inſtaurandum hodierni Evangelii miraculum: quandoquidem Sanctus Petrus ipſe, aliiſque Apoſtoli eadem caruerunt in tot aliis occaſionibus, & poſt tot alia miracula, quæ ob eorum oculos obverſabantur. Tamen virtutem adeo nobilem, ac neceſſariam ſuaſurus ſum hodie illis qui me audiunt, oſtendens

Primùm ſine ope Dei, quidquid aggredimur, numquam nobis ceſſurum e ſententia, & ob leviſſimos caſus ſubverſum iri,

Secundò cum ope, & protectione Dei, In qua confidimus omnia in utilitatem, & commodum noſtrum ceſſura; ubi illa ad majorem Dei gloriam aggreſſi fuerimus, atque ut noſmet conformaremus ejuſdem voluntati eo in ſtatu, in quo nos ille conſtituit. Hoc ex hodierno Evangelio innoteſcit, in quo Deus hinc quidem remuneratur Sancti Petri confidentiam multitudine piſcium, qui in ejuſdem retia confluxerunt, inde verò eum confirmavit in eo metu, quo correptus fuit videns ſe tanto indignum ſubſidio: *Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens.* Ibid. 5.
Hæc duo bona ſunt, quæ cedunt illis, qui non præfidentes in induſtria, laboribuſque ſuis in protectione, & Providentia Dei uſquequaque confidunt.

Vide in To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: CONFIDENTIA.

Cum turba irruerunt in JESUM, *ut audirent Verbum Dei &c.* Luc. 5.

III. Argum. Modus prædicandi, & audiendi Verbum Dei.

Hodiernum Evangelium nos docet, Filium Dei, qui venerat in terram ad homines erudiendos, ac tradendam illis novam doctrinam, omnibus uti occaſionibus exercendi miniſterium prædicationis propter quod miſſus fuerat, & per quod homines erudiri cupiebat. Quemadmodum verò vox illius ab omnibus, hominibus ſingillatim, & locis in omnibus exaudiri non poterat, in hujus muneris ſocietatem cooptavit Apoſtolos, qui primi fuerunt Legis præcones, & qui primi annuntiaverunt Evangelium. Hi autem Apoſtoli, & Prædicatores iſtic exhibentur ſub nomine, ac munere Piſcatorum, qui divini hujus Præceptoris juſſu jacientes retia, ceperunt hanc piſcium multitudinem, quæ deſcripta eſt, ad ſignificandum fructum uberem, quod ferre poteſt Verbum Dei, ubi diſpenſatum fuerit in circumſtantiis, & cum neceſſariis conditionibus. Verum quin fuſius verba faciam de præſtantia, poteſtate, ac virtute divini hujus verbi, animadverto ſolum, Evangelium hujus diei docere

Primò in Filio Dei, qui ſumit occaſionem illud ante alios prædicandi, veram illius enuntiandi rationem.

Secundò in populis undequaque confluentibus ad illum audiendum, rationem, qua illud audire opus eſt, ut inde fructus, quem afferre poteſt, percipiatur,

Tertiò in miraculoſa Apoſtolorum piſcatione inſignem effectum pro converſione peccatorum, & nationum doctrina. *Concluſerunt piſcium multitudinem copioſam.* Luc. 5.

Pro parte prima, quæ continet Prædicatoris officium, Filius Dei nos docet. Primò munus hoc aggrediendum non eſſe ſine peculiari miſſione, ſicut ille ipſe miſſus fuit a Patre ſuo, quemadmodum pluribus in locis Evangelii ſui teſtatus eſt. Secundò prædicando verbum hoc de Sancti Petri navigio, quod nobis oſtendit, in vera tantùm Eccleſia Verum Dei Verbum nuntiari. Tertio ipſum hoc ſine perſonarum vel conditionum acceptione populis prædicaſſe, quin in hoc munere quæreret aut fulgorem, aut Auditorum nobilitatem, ſed ad eos loquendo, qui melius proficere poſſent. *Pauperes Evangelizantur.*

Pro parte altera, quæ reſpicit Auditores: Ex hoc ipſo Evangelio diſcimus modum audiendi Verbum Dei. Primò accedendum eſt cum feſtinatione, & ingenti deſiderio inde proficiendi: *Cum turba irruerent in* JESUM, *ut audirent Verbum Dei.* Secundò afferenda eſt attentio neceſſaria, qualem attulerunt populi iſti, cum Salvator loqueretur eis de navicula, ubi ſedebat ad evitandam turbam audientium de littore. Tertiò diſcitur fructus, qui ex eodem Verbo poteſt hauriri, qui cognoſcitur ex profectu eorumdem Apoſtolorum, qui tunc illius primi Auditores fuerunt: namque Sanctus Petrus primus omnium ad Filii Dei pedes procubuit, ſe vere peccatorem eſſe confeſſus. *Recede a me, quia homo peccator ſum*; & alii reliquerunt phaſellum ſuum, & retia, ut JESUM ſequerentur, eique unice adhærerent.

Pro parte tertia, quæ eſt miraculoſa illa piſcatio, quam fecerunt Apoſtoli, dubitari nequit quominus repræſentet nobis non ſolum multitudinem peccatorum, verum etiam Nationum ex Idolorum cultoribus conflatarum, quæ converſæ fuerunt, & ad fidem vocatæ vi, ac virtute divini hujus Verbi, quod ad hanc quoque diem eamdem obtinet facultatem in animos peccatorum, ubi adminiſtretur, uti decet, & afferantur eædem diſpoſitiones ad proficiendum.

Vide Bibliotheca Moral. Evangel, To. IV, ſub Titulo; VERBUM DEI.

PRO QUINTA DOMINICA
POST PENTECOSTEN,

Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cælorum. Matth. 5.

I. Argum. Tenetur Chriſtianus facere opera bona.

DUo ſunt omnino neceſſaria in Fideli, ſine quibus fruſtra jactat glorioſi hujus nominis privilegia, & mercedem ſperat, quam pollicitus eſt Deus illis, qui muneribus ſuis fuerint perfuncti. Fides, & lex. Fides omnium Myſteriorum Religionis noſtræ, & praxis bonorum operum, quæ præſcribuntur ab illa. Ecce quænam ſint duo Chriſtianiſmi fundamenta, ac totius Evangelii Compendium. Quod pertinet ad Fidem, & Religionis noſtræ Myſteria, jam locuti ſumus in ſuperioribus; & ſi quid reſtat, de quo plenius erudiendi ſimus, non deerunt occaſiones hoc efficiendi in reliquo anni hujus curriculo; quod verò ſpectat ad praxim operum bonorum, quorum neceſſitas inevitabilis eſt, Salvator nos erudire videtur in hodierno Evangelio, ubi palam docet diſcipulos ſuos, & in eorum perſona Chriſtianos omnes quod, *niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cælorum.* Matth. 5.

Verbum terribile! Auditores, præſertim verò hoc ſæculo, quo videtur, prout Fides in omnem terrarum orbem ſe effudit, charitatem in cordibus noſtris intepuiſſe, ut loquitur Evangelium; & dum Chriſtiani fidem ſuam actionibus probare deberent, actiones eorum e contra oſtendere nullam in ipſis fidem reperiri. Quod autem officia duo, hæc quæ a Fideli exigit Deus, ſeparari invicem nequeant, hodierna die vobis oſtenſurus ſum

Primùm obligationem, qua Chriſtianus tenetur, bona opera facere, quod primum erit punctum.

Secundò conabor oſtendere nullum eſſe Chriſtianum, quocumque in ſtatu ſit, & cujuſcumque ſit conditionis, qui hoc munere nequeat perfungi

Vide in Tom. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: OPERA BONA.

Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Matth. 5.

II. Argum. De Ira.

Primùm licèt Affectus hic homini inſitus fuerit ad injuſtitiam coercendam; plerumque nihil injuſtius eſt in principio, & in ipſa agendi ratione; etenim leviſſimas ob cauſas iraſcimur.

Secundò quamvis ira nos excitare deberet ad heroicas virtutes, obnoxia eſt maximis, & damnandis criminibus, niſi coerceatur, & ſi eadem nos rapi ſinamus.

Tertiò quamvis ad maximas, ſanctiſſimaſque actiones ſit neceſſaria, tamen optimas quaſque corrumpit, & vexat, ne cedant e ſententia.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: IRA.

Si er-

Digitized by Google

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5.

Sacrificantes Deo ſenſus iracundiæ, & ultioni abrenuntiantes, gratiſſimum, maximumque offerimus Sacrificium, quod aliquam habet ſimilitudinem, cum Sacrificiis legis antiquæ.

III. Argum. Primum erat Holocauſtum, in quo victima tota omnino erat conſummanda; quod accidit in Sacrificio, quod fit Deo ultionis. Nobis præcipiatur honor, bona, exiſtimatio; & in ſtatum adducamur jamjam vitam ipſam amittendi; ſtatim ac affecti ſumus animo noxam illatam dimittendi, & non expoſcendi vindictam, nihil nobis reliquum eſt, quod offeramus Deo. Hoc integrum Sacrificium, & Holocauſtum eſt, & nihil victimæ ſupereſt.

De Ultione cum Inimicis. Alterum erat Sacrificium Propitiationis, quod vulgo dicebatur *Sacrificium pro peccato*. Ultionis Sacrificium jure hoc nomine poteſt vocari; quandoquidem niſi inimicis noſtris conceſſerimus veniam injuriarum, quas accepimus, numquam impetraturi ſumus a Deo veniam peccatorum noſtrorum; cum e contra dimittentibus ex corde, nulla ſunt peccata adeo gravia, ac tam multa, ut veniam eorum nequaquam nos conſecuturos vereamur. Quod proculdubio latum Oratori differendi campum aperit.

Tertium erat Sacrificium, quod dicebatur *in honorem*. Non quod omne verum Sacrificium non fuerit inſtitutum in honorem Dei, ſed quod ſecernendum erat Sacrificium propitiationis a reliquis Sacrificiis ab holocauſto diverſis, in quibus victimæ portio reſervabatur in uſum ſeu Sacrificulorum, ſeu illorum, pro quibus offerebantur. Quamvis itaque verum ſit a dimittentibus injurias, & diligentibus eos, a quibus eas perceperunt, fiat Domino abſolutiſſimum, quod illi fieri poſſit, Sacrificium præſertim rei illius, quæ nobis maxime negotium faceſſit, & honoris ſumma vocatur; hoc non obſtat, quominus fidelis, qui quodammodo erogat ſumptus hujus generoſæ oblationis, habeat portionem, quam Deus illi reſervat honoris, quem illi pleniſſimo immolat affectu, vel potius ex actione ſua alium colligat honorem toto Cœlo ſuaviorem, nobilioremque, qui ex prioris reliquiis quodammodo naſcitur. Ita hæc venia, & hic amor in maximum cedit honorem Dei, & hominis; Dei quidem propter rationes, quas in priori parte intuiti ſumus; quoniam numquam melius ſuprema illius magnitudo, atque auctoritas recognoſcitur, quàm illi in re tam difficili obediendo: hominis verò, quia nihil umquam facere poſſumus præſtantius, vel magis heroicum; ideoque non poſſumus nobiſmet ipſis conciliare ampliorem honorem, & coram Deo, & apud homines Sapientiores; & proinde poſſumus etiam dicere, fidelem hoc pacto ſe ipſum ſuperare, idque ratione pacis Cœleſtis, & voluptatis, quæ manat ea hoc Sacrificio: quod Spiritus Sanctus in Scripturis dicit de diligentibus obſervatoribus legis, qui ſtatis temporibus accedebant in Templum per Sacerdotum manus oblaturi

Deuter. 26. ſua Sacrificia. *Et epulaberis in omnibus, quæ Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.*

Vide in To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Amor inimicorum.

PRO SEXTA DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Miſereor ſuper turbam, quia triduo jam ſuſtinent me, nec habent, quod manducent. Matt. 8.

I. Argum. Quantumvis admirabile ſit illud prodigium, quod in hodierno Evangelio narratur, in quo Dei Filius paſcit quatuor ferme hominum millia cum panibus ſeptem, & nonnullis piſciculis: non ideo tamen ex Sancti Auguſtini ſententia citra ſtuporem, & fortaſſe animadverſionem quotannis hoc præſtantius intuemur; aliquot enim ſemina terræ credita ita multiplicantur, ut ſufficiant alimoniæ omnium mortalium per virtutem illis inditam a Deo ab ipſo ſæculorum primordio producendi, & ſuppeditandi quæcumque nobis ad victum ſunt neceſſaria. Verum hoc illud eſt, Chriſtiane, quod nos cogit animum advertere ad divina Providentiæ conſilia ad excitandam in nobis confidentiam, quæ nobis habenda eſt in illa omnibus neceſſitatibus noſtris: quoniam licèt affluenter generalibus egeſtatibus noſtris conſuluerit, fieri tamen non poteſt, quominus in peculiaribus ea, quæ maxime neceſſaria ſunt aliquando deficiant, & ſæpe etiam uſuveniat, ut omne humanum ſubſidium ſolatium illis afferre non valeat, vel eas prohibere, quemadmodum contigit huic multitudini in deſerto, quæ Salvatorem in deſertum ſubſecuta incipiebat magnis incommodis laborare: quorum miſertus Dei Filius illis conſuluit inſigni miraculo multiplicationis panum, ut intelligeremus, ipſum neque oblivisci poſſe, neque derelinquere eos, qui in ipſius bonitate confidunt.

De Confidentia in Deo pro rebus temporalibus.

Verum eſt, quemadmodum ipſe, cum ſibi tamquam præcipuum finem animæ noſtræ ſalutem propoſuerit; ita curam illius præcipue extendi in hanc præſtantiorem hominis partem, quæ fuit objectum non ſolum ſollicitioris curæ ſuæ, verum etiam uberioris affectus: Sed cum de re hac ſatis perſuaſum hominibus ſit, & raro in illis confidentia deficiat pro illis, quæ cæleſtia bona reſpiciunt, ut imo ſatis multi hac in re per nimiam peccent præſumptionem, & e contra pauciſſimi, qui perfecte confidunt in Deo in vitæ hujus neceſſitatibus, ad hanc confidentiam, quæ vocari poteſt temporalis, conabor vos hodierna die compellere propoſita vobis conſideratione curæ illius, quam Juſtorum gerit Omnipotens.

Ut autem vobis hanc confidentiam ſuadeam, quæ non eſt aliud niſi ſpes in Deo conſtans, & ſolida, atque virtus hodierna die inter Chriſtianos incognita, quamvis nobis in primis neceſſaria; animadverto hominem propter nihilum, ex quo emerſit, duo potiſſimum habere conditioni ſuæ inhærentia; hinc quidem indigentiam, propter quam mendicat a ceteris creatis opem, inde verò imbecillitatem, propter quam undique protectionem, & ſubſidium requirit. Ita Providentia ex duplici hoc capite ſeſe prodit confidentibus in ea, quod nos cogit, ut ad eam in omnibus neceſſitatibus utrinque proficiſcentibus confugiamus.

Primùm, quia Providentia peculiarem gerit curam eorum omnium, quæ ad nos ſpectant, benevola bonitate omnia prævidens, & providens omnibus neceſſitatibus noſtris.

Secundò nos tuetur, & protegit contra omnia, quæ nobis nocere poſſunt ſive per injuſtitiam, & impotentiam hominum, ſive per inopinatos caſus, qui poſſent ingruere. Hoc Dei Filius operatur cum hac populi turba, quæ illum ſubſecuta eſt; quæ duo erunt puncta hujus ſermonis.

Vide in To. I. Bibliotheca Moral. Evang. Titulum: Confidentia in Deum, *& in To. IV. Titulum:* Providentia.

Miſereor ſuper turbam, quia triduo jam ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Marc. 8.

Dei Filius, Chriſtiani, qui reliquo vitæ ſuæ curriculo fuit pauperum exemplum, hodierna die in Evangelio miraculum operatur futurus viciſſim exemplum divitum erga illos; & ejus Providentia, quæ hoc permiſit fortunarum, & conditionum in hominibus diſcrimen, noluit utroſque relinquere ſine medio operandi ſalutem ſuam, neque ſine exemplo, quod in perſona ſua poſſent imitari. Oculos attollit viſurus neceſſitatem hujus multitudinis, quæ ipſum ſecuta fuerat in deſertum, *Cum ſublevaſſet* Jesus *oculos*; Cor ejus miſertum eſt: *miſereor ſuper turbam iſtam*. Sed ejus miſericordia migrat uſque ad effectum per miraculoſam quinque panum multiplicationem, qui ſatis fuerunt alendis quinque millibus hominum. Hæc eſt, Fideles, lectio, exemplum, & præceptum ſimul, quod irrogat divitibus aperiendi ſimul oculos ad inſpiciendam pauperum neceſſitatem, cor ad miſereſcendum fraternæ egeſtatis, & manus ad erogandam eleemoſynam ex bonis, quorum largum donatorem ſe Deus illis præbuit; quod ſi fecerint cum eadem affectione, audeo dicere, exitum non fore longe diverſum; & ſicuti in hac diſtributione a Salvatore peracta, obſtupuerunt Apoſtoli videntes panem in diſtribuentium manibus multiplicari, ita bona illorum in pauperes diviſa non interibunt, ſed e contra centuplo multiplicabuntur, ſæpe etiam in hoc vitæ curriculo, quare Sanctus Chryſoſtomus inquit, in hoc tantum miraculo nobis imitandum eſſe mundi Salvatorem, cum in ceteris ſufficere nobis debeat documentum, quod continent. II. Argum.

Quidquid ſpectat ad officium Chriſtiani erga pauperes, redigi poteſt ad tria, quæ Dei Filius operatus eſt, cum aluit panibus quinque admirabilem populi turbam, & quæ fuerunt populi neceſſitatem videre, illius miſereri, eique ferre opem.

Primò *Cum ſublevaſſet oculos* Jesus. Oculos extulit, ut videret laborantium neceſſitatem. Ubi oſtendi poteſt Chriſtianis ſatis eſſe non debere, ſi obviis, & opem petentibus auxilientur; ſed debere eorum cognoſcere egeſtatem, illos perquirere, illos inviſere in xenodochiis, atque in carceribus; verecundorum pauperum calamitates aperire, eorum ſcrutari neceſſitatem: invenire demum, quod ubique eſt, ſed non invenitur, niſi quæratur. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem.* Pſalm. 40.

Secun-

Secundò *Miſereor ſuper turbam*. Debemus miſereri alienæ neceſſitatis, pauperum miſeriis flecti, ac ad miſericordiam commoveri. Ideo eleemoſyna vocatur miſericordia, cum nullus ſit ſenſus homine Chriſtiano dignior, quemadmodum nullus Deo, & hominibus gravior, quàm cor durum, & inflexibile iis malis, quæ pati poſſunt homines, qui non alium finem habent præter hunc, & qui ſæpe Deo ſunt acceptiores.

Tertiò manus tandem aperiendæ ſunt, ut pauperibus ſubveniamus, quod innuunt verba illa, *diſtribuit diſcumbentibus*, Videlicet, nobis ſatis eſſe non debet ſterilis miſeratio, ſed illis opem ferre debemus tum curis noſtris, tum opibus.

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: MISERICORDIA.

Miſereor ſuper turbam, quia triduo jam ſuſtinent me, nec habent, quod manducent. Marc. 8.

III. ARGUM. Miſericordia, quam Salvator exercet erga pauperes divitũ ſævitiam condemnat.

Per occaſionem Evangelii de panum multiplicatione: Exemplum miſericordiæ Salvatoris eſt damnatio illius, quam plerique divitum pauperibus negant.

Primùm ejus miſericordia præveniens qua conſulit neceſſitatibus multitudinis populi confluentis ſeras damnat locupletiorum eleemoſynas.

Secundò Magnifica ejuſdem miſericordia modicas damnat eleemoſinas, qui nequaquam juxta vires ſuas pauperibus opitulantur.

Tertiò ejus miſericordia cum humilitate, atque modeſtia conjuncta in omnibus actionibus hujus circumſtantiis damnat ſuperbiam, ac faſtum humanarum eleemoſynarum.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: ELEEMOSYNA, *& in To. I.* DIVITIARUM ABUSUM.

PRO SEPTIMA
POST PENTECOSTEN DOMINICA.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, ipſe intrabit in regnum Cælorum. Matth. 7.

I. ARGUM. De Conformitate ad voluntatem Dei. *Epheſ. 1.*

VERITAS eſt, quam nemo unquam in dubium vocavit, Dei Voluntatem eſſe cauſam eorum omnium, quæ in mundo accidunt; Quemadmodum illa Mundum hunc ex nihilo eduxit, cum hac creaturarum multitudine illum componentium, quæ factæ non fuerunt, niſi conſilio voluntatis ſuæ, ut Sanctus Paulus teſtatur; *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Sed non ideo minus certum eſt, eamdem eſſe etiam finem quò tendere debent, quoniam quocumque modo, velint, nolint, cedere debent ſupremæ hujus voluntatis imperio. Tamen hoc diſcriminis intereſt inter ea, quæ agunt neceſſariò, & quæ libere rationabilia ſunt, quod prima minime reſiſtunt executioni mandatorum illius, ſed e contra feruntur pondere naturalis propenſionis ſuæ, & cum obedientia *exquiſita in omnes voluntates ejus*, ut loquitur Propheta. Quod verò ad hominem ſpectat, qui naturæ ſuæ munere libertatem eſt aſſecutus, & quem Deus eo uſque revereri videtur, ut illi vim inferre nullatenus velit, ejus liberam manet ſubmiſſionem, quod primum eſt tributum voluntariæ ſervitutis, & pignus primum fidelitatis debitæ; ita ut injuſtus ſit, ſi non ſequatur illam, quoniam ejus juſtitia in eo ſita eſt, ut ſeſe illi conformet, atque ſubjiciat. Equidem ſcio conformitatem hanc in Cœlo tantùm perfectam futuram eſſe per beatam felicitatem non aliam habendi voluntatem, quàm Dei; quæ tunc futura eſt ſumma noſtra felicitas, & beatitudo. Nihilominus noſtrum erit illam in hac ipſa vita inchoare reſignando penitus divinæ voluntatem noſtram, eamque acceptando tamquam unicum canonem actionum noſtrarum. Utque quantum in me eſt, pro virili ſuadeam hanc adeo ſanctam, utilem, & dignam Chriſtiano exercitationem, ſuppoſitis tribus qualitatibus, quas Scriptura tribuit voluntati Dei, & quæ illam ab humana ſecernunt; quarum prima eſt, eſſe ſupremam, & abſolutam; altera infinite juſtam, & æquam, & denique eam uſquequaque directam eſſe a ſuprema ſapientia, quæ illi ſemper comes accedit; duplicem dumtaxat veritatem vobis proponam, quæ ſermonis hujus partitionem conſtituent.

Prima eſt. In hac voluntatis noſtræ ſubmiſſione erga Dei Voluntatem conſiſtere omnem vitæ hujus felicitatem, quanta hic eſſe poteſt; quia hoc medium eſt imperturbabili pace gaudendi inter caſus omnes, qui illam turbare poſſunt.

Altera verò. Hoc illud eſſe quod nobis tribuit jus, ac ſpem perveniendi aliquando ad beatam æternitatem; cum enim illam una hac ratione conſequi licet.

Vide in To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: CONFORMITAS VOLUNTATI DEI.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum; ſed qui facit voluntatem patris mei, ipſe intrabit in Regnum Cælorum. Matth. 7.

II. ARGUM. De Obedientia Deo debita in obſervantia mandatorum ejus.

Poſtquam Salvator animarum noſtrarum in hoc Evangelio nos docuit, Deum in exteriori ſpecie non immorari, ſed interiorem partem inſpicere; & propter hanc cauſam reprobare hypocrytas, ovinam ſpeciem ferentes præ ſe, cum ſint intus lupi rapaces, *attendite a falſis Prophetis &c.* Poſtquam dixit non deeſſe arbores ſteriles, ſcilicet malos Chriſtianos, qui fidem habent mortuam, & cogunt Deum, ut illas ſuccidat, atque ex hac vita tollat caſibus inopinatis eas quæ in iræ ſuæ ignem conjiciat comburendas, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur*; inde arguit, ſicuti ex fructibus judicium ferendum eſt de arboris bonitate, ita ex operibus bonis cognoſcendum eſſe, utrum principium interius Fidelis bonum, & ſolidum ſit; *igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Poſt hæc in Evangelii calce explicat, quinam ſit verus fructus, quem verus ferre debet Chriſtifidelis, & quid ab illo expectat Deus illum probaturus, eique aliquando regnum Cœlorum daturus. Fructus iſte, inquit ille, non aliud eſt, quàm perfecta obedientia, & generoſa executio voluntatum Dei per Sacrificium inconditarum noſtrarum voluntatum. *Qui facit voluntatem Patris mei, ipſe intrabit in regnum Cælorum.*

De hac igitur obedientia loquar hodierna die, de qua verba facientes videbimus,

Primò hanc unam dare Deo verum honorem, quem exigit a rationabili creatura.

Secundò in hac una obedientia rationabilem creaturam invenire poſſe ſolidam felicitatem pro tempore, atque æternitate.

Vide eumdem Titulum: CONFORMITAS CUM VOLUNTATE DEI.

A fructibus eorum cognoſcetis eos . . . ſi omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Matth. 7.

III. ARGUM.

Si certiſſimus eſt canon in natura de arboris præſtantia ferre judicium ex fructuum illius bonitate, non minus certus eſt, in morali homines cognoſci ex eorum actionibus, quæ ſunt nota, & caracter, qui ſemper bonos a malis ſecrevit. Hac proculdubio de cauſa. Priſci hominem vocarunt arborem inverſam, cujus radix eſt in parte ſuperiori, & rami ſunt in terra, ſed quæ ferre debet fructus ſuæ conformes naturæ. Hinc Mundi Salvator vult homines ex fructibus eorum cognoſci, videlicet ex bonis operibus, quæ faciunt; & hæc etiam cauſa eſt propter quam aſſerit de hominum virtute ferri judicium ex actionibus eorum, oſtendendo

Primùm ad hoc, ut aliquis ſit verus Chriſtianus, opus eſſe, ut bona opera exerceat; & neminem eſſe penes quem non ſint facultas, media, & occaſiones, ubi perfungatur officiis ſtatus, conditionis, & muneris ſui.

Secundò bonitatem operum noſtrorum, & noſtrarum, actionum pendere a pluribus circumſtantiis, & conditionibus, quarum ubi una deſit, inutiles ſunt ad Cœli acquiſitionem, & faciunt, ut omne pereat meritum, & ſexcentis ſint illuſionibus obnoxiæ

Vide in To. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: OPERA.

PRO OCTAVA
POST PENTECOSTEN DOMINICA.

Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare. Luc. 16.

I. ARGUM. De Judicio particulari.

SI villicus Evangelicus accuſatus apud herum ſuum, quod bona illius diſſipaſſet; terrore correptus fuit videns ſibi reddendam eſſe rationem villicationis ſuæ, quin ſibi otium permitteretur rationes ſuas ſupputandi; ſingere Chriſtiani vobis licet quo terrore ipſi corriperemur ſub vitæ hujus exitum, cum jam exceſſiſſet tempus noſtræ perfruitionis, & adminiſtrationis bonorum ab ipſa noſtra conſcientia, quæ moleſtiſſimus futurus eſt omnium teſtium accuſati, & vocati ad comparendum, non quidem coram Patre-Familias, qualis erat Evangelicus, cui opus erat

erat Diuturno tempore, pluribuſque rationibus ad probandam ſervi hujus nequam infidelitatem; ſed coram ſupremo Judice, eoque perſpicaciſſimo, quem latere non poteſt noviſſimum ſcelerum noſtrorum, & qui ſeveram, diſtrictamque rationem efflagitabit non quidem reditnum familiæ unius, ſed tot bonorum gratiæ, & naturæ; tantorumque talentorum, & beneficiorum, verbo omnium vitæ noſtræ actionum; & præterea cum periculo, ſi malæ adminiſtrationis crimine convicti fuerimus non ſolum de gradu dejiciendi, & alteri vacuum relinquendi, verum etiam in arena audiendi mortis, æternique ſupplicii ſententiam: *Redde rationem villicationis tuæ.*

Eſto; ſi locus eſſet arte aliqua utendi, quemadmodum villicus iſte uſus eſt, & ſi quid nobis reliquum eſſet ſpei in amicis, de quibus bene meriti fuimus ſumptibus conſcientiæ noſtræ: non eſſet conclamatum. Sed heu! in hac ſolitudine, atque univerſali deſtitutione, in qua reperitur anima in ſuæ ſeceſſionis momento: cum ex magno hoc fortunæ apparatu ſibi ad latera non videbit, niſi bona, & mala, quæ fecit, cum cognati, & amici circa corpus ejus lacrymabuntur. In hac inquam univerſali deſtitutione ſola rapietur ad tremendum Dei tribunal, qui primum feret judicium vitæ, vel mortis æternæ, quod tamen erit ſupremum, & ſine provocatione. De hoc particulari judicio, quod de ſingulis noſtrum in ipſo mortis noſtræ momento habendum eſt, hodierna die verba faciemus, nequeo Fideles te adhuc integra melius vobis oſtendere metum, terroreſque animæ in ipſo ſeparationis a corpore inſtanti, quam per ſententiam Sancti Auguſtini aſſerentis extremum vitæ noſtræ diem nobis eſſe, quod omnibus erit extrema dies mundi. Non ſolum quia omnia pereunt nobis hoc momento, ſed etiam quia præter propter in homine eadem videntur, quæ gignent ſummum terrorem in totali Orbis hujus exitio.

Sed ſepoſitis omnibus rationibus, & congruentiis horum duorum Judiciorum, quæ facienda ſunt de una, eademque perſona, in tribus peculiariter immorer, quæ aptiora mihi videntur ad ciendum in nobis metum ſalutarem, & quæ Scriptura complexa eſt tribus verbis, quæ prodigioſa manus olim in pariete aulæ impii Balthaſſaris in noviſſimo convivio, quod præceſſit mortem ejus, deſcripſit.

Primo numeratum eſt.

Secundò Appenſum eſt.

Tertiò diviſum eſt.

Numeratum eſt. Videlicet in utroque Judicio quæretur diligens ratio eorum omnium, quæ fecerimus. *Appenſum eſt.* Omnia examinabuntur ad pondus Sanctuarii, & in ſtatera Judiciorum Dei. *Diviſum eſt.* Mox dividemur, & ſeparabimur, non ſolum a viventibus, verum etiam a Cœlo, & ſocietate Beatorum, ſi nocentes inventi fuerimus. Tria hæc verba conſtituent ordinem, & partitionem hujus Sermonis.

Vide in To. II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: JUDICIUM PARTICULARE.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum; & hic diffamatus eſt apud illum. Luc. 16.

II. Argum.

De relationibus quæ fiunt verborum, & actionum alienarum.

Mundi Salvator, qui in terras deſcendit ad reformanda mortalium judicia in iis quæ merentur eorum probrum, vel laudem; non ſecus ac alii obnoxius extitit eorum iniquiſſimis judiciis, ac injuſtiſſimis cenſuris. Novit, & audiit, quæ de ſe dicerentur, relationes aliis factas, ſenſus, quos relationes eædem inſpiraverunt iis, qui aurem adhibuerunt; & demum malam impreſſionem, quam hi ſermones pepererunt in animis in detrimentum perſonæ ſuæ, ſuæque miſſionis. En, Fideles, quid mihi occaſionem præbeat hodierna die differendi de malo ſatis familiari in mundo, & quod ingentem adfert perniciem; quoniam ſæpe pacem evertit, diſcordias alit, charitatem infringit excitans odia, jurgia, contentiones, & inimicitias. Hoc autem vitium adeo pertimeſcendum illud eſt, de quo hodiernum loquitur Evangelium; ſcilicet relationes quæ fiunt verborum, vel factorum alienorum, non tantùm ad labem inferendam eorum æſtimationi, quod ad Detractionem pertinet; ſed ad auferendam confidentiam, quæ habebatur in illo, ad exacerbandos invicem amicorum animos, & ad infringendum charitatis vinculum, quo invicem erant conjuncti. Quod proprie vocatur relatio, quæ fuit de dictis, & factis aliorum; & cum hæ relationes idoneæ ſint ad perturbandam amicorum conſenſionem, ambigi nequit, quo minus ſint criminoſæ, ac pernicioſæ. Charitatis opus eſt, neque ibis inficias, cum herus fit certior diſſipationis bonorum ſuorum a ſervis peractæ, vel malorum, quæ domi ipſius perpetrantur; & ſapientis præcautionis eſt fideliter Patrem admonere flagitiorum Filii, ut Pater teneatur eorum curſum inhibere; & generatim hoc eſt bene mereri de homine, non celare ipſum quomodo audiat in populo, quinam de illo rumor percrebreſcat, ut cogatur vitæ rationem componere, & emendare vitia, propter quæ improbatur a bonis. Harum relationum cauſa juſta eſt, intentio laude digna, exitus, ut plurimum felix, & meritum ſemper certum, Sed

Primùm, relationes quæ fiunt abſque neceſſitate alicui de iis, quæ alter dixit, vel fecit contra illum, & in illius detrimentum, ſunt infinite pernicioſæ, Hoc in priori puncto videbimus.

Secundò, relationes, quas Charitas, vel Juſtitia nos facere cogunt, magnis egent præcautionibus, & prorſus ſingulari circumſpectione. Hoc erit alterum: cumque utriuſque praxis tanti momenti ſit, & tam familiaris a vobis benignam expoſcit attentionem.

De hoc argumento ſermo eſt in To. I. Bibliotheca Moral. Evangel. ſub Titulo: DISCORDIA.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Luc. 16.

III. Argum.

De bono uſu divitiarum generatim.

Quamvis divitiæ per ſe nullo ſint in diſcrimine habendæ; quamvis etiam a Mundi Salvatore vocentur iniquitatis theſaus, *mammona iniquitatis*; tamen multa, eaque magna conſideramus bona, quæ inde percipere poſſunt illi, qui poſſident eas. In hoc ſimiles ſunt ſtrenuis militibus, qui ſuis non utuntur armis niſi ad explicitum ſui Ducis imperium; prævident enim ſi illis abuterentur in uſus alios, æquiſſimum ſibi expectandum eſſe ſupplicium. Huic innixus placito vobis oſtenſurus ſum:

Primùm, ut generatim optimus fiat uſus divitiarum, præſupponendum eſſe, Deum, qui earum Creator, & Dominus eſt, illas in terræ ſinu abdidiſſe, & nos pedibus calcare aurum, & argentum, lapideſque pretioſos; ut hinc quidem mundum, & omnia illius bona contemneremus; inde verò nobis eſſet perſuaſum verum theſaurum noſtrum eſſe in Cœlo, ibique eſſe debere cor noſtrum; quod ſignificat, hæc omnia bona non eſſe bona niſi in hunc uſum, videlicet, ut de terra traducantur in Cœlum per manus pauperum, & ad acquirendam æternam felicitatem per eleemoſynas, & alia opera bona. Sed aliunde nunquam bene uſuri ſumus bonis, quæ concupierimus, vel cum nimio ardore poſſederimus; & hæc eſſe debet ratio valida, ut ab iis cor noſtrum avellamus intuiti quantæ difficultatis ſit uti illis cum mediocritate, & rationem, quæ nobis erit reddenda Domino uſus illius, quem fecerimus, Etenim quàm rarum eſt terræ divitias poſſidere, quin illis animo inhæreamus? Illis innocenter uti, ſervare modum in earum affluentia? contentum eſſe eo, quod eſt neceſſarium, cum habetur ſuperfluum? Quotidie amputare aliquid de cœna, veſtitu, ſupellectili, familia, non quidem propter avaritiam; hæc enim cupiditas efficit, ut avarus ſibimet ſubtrahat neceſſarium: ſed propter virtutem, ut poſſimus erogare eleemoſynam, & alia bona opera facere? Ecce tamen locupletes, qua conditione Dominus vos opibus cumulaverit; & ecce qua in re rationem bonorum veſtrorum eritis reddituri.

Secundò cogitandum eſt, quænam futura ſit gratitudo Filii Dei, & Pauperum, qui ſunt ejus membra erga homines charitate ferventes, paratoſque ſemper opem ferendo indigentibus; & hanc non minorem futuram eſſe cauſam, propter quam divites bonorum ſuorum partem impendunt in gratiam illius, a quo illa acceperunt, qui cum omnia dederit ipſis, dignatur tamen hæc illis debere.

Tertio in loco Eleemoſinæ quas exercemus erga fratres noſtros, nobis ſunt perquam utiles. De hoc nobis perſuaſum eſſe debet: ſunt enim totidem amici, qui non ceſſabunt pro nobis intercedere apud Deum ad obtinendas gratias, quæ ſunt neceſſariæ ad operandam ſalutem in ſtatu adeo periculoſo. Verbo hi ſunt totidem amici, quos nobiſmet comparabimus in æternitatem. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* Luc. 16.

Vide in To. I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum. DIVITIÆ, *& in To. II. Titulum:* ELEEMOSYNA.

PRO NONA DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Cum appropinquaret JESUS *Jeruſalem, videns civitatem, flevit ſuper illam.* Luc. 19.

I. Argum.

De cordis obduratione.

DIGNUM eſt ſane objectum illud, quod incidit in oculos Filii Dei in Evangelio illi admodum funeſtum videri; quandoquidem intuenti Urbem Jeruſalem, pro qua non ita multo poſt ſuum ſanguinem effuſurus erat, uberes manant ex oculis lacrymæ. Et profecto hic hominum Salvator nullo affectus doloris ſenſu ob paſſiones ſuas, ſævaque ſupplicia, quæ ingrata hæc civitas ipſi erat inflictura, miſeretur ærumnarum, quibus mulctanda erat in pœnam ſuæ ingratitudinis, & cæcitatis; oblituſque quodammodo ſuimet ipſius totam impendit in aliena mala miſerationem, Videtur ad ſupplicia, tanquam ad trium-

triumphum accedere, & hilariter crudeliſſimam, atque ac contumelioſiſſimam ſubire mortem ſibi paratam; ſed hic dolor cor ejus coarctat, & elicit ex oculis lacrymas veluti cruorem ex vulnere.

Ita eſt, Fideles, audeo dicere, lacrymas Salvatoris mundi non minorem nobis terrorem inferre debere, quàm inferat Sanguis pro nobis effuſus; hæquippe lacrymæ manant ex dolore, quo afficitur videns Sanguinem ſuum inutilem fore; vel cum hic Sanguis pretioſus non fluat amplius pro nobis, lacrymas fundit teſtes extremæ calamitatis, ad quam redactos nos videt. Sed heu! Salvator hominum! quænam eſt hæc triſtis cogitatio, quæ acriter adeo cor tuum afficit? Cur ploras videns hanc Civitatem, quam tantopere dilexiſti, quam præſentia tua dignatus es, & quam reliquo mundo prætuliſti? Numquia fœdata eſt Sanguine Prophetarum, quem indigniſſime fudit? An quia mox tuo eſt polluenda? An quia quotidie ibi nequiſſima crimina perpetrantur? Nihil horum peculiariter illum vexat; omnium horum malorum caput eſt obduratio cordis illius pertinacis, ac rebellis omnibus perquiſitionibus, atque ſollicitationibus, quibus conatus eſt eam flectere, ut ſe dederet illecebris ſuæ bonitatis: *Eo*
Luc. 19. *quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.*

Quod ſi mala, quæ conſequuntur ſtatum cordis indurati non adeo ſunt manifeſta ac illa, quæ Salvator prædicit infelici huic civitati; hæc aliunde magis ſunt deploranda, quia gignunt reprobationem animæ, ac in omnem ſe extendunt æternitatem: idque ob tres effectus, qui ſunt totidem veluti gradus per quos in extremum malorum omnium cumulum pervenitur.

Primò per reſiſtentiam quæ fit gratiis Cœli, ſicuti videmus dora reſiſtere corporibus, quibus percutiuntur, & repelluntur, quin aliquam impreſſionem recipiant.

Secundò ſtupiditatem, ad quam pervenitur, in iis omnibus, quæ pertinent ad Salutem atque æternas Veritates, tamquam callus, qui obducitur in plagis corporum, ita ut non ſentiatur acer ille dolor, quem ante afferebant.

Tertiò denique per conſiſtentiam, & perſeverantiam in hoc infelici ſtatu, ſicut ea, quæ duriora ſunt, diutius durant, & conſervantur; quæ cauſa eſt, propter quam cor induratum non ultra mutatur, neque reſipiſcit ex vitiis, & incapax etiam converſionis videtur. Eo illa tria quæ gignunt funeſtam hanc calamitatem, Reſiſtentia Cœleſtibus gratiis, Stupiditas in ſalutis negotio, Perſeverantia, & Mors in miſero ſtatu, conſtituent ſermonis noſtri partitionem.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: CÆCITAS, *ubi etiam de* CORDIS OBDURATIONE *eſt ſermo.*

Cum appropinquaret JESUS *Jeruſalem, videns civitatem, flevit ſuper illam dicens; quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Luc. 19.

II. Argum.

De repulſa gratiarum Dei.

Ubi cogito hodierna die Filium Dei oculis lacrymarum imbre manantibus reſpicientem Civitatem Jeruſalem, eique portendentem mala, quæ eam prorſus erant deſolatura, dubito fideles, utrum amor, an dolor eliciat ex oculis ejus has lacrymas, & ex corde ſingultus, quandoquidem ploratus ſigna ſunt utramque hanc animi affectionem ſignificantia. *Teſtantur lacrymæ dolorem, teſtantur etiam amorem, & erumpunt quaſi rivuli Sanguinis cordis,* Sanctus Auguſtinus ait. Hinc quidem nemo unus ignorat amorem, & charitatem, qua complectebatur Dei Filius hanc civitatem, quam univerſis terrarum nationibus prætulit, & in cujus gratiam tot miraculs fuerat operatus. Liquet ipſum crebro incolas illius vocaſſe populum ſuum, & fratres ſuos; inter eos ipſum naſci voluiſſe, illos ſuis illuſtraſſe Myſteriis, & ab aliis populis diſtinxiſſe ſexcentis favoribus, argumentis prælationis ſuæ; quemadmodum teſtatur Propheta, *non fecit taliter omni*
Pſalm. 147. *nationi, neque judicia ſua manifeſtavit eis.* Sed quò magis amor hic extitit tener, & ſingularis; eò magis populi hujus ingratitudo, induratio ac ſtupiditas in tot tantiſque benefactis, rebellio, & reſiſtentia Cœleſtibus gratiis repleverunt amaritudine cor Filii Dei, & graviſſimo dolore illud affecerunt.

Ita dici poteſt lacrymas ab illius oculis diffluentes manare ex charitatis exceſſu, & ex miſeratione, qua afficitur ad intuitum malorum civitatis illius: verum cum audio probra ex illius ore profecta ſimul cum lacrymis ex oculis ejuſdem fluentibus, nullus dubito, quominus utraque pro objecto habeant Chriſtianos gratiis ejus rebelles, & induratos in ſceleribus ſuis, quos intuebatur a ſe derelinquendos, & quibus dicere videtur quod Jeroſolymæ: *ſi cognoviſſes & tu, quæ ad pacem tibi, nunc autem hæc abſcondita ſunt ab oculis tuis:* Si cognoviſſes tempus viſitationis tuæ; ſi tot meæ erga te bonitatis argumenta, ac tot meæ miſerationis effectus flectere valuiſſent cor tuum; modo non eſſes objectum iracundiæ meæ, & ſubjectum, quod experiri debet ſeveriſſimos rigores ultionis meæ. Ut autem adnitar prævertere iram, & vindictam hanc, vobis incutere conabor timorem, horroremque cauſæ, quæ illos ciet, quæ eſt cordis induratio, & pertinacia, qua homines detrectant ſe dedere viſitationibus Dei, quæ ſunt ejus gratiæ.

Quamobrem, Fideles conſidero, in diſtributione, quæ fit a Deo gratiarum ſuarum, tria peculiariter eſſe advertenda.

Quorum primum eſt ordo cum quo illas largitur; aliæ enim ſunt, per quas inchoat ſalutem noſtram; aliæ per quas illam continuat; aliæ tandem per quas illam perficit.

Alterum, ſunt favorabiles occaſiones, quibus illas largitur; quia aliæ aliis effectus habent longe majores.

Tertium denique eſt menſura, cum qua largitur eas; certum eſt enim, aliis plures, fortioreſque dari, aliis vero pauciores, & imbecilliores; quandoquidem penes illum eſt favorum, & beneficiorum ſuorum arbitrium. Ad quæ tria mihi videtur redigi poſſe praxis, & doctrina gratiæ.

Vide in To. II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: GRATIA.

Cum appropinquaſſet JESUS *Jeruſalem videns civitatem flevit &c.* Luc. 19.

III. Argum.

Repulſa Gratiarum cum ex parte hominum eſt ex parte Dei.

Filius Dei plorat, ut Sanctus Gregorius ait, illos, qui ita miſeri ſunt, ut ignorent miſeriam ſuam, & inde nolint emergere. *Plangit eos, qui neſciunt, cur plangantur.* Verbo, plorat ſtupiditatem civitatis hujus miſerrimæ, quæ tenuit eam, quæ ſibi offertur præſentiſſima medicina; & quæ ne cogitat quidem de æterna infelicitate, quæ pœna eſt ſuæ cæcitatis. Malum deplorabile! Status funeſtus, qui hodierna die illi communis eſt cum plurimis peccatoribus! Status, qui proculdubio mereretur lacrymas Salvatoris ipſius, ſi poſſet adhuc illas effundere: de qua cordis obduratione vobis verba facturus ſum oſtendens,

Primò repulſam, & contemptum in quo habentur gratiæ Dei, quod conflat peccatoribus omnia mala, quæ Deus Jeroſolymæ comminatur.

Secundò repulſam, quam Deus illis facit gratiarum ſuarum poſtquam illis abuſi ſunt; eaſque contempſerunt. Hæ duæ ſunt rationes, quæ hunc partientur ſermonem, ex quibus cognoſcemus, Deum numquam primum eſſe, qui nos deſerat; ſed e contra primum eſſe, qui deſeratur ab homine, qui mox ſibi derelictus ambulat in tenebris, & ruit in ſuam perniciem, æternamque calamitatem.

Vide eumdem Titulum: GRATIA.

PRO DECIMA
POST PENTECOSTEN
DOMINICA.

Duo homines aſcenderunt in Templum, ut orarent, unus Phariſæus, & alter Publicanus. Luc. 18.

I. Argum.

Caracteres veræ, & falſæ devotionis.

SI in rerum natura Oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt, hoc non ſemper uſuvenit in morum diſciplina; ſæpe enim vitia quemadmodum vetus Auctor dicebat prope virturem habitant, & eorum propinquitas tantùm abeſt, quod eorum oppoſitionem oſtendat, ut ferme illa confundat, & efficiat, ut alterum pro altero accipiatur ab illis, quorum acies non ſatis eſt perſpicax, ut peculiaria lineamenta ſingulorum internoſcat. Profectò qui videt in hodierno Evangelio, hinc quidem Phariſæum ex profeſſione ſua Dei cultui devotum, ingredientem in templum, potius ad concinnandum elogium ſuum, quàm ad orandum, ibi oſtentare virtutes ſuas, & bona opera, & gratias agere quod non ſit ſimilis hominibus reliquis; & inde Publicanum, cujus ſtatus, & officium cedit in præjudicium morum ſuorum, & vitæ; ſubſidentem in ima templi parte, & ſe inſignem eſſe peccatorem profeſſum; neque audentem oculos tollere præ criminum ſuorum verecundia: Uter Fideles ex ſpecie externa judicium ferentibus, videtur ſanctior, & religioſior præbere plura veræ pietatis argumenta? Sed ſi intueamur preces ſuperbi hujus Phariſæi a Dei Filio propulſatas, & humilem hunc Publicanum, qui domum ſuam revertitur juſtificatus ejus teſtimonio, qui falli non poteſt; nonne confitendum eſt, mendacio nonnumquam ineſſe majorem ſpeciem veritatis, quàm inſit eidem veritati: & ſicuti nonnumquam magis admiramur artis, quàm naturæ productiones, ita cum de virtute agitur, ac pietate, hypocriſim ſæpe, & diſſimulationem, quàm veram pietatem probari? Proculdubio Fideles plurimi refert in hac re non falli, & ſicuti hodierna die homines magis, quàm alio

quo-

quovis tempore pietatem adſciſcunt, & ſinguli cæteris præcellere appetant, vel aliis prælucere; omnino neceſſe eſt aperire cauſas hujus illuſionis. En igitur tres veritates, quæ ſunt quodammodo ſimul conjunctæ, & quarum aliæ alias conſequuntur, ex quibus fieri poſſunt tria puncta ſermonis, ubi ſingulæ ſeorſim probentur.

Prima. Devotio vera non eſt, niſi ſit in corde. Veri-
Joan. 4. tas hæc patet *In Spiritu, & veritate oportet adorare*. Alioquin ſimulatio mera eſt, & hypocriſis execrabilis coram Deo.

Secunda. Devotio vere in corde non eſt, niſi migret in extimam ſpeciem per cultum exteriorem, niſi extrinſecus perfungamur officiis, & exercitationibus piis, quas a nobis Religio requirit.

Tertia. Devotio Deo accepta non eſt, neque ædificans in oculis proximi, niſi deceat ſtatum noſtrum, noſtramque conditionem. Hæc partitio complecti mihi videtur, quidquid rationabilius hoc in argumento dici poteſt. Ceterum tres ſunt caracteres fictæ pietatis.

Primus eſt importunitas eorum, qui vacant piis exercitationibus, quæ dedecent ſtatum, locum, tempuſque, quibus ad illas exercendas utuntur.

Alter eſt cenſorius quidam ſpiritus, qui ſeſe immiſcet in omnibus monitis, & correctionibus noſtris, efficitque, ut cenſoria nota perſtringamus bonas aliorum actiones, & vitam eorum contemnamus.

Tertius eſt ſuperbia, & dominandi cupiditas in omnibus, quæ ad pietatem pertinent, quod efficit, ut nobis devotionis arbitrium vindicemus, quod locum præbet virtutem, aliorumque merita improbandi.

Vide in To. I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: DEVOTIO.

Non ſum ſicuti cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Luc. 18.

II. Argum.

De temerario judicio Phariſæi.

Quod primum Dominus redarguit in ſuperbo Phariſæo eſt temerarium judicium quod facit pauperis Publicani, ſeſe ſuper illum attollens, ac dicens ſe non eſſe rapacem, injuſtum, adulterum, ut erat ille; ſe multa bona opera facere, quæ a Publicano illo nequaquam fiebant. Ut autem intelligamus quantum diſpliceat Deo hoc temerarium judicium, animadverto cum Sancto Thoma tria, quæ neceſſaria ſunt ad rectum judicium inſtituendum. Primum eſt auctoritas; Alterum eſt cognitio; Tertium integritas. Auctoritas in judice requiritur; cognitio juris, & facti; & denique cordis integritas. Si auctoritas defuerit, nullum erit judicium; ſi cognitio, errori erit obnoxium, & judex argui poterit erroris, & cæcitatis; & niſi adfuerit cordis integritas, vitioſum, injuſtum, corruptumque erit judicium. Plerique autem judicant, & condemnant, primum abſque auctoritate: *Quis te conſtituit judicem?* Plerique ſine cognitione: quis enim præter Deum ſcrutatur renes, & corda? Tertiò plerique judicant ſine integritate; judicant enim ex libidine, ex utilitate, ex animi cupiditate.

Vide in Tom. II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: JUDICIUM TEMERARIUM.

Alius ſermo ejuſdem argumenti.

In Judicio temerario conſiderari poſſunt. Primo injuria, quæ fit Deo judicium ferendo de hominum intentione, quod jus ad unum illum pertinet, qui ſolus ſecreta cordium rimatur. Secundò injuria quæ fit proximo, efficiendo, ut ille jacturam faciat æſtimationis noſtræ, ad quam jus habet donec palam nihil egerit mali; ideoque judicium temerarium, & contemptus, qui illum ſubſequitur manifeſta eſt injuſtitia. Te nocentem putares, ſi per detractionem tuam fratri eripuiſſes æſtimationem, qua gaudet apud alios; numquid culpa vacas, cum per judicium tuum temerarium aufers illi æſtimationem tuam &c. Tertiò injuriam ſibimet ipſi facit, quia noſmet reos conſtituimus coram Deo culpæ gravis; cogimuſque Deum hunc miſericordiæ, ut diſtricte nos judicet &c.

Vide locum memoratum.

Alius ſermo ejuſdem argumenti.

Judicium temerarium conſiderari poteſt.

Primùm in cauſis, quæ illud producere conſueverunt, quæ ſunt invidia, ſuperbia, præſertim verò nequitia, & cordis noſtri corruptio; quia paſſim de aliis judicamus ex nobiſmet ipſis, & qui alicui vitio obnoxius eſt, de ceteris idem facit judicium. Secundò in Effectibus, & Conſequentibus, quæ gravem inferunt proximo injuriam, auferendo illi ſpiritus noſtri æſtimationem ad quam jus habebat; & deinde affectum noſtrum, & charitatem, qua illum proſequi debemus; quippe arduum eſt illum diligere, quem flocci facimus; & denique aufertur illi exiſtimatio in mentibus aliorum, quibus ſuſpiciones, & judicia noſtra ſignificamus. Tertiò Conſiderari poteſt in ſua nequitia, cum ex diametro oppoſitum ſit Charitati, quæ non cogitat malum, non æmulatur, & quantum poteſt omnia aliorum vitia tegit, ac celat.

Vide locum eundem.

Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo, quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Luc. 18.

III. Argum.

Apud Deū nihili ſumus, niſi per humilitatem.

Non miror, Fideles, ſi Publicanus Evangelicus deſcendit juſtificatus in domum ſuam, poſtquam aſcendit in Templum facturus confeſſionem adeo humilem, ac publicam peccatorum ſuorum, & ſi recipit præclarum adeo teſtimonium ex ore Veritatis Ipſius, contempta cenſura, & hominum judicio. Verum multò magis admiror profunda Dei judicia de ſuperbo hoc Phariſæo, a quo ſuperbia, & bona, quam de ſe habet, opinio efficit, ut in Templo ſuimet ipſius laudes celebret, cum e contra deberet humilem afferre orationem cum ſuorum criminum confeſſione petens a Deo miſericordiam. Ita pro mercede bonorum operum ſuorum, quæ tanto cum faſtu concelebrat, & oſtentat, repellitur a Filio Dei, qui nil adeo perhorreſcit, quantum vanitatem, & hominum æſtimationem, quæ in pie factis quæritur eo in loco, ubi nonniſi cum humilitatis ſenſu comparendum eſt. Ecce Chriſtiani diverſus exitus Orationis Publicani, & Phariſæi, de quibus hodiernum loquitur Evangelium; alter quidem a Dei Filio repellitur propter ſuperbiam; alter verò exauditur non ſine laudibus illius, coram quo ſeſe humiliat. Quamobrem veritatem aſſerere audeo, ad quam pauci animum advertunt; nos nihili eſſe apud Deum, niſi quatenus humiles ſumus. Quam ut vobis veritatem probem, videntur mihi probationes omnes in hac una argumentatione contineri, cujus propoſitiones duæ futuræ ſunt partes duæ noſtri ſermonis.

Primùm, nos verè tales ſumus, quales ſumus coram Deo, qui ſolus eſt judex meritorum noſtrorum.

Secundò, ſed humiles unice vere magni ſunt coram Deo, ejuſque æſtimationem merentur.

Per ſe patet concluſio; nos non mereri approbationem Dei, & non eſſe vere magnos coram illo, niſi quatenus humiles ſumus; quæ eſt Concluſio Evangelii: *Qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Vide in To. II. Bibliotheca Moral. Evang. Titulum: HUMILITAS.

PRO UNDECIMA DOMINICA
POST PENTECOSTES.

JESUS *tetigit linguam ejus, & ſuſpiciens in Cælum ingemuit.* Marc. 7.

I. Argum.

De Blaſphemiis, & jurejurando.

DEI Filius numquam operatus eſt miraculum inſignius illo, quod in Hodierno Evangelio narratur; ſive ſpectetur magnitudo beneficii, quod facit ſurdo præſertim, & muto, cui duplici miraculo tribuit uſum aurium, atque ſermonis, quæ duo maxime ſunt neceſſaria hominum ſocietati; ſive conſideretur multitudo populi, qui teſtis fuit illius, & qui ſeſe continere non potuit, quo minus ſuam ſignificaret admirationem, & exclamaret: *Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Sed unde nam factum eſt, ut ante quam prodigia hæc operaretur, extulit in Coelum oculos, & altum emiſit ſuſpirium, *& ſuſpiciens in Cælum ingemuit*. Quaſi illa operatus fuiſſet invitus, quaſi prævidens malum, quod pariturum erat in hoc homine bonum, quod illi afferebat. Hæc profecto ratio eſt illa, quam Interpretes afferunt, qui exiſtimant hunc illum fuiſſe, de quo alius Evangeliſta teſtatur, Filium Dei ejeciſſe dæmonem ſurdum, & mutum, a quo obſidebatur; unde nonnulli occaſionem arripuerunt dicendi non ſine contumelioſiſſima blaſphemia ipſum in virtute Beelſebub ejeciſſe dæmones de corporibus Energumenorum; & quidam Sancti Patres addunt etiam Dei Filium prævidiſſe abuſum, quem hic mutus facturus erat linguæ ſuæ per blaſphemias, & juramenta, quæ prolaturus erat aliquando contra illum ipſum, a quo tanto hoc ſermonis munere fuerat donatus. Hæc Chriſtiani mera eſt conjectura, quamvis innixa bonorum Auctorum teſtimonio. Sed hoc mihi anſam præbet loquendi de peccato, quod hodierna die familiare eſt inter Chriſtianos, quamvis olim infrequens eſſet apud Judæos propter ſeveritatem legum, quæ non ſinebant illud abire impune. Hoc jusjurandum eſt, atque blaſphemia, quæ licet Eccleſiæ Canones, & Regum noſtrorum Sanctiones, qui noſtris quoque diebus pietatem ſuam inſignivenunt, per graviſſima ſupplicia, quibus in hoc crimen animadverterunt, non ceſſat tamen eſſe maxime communis, & execrabilis abuſus, qui ab homine fieri poſſit linguæ ſuæ. Igitur ad injiciendum vobis horrorem, quem meretur, ad examen vocandæ ſunt cauſæ, & aperiendi fontes a quibus emanat.

Prima eſt cordis corruptio, ut inquit Filius Dei ipſus:

De cor-

Digitized by Google

Matth. 15. Matth. 12. *De corde exeunt cogitationes malæ, falſa teſtimonia, blaſphemiæ*, & alio in loco: *Ex abundantia cordis os loquitur*. Quæ enim eſſe debet cordis corruptio, ex quo prodeunt tot blaſphemiæ, juramenta execrabilia, & abominabiles imprecationes? Minimus Religionis ſenſus vigere ne poteſt in corde hoc, ubi tot impia verba coaleſcunt? Et ſi ex abundantia cordis os loquitur, quis ambigere poterit, utrum cor repletum ſit impietate?

Altera cauſa juramentorum, ac ſermonum dedecorantium Deum, & Religionem, infelix eſt conſuetudo jurandi, quæ inolevit in mundo; & habitus, quem plurimi contrahunt, per quorum alterum credimus hunc morem eſſe, ideoque ſequendum; & ſpeciem quamdam vanitatis, quam æquo liberiores, ac irreligioſi homines adfectant; per alterum verò, hoc eſt habitum, qui contrahitur, ita conſueſcimus, ut in ſingula verba opportune, & importune juretur, etiam quin animus advertatur. Oſtendendum eſt ergo utrumque Chriſtianæ Religioni adverſari, & iis pietatis ſenſibus, quos fidelis habere debet in corde.

Tertia eſt Impunitas peccandi propter modicum zelum, quo Magiſtratus ſinunt Divinas, humanaſque leges contemni. Sed ſi illi, qui præ manibus habent auctoritatem, ſuo hac in re muneri deſunt, Deus qui ſemper probavit ſe ultorem ſeverum blaſphemiarum, teterrimos juſtitiæ ſuæ depromet effectus in proferentes, ac tolerantes illas.

Vide in Tom. II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum; JURAMENTUM.

Aliter effecti poteſt hoc argumentum. Aliter etiam hoc ipſum argumentum pertractari poteſt; oſtendendo

Primò Blaſphemiam, & juſjurandum eſſe meræ nequitiæ peccata, ex quibus nullus percipitur fructus, & utilitas nulla perpetrantibus illa.

Secundò Enormia eſſe peccata, habentia prorſus peculiarem impietatis caracterem: etenim directe laceſſunt Deum in perſona ſua, ideoque continent formalem divinæ Majeſtatis contemptum.

Tertiò Peccata ſunt, quæ Deus ſeverius punit, ac difficilius dimittit.

Vide Bibliothecam, titulo eodem.

Item aliter Argumentum hoc variari poteſt; oſtendendo

Primò Blaſphemiam, & juramentum eſſe crimina omnium impudentiſſima; palam fiunt, ſine verecundia, & ſine timore divinæ Majeſtatis, quæ opportune, & importune in occaſione qualibet in teſtem aſſumitur.

Secundò Crimina ſunt omnium graviſſima, & difficillime remittenda; Deus enim facile iraſcitur ob contemptum, in quo miſeræ creaturæ habent magnitudinem ejus; & videmus in Scripturis hæc ea eſſe peccata, ex quibus ſeveriſſimam ultionem popoſcit Deus.

Tertiò Hæc plerumque peccata ſunt in effectibus ſuis pernicioſiſſima, propter ſcandalum, quod afferunt, & quod late ſeſe effundit, atque communicat.

Vide Titulum eumdem.

Aliter etiam mutari poteſt hoc argumentum, oſtendendo in jurejurando, & in blaſphemia tres circumſtantias, quæ peccatum reddunt atrocius, & peccatorem criminoſiorem.

Primò nequitia magis adfectata; neque enim ex infirmitate peccatur, ex ignorantia, vel utilitate, quæ cedat juranti; ſed ex fatua vanitate, ac apertiſſima impietate: & ſi quis propter iracundiam jurat, cur iraſcitur Deo? Numquid hoc juramentum, vel blaſphemia medicinam affert malo, vel damno, quod illatum fuit tibi?

Secundò Contemptus eſt major, atque apertior Majeſtatis Supremæ: perinde ac illuderetur Principi coram ipſo, quin ira illius, ac juſta metueretur offenſio, vel perinde ac oblectatio perciperetur irritando illum, & in ludibrium potentiam ejus traducendo.

Tertiò Attentionis defectus a peccati gravitate minime excuſat; e contra habitus peccati contractus metum dumtaxat imminuit, ſed auget audaciam, & indicium eſt, illud ſæpius fuiſſe perpetratum impune, ita ut comminatio Divinæ Juſtitiæ nullo habeatur in diſcrimine.

Vide Titulum eumdem.

Adducunt ei ſurdum, & mutum. Marc. 7.

II. Argum. Si ex me quæritis, Fideles, quid hodierna die nobis repræſentet Evangelium per hunc hominem mutum; dicam vobis, hunc eſſe hominem, qui accedit ad Pœnitentiæ Tribunal abuſurus modo magis criminoſo, atque

Quantum ſit crimen celare in Pœnitentiæ Sacramento grave aliquod peccatum. contumelioſo bonitate, & miſericordia Dei, celando peccata ſua; eſſe ægrotantem quocumque pretio curari cupientem; ſed qui mallet mortem ſubire, quàm aperire cauſas ægritudinis ſuæ, ac morbum detegere. Hoc in loco loquor tantum de noxio ſilentio, quo in Sacramento peccata celantur. Criminoſi, atque Sacrilegi hujus ſilentii tres plerumque ſunt cauſæ, a quibus perquam diligenter ſibimet cavere debet Chriſtifidelis.

Primo, ſilentium ignorantiæ, cum omittimus declarare peccata, quia ignorantur. Fateor equidem accidere poſſe, ut hoc ſilentium nequaquam ſit recens peccatum; cum pro virili conamur omnia in memoriam revocare peccata, ac diligenti examine conſcientiam excutere; ſed cum ex negligentia ignorantia hæc proficiſcitur, & ex ſufficientis indaginis defectu, tunc cenſetur voluntaria.

Secundò, ſilentium timoris, vel pudoris, quo fit, ut minime audeamus noxas aperire, ne jacturam faciamus exiſtimationis noſtræ in mente Confeſſarii.

Tertiò, ſilentium nequitiæ, cum detrectamus noſtra confiteri crimina, animo eadem diſſimulandi. Hæ tres ſilentii ſpecies efficere poſſunt Sermonis partitionem.

Pro parte prima, quæ pertinet ad ſilentium ignorantiæ, animadvertenda ſunt illa Prophetæ verba; *Veritas, & miſericordia obviaverunt ſibi*. Cum veritas prodit ex ore peccatoris, miſericordia, & venia peccati prodit ex ore Dei; ſed ſilentium obicem conſtituit divinæ miſericordiæ ſi adfectata, & craſſa eſt ignorantia, ut dicitur vulgò; & Sanctus Bernardus inquit illam, ut plurimum proficiſci ex triplici capite, videlicet *ex ſciendi incuria, ex deſidia diſcendi, & inquirendi negligentia*: quæ tria excuſare nequeunt hoc ſilentium, quod in cauſa ſua eſt criminoſum.

Pro parte altera ad quam pertinet ſilentium timoris, atque pudoris, valde injuſtum eſt, & tamquam impoſſibile: Primo, nullo pudore ſuffundi in ſceleribus patrandis, eorumque affici dolore; dolor enim efficit, ut ſtatim malum aperiatur, & inquiratur medicina. Secundò, indignum eſt, perfunctoriam timere confuſionem, & non vereri æternam, quam nonniſi peccata noſtra confitentes poſſumus evitare. Tertiò, verecundia hæc eſt commentitia. Homo enim, qui Dei locum tenet, & cui peccatum fatemur iiſdem eſt obnoxius infirmitatibus, quibus nos ipſi.

Pro parte tertia, ad quam ſpectat Silentium nequitiæ, tunc accidit cum voluntarie, & de induſtria celamus crimen, quod horribile eſt ſacrilegium, & crimen enormius omnibus peccatis, quæ aperire poſſimus. Credo paucos eſſe, qui ad hunc exceſſum nequitiæ perveniant; ſed uſitatum eſt diſſimulare criminum gravitatem per eos prætextus, qui illa excuſare videntur, vel uti ambagibus, ut longe alia videantur ab illis, quæ ſunt, & ſæpe etiam aliquis operire conatur illa, ac involvere ſub nomine aliarum levium noxarum, veluti vanitatis, inanis oblectationis, immodeſtiæ, feſtivitatis, obtutuum liberiorum, & parum decoræ curioſitatis.

Vide in To. I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum; CONFESSIO.

Adducunt ei ſurdum, & mutum. Marc. 7.

III. Argum. Hodiernum Evangelium in miraculo, quod operatus eſt Dei Filius muti linguam diſſolvens aperte nos docet, hominem hunc ſurdum non eſſe niſi figuram, & imagi-

Infelicitas peccatoris ſurdi gratiis, & inſpirationibus Dei. nem illius, qui voluntate ſurdus eſt divinis inſpirationibus, & afflatibus gratiæ: *Si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Quam ob rem fert animus tres peculiariter oſtendere vobis veritates, quæ futuræ ſunt ſermonis hujus partitio.

Quarum prima eſt nihil eſſe pericoloſius, quàm Dei gratiis reſiſtere. Hæ rapidæ, ac perfunctoriæ ſunt gratiæ, ubi eas voluerimus non reverſuras; fulgura ſunt in noctem æternam evaneſcentia, ſtatim fere ac niteſcunt. Parum attenditis, ut ex hoc bono exemplo proficiatis, ut huic inſpirationi reſpondeatis, ut primum hunc motum ſequamini; numquid Deus ſemper gratiam eamdem collaturus eſt? Utique fortaſſis, & forte non item; ſed potius hoc poſterius timete. Semel, & iterum vos invitavit ad Cœnam vobis paratam; numquid & tertiò vos invitabit? Vocavit vos in Regnum ſuum; numquid ſemper vos eſt invitaturus? Timeo, ut potius adimpleatur in

perſona veſtra illa JESU CHRISTI comminatio: *auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus*. Matth. 21.

Secunda veritas eſt, nihil eſſe uſitatius, quàm Dei gratiis reſiſtere; neque enim tantum unius, vel duorum annorum ſpatio perſequitur peccatorem pertinacem, quemadmodum perſecutus eſt Iſraelitas in deſerto, ſed nonnumquam annos quinquaginta, & ſexaginta; urgens illum, & obſecrans, ut ſuis utatur luminibus, quæ illi præſtat, ut agnoſcat infelicitatem ſuam, & errores cordis ſui: *Dixi, ſemper hi errant corde*. Centies clamat, tu te perdis, & ruis in damnationem; minas adhibet, loquitur illi de Morte, Judicio, Inferno; & profitetur, ſi peccator adhuc abuſus fuerit potentia ſua, ſe illum perditurum; *quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*. Verbo ne illum cogatur derelinquere, illum perterrefacere conatur; ſæpe ſuſcitat inimicos, qui illum perſequan-

ſequantur, illi immittit ærumnas, ſpinis ſerit omnes illius vias, ut ad ſe reverti teneatur.

Tertia veritas eſt, Peccatorem tandem viſurum eſſe gratias omnes, quibus abuſus fuerit, tot ſalutares ſtimulos, quos ſuffocaverit, tot ſanctos afflatus, quibus reſtiterit. Hæ gratiæ tanto ſteterant pretio Salvatori; peccator vero nullo eas habuit in diſcrimine: infiniti erant valoris, quia erant pretium Sanguinis Dei; eiſque ille prætulit turpem voluptatem, lucrum vile, eaſque contemnens pedibus calcaverat Sanguinem Salvatoris ſui, cujus erant fructus. Pars harum gratiarum adeo copioſarum plures infideles convertiſſet, & verum fidelem efficere non valuerunt. Hæ poterant ex illo ſanctum efficere, & per duritiem cordis ipſius efficient reprobum; hæ illi datæ fuerant in ſalutem, atque juſtificationem, & propter ejus infidelicatem in ipſius cedent damnationem, reddendo illum inexcuſabilem.

Vide in To. II. Bibliotheca Moral. Evang. Titulum; GRATIA.

PRO DOMINICA XII.
POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum ſicut te ipſum. Luc. 10.

I. Argum. — De charitate erga proximum.

QUARE Deus, qui adeo frequenter totum poſtulat cordis noſtri amorem, & reapſe totum meretur, illum tamen partiri videtur cum amore erga homines, & partem jurium ſuorum in proximi gratiam relaxare? Hoc inde fit, Sanctus Joannes Chryſoſtomus reſpondet, quod hæc præcepta duo, alterum quidem diligendi Deum, alterum verò fratres noſtros amandi, adeo perfecte ſibi cohærent, ut fieri omnino non poſſit, ut duo amores iſti invicem ſeparentur, quin deſtruantur. Sicuti enim Sanctus Thomas argumentatur, Charitas qua diligimus Deum unum, eumdemque habitum conſtituit cum charitate, qua diligimus proximum; quoniam diligimus Deum in hominibus, hos propter illum diligentes. Denique duo hæc invicem nequeunt ſeparari, Sanctus Auguſtinus inquit, & alterum ex altero conſequitur, ita ut qui diligit Deum, nequeat ſeſe a proximi dilectione diſpenſare, & qui vere proximum ſuum diligit per Chriſtianam Charitatem, reciproce verum habeat amorem Dei, Quapropter mirum eſſe non debet, ſi duo hæc præcepta arcto adeo fœdere ſimul conjuncta ſint in lege cum veteri, tum nova; & ſi Deus duo hæc charitatis officia in eodem præcepto copulaverit: *Diliges Dominum ex toto corde tuo, proximum autem ſicut te ipſum.* (Luc. 10.)

Multo minus adhuc videri debet, Salvatorem, qui adeo tenero amore complectitur homines, omnes fuiſſe complexum novæ ſuæ legis obligationes legis novæ in hoc uno præcepto; reliqua enim ad hoc referuntur, & ille cæterorum replet officia, qui vere diligit proximum ſuum. Verum cum hoc mandatum diligendi proximum ſuum latiſſime pateat, ita ut ſit plenitudo Legis, Evangelii compendium, & ut cum Tertulliano loquar, *Chriſtianitatis ſumma*; effectus quoque carent numero; hos tamen ad duos redigere conabor, qui in duobus Sancti Pauli Apoſtoli verbis continentur; *Charitas patiens eſt, benigna eſt.* (1. ad Cor. 13.)

Primò Charitas patiens eſt, & benigna; patitur, & operatur; ſuſtinet proximi defectus, hoc eſt, quidquid mali in ipſo eſt; & quidquid infert nobis. Talem eſſe docet primum Charitatis effectum erga proximum.

Secundò benigna eſt; hoc eſt benefica, & facit omne bonum, & de omnibus, ubi poteſt, benemeretur; Qui effectus eſt alter. Quidquid deinceps dicit Sanctus Paulus, & quidquid nobis præcipit Evangelium fuſius explicat duo hæc officia, quæ conſtituent, ut videtis, totam ſermonis partitionem.

Vide in Bibliotheca Titulum AMOR ERGA PROXIMUM.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum ſicut te ipſum. Luc. 10.

II. Argum. — De charitate erga proximum.

Aſſumi poſſunt pro argumento, & partitione ſermonis de Charitate Proximi, hæ duæ veritates, quarum probationes perſpicuæ ſunt, facileſque.

Prima eſt, quicumque non diligit fratrem ſuum, Deum vere non amat. Quamcumque cauſam prætexat, vel excuſationem ad frigus ſuum, indifferentiam, vel averſionem, quam concepit in illum a quo læſus fuit, diſſimulandam; & quamcumque ſibi rationem eſſe putet illum non amandi; quia duo iſti amores erga Deum, & erga proximum ſunt viciſſim alter alterius regula, & menſura, cum in hac re explicitum ſit Dei Verbum.

Secunda eſt Deum viciſſim amare non poſſe illum, qui odit fratrem ſuum, vel qui illum amore non proſequitur; nam præterquamquod duæ hæ veritates altera alterius eſt ratio, & arcto in ſe fœdere conjunguntur; hæc ſemper fit ſub hac conditione, quod Deus nobis ſuam offert gratiam, quæ inſeparabilis eſt ab ſua amicitia &c.

Vide in Bibliotheca locum eumdem.

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum ſicut te ipſum. Luc. 18.

III. Argum. — De modo proximum diligendi.

Dei Filius, qui nobis imperavit, totieſque commendavit amorem proximi, nos etiam docuit modum, quo ſe a nobis amari cupit, & hunc tamquam ſermonis argumentum proponere poſſumus; quod generatim deſumi poteſt ſecundum tria exemplaria, quæ triplicem nobis oſtendunt obligationem.

Primum eſt, amare proximum noſtrum, ſicuti noſmet ipſos amamus. *Diliges Proximum tuum ſicut te ipſum*, quod multa complectitur; ſed illud potiſſimum, quemadmodum amor, quo noſmet ipſos proſequimur, omnium maximus eſt, fortiſſimus, & validiſſimus; tales etiam eſſe debere qualitates amoris, quo complecti debemus proximum.

Alterum eſt illum diligere eo modo quo ab illo diligi cuperemus. *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Tertium eſt illum diligere eo modo, quo JESUS CHRISTUS nos dilexit, *mandatum meum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* (Joann. 15.) Quomodo verò nos ille dilexerit, noſtis.

Vide locum, quem ſupra.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum ſicut te ipſum. Luc. 10.

IV. Argum. — Deus eſſe debet cauſa, & exemplum noſtræ Charitatis erga proximum.

Oſtendere quomodo Deus eſſe debeat cauſa, & exemplar noſtræ Charitatis.

Primò eſſe debet cauſa. Debemus amare proximum propter Deum. Explicandum eſt quid ſibi velit amare proximum propter Deum; quem finem habere debemus propterea in amore, quo illum complectimur; & quæ ſigna ſint, ex quibus cognoſcere poſſimus, utrum illum vere propter Deum diligamus.

Secundò nobis eſſe debet exemplar. Proximum diligamus, ſicut ille dilexit nos, primò prior diligendo, & perquirendo nos. Secundò amando nos, quin noſtra indigeret opera, cum per ſe ipſum eſſet beatus. Tertiò amando nos amore immenſo; nihil enim prætermiſit, ut ardentem amorem ſuum nobis teſtaretur.

Vide locum eumdem, quem in ſuperioribus argumentis memoravimus.

PRO DOMINICA XIII.
POST PENTECOSTEN.

Nonne decem mundati ſunt? Et novem ubi ſunt? Non eſt inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Luc. 17.

I. Argum. — De Ingratitudine, & gratitudine.

CHARITAS, quam Dei Filius exercet erga decem leproſos, quibus perfectam reſtituit valetudinem, conjuncta eſt cum pluribus circumſtantiis ſpectabilibus, quæ complectuntur admirabilia dogmata ad noſtram vitæ rationem accommodata. Hic hominum Salvator Jeroſolymam proficiſcens obvios habuit decem leproſos, qui ſecus viam illum expectabant, quem ubi adventantem viderunt extulerant vocem ſuam deprecaturi, ut ſuæ miſereretur calamitatis, atque uti dignaretur ea facultate, qua divinitus donatus fuerat, ut eos conſolaretur. Nihil præterea opus fuit, ut Medicus hic charitate ſuccenſus afferret medicinam malo adeo periculoſo, quod illico ſublatum fuit imperando, ut illi ſemet Sacerdotibus Legis ſiſterent; imo ne præſtolatus quidem eſt, donec illi facerent imperata; mundati enim fuerunt ſtatim ac viam ingreſſi ſunt, ut ſeſe ad Sacerdotes conferrent.

Ecce, Fideles, Charitatem benignam, quæ illis prodeſſe quærit ipſis, qui per ingrati animi vitium ſe eadem indigniſſimos præbent. Etenim ex decem Leproſis, qui mundati fuerant, novem, qui erant Judæi, & ex numero electi populi ſui, tantum obliti beneficium, ne gratias quidem ſibi agendas eſſe cenſuerunt; & unus duntaxat, qui Samaritanus erat, & alienigena reverſus eſt, ut accepti beneficii ageret gratias. Reliquorum novem ingratitudo Benefactoris probrum nacta eſt; *Nonne decem mundati ſunt? & novem ubi ſunt?* Quippe ingrati animi vitium turpe eſt, & infame; quod Deus ſimul, & homines ferre nequeunt citra indignationem; e contra verò probat, commendat, novoque cumulat beneficio gratitudinem, & rectum cor Samaritani: quippe cui cum perfecta corporis valetudine, animæ ſalutem largitur, illi fidei lumen impertiens: nihil enim magis Deum adigit, ut recentibus nos cumu-

let beneficiis, quàm animus gratus, quem teſtamur illi propter priora, quæ accepimus ab illius bonitate. Quapropter vobis oſtendere volo

Primùm, ex omnibus officiis noſtris coram Deo nullum illi acceptius eſſe, quàm animum gratum teſtari ob illius beneficia.

Secundò in quo hæc ſita ſit gratitudo, & ratio hoc munere perfungendi; quod in duplici Sermonis hujus parte videbimus.

Vide in To. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; INGRATITUDO.

Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Luc. 17.

II. ARGUM. De Confeſſione Peccatorũ noſtrorũ, quam Deo facere tenemur.

Dei Filius, qui in ictu oculi mundare potuiſſet hos decem leproſos, tamen illis præcipit, ut ſeſe offerant Sacerdotibus, oſtenſurus nobis hanc legem eſſe inevitabilem, quam voluit irrogare confitendi peccata noſtra Sacerdoti, quantamcumque habere poſſimus repugnantiam; ad quam tamen ſuperandam nobis tria ſunt animadvertenda, quæ peccatores deterrere ſolent ab acceſſu hujus Tribunalis pœnitentiæ, & ab uſu ſaluberrimæ hujus medicinæ; videlicet neceſſitas præparationis adhibendæ, verecundia detegendi crimina, & ſecretiſſimas cordis ſui affectiones, & demum difficultas infringendi nexus peccati. Hæc tria impugnari poſſunt in tribus partibus ſermonis, oſtendendo hæc non debere arcere nos a felici hac medicina.

Primò non eſt facile ad examen peccata ſua revocare, memoria recolere tot tetras imagines, excutere tot turpes cogitationes, infamia conſilia; perhorreſcimus retegere horrendum hoc chaos, vel potius arbitramur numquam hoc nos conſecuturos: ſed quid hoc ſibi vult? non valeo memet colligere, neque tot flagitiorum meminiſſe. Videlicet perſiſtere vis in peccato? nempe perhorreſcis cogitare de confeſſione ea tantum de cauſa, quia ſpecioſum quæris prætextum, ne emergas ex eo ſtatu, in quo es? Sed primò non ævitabis hoc examen, quod tandem aliquando neceſſario tibi ſubeundum erit, alioquin morituro in finali impœnitentia, quod eſt malorum omnium extremum. Secundò quò magis procraſtinaveris, eò majores invenies difficultates ad examen hoc faciendum, quia in ſingulos dies recentia crimina cumulabis. Similis es ægrotanti pharmaca perhorreſcenti, ſed qui tandem illa haurire cogitur, ne moriatur. Hic ſuſtinet pœnam averſionis, quam habet periculi, & remedii, quod invito animo exhaurit. Tertiò multo major eſt pœna gravem hanc ſarcinam geſtandi ea ipſa de cauſa, quia nolunt illam objicere, ac ſeſe exonerare. Etenim nihil ne facis ſtimulos conſcientiæ, metum moriendi in peccato, & cogitationem te eſſe inimicum Dei, ejuſque juſtitiam a te pœnas repoſcere? Præſtat centies quam primùm temet tuis liberare criminibus, quam diutius illa retinere inter tot ſtimulos, quibus cor tuum lancinatur &c.

Secundò rubor peccata ſua confitendi efficit, ut Converſionem horreamus; profectò enim illi, quos minus pudet patrati criminis, hos magis pudet illud patefacere. Confuſio hæc, & pœna amplificabitur, quæ tandem vel commentitia eſt, vel ſaltem infinite delinita conſideratione perſonæ illius, cui peccata noſtra aperimus; ſunt enim aperienda peccatori, qui eſt noſtri ſimilis, qui ſæpe eadem indiget medicina, qui magis noſtræ calamitatis miſeretur, quàm nos perhorreſcat; qui potius admirari debet animum victorem hujus verecundiæ, quàm infirmitatem, per quam in crimen incidimus; qui ſilentio arcanum ſibi creditum tenetur involvere, qui nullam ob cauſam valet uti cognitione quam ipſi tradidiſti de vitæ tuæ ſtatu, & qui tenetur eſſe ſibi amicus ob confidentiam ſibi factam, & electionem perſonæ ſuæ, ut illi quidquid ſecretiſſimum habes, committeres. Hæc omnia providiſſime diſpoſuiſti Deus meus, ut faciliorem nobis præberes confeſſionem, quod argumentum eſt te illius eſſe auctorem.

Tertiò labor, & difficultas relinquendi nexus, & vincula peccati, oblectationum, & voluptatum, conatus exerendi ad infringendos habitus; verbo ad immutandam vitæ rationem, & diſciplinam. Verum ſi cogitaverimus Primò nobis nullam eſſe ſperandam ſalutem, & miſericordiam, niſi conſtans hoc inierimus conſilium quæ conditio eſt inhærens veniæ quam nobis largitur Deus, ſecundò Gratiam Sacramenti ſternere, & complanare greſſum hunc, quem adeo veremur; tertiò hoc minimum eſſe ex iis, quæ exigere poteſt Deus ab illis, qui adeo contumelioſe illum læſerunt: Si cogitaverimus, inquam, hæc tria, cum Sancto Auguſtino experiemur, hos tantas difficultates eſſe totidem terriculamenta, & ne levem quidem pœnam inveniemus in ſervitute Dei quam inveniebamus vitam traducentes inter flagitia, & ſatisfacientes cupiditatibus noſtris.

Vide in To. I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: CONFESSIO.

Nonne decem mundati ſunt? Et novem ubi ſunt? non eſt inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Luc. 17.

III. ARGUM.

Ad elucubrandum ſermonem de ingratitudine, quod vitium eſt adeo familiare, de quo tamen vix verba fiunt de ſuggeſtu, pro argumento deſumi poteſt; nulla re magis Deum a nobis arceri, quàm ingrati animi vitio, idque triplici ex cauſa, quæ partitionem ſermonis poteſt efficere.

Prima quia nihil majorem præ ſe fert contemptum beneficiorum, ideoque Benefactoris ipſius, quàm beneficia ipſa repellere, & teſtari ſe illi nihil debere. Probatio patet, quandoquidem in rebus ceteris non ita facile earum obliviſcimur, quas in pretio habemus, quas diligimus, & quæ cordi noſtro inhærent. Harum cum voluptate reminiſcimur, ſæpe mente illas recolimus, de illis loquimur, eas laudamus, & quacumque in occaſione, quanti a nobis fiant, ſignificamus. E contra verò non poſſumus majorem contemptum teſtari, quàm dedignantes de illis cogitare, vel earum meminiſſe, vel aliquo modo velle eas ſibi negotium faceſſere. Verum cum aliunde contemptus reciproce contemptum mereatur, liquet Deum viciſſim contemnere ingratum, & hoc vitium, quod homines uſquequaque oderunt, multo magis odioſius eſſe in oculis Dei.

Ratio altera eſt, quia ingratitudo fruſtratur Deum fructu, quem expectat, omnium bonorum, quæ confert hominibus. Nihil eſt conſtantius hoc, cumque ille bonis noſtris non egeat, nihil ſperat a nobis, neque alia poſſumus illi præbere grati animi noſtri ſpecimina, quàm laudes, gratiarum actiones, & amorem. In hoc ſita eſt ejus gloria, cujus zelotypus eſt, & hoc unum petit a nobis, quo tamen per tetram ingratitudinem illum privamus.

Tertia eſt, quia per ingratitudinem noſtram nosmet præbemus indignos ſuis gratiis, atque favoribus. Quemadmodum videmus, in more hominum erga ingratos poſitum eſſe, ceſſare quo minus de illis benemereantur, cum videant illos abuti ſuis beneficiis, dicimus enim, hi ſunt ingrati, ideoque indigni, quibus bene fiat; Ita ingrati animi vitium exhaurit fontem gratiarum, quas Deus nobis largiebatur, & eas quoque revocat, quas olim contulit nobis; vel ſaltem illas reddimus inutiles, nullum inde fructum percipientes.

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum; INGRATITUDO.

PRO DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Quærite ergo primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6.

I. ARGUM. De Providentia Divina.

OPus non eſt, Fideles, interprete, explicatione, vel ſtudio ad intelligendum, quod Dei Filius nos docet in hodierno Evangelio. Veritas, quæ ibi continetur, non eſt ex earum numero, quæ rationem excedunt; vel quæ egeant luminibus fidei, & ratio qua intelligenda eſt, non eſt per ſimilitudinem, aut per parabolas, quæ ſint explanandæ, ut legitimus ſenſus inveniatur. Hæc aperta veritas eſt, quæ videtur etiam oculis minus perſpicacibus; diſciplina morum, quam Ethnici quoque minus occulati inter ipſas infidelitatis tenebras perſpexerunt; primum religionis principium ab omnibus populis acceptum; axioma, quod ratio, & fides, experientia, rectuſque ſenſus, natura, & gratia; atque ut verbo me expediam, omnia creata, quæ magnum hunc terrarum orbem componunt, elata voce prædicant, & a nobis ignorari non ſinunt.

Hic integer eſt ſermo, quem Salvator inſtituit de Providentia, qui maxime perſpicuas, validaſque probationes complectitur, qui nobis ſuggerit urgentiſſimas cauſas, propter quas per perfectam confidentiam victas illi dare manus docet; & qui nobis oſtentat utilitatem, & commoda, quæ inde percipiunt, qui ſeſe regendos illi permittunt. Sermo denique diſertus, ſibi conſtans probatus, eloquens, ſed præ cæteris ad erudiendum aptiſſimus; continet enim veritatem, quæ omnem vitæ noſtræ rationem regere debet. Itaque non ipſe ſum ſolus, qui animadverterit, videri divinum hunc præceptorem immutaſſe methodum, quam hactenus ſecutus eſt docendi homines per verba ſimplicia, quæ vim hauriunt ab ipſa veritate, ſine fuco, ſine ornato, & ſine omnibus ſchematibus illis, quibus uti conſuevit humana eloquentia ad perſuadendum. Sed hoc in loco diceres illum gerere Philoſophi figuram, atque Oratoris; enarrat, probat, perſuadet, hortatur, animat, exempla miſcet, & argumenta cum locupletiſſimarum expreſſionum affluentia, & invicte concludit, in ſinum divinæ hujus Providentiæ projiciendas eſſe inutiles curas, quæ inceſſanter nos agitant, ut omnes cogitationes noſtras unice tranſmittamus in quærendo, & acquirendo Regno Cœleſti.

Hinc dicere cogor, quemadmodum Providentia non eſt aliud, quam ſecreta ratio Sapientiæ Dei in mundi totius regimine, oportuiſſe, ut incarnata Sapientia nobis expli-

Digitized by Google

plicaret præcipua illius organa, & doceret, quanti noſtra intereſſet in ea noſtram locare confidentiam, & denique rationes, quæ ad id nos impellunt. Has ad tres potiſſimum redigam, quas haurio ex ſermone admirabili, quem Dei Filius in Evangelio proponit.

Prima eſt nihil eſſe Deo contumelioſius, quàm de illius Providentia diffidere, quandoquidem teſtatur hoc proprium eſſe Gentilium, & Infidelium, qui Deos venerantur non ſatis pares, qui ipſorum neceſſitatibus ferant opem.

Altera eſt nihil eſſe inutilius, quàm ſeſe illi opponere, atque contendere eadem invita votorum ſummam conſequi; quandoquidem affirmat neminem eſſe, qui propriis viribus atque induſtria poſſit adjicere naturali ſtaturæ ſuæ cubitum unum, vel in quapiam te excedere limites, quos ſua Sapientia proſcripſit.

Tertia denique eſt nihil eſſe ſuavius, & ad noſtram conſolationem aptius, quàm ſeſe ſubmittere imperiis hujus Providentiæ. *Ne ſollicitiſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini.* In his tribus complector quidquid ad mores pertinet in hoc argumento. Infidelitas, quæ committitur, cum de Providentia diffidimus, & ſuavitas, quæ guſtatur, cum noſmet Dei juſſo ſubjicimus, & cum omnino a Dei Providentia pendemus.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum; PROVIDENTIA.

Quærite ergo primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6.

II. Argum.

Contra negantes, vel inſimulantes Providentiam.

Nulla eſt perfectio in Deo, quæ quovis tempore magis obnoxia fuerit hominum contradictioni, quàm Providentia. Quidam illam omnino negant, quod fecerunt nonnulli veteres Philoſophi, & adhuc faciunt Athei per voluntariam cæcitatem, ut non aliam habeant actionum ſuarum regulam, quàm ſuas cupiditates. Alii illam accuſant, & cenſoria nota perſtringunt tamquam injuſtam in diſtributione malorum, bonorumque vitæ hujus. Hi cæci ſunt propter amorem proprium, qui ſeſe tantum reſpiciunt, & qui omnia referunt ad commoda ſua, ſuamque utilitatem; nec probant, niſi quod ipſis perplacet, & conqueruntur, & muſſitant de ea ratione, cum qua ſe gerit Deus erga illos. Alii demum ſunt Sapientes ſæculi, & politici, qui magna ineunt conſilia, & qui in cœptis ſuis gloriantur ſe quodcumque obtinere poſſe per induſtriam ſuam, per dolos, & technas, quin pendere velint a providentia, quin in illa confidant. Hæc tria illa ſunt perſonarum genera, quæ cum Scripturis vocare poſſum profugos, & deſertores Providentiæ, adverſus quos res mihi eſt, primis perſuadendo veritatem, & neceſſitatem Providentiæ univerſas mundi hujus res dirigentis; oſtendendo conquerentibus, illam toto Cœlo æquiorem, & ſapientiorem eſſe in ordine, quem inſtituit, & in agendi ratione quam ſequitur erga homines; & denique illis, qui ab ea pendere detrectant, & qui ſolum in ſua confidunt dexteritate, & induſtria, probando ipſos ſine illa numquem ex ſententia conſecuturos, & omnia ipſorum conſilia in perniciem eorum ceſſura.

Pars prima quoad illos qui nolunt Providentiam agnoſcere omnibus mundi hujus rebus invigilantem, omniaque ad fines ſuos deducentem, quamvis per vias nobis ignotas; ſufficit, ut homines iſti oculos conjiciant in partes omnes mundum hunc componentes, & videant quonam ordine ſingula tot ſæcula perſeverant, ut illico inferatur, univerſum hunc terrarum nequaquam fortuito coaluiſſe, neque fortuito fuiſſe directum, ſed gubernatum per infinitam Sapientiam, quæ attingit a fine uſque ad finem, ſecundum verba Spiritus Sancti. Talis eſt nexus inter Dei Omnipotentiam, ejuſque Providentiam, ut alteram ſine altera cognoſcere non poſſemus. Ejus omnipotentia eniteſcit in rerum omnium creatione, Providentia verò refulget admirabiliter in cura, quam earum gerit; & ſicuti nihil ſine illius omnipotentia producitur, ita nihil ſine ejuſdem Providentia regitur, & gubernatur. Latius loqui poſſumus de perfectionibus Dei, quas hæc Providentia complectitur, de infinita ejus Sapientia, quæ omnia cognoſcens nequit ignorare neceſſitates creaturarum ſuarum, de illis Bonitate, quæ illas non eduxit ex nihilo, ut mox derelinqueret, de illius Juſtitia; neque enim tenebatur Deus illis vitam tribuere; ſed poſito, quod illas propter aliquem finem creaverit, cogitur illis ſuppeditare media per quæ ad eumdem perveniant; quod etiam æquius eſt habita ratione hominis, qui eſt præſtantiſſima creaturarum illius, & pro quo aliæ quæcumque creaturæ factæ fuerunt.

Pars altera eſt probare rationem, qua ſeſe gerit Providentia erga illos, qui conqueruntur, & illam inſimulant injuſtitiæ in diviſione inæquali bonorum, malorumque vitæ hujus, cumulans ſæpe divitiis eos, quorum inſignis eſt impietas, & relinquens in ſqualore, ærumna, & paupertate illos, qui ſunt optimi: verum, ut his cri-

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

minationibus reſpondeamus, oſtendendum eſt eos, qui iſthæc effutiunt primò cæcos eſſe, ſui met ipſorum philautia excæcatos, qui nonniſi commoda ſua, & utilitatem ſpectant, non autem ordinem, & bonum ſocietatis humanæ, quæ ſubſiſtere nequit niſi per mutuam ſubmiſſionem, quam ultro, citroque homines invicem habent pauperes, ac divites, ſinulque divites, & pauperes. Non vident naturalem Providentiam terrenis eorum neceſſitatibus invigilantem ſemper eſſe ſubordinatam Providentiæ ſupernaturali curam gerenti ſalutis animæ ipſorum, ita ut ratio, quæ illis ſevera videtur divinæ hujus Sapientiæ judicio ſit accommodatior æternæ illorum felicitati.

Tertia pars erit reſpondere illis, qui conantur ſemet Providentiæ imperiis ſubtrahere, & aſſequi omnia per induſtriam ſuam; verbo, ſui juris eſſe, & arbitros actionum ſuarum. His eſt oſtendendum, ipſis nihil ceſſurum ex ſententia, ſine peculiari confidentia in eadem Providentia; quia lumina eorum nimis brevia ſunt, & coarctata, ut videant vera media, quæ ſuſcipienda ſunt ut ad ſuos fines perveniant. Secundò, quia oblectatur Deus ſapientum mundi exſufflare conſilia, quemadmodum in Scripturis minitatur. Tertiò, quia pati nequit ſuperbos homines in Cœlum attollere cupientes turrim Babylonicam, eoſque deſerit arbitrio ipſorum quod eſt malorum omnium origo.

Vide eumdem Titulum; PROVIDENTIA.

Non poteſtis ſervire Deo, & Mammonæ. Matth. 6.

III. Argum.

De divitiis generatim.

Non ita, Fideles; nemo ſervire poteſt duobus Dominis, & quantumvis pateat cor humanum, quod unice poteſt infinitum complecti objectum, tamen nimis anguſtum eſt, ut in eo cohabitet ſimul amor Dei, & amor divitiarum. Hi duo ſunt Domini, quorum alter ſuperiorem ſe pati non poteſt, alter vero ſocium, ut dicebatur olim de duobus Imperatoribus, quos univerſum Romanorum Imperium ſimul capere non poterat. Verum eſt, hominem ubique quærere dominum, ac libenter primi ſeſe offerentis mereri ſtipendia; verum ſi duobus fideliter ſimul placere non licet, dici poteſt juxta Oraculum Evangelicum neminem eſſe, cui magis impoſſibile ſit ſatisfacere tempore eodem, quam Deo, & divitiis, quibus ſeſe mancipat per inordinatum amorem, quo deperit illas; & illi quibus tanta eſt audacia, ut credere præſumant, ſe conciliare poſſe duo hæc contraria, ſimiles ſunt populis, de quibus loquitur Scriptura, quos Rex Aſſyriorum miſit Samariam, ut Religionem illam incolerent, & qui modò Deum adorabant, eique offerebant ſacrificia, modo idolis ſuis genua flectebant, eiſque victimas immolabant. Non ita, Fideles, iterum dico, hoc fieri non poteſt; & ſimul idololatriam cum Chriſtianiſmo conſociabitis, ubi ſimul volueritis ſervire Deo Cœli, & illi, qui hodierna die habetur pro Deo terræ, quod eſt argentum. *Non poteſtis ſervire Deo, & mammonæ.* Hinc Divitiæ in ſcripturis injuſtæ dicuntur, & iniquitatis theſaurus. *Mammona iniquitatis.* Quamvis illæ per ſe malæ non ſint, neque ſaluti repugnent. Sanctus Auguſtinus tres affert cauſas, quæ Sermonis partitionem efficient. Matth. 6.

Prima, quia *ſæpe cum iniquitate acquiruntur*, Eximii Doctoris ſunt verba.

Secunda, *quia cum iniquitate poſſidentur* ab illis, qui confidunt in eas.

Tertia, quia *cum iniquitate conſumuntur* ab illis, qui in inſanos erogant ſumptus, ut ſuis cupiditatibus veliſicentur.

Vide in To. I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: DIVITIÆ.

Aliter hoc afferri poteſt argumentum.

Hoc argumentum aliter etiam poteſt pertractari oſtendendo divitias tria mala in hominibus parere; quare fit ut divitum ſalus ſit difficillime, & moraliter impoſſibilis ſecundum oraculum Veritatis ipſius.

Primùm injuſtos in earum acquiſitione illos efficiunt.

Secundò illos inſaturabiles reddunt in poſſeſſione, videmus enim, quò plures poſſident, eò ardentius illas concupiſcere, & cupiditati huic nihil umquam ſatis eſſe.

Tertiò illos crudeles, & immiſericordes faciunt, quin alienarum miſeriarum miſereantur.

Vide locas ſuperius memoratas.

PRO DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Cum Jesus appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur Filius unicus Matris ſuæ.
Luc. 7.

I. Argum. — De Morte. Quomodo nobis auferat errorem illuſionum vitæ præſentis.

SERMONIS hujus finis eſt, oſtendere, quo pacto mors nobis errorem auferat, & corrigat vitæ hujus illuſiones, quæ potiſſimum ſunt tres. Prima eſt vitæ ipſius, quam putamus nunquam deſituram, nobiſmet chimæricam pollicemur æternitatem, ſed mors edocet, nobis ſerius, ocyus eſſe moriendum. Altera eſt bonorum vitæ hujus, quibus inhæremus, & nos docet mors illa vel nihil eſſe, vel modicum, & licet eſſent majora, hæc tandem aliquando eſſe relinquenda. Illuſio tertia reſpicit noſmet ipſos: aliquid nos eſſe putamus, & mors efficit, ut intelligamus, quod ſumus.

Harum illuſionum prima ad ipſam pertinet vitam. Nobis quidem perſuadere non poſſumus nos non morituros; fides, ratio, experientia nobis oppoſitum perſuaſerunt: ſed pro virili parte mortem arcemus, credimuſque nos hac die, hac hebdomada, hoc menſe, hoc anno nequaquam morituros, & proinde quamdam æternitatis ſpeciem comminiſcimur. Sed mortis cogitatio diſſipare debet hanc illuſionem; mors enim in ſingula momenta poteſt irruere, & nihil incertius eſt hora, & genere mortis noſtræ; exemplum enim plurimorum, quos morientes videmus, cum minime cogitant, nos admonet, nos fortaſſe vicem eamdem manere, noſque iiſdem caſibus obnoxios eſſe, & demum Veritas ipſa nos docet, quod ſemper parati eſſe debemus, neſcimus enim, quando Dies Domini adveniet. Oſtendere poſſumus nemini locum eſſe longiorem vitam ſperandi, quam illis qui illam inter flagitia trahunt, & de morte ſunt minus ſolliciti. Hinc elici poſſunt plures, eæque præclaræ concluſiones, cujuſmodi eſſent quo magis mortis cogitationem differimus, eò minus paratos fore ad bene moriendum; nos totum vitæ noſtræ curriculum in jugi illuſione traducturos, cujus errorem nonniſi mors auferet; vitæ hujus illecebras nos privaturas felicitate, quam in altera vita nobis præparaverat Deus; & nos oblitos mundum hunc non eſſe manſionem noſtram, non adlaboraturos ad procurandam nobis æternam in Cœlo beatitudinem.

Altera illuſio illa eſt, quam gignunt mundi hujus bona. Profecto ſi mundus ſpectetur ex hoc nitenti cortice, habet illecebras ad nos fallendos aptiſſimas. Exterior hæc ſpecies qua ſumus amicti, hæc potentia, quæ efficit, ut omnia voluntatibus noſtris pareant, honor, quo ſepti ſumus, hæc omnia nos faſcinant, ac taliter fallunt, ut pauci ſint, qui illis ſe capi non ſinant; ſed medium ſeſe præmuniendi adverſus illuſionem hanc adeo generalem, eſt mutuari lumina, & veritates a morte. Quæritur ex hoc ambitioſo, qui adeo ſeſe extulit per technas, & dolos, quid in morte ſenſerit de his honoribus, & dignitatibus ad quas per tot labores pervenit, & de præclaro gradu, pro quo tanta paſſus eſt. Heu! hæc evaneſcunt omnia, cum coram Deo prodeundum eſt. Quanti facit opes ſuas, quæ illum a morte nequeunt tueri, & quæ in altera vita nihil ſibi profuturæ videntur? Incipit tandem in morte ſuam agnoſcere cæcitatem, & errorem ejicere, nimis adhuc beatus, niſi hæc illuſio funeſtiores haberet effectus.

Tertia illuſio eſt hominis ipſius in hac vita, cum ſe ipſum dimetiens ex ſpecie externa, & fulgore fortunæ, generis, vel præclararum qualitatum ſuarum aliquid ſe eſſe putat. Hæc autem illuſio, vel ut melius dicam, impoſtura hæc diſſipanda eſt mortis cogitatione, atque meditatione. Primùm enim ſeparabitur homo ab hoc luxu, hac pompa, & iis omnibus quibus circumdatus eſt, atque tunc ſe prorſus nudum, ac ſolum deprehendet. Proh Deus, quæ mutatio! cum rebus omnibus exuetur, ſpretis illis omnibus, quæ poſſidet nihil ſibi erit reliquum præter ſudarium, ſandapilam, & quinque, & ad ſummum ſex agri pedes. Secundò vita, motuque carebit, oculi ejus æterna obruentur caligine; os obſtruendum non ultra aperiendum; lingua antea adeo eloquens, ac diſerta, ſodalitatum omnium oblectatio, ſilebit. Tertiò corpus hoc cedet in pabulum vermium, fietque horroris ſpectaculum, quia factum putredinis acervus, ita fœdum, ac turpe erit, ut nemo illud audeat conſpicere. Prætetea quid fiet de hac mentis elegantia, de ſcientia, ac induſtria, acumine, ingenio, quæ cor hominis inflant, & faciunt, ut ſeſe ſupra cæteros homines jactitent? Si haberet altius impreſſam in ſpiritu mortis cogitationem, næ ille abjiceret ſublimem ideam, quam fovet de ſe.

Vide in Tom. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Mors.

Cum Jesus appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris ſuæ.
Luc. 7.

II. Argum. — Quid certi, incertique ſit in morte.

In morte aliquid certi eſt, & ſimul aliquid incerti. Certum eſt nos certiſſime morituros; incertum eſt tempus, locus, & modus quo ſumus morituri. Illud verò certum ſimul, & incertum ſtatus in quo erimus, quando moriemur. Ex triplici hac veritate, quæ conſtituet ſermonis partitionem haurire poſſumus concluſiones, & monita ſalutaria.

Primùm moriemur, hoc certum eſt, & non licet ambigere. Patriarchæ, qui plura vixere ſæcula, tandem diem extremum obierunt; Reges, & præpollentes Monarchæ huic legi ſubjecti fuere, poſtquam tot populis imperitaverunt. Robuſtiſſimi homines, & qui perfectiſſima valetudine uſi ſunt, mortem evitare non valuerunt. Nos igitur quoque ſicut illi moriemur. Sed quid ſibi vult hoc moriemur? hoc nempe. Corpus noſtrum ſternetur in feretro, vermibus paſcetur, in pulverem redigetur, anima verò in ignotam regionem abibit, in Dei judicio ſtatuetur &c. Quas hoc in loco efficere poſſumus animadverſiones? Impii, & æquo liberiores hanc inferunt conſequentiam, quæ in Scripturis relata eſt: *Venite, fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura.* Philoſophi, & qui ſe ſpiritus fortes jactant, non aliud inde arguunt, niſi mortem viriliter eſſe obeundam, & ſi fieri poteſt, vivendum eſſe in poſterorum memoria. Sed Fidelis inferre debet, nos præparandos eſſe ad bene moriendum; quoniam non licebit ultra medicinam adhibere, ſi hac in re fuerit erratum. Nos in anteceſſum mori debere, noſmet a mundanis rebus avellere, & ea facere, quæ tunc feciſſe cuperemus.

Secundò in morte incertum eſt tempus, locus, & genus mortis. Hinc inferendum eſt, opus eſſe ut contra mortis inſidias noſmet præmuniamus, ea enim vera mors plurimos ex inſidiis adoritur. Sexcenti caſus accidunt in vita, vitia, ac intemperantia ſæpe ſubitæ necis eſt cauſa, vel immaturæ; & ſæpe hanc permittit Deus in pœnam criminum noſtrorum, noſtræque negligentiæ. Docet igitur ſemper eſſe paratos.

Tertiò in morte certum ſimul, & incertum eſt, neſcire nos quonam in ſtatu morituri ſimus; & nihilominus conſtat, nos in hoc ſtatu in omnem æternitatem eſſe permanſuros. Quam horrendum eſt mori in ſtatu peccati! Quam optabile mori in ſtatu gratiæ! neſcimus utrum perſeverantiam ſimus habituri, & ſcimus niſi illam conſecuti fuerimus, nos in nullam reditus ſpem eſſe introituros.

Vide eumdem Titulum in Bibliotheca.

Cum Jesus appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris ſuæ.
Luc. 7.

III. Argum. — De cogitatione mortis, & quiſnam utilitatem cogitatio hæc nobis eſt allatura.

Tria potiſſimum ſunt propter quæ Fidelis mortem reformidat; ſed frequens mortis hujus cogitatio aufert nobis hunc metum.

Primum eſt peccatum, qui ex Apoſtolo ſtimulus mortis eſt, quemadmodum nonnulli explicant, eſt aculeus qui dolorem parit, efficitque, ut metuamus juſtum peccati ſupplicium; ſed cum mortis cogitatio efficiat, ut peccatum deſtruamus per ſinceram pœnitentiam, in cauſa eſt, propter quam illam minus reformidemus, poſtquam, ut ita dicam, illi abſtulerimus arma.

Secundum eſt, Adhæſio illa quam habemus cum mundo. Sed mortis cogitatio hæc vincula infringit, per quæ fortiùs hæremus illi, & efficit, ut ultro, ac libenter faciamus id, quod neceſſario nobis eſſet faciendum.

Tertium eſt Judicium Dei, ad quod poſt mortem nobis eſt prodeundum, ſed poſſumus ne iſthæc cogitare, quin hoc in ſtatu rationes noſtras ſupputemus, & extremum extremum hoc momentum præſtolemur?

Vide locos in ſuperioribus argumentis enunciatos.

PRO DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.
Luc. 14.

I. Argum. — De Avaritia, cujus figura eſt.

MORBI, quibus omnes ſumus obnoxii, & quibus corpus noſtrum ſæpe laborat, longiſſime abeſt, ut æque ſint pernicioſi, ac vitia, & habitus pravi, quæ ſunt tamquam vulnera, & ægritudines animæ noſtræ. Et infirmitatibus

autem,

hydropiſis quæ hominem ſemper efficit ſitientem.

autem, quæ corpus noſtrum affligunt, nulla nobis melius repræſentat inexplebilem avaritiam, neque tantum nobis ciere poteſt ejuſdem horrorem, quantum hydropiſis. Hoc Dei Filius nobis innuere voluit per curationem Hydropici Evangelici. De hoc vitio hodierna die apud vos verba facturus ſum, ob oculos veſtros objiciens tria illa malorum genera, quæ mortales in vita hac maxime reformidant, & quæ evitare conantur, illa eſſe eadem, quæ ſibi conflat avarus per inordinatam cupiditatem, qua poſſidetur.

Primum eſt turpitudo, & dedecus; nihil enim hominem magis dedecet, quàm rumor avaritiæ.

Alterum eſt ſervitus, & captivitas. Quid non audemus cum vinculis ferreis adſtringimur, ut illa infringamus, & perditam reparemus libertatem. Quæ verò ſervitus crudelior, ac turpior, quàm avaritiæ? Sed qui tenentur amore divitiarum, illam ſuſtinent, eique libenter ſeſe ſubjiciunt.

Tertium dolor eſt, ſollicitudo, & ægritudo, quæ nobis odioſam efficit vitam, Tamen nemo eſt, qui durioribus pœnis torqueatur, quàm avarus, & qui illas majori cum patientia ſuſtineat.

Vide in Tom. I. Bibliotheca Moral. Evangel, Titulum: AVARITIA.

Aliter efferri poteſt hoc argumentum.

Aliter etiam pertractari poteſt hoc argumentum oſtendendo tria mala huic vitio inhærentia, propter quæ Deus illud, ſimul ac homines oderunt.

Primùm turpitudinem, & infamiam, quæ cauſa eſt, propter quam omnes hac ſe labe infectos eſſe negant, neque hoc crimine ſe accuſari patiuntur; quod argumentum eſt turpitudinis, atque indignitatis.

Secundò impietatem, atque irreligionem, ita ut ab Apoſtolo vocetur *ſervitus idolorum*. Plures adferuntur cauſæ; ſed potiſſima eſt, quia ab avaris omnia negliguntur Religionis officia, ut illis vacet inquirere, & undequaque colligere divitias, non aliud in animo habituris.

Tertiò credulitatem in miſeros, qui opprimuntur, & in ſemet ipſos.

Alia ratio ipſum argumentum pertractandi.

Oſtendi etiam poteſt, ab avaro omnia ſacrificari Avaritiæ tamquam ſuæ divinitati.

Primò ſacrificat avarus honorem, & exiſtimationem ſuam; hæc enim labes corrumpit omnia, & vitiat omnes laude dignas qualitates, quibus homo ornatus eſſe poteſt, eumque reddit univerſis odioſum, & contemptibilem.

Secundò illi requiem ſuam ſacrificat, propter curas, & ſollicitudines quibus torquetur, ut cumulet, tueatur, augeat divitias ſuas, quæ cauſa eſt omnium laborum, atque curarum vitæ ſuæ.

Tertiò ſuam illi conſcientiam, animam, æternamque ſalutem ſacrificat per multitudinem criminum, quorum inſana iſta cupiditas origo eſt.

Vide locus ſuperius memoratos.

Cum invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, Luc. 14.

II. Argum.

De ambitione.

Cum Dei Filius nullum frequentius exprobraverit vitium Phariſæis in Evangelio, quàm ſuperbiam, & ambitionem; ita nullum eſt contra quod impetius præmunierit diſcipulos ſuos, & eos omnes, qui novam illius Legem erant amplexuri. Nullum eſt præceptum ſæpius repetitum, hoc humilitatis; nullumque peccatum, contra quod altius fuerit invectus in omnibus occaſionibus quàm contra ambitionem, & demum nullam prætermiſit, modo blandam, modo atrem, vehementemque medicinam, ut curaret malum, quod ab ipſa haurimus nativitate, & quod plerumque extremum eſt, a quo recedere conſueverimus. Quamobrem Sanctus Auguſtinus inquit, nullam in Sacris Scripturis eſſe paginam, ubi non inveniamus, Deum ſuperbis quidem reſiſtere, & nihil prætermittere, ut dejiciat ambitioſos.

Afferi tamen poteſt Salvatorem nullibi apertius ambitionem impugnaſſe, quàm in hodierno Evangelio, in quo data opera proponit parabolam contra illos, qui in publicis cœtibus primos recubitus appetunt. *Dicebat autem ad invitatos, parabolam intendens, quomodo primos accubitus eligerent*: Dat autem præceptum hoc admirabile, ſibi noviſſimum locum vindicandi, & rationem adfert, ne, inquit, ſi alius te ſpectabilior invitatus acceſſerit, convivii dominus te admonere teneatur, decedendum tibi eſſe a loco quem occupaſti: *Cum invitatus fueris ad nuptias recumbe in noviſſimo loco*. Latius explicat, & familiari utitur exemplo, quod obiter alibi dixerat, videlicet neminem propiorem eſſe caſui, quàm qui inordinata cupiditate altius attolli deſiderat; & demum, hoc concludit axiomate, quod in ore Veritatis ipſius factum eſt Oraculum: *Qui ſe exaltat, humiliabitur*, ut nos avertat ab ambitione, per eadem ipſa, quæ ambitioſi maxime reformidant, nempe videre ſe ſub pedibus illorum.

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

ipſorum, ſupra quos conantur aſſurgere. Jure igitur Chriſtiani, vobis oſtenſurus mala, quæ periculoſa hæc parit cupiditas, ratus ſum mihi occurrendum eſſe iis omnibus, quæ ad illam propugnandam poterant afferri, & vobis auferendos fallaces prætextus, quos amor proprius excogitavit, ut blandiretur naturali ſtudio, quo rapimur; ſed ſpero, fore ut errorem abjiciatis, ubi vobis oſtendero; Primùm, ambitionem fontem eſſe plerorumque malorum, quæ hodie graſſantur in mundo. Secundò cum ſit inquieta animi perturbatio, ardens, ac tumultuoſa, omnem vitæ noſtræ requiem perturbare. Ita ut ſive noſmet inſpiciamus quatenus homines in vitæ civilis commercio implicitos, ſive quatenus Fideles, qui vivere tenentur ſecundum Religionis placita, ambitio ſit periculoſior ſcopulus, qui in utroque ſtatu inveniatur, & in quo vix evitari poteſt pereundi periculum, cum noſmet conamur attollere contra Dei voluntatem. Hæc erit tota hujus ſermonis partitio.

Vide in To. I. Bibliotheca Moral. Evang. Titulum: AMBITIO.

Aliter efferri poteſt hoc argumentum.

Oſtendere etiam licet Ambitionem in natura ſua conſideratam eſſe nimiam ſeſe attollendi feſtinationem; quare ſit cupiditas hæc admodum periculoſa.

Secundò in mediis, quibus nititur eſſe injuſtam, quippe ex merito aſſerto ſii indignitati ſuæ ſupplementum.

Tertiò funeſtam in exitu ſive pro tempore, ſive pro æternitate.

Rurſus aliter poteſt pertractari.

Oſtendi quoque poteſt, neminem in hac ipſa vita calamitoſiorem eſſe ambitioſo, idque tres ob cauſas, quæ ſermonis partitionem poſſunt ſtatuere.

Prima propter cruces, ſervitutem, & voluntariam captivitatem, ad quam redigitur ambitioſus; ut votorum ſuorum ſummam conſequatur; hoc eſt ut perveniat ad dignitates, & gradus, quos appetunt; quis enim ignorare poteſt abjectas, turpeſque aſſentationes, quibus utuntur, ut in magnatum gratiam adrepant? Serviles aſſiduitates, quibus illis famulantur? Quàm non induunt perſonam, ut ſeſe eorum libidini accommodent? Quamobrem Sanctus Bernardus exclamat, *O ambitio, ambientium crux!* Hoc argumentum locum tribuit hypotipoſi hominis ambitioſi; atque oſtendendi, quo pacto ille repit, ac ſe humiliat antequam ſe attollat, quomodo diu ſerviat, antequam dominetur, ubi plurima dici poſſunt. Quo timore, qua agitur ſollicitudine, exitum præſtolatur conſiliorum ſuorum? Quo dolore conficitur, cum illa perſum ire cognoſcit? quibus agitur angoribus, cum de ſpe ſua ſe dejectum intuetur? &c.

Ratio altera propter quam ambitioſi ſunt odioſi Deo ſimul, & hominibus. Hanc Veritas ipſa protulit loquens de ſuperbia, quæ ambitionis comes eſt individua. In ipſis eorum ambitioſis conſiliis Deus illis reſiſtit, juxta Oraculum Spiritus Sancti. Videtur etiam oblectari Deus ſeſe eorum conatibus objiciens, & illorum conſilia evertere geſtiens; ſuperbia enim, præſumptio, & audacia ambitionem ſemper concomitantur. Exempla ex Scripturis deprompta perſpicue hanc probant veritatem; nec minus odioſi hominibus ſunt, qui per ſecretam ſuperbiam pati nequeunt, ut alii ſuper ſe ipſos extollant; unde fit, ut clanculum illis adverſentur, niſi palam audeant per clandeſtinas coitiones, & ſocietates, quas adverſus illos ineunt, ex quibus ſecreta afficiuntur lætitia, cum vident diruta horum ambitioſorum conſilia.

Tertia denique propter pericula, quibus ſemper ſunt obnoxii, ſive ex parte candidatorum, eumdemque gradum petentium, ſive ex natura honorum, & dignitatum, quas ambiunt; cum enim hæc omnia fragilia ſint, ſexcenti reditus, totidemque cataſtrophes vitæ eorum tranquillitatem perturbant.

Vide locus ſuperius memoratos.

Probari etiam poteſt ambitionem primùm excæcare mentem efficiendo, ut aliquid ingrediamur, quod vires noſtras, & merita excedat; ita enim efficit, ut noſmet ipſos minime cognoſcamus

Secundò cor noſtrum corrumpere, inſpirando illi ſuperbiam, & inordinatum nitendi deſiderium.

PRO DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota mente tua, & in tota anima tua. Matth. 22.

I. ARGUM. De Amore Dei. NEſcio Fideles utrum videri debeat admirabilius, videre ne Deum, qui cum ſolus poſſit amari ratione meritorum ſuorum, & inveniat in infinitis perfectionibus ſuis objectum par magnitudini cordis ſui, tamen perdite, ut ita dicam, requirentem amorem hominum; an homines indigentes præcepto, ut Deum diligere teneantur? Primum quidem non minus videtur admirabile, quam ſi potentiſſimus Terræ Monarcha offerret regnum ſuum, theſauros ſuos, & quidquid ab eo poſſidetur ad ſibi conciliandum amorem noviſſimi civium ſuorum; alterum verò prodigium eſt adeo ſtupendum, ac ſi flumina indigerent imperio, ut in mare tenderent, quò feruntur per prærupta naturali ſtudio; vel ſi ignis egeret mandato, ut ſeſe attolleret, quò tanto impetu aſcendit.

Quid igitur? Adeone, Fideles, Deus, & homo mutarunt naturam, atque animi propenſionem? Deus, qui centrum eſt amorum omnium, & qui ideo recipere debet veluti quodam tributum, ſuarum creaturarum amorem, egreditur ex ſe ipſo eas quæſiturus; illas urget, atque ſollicitat, neque promiſſionibus, neque minis parcit, ut ſibi earum amorem acquirat, & via invenit animam, quæ vere illum diligat: & homo qui adeo validam in ſe experitur erga ſupremum bonum ſuum propenſionem, & ſtudium impreſſum in penetralibus eſſentiæ ſuæ, quod efficit, ut tunc etiam illum perquirat, cum magis ab ipſo recedit; homo inquam, impellendus, & excitandus eſt ad inquirendam ſuam felicitatem? Poſuit Deus omnem hominum beatitudinem in amore Entis perfectiſſimi, proponit illi illecebras omnes excogitabiles, adjicit illecebris utilitatem, & cor hominis, quod amore flagrat erga cætera, & adeo facile igneſcit ad quælibet abjecta, & tanta cum difficultate exuit ſe naturalibus propenſionibus ſuis, huic reſiſtit, & ferme neſcit quid ſit Deum diligere? Hic autem eſt ignis ille, quem Salvator attulit in terram, & quem hodierna die pro virili parte adnitar, ut in cordibus veſtris accendatur.

Ut igitur me ipſum vobiſcum ad hunc amorem cieam, modum, & præcipuas mandati hujus cauſas a Deo nobis propoſitas complector: *Diliges Dominum Deum tuum,*
Matth. 22. *ex toto corde tuo, & ex omni mente tua, & ex tota anima tua*: Etenim

Primùm, cum Deus unus ſit, unice vult amari, & ex toto corde noſtro, ſine exceptione, aut diviſione. *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo.*

Secundò cum ſit ſummopere perfectus, & infinite omnibus creatis rebus præſtantior, diligi expetit ex tota mente noſtra, videlicet per amorem prælationis, qui nitiri debeat in æſtimatione divinarum perfectionum ſuarum a nobis habenda. *Diliges Dominum tuum ex omni mente tua.*

Tertiò denique cum ſit æternus, & ſemper diligi mereatur, flagitat amorem animæ noſtræ, quæ legibus mortis obnoxia non eſt, ut illum æterna Charitate proſequamur: *Diliges Dominum tuum ex tota anima tua.* Ita, Fideles, ut in his verbis inveniam eaſdem amoris noſtri erga Deum dimenſiones, quas ille ipſe ſervavit in amore, quo dilexit nos, cujus omnes menſuras Apoſtolus his verbis complexus eſt: *Ut poſſitis comprehendere, quæ ſit*
Ad Ephes. 3. *latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum.* Amor illius totam replevit extenſionem cordis ſui immenſi; quoniam totum eſt charitas, & charitas eadem, & poſtulat totam cordis noſtri extenſionem. *Diliges ex toto corde tuo.* Sublimitas, & profundum inde accipitur, quod cum talis ſit, qualis eſt, dignatus eſt oculos ſuos in nos conjicere, qui miſeræ ſumus creaturæ, quin inde bonum aliquod hauriat, & velit, ut amor noſter ſeſe ſuper omnia attollat per amorem prælationis, quem Theologi amorem appretiativum appellant, *ex omni mente tua*; & denique cum longitudo amoris erga nos ſui, fuerit omnis æternitas, in *Charitate perpetua dilexi te*, vult ſe perpetuo diligi ab anima immortali per amorem conſtantem, atque integerrimum: *ex tota anima tua.* Quod erit ſermonis argumentum, atque partitio.

Vide in To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: AMORIS DEI.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota mente tua, & in tota anima tua. Matth. 22.

II. ARGUM. De Amore Dei. Pro argumento Sermonis deſumi poſſunt illa Sancti Bernardi verba: *Duplicem ob cauſam diligendus eſt Deus; quia nihil juſtius, & quia nihil diligi fructuoſius poteſt; ſuo ſcilicet merito, & noſtro commodo.*

Primum Punctum. *Nihil juſtius.*

Primò quia actus eſt juſtitiæ affectionem noſtram impendere merentibus illam, & amare quidquid bonum eſt, atque perfectum. Hic latiſſimus patet campus diſſerendi de perfectionibus Dei, quæ ſunt objectum digniſſimum affectionum noſtrarum, unde inferri poteſt nequiſſimam eſſe omnium injuſtitiarum injuſtitiam, illi noſtram negare dilectionem. Secundò quia Deus habet Jus in noſtri cordis affectus, quatenus Creator, a quo accepimus eſſe, & qui illud nobis conſervat, & ſine quo ne momento quidem poſſemus ſubſiſtere: ubi præcipua recenſeri poſſunt beneficia, quibus ab infinita illius bonitate cumulati ſumus, & quorum nullum eſt, quod totum amorem noſtrum non mereatur. Tertiò quia ipſe prior dilexit nos; nihil enim æquius eſt, quàm diligere eos, a quibus diligimur; & hoc ipſum melius medium eſt amorem aliorum nobis conciliandi, ſi alium amore noſtro præoccupaverimus. Quinam verò extitit Dei amor erga homines, & ſingulariter erga nos?

Punctum Alterum. *Quia nihil diligi fructuoſius poteſt.* Ponderari poſſunt fructus, quos a noſtro in Deum amore percipimus. Quamvis hæc ratio cupidior videatur, hoc tamen ipſum efficit, ut ſit validiſſima ad amorem ciendum. Prima igitur utilitas, quam inde percipimus eſt, quod Charitas univerſum meritum noſtrum conſtituit, & noſtram coram Deo magnitudinem; hæc menſura pretii, in quo ſumus apud illum, & amoris, quo nos complectitur, & deinde fons eſt totius felicitatis noſtræ in terra, & in Cœlo; quapropter Sanctus Bernardus inquit, Charitatem eſſe quantitatem animæ noſtræ, quæ ſit major, vel minor pro ejuſdem charitatis menſura. Secundò in hoc ſita eſt ſanctitas noſtra, & perfectio, ita ut quodcumque nobis aliunde ſit privilegium, & meritum, ſi charitas deſit, non ſimus amplius Sancti. Tertiò menſura charitatis noſtræ ſuper terram erit menſura gloriæ noſtræ in Cœlo. Omnium harum Veritatum probationes facile inveniuntur, & facilius amplificantur, & moralis, quæ inde hauriri debet, pathetica eſſe debet, & urgens. Concluſio verò hæc erit; Dei amorem eſſe oportere primam, ac potiſſimam in hac vita occupationem noſtram, ut in beata hac exercitatione in omnem permaneamus æternitatem.

Vide locos eoſdem, quos in præcedentibus argumentis.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota mente tua, & in tota anima tua. Matth. 22.

Alia ſermonis delineatio eſt oſtendere, primò rationes potiſſimas, propter quas Deum amare debemus, ſecundò modum, quo eſt diligendus, quæ duæ erunt partes ſermonis. III. ARGUM.

Prima pars. Cauſæ propter quas Deus a nobis eſt diligendus, continentur in tribus hiſce Verbis Evangelii, *Diliges Dominum Deum tuum.* Bonum quod eſt objectum amoris, triplici modo ſpectari poteſt, qui tria amoris genera conſtituunt. Si enim ſpectetur in ſe ipſo, perfectio vocatur, & exigit amorem juſtitiæ quem debemus iis omnibus, quæ in ſemet bona, perfectaque ſunt. Si bonum hoc eniteſcit, ac ſeſe extrinſecus prodit, ita ut placeat, alliciat, atque attrahat, tunc pulchritudo vocatur, quæ non eſt aliud, niſi bonum, quod placet, invitat, & quodammodo cogit, ut ametur. Si demum hoc bonum ſeſe communicat, & extrinſecus effundit, liberalitas nuncupatur, quæ proficiſcitur a benefaciendi ſtudio, & a nobis grati animi dilectionem requirit. Cum autem Deus ſit, non tantum bonum, ſed bonum ſolum, ut inquit Evangelium, neque ſolum bonum, ſed etiam totum bonum, quemadmodum dixit Moyſi, eſt etiam objectum triplicis hujus amoris, juſtitiæ videlicet, propenſionis, & gratitudinis. Eſſe illius ſummopere perfectum omnes noſtros meretur affectus; hæc notio eſt, quam de Deo concipimus: *Diliges Deum.* Pulchritudo ejus ſibi corda noſtra ſubjicere debet, & captivare; per hanc enim ſuum conſtituit imperium, ut inquit Propheta: *Specie tua, & pulchritudine tua &c.* Hoc illud eſt, quod intelligere poſſumus per hæc verba: *Diliges Dominum.* Demum infinita illius beneficia merentur omnem gratitudinem noſtram, quandoquidem per illa totus eſt noſter, *Deum tuum.* Tres iſtæ cauſæ rite explicatæ non poſſunt non excitare in nobis Dei charitatem.

De Amore Dei.

Pars altera. Ratio qua Deus nobis eſt diligendus continetur in eodem præcepto, quod nobis irrogavit Deus, & in Evangelicis verbis: *Diliges ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex tota anima tua.* Illum amare tenemur ex toto corde, ubi explicandum eſt, quomodo ſit intelligendum; ſimiliter quid ſit amare ex tota mente, & cauſas exponere, quæ inveniuntur apud omnes, qui argumentum hoc pertractarunt; & demum quid ſit amare illum ex tota anima, & viribus omnibus, quod non abhorret a

Sancti

Digitized by Google

Sancti Bernardi ſententia dicentis, verum modum amandi Deum, eſſe amare illum ſine modo.

Vide locos a nobis in ſuperioribus memoratos.

PRO XVIII. DOMINICA
POST PENTECOSTES.

Ecce offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto, Matth. 9.

I. Argum. — De neceſſitate, & virtute gratiæ.

CUm fama, & fulgor miraculorum mundi ſeſe in omnem effudiſſet Judæam, finitimoſque locos, non miror, Fideles, Capharnaitas adventus ejuſdem admonitos obtuliſſe illi hunc Paralyticum, de quo ſermo eſt in Evangelio, tamquam idoneum, in quo ille ſuam exerceret poteſtatem, quam conclamatiſſimis morbis medicinam afferebat. Neque ultra aliquid requirebatur ad ciendam benefici hujus medici miſerationem, quem ipſa proclivitas ad benemerendum prona jam impellebat, ut miſeris omnibus ferret opem; verum eorum petitio non ſatis illi probanda viſa eſt; cum enim impenſius laborarent, ut huic ægrotanti corporis valetudo redderetur, ipſe duxit initium ab animæ ejuſdem curatione. *Confide, remittuntur peccata tua.* Ignorabant illi, ipſum nequaquam uti ſuprema ſua poteſtate, quam in univerſam acceperat naturam, quatenus homo Deus, niſi ut probaret miſſionem ſuam, atque hoc pacto oſtenderet Judæis, ſe verum eſſe illorum Meſſiam, ac ſe in terras veniſſe, ut ſalvas potius animas faceret, quam ut corporibus moderetur. *Quid eſt facilius dicere: remittuntur tibi peccata tua, an dicere; ſurge, tolle lectum tuum, & ambula.* (Matth. 9.)

Sed hoc Salvatoris Conſilium, nobis hodierna die fit admirabile documentum; aperit quippe nobis maximi momenti veritatem, quæ eſt, homines omnes propter originale peccatum, & propter peccata ſua factos eſſe totidem paralyticos habita ratione actionum ſupernaturalium, quæ omnino ſunt ad ſalutem æternam neceſſariæ; ſed omnes indigere gratia hujus Redemptoris, quæ illos excitet, præveniat, eiſque tribuat agendi facultatem pro Cœlo, atque Æternitate. De hac gratia hoc in ſermone verba facturus ſum, oſtendens, Primò ejus neceſſitatem, quam omnes habemus; quandoquidem ſine illius ope fieri nequit, ut vel unicam bonam cogitationem fovere valeamus, vel minimum elicere ſalutis noſtræ deſiderium; verum ſimul ſecundo loco oſtendam nos omnia poſſe cum ejuſdem gratiæ ſubſidio, quæ nos efficit omnipotentes, quemadmodum teſtatur Sanctus Paulus, cum ait ſe omnia poſſe per eum qui ipſum confortat, ita ut quemadmodum Apoſtolus idem declarat

Primò nihil poſſimus ſine gratia, neque proferre valeamus adorabile nomen illius, qui eam nobis promeruit, niſi eadem facultatem hanc nobis conceſſerit.

Secundò, ſed cum eadem gratia non poſſe quidquid maximum eſt, difficillimum, atque celſiſſimum in ordine ſupernaturali.

Vide in Bibliotheca Titulum: GRATIA.

Et ecce offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto. Matth. 9.

II. Argum. — De Gratia.

Si opus fuit omnipotenti Manu Dei, ut in ictu oculi curaretur Paralyticus Evangelicus, quiſnam partem hanc ſuſcipere poterit reparandæ ſalutis in hoc Paralytico, videlicet convertendi peccatorem hunc jampridem in vitiis ſuis languentem, quæ auferunt illi facultatem proferendi pedem Cœlum versùs, eumque ineptum reddunt producendis bonis operibus ad Cœlum ſibi promerendum? Nonne, vos quoque fatebimini, gratiam unam eſſe, quæ effectum hunc gignere valeat in peccatore, qui ſine illius ope moveri non poteſt? Hoc illud eſt argumentum de quo hodierna die verba facturus ſum, oſtendens;

Primò officioſos motus, quos facit miſericordia Dei, ut ſaluti peccatoris conſulat; ſcilicet illum ſuis prævenit gratiis; illum perquirit longiſſimè recedentem; illi aufert ſpem, atque confidentiam, quam in creatis rebus collocaverat, ut facilius revertatur ad Deum, nullos amplius habens obices, quibus arceatur, & qui illum morentur; & demum, ut delibet dulcedinem ſervitutis Dei, jam expertus amaritudines, quæ a mundi ſervitute nequeunt ſeparari.

Secundò fidelitatem, & reſponſionem, quam afferre debet ex parte ſua peccator bonitati, atque miſericordiis Dei erga ſe, videlicet aures, non obſtruere voci Dei vocantis; Cœli gratiis non reſiſtere; non abuti divina bonitate, illam prætexendo procraſtinationibus ſuis, & interes in vitiis ſuis perſeverendo. Denique illi inſeparabiliter adhærere per amorem, & gratitudinem. Primùm Divina miſericordia nos vocat, & invitat, nos urget, ut confugiamus ad eam; vult igitur converſionem noſtram, atque ſalutem. Prima Propoſitio. Secundò hæc miſericordia requirit, ut acti ſalutis noſtræ deſiderio ad eam confugiamus; opus eſt ergo, ut & ipſi velimus converſionem noſtram, atque ſalutem.

Haudry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Vide in Bibliotheca Titulum; GRATIA.

Confide, Fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9.

Quantumvis actum eſſe videatur de peccatore, ſemper tamen locus eſt illi admirandi bonitatem Dei erga ſe, qui licet tot criminum fœditate ſordeſcat, jubetur tamen confidere in illo, & ſpem habere in ipſius miſericordia; modò tamen contrito corde peccata ſua fateatur, ad ipſum rediturus. De hoc ſalutis noſtræ reparandæ præſentiſſimo medio hoc in ſermone verba facturus, oſtendam Confeſſionem habendam eſſe certiſſimam peccatorum noſtrorum medicinam. Pharmaci alicujus agnoſcitur bonitas ex tribus indiciis. Primùm ſi agat tuto. Secundò ſi agat celeriter; Tertiò ſi agat ſuaviter: Peccatori igitur, & ægrotanti animæ:

Primò Sacramentum pœnitentiæ tutum remedium eſt, Ipſe Dei Filius illud inſtituit, ideoque æque, ac Verbum ejus certum eſt.

Secundò promptum eſt pharmacum, ſtatim ſalutem operatur; juſtificamur ex quo peccata ſumus confeſſi, & abſolutionem eorum conſecuti ſumus,

Tertiò æque ſuavis, atque efficax eſt medicina, quantumvis nonnullis ſevera videatur, eique ſemet ægre ſubjiciant.

Vide in Tomo I, Bibliotheca Moral. Evangel, Titulum; CONFESSIO.

PRO XIX. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Simile factum eſt regnum Cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo; & miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Matth. 22.

I. Argum. — De Gloria æterna.

SANCTUS AUGUSTINUS docet duas eſſe menſas, ac duo convivia, ad quæ Dei Filius nos evocat, & invitat quotidie. Primùm eſt convivium Euchariſticum, quod nobis reliquit tamquam pignus amoris ſui, & a quo nullam legitimam habere poſſumus noſmet diſpenſandi excuſationem. Altera eſt convivium gloriæ, æternæque beatitudinis propter quam creati ſumus, nobiſque omnia procuravit media, ut ad eam perveniremus. Non fert animus hoc in loco ſignificare vobis rationes, propter quas tenemur ad Euchariſticum hoc convivium accedere; alibi enim argumentum hoc pertractavimus, mens eſt duntaxat vobis oſtendere rationes quibus utitur Deus nos invitaturus ad magnificum gloriæ æternæ convivium; ut liqueat ipſius intereſſe nos efficere beatos. Igitur loquar hodierna die de hac gloria vobis oſtendens

Primùm Deum ſincere nos ſalvos fieri velle, ſed nequaquam ſalvatorum invitos, & nolentes.

Secundò Deum nobis largiri media ad nos ſalvos faciendos neceſſaria, quæ tamen erunt inutilia niſi illis uſi fuerimus, neque proderunt niſi ad juſtificandam in reprobatione noſtra Dei Providentiam.

Tertiò re ipſa nos ſalvos faciet, ſi fuerimus Fideles gratiis ſuis, erimuſque in numero Prædeſtinatorum.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: SALUS.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Matth. 22.

II. Argum. — De gratia ſanctificante.

Non ſine cauſa audiemum Evangelium deſcribit hominem, qui in aulam convivii erat ingreſſus antequam veſte nuptiali indueretur; vult enim, ut inde intelligamus miſerum hominis ſtatum, qui vacuus eſt gratia ſanctificante, de qua apud vos hodie verba facturus ſum, oſtendendo

Primùm, Gratiam ſanctificantem eſſe ſpiritualem regenerationem, quod conſequi non poteſt, niſi mortem inferat peccato, per quod re adhuc integra nati ſumus iræ filii, & poſtquam fortaſſe ſuneſtiorem animæ noſtræ mortem animæ noſtræ inflixIMUS, quam ſit corpori mors naturalis, quæ in mundum ingreſſa non eſt, niſi per peccatum. Oſtendendum eſt in quo ſita ſit mors animæ, ac ſtatus infelix ad quem per peccatum redigitur anima, & deinceps quomodo gratia eidem priſtinum decorem reparet, primum fulgorem, primamque cum Deo ſimilitudinem, illi vitam reſtituens; & per hoc oſtendere quàm execrabile ſit peccatum, & quam metuendum ſit nobis, ne gratiam amittamus &c.

Secundò efficit Gratia, ut vivamus vitam ſupernaturalem, atque divinam, cujus amplificanda eſt excellentia per dignitatem, ad quam nos attollit, Filiorum Dei, Fratrum, & membrorum JESU CHRISTI; ubi docendum eſt quomodo Deus vivat in nobis per illam, & quomodo nos vivere debeamus propter Deum.

Digitized by Google

Tertiò nobis dat jus ad vitam gloriæ, cujus ſemen eſt, & nonniſi per illam poſſidebimus aliquando vitam beatam, atque æternam.

Vide in Bibliotheca Titulum: GRATIÆ SANCTIFICANTIS.

PRO DOMINICA VIGESIMA

POST PENTECOSTEN.

Domine deſcende priuſquam moriatur Filius meus. Joann. 4.

I. ARGUM. De morte Impiorum.

NE miremini Fideles, ſi hujus Evangelici Principis oratio facta Salvatori Orbis terrarum adeo urgens eſt, atque ſollicita; quippe Pater dolens pro filii ſui vita laborat; Princeps dolet abripi ſibi nimis immatura, atque præcipiti morte unicum Coronæ ſuæ præſidium, ditionis hæredem ſuæ, ac ſpem ſubditorum ſuorum. Ego equidem miror Patrem hunc tunc tandem ad Medicum confugiſſe, cum Filii vita jam eſſet conclamata, & morbi vis illum ad extremum uſque deduxiſſet: Scio quidem boni hujus Principis fidem eo eſſe vividiorem, quandoquidem ſperat contra ſpem ipſam, & aliunde Salvatoris potentiam eò magis emicaturam, eo quod morti eripuerit hoc ſpolium, quod ex illius manibus elabi non poterat ſine hac ſuprema poteſtate, quæ toties ſe mortis victricem oſtendit.

Verum cogito hanc, ut plurimum eſſe peccatorum conſuetudinem, de Deo tantum in mortis acceſſu cogitare; velle vitam trahere in peccatis, & metuere, ut in illis moriantur. Etenim nonne videntur plurimi, qui de hac non cogitant actione, ubi agitur de beata, vel miſera æternitate tunc ſolum, cum adventare intelligunt fatale momentum, quo ituri ſunt ad reddendam rationem omnium actionum ſuarum ad tremendum Dei judicium? Profectò ſi mors ſemper eſt terribilis homini, tunc etiam, cum Philoſophorum more illam conſiderat, tamquam excidium eſſentiæ ſuæ: Fidelis qui illius cognoſcit exitum, & ea, quæ illum conſequuntur, debet etiam concipere timorem prorſus alium, contra quem unicam ſpem habet in divina miſericordia, quæ innititur in Chriſtiana vita, quam duxit; & quæ illum valeat confirmare. Illis enim qui inter flagitia vixerunt, in ipſa luce Chriſtianæ Religionis, ſemper timenda eſt mala mors; quæ terminus eſt a Deo conſtitutus criminibus eorum; ut inde incipiat æterna ipſorum calamitas. De peſſima hac inſignium peccatorum morte vobis hodierna die verba facturus ſum, ut vobis injiciam ſalutarem metum moriendi in impœnitentia, quæ unam mortem efficere poteſt terribilem; quia una illam efficere poteſt calamitoſam. Ita ut ſi mors vitæ reſpondet, ut eſt in adagio, ſpero fore ut hodierna die timor malæ mortis efficiat, ut ſanctam, piamque vitam ducatis, quæ medium eſt ad evitandam funeſtam malæ mortis calamitatem.

Profectò cum mors non ſit aliud, quam vitæ finis, atque æternitatis principium, vel ſi lubet, tranſitus ab una ad aliam, particeps quodammodo eſt utriuſque extremitatis; ſed earum naturam immutat, quoniam in peccatoris tormentum convertit, quod erant deliciæ illius, & in objectum timorum ſuorum ea, quæ in jocum vertebat, cum viveret; idque duplici intuitu, eoque triſti, qui ſunt initium ſupplicii hujus nocentis; alter quidem rerum præteritarum, alter verò earum, quæ futuræ ſunt; ut alterius quidem deſideria, alterius verò timores conſocientur cum angoribus ſtatus præſentis, in quo invenitur.

Primùm quidem cogitatio criminum patratorum, & bonorum, quæ ſibi relinquenda ſunt, eum vexant.

Secundò juſtus timor judiciorum Dei, & ſuppliciorum, quæ meritus eſt, illum terrent. Hæc duo illa ſunt, quæ probant Sapientis Oraculum, mortem peccatorum eſſe peſſimam, & pleniſſimam amaritudine terrore, ac deſperatione. Hæc eſt Sermonis partitio.

Vide in To. III. cum Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: MORS.

Domine deſcende priuſquam moriatur filius meus. Joann. 4.

II. ARGUM. Mortis noſtræ qualitas pendet a qualitate vitæ.

Verum eſt mortem ſemper eſſe terribilem, & quamvis hæc imago ſæpe ob oculos noſtros verſetur, quamvis hæc ſententia ſcripta ſit in marmore, & in ære, quo Regum ſepulcra teguntur, quamvis non deſint publicæ ſcholæ in Cœmeteriis, & totidem exempla, quot homines nobis præceſſerunt; & tandem mortis principium in nobiſmet ipſis geramus, ſpectaculum hoc nimis eſt terribile, ut nos valeat eicurire, & quæ illud conſequuntur tanti momenti ſunt, ut nobis graviſſimum negotium faceſſere debeant. Per vos ergo mihi liceat, Fideles, hodierna die vobis ob oculos ponere mortem, & ſequi Evangelii hodierni conſilium, ad hoc, ut ex morte, quæ eſt effectus, & pœna peccati, pharmacum eliciam validiſſimum contra ipſum peccatum. Ut ergo utilis fiat mortis cogitatio, quam Evangelium hodie in memoriam revocat, animadvertendum, ſi vobis lubet, eſt cum Tertulliano, unum ex diſcriminibus, quod conſtitui poteſt Chriſtianos inter, & Ethnicos, eſſe, quod apud Ethicos quidem, ut judicium feratur de bona, vel mala eorum fortuna ſpectatur primum vitæ eorum momentum, in quo conſuluntur aſtra, ut inde horoſcopus eliciatur, & quodnam futurum ſit fatum eorum intelligatur; apud Chriſtianos autem, Pater idem ait, non idem accidit: non enim primum vitæ eorum momentum inſpiciendum eſt, ſed extremum, quod certiſſime illos vel beatos in omnem facit æternitatem, vel miſeros.

Quibus cum Sancto Auguſtino, qui ſæpe inanem hanc Aſtrologiæ curioſitatem damnavit, addo, ut reciproce judicium feratur, de hoc extremo momento, reliquum etiam vitæ ſpatium eſſe conſiderandum, quandoquidem hæc certiſſima habetur regula, niſi aliquod accidat miraculum ſupra communes leges Providentiæ, juſtitiæque Dei: *Non poteſt male mori, qui bene vixerit, & vix bene moritur, qui male vixerit*. Et conſtat ratio; talis enim nexus, & relatio eſt inter vitam, & mortem, ut ſi in natura altera motus eſt, & altera terminus; in morali altera viciſſim cauſa ſit, & effectus alterius. *Auguſt. de Doctrina Chriſtiana.*

Primò vita efficit noſtræ mortis qualitatem: namque ad bene moriendum, bene vivendum eſt.

Secundò dici etiam poteſt, mortem efficere vitæ noſtræ qualitatem; homines enim, vel bene, vel male vivunt, prout mortis cogitatio in mente frequentior eſt, ſive infrequentior. Hæ, Fideles, duæ magnæ ſunt veritates, de quibus nobis perſuaſum eſſe refert, ideoque erunt partitio, & argumentum hujus ſermonis.

Vide eumdem MORTIS *Titulum in To. III. Bibliotheca Moral. Evangel.*

Domine deſcende priuſquam moriatur filius meus. Joann. 4.

III. ARGUM. Defectus fidei in in pleriſque Chriſtianis.

Semper admirari poſſumus divinæ Bonitatis effectus, quæ dignatur ærumnarum, & infirmitatum noſtrarum miſereri. Hodiernum Evangelium ſatis authenticum nobis exemplum ſuppeditat in hujus Principis perſona, qui non contentus expectaſſe donec Filius ſuus in extremis laboraret, ut ſupplex ad Dei Filium accederet, pro illius vita deprecaturus, voluit etiam ab illius elementia obtinere, ut dignaretur deſcendere in domum ſuam ad reparandam unici hujus filii valetudinem, ratus fortaſſe unicum verbum ex ore Filii Dei profectum non ſatis eſſe futurum ad curationem illius procurandam. Recte conjicitis, Chriſtiani, nondum ſatis perfectam fuiſſe hujus Principis fidem, quæ tamen tetigit Filium Dei; verum ſi fidem illius cum fide plurimorum hujus temporis fidelium comparamus, tres potiſſimum in hac defectus inveniemus, quos impugnandos aggredior in triplici parte hujus ſermonis.

Primùm alii fidem habent curioſam; ſcire volunt, quomodo fieri poſſint ea, quæ Deus revelavit. Omnium rationem flagitant, & ſunt ex eorum numero, de quibus loquitur Sanctus Paulus, *languent circa quæſtiones*. *1. ad Tim. 6.*

Secundò alii fidem habent ignavam, quæ ſeſe declarare non audet, neque profiteri palam, quid ſint, quia hominum judicia reformidant.

Tertiò alii denique fidem habent morientem, & ſemimortuam, ſine motu, & ſine actione; numquam, ut decet Chriſtianos, agere videntur, neque Religionis ſuæ officiis defungi.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: FIDES.

PRO DOMINICA XXI.

POST PENTECOSTEN.

Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Matth. 18.

I. ARGUM. De venia injuriarũ, & amore inimicorũ.

DEI Filius Apoſtolos docens quomodo orandum ſit, præcepit illis, ne prætermitterent illa verba: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Hodiernum Evangelium terribile, rei hujus nobis præbet exemplum, in ſervo nequam, qui omnigenas exercuit crudelitates erga ſibi obæratum, quamvis herus ſuus uſus fuiſſet miſericordia in ipſum, quod locum mihi præbet aſſerendi, ſicuti Deus miſericors eſt erga illos, qui parcunt aliis, ita ſeverum eſſe in eos, qui ulciſcuntur, & nihil condonare, ac dimittere volunt. Quamobtem fert animus hodierna die vobis oſtendere

Pri-

Digitized by Google

Primùm, ut parcamus inimicis noſtris, debere noſmet componere ſecundum veniam quam nobis conceſſit Deus propter ſcelera, quæ contra divinam illius Majeſtatem patravimus. Magna nobis ille peccata dimiſit, idque multoties; quod innuunt decem millia talenta, quæ Pater-familias ſervo nequam dimiſit; denique pepercit nobis licèt indignis ipſius Miſericordia; Hæc eſt regula, & exemplar, quod ſequi debemus.

Secundò pro peccatis, quæ in poſterum patrabimus, Deus ipſe ſemet componit ad normam illius veniæ, quam vel conceſſerimus, vel negaverimus illis, a quibus læſi fuerimus.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: AMOR INIMICORUM.

Serve nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Matth. 18.

II. ARGUM.

De injuriarum venia.

Dubitari non poteſt, quominus Dei præceptum de inimicorum dilectione ſit difficile, moleſtum, & prorſus oppoſitum ſenſibus naturæ; verùm quin immorer oſtenſurus illius æquitatem, & neceſſitatem, & quomodo Salvator ipſe prior ſemet ipſum ſubjecerit Legi a ſe latæ, & quin tempus teram omnibus afferendis conſiderationibus, quæ illud lenire poſſunt, & quæ erunt alterius ſermonis argumentum, hodierna die ſolum vobis oſtendere cupio Sapientiam, ſupremique Legiſlatoris hujus poteſtatem.

Primùm elucet Sapientia, irrogat enim præceptum ſe dignum, hoc eſt perfectiſſimum; quippe oſtendere vult, quantum lex Evangelica præſtet antiquæ. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis &c.* Matth. 5.

Secundò elucet ejus potentia, jubens hoc præceptum, omnino ſervari debere propoſita pœnarum omnium maxima; quandoquidem hac una tantum conditione poſita, voluit ipſe etiam hominibus veniam peccatorum concedere. *Sic & Pater meus faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque in cordibus veſtris.* Quæ erit Sermonis hujus partitio.

Vide in Bibliotheca Titulum: AMOR INIMICORUM.

Redde quod debes. Matth. 18.

III. ARGUM.

De obligatione æs alienum diſſolvendi.

Equum eſt, Fideles, æs alienum diſſolvere, & ſicuti primum juſtitiæ officium eſt reddere unicuique ſuum; ita creditorem fraudare bono, quod bona fide mutuum dedit, apertiſſima eſt injuſtitia, quæ lumini rationis oppoſita eſt, & quam Leges paſſim improbant, & populi perhorreſcunt. Verum bona etiam fide confitendum eſt, ſi alieno ære adſtricti jus æquiſſimum, atque ſacerrimum violant, cum fruſtrantur eos, quibus debent, alia ex parte, illos, qui mutuo dederunt, non minus eſſe nocentes, cum ſibi obæratos ſumptibus conficiunt, & ad extrema quæque adigunt, neque patiuntur verba ſibi fieri de mutui dilatione, remiſſione, aut alia quapiam compoſitione, quamvis non lateat, creditores non eſſe pares ſolvendo.

Quapropter ſi Evangelicus ſervus ſe ſe conſtituiſſet, intra terminos exigendi æris ſui per vias lenitatis, neque jus ſuum vitiaſſet immiti ſeveritate, qua abuſus eſt, ut credita ſibi pecunia perſolveretur; Dei Filius non propoſuiſſet illum tamquam exemplum divinæ juſtitiæ in eos, qui nulla utuntur miſericordia in ſibi obæratos; & ſervus iſte nequam non didiciſſet ſumptibus ſuis; ſi juſtitia poſtulat, ut ſatisfiat creditoribus, charitatem viciſſim exigere, ne creditor nimia urgeat debentem ſibi; quippe juſtitia nimis vera plerumque in ſævitiam degenerat.

Itaque in ære alieno, quod homines ſæpe contrahere coguntur, duæ virtutes regere, & moderari debent iſtud commercium, quo vita civilis alitur, & ſine quo Civitates, atque Reſpublicæ ſubſiſtere nequeunt, Duæ virtutes hæ ſunt Juſtitia, & Charitas.

Primùm, Juſtitia potiſſimum reſpicit mutuatarium, qui tamquam debitor præſtituto tempore ſe conflatum æs alienum diſſoluturum eſſe pollicetur. Hoc æquiſſimum eſt, & in parte priori ad examen vocabitur.

Secundò, Charitas reſpicit mutuum dantem; & quemadmodum creditor habet jus exigendi, quæ ſibi debentur; neceſſaria huic utendum eſt mediocritate, ſine qua ſibi conflat odium Dei ſimul, & hominum. Hoc in parte altera videbimus. Argumentum Practicum, Auditores, de quo bona fide erudiendi ſumus. Et hæc erit tota ſermonis hujus partitio.

De hoc argumento habetur ſermo in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: FURTUM.

PRO DOMINICA XXII.

POST PENTECOSTEN.

Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. Matth. 22.

I. ARGUM.

Quomodo vitæ civilis officia concilianda ſint cũ officiis Religionis.

NUNQUAM dubitatum fuit, Fideles, quo minus eſſentiale munus, primuſque juſtitiæ effectus fuerit unicuique reddere, quod ſuum eſt; jus enim quod hæc virtus reſpicit tamquam unicum objectum ſuum innititur tamquam fundamento rectæ rationi, contra quam operari nemini licet. Secundùm ergo principium hoc, in omnibus contentionibus, & litibus, quæ inter homines oboriri poſſunt, ſupponitur, ſemper cauſam illi eſſe adjudicandam, pro quo pugnat jus tutius, & diligentiori inquirendum indagine, ad quem hoc pertineat jus. Ecce igitur fideles quædam controverſiæ ſpecies, cui locum dedere verba noſtri Evangelii præcipientis, ut Cæſari reddantur, quæ Cæſaris ſunt, & quæ Dei, Deo. Quid autem ſibi velit hoc Cæſaris nomen, jam tenetis; Mundum videlicet ſignificari, & homines, qui illum componunt, & cum quibus commercii, & ſocietatis fœdere ſumus conjuncti. Hic autem Mundus, locus, quem ibi tenemus, munus, quod ſumus ingreſſi quædam a nobis exigunt officia, alia quidem juſtitiæ, alia verò Charitatis, & urbanitatis, a quibus minime nos diſpenſare poſſumus, quin nuntium mittamus humanæ ſocietati, & quin ex numero viventium expungi velimus. Ceterum Deus tamquam ſupremus Mundi hujus, omniumque creatarum rerum Dominus ſua habet jura, quæ ſupremum applicari poſſunt dominium, cui alia quælibet cedere debent, ita ut Leges quas tulit, & hominibus irrogavit ſemper habendæ ſint tamquam primi Canones officiorum noſtrorum. Hinc igitur maximi momenti, ſi quæ fuit unquam, ſuboritur quæſtio; agitur enim de iis, quæ Mundo concedere poſſumus, quin Dei adverſemur imperiis, qui palam vetuit, ne Mundi placita ſequamur, & quæritur quouſque noſtra hac in re extendere debeamus officia; unde exorta eſt controverſia, utrum aliud quodlibet jus, vel aliud negotium valeat aliquo pacto mentem, animumque noſtrum partiri interea, quæ Deo, & hominibus debemus.

Sed hæc quæſtio dirempta hodierna die eſt ab eo, qui eadem eſt Veritas; ſtatuit enim Cæſari eſſe reddenda, quæ Cæſaris ſunt. Cum verò adjicit Deo quoque reddenda quæ Dei ſunt, id intelligendum eſt in hoc ſenſu, cum videlicet jus Cæſaris non adverſatur juri Divino, & cum Mundi placita divinis legibus non opponuntur; & cum quod utriſque debetur Domino, nihil abſurdum involvit. Avertat Deus, & hominem ſimul conciliare in iis, quæ ſunt contraria; ſed mens eſt auferendi vobis errorem, qui periculoſos habere poteſt exitus; ſcilicet officia inhærentia ſtatibus, quos in Mundo Providentia conſtituit ad civium ſocietatem fovendam cum Religionis officiis conciliari non poſſe; tantum enim abeſt, profeſſionem Chriſtianiſmi adverſari Religioni, ut nobis ſuggerat rationes, & modos iiſdem perfectiſſime perfungendi. Si ergo ex me hodierna die quæſieritis

Primùm, utrum Fidelis conciliare valeat ſuæ Religionis officia cum Mundi officiis, videlicet utrum eſſe poſſit ſimul, & honeſtus, & Chriſtianus; utrum ſatisfacere poſſit muneribus ſtatus, in quo illum Providentia conſtituit, & illis Chriſtianiſmi quem profitetur, quod vocatur reddere Cæſari, quæ ſunt Cæſaris reddendo ſimul Deo, quæ Dei ſunt, & reſpondeo hos fieri poſſe, & debere, cujus probationes in prima ſermonis hujus parte videbimus.

Secundò diſcemus, quomodo Chriſtianus virtute præditus, & vir honeſtus in profeſſione ſua ſit honori Religioni ſuæ per diverſorum officiorum ſuorum convenientiam.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: VOCATIONES, *ubi ſermo eſt de Status officiis.*

Abeuntes Phariſæi concilium inierunt, ut caperent JESUM *in ſermone.* Matth. 22.

II. ARGUM.

De bona fide, ac ſinceritate.

Phariſæorum conſilium erat captioſa interrogatione fallere Dei Filium, ut quidquid reſponderet, per odium, & invidiam cauſam nanciſcerentur illum criminandi, ſive illos Cæſaris tributo ſubjiceret, ſive illos hac neceſſitate ſolvendi liberaret. Sed quam brevis eſt contra Dei ſapientiam humana verſutia! Illi ceciderunt in laqueum, quem paraverant; & in ipſorum ceſſit confuſionem conſilium, quod fuerant præmeditati, ut fallaci zelo ſuo, & vero odio, quo agebantur, prætexerent. Cum enim Phariſæi nequaquam bona agerent fide; Salvator non ſolum os illis obſtruit reſponſione ſua, verum etiam illis oſtendit ſe ſcrutatum fuiſſe pravam eorum intentionem, detexiſſe fraudem, & aperuiſſe conſilium, quod inierant illius criminandi, quaſi egiſſet contra ſupremum jus imperantis, vel contra nationis libertatem. Contra calliditatem, ac

diſſi-

diſſimulationem oppoſita incedit via, illos erudiens de duobus præcipuis, & maxime neceſſariis officiis, quæ ſunt, uti ſinceritate cum Deo, ſimul & hominibus.

Hoc mihi locum præbet differendi apud vos de argumento ſatis infrequenti, licet fortaſſe nullum hoc ſit utilius, vel uſitatius; quandoquidem in hoc tota innititur civilis ſocietas, & hominum verſatur commercium; & denique ſita eſt pax, unio, atque concordia inter homines. Videtis me loqui velle de bona fide, & ſinceritate, de cordis rectitudine, cum qua in omni negotiorum genere agendum eſt, procul ab aſtu, dolo, ſimulatione, & mala fide, quæ ſunt æque oppoſita Spiritui Chriſtianiſmi, & humanæ ſocietati: quod evincit, quomodo officia, & obligationes Religionis noſtræ ſint naturali æquitati conformia; quandoquidem alia everti nequeant, niſi ſimul & alia evertantur. Propter hoc ſatis novum argumentum, & propter hoc perutile moralis punctum, cujus praxis eſt locorum omnium, temporum, conditionum, & negotiorum, vobis exponere volo quænam fuerit impeditiſſima, & captioſa quæſtio, per quam Phariſæi crediderunt ſe coegiſſe Filium Dei, ut ſe ſe vel contra Legis ſuæ libertatem, vel contra Cæſaris auctoritatem declararet. Mala eorum fides erat manifeſta, non enim aliud quærebant, niſi illius perdendi occaſionem, inſimulantes illum vel impietatis, vel rebellionis, quorum alterutrum morte erat puniendum. Sed ſapiens Salvatoris reſponſio, reddendum videlicet eſſe Cæſari, quod Cæſaris erat, & Deo, quod erat Dei; locum mihi præbet oſtendendi, aſtum, & calliditatem violare ſimul jura divina, & humana, & æque diſplicere Deo, & hominibus, quantum iiſdem placet bona fides, atque ſinceritas, quæ illorum ſibi corda captivare conſueverunt: verbo, quin eram tempus præparans animos veſtros argumento, cujus in partem accedere debent omnia perſonarum genera cujuſcumque ſtatus, & conditionis illa ſint, dico ſecretum, & infallibile medium ſimul ſibi Dei, hominumque amicitiam promerendi, eſſe agere ſincere, & bona fide in omnibus conſiliis, cæptis, & negotiis; ſecretum admirabile, atque certiſſimum, quod & vos etiam ſpero probaturos eſſe, ubi oſtendero,

Primùm, hominem, cui cor eſt rectum, & quod bona fide operatur, ſemper ſibi captivare cor Dei, qui ipſa eſt veritas eſſentialis, & inflexibilis rectitudo.

Secundò hanc rectitudinem, atque ſinceritatem ipſis etiam hominibus placere, quantum oderunt calliditatem, atque verſutiam. Itaque cum pertractari nequeat morale argumentum, quod majorem afferat omnibus, & ſingulis utilitatem; quæſo ut me dicentem attentius audiatis.

Vide in To. IV. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum; Humana Prudentia.

Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces; non eſt tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonam hominum. Matth. 22.

III. Argum. De Adulatione.

Si judicium ferendum eſſet, Chriſticolæ, de actionibus Filii Dei ex ſola ſpecie; profecto locus eſſet admirationi, Phariſæos adeo male receptos fuiſſe, cum ad illum confugerunt verbis reverentia plenis, atque officioſis. Quod enim majus præbere illi poterant æſtimationis ſuæ ſpecimen, cum nondum certi eſſent ipſum eſſe Meſſiam, quàm mittendo ad illum quoſdam ex Diſcipulis ſuis ſub urbanæ Viſitationis ſpecie quæſitum, idque honeſtiſſimis verbis; quis eſſet? Hoc vere quidem tanta peregerunt induſtris, ut nullum ipſis exciderit verbum, aut ſignum, quod ſuſpicionem ingerere poſſet voluntatis eum decipiendi.

Ordiuntur illi a laudibus qualibet ſuſpicione carentibus, ſe audiviſſe de illius meritis fieri verba, exploratam eſſe ſibi opinionem, quam omnes boni de illo imbiberunt, & in qualibet occaſione cognitam fuiſſe hominis ſinceritatem ab omni adulatione ſemotam, & alienam ab omnibus humanis rationibus, propter quas plurimi produnt veritatem accommodantes ſenſus ſuos perſonarum arbitrio, quæ habentur in pretio: Illi tandem teſtantur rumorem, quod de tot, tantiſque meritis percrebuerat, & aſſerunt, tot præſtantiſſimarum qualitatum congeriem ſibi locum aperire, ab ipſo percontandi, utrum in perfecta cognitione, de qua non dubitabant ab illo obtineri Legis ſuæ, & libertatis, ſibi a Deo conceſſæ, liceret, nec ne tuta conſcientia tributum Cæſari perſolvere.

Jesu Christi reſponſum illis os obſtruit, efficitque, ut intelligerent eum, quem fallere cupiebant, eamdem eſſe Sapientiam, quæ abditiſſimas cordis eorum latebras ſcrutabatur. Sciebas Verbum æternum, & ignorare non poteras, laudes has, quibus te cumulabant, & bona fide nequaquam proficiſci, neque elogia tibi delata reſpiciebas niſi tamquam aſſentationes, & diſſimulationem, quæ celabat improbam mentem blandorum verborum involucro; & ut verbo me expediam, cum eſſes Veritas eadem adulationem ſuſtinere non poteras, atque ut indigitares quantopere illam perhorreſceres, adulatores hujuſmodi hypocritas, & verſutos vocaſti, quibus non erat aliis mens; niſi tibi inſidias nectendi, & nanciſcendi locum perdendi te, ſi illis licuiſſet.

Hoc, Fideles, me admonuit, ut vobis aperirem periculoſos laqueos, qui tegit aſſentatio, & apud vos verba facerem de vitio, quod omnes improbant, & fere omnes patiuntur; vitio adeo odioſo, undequaque ſpectetur, ſive in iis, quibus placet adulatu, ſive in illis, qui aliis adulantur, ita ut pariat indignationem Filii Dei, qui licèt ſuaviſſimus eſſet etiam cum nequiſſimis peccatoribus; aſſentatores ſuſtinere non potuerit, quin rationem illorum execraretur, tamquam eorum, qui ſe amicos ſimulant, vel potius eorum, qui cum apertiſſimi ſint humanæ ſocietatis inimici, pares ſunt vitiis omnibus probandis, atqui virtutibus corrumpendis. Hodierna autem die vitium hoc vobis exhibere volo ſub duplici ratione, quæ ex æquo, & Deo odioſa eſt, atque hominibus.

Primùm habita ratione eorum, qui ab adulatoribus ſibi verba dari permittunt.

Deinde eorum, qui adulantur. Amare blanda adulantium verba, eſt fidem habere fallacibus amicis, qui nos produnt excuſantes vitia noſtra, corrumpentes virtutes, ſi quæ nobis inſunt, fictis laudibus, quibus nos cumulant, & nos in vitium impellentes per plauſus, quos ſingulis actionibus noſtris impertiunt. Adulationibus uti, eſt fieri fallaces amicos, ignavos, cupidos, verſutos, & infideles erga illos, qui in nobis confidunt; quare videbitis periculum noſmet corrumpendi, dum noſtra vitia palpantibus adhibemus aures; & crimen, cujus nocentes ſumus, cum aliorum criminibus adulamur. Adnitamur ergo Fideles noſmet præmunire contra vitium, quod adeo facile ſuſcipitur, & tantum infert bonis moribus detrimentum; & ſimul ex Mundo auferemus pleraque vitia; Deinde verò horreamus, aliis venenum hoc propinare, & nos excidii eorum nocentes efficere, participes eorumdem criminum effecti. Hæ duæ partes erunt Sermonis.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: Adulatio.

Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Matth. 22.

IV. Argum. De anima noſtra Excellentia, pretio, & cura a nobis gerenda.

Pro textu aſſumentes hæc verba, tres quæſtiones poſſumus inſtituere, vel hiſce verbis tres ſenſus appingere, qui æquam Sermonis partitionem poſſunt efficere.

Primus ſenſus, vel prima interrogatio: *Cujus eſt imago hæc?* Vel quem hæc imago repræſentat? Cujus exhibet vultum, & vultus lineamenta? Dei refert imaginem perfectam, abſolutamque; ubi oſtendendum eſt, quandoquidem adeo eximium repræſentet archetypum, non poſſe repræſentare quidquam niſi magnum. Deinde explicandum eſt, qua in re illum repræſentet, in natura videlicet, operationibus, libertate, duratione: vel oſtendendum eſt, quomodo tres animæ facultates vere ſint imago Entis hujus infiniti, intelligentis, omnipotentis &c. Et inde inferendum eſt, quemadmodum ipſa eſt perfecta naturæ ejus imago, ita debere illum exprimere in moribus, & Sanctitate, quæ noviſſima ſunt lineamenta, quæ illi adjicere debet, & ideo Deus ipſam creavit.

Altera interrogatio: *Cujus eſt imago hæc?* Videlicet, Quis ejus eſt auctor? veluti cum eximiam intuemur picturam, tabulamque excellentem, interrogare conſuevimus, cujus Pictoris opus ſit? Quinam extiterit eximii hujus operis auctor? Tunc verò reſpondebitur; Deum hanc animam creaſſe, eamque finxiſſe ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Hinc liquet illam ſpiritualem eſſe toto cœlo nobiliorem anima ceterorum animantium; mox ab eodem Deo reformatam per gratiam, quæ illi tribuit prorſus alium pulchritudinis gradum ab eo, quem illi conferunt omnes naturæ perfectiones. Ex quibus inferendum eſt, quàm diligentiſſime præcavendum eſſe, ne iterum per peccatum coinquinetur &c.

Tertia interrogatio: *Cujus eſt imago hæc?* Ad quem pertinet? Quinam eſt Dominus ejus? Cui jus eſt diſponendi de illis? Facilis patet reſponſio; Dominum ejus eſſe illum, a quo creata fuit, & a quo propter ſemet ipſum creata fuit, ad gloriam ſuam, atque ut ſibi famularetur; tamquam opifex, qui perficit opus ſuum, ſe illud ſibi in uſum, atque fines ſuos reſervat. Hinc ſequitur, non poſſe nos alteri cuipiam noſmet mancipare; cum anima noſtra propter Deum facta ſit, nihil eamdem præter unum Deum explere poſſe; ipſumque Deum rationem animæ noſtræ, tamquam boni ſui, expetiturum.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: Anima rationalis.

Digitized by Google

PRO DOMINICA XXIII.

POST PENTECOSTEN.

Recedite, non eſt mortua puella, ſed dormit. Matth. 9.

I. Argum. De morte Juſtorum.

NOn ita, fideles; Juſtorum mors propriè mortis vocabulo non eſt appellanda, potius dicenda eſt ſuavis ſomnus, in quo anima a corporeis vinculis expedita, & immunis ab omnibus vitæ curis, & ſollicitudinibus æterna fruitur felicitate. Hic eſt familiaris Spiritus ſancti ſermo, ſive loquatur de priſcis Patriarchis, ſive de Juſtis, qui in lege nova vixerunt; ita ſcriptum eſt de Sancto Stephano Protomartyre: *& cum hoc dixiſſet, obdormivit in Domino*: & ita Mundi Salvator loquitur in Evangelio noſtro de puella hac, quæ animam efflaverat in oculis conſanguineorum ſuorum: *Non eſt mortua puella, ſed dormit*. Si rationem quæritis, hæc eſt; quod ſicuti per ſomnum ſenſus ſopiuntur, eorumque officia inofficioſa manent ad tempus; & poſtquam e ſomno evigilavimus, videmus, loquimur, audimus, & non ſecus ac antea operamur; ſimiliter in Juſtorum obitu, quamvis illorum corpora vita, motuque careant, quamvis ſenſus non amplius ſuo munere perfungantur; hic tamen ſtatus non ſemper ſit permanſurus, tempus enim erit, cum ex profundo hoc ſomno evigilantes aſſurgent de tumulis ſuis, tamquam de lectulo quietis ſuæ recepturi vires, virtutemque ſuam, & libertatem actionum ſuarum, quæ per diuturnum Mortis hujus ſomnum potius erunt reparatæ, quàm perditæ. (Act. 7.)

Verum animadvertendum eſt hoc diſcriminis intereſſe inter Juſtos, qui hanc vitam aſpiciunt tamquam tranſitum ad æternitatem, & impios, qui vivunt, quaſi numquam eſſent morituri; priorum vitam in Scripturis vigiliam nuncupari, mortem verò ſomnum, cum e contra vita aliorum ſomnus ſit animæ, quæ in corpore ſepulta eſt, tamquam in tumulo, vel potius ſomnium, ubi non niſi fallacia videntur objecta, & phantaſmata inania rerum mundanarum; ſed expergiſci incipiant in morte, numquam in altera vita requiem delibaturi. Ut autem mors Juſtorum nos excitet ad vigilandum, ac ad noſmet ad bene moriendum præparandos, fert animus hodierna die vobis repræſentare felicitatem, privilegia, ac ſuavitatem ſub dulciſſimi ſoporis imagine, quam nobis ſuggerit Evangelium. Quod ut pleniſſime probetur, animadverto tria potiſſimum eſſe, quæ ſomnum concomitantur.

Primum eſt requies, & ceſſatio a labore, quandoquidem ideo natura morti ſubjecit vi ſuavi, quam nobis infert, cui ægre reſiſtimus.

Secundum eſt ſecuritas; ſi enim timor, aut ſollicitudo admiſceatur, illam perturbat, atque interrumpit; quamobrem vulgo dicimus hominem ſecurum quieſcere, cum illum alto demerſum ſomno in aurem utramque ſtertere videmus.

Tertium denique eſt oblectatio, quæ proculdubio una eſt ex vitæ hujus ſuaviſſimis oblectationibus; quæ tria triplici verbo Sapiens complexus eſt: *Si dormieris, non timebis, quieſces, & ſuavis erit ſomnus tuus*; quæ Sanctus Bernardus ſuo jure transfert ad mortem Sanctorum, cum ait, illam tribus rebus fieri ſuavem, & jucundam. *Fit ibi*, inquit, *quies a labore, ſecuritas de æternitate, jucunditas de novitate*. Ibi inveniunt juſti finem omnium laborum, ſalutis ſecuritatem, & denique gaudium, quod illis parit novus hic ſtatus, in quo vident ſe ſummi boni poſſeſſionem adeptos. (Prov. 3.) (Epiſt. 105. ad Roman. dubia.)

Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Mors.

Recedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit; & deridebant Jesum. Matth. 9.

II. Argum. De deriſione.

Nomen quod commune cauſæ eſt, & effectui, relatio, quæ intercedit inter genus, & ſpeciem, ſimilitudo, quam moralis ſemper animadvertit inter mala, quæ utrumque ſubſequuntur, ſatis oſtendunt nequaquam vim fieri, vel ſenſui, vel verbis Spiritus ſancti; cum dicimus homines in errore verſari, ubi de irriſione ſermo eſt; & malignum hoc, & ſæpe crudele, impiumque gaudium, quo oblectantur indiſcriminatim de omni argumentorum, omnique perſonarum genere, jocantes unum eſſe vitiorum, quæ in laude ſunt, & quæ tamquam naturæ quædam feſtivitas eſſe putatur; ſed quod reipſa maxime humanæ ſocietati, charitati chriſtianæ, & bonis moribus officit.

Stupor dubio procul vobis incedit Fidelibus hanc audientibus propoſitionem; & fortaſſe illam reſpicitis tamquam paradoxum, quod indigeat explicatione; ſed ſpero me vobis probaturum hanc veritatem eſſe conſtantem, ubi oſtendero, homines vulgo, cum de irriſione ſermo eſt in duplici errore verſari, quem illis in duplici Sermonis mei parte auferre conabor.

Prior reſpicit habitum, & propenſionem, qua ad irridendum ferimur; hoc, inquiunt, argumentum eſt feſtivi ingenii, & indolis hilaris, lepidæque; ideoque talentum eſt, prærogativa, & naturæ donum, quod aliis quidem placet; alii verò plurimi faciunt. Primus hic error eſt; quandoquidem irriſio eſt ex numero earum rerum, quæ in malum potius, quàm in bonum cedunt, & quæ ut plurimum ſunt vitium, quod Fidelis corrigere debet ſummo ſtudio, & in quo multa præcavenda ſunt, ut in æquiorem partem excipiatur.

Error alter, in quo ſunt alii, ubi de irriſione ſermo eſt, eſt quod illam reſpiciunt ad ſummum tamquam leviſſimam noxam, & levis momenti, & quæ facillime excuſatur. Ego verò illis oſtendam, effectus illius ſæpe moleſtiſſimos eſſe, atque funeſtiſſimos; ideoque crudelem, & pernicioſam hanc voluptatem eſſe criminoſiorem opinione. Vitium hoc ferè loco virtutis accipitur, qui primus error eſt in hoc argumento; accipitur peccatum grave, pro reverentia, vel Charitatis defectu, quo alter eſt error.

Vide in Bibliotheca Titulum: Detractionis, *ubi etiam de* Irrisione *ſermo eſt, quæ illius eſt ſpecies.*

Confide Filia, Fides tua te ſalvam fecit. Matth. 9.

III. Argum. De Confidentia in Deo.

Hodiernum Evangelium abſolutiſſimum nobis proponit exemplum Confidentiæ, quam habere debemus in Deo. Mulier eſt Hæmorrhagia laborans duodecim annos continenter, quæ certe credit ſe curatum iri, dummodo valeat tantum tetro Filii Dei fimbriam veſtimentorum attingere. Ex hoc exemplo duas haurio propoſitiones, quæ nos ad hanc virtutem poſſunt excitare.

Prima eſt, non poſſe nos Deo majorem amorem teſtari, quàm in eo omnem confidentiam ſtatuere, quemadmodum amico majorem teſtari dilectionem, quàm cum in illo confidimus. Hinc oſtendimus a nobis pluris fieri Deum hunc bonitatis, & nos in fide illius conquieſcere; illi cor noſtrum aperimus, & in manibus ejus omnia, quæ ad nos pertinent, collocamus. Numquam dubitatum eſt, quominus confidentia primum ſit, certiſſimumque perfectæ, ſinceræque amicitiæ argumentum.

Altera eſt, tunc quoque Deum viciſſim nobis majorem teſtari amorem; nihil enim negat petentibus aliquid cum perfecta confidentia. Illos protegit, ac tuetur in omnibus, & contra omnes, & peculiarem illius ſuſcipit curam. Confidentia hæc certiſſimum eſt ſignum, quod habere poſſit anima, ſe a Deo peculiari amore diligi.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Confidentia.

PRO XXIV. DOMINICA

POST PENTECOSTEN.

Cum videritis abominationem deſolationis, ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat. Matth. 24.

I. Argum. De peccato mortali.

NUnquam, Chriſtiani, Patres, atque Interpretes in varias abiere ſententias, quàm hodierni Evangelii ſenſum explicaturi. Etenim quænam eſt, amabo vos, hæc abominatio, quam Dei Filius conſtituit ſignum funeſtiſſimæ deſolationis, quam portendit futuram? & quænam eſſe poteſt hæc deſolatio, de qua nos admonet, tamquam malo contra quod hominibus ſibi diligentiſſime præcavendum eſt? In hoc ſermone, quem habuit Salvator apud Judæos de duabus terribilibus calamitatibus verba ſiunt, quarum utraque teterrimis coloribus exhibentur; quarum altera eſt peculiaris, videlicet integrum totius Jeroſolymæ excidium; generalis altera, nempe videlicet univerſalis Mundi totius clades in ſæculorum fine futura, & quæritur quænam futura ſit hæc abominatio, quæ utramque eſt præceſſura? Sed quamcumque ſententiam in hac varietate amplectamur, verba hæc idem documentum complecti mihi videntur.

Sed per vos mihi liceat iiſdem verbis uti, quibus tam variæ efficta fuerunt explicationes, ut admoneremini de malo, quod propius ad vos pertinet, & de ea deſolatione, cujus potiſſima pars ad vos ſpectat, quandoquidem nobiſmet ipſis peragitur. Liceat igitur ex myſticis hiſce verbis haurire doctrinam prorſus moralem, vobis oſtendendo:

Primùm hanc abominationem eſſe peccatum mortale, quo polluitur anima, qui locus eſt ſanctus, cujus Deus poſſeſſionem adierat per Baptiſmi conſecrationem. *Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto.* Hoc gignit in Dei corde horrorem, & indignationem, & exceſſum odii, quod dicitur abominatio. (Matth. 24.)

Secundò abominationem hanc parere admirabilem deſolationem animæ, quæ illam commiſit; quandoquidem pecca-

peccatum illam omnibus privat bonis, quæ illius gloriam, & felicitatem conſtituebant. Duplici verbo, in noviſſimo hoc ſermone vobis exhibere volo horrorem, & abominationem, quam Deus concipit de peccato, ut vobiſmet horrorem injiciam, & mox adnitar efficere, ut reformidetis deſolationem, quam parit in anima, illud committente.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: PECCATUM MORTALE.

Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto. Matth. 24.

II. Argumentum. De Scandalo.

Ex omnibus interpretationibus quæ afferuntur de hac abominatione deſolationis, nulla mihi magis arridet ea, quæ ad ſcandalum pertinet; verum ut illius vobis explicem originem, & effectus, Theologi poſt Aquinatem definiunt illud, actionem, quæ propter aliorum quidem ignorantiam, aliorum verò imbecillitatem, poteſt per ſe illos excitare ad peccatum, faciliorem illis efficiens ejuſdem executionem; iiſque auferens formidinem per exemplum, quod tribuit.

Hinc videtis, hoc non tantum eſſe particulare peccatum ab aliis diſtinctum, quantum circumſtantiam, quæ aggravat omne peccati genus, quod ut ſcandalum ſit, neceſſario patrandum eſt aliis inſpectantibus, & tranſire debet ad aliorum cognitionem, ut ex natura ſua poſſit alios in malum inducere. Hinc etiam ſcandali nomen mutuatum eſt, perinde ac diceres ſecundum notionem, quam nobis tribuit Scriptura, lapidem, qui ſecus publicam viam ponitur, ut in illum incidentes per incuriam, qui
ad Rom. 9. prætereunt, corruant. *Petra ſcandali, lapis offenſionis.*

Primùm quodnam malum in Mundo faciat Auctor ſcandali. Malum faciens, docet illud, ſe ſe erigit in Doctorem, & magiſtrum iniquitatis, palam actionibus ſuis, & efficientius docens, quàm ſi verbis doceret. Teſtator eſt adducens in peccatum, miniſter, vicarius, & organum dæmonis ad homines perdendos. Delet quodammodo turpitudinem, & infamiam peccati, ac præſtat, ut citra verecundiam, & palam peccetur. Secundò quam pœnam plerumque ſumat Deus de illis, qui reliquis ſunt offenſioni, & quæ ad tria refertur.

Primùm eſt, mors turpis, & infamis, uti videmus in
Ezechiel. 5. Scripturis. *Ponam te in exemplum*, dicit Deus; Dabo in te memorabile exemplum omni poſteritati.

Secundò, ſignum eſt ferè certiſſimum reprobationis, cum enim tot perdiderit animas, æquiſſima pœna eſt, ipſum ſocium fieri earumdem ſupplicii.

Tertiò, in Scandali auctorem altera in vita ſeverius animadvertitur, data ratione multitudinis eorum, quorum peperit excidium, & damnationem.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: SCANDALI.

Aſſumi etiam poteſt in hoc Scandali argumento ſimplex hæc, & communis diviſio, quæ tamen complectitur quidquid dici poteſt.

Primùm injuria, quam Deo facit, cujus gloriam evertit; adverſatur conſilio, quod habet homines ſalvos faciendi, & inutilem reddit illis, quorum parit interitum, Incarnationem, Mortem, Paſſionem, & merita Filii ſui.

Secundò, injuria, quam facit proximo perdendo animam ejus, & illius damnationem procurando, quod maximum, & noviſſimum eſt omnium malorum.

Tertiò, injuria, & calamitas, quam ſibi conflat Auctor Scandali, onerans ſemet omnibus peccatis, quæ facit, ut alii committant; & ſe eum adducens in locum, ubi nequeat reparare malum, quod peperit.

Vide locum, quem ſupra.

Videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa, & Majeſtate. Matth. 24.

III. Argumentum. De extremo, & generali Judicio.

Deſumi poteſt pro argumento, & partitione Sermonis 1. Neceſſitas univerſalis Judicii, quod primum erit punctum. 2. Modus, quo fiet, quod erit alterum; ut inde inferamus cogitationem, & metum, quem inde concepturi ſumus, efficere debere, ut ita vitam inſtituamus, ut ſit ſperandi locus nos ex hoc judicio æquiorem ſententiam relaturos.

Punctum Primum probari poteſt: 1. propter eamdem rationem, propter quam Deus eſt: hic enim Deus eſſe debet Juſtus, ac punire ſcelera; quod arguere non poſſemus niſi inſtituendum ſit generale Judicium; quandoquidem graviſſima crimina ſæpius in hac vita, neque puniuntur, neque cognoſcuntur; Divinæ igitur intereſt Juſtitiæ facere, ut in altera vita cognoſcantur, quod fiet in noviſſimo Judicio, in quo omnia palam fient. 2. Ut Divina probetur Providentia erga bonos, & malos. Alii perſecutionem paſſi ſunt, & oppreſſi fuerunt: alii vixerunt in pace, beatamque vitam duxerunt in oculis hominum; oportet igitur, ut Deus quodammodo rationem reddat adeo inæqualis agendi modi, & ea auferat integumenta, quibus hodie nos celat ea, quæ habuit de hominibus Conſilia. 3. ut extorqueat ex omnium ore confeſſionem æquitatis Judicii ſui, ac ſententiæ, quam proferet contra reprobos, oſtendens in ipſis poſitum fuiſſe, ſibi æternam comparare felicitatem.

Punctum alterum. Oſtendendum eſt, Judicium hoc inſtituendum eſſe alio prorſus pacto, quo inter homines fieri conſuevit. 1. Non erit opus longis perquiſitionibus, quæſtionibuſque, quod accidit in humana Juſtitia: etenim in ictu oculi omnia, & ſingula peccata noſtra apparebunt, teſtes recuſari non poterunt, probationes erunt invictæ; conſcientia noſtra contra nos teſtis erit; & creata omnia, contra nos in hoc Judicio teſtabuntur. 2. Rei neque poterunt Judicis integritatem flectere, neque juſtam ſcelerum ſuorum damnationem evitare, neque celerem ſententiæ, quæ fertur, executionem morari, quod ſæpe in hominum Judiciis uſuvenit.

Alter eſſe ferri poteſt hoc argumentum.

Oſtendi poteſt, 1. in hoc terribili Judicio, Fidelem a ſe ipſo accuſatum iri, videlicet ab ipſa conſcientia ſua, quæ contra ipſum teſtabitur. 2. Judicatum iri a Sanctis, quorum virtutes, bona opera, & optima exempla totidem fuerunt exemplaria, ſecundum quæ vitam ſuam debebat componere. 3. Damnatum iri a JESU CHRISTO eodem, qui fuit illius Salvator, atque Redemptor.

Alter idem tractari poteſt argumentum.

Duo potiſſimum, quæ perterrefaciebant Regem Prophetam, terrorem peccatoribus incutient in Judicio noviſſimo. *Non eſt ſanitas in carne mea a facie iræ tuæ; non eſt pax oſſibus meis a facie peccatorum meorum:* Primum eſt ira Dei, quæ quàm terribilis ſit, eſt oſtendendum. Alterum verò intuitus peccatorum noſtrorum, quæ iram hanc inflammabunt, & quæ ex hoc ipſo tempore efficere debent, ut graviſſimos eorum effectus reformidemus.

Alia ratio hujus argumenti pertractandi.

Duo perſonarum genera amittunt terribilis hujus Judicii cogitationem; Primi illi ſunt, qui non credunt illud; ſecundi, qui illud non metuunt, quamvis nullam habeant cauſam de illo dubitandi; ubi oſtendendum eſt

Primùm periculoſiſſimam eſſe inſaniam non credendi hoc Judicium; & Atheum eſſe qui huc procedit, ut non credat Deo, neque Evangelio, neque Sacris Scripturis.

Secundò funeſtiſſimam eſſe ſtupiditatem illud non timere, & argumentum, fore ut aliquando, qui non reformidaverit, condemnetur.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: JUDICIUM EXTREMUM, ET GENERALE.

Finis Tabulæ Primæ.

TABU-

Digitized by Google

TABULA SECUNDA
ARGUMENTORUM, ET SERMONUM
PRO MULTIPLICI ADVENTU.

MONITUM.

CUM in Superiori Tabula dederimus varias Sermonum, Argumentorumque adumbrationes in omnes Anni Dominicos dies, quod Dominicale vocatur, nec non in omnes dies Quadrageſimæ, quæ eodem nomine Quadrageſima nuncupatur: hoc in loco alteram afferimus Tabulam complectentem multiplices Adumbrationes plurium Adventuum, quarum ſingulæ in quatuor hebdomadas, & ſingulæ hebdomadæ in ſex dies diviſæ complectentur argumenta pro quolibet die, quæ omnia referantur ad generale argumentum Adventus, quod ſingulis aſſignavimus indigitantes Tomos; & Tomorum Capita, unde ipſas Sermonum ſtructuras, deprompſimus. Quæ in re animadvertendum eſt

Primò. Quamvis plura Sermonum Argumenta ſint eadem, quæ in Dominicali, & Quadrageſima in priori tabula indigitata ſunt; ſupponendum eſſe, illa aliter, aliterque efferri poſſe, quod patet etiam ex primo Paragrapho illius argumenti, de quo agitur ſingillatim.

Secundò. Quemadmodum per Adventum aliquot Feſti dies celebrantur, quorum alii poſſunt incidere, aliique eo ipſo incidunt, potiſſimum verò in prima hebdomada, ſi in illis concio ſit habenda, deſumi poſſe argumenta, & dicendi copiam, pro Sancto Andrea Apoſtolo ex primo Tomo Panegyricarum Orationum; pro Sancto Franciſco Xaverio ex Tomo III. earumdem: pro Immaculata Beatæ Virginis Conceptione ex Quarto Tomo Myſteriorum; Pro Sancto Nicolao ex Tomo III. Panegyricorum; & pro Sancto Thoma ex Tomo primo &c. atque tunc licebit Panegyricam ſubſtituere Orationem in locum Sermonis Moralis pro illa die aſſignati.

Tertiò. Cum Tomus, aut Tomi locus memoratur, ubi non deerit ſupellex ad exornandum pro die illa ſermonem; ſemper ſupponendum eſt, verum, & argumentorum copiam non eſſe deinceps inveniendam; ſed conſulendum eſſe Tomi memorati indicem, vel percurrenda eſſe in margine argumenta earum rerum, de quibus ibi ſit ſermo. Quibus addendum eſt, ea, quæ in hoc præliminari Monito dicta ſunt eſſe communia aliis etiam argumentis Adventus, quæ in altera hac Tabula continentur.

PRIMA ADVENTUS
ADUMBRATIO.

Scientia Salutis, & Ars ſemet ſalvos faciendi.

HÆc Adventus adumbratio in ordine Sermonum in quos diviſa eſt, procul dubio, omnium maximè conformis eſt illi, quem ſibi propoſuit Dei Filius naſcendi, vivendique ſuper terram; cauſa enim præcipua, propter quam factus eſt homo, fuit ut homines ſalvos faceret, eoſque vias ſalutis doceret. Cæterum cum finis propter quem nati ſumus in Mundo, ſit, ut operaremur ſalutem noſtram, & per ſanctam vitam æternam mereamur beatitudinem; ſcientia unica, cui vacare debemus, & negotium, quo nihil nobis eſſe debet antiquius, eſt diſcere media, & vias, quæ nos ad optatum hunc finem perducant. In hac autem ſcientia non ſecus ac reliquis ordinatim procedendum eſt, & hic ordo in eo poſitus eſt; ut

Primò rectè concipiatur quanti referat diſcere hanc ſcientiam, quæ una ſanctificare nos poteſt, & ſine qua ceteræ ſunt inutiles, & ſæpe aliquid ad noſtram conferunt damnationem. Secundò, ne deterreamur difficultatibus hanc ſcientiam indipiſcendi, quandoquidem illas ſuperare poſſumus, & debemus ope ipſius Magiſtri a quo docemur. Tertiò, ut ſciamus per quos rivulos divinus iſte Præceptor ſcientiam hanc in mentem noſtram influat, & quam methodum in nobis erudiendis ſervet. Quartò, ut conſtanter, & diligenter ſervemus præcepta, & placita ſcientiæ hujus prorſus Cœleſtis.

Ordinem hunc in primo hoc Adventu ſervabimus; in cujus prima hebdomada exponemus cauſas, quibus cogimur ſeriò ſtudio ſcientiæ hujus, quæ omnes curas noſtras meretur, operam dare. In altera verò exponemus difficultates, quæ nos morantur, & obices, quibus prohibemur, ne inſignes progreſſus faciamus. In tertia aperiemus media, quibus utitur Deus, ut nos erudiat, ac mentem illuſtret, ut ſcientiam hanc aſſequi valeamus. In quarta denique videbimus præcepta, & axiomata, quæ nobis in has ſcientia traduntur, & quæ peculiariter Mundi Salvator nos docuit. Hanc Adventus adumbrationem inſpiravit mihi Deus, ut utilius meo munere fungar, & ſcientiam ſalutis vos doceam.

PRIMA HEBDOMADA.

Scientia hujus Principia.

PRO PRIMA ADVENTUS DOMINICA

SUPPONIMUS Prædicatorem non aliud Sermonis ſui argumentum accepturum eſſe, niſi Extremum Judicium, quod paſſim proprium eſt hujus diei.

Quod ſpectat ad Sermonis ſtructuram, plures occurrent in Tomo [illegible] Titulo: Juventus univerſalis. Id agitur tantùm, ut una eligatur quæ aliquam habeat rationem cum generali argumento hujus Adventus, quarum quæ aptiſſima mihi videtur, illa eſt, quæ numero tertio connotatur. Eaque eſt,

Cum magna hæc Extremi Judicii dies in Scripturis vocetur dies Domini, & dies ultionum, deſumi poſſunt pro Sermonis argumento, & partitione duæ qualitates, quas Dei Filius induet tunc longiſſime diverſas ab illis, quas in primo Adventu prætulit.

Primò. Pro titulo Salvatoris illum aſſumet Judicis; ſed Judex erit divinitus illuſtratus, qui ad examen vocabit omnes cogitationes noſtras, actiones, officia, omiſſiones;

ſiones; easque ad Evangelii regulas exiget. Judex diligens, & ſeverus, qui diſtricte judicabit de omnibus; Judex integer, inflexibilis, inexorabilis.

Secundò. Pro titulo Mediatoris hominum, eorum ſibi depoſcet ultionem, de cujus ſeveritate judicium ferendum eſt ex magnitudine tum iracundiæ ſuæ, cum enormitatis tot criminum.

PRO FERIA SECUNDA.

Excellentia, & prærogativæ Scientiæ hujus ſuper ceteras valida eſt ratio, ut cum eo, quo maximo fieri poteſt ardore eidem operam demus. Qua in re cognoſcenda eſt Primò, dignitas Magiſtri, qui ad nos docendos deſcendit, uti loquitur Sanctus Ambroſius; *Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt Magiſtri*. Hic enim Magiſter non deſcendiſſet de Cœlo, ut aliquid parvi momenti nos doceret.

Secundò, quænam ſit hæc ſcientia, & qualem nobis afferat utilitatem. Etenim nos docet ſalutis vias, rationem evitandi æternam calamitatem, ad quam damnati eramus, & promerendi æternam felicitatem, qua nos peccata noſtra privaſſent. Nihil majus, nihil ſtudio, ac attentione noſtra dignius.

Rerum copia invenietur in To. IV. Bibliotheca Moral. Evangel. ſub Titulo: SALUTIS, *nec non* STUDII, *ac* SCIENTIÆ.

PRO FERIA TERTIA.

Cura, quam gerit Deus ſalutis animæ noſtræ, & quæ nobis gerenda eſt, ne pereat in æternum.

Primò. De pretio, & valore animæ noſtræ judicium nobis ferendum eſt ex eo, in quo eſt apud Deum. Hic illam creavit ad imaginem ſuam, ſpiritualem, liberam, immortalem, ideoque reſpicit illam, tamquam bonum ſuum, acquiſitionem ſuam, fructum ſudorum, laborumque ſuorum, & Sanguinis pretium, quo illam redemit. Quod nos excitare debet, ut quam maximam geramus curam Salutis ejuſdem.

Secundò. Quanti verò noſtra debeat intereſſe ejuſdem ſalus, hoc metiri poſſumus ex magnitudine jacturæ, quam facimus negligentes ſalutem ipſius: Jactura hæc irreparabilis eſt, & citra ſpem illam ſarciendi; unam enim habemus animam. *Quid prodeſt homini, ſi univerſum*
Matth. 16. *Mundum lucretur &c.* Jactura eſt univerſalis; cum enim ſit finis omnium creatarum rerum, quæ propter illam dumtaxat factæ ſunt, illam amittentes neceſſario amittemus cetera, quæ non niſi propter illam facta ſunt. Jactura hæc eſt infinita, ſi enim illam amittimus, amittimus ſimul Deum, æternam beatitudinem, & omnes Cœli divitias, idque in omnem æternitatem.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: ANIMA, *& in To. IV. Titulum:* SALUS.

PRO FERIA QUARTA.

Vera prudentia in eo ſita eſt, ut ſalutem in tuto collocemus. Probationes, & diviſio inveniuntur *in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. ſub Titulo:* SALUS.

PRO FERIA QUINTA.

Solidis rationibus evincitur, nos in quolibet conditionis genere ſalvari poſſe, imo etiam ſingulos ex eo ſtatu vitæ, quem ſumus amplexi, facere nos poſſe medium ad ſalutem conſequendam.

Conſule Tomo IV. Bibliotheca Mor. Evang. ſub Titulo: SALUS.

PRO FERIA SEXTA.

Tamen pauciſſimi ſalvi fiunt, & exiguo in numero inter Chriſtianos ſunt Prædeſtinati, quamvis tot ſunt adminicula ſalutis operandæ.

Probationes, atque rationes inveniuntur in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulo: PRÆDESTINATIO, *& in IV. Titulo:* SALUS.

SECUNDA HEBDOMADA

Media generalia Salutis operandæ, quæ hac ſcientia complectitur, & quæ Dei Filius, qui eſt ipſa Veritas, nos docet.

PRO DIE DOMINICO.

Matth. 11. ASSUMPTIS pro textu illis hodierni Evangelii verbis: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Cur Sanctus Joannes Baptiſta miſiſſet quæſitum utrum JESUS CHRISTUS eſſet Meſſias, hic Homo-Deus probaturus Miſſionem ſuam, narrat miracula, quæ vera ejus erat probatio. Ubi loqui poſſumus de Fide, & Religione, quam voluit Salvator primum eſſe noſtræ Salutis Principium. *Juſtus autem ex fide vivit*, & ſine qua fieri nequit, ut Deo placeamus. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* ad Rom. 1. Hebr. 11.

Occurrent Sermonum Structura & rerum ſupellex in hoc argumento in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evang. Titulo: FIDES.

PRO FERIA SECUNDA.

Medium alterum ad ſalutem certam efficiendam eſt vera vitæ mutatio, ſinceraque patratorum criminum pœnitentia. Hæc illa eſt veritas, quam Filii Dei Præcurſor in deſerto prædicabat; *Vox clamantis in deſerto &c. Joannes prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ*; quippe quæ omnino eſt peccatoribus neceſſaria, ut in viam ſalutis revertantur, qui alioquin in æternum reprobabuntur, ſicuti Dei Filius inquit: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Luc. 13.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: CONVERSIONIS.

PRO FERIA TERTIA.

Tertium generale ad Salutem acquirendam medium: Bonorum operum praxis. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Ratio eſt, quia Salutis ſcientia non ſolum eſt Theoretica, ut immoretur in cognitione mediorum quæ ad id ſunt neceſſaria: verum etiam in praxim eſt redigenda, alioquin, ut docet Sanctus Jacobus Apoſtolus, fides mortua eſt; & adultis nulla reliqua eſt ſpes Salutis. 2. Petri 1.

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: BONORUM OPERUM, *ubi plures hujus Argumenti Synopſes invenies.*

PRO FERIA QUARTA.

Quartum Generale Medium eſt Oratio, quæ omnino eſt ad Salutem efficiendam neceſſaria; quandoquidem hæc via eſt ad Cœli gratias obtinendas, ſine quibus nihil facere poſſumus ad Cœlum promerendum.

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: ORATIO, *ubi Veritatis hujus probationes invenies.*

PRO FERIA QUINTA.

Quintum Generale medium, Fidelitas in obeundis ad unguem officiis ſtatus, & vocationis noſtræ.

Vide Titulum: VOCATIO, *ubi hoc argumentum fuſius pertractatur in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang.*

PRO FERIA SEXTA.

Non deſunt alia plura media, cum generalia, tum peculiaria ſalutis operandæ, quibus videtur Dei Filius illam adjeciſſe; qualia ſunt Eleemoſyna, Charitas erga Proximum, injuriarum venia, inimicorum dilectio, amor Dei, Chriſtiana Vigilantia, præparatio ad mortem, ex quibus argumentis illud eligi poterit, quod aptius viſum fuerit tempori, loco, & magis neceſſarium Auditoribus.

TERTIA HEBDOMADA

Methodus, & ratio, qua Dei Filius nos erudit, & docet Salutis ſcientiam.

PRO DIE DOMINICO.

OSTENDENDUM eſt, quomodo Salvator, quatenus Doctor, & Magiſter, cujus nomen in Scripturis aſſumit per lumen Evangelii in omnibus terrarum plagis prædicati diſſipavit miram ignorantiam, & fere univerſalem cæcitatem, in qua populi verſabantur ante Incarnationem; ideoque

Primò adornanda eſt ad vivum hypotipoſis deplorandæ hujus cæcitatis, & corruptionis morum, quæ illam conſequitur; quod probat, quantopere indigeamus luminibus, & veritatibus hujus ſcientiæ. Secundò, deſcribenda eſt mutatio admirabilis, quam Chriſtiana peperit Religio in Mundo per cognitionem veritatum, quas docet & obſervantiam mandatorum, quæ continet.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: CHRISTIANISMUS.

PRO

PRO FERIA SECUNDA.

Oſtendendum eſt quomodo Cœleſtis hic Magiſter nos docuit exemplo, quod omnium virtutum nobis reliquit. Sermo habendus eſt de vi, & efficientia boni exempli ad ſuadendam virtutem, & probandum hanc ab illo doceri melius, quàm omnibus rationibus, atque præceptis.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum : Exemplum.

PRO FERIA TERTIA.

Matth. 3. Aſſumptis pro themate verbis illis : *Vox clamantis in Deſerto.* Magiſter idem nos erudit voce, ac Miniſterio Concionatorum, ſe Dei Verbum eſſe; igitur oſtendendum eſt Primò, Quanti faciendum ſit. Secundò, Et fructus, qui inde percipiendus eſt.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Verbum Dei.

PRO FERIA QUARTA.

Divinus Præceptor nos peculiariter erudit per Eccleſiam ſuam, quæ vivens eſt Oraculum, quod conſulere debemus in rebus dubiis, quæ ſuboriri poſſunt circa fidem, morumque diſciplinam.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum : Ecclesia.

PRO FERIA QUINTA.

Salvator nos edocet interioribus gratiis, quas in Oratione fidelibus animabus impertit. Hinc nonnunquam videmus ſimplices homines, qui magis illuminati ſunt, & quibus magis perſuaſum eſt de Chriſtianis veritatibus, quàm ſit Doctoribus graviſſimis, & qui ardentius illas exercent. Præterquam quod, quemadmodum teſtatur

Joan. 1. Sanctus Joannes Apoſtolus, lux eſt, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum* ; & præterea conſcientia ſingulorum Magiſter eſt domeſticus ſingulos de ſuis officiis erudiens.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum : Gratia actualis, *nec non in Tomo I. Titulum:* Conscientia.

PRO FERIA SEXTA.

Sæpe hominem erudit adverſis, ac tribulationibus, efficitque ut de æternis veritatibus cogitet : aufert illi errorem fallacium placitorum Mundi, ita ut oculos, & vota ſua in Cœlum attollat. Hinc inquit Scriptura : *Vexatio dabit intellectum*, & alio in loco; *Miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me*. Ipſa etiam nos docet experientia, eos qui in ſceleribus vixerunt, converti, & ſerio ſalutem ſuam operari.

Iſaiæ 28. Threnor. 1.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Tribulatio.

HEBDOMADA QUARTA

Media, quæ hæc Scientia tradit ad Salutis vias complanandas.

PRO DOMINICA.

Luc. 3. Sumptis pro themate verbis illis hodierni Evangelii : *Erunt prava in directa, & aſpera in vias planas*; oſtendendum eſt in parte prima Sermonis apertiſſimis argumentis in Dei famulatu, & viis ſalutis multo minora eſſe perferenda, quàm in via perditionis. In altera verò parte oſtendendum eſt gaudium, & voluptates, quæ in Mundo guſtantur, non eſſe comparandas cum illis, quas Deus delibat ſibi deſervientibus, ſalutemque ſuam operantibus.

Vide Titulum : Servitus Dei *in Tomo IV. Bibliotheca Mor. Evang.*

PRO FERIA SECUNDA.

Fervor devotionis, & charitatis mulcet omnes labores noſtros, nobiſque vim, animumque miniſtrat ad ſuperandos obices omnes, qui in via ſalutis occurrunt, efficiendo ut jugum Domini jucundum, & leve nobis videa-

Matth. 11. tur. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.*

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Fervor, *& in Tomo IV. Titulum:* Dei servitus.

PRO FERIA TERTIA.

Pax, & gaudium, quod poſt cupiditatum ſuarum guſtarum victoriam, centuplum remuneratur laborem in iis vincendis ſublatum. Hinc qui fideliter Deo famulantur, immutabili tranquillitate perfruuntur.

Vide Titulum Servitus Dei *in Tomo IV. Bibliotheca Mor. Evang.*

PRO FERIA QUARTA.

Moralis certitudo ſalutis, quam habent Juſti, nec non ſuæ Prædeſtinationis, cauſa eſt, propter quam arbitrantur, ſe nihil unquam facere ad felicitatem promerendam; omneſque labores leves ipſis videntur.

Vide Titulum Prædestinatio *in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. & in IV. Titulum* Servitus Dei.

PRO FERIA QUINTA.

Spes æternæ remunerationis Juſto promiſſa efficit, ut ſine intermiſſione prælietur ad promerendam gloriæ coronam; quippe illi perſuaſum eſt, remunerationem eamdem ſemper meritis ſuis majorem futuram. Quæ conſolatio! Quod laborum lenimentum! *Momentaneum, & leve tribulationis ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum : Beatitudo, *& in IV. Titulum:* Tribulatio.

PRO DIE NATIVITATIS DOMINI.

Elige in primo Tomo Myſteriorum Argumentum illud, cur Dei Filius factus eſt homo, & unice propter unicum noſtræ ſalutis deſiderium ſubire voluerit omnes miſerias, & naturæ noſtræ infirmitates.

SECUNDA ADVENTUS

ADUMBRATIO.

Altera hæc Adumbratio a priori non differt, niſi propter rationem aliam qua effertur, & peculiaria argumenta, quæ inſeri poſſunt.

PRIMA HEBDOMADA

Principia Scientiæ Salutis, & Ars ſemet ipſos ſalvandi.

PRO DOMINICA.

De Extremo Judicio.

In To. II. Bibliotheca Mor. Evang. ſub Titulo : Judicium *eligi poteſt argumentum, quod aptius videbitur.*

PRO FERIA SECUNDA.

Oſtendendum eſt, veram Prudentiam conſiſtere in ſeria cogitatione de ſalutis noſtræ negotio.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum : Salus.

PRO FERIA TERTIA.

In omnibus conditionibus ſalvari poſſumus.

Videndus eſt in Tomo IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulus: Vocatio.

PRO FERIA QUARTA.

Tamen modicus eſt numerus eorum qui ſalvi fiunt.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evang. Titulum : Prædestinatio.

PRO FERIA QUINTA.

De pretio animæ noſtræ, quæ quarumcumque rerum pretio ſalvanda eſt.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum : Anima.

PRO FERIA SEXTA.

De Prædeſtinatione. In nobis poſitum eſſe ſalvari; & non niſi vitio noſtro nos reprobari.

Vide

Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: PRAEDESTINATIO.

HEBDOMADA SECUNDA.

Media generalia ſalutis operanda.

PRO DIE DOMINICO.

De Pœnitentia, ejuſque neceſſitate.
Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: POENITENTIA.

PRO FERIA SECUNDA.

De Fide, & bonis operibus, & de inevitabili utriuſque hujus rei conjunctione, quæ invicem nequeunt ſeparari, quin Saluti nuntium mittatur.
Vide To. II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulo: FIDES; *ac III. Titulo:* OPERA BONA.

PRO FERIA TERTIA.

Opus eſt eſſe in Eccleſia vera, ut ſalvemur; quippe hæc una regula eſt Fidei, & Morum.
Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; ECCLESIA.

PRO FERIA QUARTA.

Propter Salutem noſtram nos Dei gratiis fideles eſſe oportet.
Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: GRATIA DEI.

PRO FERIA QUINTA.

Amplectendus eſt vitæ ſtatus, qui Salutis vias efficiat nobis faciliores.
Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; VOCATIO.

PRO FERIA SEXTA.

De Fervore in Servitute Dei.
Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; FERVOR.

HEBDOMADA TERTIA.

Prætextus, qui afferuntur, ne Saluti noſtra operam dare teneamur.

PRO DIE DOMINICO.

Prætextus malæ valetudinis &c.

OSTENDERE poſſumus prætextum hunc laborare, neque diſpenſare aliquem poſſe, quominus cogitet de ſalute ſua; imo e contra medium eſſe tutius, atque utilius illam operandi.; Deus enim nihil petit a nobis, niſi quod poſſumus, atque in hoc ſtatu melius illi ſervire poſſumus per obedientiam voluntati ipſius, & per patientiam malorum, quæ tutiora ſunt media ad ſalutem.
Videri poteſt To. III. Bibliotheca Moral. Evang. Titulo; MORBI.

PRO FERIA SECUNDA.

Fruſtra cauſamur celſitudinem, dignitatem, nobilitatem, ne ſaluti noſtræ conſulere teneamur; cum enim e contra qui cæteris magnitudine præſtant, majoribus obnoxii ſint pereundi periculis, & plura habeant ſalutis operandæ ſubſidia per eleemoſynas, & opera bona, quæ valent exercere, magis tenentur dare operam ſuæ ſanctificationi.
Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; DIGNITAS.

PRO FERIA TERTIA.

Prætextus Adoleſcentiæ.

Falſo prætexunt Adoleſcentes ætatem ſuam, quæ tempus eſt ſolatiorum, & voluptatum; cum imo ſibi comparare teneantur fundum morum optimorum, qui illos deinceps arcere valeat a ſæculi corruptione.
Videri poteſt in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evang. Titulus: ADOLESCENTIA, *& in II. Titulus:* EDUCATIO.

PRO FERIA QUARTA.

Prætextus Honorum, & Negotiorum.

Perperam prætexuntur Magiſtratus, & Negotio ad excuſandam Salutis incuriam; quandoquidem maxime neceſſaria hominis in hac vita occupatio, ſecundum Filii Dei Verbum eſt, ſervare animam ſuam.
Conſuli poteſt II. Bibliotheca Tomus, Titulo: DIGNITAS, *& IV. Titulo:* SALUS ANIMÆ.

PRO FERIA QUINTA.

Prætextus Conſuetudinis.

Conſuetudinis prætextus ad negligendam ſalutem peſſimus eſt, cum e contra nimis vividis cupiditatibus noſtris reſiſtentes, & declinantes a pravis exemplis corruptæ multitudinis majora comparemus merita, & tutius in via ſalutis progrediamur.
Videri poteſt To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo; CONSUETUDO.

PRO FERIA SEXTA.

Prætextus malorum habituum, qui ægre exuuntur.

Nulla deterior efferri poteſt cauſa, quam peccatum ad alia impunius perpetranda. Quis enim non videt hoc eſſe palam ſaluti ſuæ abrenuntiare, ſemet validioribus funibus vincire, qui deberent eas quibus innexus eſt frangere?
Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; HABITUS, HABITUALE PECCATUM.

HEBDOMADA QUARTA.

Media peculiaria ad Salutem operandam.

PRO DIE DOMINICO.

De Patientia in tribulationibus habenda.
Videri poteſt in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulus; PATIENTIA, *& in IV. Titulus:* TRIBULATIO.

PRO FERIA SECUNDA.

De Eleemoſyna.
Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; ELEEMOSYNA.

PRO FERIA TERTIA.

De Fidelitate Deo in minimis etiam ſervanda.
Videri poteſt in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evang. Titulus: FIDELITAS IN MINIMIS.

PRO FERIA QUARTA.

De Præparatione ad Mortem.
Vide in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; MORS.

PRO FERIA QUINTA.

Habenda eſt ſingularis devotio erga Beatiſſimam Virginem.
Vide To. III. Bibliotheca Myſt. Theol.

PRO DIE NATIVITATIS.

Eligi poteſt argumentum in To. I. Bibliotheca Myſt. Theol. Titulo: NATIVITAS DOMINI.

TER-

TERTIA ADVENTUS ADUMBRATIO.

De Obicibus Salutis.

FILIUS Dei cum venit in Terras pro omnium hominum salute in natura nostra corrupta, plurimos invenit obices, quos cum per gratiam suam abstulerit, nullas afferre possumus causas nosmet a nostra Sanctificatione dispensandi; quia si illi cooperari voluerimus, nemini deerit, qui velit serio dare operam huic unico, & summopere necessario negotio. Hoc mihi locum dedit in primo hoc Salvatoris Adventu suggerendi plura argumenta, pro variis obicibus, qui nobis oboriuntur, & intra nos propter eas, quæ in nobis dominantur, cupiditates, & extra nos ex iis oppositionibus quas in Mundo possumus invenire.

HEBDOMADA PRIMA.

Obices interiores ad Salutem, qui sunt in nobismet ipsis.

PRO DOMINICA.

QUEMADMODUM supponimus pro primo hoc Sermone Evangelii Præconem pro Argumento sumpturum Judicium extremum, huc afferemus Synopsim ex nostra Concionatorum Bibliotheca desumptam. Dies novissimi Judicii dies erit gloriæ Salvatori: Omnis potentia, sapientia, & virtus, quæ constituunt hominum magnitudinem in terra, evanescent in hac terribili Scena, & Deus unus Magnus videbitur: *Exaltabitur Dominus solus in* Isaiæ 2.
die illa. Primùm Deus solus potens videbitur: *Solus potens*, quippe reliquæ Potestates in sua collectæ, unum duntaxat Potentem efficient. Secundo: *Solus Sapiens.* Unus ille Sapiens erit, quippe omnia Judicia secundum illius Sapientiam reformabuntur. Tertiò erit solus Sanctus; *Solus Sanctus*: Sanctitas enim illius erit virtutum omnium mensura. Hinc conjicere possumus quàm terribilis peccatoribus futura sit magna illa dies, qua neglexerint toto vitæ suæ curriculo cooperari gratiis Dei, utiliter saluti suæ cooperaturi.

Alia inveniri possunt argumenta in secundo Bibliothecæ Tomo, sub Titulo: JUDICIUM.

PRO FERIA SECUNDA.

Amor nostrummet ipsorum.

Hæc illa est fatalis Hæreditas, quam a nostris Protoparentibus hausimus, & de qua dicere possumus; Primò hunc amorem proprium esse apertissimum Dei inimicum; subvertit enim consilium, propter quod descendit in terram, obicem fere insuperabilem objiciens saluti nostræ quæ finis est laborum, passionum, & mortis illius. Secundò maximus est nostrum met ipsorum inimicus; neque enim solum est causa malorum omnium, quia particeps fuit originalis peccati, quod ex ipsa haurimus nativitate, sed etiam actualium peccatorum omnium, quæ committimus, etenim ut nostris pareamus cupiditatibus, Dei legem infringimus.

Alia inveniri possunt ejusdem argumenti structura in To. I. Bibliotheca ejusd. Titulo: AMOR SUI.

PRO FERIA TERTIA.

Indoles nostra virtuti contraria secundus Obex Salutis.

Pravum ingenium nostrum, magnum esse nostræ salutis obicem tribus rationibus probari potest. Primò quia ex parte proximi incessanter in periculo nos tenet charitatis lædendæ, ac reddendi nosmet omnibus non ferendos. Secundò, quia ex parte nostra nobis inimicos conciliat, & plerumque nobis conflat odium eorum, cum quibus vivimus. Tertiò ex parte Dei, quia indoles, ingenium, naturaque nostra plerumque sunt causa omnium peccatorum, quæ contra divinam Majestatem perpetramus.

Alia inveniri poterunt argumenta in To. II. Bibliotheca ejusd. Titulo: INDOLES, NATURA, TEMPERAMENTUM.

PRO FERIA QUARTA.

Affectus nostri, & ille, qui potissimum dominatur in nobis, tertius Salutis Obex.

Cum animi nostri cupiditates sint maximus obex Salutis nostræ, si vivere volumus, ut decet Christianos, tenemur illis incessanter inferre bellum fortiter, ac strenue, idque tres potissimum ob causas. Primò quia mentem excæcant; quapropter in omnes labimur excessus, non rationi, neque consilio adhibemus aures, & oculos obstruimus luminibus fidei, & gratiæ. Secundò quia dividunt, & lancinant cor, ubi ortæ sunt per impressiones contrarias, quas ibi gignunt, & per oppositos motus, in quos ab illis trahitur in diversa, in avaritiam, ambitionem, metum, desiderium &c. Tertiò quia illum, qui aliqua tenetur incomposita animi perturbatione, & qui sequitur inordinatos cordis sui motus, trahunt in molestissimam, miserrimam, turpissimamque servitutem.

Hendry Biblioth. univers. To. postremus.

ALIUD ARGUMENTUM.

Si omnes animi cupiditates generatim sumptæ maximum sunt Salutis impedimentum, hoc sane est, cupiditas illa, quæ dominatur, & quæ Saluti maxime adversatur. Primò, quia origo, & causa est omnium malorum, vitiorumque. Secundò, quia vitiat, atque corrumpit omnes bonas actiones, quas facimus, & efficit, ut magis ex ingenio, & affectu, quàm virtute duce operemur. Tertiò, quia nobis integrum non est per illam nosmet colligere, & agere pœnitentiam; ideoque causa est familiaris, propter quam morimur in peccato, quod extremum est malorum omnium, a nobis pertimescendum, & quod nullam patitur medicinam.

Consule To. I. Bibliotheca ejusd. Titulo: AFFECTUS, *ubi suppetit larga supellex hujus argumenti.*

PRO FERIA QUINTA.

Amor Mundi quartus Obex Salutis.

Levissimi laboris est probare, homines, qui Mundo adhærent, qui illius leges, & placita sectantur, maximum saluti suæ obicem statuere. Primò, quia de illa nunquam ferme cogitant, vel per quam rarò, sed semper iis indulgent voluptatibus, quæ sibi a Mundo exhibentur. Secundò, quia infinita ab illis patrantur peccata, cum prorsus se mancipant cupiditatibus suis, & Dei leges infringunt, ut secundum mundi leges, & placita vitam componant suam. Tertiò, quia nullum agunt pœnitentiæ genus, cujus vel ipsum nomen ignorant, neque ullam Christianam virtutem exercent ad beatam æternitatem promerendam.

Videri potest To. III. Bibliotheca ejusd. Titulo: MUNDUS, *ubi locuples invenietur dicendi copia.*

PRO FERIA SEXTA.

Adhæsio bonis terræ quintus Salutis Obex.

Ampla prædia, & ingentes divitiæ, semper a Sanctis Patribus habita fuerunt tamquam magna salutis impedimenta: ubi ostendi potest hoc propter tres præcipuas rationes accidere. Primò, quia ingentes opes, & divitiæ prohibent, ne Deo famulemur, & oblivionem inducunt, nos in terris esse propter hunc unicum finem. Secundò, quia auferunt a nobis spiritus libertatem, qui unice vacat congerendis prædiis, atque divitiis, & curæ earum servandarum, ubi illas adeptus est. Tertiò, in hoc, quod turbant requiem nostram, & pacem sexcentis angoribus, & sollicitudinibus, jurgiis, litibus, & contentionibus, quæ totidem sunt obices saluti, licet nullo sint in discrimine, & quos evitare fere est impossibile.

Vide in To. I. Bibliotheca ejusdem Titulum: DIVITIÆ.

HEBDOMADA SECUNDA.

Obices Salutis externi.

PRO DOMINICA.

Occasiones peccati, quæ sunt frequentes Primus Obex exterior.

Facile est probare frequentes peccati occasiones, quibus in hac vita sumus obnoxii, magnum nobis esse Salutis impedimentum, idque tribus de causis. Primò, quia Justus in illis fit peccator nisi inde, & quàm celerrime egrediatur. Secundò, quia peccator fit impœnitens, & pertinax in peccato, nisi deserat occasionem. Tertiò, qui denique inde non vult emergere, invictum saluti suæ obicem statuit.

In To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Conſule Titulum: OCCASIO.

PRO FERIA SECUNDA.

Malorum ſocietas ſecundus Obex exterior Salutis.

Malas Societates evitandas eſſe, tamquam magnum Salutis obicem, tribus rationibus confirmatur. Primo, qui innocens ad eas accedit, pervertitur. Secundo, qui vitioſus eſſe incipit in flagitiis convaleſcit. Tertio, eadem nos manet ſors, idemque exitus, qui impiis, cum quibus ſocietatis fœdus percutimus.

In To. IV. Bibliotheca ejuſd. larga invenietur ſupellex ſub Titulo: SOCIETAS, ET CONVERSATIO.

PRO FERIA TERTIA.

Prava Exempla tertius exterior Obex Salutis.

Ut videamus quantum ponderis, atque auctoritatis habeat pravum exemplum, oſtendendum eſt, Primò, quanta facilitate, alienis exemplis trahi ultro ſinamus. Secundo, cum pravis exemplis in malum rapiamur, non ſolum ea ſequimur, verum etiam gloriamur nos eſſe flagitioſiores præ iis, quos imitamur. Tertiò, in vitiis, & criminibus ita confirmamur alienis exemplis, ut fere impoſſibile ſit ab illis recedere.

Conſule To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulo: EXEMPLUM, *& invenies plurima hujus argumenti.*

PRO FERIA QUARTA.

Mundus, qui nobis placet, quartus exterior Obex Salutis.

Ad argumentum hoc pertractandum, & oſtendendum, amorem Mundi generatim, & lenocinia, quæ in eo reponuntur, magnum eſſe Salutis impedimentum, tres potiſſimum afferri poſſunt cauſæ. Primo, quia Mundus videri non poteſt, quin ametur; illum amantes fallit, & illicit; cor noſtrum ita ſibi mancipat, ut vix id prohibere valeamus ſine peculiari gratia. Secundo, quia illum amare non poſſumus, quin illum ſequamur, videlicet, quin noſmet illius moribus aptemus; quin illi diſplicere vereamur; ideoque, quin mundani efficiamur. Tertio, quia illum ſequi non poſſumus, quin pereamus, quia hæc eſt via lata, quæ ducit ad interitum.

Ad exornandum hoc argumentum vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulos: MUNDI AMOR, ET PERICULA.

PRO FERIA QUINTA.

Honores, qui nos palpant, quintus exterior Obex Salutis.

Ad oſtendendum quantum ſaluti officiant honores, & dignitates Mundi, aſſerere poſſumus, eos, qui illis præfulgent, obnoxios eſſe, Primò, impietati; modicum habent Religionis ſenſum, ſe ipſos tamquam parvula idola reſpiciunt, ſe ſe ſolutos putant ab omnibus pietatis officiis, quæ cenſet hominibus e plebe dumtaxat impoſita. Secundo, Injuſtitiæ; non ſolum zelotypi ſunt jurium ſuorum, ſed facile ea etiam ſibi vindicant, quæ ad ipſos non pertinent. Tertiò, voluptatibus; in eas quippe præ cæteris proclives ſunt, propter media, quibus affluunt, ſuis cupiditatibus ſatisfaciendi.

Videri poſſunt in To. I. Bibliotheca ejuſd. Tituli: AMBITIO, ET DIGNITAS.

PRO FERIA SEXTA.

Solatia, & voluptates ſextus Salutis Obex.

Sermo poteſt inſtitui, in quo oſtendamus, ſolatia, & voluptates, quibus homines in ſæculo perfruuntur, magnum eſſe Salutis impedimentum. Primùm quia ſunt periculoſa, cum plerumque ſint noxia, & ut plurimum ideo tantum nobis placeant. Secundò, quia ſunt criminoſa, & nimis frequentia; cum hæc mundanorum unica ſit occupatio. Tertiò, quia fieri non poteſt, ut qui corporeas deperit voluptates curam gerat animæ ſuæ.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: SOLATIA.

HEBDOMADA TERTIA.

Obices qui inveniuntur in praxi Chriſtianarum Virtutum.

PRO DOMINICA.

Difficultates, quas in Dei ſervitute, vel comminiſcimur, vel reipſa reperimus.

IN duabus Sermonis hujus partibus oſtendere poſſumus: Primò pœnas, ac labores, quos eſſe arbitramur, vel qui revera inveniuntur in Dei ſervitute, toto Cœlo leviores eſſe, ac minores illis, quos in Mundi ſervitute experimur. Secundò e contra, gaudia, quæ guſtantur in Dei ſervitute, toto Cœlo eſſe majora, ideoque Dei ſervitute ſervituti Mundi eſſe præferendam.

Conſuli poteſt To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: SERVITUS DEI, *ubi ſatis ſuperque copia invenietur ad hoc Argumentum exornandum.*

PRO FERIA SECUNDA.

Abrenunciatio Vitæ Mollis.

Vita commoda, & ſenſuum voluptatibus addicta perpetuale ſalutis eſt impedimentum, neque enim vitium eſt peculiare, ſed vitiorum congeries, quod probari poteſt Primò, quia quædam eſt commiſtio placitorum Mundi, & Evangelii, fœdus, quod numquam coaleſcere valuit. *Quæ conventio lucis ad tenebras? Chriſti ad Belial?* Secundò, quia eſt diviſio inter Deum, & Mundum. Deo quidem contumelioſa, & quam vix patitur Mundus. Tertiò, quia eſt temperamentum, quod quin ſeveritatem Legum Evangelicarum mulceat, & immineat injuſtitiam legum Mundi, illas quidem corrumpit, has verò probat. ad Cor. 6.

Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: MOLLITIES.

PRO FERIA TERTIA.

Labores Pœnitentiæ.

Pœnitentiæ labores non ſunt minimus obex Salutis; cujus rei triplex adſerri poteſt ratio: Prima eſt vitæ mutandæ difficultas, & vitam inſtituendi prorſus aliam, cui conſuevimus adhuc. Secundò, vis adhibenda, ut adhæſiones, & vincula noſtra infringamus, & ſeparemur ab iis, quæ cordi potiſſimum inhærent. Tertiò, difficultas, qua Dei ira mulcetur, ejuſque juſtitiæ fit ſatis.

Conſule To. III. Bibliotheca ejuſdem Titulo: POENITENTIA.

PRO FERIA QUARTA.

Labor ſemet ſubjiciendi vitæ regulari, & Chriſtianæ.

Quod ſemet regulari, Chriſtianæque vitæ ſubjicere, deterreat homines, ne ſalutem ſuam operentur, facilis probatio eſt, Primùm quia pœnæ & coactio, quam nobiſmet fingimus in vita Regulari, cum hactenus vixerimus ſine regula, & abnormes, per ſe ſolæ pares ſunt deterrendis illis, qui mollem vitam duxerunt. Secundò, quia cum ſemper vixerimus, quin noſmet ſubmitteremus quibuſdam regulis ſtatui proprio appoſitis; jam impoſſibile videtur ducere vitam prorſus oppoſitam.

Videri poteſt in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulus: REGULARITAS.

PRO FERIA QUINTA.

Praxis aliquorum Præceptorum difficilium.

Praxis nonnullorum Præceptorum, quæ noſtro adverſantur ingenio, amori proprio, & affectibus, crebrò magnum eſt ſalutis impedimentum; quod facile eſt cognoſcere ex horribili difficultate, quam alii, exempli gratia, inveniunt in jejunio ſervando, alii in diligendis inimicis, alii in dimittendis injuriis &c.

Facile eſt copiam invenire in hujuſmodi argumentis in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulo: AMOR INIMICORUM, *& in To. II. Titulo:* JEJUNIUM.

PRO FERIA SEXTA.

Reſpectus Humanus.

Reſpectus humanus proculdubio unum eſt ex graviſſimis impe-

impedimentis ſalutis; Omnes enim homines fere illi obnoxii ſunt, & ſine ſcrupulo præſeferunt vitium virtuti tribus diverſis de cauſis. Primùm quia cupiunt placere, vel timent, ne ſummis viris diſpliceant, quibus non timent honorem, & conſcientiam ſuam ſacrificare. Secundò quia metuunt cum æqualibus decertare, cum quibus humana prudentia ſemper conſentire ſuadet. Tertiò quia inferiorum cenſuram, & irriſiones evitare conamur, a quibus haberi volumus tamquam commodi, & faciles, qui cum omnibus vivere noverunt, & miſer hic humanus reſpectus ita vitium virtuti comparat, ut quantumvis hæc pluris fiat, malumus tamen videri vitioſi, quàm diſplicere illis ipſis, quos omnino contemnimus, adeo humanus reſpectus in nobis dominatur.

Conſule in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: HUMANUS RESPECTUS.

HEBDOMADA QUARTA.

Obices ex parte Tentationum.

QUAMVIS Deus nos tentari patiatur, probaturus virtutem noſtram, eamque coronaturus, ſi ex tentatione victoriam retulerimus: tamen uſuvenit ſæpe, ut per incuriam pugnandi, vel reſiſtendi ex nimia in viribus noſtris confidentia, turpiter ſuperemur, & hunc pacto obicem ſtatuentes ſaluti noſtræ in diſcrimen adducamur æternùm pereundi.

PRO DOMINICA.

Pro Argumento, & partitione Sermonis deſumi poſſunt tres veritates, quas probare, & ſolide pertractare facile eſt. Prima Tentationes inevitabiles eſſe, & cum ipſe quoque Dei Filius tentari voluerit, fruſtra nos immunes eſſe velle in quacumque ſimus conditione. Ideoque noſmet præparare debemus ad illas impugnandas, & ſuperandas. Secunda eſt Tentationem nobis utilem eſſe; etenim efficit, ut virtus emicet noſtra, & medium præbet acquirendi merita propter Cœlum. Quapropter ſunt ſigna amoris, quo nos complectitur Deus, & curæ quam ejus providentia gerit gloriæ noſtræ. Tertia in noſtra poteſtate eſſe vincere Tentationes, undequaque proficiſcantur, ope divinæ gratiæ; ideoque nos culpa noſtra ſuperari, ſi vincimur.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: TENTATIO.

PRO FERIA SECUNDA.

In duplici parte Sermonis oſtendere poſſumus; primò nullam eſſe virtutem, quæ ſupra tentationem ſit; hoc eſt, quocumque in ſtatu ſimus, nos tentari ſive a dæmone, ſive ab externis objectis, ſive per eas tentationes, quæ in nobiſmet ipſis oriuntur. Quamobrem tentatio ſemper eſt metuenda, & numquam præſumendum eſt in viribus noſtris, niſi ſuperari velimus: Secundò nullas eſſe tentationes, quæ viribus noſtris nequeant ſuperari; videlicet nullam eſſe adeo violentam tentationem in quavis materia, quam ope divinæ gratiæ ſuperare non valeamus; quam ſi neglexerimus, tentatio magnum eſt ſalutis noſtræ impedimentum.

Vide eumdem Tomum, ac Titulum.

PRO FERIA TERTIA.

Oſtendere poſſumus in duabus partibus Sermonis, primùm nullam eſſe tentationem adeo levem, & debilem, qua ſuperari minime valeamus; niſi nobiſmet invigilaverimus, & ſi in viribus noſtris confiderimus. Secundò nullam e contra eſſe adeo vehementem, quam cœleſti ope freti vincere non valeamus.

Vide locum eumdem.

PRO FERIA QUARTA.

Pro argumento ſumi poteſt; primo quid faciendum ſit ante tentationem, ne ſit ſalutis noſtræ impedimentum. Prævertenda eſt; conatus exerendi ſunt ad illam evitandam; noſmet præparare debemus ad illam impugnandam, ac ſuſtinendam. Secundo, quid in ipſa tentatione faciendum ſit: ſtrenue illi repugnandum eſt, Cœleſte implorandum auxilium, & Deo ſervanda fidelitas. Tertiò quid poſt tentationem faciendum, & poſt relatam ex ipſa victoriam. Victoria ſuis viribus accepta referenda non eſt, & Deo agendæ ſunt gratiæ.

Vide locos eoſdem.

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

PRO FERIA QUINTA.

Duo ſunt tentationum genera, in quibus aliter noſmet gerere debemus, variiſque uti mediis ad ea ſuperanda. Primùm tentationes ſunt, quæ a nobis non quæſitæ, nos adoriuntur. Naſcuntur ſine nobis; a corruptione naturæ noſtræ proficiſcuntur; ideoque Deus ad eas ſuperandas neceſſaria nobis miniſtrat auxilia: nos verò pro virili vigilantia, & præcautione debemus uti, ut illas prævertamus, atque fortitudine, ut illis repugnemus. Secundò aliæ a nobis quæruntur, & illis ultro noſmet objicimus manentes in occaſione; ideo nobis ſemper fatales ſunt, neque alias ſuppetit ratio, qua illas vincamus, niſi fuga, ſine qua fiunt magnum ſalutis noſtræ impedimentum.

Vide eumdem Tomum, ac Titulum.

PRO FERIA SEXTA.

Pro argumento ſumi poteſt tria eſſe perſonarum genera, quæ doceri debent, quomodo ſe ſe in tentationibus gerant. Primi ſunt Temerarii, qui cæci ſemet periculo objiciunt; & hi docendi ſunt fugam tentationum, & chriſtianam vigilantiam, eſſe conſilium prudentiſſimum, quod valeant amplecti. Secundi ſunt homines nimis ſimplices, ac imperiti, qui in laqueos dæmonis incidunt, quia dolos, atque technas illius detegere neſciunt. Hi ſunt erudiendi, eiſque aperiendæ artes, & inſidiæ quibus humani generis inimicus utitur ad eos decipiendos. Tertii ſunt ignavi, quibus deeſt animus reſiſtendi. Hi excitandi ſunt exemplo Filii Dei, atque Sanctorum, qui Cœleſtibus gratiis adjuti tandem ſuperaverunt omnia impedimenta, quæ nacti ſunt in via ſalutis, & de illis glorioſum retulerunt triumphum.

Vide eumdem Tomum, & Titulum.

QUARTA ADVENTUS

ADUMBRATIO.

IN quarta hac Adventus adumbratione impugnanda aggredimur præcipua ſæculi crimina pro themate generali adhibentes verba illa Jeremiæ Prophetæ: *Ecce conſtitui* Jerem. 1.
te hodie ſuper gentes, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes.

Tota hæc Adventus Adumbratio fere invenietur in Tomo ſecundo Argumentorum particularium Auctoris in omnia argumenta, cui ut compleretur Sermonum numerus nonnullos tantum adjeci, ſumptos ex variis Bibliotheca Tomis, eo in ordine quo hic exhibetur.

HEBDOMADA PRIMA.

De peccatis maxime particularibus, quæ committuntur contra Deum, & Cultum illius.

PRO DOMINICA.

DE noviſſimo Judicio.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: JUDICIUM.

PRO FERIA SECUNDA.

De Incredulitate, & Infidelitate plurimorum Fidelium.

Vide in To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulum: FIDES, ET FIDELITAS IN REBUS MINIMIS.

PRO FERIA TERTIA.

De Curioſitate, & periculo, ubi hæc nos conſtituit ſequendi recentes de Religione ſententias.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: CURIOSITAS.

PRO FERIA QUARTA.

De Jurejurando, & de blaſphemiis.

Vide To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulo: JURAMENTUM.

PRO FERIA QUINTA.

De Reverentiæ defectu in Templis.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: TEMPLA.

PRO FERIA SEXTA.

De Simonia.

Vide in To. II. Bibliotheca Moral. Evangel, Titulum: Ecclesiasticus.

HEBDOMADA SECUNDA.

De Peccatis, quæ proximo officiunt, vel ſcandalum afferunt.

PRO DOMINICA.

PEr occaſionem verborum hodierni Evangelii: *Quid exiſtis in deſertum videre? Hominem mollibus veſtitum?* Sermo inſtitui poteſt de luxu, atque immodeſtia veſtium.

Vide in To. IV. Bibliotheca Moral. Evangel, Titulum: Vestium luxus.

PRO FERIA SECUNDA.

De Spiritu avaritiæ, qui dominatur in Mundo.

Vide To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulo: Avaritia, & Divitiæ.

PRO FERIA TERTIA.

De Diſcordia, & litibus.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Discordia.

PRO FERIA QUARTA.

De Fœnore, & Uſura.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Avaritia.

PRO FERIA QUINTA.

De relationibus quæ fiunt dictorum, factorumque alienorum.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Detractio.

PRO FERIA SEXTA.

De Adulatione, vel irriſione.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Adulatio.

HEBDOMADA TERTIA.

De Peccatis, quæ ſpectant ad ſingulos.

PRO DOMINICA.

IN illa Evangelii verba: *Tu quis es?* Sermo inſtitui poteſt de ambitione.

Vide in To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Ambitio, et Dignitas.

PRO FERIA SECUNDA.

De intemperantia.

Vide in To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Intemperantia.

PRO FERIA TERTIA.

De Ludo.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Socatia.

PRO FERIA QUARTA.

De ſpectaculis.

Vide ibid. Titulum: Spectacula.

PRO FERIA QUINTA.

De Pravorum Librorum lectione.

Vide To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulo: Libri.

PRO FERIA SEXTA.

De impudicitia.

Vide To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulo: Impudicitia.

HEBDOMADA QUARTA.

De Peccatis, quæ in quolibet ſtatuum genere dominantur.

PRO DOMINICA.

DE Peccato mortali generatim.

Vide To. III. Bibliotheca Moral. Evangel. ſub Titulo: Peccatum Mortale.

PRO FERIA SECUNDA.

De Fuga Occaſionum.

Vide ibid. Occasio.

PRO FERIA QUARTA.

De pravis Societatibus.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Societas.

PRO FERIA QUINTA.

De Cordis induratione, animæque cæcitate.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Cæcitas animæ.

PRO DIE NATIVITATIS DOMINI.

Eligi poteſt Argumentum ex illis, quæ in To. I. Bibliotheca Myſt. Theol. recenſentur.

QUINTA ADVENTUS

ADUMBRATIO

In ea verba 1. *Joan.* 3. *Scitis quia ille apparuit, ut peccatum tolleret.*

ANGELUS, qui Adventum nuntiavit Filii Dei, addidit ipſum vocatum iri Salvatorem, eo quod liberaturus erat homines a peccatis eorum; *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* Ad id profecto ille in Mundo viſus eſt, quemadmodum dilectus ejuſdem Diſcipulus teſtatur in Epiſtola prima. *Scitis, quia ille apparuit, ut peccatum tolleret*, quæ verba pro textu eſſe poſſunt ſingulis diebus hujus Adventus. De hoc igitur conſilio, quod Homo-Deus ſibi propoſuit venturus in Mundum ad deſtruendum corpus peccati, ut verbis utar Sancti Pauli, *Ut deſtruatur corpus peccati*, videlicet congeriem peccatorum, quamvis Apoſtolus alium illis ſenſum tribuat; vobis verba facturus ſum: in prima Hebdomada propono oſtendere peccata, ad quæ evertenda Dominus venit: In ſecunda verò, quomodo ad illa radicitus convellenda, uſque ad eorum originem aſcendit: In tertia, quomodo illis tribuit remedia: & demum in quarta, ſubſidia, quæ nobis ſuggerit ad ſuperanda, & omnino proſcribenda hæc opera tenebrarum.

Matth. 1.
Rom. 12.

HEBDOMADA PRIMA.

Quænam ſunt peccata, ad quæ impugnanda, ac tollenda Dei Filius deſcendit.

PRO DOMINICA.

DE Judicio, & præſertim de examine, & diſcuſſione criminum, quæ perpetrata fuerant.

Vide To. II. Bibliotheca Concionatoria ſub Titulo: Judicium.

PRO FERIA SECUNDA.

Poſtquam allata fuerunt verba illa: *Quidquid eſt in Mundo; concupiſcentia malorum, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitæ;* Oſtendendum eſt: hanc eſſe peccatorum omnium originem, & initium faciendum eſt a concupiſcentia oculorum, videlicet ab amore divitiarum, avaritia, & deſiderio bonorum Mundi hujus. 1. Joan. 2.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſdem Titulum: Avaritia, *& in IV. Titulum:* Divitiæ.

PRO

Digitized by Google

PRO FERIA TERTIA.

Concupiſcentia carnis. De impudicitia, & vita molli, & voluptatum perquiſitione.
Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; IMPUDICITIA; *ac in III. Titulum;* MOLLITIES.

PRO FERIA QUARTA.

. *Superbia vitæ.* De ambitione, & honorum deſiderio.
Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: AMBITIO.

PRO FERIA QUINTA.

De adhæſione ipſi Mundo; oſtendendo quam difficile ſit Mundum videre, quin illum amemus, quin nobis placeat, quin illi adhæreamus; & quam difficile ſit illi adhærere, quin pereamus abeuntes in illius placita, & plurima peccata perpetrantes.
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum; MUNDUS.

PRO FERIA SEXTA.

De peccato generatim, ſemper tamen intelligendo peccatum mortale; quod oſtendendum eſt, quantam injuriam inferat Deo, & quantam peccatoribus perniciem.
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: PECCATUM MORTALE.

HEBDOMADA SECUNDA.

Media, quæ Dei Filius nobis dedit ad evitandum peccatum.

PRO DOMINICA.

FUGERE occaſiones, quæ nos in illud alliciunt, & quæ totidem ſunt fragilitati noſtræ pericula.
Vide in To. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; OCCASIO.

PRO FERIA SECUNDA.

Fugere iniquorum ſocietatem, qui nos in omnia trahunt flagitia.
Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: SOCIETAS.

PRO FERIA TERTIA.

Cohibere affectus, eos verò potiſſimum, quibus faciliùs trahi ſinimus.
Vide in To. I. Bibliotheca ejuſdem Titulum: AFFECTUS.

PRO FERIA QUARTA.

Evitare Otium, quod fons eſt malorum plurimorum.
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum; OTIUM.

PRO FERIA QUINTA.

Non immiſcere ſe in tumultuoſæ, negotioſæque vitæ genus, ſed amare ſolitudinem, & ducere vitam uniformem, ac regularem.
Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: REGULARITAS.

PRO FERIA SEXTA.

Semper timere Deum.
Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: TIMOR DEI.

HEBDOMADA TERTIA.

Auxilia, quæ Deus nobis præſtat, ne per peccatum ſuperemur.

PRO DOMINICA.

GRATIÆ Dei actuales ad reſiſtendum tentationibus, quibus circumſepti ſumus.
Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: GRATIA ACTUALIS.

PRO FERIA SECUNDA.

Oratio, cui adhæret promiſſio nobis in neceſſitatibus ſubveniendi.
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: ORATIO.

PRO FERIA TERTIA.

Dei Præſentia, ejuſque oculi ſemper patentes, ut noſtras actiones conſiderent.
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: PRÆSENTIA DEI.

PRO FERIA QUARTA.

Vigilantia in noſmet ipſos ad evitanda pericula, & occaſiones.
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: VIGILANTIA CHRISTIANA.

PRO FERIA QUINTA.

De peculiari Dei Providentia, protectione, & auxilio in periculis.
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: PROVIDENTIA DEI.

PRO FERIA SEXTA.

De peculiari protectione Beatiſſimæ Virginis, & Angelorum Cuſtodum.
Vide III. Tomum Myſteriorum,

HEBDOMADA QUARTA.

Remedia, quæ nobis ſuppetunt ad reſurgendum poſtquam lapſi ſumus.

PRO DOMINICA.

SINCERA pœnitentia peccatorum.
Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: PŒNITENTIA.

PRO FERIA SECUNDA.

Omnia facere, ut placeamus Deo.
Vide ibid. Titulum: OPERA.

PRO FERIA TERTIA.

Fervor devotionis.
Vide in To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulum: FERVOR.

PRO FERIA QUARTA.

Palam profiteri ſe velle ſervire Deo.
Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: SERVITUS DEI.

PRO FERIA QUINTA.

Cogitatio mortis, & eorum quæ illam conſequuntur. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: MORS.

PRO FERIA SEXTA.

Vide in To. I. Bibliotheca Myſter. Theol. Titulum; NATIVITAS DOMINI, *& elige argumentum, quod tibi aptius videbitur.*

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

SEXTA ADVENTUS HEBDOMADA SECUNDA.

ADUMBRATIO.

De imitatione Jesu Christi.

Dei Filius in terram deſcendit non ſolum ut noſtram Salutem operaretur, verum etiam ut nobis præluceret exemplo in omnibus actionibus noſtris; eò uſque, ut quamvis etiam progenitores noſtri nequaquam Domini legem perfregiſſent, & nullum fuiſſet peccatum, quod eſſet expiandum; plures tamen aſſerant Doctores, de Cœlo Christum Jesum deſcenſurum fuiſſe, ut nobis ſanctæ, perfectæque vitæ præberet exemplum.

HEBDOMADA PRIMA.

Vitam ejus abſconditam imitari.

PRO DOMINICA.

Probra, quibus Judicii die Deus improperabit peccatoribus, eo quod noluerint imitari illud Exemplar, quod illis in propio Filio ſuo propoſuerat.

Vide To. II. Bibliotheca Concionatoria ſub Titulo: Judicium.

PRO FERIA SECUNDA.

De Myſterio Incarnationis. Quouſque Dei Filius ideo ſe humiliaverit, & uſquequo nos extulerit, oſtendit nobis exemplo ſuo, nos contentos eſſe debere ſtatus noſtri, ſi humili loco nati ſumus, & noſmet humiliare, ſi quo ſumus in pretio, & aliquam in Mundo dignitatem ſumus adepti.

Vide in Bibliotheca primum Tomum Myſteriorum.

PRO FERIA TERTIA.

Perfecta conſenſio Filii Dei cum voluntate Patris ſui, ſecundum hæc Regii Pſaltis verba: *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam Deus meus volui.* Oſtendendum eſt nihil nobis antiquius eſſe debere, quàm rebus in omnibus ſequi voluntatem Dei ad illius imitationem, & noſmet illi conformare. Hebr. 10.

Vide in To. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Obedientia.

PRO FERIA QUARTA.

Zelus, quem teſtatus eſt in communi vitæ conſuetudine pro ſalute hominum, & media, quibus uſus eſt ad illam procurandam, nos docent, quid nobis faciendum ſit pro ſalute proximi.

Vide To. II. Bibliotheca ejuſdem Titulo: Zelus.

PRO FERIA QUINTA.

Indulgentia, & Miſericordia, quam Dei Filius præ ſe tulit erga peccatores; illos inquirens, & curans quocumque invenire poterat, vel qui ad ipſum confugiebant, medicinam afferens non ſolum morbis corporum, verum etiam & animarum.

Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Misericordia.

PRO FERIA SEXTA.

Succeſſus Zeli, laborumque ipſius in communi vitæ conſuetudine: attraxit enim ad Patrem ſuum paucos profectò peccatores, dum viveret, ſed affluenter ſupplevit per labores, ſanctamque Apoſtolorum ſuorum converſationem.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca ejuſdem Titulum: Zelus.

HEBDOMADA SECUNDA.

Imitari debemus illud vitæ genus, quod Salvator cum hominibus converſatus inſtituit, & virtutes, quas in hac vita exercuit.

PRO DOMINICA.

Sicuti amor, quo Dei Filius homines proſecutus eſt, illum adegerit, ut ipſe etiam homo fieret, atque cum hominibus verſaretur, juxta Baruch vaticinium: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*, quod duobus expreſſit verbis dilectus Diſcipulus: *& habitavit in nobis*; ita poſſumus imitari virtutes, quas præ ſe tulit, Charitatem, Suavitatem, Zelum, Humilitatem &c. & inde percipere debemus modum converſandi cum hominibus, immo etiam cum nequiſſimis peccatoribus; quænam eſſe debeant noſtra in hujuſmodi converſationibus, conſilia, & quibus præcautionibus ſit nobis utendum. Baruch 3. Joan. 1.

Vide in hoc argumento To. IV. Bibliotheca Moral. Evang. Titulo: Societas, et Conversatio malorum, *ac in To III. Myſteriorum Titulum:* Visitatio Beatæ Mariæ Virginis.

PRO FERIA SECUNDA.

Cum Salvator inceperit vitam ſuam in ſolitudine conſueſcens cum Deo, ut ſe ſe diſponeret ad converſandum cum hominibus, atque ad id quadraginta dies jejunaverit, nos docuit exemplo, ut ad noſmet præparandos ad converſandum cum hominibus, & ad eorum converſionem procurandam, primum in ſolitudine nobis operam dandam eſſe, ut ipſi ſanctificemur. *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum Mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. Luc. 9.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Sanctitas, et Salus.

PRO FERIA TERTIA.

Charitas, quam Dei Filius erga homines præ ſe tulit, ubi inter illos verſatus eſt, nos ad illum hac in re imitandum invitat omni cum benevolentia, qua poſſumus erga proximum noſtrum. Hujus autem Charitatis conditiones ſunt, primùm hanc ſupernaturalem eſſe debere in cauſa, videlicet omnia quæ illi præſtamus officia, propter ſalutem ipſius eſſe a nobis præſtanda. 2. Charitatem hanc in extenſione ſua eſſe debere univerſalem; videlicet, nobis Chriſtiana charitate omnes homines eſſe diligendos, quicumque illi tandem ſint ſine diſcrimine regionum, fortunarum, conditionum &c. 3. Eamdem eſſe debere conſtantem in duratione ſua, & numquam nobis eſſe ceſſandum ab illius dilectione, quamcumque nobis anſam præbere poſſit oſtenſionis, odii, iracundiæ &c.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Amor, et Charitas.

PRO FERIA QUARTA.

Zelus, quem teſtatus eſt in vitæ ſuæ conſuetudine pro hominum ſalute, & media quibus uſus eſt ad illam procurandam, nobis oſtendunt quo zelo, & quibus opibus, proximi noſtri ſalutem procurare debeamus.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca ejuſdem Titulum: Zelus.

PRO FERIA QUINTA.

Miſericordia, atque Indulgentia, quam Dei Filius præ ſe ferebat erga peccatores illos conquirens, curans quoſcumque nanciſcebatur, vel qui ad illius opem confugiebant, & medicinam faciens non ſolum corporum infirmitatibus, verum etiam animarum.

Vide in To III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Misericordia.

PRO FERIA SEXTA.

Succeſſus Zeli Filii Dei, Laborumque vitæ, quam duxit in hac cum hominibus conſuetudine; ex quibus quidem dum viveret haud equidem multos per ſe traxit ad Patrem; ſed quorum numero, & multitudini affluenter ſupplevit per labores, ſanctamque Apoſtolorum ſuorum converſationem.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſdem Titulum: Zelus.

HEBDO-

Digitized by Google

HEBDOMADA TERTIA.

Quomodo imitari debemus vitam illius patientem in terra, & noſmet ad illius normam componere per obedientiam, & patientiam in tribulationibus noſtris,

PRO DOMINICA.

CUm Dei Filius pertulerit quidquid fingi poteſt pœnarum, ſitim, famem, temporum intemperiem, cui ſemet ſubjicere voluit; nos ſuo docet exemplo patienter ſuſtinere labores, & ærumnas vitæ hujus per omnium ſenſuum mortificationem.

Vide in To. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: POENITENTIA.

PRO FERIA SECUNDA.

Charitas ejus fecit, ut ſuſtineret eorum defectus, quos voluit trahere in ſequelam ſui, cujuſmodi fuit rudis Apoſtolorum ſuorum craſſities, ingratitudo eorum, quos ſibi beneficiis devinxerat, contradictio eorum, quibus ſalutaria monita præbebat, quod locum præbet Sermoni de Charitate, quæ ſita eſt primùm in perferendis Proximi defectibus, ſecundò in procurandis quibuſcumque bonis, quæ pro virili poſſumus; quod Apoſtolus duplici verbo complexus eſt. *Charitas patiens eſt, benigna eſt.*

Vide To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulo: CHARITAS, ET AMOR PROXIMI.

PRO FERIA TERTIA,

Conſiderandum eſt, quid Dei Filius paſſus fuerit ab invidentibus ſibi, Scribis, & Phariſæis, injurias, aculeatas irriſiones, calumnias, quibus adniſi ſunt illius exiſtimationi officere, & miraculis ejus nebulam offundere. Ut illum in re hac imitemur ſemper munere noſtro defungi debemus, & hominum ſermones contemnere, eorumque calumnias &c.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: AMOR INIMICORUM, *nec non* DETRACTIO, *& in IV. Titulum:* RESPECTUS HUMANUS.

PRO FERIA QUARTA.

Meditari contumelias, quas in perſona ſua paſſus eſt. Illum capere, retinere, vincire tamquam inſipientem voluerunt; habitus fuit tamquam dæmoniacus, ad Judices adductus fuit &c. quod ille heroica patientia ſuſtinuit, & quod ipſi poſſumus imitari in omnibus perſecutionibus, & indignitatibus, quas ab hominibus patimur.

Vide To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulo: AMOR INIMICORUM, *III. Titulo:* PATIENTIA, *& IV. Titulo:* TRIBULATIONES.

PRO FERIA QUINTA.

Dei Filius pertulit criminationes, falſa teſtimonia contra ſe lata, tunc ſolum modeſte diluens crimina, cum doctrina ſua impetebatur, vel cum ea quæ falſo de ipſo afferebantur, ſcandalum inferebant. Quod locum præbet loquendi de noſtræ exiſtimationis cura, cum falſis nominibus laceſcitur ſecundum illa Scripturæ verba. *Curam habe de bono nomine.*

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: DETRACTIO.

PRO FERIA SEXTA.

Quamvis non omnes imitari poſſint Salvatorem in Morte, atque ſuppliciis Paſſionis ejus, cum hoc proprium ſit Martyrum dumtaxat, debemus tamen omnia ſuſtinere mala, & dolores ſpiritus, & corporis; infirmitates, & funeſtos caſus, qui nobis & a Deo, & ab hominibus incidunt.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: TRIBULATIONES.

SEPTIMA ADVENTUS ADUMBRATIO.

De Temporis uſu.

DESUMPTIS pro themate his Apoſtoli verbis: *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere: nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cum credidimus;* Quandoquidem Eccleſiæ mens eſt nos diſponendi ad Salvatoris Adventum, ad quod nihil aptius invenit, quàm dicere, hoc tempus eſſe, quo propior eſt noſtra Redemptio. Bonus temporis uſus in hoc ſitus eſt; primum habita temporis elapſi ratione, quamvis non ſit amplius in noſtra poteſtate, illud redimere, & inde haurire præcepta pro futuro, & factam a nobis jacturam reparare. Secundò ratione temporis præſentis; hoc uti debemus in bonis faciendis operibus, & videndo quid nobis deſit, & quid debeamus acquirere. Tertiò ratione temporis futuri, quod prudenter prævidendum eſt, & diligenter præcavendum ad evitanda pericula æternæ ſalutis. Rom. 13.

HEBDOMADA PRIMA.

Præteritum reparare,

PRO DOMINICA.

SERMO de Judicio, in quo maximus reproborum dolor, & acerrima quæ illis fiet exprobratio, erit, neglexiſſe tempus ſibi ad ſalutem ſuam operandam conceſſum.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: JUDICIUM EXTREMUM.

PRO FERIA SECUNDA.

Sermo erit de temporis natura, quod eſt menſura vitæ noſtræ, noſtræque æternitatis. Ubi oſtendere poſſumus; 1. nihil nobis eſſe debere antiquius tempore; 2. nihil amitti poſſe facilius, & cujus jactura nullum nobis faceſſit negotium, 3. Cum præſertim nulla nobis gravior eſſe debeat jactura, quàm temporis.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: TEMPUS.

PRO FERIA TERTIA.

Præteritum per ſinceram pœnitentiam reparandum eſt; quæ primum conſiſtit in vero peccatorum noſtrorum dolore; 2. in ſincera vitæ mutatione. 3. & in perfecta per congruam ſatisfactionem expiatione.

Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: POENITENTIA.

PRO FERIA QUARTA.

Malum, cui noſmet objicimus procraſtinantes converſionem, & pœnitentiàm uſque in mortem freti tempore, quod non eſt in poteſtate noſtra, & quod fortaſſe numquam ſumus habituri.

Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: POENITENTIÆ PROCRASTINATIO.

PRO FERIA QUINTA.

Fervor in cultu Dei eſt ratio vera brevì reparandi tempus criminum noſtrorum, quod alioquin reparare non poſſumus niſi longo annorum intervallo. In fervore enim tria hæc bona poſſumus invenire, 1. nobis ſternit viam Cœli, atque virtutis. 2. efficit, ut brevi magis progrediamur in via perfectionis, quam ſi pluribus annis vitam communem duceremus. 3. facit ut in Dei famulatu perſeveremus & ſtadium feliciter percurramus uſque ad finem, quæcumque nobis occurrant difficultates in exercitatione pœnitentiæ.

Vide in To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulum: FERVOR.

PRO FERIA SEXTA.

Delendum eſt per Pœnitentiæ Sacramentum malum, quod tempore præterito fecimus, neque illius meminiſſe, niſi ut doleamus, & illud expiemus.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: CONFESSIO.

HEBDOMADA SECUNDA.

Bene uti tempore præſenti.

PRO DOMINICA.

VEra prudentia nos docet bene uti tempore præſenti, quod unum noſtrum dicere poſſumus; non
Apoc. 10. autem in futuro confidere, quo fortaſſe cárituri ſumus. *Et tempus non erit amplius.*

Vide in To. IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Tempus.

PRO FERIA SECUNDA.

Cum præſens tempus illud ſit unum, de quo valeamus diſponere, eodem uti debemus in bonorum operum praxi ad redimendum præteritum, atque utiliter ſaluti noſtræ cooperandum ſecundum illud Scripturæ verbum:
Joan. 9. *Veniet enim nox, quando nemo poterit operari*, cum ipſi etiam Beati aliquo in ſenſu doleant, & cupiant melius inſumpſiſſe tempus ad augenda ſua merita.

Vide To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulo: Opera, *&* *IV. Titulo:* Tempus.

PRO FERIA TERTIA.

Sermo poteſt inſtitui ſecundum Veteris cujuſdam Auctoris Verba aſſerentis, pleroſque homines triplici modo temporis ſui jacturam facere: primùm nihil agendo; ſecundò faciendo ea, quæ mala ſunt; tertiò faciendo aliud quidpiam præter ea, quæ facere tenentur.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Tempus.

PRO FERIA QUARTA.

Tempore non poſſumus uti melius, quàm perfungentes Officii ſtatus, ad quem Deus nos evocavit.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Vocatio.

PRO FERIA QUINTA.

Regere conſcientiam noſtram, & noſmet adducere in hac vita in eum ſtatum, in quo eſſe cuperemus in mortis articulo, cum proximi erimus ad comparendum coram Deo.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Conscientia.

PRO FERIA SEXTA.

Vitam ducere regularem, cujus tempus optime diſtributum ſit pro ſingulis Religionis officiis, pro negotiis, & iis, quæ in proximi gratiam præſtanda ſunt.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Regularitas.

PRO TERTIA, ET QUARTA HEBDOMADA.

In anteceſſum tempus futurum prævertere Chriſtiana proviſione.

PRO DOMINICA.

SE ſe committere divinæ Providentiæ pro futuro tempore in iis, quæ ad temporalia pertinent negotia, poſt rationabilem curam, ac tempus implicitum, ut felicem exitum nanciſcantur.

Vide in To. I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Providentia.

PRO FERIA SECUNDA.

Diſponere rebus ſuis in vita, ut poſt mortem nullæ relinquantur hæredibus litium cauſæ; jure teſtamenti omnium contentionum ſemina auferendo.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Discordia.

PRO FERIA TERTIA.

Præmunire ſe contra tentationes, & periculoſas occaſiones, quæ iterum nos immergere poſſunt in ea flagitia, ex quibus divina miſericordia fuimus erepti.

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum; Occasiones, *& in IV. Titulum:* Tentationes.

PRO FERIA QUARTA.

Sæpe cogitare de Morte, & iis, quæ mortem conſequuntur, cum nobis perſuaſum ſit, qualitatem Mortis ſeu bonæ, ſeu malæ pendere a vitæ qualitate.

Vide To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulo: Mors,

PRO FERIA QUINTA.

Sæpe meditari, hærere nos inter beatam, & miſeram æternitatem, quin ſciamus, quænam futura ſit poſt vitam ſors noſtra, ſed maximum, & unicum nobis eſſe debere negotium, certam facere æternam ſelicitatem, quam poſt mortem ſperamus.

Vide To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulo: Salus.

PRO FERIA SEXTA.

Conſulere rationi, quam Deo reddituri ſumus in Extremo Judicio.

Vide To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulo: Judicium Extremum.

PRO DIE NATIVITATIS DOMINI.

Vide To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulo: Nativitas.

Si qua præterea ſupereſt dies, pro argumento deſumi poteſt felicitas, quam poſt hanc vitam ſperamus, & quæ merces futura eſt laborum noſtrorum; Ad quod pertractandum argumentum non deerit rerum ſupellex in To. I. ejuſdem Titulo: Beatitudo.

OCTAVA ADVENTUS ADUMBRATIO.

De ſecundo Salvatoris Adventu in Animam Fidelium.

SAnctus Bernardus in ſermone quodam pro Adventu tres diſtinguit Adventus Filii Dei in Terram, quorum primus præteriit, alter præſens eſt ſingulis vitæ noſtræ momentis, & tertius, qui futurus eſt in fine ſæculorum, cum tamquam Judex Supremus venturus eſt ſingulos homines judicaturus. Primus fuit noſtræ ſelicitatis exordium, & accidit in plenitudine temporum. Tertium expectamus, ut noſmet diſponamus ſecundo, qui quotidie fit in nobis, & qui eſſe poterit argumentum Sermonum integri Adventus. Videlicet Dei Filius naſcitur, novamque accipit vitam in anima Juſtorum, efficiens, ut illi ipſi Sanctam, ſupernaturalem, & prorſus divinam ducant vitam per gratiam Sanctificantem, quæ nobis applicat meritum primi Adventus, & nos contra ſeveritatem tertii confirmat. Ad peculiarem hunc Adventum fert animus vos præparare per omnes cujuslibet hebdomadæ Sermones.

HEBDOMADA PRIMA.

PRO DOMINICA.

EX omnibus Argumentis deligi unum poteſt, quod peculiariter attingat diſcrimen inter primum, extremumque Judicium.

Hoc autem hauriri poteſt ex prima Quadrageſima Dominica.

PRO FERIA SECUNDA.

Dei Filius in hoc Adventu Peculiari in corda noſtra præſefert eamdem ſollicitudinem veniendi ad nos, quam præſetulit, cum venit pro univerſis hominibus generatim. Etenim ille prior quærit nos gratiis actualibus; a. extremam præſefert patientiam in perferendis repulſis, & præſtolando donec illi aperiamus aditum in cordibus noſtris. Hoc non ſolum excitare debet confidentiam noſtram in illius Miſericordia; verum etiam inſpirare debet extremam formidi-

mitudinem, ne hac eadem abutamur miſericordia, quod illud à nobis arceret.

Vide To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: MISERICORDIA.

PRO FERIA TERTIA.

De altero hoc Filii Dei in animas noſtras Adventu, id dici poteſt quod Eccleſia dicit de primo, cum venit in terram. *Sic Deus dilexit Mundum, ut filium ſuum Unigenitum daret*; quandoquidem comparaturi duplicem hunc Adventum, & Nativitatem, oſtendere poſſumus Dei Filium in utraque parem nobis teſtari charitatem. 1. quia hic amor eſt gratuitus, quin aliquid ſit in nobis, quod ipſum cogere valeat, ut nobis hanc gratiam largiatur. 2. hic amor eſt prælationis; quamvis enim omnibus hanc vitam valeat communicare, per quam ipſe naſcitur in nobis, hanc tamen non communicat longe pluribus, qui eamdem ſemel per Baptiſmum receptam amiſerunt. Tertiò hic amor eſt integerrimus; etenim numquid indiget noſtri? Quomodo de illo poſſumus bene mereri? Hæc ex parte illius mera liberalitas eſt, ex noſtra verò neceſſitas profitendi, nos incomparabili affectos eſſe beneficio. Verum ſæpe, quin nos illi gratias pro tanto munere perſolvamus, in hoc altero adventu cum eodem contemptu, eademque indignitate recipitur, qua receptus fuit à Judæis, ubi voluit naſci inter illos. Joan. 3.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſdem Titulum: AMOR DEI.

PRO FERIA QUARTA.

Oſtendi poteſt præſtantia novæ hujus vitæ, quam nobis tribuit Salvator ipſe naſcens in anima noſtra, & ad id oſtendere oportet ad quam dignitatem nos extollat gratia, quæ noſtram conſtituit juſtitiam, & ſanctitatem, per fœdus, quo nos cum Divinitate conjungit, per qualitatem Filiorum Dei, per adoptionem, & titulum cohæredum cum Filio Dei.

Vide To. I. Myſteriorum Auctoris Sermonum omnia argumenta.

PRO FERIA QUINTA.

Quibus bonis, & prærogativis noſmet privemus, detrectantes recipere in nobis illum, qui vita eſt animarum noſtrarum, & qui naſcens in nobis per gratiam novam creat in nobis ſpiritum, & cor novum. Sed hunc recipere detrectamus, cum actualem recipimus gratiam, & amittimus juſtificantem.

Vide in To. II. Bibliotheca ejuſdem Titulum: GRATIA.

PRO FERIA SEXTA.

Quas Deo grates pro tanto beneficio debeamus.

Vide ibid. Titulum; GRATIA.

HEBDOMADA SECUNDA.

Præcipuæ prærogativæ, quas ex ſecunda hac nativitate conſequimur.

PRO DOMINICA.

HUJUS gratiæ effuſio nos ſanctificat, non ſolum per ſemet, verum etiam nos ad ſanctitatem impellit, cogitne, ut Chriſtianam vitam ducamus, & mereamur Sanctorum nomen cum nomine Chriſtianorum.

Vide To. IV. Bibliotheca Moral. Evang. Titulo: SANCTITAS.

PRO FERIA SECUNDA.

Quemadmodum cibus neceſſarius eſt ad vitam naturalem fovendam, ita ad alendam vitam animarum noſtrarum, quam nobis Salvator impertit nobis conformem alimoniam ſuppeditavit, æternas videlicet veritates, divinum Verbum, & proprium Corpus ſuum.

Vide in To. IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; VERBUM DEI, *& in To. II. Bibliotheca Myſt. Theol. Titulum*: EUCHARISTIA.

PRO FERIA TERTIA.

Cum Fides ſit vitæ ſupernaturalis principium, hæc efficit, ut per Charitatem operemur, ut Sanctus Paulus ait: atque, ut idem loquitur, *præſtat* CHRISTUM *habitare per fidem in cordibus noſtris.* Ephes. 3.

Houdry Biblioth. univerſ. To. poſtremus.

Vide To. II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulo: FIDES.

PRO FERIA QUARTA.

Incertitudo, in qua vivimus, utrum alteram hanc nativitatem acceperimus, & utrum Dei Filius vivat in nobis, continere nos debet in jugi metu, & humilitate; ſed etiam moralis certitudo quam habere poſſumus excitare nos debet ad bene vivendum, & magnam adhibendam vigilantiam, ut divinam hanc vitam tueamur.

Vide To. II. Bibliotheca ejuſdem Titulo; GRATIA HABITUALIS, *& IV. Titulo*: SANCTITAS.

PRO FERIA QUINTA.

Ad cognoſcendum, utrum moraliter divinam hanc vitam habeamus, & utrum JESUS CHRISTUS vivat in nobis: re adhuc integra præſupponendum eſt, vitam, cum non aliud ſit, quàm motus, cujus principium eſt in nobiſmet ipſis, in ſubjecto animato totidem eſſe vitæ genera, quot actionum genera videmus, & quot diverſi motus extrinſecus videntur. Exempli gratia, motus quem videmus in plantis, per quem ſuos caules attollunt, & ramos extendunt, vocatur vita vegetativa; & ab interiori principio procedit, ſine quo nihil producere poſſent. Eadem de cauſa, motus, quos videmus in brutis animantibus, quo feruntur ad quærendum quod ſibi proprium eſt, & fugiendum, quod ſibi officit, præſupponit animam ſenſu præditam, quæ illis nobiliorem, quam arboribus vitam ſuppeditat. Sed homo præter duo hæc vitæ genera tertium habet toto Cœlo perfectius, quoniam cogitat, & ratiocinatur, quod non niſi ex principio mere ſpirituali proficiſci poteſt. Quartum etiam vitæ genus cognoſcere poſſumus, prioribus tribus longe præſtantius; cum videlicet actiones facimus præter naturam, vel quæ naturæ oppoſitæ ſunt, vel ſaltem ſuperiores viribus naturæ; atque tunc moraliter cognoſcere poſſumus, JESUM CHRISTUM in nobis habitare per Spiritum ſanctum, cum Sanctam ducimus vitam per praxim virtutum omnium Chriſtianarum; cum excolentes virtutes omnes Chriſtianæ Religionis proprias, & noſmet ſaginantes eadem Salvatoris carne vitam ducimus naturali ſuperiorem, vitam prorſus Cœleſtem, atque divinam.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſdem Titulum; SANCTITAS.

PRO FERIA SEXTA.

In primitivis Eccleſiis nullum erat diſcrimen inter Nomen Chriſtiani, & Sancti, quemadmodum in Epiſtolis teſtatur Apoſtolus; vita enim primorum Fidelium Sancta erat, & ſupernaturalis, per quam gratiam Baptiſmi conſervabant, & per quam JESUS CHRISTUS in illis vivebat. Sed in præſentiarum omnia immutata ſunt; gerimus quidem nomen Chriſtiani, ſed vita ducitur prorſus pagana. Noſtris obſequimur cupiditatibus; gloriamur adhærere Mundi placitis, legeſque Evangelicas nullo in diſcrimine habemus; quæ ſunt argumenta, ex quibus colligimus JESUM CHRISTUM non amplius vivere in pleriſque Fidelium, & hos ut plurimum non vivere amplius vita JESU CHRISTI.

Vide in To. III. Bibliotheca ejuſdem Titulum: MUNDUS *& To. II. Titulum*: CONSUETUDO.

TERTIA HEBDOMADA

Diſpoſitiones adhibendæ in hoc ſecundo Adventu Filii Dei in animas noſtras.

DISPOSITIONES REMOTÆ

PRO DOMINICA.

CUM Deus, & Mundus ſibi invicem infinite oppoſiti ſint, primum auferenda eſt hæc oppoſitio per vitæ Sanctitatem, & praxim Chriſtianarum virtutum. Neque enim licet habere Mundi Spiritum, vivere ſecundum mores illius, ejuſque placitis inhærere, quin, ut ita dicam, extrudatur ex animabus noſtris Spiritus Dei, & prohibeatur, ne Dei Filius in corda noſtra ingrediatur.

Vide in To. IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; SANCTITAS.

PRO FERIA SECUNDA.

Altera diſpoſitio remota, & neceſſaria huic Adventui Salvatoris in nos eſt pœnitentia; quam ipſam diſpo-

Digitized by Google

ſitionem a Judæis requirebat Præcurſor per hæc verba: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum Cœlorum.*

Vide Tom. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo; Pœnitentia.

PRO FERIA TERTIA.

Tertia diſpoſitio eſt abdicare veteres habitus, & vitam ducere prorſus aliam a præterita. Hoc exigebat Apoſtolus a primis Fidelibus, cum illos hortabatur, ut exuerent veterem hominem, ac novum induerent, & expurgarent ve-
1. Cor. 5. tus fermentum, *expurgate vetus fermentum &c.* quia Filius Dei poſtulat Spiritum novum, ut cordium noſtrorum adeat poſſeſſionem.

Vide in Tomo II. Bibliotheca ejuſdem Titulum: Habitus.

PRO FERIA QUARTA.

Quarta diſpoſitio eſt, non adhærere ultra bonis terræ.
ad Epheſ. 5. Hæc enim ex Apoſtolo eſt *Idolorum Servitus.* Veri enim Dei Cultus cum adeo execrabili cultu ſimul eſſe non poteſt.

Vide in Tomo I. Bibliotheca ejuſdem Titulum: Divitiæ.

PRO FERIA QUINTA.

Quinta diſpoſitio eſt abdicare illicitas voluptates, quibus ſe ingurgitant illi, de quibus teſtatur Apoſtolus: *Quo-*
Philipp. 3. *rum Deus venter eſt.*

Vide in Tomo II. Bibliotheca ejuſdem Titulum: Impudicitia.

PRO FERIA SEXTA.

Denique ſexta diſpoſitio eſt nuntium mittere pompis Mundi, inanibus honoribus, ambitioni, quæ ex diametro adverſatur Humilitati Filii Dei.

Vide in Tomo I. Bibliotheca ejuſdem Titulum: Ambitio.

HEBDOMADA QUARTA.

Diſpoſitiones proximæ, ut nos præparemus ad recipiendum Dei Filium venientem in animas noſtras,

PRO DOMINICA.

Oſtendere poſſumus, Fidem in Jesum Christum, quæ in lege veteri erat diſpoſitio ad illum recipiendum in terram venientem, eximiam eſſe quoque in lege Evangelica. Sed hanc eſſe debere practicam, & uberem bonis operibus, ſine quibus fides mortua eſt juxta San-
Jacobi 2. ctum Jacobum Apoſtolum: *Fides ſine operibus mortua eſt.*

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Fides.

PRO FERIA SECUNDA.

Ardens deſiderium recipiendi, & ſublimis æſtimatio incomparabilis boni, quod recepturi ſumus per ejus adventum in animas noſtras, & diſpoſitio, quæ illum cogere poteſt, ut maturet adventum ſuum; & in hoc imitari debemus Sanctos legis antiquæ, & cum ardenti affectu
Iſaiæ 64. Pſal. 41. cum illis dicere: *Utinam diſrumperes cœlos, & ipſe venires;* & cum Regio Pſalte: *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant Juſtum.*

Vide To. II. Bibliotheca ejuſdem Titulo: Gratia.

PRO FERIA TERTIA.

Oſtendere poſſumus, humilitatem, & annihilationem ſui conjunctam cum plena in Deum confidentia, nos egregie diſponere ad Salvatoris Adventum in nos; juxta Prophe-
Pſal. 33. tæ teſtimonium: *Et humiles ſpiritu ſalvavit.*

Vide To. II. Bibliotheca ejuſdem Titulo: Humilitas.

PRO FERIA QUARTA.

Ubi ſemel ita felices ſumus, ut poſſideamus Jesum Christum per Charitatem, tunc nobis opus eſt ferventis devotionis, & fidelitatis conſtantis, ut illum in animabus noſtris retineamus, certique conſilii amittendi potius omnia, ipſamque vitam, quàm patiendi, ut ille recedat a nobis per mortale peccatum, dicentes cum Sancto: *Quis*
ad Rom. 8. *nos ſeparabit a Charitate* Christi.

Vide To. I. Bibliotheca ejuſdem Titulo: Devotio.

PRO FERIA QUINTA.

Ad tutius ſervandam gratiam Adventus Salvatoris in nos, recedendum nobis eſt a ſæculi impedimentis; nam in ſeceſſu, atque ſolitudine facilius a Deo impetrare poſſumus gratias; ibique ille eas libentius nobis communicat. *Ducam eam in Solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Oſee 2.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Solitudo.

PRO FERIA SEXTA.

Per crebra, quæ cum Deo habemus colloquia in Oratione, fovemus in animabus noſtris ſanctum ejuſdem amorem; Oratio enim talem habet efficientiam, ut Cœlos penetret. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrat.*

Vide To. III. Bibliotheca ejuſdem Titulo: Oratio.

NONA ADVENTUS

ADUMBRATIO.

De Officiis Chriſtifidelis.

HEBDOMADA PRIMA.

De Officiis erga Deum,

PRO DOMINICA.

De Timore Dei qui futurus eſt Judex noſter.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Timor Dei.

PRO FERIA SECUNDA.

De Amore Dei, qui Primum eſt, & maxime Eſſentiale omnium Officiorum noſtrorum.

Vide in Tomo I. Bibliotheca ejuſdem Titulum: Amor Dei.

PRO FERIA TERTIA.

De Confidentia in Deo in omnibus neceſſitatibus noſtris.

Vide in Tomo I. Bibliotheca ejuſdem Titulum; Confidentia.

PRO FERIA QUARTA.

De Præſentia Dei.

Vide in Tomo III. Bibliotheca ejuſdem Titulum; Præſentia Dei.

PRO FERIA QUINTA.

De Chriſtiana perfectione; Semper creſcendum eſſe in Virtute, & Sanctitate.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca ejuſdem Titulum: Sanctitas.

PRO FERIA SEXTA.

Evitandas eſſe minimas Dei offenſiones, & peccata venialia.

Vide in Tomo III. Bibliotheca ejuſdem Titulum: Peccatum veniale.

HEBDOMADA SECUNDA.

De Officiis erga proximum.

PRO DOMINICA.

De Charitate erga Proximum.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Amor, et Charitas.

PRO FERIA SECUNDA.

De nemine temere judicandum eſt.

Vi-

Digitized by Google

Vide in Tom. II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: JUDICIUM TEMERARIUM.

PRO FERIA TERTIA.

Proximo auxilium ferendum eſt per eleemoſynam, quæ opes ſanctificat.
Vide in Tomo II. Bibliotheca ejuſd. Titulum: ELEEMOSYNA.

PRO FERIA QUARTA.

De bono Exemplo omnibus præbendo.
Vide in To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulum: EXEMPLUM.

PRO FERIA QUINTA.

Æs alienum diſſolvendum eſt.

PRO FERIA SEXTA.

De lenitate, & manſuetudine erga omnes.

HEBDOMADA TERTIA

De Officiis Chriſtifidelis conſiderati in vita civili.

PRO DOMINICA.

QUomodo conciliari poſſunt vitæ civilis officia cum officiis Religionis, in verba illa: *Tu, quis es?* Chriſtiani ſumus, & gradum aliquem obtinemus in civitate.
Vide in To. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: OFFICIA STATUS.

PRO FERIA SECUNDA.

De cura, quæ nobis eſt noſtræ exiſtimationis gerenda.

PRO FERIA TERTIA.

De ſinceritate, & bona fide
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: MENDACIUM.

PRO FERIA QUARTA.

Ingenium indolemque noſtram vincendam eſſe, ut vitam ſociabilem, atque Chriſtianam ducamus.
Vide in To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulum: INDOLES, NATURA, TEMPERAMENTUM.

PRO FERIA QUINTA.

Ut ſociabilem vitam ducamus, vincendi ſunt affectus noſtri, & iſte præſertim, qui dominatur in nobis.
Vide in Tomo I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: AFFECTUS.

PRO FERIA SEXTA.

De officiis Inferiorum erga Superiores.
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: OFFICIA STATUS.

HEBDOMADA QUARTA

De officiis Hominis Chriſtiani conſiderati tamquam privati, & domi ſuæ.

PRO DOMINICA.

QUILIBET Fidelis vitam frugi, ac regularem vivere debet.
Vide in To. II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: REGULARITAS.

PRO FERIA SECUNDA.

Quomodo in matrimonio Chriſtiana vita ducenda ſit.
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: MATRIMONIUM.

PRO FERIA TERTIA.

De Parentum Officiis erga Filios.
Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum. EDUCATIO.

PRO FERIA QUARTA.

De Officiis Filiorum erga Parentes.
Vide in To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulum: FILII.

PRO FERIA QUINTA.

De Cura, quam Domini gerere debent famulorum ſuorum.
Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: DOMINI, ET FAMULI.

PRO DIE NATIVITATIS JESU CHRISTI.

Eligi poteſt argumentum, quod aptius videbitur ex illis, quæ in To. I. Bibliotheca ejuſd. allata ſunt.

DECIMA ADVENTUS ADUMBRATIO.

De Pœnitentia.

Quamvis elapſi ſæculi Concionatores paſſim pro Adventus ſui Argumento uſurpaverint Pœnitentiam, quod momentaneam prædicare dicebatur; tamen Argumentum hoc ita poteſt pertractari, ut hoc etiam ſæculo noſtro faſtidium minime pariat.

PRIMA HEBDOMADA.

Quid ſit Pœnitentia, & in quo ſita ſit.

PRO DOMINICA.

DE Judicio illis, qui peccatorum ſuorum dignam fecerint in vita pœnitentiam nihil timendum eſſe illo die.
Vide To. II. Bibliotheca Concionatoris Titulo: JUDICIUM.

PRO FERIA SECUNDA.

Pœnitentia virtus eſt per quam peccator deteſtatur peccata ſua, quatenus ſunt offenſio Dei; & firmum, atque efficax init Conſilium expiandi illa, & in poſterum ab illis abſtinendi. Hæc melior eſt Definitio, quam Theologi tradant, ex qua liquet, Primùm non ſatis eſſe, ſincerum habere dolorem, & acri percitum eſſe peccatorum ſuorum pœnitentia, niſi accedat congrua ſatisfactio divinæ Juſtitiæ facta. Secundò neque ſatis eſt, ut volunt Hæretici peccatum per veram, ſinceramque vitæ, morumque converſionem relinquere; niſi peccata expientur pœnis ultro ſuſceptis, mortificationibus, oratione, jejunio, aliiſque operibus bonis interioribus, exterioribuſque; ad reparandam illatam divinæ Majeſtati contumeliam.
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum: POENITENTIA.

PRO FERIA TERTIA.

Illuſiones pœnitentiæ. Nihil æque familiare in mundo eſt, quàm decipi, ubi agitur de Pœnitentia. Quamobrem, ex Tertulliani Sententia, nihil propius ad examen revocat Deus, quam nummos, quorum pretio Cœlum comparamus. Præcipuæ vero in hoc argumento illuſiones hæ fere ſunt. Prima eſt Credentium ſufficere abſtinere a peccatis, quin expiare ſatagant perpetrata; quæ eſt Hæreticorum ſententia. Altera eorum eſt, qui levem adeo pœnitentiam agunt, ut alia indigeant pœnitentia ad priores defectus reparandos. Tertia eorum eſt, qui nimis de divina præſumentes miſericordia, expectant, inquiunt gratiam efficacem ad vitæ mutationem, cum Deus illis ad id præbeat tantum ſufficientem.
Vide in To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulum. POENITENTIA.

PRO FERIA QUARTA.

Fallax eſt pœnitentia, niſi fiat mutatio mentis, cordis, & morum. Primò mentis; contemnendo ea omnia quæ in ſtatu peccati nobis erant in pretio, & plurimi faciendo, quæ contempſeramus. Secundò cordis; abhorrendo ab iis, quæ amaveramus, & amando, quæ oderamus. Tertiò morum; fugiendo ea, quæ antea facere conſueveramus; & faciendo ea, quæ fugiebamus.
Vide memoratum Bibliothecæ Tomum, ac Titulum.

PRO

PRO FERIA QUINTA.

Veræ pœnitentiæ argumenta. Quamvis nobis deſint certa converſionis noſtræ argumenta; poſſumus tamen moralem aliquam habere certitudinem. Quorum tria in medium præfero, quæ triplicem ſermonis partem efficere poſſunt. Primò ſi vitæ rationem immutaverimus, & ſi primum flagitiis abditi, modo contrarias virtutes exerceamus. Secundò ſi vigili attentione nobiſmet caveamus ne ulterius incidamus in ea crimina, in quæ adeo libere ferebamur. Tertiò ſi ſtrenue reſiſtamus tentationibus, & fugiamus occaſiones, pravaſque ſocietates, & humanos reſpectus conculcemus.

Vide ſuperius allatum Bibliotheca locum.

PRO FERIA SEXTA.

Verum nos in virtutis via conſtituendi medium, & conſulendi noſtræ mobilitati, eſt amplecti, ſin minus Religionis ſtatum, ſaltem eum vitæ ſtatum, in quo vitam ducere valeamus regulariter inſtitutam, ædificantem, & prorſus oppoſitam illi, quam antea duximus.

Vide To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: REGULARITAS.

HEBDOMADA SECUNDA

Neceſſitas agendi pœnitentiam, & media illam recte agendi.

PRO DOMINICA.

Luc. 13. INEVITABILIS eſt pœnitentiam agendi neceſſitas: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Neceſſitas hæc hauritur ex tribus principiis, de quibus inter Theologos conſtat. Primum eſt in quolibet mortali peccato duo inveniri, culpam, & pœnam. Culpa proprie eſt injuria facta Deo; pœna verò eſt obligatio ſatisfaciendi peccato. Principium alterum eſt, poſſe Deum dimittere culpam, quin pœnam remittat. Tertium denique eſt Deum nunquam ex integro, & abſolute peccatum dimittere, niſi ſuæ juſtitiæ fiat ſatis.

Vide To. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulo: POENITENTIA.

PRO FERIA SECUNDA.

Oſtendere poſſumus neminem non poſſe agere pœnitentiam.

Nobiles, & divites illam agere poſſunt redimentes peccata ſua operibus miſericordiæ, pauperes patienter ferendo pœnas, & labores ſtatui ſuo inhærentes; & peccatores ipſi maxime conclamati agere poſſunt pœnitentiam; habent enim ad id gratiam ſufficientem, & Deus ſemper paratus eſt, ut illis miſereatur ad ſe revertentibus, quemadmodum teſtatur Evangelium: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Matth. 9.

Vide locos ſuperius allatos.

PRO FERIA TERTIA.

Pœnitentiam agendi tanta non eſt difficultas, quanta exiſtimatur. Temperamentum, infirmitas paupertas; excuſationes ſunt vanæ, & inutiles. Ægra uteris valetudine: fac eleemoſynam. Pauper es, & ſtipem erogare non vales; patienter ſuſtine paupertatem. Infirmus es; infirmitas ipſa valida eſt pœnitentia, ſi illam offers Deo ſimul cum Cruce Salvatoris. Deo ſufficit quidquid illi poſſumus offerre, & nihil a nobis ultra vires expetit.

Vide locos eoſdem.

PRO FERIA QUARTA.

Oſtendere poſſumus rem periculi plenam eſſe de divina miſericordia præſumere, ubi agitur de pœnitentia, & nobiſmet polliceri futurum, ut nobis recipiendis præſto ſit; & omnia a noſtra voluntate pendere: etenim inanis hæc confidentia ex parte noſtra magnum eſt præjudicium, nobis gratiam hanc negatum iri propter noſtram præſumptionem.

Vide locos ſuperius memoratos.

PRO FERIA QUINTA.

Loqui poſſumus de finali impœnitentia, & oſtendere triplicis eſſe generis. Primò alia eſt impœnitentia deſperationis, quæ proficiſcitur inde, quia Dei Juſtitiam inexorabilem eſſe arbitramur; & peccata noſtra tanta eſſe, ut venia ſperari non poſſit: *Major eſt iniquitas mea, quàm ut*
Geneſ. 4. *veniam merear.* Alia eſt impœnitentia præſumptionis, quæ inde oritur, quia ſuperbus peccator ratus, fore ut Deus tempore ſuo gratiam tribuat efficacem ſeſe convertendi, ita confidit, ut in fallaci hac pereat confidentia. Tertia eſt impœnitentia incuriæ, & negligentiæ inde profecta, quod peccator cunctatur, & in craſtinum diem differt pœnitentiam, deterritus ab ingreſſu viæ adeo aſperæ, & arduæ qualis eſt pœnitentia.

PRO FERIA SEXTA.

Sermo fieri poteſt de reſiſtentia gratiæ, ac oſtendi, quamvis inobedientia afflatibus Dei nos ad pœnitentiam vocantis non ſit peculiaris noxa; illos tamen talem habere nexum cum ordine, quem ad nos ſalvandos conſtituit Deus, ut nonnulli, & illi præſertim, quibus ad pœnitentiam agendam impellimur, ſi a nobis negligantur, conjunctum habeant noſtræ ſalutis periculum.

Vide To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo, GRATIA ACTUALIS.

HEBDOMADA TERTIA

De Pœnitentiæ Procraſtinatione.

PRO DOMINICA.

INTER præcipuas pœnitentiæ qualitates recenſetur ejuſdem celeritas; quippe illam in dies differre idem eſt, ac ſubire periculum eamdem minime agendi; & ubi agatur poſtquam tandiu dilata fuit, & uſque ad mortem, fere ſemper inutilis fit pœnitentia.

Vide To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: CONVERSIO, *ac III. Titulo:* POENITENTIÆ PROCRASTINATIO.

PRO FERIA SECUNDA.

Pœnitentia eſſe debet ſincera, & proficiſci ex corde. Eſſe debet rationabilis, ac voluntaria videlicet alacriter facienda eſt, & non ſolum eſſe debet interior, ſed etiam extrinſecus ſeſe prodere debet in operibus, quæ ſunt ejuſdem effectus.

Vide To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulo: POENITENTIA.

PRO FERIA TERTIA.

Pœnitentia eſſe debet ſuprema; videlicet facta tanto cum deſiderio placendi Deo, expiando ſcelera noſtra, quantum eidem diſplicuimus illa perpetrantes. Alacriter, & animo magno, & cum omni cordis noſtri latitudine eſt ſuſcipienda.

Vide To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulo: CONVERSIO.

PRO FERIA QUARTA.

Pœnitentia continens, ac jugis eſſe debet, & in omne vitæ ſpatium produci. Non eo quod velit Eccleſia peccatorem damnare, ita ut illum jubeat cilicium geſtare, vel in arcto pane, & aqua brevi ſervare toto vitæ ſuæ ſpatio jejunium. Humana infirmitas par non eſt huic ſeveritati perferendæ; ſed mens illius eſt, ut peccator ſervet habitualem in reliquum vitæ ſpatium recordationem criminum ſuorum, ac in omni vitæ ſuæ ratione præſeferat ſanctum ſuimet ipſius odium, ſummumque pietatis fervorem pœnitentiam agendo pro viribus flagitiorum ſuorum. Hinc Sanctus Paulus ſummo dolore confectus eo quod Eccleſiam Dei perſecutus fuiſſet, dicere conſueverat: *triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo: optabam* Ad Rom. 9.
enim eſſe anathema a CHRISTO *pro fratribus meis.*

Vide To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulo: CONVERSIO.

PRO FERIA QUINTA.

Pœnitentia debet eſſe ſevera, & par magnitudini peccatorum. Quare? Quia cum nimia mollities peccatorem a Deo procul amoverit, opus eſt, ut ad Deum iterum accedat per ſeveritatem. Severa igitur, & diligens eſſe debet, alioquin enim ignaviæ noſtræ ſupplebit Deus ſive in hac, ſive in altera vita, ſi hac in re nobiſmet pepercerimus.

Vide To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulo: POENITENTIA.

PRO FERIA SEXTA.

Quemadmodum peccator in converſione, & pœnitentia ſua ſatagere debet, ut convertat cor Dei ipſius juſtiſſime irritati contra ſe, ſicut Sacer loquitur textus:
convertimini ad me, & ego convertar ad vos; ad hoc ut vera Zachar. 1.
fiat converſio, & vera pœnitentia, opus eſt, ut peccator id imitetur, quod Deus ipſe facit, ut convertat illum, atque in integram juſtificationem reſtituat. Igitur in

prio-

priori parte oſtendere poſſumus, quid ex parte ſua Deus operetur ad peccatorem in gratiam reſtituendum, & in altera, quid viciſſim ex parte ſua peccator agere debeat.

Quid operatur Deus? Primùm ſæpe præſtolatur annos integros cum invicta patientia peccatorem. Secundò illum urget, ac ſollicitat, atque etiam perſequitur. Tertiò noſtris utitur miſeriis, atque calamitatibus, & occaſionibus tædii, mærorisque, quas peccator in mundo nanciſcitur, illum ad ſervitutem ſuam revocaturus.

Quid peccatori faciendum eſt ut reſpondeat bonitati Dei ipſum prævenienti? Primùm eſt nequaquam fatigare patientiam Domini adeo proni ad miſerendum, æternis procraſtinationibus; ſed illi reſpondere celeri, ſinceroque
Pſalm. 94. reditu. *Hodie ſi vocem ejus audieritis: nolite obdurare corda veſtra.* Secundò debet ad Deum reverti ex toto cor-
Joel. 2. de; *convertimini ad me in toto corde veſtro.* Tertiò debet ſtrenue omnea obices infringere, qui ſuum ad Deum reditum prohibent, & generoſe abdicare quidquid vetat, ne illi deſerviat.

Vide To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: Conversio.

HEBDOMADA QUARTA.

Fructus Pœnitentiæ.

PRO DOMINICA.

SI Pœnitentia generatim loquendo eſſe debet rudia, & ſevera; viciſſim fructus ejus ſuaves eſſe debent, ac jucundi.

Vide To. III. Bibliotheca Moral. Evang. Titulo: Poenitentia.

PRO FERIA SECUNDA.

Oſtendere poſſumus pœnitentiam peccatoris eſſe jucundam, & glorioſam primùm Deo; deinde Eccleſiæ; tertiò denique peccatori.

Primùm Deo; primò, quia videt peccatorem, qui ſuus erat inimicus ſubditum ſibi, & ſub pedibus humiliatum. Secundò, quia videt eumdem illatam majeſtati ſuæ injuriam reparantem. Tertiò, quia Deus, *cujus natura bonitas, & opus miſericordia*, geſtit, illam effundere poſſe in peccatorem *pœnitentem*.

Jucundam Eccleſiæ. Primùm quia zelotypa gloriæ Salvatoris ſui videt injuriam ab auctore illius reparari. Secundò, quia oblectata ſalute filiorum ſuorum, complacet ſibimet videns prodigum hunc filium reſipiſcentem, ſibique obedientiam præſtantem. Tertiò, quia abrogata veterum Canonum ſeveritate de pœnitentia per miſerationem infirmitatis filiorum ſuorum, videt peccatorem per ſe ultro ingredientem in hanc viam auſteram, atque difficilem.

Tandem pœnitentia jucunda eſt, & glorioſa ipſi peccatori: Primò, quia ſtrenue perfregit obices omnes, qui ſaluti ejus adverſabantur. Secundò, quia nanciſcitur ſe medio ſumptu in Dei ſui gratiam reſtitutum. Tertiò, quia hæc eadem gratia replet cor illius ſancta unctione, quæ illum replet gaudio, & innenarrabili voluptate; quæ illi ſpem facit, ſe aliquando ad Cœli gloriam eſſe perventurum.

Vide To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulo: Poenitentia.

PRO FERIA TERTIA.

Sermo poteſt inſtitui de bonis, & fructibus, quos pœnitentia procurat peccatori in particulari, quorum primus eſt ab eadem ſæpe altius in gloria elevari, quàm ſi ſemper innocuam vitam duxiſſet propter fervorem, quem illi inſpirat. Pœnitentia alia etiam peccatori bona procurat, illius delet crimina quantumvis nequiſſima, in anima ejus reſtituit Spiritus Sancti dona, quæ priſtinum illi reddunt decorem; per eamdem merita, ex quibus exciderat peccator, reparantur; illa perfecte ſarcit amicitiam cum Deo, & ex peccatore Sanctum facit.

Vide ſuperius memoratum Bibliotheca Tomum, ac Titulum.

PRO FERIA QUARTA.

Oſtendi poteſt pax, & requies conſcientiæ, qua gaudet peccator, & verba fieri poſſunt de ſpe, quam illi facit in Dei miſericordia.

Vide Tom. III. Bibliotheca ejuſd. Titulo: Misericordia, *et I. Titulo:* Confidentia.

PRO FERIA QUINTA.

Sermo inſtitui poteſt de Pœnitentia quatenus Sacramentum eſt, ac probari hanc Legem eſſe, cui omnes peccatores ſeſe teneantur ſubjicere, *Legem divinam*, inſtitutam ab ipſo Dei Filio, *Legem juſtam*, atque ſapientem. Secundò Legem eſſe, cui ſemet ſubjicere omnium intereſt peccatorum: *Legem benignam æque ac ſeveram*, & cujus rigor tanta cum ſuavitate, & miſericordia conjunctus eſt.

Pro ſermonis argumento illud etiam deſumi poteſt, tria ad beatam Confeſſionem requiri. Opus eſſe Primò, ut ad conſcientiæ noſtræ tribunal noſmet ſontes confiteamur, & humiliter accuſemus ad evitandam damnationem, alioquin inevitabilem Judicis Supremi. Secundò concipiendum eſſe acrem criminum noſtrorum dolorem, ſi veniam conſequi cupimus. Tertiò opus eſſe, ut in noſmet animadvertamus per juſtam ſatisfactionem, congruam ſceleribus noſtris, ad evitandam ſeveram Dei punitionem a Deo aliquando exercendam.

Vide To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: Confessio.

PRO FERIA SEXTA.

Oſtendi poteſt quantum ſit malum celare, vel diſſimulare peccata in confeſſione, & in priori quidem parte probare ſilentium hoc in effectibus ſuis eſſe funeſtiſſimum, in altera verò in cauſa ſuis nullam habere rationabilem cauſam.

Vide Tomum, Titulumque eumdem.

Pro hac Feria Sexta aliud etiam aſſumi poteſt argumentum, videlicet, quo in periculo verſetur Salvus peccatoris relabentis in crimen, poſtquam cum Deo redierit in gratiam. Primò ex parte peccatoris relapſi; Secundò ex parte Dei, cujus delaſſatur patientia, & qui tandem deſerit peccatorem. Ex parte peccatoria pœnitentia fit impoſſibilis. Primò, quia poſt frequentes lapſus non afficitur ulcra, & nihil illum poteſt amplius convertere. Secundò, quia gratiæ vaſtiores, atque urgentiores carent virtute, & effectu, quem antea parere potuiſſent. Tertio propter habitum quod in ſcelere contrahit peccator poſt lapſus iteratos. Ex parte verò Dei, Primò, quia Cœli gratiæ ſemper decreſcunt in virtute, ac numero, & ſemper in lapſus ſingulos infirmiores evadunt. Secundò, quia poſtquam peccator Deum toties contempſit, ipſe quoque viciſſim contemnitur a Deo, & derelinquitur dæmoni, quem prætulit Domino. Tertiò, quia peccator cum evaſerit in proditorem, ingratum, & perfidum, Deus tandem exuit ſenſus omnes benevolentiæ, & miſerationis, quos adhuc erga reliquos fovet peccatores.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Recidiva.

XI. ADVENTUS

ADUMBRATIO.

Quin laboremus quæſituri Argumentum regulare, & affabre in dies ſingulos diſpoſitum, in ſingulis Adventus Evangeliis invenire poſſumus quinque, vel ſex Sermonum argumenta, quæ completum Adventum conficient.

PRIMA HEBDOMADA.

PRO DOMINICA.

DE Judicio, Signa, quæ illud præcedent; apparatus illius, Judicis Majeſtas, & terror malorum.

Vide To. II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulo: Judicium extremum.

PRO FERIA SECUNDA.

Examen, & diligens perquiſitio criminum quantumvis abditorum, eorumque manifeſtatio coram univerſo terrarum orbe facienda.

Vide locum ſuperius memoratum.

PRO FERIA TERTIA.

De Timore Dei, a nobis in hac vita ſervando, ne timeamus Judicium.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Timor Dei.

PRO FERIA QUARTA.

Sententia, & damnatio ferenda in malos, ejuſque executio in Inferno adimplenda.

Vide in Tomo II. Bibliotheca ejuſd. Titulum: Infernus, et Judicium.

F E-

Digitized by Google

PRO FERIA QUINTA.

Pſalm. 65. Quam terribilia ſint Dei Judicia. *Terribilis Deus in Conſiliis ſuis ſuper filios hominum.* Profecto ſecreta Dei de nobis conſilia nobis terrorem incutere debent, & prohibere, ne illum laceſcere audeamus.

Vide in To. IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: TIMOR DEI.

PRO FERIA SEXTA.

Luc. 21. De Judicio in gratiam bonorum. *His autem fieri incipientibus, levate capita veſtra &c.*

Vide To. II. Bibliothecæ ejuſd. Titulo: JUDICIUM.

HEBDOMADA SECUNDA.

PRO DOMINICA.

Matth. 11. ACCEPTIS pro themate verbis: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* loqui poſſumus de divinitate JESU CHRISTI, & oſtendere ipſum eſſe verum Meſſiam, quem promiſerunt Prophetæ, & prænuntiarunt plura ſæcula, antequam veniret in mundum.

Vide Tomum ſecundum Myſteriorum.

PRO FERIA SECUNDA.

Ibidem. *Pauperes Evangelizantur.* Sermo haberi poteſt de Verbo Dei.

Vide in To. IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: VERBUM DEI.

PRO FERIA TERTIA.

De veritate miraculorum, de quibus loquitur hujus Hebdomadæ Evangelium; quæ oſtendere poſſumus præcipuum eſſe medium, quo apud Infideles inſtituta fuit Chriſtiana Religio.

Vide in To. I. Bibliotheca ejuſd. Titulum: CHRISTIANISMUS.

PRO FERIA QUARTA.

Ibidem. In illa Evangelii Verba: *Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt;* ſermo haberi poteſt de veſtium luxu, & immodeſtia, quam Sancti Joannis exemplum condemnat.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum: VESTIUM LUXUS.

PRO FERIA QUINTA.

Ibidem. In Verba illa: *Quid exiſtis in deſertum videre?* Per occaſionem deſerti, ac ſolitudinis Sancti Joannis ſermo haberi poteſt de Solitudine, & mundi fuga.

Vide in To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulum; SOLITUDO.

PRO FERIA SEXTA.

Ibidem. In verba illa: *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me,* Verba fieri poſſunt de Scandalo paſſivo, quod accipitur ex humiliationibus, paſſionibus, verbo, ex intuitu Filii Dei.

Vide To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulo: SCANDALUM.

HEBDOMADA TERTIA.

PRO DOMINICA.

Joann. 1. IN Verba Evangelii hujus Hebdomadæ: *Tu quis es?* ſermo poteſt inſtitui de nomine, & dignitate Chriſtiani, & quid a nobis exigat nomen hoc.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: SANCTITAS.

PRO FERIA SECUNDA.

Ibidem. In Verba illa; *Tu quis es.... Non ſum ego* CHRISTUS. Sermo poteſt inſtitui de contemptu æſtimationis Hominum, laudum, honorum nobis indebitorum ad exemplum Sancti Joannis Baptiſtæ, qui pro Meſſia noluit haberi.

Vide To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulo: HUMILITAS.

PRO FERIA TERTIA.

In Verba illa: *Quid dicis de teipſo?* Loqui poſſumus de humilitate, ac abjecto ſenſu, quem de nobis fovere debemus.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: HUMILITAS.

PRO FERIA QUARTA.

In Verba illa: *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis,* Sermo inſtitui poteſt de præſentia Dei. Inexcuſabilis erat Judæorum cæcitas non cognoſcere Filium Dei præſentem, & quem medium habebant inter ſe; nec minor eſt Chriſtianorum cæcitas, præſentem habere Deum, eumque ignorare. *Ibidem.*

Vide To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulo, PRÆSENTIA DEI.

PRO FERIA QUINTA.

In illa Verba: *Vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini.* Oſtendi poteſt quomodo parandæ ſint viæ domini volentis per gratiam naſci in nobis *Ibidem.*

Vide To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulo: GRATIA HABITUALIS.

PRO FERIA SEXTA.

In illa Verba: *Cujus non ſum dignus, ut ſolvam ejus corigiam calceamenti;* Ubi de humilitate loqui poſſumus. *Ibidem.*

Vide To. II. Bibliotheca ejuſd. Titulo: HUMILITAS.

HEBDOMADA QUARTA.

PRO DOMINICA.

IN Verba illa. *Venit Joannes in omnem regionem Jordanis prædicans Baptiſmum pœnitentiæ. Sermo inſtitui poteſt de* POENITENTIA. *Luc. 3.*

Vide To. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulo: POENITENTIA.

PRO FERIA SECUNDA.

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Ubi oſtendere poteſt Conſcientiam eſſe regendam. *Ibidem.*

PRO FERIA TERTIA.

Omnis vallis implebitur. Oſtendendum eſt Hominum dignitatem evaneſcere, & coram Domino annihilari. *Ibidem.*

PRO FERIA QUARTA.

Et erunt prava in directa, & aſpera in vias planas. Diſſeri poteſt de ſuavitate ſervitutis Dei, vel quomodo fervor levius efficiat Domini jugum *Ibidem.*

PRO FERIA QUINTA.

Videbit omnis caro Salutare Dei. Loqui poſſumus de Nativitate Domini, ad quam noſmet diſponere debemus. *Ibidem.*

XII. ADVENTUS

ADUMBRATIO.

De ſignis Prædeſtinationis, & Reprobationis.

RECUPITUS *eruditus Theologus funditus hoc pertractavit argumentum in quodam libro ſeorſim, ratione admodum utili, & in varios ſermones diſtincto, qui omnes ad eundem finem collimant, ita ut crediderim me inde colligere poſſe generalem Adventus delineationem. Etenim hinc quidem præſuppoſito, a nobis haberi non poſſe certam, atque infallibilem noſtræ prædeſtinationis certitudinem citra peculiarem Dei revelationem; & ex altera parte de nullius ſalute deſperandum eſſe, neque haberi poſſe aliquam reprobationis ejuſdem certitudinem; cum miſeritors Deus voluerit nos relinquere in extrema ſortis noſtræ incertitudine ad hoc, ut teneremur cum timore ac tremore ſalutem noſtram operari, nec non ut immenſæ illius miſericordiæ fideremus: ipſe tamen dedit ſigna quædam noſtræ prædeſtinationis, & reprobationis ita connexata, ut citra metum afferere valeamus,*

tandem

Digitized by Google

eadem pro moralibus certitudinibus haberi poſſe. Ex horum numero decem, vel duodecim collecta ſunt, quæ in quatuor hebdomadas diſtribui poſſunt, modò ſingula ſingulis pertractando, modò duo ſimul conjungendo, modò verò unum in duos diverſos ſermones diſtinguendo. Hic afferam ſingula eo præter propter pacto, quo a Recupito tradita ſunt.

Prima Dominica Adventus ſemper locum habere debet ſermo de extremo Judicio; conſideranda duntaxat eſt ſententia in Juſtorum, ac Prædeſtinatorum gratiam proferenda, in medium allatis illorum quidem bonis operibus tamquam cauſis præmii concedendi, nec non aliorum nequitia cum infidelitate conjuncta, quæ ſibi Dei maledictionem, & ultionem conflarunt.

Ex JUDICII *Titulo, qui in altero Bibliothecæ tomo reperitur deligi poterit argumentum, quod aptius videbitur, & quod viam aperiat ad ea, quæ ſubſequuntur.*

I. SERMO. Primus ſermo nobis tribuet ideam, & generalem notionem prædeſtinationis, & reprobationis hominum. Equidem ſcio Concionatoribus in more poſitum eſſe, evitare hoc argumentum, propter metum incutiendi Auditoribus ſuis nimium terrorem, eoſque ad deſperationem impellendi, ſi illis exhibeant hoc Myſterium ex ea parte, ex qua eſt incomprehenſibile, videlicet ex parte judiciorum, arcanorumque conſiliorum Dei: *Terribilis in conſiliis ſuper filios hominum*; vel e contra illos in apertam licentiam, & vitæ laxitatem dejiciendi, ſi illis ea tantum aperiant, quæ in illis parere poſſunt inanem Confidentiam, & noxiam Securitatem. Verum cum mihi propoſitum ſit hinc quidem confirmare ſpiritus contra tumultus omnes, quibus ut plurimum hoc in argumento perturbantur, & ex altera parte præſumptionem libertinorum infringere, non dubito me huic pelago committere, non quidem illius altitudinem, quæ penetrari non poteſt, ſcrutaturus, ſed prohibiturus, ne alii quidem naufragium faciant ex nimio timore, ac puſillanimitate, alii verò ex nimia præſumptione, & Confidentia. Igitur ad duplicem hunc ſcopulum evitandum fert animus in hoc ſermone notionem generalem afferre prædeſtinationis, & reprobationis, ſaltem quoad humanæ menti licet penetrare. Dico igitur humanæ mentis moroſitatem admirabilem eſſe, ubi agitur de prædeſtinatione, & reprobatione; timet enim omnia, ubi nihil metuendum eſt, immo omnis ſperandi omnia lux affulget; & e contra ſe tutam eſſe confidit, ubi omnia nobis ſunt pertimeſcenda; vel ſaltem ubi omnia diligentiſſime ſunt præcavenda. Non timebo hoc in re aſſerere.

De Prædeſtinatione, & quid de ea humanitas cogitari poteſt. Pſalm. 65.

Primùm homini nihil eſſe metuendum ex parte Dei, qui nihil prætermiſit eorum, quæ ſaluti noſtræ erant neceſſaria.

Secundò nobis omnia eſſe metuenda ex parte noſtra, ex propria nequitia, & infirmitate; quæ requirit, ut nobis met invigilemus, atque iis utamur mediis, quæ nobis largitus eſt Deus, ut re ipſa ſalvemur. Itaque ut ſalutaris fiat nobis timor, quem nobis inſpirat Myſterii adeo terribilis cogitatio; opus tantum eſt mutare cauſam, & objectum. Quin nos terreant Judicia Dei, quæ aſſequi non licet, tradamus nosmet illius Providentiæ, atque in illius bonitate confidamus, & quin vivamus in hac temeraria præſumptione, quæ facit, ut inter tot laqueos, ac tot ſalutis noſtræ Inimicos in tuto nos eſſe arbitremur, omnia a nobiſmet ipſis vereamur; quandoquidem nobis nihil niſi a nobis metipſis eſt metuendum.

PRIMUM PRÆDESTINATIONIS

SIGNUM.

Timor Dei, & horror peccati.

II. SERMO. TIMOR, & Spes, generatim loquendo duo ſunt prorſus neceſſaria Chriſtiano ad innocentiam tuendam, ad perſeverandum in praxi virtutis, ad certam conſequenter faciendam prædeſtinationem noſtram, & ad aſſequendam æternam beatitudinem. Timorem, ut per noſtræ voluntatis nequitiam reprobemur, ſequitur horror peccati, & ſpes in Cœlum eundi, cujus acquiſitionem mors, & merita Salvatoris nobis comparaverunt. Prædeſtinationis autem Myſterium tres hoſce nobis ſenſus inſpirat.

I. Signum Prædeſtinationis.

Primò ſenſum humiliationis, & metus ſalutaris per ea, quæ nobis terribilia in hoc Myſterio continentur.

Secundò ſenſum horroris contra omnia peccatorum genera; quia omnino oppoſita ſunt æternæ felicitati noſtræ.

Tertiò ſenſum conſolationis, & ſpei, per ea, quæ in hoc Myſterio ſunt apta ad homines conſolandos, & excitandos, ut ſuam operentur ſalutem, adeoque certam faciant æternam ſuam prædeſtinationem.

ALTERUM PRÆDESTINATIONIS

SIGNUM.

Confidentia in Miſericordia Dei, & Salvatoris.

UT propoſitum ſequamur argumentum, conſiderare poſſumus Prædeſtinationem ſecundum triplicem rationem. III. SERMO.

Primò Ratione Dei, qui Supernaturalis providentiæ ſuo conſilio de Salute hominum illis præparat media per quæ ad beatum finem perveniant, ad quem illos deſtinat, ita ut dicere poſſimus, nihil illis deeſſe ex parte Dei.

Secundò Ratione JESU CHRISTI, qui ſuperaffluenter per mortem, & paſſionem ſuam ſuppeditavit, quod opus fuit ad redemptionem omnium hominum, & cujus Prædeſtinati omnes geſtare debent lineamenta; quandoquidem neceſſe eſt, illos conformes fieri imagini ipſius, ut ſint prædeſtinati: *quos prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui.* Ad Rom. 8.

Tertiò Ratione noſtræ voluntatis, & libertatis. Deus enim, qui fecit nos ſine nobis, non ſalvos faciet nos ſine nobis, quemadmodum Sanctus Auguſtinus animadvertit. In nobis igitur ſitum eſt eſſe prædeſtinatos cooperando gratiæ Dei, quæ nemini deeſt voluntatem habenti operandi ſalutem ſuam.

PRIMUM SIGNUM

REPROBATIONIS.

Habitus in peccato, qui gignit facilitatem peccandi.

SI proprium eſt habitus generatim reddere facilia ea, quæ antea nobis minus facilia videbantur; quantum malum eſt fortis habitus in peccato, qui gignit facilitatem peccandi; quandoquidem peccatum ex ſe malorum omnium eſt maximum? judicium feremus ex effectibus, qui inde proficiſcuntur, tamquam ex cauſis. IV. SERMO.

Primus eſt criminum fere inevitabilis multitudo, quæ peccatorem conſtituit objectum abominationis coram Deo; quippe hoc utitur vocabulo Scriptura ad illam ſignificandam: *Abominatio eſt Domino via impii*; peccatores enim de peccato in peccatum ruunt; & congeries hæc, atque peccatorum multitudo non aliud in Dei corde producere poteſt niſi exceſſum odii, qui horror dicitur, & abominatio.

Alter eſt, peccatum multiplex fieri per hanc facilitatem, quam tribuit habitus peccandi; illud verò hanc abominationem magis horribilem facit, quod pro nullius momenti re perpetratur, & fere ſine cauſa. Et conſtat ratio; quod enim per habitum fit, cum voluptate fit, & animi ſtudio; ideoque ſine ſenſu in qualibet occaſione, quin ulla re, aut vi ad id excitemur.

Tertiùs miſeri hujus habitus effectus eſt, peccatorem hoc eodem habitu, & conſuetudine abuti tamquam patrati criminis excuſatione, & prætextu ad alia impoſterum impunius perpetranda.

In altera ſermonis hujus parte oſtendere poſſumus, quantam facilitatem habitus peccati tribuit peccandi, tantam relinquere difficultatem a peccato recedendi, habitumque exuendi; quod parit peccatoris habituati certam perniciem, & inevitabilem fere reprobationem.

Primùm quia hic habitus, quemadmodum Sanctus Auguſtinus animadvertit, migrat in naturam, & fit quodammodo neceſſitas, quæ prohibet, ne ex miſero hoc ſtatu emergamus: *Et dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.* l. 8. Confeſſ. c. 5.

Secundò, quia ad habitum hunc oppugnandum, bellum nobis gerendum eſt cum hoſte, qui nobis placet, & quem unice diligimus. Habitus enim cum migraverit in neceſſitatem, atque naturam, fit peccatum adhæſionis, & proclivitatis; atque difficultas hæc habitum infringendi impoſſibilitas appellatur; quæ licet moralis ſit tantum, conſtituit obicem fere invictum noſtræ ſaluti.

Tertiò, quia malum, ad quod Habitus redigit peccatorem, & quod cumulum addit ejuſdem calamitati, tantum eſt, ut nullam illi ſpem emergendi relinquat. Cum enim habitus illum conjecerit in difficultatem fere inſuperabilem ex hoc evadendi periculo, atque illinc in obdurationem; ſequitur, ipſum relinqui in ſtatu conſiſtentiæ, in quo perſeverat, & in quo moritur, quemadmodum Dei Filius Judæis cominabatur; *In peccatis veſtris moriemini.* Joan. 8.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum. HABITUALE PECCATUM.

Digitized by Google

TERTIUM PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Prompta, & ſincera pœnitentia, per quam pœnitens reſurgit ſtatim ac lapſus eſt in peccatum.

V. Sermo. IN hac adeo inevitabili, abſolutaque neceſſitate pœnitentiam agendi quis non mirabitur audiens hoc illud eſſe, in quo facilius fucus fit in oculis hominum, in quo ſæpius noſmet ipſos decipimus, & in quo minus ſincere, & minus bona fide agimus cum Deo? Nihilominus illam vobis exhibere contendo per caracteres ita proprios, ac bene connotatos, ut facillime cognoſcere valeatis utrum ſit vera. Dico igitur pœnitentiam, quatenus virtus eſt, ſive illa cum cognomine Sacramento ſit connexa, ſive ſejuncta, duo complecti,

Quorum primum eſt per veram vitæ mutationem relinquere peccatum,

Alterum verò illud pœnis ultro ſuſceptis expiare juxta Evangelii Verba, *prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Primum proſpicit futuro per vitam ſanctiorem, magiſque regularem. Secundum ſatisfacit præterito. Illud nos cum divina Majeſtate conciliat, mutando cor, & mox vitam peccatoris. Hoc prævertit ultionem, quam Deus aliquando eſſet ſumpturus. Nobis Dei comparat amicitiam, nobiſque aliquo in ſenſu jus tribuit ad æternam prædeſtinationem. Sed ad id opus eſt, illam ſinceram eſſe, & ſine fuco; ſeveram, & celerem, ut ſi quod adſit intervallum celeriter reparetur; propter Dei amorem ſuſceptam, & per ſenſibilem læſi numinis dolorem, ſincerumque deſiderium juſtitiæ illius ſatisfaciendi.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: PŒNITENTIA.

ALTERUM REPROBATIONIS SIGNUM.

Pœnitentiæ procraſtinatio, vel Pœnitentia in mortem dilata.

VI. Sermo. DUÆ enucleandæ ſunt veritates maximi momenti hoc in argumento;

Quarum prima eſt, pœnitentiam procraſtinare idem eſſe ac ſeſe objicere periculo numquam agendi illam.

Altera verò eſt, ubi agatur poſtquam in extremum vitæ ſpatium, & in mortem ipſam fuerit dilata, in quem terminum peccatores illam rejicere conſneverunt, nequaquam vacare ſuſpicione, & metuendum eſſe, ne ſit prorſus inutilis.

Pars Prima. Pœnitentiam differre eſt periculo ſe objicere numquam pœnitendi. Primò quia hoc eſt confidere in tempore, cujus arbitrium in nobis non eſt, & cujus nonniſi incertitudinem cognoſcimus, & quod proinde momento omnia ſubvertere poteſt conſilia noſtra, quemadmodum quotidiana docemur experientia &c. Secundò quia hoc eſt in Dei gratia præſumere, cujus domini nequaquam ſumus; & quod alterum illud neceſſarium eſt, ut veram agamus pœnitentiam; quippe temeritas eſt præſumere, atque ſibi polliceri gratiam, qua toties abuſi ſumus, & quam rejecimus, cum Deus illam nobis exhiberet &c.

Pars altera. Agere pœnitentiam in extremo vitæ ſpatio, admodum incertum eſt, & jure ſuſpicione non vacat. Primò, quia peccatores in extremo hoc ſpatio, gemunt quidem, plorant, aliquem habent pietatis ſenſum, ſaltem in ſpeciem; ſed hæc ſpecies ut plurimum fallit, & dolor potius ab hac vita recedendi, quàm Dei tot criminibus læſi has lacrymas ex oculis elicit. Secundò, quia confeſſio, quam peccatores criminum ſuorum emittunt eo tempore tuta non eſt; prodeſſe enim non poteſt ſine dolore ſupernaturali peccatorum, qui tunc temporis non eſt ita facilis, cum nullum umquam talem in toto vitæ ſpatio moriens conceperit. Jure igitur Sapiens ait: *Ne tardes Converti ad Dominum; & ne differas de die in diem: ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.*

Eccleſ. 5.

Vide To. III. Bibliotheca ejuſd. Titulo: POENITENTIA.

IV. PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Paſſiones, cruces, tribulationes, Chriſtiana patientia; adverſa &c.

VII. Sermo. TRIBULATIONES certiſſimum eſt, quod in hac vita haberi poſſit, prædeſtinationis argumentum. Partitionem ſuppeditare poſſunt illa Sancti Pauli ad Romanos Verba: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui. Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Primum illud, quod facit Deus, cum illis, quos prædeſtinavit, eſt illos ad cultum ſuum vocare; hoc autem præſtat per ærumnas, quæ nos ab erroribus noſtris revocant, & ſuæ adnectunt Servituti. Secundò illos juſtificat, atque ſanctificat; quod ipſum peculiari efficit modo per tribulationes, quæ illos emundant, & illorum conferunt perfectioni. Tertiò illis gloriam impertit, quæ eo major erit juxta magnitudinem tribulationum, quas propter Deum in hac vita fuerint perpeſſi.

Ad Rom. 8.

Vide in To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum. TRIBULATIONES.

TERTIUM REPROBATIONIS SIGNUM.

Impatientia in Tribulationibus, & jugis impiorum proſperitas.

PARVUS uſus ærumnarum, adverſitatum, tribulationum, quæ in hac vita hominibus accidunt, anſam præbent metuendi de illorum æterna Salute: etenim primò qui impatienter ſuſtinent illas, cruces ſuas veneno adſpergunt; illas graviores, & minus ferendas efficiunt per impatientiam, moroſitatem, indignationem, quam inde concipiunt. Secundò illas ſuſtinent ſoli ſine merito, ſine ſolatio, ſine lenimento; cum e contra Dei Filius juſtis ferat auxilium ad cruces ſuſtinendas, effundens ſuper illas unctionem gratiæ ſuæ, quod efficit, ut ab illis eximi nolint. VIII. Sermo.

In To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulo: TRIBULATIONES *non deerit, unde hoc argumentum poſſit exornari.*

Altera Sermonis adumbratio, in qua poteſt oſtendi: Primò malorum proſperitatem illis præbere facultatem peccandi, exequendi prava ipſorum conſilia, & miniſtrare media ſuis cupiditatibus ſatisfaciendi. Secundò illis polliceri in ſceleribus impunitatem, cum videant ſe in pace relinqui, & impunes a Deo, qui neorum gaudia ullis perturbet adverſitatibus; ideoque ſeſe omnibus mancipant iniquitatibus. Tertiò proſperitas efficit, ut ſæpe nanciſcantur plauſus, & laudes aſſentantium, qui nequiſſima eorum facta probent, qui deberent illis divinæ Juſtitiæ terrorem incutere; quod illos confirmat, & certos efficit in ſua nequitia; ideoque impares reddit ſeſe convertendo, & operando ſalutem ſuam.

Tertia Sermonis delineatio, Temporalis proſperitas fatalis eſt, & ſaluti pernicioſa; ideoque reſpicienda, ut plurimum, tamquam ſignum reprobationis, quia Primò ita excæcat homines conſtanti felicitate gaudentes, ut neque credant, neque ſperent aliam, niſi hac in vita felicitatem. Secundò illis tantum immittit in hac commentitia felicitate ſoporem, ut nihil optent præter tranquillam vitæ hujus perfruitionem. Tertiò cor illorum indurat, ut nullo præterea ſenſu afficiatur.

Conſule To. III. Bibliotheca ejuſd. ſub Titulo: PROSPERITAS JUSTORUM, ET INIQUORUM.

V. PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Injuriarum venia, & inimicorum dilectio.

MAGNA quidem, ac difficilia exigit a nobis Deus, cum præcipit, ut injurias dimittamus, & diligamus inimicos; ſed & dimittentibus illas, & hos diligentibus multo majora, nobiſque utiliora largitur. Hæc eſt poteſt ſermonis partitio, qui complectetur quidquid in hoc argumento dici poteſt. IX. Sermo.

Pars prima. Primùm exigit Deus veniam ſinceram omnium injuriarum, quibus affecti fuimus; neque operoſum eſt oſtendere naturæ noſtræ repugnantiam, & ſummam in ea ſuperanda difficultatem. Secundò ſinceram exigit inimicorum noſtrorum dilectionem; Omnes affectus noſtri in hoc præcepto rebellant. Tertiò, jubet bona omnia velle illis, qui omnia nobis mala cupiunt, & faciunt. Ecce quot, quanta exiguntur a nobis? quot, quantæque victoriæ? ad quas obtinendas quot unctiones, quot gratiæ requiruntur?

Alia Sermonis adumbratio. In Præceptis, quibus a Dei Filio jubemur dimittere injurias, nobis conſiderandus eſt adorabilis hic legiſlator tamquam Supremus rerum Arbiter, tamquam Pater, & tamquam exemplar; quas ille aſſumit qualitates hoc nobis irrogans mandatum. Primùm quatenus ſupremus rerum arbiter, in re æquiſſima noſtram exigit obedientiam, quam præſtare intereſt omnium, & potiſſimum noſtra; & quod neceſſarium eſt ad noſtrum ordinem ſtatuum. Secundò quatenus Pater vult nos ipſum imitari in ea re, in qua tantum poſſumus aliquam cum illo habere ſimilitudinem: videlicet in miſericordia. *Ut*

ſitis

Digitized by Google

Matth. 5. *ſitis filii patris veſtri*, atque ut alio in loco habet Evangelium, *ut ſitis ſimiles*. Tertio quatenus Exemplar, nobis magna tribuit exempla parcendi, & jubet nos illa ſequi, quæ proculdubio certa eſt prædeſtinationis nota.

Vide in To. I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: AMOR INIMICORUM.

IV. REPROBATIONIS

SIGNUM.

ULTIO.

X. SERMO. MUNDI Salvator in præcepto, quod nobis irrogavit diligendi inimicos, & remittendi injurias, fideles omnes obligare voluit propoſita pœna omnium graviſſima; quandoquidem ille conditionem adjecit, ſine qua fieri nequaquam poſſet, ut peccatorum noſtrorum veniam ſpei conſequeremur. Hac in re neceſſe eſt animadvertere, tria eſſe in Chriſtianiſmo, quæ ad iram Dei flectendam ſunt aptiſſima, quæ etiam Sacrificii nomine nuncupantur; quæ tamen omnino ſunt inutilia nolentibus parcere inimicis, ſed a contra inquirentibus quaſcumque poſſunt occaſiones, & media ulciſcendi.

Prima eſt Oratio, & Deprecatio, quæ noviſſima ſpes eſt, quam Deus miſeris reliquit, & quæ apud ipſum eſt adeo potens, ut omnes Juſtitiæ ipſius ſententias delere videatur. Sed quam ſpem habere poteſt ultionis cupidus ſe exauditum iri quotidie proferentem orationem Dominicam, quæ omnium orationum eſt princeps, & in qua ſingillatim poſcimus, ut Deus parcat nobis, ſicut nos pepercerimus? *Dimitte nobis . . . ſicut dimittimus.*

Altera eſt Sanctum Euchariſtiæ Sacrificium, quod Deus ſuæ reliquit Eccleſiæ in remiſſionem omnium peccatorum; verum quomodo nam ultionis cupidus eò impudentiæ pervenire poteſt, ut ſperet ſibi fauturum Deum, niſi ipſe quoque offerat Sacrificium odii ſui, & ultionis, quam fovet adverſus fratrem ſuum? *Si offers munus tuum ad altare...*
Matth. 5. *vade prius reconciliari fratri tuo.*

Tertia eſt Martyrium, quod unum ex tribus eſt, quæ peccatorum noſtrorum veniam poſſunt promereri: ſed hic actus amoris Dei, quo non alius eſt præcellentior in hac
Joann. 15. vita: *Majorem hac dilectionem nemo habet &c.* Quomodo nam inveniri poteſt in corde ultionis cupido, quod primum perfregit gradum Charitatis, videlicet amorem proximi per ultionem, quam meditatur? Sed quomodonam, ſi fieri poſſet, ut ſupremus hic amor in corde illius inveniretur, quomodonam inquam, exciperetur a Deo, qui præcepit, ut inimicos diligamus?

Vide To. I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulo: AMOR INIMICORUM.

VI. PRÆDESTINATIONIS

SIGNUM.

Miſericordia erga pauperes, eleemoſyna, & miſerorum ſolatium.

XI. SERMO. ELEEMOSYNA unum eſt ex certiſſimis, quæ in hac vita poſſunt haberi ſignis prædeſtinationis, & morale indicium ſalutis illius, qui pronus eſt ad exercendam erga pauperes miſericordiam. Tres rationes Veritatem hanc conſolationis pleniſſimam probabunt, & Sermonem partientur.

Prima, quia cum prædeſtinatio non aliud ſit, quam præparatio beneficiorum, ut inquit Sanctus Auguſtinus, videlicet gratiarum, per quas illi, quibus largitur Deus, certiſſime ſalutem conſequuntur; has per Eleemoſynam promeremur, & eleemoſynæ promittuntur. Hinc ſequitur affectum, quem teſtamur in levandis pauperum neceſſitatibus, & ſubſidia, quæ illis præbentur, argumentum eſſe, Deum præparaſſe gloriam facientibus eleemoſynam, quandoquidem illis largitur medium adeo validum ad ſupremam felicitatem indipiſcendam.

Ratio altera, qua hæc probatur Veritas, eſt; quemadmodum mors in ſtatu peccati cumulum adjicit noſtræ reprobationi, & contra ſancta mors in ſtatu gratiæ concludit negotium prædeſtinationis noſtræ per finalem perſeverantiam, quæ donum eſt meræ Dei miſericordiæ, ineſtimabile hoc beneficium videtur quodammodo exercitationi eleemoſynæ inhærere. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, &*
Pſalm. 40. *pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.*

Tertia denique, quia cum gloria, & beatitudo ſit complementum, & finis prædeſtinationis; quodnam tutius ſignum hanc gloriam obtinendi, quàm certitudo, quam Dei Filius tribuit illis, qui ipſum aluerint, induerint, viſitaverint, eique opem tulerint in pauperum perſona, quàm certitudo inquam, illis Patris ſui Regnum eſſe paratum? Etenim dum Supremus Judex æternis ignibus adjudicabit illos, qui pauperibus ferre opem detrectaverint, videlicet, qui miſerorum neceſſitatibus nequaquam affecti fuerint; remunerabitur illis, qui miſericordiam exercuerint, eoſque invitabit in partem gloriæ, tamquam ipſis debitam remunerationem.

Alia delineatio ſermonis ad eamdem rem pertinentis.

Accipi etiam poſſunt pro Sermonis partitione alia tria ſigna prædeſtinationis. Primum ſi praxis operum miſericordiæ illa exercentibus tutum medium eſt obtinendi miſericordiam, quemadmodum JESUS pollictus eſt; *Beati* Matth. 5.
miſericordes, quoniam & ipſi miſericordiam conſequentur; Eleemoſyna, quæ dicitur miſericordia, & quæ primum obtinet locum inter opera charitatis, nonne reſpicienda eſt tamquam viſibile ſignum prædeſtinationis; quandoquidem medium eſt cogendi Deum, ut miſereatur eorum, qui miſericordiam exercuerint in pauperes, vel potius in illum ipſum? Nam ſe ipſum in eorum perſona conſtituit, & ſibi factam putat eleemoſynam aliis erogatam. Si igitur non ambigitur, quominus terminum aſſequatur, quò contendit, qui viam, quæ illuc ducit, ingreditur; & ſi certus eſt ſe votorum ſummam conſecuturum, qui certiſſima habet media ad eam conſequendam, aliter ne inferri poteſt de eleemoſyna, quæ facit, ut apud Deum inveniamus miſericordiam? *Eleemoſyna facit invenire miſericordiam.* Tob. 4.
Quid porro eſt invenire miſericordiam apud Deum, niſi eſſe prædeſtinatum? Secundò per eleemoſynam, & praxim operum miſericordiæ evadimus filii Patris Cœleſtis, qui nos tales eſſe profitetur. *Eſtote miſericordes, ſicut Pater* Luc. 6.
Veſter miſericors eſt. ut ſitis filii Patris veſtri, qui in Cœ- Matth. 5.
lis eſt. Si ergo miſericordes ſunt Altiſſimi Filii, nonne ſignum eſt, vel neceſſario conſequitur, illos hæredes eſſe ipſius, & propterea Electos, & Prædeſtinatos?

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: ELEEMOSYNA.

V. REPROBATIONIS

SIGNUM.

Duritiæs erga Pauperes.

DURITIES divitum erga pauperes cauſa eſt damnationis, æternæque mortis cordium inmitium, atque crudelium, duplici ex cauſa, quæ ſermonem poteſt bipartiri. Primo auferunt ſibi validum ſalutis ſuæ medium, medium quod Deus aptaverat eorum ſtatui, imbecillitati, conditioni, videlicet eleemoſynam, & miſerorum ſolatium. Secundò præbent Deo cauſam, eamque graviſſimam concludendi ipſorum reprobationem; quoniam miſericordiæ defectus in divite, hunc indignum reddit divina miſeratione, & digniſſimum teterrimis effectibus Juſtitiæ ejuſdem, & ultionis. XII. SERMO.

Sermo alter in idem argumentum.

Eleemoſyna inevitabilis eſt neceſſitatis in iis, quibus ſuppetit, unde illam erogent; & cum locuples eam facere detrectat ex iis, quæ ſibi ſuperfluunt. Primo peccat contra Dei Providentiam, bonis enim utitur contra ordinem a Deo inſtitutum, quandoquidem illa large effuſeque donavit, ut in illorum partem pauperes arceſſerentur. Secundo peccat contra Dei Miſericordiam; hoc enim eſt non affici proximi miſeria; quem Deus voluit eſſe non ſolum unum ex præcipuis, verum etiam unum ex tenerrimis noſtræ Religionis officiis. Quomodo enim poſt hoc ſperare licet, Deum noſtri miſerturum? Tertio peccat etiam contra Juſtitiam; opes enim cum ſint fructus iniquitatum vel noſtrarum, vel Parentum noſtrorum; illas retinere non poſſumus, quin cumulum adjiciamus injuſtitiæ noſtræ, ideoque noſtræ reprobationi. Jacobi 2.
Judicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam.
Vide To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: ELEEMOSYNA.

VII. REPROBATIONIS

SIGNUM.

Vita pœnitens, & auſtera.

QUAMVIS auſteritates, & pœnæ, quibus corpus affligitur ob cauſas varias exerceri poſſint; hic tamen loquimur de pœnis ultro ſuſceptis ad coercendas carnis rebelliones, ac prohibendum, ne ab illis trahamur in vitium; quod proprie auſteritatem, mortificationem, & pœnitentem vitam appellamus. XIII. SERMO.

Prima Pars. Obligatio vitam ducendi pœnitentem, auſteram, & mortificatam deſumitur primò, ex præcepto, quod explicitis verbis habetur in Evangelio, & in Epiſtolis Sancti Pauli. Quod non tantum intelligendum eſt de noxiis, illicitiſque rebus, verum etiam de illis, quæ culpa va-

Digitized by Google

pſa vacant. Secundò deſumitur ex neceſſitate nobiſmet vim inferendi, ac noſmet vincendi, ut ſalutem noſtram operemur: *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* (Matth. 11.) Tertiò Quia tenentur omnes Chriſtiani quaſdam exercere virtutes, & vitia quædam cohibere, nec non quibuſdam officiis perfungi; quod fieri nequit, niſi auſtera, & mortificata vita ducatur.

Pars altera: Conditiones requiſitæ in auſteritatibus, & mortificationibus ad hoc peccati corpus deſtruendum deſumuntur ex oppoſitione ad ea vitia, quibus ſumus maxime obnoxii. Hæ autem ſunt. Primò mortificationem eſſe debere univerſalem, & ſeſe ad omnes ſenſus extendere, quæ totidem ſunt valvæ, per quas peccatum in animam noſtram ingreditur. Secundò eſſe debere jugem, cupiditates enim renaſcuntur, & numquam omnino deſtruuntur; quapropter a Sancto Paulo, & Patribus *corpus peccati* vocantur. Tertiò, diſcreta tamen eſſe debet pœnitentia, congrua ætati, viribus, temperamento ſingulorum, ne volentes corpus ſubigere, illud prorſus deſtruamus; quod efficeret homicidam potius, quàm mortificatum, atque pœnitentem.

Alia Sermonis delineatio. Quemadmodum Sanctus Paulus Fideles hortatur, ut exhibeant Corpus ſuum Hoſtiam viventem Deo in Sacrificio immolandam, oſtendere poſſumus per auſteritatem, atque mortificationem, quam in corpus noſtrum exercemus, fieri Sacrificium habens tres conditiones illius, quod Dei Filius obtulit corporis ſui in Euchariſtico Sacrificio. Primò Sacrificium eſt voluntarium: Libere hos rigores exercemus corpus noſtrum affligentes, ac nobiſmet ipſia interdicentes eas voluptates, & ſolatia, quibus interdictum non eſt, ſaltem in omne tempus, & ſemper. Secundò perpetuum eſt Sacrificium hanc habens rationem cum Euchariſtico, quod alterum hoc uſque ad ſæculorum finem eſt permanſurum, alterum verò uſque ad vitæ noſtræ terminum; quia hoc ſemper indigemus. Tertiò Sacrificium eſt viſibile; quæ una eſt ex conditionibus, quas habere debet Chriſtianæ Religionis Sacrificium, quod non ſolum debet eſſe interius, verum etiam viſibile. Tale eſſe oportet hominis Chriſtiani Sacrificium, qui non ſolum Chriſtianus eſſe debet intrinſecus, ſed talem ſe profiteri extrinſecus debet, ut admittatur in Electorum numero, & notetur caractere eorum, quos prædeſtinavit Deus, ut ſint in æternum beati.

Conſule To. III, Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: MORTIFICATIO.

VI. REPROBATIONIS
SIGNUM,

Vita mollis, & voluptuaria.

XIX. Sermo. SALUTEM noſtram operari non poſſumus in molli, atque inerti vita, quam ducunt mundi aſſeclæ, & hæc vita propria eſt vita Reprobi, quia triplici de cauſa nequaquam dici poteſt Chriſtiana. Primò, quia non eſt Evangelio conformis; Secundò, quia non eſt ſimilis vitæ Salvatoris. Tertiò, quia non eſt medium, per quod ad ſupremam pervenire poſſimus felicitatem, quæ finis eſt, propter quem creati ſumus.

Pars Prima: Patet vitam mollem, quam plerique in ſæculo vivunt non eſſe conformem legibus, & placitis Evangelicis, quæ ſunt regula vitæ noſtræ; Evangelium enim loquitur ſolum de crucibus, abrenuntiatione ſui, auſteritate, & mortificatione, ſecundum illa Filii Dei Verba; (Matth. 16. Luc. 14. Luc. 6.) *Qui vult venire poſt me, abneget ſe metipſum. Qui non bajulat crucem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Væ vobis, qui ridetis.*

Pars altera: Neque minus liquet, vitam mollem, quam ducunt plerique ſummorum virorum, qui nitent in mundo, nullam habere conformitatem cum vita, quam duxit Salvator in terra, & quæ nihilominus nobis eſſe debet exemplo: (Ad Rom. 8.) *Quos ſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui.*

Tertia pars: Conſtat etiam vitam mollem, atque inertem nullam habere rationem cum fine, quem Deus nobis deſtinavit, Cœlum videlicet, æternamque felicitatem.

Alia delineatio, qua oſtendere poſſumus: Primùm in Chriſtianiſmo neminem ſalvari poſſe, niſi per arctam viam, quæ ducit ad vitam. Secundò vitam mollem vere latam eſſe viam, per quam plurimi incedunt; quandoquidem conſtat longe plures in omnibus ſtatibus, omnibuſque conditionibus ita vivere, quàm ſint, qui aperte liberiorem vitam profitentur, & palam ſe mancipant iniquitati.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: MOLLITIES.

VIII. PRÆDESTINATIONIS
SIGNUM.

Perſeverantia in bono, & virtute.

UT hunc ordinem ſequamur, oſtendere poſſumus perſeverantiam in bono, & cultu Dei uſque ad finem ſolum eſſe ſignum prædeſtinationis, in quo ſpes aliqua ſit habenda; quoniam tribus innititur rebus, quibus falli non poſſumus; Quarum prima eſt promiſſio Dei, qui ſolemniter hoc ſe facturum recepit; Altera eſt conſtans, & uniformis ratio, quam ſervat Deus in ſalute juſtorum. Tertia eſt æquitas Judicis, qui ut Sanctus Paulus teſtatur reddit juſtitiæ coronam illis, qui fideliter ipſi deſervierint. XV. Sermo.

Pro parte prima, oſtendere oportet prædeſtinationem ad gloriam adhærere perſeverantiæ in bono. Hæc igitur certiſſima nota eſt, in qua Dei verbum, atque promiſſio palam elucent. *Qui perſeveraverit uſque in finem; hic ſalvus erit.* (Matth. 10.)

Pro parte altera. Ratio ſecunda, cui hæc innititur ſalutis certitudo ratio eſt, quam Deus ſemper in magno hoc negotio ſervavit; quæ eſt numquam negandi finalem perſeverantiam illis, qui conſtanter in illius ſervitute perſeveraverunt.

Pro tertia Parte. Ratio tertia quæ hoc prædeſtinationis ſignum præ ceteris certiſſimum reddit, deſumitur ex Dei ejuſdem juſtitia, qui non tribuit hominibus juſtam laborum mercedem niſi poſt vitæ finem; videlicet, poſtquam in famulatu ſuo ad mortem uſque perſeveraverunt.

Alia Sermonis ſtructura ad quam exornandam, oſtendere poſſumus; Primùm, perſeverantiam tribuere pretium omnibus virtutibus, quæ alioquin nullo ſunt in diſcrimine coram Deo, & coram hominibus. Secundò ita ſolam perſeverantiam facere Sanctos, eoſque diſtinguere a reprobis, quia utrique ſæpe eadem bona opera factitarunt, ſed illi tantùm qui perſeveraverunt Sancti ſunt, & prædeſtinati.

Vide in To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum, PERSEVERANTIA.

VII. REPROBATIONIS
SIGNUM.

Inconſtantia in bono, & frequens in peccatum recidiva.

PRO Sermonis argumento oſtendere poſſumus ſalutem hominis ſæpe in gravia, & lethalia peccata relabentis moraliter eſſe impoſſibilem ex parte peccatoris, & admodum infrequentem ex parte Dei, cujus patientia fatigatur, & qui tandem peccantem derelinquit. XVI. Sermo.

Pars prima. Salus ſit velut impoſſibilis ex parte peccatoris, quem nihil poteſt convertere poſt iteratos lapſus. Secundò quia inde proficiſcitur, quod gratiæ validiſſimæ carent eodem effectu, ideoque illi inutiles ſiunt.

Pars altera. Salus peccatoris toties relapſi non minus rara eſt ex parte Dei, toties recedentis a relabente, quoties ab illo peccator per iteratos lapſus recedit. Primùm quia Cœleſtes gratiæ, & vi, & numero decreſcunt, & in ſingulos lapſus infirmiores evadunt. Secundò, quia poſtquam peccator toties contempſit Deum, Deus viciſſim peccantem contemnit. Tertiò, quia quemadmodum peccator per frequentes lapſus factus eſt ingratus, proditor, & perfidus; Deus non fovet ultra erga illum hos ſenſus benevolentiæ, & miſerationis, quos alit erga reliquos peccatores. Hinc inferri poteſt; ſin minus ſalus peccatoris relapſi abſolute impoſſibilis eſt, moraliter eſſe, niſi omnes exerat conatus, & vires, ut ex corde revertatur ad Deum.

Alia ſermonis ſtructura. Inconſtantia in bono, & frequens in crimen relapſus apertum eſt ſignum, & moraliter certum reprobationis peccatoris relabentis. Primùm, quia inde colligitur animam mortuam eſſe gratiæ, quæ nullo afficitur ſenſu eorum, quæ eamdem in vitam poſſent revocare, videlicet divinarum illuſtrationum, Verbi Dei, æternarumque Veritatem. Secundò, quia inconſtantia, atque lapſus iterati oſtendunt animam a Deo derelictam, in ſcelere induratam, ſine metu divinæ Juſtitiæ, ſine ſtimulis conſcientiæ, & ea gaudentem tranquillitate, quæ jure mortalis lethargia dici poteſt. Tertiò, quia indicant animam dæmoni traditam, qui illius addit poſſeſſionem, eamque tuetur, & prohibet, ne ex manibus ſuis elabatur. *Aſſumit ſeptem Spiritus nequiores ſe, & ſiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Itaque hæc eſt inchoata reprobatio, quia tria illa complectitur, quæ eamdem perficiunt, videlicet ſtatum mortis gratiæ; ſtatum derelictionis Dei; ſtatum captivitatis ſub poteſtate, ac tyrannide diaboli.

Vide To. IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulo: RECIDIVA.

IX. PRÆDESTINATIONIS
SIGNUM.

Continentia, & vita pudicitia.

IN Scripturis invenio tres ineſſe corporibus noſtris qualitates, quæ nos cogunt illa tueri immunia ab omni XVII. Sermo.

labe

labe impudicitiæ, & quæ ſunt moralis certitudo noſtræ prædeſtinationis.

Primùm vocantur membra Jesu Christi, ideoque in partem accedere debent puritatis Corporis ſui; alioquin hoc eſſet in ſe convertere probrum illud Sancti Pauli adverſus eos, qui ſeſe immergunt in ſordibus voluptatis. *Tollens ergo membrum Christi, faciam membra meretricis.* Secundò ſunt Templum Spiritus Sancti, cui per Baptiſmum, aliaque Sacramenta conſecrata ſunt, & quibus non minor debetur reverentia, quam materialibus Templis ſi vitam ducere volumus prædeſtinatorum. Tertiò conjuncti ſunt puro, & Virginali Corpori Jesu Christi realiter præſenti in Euchariſtico Sacramento, unde fit, ut a nonnullis Sanctis Patribus Continentes vocentur *Concorporei* Christi. Ex quibus rationibus ſequitur, quod continentem, puramque vitam ducere eſt quædam prælibatio vitæ, quam in Cœlo ducunt Beati, & quæ ideo ſignum eſt prædeſtinationis, vel ut apertius loquamur, moralis eſt certitudo noſtræ Salutis æternæ.

1. Corinth. 6.

Alia ſermonis forma. Pro Sermonis argumento deſumi poteſt, continentiam, vitamque puram eſſe unum ex certiſſimis ſignis noſtræ prædeſtinationis. Primò quia nos Deo reddit acceptos, qui cum ſit puritas ipſa virtutem hanc ſingulari amore proſequitur. Secundò quia in nobis cum Jesu Christo quandam conſtituit affinitatem per ſimilitudinem, quam habemus cum Deo, qui ſummus eſt virtutis hujus prototypus. Tertiò quia noſtram conſtituit in hac, & in altera vita felicitatem per immunitatem magis, minuſve integram, prout hæc virtus magis, vel minus eſt perfecta a miſeriis, ſervitute, & mundi hujus curis, & per ſpem felicitatis, quæ nos manet in altera, quod proprie loquendo præcox eſt beatitudo, ideoque ſignum noſtræ prædeſtinationis. *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Incorruptio facit proximum eſſe Deo.*

Matth. 6. Sap. 6.

Vide To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: Continentia.

VIII. REPROBATIONIS SIGNUM.

Impudicitia.

XVIII. Sermo.

Ostendere poſſumus homines, qui ſeſe impudicitiæ flagitiis mancipant, reprobationis Signo connotari triplici ex cauſa. Primò quia tenebræ in omnes eorum vias effuſæ tantam illis gignunt cæcitatem, ut non licet ipſis videre pericula, quibus ſeſe objiciunt, magnitudinem criminum ſuorum, & mala, in quæ infamis hæc cupiditas agit præcipites. Secundò quia proclivitas, qua feruntur ad nequiſſima quævis crimina perpetranda, omni fere caret medicina, & moraliter impoſſibile eſt, ut ex cœno, in quo volutantur, emergant. Tertiò quia ſupplicia, quibus conſuevit Deus hoc punire crimen in hac ipſa vita, eſt veluti initium ſuppliciorum, quæ illi reſervat in altera.

Alia Sermonis delineatio. Facile eſt oſtendere, homines, qui ſeſe huic abdiderunt impudicitiæ, neque aliud habent objectum, niſi infames hujuſmodi obſcœnitates, eſſe in via reprobationis duplici ex cauſa. Primùm, quia impudicus, qui totus eſt in criminoſa, & infami harum voluptatum perquiſitione, illic ſtatim invenit ſuam calamitatem, per tumultum, infamiam, & amaritudinem, quam in illis nanciſcitur. Secundò, quia impudicus ſibi conflat æternum excidium; quoniam hic apertiſſimus eſt caracter, quem habere valeat ſuæ reprobationis.

Vide To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: Impudicitia.

X. PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Vocatio ad vitæ ſtatum, in quo liceat cum libertate, & facilitate ſervire Deo.

XIX. Sermo.

In hac prædeſtinationis nota non agimus de vocatione ad fidem, & Chriſtianam Religionem, veluti cum ſermo fit de vocatione Gentilium; neque de vocatione ad ſtatum Eccleſiaſticum, & Religioſum: ſed agimus de vitæ ſtatu, quem unuſquiſque debet amplecti. Cumque ſtatus hujus electio facienda non ſit, niſi poſt cognitam Dei voluntatem, in quo ad hunc vel alium vitæ ſtatum vocamur; conſtat ipſum plerumque nobis indigitare tutiorem ſtatum, ubi ſalutem noſtram operemur, quem cum amplectimur facilius illi famulamur, ideoque in via prædeſtinatorum incedimus.

Ut Sermonem hunc exornemus, oſtendere poſſumus, primùm eum qui vitæ ſtatum non amplectitur, niſi conſulto Deo, non autem ex libidine, & mentis affectu, eſſe in vera ſalutis via. Secundò illum diligenter obeuntem hujus vocationis officia, eo ſalutis ſuæ certiorem eſſe, quo magis per ſingulos fere gradus ſequitur Spiritum Dei, a quo ducitur. Tertiò illum ad finem uſque in hac vocatione perſeverantem, certe ad gloriam, æternamque beatitudinem eſſe prædeſtinatum.

Alia delineatio. Oſtendere licet etiam hoc verum eſſe prædeſtinationis Signum, cum Deo conſulto antequam vitæ ſtatum amplectamur, primùm conſideramus nos a Deo ſtatum hunc obtinuiſſe, ac in eo nos ſecutos eſſe ordinem nobis a divina illius Providentia conſtitutum. Secundò, cum illum non exercemus niſi de Mandato Dei ipſius, eique rationem reddituri. Tertiò cum ſtatui huic conformamus vitam, mores, & actiones noſtras; in hoc enim ſita eſt ſanctitas, & omnis perfectio, quam Deus expectat in ſingulis, ut illos Regni ſui hæredes conſtituat.

Videri poteſt To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: Vocatio.

IX. REPROBATIONIS SIGNUM.

Se immiſcere in ſtatum Saluti periculoſum.

Ex variis rationibus, quibus homines ſeſe objiciunt divinis conſiliis de ſe, vulgatior, & quæ funeſtiores exitus habet, procul dubio eſt hæc fere generalis contradictio, quam homines plerumque afferunt gratiæ vocationis, per quam illos evocat Deus ad vitæ ſtatum ſaluti ſuæ maxime periculoſum. Ubi oſtendere poſſumus, eos, qui ſeſe implicant in hujus vitæ ſtatum contra Dei voluntatem, propter ambitionem, avaritiam, aliaſve humanas rationes, manifeſtum ſubire periculum pereundi. Primùm, quia pericula, quibus in hoc ſtatu objiciuntur, ſunt fere inſuperabilia; & ipſi illis frequentiſſime cedunt. Secundò, quia cum Deus illos nequaquam vocaverit, non tribuit illis niſi ſufficientes gratias, ut ſuſceptum munus adimpleant, eiſque denegat peculiares, quas iis largitur, qui ſuæ obediunt voluntati. Tertiò, quia cum careant his peculiaribus Dei ſubſidiis, incidunt in crimina, ex quibus emergere nequeunt, & quæ tandem illorum gignunt Reprobationem.

XX. Sermo.

Alia Sermonis adumbratio. Arduum eſt recenſere mala, quæ ex prava ſtatus vitæ electione proficiſcuntur. Tria tamen generalia poſſunt afferri. Primùm, dolor quo toto vitæ ſuæ tempore torquebitur, qui in electione hac deerraverit; Faſtidia, ac tumultus, qui inde avelli nequeunt. Secundò numerus ingens ſcelerum, quæ perpetrantur ſive per ambitionem, ſive per errorem, vel ignorantiam. Tertiò evidens ſalutis periculum, cui ſeſe objicit; periculum adeo terribile, ut moraliter fieri nequeat, ut ſalutem ſuam in hoc ſtatu operetur.

Ad Sermonem hunc exornandum conſuli poteſt To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulo: Vocatio.

XI. PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Vita præclare inſtituta.

XXI. Sermo.

Vitæ præclare inſtitutæ nomine, non intelligimus ſolum exemplarem probitatem, vitam moraliter bonam, qualem plures Ethnici ducunt Philoſophi, & nonnulli etiam Chriſtiani, qui putant ſe ſalvari poſſe, ſi agitur ſolum de hominis honeſtate; ſed hoc verbo intelligimus quamdam vitæ rationem, vel quemdam ordinem, quem Chriſtianus ſibi præſcribere debet, ſi velit Salutem ſuam operari.

Ut hanc igitur rationem ſequamur oſtendere poſſumus: Primùm, cum uniformem, & regularem ducere vitam in actionibus communibus, & quotidianis, quales illæ ſunt, quæ in civili ſocietate exercentur, ſit acceptius Deo, quàm in ſubliniori ſtatu inſigniores actiones operari; ita hoc tutius eſſe medium ad ſalutem ſuam operandam. Secundò cum Deo noſtra vivendi ratio placeat, cum ſequimur vitam regularem eo in ſtatu, ad quem nos evocavit, & cum in eo conſtanter perſeveramus, nos tunc tuto in prædeſtinatorum via ambulare.

Alia Sermonis ſtructura. Oſtendere poſſumus, ſicuti tota Sanctitas, & Chriſtianæ vitæ perfectio in eo ſita eſt, ut mala quidem evitemus, bonum verò faciamus, ſecundum Prophetam, *Declina a malo, & fac bonum;* ita vitam uniformem ducere, eſſe primùm evitare malum; quia hæc agendi ratio oppoſita eſt naturali propenſioni noſtræ, qua trahimur in negligentiam, quæ efficit, ut male noſtris fungamur officiis, & inertiam, quæ præſtat, ut omittamus ea, quæ in noſtro Chriſtianiſmi munere ſunt maxime neceſſaria. Secundò hoc eſt etiam facere bonum, & illud facere eo modo, quo faciendum eſt ſecundum Dei voluntatem, ſecundum ordinem Providentiæ ſuæ, & hoc medio omnes actiones noſtras in totidem virtutum actus convertere, quæ vera eſt nota prædeſtinationis.

Pſalm. 36.

Videri poteſt To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulo: Regularitas.

XII. REPROBATIONIS SIGNUM.

Vita irregularis in vitiis tranſacta, in mentis evagatione, otioſitate, & ſæculi impedimentis.

XXII. Sermo.

Arduum eſt proprio nomine indigitare quid ſit hæc vita irregularis, hæc mentis diſſipatio, in quo ſita ſit, cuinam

eam virtuti adverſetur, & ad quam peccati ſpeciem referatur. Tamen, ut videtur, poſſumus aſſerere illam virtutibus omnibus eſſe oppoſitam, & omnia peccatorum genera complecti, quia ibi nihil fit ſecundum ordinem, tempus, ac modum, quo agendum eſt, ut agatur ſicuti decet verum Fidelem, qui ſalutem ſuam ſtudeat operari.

Secundum hunc ſenſum dicere poſſumus, vitam hanc irregularem, & mentis evagationem parere in nobis, primùm integram oblivionem Dei, veritatum æternarum, & rerum ad vitam alteram ſpectantium; cum interea vitam tranſigamus, vel inter ſæculi impedimenta, vel in iis faciendis, quæ facienda non ſunt, vel in omnibus actionibus noſtris male peragendis. Secundò efficiendo, ut perperam fungamur noſtri ſtatus officiis, & ut negligamus ea, quæ ſunt ſtatus noſtri, & tædio afficiamur verbi Dei, lectionis optimorum librorum; verbo, omnium piarum exercitationum, propter nimium amorem, quo deperimus ſæcularia negotia, atque ſolatia. Tertiò ita nos objiciunt omnibus periculis, & laqueis, qui in mundo inveniuntur, ex defectu attentionis, in faciendis omnibus actionibus ſecundum ordinem, qui decet Fidelem; ideoque nos in via reprobationis conſtituunt.

Alia ſermonis adumbratio. Vita irregularis, diſſipata, & otioſa, quam ducunt mundi ſectatores tres pravas habet qualitates. Primùm fidem, ſin minus prorſus extinguit, languentem efficit; namque in hac mentis evagatione in exteriora, ac ſenſibilia, non attollit fere oculos, & cogitationes in Cœlum. Secundò efficit, ut Charitas, & Amor Dei intepeſcat, & cor rebus creatis inhæreat. Tertiò modicam oſtendit ſpem bonorum alterius vitæ, cum de peritutis tantum hujus vitæ bonis ſolliciti ſimus.

XII. PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Frequentia deſideria, & adſpirationes in Cœlum, conſiderando vitam hanc veluti peregrinationem.

XXIII. Sermo. SERMONEM hunc inſtituturi oſtendere poſſumus, frequentia ſuſpiria, quæ Juſti in Cœlum ejaculantur, verum eſſe prædeſtinationis Signum triplici ex cauſa. Primò, quia mortales iſti divino Spiritu pleni amant veritatem, quæ raro in hoc mundo invenitur, & quam ſibi perſuadent, ſe non niſi in Deo eſſe inventuros. Secundò, quia diligunt, & inquirunt pacem in rebus omnibus, quantum in ſe eſt, & qua perfrui omnino nonniſi in gloriæ ſuæ habitaculo, ſibi videntur. Tertiò, quia corpus peccati, quod partem noſtri conſtituit, conantes evertere, ac illud Spiritui ſubjicere ſtudentes, hoc pacto oſtendunt omnem ſpem ſuam in altera vita poſitam eſſe, quò omnia deſideria ſua jugiter tendunt.

Alia ſermonis adumbratio. Juſtorum vita ſuper terram conſiderari poteſt etiam tamquam verum Signum prædeſtinationis duplici ex cauſa. Primò, quia ſemet conſiderantes tamquam advenas, & alienigenas in terra, ſemper vitæ ſuæ terminum proſpiciunt, & inceſſanter ad illum anhelant. Secundò, quia veram ingrediuntur viam, quæ ducit ad hunc beatum finem, conformantes omnes actiones, cogitationes, & deſideria ſua ſecundum Dei voluntatem, qui illis ſupremam præparat beatitudinem.

Vide To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: BEATITUDO.

XI. REPROBATIONIS SIGNUM.

Senſus Carentia in Cœleſtibus.

XXIV. Sermo. QUAMVIS omnis homo naturaliter, & quodammodo neceſſario ſe felicem eſſe cupiat; tamen ſibimet contradicere videtur, quandoquidem viam ingreditur æternæ ſuæ felicitati maxime oppoſitam. Ubi oſtendere poſſumus. Primò exceſſum ſtuporis hujus erga Cœleſtia, proficiſci ab inſana terrenarum rerum adhæſione. Secundò malum, quod illam conſequitur, eamque certiſſime ad æternam damnationem adducit.

Alia Sermonis partitio. Oſtendi poſſunt etiam cauſæ, quæ admirabilem hanc ſenſus carentiam gignunt in homine erga divina; eamque oriri primùm, vel ab ignorantia, quam parit mortalis ſopor humani cordis penitus devoti rerum ſæcularium amori; vel ſecundò ex contemptu rerum divinarum ſemel cognitarum ob modicam fidem, quam habet iis, quæ ſuperant omnes ejuſdem conſilia, & quæ in illo adeo deplorabilem pariunt cæcitatem; *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt.* 1. Cor. 2.

Videri poteſt in To. I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulus; BEATITUDO.

XIII. PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Devotio erga Beatiſſimam Virginem.

XXV. Sermo. PRÆSUPPONENTES hic tantum cum Angelico Doctore inter actus voluntatis Dei, qui noſtram prædeſtinationem reſpiciunt, tres eſſe potiſſimum, qui ceteros complecti videntur; videlicet primùm, ſingularem amorem, quo Deus ab æterno proſequitur nonnullos, & quo illos ſecrevit ab aliorum multitudine, ſine alia hujus amoris cauſa præter bonam, quam erga illos habuit, voluntatem; quam Theologi prædilectionem vocant, amorem electionis, & prælationis, quo fit, ut vulgo Electi, ac Prædeſtinati dicantur: Secundò; præparationem mediorum, quæ ſunt gratiæ ad illos certiſſime ad beatum hunc finem perducendos, ſecundùm illa Sancti Auguſtini verba, qui in hoc conſtituere videtur omnem prædeſtinationis ordinem, quamvis nonniſi pars ſit ejuſdem; *Præparatio beneficiorum, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur.* Tertiò illis finalem perſeverantiam, quæ quodammodo cumulum addit æternæ huic felicitati. Si autem univerſa noſtræ prædeſtinationis œconomia ad hæc tria refertur, ubi illam ſolum ex Dei parte intueamur; oſtendere poſſumus: Primò ſingularem hunc amorem, & prædilectionem, quam habet Deus erga nonnullos ab æterno, reſpicere potiſſimum Sanctiſſimæ Virginis famulos. Secundò ipſam eamdem Beatiſſimam Virginem, tamquam omnium bonorum Filii ſui diſpenſatricem, illis procurare efficientiſſima, ac certiſſima ſalutis media. Tertiò optimis, ſolidiſque rationibus probari poteſt, eamdem illis impetrare finalis perſeverantiæ gratiam per protectionem, & auxilium, quod ipſis in mortis articulo præſtat. Quod locum præbet arguendi, devotionem erga glorioſam Dei Matrem notam eſſe prædeſtinationis.

Alia ſermonis delineatio. Exiſtimandum non eſt cum Sancta Virgo reliquerit terram Cœli poſſeſſionem aditura, nihil illi cum nobis eſſe commune, nihilque nobis ab illius bonitate eſſe expectandum. Illic enim majori ſollicitudine Salutis noſtræ negotium procurat, cauſam noſtram tuetur, ac ad Supremi Judiciis tribunal defendit. Quamobrem arduum non erit mihi probare, primùm, cum validiſſima ſit protectio, quam ſibi expectare debent, qui Beatiſſimæ Virgini famulantur, hanc illam eſſe, quam ſibi certiſſime poſſunt polliceri, eamdem pro virili imitantes. Secundò illos conatus ſuos exerentes ad protectionem hanc promerendam per confidentiam ſuam, preces, ac zelum in ipſius ſervitute; tuto jam in prædeſtinatorum via ambulare.

Oſtendi etiam poteſt tamquam duodecimum Reprobationis ſignum, ratione prorſus oppoſita, illos, qui negligunt Cultum Deiparæ Virginis, & qui eamdem contemnunt; hunc reſpicere tamquam inutilem, vel contumelioſum divinæ Majeſtati; atque ex hoc capite præpollenti ejuſdem protectione deſtitutos adducere ſalutem ſuam in diſcrimen, ac ſemet objicere malo eidem, cui Iſraelitæ illi, qui in deſerto pertæſi Manna, perperam clamabant, *nauſeat anima noſtra ſuper cibum iſtum.* Num. 21. Utque cogitatio noſtra clarius eluceat, nemo eſt qui neſciat, Hæreticos omnes, qui bellum indixerunt Eccleſiæ ſæculis omnibus, omnes initium duxiſſe ex oblatione Cultus Sanctæ Virginis; alii quidem negantes illi Dei Maternitatem, alii Virginis titulum auferentes, & plurimi clamantes, hoc eſſe, derogare Majeſtati Filii ad Matrem confugere, & his omnibus prætexentes zelum gloriæ Dei, apud quem dicebant, unum eſſe nobis Advocatum, videlicet JESUM CHRISTUM. Sed hujuſmodi mortales, qui ſemet privant patrocinio Matris erga Filium, minime cogitant, ſibi lædentibus hanc Miſericordiæ Matrem, quo nomine illam vocat Eccleſia, omnia eſſe metuenda a Filii ejuſdem juſtitia, quippe qui ſibimet ſimul auferunt ſpem extremam Salutis ſuæ.

Finis Tabulæ Secundæ.

Digitized by Google